
0067362XXXX



ACTA
SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M. DCCC. LXVIII

ACTA
SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA

A JOANNE BAPTISTA SOLLERIO, JOANNE PINIO, GUILIELMO CUPERO

PETRO BOSCHIO

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS.

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

JULII TOMUS QUINTUS

QUO DIES VICESIMUS, VICESIMUS PRIMUS, VICESIMUS SECUNDUS, VICESIMUS TERTIUS ET VICESIMUS QUARTUS CONTINENTUR



PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM

1868


SERENISSIMA PRINCEPS MARIA ELISABETHA ARCHIDUX AUSTRIÆ. BELGII GUBERNATRIX &c. &c.
Petrus Baltha. Bouttats, sculp. Anv. 1725.
Lith du Senat, Barousse, Paris

MARIÆ MAGDALENÆ

REGIÆ

PRINCIPI HUNGARIÆ, BOHEMIÆ

ET

SERENISSIMÆ ARCHIDUCI

DUCI

Burgundiæ, Brabantiæ, Luxemburgi, Limburgi, Geldriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ

COMITI

Flandriæ, Namurci, Tyrolis, Goritiæ, etc.

Immensa prope Operis nostri de Actis Sanctorum moles ut nova accessione continuo accrescit, ita post septem mensis Junii et quatuor Julii tomos, hic ordine duodecimus est Austriacis auspiciis editus, Tuo autem nomini, ARCHIDUX SERENISSIMA, ex Augustissimi germani fratris, perpetui nostri Mæcenatis, nutu destinatus; quem voluntate non minus prona, nec minori benignitate a Te susceptum iri confidimus, quam proxime prægressum complexa est Serenissima Soror Maria Elisabetha, dignissima juxta ac prudentissima Belgii nostri Gubernatrix. Id vero non in postrema parte felicitatis nostræ reponendum existimamus, quod inter tam varios tomos, is Tibi potissimum mera sorte obtigerit, quem forte omnes studiose selectum in animum inducent. Etenim ex enumeratis jam voluminibus, non nisi unum hactenus prodiit, in quo ejus Principis, cui dedicabatur, synonymum Sanctum inesse contigerit, unum, inquam, quod vel ea causa Augustissimæ regnanti inscriptum novimus : quod vero casu hic factum est, id Tibi fortunatissime reservatum gratulari audemus. Singularem igitur apud Te gratiam Tomum istum pro-

promereri necesse est, in quo præter sanctissimas Virgines martyres, Virgines Deo dicatas, Virgines non sine prodigio maritatas, Virgines reginas et principes, præter has, inquam, ea elucet potissimum, cujus nomine insignita cum sis, Patronam felicissime nacta es, cujus gesta longe gloriosissima, virtutes, miracula, ipsa asseverante falli nescia æterna Veritate, non minus diffusa, vulgata prædicataque sunt, quam ipsamet Evangelica oracula, quorum sonum in omnem terram exivisse, fide etiam certissima edocemur; ut proinde S. Mariæ Magdalenæ gloriam per orbem universum, quaqua patuit umquam Christiana religio, cum ipsa propagatam, indubitate liceat asserere. Non deerant sane, ut jam dicere cœperam, in hoc ipso quod Serenissimo nomini Tuo dicamus Actorum volumine, præclarissimarum Sanctarum feminarum exempla, quæ aut ad imitandum Tibi proponeremus, aut potius ad quorum normam, eas quibus refulges singularissimas virtutes exactas demonstraremus. Atque ut celebratissimas istas in Ecclesia Catholica Virgines prætereamus Margaritas et Christinas, tum vero Primitivas, Syntyches, Praxedes, totque alias hoc tomo recensitas illustratasque, ea præ ceteris ob oculos Tibi proponi poterat, quæ ut in plurimis tecum certat, eximia nimirum in Deum pietate, cultu ejus indefesso, constanti rerum internarum solidarumque virtutum exercitatione, ecclesiarum ornatu, misericordia in pauperes; id etiam Tecum commune habuit, quod in mediis tum regis parentis tum conjugis aulis enutrita, castissimas nihilominus inter virgines Tecum connumeranda sit; in hoc præcelluit quod vel marito juncta totis quadraginta annis illibatam custodierit virginitatem, eo ausa procedere ut sponsum ipsum suum Poloniæ regem seu ducem Boleslaum, ad vovendam Deo castitatem exemplis hortationibusque compulerit, inde Pudici appellationem consecutum, quod quam rarum, tam in Ecclesia hactenus prodigio simile visum est. Atque hæc de Kinga seu Cunegunde Hungariæ Poloniæque miraculo obiter attigimus, hinc ad ea progressuri quæ Tibi cum illustrissima Maria Magdalena Evangelica peculiari virtutum communicatione propius connexa sunt. Et ea quidem quæ errasse aut peccasse potuit, tam heroice deleta, eluta, et obliterata, commemoranda non sunt; ad ea mentem unice intendimus, quæ amore Christi Servatoris sponsi sui unici incensa, et gessit fortiter et toleravit constanter, omnium contemptrix, omnium victrix, ut soli Domino perpetuo adhæresceret; de bonis suis ei prospiciens, eum indivulse comitata, domi ad genua provoluta, ad crucem usque intrepide secuta, nec a sepulcro se avelli passa, donec Amatum perditum reperiret, rursusque ad redivivi pedes accideret. Neque vero verbis meis ea hic recensenda sunt; quot sanctos Patres, quot Ecclesiæ Doctores, quot sacrarum paginarum interpretes legimus, totidem S. Mariæ Magdalenæ encomiastas, totidemque virtutum ejus prædicatores certatim offendimus. Rectissime pridem observatum est, ex mulierum sorte feminam nullam, post augustam Dei matrem et æternam Virginem, tantis laudum præconiis (quod futurum prædixerat Christus) ab omnium prope temporum post Christum natum memoria celebratam fuisse. Iterum repetam, propagata est gloria, nomen, fama et laus Magdalenæ, non solum per omnem orbem, sed etiam omnium temporum æternitates. Dicatur cucurrisse in odorem justitiæ, dicatur beatissima mulier Evangelica, dilectrix ferventissima, dicatur Apostolorum apostola, nuntia resurrectionis : hæc merita ejus necdum adæquant, cujus nulla sunt augustiora elogia quam quæ ex ipsis Evangeliis depromuntur. Quid tenerius, quid Magdalenæ gloriosius : *Diligebat Jesus Mariam?* Quod præclarius testimonium : *Bonum opus operata est?* Quid demum ad omnium laudum culmen evidentius : *Maria optimam partem elegit?* Age vero, hæc modo compendiosius, quasi in speculum contrahamus, ut in eo virtutes Tuas, ARCHIDUX SERENISSIMA, vel Te repugnante refugienteque, nobis liceat contemplari. Non alia dicere præsumam, quam quæ oculis pridem intuitus sum, aut fidelissimo aliorum relatu perspectissima habeo, digna præfixo lemmate, PIETATE AUSTRIACA. Magdalenam spectavimus a Servatoris

latere

latere avelli nesciam, quod est summa accuratione et diligentia, quæ Christi sunt, exsequi gnaviter, constanterque perficere; sic ut a præfixo rerum agendarum ordine nihil umquam occurrat quod animum mentemque queat avellere; unde ea legitime consectaria sunt, quæ Te in omni actione expeditam et minime cunctabundam universæ aulæ mirandam suspiciendamque perhibent; sedulam nimirum imitatricem venerabilis non minus quam Augustissimæ ac piissimæ parentis, ipsius item Patronæ Magdalenæ sectatricis, cujus eam virtutem laudatissimam accepimus, quod a pie propositis, sancte ordinatis et recte cœptis nec ad latum unguem deflecteret. In qua quidem vivendi ratione non unam ego virtutem admiror, sed multarum, ausim dicere virtutum omnium seriem, seu ordinatissimam concatenationem jucunda amœnitate profluere, sine cunctatione definio. Atque huc, me quidem judice, Te feliciter provehunt, SERENISSIMA PRINCEPS, quemadmodum ad suam divini sponsi unionem perducta est Magdalena, provehunt utique stata Tua interni spiritus exercitia, rerum æternarum quotidiana meditatio, sacrorum librorum attentissima lectio, severa conscientiæ discussio, quibus ad Domini Tui pedes cum sanctissima Patrona consistis, ut et Te optimam partem elegisse, asseverare prorsus non reformidem. Neque profecto ea adminicula negligis, quæ ad Christi amorem magis magisque Te excitent inflammentque : quid enim aliud dixero repetita illa ad sponsum cœlestem suspiria? Quid frequens illa cum ipso reconciliatio, dum intra octidui spatium ternis plerumque vicibus, maculas quantumvis leves singulari studio abstergis, quo purior sacræ mensæ tertio ferme quot hebdomadis assistas? Ut neque hic contestari verear, et Te a Jesu non secus ac Magdalenam diligi. Porro, si hanc bonum opus operatam, quod pedes suos unxisset, asseruerit Dominus; sane et aliud æque gratum opus exsecutam nemo inficiabitur, dum facultates suas in Dilecti sustentationem expendit, eo fruita solatio, quod in viventem præsentemque ea profunderet, quæ Tu, sola ducente fide, in ejus membra, in egenos, miseros, afflictos larga manu erogare consuevisti; ut manus pauperum Christi gazophylacium esse, probe intelligas, eo semper lætior, quo in plures piam Tuam misericordiam demonstraveris; usque adeo ut sanis opitulari minime contenta, apothecam Tibi paraveris, omnis generis medicamentis etiam pretiosissimis, instructam, quam pauperum ægrorum infirmorumque refugium equidem nuncupavero, Te vero ipsorum matrem, eamque adeo solicitam, ut comparata pharmacorum non levi peritia, propria manu paratas notasque medicinas ægrotis benigne digneris porrigere; quo quid virgine Principe dignius, quid PIETATE AUSTRIACA illustrius excogitari possit, frustra quis mecum diu multumque quæsierit : ad cujus columen id accedit, quod plurium linguarum ad stuporem perita, nullam gentem a Tua pietate arceri patiaris, omnes nimirum pari teneritudine complexa, non Germanos solum, sed Italos, Gallos, Hispanos, quin et Latinos, si occurrant, non tantum remediis propensissime juvare, sed proprio quosque sermone solita es consolari. O! dignam Magdalena gloriam! non jam mortuis de unguento prospicere, sed depositos ægros cum morte luctantes, incolumes reddere! Neque vero minus præstantia supersunt quæ Te vel mulieri isti sapienti æquiparent; dum manus non solum extendis ad pauperem, sed easdem mittis ad fortia, Dei cultui rerumque sacrarum ornatui fervente non minus zelo addicta; præfixum Tibi a Te ipsa tempus quotidie accurate impendens, non jam ut lanam aut linum quæras, sed ut ad decorem domus Dei acu Phrygia peritissime texas, eaque omnia studiosissime præpares, quæ ad sacrorum altarium splendorem, ad sacerdotalium vestium nitorem, ad Augustissimi sacrificii majestatem omnimodamque munditiam et elegantiam conducunt, nullis parcens sumptibus dummodo sacra omnia decenter et pie peragantur; in eo præsertim sacello, quod magno Indiarum Apostolo dicatum, Tuam et munificentiam et magnificentiam, quamdiu superstes erit aula Vindobonensis, prolixe profuseque testabitur. Quid est admirabilis nostræ Magdalenæ gloriosis vestigiis insistere,

insistere, si hoc non est? Primam Te dicerem, ARCHIDUX SERENISSIMA, inter præstantes istius nominis Augustissimi Tui sanguinis Principes, nisi Te præcessisset Magdalena illa altera, tot pridem elogiis meritissime ornata, regina scilicet illa, ut vulgo fertur, cum duabus reginis sororibus, addamus et neptibus, nobilissimi parthenonis Hallæ Tyrolensis, quin et collegii Societatis nostræ fundatrix, Augustissimi Ferdinandi I honoratissima filia : hæc nempe Magdalena id Tibi præripuit, quod prima Evangelicæ Magdalenæ Austriaca imitatrix dici non possis : at certe id nulla præripiet ætas, nulla obliterabit oblivio, nulla tacebit posteritas, quod in Te mirandum est maxime, veram te Magdalenam dici posse, non eo jam titulo, quod remota ab omni strepitu, in sacros subinde recessus Te abdideris, verum (et hoc illustrius, audacter dixerim, idemque Tibi gloriosius) quod medios illos inter aulæ motus, inter palatinam servitutem, inter officiosa sæpiusque importuna obsequia, innumeraque id genus agnata dignitati Tuæ diverticula, ibi animum, ibi spiritum, ibi Te totam fixeris, ubi Magdalenianis deliciis non infrequenter liceat abundare; quo Te sapientissime impulit Tua illa religiosa materna industria, ut sepositis superatisque impedimentis omnibus, ad Salvatoris Tui pedes, non jam in claustro aut solitudine, sed Viennæ, sed domestica in aula, sed medio in mundo muliebri, tot illiciis nequidquam alio distrahentibus, ad Dilecti vocem audiendam prostrata bono operi indefessa insistas. Quanta mihi laudum seges suppeteret si de eximia incomparabilis matris sanctitate pluribus liceret disserere, quidni et de Augustissimi Leopoldi immortalis memoriæ meritissimis præconiis? Fœcundum hoc argumentum prope exhausit Serenissima soror : ut mihi Tecum unice sermo sit, isque adeo Tibi soli proprius, ut neque inde neque aliunde adjumenta omnino accersenda sint. Alii (facile patiar) quibus possunt elogiis extollant Tyrolenses illas heroidas *Magdalenam*, præcipuam laudatissimæ institutionis inventricem primipilamque, *Margaritam* et *Helenam*, inchoati operis strenuas adjutrices ac ferventissimas promotrices, *Christiernam* et *Eleonoram*, quæ rem omnem, pari cum serenissimis amitis pietate ac zelo, ad hodiernum perfectionis apicem deduxere. Laudent illi Græcenses *Catharinam Renatam* et *Gregoriam Maximilianam*, laudent sanctimoniales *Euphemiam* magni Rudolphi, *Catharinam* non minoris Alberti II filias, *Margaritam a sancta cruce* Matriti nuncupatam, *Annam Catharinam* Tyrolensem; et quid tot alias commemorem? Ego Te, SERENISSIMA MARIA MAGDALENA, iis audebo encomiis prædicare, quibus dilectam suam Mariam ceteris omnibus Servator ipse diserte anteposuit, hoc palmari reliquorum compendio, quod *optimam partem elegeris;* quam ne quis a Te auferat, sed integram inviolatamque conserves, Sanctorum omnium patrocinia ardentissime vovere, Tibique constantissime augurari non desinent

SERENISSIMA ARCHIDUX

ARCHIDUCALIS SERENITATIS TUÆ

Clientes Devotissimi :

JOANNES BAPTISTA SOLLERIUS
JOANNES PINIUS
GUILIELMUS CUPERUS
PETUS BOSCHIUS

Societatis Jesu.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDROBELGICÆ

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

Cum Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II Regum, confirmatis 2 *Decembris* 1692, *et* 19 *Junii* 1694, *Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi Typographos et Bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque exclusionem, soli imprimere ac reimprimere et vendere possint libros et opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet. Cum etiam sua Cæsarea Majestas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis;*

Ego infrascriptus, Societatis Jesu per Flandrobelgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab admodum R. P. N. Præposito Generali Michaële Angelo Tamburino, concedo Jacobo du Moulin *facultatem sic imprimendi, et per se aliosque vendendi infrascriptum opus, ex more nostræ Societatis (quod hisce attestor) recognitum et approbatum, videlicet : Tomum quintum de Actis sanctorum Julii, collectis et illustratis per Joannem Baptistam Sollerium, Joannem Pinium, Guilielmum Cuperum et Petrum Boschium Societatis nostræ Presbyteros Theologos. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque nostri officii sigillo munitas, dedi Antverpiæ* XXI *Augusti* MDCCXXVII.

PETRUS MAELCAMP.

SUMMA

PRIVILEGII REGII.

Cæsareæ et Regiæ Catholicæ Majestatis diplomate sancitum est, ne quis, præter voluntatem Joannis Baptistæ Sollerii e Societate Jesu, ejusve ad illustranda Sanctorum Acta Adjutorum et Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo, vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat: qui secus faxit, confiscatione exemplarium, et aliis gravibus pœnis mulctabitur, ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis.

Signat LOYENS.

Et ego Joannes Baptista Sollerius Societatis Jesu, permitto Jacobo du Moulin, ut Tomum quintum de Actis Sanctorum Julii, meo permissu ab ipso impressum, publicet.

Datum Antverpiæ XXII *Augusti* MDCCXXVII.

APPROBATIO

APPROBATIO

ORDINARII.

Grandem suam de Actis Sanctorum collectionem strenue urgere pergunt toties a me laudati scriptores Joannes Baptista Sollerius, Joannes Pinius, Guilielmus Cuperus et Petrus Boschius Societatis JESU presbyteri; in quorum lucubrationibus nihil offendi quod fidei aut bonis moribus consonum non sit, vel quod eruditorum expectationi non respondeat : idque de hoc quinto mensis Julii tomo etiam testor. Dabam Antverpiæ XXIII *Augusti* MDCCXXVII.

F. G. ULLENS

Can. Schol. Offic. et Lib. Censor Antverpiæ.

PROTESTATIO

AUCTORUM.

Quod identidem protestati sunt decessores nostri, in hoc de Actis Sanctorum Opere, se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones ; neque suis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ : idem ante hunc Quintum Tomum Julii denuo protestamur.

SYNOPSIS

TOMI QUINTI

DE ACTIS SANCTORUM

JULII

Tricesimus secundus hic ordine est accrescentis indies Operis tomus, Sanctos centum et undeoctoginta nominatim referens, anonymos centum sex et viginti, præter manipulos alios, quorum numerus non exprimitur. Dies quinque, ut bini præcedentes, continet, a vicesima ad vicesimam quartam. Sancti porro, de quibus agitur, in solitas hic classes distribuuntur : viri primum juxta triplicem Ecclesiæ statum, *Ecclesiasticum*, *Monasticum et Secularem*, servato regionum ordine ; feminæ autem, cujuscumque status aut conditionis sint, quartam et postremam classem constituunt. Antiqui fœderis Sancti *Elias* et *Daniel* extra hunc ordinem positi, non minori tamen quam ceteri gloria in Ecclesia Catholica illustres sunt : et Sanctus quidem ille, arisque sacris admotus, tametsi in vita, nescitur quo modo, superstes ; cujus cultus apud Græcos æque ac Latinos receptus, templa et oratoria ei dicata, nec non miracula recensentur, totaque vitæ ex sacro textu series accurate deducitur, ad raptum usque, de quo palliique ejus reliquiis satis fuse disceptatur. Neque ipso minus celebris est *Daniel*, propheta in paucis mirabilis, de cujus captivitate, sanctitate, virtutibus, sapientia, auctoritate apud reges ethnicos ; deque visionibus, somniorum interpretationibus, prophetiis, sepulcro, epitaphio, statuis, cultu sacro, reliquiis et sacris ædibus nil prætermissum est.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Ætate et spectata sanctitate præcipuo *Josepho*, alias *Barsabæ*, utpote in ipsa Scriptura sacra *Justo* declarato, primus debetur locus : is vero cum Barnaba confundendus non est, nec cum Jose, aut Justo Hierosolymitano episcopo. De gestis pauca memoriæ tradita sunt. Neque de *Cyrillo* patriarcha Antiocheno multo plura dici potuere, quam quæ in ipsa serie Patriarcharum dedimus, ut cujus Acta scripta non videntur ; ipse vero in sacris Fastis vix notus, neque a Baronio in Actis Claudii, Nicostrati et sociorum satis apte repertus. Breviora longe sunt quæ de *Zotico*, Comanæ in Armenia episcopo, ex Eusebio eduxit Romanum Martyrologium.

Paulo ampliorem materiam præbuit *Apollinaris* Ravennæ protoepiscopus, S. Petri Apostoli discipulus ; non quod miranda ejus Acta sincera censuerimus, sed quod longe illustrior sit gloria ejus posthuma per dilatatum solennissime cultum et miracula, per historiam inventionis corporis seculo XII factam, et per ejus possessionem Classensi monasterio pluribus argumentis assertam, unde acceptas oportet sacras reliquias, alibi venerationi expositas, de quarum translationibus satis operose disseritur. Temporibus nostris vicinior est *Joannes*, a loco natali *Taussinianensis* dictus, ex Jesuatorum Ordine Ferrariensis episcopus non sine miraculo electus ; stupenda in pauperes misericordia aliisque prodigiis inclytus, ad cujus cultum probandum, aliaque monumenta procuranda, quibus gesta ejus illustrarentur, non parvo labore, nec minori diligentia opus fuit. *Hieronymus* episcopus ad Papienses pertinet, *Lucanus* in eadem dignitate præfuit Sabionensibus, *Severus* Casini depositus est.

Liborius Cenomanensis episcopus, translatione Paderbornensi atque innumeris signis quam rebus gestis illustrior, singularissimus est adversus calculum patronus, non Westfalis solummodo sed et Italis aliisque gentibus mire propitius, ex quo sacræ ejus exuviæ, bello Suecico a furioso Halberstadensi Lutherano episcopo surreptæ, sed postmodum restitutæ, in alias orbis partes et in Belgium nostrum tranfusæ sunt, ubique, etiam Romæ in summa veneratione. *Pavacii*, Cenomanensis itidem episcopi, sacra pignora, non in sede episcopali, sed alibi quoque miraculis clara sunt, præsertim in Vastinensi Castro Rainardi, quo quando aut quomodo pervenerint, satis incertum est ; Hugonotorum furori feliciter subtractæ, tota ea vicinaque regione præsens morbis variis medela censentur. De *Ursicino* Senonensi et *Valerio* seu *Valeriano* Nicensi pauca, quæ dici possent, subministrata sunt.

Arbogastum Argentinensem episcopum Franciæ an Germaniæ adscribas, parum interest : sub Francis regibus floruisse, imperante in Austrasia Dagoberto II, cujus filium Sigebertum vitæ restituit, atque ab eo possessiones multas ecclesiæ aliisque impetrasse, compertum est. De patria certant Hiberni et Scoti, quorum rixas composueris, si Aquitanum fuisse, melius asseras : episcopatus tempora, annus obitus et controversa alia recte explicantur. *Bernardi* Hildesiensis præsulis cultus extra dubium positus est, Acta et varia ejus miracula illustrata. *Dictinus* Asturicensis episcopus felici casu locum inter Sanctos obtinuit. *Declanus* Ardmoriæ in Hibernia stupenda gessit, si Actis fides haberi possit. Veriora sunt, quæ de *Paulo* Cordubensi diacono inclytoque martyre retulit S. Eulogius.

EX

EX STATU MONASTICO

Classem hanc ducit *Joannes* anachoreta in Palæstina, et propriis virtutibus et eo nomine laudatus, quod famosissimi Symeonis Sali socius fuerit, ut ejus gesta in alterius Actis I Julii quærenda sint. *Antonius* ex Ordine eremitarum S. Augustini Aquilam in Vestinis non parum illustravit. Frustra quæsita est ejus Vita Latina, fuitque adeo ex verbosiori Italica Latine vertenda et contrahenda, cum longiori multorum miraculorum serie. In Gallia abbates celeberrimos exhibet hic tomus, *Joannem Cassianum* imprimis, scriptis suis et peregrinationibus per Orientis Ægyptique asceteria, tum vero præclaris virtutibus et exemplis Massiliæ atque in finitimis regionibus æstimatissimum, ibique a seculis ecclesiastico cultu donatum. Vita, hactenus numquam scripta, ex libris ejus operose colligi debuit : ab erroribus autem, quos nonnulli perperam ipsi impegerunt, ex aliorum apologiis probe vindicatus est, quemadmodum et patria, hue usque satis dubia. *Wandregisilum* Fontanellensis in Normannia cœnobii conditorem, cujus pretiosis reliquiis ditatum olim fuit Blandiniense apud Gandavum cœnobium, satis ferme est nominasse; usque adeo vulgata sunt præclara ejus gesta et merita, ex duobus scriptoribus a nobis recensita, eum eopiosis signis et translationis historia. Neque de *Ansegiso*, in eodem cœnobio postmodum abbate, multa hic memoranda sunt : notissimus et ipse est æque ac *Vulmarus* in Picardia, *Meneleus* apud Menatenses in Arvernia, atque etiam *Euspicius* monachus in monasterio Miciacensi : sic nee recentior *Francisci Solani* ex Ordine Minorum, nuperrime Sanctis adscripti, memoria hic prædicanda : sufficiat, dixisse, Americæ ipsum et Peruani præcipue regni apostolum et thaumaturgum fuisse.

EX STATU SECULARI.

Plato Ancyranus martyr apud Græcos potissimum celebris, multisque ornatus elogiis, ædes sacras plures sibi dicatas habet, innumeris clarus miraculis, ut ejus sepulcrum miserorum perfugium appelletur. Fidei etiam insigne testimonium dedit *Theophilus*, dictus *Junior*, ordinis senatorii et dux strenuus, qui ab Arabibus captus sanguinem fundere quam eorum promissis acquiescere maluit. Sebastenos martyres S. Athenogenis discipulos, non recte distinctos ostendimus. Non adeo noti sunt *Hymenæus* et *Capiton; Cyrillus* et socii Antiocheni; *Trophimus* item, *Apollonius*, *Miniseus* eum suis; tum Melitinenses, Chalcedonenses, Bulgari, Corinthii atque Ægyptii. In Africa clariores martyres *Maxulitani*, deinde et *Victor* cum variis sociis. Romam præcipue ornat *Vincentius* martyr, nisi forte Tiburtinis debeatur; Amiternum *Victorinus* : adde martyres *Cæsenates* et *Siculos*, et confessorem *Fantinum* in Calabria haud sane ignobilem. Inter Galliæ martyres illustrissimus est *Victor* Massiliensis cum sociis; de quorum reliquiis, gestis et miraculis fusius agitur. *Arnulfus* Mosomensis a synonymis distinguitur, vix aliunde quam ex signis notus. *Rasiphus* martyr non unus, sed *Ravenni* socius, cum ipso a Normannis honoratur : *Wulfadus et Ruffinus* in Anglia. Gratiæ miraculum fuit *Josephus comes*, ex Judæo confessor egregius, cujus conversionem et adversus Arianos constantiam S. Epiphanio acceptam referimus. In Italia habes *Gualterium* Laude Pompeia; *Oddinum Barottum* Fossani in Pedemontio. In Gallia *Serenedum* apud Cenomanos.

EX SEXU FEMINEO.

Syntyches Philippensis præclariori elogio ornari non potuit, quam quod, teste Apostolo, cum ipso laboraverit in Evangelio. *Margarita* diffusissimo in Ecclesia cultu longe nobilior quam rebus gestis, saltem quæ ad nos sincere scriptæ pervenerint. *Niceta* et *Aquilina* ex S. Christophori Actis desumptæ sunt; *Anna* virgo apud solos Græcos nota. *Praxedes* V. Romæ cum sorore Pudentiana, nominatissima est. *Christina* virgo martyr Margaritæ haud multum absimilis, utpote cultu ubique ei miraculis celebratissima, verum cujus Acta aut varias Passiones frustra expurgare conatus est, qui magno volumine id nuper tentavit. De *Primitiva* V. M. paucis agi potuit; *Romulam, Redemptam* atque *Hirundinem* laudavit magnus Gregorius. *Maria Magdalena*, Provinciæ asserta, in signum posita videtur, cui a seculis contradicitur : nos eam et Lazari sororem, et peccatricem, et a septem dæmoniis liberatam cum Ecclesia Catholica agnoscimus. *Julia* V. M. cum nescio quo *Claudio* imperatore et aliis MM. Trecensibus debetur; *Segolena* vidua Albigensibus : *Mera* V. Lectoræ colitur; *Severa* apud Treviros. *Wilgefortis* seu *Liberata* cujas fuerit, quando vixerit, quid egerit, ignoratur : hoc scitur, ut a multis malis liberatricem passim invocari. *Columba* apud Lusitanos innotuit. *Christina* V. Belgica *Mirabilis* nomen merito consecuta est; eo mirabilior, quo stupendissima Acta solidiori auctoritate nituntur. *Lewinna* M. Angla apud Bergenses in Flandria miraculis claruit : *Vastrada* vidua, Sanctorum mater, Sustereni ad Mosam. *Kingam* seu *Cunegundem* virginem maritatam, ex Poloniæ duce sanctimonialem, admirabili sanctitate vitæ ac miraculis vere regni istius prodigium dixeris.

Atque hi sunt præcipui Sancti quorum Acta aut breviora etiam elogia hoc tomo illustrantur : quo autem die quibusve paginis quærenda sint singula, docet index alphabeticus toti volumini præfixus; ætatem porro chronologicus; cetera in subjunctis aliis indicibus quærenda sunt.

Erunt fortasse qui a nobis apologiam exspectent, adversus ea quæ non ita pridem vulgavit Odoacer *quidam* Ilbachius, *in Actis Sanctorum discernendis aut vindicandis ut minimum summe peregrinus. Odiosas is controversias, ab annis fere triginta exstinctissimas, lævo prorsus sidere renovavit : ipsum nos, dum longe utilioribus occupamur, ad tunc obunde dicta probataque remittimus. Quæ si sufficere non existimet, adeat, obsecro,* Librum apologeticum *ab Eminentissimo Cardinale Baronio, sub Antonii Gallonii nomine, anno* MDCIV *Romæ editum et Clementi PP. VIII inscriptum, ad Constantinum Cajetanum*, EX BREVIARIO S. Gregorii monachatum Benedictinum *adstruentem : ubi quid de Breviario, et consequenter de S. Catharinæ contractis in eo Actis censendum, nisi volens cæcutiat, apertissime perspiciet.*

INDEX

ALPHABETICUS

SANCTORUM

AD TOMUM QUINTUM JULII.

B

mortua

E

F

tio

sub

K

imaginem

M

corrigenda

T

U

V

W

INDEX
CHRONOLOGICUS
SANCTORUM

AD TOMUM QUINTUM JULII.

Huc

SECULO VIII.

SECULO IX.

SECULO X.

SECULO XI.

SECULO XII.

SECULO XIII.

SECULO XIV.

SECULO XV.

Anno

SECULO XVI.

SECULO XVII.

SECULO XVIII.

NOTITIA FIGURARUM

ORNANTIUM HUNC TOMUM.



ACTA SANCTORUM
JULII
TOMUS QUINTUS

VIGESIMA DIES

SANCTI QUI XIII KAL. AUGUSTI COLUNTUR.

S. Elias Propheta, in Palæstina.
S. Joseph, qui et Barsabas et Justus.
S. Margarita virgo et martyr, Antiochiæ.

S. Sabinus S. Lucianus S. Petrus S. Amabilis S. Nonnina S. Saudus S. Agrippianus S. Medadulus S. Respectatus et alii XXIII.	Martyres in Africa.

S. Victor martyr et forte Silvanus, in Thebaide.

S. Sabinus S. Maximus S. Julianus S. Cassius S. Macrobius cum aliis X.	Martyres Damasci.
S. Cyprianus S. Donatus S. Tertius S. Appia S. Felix S. Neratia S. Fructus S. Celsus S. Theodolus S. Calorus S. Partinus S. Spretus S. Victor S. Maximus	Martyres.
S. Pastorus S. Nestita S. Paulus S. Romanus S. Valerianus S. Emilis S. Cassius, et forte S. Magnus.	Corinthi.
S. Passeria S. Macrina S. Vestita S. Satyrus S. Amarinus S. Secundus S. Emilius	Martyres Romæ.

S. Columba V. M., Conimbricæ.
S. Mera V. M., Lactoræ in Gallia.
S. Wilgefortis *seu* Liberata, in variis Europæ partibus.
S. Lucanus episcopus Sabionensis, Beluni in ditione Veta.
S. Severus episcopus confessor, Cassini in Samnio.
S. Euspicius, in Miciacensi monasterio prope Aurelianum in Gallia.
S. Severa virgo, apud Treviros.
S. Vulmarus abbas, prope Benoniam in Picardia.
S. Paulus diaconus martyr, Cordubæ in Hispania.
S. Ansegisus abbas, Fontanellæ in Normannia.
S. Bernardus episcopus, Hildesii in Westfalia.
S. Marianus presbyter, confessor in Gallia. *Vide appendicem ad tomum* VII *Julii pag*. 869, *not*. 12.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Margarita de Silva benedicta, *in diœcesi Aniciensi seu Podiensi Galliæ, cum longo elogio, plerisque piis sanctimonialibus aptabili, memoratur a Chrysostomo Henriquez in Menologio Cisterciensi, citante peculiare Kalendarium Ordinis, quod non satis designat; illudque etiam quod Divione impressum sæpissime diximus. In hoc ipsam haberi fateor; ast hæc omnia necdum satis probant, publica veneratione donatam; utpote quam Saussayus non nisi inter* pias *connumerarit, Castellanus vero, inter sanctos incertæ diei,* venerabilem *duntaxat appellare ausus sit. Hujus verba proferri merentur ex pag.* 936 *:* Venerabilis Margarita Anglica nominatur beata in Silva benedicta apud Vellaunos, cœnobio virginum Ordinis Cisterciensis, ubi et miracula narrantur. *Angliæ*
B *eam quoque tribuit Gynæceum Arturi, verum de ejus origine, ætate aut gestis tantumdem se novisse, haud obscure demonstrat. Ego vitam aliquam præ oculis habeo, Gallice scriptam, atque in capitula ferme triginta divisam, in qua, sed absque ullo temporis charactere,* in Hungaria, *et patre quidem Romano, nata dicitur; postmodum cum matre in Palæstinam peregrinata, ibi et alibi mira egisse, quæ referre, refutasse sit; ut cetera id genus exponenda non censeam. Neque vero hanc esse obitus ejus diem, si quid certi ex ea erui possit, planissime constat, cum ibi cap.* 38 *obiisse asseratur* altero die post Circumcisionem Domini. *Temporis igitur abunde superest, ut si saltem legitimus cultus umquam probetur, de ea agi possit in Supplemento, proprio obitus die* II Januarii.

Titus episcopus *a Bollando in aliquo Kalendario repertus, male utique : nam alius istius nominis episcopus mihi hactenus ignotus præter Apostoli discipulum qui relatus est* IV Januarii.

S. Gregorii reliquiarum exceptio *recolitur in nonnullis codicibus Usuardinis,* apud Cluniacum, *ut videre est in nostra editione. Sed de sanctissimo*
C *eo Papa jam pridem actum est ad* XII Martii.

B. Ambrosius Ordinis Prædicatorum *male hoc die signatus est a Greveno, atque ex hoc a Canisio : indicatur enim* Sansedonius *Senensis de quo pridem egimus ad* XX Martii.

S. Eleutherii Synaxis *seu solennitas celebratur in codice Taurinensi β Ducis Sabaudiæ, addito loco* prope Xerolophum, *id est* Collem siccum : *de quo loco Cangius in Constantinopoli Christiana lib.* 4, *pag.* 123, *num.* 37 ; *et nos die, quo de S. Eleutherio episcopo tractavimus* XVIII Aprilis.

SS. Georgius et Theodorus MM. *notantur in codice Taurinensi β Ducis Sabaudiæ et in supplemento nostro Ms. ad Menæa excusa Sirmondo Chiffletiano. Autumo hic agi de* S. Georgio megalo-martyre, *ac* Theodoro Duce *martyre etiam celeberrimo. De hoc actum die* VII *Februarii; de isto autem die* XXIII *Aprilis; utrique pugna cum dracone fabulose afficta occasione imaginum, exprimentium victoriam eorum cum diabolo : de qua videsis tomum* 3 *Aprilis, pag.* 104 *et* 105 *ad dictum diem* XXIII Aprilis.

S. Gereberni *S. Dympnæ socii translatio alicubi celebratur : vide dicta die natali* XV Maii.

S. Hildegrinum, *ut* S. Ludgeri Monasteriensis antistitis germanum *cur hoc die Saussayus notarit, prorsus non capio : dubitari potuit de die hesterna, ut ibi inter Prætermissos diximus ; quo ipso die ab eodem Saussayo nescio quæ* translatio S. Hildegrimi, *etc., adscripta est. Vide* XIX Junii.

S. Maternus episcopus Mediolanensis *nimis scrupulose hoc die signatus est in Ferrarii Catalogo generali, quod* in Actis, *ut ait,* ejusdem ecclesiæ *alicubi hodie referatur : satis ipsi esse oportebat, Sanctum* in tabulis ad usum sacrum confectis *celebrari eo die quo de ipso egimus* XVIII Julii.

S. Epaphras *huc in Beda Plantiniano translatus est; spectat ad diem præcedentem* XIX Julii.

S. Bernoldi episcopi Trajectensis qui apud S. Petrum quiescit *memoriam huc transtulit Matricula Cartusiæ Ultrajectinæ;* S. Bernulphum *dicere voluit, male hic etiam a Saussayo signatum, de quo egimus die præcedenti* XIX Julii. E

S. Gregorii episcopi junioris confessoris memoria *hoc die aut aliquo e proximis occurrit in excerptis, quæ habemus ex Mss. Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ : quem quo referam in tanto Sanctorum ei synonymorum numero hactenus ignoro; quamdiu pluribus characteribus individuantibus non insignitur.*

Sabina *virgo ultimo loco adjecta est textui Florarii Sanctorum Ms. ; ast unde, quis est qui divinet ? Equidem existimo,* Sabinam *ex* Sabino *Hieronymianorum effictam, in codices aliquos parum accuratos transiisse; certe nulla istius nominis pro hoc die nota est.*

Maximus *ut* episcopus et martyr *Calari in Sardinia apud solum Ferrarium in Catalogo generali notus est, acceptus est tabulis, intellige ex Catalogo Sanctorum ibidem repertorum sub seculi* XVII *initium; de quibus jam aliquoties a Majoribus nostris et a nobis dicendum fuit. Ne igitur toties eadem repetenda sint, vide quæ superius de S. Caio notavimus* XVII, *et de S. Pancratio* XIX *hujus.*

Ethelwidam, Ethelwitam *alias* Aswitam *et* Alswitam *Alfredi Anglosaxonum regis conjugem, anno* 904 *vita functam, nescio qua auctoritate Martyrologio suo Anglicano inseruerit Wilsonus in utraque editione* 1608 *et* 1640, *citans ad marginem Chronicon Anglicanum et Arnoldum Wion lib.* 4 *Ligni vitæ; utrumque frustra, et hunc non recte; nam citato Wionis libro cap.* 15 Ethelswitam *ipse expressissime signat inter* reginas, sanctimoniales factas, sed non Sanctas *ex Matthæo Westmon. Ad annum* 904, *ubi nec de nomine, multo minus* Sancta *appellatur. Verba ejus sunt :* Eodem anno religiosa Christi famula regina, mater Eadwardi regis, quæ monasterium Wintoniæ construxerat sanctimonialium, ex hac luce migravit. *Ex quibus ne id quidem sequitur, sanctimonialem umquam fuisse, qualem non agnovit Mabillonius, de ea tamen agens seculo* 5 *Benedictino pag.* 640, *ubi de monasterio Wintoniensi meminit; porro in antiquioribus monasticis de* Ethelwida *altissimum silentium. Laudatur a Baronio ut* religiosissima femina; *in Annalibus Wintoniensibus apud nostrum Alfordum dicto anno* 904, *ut* Deo amabilis F

A lis femina; *at Martyrologio suo nimium tribuit Alfordus dum eam ut Sanctam prædicat. Neque major Ferrarii auctoritas, qui Wilsonum descripsit. Id me summopere mirari fateor, in Castellani Martyrologio (qui annum* 930 *signat) locum invenisse: equidem nihil reperio quo vel tenuissima religiosi cultus vestigia vindicare possim.*

SS. Magnus presbyter et Amorinus *annuntiantur hoc die a Greveno in additionibus ad Usuardum; ast hi ex Hieronymianis accepti videntur ut dicemus infra.*

Placeria *ibidem refertur, quæ alia esse non potest a* S. Passeria *ex classe Martyrum Romanorum.*

Aurelii Carthaginensis in Africa episcopi, S. Genethlii successoris S. Augustini synchroni *memoriam totidem verbis hoc die Sanctis attexuit Castellanus, nescio quo duce quave auctoritate, cum ejus in sacris Fastis memoriam nullibi expressam repererim.* (Nota. *Hagiographi aliquid postea invenientes hac ipsa die ejus Vitam dederunt in supplemento* VI *Augusti* 432.)

B S. Arnulfus confessor *a solo Greveno hoc die textui Usuardino superadditus est, at sine cruce aut luce, ut suspicari omnino oporteat, ab imperito aliquo librario huc male aliunde translatum fuisse.*

Majorianum *hic nomino, quamquam id non mereatur perdita in his rebus fides Tamayi, in Martyrologio suo Hispanico ita hoc die scribere ausi:* Toleti in Carpetania Hispaniæ, S. Majoriani, ipsius urbis episcopi, qui expedita feliciter ad S. Leonem Pontificem legatione, infulis ecclesiæ Placentinæ apud Græcos ab ipso Leone donatus, sic vitæ sanctissimæ expedivit excursum, ut ad Dominum emigraret confessoris titulo decoratus. Cujus sacra lipsana Toletum translata, ibidem, ut creditur, requiescunt. *Ex quorum figlina hæc processerint, apud ipsum videre est: ego Majoranum aliquem Placentinum episcopum apud Ughellum invenio ad annum* 451, *solo nomine, at nulla prorsus sanctitatis opinione notum.*

Margarita *Romana quæ ab eodem refertur, ex cryptis ibidem accepta in hoc Opere locum non habet.*

Robertum regem Galliæ *piissime hoc die ad Christum migrasse scribit Saussayus, quem et aliis*
C *multis ornat encomiis.* Regem doctissimum, *inquit,* patres concilii Lemovicensis nuncupaverunt; piissimum vero et scientiæ Sanctorum peritissimum, religiosa quæ Ecclesiæ conscripsit carmina, adhuc in sacris frequentata declararunt. Miracula vero quæ, dum viveret, edidit, ut jam præsignarunt beatitudinis candidatum, ita vitæ sanctissimæ acta præclara æque persuadent, cœli civibus a morte adlectum: quorum albo meritissime adscribendum, duo præcipui S. R. E. Cardinales ac propugnatores Baronius ac Bellarminus, gravi sua admonitione suggesserunt.

Cyrillum Magriniamum Hispanum, Carmeli Barcinonensis alumnum laicum virtutibus excellentem, non sine sanctitatis titulo celebrandum *ait Acies bene ordinata, de qua jam sæpius dictum est.*

Mascellinus *titulo* beati *ornatus refertur a Chrysostomo Henriquez et Chalemoto hoc die, ut qui fuerit S. Bernardi discipulus,* admirandisque virtutibus ac eximia sanctitate institutum quod amplexus fuerat decorarit. *Inter pios a Saussayo collocatus est sub nomine* Marcellini.

D Joannes *item* Lintzingius *abbas Mulbrunnensis,* qui pro ecclesiastica libertate et Catholica religione multa perpessus, post varias ærumnas, persecutiones et tribulationes magna animi fortitudine toleratas, exul et pauper piissime obiit.

Gentam *Vallis floridæ (Florival) in Brabantiæ abbatissam* venerabilem *hoc die prædicat Menardus in textu; ast in observationibus* beatæ *titulo donat. Chalemotus cum elogio eam signat* XXIII *Martii, omni sanctitatis titulo abstinens: quod vero mirum est maxime, nec de nomine eam in Menologio suo appellat Henriquez. Rayssius de ipsa egit jam dicta* XXIII *Martii; Saussayus ad* XXII *ejusdem mensis atque etiam hoc die, ast solum inter pios, ut de cultu ejus nulla adhucdum vestigia appareant.*

Margarita de Ipris, *seu* Iprensis vixit, *inquit Miræus in Fastis suis hoc die,* ex præscriptis tertiæ regulæ S. Dominici; et a sacris illi confessionibus fuit B. Segerus Insulensis. Annos unum et viginti nata ad Dominum migravit, anno MCCXXXVII. Vitam ejus scripsit Thomas Cantipratanus et eidem Segero inscripsit, quam ex meo codice Ms. Hyacinthus Choquetius, ejusdem Ordinis doctor theologus Duaci MDCXVIII publicavit. Vide et Cantipratanum lib. 2 Apum cap. 48; *sed quo in editione Colvenerii de* Margarita *non agitur. Est penes nos Vita ista Ms. sive a Cantipratano sive ab alio concinnata, cum Miræi codice et Choquetii editione collata, atque in nonnullis plenior, nimirum in capitula* 57 *divisa, quæ sane vulgari hic mereretur, si ulla cultus aut venerationis indicia Iprenses suppeditarent. Laudatur etiam Virgo ab aliis recentioribus Rayssio, Sandero, Saussayo et Marchesio, qui Vitam Italice vertit, male tamen citans Arturum, in cujus Gynæceo inter plurimas Margaritas, nulla hujus Iprensis exstat memoria.* E

Margarita *alia ejusdem instituti cum titulo item* beatæ *a Choquetio refertur ex secunda parte Novalis Sanctorum Joannis Gillemanni, laudaturque hoc die a Rayssio in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii. Fuit hæc origine Bruxellensis, cognomento* de Gerinnes, quæ inter conversas in jugi beneficiorum Christi memoria ac passionis ejus mysteriorum meditatione (quæ per singulos hebdomadæ dies distribuebat) se exercens, usque ad finem vitæ suæ religiosissime Deo servivisse dicitur. F

Donatus, Philippus et Maurítius *apud Hiberniam in territorio Adfertensi*
Garcias Blandez *Allarii in territorio Orensano*
Franciscus a Venzolasca *Casinchiæ prope locum natalem*
Alphonsus ab Erena *Vitiosæ in Hispania*
Mathias Bellintany *Brixiæ*
Andrea de Bandinis *virgo Volaterræ*

} *Hi cum titulo* beati *memorantur ab Arturo in Martyrologio Franciscano, et ultima etiam in Gynæceo.*

Henricus de Conimbria *cum sociis in India Orientali*
Bernardus de Fossambruno *et alii in Italia*
Alphonsus de Benavides *in novo Mexico*
Felix *Clarissa Fulginii*
Matthæus Rotula *in Italia*

} *Cum elogio referuntur in Menologio S. Francisci, per Hueberum.*

Michaëlem

A Michaëlem de Oro *ut* venerabilem *hoc die prædicat Marchesius in Diario Dominicano : sitne idem necne cum aliquo* Michaële de Fabro, *qui cum titulo* beati *alicubi pictus est, non satis liquet, certe videtur cognominari* de Auro, *ut verosimillime idem sit, sed nusquam honoribus ecclesiasticis donatus.*

B. Franciscus Solanus *ex Ordine S. Francisci de Observantia, de quo ad ejus natalem meminimus inter Prætermissos* XIV *Julii, hoc die celebratur a Castellano in Martyrologio universali; nos eum ibi cum ipso Ordine remisimus ad diem quo de eo agemus* XXIV Julii.

S. Glodesindis *seu* Glodesinda, Chlodesendis *et* Glodsendis *abbatissa Metensis, Ferrario* Clodesinda, *ab hoc et Saussayo in supplemento perperam refertur hac die* XX *Julii : nam in variis auctariis Usuardinis, a Mabillonio, Castellano et aliis rectius signata est eo die quo de ipsa agemus nempe* XXV Julii.

SS. Leontius et Carpophorus MM. *celebres sunt Vicentiæ in Italia ; unde primi sacrum corpus* totum, *et alterius* reliquias non modicas *abstulisse dicitur Rothardus diaconus, in Inventione* B *Sanctorum a Diederico Metensi episcopo apud Acherium in Spicilegio tomo* 5 *pag.* 145, *ubi notatur,* natalem eorum XIII Kal. Augusti celebrari. *Verum si cetera his sinceriora non sint, omnimodam fidem ea relatio non merebitur, dum de iis Sanctis agendum erit die quo vere coluntur nempe* XX Augusti.

S. Philibertus abbas *in appendice Adonis conjungitur cum S. Vulmaro, sed perperam : nam hac die S. Vulmarus recte quidem notatus est, alter spectat ad* XX Augusti.

SS. Moysis, Aaronis et Elisæi *meminerunt hac die Synaxarium Ms. membranaceum Sirmondi, codex Taurinensis Ms. β Ducis Sabaudiæ, ac Martyrologium Arabico-Ægyptium, a Gratia Simonio Maronito ex Arabico translatum. Ultimo loco signatum habes* XIV *Junii ; penultimo,* I *hujus ; superest Moyses, dandus cum Martyrologio Romano* IV Septembris D

S. Erembertam *seu* Hermembertam, *alias* Bertanam, Bertranam, Bertramam, *S. Vulmari neptem ex* VIII *Julii, quo die eam Castellanus in Martyrologio suo universali collocaverat , ad hunc remisimus, quod Sancti istius celebritas huc spectaret, ex cujus Actis Virgo ista potissimum innotescit. Verum cum ibi notaverit Mabillonius, coli ipsam* XVII *Kalend. Novembris ; aliunde vero de legitimo cultu dubitare aliqui videantur, rem tantisper differemus, ut interim de debita veneratione doceamur, rem omnem examinaturi ad dictam diem* XVI Octobris.

S. Clari martyris *qui* in Aquitania pro Christianæ pietatis propugnatione trucidatus sit sub Galieni imperio, *meminit hoc die Saussayus, vaga annuntiatione, dum in ea regione plures sancti* Clari *inveniuntur, uti ad* I *Junii de* Claro Lactorensi *disputatum est, nosque iterum supra in Prætermissis diximus* XVIII *hujus. Igitur sanctus iste* Clarus *quisquis est, vel ad priores reducendus, vel iterum recurret* IV Novembris. E

S. Onanum diaconum Rossensem *solus hoc die profert Camerarius in Menologio suo Scotico, addens :* De eo Boëtius et alii ; *quasi satis sit Boëtio nominari ut inter Sanctos quis computetur : maluissem ejus memoriam legere in Breviario Aberdonico. Idem an synonymus sit qui a Dempstero laudatur* XXIII *Decembris :* In Scotia, Onani diaconi viri incomparabilis, *equidem discernere nequeo. Dierum diversitas satis ostendit, cultus diem fixum non esse, neque satis secura auctoritas , ut alterum vel ambos admittamus ; forte aliquid accedet pro* XXIII Decembris.

DE S. ELIA PROPHETA

G. C.

IN PALÆSTINA

F

COMMENTARIUS HISTORICUS

DE CULTU, GESTIS, RAPTU ET REDITU.

§ I. Cultus ex sacris Græcorum, Latinorum, aliorumque populorum monumentis.

Probatur cultus S. Prophetæ ex Martyrologiis Græcis,

Quam *stupenda fuere magni Prophetæ* Eliæ *gesta in terris, quam omnibus retro seculis mirandus ejus in cœlum raptus, vitaque per tot annorum chiliades continuata, tam insolitum videri debet, hominem adhuc in via superstitem sacris Ecclesiæ Fastis adscribi, cum Ecclesiasticus cap.* 11 ℣ 30 *vetuerit hominem quemquam ante mortem laudari, et ferat vulgaris parœmia, beatum neminem ante ibitum dici posse. Verum ut ferme in ceteris supra communem naturæ ordinem eminuit prodigiosus Thesbites, sic et hoc singulare ipsi est, quod receptissima Ecclesiæ placita supergressus, a Deo ipso quodammodo canonizatus sit, ut recte notavit Eminentissimus Bellarminus tomo* 2 *controversiarum Fidei, lib.* I *de Beatitudine Sanctorum cap.* 7. *Certe Ecclesiam tum Græcam tum Latinam* Eliam *adhuc viventem catholico duliæ cultu prosequi ex utriusque tabulis perspicuum est. Græci quidem* XX *Julii ipsum ecclesiasticis suis fastis passim inseruerunt. Typicum S. Sabæ hac die sic illum annuntiat :* Τοῦ ἁγίου ἐνδόξου προφήτου Ἠλιοῦ. Sancti et gloriosi prophetæ Eliæ. *Synaxarium vero Basilii imperatoris eadem die ita habet :* Ἡ πυρφόρος ἀνάβασις εἰς οὐρανοὺς Ἠλιοῦ τοῦ προφήτου. *Id est :* Igneus ascensus in cœlos Eliæ prophetæ. *Menologium Græcorum, quod Latine interpretatus est Cardinalis Sirletus, annuntiationi addit breviorem præcipuorum Actorum Sinopsim hoc modo :* Natalis beati prophetæ Eliæ, qui de cœlo ignem detulit, pluviam detinuit annis tribus et mensibus sex, duos quinquagenarios combussit, in monte Choreb (*ita plerumque Græci pro* Horeb) Deum vidit, Jordanem scidit melote, et in cœlum curru igneo assumptus

AUCTORE G. C.

A ptus est. *Ne sæpius eadem repetere cogar, similia habent: Kalendarium Ruthenicum apud Possevinum in Apparatu sacro tom.* 2 *pag.* 367, *Synaxarium Ruthenorum a nostro Georgio David Moscua ad nos missum, Menologium Sclavo-Russicum a Barone De Sparwenfeld Latine redditum, Kalendarium Græcorum a Genebrardo editum, Menologium Ms., quod videtur fuisse ecclesiæ Constantinopolitanæ, Menæum Chiffletii, et alia tum Mss. tum impressa Græcorum monumenta, quæ in Museo nostro servamus.*

Menæis impressis

2 *Menæa impressa prolixo et solenni Officio festum* S. Eliæ *celebrant, indicantque geminum istius Officii auctorem. Prior Rubrica nominat Joannem archiepiscopum, qui forte est Joannes Euchaïtarum Metropolita, pluribus encomiis in laudem Sanctorum scriptis notus, ut videri potest in Acoluthia Officii Græci* § 3, *quam tomo* 2 *Junii præfiximus. Alterius vero partis auctor est alteruter Josephus (ambo seculo* IX *floruerunt) de quo utroque sat dictum est die* XVII *Julii in Commentario prævio ad acta Latina S. Alexii num.* 33. *Totum hoc Officium eximias* Eliæ *virtutes et illustria ejus facta complectitur,* B *quæ cum ex sacris Litteris postea daturus sim, eadem hic referenda esse non judico. Proferam itaque solummodo cum versione nostra versiculos quosdam, quorum primus est acrostichus, cui Joannis archiepiscopi nomen apponitur :*

Αἰνῶ χορεύων Ἡλιοῦ τὰ θαύματα.
Tripudians miracula Eliæ cano.

Alter vero Josephi nomen post se habet, ac ita sonat :

Νέμοις μάκαρ μοὶ θείαν Ἡλιου χάριν.
Dei favores impetra Elia mihi.

Deinde de illius assumptione leguntur sequentes versiculi etiam Iambici, ut præcedentes :

Ἐπέσχεν ὄμβρον πῦρ τρίτον φέρων κάτω·
Σχίζει δὲ ῥεῖθρον Ἡλίας τρέχων ἄνω.
Inhibuit imbrem, ignemque ter ab alto vocat;
Sed in alta tendens scindit Elias aquam.

Denique de eodem raptu sequitur hoc carmen hexametrum :

C Εἰκάδι βήσατο Ἡλίας οὐλυμπόνδε τέθριππος.
Quadriga Elias bis deno scandit olympum.

Hic postremus versus, facta nonnulla mutatione, reperitur etiam in Ephemeridibus Græco-Moscis, quæ tomo primo Maii præmissæ sunt. Etsi in his versiculis manifesta sit allusio ad gesta S. Eliæ, *tamen obscurum et obtusum est eorum acumen. Ceterum nihil hic notandum est circa licentias poeticas, quas lector, Græcæ poeseos peritus, facile ultro observabit.*

et ecclesiasticis Græcorum Officiis,

3 *Horologium, quod ad usum Patrum Basilianorum, in monasterio Cryptæ Ferratæ degentium, anno* 1677 *Romæ typis excusum est, die* XX *Julii præscribit Officium* S. Eliæ, *in quo canitur sequens Troparium :* Ὁ ἔνσαρκος ἄγγελος, τῶν προφητῶν ἡ κρηπὶς, ὁ δεύτερος πρόδρομος τῆς παρουσίας Χριστοῦ, Ἡλίας ὁ ἔνδοξος, ἄνωθεν καταπέμψας Ἐλισσαίῳ τὴν χάριν, νόσους ἀποδιώκει, καὶ λεπροὺς καθαρίζει, διὸ καὶ τοῖς τιμῶσιν αὐτὸν βρύει ἰάματα. *Hæc in linguam Latinam sic tranfero :* Angelus in carne prophetarum basis, secundus præcursor adventus Christi, Elias gloriosus, qui desuper Elisæo transmisit gratiam, morbos fugat, et leprosos mundat; propterea etiam honorantibus ipsum abunde suppeditantur remedia. *Tropario jam dicto subnectitur hoc Contacium :* Ἡλίαν τὸν Θεσβίτην ὁ ἀναλαβὼν ἐν ἅρματι πυρὸς ἀπὸ γῆς πρὸς οὐρανὸν, δός μοι τῆς ψυχῆς μου τὸ παραμύθιον, καὶ τοῦ γήρους μου τὸ στήριγμα. *Hoc est :* Qui Eliam Thesbitem curru igneo a terra in cœlum transtulisti, da mihi animæ meæ solatium, et senectutis meæ fulcimentum. *In altero Horologio Græco, quod anno* 1607 *forte Venetiis impressum est, idem legitur Troparium ; sed differt Contacium, quod recitatur hoc modo :* Προφῆτα καὶ προόπτα τῶν μεγαλουργιῶν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, Ἡλία μεγαλώνυμε, ὁ τῷ φθέγματί σου στήσας τὰ ὑδατόῤῥυτα νέφη, πρέσβευε ὑπὲρ ἡμῶν τὸν μόνον φιλάνθρωπον. *Id est :* Propheta et prævisor magnalium Dei nostri, Elia celeberrime, qui verbo tuo fistis aquosas nubes, ora pro nobis unicum hominum amatorem. *Hactenus e Græcis producta* S. Eliæ *encomia magis mihi placent, quam illud, quod ex Appendice Concilii Florentini hic jam subjungo.*

inter quæ nobis non placet opinio Marii archiepiscopi Ephesini.

4 *Gregorius protosyncellus et patriarcha in apologia adversus Marci epistolam apud Labbeum nostrum tomo* XIII *Conciliorum col.* 806 *narrat, Marcum Ephesiorum metropolitam ab incolis insulæ Cretæ rogatum fuisse, ut sermonem scriberet,* E *quem quotannis, recurrente* sancti Eliæ *festivitate, in Officio legerent. Deinde dicit, hunc præsulem petitioni Cretensium satisfecisse, et sermonem de* S. Elia *conscripsisse, in quo præter alia leguntur sequentia :* Ego vero licere quidem ipsi *(videlicet* Eliæ) sicut et animabus Sanctorum, quocumque voluerit, per tempus sese conferre, sibique dicata templa invisere, atque ad eos accedere, qui ejus opem implorant, necessarium arbitror et verum esse ; non tamen propterea dixerim, abesse illum a cœlis, et micantibus illic splendoribus, aut cum angelis et ipsum non assistere Domino : ita enim fieret, ut ceteris Sanctis minus haberet, qui fere omnibus anteit, si, quia carnem gestat, orbatus esset eorum consortio, et clara Dei visione non frueretur, cujus præcipue fruitione non caruit per totum vitæ curriculum. *Tunc Marcus ad stabiliendum suum ratiocinium adducit verba cujusdam Officii Græci, in quo sic de* Elia *canitur :* Propheta Christi præco, tu numquam a sede majestatis abjungeris, et singulis ægrotantibus semper ades, F in excelsis fundens pro omnibus preces, orbi terrarum beneficia tribuis, et laudibus ubique celebraris. *Ex hac Marci opinione Gregorius protosyncellus argumentatur quidem ad hominem, sed eam non approbat, ut perperam quidam existimarunt. Ceterum ut dicam, quod sentio, non placent citata Officii Græci verba, si quis ea stricte de beatifica Dei visione intelligi velit. Displicet etiam ex iis deductum Marci Ephesini consequens, quod non videtur satis consentaneum sacræ Scripturæ Exodi* 33 ℣ 20, *ubi Deus dicit Moysi :* Non poteris videre faciem meam : non enim videbit me homo et vivet. *Huic opinioni etiam contradicere videtur Apostolus, dum Epistola* 1 *ad Timotheum cap.* 6 *ita scribit :* Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. *Præter ea, quæ postmodum dicemus, vide theologos passim obvios, qui communiter hanc paucorum sententiam ratione et SS. Patrum auctoritate oppugnant. Hæc de Græcis Martyrologiis Officiisque sufficiant ; nunc ad Latinos aliarumque nationum Martyrologos transeamus.*

5 *Vi-*

AUCTORE G. C

In Martyrologiis Latinis Romano præsertim

5 *Videntur Latini olim festum* S. Eliæ *celebrasse* XVII *Junii : ista enim die in Ms. Barberiniano, in Florario nostro Ms., et apud Grevenum, Molanum, Maurolycum, ac Canisium raptus illius memoratur. Venerabilis Carmelitarum Ordo eumdem diem tunc retinebat, ut patet ex antiquo, quod penes nos est, istius Ordinis Ms. Kalendario, sicut inter Prætermissos eo die dictum est. Postea Eminentissimus Cardinalis Baronius Græcos secutus, die* XX *Julii* S. Eliam *Martyrologio Romano, quod anno* 1586 *Antverpiæ impressum est, ita inseruit :* In Judæa, sancti Eliæ Thesbitæ prophetæ. *At in editione anni* 1608, *aliisque posterioribus eadem die sic legitur :* In monte Carmelo, sancti Eliæ prophetæ. *Galesinius autem die sequenti eumdem in suo Martyrologio ita posuit :* In Græcia, Eliæ Thesbytæ. *Forte eum* in Græcia *annuntiat, quia ibi præcipue venerationem habuit, ut paragrapho sequenti videbimus. Sed nescio, cur in auctariis Usuardinis a Molano editis raptus ejus* in Arabia *collocetur, cum ex sacra Scriptura colligatur,* S. Eliam *igneo curru e terra sublatum fuisse non procul a Jordane, qui est fluvius* B *Palæstinæ seu Judææ. Quidquid sit de loco, quem a variis hic diversum assignari vides, RR. PP. Carmelitæ in observando cultus die, jam Martyrologium Romanum sequuntur, et solenni Officio festum* S. Eliæ XX *Julii celebrant, ut videre est in recentioribus eorum Breviariis ac Missalibus.*

aliarumque nationum Martyrologiis memoratur S. Elias.

6 *Neque solum Græci et Latini* Eliam *Sanctorum catalogo adscripserunt, sed etiam aliæ nationes eumdem sanctum Prophetam invocant, et nonnumquam alio die ac mense venerantur. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 7 *cap.* 61 *asserit, raptum illius coli* ab Hebræis XIX Calendas Septembris. *Martyrologium Copticum, quod Simon Moyses Maronita anno* 1633 *Latine interpretatus est, die* VI *mensis Tuba, id est apud nos* I *Januarii, post annuntiatam Christi circumcisionem, hæc subjungit :* Item sancti Eliæ prophetæ. *Kalendarium Syriacum seu Chaldaicum Romæ, ab eodem Maronita Latine redditum, cum Græcis* XX *Julii annuam* S. Eliæ *memoriam recolit. Martyrologium Arabico-Ægyptium, quod Gratia Simonius, Romæ Maronitici collegii alumnus, ac postmodum anno* 1682 C *Tripolitanus in Syria archiepiscopus Latine vertit, etiam die* XX *Julii in Ms. nostro sic habet :* Ascensio Eliæ prophetæ maximi, suscepti in curru igneo ad cœlum. *Deinde subnectitur sequens elogium, quod cum Græco Tropario, superius dato, fere convenit :* Qui est corpore angelus, et speculum prophetarum, præcursor adventus secundi Christi, Dei laudabilis Elias ab excelsis Elisæo gratiam impetravit infirmitates sanare, lepras mundare, et etiam honorantes illum donabit sanitate gaudere. *Denique in Kalendario Æthiopum et Coptitarum, quod Ludolfus in suo commentario ad Historiam Æthiopicam typis vulgavit, ad diem* I *Decembris* Elias Thisbites *memoratur. Hic unanimis variarum nationum consensus satis probat receptum* Eliæ *cultum, quem jam aliis etiam argumentis confirmatum imus.*

§ II. Templa et oratoria Sancto in Oriente dedicata.

In honorem S. Eliæ exstructæ sunt sacræ ædes Sareptæ,

Inter præcipua venerationis Sanctorum signa certe veniunt monasteria, oratoria aut templa alicujus nomini erecta ; hæc vero S. Eliæ *sacra pridem* D *fuisse, docebit Joannes Phocas, cujus Itinerarium de locis sanctis tomo* 2 *Maii præfiximus, de illius ecclesia, in Sarepta Sidoniæ exstructa sic narrans num.* 7 : Post Sidonem Sareptha castrum in alluvione ipsa maris fundatur, et templum prophetæ Eliæ in æde viduæ, quæ eum hospitio exceperat, media in urbe assurgit. *De eadem æde sacra dudum ante egerat S. Gregorius Nazianzenus, qui in editione Billiana tom.* 2 *pag.* 195 in templum Eliæ, quod χηρεῖον, appellabatur, *composuit epigramma, cujus tale est initium :*

Hospes Sareptam cernis hic Sidoniæ,
Viduæque turrim, quæ pium Vatem Dei,
Cum premeret urbes aspera vindex fame
Perquam hospitali pectore excepit domo.

De eodem loco meminit S. Hieronymus in epistola ad Eustochium virginem, ubi in editione novissima Parisiensi tom. 4 *col.* 672 *et* 673 *quasdam sanctas Paulæ peregrinationes sic enumerat :* Bæryto Romana colonia, et antiqua urbe Sidone derelicta in Sareptæ littore Eliæ est ingressa turriculam, E in qua adorato Domino Salvatore, per arenas Tyri, in quibus genua Paulus fixit, pervenerunt Aco, *etc. Miror, recentiores aliquot scriptores, citato etiam Gregorio Nazianzeno, memoratum* S. Eliæ *oratorium in monte Carmelo collocare, illudque* Semnion *aut* Dominicum *appellare, cum Nazianzenus situm illius in Sarepta indicet, diserteque vocet* χηρεῖον, *quæ Græca vox provenit a* χήρα *id est* vidua. *Unde Cangius in Glossario Græco-barbaro dicit, per vocem* χηρεῖον *significari ædem viduarum, seu viduis pauperibus receptandis ac alendis addictam, et ex prædicto Nazianzeni epigrammate colligit, ejusmodi ædes communiter* S. Eliæ *dicatas fuisse ob viduam Sareptanam, quæ sanctum Prophetam hospitio excepit.*

in monte Carmelo,

8 *Nolim, ut quisquam hæc a me dicta ita accipiat, quasi negem, jam olim in monte Carmelo ædem* Eliæ *sacram exstitisse : libentissime enim id agnosco, cum ab antiquis scriptoribus traditum sit. Benjaminus Tudelensis, qui seculo* XII *ex Hispania in Orientem profectus est, in Itinerario suo pag.* 38 *de hac re ita loquitur :* Ex latere uno Carmel mons imminet, ad montisque radices Israelitarum F quamplurimorum sepulcra sunt, inque ipso monte Eliæ prophetæ antrum visitur, juxta quod Christiani sacellum construxerunt, sancti Eliæ dictum. *At ne quis forte homini Judæo fidem adhibere detrectet, addo Joannem Phocam numero præcedenti laudatum, qui eodem seculo varias in Oriente peregrinationes instituit, et montem Carmelum num.* 31 *describens hæc ad propositum nostrum habet :* In extrema parte jugi, qua mare respicit, prophetæ Eliæ spelunca spectatur, in qua angelicam vitæ rationem cum exegisset mirificus ille vir, in aera sublatus est. Erat eo loci antiquitus monasterium magnum, ut structurarum vestigia ad hæc usque tempora commonstrant, sed illud tempore, quod omnia in senium impellit, et gentium variis excursionibus, penitus abolitum. Verum ante aliquot annos quidam monachus, dignitate sacerdos, capillitio albus, e Calabria oriundus, ex Prophetæ revelatione in montem appellens, ea loca monasterii nempe reliquias, vallo perparvo cinxit, et turri exædificata, temploque non ingenti exstructo, Fratribusque fere ad decem collectis, etiamnum sanctum illum ambitum colit.

Qui

AUCTORE G. C.

A *Qui hodiernum hujus sacri montis statum novisse desiderat, legat inter alios Josephum Bessonum nostrum, oculatum testem, in sua Syria sancta, anno 1660 Gallice edita, part. 2 cap. 10.*

et non procul a Bethlehem.

9 *Franciscus Quaresmius in Elucidatione Terræ sanctæ tom. 2 lib. 6 cap. 8 Peregrinationis* I *testatur, sese alteram* S. Eliæ *ecclesiam vidisse, uti refert his verbis :* Non longe a cisterna trium Regum in medio viæ Bethlehem est obvius locus parum montosus memorandaque rupes, in qua quiescentis hominis effigies, velut in molli cera, impressa cernitur, quam esse sancti Eliæ prophetæ autumant ejus regionis incolæ : inquiunt enim hunc sanctum Prophetam hac transeuntem inibi dormivisse, et sui corporis effigiem in ea miraculose impressam reliquisse. Et hac ratione iste locus Sanctus Elias nominatur. Cum primo locum hunc vidi, eleganter expressam quiescentis hominis figuram referebat; sed pietate nescio an impietate, ob particulas ex ea a Christicolis abrasas, postea eamdem fere demolitam iterum intuitus sum. Non longe a via ad lævam partem, e regione B hujus rupis, est non ignobile monasterium et templum Græcorum, nomine sancti Eliæ nuncupatum. Quare vero sic appellatum sit, non omnium eadem est sententia. *Deinde Quaresmius, refutatis erroneis quorumdam opinionibus, sic suam subdit :* An, inquam, eo nomine fuit insignita, quia aliquando hac transivit sanctus Elias? Vel denique, quod vero similius arbitror, quoniam a piis fidelibus ob singularem erga illum Prophetam pietatem ac devotionem, ecclesia illa fuit ejus nomini dicata, etsi peculiare aliquod mysterium non fuerit ibi a Propheta operatum? *Non dubito, quin in monte Horeb aliisque Terræ Sanctæ locis aliqua sacra monumenta, in* S. Eliæ *honorem exstructa inveniantur. Sed brevitatis causa operiosius illa non inquirimus, et in Græciam Eliano cultui jam a multis seculis deditam descendimus.*

S. Eliæ in Græcia sub Zenone imperatore

10 *Georgius Codinus, a Lambecio editus, in Originibus Constantinopolitanis pag. 47 narrat, quomodo et qua occasione ecclesia* S. Eliæ *seculo* V *ædificata fuerit.* Templum S. Eliæ, *inquit,* quod Petrion dicitur, legiones totusque exercitus Zenonis ex Perside redux, collata magna auri C summa, accedente etiam ipsius Zenonis et Ariadnæ auxilio, exstruxerunt, quibus in castris apparuerat. *Anonymus scriptor Græcus, Codino antiquior, apud Anselmum Bandurum tomo* I *in Antiquitatibus Constantinopolitanis part. 3 pag. 35 eamdem historiam tradit his verbis :* Templum S. Eliæ, quod extat in loco Petrion nuncupato, scholæ legionesque Zenonis ex Perside reducis, collata magna auri summa, ipso imperatore instante ac una cum Ariadne in partem sumptuum veniente, exstruxerunt amplissimum ; quoniam ipsis S. Elias in castris apparuerat. *Jam tum monasterium,* Eliæ *nomine insignitum, exstabat, ut colligo ex concilio Calchedonensi, cui Eusebius anno 451 apud Labbeum nostrum tom. 4 Conciliorum col. 233 ita subscribit :* Eusebius presbyter et archimandrita monasterii Eliæ subscripsi in depositione Eutychis. *Idem patet ex concilio Constantinopolitano, quod ante medium seculi* VI *sub Menna patriarcha celebratum est; cui Silas monasterii Eliani abbas subscripsit. Nescio, an Græci hoc monasterium indicare velint, quando in Menæis impressis de* XIII *Januarii celebrant* τὰ ἐγκαίνια νοῦ προφήτου Ἠλιοῦ τῆς μονῆς τοῦ βαθέου ῥύακος, *id est :* Encænia prophetæ Eliæ in monasterio ad profundum rivum.

et Basilio Macedone, cujus matri apparuerat;

11 *Basilius Macedo imperator magna semper veneratione* S. Eliam *prosecutus est. Fortasse hunc pium affectum ipsi a teneris instillavit mater, cui sanctus Propheta apparuerat, et futuram filii dignitatem prædixerat, sicuti Constantinus Porphyrogennetus Vitam Basilii Macedonis avi sui describens, in editione Combefisiana num. 8 refert hoc modo :* Non multo post videt in somnis virum senio gravem, ignem ex ore mittentem, in hæc clare verba ipsam alloquentem : Charissimo tibi filio Basilio, concredenda a Deo sunt imperii Romani sceptra ac gubernacula, ideo necesse est, horteris eum, ut Constantinopolim vadat. Mater jucundo hoc nuntio diffusa plenaque gaudio, senem venerata : Ecquis, inquit, tu domine mi, qui mihi ancillæ tuæ non solum apparere dignatus es, sed et nuntium sic lætum afferre? Cui ille : Elias, inquit, Thesbites sum. Atque hoc dicto, ex oculis evolavit. *Leo Grammaticus et Symeon Logotheta nec non alii historici* E *Græci passim scribunt, Basilium magnam habuisse in* Eliæ *patrocinio fiduciam ; quam quidem adhuc monstrat antiqua tabella, quæ codici S. Gregorii Nazianzeni præfixa asservatur in bibliotheca Christianissimi Regis num.* 155, *ut testatur Cangius in sua Constantinopoli Christiana lib.* 4 *sect.* 4. *In ea pictura conspicitur Basilius pretioso et regio habitu indutus, qui manu sinistra globum, et dextra simul cum* S. Elia *labarum tenet. Ad sinistram partem pingitur S. Gabriel, qui Basilii capiti diadema imponit. Ibidem vero leguntur hæ Græcæ inscriptiones :* Ο ΑΓΙΟϹ ΗΛΙΑϹ. ΒΑϹΙΛΕΙΟϹ ΔΕϹΠΟΤΗϹ. ΑΡΧΙϹΤΡΑΤΗΓΟϹ ΓΑΒΡΙΗΛ. *Hoc est :* SANCTUS ELIAS. BASILIUS IMPERATOR. DUX MILITIÆ GABRIEL.

habuit oratoria nomini suo dicata.

12 *Ceterum Basilius reliquit varia suæ pietatis erga* S. Eliam *monumenta, quæ nepos ejus Porphyrogennetus litteris mandavit. Ac primo quidem in editione Combefisii jam citata narrat num* 81, *quomodo ecclesiam* S. Eliæ *in Petrio (haud dubie est eadem, quam sub Zenone imperatore ædificatam fuisse supra diximus) restauraverit.* Eliæ vero prophetæ templum in Petrio, *inquit,* extremo quasi spiritu, ac cujus propemodum ruina exspe- F ctaretur, corroboravit ac magnifice exstruxit, a communium ædium circumambientium prementiumque injuria liberans. *Deinde idem Porphyrogennetus de alia* S. Eliæ *ecclesia, ab avo suo ædificata, sic scribit num.* 86 : Ad Orientalem regiæ partem exstructum extat Eliæ Thesbitæ templum, non intus solum, sed et foris omni cultu et lepore magnificentissime stipatum : supra enim, tectum omne auro renidebat, ex tessellulis totum apte compactum; quamquam modo præruptorum imbrium vi, hiemalibusque nimbis et gelu, pristini decoris partem maximam amiserit detriveritque. *Denique numero* 90 *de duobus* S. Eliæ *oratoriis ita meminit :* In Pegis quoque, quas vocant, regia, mutationis causa, diversoria ac habitacula idem imperator a fundamentis erexit, sacrarumque ædium structuris exornavit. Inter eas est sancti prophetæ Eliæ venerabilis ædes....... In Hieriæ quoque palatiis, ejusdem prophetæ Eliæ oratorium construxit, quod nulli alii pulcritudine et elegantia secundum existimatur. *Non ignoro, etiam a Porphyrogenneto enumerari alia templa, quæ* sancto Eliæ *simul-*

que

AUCTORE G. C.

que aliis Sanctis consecrata sunt. Sed hæc præcipua sufficient, ad probandam Græcorum erga S. Eliam *venerationem. Quomodo autem Manuel Comnenus imperator festum* S. Eliæ *celebrari præceperit, videri potest in Commentariis Theodori Balsamonis ad Nomocanonem Photii tit.* 7 *cap.* 1. *Nunc ex Oriente in Occidentem regredimur.*

§ III. Ædes sacræ eidem in Occidente exstructæ ; ejus miracula, et reliquiæ.

Ecclesiæ S. Eliæ exstant

Christiani Orientales exstruendis in memoriam S. Eliæ *sacris ædibus, ut paragrapho præcedenti vidimus, suam erga hunc Prophetam venerationem ostenderunt; Occidentales vero eamdem pietatem jam ab immemorabili tempore imitati sunt, ut uno alterove exemplo declarabimus. Rocchus Pirrus abbas Netinus in Sicilia sacra lib.* 3 *notitia* 2, *inter alia urbis Netinæ, patriæ suæ, decora recenset domus religiosas et hospitales, atque ad rem nostram ita loquitur tom.* 2 *pag.* 223 : Non est
B prætermittenda una S. Eliæ, quæ superba et vetusta mole, quamvis exiguo sub loco, nulli in Sicilia cedit : immanibus enim eisdemque quadratis saxis fundata est. Fama est a primis insulæ hujus colonis, ut illinc Pachyni littora prospicerent, superimpositis sine cæmento saxis ædificatam [fuisse.] In lapide incisum hoc distichon legitur :

Quæ fuerat quondam moles operosa gigantum
Cœptus in hac vivens Helias æde coli.

Quamvis in Sicilia varii Sancti nomine Eliæ *insigniti colantur, tamen hic sermonem esse de* Elia *propheta, satis patet ex epitheto* vivens, *quod in versu exprimitur.*

in Sicilia

14 *Idem Abbas lib.* 4 *Siciliæ sacræ notitia* 8 *agens de monasterio* sancti Eliæ Ebuli seu de Ambula, *illius fundationem et fundationis occasionem pag.* 66 *sic exponit :* Hujus templi atque Basiliani cœnobii prima in nostra insula fundamenta anno salutis circiter MLXXX ei jecit Rogerius ille tam vehementis spiritus, quo bellacior
C nemo, quo pietate præstantior nullus, primus Siciliæ magnus Comes. Cum ea nondum tota potitus esset, de expugnanda vetustissima Troyna, urbe natura et arte munita, atque Græcis Christi cultoribus, Saracenorum tempore, promiscue culta consulit. Eo quidem in eminentiori loco inter nemora ad Septemtrionem ab urbe quinque passuum millibus dissito, ubi in nocte D. Elias propheta stricto gladio contra hostes apparuerat, convocatis militibus et incolis Christianis annuentibus, post paucorum dierum obsidionem et barbaros et Troynam suo subjecit imperio. Quare ad gestientis animi de felici rerum eventu lætitiam effundendam, ad debitas Sancto gratias agendas, statim sub titulo S. ELIÆ EBULI Græce, DE AMBULA Latine, id est BONI CONSILII sacras exstruxit ædes, easque viris vel ex urbe, vel vicatim per nemora eremitico more sub D. Basilii disciplina degentibus, collectis clargitus est. *Pagina sequenti profert Pirrus integrum fundationis diploma, in quo nemora variaque alia monachis concessa nomine* S. Eliæ *appellantur. Alexander III Romanus Pontifex hanc donationem confirmavit, sed apud Laërtium Cherubinum tom.* 1. *Bullarii pag.* 27 *vocat* monasterium D
S. Eliæ de Embola. *Non capio, quomodo Pirrus vocem* De Ambula *Latinam faciat, eaque* bonum consilium *significari innuat. Si vero hanc significationem ad cognomen Græcum* Ebuli *referat, propemodum intelligo, quid velit : nam* εὔβουλος *significat bonum consiliarium; quæ oritur ex adverbio* εὖ *id est* bene *et a verbo* βουλεύω *hoc est* consulto. *Quare hoc monasterium proprie vocandum esset* S. Eliæ Eubuli, *si a Græca origine nomen traxerit.*

et reliqua Italia,

15 *Paulus Æmilius Sanctorius in Historia monasterii Carbonensis pag.* 11 *dicit, sese velle posteritati tradere* maximorum heroum beneficia collata cœnobio sancti magni prophetæ Eliæ de Carbono. *Deinde pag.* 13 *situm ejus ita describit :* In Lucanio opimo solo provincia, et uberi grege armentisque, Carbonense monasterium, Ordinis sancti Basilii, cum æde sanctissimæ Deiparæ, sancti martyris Anastasii apud Persas immani supplicio laniati, ac magni prophetæ Eliæ dicata nominibus, præcipuo honore famaque sanctitatis præfulsit annorum mille spatio. Origo ignorantur, suppressa fundatorum gloria. *Alii auctores* E
asserunt, varias in Italia ecclesias ad impetrandam pluviam sancto Eliæ *dicatas esse, ad quas tempore siccitatis instituuntur supplicationes, et desiderata pluvia plerumque obtinetur. Præ ceteris elapso seculo celebre factum est templum de Sperone, in diœcesi Nolana situm, ubi* S. Elias *Jacobo Antonio Galeotæ, istius loci parocho, sese spectandum præbuit, et contra contagiosam luem patrocinium suum addixit, si ecclesiæ sibi dicatæ curam haberet, uti jam ex authentico testimonio referemus.*

ubi quidam incolæ diœcesis Nolanæ

16 *Speculum Carmeliticum tom.* 1 *parte* 1 *tract.* 3 *cap.* 34 *et* 35 *exhibet authenticum memorati miraculi testimonium, quod ex Italico idiomate Latine redditum hic transcribimus :* Ego D. Joannes Baptista Fellecchia decanus ecclesiæ Cathedralis civitatis Nolanæ, et ejusdem civitatis tempore contagionis vicarius capitularis : Dico, quod cum mense Junio, anno præfatæ contagionis essem vicarius capitularis dictæ civitatis Nolanæ, ad me venerit D. Jacobus Antonius Galeota pastor ecclesiæ terræ de Sperone, et mihi retulit, quod noctu in somnio viderit hominem senem cum barba, venerabilem aspe- F
ctu, omnino similem picturæ S. Eliæ in quadam ecclesia, haud longe inde dissita, quæ olim parochialis fuerat istius loci, sed præ vetustate collapsa erat, sic ut nihil restaret præter partem capellæ, in qua erat quædam pictura S. Eliæ ; ecclesia autem parochialis alia nova ædificata erat. Populus interea magna ferebatur devotione ad imaginem S. prophetæ Eliæ in præfata ecclesia ruinosa; et quandoque per hebdomadam ibi accendebatur lampas ante illam imaginem. Hic igitur S. propheta Elias apparens prædicto pastori, dicebat illi : Habeto curam meæ ecclesiæ, et ego a Deo impetrabo gratiam, ut pestis cesset. Ego autem non habens evidens motivum credendi visionem illam esse ex parte Dei, ipsum remisi, ut haberet curam animarum sibi commissarum, quæ in magna erant necessitate propter mortalitatem istius temporis.

tempore pestis

17 Abiit igitur illuc ille; sed non tardavit Sanctus præstare promissam gratiam et miracula hoc modo : Mulier quædam istius loci de Sperone infecta peste habens tumorem seu carbunculum in femore, ivit ad præfatam ecclesiam,

ubi

A ubi genuflexa magna cum devotione ex oleo lampadis ante imaginem S. Eliæ appensæ, locum contagionis perunxit, et subito a peste liberata sanitati integræ reddita est. Mox illa se contulit ad dictum pagum de Sperone, populos manifestans quod sibi contigerat, dicens non timendam ulterius pestem, cum oleum lampadis ante imaginem S. Eliæ pestem abigat. Fama ejus rei illico divulgata fuit, et magna confluxit hominum multitudo ad istam ruinosam ecclesiam, et imaginem S. Eliæ, et omnes peste infecti se ungentes oleo e lampade ista curati fuerunt. Ego superior et superintendens tempore contagionis deprehendi, quod ab eo die, quo concursus ille fieri cœpit ad istam ecclesiam, nullus ulterius peste mortuus fuerit, scripsique pastoribus circumvicinis pro plenario testimonio. *Hic sequebantur varia vicinorum pastorum testimonia, inter quæ præcipuum est parochi de Sperone, quod supra dicta sic confirmat:* Ego D. Jacobus Antonius Galeota curatus ecclesiæ parochialis gloriosi S. Eliæ in loco de Sperone, dependente d'A-
B vella, plenam et indubitatam fidem facio omnibus præsentes lecturis vel auditurus, tam in judicio quam extra, etiam cum juramento, tacto pectore, paratus confirmare, quod in mea parochia præfata plures infecti fuerint peste, et aliis malignis infirmitatibus, qui clam adeuntes præfatam ecclesiam S. Eliæ se unxerunt oleo e lampade appendente ante ejus imaginem, qui mihi testati sunt, se sanatos fuisse absque alio remedio adhibito; ab illo autem tempore nullus ulterius morbo contagioso mortuus fuit. In cujus rei fidem propria manu hisce subscripsi in Sperone die XXVIII Junii MDCLVI. *Huic similia sunt aliorum parochorum testimonia.*

mirabiliter senserunt ejus opem,

18 *Prædictus vero D. Fellechia ita testari pergit:* Cum præfata in variis locis evulgata essent, populus undequaque confluxit, nonnulli processionaliter, alii autem solitarie; et ibi plurimas gratias ac beneficia receperunt. Quadam die inter alios illuc adventantes vidi P. Alexandrum Carraccillo Societatis Jesu, mortuo fere similem, istuc adduci: cum oleo e lampade S. Eliæ inunctus esset, illico sanatus fuit, et adhuc incolumis
C vivit. Populus continuo accurrit magna cum pietate et fiducia erga eumdem Sanctum, cum multis donis et pecuniis, ita ut brevi temporis spatio oblata ascenderint ad aliquot millia scutorum. Hinc controversiæ ortæ fuerunt inter ingratos homines haud bonæ vitæ, prætendentes pecuniam illam suæ curæ committi. Ad controversiam illam sedandam sollicite laboravi, et interdixi, ne deinceps quispiam ingrederetur in illam ecclesiam, quam ad dies aliquot curavi claudi. Ingratitudo illa et despectus, seu exiguus respectus erga ecclesiam et ejus præfectum, Deo et S. Eliæ displicuisse apparuit: nam statim pestis iterum grassari cœpit et proserpebat, ac plurimi moriebantur. Ea causa populus ad capellam illam turmatim confugiebat; plurima autem offerebantur, et habui inter manus aliquot millia scutorum. Pecuniam illam impendi in instauratione ecclesiæ S. Eliæ juxta formam, prout ante fuerat, conformiter antiquis muris. Emi etiam terras circa ecclesiam, ut ex redditibus viverent sex capellani, qui quotidie in ista capella Missam legerent, et alia pietatis opera exercerent. Ex restantibus scutis quadraginta annuis feci fundationem pro magistro scholarum ad erudiendos pueros.

AUCTORE G. C.

ut constat ex authenticis testimoniis.

19 Populus confluebat in tanta multitudine, ut coactus fuerim duas facere portas ecclesiæ, alteram pro infirmis illuc adventantibus, ut sanarentur, alteram pro sanis venientibus, ut S. Eliæ pro beneficiis receptis gratias agerent. Sed concursus tantus fuit, ut istud observari non potuerit. In hodiernum usque diem concursus ille, et pius zelus populi perseverat: nulla enim est hebdomada, quin plurimi magna cum devotione ac donis eo veniant, ut S. Eliæ gratias referant, aut supplicent pro novis beneficiis. Hæc sunt, quæ novi de ecclesia et imagine S. Eliæ, et ego ipse vidi: de quibus plenarium perhibeo testimonium, paratus etiam juramento, tacto pectore, confirmare coram omnibus illis, qui hæc videbunt aut legi audient, tam in judicio quam extra. In signum veritatis hisce subscripsi et subsignavi propria manu. Nolæ, die XXVI Octobris anno MDCLIX. *Dum fama tam prodigiosi patrocinii per vicinas urbes circumvolaret, clerus, senatus, populusque Capuanus* S. Eliam *tempore ejusdem pestis patronum ac civitatis suæ protectorem elegerunt, et statuerunt singulis annis die* XX *Julii festum illius solenniter celebrare, ut constat ex authenticis illius electionis Actis, quæ legi possunt in Vinea Carmeli parte* 2 *cap.* 10. E

Aliud ipsius patrocinium et ejus reliquiæ.

20 *Non recenseo hic alia* S. Eliæ *miracula, quæ vulgo circumferuntur; sed probatissima selegi, quibus addo auxilium S. Patricio Hibernorum apostolo præstitum, de quo in ejus Confessione, tomo* 2 *Martii a Papebrochio edita, sic legitur pag.* 535: Eadem vero nocte eram dormiens, et fortiter tentavit me Sathanas, quod memor ero, quamdiu fuero in hoc corpore: cecidit enim super me velut saxum ingens, et omnium membrorum meorum vires abstulit. Sed unde venit ignoro, ut spiritu Eliam invocarem. Et inter hæc vidi in cœlo solem oriri, et dum clamarem Eliam totis viribus meis, ecce splendor solis illius cecidit super me, et statim discussit a me omnem gravedinem. *Jocelinus monachus in Vita S. Patricii, tomo* 2 *Martii impressa, fusius hæc narrat pag.* 544. *Decreveram huic paragrapho jam finem imponere, dum recordor eorum, quæ aliquando de reliquiis* S. Eliæ *audiveram in Hispania, quando ibidem anno* 1721 *et* 1722 *ad indaganda quorumdam Sanctorum Acta versabar. Cœpi itaque collectanea mea discutere, et inter alia in manuscripto monasterii Scorialensis lipsanologio, quod ex parte transcripseram, inveni exiguam Eliani pallii partem in regio illo monasterio conservari. Habeo præterea catalogum Hispanice impressum reliquiarum Ovetensium, in quo recensetur pars pallii* Eliæ *prophetæ. Unde, aut quo tempore Elianæ illæ reliquiæ in Hispaniam pervenerint, ignoro. Lezana interim in Annalibus Carmelitarum tomo* 4 *ad annum Christi* 1289 *num.* 5 *Arnoldum Bostium in Speculo Historiali lib.* 7 *cap.* 33 *de excidio montis Carmeli ita loquentem inducit:* De Acchon etiam Sarraceni ad sanctum montem Carmeli, qui ab ea non longe distat, pergentes, monasterium montis Carmeli Ordinis Fratrum beatæ Mariæ Virginis ibidem commorantium, quod sæpe invaserant, sed numquam destruerant (*lege* destruxerant) tum omnino devastaverunt: nam omnes Fratres ibidem F

AUCTORE G. C.

repertos, et SALVE REGINA cantantes in ore gladii trucidantes, totum monasterium incendio cremarunt; in qua combustione, ut refert Frater Joannes Hildesheym in tractatu suo, quem composuit de Ordine nostro, constat, Eliæ pallium usque adhuc reservatum, cum multis aliis rebus incendio periisse. *Hæc ego, qua auctoritate nitantur, pluribus hic non discutio, ad solidam sanctissimi Prophetæ gloriam propius spectant divina ipsa oracula, e quibus aliqualem ejus vitæ seriem texere aggredior.*

§ IV. Sancti Eliæ nomen, patria, tribus, parentes; mira prognostica nativitatis, et forma corporis.

Præmissa quadam monitione,

Quod passim nobis usuvenit, ut in historiis longo temporum intervallo a nostra ætate remotis obscura omnia ac tenebris obsita offendamus, ad singula ferme cespitantes, id in Actis modo enarrandis B *locum non habere in confesso est. Etenim sacra ipsa Scriptura, quæ in secunda S. Petri epistola cap.* 1 ℣ 19 *comparatur* lucernæ lucenti in caliginoso loco, *nobis hic tantam lucem præbet, ut præcipua* S. Eliæ *gesta, etsi a nostro tempore plurimum remota, clare cognoscamus. Alia autem, quæ de ipso traduntur, et hoc divino lumine destituta sunt, tantis tenebris involvuntur, ut hic frustra certam illorum cognitionem exspectes. Ut tamen in illustranda hujus celeberrimi Prophetæ vita rectum temporis et rerum gestarum ordinem observemus, præmittenda erunt quædam incerta de ipsius nomine, patria, parentibus, aliisque, quæ primum regis Achabi alloquium præcesserunt. Deinde historicam Elianæ vitæ seriem ex infallibilibus sacrarum Litterarum monumentis prosequemur, sicuti aliorum Sanctorum Acta ex antiquissimis scriptoribus eruere consuevimus. At ne quis specioso SS. Dorothei, Epiphanii, Joannis Hierosolymitani, similiumque virorum titulo fallatur, præmoneo, nos nullam fidem adhibere pseudo-scriptoribus, qui sub ementito veterum auctorum nomine indignas tantis viris fabulas procuderunt, ut videri potest in Vita S. Epiphanii ad diem* C XII *Maii illustrata cap. 7. Jam vero rem ipsam aggrediamur.*

examinatur etymologia Eliæ,

22 *Cornelius a Lapide in commentariis ad cap.* 17 *et* 18 *libri* III *Regum nomen* Eliæ *ex Hebraica origine interpretatur, deducitque ab* El Ia Hu, *id est:* potens est Deus ipse. *Citat ibidem Hebræos asserentes, eum antea* Ioberscyth *vel* Iaberschuah *vocatum fuisse*; *postea vero cognomen* Eliæ *seu* Eliahu *accepisse, quando populus propter miraculum contra impios Baalis sacrificulos patratum* III *Reg. cap.* 18 ℣ 39 *exclamabat:* Dominus ipse est Deus. *Huc forte respexit Hieronymus, quando in caput* 5 *Micheæ ita scripsit:* Adveniens ELIAS propheta, quod interpretatur DEUS DOMINUS, convertet corda patrum ad filios. *Non desunt etiam, qui Græcam* Eliæ *etymologiam excogitarunt: nam venerabilis Beda, Angelomus Luxoviensis monachus, aliique volunt,* Eliam *dici quasi* ἥλιον, *id est solem, eo quod ipse fuerit sol Israelis, et curru igneo vectus sit in cœlum, indeque a poetis fingi, solem vehi curru igneo. Verum hæc, ut recte Cornelius noster loco citato observat, per allusionem dicuntur, cum nomen* Eliæ *sit certo Hebræum, non Græcum.*

D *qui diversus est a Phinees.*

23 *Rabbini quidam duas distinctas personas confundentes,* Eliam *nomine* Phinees *appellarunt, et Christianos nonnullos sanctitate et doctrina illustres in errorem suum pertraxerunt, uti patet ex S. Petro Damiano, qui lib.* 1, *Epistola* 6 *ad Nicolaum II Romanum Pontificem inter alia laudans zelum Phinees de hac re ita scribit:* Ipse *(nempe Phinees)* siquidem est, nisi fallor, Elias propheta, qui videlicet igneis equis et curru, Elisæo suspiciente, est translatus in cœlum. Unde me quisquis mentiri autumat, divinæ legis interpretem Hieronymum, qui hoc in Hebraicarum Quæstionum libro testatur, potius reprehendat..... Phinees autem filius Eleazar, erat dux eorum coram Domino, cui nimirum Phinees nomen est a parentibus inditum; Elias vero agnomen est accidens per eventum. Elias siquidem interpretatur Deus Dominus, quod ex hac sibi occasione impositum fuisse creditur... Ab his itaque rationem reddentium verbis Elias nuncupatus asseritur, qui Phinees eatenus dicebatur, ut illorum responsum, hujus videatur esse vocabulum. *Non lubet hic operose refellere hanc opinionem, quam interpretes sacræ Scripturæ, aliique viri eruditi jam passim* E *refutaverunt.*

De Eliæ patria, tribu,

24 *In sacris Litteris* Elias *cognominatur* Thesbites de habitatoribus Galaad. *Unde plerique colligunt, patriam ejus esse Thesbe (Flavius Josephus lib.* 8. *Antiquitatum Judaicarum cap.* 7 Thesbonem *appellat) qui locus juxta Adrichomium situs est in tribu Gad inter Jebaa et Saron. Quare noster Cornelius a Lapide contendit, errasse Abulensem aliosque, qui censent,* Eliam *oriundum esse ex urbe Thebe, in qua Achimelech Gedeonis filius occubuit, quia Thebe erat in tribu Ephraim juxta Sichem. Franciscus Quaresmus in Elucidatione Terræ Sanctæ tom.* 2, *lib.* 6, *Peregrinatione* 1 *cap.* 8 *refellit eos, qui* Eliæ *locum natalem assignarunt inter Jerusalem et Bethlehem:* Quoniam, *inquit,* locus ubi est hoc monasterium et templum, pertinet ad tribum Juda, sicut et proxima civitas Bethlehem in Ephrata; Elias vero Propheta natus est in civitate Thesba sive Thesbe regionis Galaad, quæ pertinet ad tribum Gad. *At si lis illa pendeat ex tribu* Eliæ, *non facile dirimetur, cum variæ tribus ipsi adscribantur. Metaphrastes enim, seu quis-* F *quis est auctor Vitæ Elianæ apud Lipomanum et Surium editæ, tradit, quod fuerit* ex tribu * Aaron, et natus in Arabia. *Scipio Sgambatus noster in Archivis veteris Testamenti lib.* 2 *tit.* 29 *refert varias Judæorum de hac re sententias, citatque librum Hebraicum, cui titulus est* Bava Mezia, *ubi in capite* Me Kabbel *longa de illius prosapia disputatio est. Quidam putant e tribu Gad paterno sanguine ortum, materno vero e Benjamin; alii ex Manasse oriundum faciunt. Sed in capite* Me Kabbel *dicitur e filiis Aaronis ac tribu Levi fuisse.* Sinamus ergo *(utor verbis Lozanæ in Annalibus Carmelitarum tom.* 1 *ad annum mundi* 3123 *num.* 4) tribus omnes Israeliticas de Elia decertare potiori jure, quam de Homero septem urbes Smyrnam, Rhodum, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenas.

* *Id est genere*

et parentibus

25 *Neque major certitudo est de* S. Eliæ *parentibus, quos sacra Scriptura tacuit. Pseudo-Epiphanius aliique similis farinæ scriptores patrem ejus vocant* Sobac *vel* Sabbacha. *At verus Epiphanius in opere adversus hæreses, quod Petavius noster Græ-*

co-Latine

A *co-Lotine edidit, Hæresi* 35 *olios* 55 *de stirpe* S. Eliæ *ita disserit* : Multi sunt, quorum origines aperte non produntur; puta Daniel, Sidrac, Misac, Abdenago, Elias Thesbites, quorum qui parentes fuerint, nusquam in Scripturis commemoratum legimus. Sed ne cuiquam erroris ex ca re occasio præbeatur, non gravabor ea hoc loco referre, quæ nonnullorum traditione didicimus. Igitur Danielis patrem Sabaam fuisse quemdam accepimus. Quod ad Eliam attinet, ejuscemodi illius stemma ac prosapiam repetimus, quam ordine hunc in modum percenseo : Fuit Elias Thesbites Jodaæ sacerdotis frater *(Petavius in suis ad Epiphaniam Animodversionibus pog.* 220 *existimot, hunc esse Joiadam pontificem, qui sub Atholia et Joas socerdotio functus est)* proindeque ex sacerdotali stirpe, filius Achimaami, Achimaamus Sadoci. *Dein eamdem genealogiam texere pergit.*

vario trodun-tur.

26 *Quidquid sit de vero genitoris nomine, quod S. Epiphanius ex quodam traditione refert, vides hic ab Epiphanio vocari* Achimaamum, *qui* Sobac B *a pseudo-Epiphanio appellatur. Utri credendum? Marcus Antonius Alegre de Casanate S. Epiphanium sequitur, sicuti in Parodiso Carmelitici decoris pog.* 110 *indicat his verbis :* Tantus ergo princeps (*nempe* Elias) filius fuit Sabachæ, sive ut alii, quibus hæremus, malunt, Achimæ sacerdotis summi, fratris Joiadæ summi etiam sacerdotis, de tribu Aaron per Eleazarum, et iste alterius summi sacerdotis Sadoch magni Heliæ et Joiadæ avi, Matrem habuit Bassemathem Salomonis regis filiam, Taphetique sororem. *Etsi de matre* Eliæ *apud plerosque scriptores sit altum silentium, tamen memoratus Paradisi Cormelitici auctor recte collegit maternum nomen et genus, si Achimoas fuerit* Eliæ *pater; quia libro* III *Regum cap.* 4 ℣ 15 *legitur:* Achimaas in Nephthali ; sed et ipse habebat Basemath filiam Salomonis in conjugio. *Dixi* si Achimaas fuerit Eliæ pater, *quia id Lezena aliique Carmelitæ passim negant, ut tueantur auctoritatem Breviarii sui, in quo* Eliæ *genitor* Sabac *appellatur.*

Incertum est, quod de ejus nativitate

27 *Incertum quoque est prodigium, ut mitissime dicam, quod pseudo-Dorotheus in Synopsi de Vita* C *Prophetarum narrat his verbis* : Cum nasciturus esset Elias, pater ejus Sabbacha vidit illum ab angelis albicantibus salutari, et igne tamquam fasciis involvi, et flamma ignis veluti cibo ali, et Jerosolymam profectus rem istam indicavit; dictumque illi ex oraculo, ne timeret : fore enim, ut puer nasciturus in luce habitaret, et quæ diceret, firmam sententiam haberent, judicaretque Israelem in gladio et igne. *Appellavi auctorem hujus opusculi* pseudo-Dorotheum, *quia multa scribit vero Dorotheo indigna : unde eminentissimus Cardinalis Bellarminus in suo libro de Scriptoribus Ecclesiasticis tale fert judicium* : Dorotheus Tyrensis dicitur tempore Diocletiani exilium passus, et scripsisse Synopsim de Vita Prophetarum et Discipulorum Christi; quæ Synopsis extat in Bibliotheca sanctorum Patrum et frequentem citatur. At hujus Dorothei nullam mentionem inveni apud Eusebium, S. Hieronymum vel Gennadium, aut etiam Joannem Trithemium, qui scripserunt de viris illustribus. Ipsa vero Synopsis plena est fabulis. *In fine autem hæc addit* : Non meminissem libri tam fabulosi, nisi vidissem a multis citari, et non minimi fieri. *Miram illam historiam etiam refert pseudo-Epiphanius in Vitis Prophetarum. Sed Petavius noster in editione Græco-Latina Operum S. Epiphanii, anno* 1622 *Parisiis a se focta, tomo secundo præfigit præfationem ad lectorem, in qua agens de supposititiis ac spuriis Epiphanii scriptis, ita nominatim de hoc opusculo loquitur :* Horum ducit agmen liber de Vita Prophetarum, quem ψευδεπίγραφον esse, sexcentæ mendaciorum nugæ persuadent, quibus ille refertus est. *Idem esto judicium de aliis quibusdam auctoribus hanc historiam referentibus, qui sub ficto veterum nomine a fobulatoribus aliquibus conscripti, aut saltem vehementer corrupti sunt. Ceterum si hujus historiæ veritas ex antiquis et fide dignis scriptoribus probari possit, illi non refragabimur.*

AUCTORE G. C.

et corporis forma narratur.

28 *Atque ea quidem, quæ hactenus dicta sunt, saltem aliquam antiquitatis larvam præferunt. At Ægidius Camartus Minimorum Generalis ex sola sua, ni fallor, idea corpoream* Eliæ *formam ita graphice depinxit, acsi illum oculis suis conspexisset : nam in libro de Gestis* Eliæ *cop.* 3 *sect.* 15 *post varias conjecturas ita concludit:* Habuit igitur Elias E formosissimum speciosissimumque corpus, pulcherrimis animæ functionibus exercendis idoneum, oris majestate conspicuum, forma appositaque membrorum compage ad quoslibet tolerandos labores ornatum, fulgentibus oculis, igneum ex se fulgorem veluti vibrantibus, vultum habuit modesto sanguine rubentem', eloquium suave, erectam speciem, non triste supercilium. *Quidquid sit de hac forma, S. Chrysostomus in sermone de Petro Apostolo, et* Elia *propheta, quem Henricus Savilius Græce edidit, tomo* 8 *pagina* 20 *vocat* S. Eliam τρίπηχυν ἄνθρωπον *id est* tricubitalem hominem. *Nescio, an S. Chrysostomus id alicubi legerit, vel ex Majorum traditione acceperit. Certe in sermone festivo de SS. Petro et Paulo, etiom S. Paulus ab eo appellatur* homo tricubitalis. *At nostra parum interest, quaecumque fuerit corporis statura, cum forma ad virorum sanctorum laudem nihil conferat. Idem Camartus disputat, an* Elias *fuerit in utero sanctificatus : sed has similesque quæstiones Theologis examinandas relinquimus, ad certiora properontes.*

F

§ V. Prædictio siccitatis coram Achabo, Eliæ recessus ad torrentem Carith, commoratio Sareptæ apud viduam, et miracula ibi patrata.

Elias, prænuntiata regi Achabo siccitate.

Hactenus incerta quædam Elianæ historiæ puncta attigimus ; nunc vero præclara illius gesta ex divino testimonio referemus, et ubi operæ pretium videbitur, explicatione quadam elucidabimus. Libro III *Regum cap.* 17 *primum fit mentio de* Elia, *quando Regi Achabo futuram siccitatem prædixit his verbis*: Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab : Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba. *Sacra Scriptura non indicat, quid Achabus ad hanc denuntiationem responderit. Credibile est, inquit Salianus noster in Annalibus ecclesiasticis ad annum mundi* 3123 *num.* 16, Eliam *ejectum fuisse de conspectu Regis, tamquam in-*

AUCTORE G. C.

insanum, qui res extra hominum potestatem positas sibi vendicaret. Neque Achabus curavit, Deo ita disponente, Prophetam istum minacem comprehendere, et in vincula conjicere, ut si res ipsa minarum veritatem comprobaret, aut precibus, aut verberibus adigeretur ad impetrandam pluviam, quemadmodum malefici, dicuntur plagis cogi ad tollenda maleficia, quæ dæmonum ope in homines bestiasve induxerunt. Si quis hanc Eliæ *prophetiam rhetorica S. Chrysostomi eloquentia exornatam videre cupit, adeat nostrum Frontonem Ducæum tom.* 6 *pag.* 228, *et Savilium tom.* 8 *pag.* 18, *vel Lipomanum tom.* 7 *fol.* 256.

recedit ad torrentem Carith, et ibi pascitur a corvis,

30 *Deinde monitus est* Elias *sive per apparentem angelum, sive per vocem aliquam in aere formatam, sive per somnium, aliamve rationem, qua Deus agere solet cum prophetis, jussusque est recedere versus Orientem, quod sacer codex capite jam citato sic narrat*: Et factum est verbum Domini ad eum dicens : Recede hinc, et vade contra Orientem et abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem ; et ibi de torrente bibes, corvisque præcepi, ut pascant te ibi. Abiit ergo et fecit juxta verbum Domini. Cumque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem. Corvi quoque deferebant ei panem et carnes mane, similiter panem et carnes vesperi, et bibebat de torrente. *Torrens Carith, teste nostro Cornelio a Lapide, descendit de montibus Ephraim juxta urbem Phaselum, ubi juxta eum multæ erant cavernæ, in quas se abdere poterat* Elias. *Hic in ejus memoriam S. Helena construxit ædem sacram, ut Nicephorus Callistus lib.* 8 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 30 *testatur. Quam insulsa nunc confingant Judæi de antro* Eliæ, *vide apud Franciscum Quaresmium in Elucidatione Terræ sanctæ tom.* 2 *lib.* 7 *Peregrinatione* 6 *cap.* 6.

B

quod aliqui verperam explicant.

31 *Occasione corvorum, a quibus cibum accepit* Elias, *movetur nova quædam, et a communi sensu aliena quæstio : aliqui enim per vocem Hebraicam* Orebim *intelligunt Arabes, et sacram Scripturam ita interpretantur :* Arabibusque præcepi, ut pascant te ibi. *Ad probandam hanc suam interpretationem dicunt, eamdem vocem* Orebim II *Paralipomenon cap.* 21 ℣ 16, *et* II *Esdræ cap.* 4 ℣ 7 *per Arabes explicari. Alii vero volunt, per* Orebim *significari incolas urbis Arabo prope Bethsau, quæ non longe distat a torrente Carith. Interpretes illi ad hanc novam explicationem confugerunt, quia corvus ex lege Levitici* 11 ℣ 15 *est animal immundum. Præterea cum sit avis vorax et maligna, minus idonea videtur ad obeundum hoc ministerium. At respondeo, quamvis eadem vox alibi Arabes significet, tamen septuaginta interpretes textum Hebraicum hic ita Græce vertisse* : καὶ τοῖς κόραξιν ἐντελοῦμαι διατρέφειν σε ἐκεῖ. *Id est :* Et corvis mandabo nutrire te illic. *Adde, quod textus Chaldaicus, Syriacus, et Arabicus diserte asserant, corvos ei detulisse cibum. Quod ad legalem corvi immunditiam attinet, ea stricte de illius cadavere et carnis esu intelligenda est, non vero de iis, quæ corvus vivens contigerat. Imo si ultra concedam, corvum fuisse animal undequaque immundum, nonne Deus, supremus cæremoniarum legislator, hic in lege sua dispensare potuit? Etsi autem corvus sit rapax, minusque aptus videatur ad alendum hominem, forte Deus illo usus est, ut ostenderet, sese omnibus animalibus imperare, eorumque indolem posse mutare, ac Sanctis, qualis*

C

erat Elias, *omnes creaturas servire et obsequi. Sic in Vita S. Pauli eremitæ ab Hieronymo conscripta legimus, corvum propter adventum S. Antonii integrum panem attulisse, qui antea dimidium quotidie afferre consueverat. Si quis curiosior scire velit, unde corvi panem et carnem* Eliæ *attulerint, legat Salianum nostrum, qui in Annalibus ecclesiasticis veteris Testamenti ad annum mundi* 3123 *num.* 19 *varias de hac re conjecturas proponit.* D

Hospitatur Sareptæ apud viduam, cujus cibum multiplicat,

32 *Incertum est, quamdiu* Elias *apud torrentem Carith remanserit. Salianus putat, eum post unum alternumve annum inde recessisse. Alii existimant, illum post commorationem aliquot mensium aut dierum Sareptam discessisse. Sacer textus rem totam ita narrat :* Post dies autem siccatus est torrens : non enim pluerat super terram. Factus est ergo sermo Domini ad eum dicens : Surge et vade in Sarepta Sidoniorum, et manebis ibi : præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te. Surrexit et abiit in Sarepta. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei : Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa E pergeret, ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens : Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tua. Quæ respondit : Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho : en colligo duo ligna, ut ingrediar et faciam illum mihi et filio meo, ut comedamus et moriamur. Ad quam Elias ait : Noli timere, sed vade et fac sicut dixisti ; verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, et affer ad me ; tibi autem et filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel : Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ. Quæ abiit et fecit juxta verbum Eliæ ; et comedit ipse et illa et domus ejus ; et ex illa die hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. *Urbs Sareptana, ad quam missus fuit* Elias, *sita erat inter Tyrum et Sidonem in terra gentilium, adeoque verosimile est, hanc viduam etiam fuisse gentilem. De hodierno oppidi illius situ videri potest Quaresmius in Elucidatione Terræ sanctæ tom.* 2 *lib.* 7 *Peregrinatione* 8 *cap.* 12. *Ceterum nihil hic peculiare explicandum est, quod ad historiam pertineat. Sancti Patres et Scripturæ interpretes meritis laudibus extollunt misericordiam aliasque hujus viduæ virtutes, quas concionatoribus exornandas relinquimus.* F

et a morte suscitat filium,

33 *Cum* Elias *tempore publicæ penuriæ et privatæ abundantiæ, apud hanc viduam habitaret, voluit Deus probare mulieris patientiam, atque illius caritatem novo miraculo remunerari, quod sacra Scriptura sic narrare pergit :* Factum est autem post hæc, ægrotavit filius mulieris matris familias, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliam : Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum? Et ait ad eam Elias : Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, et portavit in cænaculum, ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum. Et clamavit ad Dominum et dixit : Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam

ego

AUCTORE G. C.

A ego utcumque sustentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus? Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum et ait: Domine Deus meus, revertatur obsecro anima pueri hujus in viscera ejus. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ, et reversa est anima pueri intra eum et revixit. Tulitque Elias puerum, et deposuit eum de cænaculo in inferiorem domum, et tradidit matri suæ, et ait illi: En vivit filius tuus. Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu, et verbum Domini in ore tuo verum est.

qui non fuit Jonas propheta.

34 *Quæstio hic est, utrum filius istius viduæ fuerit Jonas propheta, qui postea ad convertendos Ninivitas missus est. S. Hieronymus Præfatione in Jonam inter opera ejus anno* 1704 *Parisiis impressa tomo* 3 *columna* 1469 *et* 1470 *sententiam aliorum ita refert*: Tradunt autem Hebræi, hunc, *nempe Jonam*, esse filium viduæ Sareptanæ, quem Elias propheta mortuum suscitavit, matre postea dicente ad eum: NUNC COGNOVI, QUIA VIR DEI ES TU, ET VERBUM DEI IN ORE TUO EST VERITATIS.
B Et ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocatum: AMATHI enim in nostra lingua VERITATEM sonat; et ex eo quod verum Elias locutus est, ille qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis. *Sic ille utique recitando, non probando. Sed hæc ab Hebræis subtilius, quam verius excogitata sunt. Quis enim neget, Jonam, sicut reliquos prophetas, a patre suo cognominari, sicque Amathi esse proprium nomen viri non appellativum; quod certe consentaneum est consuetæ sacrarum Litterarum phrasi, qua semper vera nomina progenitorum exprimuntur. Adde quod Jonas in hac opinione non fuisset Hebræus, sed Sidonius; cum tamen ipsemet Jonas in sua prophetia cap.* 1 ℣ 9 *dicat*: Hebræus ego sum, et Dominum Deum cœli ego timeo. *Deinde Jonas verosimiliter a patria vocaretur Sareptanus; et interim lib.* IV *Regum cap.* 14 ℣ 25 *dicitur Deus locutus* per servum Jonam filium Amathi prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher. *Denique epocha Jonæ non potest facile convenire filio viduæ Sareptanæ: nam a tempore memoratæ famis usque ad prædicationem Jonæ Ninivitis factam plus quam nonaginta anni effluxerunt;*
C *quibus si addas decem annos ætatis, quando ab* Elia *vitæ restitutus est, jam centenario major Ninivitis pœnitentiam prædicaverit, quod sine peculiari testimonio non videtur admittendum.*

§ VI. Eliæ reditus ad Achabum, certamen cum pseudo-prophetis Baal, victoria, et pluvia terræ reddita.

Elias post tres annos ad Achabum redire jussus,

Sanctus Jacobus Apostolus nos docet, quam diu terræ siccitas per Eliam *inducta duraverit, dum in sua Epistola Catholica cap.* 5 ℣ 17 *ita scribit*: Elias homo erat similis nobis passibilis: et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. *Idem sicci temporis spatium Lucæ cap.* 4 ℣ 25 *indicatur. Itaque tertio sterilitatis anno elapso, et quarto inchoato, ut computat Salianus noster, clementissimus Deus, humanæ calamitatis misertus, voluit ultro debitam sceleribus pœnam relaxare, sicut libro* III *Regum cap.* 18 *refertur his verbis*: Post dies multos factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio dicens: Vade et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Achab. Erat autem fames vehemens in Samaria. Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ; Abdias autem timebat Dominum valde: nam cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et pavit eos pane et aqua. Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum, et in cunctas valles, si forte possimus invenire herbam et salvare equos et mulos, et non penitus jumenta intereant. Diviseruntque sibi regiones, ut circuirent eas: Achab ibat per viam unam, et Abbias per viam alteram seorsum. *Flavius Josephus lib.* 8 *Antiquitatum Judaicarum cap.* 7 *hunc regiæ domus dispensatorem vocat Obediam; in quo minus mihi displicet, quam dum ait, hanc historiam contigisse* χρόνου δ' ὀλίγου διελθόντος, *id est* pauco tempore transacto, *cum sacra Scriptura diserte asserat, id factum esse* post dies multos. E

occurrit in via dispensatori regio,

36 *Cum præter hanc Josephi Judæi discrepantiam, nihil hic observandum occurrat, historiæ Elianæ filum prosequamur cum sacra Scriptura, quæ eodem capite sic pergit*: Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei. Qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam et ait: Num tu es, Domine mi, Elias? Cui ille respondit: Ego. Vade et dic domino tuo: Adest Elias. Et ille: Quid peccavi, inquit, quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me? Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quo non miserit dominus meus te requirens. Et respondentibus cunctis; Non est hic, adjuravit regna singula et gentes, eo quod minime repereris. Et nunc tu dicis mihi: Vade et dic domino tuo: Adest Elias. Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro; et ingressus nuntiabo Achab, et non inveniens te, interficiet me; servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua. Numquid non indicatum est tibi Domino meo, quid fecerim, cum interficeret Jezabel prophetas Domini quod F absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et paverim eos pane et aqua? Et nunc tu dicis: Vade et dic domino tuo: Adest Elias, ut interficiat me. *Varii auctores ex traditione Hebræorum asserunt, hunc Abdiam, Achabi dispensatorem, esse eumdem cum Abdia propheta, qui inter Prophetas minores ordine quartus recensetur, aut cum duce quinquagenario Ochosiæ, qui tertio loco ad* Eliam *missus mortem humiliter deprecabatur, de quo postea agemus. Sed Cornelius a Lapide proœmio in Abdiam prophetam, et Jacobus Salianus in Opere jam laudato ad annum mundi* 3255 *num.* 9 *et* 10 *opinionem eorum prudenter rejiciunt. Scipio Sgambatus noster in Archivis veteris Testamenti lib.* 2 *tit.* 41 *de Abdia refert varias Judæorum traditiones, quæ sane exiguam fidem merentur.*

et regem increpat, petitque ab eo, ut possit cum pseudo-prophetis Baal inire certamen,

37 Elias *cognito Abdiæ metu, cum securum reddidit, comparuitque coram rege Achabo, cui manifestam veræ divinitatis probationem ultro obtulit, ut constat ex sequentibus, quæ ex capite proxime citato hic ita transcribimus*: Et dixit Elias: Vivit Dominus

AUCTORE G. C.

nus exercituum, ante cujus vultum sto; quia hodie apparebo ei. Abiit ergo Abdias in occursum Achab, et indicavit ei. Venitque Achab in occursum Eliæ; et cum vidisset eum, ait: Tunc es ille, qui conturbas Israel? Et ille ait: Non ego turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim. Verumtamen nunc mitte, et congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, et prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Jezabel. Misit Achab ab omnes filios Israel, et congregavit prophetas de monte Carmeli. *Hic* Elias *libere reprehendit Achabum, eo quod coleret* Baalim, *id est* idola, *quæ a Nemrod primo idololatriæ auctore hoc nomen acceperunt, ut affirmat noster Cornelius a Lapide in commentario ad librum* III *Regum cap.* 16: *nam Nemrod dictus est* Baal *id est* Dominus; *unde ab eo ceteri deinceps gentium dii agnominati sunt* Baal *vel* Baalim. *Erant autem quadringinti quinquaginta pseudo-prophetæ, qui mandato regio cultum hujus idoli procurabant;*
B *aliis vero quadringentis, quos regina alebat, incumbebat cura lucorum, id est aliorum deorum, qui in silvis et lucis colebantur.*

cujus conditiones coram populo proponit.

38 *Postquam Achabus, propter pluviæ desiderium nihil* Eliæ *negare ausus, pseudo-prophetas et populum convocasset, initum est de vera divinitate demonstranda certamen, quod in sacro Codice ita describitur:* Accedens autem Elias ad omnem populum ait: Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum. Et ait rursus Elias ad populum: Ego remansi propheta Domini solus; prophetæ autem Baal quadringenti et quinquaginta viri sunt. Dentur nobis duo boves, et illi eligant sibi bovem unum, et in frusta cædentes, ponant super ligna; ignem autem non supponant. Et ego faciam *(id est sacrificabo)* bovem alterum, et imponam super ligna; ignem autem non supponam. Invocate nomina deorum vestrorum et ego invocabo nomen Domini mei, et Deus, qui exaudierit per ignem *(id est qui ignem in hostiam sibi oblatam cœlitus immiserit)* ipse sit Deus. Respondens omnis
C populus ait: Optima propositio. *Obiter hic observo, Deum in hoc casu per miraculi propositionem ab* Elia *non fuisse tentatum, uti ex Suarezio nostro ostendi in commentario prævio* § VII *ad Vitam S. Joannis Gualberti,* XII *Julii illustratam.*

Pseudo-prophetis frustra idolum invocantibus,

39 *Sacer textus ita prosequitur:* Dixit ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, et facite primi, quia vos plures estis; et invocate nomina deorum vestrorum, ignemque non supponatis. Qui cum tulissent bovem, quem dederat eis, fecerunt, et invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem dicentes: Baal, exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet; transiliebantque altare, quod fecerant. Cumque esset jam meridies, illudebat illis Elias dicens: Clamate voce majore: Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. Clamabant ergo voce magna, et incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine. *Cruentus ille sacrificulorum ritus, testibus scriptoribus ethnicis, etiam in usu fuit apud Syros, Græcos et Romanos. Lactantius lib.* 1 *de falsa Religione cap.*
21 *crudelia Gentilium sacrificia impugnans dicit, esse quædam,* in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant: sectis namque humeris, et utraque manu districtos gladios exserentes, currunt, efferuntur, insaniunt. *Atque hinc ita concludit:* Nonne satius est pecudum more vivere, quam deos tam profanos, tam sanguinarios colere? D

Elias sacrificium suum præparat;

40 *Sed ad historiam nostram revertamur, quæ immediate post divina verba, numero præcedenti allata, sic habet:* Postquam autem transiit meridies, et illis prophetantibus venerat tempus, quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes. Dixit Elias omni populo: Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit altare Domini, quod destructum fuerat. Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus est sermo Domini dicens: Israel erit nomen tuum. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini; fecitque aquæductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris. Et composuit ligna, divisitque per membra bovem, et posuit E
super ligna, et ait: Implete quatuor hydrias aqua, et fundite super holocaustum, et super ligna. Rursumque dixit: Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait: Etiam tertio id ipsum facite. Feceruntque tertio. Et currebant aquæ circum altare, et fossa aquæductus repleta est. *Chrysostomus aut quicumque est auctor homiliæ in Petrum et* Eliam, *quæ a Savilio tom.* 8 *pag.* 18 *Græce, et a Lipomano tom.* 7 *fol.* 256 *Latine edita est, hujus copiosæ effusionis aquarum rationem reddit his verbis:* Velim consideres, quare ab Elia hoc factum sit. Quoniam erroris mos est veritati propria vitia objicere. Id quod faciunt meretrices: anticipant enim ipsæ, et ingenuas feminas meretrices vocant, ut non habeant illæ quod convitii objiciant. Propterea etiam in hac re sapienter se gessit Elias. Attende, quæso, quod dicturus sum; vidi enim ipse, quod dicam. In idolorum altaribus foramina quædam sunt ex inferiore altaris parte, et fovea quædam obscura. Descendunt autem erroris artifices in foveam illam, et ex foraminibus, quæ diximus, ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, ita ut multi decepti cœlestem F
esse ignem illum existiment. Ne igitur et Elias in suspicionem veniret, quod et ipse aliquid tale machinatus esset, aquam effudit, ut aqua illa nulla esse infra altare foramina ostenderet: ubi enim foramen aqua invenerit, illic aqua non consistit, sed per foramina ipsa defluat necesse est. *Hæc ratio satis congrua videtur. Sed ne quis miretur, tam magnam aquæ copiam in tanta siccitate ad manum fuisse, sciat, mare ad radices montis Carmeli fluitare, unde facile aqua hauriri potuerit. Miraculum, quod Rabbi Salomon hac occasione confinxit, non vacat hic referre, multo minus refutare.*

quod ultro accenditur, et post occisos pseudo-prophetas desiderata diu pluvia oritur.

41 *Superest, ut hunc paragraphum concludamus prodigiosa* Eliæ *victoria, qua diuturna siccitatis calamitas finita est, ut exponitur lib.* III *Regum cap.* 18 *in hunc modum:* Cumque jam tempus esset, ut offerretur holocaustum, accedens Elias propheta ait: Domine Deus Abraham et Isaac et Israel, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, et ego servus tuus, et juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me, Domine, exaudi

me,

A me, ut discat populus tuus, quia tu es Dominus Deus, et tu convertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini et voravit holocaustum et ligna et lapides, pulverem quoque et aquam, quæ erat in aquæ ductu lambens. Quod cum vidisset omnis populus cecidit in faciem suam, et ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. Dixitque Elias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. Et ait Elias ad Achab: Ascende, comede, et bibe: quia sonus multæ pluviæ est. Ascendit Achab, ut comederet et biberet; Elias autem ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua; et dixit ad puerum suum: Ascende et prospice contra mare. Qui cum ascendisset, et contemplatus esset, ait: Non est quiddam. Et rursus ait illi: Revertere septem vicibus. In septima autem vice, ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. Qui ait: Ascende, et dic Achab: Junge currum

B tuum, et descende, ne occupet te pluvia. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cœli contenebrati sunt, et nubes et ventus, et facta est pluvia grandis. Ascendens itaque Achab abiit in Jezrahel; et manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel. *Benjaminus Tudelensis in Itinerario suo, quod Arias Montanus ex Hebraïco Latinum fecit, pag.* 38 *sic scribit:* In summo *Carmeli* montis dorso vestigium extat altaris diruti et combusti in diebus Achab, cujus in Eliæ historia illustris fit mentio. Estque aræ illius locus circularis quatuor fere cubitorum diametro. *Franciscus Quaresmius in Elucidatione terræ Sanctæ tom.* 2 *lib.* 7 *cap.* 3 *Peregrinatione* 8 *objectionem quamdam circa hoc sacrificium formatam solvit, et antiquum novumque montis Carmeli statum describit.*

C

§ VII. Fuga Eliæ ob iram Jezabelis; apparitio, et jussio divina; reditus ad regem Achabum, et minæ eidem ab Elia intentatæ.

Eliæ, ob minas Jezabelis fugienti,

Elias, *qui hactenus bis coram irato rege impavidus steterat, totque sacrilegos idolorum cultores intrepide interfecerat, jam exemplo suo nos commonet humanæ imbecillitatis et inconstantiæ, dum feminæ minis territus repentinam fugam arripit, ut in libro* III *Regum cap.* 19 *narratur hoc modo:* Nuntiavit autem Achab Jezabel omnia quæ fecerat Elias, et quomodo occidisset universos prophetas gladio. Misitque Jezabel nuntium ad Eliam dicens: Hæc mihi faciant dii, et hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam unius ex illis. Timuit ergo Elias, et surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas; venitque in Bersabee Juda, et dimisit ibi puerum suum. Et perrexit in desertum viam unius diei. Cumque venisset et sederet subter unam juniperum, petivit animæ suæ ut moreretur, et ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quam patres mei. Projecitque se, et obdormivit in umbra juniperi. Et ecce angelus Domini tetigit eum, et dixit illi: Surge et comede. Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis, et vas aquæ. Comedit ergo et bibit, et rursum obdormivit. Reversusque est Angelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb. *Oportet* Eliam *in hoc itinere quadraginta dierum et noctium, metu et angore perculsum a recta semita multum deflexisse, cum Bersabee a monte Horeb tantummodo quinquaginta leucis distet.*

AUCTORE G. C.

apparet Dominus,

43 Cumque venisset illuc, *inquit sacra Scriptura eodem capite,* mansit in spelunca; et ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis, Elia? At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio: derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, E ut auferant eam. Et ait ei: Egredere et sta in monte coram Domino: et ecce Dominus transit. Et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio: non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, et egressus stetit in ostio speluncæ; et ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis, Elia? Et ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio; derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam. *Septuaginta interpretes in nonnullis editionibus post sibilum auræ tenuis habent:* κἀκεῖ Κύριος *id est* et ibi, *nempe in sibilo,* Dominus. *Quod sensum clariorem reddit, etsi in textu Hebræo et versione vulgata non legatur. In eodem monte Horeb seu Sinai Deus decalogum daturus majestatem suam Moysi olim ostenderat. De hoc monte, et sacello* Eliæ *ibidem constructo, aliisque sacris monumentis disserit Quaresmius in Elucidatione Terræ sanctæ tom.* 2, *lib.* 8, *cap.* 2 *Peregrinatione* 5. F

eique prædicit hostium exitium, præcipitque unctionem regum et Elisæi prophetæ.

44 *Tunc Deus* Eliæ *significat, se idololatris illis, de quibus* Elias *conquerebatur, suscitaturum adversarios, quod divinis verbis ita exprimitur:* Et ait Dominus ad eum: Vade et revertere in viam tuam per desertum in Damascum; cumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam, et Jehu filium *(significat hic nepotem)*. Namsi unges regem super Israel: Elisæum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula unges prophetam pro te. Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu, et quicumque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Elisæus. Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omne os, quod non adoravit eum osculans manus. Profectus ergo inde Elias, reperit Elisæum filium Saphat, arantem in duodecim jugis boum, *id est inter duodecim aratores,* et ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat.

Cumque

AUCTORE G. C.

Cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum. Qui statim relictis bobus, cucurrit post Eliam, et ait : Osculer, oro, patrem meum, et matrem meam, et sic sequar te. Dixitque ei : Vade, et revertere : quod enim meum erat, feci tibi. Reversus autem ab eo, tulit par boum, et mactavit istud, et in aratro boum coxit carnes, et dedit populo, et comederunt; consurgensque abiit, et secutus est Eliam, et ministrabat ei. *Quomodo hæc unctio regum et Elisæi prophetæ intelligenda sit, explicant passim interpretes et Salianus noster in Annalibus Veteris Testamenti ad annum mundi* 3127 *num.* 18 *et sequentibus.*

Jubetur Elias minas Dei

45 *Cum rex Achabus vineam Nabothi possidere cuperet, nec voti compos fieri posset, impia illius uxor Jezabel Nabothum interfici curavit, ut legimus in libro* III *Regum cap.* 21, *ubi a* ℣ 17 *adduntur sequentia :* Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens : Surge et descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria ; ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam. Et loqueris ad eum dicens : Hæc dicit Dominus : Occidisti, insuper et possedisti. Et post hæc addes : Hæc dicit Dominus : In loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. *Cum Achabus in Samaria sepultus fuerit, varie se torquent interpretes, ut litteralem hujus prophetiæ sensum explicent. Quidam putant, hanc prophetiam impletam esse, quando* III *Reg. cap.* 22, ℣ 38 *Achabo occiso,* laverunt currum ejus in piscina Samariæ, et linxerunt canes sanguinem ejus. *Si opponas, quod canes sanguinem Achabi linxerint in Samaria, sanguinem vero Nabothi in Jezrahel, ubi lapidibus obrutus est ; respondent, Jezrahel pertinuisse ad Samariam, adeoque intelligi eumdem locum in genere, id est eamdem regionem. Alii censent per sanguinem Achabi hic intelligi ejus filium (filii enim ex parentum sanguine gignuntur) afferuntque illud Virgilii Æneidos* 6 : Projice tela manu sanguis meus, *id est* fili mi. *Atque eo sensu prophetia exacte impleta est, quando* IV *Regum cap.* 9 ℣ 25 *Jehu occisum a se Joram filium Achabi jussit projici in agrum Naboth Jezrahelitæ. At non video, hic multis violentisque explicationibus opus esse, cum Deus ipse testetur, sese propter Achabi pœnitentiam mala Achabo ipsi intentata ad filium ejus transtulisse, uti postea videbimus.*

denuntiare regi Achabo

46 *In eodem libro* III *Regum cap.* 21 *a* ℣ 20 *reliquum Achabi et* Eliæ *colloquium ita recitatur :* Et ait Achab ad Eliam : Non invenisti me inimicum tibi? Qui dixit : Inveni, eo quod venumdatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini. Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua, *id est posteritatem tuam ;* et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum et ultimum in Israel. Et dabo domum tuam, sicut domum Jeroboam filii Nabat, et sicut domum Baasa filii Ahia : quia egisti, ut me ad iracundiam provocares, et peccare fecisti Israel. Sed et de Jezabel locutus est Dominus dicens : Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes ; si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli. *Prophetia de ignominiosa Jezabelis morte ad apicem impleta est, ut constat ex libro* IV *Regum cap.* 9 *a* ℣ 30. *Sed difficultas quædam apparet in explicandis iis, quæ de ignominia post mortem Achabo inferenda prædicuntur. Nam cum Achab in prælio contra Syros ex vulnere interiisset,* perlatus est in Samariam, sepelieruntque regem in Samaria, *ut* III *Regum cap.* 22 ℣ 37 *narratur. Nulla autem ibi fit mentio volucrum aut canum, qui ejus cadaver comedissent. Si itaque hæc prædictio de Achabo ipso accipienda sit, dicendum est, eam implicite fuisse conditionalem, nempe nisi Achab resipisceret. Cum vero postea Achab pœnitentiam egerit, videtur hæc pœna in filium illius translata fuisse. Omnem difficultatem plane tollit textus Hebraicus, quem Septuaginta interpretes ita Græce verterunt :* Τὸν τεθνηκότα τοῦ Ἀχαὰβ ἐν τῇ πόλει φάγονται οἱ κύνες, καὶ τὸν τεθνηκότα αὐτοῦ ἐν τῷ πεδίῳ φάγονται τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. *Id est :* Mortuum de Achaab *(intellige de stirpe Achabi)* in civitate comedent canes, et mortuum ejus in campo comedent volatilia cœli. *Hanc phrasim sequitur etiam versio Chaldaica, Syriaca et Arabica. Atque hoc modo memorata prophetia ad litteram explicari potest.*

de cujus impietate et pœnitentia disseritur.

47 *In fine præfati capitis scelera Achabi ejusque pœnitentia sic describuntur :* Igitur non fuit alter talis, sicut Achab, qui venumdatus est ut faceret malum in conspectu Domini : concitavit enim eum Jezabel uxor sua. Et abominabilis factus est in tantum, ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus a facie filiorum Israel. Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens : Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus. *Disputant interpretes et theologi, utrum sincera et utilis fuerit Achabi pœnitentia. Sed, ne hic falcem in alienam messem immittamus, videri potest noster Cornelius a Lapide, qui in commentario ad hunc locum varias sententias conciliare nititur.*

§ VIII. Sacrilega idoli consultatio disturbata : disquisitio de habitu Eliæ : cœlestis duorum ducum et centum militum punitio : mors ab Elia regi Ochoziæ prædicta.

Elias nuntios Beelzebub consulturos remittit ad Ochoziam, qui eum ex figura et habitu agnoscit,

Post mortem Achabi solus regnare cœpit Ochozias, scelere similis patri filius, qui præter alia infortunia, quibus Deum vindicem agnoscere debuisset, cecidit per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, et ex lapsu debilitatus in gravem incidit morbum. Neque sic confugit ad verum Deum, sed misit legatos suos Accaronem, qui interrogarent Beelzebub Philisthæorum idolum, quis futurus esset istius morbi eventus. At Elias sacrilegum iter abrupit, ut lib. IV *Regum cap.* 1 *a* ℣ 3 *dicitur in hunc modum :* Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten dicens : Surge et ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, et dices ad eos : Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus : De lectulo,

A lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Et abiit Elias. Reversique sunt nuntii ad Ochoziam. Qui dixit eis : Quare reversi estis? At illi responderunt ei : Vir occurrit nobis, et dixit ad nos : Ite et revertimini ad regem, qui misit vos, et dicetis ei : Hæc dicit Dominus : Numquid quia non erat Deus in Israel, mittis ut consulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Qui dixit eis : Cujus figuræ et habitus est vir ille, qui occurrit vobis, et locutus est verba hæc? At illi dixerunt : Vir pilosus, zona pellicea accinctus renibus. Qui ait : Elias Thesbites est. *Rabbi Eliezer cap.* 31 *fabulatur, teste nostro Cornelio a Lapide, zonam hanc* Eliæ *fuisse ex pelle illius arietis, quem Abraham loco filii sui Isaaci immolavit. Sed, relictis Rabbinicis commentis, de habitu* Eliæ *hic indicato, paululum disseramus.*

qua occasione variæ opiniones

49 *Ex postremis sacræ Scripturæ verbis satis patet,* Eliam *in corporis figura vel habitu habuisse signum aliquod distinctivum, quo inter alios dignosceretur.* B *Sed non adeo liquet, quodnam illud signum fuerit : nam dum nuntii regis Ochoziæ illum vocant virum pilosum; nonnulli id ad pilos capitis et barbæ referunt, dicuntque,* Eliam *promissa cæsarie et barba more eremitarum fuisse conspicuum; quidam autem de villosa veste interpretantur, ne hi nuntii vestimenti notam maxime insignem omisisse videantur, cum rex viri habitum quæsisset, quem zona non satis indicat, minusque quam ipsa vestis notabilis est. Septuaginta interpretes, et Flavius Josephus lib.* 9 *Antiq. Judaic. cap.* I *de pilis corporis potissimum agere videntur : nam* Elias *ab illis appellatur* δασὺς, *id est pilosus vel hirsutus; qua etiam voce Græca utuntur ad exprimendam formam Esau, cui opponitur* λεῖος, *id est lævis, qualis erat Jacob. Huic opinioni favet S. Hieronymus in Commentariis ad Ezechielem cap.* 35 *ita scribens :* Quod si prudens lector opposuerit, quomodo in isto loco Seir hoc est hispidus et pilosus intelligatur in malam partem, cum Elias quoque vir pilosus dictus sit, breviter respondebo, de Esau scriptum esse, quod rufus fuerit, et quasi pellis hispidus; de Elia vero, quod vir tantum pilosus. C In Esau, qui sanguinarius et cruentus pelli hispidæ comparatur, mortalium operum, et ipsius mortis indicium est; in Elia virilitatis argumentum. Quamobrem et habitatio ejus in solitudine, et conversationis austeritas non solum virum, sed et virum fortissimum demonstrabat.

de veste et figura Eliæ

50 *Alii opinantur,* Eliam *ab hirsuta veste et simul a pilis corporis pilosum nominari. Hæc sententia, quæ cum præcedenti facile conciliari potest, mihi verosimilior apparet, quia sic nuntiorum responsio magis directe quadrabit interrogationi regis Ochoziæ, qui de* Eliæ *figura et habitu quærebat. Eidem adhæret noster Cornelius a Lapide, qui in hoc nuntiorum responsum ita commentatur :* Incedebat enim Elias intonsus, prolixa barba et capillis, hispido vestitu et piloso, puta melote, sive pelle ovina vel caprina intonsa circumdatus, et zona pellicea accinctus, id est corio non apparato, sed adhuc piloso et villoso, quasi eremita, mundi contemptor, et paupertatis priscæque simplicitatis amator. *Neque ista opinio sacræ Rituum Congregationi displicet. Cum enim inter PP. Carmelitas et Basilianos de Eliano habitu lis orta esset, sacra Congregatio anno* 1686 *propositam a PP. Basilianis* Eliæ *imaginem approbavit, eamque depingi ac publice exponi concessit, prout ex Responsionibus Papebrochianis hic æri incisam vides.*

AUCTORE G. C.



E

Similis imago Romæ depicta fuit inter alios prophetas in aula regia ante capellam Pontificiam in palatio Apostolico montis Quirinalis, et videtur esse conformis habitui Eliæ, *qui hic a sacra Scriptura describitur. Flammeus gladius, quem* Elias *manu præfert, nihil aliud, ni fallor, quam ardentem illius zelum denotat. Non fit hoc capite distincta mentio de pallio* Eliæ, *quod forte sub piloso habitu comprehenditur. At saltem ex libro* IV *Regum cap.* 2. *patet, eum gestasse pallium, quod Tostatus censet fuisse cilicinum ex pilis camelorum, uti fuit vestis S. Joannis Baptistæ. Alii autem putant, fuisse confectum ex pelle ovina, quia Septuaginta interpretes* μηλωτὴν *appellant, de qua voce mox pluribus agemus.*

proponuntur.

51 *Videtur Apostolus Paulus in Epistola ad Hebræos cap.* 11 *hunc ipsum veterum prophetarum vestitum ita descripsisse :* Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ. *Est autem melota proprie pellis* F *ovina a voce Græca* μῆλον, *quæ ovem significat, etsi per catachresin ad aliorum animalium pelles extendatur, ut legitur in Vita S. Fructuosi archiepiscopi Bracarensis, ad diem* XVI *Aprilis illustrata, in qua dicitur* meloten ex caprinis pellibus indutus. *Divus Thomas in Expositione super proxime citatam S. Pauli epistolam lectione* 8 *hanc vocem sic explicat :* Melota est vestis facta de pilis camelorum, ut quidam dicunt... Vel melius, quod taxus habet pellem hirsutam, de qua fit vestis, quæ dicitur melota. Pellis caprina cum hoc quod est hirsuta, est etiam vilis. Et hæc dicuntur de Elia IV Regum cap. 1, quod erat vir pilosus et zona pellicea accinctus renibus. *Quidquid sit de vestimenti materia, suspicor cum Tostato,* Eliam *aspera et hispida veste indutum fuisse, sicut et Joannes Baptista, de quo Matthæus cap.* 3 ℣ 4 *ita testatur :* Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos. *Suspicionis meæ ratio est, quod Judæi, missa ad Joannem Baptistam legatione, cum interrogaverint Joannes cap.* I ℣ 21 : Elias es tu? *Forte Judæi illi in*

AUCTORE G. C.

in sacris Litteris legerant, Eliam *fuisse virum pilosum; aut ex Majorum suorum traditione acceperant, illum villosa veste indutum fuisse, atque ideo ob vestimenti similitudinem petebant a Joanne, an ipse esset* Elias. *Hæc conjectura nostra est, quam libenter deseremus, si probabilior aliqua ratio afferatur.*

Elias duos duces cum suis militibus cœlesti igne comburit,

52 *Jam ab hac longiori digressione ad historiam nostram redeamus, quæ lib.* IV *Regum cap.* 1 *ita prosequitur :* Misitque *(Rex Ochozias)* ad eum quinquagenarium principem, et quinquaginta, qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum, sedentique in vertice montis ait : Homo Dei, rex præcepit, ut descendas. Respondensque Elias dixit quinquagenario : Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cœlo, et devoravit eum, et quinquaginta, qui erant cum eo. Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, et quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi : Homo Dei, hæc dicit rex : Festina, descende. Respondens Elias ait : Si homo Dei ego sum, B descendat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cœlo, et devoravit illum, et quinquaginta ejus. *Plerique sacræ Scripturæ interpretes censent, quod* Elias *ab hisce pentacontarchis per ironiam* homo Dei *appellatus fuerit; quam opinionem subsecuta pœna verosimillimam reddit. Non defuere tamen, teste Theodoreto, qui* Eliam *crudelitatis accusarunt, eo quod hos duces quinquagenarios cum suis militibus igni cœlesti devorandos tradiderit. Sed idem Theodoretus in Quæstionibus ad librum* IV *Regum Interrogatione* 4 *in Græco-Latina Sirmondi nostri editione tom.* I *pag.* 336 *calumniatoribus illis ita respondet :* Qui prophetam accusant, adversus Deum prophetæ, linguam movent : ipse enim immisit ignem. Est ergo nimiæ audaciæ divinæ irasci administrationi. Oportet enim scire æquitatem divinæ providentiæ, et quod juste punit peccatores, et beneficio afficit suos cultores. Est autem perspicuum, quinquagenarios, et qui eis parebant, convenisse cum scopo ejus, qui illos misit. Unde etiam a Domino immissa sustinuerunt supplicia.

C *cujus ultionis circumstantiæ examinantur.*

53 *Jacobus Salianus in annalibus Ecclesiasticis veteris Testamenti ad annum mundi* 3138 *num.* 52 *existimat, hanc divinæ ultionis tragœdiam in monte Carmelo peractam esse, et secundum pentacontarchum ignarum fuisse eorum, quæ priori contigerant. Rem totam loco mox citato sic probabiliter exponit :* Hæc dum in Carmelo fierent, nec superesset nuntius, qui rem gestam Regi nuntiaret, rex flagrabat desiderio habendi Eliam in potestate sua, virum, quem patri suo pridem inimicum ab illo ipso non semel audierat, quem tam multis deorum suorum prophetis mortem intulisse meminerat, quem universum populum quadraginta duorum mensium fame afflixisse tenebat, quem sibi et toti regno infestum ac perniciosum putabat, ut qui sibi nunc mortem, et paulo ante universæ familiæ interitum denuntiasset. Itaque cum primus quinquagenarius neque Eliam vinctum ad regem adduceret, neque nuntium de re tota mitteret, impatiens moræ alterum nuntium eadem ex superbia et animi tumore in Carmelum misit, qui simul sciret, quid socio factum esset, et eadem potestate præditus, eodem cum illo munere, si res ita ferret, fungeretur. Estque admodum credibile, tam tristem casum in Samaria adhuc ignotum fuisse, et tam regem quam secundum quinquagenarium latuisse. *Ab hac Saliani opinione dissentit Cornelius a Lapide, dum in hunc sacri Codicis locum ita scribit :* Impudentior fuit hic secundus pentacontarchus priore : tum quia audito ejus supplicio non resipuit; tum quia auxit impudentiam addendo : Festina; ideoque eadem pœna plexus, ac igne cœlesti consumptus est. *Hæc Cornelii sententia etiam probabilis est : nam in aulis principum sæpe inveniuntur ministri adeo temerarii, ut nullis terreantur periculis, et corporis atque animæ salutem impio dominorum suorum mandato postponant.* D

Tertio duci parcens cum eo adit regem Ochoziam, cui mortem prædicit.

54 *Cum neque secundus pentacontarchus desiderio regis satisfecisset, misit rex tertium, qui intellecto duorum præcedentium supplicio cautior factus, suppliciter* Eliam *alloquitur, eumque volentem coram rege adducit, ut in eodem libro* IV *Regum cap.* 1 ℣ 13 *narratur hoc modo:* Iterum misit principem quinquagenarium tertium, et quinquaginta, qui erant cum eo. Qui cum venisset, curvavit genua contra Eliam, et precatus est eum, et ait : Homo E Dei, noli despicere animam meam, et animas servorum tuorum, qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cœlo, et devoravit duos principes quinquagenarios primos et quinquagenos, qui cum eis erant ; sed nunc obsecro, ut miserearis animæ meæ. Locutus est autem angelus Domini ad Eliam dicens : Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, et descendit cum eo ad regem. Et locutus est ei : Hæc dicit Dominus : Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israël, a quo posses interrogare sermonem; ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Mortuus est ergo juxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, et regnavit Joram frater ejus pro eo, anno secundo Joram filii Josaphat regis Judæ : non enim habebat filium. *Huic Joramo Achabi filio postea acciderunt ea, quæ* Elias *viventi Achabo prædixerat, ut supra indicavimus.*

Eliæ raptus, et quæstiones huic annexæ. F

Elias paulo ante raptum varia adit loca,

H*oc paragrapho mirabilem* Eliæ *raptum ex sacris Litteris referemus; ceteras vero quæstiones huic raptui connexas, vel ea occasione ab interpretibus aliisque scriptoribus motas breviter attingemus. Liber* IV *Regum cap.* 2 *prodigiosam hanc historiam ita exponit :* Factum est autem, cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum, ibant Elias et Eliseus de Galgalis. Dixitque Elias ad Eliseum : Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel. Cui ait Eliseus : Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque descendissent Bethel, egressi sunt filii prophetarum, qui erant in Bethel, ad Eliseum, et dixerunt ei : Numquid nosti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? Qui respondit : Et ego novi, silete. Dixit autem Elias ad Eliseum : Sede hic, quia Dominus misit me in Jericho. Et ille ait : Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque

venis-

A venissent Jericho, accesserunt filii prophetarum, qui erant in Jericho, ad Eliseum, et dixerunt ei : Numquid nosti, quia Dominus hodie tollet dominum tuum a te? Et ait : Et ego novi, silete. Dixit autem ei Elias : Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem. Qui ait : Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te. *Notant hic communiter interpretes, quod* Elias *ex modestia et humilitate voluerit Eliseum a se dimittere, ut honorificum raptum suum occultaret : singularia enim Dei dona oculis hominum subducenda sunt, nisi Deus ipse ea manifestet, sicuti hic Eliseo et filiis prophetarum instantem* Eliæ *recessum indicaverat. Quare* Elias *tertio repetens* sede hic, *non præcipit Eliseo, ut ibi subsistat, sed potius comiter ipsum hortatur, ut itineris labori parcat, quasi diceret : Non est necesse, ut me comiteris. Ita fere Cornelius a Lapide in commentario ad hunc versiculum.*

et prodigiose transiens Jordanem, Eliseo spectante, igneo curru in altum sublevatur.

56 *Porro Scriptura sacra ibidem sic pergit :* Ierunt igitur ambo pariter, et quinquaginta viri de filiis prophetarum secuti sunt eos, qui et steterunt e contra longe, illi autem ambo stabant super Jordanem. Tulitque Elias pallium *(Septuaginta μηλωτὴν appellant, de quo supra)* suum, involvit illud et percussit aquas, quæ divisæ sunt
B
in utramque partem , et transierunt ambo per siccum. Cumque transissent, Elias dixit ad Eliseum : Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Eliseus : Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus. Qui respondit : Rem difficilem postulasti ; attamen si videris me, quando tollar a te, erit tibi, quod petisti ; si autem non videris, non erit. Cumque pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in cœlum. Eliseus autem videbat, et clamabat : Pater mi, pater mi, currus Israël et auriga ejus. Et non vidit eum amplius. Apprehenditque vestimenta sua, et scidit illa in duas partes. Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei. Reversusque stetit super ripam Jordanis, et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, et non sunt divisæ, et dixit : Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussitque aquas, et
C
divisæ sunt hunc atque illuc, et transiit Eliseus. Videntes autem filii prophetarum, qui erant in Jericho e contra, dixerunt : Requievit spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes in occursum ejus adoraverunt eum proni in terram, dixeruntque illi : Ecce cum servis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire et quærere dominum tuum, ne forte tulerit eum Spiritus Domini, et projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium. Qui ait : Nolite mittere. Coëgeruntque eum, donec acquiesceret et diceret : Mittite. Et miserunt quinquaginta viros, qui cum quæsissent tribus diebus, non invenerunt, et reversi sunt ad eum. *Videntur hi filii prophetarum sibi persuasisse, quod* Elias *tantum pro tempore quodam ex oculis suis sublatus esset, et in loco quodam vicino absconditus. Forte hujusmodi prophetarum translationes eo tempore erant satis communes, cum Abdias Achabi procurator supra* Eliæ *dicat :* Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro.

57 *Aliqua in sacro textu numeri præcedentis explananda sunt ; ac primo quidem, quis sit duplex* ille spiritus, *quem Eliseus sibi petiit. Theodoretus et nonnulli Græci Eliseum duplici* Eliæ *spiritu donatum fuisse scribunt, quia duplo majora vel plura patravit miracula. Hos sequitur S. Petrus Damianus seu alius auctor sub ejus nomine citatus Sermone 2 de Nativitate S. Joannis Baptistæ dicens :* In Eliseo fuit duplex Eliæ spiritus, non meritorum cumulo, sed exhibitione miraculorum, quia XXIV miracula fecit, cum Elias fecerit XII dumtaxat. *Anastasius vero Nicenus aliique numerant pauciora utriusque prophetæ miracula , sed ea proportione, ut Eliseus duplo plura patraverit. Sanctes Pagninus hanc Elisei petitionem ita vertit :* Fiat mensura duarum partium de spiritu tuo super me. *Qua versione innuit, Eliseum duas Eliani spiritus partes sibi postulasse, sicuti primogenitus juxta legem Deuteronomii cap. 21 ℣ 17 debebat habere duplicem portionem hereditatis paternæ. Alii denique volunt, Eliseum sibi petiisse eadem sancti Spiritus dona ; nempe gratiam prophetiæ et miraculorum, quibus* Elias *cultum veri Dei propugnaverat. Unde Angelomus supra laudatus ait :* Spiritus duplex, est spiritus prophetiæ et miraculorum. *Quamvis* E
omnes hæ interpretationes sint satis probabiles, tamen primæ magis quadrare videtur responsio Eliæ, *qua dixit :* Rem difficilem postulasti, *scilicet duplo majorem spiritum, quam in me fuerit. Hanc interpretationem etiam confirmant ea, quæ interpretes passim observarunt, videlicet : quod Eliseus non unum, ut* Elias, *sed duos mortuos resuscitaverit, nec triennii cum dimidio, sed septennii famem induxerit, et duplo plura miracula fecerit. Videri hic potest Salianus noster, qui ad annum mundi* 3139 *num.* 12 *et sequentibus fuse de hac re disserit.*

Disquiritur quis fuerit duplex spiritus, quem sibi Eliseus postulavit,

et qualis fuerit currus, quo Elias a terra sublatus est,

58 *Alia quæstio est, qualis fuerit* currus igneus et equi ignei, *quibus* ascendit Elias per turbinem in cœlum. *Aliqui existimant, fuisse angelos, qui sub hac forma* Eliam *sursum vexerunt juxta illud Psalmi* 103 ℣ 4 : Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem. *Videtur huic opinioni favere auctor, qui passim sub S. Ambrosii nomine citatur, dum in Symbolum Apostolorum non procul a fine sic scribit :* Elias in corpore isto positus curru igneo, id est Angelorum subvectione, qui sunt spiritus et flamma ignis, qui faciunt voluntatem Dei, in illa commotione usque ad cœlum F
assumptus est. *Alii arbitrantur, totam hanc machinam compositam fuisse ex aëre densiori, qui instar ignis splendebat ac rubebat, et sic* Eliam, *turbine seu vento impellente, et Angelo hunc aërium currum moderante, in altum fuisse sublatum. Cornelius a Lapide in commentariis ad hunc locum etiam dicit, hunc currum non fuisse vere igneum, sed tantum habuisse speciem ignis, sicut habent meteora in aëre formata. Idem sentit Salianus, qui simul ex Tostato nitide explicat, quomodo* Elias *et curru igneo et turbine in altum raptus fuerit, dum ad annum mundi* 3139 *num.* 39 *ita scribit :* Nubes videlicet rutilans in quamdam soliditatem addensata, et quasi meteorum quoddam in speciem currus et equorum igneorum efformatum super terram decurrere videbatur versus utrumque prophetam, et inter utrumque pertransiens alterum ab altero separavit, et raptus est Elias ad currum igneum, ubi consedit, Eliseo solo humi remanente ; statimque consurgens ventus e terra extulit paulatim equos atque currum, donec ab oculis spectantis et inclamantis Elisei subduceretur :

AUCTORE G. C.

retur; sicque verum est, et a curru igneo, et a turbine venti Eliam abductum in cœlum, curru ferente, auferente vento, et angelo, ut supra dixi, utrumque quasi auriga moderante.

Explicantur extrema verba Elisei clamantis, dum Elias sursum levabatur

59 *Cum* Elias *sursum elevaretur*, *Eliseus clamabat* : Pater mi, pater mi, currus Israël et auriga ejus; *sive ut sonat Hebraice :* Currus Israël et equites ejus; *vel ut Septuaginta interpretes habent :* eques ejus. *Vatablus aliique hanc Elisei exclamationem ita exponunt, acsi diceret : Vale, o* Elia *pater mi, qui eras totum robur Israëlis*; *ac magis Israëlem juvabas tuo zelo et oratione, quam magna curruum et equitum multitudo. Chaldæus interpres ita hanc phrasim vertit :* Magister mi, magister mi, qui melior eras Israëli oratione tua curribus et equitibus. *Unde S. Ambrosius in libro de Nabuthe cap.* 14 ita *scribit :* Cum reciperetur Elias, et curru quasi ad cœlum ferretur, clamavit ad eum Eliseus : Pater, pater, agitator Israël et eques ejus : hoc est, qui populum Domini bono ductu regebas, constantiæ merito hos accepisti currus, hos equos ad divina currentes, quia moderatorem te humanarum mentium Dominus comprobavit : ideo tamquam boni auriga certaminis, victor æterno præmio coronaris. *Quæ hic de æterno præmio dicuntur, de certa ejusdem spe intelligenda sunt ; quandoquidem* Elias *nondum æterno gaudio fruitur, ut docent sancti Patres ac Theologi. Gregorius Magnus lib.* 2 *in Ezechielem Hom.* 21 *eadem Elisei verba sic tropologice explicat :* Quid est, fratres charissimi, quod Elias currus Israël et auriga dicitur, nisi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergo qui mores populi et per patientiam sustinet, et sacri eloquii verbis docet, et currus dicitur et auriga. Currus, quia tolerando portat; auriga, quia exhortando agitat. Currus, quia mala sustinet; auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet. *Tostatus in lib.* IV *Regum cap.* 2 *quæst.* 19 *inter alias rationes dicit, Eliseum ita exlamasse, ut significaret,* Eliam *a se abeuntem videri, adeoque se duplici spiritu donandum esse juxta promissum* Eliæ, *qui paulo ante prædixerat :* Rem difficilem postulasti ; attamen si videris me, quando tollar a te, erit tibi, quod petisti ; si autem non videris, non erit.

et referuntur variæ sententiæ de loco,

60 *Non minus controvertitur, quem in locum* Elias *fuerit translatus. In textu vulgato legitur ascendisse* in cœlum. *Hinc Procopius Gazæus, aliique nonnulli putarunt,* Eliam *jam gloriosum in cœlis cum Christo regnare. Sed hi auctores cœlum nimis stricte acceperunt, cum tamen ea vox sæpe in sacris Litteris pro aëre sumatur, sicuti dum aves vocantur* volatilia cœli. *Ideo forte Septuaginta hanc expressionem ita Græce verterunt :* ὡς εἰς τὸν οὐρανόν. *Id est :* tamquam in cœlum. *Præterea S. Augustinus lib.* 9 *Genesis ad Litteram cap.* 6 *huic opinioni aperte contradicit :* Neque enim arbitrandum est, *inquit*, Eliam vel sic esse jam, sicut erunt Sancti, quando peracto operis die denarium accepturi sunt, vel sic quemadmodum sunt homines, qui ex ista vita nondum emigrarunt. Jam itaque aliquid melius habet, quamvis nondum habeat quod ex hac vita recte gesta in finem habiturus sit. *Gregorius Magnus Homilia* 29 *in Evangelia duplex cœlum distinguit his verbis :* In veteri Testamento cognovimus, quod Elias sit raptus in cœlum ; sed aliud cœlum aëreum, aliud æthereum. Cœlum quippe aëreum terræ est proximum ; unde et aves cœli dicimus, quia eas volitare in aere videmus. In cœlum itaque aereum Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis et spiritus quiete viveret, quousque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat. *Non meretur hic refutari inepta fabula quorumdam Rabbinorum, qui fingunt* Eliam *in sphæra ignea ab igne fuisse consumptum, et solo spiritu in cœlum penetrasse. Vides hic a S. Gregorio Magno* Eliæ *commorationi* secretam quamdam terræ regionem *assignari.*

in quem Elias est translatus.

61 *Irenæus aliique veteres et graves auctores collocant* Eliam *in paradiso terrestri, ex quo Adam expulsus fuit. Sed hæc sententia certa non est, cum multi probabiliter existiment, terrenum hunc paradisum aquis diluvii periisse, ut videri potest apud Blasium Viegas in commentariis exegeticis ad caput* 11 *Apocalypseos sect.* 5, *Benedictum Pererium tom.* 1 *in Genesim lib.* 3 *disp.* 1 *quæst.* 5, *Jansenium episcopum Gandensem in Concordia evangelica cap.* 143, *Franciscum Suarez tom.* 2 *in* 3 *partem divi Thomæ, quæst.* 59 *art.* 6 *disp.* 55 *sect.* 1. *Plurimi sancti Patres asserunt ignotum esse locum, in quo Enoch et* Elias *nunc versantur. Imo S. Chrysostomus Homilia* 21 *in Genesim monet, non esse curiosius indagandum, quo Dominus Enochum transtulerit. Theodoretus quæstione* 45 *in Genesim proponit hanc quæstionem :* Quem in locum Deus omnium transtulit Enoch? *Mox autem respondet :* Non inquirenda sunt, quæ silentio sunt tradita, sed veneranda, quæ scripta sunt. *Item de hodierna* Eliæ *commoratione sentiendum est, acquiescendumque Patribus illis, qui hunc locum nobis incognitum esse affirmant. Subtiliter hic a quibusdam disputatur, an* Elias *in hoc loco indigeat cibis corporalibus, an sit in statu merendi ; de quibus videri possunt Franciscus Suarez et Blasius Viegas locis proxime citatis, aliique Theologi. Huc magis spectant ea, quæ ab* Elia *post raptum gesta sunt, ac porro circa finem mundi gerentur.*

§ X. Præsens Eliæ status, epistola ab eo post raptum regi Joramo missa; futurus regressus circa finem mundi.

Elias in loco ubi nunc degit, minime otiatur;

Hebræi *scriptores* Eliam *in loco, ubi nunc degit, plurimis negotiis occupant, ne scilicet otiari videatur. Imprimis in suo Seder Olam cap.* 17 *tradunt, eum ibidem conscribere gesta omnium ætatum et temporum. Præterea Rabbi Kimchi comminiscitur,* Eliam *singulis Judæorum circumcisionibus invisibilem adesse. Imo apud Sgambatum nostrum loco jam aliquoties supra citato Jalkut Sect.* In Monte *ita habet :* Cum quis aliquid boni facit, Elias et Messias illud scribunt, Deus autem obsignat. *Sed ut incertas et fabulosas Judæorum traditiones omittamus, dicendum potius est,* Eliam *suavissimis contemplationibus vacare, et minime otiosa quiete frui, ut innuit Suarezius noster tom.* 2 *in* 3 *partem Divi Thomæ quæst.* 59 *art.* 6 *disp.* 55 *sect.* 1. *Quod si quis contra Suarezium cum Blasio Viegas aliisque* Eliam *meriti capacem statuat, dici potest, eum varios virtutum actus exercere, aliisque occupationibus notitiam nostram fugientibus merita sua augere.*

AUCTORE G. C.

A *augere. Ut ut est, Bernardus serm.* 6 *de Ascensione Domini assiduam* Eliæ *occupationem indicat his verbis :* Felices nimium viri illi, per quos dominica Ascensio legitur præsignata, Enoch raptus, translatus Elias. Felices plane, qui soli jam Deo vivunt, soli vacant intelligendo, diligendo, fruendo : neque enim corpora, quæ corrumpuntur, illas aggravant animas, aut terrena inhabitatio sensus eorum tamquam multa cogitantes deprimit, qui cum Deo ambulasse noscuntur. Factum est impedimentum omne de medio, occasione universa sublata, materies nulla relicta est, quæ eorum affectum aggravet, vel deprimat intellectum. *Nunc de* Eliæ *epistola diu post ejus raptum ad regem Joramum allata, hæc pauca accipe.*

et post raptum suum misit regi Joramo litteras,

63 *Liber* II *Paralipomenon cap.* 11, *narrata regis Joram impietate, de hac minaci epistola sic loquitur* ℣ 12 : Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia propheta, in quibus scriptum erat : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, et in viis Asa regis Juda ; sed incessisti per iter regum B Israel, et fornicari fecisti Judam, et habitatores Jerusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper et fratres tuos, domum patris tui, meliores te, occidisti : ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, et filiis et uxoribus tuis, universaque substantia tua. Tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. *Hisce* Eliæ *minis respondit eventus, ut ostendunt sequentia, quæ ibidem sic subjunguntur :* Suscitavit ergo Dominus contra Joram spiritum Philistinorum et Arabum, qui confines sunt Æthiopibus ; et ascenderunt in terram Juda, et vastaverunt eam, diripueruntque cunctam substantiam, quæ inventa est in domo regis, insuper et filios ejus et uxores : nec remansit ei filius, nisi Joachaz, qui minimus natu erat. Et super hæc omnia percussit eum Dominus alvi languore insanabili. Cumque diei succederet dies, et temporum spatia volverentur, duorum annorum expletus est circulus, et sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter et vita caruit, mortuusque est in infirmitate pessima, et non fecit ei populus C secundum morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus ejus.

quarum missio diversimode exponitur.

64 *Explicatores sacræ Scripturæ in varias abeunt sententias, ut inveniant modum, quo* Elias *probabilius has litteras scripserit, et tam diu post suum raptum ad Joramum direxerit. Cajetanus quidem asserit, Eliam hic memoratum ab* Elia *Thesbite distingui ; sed hæc ejus assertio facilius negatur, quam ipse eam possit probare ; præsertim cum* Elias *ille hic vocetur propheta, quo nomine* Elias *Thesbites designari solet. Saltem cum torrente interpretum nova illius opinio respuenda est, donec quis ostenderit, alterum Eliam prophetam sub rege Joramo floruisse. Neque placet effugium Vatabli, qui per Eliam hic intelligit Eliseum, quia duplicem* Eliæ *spiritum acceperat. Alii putarunt,* Eliam *ante raptum suum has litteras scripsisse, et dedisse custodiendas Eliseo vel alicui simili, ut eas postmodum traderet regi Joramo : poterat enim* Elias, *inquiunt, spiritu prophetico prævidere, quæ facturus et passurus erat Joramus : sicque diu antea scribere epistolam, quæ regi postea redderetur. At non video necessitatem recurrendi ad hanc explicationem, quæ nonnihil violenta videtur. Quid absurdi est, si* Elias *ex loco, in quo nunc versatur, has litteras miserit per angelum humana forma indutum, sive per Eliseum aliumve prophetam, cui ipse apparuerat? Sicut enim in Transfiguratione Christi* Elias *apparuit Petro, Jacobo et Joanni, sic etiam apparere potuit alicui prophetæ aut viro fideli, eique litteras a se scriptas ad Joramum perferendas dare. Hæc est communior interpretum sententia, cui consentiunt Hebræi in suo Seder Olam cap.* 17, *ubi vocatur hæc epistola de cœlo missa. Rabbi David Kimchi, teste Scipione Sgambato supra citato, harum litterarum missionem ita explicat :* Apparuit forte Elias alicui ex prophetis, et ei dictavit hanc epistolam ferendam ad regem, ut ille recogitans, Eliam sibi e cœlo hæc scribere, agnosceret, quantum facinus admisisset. *Ne quid circa* Eliæ *Acta neglexisse videamur, etiam de rebus ab illo circa finem mundi gerendis agendum est.*

Elias circa finem mundi rediturus est,

65 *Juxta communem sanctorum Patrum mentem de Henocho et* Elia *explicantur ea, quæ in Apocalypsi S. Joannis cap.* 11 *sic prænuntiata sunt :* Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt die- E bus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum : et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint. Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, et vincet illos, et occidet eos : et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. Et videbunt de tribubus et populis et linguis et gentibus corpora eorum per tres dies et dimidium, et corpora eorum non sinent poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, jucundabuntur, et munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant terram. Et post dies tres et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit F in eos, et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem eis : Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube ; et viderunt illos inimici eorum. *Jam aliqua obscuriora hic ordine elucidanda.*

quod negans aliqui hæretici,

66 *Scio, quosdam Catholicos hæc non intellixisse de Henocho et* Elia, *atque ita ansam præbuisse hæreticis pejora excogitandi et effutiendi : nam Calvinistæ, præsertim Angli, qui negant* Eliam *et Henochum venturos in fine mundi, docent hosce duos testes esse novum et vetus Testamentum. Sed hunc errorem egregie refellit Lessius noster, dum contra magnæ Britanniæ regis expositionem ita scribit :* Hi duo testes, quos Dominus mittet, erunt testes vivi, qui poterunt se explicare, disputare, refutare adversarios, ostendere illum hominem esse Antichristum, ejus signa esse mendacia, etc. At duo isti libri sunt testes mortui, nec possunt certamen inire cum adversariis, aut se explicare et objecta solvere, neque occidi. *Adde quod duo testamenta non vestiantur saccis, nec iis conveniant*

aliqua

AUCTORE G. C.

aliqua, quæ usque ad ✡ 13 *de duabus singularibus personis dicuntur. Nonnulli etiom orthodoxi duos illos testes jam dudum venisse arbitrantur, et totam hanc prophetiam de Christo Domino nostro et Joanne Baptista exponunt. Alii, inter quos Lyranus et Aureolus, per eos Sylverium Papam et Mennam Patriarcham Constantinopolitanum intelligunt, qui contra Eutychetis hæresin decertarunt. Denique non desunt, qui putent in his duobus notari S. Dominicum et S. Franciscum, quod non displicuit Ubertino. Sed tota Apocalypseos series manifeste ostendit, hic agi de novissimis mundi temporibus, et hos duos testes esse* Eliam *cum suo socio, ut recte probat noster Gregorius Ferrarius in suis commentariis ad Apocalypsin.*

qui etiam tempus prædicationis ejus impie et ridicule interpretantur.

67 *Hi duo testes prædicabunt* 1260 *dicbus, qui efficiunt tres annos cum dimidio, uti computant Cornelius a Lapide et Gregorius Ferrarius, aliique interpretes hunc Apocalypseos locum notis illustrantes. Lutherani et Calvinistæ in his diebus explicandis ridicule seu potius misere se torquent, ut rebellioni suæ contra Romanum Pontificem larvam aliquam* B *obtendant. Finguut namque per dies hie intelligi annos, et designari tempus, quo Romanus Pontifex, quem maligne et impie Antichristum vocant, tyrannidem suam in ecclesia Christi exercet. Cum vero jam videant, Romanos Pontifices diutius Ecclesiæ præfuisse, suamque supputationem non succedere, etiamsi ex suo cerebro dies in annos converterint, alias excogitarunt fabulas, quibus rudi popello imponant. Bullingerus quidem Serm. 46 dicit, certum tempus hic poni pro incerto. At hoc non placet Chytræo et Illyrieo, qui in suis centuriis somniant, hos* 1260 *dies esse Angelicos. Alii alia eomminiscuntur. Ita illi inter se dissident fanaticis explicationibus, ad quas intelligendas Œdipo opus esset. Sed quid mirum, si venenosa hæreseos hydra quotidie nova errorum capita producat? Possent hic facile insulsæ eorum ineptiæ convelli; at infelices isti, toties de* D *calumnia convicti, commiseratione potius quam refutatione digni sunt. Nunc reliqua explicemus.*

Circumstantiæ hujus extremi reditus explicantur.

68 *Per bestiam, quæ ascendit de abysso, communiter hic intelligitur Antichristus, qui erit crudelis et ferus, acsi ex inferno accederet: imo juxta plerosque interpretes a dæmonibus dirigetur, ut in* Eliam *ejusque socium, et sanctos illorum asseclas omnem sævitiem exerceat, eosque morte afficiat. Palestræ autem Eliani martyrii verosimiliter erit Hierosolyma,* quæ vocatur spiritualiter, *id est, non proprie, sed attentis turpibus incolarum moribus et nefanda libidine,* Sodoma et Ægyptus. *Quamvis id aliqui de urbe Romana perperam interpretentur, tamen probabilius Hierosolymam designari colligitur ex his verbis immediate sequentibus:* Ubi et Dominus eorum crucifixus est. *Porro sacra Scriptura non exprimit, quo mortis genere* Elias *afficiendus sit. Speculum Carmelitanum tom. 1 parte* 1 *pag.* 124 Eliam *crucifixum repræsentat, citatque S. Thomam, qui in expositione aurea in Apocalypsin hæc verba,* ubi et Dominus eorum crucifixus est, *ita dicitur exponere*; UBI, id est in qua civitate scilicet Hierusalem, DOMINUS scilicet Christus E EORUM, scilicet Eliæ et Henoch, CRUCIFIXUS EST, corporali crucifixione; et ita erunt ei conformes et morte et mortis loco. *Fateor, hic indicari futuram Eliæ crucifixionem; verum negatur, hanc Expositionem auream in Apocalypsin Angelico Doctori adscribendam esse. Ita sentiunt plures viri eruditi, et novissime Jacobus Echardus Dominicanus, qui in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum a se nuper editis tom.* 1 *pag.* 343 *hoc opus absolute supposititium censet. Ferrarius noster ex conjecturis quibusdom probabile putat,* Eliam *crucifigendum esse. At fori nostri non est de ea re pluribus disceptare: satis hic sit, præcipua quæque eapita ad* S. Eliam *spectantia, pro instituto nostro exposuisse. Si cui hæc non sufficiant, habet, quos consulat, obvios in sacram Scripturam interpretes.*

C

DE S. JOSEPH

QUI ET BARSABAS ET JUSTUS.

P. B. F

SYLLOGE

Sancti cultus, Acta, confusio cum aliis, miraculum.

SECULO I

Antiquus hujus cultus in Ecclesia Romana die XX Julii,

D*iem hunc sancto* Joseph *Ecclesia jam olim Romana festum assignavit, ut liquet et ex pervetusto ejus martyrologio, quod Romanum Vetus seu Parvum appellare consuevimus; ubi ad* XIII *Kalend. Augusti annuntiatur his verbis:* Joseph, qui cognominatus est Justus, qui a Judæis pro Christo multa perpessus, victor in Judæa quievit. *Hoc elogium ad eamdem diem Ado in Martyrologio suo dilatat in hunc modum:* Natalis beati Joseph, qui cognominatus est Justus; qui cum beato Matthia, ut numerum duodenum impleret, ab Apostolis statuitur. Sed Matthia locum Judæ proditoris implente, beatus Joseph nihilominus prædicationis et sanctitatis officio inserviens, multamque pro Christi fide persecutionem a Judæis sustinens, victoriosissimo fine in Judæa quievit. De quo refertur, quod venenum biberit, et nihil ex hoc triste pertulerit, propter Domini fidem. *Adonem fere describunt hoc die Usuardus atque Notkerus; consonatque (ut alia præter eam recentiora) martyrologium Romanum hodiernum.*

quem diem etiam servant Æthiopes et Copti; non Græci ac Syri.

2 *Apud Græcos diem ipsi peculiarem non inveni; celebratur tamen eum aliis Christi Apostolis ac discipulis die* XXX *Junii, quando in Menæis magnis ita notatur:* Ἰωσήφ, ὁ καὶ Ἰοῦστος, καὶ Βαρσαβᾶς· ὁ καὶ σύμψηφος γενόμενος, τῶν ὁ μαθητῶν ὑπάρχων εἷς; *id est:* Joseph, qui et Justus et Barsabas: qui etiam cum aliis suffragium tulit, *(cum scilicet eligendus esset Apostolus, qui locum Judæ proditoris impleret)* septuaginta discipulorum unus existens. *Verti* qui cum aliis suffragium tulit; *quia hoc sonant voces illæ* σύμψηφος γενόμενος: *tametsi suspicer, hoc asseri ex Eusebio lib.* 1 *cap.* 12, *quod hic dicitur in Menæis; adeoque sensum esse passivum ac*

signi-

AUCTORE P. B.

A *significare* τὸν σὺν αὐτῷ τῇ ὁμοίᾳ ψήφῳ τιμηθέντα, *id est*: Joseph, qui cum Mathia pari suffragio fuit honoratus, *uti habet Eusebius. Diem tamen* XX *Julii servant Æthiopes in suo Kalendario apud Ludolphum, uti et Copti apud Seldenum, ubi eum appellant* Joseph Justum. *At Syri in Kalendario Syriaco, Romæ excuso* 1624 *ad diem* XX *Junii memoriam celebrant* Apostoli Barsabæ, qui cognominatus est Justus, ex LXXII. *Atque hæc de cultu satis.*

Hic est, qui cum S. Mathia ad apostolatum collatus fuit,

3 *Patet vero, hunc illum esse* S. Joseph, *cujus elogium longe præcipuum est in Actis Apostolorum cap.* 1 *a versu* 15, *ubi electionis ejus et S. Mathiæ historia describitur his verbis:* In diebus illis *(qui fluxerunt inter Domini Ascensionem et Adventum Spiritus sancti)* exurgens Petrus in medio fratrum, erat autem turba hominum simul fere centum viginti, dixit: Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus... Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat
B commoratio eorum deserta, et non sit qui habitet in ea; et episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus, et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.

et fuit unus ex 72 Christi discipulis,

4 *Meum non est afferre huc omnia, quæ ad explanandum hunc textum legi satis copiose possunt apud obvios quosque sacrarum Litterarum interpretes. Colligere hinc interim licet, non temere* sanctum Joseph *apud Martyrologos inter septuaginta duos Christi discipulos numerari. Quid enim aliud sibi volunt hæc S. Petri verba*: Oportet ergo
C ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis, usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri? *Ita certe de* S. Joseph *pronuntiat Eusebius Eccles. Historiæ lib.* 1 *cap.* 12: Et alterum illum, qui cum Mathia pari suffragio fuit honoratus, fama est ex illo cœtu septuaginta discipulorum fuisse. *Idem tradit S. Epiphanius in iis quæ de Christo subjungit hæresi vigesimæ; cum inter discipulos* Justum *recenset; idem etiam venerabilis Beda in Retractatione in Acta Apostolorum ad hunc locum, ubi etiam pro hac sententia appellat S. Clementem Alexandrinum. Sunt porro etiam, qui ex citatis verbis conjiciant, eum interfuisse nuptiis Canæ Galilææ.*

vir spectatæ sanctitatis.

5 *Constat præterea ex eodem textu, quam excellenti inter Christi discipulos virtute vir habitus fuerit* S. Joseph; *quandoquidem communi Apostolorum suffragio ad apostolatum cum Mathia delectus sit, ac primo quidem loco nominatus. Nec refert, quod illum Deus Mathiæ postposuerit: non enim de sola vitæ sanctitate agebatur, sed etiam de munere apostolico, quod et alias exigebat corporis et animi dotes, quibus forte S. Mathias instructior erat. Quin imo ex eo capite laudem amplissimam consecutus est* S. Joseph, *quod judicio divino tam libenter acquieverit, cum* cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis. Nec *enim* alter ille præteritus doluit, *inquit de* Joseph *S. Joannes Chrysostomus Hom.* 3 *in Acta Apostolorum; id quod confirmat ex silentio Scripturæ sacræ, cum subdit*: Non celarunt Apostoli, si quid habuerunt minus perfectum, qui quidem de ipsis primoribus non veriti sunt dicere, quod alicubi commoti fuerunt; idque non semel, sed semel atque iterum ac sæpius. Hos igitur et nos imitemur, *et cetera, quæ sequuntur usque ad finem homiliæ, quibus Os illud aureum exemplo* sancti Barsabæ *ambitionem insectatur eorum, qui nimis avide ecclesiasticas appetunt dignitates.*

Eum aliqui confundunt cum Barnaba; alii cum Jose, fratre Domini,

6 *Sunt et alia, quæ ex adducto Actorum loco consequi quidam putarunt, non sine magna personarum confusione: ut eum ex nomine* Joseph *alii eumdem hunc esse collegerunt cum S. Barnaba, de quo agitur Actorum cap.* 4, *vers.* 36, *quos refellunt Baronius ad annum Christi* 34, *num.* 237, *aliique posteriores;* E
alii, et quidem nobilissimi Scripturæ sacræ interpretes passim, eumdem hunc faciunt cum Joseph, *qui dictus est frater Domini, apud Matthæum cap.* 13, ℣ 55, *et cap.* 27, ℣ 56; *et Marcum cap.* 6, ℣ 3, *et cap.* 15 ℣ 40 *et* 47. *Sed cum nomen* Joseph, *quando tribuitur Sancto nostro in Actis Apostolorum, in textu Græco juxta obvia quæque exemplaria exprimatur* Ἰωσήφ; *quando autem tribuitur fratri Domini in Evangelio locis citatis, in omnibus, quas potui consulere, editionibus constanter scribatur Græce* Ἰωσῆς *vel in genitivo casu* Ἰωσῆ, *et sic etiam scribat S. Chrysostomus Homiliis* 48 *et* 88 *in Matth. juxta editionem Savilii, et S. Hieronymus in Quæstionibus ad Hedibiam* § 4, *et adversus Helvidium, ubi illud in obliquo inflectit* Josetis, *itemque S. Gregorius Nyssenus Orat.* 2 *de Resurrectione, ubi et satis clare innuit discrimen nominum* Joseph *et* Jose, *quod etiam deprehendere licet ex textu Evangeliorum et Actorum Syriaco; dubitandum vix videtur, quin diversis nominibus diversa significetur persona; nosterque adeo* S. Joseph *non sit idem ille qui frater Domini nuncupatur. Itaque rotunde pronuntiat Augustinus Calmetus in commentario in* F
Actorum caput 1, ℣ 23, Josephum Barsabam notum non esse in Evangelio. *Adi etiam Tillemontium tom.* 1 *Momment. eccles. nota* 7 *in S. Petrum. Non diffiteor tamen, Majores nostros in aliam aliquando sententiam propendisse, ut videri potest ad diem* I *Maii pag.* 21 *num.* 8 *et alibi.*

alii cum Justo episcopo Hierosolymitano; a quibus tamen videtur distingui.

7 *Alia indidem accersita, ni fallor, confusio est ex cognomine* Justi, *quod* Josepho *nostro in textu citato tribuitur. Hinc enim eumdem illum putavit esse auctor Chronici Paschalis, vulgo Alexandrini, ad annum Christi* 107, *cum Justo illo, qui tertius fuit Hierosolymorum episcopus, de quo et nos egimus tum in Historia chronologica episcoporum Hierosolymitanorum tom.* 3 *Maii, tum in Prætermissis ad diem* V *Maii; verum huic sententiæ refragatur inter alia testimonium Hegesippi apud Eusebium eccles. Historiæ lib.* 3 *cap.* 32 *juxta editionem Valesii, ubi significat postremum virorum apostolicorum, qui Christum viderant, vixisse S. Symeonem, qui Justum in Hierosolymitana sede præcessit. Ex eodem* Justi *cognomine colligit Clichtoveus in dissertatione de Maria Magdalena, edita Parisiis anno* 1519, *pag.* 77, *sanctum hunc nostrum* Joseph *Josetem esse evan-*

AUCTORE P. B.

evangelicum; et fratrem Jacobi Adelphothei; quippe qui etiam ipse appellatus sit Justus apud Josephum, Hegesippum, Eusebium et omnes antiquos. Sed nimirum aliter S. Jacobus, aliter S. Joseph *Justi vocantur. Jacobus enim Græce δίκαιος dicitur,* Joseph *autem* Ἰοῦστος *: hoc adeo nomen proprium videtur; illud epithetou virtutis ac sanctimoniæ. Quod si etiam* Ἰοῦστος, *ut quidam interpretantur, epitheton esse velis a Latinis in Palæstina versantibus Sancto nostro ob sanctitatem inditum, quod etiam Græci, ut alias voces non paucas (puta* custodia, titulus, flagellum, denarius, prætorium *etc.) in eadem cum Romanis significatione usurparint; qua ratione hinc, obsecro, sequitur, ut fratres fuerint Jacobus et* Joseph?

Scitur bibisse venenum illæsus. Cetera fere obscura sunt.

8 *Quod addunt Martyrologia de veneno, quod hauserit sine incommodo* S. Joseph, *id etiam testatur S. Papias apud Eusebium lib. 3 capite ultimo, ubi sic legitur :* Alternm quoque ingens miraculum refert *(Papias)* de Justo, qui Barsabas cognominatus est: qui cum lethale poculum ebibisset, tamen Dei adjutus gratia, nullum inde accepit incommodum. *Unde et illud facile eruitur, quod eadem Martyrologia de persecutionibus ab eodem toleratis affirmant. Cetera vero, quæ ibidem notantur de morte ejus, alibi non legimus: uti nec illud, quod cum aiunt pseudo-Dorotheus et pseudo-Hippolytus in apographo Vaticano, quod habemus, episcopum fuisse Eleutheropoleos in Palæstina. De hoc etiam Sancto intelligi volunt Salmeron et Corderius nostri, locum illum S. Dionysii Areopagitæ, seu quisquis est auctor libri de Divinis nominibus, cap.* 11 *sub initium :* De ipsa igitur divina pace ac silentio, quam Sanctus JUSTUS vocat insonantiam et immobilitatem ad omnem emanationem, quæ cognoscitur, *etc: ex eoque consequens esse putant, ut aliqua* S. Joseph *de pace ac silentio scripserit, quæ modo scilicet interierint. Atque hæc sunt omnia, quæ de sancto* Barsaba *comperire potuimus.*

DE S. MARGARITA SEU MARINA

VIRGINE ET MARTYRE

ANTIOCHIÆ IN PISIDIA.

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sanctæ memoria ex tabulis Græcis ac Latinis; nomen.

FORTE UNO EX TRIBUS PRIMIS SECULIS.

Sancta apud Græcos notissima

Hæc *Sancta tam apud Græcos quam apud Latinos longe notissima, die ac nomine diversis refertur. Græci quippe eam memorant die* XVII *hujus, sub nomine* Marinæ; *Latini vero die* XIII *et* XX, *prout notavimus ad dictum diem* XVII, *sub nomine* Margaritæ *vel* Margaretæ, *a quo huc rejecta fuit. Porro nomen ejus scribitur in Typico, quod sub nomine S. Sabæ citari solet, novo Anthologio, Synaxario Basiliano, Menologio quod a Sirleto versum Canisius edidit, Horologio Græco utroque, nec non in altero, seu in Horis canonicis Cryptæ ferratæ, Romæ excusis anno* 1677; *Kalendario Græcorum apud Genebrardum (ubi mendose* Matinæ) *item Ephemeridibus Græco-Moschis ante tomum primum Maii, Kalendario Æthiopico apud Jobum Ludolphum in historia istius gentis pag.* 422; *quibus adde nostra ecgrapha, nimirum Menologium Slavo-Russicum, Synaxarium Ruthenorum, a nostro Georgio David missum; Mss. item e bibliotheca Ambrosiana; supplementum denique nostrum Sirmondo-Chiffletianum ad Magna Menæa excusa, quæ (sequente, ut solet, Maximo Cytheræo) cum titulo* megalomartyris, *quo et alibi, raro tamen, gaudet, eam signant, rituque perquam solenni plura ipsi accinunt in canone seu cantico sacro peculiari, cujus acrostichis est:*

Χριστοῦ παρθενομάρτυρα νύμφην ἄσμασι μέλπω.
Sponsa tuos Christi ac martyr cantamus honores.

cultu solenni celebratur die 17 Julii.

2 *Interseritur laudato canoni iterata annuntiatio; cui subduntur isti versiculi :*

Χεὶρ δημίου τέμνει σε, Μαρίνα, ξίφει.
Χεὶρ Κυρίου χάριτι θεία δὲ στέφει.
Ἑβδομάτη δεκάτη Μαρίναν δηροτομήθη.
Marina, te lictoris obtruncat manus:
Sed te coronat gratia Domini manus.
Septima post decimam sanctæ fert flagra Marinæ.

Sequitur ibidem elogium, quod est synopsis Aetorum; contractius illud est, quod habetur in Basiliano; contractissimum, quod habet Canisius; dictum autem Anthologium in suo consonat Menæis excusis, ex quorum litteris acrostichis in fine canonis appositis ΙΩΣΗΦ, *colligo nomen auctoris, qui illum panxit, esse Joseph; de quo plura dedimus ad diem* XVII *hujus in commentario prævio S. Alexii.*

Primus e Latinis Rabanus, quantum scimus,

3 Margaritam *hanc ex antiquis Martyrologis Latinis ante Rabanum qui signarit, novimus neminem; is vero die* XIII *sic habet :* In Antiochia passio Margarethæ virginis, quam Olibrius consul stuprare volens, et a fide Christi avertere, multis tormentis eam afflixit, hoc est, in equuleo suspensam ungulis acerbissimis jussit carnes ejus lacerare; postea in carcerem tenebrosum eam misit, ubi diaboli seductiones, qui in specie draconis et Æthiopis illi apparuit, superavit, et nihil ei illius fraus nocere potuit; novissime vero gladio persecutoris decollata est: et ad vitam migravit æternam. *Et rursum, quod mireris, eadem fere verbum de verbo refert de* S. Marina, *die* XVIII *Junii, quæ in Prætermissis ad istum diem dedimus, et sunt hæc :*

eam bis signat sub diverso nomine et die;

4 In Antiochia celebratur passio Marinæ virginis, quæ per Olibrium præfectum multa tormenta passa est pro nomine Christi, vincula, carceres, flagella, equuleum; quam et diabolus in draconis specie similiter et in Æthiopis tentavit, et subvertere voluit, sed per signum sanctæ Crucis effugatus et superatus est. Novissime vero per prædictum præfectum decollata, cum sacro martyrio

AUCTORE J. P.

A martyrio vita finivit. *Utrobique habes idem martyrium, præsidem eumdem, eamdem palæstram, eadem historiæ adjuncta, eamdem Sanctam, semel a Latinis, semel a Græcis solo mutato nomine diversam, duobus diversis diebus, et alio quidem quam apud Græcos celebretur, die memoratam; de qua re mox pluribus. Elogium hoc Notkerus transumpsit, ab alio suo ductore Adone hic destitutus.*

alio item die Wandelbertus; alii 13 Julii;

5 *Wandelbertus Prumiensis ita canit die* XV *Junii:*

Margarita martyrii splendore nitescit.

Cur isto die referatur, nos latet; nisi vel a XVIII *Junii vel a* XIII *Julii huc retracta sit. Interim ex dictis liquet, Castellanum in suo Martyrologio universali ad annuntiationem Sanctæ falso in margine notare, quod* incognita *fuerit* omnibus antiquis martyrologis et menologis. *In Adone aucto, Florario nostro Ms., Beda Plantiniano, et Maurolyco notatur* XIII *Julii. Molanus in prima sua editione, die* XVIII *Junii S. Marinæ Alexandrinæ, ab Usuardo notata, applicat elogium, quod ex Rabano jam*

B *dedimus, eam confundens cum Antiochena: hanc nos (non illam, sicut perperam notat in margine)* Margaretam nominamus. *In secunda autem et tertia editione, nimia licentia usus, Alexandrinam ex textu Usuardi retraxit ad additiones suas die* XX *hujus, Antiochenam faciens, elogiumque ipsi accommodans ut supra, et non satis recte observans in annotationibus, in Usuardi textum* fortassis incuria scriptoris vitiose irrepsisse ALEXANDRIÆ: *et debilis ratio est, quam addit:* Nam Beda *(supposititius)* eo die secundum historiam habet, in Antiochia.

alii alio cum Martyrologio Romano.

6 *Circa codices Usuardinos, quibus* S. Margarita *vel* S. Marina *postmodum accessit, consule observationes et auctaria in Usuardum a nobis vulgatum, die* XVIII *Junii;* XIII *et* XX *Julii: quo utroque hujus mensis die signatur a Felicio; die autem* XX *a Bellino et Galesinio; die* XVII *a Ferrario in Catalogo generali Sanctorum, qui in Romano non sunt. Martyrologium Romanum ita brevissime hoc die* XX: Antiochiæ, passio sanctæ Margaritæ virginis et martyris. *Hæc de tabulis Græcis ac Latinis.*

De diversitate nominis

C 7 *Diverso, ut vidimus* Marinæ ac Margaritæ seu Margaretæ *nomine apud Græcos et Latinos notatur una eademque Sancta: nam etsi nomen duplex sit (ut de diverso die cultus, quia hoc pluribus aliis adeo commune est, nihil dicamus) inducere in animum non possumus, duplicem hic exhiberi Sanctam, ubi rerum gestarum adjuncta adeo perfecte inter se conveniunt. Hic quærimus originem causamque diversi istius nominis. Propria, primigenia et patronymica nomina ex una lingua in aliam transire consuevisse vel ab antiquissimis temporibus, in eorumque locum adventitia, adscititia et translata successisse, notissimum est. Sic Porphyrium philosophum a Longino nomen accepisse a purpura, velut purpureum (proprio enim seu Syrorum idiomate dicebatur Malchus, quod Tyriorum lingua regem sonet) traditur ex Eunapio apud Vossium lib.* 2 *de Historicis Græcis, cap.* 16. *Sic Tyrtamus, auditor Aristotelis, ob divinam phrasin a præceptore in Metaphrastum transformatus, uti ex Strabone et Laërtio ibidem invenies lib.* 1, *cap.* 9.

unius hujus Sanctæ.

8 *Pelagium hæreticum* Morgan *vocatum (quod Britannis marigenam sive pelago ortum denotet, unde Latinum Pelagii nomen deductum sit) notat dici Usserius in Britannicæ ecclesiæ primordiis cap.* 8, *pag.* 207. *At ne longe quæsita consecter; de S. Alexio apud Syros* Riscia, *id est princeps, vocato, et qua occasione, dictum in Commentario prævio ad Acta ejus Arabica tomo quarto Julii pag.* 263. *Et pag.* 264 *dicitur* Mar-Riscia *et* Gabra D'Hallaha. *Eadem pag.* 263 *narratur S. Artemius, quia præfectus Ægypti fuit, a Syris nominari* Mar-Schialitha; *ubi de S. Dula, et de S. Adaucto quædam reperies. Quid ni ergo simili nominis metamorphosi nomen* Marinæ *a Græcis usurpatum, in nomen* Margaritæ *apud Latinos transierit? Quis primo id fecerit, quove tempore, nescimus; sed longe ante Rabanum id factum esse, constabit inferius, ubi nomen* Margaretæ *seculo septimo apud Anglos in honore fuisse ostendemus.*

conjecturæ proferuntur

9 *Causam certam hujusmodi transformationis quia detegere non est in promptu, conjecturis, a quibus cœpimus, insistere pergamus.* Margarita *origine vox Græca, at jam passim foro etiam latio donata, deducitur a* μαργαρίτης; *quæ vox sive gemmam sive lapillum denotet (de qua re Vossius in Etymologico Latino) in alterutra et in utraque etiam significatione ansam præbere potuit Latinis, ut a Græca* Marinæ *appellatione transirent ad Latinam* Margaritæ; E *sive quia hoc modo virginitatis nitorem et candorem voluerint exprimere; sive quia sic voluerint honorare Sanctam tamquam virginum et martyrum gemmam antonomastice, et utraque dignitate præ reliquis insignem.*

variæ.

10 *Nec magis mirum videri debet, Sanctæ inditum a Latinis nomen origine Græcum* Margaritæ, *quam a Græcis Latinum* Marinæ *esse. Nec obstat, quod nos lateat, a quo primum, quave ætate aut tempore sæpe dicta transformatio inducta sit; nam mutationes hujusmodi, transitu ab uno ad alind nomen semel facto, sæpe solent abire lapsu temporis in oblivionem; quod autem eorum loco assumptum est, vigere ac superesse, abolita memoria illorum, quæ prius erant. Die* XX *Junii a pag.* 8 *actum de S. Gemma virgine et martyre apud Santones; ubi pag.* 10 *proponitur dubium Castellani circa nomen Gemmæ, sed merito non admissum; et subdere placuit nostram conjecturam, an nomen ejus Latine non debeat reddi* Jacoba? *Die* XII *Maii pag.* 182 *habes B. Gemmam viduam, quæ ob reverentiam S. Gemmæ virginis Sulmonensis, quod esset ejusdem patriæ, voluit appellari Gemma, cum antea Elisabeth dice-* F *retur. Quod in his duabus contigit, in nostra Sancta contigisse quid vetat, si non eodem, saltem simili modo?*

§ II. Sancta ab aliis homonymis distincta; cultus in Oriente; initia et propagatio ejusdem in Occidente; veneratio publica in Missalibus ac Breviariis.

Sanctis aliis nostræ homonymis alio remissis

Plures *virgines sub nomine Marinæ distinguendas exhibuimus die* XVII *Julii occasione virginis homonymæ andromorphæ seu monachopartheniæ, quæ simulato sexu sub monachi habitu delituit. Hoc argumentum, toto ibi paragrapho deductum a pag.* 280, *hic non repetimus. De duabus utique Alexandrina et Antiochena, utraque virgine et martyre, potissimum hic controversia est. Textus Usuardi, prout a nobis editus est, ad diem* XVIII *Junii habet ista:* Alexandriæ, passio S. Marinæ virginis; *de qua, sed solo nomine (omisso videlicet titulo* virginis) *ut apud Alexandriam passa, agere inter Hieronymiana,*

AUCTORE J. P.

hodiernam Antiochenam vere distinguendam

Epternacense et Corbeiense, tum ibi in observationibus, tum in Actis nostris ad istum diem monuimus.

12 *Pro* Marina *Lucense (sed erronee, prout vel ipsi Florentinio videtur)* Marii, *Blumianum* Mariæ *substituunt. At nomen, palæstram, ac titulum virginis, adeo diserte ab Usuardo signata, mutare nihil cogit : quamquam in primorio Ms. (intellige Pratensi)* Mariæ *scribi, ibidem in Actis nostris notaverimus. Si ab illa Marino, quam signant dicta Hieronymiana apographa sine titulo virginis, vere istum titulum removendum judices, et non ex oscitantia amanuensium omissum, tum signum habebis characteristicum, quo ipsam secernas ab hodierna, quæ virgo et martyr exstitit* ; *quamque nos diversam jam pridem statuimus in Prætermissis ad dictum* XVIII *Junii, et eodem die seorsim dedimus.*

ab Alexandrina putamus :

13 *Quæstio jam resumi potest de* Marina *Alexandrina et Antiochena, seu* Margarita, *eadem an diversa? Baronius hoc die in notis eamdem esse censet, sic loquens :* Hanc aliter Marinam dicit Beda *(suppositius)* et Usuardus XIV Kalend. Julii.... Errare noscuntur hi, qui ipsam Alexandriæ passam
B referunt, cum constet, Antiochiæ Pisidiæ id factum, quod et Græci tradunt. *At supponit Baronius, non probot, eamdem ubique Sanctam indicari; eodemque supposito nixus diversitatem palæstræ mox corrigit. Quæ nos in Prætermissis paulo ante citatis, sed nimis præmature, ut de hac controversia satis solide tunc statueretur, diximus,* nobis plane probari, sentireque cum illis, qui elogium addunt ex Actis S. Marinæ seu Margaritæ Antiochenæ. *Ego vero textum nostri Usuardi sincerum ac purum judico, quamdiu corruptus non probatur; atque adeo ex palæstra passionis Alexandria, quam suæ Marinæ is assignat, ab ipso alicubi repertam fuisse id nominis virginem, quæ ibidem passa sit, ab Antiochena condistinctam tam loco martyrii, quam die natali ad meliorem vitam ; nec male ipsam referri a Maurolyco et Felicio die* XVIII *Junii* Alexandriæ, *quamquam cum solo titulo* virginis.

cui non debet officere obscurus Rabani textus.

14 *Ad Rabanum quod attinet; non satis assequor, quo pacto elogium idem semel sub* Marinæ *ac semel sub* Margarethæ *nomine retulerit. Si duas putarit diversas, quomodo eamdem utrique historiam aptavit? Sin unam unicam tantum, cur diverso die ac*
C *diverso nomine eam annuntiavit? An in exemplari, e quo historiæ compendium transcripsit vel contraxit, invenit* Alexandriæ *pro* Antiochiæ; *an pro hac, palæstram illam proprio marte substituit ?* Marinam, *quam dat die* XVIII *Junii, alieno, aliam vero, quam signat* XIII *Julii proprio elogio exornans, et hanc quidem sub* Margarethæ *nomine referens* ; *quod alicubi facile reperire potuit; cum a seculo septimo satis cognitum fuerit in Anglia, uti postea dicemus, et prout suspicor, alibi in Occidente. Utcumque se res habeat : quandoquidem clarus est Usuardi textus pro Marina Alexandrina, et Rabani confusus et obscurus, Alexandrinam retinendam censeo, et ob Antiochena distinguendam, sive duas statuas Alexandrinas, alteram quidem sine titulo virginis juxta dicta ex codicibus Hieronymianis, alteram autem cum isto titulo ex Usuardo ; de qua re non satis certo constat.*

Sanctæ memoria tum in Oriente nota,

15 *Sanctam pluribus in Oriente locis celebratissimam fuisse, conficitur ex tabulis Græcis, ac potissimum ex Menæis magnis excusis* ; *in quibus tanta cum titulo megalomartyris solennitas videtur indicare, plures ipsius nomini apud Græcos ædes sacras dicatas fuisse ; tametsi de unica tantum hac nobis constet ex supra citato supplemento Sirmondo Chiffletiano, ubi leguntur ista :* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῆς σύναξις ἔνδον τοῦ ἁγ. μ. Μηνᾶ. Celebratur D
ipsius *(Marinæ)* solemnitas intra sancti martyris Menæ, *Constantinopoli, ut opinor : de quo templo Cangius in Constantinopoli Christiana lib. 4. pag. 128. At plurima in promptu sunt monumenta, quæ Sanctæ sub nomine* Margaretæ *vel* Margaritæ *cultum apud Latinos commendent.*

tum in Occidente potissimum, a seculo septimo;

16 *Inter vetera Analecta a Mabillonio vulgata pag.* 168 *novissimæ editionis, nomen* S. Margaretæ *inseritur litaniis Anglicanis, quas laudatus auctor pag.* 169 *probat jam tum a seculo septimo usitatas fuisse in ecclesia Anglicana. Seculo octavo et nono ille cultus accreverit haud dubie : nono certe magnum in Occidente* S. Margareta *sibi nomen fecerit, sicut colligere licet ex Rabano et Wandelberto, qui tunc floruere. Noster Bartholomæus Fisen in historia ecclesiæ Leodiensis ad annum* 966, *pag.* 228 S. Margaretæ *porœciam conditam tradit : quod ipsi argumento est, eas regiones, per quas commoda in Hasbaniam via est, magna multitudinis frequentia jam tum excoli cœptas esse, nobis vero, nomen Sanctæ* E
jam tum satis pervulgatum in Belgio fuisse.

variis locis successive enumeratis

17 Vetus fuit, *inquit Baronius in notis,* in ecclesia Occidentali etiam hujus sanctæ Martyris cultus : in antiquis enim litaniis Romanæ Ecclesiæ, quæ et positæ habentur in Ordine Romano, inter alias sanctas Virgines et martyres hæc recensetur ; *ast qualem ætatem præferant hæ litaniæ, non prodit. Nisi fortasse eadem sint, quas per S. Gregorium (Magnum intellige) grassante Romæ pestifera lue, ordinatas, et e bibliotheca Casinensi litteris Longobardicis exaratas, se invenisse ac descripsisse testatur Wion tomo* 2 *Ligni Vitæ, pag.* 619, *et quas a pag.* 620 *typis commisit, in quibus* S. Margarita *notatur. Pagina vero* 626 *irrepsisse istis litaniis tria nomine observat, postmodum eisdem apposita ; atque adeo non omnino genuinis. Sanctæ non plane insignem cultum datum fuisse Romæ seculo octavo, inde colligo, quia Romanum parvum Martyrologium ne illius nomen quidem habet. Admodum inclaruisse ejusdem venerationem in Italia seculo undecimo illud argumento est, quod Alphanus ex monacho Casinensi primus Salernitanus episcopus, eam metro celebraverit ; de quo infra* F
Apud Browerum nostrum libro, quem inscribit Sidera illustrium et Sanctorum virorum Germaniæ, in Vita Ludewici Arensteinii, Ordinis Præmonstratensis, qui vixit seculo 12, *notatur pag.* 15 ecclesia B. Margarethæ. *Festum in ejus ecclesia parochiali antiqua, et jam ab anno* 1199 *a monialibus Ordinis S. Benedicti possessa, invenies apud Masinium in Bononia perlustrata ad* XX *Julii.*

ac præsertim in Anglia ;

18 *Seculo* 13 *sanctæ Martyris nostræ cultus longe lateque ac summa cum celebritate in Anglia extensus fuit ; nam in concilio Oxoniensi anni* 1222 *apud Lobbeum tomo* II *Conciliorum, col.* 274, *capitulo* 8 *inter* festa, in quibus, prohibitis aliis operibus, conceduntur opera agriculturæ et carrucarum, *notatur* festum S. Margaretæ. *Tomo* 4 *Anecdotorum apud Martene col.* 1388 *inter selecta statuta capituli generalis Ordinis Cisterciensis anni* 1247 *ponuntur ista :* Petitio abbatis de Nept in Wallio, qui petit fieri festum beatæ Margaretæ in domo sua tantum, quæ frequenter guerrarum multiplicitate turbatur, ut facilius retineat guerrarum persecutores, qui quodam modo in maxima devotione et reverentia dictam Virginem habent,

in

AUCTORE J. P.

A in cujus honore habent capellam dedicatam exauditur. *Et ibidem col.* 1416 *inter statuta prædicta anni* 1260 *sic decernitur :* Item statuit et ordinat capitulum generale, ut commemoratio beatæ Margaretæ fiat XIII Kalendas Augusti per Ordinem universum. *Additurque collecta :* Omnipotens sempiterne Deus, qui infirma, *etc. Ibidem col.* 1812 *inter acta selecta capitulorum generalium Ordinis Prædicatorum, in eo, quod Bononiæ celebratum est anno* 1285, *statuitur, ut* in Letania, *ubi dicitur :* Sancta Catharina, ora pro nobis, *addatur :* Sancta Margareta, ora pro nobis.

adde Italiam ;

19 *Cassiæ, Umbriæ oppidulo, abbatia sub titulo* S. Margaritæ, *monialium Ordinis S. Benedicti in Spoletana diœcesi, notatur apud Lubin in abbatiarum Italiæ notitia pag.* 89. *Laudatus supra Masinius meminit ecclesiæ* ad S. Margaritam *extra portam vulgo dictam Castiglioni, quæ ab anno* 1300 *assignata fuerit patribus Servitis. Continuationem cultus seculis sequentibus, variis in Occidente locis perseverasse, evincunt sequentia. Gregorius XI anno* 1376 S. Margaritæ *montis Flasconensis ecclesiam dedicavit in cathedralem ; sicut invenies apud* B *Ughellum tomo* I *Italiæ sacræ col.* 1056. *Plura huc spectantia dabuntur in appendice post Acta. De Lero Lerinæ proxima, vulgo insula* S. Margaritæ, *a vetusto ejusdem Sanctæ istic sacello, diximus tomo* II *Januarii, pag.* 21.

et huic denuo Angliam.

20 *Festa plura Romæ celebrata recenset Piazza in Hemerologio sacro Romæ Christianæ et Gentilis hac die. Templum in radice Exquilini montis anno* 1587 *notat Floravantes Mortinellus in Roma sacra, cap.* 12 *inter templa Sanctorum obsoleta; Panciralius vera Transtiberina Regione* 21, *pag.* 599 *monasterium ponit. In Anglia abrogatum Sanctæ festum post schisma, uti plura alia, servatum tamen ipsius nomen in novo Kalendario Liturgiæ, sicut prætendunt, reformatæ, observat legendista Gallus; postquam præmiserat ibidem duplex primæ classis plus quam a trecentis annis fuisse usque ad dictum schisma; at opera servilia solis feminis interdicta, quia videbantur potissimum esse sub tutela* S. Margaritæ. *In historia ecclesiastica urbis Abbatisvillanæ, Gallice edita Parisiis anno* 1646 *ab Ignatio Josepho a Jesu Maria Carmelita discalceato, pag.* 60 *nota-* C *tur sacellum* S. Margaritæ. *De ecclesia* S. Margaretæ *virginis et martyris instaurata et consecrata Augustæ Vindelicorum in hospitali sancti Spiritus anno* 1594, *legitur in Hierarchia Augustana, auctore Corbiniano Khaam, Benedictino ibidem ad SS. Udalricum et Afram monacho, anno* 1709 *in eadem urbe edita, pag.* 381 ; *ubi et inscriptio de hac instauratione, post quam sermo fit de Sanctorum, inter quos est* S. Margareta, *capellanis restitutis.*

Cultus S. Margaritæ illustratur ex Missalibus Mediolanensi,

21 *Ad illustrandum Sanctæ cultum præcipue conducunt ea, quæ habent Missalia et Officia ecclesiarum particularium. In Missali Mediolanensi, quod excusum est anno* 1522, *a pag.* 185 *ista notantur :* ORATIO SUPER POPULUM : Domine Deus omnipotens, cui omnis devota constat virginitas ; præsta, quæsumus, ut qui beatæ Margaritæ virginis et martyris tuæ solemnia veneranda recolimus, ejus apud te patrociniis sublevemur. Per. EPISTOLA : Volo vos sine sol. EVANGELIUM : Simile est regnum cœlorum thesauro. SUPER SYNDONEM : Da nobis, omnipotens Deus, ut beatam Margaritam, virginem et martyrem tuam, cujus festivitatem debitis veneramur obsequiis, sanctæ conversationis sequamur exemplis. Per. SUPER OBLATA : Omnipotens sempiterne Deus, tuam misericordiam supplices deprecamur, ut devotionis nostræ munera, quæ in solemnitate beatæ Margaritæ virginis et martyris tuæ offerimus ; tuæ majestati grata existant, et in nobis suis intercessionibus, salutem mentis et corporis operentur. Per.

quod habemus ;

22 PRÆFATIO : Æterne Deus, meritorum magnificentiam, miraculorum præeminentiam, præmiorum excellentiam venerabilis virginis et martyris tuæ Margaritæ festiva lætitia et devotione celebri recolentes : quam fides victoriosa, stabilis spes, charitas inextinguibilis, calcatis carnis illecebris, contemptis honoribus et mundi divitiis, adeo fortissimam constantemque reddiderunt, *etc. Sequitur compendium passionis.* POSTCOMMUNIO : Alimonia cœlesti, Domine, refecti, suppliciter te rogamus, ut per sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quod ad honorem beatæ Margaritæ percepimus, et a peccatorum sordibus emundemur, et ad æterna gaudia perducamur. Per eumdem. *Singulare est, quod in indice laudati Missalis notetur Sanctæ nomen die* V *hujus.* E

Virdunensi, Tornacensi, Officiisque propriis in Gallia ;

23 *Missale Virdunense anni* 1554, *die* XIII *Julii habet Missam propriam :* INTROITUS : Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes. *Ceteris supersedeo, excepta* PROSA, *quæ sic sonat :* Quod terrarum, quod profundi, quod totius ambit mundi grandis continentia, laude nova compellatur, justa namque causa datur, ut lætentur omnia. Pietatem summi regis, ac præcepta suæ legis, recolat Ecclesia. Ipsum cuncta laudat caro, mente pura, corde claro, cum devota gratia. Ecce dies nobis læta, in qua virgo Margareta conscendit cœlestia. *Paucula sequuntur ex Actis, et sic rhythmus concluditur :* Tu sacrata, tu beata, vota cerne, nec jam sperne servorum precantia, Ut donetur nec negetur pœnitenti nostræ meuti commissorum venia. Amen. *Historia Germano-Pratensis postea memoranda, inter monumenta, quæ sub finem colliguntur ad stabilienda ea, quæ in dicta Historia narrantur, parte* 2, *pag.* CLXI *ponitur,* S. Margaritæ festum duplex, sicut in festo S. Joannis Baptistæ..... Post vesperas fiet processio ad capellam S. Margaritæ in chorea. *In* F *Tornacensis Missalis anni* 1498 *indice notatur* duplex, *ac deinde Missa suo loco ; et hodiedum ritus duplex ibidem perseverat, uti constat ex Officiis propriis ejusdem ecclesiæ; qua ritu etiam celebratur* in Cathedrali tm *(tantum) Cabilonensi, prout fidem facit ecgraphum nostrum de Officiis propriis istius ecclesiæ, Lugduni editis* 1620, *ut prætercam festa propria monasterii S. Launomari Blesensis, in quorum apographo ponitur sub eodem ritu.*

nec non variis Missalibus aliorum locorum.

24 *In indice Missalis Spirensis, quod præfert annum* 1540, *exprimitur Sanctæ nomen litteris rubris, prout festa solenniora in eo notari solent. Addi hisce possunt Breviarium Ultrajectinum editionis Leydensis* 1508, *Missale speciale Argentinense anni* 1512, *Cameracense* 1527. *Nunc Sancta inscribitur Breviario Romano per modum festi simplicis, qua notari illam in Breviaria* 1550 *observat Gavantus in Commentariis ad Rubricas hac die* XX *Julii, pag.* 155. *Coronidis loco his addi patest Missa propria typis edita, quam habemus, de Sanctis quatuordecim auxiliatoribus ; quarum nomina in*

collecta,

AUCTORE J. P.

collecta, oratione secreta, et postcommunione exprimuntur; quos inter etiam est Margarita. *Adscripsit Janningus noster* legi hanc Missam Lanchemii in diœcesi Bambergensi : ubi nullo die omnes simul coluntur : olim tamen sic culti fuere VIII Augusti; *prout* Martyrologia Mss. indicare dicuntur. *Liber de quindecim Sanctis urbis Panormitanæ auxiliatoribus Italice editus Panormi anno* 1657, *auctore Joanne Baptista de Franchis et Spinola Ordinis prædicatorum, Sanctos eosdem exhibet, uno superaddito. In libello, cui titulus* Ordo recitandi officium divinum, *in quo agitur de festis, quæ generaliter in Hispania celebrantur, anno* 1718 *Matriti excuso, sub titulo* Decanatus Tubelæ *(Tutelæ)* et ecclesiæ regni Navarræ *a die* XX *Julii ad diem* XXI *transfertur festum* S. Margaritæ Virg. et M. *sub ritu* dup. maj.

§ III. Reliquiæ sanctæ Martyris; a quibus ea potissimum invocetur; fama posthuma.

B

Plures reliquiæ sub nomine Sanctæ hujus in Belgio :

Rayssius in Hierogazophylacio Belgico plures sub nomine Sanctæ nostræ reliquias recenset : nam pag.* 54 *meminit* calvariæ *in Anderlacensi ecclesia collegiata prope Bruxellas; pag.* 160 *in collegio Audomarensi Anglorum ponit* os brachii; *pag.* 314 *in cathedrali S. Mariæ ecclesia Tornacensi* os grande; *pag.* 197 *in cathedrali S. Donatiani, patroni Brugensium tutelaris,* de scapula *sine titulo virginis et martyris (de quibus sacris lipsanis cum titulo virginis egit etiam Sanderus in Flandria illustrata pag.* 215.) *Laudatus Rayssius pag.* 212 *scribit, in Epternacensi Benedictinorum monasterio asservari* digitum; *pag.* 201 *in cœnobio Floreffiensi* juncturam; *pag.* 378 *in S. Nicolai de Pratis Canonicorum regularium S. Augustini Tornaci* insignem reliquiam; *pag.* 411 *in Collegiata S. Petri ecclesia Duaci* brachium; *pag.* 357 *apud Brugenses* sinistram manum et quidem integram divæ Margaritæ *(an virginis et martyris?)* liberalitate ac munificentia Margaritæ Flandriæ comitissæ, ejusdem conventus fundatricis, impetratam, adservari *memorat; pag.* 282 *inter reliquias cœnobii Lætiensis in Hannonia recenset* digitum et os ejusdem corporis.

C

aliæ in Germania,

26 *Consuli potest idem auctor paginis:* 42, 55, 82, 93, 128, 215, 259, 261, 396, 402, 444, 455, 475; *et noster Willot in compendio sui Martyrologii pag.* 37. *Sed an non nimis multa sunt ista sacra pignora, quam ut sint unius Sanctæ nostræ, præsertim cum ingens supersit copia eorum, quæ sub nomine* S. Margaritæ *alibi quoque coluntur? Gelenius de Coloniensis urbis magnitudine pag.* 445 *thesauro sacro ecclesiæ S. Joannis et Cordulæ apponit* brachium dextrum S. Margaretæ virginis et martyris; quod carne, nervis, digitis, unguiculisque conspicuum venerabilioribus reliquiis urbis Ubiorum accensendum *sit. Pag.* 372 *thesauro sacro ecclesiæ S. Pantaleonis annumerat* digitum S. Margaretæ virginis et martyris. *Longum esset varios alios locos ex ipso producere, in quibus reliquias recenset. Opus de scriptoribus rerum episcopatus Bambergensis recentissime editum tomo* 2, *col.* 420 *notat item reliquias* S. Margaretæ.

D

et in Gallia

27 *De sacris exuviis ex Oriente in Galliam transvectis, post Saussayum ad diem* XX *hujus mensis, agit nuperus Legendista Gallus. Arturus a Monasterio in notis ad hunc diem* XX *tradit sequentia :* Hujus etiam gloriosæ Virginis, Christi athletæ, delata in Gallias aliquot sacra pignora, cultum ejus in nonnullas regni Christianissimi ecclesias invexerunt. Maxime vero natalis ejus celebris est Lutetiæ Parisiorum in abbatiali ecclesia S. Germani Pratensis, ubi illius zona veneranda magno honore servatur atque honoratur non sine divinæ munificentiæ testificatione. Illic etiam anno MDCVIII regina, Maria Medicæa, uxor Henrici IV Gallorum regis, dedit imaginem S. Margaritæ argenteam, pulchram et magnam, pondere 37 marcarum *(videsis Breulium in Theatro antiquitatum Parisiensium lib.* II *pag.* 417*)* in qua includitur mentum ejusdem Virginis. *Adde* parvum os, *basi alterius Sanctæ nostræ statuæ inclusum, ex Historia prædictæ abbatiæ anno* 1724 *Gallice edita, pag.* 315; *quæ ad annum* 1556 *refert, zonam hanc die* VI *Septembris furto sublatam; ita tamen ut supermanserit parvum fragmentum; quod postmodum capsæ includi jussum est, et aptatum, prout visitur hodiedum.*

E

Lutetiæ et alibi ;

28 *Redeamus ad Arturum :* De capite illius portio habetur etiam Lutetiæ in monasterio Virginis S. Claræ de Ave Maria, et Sylvanecti in æde S. Reguli... pes quoque et ossicula quædam ejusdem in ecclesia cathedrali Trecensi. Tum consimiles asservantur reliquiæ in æde nostra S. Margaritæ prope Gisortium diœcesis Rothomagensis, apud Abbatisvillam diœcesis Ambianensis in ecclesiis parœcialibus, et aliis; *quæ videri possunt apud supra memoratum Legendistam. De reliquiis sub nomine* S. Margaretæ *Aroasiam in Artesia delatis, meminimus jam pridem ad diem* XIII *Januarii pag.* 834. *Nunc in Italiam pergamus.*

nec non in Italia.

29 *Sanctuarium Romanum Caroli Bartholomæi Piazza pag.* 230 *testatur, asservari* partem capitis *ad S. Cæciliam, et* unam costam *ad S. Mariam Transtiberinam. Ad S. Bartholomæum de Raveg-nana videri* cranium, *auctor est Masinius in Bononia perlustrata.* Brachium *item* S. Margaritæ *Caprulæ attribuitur apud Ughellum Italiæ sacræ tomo* 5, *col.* 1407; caput S. Margaritæ virginis *ponitur in Catana sacra Joannis Baptistæ de Grossis pag.* 7. *Sanctis, quarum exuviæ sacræ recensentur in sanctuario Tranensi, urbe regni Neapolitani in Apulia, tomo* I *Junii pag.* 258 *annumeratur nomen* S. Margaretæ virg. et mart.; *ut nihil dicam nomen* S. Margaritæ *notari inter Sanctos, quorum reliquiæ exstant in ecclesia Neapolitana SS. Apostolorum apud Caracciolum Neapolis sacræ pag.* 167. *Sunt qui velint corpus* S. Margaritæ *hodiernæ Antiochia transvectum fuisse ad montem Flasconis; sed cum ea res paucis absolvi non possit, opportunius alio loco post Acta de illa disseremus. Officia propria ecclesiæ Brundusiensis Romæ edita anno* 1583 *exhibent catalogum reliquiarum in ista ecclesia existentium ; inter quas notatur* caput S. Marinæ virginis *et reliquiæ* S. Margheritæ virginis. *Adde quod* de ossibus S. Margaritæ virginis et martyris *ponatur in Historia antiquitatis, nobilitatis, rerumque notabilium urbis Ticinensis, Italice collecta a Stephano Breventano, lib.* 4, *fol.* 1036 *et lib.* 3, *fol.* 87 unum brachium *sub nomine* S. Margaritæ virginis.

F

30 *Præclaris plurimorum Sanctorum reliquiis*

(quarum

A *Lusitania, ac Hispania in monasterio Scorialensi;*

(quarum Catalogum contexuimus tomo II *Januarii pag.* 612 ; *quasque tum diximus anno* 1587 *Ulyssiponem allatas, ac anno sequenti in domum nostram professam solenni supplicatione translatas fuisse) annumerantur eæ, quæ sunt* S. Margaritæ virginis et martyris. *Notabiles quoque Sanctæ nostræ reliquias Hispani sibi vendicant; de quibus in Lipsanologio seu Inventario Ms. reliquiarum regii Scorialensis monasterii traduntur ista, ex Hispanico versa :* Item manus sinistra S. Marinæ cum parte brachii ; quæ est Antiochena montis Sinai virgo et martyr, quam Latini Margaritam nominarunt. *Sed ipsis incumbit hoc probare, quod facere neutiquam poterunt : nam Laurentius archiepiscopus et abbas sancti montis prædicti, qui istas sacras exuvias die* XVIII *Februarii anno* 1599 *ad Philippum III, Hispaniarum regem misit, uti liquet ex testimonia, super hisce reliquiis dato, fidem facit, prædictæ Sanctæ corpus totum et integrum in monte Sinai existere, nulla alia re deficiente præter tres dextræ manus digitos præ vetustate desideratos.*

sed ultimæ sunt alterius Sanctæ.

31 *Si itaque corpus istud totum et integrum, illic asservatum, exceptis tribus dictis digitis et manu* B *sinistra cum parte brachii, sit* S. Margaritæ *hodiernæ, jam cansequens est, omnes fere alias reliquias, sub nomine unius ejusdemque Sanctæ in tam multis locis publicæ venerationi expositas, nau hujus sed alterius sacri compositi partes esse, et quatenus sub hodiernæ* Margaritæ *nomine hanorantur, falsās. Quod quis ausit suspicari? Edisserant, amaba, sacri istius pignoris possessores, quanda et quomodo illud Antiochia Pisidiæ in moutem Sinai translatum sit; deinde an et qua fide de translatione ista constet. Non pugnat tamen, quin illud corpus sit alicujus Sanctæ sub vero et proprio vel arbitrario nomine S.* Marinæ *ibidem asservatum. Cum enim tanta sit multitudo Sanctarum ejusdem nominis, quas vide ad* XVII *hujus a num.* 280, *et quas mada scimus; plures alias homonymas latere quid vetat, quas nescimus? Tria item assa sub nomine* Margaretæ virginis et martyris, *quæ una cum pluribus aliis reliquiis dederunt Augustiniani Calonienses Philippo II, Hispaniarum regi, notantur in Inventaria seu Lipsanologia Scorialensi prædicto, uti liquet ex testimonio sub traditione 7, num.* 33, *quod signa-* C *tur anno* 1593 ; *et in eo dicitur, quod istas reliquias (excepto corpore S. Constantii, et capite ex sodalitio S. Mauritii) D. Theadorus Vomhirtz, eques auratus, dictus Bomderlascrone, Roma asportarit, et una cum sua uxore Sophia (prout ex scriptis authenticis apud eos etiam tunc existentibus, constare ibidem dicitur) conventui isti anno* 1200 *donarit. Item ibidem notatur inter lipsana Scorialensis manasterii* os parvum S. Margaritæ duobus digitis longum. *Atque hæc de reliquiis plus satis.*

S. Margarita parturientium patrona

32 *Recte observat Arturus in notis supra citatis, hanc sanctam Virginem* præ ceteris virginibus sanctis parturientium advocatam, tamquam matrem esse habitam. *Exempla duo nobis suppeditat Historia laudata abbatiæ S. Germani Pratensis. Ad annum* 1661 *narrantur sequentia e Gallico hic reddita :* Dies vigesima Julii memorabilis est per ceremoniam, quæ habita fuit in ecclesia abbatiæ. Regina *(Maria Theresia Austriaca)* tum temporis uterum ferens, suæ erga S. Margaritam pietatis ac devotionis signa dedit per oblationem, quam fecit, panis benedicti die ipsi sacro. Hunc offerre ipsamet non potuit, quia ad fontem Bellaqueum degebat ; sed illud supplevit per tres ex eleemosynariis suis, qui oblaturi eum in ecclesia venerunt cum turbarum et tympanorum regiorum clangore..... Die XVI Octobris sequentis P. Prior S. Germani jussus fuit a rege reliquias S. Margaritæ deferre ad fontem Bellaqueum, ut reginæ, quæ eas rogabat, et partui erat vicina, devotioni fieret satis. Morem mox gessit Prior; at publicas ante suum discessum pro sua majestate præcepit indici preces, exposito venerabili Sacramento in omnibus suburbii ecclesiis ; id quod duravit usque ad diem primam Novembris, quo Delphinum enixa est. *Simile fere exemplum ibidem narratur ad annum* 1682 *de Delphini uxore.*

pro felici partu invocatur.

33 *Nec vero* S. Margaritam *in sola Gallia sub isto titulo invocari; sed ad alias quoque provincias ejusdem tutelam diffusius propagatam fuisse, conficitur ex Hieronymo Vida, episcopo Albanensi, ac laureato poeta, in hymno, quem in honorem Sanctæ non inculte panxit, ita canens :*

Te matres facilem partus jam mensibus actis
Implorant, mediaque vocant in morte jacentes. E
Ipsa faves, Lucina : tuo se munere lætæ
Incolumes testantur : adit tua protinus omnis
Hinc delubra chorus matrum ; et tibi sacra quotannis
Dona ferunt, gnatasque docent, connubia nondum
Expertas, primis tua templa invisere ab annis,
Et votis venerari, et sacras dicere laudes.

Vult Petrus de Natalibus, Sanctam orasse ante suam mortem pro parturientibus ; sed scimus hujusmodi narratiunculis parum fidei habendum, ut videsis inferius. Ecgrapha nostra Montisfalisci de Sanctæ martyrio, inducunt ipsam inter alia arantem : Succurre partu periclitantibus. *Quæ amnia atque his similia, etsi speciose magis quam vere scripta, maxime tamen potuerunt conducere ad inchaandam, canfirmandam et promovendam parturientium erga Sanctam matrum fiduciam. Atque hoc quidem erga parturientes Sanctæ patracinium quamquam præcipua laudum pars est, quibus gloria ipsius pósthuma commendetur, adjungi tamen his possunt sequentia.* F

Gloria posthuma ex scriptoribus

34 *Hymnum in ejusdem Sanctæ hanorem metra heraico illigavit Alphanus, primus archiepiscopus Salernitanus ; qui exstat apud Ughellum tomo* 2, *col.* 1100 *inter varia poematia de aliis Sanctis ab eodem composita. Lea Allatius in Diatriba de Symeonum scriptis pag.* 97 *notat elogium* in Sanctam Christi megalomartyrem Marinam, *auctore Gregoria Cyprio patriarcha Canstantinopolitano, cum hoc exardio:* Καὶ τὴν ἐκκλησίαν ἄρα ἧς ὁ Χριστὸς κεφαλὴ, παράδεισον κατανοοῦμεν. *Id est :* Ecclesiam enimvero, cujus caput est Christus, paradisum esse intelligimus. *Elogium hoc habemus ; de quo postea. De dicto Gregorio, qui floruit seculo* 13, *plura ex variis novissime collegit bibliographus quidam apostata toma* 3 *Cammentariorum de Scriptoribus ecclesiasticis a col.* 556. *Idem scriptor composuit elogium S. Georgii martyris, datum ad* XXIII *Aprilis, a pag.* 123. *Aliud in laudem ejusdem Sanctæ idem Allatius indicat pag.* 88 *sub nomine Theodori Metochitæ magni logothetæ, seculo* 14 *clari ; cujus hoc sit exordium :* Ἐμοῦ δὲ καὶ οὐρανὸς εἶναι δοκεῖ τὸ τῆς ἐκκλησίας στερέωμα, ἰδεῖν τε κάλλιστος. *Id est:*

Mihi

AUCTORE J. P.

Mihi quidem cœlum esse videtur ecclesiæ firmamentum, visuque pulcherrimum. *Porro de isto auctore consuli potest Vossius de Historicis Græcis lib.* 2, *pag.* 308.

et rebus gestis.

35 *Vita S. Gertrudis abbatissæ, Ordinis S. Benedicti, quæ floruisse fertur versus finem seculi* 13 *(de qua Wion tomo* 2 *Ligni Vitæ, lib.* 5, *cap.* 89, *Menardus* XII *Novembris, atque Bucelinus ad eumdem diem, nec non* XVII *ejusdem mensis) Vita, inquam ista e Latino Gallice Parisiis edita anno* 1671, *cap.* 47 *insignem revelationem isti abbatissæ exhibitam pandit; qua et* S. Margaritæ *gloria posthuma, et pia diei ipsi sacræ veneratio plurimum commendetur. Eo lectorem remittimus; qui rem gestam præterea inveniet in libro de Sanctis auxiliatoribus Panormitanis supra indicato a pag.* 260. *Dionysius Cartusianus seculo* 15 *inter homilias de Sanctis, brevem sermonem composuit, in quo succincte delibat quædam de Actis ejus, addens in fine illud singulare,* quod multas animas de purgatorii liberavit pœnis. *Suum hic pariter meritissimo jure sibi locum vendicat jubilum cœleste de gloria nostræ* B *Sanctæ virginis, inter alias S. Franciscæ Romanæ, eodem seculo* 15 *celeberrimæ, visiones die* IX *Martii pag.* * 126 *relatum; quod brevitatis causa huc non transcribo. Ad hæc Baptista Mantuanus Carmelita egregio carmine heroico ejusdem Sanctæ martyrium celebravit tomo* 1, *Parthenice* 3. *Ex laudati Vidæ epigrammate, hymno, de quo supra, subnexo, discimus, quod ecclesiam* S. Margaritæ *præ vetustate collapsam sua ipse cura magnifice restaurarit* ; *id quod paucis insinuat, quando sic canit :*

Margarita tuam, senium quam everterat, ædem
Vida tibi e patrio marmore restituit.

Aliud alterius de Sancta epigramma a Baronio in notis indicatur.

§ IV. Sanctæ Martyris imagines; tempus martyrii; Acta Latina Apocrypha.

Varia est S. Margaritam repræsentandi ratio; C

Amplissimus dominus Thomas Luytens, anno 1637 *mense Decembri creatus Lætiensium abbas (vide annotata ad calcem Vitæ venerabilis Ludovici Blosii, die* VII *Januarii, pag.* 456, *et Commentarium prævium ad Vitam S. Ettonis episcopi ad* X *Julii, pag.* 49) *in litteris, quas ad Bollandum dedit Lætiis anno* 1632, *inter varias notitias de Sanctis, notat* S. Margaretam in Belgio vulgo pingi cum dracone, vestitu regio ; in Gallia vero et Artesia, habitu custodis ovium, passis crinibus, cum pedo pastorali, et ovibus circumpascentibus. *Modus iste olim obtinuerit in Gallia, postea certe saltem ubique non obtinuit : nam in Historia Germano-Pratensi alias citata, ubi datur ectypum sacelli ejusdem Sanctæ ad pag.* 270, *exponitur ipsius statua plane diversa : Sancta quippe modesto ac virgineo habitu vestita, pede premit belluam, crucemque præfert sinistra, ac vacuam attollit dextram.*

plerumque cum dracone aut simili bellua exprimi consuetam;

37 *In statua vero argentea minoris formæ, cujus ectypum datur ad pag.* 314, *exhibetur Sancta modesto item habitu induta, junctisque manibus, atque oculis in cœlum sublatis oranti similis, belluam calcans. In altera statua ibidem majoris formæ, oculos item in cœlos erigit, junctisque simul manibus gestat* D *crucem, ac pedibus belluam calcat; ad quos videtur poni vasculum aliquod, ollæ vel lebeti bullienti simile; juxta ea, quæ narrantur in Actis num.* 37. *Donum est eucharisticum Mariæ Mediceæ reginæ, quod anno* 1608 *ob felicem antea partum Ludovici XIII obtulit. Apud Hartmannum Schedel in sexta mundi ætate fol.* 126 *comparet cum corona in capite, passis capillis, manu dextra et sinistra oblongam transverse crucem gerens, dracone inter brachium Sanctæ dextrum se insinuante et collo tenus emicante. Aliam* S. Marinæ *imaginem in veteri tabella Græcanica expressam ex museo Canonicorum regularium S. Genovefæ Parisiensis exhibet Cangius Constantinopolis Christianæ lib.* 4, *pag.* 149; *repræsentatur autem longo ac modesto habitu, dextra crucem tenens, sinistræ vero palmam apertam exhibens; ac proinde tum ob istam crucem, tum quia cum duabus aliis Martyribus repræsentatur, nostram suspicamur* Marinam *hic intelligi : quamquam Cangius intellexerit eam,* quæ in cœnobio monachorum accusata de adulterio pœnitentiam egit; *de qua nos die egimus* XVII *hujus.*

non vero apud Moscos: qua occasione quædam dicuntur de isto dracone.

38 *In tabulis Sanctorum Moscoviticis figuratis* E *apud nos tomo primo Maii, repræsentatur* S. Marina *sine dracone eum cruce in dextra manu, modesto et quasi monastico vestimento induta. Occasione famosi draconis S. Georgii die* XXIII *Aprilis, paragrapho* 3 *Commentarii prævii ad Acta ejusdem Sancti, obiter mentio facta est de dracone* S. Margaritæ ; *quem si symbolice illi appingi intellexeris,* quia multiplicia, *sicut ibi tunc diximus,* diaboli machinamenta virtute crucis superarit, *rem pictam ex vero æstimaveris; sin physice, jam draco fiet commentum, ad aniles nænias relegandum; quemadmodum illum nobis in scenam producunt vulgaria Sanctæ Acta, graphica at ficta inductione seu hypotyposi ejusdem speciem externam exhibentia, tot ridiculis adjunctis vestitam, ut risum moveant. Alia aliis Sanctis symbola appinguntur, suum Sanctæ maneat nostræ, at modo conveniente non fabuloso expressum et intellectum. De his hactenus, nunc de tempore martyrii.*

De epocha martyrii

39 *Incertum prorsus et obscurum est tempus, quo* S. Margarita *martyrium subierit. Ad hoc hæsit Baronius, nihil sibi in hac materia satis probabile aut verisimile in promptu fuisse professus, quando ita* F *conjectat in notis :* Cum autem omnes tradant, hanc fuisse filiam Ædesii, idolorum sacerdotis, in mentem subiit ille Ædesius addictissimus idolorum cultui, rerum Christianarum hostis acerbissimus ; de quo plura scribit Eunapius Sardianus in Vitis philosophorum, *clarus seculo quinto, et memoratus apud Vossium in Historicis Græcis pag.* 252, *et Tillemontium Historiæ Imperatorum tom.* 2, *pag.* 133. *Idem Baronius cum Ædesium istum anno* 351 *annumeret familiaribus Juliani, jam in hoc supposito martyrium, de quo quærimus, aptari posset seculo quarto aliquantulum adulto. At fac verum illud ac proprium patri Sanctæ nomen adhæsisse; (id quod propter exiguam Actorum fidem absque ulla temeritate negari posset) quo pacto si non evincat saltem probabiliter suadebit Baronius, hujusce illam et non alterius cujusdam Ædesii filiam exstitisse? Adde, quo pro* Ædesio *scribatur* Theodosius *in Actis, quæ leguntur apud Petrum de Natalibus, et Mombritium ; nec non in pluribus nostris codicibus Mss., et apographis martyrii.*

nihil certi.

40 *Schedelius loco antea citato Martyrem nostram*

A *stram ponit proxime ante S. Blasium, sub Diocletiano, Maximiano, Licinio vel Juliano passum; vide* III *Februarii, pag.* 332; *Saussayus item Diocletianæ persecutioni; Laherius noster in Menologio suo anno circiter* 300 *illam innectit. Præplacet Tillemontius, qui nihil satis obvii aut tuti nactus, ubi hic pedem figeret inoffensum, inter paucula, quæ de* S. Margarita *collegit, Monument. eccl. tomo* 5, *locum ei dedit sub titulo Sanctorum, qui floruerunt tribus primis seculis sub ignota epocha; ut videsis art.* 11, *pag.* 562. *Sed non scio an vel ista ratio temporis adeo confusa satis tuto admitti queat ob incerta et suspecta Acta, de quibus jam dicemus.*

Acta apud Surium correcta, non sincera;

41 *Sanctæ Acta præter pium drama nihil magnopere continent; quod valde quidem antiquum sit oportet, si, ut referemus num.* 47 *ex Radulpho Tungrensi, apocryphis annumerata sint in canone Gelasii PP., qui vixit exeunte seculo quinto. Nihil certi resciri de eadem Sancta, notavit nuperus Legendista Gallus in tabula critica auctorum et Actorum hujus mensis pag.* 18; *non hic, quamquam alibi sæpius rigidus plus æquo judex. Compendio* B *martyrium apocryphum edidit Petrus de Natalibus lib.* 6, *cap.* 130; *sed pluribus id legitur apud Lipomanum ac Surium (e quo parvum compendium extraxit Haræus pag.* 458) *sub nomine Metaphrastis. Merito ibi conqueritur auctor* adulteratum *fuisse illud* martyrium, veræ.. narrationi, tamquam puro frumento, a communi omnium inimico injectis zizaniis, illo, *inquit,* dæmone, qui illic fingitur fuisse in medio ejus certamine, et illius vocibus : adeo ut qui audiunt, attendentes quam sit ridicula et absurda dictio illius dæmoniaca, dubitent de ipso quoque martyrio egregiæ victricis Marinæ. *Ideo* nugas et fabulas..., abjiciens, *ac* veris mentem adhibens, brevem orationem, et quæ nihil superflui contineat, *promittit. Verum tametsi juxta promissum plurimas sordes in eo expurgarit, non paucas tamen expurgandas reliquit. Nam quis* purum *a* zizaniis *ac palcis* frumentum *exspectare ausit ex horreo, lolio ac tribulis pessime coagmentato? præsertim cum non sciamus, certe non indicet auctor, ex qua penu deprompserit meliores istas herbas.*

ea quæ habet Mombritius

C 42 *Pejoris imo pessimæ notæ sunt Acta, quæ leguntur apud Mombritium tomo* 2, *a fol.* 103 *verso, cum hoc exordio :* Post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, et gloriosæ tempus ascensionis ejus in cœlum ; *in quibus præter ineptos ac ridiculos Sanctam inter et diabolum dialogos, alia plura absurda et falsa infarta sunt; quæ tamen (si Superis placet) sub larva oculati testis male feriatus nugarum artifex lectoribus venditat tamquam vera. Aude infiecti blateronis ineptias :* Ego, *inquit,* Tectinus (*Theotimus*) curavi agnoscere caute, quomodo beatissima Margarita contra dæmonem et tyrannum dimicavit, et scripsi omnia, quæ passa est. *Præmissa hac ad conciliandam sibi auctoritatem suada, mox adjungit :* Omnes aures audite, *etc. Ut alia prætercam, vide, quam belle partes suas agat fabulator apud* S. Margaritam *in carcere :* Contimus (*Theotimus*) autem erat in carcere et nutrix ejus ministrantes ei panem et aquam; et aspiciebant per fenestram, et orationem ejus scribebant, et omnia, quæ eveniebant cum timore Dei notabant.

43 Et ecce (*scenam tanti gerronis hiatu dignam*) subito de angulo carceris exivit draco horribilis, totus variis coloribus deauratus. Capilli ejus et barba aurea : et videbantur dentes ejus ferrei : oculi ejus velut margaritæ splendebant, et de naribus ejus ignis et fumus exibat : lingua illius anhelabat : super collum ejus erat serpens : gladius candens in manu ejus videbatur : et fœtorem faciebat in carcere. Traxit se in medium carceris, et sibilabat fortiter : et factum est lumen in carcere ab igne, qui exibat de ore draconis. *Et postquam orantem exhibuisset nugivendulus* S. Margaritam (*ecce tibi dignum patella operculum*) draco ore aperto posuit os suum super caput *ejus,* et linguam suam porrexit super calcaneum ejus, et suspirans deglutivit eam in ventrem suum ; sed crux Christi, quam sibi fecerat beata Margarita, crevit in ore draconis, et in duas partes eum divisit. Beata autem Margarita exivit de utero draconis, nullum dolorem in se habens. Et ecce ipsa hora aspexit in partem sinistram, et vidit alium diabolum sedentem, ut homo niger, habensque manus ad genua, colligata. *Sunt alia plura, quæ tædet referre.*

AUCTORE J. P.

pessimæ notæ sunt, uti patet ex fabuloso dracone,

E

absurditatibus

44 *Vin' specimen? Diabolus sic loquens inducitur :* Salomon in vita sua conclusit nos in uno vase; sed post mortem ejus ignem mittebamus ex ipso vase, et venientes homines Babyloniæ putaverunt aurum invenire, et fregerunt ipsa vasa, et tunc nos laxati implevimus orbem terrarum. *Alia rursum, ne longior sim, prætereo. Apocrypha Acta sapit Martyris oratio, qua sic rogat :* Si quis legerit librum gestæ meæ, aut audierit passionem meam legendo, ex illa hora deleantur peccata eorum. Et quisquis lumen fecerit in basilica mea de suo labore, non imputetur peccatum illius ex illa hora. Quisquis fuerit in illa hora in judicio terribili, et memor fuerit nominis mei, libera eum de tormento. Adhuc peto, Domine, qui legerit aut qui tulerit, aut qui audierit eam legendo ; ex illa hora non imputetur peccatum illius : quia caro et sanguis sumus, et semper peccamus. Adhuc peto, Domine, ut qui basilicam in nomine meo fecerit, et scripserit passionem meam ; vel qui de suo labore comparaverit codicem passionis meæ, reple illum Spiritu sancto tuo, spiritu veritatis, et in domo illius non nascatur infans claudus, aut cæcus vel mutus, neque a spiritu temptetur; et si petierit de peccato suo, indulge ei, Domine. *Quænam hic umbra veritatis?* F

et falsitatibus, Sancta indignis.

45 *Adde tonitrua et columbam cum Sancta colloquentem, quæ petitiones ejus impletum iri affirmat. Absurdissima est oratio, qua Martyr lictorem compellasse narratur in hæc verba :* Frater, tolle nunc gladium tuum, et percute me. Ecce jam vici mundum. Ille dixit : Ego hoc non facio, nec interficio Sanctam virginem Dei. Deus autem tibi locutus est : propterea te interficere non possum. Beata Margarita respondit : Si hoc non feceris, non habebis partem in paradiso Dei mecum. Tunc quæstionarius cum timore et tremore attulit gladium suum, et in uno ictu percutiens amputavit caput beatæ Margaritæ et amputavit; dicens : Domine, ne statuas hoc mihi in peccatum. Et tremens percussor cecidit cum percussorio suo ad dextram partem beatæ Margaritæ. *Aniles fabulas tandem concludit narrator, ista subdens :* Ego.. Tectinus tuli reliquias beatæ Margaritæ, et reposui eas in scrineo, quod feci de

lapide

AUCTORE J. P.

lapide cum odore suavitatis, et posui eas in Antiochia civitate in domo Sicliti * et Matronæ. Ego enim eram, qui ministrabam in carcere ei panem et aquam, et ego consideravi omne certamen, quod habuit contra impios bellatores, et omnes orationes ejus scripsi in libris cartaneis cum multa astutia, et transmisi omnibus Christianis eadem in veritate.

* alias Sincleticæ.

Alia Mss. ejusdem aut similis notæ.

46 *Ejusdem aut similis furfuris sunt illa Acta, quæ notantur in codice nostro Ms. membranaceo, qui olim fuit D. Isaaci Vossii, et in variis aliis item Mss. nostris in pergameno. Aliorum plurium ecgraphorum, quæ ad manum sunt, eadem in substantia est scribendi ratio, videlicet Passionis ex Ms. membranaceo legendario Cardinalis Barberini, signato* f 207; *item Windbergensi ac Fuldensi, quæ collata sunt cum Ms. sancti Maximini Treviris; adde Ms. Aquicinctinum, reginæ Sueciæ num.* 80, *S. Gisleni in*-4 *corio rubro, Valcellense, et aliud denique ecgraphum, quod putatur exscriptum ex Ms. S. Bernardi apud Antverpiam. Pluribus etiam de causis displicet ecgraphum nostrum, quod*

B

acceptum notatur ex Mss. ecclesiæ Montifflasconensis *cum hoc exordio* : Divæ Margaritæ dies festus agitur ; *ubi ex voce* divæ *pro* sanctæ *proditur scripti juventus, uti infra observabimus. In Catalogo Ms., quem habemus, Vitarum ex codicibus antiquis monasterii Weingartensis in Suevia, notantur Acta eum hoc exordio* : B. Margarita erat Theodosii filia, *sed ex auctore coævo Theotimo rem æstima. In codice antiquo membranaceo Scorialensi, cui titulus* Passiones multæ Martyrum, *notatur hic titulus* : Passio sanctæ, ac beatissimæ virginis et martyris Christi Marinæ, quæ passa est in campo Limiæ, quæ est sub urbe Armeniæ. *Quid sibi vult* campus Limiæ in Armenia, *ubi in Actis ubique fit mentio* Antiochiæ? *In eodem titulo scribitur passa* XV Kal. Augusti, *et in fine dicitur passa* XI *Kal. Augusti. Sic porro incipit* : In temporibus illis, dum post corporeum Salvatoris adventum. *Varii ibidem dialogi, orationes prolixæ, Theotimus, longa draconis descriptio, Sancta ab eodem deglutita, crux in ventre draconis crescens; ipse draco in duas partes divisus* : *deinde varii Marinæ cum diabolo dialogi, cum Olibrio altercationes, longæque orationes.*

C

Aliorum auctorum

47 *Ne vero severus nimium cuiquam hic videar judex, juverit in medium producere aliorum de dictis Actis judicia, ac Baronii imprimis, qui in notis habet issa* : Quod autem spectat ad Acta ipsius; hæc Radulphus Tungrensis de observ. can. 11 » Passionem (inquit) beatæ Margaritæ vidi Romæ » apud Lateranum in canone beati Gelasii apo- » cryphis adnumeratam. » Hæc ipse : quæ vehementer miramur, cum nec in antiquis manuscriptis, quorum plurima suppetunt exemplaria e diversis, quæ Romæ extant bibliothecis, nec in his, qui typis excusi sunt codices, aliquid tale in decreto Gelasii potuerimus invenire. Non tamen imus inficias, in Actis ejus, quæ edidit Metaphrastes et recitat tomo 6, et Surius tomo 4, quæ etiam e Latinis codicibus accepta descripsit Mombritius tomo 2 : quæ denique legimus in pluribus manuscriptis pervetustis codicibus, ut inter alios S. Mariæ ad Martyres, et S. Cæciliæ trans Tiberim : non, inquam, negamus, in eis nonnulla reperiri, quæ indigeant emendatione non levi. *Adde quod, teste Gavanio supra,* Pius V ademerit lectiones incertas de ejus martyrio, et

D

mutarit orationem. *In Breviario hodierno substitutam habes orationem de communi, et lectionem ex S. Ambrosio.*

de Actis S. Margaritæ

48 *Joannes Hessels a Lovanio in censura de quibusdam Sanctorum historiis, a Molano typis edita ad calcem sui Martyrologii primæ editionis,* Passio, *inquit cap.* 7, S. Margaretæ, » Post passionem et resurrectionem Domini nostri Jesu » Christi, et gloriosam ascensionem ejus » non placet eadem de causa, qua displicet Passio Julianæ (*de qua egerat cap.* 2) quia diabolus a Margareta coactus dicit Salomonem inclusisse dæmones in novum vas, quo fracto sunt relaxati. Quod falsum est, et sapit magicam artem, per quam diabolus se fingit concludi. Item dicitur, ubicumque est liber Passionis ejus, quod non nascetur infans claudus, nec cæcus, etc.; et quod quisquis librum emerit, Spiritu sancto replebitur. *Nostri Majores tomo* 1 *Maii, pag.* XXVI *in Ephemeridibus Græco-Moscis jam pridem verbo indicarunt, quid de Actis* S. Margaritæ *sentirent.*

E

judicia.

49 *Vitam,* Post passionem et resurrectionem D. N. I. C. *sub nomine Theotimi tamquam oculati testis, vidisse se asserit Tillemontius Monum. ecclesia. tom.* 5, *pag.* 797 *in notis; addens pulcras admodum res in ea contineri, sublimem esse stylum, magnificum et satis elegantem; omitti maximam partem prodigiorum ridiculorum, quæ sunt apud Surium; at apparitionem diaboli etiamnum ibi esse; quæque loqui inducitur Sancta, videri otiose potius composita et extracta ex S. Augustino de Civitate Dei, quam scripta sub illa persona, quæ palam loquitur coram judice; verbo, ne vel minimum in istis Actis, quæ auctor tamquam sincera vult obtrudere, notæ hujusmodi vestigium haberi. Viderit ea haud dubie Molanus : nam in notis hac die ad suum Martyrologium Usuardinum dicit,* historiam revera apocrypham esse, *quæ habetur sub* titulo Theotimi, qui *Sanctæ* in carcere panem et aquam se ministrasse scribit, et omne certamen considerasse; *quamquam idem Molanus ibi historiæ exordium non proferat. Paulus Æmilius Sanctorius Casertanus in libro peculiari de duodecim Virginibus et Martyribus, anno* 1597 *Romæ excuso, martyrium stylo eleganti et oratoriis phaleris compto vulgavit; in quo utinam plura, quam fecit, corrigenda notasset! Pseudochronographos Hispanos Acta hodiernæ Sanctæ insigni plagio ad suam Marinam ineptissime transtulisse, observavimus die* XVIII *hujus. Compendiolum Passionis habet noster Raderus parte* 1 *Viridarii; pag.* 251. *Eamdem contraxit noster item Laherius in suo Menologio; ubi quædam etiam notat contra Bivarium. Prætereo nostrum Petrum Ribadeneyram, et Alfonsum de Villegas, qui ultimus Theotimo (scribit ipse* Theostito) *plus tribuit, quam par est, quia non satis eum novit.*

F

§ V. Acta Græca apocrypha; Latina, quæ hic dantur.

Acta Græca e bibliotheca Cæsarea non damus

T*omo primo Maii in citatis Ephemeridibus Græco-Moscis pag.* XXVI *diximus, Acta S. Irenes fabulosa, etsi Græca habuerimus, non judicasse nos, inserenda Operi nostro; idque nescio quo modo aliis etiam quibusdam insignibus et in Occidente non minus quam Oriente cultissimis virginibus ac martyribus contigisse, puta Barbaræ,* Margaritæ *seu*

Marinæ

A Marinæ et Catharinæ. Quod tunc quamquam etiamnum præmaturum de Actis Sanctæ nostræ Græcis diximus, et nunc dicimus, eaque ab Opere secludimus. Triplex itaque in promptu est Græcorum Actorum apographum. Ac unum quidem desumptum fuisse notatur ex codice Ms. Chartaceo antiquo, eleganti et bonæ notæ in-4, ex bibliotheca Cæsarea (de quo videri potest Lambecius in Bibliotheca Vindobonensi lib. 8, pag. 71) partim a Janningo nostro, partim a nostro Baertio descriptum. Auctor est Gregorius Cyprius patriarcha Constantinopolitanus, hoc exordio : Καὶ τὴν ἐκκλησίαν ἄρα, ἧς ὁ Χριστὸς κεφαλὴ, παράδεισον κατανοοῦμεν; quod coincidit cum eo, quod superius num. 34 ex Allatio indicavimus.

quia scenica. 51 Acta ista jam Latina feceram : sed intellige causas, cur ea a prælo arceantur. Quid ab auctore seculi 13 exspectes præter verba et voces? Id prodit vel ab ipso orationis principio, quod verbosam inductionem continet; in fine autem longam ad Martyrem habet apostrophen, exemplis virorum in veteri Testamento celebrium, quos cum ea comparat, infartam; in decursu autem exponit desiderium B martyrii, quo illa flagrabat, Diocletiani et Maximiani rabiem adversus Christianos, furorem Olibrii, Sanctæ cum eodem dialogismum; pœnarum contemptum, etc.; graphicam item draconis hypotyposin, qui postquam devorasset Martyrem, disruptus sit; Sanctæ epinicion; dæmonem, crucem, columbam, similitudines, nova tormenta, aliorum ad Christum conversorum martyrium, ac demum Sanctam e vivis sublatam. Quæ tam argumentum vulgaris historiæ, quam fabulosas Græculorum scenas referunt.

Alia exemplaria prælo quoque indigna. 52 Alterum item Græcum exemplar habemus ex Ms. Vaticano 866, quod etiam in Latinum converteram, cum eodem exordio, quod apud Leonem Allatium in Diatriba de Symeonum scriptis pag. 123 profertur : Τῆς ἀναστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ σωτῆρος, καὶ τῆς ἐνδόξου αὐτοῦ ἀναλήψεως, ubi idem auctor Metaphrasti illud abjudicat; at si non istius, alterius certe Græculi ingenium prodit, Theotimo, de quo supra, et hic plus semel partes suas agente, ut de fabuloso dracone, aliisque nugis non loquar. Quis enim patienter legat ista? Sancta vero conversa, et inveniens malleum fer- C reum, verberare victum a se diabolum cœpit, ac pede collo ejus immisso, verberabat malleo caput ipsius ac tergum. Tertium denique ad manum est apographum ex bibliotheca Medicæa, pluteo 9, cod. 33, hoc exordium præferens : Οὐδὲν οὕτως ἡδύνει καὶ καθιλαρύνει ψυχὴν ἀγαθὴν καὶ πιστή. Id est : Nihil adeo dulcem et hilarem reddit animam bonam et fidelem; estque illud martyrium, quod Latine Lipomanus ac Surius edidere. Nunc quænam Acta Latina præ aliis visum fuerit typis committere, paucis accipe; sed prius observari velimus ea, quæ sunt apud Lipomanum ac Surium, cum nostris quæ prælo destinamus, in substantia fere convenire.

Acta ex apographo Rebdorffensi hic dantur, 53 Habemus ea in ecgrapho nostro Rebdorffensi (cœnobium est canonicorum regularium S. Augustini in Bavaria, de quo Bruschius inter monasteria Germaniæ fol. 102 verso.) Præfigitur ei prologus auctoris, de sua eorumdem correctione. Quonam autem tempore ille vixerit, nos latet : hoc unicum constat, videlicet ipsum non scripsisse ante tempora S. Gregorii PP. (intellige Magni) cum ibidem eum indicet. Nec explorati quidquam habemus de ipsius nomine vitæve professione. Monachum tamen vel religiosum exstitisse, inde argui posse videtur, *ex Ms.* quia inter alia, quæ præfatur, tradit ista : Humillimæ vestræ deprecationi, dilectissimi fratres, annuere non incongruum duxi. Porro ista Acta præ reliquis hic typis committere visum est, non quia omnino et undequaque bona et probata (ecquis enim de ullis Sanctæ nostræ Actis id speret?) sed quia minus mala et improbabilia; sive alia auctor præ oculis habuerit aliquanto melioris notæ, sive eadem ipsa vel aliqua ex illis, quæ diximus, a se ad exactiorem trutinam qualemqualem revocata. Utcumque se res habet; tolerabiliora sunt, quæ refert de apparitione draconis, quam ea, quæ habent Petrus de Natalibus, Mombritius, Lipomanus ac Surius, atque ecgrapha supra indicata. Ad hæc vel non invenit in exemplari suo, vel si invenerit, recte resecuit preces, vere suspectas et apocryphas, a Sancta jamjam moritura ad Deum fusas : quas videsis supra, nec non apud dictos auctores, quamquam Petrus de Natalibus brevissime eas memoret.

54 Adde, quod de fabuloso Theotimo, ineptisque *tamquam minus mala.* Martyris cum dæmone dialogismis, supra ex Mombritio recensitis, altum taceat. Jam vero ut quædam E etiam in illo ipso corrigenda notemus; nimius est ubique in verbosa ac prolixa dialogismorum ac precum identidem recurrentium sermocinatione, tanto magis de toto martyrii contextu meriturus, quanto magis in hoc genere sibi temperasset. Quod, quid est aliud, quam homiliam adornare, non vero puram et genuinam condere martyrii historiam? At demus ipsi hanc veniam. Alicubi etiam paucula superflua a nobis amputari, monebitur in annotatis. Nonnullæ item supplebuntur in apographo nostro lacunæ adminiculo alterius, quod habemus transcriptum ex antiquo codice Ms. S. Mariæ ad Martyres Romæ, ex tomo, prout adscribitur, quinto, fol. 356. At caret prologo. Illud ipsum haud dubie exemplar legerat Baronius, sicut ex ipso notabamus num. 47. Atque hæc quidem sunt, de quibus lectorem præmonere placuit. Ecce nunc Acta ex superiore laudato codice, ad hunc posteriorem emendata.

ACTA

F

Ex Ms. Rebdorffensi, ad Ms. S. Mariæ ad Martyres correcta. Auctore anonymo.

PROLOGUS.

Divinarum series Scripturarum tanto sapientum auribus delectabilior exstat, quanto per *Præfatus auctor quædam Acta Sanctorum esse depravata,* Grammaticæ lineam incedens salva veritate, mendacii fuco carente, quasi quidam purissimus amnis affluxerit. Humanitatis quippe est proprium, his devotis fidem accommodare sermonibus, quos constat non solum per veritatis incedere tramitem, sed etiam per eloquentiam oris inoffensis currere pedibus. Hinc etenim accidit, ut quædam egregiorum doctorum non infimi quorumdam Sanctorum gesta depravata a per imperitiam translatorum corrigerent, atque de ignorantiæ tenebris elevata tanto facerent splendescere lumine

EX MS. mine, ut pristina vitiositate depulsa, vibrantem cunctis effunderent legentibus lucem.

alia vero melioris notæ; 2 Beatus denique Ambrosius, cujus eloquium per sacrosanctam Ecclesiam potius divinitus insonat, quam humanitus personat, beatæ virginis Agnetis *b* agalmata *c* tam luculento famine peornavit, ut etiam infidelium mentes ad fidem tantorum dictorum valeat provocare. Nec minor quoque fides accommodanda est melleis beati Papæ Gregorii dictionibus, quorum dulcedine ita textus beatæ Felicitatis et filiorum *d* est ejus illitus, ut ejus nectarea suavitate etiam fastidiosi perfrui delectentur. Horum autem validissimam auctoritatem, qui cœlestis ædificii jure possent vocari columnæ, moderni etiam non improbabili tenore secuti sunt, cupientes videlicet herili gregi si non patulis phialis, angustis saltem cyathis propinare.

hæc S. Margaritæ corrigere nititur. 3 His itaque validissimis obicibus undique circumseptus humillimæ vestræ deprecationi, dilectissimi fratres, annuere non incongruum duxi, vitamque ac passionem beatissimæ virginis Margaretæ non propriis sed divinis viribus innixus corrigere studui *e*. Nec sum veritus igniferis invidiæ facibus me fidenter ingerere; cum non diffitear terream ustionem quamlibet validissimam divino rore posse sine mora restingui, ac elingues infantulos, cum divinæ libuerit majestati, et posse fieri facundissimos.

ANNOTATA.

a *De Actis Sanctorum corruptis pluries in Opere nostro. Baronius ad annum* 290, *num.* 35 *producit Gelasii PP. circa ea animadversionem.*

b *Acta S. Agnetis habes die* XXI *Januarii.*

c *De voce* ἄγαλμα *agit Hierolexicon Macri. His* ἀγάλματα *intellige splendidos lætosque Martyrum triumphos.*

d *Insigne S. Felicitatis elogium dedimus ex S. Gregorio Magno ad diem* X *hujus a pag.* 7.

e *Utinam plura correxisset auctor, ac superfluam imprimis orationem ac dialogismorum verbositatem, quod supra monuimus!*

CAPUT I.

Sancta ab fidei constantiam patri exosa, ad Olibrium præsidem defertur.

Sancta Diocletiani et Maximiani Annorum *a* ab Incarnatione Domini salvatoris fere ducentorum nonaginta circulus volvebatur, quando Diocletianus, Dalmatæ scribæ filius *b*, dominatu crudelissimo Romani imperii retinebat habenas. Hic namque primo *c* anno imperii sui nefarium et impium virum sibi collegam in regno sociavit; Maximianum videlicet cognomento Herculeum. Qui uterque adversus Christianos vehementissima crudelitate sævire cœperunt; sed Diocletianus supra omnes imperatores in Christianam fidem atrocius exæstuans, in tantum desævit, ut per totam regni sui ditionem judices ac præsides ordinaret, quatenus ubicumque Christianos cognoscerent, ferro, igne, ac fame, vitam eorum cruciando necarent, ut Christianum nomen funditus ex terra deleret.

atrocissima persecutione audita, 5 Nono decimo quippe anno imperii sui ipse in Oriente *d*, Maximianus in Occidente vastare ecclesias, et penitus interficere Christianos non desinebant. Sed Dei omnipotentis judicio, secundo anno *e* persecutionis Diocletianus Nicomediæ, Maximianus apud Mediolanum imperii dignitatem deposuerunt. Attamen exorta semel crudelitatis persecutio usque ad septimum *f* annum Constantini, Helenæ filii, fervere non desiit, adeo ut oceani limbum transgrediens plurimos illic variis suppliciis interficeret. Eadem vero tempestate apud urbem Romuleam Marcellus tunc Apostolicus habebatur pontifex, qui et ipse martyrio coronatus est *g*.

Deum orat, 6 Per idem vero tempus quo talia gerebantur, beata Margareta quinto decimo ætatis anno audiens hujuscemodi atrocitatem contra Christianos ebullire, his verbis orationem ad Dominum fudit: Domine Jesu Christe, Sanctorum virtus et vita, mœstorum consolator salusque miserorum; qui numquam deseris sperantes in te; conforta me parvulam in te, ut, si venerit tyrannica potestas, et me comprehenderit, et per cruenta tormentorum genera corpus meum dilaniaverit, non patiaris, Domine, famulam tuam deficere præ timore pœnarum, ne fidem gratiæ tuæ abnegem, et tuum sanctum nomen formidando relinquam.

ut se protegat. 7 Tu es enim, Domine, formator animarum et corporum: tu nosti humanam fragilitatem. Memento, quæso, quia terra, et pulvis sumus: nam pater meus et genitrix mea, qui me exhortari debuerant, ut tuis obedirem mandatis; ecce, decipere me nituntur; quia non veneror culturam falsorum deorum. Sed quoniam, Domine, salvator meus fidelissime, credo, quod tu me assumere digneris, ideo non timebo, quid faciat mihi homo.

Patri ob fidei constantiam exosa 8 Hæc denique Virgo erat filia cujusdam viri, nomine nominati Ædesii, admodum potentissimi, qui etiam sacerdos erat templorum, et primæ potestatis ordinem videbatur tenere. Hic ita * filiam suam valde diligens, dedit eam nutriendam procul a civitate sua scilicet Antiochia *h*. Mortua vero genitrice beatæ Margaretæ, cum experimento cognovisset pater ejus Ædesius, eam esse omni modo Christianam; et nullatenus a sancto proposito sequestrare valeret, crudeliter exardescens, omnemque amaritudinem furoris contra puellam exacuens, non poterat illam saltem oculis aspicere. Insuper abominatus est eam ac repulit. Sed Dominus omnipotens, qui numquam deserit sperantes in se, consolari eam solita pietate dignatus est, et in tantum illam amabilem fecit suæ nutrici, ut quasi uterinam filiam eam diligeret. Nam et ipsa Christiana erat, et christianis operibus tenebatur.

* *alias* itaque

suæ nutricis oves pascit, 9 Inter cetera enim virtutum magnalia, quæ illi divina gratia contulerat, adeo se Virgo Domini sanctæ humilitati subdiderat, ut de nobilitatis genere nullam haberet jactantiam. Et quoniam pater suus eam exhorrens procul ejecerat, ita in omnibus suæ famulabatur nutrici, atque magistræ; ut etiam illius oviculas custodiret, et ad pascendum cum ceteris puellis educere non dedignaretur. Pascebat autem eas cum omni humilitate, et mansuetudine: sicut illa quondam

Rachel,

A Rachel, mater patriarchæ Joseph, puella humilis et decora, patris sui oves humiliter custodiebat. Interea quidam præfectus, nomine Olibrius, crudelitate et impietate tumidus, veniebat de Asia, in Antiochiam propter persecutionem Christianorum. Qui cum iter ageret, contigit, ut videret beatam Margaretam deambulantem in passu ovium cum ceteris puellis coætaneis suis.

Ejus amore exardescit Olibrius: ad quem perducta,

10 Hæc igitur inter omnes incredibili pulchritudine speciosa videbatur. Quamobrem concupiscentia superatus præses jussit ministris suis, dicens : Ite quantocius et diligenter inquirite puellam illam. Si libera est, amantissime eam in conjugio sociabo ; si autem servitutis conditione retinetur annexa, dignum pretium pro ea tribuam ; et erit in concubinali jure sociata. Illi autem celerius euntes, suique domini jussionem facientes, comprehenderunt illam, cursuque concito reversi, perduxerunt ad præsidem.

suæque fragilitatis memor, ex pœnarum metu aliis illatarum

11 Cum autem duceretur beata Virgo ab impiis, terrore et timore contrita, utpote femineæ fragilitatis non immemor, vehementissime formidare cœpit ; maximeque propter atrocitatem, B et incendia pœnarum, quæ tunc creduliter ab impiis ingerebantur. Inimicus enim Christiani nominis diabolus tales pœnas talesque cruciatus per suos satellites adversus Dei famulos exquisierat, ut non corpus, quod facile erat occidere ; sed animi vigorem decipiendo vinceret, sicut B. Hieronymus in Vita sancti Pauli eremitæ plenissime refert *i*. Unde plurimi elegerunt in montibus et speluncis arctissiman vitam cum bestiis ducere, quam paganorum manibus comprehendi ; metuentes per omnia, ne forte accerrimis tormentorum generibus cederent, et a culmine sanctæ fidei compulsi caderent.

ac sibi imminentium, Dei opem implorat;

12 Istiusmodi tormentorum pœnas virgo Christi Margareta pertimescens, jam inter manus impiorum posita, oculis ad cœlum erectis, regem omnium seculorum deprecabatur, dicens : Miserere, Domine, miserere famulæ tuæ : subveni, succurre mihi in hac tribulatione : da fortitudinem, da tolerantiam ad superandos aculeos pœnarum, ut videant qui tollere a tua pietate festinant, et confundantur. Ne me permit- C tas, Domine, a tua sancta religione sequestrari ; sed resiste adversario mihi vehementer infenso ; ut anima mea, te opitulante, ab his cruentis bestiis sine crimine liberetur, et pudor virginitatis meæ, quem tibi Domino consecravi, illibatus permaneat. Quamobrem, Domine Deus, mitte nunc sanctum angelum tuum, qui custodiat, protegat atque defendat corpus meum et animam meam, ut te laudem, te glorificem : quia tu es benedictus in secula seculorum.

præfecto deinde sistitur.

13 Et cum hæc et his similia beatissima Virgo ex suo ore proferret, pervenerunt cum ea milites ad præfectum ; statimque præsentati dixerunt : Domine, magnificentia vestræ dignitatis non potest transgredi culturam deorum, atque imperatorum decreta, quæ non solum Romana nobilitas, sed etiam mundus ubique custodit. Puella siquidem, quam nobis præcepisti inquirere, utrum ancilla, an libera sit, Christianam se esse profitetur ; et omnino extraneam a cultura sacrorum deorum ; illumque Jesum colere se testatur, quem Judæi olim crucifixerunt. Hanc cum apprehendissemus, et lenioribus et asperrimis verbis flectere studuimus ; sed nulla promissione dignitatis, nulloque timore pœnarum animum ejus emollire potuimus. Verumtamen ut vestra industria liquidius hæc indagare possit, vestro examini præsentetur. EX MS.

ANNOTATA.

a *Ita Ms. S. Mariæ ad Martyres.* Anno *male in Rebdorffensi.*

b *Eutropius in Breviario Romanæ historiæ lib.* 9, *cap.* 13 *scribit, Diocletianum a plerisque scribæ filium, a nonnullis Anulini senatoris libertinum fuisse creditum. Vide etiam Baronium ad finem anni* 285.

c *Non primo anno imperii sui, videlicet* 284, *sed* 286 *id fecisse, notatur apud Tillemontium historiæ Imperatorum tomo* 4, *pag.* 7 ; *probaturque ibidem in notis pag.* 597.

d *Mendosissime habet ecgraphum nostrum S. Mariæ ad Martyres* : Ipso moriente. E

e *Contigisse illud anno* 305, *Kalendis Maii ex Lactantio contra alios probat Tillemontius loco citato, nota* 20.

f *Constantinus imperator salutatur anno* 306, *die* XXV *Julii : cessavit persecutio* 312 *versus mensem Novembrem.*

g *Martyrio coronatur anno* 304, XXVI *Aprilis. Vide ibidem apud nos tempus sedis.*

h *Additur hic in ecgrapho S. Mariæ ad Martyres* fere stadia quindecim. *Digressionem utriusque nostri ecgraphi de differentia Antiochiam Pisidiæ inter et Antiochiam Syriæ, resecui tamquam superfluam.*

i *Vide caput primum istius Vitæ apud nos ad diem* X *Januarii, pag.* 604.

CAPUT II.

Martyr carceri includitur ; deinde in publicum producitur coram præside ; cujus blanditias et minas spernit. F

Sancta interrogatur a præfecto;

Quibus auditis, nequissimus judex admodum contristatus, jussit eam suo conspectui velocius præsentari. Quæ cum præsentata fuisset, ita eam alloqui cœpit : O puella, omni deposita formidine narra mihi genus tuum, et utrum ancilla, an libera fueris, manifestius pande. Ad quem sacratissima Virgo respondit : Mea quidem progenies omnibus in hac urbe notissima est, nec adeo de infimo et ignobili genere sum, ut mea possit latere origo. Quod enim me de libertate interrogas, scias per omnia, quia nullius servituti obnoxia sum. Famulam autem me domini mei Jesu Christi, ore et corde profiteor, quem ipsa tenera ætate adoravi et colui, et semper colere non cessabo.

in carcere siti et inedia condemnatur ; sed visitatur ab angelo.

15 Cui præfectus : Quo, inquit, nomine nuncuparis? Margareta respondit : Apud homines Margareta vocor ; [quod autem illustrius est, ex fonte

EX MS. *a*

fonte sacri baptismatis Christiana vocor.] *a* Hæc ubi dicta sunt, præses nimio furore accensus, Dei famulam in tenebroso concludi carcere præcepit, et omne humanitatis solatium cibi et potus ab ea prorsus excludi mandavit, quatenus omni auxilio destituta et carceralibus tenebris macerata facilius plecteretur ad ejus voluntatem. Illa autem angelica visitatione consolata, et cœlestis luminis illustratione clarificata, constantissime in Christi confessione perseverabat, et cuncta, quæ sibi ad pœnam illata fuerant, pro nihilo reputabat.

Conventum publicum indicit præfectus,

16 Cum autem videret præfectus, quod nullis blandimentis, nullisque terroribus eam posset a Christi intentione revocare, cœptum iter arripiens, profectus est Antiochiam, ibique ad se convocans universæ urbis nobilitatem, et omnes qui sapientes esse videbantur, consilio inito cum eis, qualiter beatam Margaretam studiosa argumentatione, non occidendo perderet, sed terrificando vinceret. Inde diu multumque pertractanti, tandem visum est ei, ut in conventu populorum

B

publica examinatione discuteretur, dicendo : Forsitan turpitudinis confusione et populorum aspectibus inclinata, citius mentem a proposito revocabit; et quam carceralis penuria famisque inedia non humiliavit, populositas superabit. Hæc denique statuens, secunda die postquam urbem ingressus est, jussit sibi præfectus tribunal permagnificum præparari, et ad spectaculum sanctæ Virginis, universæ civitatis multitudinem convocari.

coram quo Sanctam blande affatur.

17 Quibus convenientibus, fit conventus utriusque sexus copiosior. Dehinc præfectus, honoris excellentiâ sublimatus, cum in solio resideret, illico præcepit Christi fidei cultricem in conspectu omnium deferri. Quæ cum præsentata fuisset, cœpit eam blanda locutione primum suadere dicens : Videmus te, o puella, per viam perditionis incedere. Videmus tuam mentem quibusdam erroribus implicatam, nostrisque monitis pertinaciter resistentem; sed quia te perdere nolumus, imo potius summo conamine liberare satagimus, hortamur, ut omni remota excusatione, omnique relicto errore, per viam salutis,

C

quam tibi ostendimus, incedas, quo possis et nostram consequi gratiam, et tormentorum pœnas evadere. Certe quia de tuo interitu admodum afflicti sumus, idcirco tibi hactenus inducias dedimus, et non te celerius trucidari fecimus. Inveniat ergo animus tuus consilium saluberrimum, ut salutem percipias, et non metuenda pœnarum genera atrociter suscipias. Ecce apposita est tibi vita et mors, gaudium et supplicium; ad quod vis, porrige manum : elige quod tibi melius videtur.

sed repulsam passus, durius ipsam increpitat,

18 Cui Domini Virgo respondit : Consilium salutis et gaudium jam Deo favente veraciter inveni, et in arce pectoris mei firma stabilitate collocavi, scilicet ut Dominum Jesum Christum, quem certa glorifico fiducia, adorem, magnificem et ex totis præcordiis colere numquam desistam. Verumtamen non tibi ex hoc sit amplius laborandum, neque incertus fatigeris; quia nulla potestas, nulla umquam atrocitas talem tantumque thesaurum de corde meo evellere potest. Tunc Olibrius dixit : Ex quo mihi loqui cœpisti, cum

D

pertinacia et superbia mentis responsionem pertulisti *, et quantum te exhortari conati sumus per dulcia verba, tantum te asperrimam adversus nostram cognovimus clementiam.

** alias protulisti.*

quasi ea corrigi non possit, sed hoc ipsa refellit,

19 Unde non incongrue conjicere possumus, quia non a temetipsa, sed alterius cujusdam suasione ista prosequi non vereris. Nescio enim quis imperitus hujuscemodi te fabulationibus irretivit. Et inde est, quod ad cor tuum redire nescis ; et has responsiones nobis meditatas attulisti : nam et ipsa ætas, quod dico perspicue demonstrat , quia hoc a te proferre nescieras. Sed quis hic sit, omni remota argumentatione, edissere quantocius. Ad hæc beata Margareta respondit : Quid me seductam et fatuis meditationibus perdoctam asseris, si libenter audis, citius dignoscere poteris, si tamen Christo credideris. Cui judex ait : Et patienter audio, et quid sit, patienter cognoscere cupio.

affirmans se edoctam a Spiritu sancto :

20 Sancta Margareta respondit : Ne mireris, o judex, quod tibi mea parvitas rationem ponere novit : hoc non humanum est argumentum. Audi ergo, et sapienter adverte. Qui Domino Jesu

E

Christo fideliter servit, non indiget seculari magisterio, ut quærat, quid loqui, quidve debeat respondere. Ipse nimirum in sua virtute confidentibus promittere dignatus est dicens : Cum seculi potestatibus traditi fueritis propter nomen meum, et steteritis ante reges et præsides; nolite cogitare, quid loqui, vel qualiter debeatis respondere. Spiritus sanctus pro vobis digna loquitur. Ergo si hoc ita est; immo quia ita est, non meditando, sed credendo docta sum. Credendo magistrum inveni. Credendo nempe nostræ fidei traditionem ponere scimus, et vestris tartareis suasionibus reluctari.

id quod præses infirmare conatur,

21 Tunc præses ait : Putabamus te aliquid verisimile intimare, sed impudentissimum astruis mendacium. Et nos quidem audivimus, quod talis sit seductio Christi, ut quem semel sua doctrina implicaverit, nulla umquam assertio, nulla violentia dissolvere possit. Ergo juxta tuam pertinaciam, quod dudum auditu percepimus, nunc experimento cognoscimus. Talis quippe magister non doceat animam meam ; ta-

F

lis quippe doctrina procul sit a me, quæ potestatem principum contemnere facit, jocundissima gaudia perdere, et tribulationem invenire perpetuam. Sed quoniam ignoras, o Virgo, quanta sit indignatio imperatorum contra christianorum fidem, idcirco, quod tibi rectum videtur et sanctum quasi secura te retinere profiteris.

addens minas,

22 Quod si consilium nostræ exhortationis audire volueris, perspicue videbis, quemadmodum mortem effugias, et vitam invenias. Non te fallat vana spes, non falsa deceptio. Scias verissime, quia invictissimi imperatores ideo me judicem constituerunt hic, ut omnes Christicolas, qui sacratissimos deos non adoraverint, per varia tormenta sine ulla miseratione dilaniem, ac dilaniatos amarissimæ morti tradam. Et quia hæc imperialibus decretis sancita sunt, consule tibi modo, dum tempus habes, et a nostra clementia tuæ pusillitati facultas indulta est, ne forte postmodum quæras et non invenias, quando nostram indignationem circa tuam duritiam sentire cœperis. Non te seducat inanis fallacia, quod de

manu

A manu potestatis meæ quodammodo effugere possis, aut qualiscumque violenta potestas valeat eripere te. Si hoc cogitasti, oblivioni trade, et tandem reversa ad cor tuum, quod jubemus, celerius adimplere satage, quatenus statuta die deorum majestatem una nobiscum adores ; alioquin per varia tormenta spiritum exhalabis.

quas contemnit Martyr.

23 Beata Margareta respondit : Quid mihi pœnas minaris, impie judex? Quare Christianam religionem terrificando despicis, et gloriaris, quod de manu tua non sit qui eripiat. Si Dominus meus Jesus Christus solummodo homo esset, sicut tu insipiens opinaris, et non veracissime esset Deus et homo, et rex cœli et terræ, poterant mihi minæ tuæ inferre pavorem, ut tuis jussionibus parerem, et simulacra muta adorarem ; sed quia in cœlis habitat, et humilia respicit, atque secundum prophetam : Cœlum illi sedes, terra autem scabellum pedum ejus ; tantæque potestatis est, ut, si vellet, juberet te vivum sic tartara tuosque sequaces vorare, [Unde per omnia stultissimum esse probatur, talem tantumque Dominum relinquere] *b* et idolis vanis colla flectere et gloriam dare. Ergo judex hac re non oportet te ambiguum esse. Indubitanter accipe, quod dico : quia nec imperatorum decreta custodio, nec minas tuas metuendo pavesco, neque falsis diis honorificentiam exhibeo. Occide, reseca, incende, bestiarum dentibus trade : interficere quidem potes; separare a caritate Christi nullatenus valebis.

ANNOTATA.

a *Uncis* [ ] *inclusa, hic ; in ecgrapho S. Mariæ ad Martyres non habentur.*

b *Legit apographum ex Ms. S. Mariæ ad Martyres ea, quæ uncis inclusa hic sunt.*

CAPUT III.

Cruciatus; orationes ad Deum; diaboli machinæ.

Virgis crudelissime cæditur.

Audiens hæc præses furibundus, jussit eam a capite suspendi, et virgis crudeliter cædi. Apparitores autem nefaria jussa complentes ita tenerrimum ac sanctissimum corpus ejus verberabant, ut sanguis ejus veluti fons inundaret super terram. Hanc denique immanissimam crudelitatem multi viri ac mulieres ex circumstantibus aspicientes, in fletum amaritudinis dolorisque gemitum conversi, voce consolatoria dicebant ad beatam Martyrem : O speciosa Virgo ! valde dolemus nimiumque angustiamur de cruciatu, quem in tuis membris videmus, summoque conamine te liberare optaremus, sed non valemus ; consilium autem tibi dabimus, et quomodo possis evadere non negamus. Iste nam tyrannus, ut ipse conspicis, a furore iræ suæ non desinit, sed semel iratus perdere festinat de terra memoriam tuam.

Ex Ms.

moveturque ad commiserationem gentiles, quorum verbis ac lacrymis ipsa non flectitur.

25 Tu autem, o virgo, secundum sapientiam tuam, tandem aliquando parce animæ tuæ ; miserere corpusculo tuo, et acquiesce saltem modicum sermonibus ejus. Forsitan miseratione placatus non te perducet in laqueum mortis. Quibus sancta Virgo dicebat : Cessate, o viri clarissimi, obsecro; recedite, o nobiles mulieres, et nolite plorando disrumpere sensum meum : quoniam secundum Apostolum : Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Parco autem vobis, quoniam humaniter hoc facitis, et in tenebris ambulantes lumen verum non cernitis. Si enim lumen veritatis cognitum haberetis, non solum me de via recta abstrahere formidaretis, verum etiam vosmetipsos ultroneos mecum pro Christi nomine traderetis ad pœnam.

Suspenditur in equuleo, ungulis laniatur,

26 Tunc indignatus præses jussit Christi Martyrem in eculeo suspendi atque sacratissimos ejus artus acutissimis ungulis laniare. Carnifices autem tyrannica jussa complentes, cum acerrime sancta membra laniarent pervenerunt usque ad secreta ventris, et patefactis visceribus effusoque cruore, cunctis astantibus crudelissimum videbatur, adeo ut etiam ipse nefandissimus arbiter, et qui aderant, averterent species * suas, et exhorrerent istiusmodi videre cruciatus. Sancta autem cœlesti juvamine roborata, has tormentorum pœnas pro nihilo ducebat , cujus robustissimam constantiam plurimi admirantes dicebant : Ecce tenerrima ac delicata puella cruentos agones patienter sustinet, quos etiam robustissimi viri cernere formidarent.

** alias facies.*

ad flammas condemnatur.

27 Sed paganissimi homines et a Deo prorsus alienati, unde ad misericordiam flecti debuerant, inde ad homicidii atrocitatem venerunt : nam videntes quod Virgo Domini ungularum lacerationes et virgarum vulnera derideret, excogitaverunt graviora supplicia, quibus eam aut superare possent, aut certe ferocissimæ morti traderent. Tunc eam in crastinum flammarum incendiis concremare decreverunt. Et hæc statuentes, jusserunt illam carceralibus tenebris iterum mancipari. Sanctissima igitur Virgo dum carcerem fuisset ingressa, erectis manibus ad Dominum preces effundens, orabat :

Orat in carcere;

28 Domine Deus, rex cœli et terræ, creator visibilium et invisibilium, æternæ vitæ largitor, atque mœrentium consolator, fac me in confessione tui sancti nominis viriliter permanere, ut quia te adjuvante confidentissime pugnare cœpi, te adjuvante victoriam consequi merear, ne quando insultent in me, qui adversantur inique, mihi dicentes : Ubi est Deus ejus, in quo confidebat? Lumen autem, quod cæca mihi carceris obscuritas abstulit, angelus tuæ lucis adveniens restauret, omniaque antiqui hostis phantasmata dextera tuæ potentiæ procul abjiciat. Scimus enim, Domine, misericordiam tuam in tentationibus affuturam.

diabolum sub specie draconis apparentem precibus fugat;

29 Hæc et his similia B. Margareta dum mundi Salvatorem laudans exoraret, ecce, caput nequitiæ cum mille nocendi artibus, variis machinationibus atque phantasticis præstigiis illam terrificare aggressus est. Quippe in draconis specie apparens, se in diversas formas transtulit,

atque

EX MS. atque ex ore simul et naribus ignem teterrimum evomens, Dei famulam vorare nitebatur. Sancta autem Virgo istiusmodi phantasmata cernens, ad solitæ orationis arma cucurrit, signumque sanctæ crucis contra hostem depingens, his verbis auxilium deposcebat. Domine Jesu Christe, tuorum militum propugnator, qui superbiam diaboli per crucis victoriam humiliasti, exurge in adjutorium mihi. Dic animæ meæ : Salus tua ego sum. Tu enim dixisti : Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. Ad hanc igitur vocem antiquus coluber confusus recessit, nihilque mali contra Virginem exercere valuit.

cujus machinas novas contemnit,

30 Mox autem B. Margareta de cœlesti præsidio exultans, salvatori omnium Deo gratias persolvere non desinebat. Sed Christiani nominis inimicus diabolus, condolens amarissime, quod a femina fuisset devictus, non veritus est alias opponere terrificationes. Namque habitu calcaneo tenus criniti hominis apparens, horribilemque se præferens vultu, nova fraude terrorem ingerere conabatur. B Quæ cum beata cerneret Virgo : Agnosco, inquit, satana, insidias vestras, agnosco laqueum vestræ calliditatis. Cur mihi terrorem incutere conamini? Si me propterea contemnitis, quia pusilla sum, magnum dominum habeo adjutorem magnumque auxiliatorem.

ipsumque abigit.

31 Ipse est utique meus Dominus, qui vestram ferocissimam potestatem ad nihilum redegit, vestram jactantiam humiliavit, et cum mundi terminus advenerit, te tuosque collegos in sempiternam projiciet gehennam, ubi semper ardebitis. Ergo quia ita est, in illius sancto nomine præcipio tibi, pessime dæmon, ut hinc procul abscedas, et ad me ulterius accedere non præsumos. Mox spiritus nequam divina coactus potentia : Faciam, inquit, quod præcepisti : quoniam superni regis esse famula comprobaris. Siquidem, te orante, illius majestas omnes nostras confregit insidias, nihilque adversus te jam nostra versutia prævalere potest. Hæc et multa horum similia dæmon referens de conspectu ejus evanuit.

C

CAPUT IV.

Iteratæ de tyranno victoriæ; aliorum ad Christum conversio ; Sanctæ martyrium.

Sancta recreatur apparitione cœlesti,

His ita gestis, cœlestis advenit visitatio, quæ Christi Virginem lætificavit : quippe instar solis in eodem carcere divina lux emicans, horridum fœtorem, quem spiritus nequam asperserat, effugavit, ac deinde in ejusmodi claritate signum salutiferæ crucis effulsit, et super eamdem crucem columba nive candidior residere visa est. Statimque vox ad eam facta est, dicens : Gaude, fidelissima Virgo, exulta martyr gloriosa : quoniam per multa certamina falsorum deorum cæremonias contempsisti, et Christi nominis gloriam audacius prædicasti; ecce per martyrium tuum ad gaudia pertinges æterna, ubi cum angelis et cum Sanctis omnibus in perpetuum læ- D taberis.

eaque contra novis tyranni insultus roboratur,

33 Et hac ergo visitatione sancta Virgo magis magisque roborata est, et ita animus ejus ad passionem confortatus est, ut omnia tormentorum genera pro nihilo duceret. Mane autem facto, iniquitatis arbiter, non immemor crudelitatis malignæ, quam contra Dei Famulam excogitaverat, de squalore fœdissimo carceris eam abstrahens, in conspectu populi ante suum tribunal astare præcepit. Quæ cum læta facie et quasi nihil mali perpessa esse videretur, furiis exagitatus, his verbis ejus constantiam frangere cœpit : O impudentissima omnium feminarum, et inimicissima animæ tuæ et corporis tui! Quare cor tuum more bestiarum obdurasti, et circa salutem tuam nihil tractasti?

pluribus verbis constantiam Martyris labefactare conantis,

34 Ecce facta es ferro durior, adamante robustior, omnes cruciatus pro nihilo reputas principum decreta respuis, sacrisque numinibus debitum honorem exhibere contemnis. Scimus et nos dignam tibi adhibere medicinam, tuisque artibus fomenta aptissima. Sed quid te per multa E ducimus? Per salutem invictissimorum regum, et deorum magnificentiam ; quia nisi continuo ore profitearis diis immortalibus tumida flectere colla, et sacra afferre libamina, ignivoma adustione ferream tuam excutiam animam, et si tantus tibi est amor Christum colere, ut flammarum incendia parvi pendas, evidentissime probabimus. Sed festina infelix subvenire animæ tuæ, antequam te incendia præparata concrement et flammarum ardor exurat.

sed contemnitur a Martyre.

35 His auditis, sancta Martyr superbissimum tyrannum ita affata est : Quare anxiaris, o judex, et mihi stimulos ignium inferre minaris? Minas tuas non timemus, et supplicia tua nullo modo formidamus, quoniam quidem consideranti præmiorum magnitudinem contemptibilis efficitur omnis cruciatus : Quoniam non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Propterea a Domino meo Jesu Christo non ignis, non gladius, non mortis articulum * me aliquando separare poterit. Tantum, quod facturus es, jam amplius ne differas; quoniam te tuosque pariter deos contemnimus, et solum Dominum Christum F adorare et glorificare non cessabo.

* periculum.

Ignitis postea lampadibus cruciatur, tyranno ipsi insultante, sed frustra.

36 Hæc illa loquente, crudelitatis judex ampliori exæstuans ira, jussit eam denudato corpore a terra suspendi ; dehinc ignitis lampadibus triumphalia ejus membra cremari præcepit, deridensque illam, dicebat : Margareta, gaude et lætare in Christo, quem tu nullo pacto negare asseris. Hanc quippe requiem, hoc tibi gaudium ipse acquisivit. Quapropter, si potest, subveniat tibi, et ab isto incendio eripiat te. Porro si adhuc nostræ jussioni parere volueris, et tibi infelicissimæ succurrere festinaveris, tot et tanta deliciarum commoda proferemus, ut omnia tormenta, quæ perpessa es, oblivioni tradas. Sancta Margareta respondit : Gratularis de momentanea combustione ; et tu non attendis sempiternæ. Hæc est gloria Christianorum, per quam venitur ad gaudium, quod numquam finitur. Hæc enim jugiter optavi, et in desiderio habui. Iste quidem ignis artus meos ad modicum comburit;

te

A te autem utpote paganissimum perpetua cruciabunt incendia. Ille utique cœli terræque Dominus, qui quoniam tres pueros de camino ignis ardentis eripuit, ipse mihi famulæ suæ refrigerium præstat, ut ignis iste non dominetur mihi, quatenus tua devicta pertinacia merear cum illis hymnum gloriæ decantare.

Preces ad Deum fundit, et in vas aqua plenum injicitur,

37 Et cum hæc dixisset, elevatis ad cœlum oculis ita precabatur: Domine cunctorum creator, cui omnia elementa famulantur, exaudi me clamantem ad te. Tribue mihi, ut ignis iste me superare nullatenus possit. Mira Domini gratia! Sustinebat enim ardentes lampades quasi refrigerium suavissimi roris, et dicebat ad judicem: [Saltem tu intellige, quis sit Dominus meus, quem colo, qui tantæ virtutis tantæque potentiæ est, ut ignis iste corpusculum ancillæ suæ comburere nequeat. Tandem fatigati, atque devicti, reliquerunt eam suspensam, ab ignis tamen combustione illæsam; et dicebant ad judicem] *a*. Decernat dominus noster, qualiter inimica deorum puniri possit: quoniam omnis vester conatus ad nihilum redactus est. B Tunc præses jussit afferri vas magnum, et aqua usque ad summum repleri, eamque ligatis manibus et pedibus in eo præcipitari jussit. Sancta vero Margareta cum in mortale præcipitium demersa fuisset, orabat Dominum dicens: Disrumpe, Domine, vincula ista, ut sacrificem tibi sacrificium laudis, et videntes populi credant, quia tu es Deus solus, et gloriosus, quem mundus iste miser ignorat.

ac mirabiliter servatur.

38 Ad hanc vocem ligamina illa disrupta sunt, et ex vase illo absque molestia surrexit. Videntes autem, qui aderant, tanta mirabilia in Dei Virgine celebrata, admirantes dicebant: Vere magnus ac verus est ille Deus, cui hæc Virgo famulatur, ad cujus preces tot et tanta prodigia peracta sunt! Hac igitur inventa occasione, cœpit sanctissima Martyr ad eos loqui: O prudentissimi viri, attendite et cognoscite, quod Dominus Christus ipse sit creator omnium, cui universæ famulantur creaturæ, sicut ipsi in his, quæ mihi acciderunt, evidentius probare potuistis.

39 Quamobrem relinquentes simulacrorum cultus, convertimini ad creatorem vestrum, et C salvatorem animarum, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum: ad quem si tota mente convertimi, ejusque baptismate abluti fueritis, et Christianæ fidei religionem opere et professione servaveritis, non solum animas vestras beata requies suscipiet, verum etiam cum generalis resurrectio facta fuerit, duplicia possidebitis præmia, hoc est in animabus et corporibus vestris absque ullo termino gaudebitis.

Aliorum ad Christum conversio ac martyrium:

40 Ad hanc vero prædicationem multitudo populi, relicto paganitatis errore, ad fidem Christi conversi sunt. Quod ubi nefandissimus præses comperit, tædere * cœpit, ne populi commotio contra eum fieret, dignitatis honorem simul cum vita perderet, et absque omni examinatione eos, qui ad prædicationem sanctæ Virginis crediderant, decollari præcepit. Quos nimirum constat in suo felici cruore regenerationem sancti baptismatis percepisse, et sempiternam vitam procul dubio adeptos fuisse. Post istorum itaque consummationem, perfidus tyrannus cum sanctæ Martyris invictissimam cerneret constantiam, eamque jam flectere desperaret, jussit illam capitalem subire sententiam. D

* timere

post quos Sancta, fusis ad Deum precibus,

41 Apparitores autem suscipientes eam, duxerunt eam extra civitatem ad locum ubi eam jugulare destinatum habebant, ibique illam cuidam spiculatori, cui nomen erat Malchus, ad decollandum tradiderunt. Tunc sancta Margareta petiit, ut ei orandi licentia daretur. Quam cum impetrasset, his verbis ad Dominum preces effudit: Glorifico te, Domine Jesu Christe, collaudo et benedico nomen tuum: virtus enim tuæ potentiæ me in fragili sexu constitutam roboravit, et triumphales agones percurrere fecit; ideoque suppliciter exoro, ut nunc anima mea a tuis suscipiatur angelis, quatenus æternæ felicitatis gaudia cum Sanctorum cœtibus possidere, tuamque optabilem, quam semper optavi, merear videre præsentiam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per cuncta secula. Amen.

capite plectitur.

42 Et hæc dicens, spiculatorem, ut feriret, hortata est. At ille juxta quod in mandatis habuit, gladio caput ejus amputavit. Martyrizata est autem pro Christi nomine sanctissima virgo E Margareta XVI Kalend. Augusti *b*. Quod fideles Christicolæ audientes, venerunt et auferentes corpus ejus, digna cum veneratione, ut mos est Christianitatis, sepulturæ tradiderunt. In quo loco cum pax esset Ecclesiæ reddita, basilicam in ejus nomine construxerunt ad laudem et gloriam Domini Jesu Christi: qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Ex ecgrapho S. Mariæ ad martyres suppleta sunt, quæ hic uncis inclusa legis.*

b *Ecgraphum sæpe dictum legit* Idus Januarii. *Sed quid de die martyrii probabile statues? Ubi alia omnia ejusdem adjuncta adeo obscura et incerta sunt.*

APPENDIX PRIMA F

De S. Margaritæ hodiernæ, ut volunt, corpore Antiochia Syriæ in Tusciam translato.

Ex Ms. ecclesiæ Montisfalisci, auctore recentiore anonymo.

Auctor hujus translationis falsum patriarcham Antiochenum somnians.

In Commentario, Actis hujus Sanctæ prævio, hanc translationem obiter indicavimus, pluribus, ut ibidem diximus, hic discutiendam. Enimvero plurima sunt, quæ idem incommodent, reique veritatem infirment. Auctor imprimis incerti nominis ac temporis, addo etiam incertæ fidei, quia non pauca congessit, quæ non cohærent, quæque nos haud satis comperta habemus, dubitantes an satis intellexerit ipsemet ea, quæ lectoribus adeo confidenter ac rotunde

tunde

Ex Ms.

tunde intelligenda obtrudit. Diceres, ipsum auctoritatem singularem non tam mereri, quam affectare voluisse accumulandis plurium rerum adjunctis; adeo totus est in enumerandis nominibus propriis hominum ac locorum; sed abs re, sicut jam monstratum imus. Ab ipso mox suæ narrationis exordio inducit historiam Eusebii Antiocheni patriarchæ, cui superædificat Sanctæ translationem, debilissimo certe ac ruinoso fundamento: nam in historia Chronologica istorum patriarcharum, a nobis edita ante tomum quartum labentis mensis Julii, nullus vel ante vel post indicatum a dicto auctore tempus comparet Eusebius. Etenim ab anno 904 ad 931 sedit Elias, hujus nominis primus. Quomodo itaque istum nobis obtrudit Eusebium, qui numquam extitit in rerum natura? Ex tam malo principio historiæ judica de toto ejusdem decursu.

duas Antiochias confundens,

2 Per Antiochiam, unde sacras exuvias translatas vult, manifeste intelligit Antiochiam Syriæ patriarchalem, et per Sanctam, de cujus translatione agit, non aliam denotat, quam illam, quæ sub Olibrio præfecto passa fuerit, ut videsis infra num. 14.

B

Margarita vero hodierna ab omnibus Antiochiæ in Pisidia adscribitur. Hanc itaque cum illa vel confudit, vel aliam Sanctam pro hodierna accepit; vel docere nos debet, hodiernam ex una in alteram Antiochiam translatam fuisse: quod cui umquam venit in mentem vel somniare? Dabit etiam nobis hanc veniam, ut ea, quæ garrit de Andronico principe Antiocheno, deque Simardo, Simetri filio, qui eidem principi fuerit substitutus, prius non admittamus, quam melior ac certior aliqua lux affulgeat ex idoneo antiquitatis monumento, memores, quod ei, qui adeo turpiter palpat in tenebris ac fallit, non leviter sit credendum. Ad hæc, reditus ille Andronici ex urbe Romana ad Antiochenam, quam ferro igneque vastarit, sicut habes num. 2, non melioris est notæ, quamdiu non profertur idoneus de hac re scriptor.

et plura alia peccans

3 Nec vero plus deferendum censeo iis, quibus ibidem exponitur Prior templi (SS. Margaritæ et Euprepiæ) Augustinus quidam Papiensis genere.. edoctus ab Ubaldo sacerdote seniore, ubi illa jacerent; itemque num. 3 Familiares duo, quorum alteri Lucæ, alteri Alberto erat nomen;

C

quibus largis muneribus et pollicitationibus allectus jurejurando se astrinxit (Augustinus) quod militiæ cingulo illos donaret, si secum in patriam proficiscerentur. Nec tacitus præterierim, quod numeris 12 et 13 corpus sanctæ Felicitatis apud Rovillianum castrum in Tuscia, velit esse istius S. Felicitatis, quæ fuit septem filiorum Martyrum fœcunda parens. Sed cum de ista re sententiam nostram exprompserimus die x hujus, tomo III Julii, pag. 9, eo lectorem remittimus. Quæro item quam talis auctor, adeo multa peccans, fidem mereatur in apparitionibus, quas describit a num. 13.

suam historiam suspectam ac fabulosam reddit;

4 Inscriptio etiam apud corpus Sanctæ in urbe Antiochena reperta num. 3, merito apud eruditos tumquam sublestæ fidei vacillet necesse est, quia metrica et Latina: cujus phrasis recentiorem auctorem vel interpolatorem videtur indicare; uti pariter vox divus pro sanctus vel beatus, quam toties repetit. Enimvero hujusmodi vocem in rebus ecclesiasticis inusitatam olim fuisse, et in Breviario Romano non legi, nisi fortasse in recentissimis lectionibus, alias notavimus. Consule diem XI hujus mensis, pag. 194; et diem XII, pag. 255. Juventus auctoris, interpolatoris vel collectoris manifestissime se prodit ex iis, quæ in fine recenset de ecclesia Montis-Falisci in cathedralem erecta ab Urbano V, anno 1389; de qua re agit bulla apud Ughellum tomo 1 Italiæ sacræ a col. 1051. Hujusmodi autem scriptis non cito credere jam pridem nos docuit experientia, nisi aliunde auctoritate roborentur. Ne longiores simus, Monteflasconenses rogatos volumus, ut dignentur nos docere ex melioribus documentis, corpus illud, quod possident, esse, prout volunt, S. Margaritæ Antiochenæ seu hodiernæ, et non alterius, sub adscititio Antiochenæ nomine ibidem honoratæ. Atque hic pariter solvendæ sunt ipsis difficultates quæ solvendæ sunt Hispanis, manum illius corporis in monasterio Scorialensi possidere se putantibus. Adi Commentarium prævium ad Acta a num. 30. Paucula notatu digna dicentur in annotatis. D

5 Historiam hanc habet Ughellus tomo 1 citato a col. 1057, eam longe supra meritum extollens, dum asserit illam exstare in antiquo codice illius ecclesiæ, vocatque fidelissimam narrationem; addens exemplar haberi in bibliotheca Vallicellana. E

ab Ughello editam, et supra meritum laudatam,

Quando et a quo illuc missum fuerit, discimus ex apographo ejusdem manuscripto, quod in promptu habemus; in quo ex epistola Laurentii Mezzini, data Viterbii XII Julii MDCI ad P. Antonium Gallonium, ista haberi testatur noster Papebrochius, quæ ex Italico sic reddo: Mitto ipsi translationem SS. Margaritæ et Felicitatis, extractam ex Martyrologio antiquo ecclesiæ cathedralis manuscripto in charta pecudinea. At sive illud ecgraphum corruptum fuerit ab amanuensi, sive vitiose postea excusum, mendosa plane sunt, quæ edita leguntur apud Ughellum. Nostrum item ecgraphum ex Ms. Gallonii mendis scatet. Nos sequemur apographum nostrum ex Ms. ecclesiæ Montisflasconensis. Contextus in duas partes et in suos numeros more nostro dividitur, ab erratis quibusdam expurgatus; ubi et lacunæ ex alio exemplari suppletæ.

quam et recentior quidam Italice vulgavit, quibusdam adjectis Sanctæ mirabilibus,

6 Ejusdem translationis historiam ex Latina Ughelli anno 1688 Roncilione Italico idiomate edidit Joachimus a Montefalisco, Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, ac dedicavit Eminentissimo Domino Cardinali Barbarigo Montisfalisci episcopo. Eam ad P. nostrum Janningum misit Bernardinus Coccovagini. Mirabilia quædam tempore incendii ecclesiæ ejusdem loci, a laudato interprete superaddita, et ab ipso S. Margaritæ patrocinio attributa, nos Latine in compendium hic cogimus: F Conflagravit S. Margaritæ ecclesia anno MDCLXX, die IV Aprilis, vespere Veneris sancti sub tertiam noctis horam (incendii occasionem ibidem exponit.) Ac primum quidem mirabile fuit, quod reperto, qui illuc intrare vellet, nemine ad auferendum sanctissimum Sacramentum, homo unus præ reliquis animosior ad hanc rem se obtulerit. Ingressus itaque templum, postquam pervenisset ad sacellum, in quo Venerabile asservabatur, custodiam cepit, per medias incedens flammas, et ne vel in uno quidem capillo læsus ab igne. Secundum est, quod omnes S. Margaritæ imagines manserint incombustæ. Tertium, quod statua marmorea effigiem sanctæ repræsentans Margaritæ et in chori ingressu posita, nec non zona serica cincta ac flammis undequaque circumdata, manserit illæsa: quæ quidem reposita fuit inter reliquias in ecclesia cathe-

A cathedrali asservatas. Crucifixi imago pii aliquid spirans, posita in sacello Dominicorum Piatti, illæsa perstitit, tametsi ignis devoraret altare cum toto vicino apparatu.

et ejusdem in Montefalisco veneratione. 7 *Tam hæc recentiora, quam plura alia antiquiora Sanctam sub* Margaretæ *nomine illic honoratam commendant*, patronam, *teste eodem Joachimo pag.* 60, præcipuam Montisfalisci. *In synodo, tempore Laudivii Zacchia, S. R. E. Cardinalis et episcopi Montisfalisci, anno* 1623 *habita, ad diem* XX *Julii notantur ista :* S. Margaritæ, virginis et martyris, solemnizatur cum Octava, et sit processio in utraque civitate, *videlicet in Montefalisco et Cornueti, cujus episcopatus isti unitus est. Vide Ughellum col.* 1066. *Ecce nunc tibi supradictæ qualisqualis translationis*

PARS I.

Translatio ad ecclesiam S. Petri in Tuscia, nec non inde ad castrum ibidem Rovillianum.

B

a In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen *a*.
b Anno salutis nongentesimo octavo, Sergio *b*
Exponit auctor, Ecclesiæ Romanæ Pontifice Maximo et Berenga-
c rio *c* imperatore regnante, cum inter Eusebium
d *d* patriarcham Antiochenum, et Andronicum *e*
e quemdam ipsius civitatis principem maxima discordia orta esset, ob insolentiam ipsius Andronici, quem populus diutius ferre non poterat,
f Symardus, Symetri *f* quondam principis filius, annos natus quatuordecim ab omni populo in principem est electus, et ab ipso patriarcha inter celebrandum est confirmatus. Qui postea ipsius Andronici gener effectus, socerum insolentiæ præsertim in patriarcham non timide incusabat. Andronicus autem ob sua scelera ab ipso patriarcha excommunicatus, non ferens principis correctionem, qui patriarchæ favebat, propter metum tyranni Romam discesserat.

qua occasione 2 [Qui] nocte ex improviso [rediens], Symar-
C dum generum interficit, urbem invadit, et post multam hinc inde hominum stragem, omnia ferro, igneque vastavit; incensisque sacris ædibus, quæ plurimæ in eadem urbe, auro et argento munitæ sacrarum reliquiarum veneratione coruscabant, templum Margaritæ et Euprepiæ sacrarum virginum evertit. Erat eodem tempore Prior illius templi Augustinus quidam Papiensis, et genere, et virtute clarus, qui horrescens deletam crucem, et templa incensa deflens, in patriam remigrare decrevit. Et nolens sacratissima corpora dictarum sanctarum Martyrum sic inculta deserere, edoctus ab Ubaldo sacerdote seniore, ubi illa jacerent, secum ferre putavit, ut his dua-
g h bus [gemmis] B. Syri *g* confessoris templum *h* decoraret in patria.

SS. Margaritæ et Euprepiæ corpora 3 Habebat iste familiares duos, quorum alteri Lucæ, alteri Roberti nomen erat. Quibus largis muneribus, et multis pollicitationibus allectis, jurejurando se astrinxit, quod militiæ cingulo eos decoraret, si secum in patriam proficiscerentur. Noctis igitur silentio effosso loco, ubi latebant sacratissima corpora, circa unum passum *EX MS.* invenerunt concham porphyriam, ferro æreque munitam, ubi litteræ sculptæ patebant in hanc sententiam :

Margarita hic est ter quinis martyr in annis,
Virgineam cœlo reddidit ipsa animam.

Posito autem igne solverunt concham illam : ubi alia inerat argentea gemmis ornata, quæ sacræ Virginis corpus continebat. Læti igitur [et] ex suavissimo odore refecti, domum cujusdam Crisperis*, amici Prioris, clam adivere : ubi nullo patefacto concilio, quatuor dies se continuerunt. Deinde collocato corpore in vase quodam ligneo, concham argenteam, quam fregerant, vendiderunt, ingressique iter, navem conscenderunt.

* *alias* Chrisperii.

4 Favente autem omnipotenti Deo, et ipsa Martyre gloriosa, quasi duce, plenis velis ad Brundusii portum applicuerunt. Ubi emerunt equos duos, et inde per Apuliam Romam profecti, in domum cujusdam Jacinti juxta templum beati Theodori *i* martyris se receperunt. Hic au- *i*
tem cum prior ille Augustinus dies quindecim E
ingenti animi devotione, templa Sanctorum viseret, assiduo labore fatigatus, incidit in adversam corporis valetudinem, quam dysenteriam vocant. Qua se opprimi sentiens, timens ne morte præreptus sacra ipsa corpora ad patriam perferre non posset, statim inde discedens cum comitibus suis, Sutrium *k* pervenit. *k* *Antiochia Romam;*

5 Postera die ad templum beatæ Victoriæ in via publica juxta veterem aulam se contulerunt, nec ulterius progredi potuerunt ob Prioris infirmitatem. Et quoniam eodem die, quo beati Marci Papæ, et sanctorum Sergii, et Bacchi solemnitas celebratur *l*, basilica beatæ Victoriæ in ecclesiam *l*
fuerat consecranda; de gloriosis reliquiis divæ Margaritæ, unius scilicet costæ particulam tribuit, et ad laudem omnipotentis Dei, sub inclyto Virginis nomine ibidem altare erectum est. Die vero postera ad montem Lucæ *m* profecti sunt, *m*
ad ædem scilicet divæ Mariæ, et beatæ Candidæ, ubi Prior donavit optimum pallium, et duas sindones. Inde processerunt ad ecclesiam beati Petri Vallis perlatæ juxta Lacum Vulsinium : ubi a F
Bonifacio abbate, et fratribus monasterii *n* dies *n*
aliquot cum honore susceptus est. *indeque postea in Etruriam delata fuerint*

6 Sed infirmitate prægravatus, sentiens se diutius dictus Prior vivere non posse, abbatem, et fratres accersiri jubet; et ingemens, atque lacrymans, quod in solo alieno vitam ignotus amitteret, sacras reliquias, corpus scilicet Margaritæ, et Euprepiæ caput se habere patefecit; commendavitque se omnipotenti Deo, et orationibus abbatis et fratrum, sumptisque Sacramentis ecclesiasticis, rite et recte e vita migravit, decimo sexto Kalend. Novembris. Sepultus est autem non longe ab altari sancti Blasii martyris. Abbas vero et fratres corpus inclytæ virginis Margaritæ super altari majori collocarunt; et dies octo sacrificiis solemnibus, hymnis, et canticis ad laudem et gloriam Jesu Christi, et ejus dicatæ Virginis devotissime celebrarunt. *ad monasterium S. Petri :*

7 Quo tempore in eodem loco multa coruscavere miracula, annuente clementia summi Dei propter merita gloriosæ Martyris. Quidam enim *quo loco*

EX MS. Donatus ex Castro S. Victoris oriundus, homo dives, cum ibi forte adesset, et sinistra manu, quam aridam habebat, sacri corporis loculum tangeret, valida statim atque potens miraculose effecta est. Matthæus custos horti ejusdem loci ex paralytico firmus factus est. Ægidius quidam Pisanus, ex sorore abbatis nepos, desperata valetudine morbi hydropici, quo laborabat, a Viventio* sacerdote ipsius loci erectus, et ad sacras reliquias ductus, incolumis evasit.

* alias Vincentio

plura miracula

8 Quidam, qui Mugentius dicebatur, eoquod mutus mugiret, non loqueretur, tactus devotione Martyris, verba formavit. Rosa de Castro sanctæ Cristinæ malo vexata spiritu, et propterea catenis astricta, a viro tracta ad sacratissimum corpus, statim est liberata. Laurentius filius Albonecti*, sancti Flaviani arthetria* infirmitate diu gravatus, impositus equo, et eo perductus, sanus pedibus ire cœpit. Vicarius Rollandi ejusdem loci cum surdus esset, auditum recepit. Lucianus quoque dicti loci cum lapidis morbo diu laboraret, incolumis evasit. Itidem Vitellus quartana est liberatus. B Berta mulier præfati loci dies quatuor in discrimine partus constituta, invocato Margaritæ nomine, emisso partu, sana est præservata. Palma Balneoregiensis *o* cum dies et noctes a maligno spiritu vexaretur, coarcta catenis, et a Britio ejus viro illuc perducta, altis et inhumanis vocibus emissis, fuit liberata.

* alias Albonetti
* arthritica.

patrata;

9 Mulier quædam nobilissima nomine Rorisana ex Urbe veteri *p* oriunda, cum sanguinis fluxum longo tempore pateretur, et nulla medicorum curatione sanari posset, ad Deum et ad beatam Margaritam voto emisso, incolumis facta est. Unde non ingrata sacro corpori obtulit pallium, sindonem et calicem argenteum. Floriana quoque Balneoregiensis annos quinque gravissimam perpessa corporis infirmitatem, ad venerandum corpus perducta, illico firma, et valida est effecta. Scambius quidam de Burgo sancti Valentini, natura claudus, adductus ad sacras reliquias, fortis, et rectus incedere cœpit. Henricus vir ditissimus eodem loco natus, cum propter longam ægritudinem oculorum lumen amisisset, visum recipere meruit.

C quorum hic

10 Brimachius sanctæ Cristinæ incola graviter ita laborans, ut jam de ejus funere ageretur, Martyris gratia liber evasit. Ubertus, vir quidem nobilitate clarus, archidiaconus Parisiensis, Roma regrediens, multis comitantibus, cum de equo, quo considebat, descendere vellet; exterritus equus, seque in saltum erigens, dominum ad terram projecit, cumque adhuc frenum tenens surgere conaretur, et equus pedibus superbiret; relictis demum habenis, calcibus percussus, crura fregit; cumque gravissimo dolore affectus, nec pedibus, nec equo inde discedere posset, ibi noctem egit.

series, texitur.

11 Venit autem illi in mentem Margarita virgo sanctissima, cujus nomen ob stupenda miracula in omni ecclesia celeberrimum erat, et ex imo corde lacrymas effundens, votum vovens Martyri gloriosæ, longa oratione se commendavit. Completa vero oratione, sopore quodam occupatus, dormire cœpit, apparuitque illi in somno beata Margarita dicens: Noli timere; age gratias Deo omnipotenti, qui te meis precibus liberare dignatus est. Et visa est illi membra fracta molliter tangere, et componere rupta ossa, et eum sanum reddere. Cumque excusso somno se liberum et firmum perspiceret, Deo et beatæ Martyrii innumeras gratias habuit; et accedens ad locum sacrarum reliquiarum, Lucensium *q* libras sexaginta donavit. D

12 Contigit ut paucis annis post, vi bellorum *r*, quæ in iis regionibus gesta sunt; locus ipse desereretur incultus; erat autem secundum situs ejusdem lacus Vulsinii versus flumen, qui Marta *s* dicitur, castrum quoddam quod Ruvillianum *t* * appellabant, ubi Genitricis Dei Mariæ constructum stabat, parvum templum: in quo divæ Felicitatis martyris, septem filiorum matris sub bona religione reliquiæ *u* servabantur, cujus dies festus Non. Kal. Decembris agitur. Clerici igitur ejusdem templi cum habitatoribus dicti castri, Margaritæ virginis sacratissimum corpus eo transtulerunt, et juxta corpus sanctæ Felicitatis collocarunt. Ubi cæci illuminati sunt, et variis languoribus laborantes, meritis et intercessione invocatæ Virginis bonam recuperarunt valetudinem, plurimaque ibidem miracula claruerunt, quæ enumerare longum esset. E Ad corroborationem bonarum mentium prædicta, quæ brevi sermone perstrinximus, sufficere visa sunt. Translatum autem fuit corpus beatæ Virginis ab ecclesia sancti Petri ad Ruvillianum pridie Idus Octobris, eo scilicet die, quo beati Calixti martyris atque Pontificis passio celebratur, ad laudem, et gloriam summi Dei.

q

r

Altera ad montem Rovillianum translatio.

s

t

* alias Rovillianum.

ANNOTATA.

a *Ista nec sunt in excusis apud Ughellum, nec in apographo nostro.*

b *Infamis iste hujusce nominis* III *satis in historiis notus est, de quo Baronius ad annum* 980 *et duobus sequentibus.*

c *Designatur Berengarius istius nominis primus, Italiæ rex; de quo varia habet Baronius, et ejus cædem anno* 924.

d *Fictitium hunc patriarcham exsufflavimus paulo ante.*

F

e *De historia hujus Andronici nihil reperio tam prout hic, quam prout paulo post describitur.*

f *Et hæc historia mihi incomperta.*

g *Haud dubie hic indicatur S. Syrus episcopus Ticinensis; de quo erit dicendi locus ad diem* IX *Decembris.*

h *Addit Joachinus a Montefalisco, de quo supra in sua Italica versione,* ecclesiam metropolitanam Ticinensem.

i *De hac ecclesia agit Pancirolus in Thesauris absconditis urbis Romanæ, Reg.* 9, *pag.* 704 *inter eas, quæ sunt in portu Romano.*

k *Urbs est Etruriæ parva, sed episcopalis in provincia Patrimonii S. Petri ad amnem* Pozzolo, *rupibus undique cincta.*

l *De iis agendum erit die* VII *Octobris.*

m *Montem hunc sub isto nomine non invenio in mappis; situs tamen colligitur ex contextu, qui unus esse potest ex his, quibus interjacet Sutrium. Idem intellige de locis ignobilioris notæ, paulo post hic occurrentibus; si vera scribat auctor.*

h *Po-*

A h *Ponitur hic monasterium in individuo vago; de quo viderit scriptor.*

o *Urbs est in ægro Urbevetano Tusciæ, patria S. Bonaventuræ, de quo egimus die* XIV *hujus.*

p *Urbs vetus* (Orvieto) *territorii Orvetani caput, in Etruria ad Clanis et Palliæ fluviorum confluentem, super montem sita.*

q *Moneta, ni fallor, hic ita dicta a Luca, urbe Etruriæ notissima, quam et* Luculensem *dici ex Alberto Aquens. affirmat Cangius in Glossario; ubi variarum etiam librarum tradit valores; hujus forte, de quo hic agimus, valor erit* 10 *assium, prout est Genuensis.*

r *De bellis seculo decimo per Italiam grassatis, præsertim sub tyrannide Berengarii et Adalberti, agit Baronius ad annum* 960.

s *Fluvius est Etruriæ a Vulsino lacu egrediens, deinde in meridiem per provinciam Patrimonii fluens Tuscaniam versus, cujus mœnia radit, qui in mare Thyrrenum infra Cornuetum urbem defertur. Cognomine ibidem Marta oppidum.*

t *Castrum hoc frustra nunc quæsieris :* Cujus,
B *uti addit hic supra laudatus Joachimus,* hodie ne ipsa quidem vestigia apparent; *quod etiam hic in textu dicitur mox.*

PARS II.

Translatio ad Montemfaliscum.

Diruto castro Rovilliano,

Cum autem et Ruvillianum propter bella solo æquatum esset, et jam spineta crevissent, ubi homines habitaverant, haud passa est divina pietas in locis silvestribus sacra dictarum Martyrum corpora, summis decorata meritis, perpetuo ignota latere; sed anno salutis MCLXXXV, Indictione tertia, Urbano tertio Romano Pontifice *a*, regnante Frederico imperatore, erant in silva Marchionis, quæ est inter Neapolim et Terracinam *b* duo eremitæ, viri admodum religiosi, quorum alter dicebatur Johannes.

Sancta apparens cuidam Joanni eremitæ

C 14 Huic Margarita in somnis apparuit, dicens: Johannes, famule Dei, surge, et ad Montemflasconem proficiscere nuntius meus. Dic priori basilicæ divi Flaviani martyris *c*, ne me, et Felicitatem in loco deserto diutius latere patiatur. Cui Johannes eremita sic respondere visus est: Quisnam es tu, qui talia jubes? Et Virgo: Ego, iuquit, sum Margarita, ancilla Dei, quæ pro nomine Jesu Christi apud urbem Antiochiam sub Olibrio præfecto mortem perpessa, opera et industria Augustini Papiensis in Tusciam sum delata. At ille, ut Margaritæ nomen auribus insonuit, religioso quodam timore correptus: Ego, inquit, Virgo sanctissima, locum, quem me petere jubes, ignoro, et quid agam nescio. Cui Margarita: Surge, inquam; socius tuus tibi comes esto; ne dubites, rectum tenebis iter; sic Deo placitum est, me duce omnia recte perages.

indicat suum corpus

15 Ille autem cum e somno evigilasset, socio cuncta ordine narravit. Qui statim iter ingressi, sicut qui spiritu Dei aguntur, ad Montemflasconem pervenerunt; ubi iterum beata Margarita apparens ait: Propera ad Priorem *d*; quæ tibi dixi, nuntia illi meo nomine, me, et Felicitatem apud Ruvillianum, ubi Genitricis Dei Mariæ templum fuerat, inter rubos sub terra latere. Mittat viros idoneos, qui nos inde effodiant. Non placet omnipotenti Deo, nos amplius incultas esse. Eremita autem cupiens Virginis, immo Dei adimplere mandata, profectus ad Priorem, omnem rei seriem explanavit. Prior vero a referente caput avertens, nullam fidem habuit. Quod cum vidisset eremita, dolore affectus ingemuit. Cui tertio Margarita ait: Noli ingemere; omitte dolorem: redi ad eumdem, et quæ jussi, etiam atque etiam refer. EX MS.

illudque ad honorationem locum transferri jubet:

16 At eremita: Mihi, inquit, fidem non habet. Tu, quæso, ad eum properes, Virgo; tibi ipse credet; tu facilius coram explicabis, quidquid facto opus est. Sed a Virgine vox subinde profecta est: Regredere, vir Dei; ne dubites; tibi fidem habebit; ipso principe Deo volente, ministerio, et officio tuo hæc sunt peragenda. Quæ quidem vox non solum ab eremita, sed etiam a multis, qui ibidem aderant, audita est; et cum alium viderent neminem, nisi solum eremitam cum socio, perculsi virginea voce et subita religione correpti, omnes una Priorem adivere. E Quibus conclamantibus et asserentibus vera esse, quæ Johannes eremita prædicat de Margarita virgine, Prior acquievit, et credidit; seque rei expediendæ accingens, Ugonem presbyterum, et cum eo Scagnum quemdam, et nonnullos alios locum ipsum petere, et pro sacris reliquiis inveniendis, diligenter perquirere jussit.

quod quæsitum

17 At illi jussa Prioris exequi cupientes, eo profecti, in solo, ubi sacra ædes extiterat, fodiendo, diem integrum consumpsere, et cum nihil invenire potuissent, dedignati quod frustra laborassent, ad oppidum redierunt, et eremitæ turbatis animis acta nuntiarunt. Quibus ipse respondit: Fratres mei, nulla sit vobis turbatio; ipse locum numquam adivi, sed sequimini me, et ostendam vobis ubi lateat thesaurus adeo gratiose concessus. Et iter capiens, multis comitantibus, eo profectus est: ubi circumspiciens vidit in quodam loco, ubi fuerat templum *e*, magis quam alibi, rubos crevisse: Hos, inquit, incidite; hic effodite: nam sicut Margarita mihi detegere visa est, hic ejus et Felicitatis martyris reliquiæ jacent, cum duabus costis sanctorum Cosmæ et F Damiani *f*. Illi autem e vestigio monita exsequentes, invenerunt tabulas marmoreas accuratissime clausas, in quibus hæ litteræ sculptæ patebant: Hic requiescit corpus beatæ Margaritæ, et Felicitatis.

ac repertum

18 Apertis autem tabulis, locus ipse redoluit suavitate odoris, et sacræ reliquiæ inventæ sunt, sicut vir ille sanctus prædixit. Omues igitur gaudere, lætari, exultare, ad oppidum nuntios mittere, ut rem ipsam Priori, et populo patefacerent. Prior autem et populus omnis lætitia affecti properarunt ad sacras reliquias, et maxima veneratione, canente et psallente clero, ad oppidum transferebant; sed nocte superveniente tenebræ factæ sunt, et omne cœlum nubibus tectum, ut qua iter esset ad oppidum, nullo modo inveniri posset. Senes autem, et pueri, feminæ, valetudinarii, omnis denique populus, qui illuc confluxerat, obscura, et improvisa nocte perterriti, desperato reditu valde timebant. Unde emissis votis ad sacras reliquias clamabant omnes: Adjuva

EX MS. juva nos beata Margarita. Illico cœlesti et clara luce via resplenduit, acsi meridiano sole dies claresceret, et ea huc prævia pervenerunt ad Montemflasconem usque ad domum Benencasæ *g* juxta domum Sigismundi, ubi et lux evanuit; et sacræ reliquiæ ita fixæ ibi permansere, ut nulla vi inde amoveri potuerint *h*.

transfertur ad Montemfaliscum; 19 Quo miraculo stupefactis omnibus, accersitur Benencasa, et data illi optione, ut aut venderet domum suam quanticumque vellet, aut cum alia permutaret, id sæpe rogatus agere recusavit. Intonuit subito e cœlo Dominus, et nox atra terris incubuit simul et exorta tempestas, imbribus et crebris ignibus dies tres continuos civitatem perterrefecit. Qua quidem re perterritus, et Benencasa domum suam ultro concessit, et in eodem vico aliam perbenigne accepit. Quo peracto, cœlum continuo clarum, atque mite redditum est, et omni tempestate fugata, cuncti in lætitiam, et sanctarum Martyrum laudem proruppere, et accingentes se operi, alter alterum exhortantes, ibidem basilicam novis semper miraculis crebrescentibus exstruxere.

B

ubi prodigiis claret, 20 Nam Scontra Voneluchæ de vico S. Bartholomæi, quæ longo tempore in mamillis fistulas fuerat perpessa, ut nulla posset medicina curari, accedens ad Sanctarum corpora, quamprimum est liberata. Tedescus Cognetti de regione Porticellæ, incurabili narium morbo, qui cancer dicitur, gravissime affectus, auditis Sanctarum miraculis, surrexit de lecto, et eo profectus, ita sanus factus est, ut nulla morbi vestigia apparerent. Quidam Ultramontanus obcæcatus infirmitate oculorum, meritis dictarum Martyrum est illuminatus. In vico divi Bartholomæi ignis validus accensus est; ubi et mulier quædam Foletta nomine interiit, cum nulla aquarum multitudine, nulla vi extingui posset. Ugo sacerdos divæ Margaritæ caput exhibuit, et ad ignem pertulit; quo extenso, flammæ illico sedatæ sunt, et omnis ignis ita extinctus est, ut nec scintilla ignea inveniri posset *i*.

erecta sub ejus nomine ecclesia in cathedralem. 21 Hæc, et alia quam plurima miracula ibidem facta sunt, et quotidie fiunt. Quibus coruscantibus, ipsa basilica in cathedralem ecclesiam est

C

erecta *k* sub vocabulo Margaritæ virginis, ubi sacerdotes, et ministri numero duodeviginti *l* pias orationes, et divina quotidie persolvunt officia ad laudem, et gloriam summi Dei, sanctarum martyrum Margaritæ, et Felicitatis, quarum corpora ad Montemflasconem translata sunt decimo octavo Kalend. Decembris, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui laus, honor, et gloria in sempiterna secula. Amen.

ANNOTATA.

a *Si vera narrat auctor, debuit hoc contigisse post* XXVI *novembris anni* 1185, *quo iste Pontifex creatus fuit.*

b *Urbs parva est in Campania Romana et in confinio regni Neapolitani, Romam inter ad occasum et Neapolim ad ortum,* 60 *milliaribus utrimque distans. Unde patet, quam parum accuratum geographum hic se exhibeat auctor, in vasto indeterminatoque hujus sylvæ spatio extra justæ topographiæ limites vagatus.*

c *De hac ecclesia parochiali meminit bulla Urbani V, de qua diximus. Nonnulla item huc spectantia suæ historiæ a pag.* 37 *inseruit Joachimus supra memoratus. De S. Flaviano plura dici poterunt die* XXII *Decembris. Satis sit modo notare, hanc ecclesiam Montifalisco proximam esse ad partem portæ, quæ Florentiam ducit, uti observat idem Joachimus.* D

d *Joachimus pag.* 39 *dicit hanc ecclesiam prius collegiatam fuisse quam esset cathedralis, atque a canonicis frequentatam cum suo capite sub nomine* prioris : *quod nomen etiam adhibetur in sequenti inscriptione ibidem in altari exarata, quam refert pag.* 38 : Anno Domini MCCLXII Urbanus Papa IV fieri fecit istud altare.... Sacrificavit manibus propriis : consecravit illud cum cardinalibus, archiepiscopis, episcopis pluribus, secundo Idus Octobris, tempore PRIORIS Philippi. *Sed male confudit supra Joachimus ecclesiam S. Flaviani cum cathedrali seu* S. Margaritæ, *eum tamen inter se distinguantur, uti liquet ex sæpe dicta bulla Urbani V:* Duo canonici, et duo capellani in sacerdotio constituti, præfatæ ecclesiæ montis Flasconensis ecclesiæ S. Flaviani prope dictam civitatem, quæ parochialis existit, continuo deserviant, ita tamen quod ad præfatam ecclesiam cathedralem in die ejusdem S. Margaritæ virginis venire teneantur. E

e *Textum interpolavit Joachimus, hæc addendo ex Italico a me translata pag.* 43 : Detexerunt portam loci subterranei ; et hæc ecclesia erat dedicata gloriosæ Virgini Mariæ. Mox introiverunt : ubi viderunt duo sacella more antiquo fabricata, cum suis altaribus semidirutis, quo modo supradicta sacella videntur in isto loco subterraneo, non ita pridem repurgari jusso a D. Andrea Lampani *(ecclesiæ cathedralis Montisfalisci decano)* qui hodiedum vocatur Crypta S. Margaritæ.

f *De illis Sanctis cum Martyrologio Romano agetur die* XXVII *Septembris.*

g *Nomen est avi S. Catharinæ Senensis, ut videsis die* XXX *Aprilis in parte prima Vitæ cap.* I *sub initium. Sancta hæc in Breviario Romano typis Plantinianis anno* 1636 *Antverpiæ impresso* ex Benincasia una cum Burghesia familia ex eodem stipite proveniente, *orta dicebatur ; sed tituli isti familiarum postea merito expuncti sunt. Vide die* XII *Julii Commentarium prævium Vitæ S. Joannis Gualberti,* § 1. Benencasæ *apud Ughellum et in nostro Ms. Galloniano additur* bonæ filiæ, *subaudito forte* filio. F

h Splendor autem [per] quem supra diximus tenebras fugatas, a quam plurimis in remotis et longinquis regionibus visus esse refertur, ut nonnulli de civitate Lucana, qui splendorem ipsum perspexisse retulerunt, venerunt ad reliquias adorandas cum muneribus, *audax hyperbole apud Ughellum, et in Ms. nostro Galloniano, hic recte quidem prætерita, sed paulo post importune intrusa loco non suo. Vide litteram* i.

i *Hyberbolicam lucem, de qua supra, huc male intrusam expunximus.*

k *Quanam id occasione sit factum, exponit Ughellus citatus, col.* 1051.

l *Ita etiam apographum nostrum Gallonianum, et Ughellus, non* viginti quatuor, *sicut Joachimus ex ipso vertit, interpres hoc loco (qualem tamen se* pro-

A *profitetur pag. 52) non omnino fidelis. Addit,* accrevisse jam duorum beneficiatorum accessione ad numerum viginti sex, id est canonicos 12, beneficiatos decem, clericos quatuor.

APPENDIX SECUNDA

De S. Margarita, insulæ Procidæ in regno Neapolitano tutelari patrona.

Qua occasione Sancta hunc locum putetur in tutelam accepisse, exponitur;

Documentum de præsenti argumento incerti nominis auctore conscriptum, noster Bollandus accepit VII *Martii anno* 1645: *idque nobis ansam dedit notandi ea, quæ in illo Ms. narrantur, ex Italico hic reddita :* Occasio, qua Procida dicitur habere patronam tutelarem S. Margaritam, ista est, quod pluribus jam elapsis annis, quando venerunt Turcæ ad illam insulam, supra primariam B ipsius ecclesiam aliquoties lumina quædam accensa apparuerint, quæ eos derepente in fugam conjecerint. Alias dum Turcicarum triremium præfectus nomine Barbarossa, volebat Turcas illuc introducere, media nocte sonum dedit æs Campanum; quo prior una cum omnibus aliis e strato se levavit, visuri quid hocce rei esset. Videbantque æs Campanum sonare, quamquam nemo adesset, qui pulsaret. Ad quem sonum colluvies ista se proripuit. Dicunt alii, in Procida præsumi, quod ibidem sit corpus prædictæ sanctæ Virginis. Verumtamen quænam istarum rationum hanc Sanctam probet loci patronam tutelarem, scire equidem haud possum.

resque elucidatur

2 Prochyta, Prochyte, Procita, *nunc* Procida *(Prochite) insula est parva maris Thyrreni in regno Neapolitano; de qua plura Geographi. Barbarossa ille, qui supra nominabatur, fuerit, si res vere subsistat, hujus nominis secundus, fratri homonymo in regno Algeriano successor, qui seculo 16 aliquantulum adulto legitur in Italiam exscendisse. Ac de insula Procida ab eo incursa signate agit Baronii Annalium continuator Spondanus ad annum* 1531 *num.* 1. *Per* priorem *supra item memoratum intelligo abbatem (qua notione sæpe priorem occurrere in regula S. Benedicti notat Cangius in Glossario) monasterii videlicet S. Michaelis archangeli, Ordinis S. Benedicti, cujus perpetuus abbas Commendatarius fuit Eminentissimus Robertus Bellarminus; quam abbatiam* nunc, restante commendatario abbate, totius insulæ, exactis monachis, factam esse parochialem ecclesiam, *invenies apud Lubinum supra laudatum pag.* 310. *Clemens PP. VIII voluit istam insulam ipsamque abbatiam diœcesis esse Neapolitanæ, cujus olim fuerat, Archiepiscopo Neapolitano obnoxiam : de qua re exstat diploma apud Ughellum tomo* 6, *a col.* 240, *datum* VI *Septembris anno* 1600.

AUCTORE J. P.

et examinatur.

3 *Ad lumina ista et sonum quod attinet; respondeo incumbere iis, qui talia credi volunt, alicujus idonei testimonii robore illa munire, alioqui nihilo pluris apud nos valitura, quam hujuscemodi historiunculas vulgares, sola fama nulloque antiquitatis monumento subnixas. Ego certe nihil hactenus reperi, quo ista comprobari possint. Verum alia eaque* E *varia hujus Sanctæ, a Procidanis in tutelarem patronam assumptæ, ratio subesse potest, quamquam illa nos lateat. Singulari etiam modo Minorenses in eodem regno Neapolitano contra ingruentes Turcas protexisse fertur S. Trophimena, Minorensium patrona, de qua re mentionem fecimus ex Joanne Baptista d'Afflitto, ut videre apud nos est tomo secundo Julii pag.* 232. *Certe laudatus auctor in brevi historia de vita, martyrio ac miraculis ejusdem Sanctæ Italice edita Neapoli anno* 1685, *totus est in ornatu istius rei gestæ vel saltem pie a vulgo creditæ. Quod tum ibi, tum alibi in similibus traditiunculis usuvenit, in hac, de qua agimus, locum quoque habere suspicor, ut speciose magis dicatur, pieque credatur quam convenienter, vere, et historice. Utut est, dum monumenta deficiunt, satis esse debet Procidanis injectam hic qualemqualem suæ patronæ, ut fertur, mentionem. Quæ subjiciebat superius nostrum Ms. de corpore* S. Margaritæ, *quasi præsumi possit in Procida asservari, satis refelluntur ex dictis.*

C F

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS

SABINO, LUCIANO, PETRO, AMABILI, NONNINA, SAUDO, AGRIPPIANO, MEDADULO, RESPECTATO, CUM ALIIS XXIII.

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

XX JULII

Præferenda nobis videtur annuntiatio codicum Lucensium et Corbeiensis;

En turmam Martyrum expressis nominibus novem et anonymorum viginti trium, ut numerum simul constituant athletarum XXXII; *quot nobis exhibent codices Lucenses et Corbeiensis, hoc solo discrimine quod pro* Nonninæ *in Corbeiensi sit* Nounæ, *pro* Saudi *legatur* Savoi *et* Medatuli. *Cetera conveniunt et confirmantur ex contractiori codice reginæ Sueciæ, ita in nostro apographo recte legente :* In Africa natalis sanctorum Sabini, Luciani, Petri, *cum aliis numero* XXIX, *ut eum ubique parem invenias; quem numerum non exprimunt ceteri breviores codices, in quorum tamen plerisque totius classis antesignanus notatur* Sabinus, *a pauculis Damasco adscriptus, ut pateat amanuenses istos secutos fuisse exemplar simile Epternacense, cujus laterculus hic mire confusus est, in hunc modum :* In Africa, Luciani, Petri, Amabilis, Nunninæ. Et in Thebaide Victoris.

A ris. In Damasco, Sabini. In Casino, Severi, Saudi, Acripiani, Medaduli, Respectæ et aliorum XXII.

sed confusa videtur Epternacensis apographi annuntiatio.

2 *Patet utique confusio, at non æque promptus est modus eam restituendi. Imprimis certum est, alio transferenda verba :* Et in Thebaide Victoris, *de quo cum aliis codicibus infra. Nec quidquam significat :* In Damasco, Sabini, *ubi cum hoc Sancto plures alii conjungendi sunt. Sic nec de* Casino *in aliis codicibus usquam mentio; ut ferme suspicari ausim, sciolum aliquem ex* Sabino *formasse* Casinum, *illucque Severum, de quo infra agemus, intrusisse, forte ut numerum compleret nominatiorum decem, qui cum* XXII *aliis, summam* XXXII, *jam supra stabilitam conficerent. Ita equidem opinari cogor, quo res utcumque componatur; nam quod hic Florentinius* Severum Casinensem episcopum *olfacere videatur, admittendum prorsus non censeo; neque enim iste ut martyr colitur, neque ad persecutionum tempora spectat, neque socios habuit, saltem ut a Petro Diacono et Ferrario relatus est, quemadmodum infra etiam indicabitur. Si ista conciliandi modum faciliorem quis invenerit, ultro et lubens assentiar : parva certe, si qua est, difficultas, quod* Sabinus *aliquis æque Damascenorum ductor fuerit quam Martyrum Afrorum.* D

DE S. VICTORE MARTYRE ET FORTE SILVANO

B

IN THEBAIDE E

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

XX JULII

S*ancto huic* Victori *socium addidi* Silvanum, *sub apposita particula, quod is in solo codice Corbeiensi adjungatur :* In Thebaide, natalis S. Victoris, Silvani. *Ex codicibus contractis subsidii nihil : Rhinoviense scribit* Victori, *Richenoviense* Victuri, *Rabanus* Victuris. *Florarium Sanctorum Ms. nescio unde hauserit, quod scribit :* Victoris, Feliciani, Alexandri et aliorum martyrum, *nisi S. Victorem Massiliensem ex laterculo diei sequentis huc perperam retraxerit. Neque magis capio quid sibi velint editio Lubeco-Coloniensis et Grevenus, ex quibus sua habuit Maurolycus, dum scribunt :* In Thebaïde, Victoris confessoris; *quibus certe absterreri non debuit Florentinius, quo minus in classe martyrum suo quodammodo jure collocaretur. Unde non video cur amovendus sit, donec argumenta urgentiora adducantur, quibus eo compellar : neque enim majoris ponderis est auctoritas Adonis S. Laurentii Leodii, ubi nullus character apponitur, non magis quam in antiquiori codice Usuardino Centulensi ubi tantummodo legitur :* In Thebaïde S. Victoris.

DE SANCTIS MARTYRIBUS DAMASCENIS

C

SABINO, MAXIMO, JULIANO, CASSIO, MACROBIO, PAULA CUM ALIIS X. F

J. B. S.

Ex Hieronymianis, etc.

XX JULII

I*ta annuntiat textus Florentinii ex suo vel suis codicibus ; neque magnopere differt codex Epternacensis, nisi quod res, ut dixi, et nomina aliquantulum involverit : nam post assignatam confusionem ad numerum Afrorum martyrum, immediate absque ulla positione subjungit :* Passeris, Maximi, Juliani, Macrobi, Cassi, Paulæ cum aliis x. *Dele* Passeris, *et substitue* Sabini, *habebis ipsam totam Damascenorum classem suprapositam, ut non videam de ea multum dubitari posse, ea omnia excusando quæ Florentinius de codice Epternacensi eo loco recte annotavit. Neque vero terreri debemus, quod alicubi* Julianus *pro* Sabino *ducatum obtineat : nullæ animis cœlestibus iræ; neque* Passer *aut* Passerius, *sive verum hic sit, sive ex* Passeria *Romana, inferius adducenda, corruptum nomen, ægre feret sese prætermitti. Ita salvabitur annuntiatio Usuardi, de qua in observationibus nostris pridem egimus, nihil modo novi habentes, quod ibi dictis superaddendum videamus.*

DE

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS CORINTHIACIS

CYRIACO, DONATO, TERTIO, APPIA, FELICE, NERATIA; FRUCTO, CELSO, THEODOLO, CALORO, PARTINO, SPRETO, VICTORE, MAXIMO, PASTERO, NESTITA, PAULO, ROMANO, VALERIANO, EMILI, CASSIO, ET FORTE MAGNO.

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

XX JULII.

I*n adductis nominibus ea est in codicibus variatio, ut pro* Neratia *alteri sit* Neracia, *alteri* Neratea; *sic* Calocero *pro* Caloro ; *utrum* Partini, Parthimi, *an* Parthemii *scribendum, æque incertum est.* Spectati *pro* Spreti *legit solus Corbeiensis; sic pro* Pastori *et* Emili *solus Epternacensis scripsit* Marthori *atque* Ameli. *Et hæc quidem levioris momenti sunt. In numero pugilum* XXI *concordant codices Lucenses et Epternacensis, quamvis hic classem divisisse videatur; sic ut in solo Corbeiensi superadditus sit* Magnus *quem excludendum non putavi. Invenies in Usuardo Greveni junctos simul* Magnum presbyterum *et* Amorinum, *utrumque, opinor, ex aliquo codice Hieronymiano, hunc ex classe sequenti Romana, illum ex codice aliquo simili Corbeiensi, quem ex martyre in* presbyterum, *procul dubio, confessorem aliquis transmutaverit; ut jam sæpius observatum est.*

B E

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

PASSERIA, MACRINA, VESTITA, SATYRO, AMARINO. SECUNDO ET EMILIO.

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

XX JULII.

E*x hac classe quatuor dumtaxat reperit Notkerus, nempe* Passeriam, Macrinum, Saturum *et* Emilium ; *in Lucensibus et Corbeiensi adduntur* Nestita *et* Amarinus *sive* Amirinus; *et in utraque editione subjungitur :* Et alibi Secundi, *quem tamen dissertissime in classe sua penultimo loco posuit codex Epternacensis, quem hic reliquis præferimus, manipulum istum Sanctorum martyrum ad septenarium numerum extendentes. Pro* Nestita, *qualis et in turma Corinthiaca de qua ex eisdem Hieronomianis immediate superius nominatur, maluimus cum nostro legere* Vestitæ, *quamvis* Satyrum *et* Amorinum *elegerimus præ* Satero *et* Ametino.

C

DE S. COLOMBA VIRGINE ET MARTYRE

J. B. S.

CONIMBRICÆ IN LUSITANIA

F

SYLLOGE

De cultu.

XX JULII.

Ignota de cetero Sancta

S*anctam hic Lusitanam adducimus, cum aliis synonymam , sed Fastis omnibus antiquis, æque ac aliæ, ignotam, eo solo titulo quod apud Conimbricam atque ibidem in regio S. Crucis monasterio sacras ejus reliquias venerationi expositas testentur scriptores populares Antonius Vasconcellus in descriptione regni Lusitani pag.* 451, *et Ludovicus ab Angelis in Viridario Lusitanico cap.* 33 *pag.* 96, *aliique recentiores, quibus in hac parte fidem adhiberi posse credimus. Horum, opinor auctoritate a Tamayo de Salazar Martyrologio Hispanico inscripta est cum hoc elogio :* Conimbricæ in Portugallia, sanctæ Columbæ virginis et martyris, quæ ex eadem urbe oriunda illam suo sanguine decoravit, ut castitatis florem et virginitatis candorem, quem Christo sponso promiserat, illibatum in ipso vitæ periculo conservaret. *Plura idem sed exiguo operæ pretio disputat in notis suis, quas paucis infra salutabimus. Interim totum hic ferme habes vitæ, seu potius meræ traditionis compendium, ut mox patebit.*

2 *Egimus die* IV *hujusce mensis Julii de S. Elisabetha Lusitaniæ regina, atque in Commentario prævio num.* 6 *tractavimus de codice grandiori Ms. non tantum S. Reginæ, sed et aliorum Sanctorum Lusitanorum Vitas, e lingua Lusitanica in Latinum Romæ translatas, continente. In codice isto habetur etiam processus anno* 1576 *Conimbrica ab Episcopo loci institutus super gestis cujusdam* S. Columbæ virginis martyris. *Gesta ibi antiqua reperiuntur nulla, nec credibile est umquam scripta fuisse ; neque vero ulli Martyrologi ante seculum* XVII *talis* S. Columbæ *meminerunt. Quidquid autem de illa* *casu plane innotuit*

in

AUCTORE J. B. S.

in dicto processu depositum est, nititur fere traditione populari. Indidem tamen cognoscitur, a tempore immemorabili publice cultam fuisse. Nihil certius super ea re afferri potest quam processus ipse jam indicatus, qui sub hoc titulo Summarium miraculorum aliquorum S. Columbæ, *ita orditur :*

ex processu anno 1576 instituto.

3 Die vigesima septima mensis Septembris anni prædicti, in hac civitate et monasterio S. Crucis Conimbricensi, ad quod accessit licentiatus Franciscus de Magalhais; ipse dixit portario majori P. Don Nicolao, quod adhibuerat magnam diligentiam ad inveniendum Legendam et Vitam hujus S. Columbæ, et expediverat mandatum, ut priores, rectores et curati ecclesiarum hujus civitatis magna cum diligentia quærerent cartoria sua antiqua, *(vult dicere vetustas chartas investigarent aut chartophylacia lustrarent,)* ad videndum, utrum in eis invenirent quiddam spectans ad hoc negotium : et quod solummodo fuerat repertus in capitulo sedis Cathedralis hujus civitatis quidam antiquissimus liber scriptus in pergameno magno et veteri, ubi jacet Legenda in hunc modum videlicet. *Ubi mox observabis* S. Columbam Senonensem *quæ* XXXI *Decembris colitur, cum hac Lusitana confusam, quod in iis regionibus nec rarum nec insolitum est. Audi rursus processum :*

B

super sepulcro, oratorio,

4 Vita S. Columbæ, quæ passa est in civitate Sanone; et quod per communem traditionem hujus populi habetur pro certitudine, qualiter hæc S. Columba fuit altera, quæ passa fuit, martyrium juxta hanc civitatem in valle Das Cellas, quæ distat quarta parte unius leucæ a dicta civitate, ubi dicitur quod fuit reperta a suo sponso, quatenus ab eo aufugit, dicendo quod minime contrahere volebat matrimonium, et volebat adimplere votum, quod Domino Deo nostro voverat de castitate sua; et ideo illam jugulavit in fovea, ubi ædificatum est quoddam oraculi sui eremitorium, ex quo fideles Christi trahunt terram, illamque collis suis imponunt sub certis diebus et recuperant sanitatem suarum infirmitatum. *Hæc paulo aliter traduntur in Viridario, ast in re ipsa satis conveniunt. Pergamus cum processu :*

et cultu.

5 Et secundum quod dicto Licentiato dictum fuit, plurimis ab hinc annis magno aquarum diluvio, fuit perdita magna cartorii dicti monasterii pars, ubi debebat jacere vita hujus Sanctæ. De quo ut constaret, et de miraculis ac de fide, quam populus iste et religiosi habent in ea, et qualiter ejus corpus in hoc jacet monasterio; opus erat confici summarium testium, quod insertum est Vitis et miraculis beatorum Martyrum Marochii et Theotonii, quandoquidem hic thesaurus et reliquiæ omnium eorum existunt in hac domo. Et petebat a P. Generali, ut hæc injungeret religiosis suis antiquis : quod nuntium dictus P. Ostiarius major detulit P. Generali, qui accessit ad loquendum cum dicto Licentiato Francisco de Magalhais, et dixit, quod statim accedere debent religiosi antiquiores, qui venerunt; et summarium quod factum fuit super contentis in hoc termino, super quo fuerunt testes interrogati, est sequens. Didacus Cotinho scripsi.

C

Testis primus deponit de reliquiis

6 *Citati auditique fuerunt testes quinque jurati super sancta Evangelia de dicenda veritate, quorum primus* P. Don Nicolaus canonicus dicti monasterii S. Crucis; interrogatus super contentis in acta superiori, dixit esse verum, quod de triginta sex annis ad præsens, de quibus est religiosus in hoc monasterio, semper vidit et scit, quod in sacrario ejus, ubi jacent custoditæ reliquiæ ligni Crucis Christi, et sanctorum Martyrum Marochii, existunt reliquiæ corporis S. Columbæ, quas semper audivit dici, fuisse repertas sub sepulcro lapidis, quod nunc jacet in capella S. Joannis dicti monasterii juxta murum, cum epitaphio characterum admodum antiquorum, in quibus dicitur : Hic requiescit corpus S. Columbæ. Et quod juxta hanc civitatem est quoddam eremitorium oraculi hujus Sanctæ, ad quod concurrit magnus numerus personarum infirmarum de febribus et quartanis, quæ dictæ Sanctæ se recommendant et recipiunt sanitatem; secumque portant terram ex altari in collis suis pro reliquia et devotione; quia ex fide credunt, quod dicta Sancta ibi est passa martyrium, et quod ibi etiam fuit sepulta. Dixit insuper præfatus testis, quod non invenitur in cartorio hujus monasterii aliquid spectans ad illius vitam aut martyrium; habetur tamen pro verosimili, quod in tempore, quo ratione magnæ aquarum inundationis, fuit deperdita major pars scripturarum Cartorii, dicti monasterii, cum scripturis aqua consumptis fuerat etiam consumpta Vita hujus Sanctæ.

D

E

Testes secundus et tertius fere eadem dicunt;

7 *Ne quid in supradictis obscurum maneat, puto satis intelligi per* oracula, oraculum, oraculi *indicari ædiculam sacram, in Sanctæ honorem cum eremitorio exstructam. Jam testes reliquos brevius enumeremus. Testis secundus* Pater Don Dionysius *ibidem canonicus dixit*, quod quadraginta abhinc annis est religiosus in hoc monasterio, intra quod tempus, dum ipse esset Prior, transmutando reliquias quinque Martyrum Marochii, ex quadam capsa, ubi jacebant involutæ in mantilibus altaris, ad aliam capsam de novo factam, invenit cum prædictis reliquiis ossa et reliquias S. Columbæ, quæ involutæ erant in iisdem mantilibus, et separatæ per se ab aliis. *Reliqua ejus depositio, utut forte aliis expressa verbis, plane convenit cum iis quæ P. Don Nicolaum jam supra testantem audivimus. Nec ab illis differunt, quæ deposuit testis tertius P. Don Clemens, ibidem religiosus ab annis quinquaginta.*

F

quartus et quintus addunt de recepta ab ipsis curatione.

8 *Testis quartus* P. Don Hieronymus, Vicarius in eodem monasterio, *annos triginta quatuor religiosus, præter jam relata*, dixit, quod ipse, dum esset valde infirmus, suscepit reliquiam hujus Sanctæ ex iis, quas hoc monasterium habet, illamque habuit in collo suo per aliquot dies, et liber remansit a febribus, quibus laborabat; quod evenit viginti abhinc annis, et numquam amplius simili infirmitate laboravit. *Testis quintus*, P. Gaspar Lopez, prior S. Bartholomæi hujus civitatis, *postquam nonnulla retulerat, quæ in prima depositione narrata sunt, dixit, quod cum ipse* admodum esset infirmus et laboraret tertianis febribus per sex vel septem menses, fecit devotionem et dormivit in ædicula dictæ Sanctæ quadam nocte, et die sequenti mundavit dictam ejus domunculam, et Missam inibi celebravit. In qua die sanitatem recepit : quia numquam [ab] eo laboravit dictis febribus.

Cetera de hac et aliis SS. Columbis incerta sunt.

9 *Atque hæc quidem utcumque certa sunt; non item quæ multis disputat Tamayus hoc die de tribus aliis*

A aliis diversis Sanctis Columbis. *Altera nimirum Eborensi cum fratre episcopo martyrio coronata, cujus gesta aut ætatem frustra quæsieris. Altera* Columba Osores *sive* Osorii *quæ abbatissa fuerit in vetustissimo cœnobio Archevsi in diœcesi Lamecensi tempore Almanzoris, qui* monasterium solo æquaverit, et sanctam Virginem cum aliis sanctimonialibus ejusdem cœnobii ob fidei constantiam et castitatis honorem decollaverit. *Tertia dicitur etiam fuisse virgo et martyr Interamnensis in diœcesi Bracarensi, quæ ab aliquibus dividitur, ab aliis cum alia confunditur; verius dixero, omnes istas solo ferme nomine notas esse, neque de ipsarum cultu constare hactenus. Hæc vero alterius Conimbricensis occasione, paucis hic annotasse sit satis. De hodierna porro versiculos aliquot refert Tamayus, virginibus omnibus martyribus facile aptandæ. Vitæ cujusdam schema ex citato Lusitanico Viridario Latine versum admittere equidem non recusavero, quousque a dato jam processu non deflectit; nam quæ præterea dicuntur, nulla certa fide subsistunt : certiora dabuntur de synonyma Cordubensi* XVII *Septembris.* AUCTORE J. B. S.

DE S. MERA VIRGINE ET MARTYRE

LECTORÆ IN GALLIA

J. B. S.

Ex notitiis Auscitanis et recentioribus Martyrologiis.

B

XX JULII.

Ignotioris Sanctæ cultus

Ignotæ *hujus apud veteres Martyrologos Sanctæ obscuram memoriam primus, quem quidem noverim, suscitavit Ferrarius in suo Sanctorum Catalogo generali anno* 1625 *primum edito, quem Saussayus in Gallicano, Arturus in Gynæceo, aliique non magnæ auctoritatis recentiores secuti sunt, ut proinde satis incerta dudum nihi visa sit* S. Meræ *in sacris Fastis commemoratio, tacente ad hæc Claudio Castellano, diligentissimo Sanctorum præsertim popularium scrutatore, apud quem nulla prorsus ejus, ne quidem inter venerabiles usquam mentio fieret. Dubius itaque num in hoc Opere locus ipsi deberetur, solita Majorum praxi usus sum, recurrendo ad fontem ipsum, seu locum, ubi coli dicitur, si forte lucis aliquid inde affunderetur, quo saltem de cultu certior reddi possem : nam quod ad gesta aut ætatem attinet, nihil repertum iri, jam satis perspexeram.*

ex acceptis notitiis stabilitus,

2 *Dubia itaque eo submisi ad solum prædictum cultum spectantia, ad quæ Bertrandus, collegii nostri Auscitani Rector, pro sua humanitate ea subjecit, ex quibus Sanctam satis tuto hic collocari posse, statuere licuit. Sic habet ejus responsum :* In

C Breviario Auscitanæ ecclesiæ impresso et absoluto pridie Kal. Majas anno Domini MDXXXIII, in Litaniis, psalmos pœnitentiales subsequentibus, legitur inter virginum et viduarum Sanctarum nomina, nomen S. Meræ, sic : Sancta Mera, ora pro, etc. In ipsa fronte Breviarii, in catalogo Sanctorum mensis Julii reperitur sic : XII Kal. Aug. Mere virginis. Et postea Margaritæ virginis commemoratio. In Corpore Breviarii, in festis Sanctorum mensis Julii reperitur sic : In natale Sanctæ Mere virginis oratio; quæ oratio sic habet : Deus, qui nos beatæ Mere virginis tuæ commemoratione lætificas, da, quæsumus, ut quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo.

quidquid modo forte neglectus sit.

3 *Atque hæc satis certa sunt antiquioris cultus vestigia, quibus dictorum Martyrologorum auctoritas utcumque fulciatur, quidquid fortasse hodie neque Auscii neque Lectoræ in Breviariorum recognitionibus servata sint, quæ in ipsis olim recitabantur. De Auscitano exploratum nihil habeo, at Lectorense, quod citat Ferrarius, certo mutatum oportet, cum in* Proprio Sanctorum ecclesiæ ca-

E thedralis Lectorensis, *quod penes nos est, excusum tempore illustrissimi Rupe-focaldensis qui ab anno* 1649 *ad* 1654 *sedem tenuit, nec verbum reperiatur, quo de* S. Mera *ulla fiat commemoratio. Hæc, inquam, Sanctis, antiquitus receptis, fraudi esse non patimur, neque quotidianis illis Gallicorum Breviariorum reformationibus tam facile inducimur, ut Sanctos aliunde sufficienter stabilitos, ab Opere nostro excludamus, aut nimiæ criticorum hodiernorum licentiæ subscribendum censeamus, ut alibi forte plenius erit exponendum.*

Ipsum agnovere Ferrarius,

4 *Hæc dicta sint ad vindicandum solum et unicum* S. Meræ *cultum; nam iis quæ præterea a Ferrario, Saussayo aut aliis dicta sunt, nihilo plus tribuimus, quam ipsorum fides mereatur : neque satis liquet unde Martyrologis istis constare potuerit, Sanctam istam ad diem* II *Martii martyrium consummasse, ex quibus Bollandus ipsam eo die in elencho Prætermissorum huc olim remisit. Ferrarius non alia quam Lectorensia monumenta secutus, Sanctam hoc solo die annuntiavit, his verbis :* In territorio Lectorensi, sanctæ Meræ virginis et martyris. *Addit porro in notationibus, se eam accepisse* ex Kalendario ecclesiæ Lectorensis et Auscensis, quæ illam etiam Officio ecclesiastico veneratur. Passa traditur apud Auscios; in territorio autem Lectorensi sacra ædes illi dicata est, et oppidulum ex ejusdem nomine appellatum. *Exstetne etiamnum* ædes *illa* sacra *qualiscumque, et an* oppidulum *supersit, in responso suo notare Bertrandus prætermisit.* F

Saussayus,

5 *Audiamus modo Saussayum, paulo graviori cothurno hæc omnia exornantem. Ita habet hoc die in supplemento pag.* 1148 : In territorio Auscensi, natalis S. Meræ virginis et martyris, quæ pro testificatione divinæ veritatis, firmo sanctitatis colendæ proposito ibidem mactata, victima Deo grata, moriendo æternæ vitæ aditum penetravit. *Virginibus martyribus omnibus hæc propria esse, satis manifestum est. Sic prosequitur :* Colitur autem potissimum in territorio Lectorensi, ubi dicatam ædem habet et oppidulum. Cumque passa sit die II Martii, tamen quod ea dies sacræ Quadragesimæ, ut plerumque primordiis ineundis occupetur, quo uberiori celebritate fulgeat, ejus festivitas in hunc diem protelatur. *Hæc,*

 opinor

AUCTORE J. B. S. *opinor, Saussayi conjectura est, rara admodum et parum usitata ; unde vero martyrii diem illum secundum mensis Martii affigendo collegerit, candide fateor, me divinare non posse.*

et alii. 6 *Paucioribus verbis omnia complexus est noster Lahcrius in Menologio Virginum, dum ad prædictum diem* II *Martii, omisso omni elogio, cui condendo materiam non repererat, simpliciter scribit :* Lectoræ in Aquitania, sanctæ Meræ virginis et martyris. *Arturo magis placuit Saussayi oratio, quam proinde in Gynæceum suum integram transtulit, quemadmodum et Simon iste Peyronetus in Catalogo Sanctorum Tolosæ edito* 1706, cum notis, *ut eas appellare placuit*, exquisitissimis, *in quibus nempe sola quoque Saussayi verba descripsit, nulla ulteriori opera ad rem elucidandam aut illustrandam posita, ubi tamen nullus ipso vicinior fuit qui, si quid huc conducens exquirere voluisset, rem omnem paulo amplius et clarius eruderare potuisset : ego quod addam, non habeo.* D

DE S. LIBERATA ALIAS WILGEFORTE

VIRGINE ET MARTYRE

G. C

IN VARIIS EUROPÆ PARTIBUS

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS

B

§ I. Variæ et intricatæ difficultates proponuntur.

XX JULII. *De Sancta in titulo proposita acturus vastum ingredior labyrinthum, qui tot tamque variis semitarum amfractibus est implexus, ut mihi vix ullum ex eo exitum promittere ausim.* *S. Liberata in Belgio polyonyma* *Vastum dixi, quia totam pene complectitur Europam, quæ ad illustrandam hujus Sanctæ vitam percurrenda est. Sed ne longiori prologo scribendo lectorem detineam, rem ipsam aggredior, et a Belgio nostro labyrintheum iter auspicor. Imprimis observo, plurimis Belgii locis coli* S. Liberatam, *communiterque appellari* Wilgefortem, *et vernacule* Oncommeram *vel* Ontcommenam ; *quæ ultima vox Flandrica magnam cum Latino* Liberatæ *vocabulo habet significationis affinitatem. Aliqui Belgæ non contenti hac quadruplici Sanctæ appellatione, eam insuper vocant* Liberatricem, Eutropiam, Regrufledem *aut* Regenflegem ; *quibus omnibus nominibus eamdem Sanctam significari volunt. De polyonyma hac sua Sancta plerumque* C *narrant, quod fuerit filia regis Lusitaniæ, quæ ad vitandas regis Siciliæ nuptias prolixam barbam a Deo impetraverit, ac dein ob publicam Christianæ religionis professionem, constantemque virginitatis amorem, jussu ethnici patris in crucem acta martyrii palmam obtinuerit.*

etiam in Aquitania Galliæ provincia, 2 *Relicto Belgio, proficiscor in Galliam, et post emensum sat magnum terræ spatium reperio in Aquitania, ejusdem regni provincia,* S. Liberatam *Gallice* sainte Livrade *jam Caroli Magni tempore celebratam. At an hæc eadem est cum præcedenti? Hoc opus, hic labor est. Asserunt id quidem duo Martyrologi Galli, putantque, aut potius supponunt, eamdem hanc esse cum ea, quæ in Belgio, Hispania ac Lusitania colitur ; sed nulla pro opinione sua argumenta afferunt; imo ne ipsa quidem Sanctæ Acta producunt. Forte ob solam nominis identitatem ita judicaverint; verum illam ratio parum nos movet, qui quotidiana experientia discimus, multos Sanctos ob synonymiam confundi. Hoc ipso mense Julio, quo illustrando nunc occupamur, plura hujus rei habemus exempla : nam Antoninos varios in unum conflatos esse ostenditur die* IV *Julii; plures Modunennæ homonymæ perperam confusæ distinguuntur die* VI *ejusdem mensis; die* X *demonstratur, tres Amelbergas esse distinguendas, quas aliqui, homonymia decepti, confuderunt. Plurimæ ejusmodi confusiones in Opere nostro passim occurrunt,* E *ad quas detegendas improbum impendimus laborem, ob quem tamen exiguam a quibusdam gratiam inimus, imo nonnullos magis gloriæ suæ quam Sanctorum cupidos offendimus, eo quod veritatis amore coacti Sanctis illorum popularibus aut patronis abjudicemus ea, quæ ab aliis synonymis gesta, ipsis antea promiscue adscribebantur. Hæc obiter ex occasione dicto sunto. Jam ad institutum redeo.*

3 *Cum prædicti scriptores Galli uni eidemque* S. Liberatæ *jam a multis seculis in Aquitania honoratæ etiam Belgicum, Hispanum ac Lusitanum cultum attribuant, atque ita sine ulteriori instructione me triplici itineri expositum, deserant, nescio quæ potissimum eligenda sit via, ut hanc eorum sententiam funditus examinem. Si in Belgium revertar, nulla illic de Aquitanico* S. Liberatæ *aut* Wilgefortis *cultu est notitia. Itaque in Hispaniam aut Lusitaniam transeundem est.* *et Seguntia in Hispania* *At prius in Hispaniam pergamus, si quis forte hic nos e labyrintho deducat. Statim hic plurimi sese offerunt, ut mihi in ecclesia Seguntina monstrent magnificum* F S. Liberatæ *sepulcrum, in quo sacrum ejus corpus jam a quatuor seculis Florentia Seguntiam allatum quiescit, et summa fidelium veneratione honoratur. Quando eos de hujus Sanctæ patria, stirpe, Actis ac translatione interrogo, plerique affirmant, eam fuisse reguli Lusitani filiam, unico partu cum suis octo sororibus editam, ac martyrii laurea in Lusitania coronatam, cujus corpus postea in Italiam et ex Italia in Hispaniam translatum sit. Si antiqua prodigiosi partus ac primæ translationis documenta postulem, necesse est, ut iis se carere fateantur, aut ea in quibusdam pseudo-chronicis vel ejusdem farinæ scriptoribus ostendant. De translatione ex Italia in Hispaniam facta videntur certiora habere instrumenta.*

4 *Seguntini duces, qui hactenus eadem via incesserant, nunc circa Sanctæ suæ nomen et supplicium in diversa abeunt.* *coli creditur :* *Antiquiores Sanctam ecclesiæ suæ patronam tantummodo* Liberatæ *nomine compellant, eamque capite plexam fuisse tradunt; recentiores vero Sanctæ suæ martyri superaddiderunt* Wilgefortis *nomen, aiuntque, eam fuisse crucifixam. Suspicor eos illud nomen* Wilgefortis *a scripto-*

AUCTORE G. C.

A *scriptoribus Belgis acceptum suæ martyri* Liberatæ *addidisse, et propterea etiam supplicii genus mutasse, aut, ut clarius loquar, crucis supplicium a Belgis ac Germanis* S. Wilgeforti *constanter assertum, suæ sanctæ* Liberatæ *aptasse. Nolo enim hic audire Pseudo-Julianum ejusque sectatores, qui volunt eam prius in cruce suspensam ac dein capite truncatam fuisse. Scilicet hoc novo commento, veteribus Seguntinis ignoto,* S. Liberatam *cum* Wilgeforte *subdole nituntur confundere. Quidquid sit, a Seguntinis in bivio positus sequar seniores viæ duces, quibus magis fidendum arbitror, quamvis nec illi ipsi ita sint viarum periti, ut mihi facilem e labyrintho exitum possint commonstrare. Cum Hispani* S. Liberatæ *martyrii apud se cultæ patriam et martyrii palæstram assignent Lusitaniam, in eam transeamus, videamusque, an istic antiquiora certiorave de hac Sancta efferantur documenta.*

idem perperam putat Martyrologium Lusitanum

5 *Lusitaniam ingressus pervolvo Martyrologium anno* 1591 *Conimbricæ impressum, et in notis circa Sanctos istius regni proprios pag.* 21 *lego hæc verba Lusitanica :* De sancta Wilgeforte virgine et martyre Lusitana non scimus singillatim ubi sit
B nata, ubi martyrio coronata, aut ubi existant ejus reliquiæ. *Postea notarum auctor ob leves quasdam rationes opinatur,* S. Liberatam *Seguntiæ patronam, ac* S. Wilgefortem *seu* Ontcommeram *in Belgio et Germania celebratam, unam eamdemque esse ; legerat nempe in additionibus Molani,* S. Wilgefortem *seu* Ontcommeram *etiam Latine* Liberatam *appellari; atque ita ex sanctarum martyrum homonymia judicium pro identitate tulit. At mihi* S. Liberata, *Seguntinæ ecclesiæ patrona, diversa videtur ab ea, quæ in Belgio colitur, eo quod Acta Belgica a Seguntinis, præsertim antiquioribus, multum discrepent. Præterea apud Hispanos Lusitanosque de virili* S. Liberatæ *barba (hoc prodigium Belgæ et Germani passim de* S. Wilgeforte *in Actis narrant) adeo altum est silentium, ut ideo Tamayus in notis ad Martyrologium Hispanum die* XX *Julii, quantumvis absque sufficienti fundamento suspicetur, a Germanis per errorem coli S. Paulam Barbatam, virginem Abulensem, de qua actum est ad diem* XX *Februarii.*

quod anno 1591 editum a Pseudo-Dextri auctore potuit corrumpi.

6 *Antequam progrediar, superest scrupulus circa citatum Martyrologium Lusitanum, quod impressum est anno* 1591, *priusquam Pseudo Dextri chronicon in lucem ederetur. Hinc aliquis inferre posset,*
C *Pseudo Dextrum non fuisse primum, qui* S. Liberatam *cum* Wilgeforte *confuderit. Ut huic objectioni aditum præcludam, præmoneo, me per Pseudo-Dextrum non tantum ipsius librum, sed ipsum auctorem intelligere, qui ante editum suum pseudo-chronicon potuit varia commenta aliis clanculum suppeditare. Adde P. Hieronymum de la Higuera, circa* S. Liberatam *a Lusitanis consultum, jam ab anno* 1591 *Augustino de Castro archiepiscopo Bracarensi datis litteris de hac re respondisse, uti testatur ejusdem præsulis successor Rodericus da Cunha in Historia ecclesiæ Bracarensis Part.* I, *cap.* 26, *num.* 4. *Hæc pauca intelligenti, quorum pro paragraphis sequentibus meminisse juvabit. Nunc aliorum sententias audiamus.*

Carillus duas admittit SS. Liberatas Lusitanas;

7 *Martinus Carillus in Annalibus chronologicis mundi, anno* 1634 *Cæsaraugustæ impressis, lib.* 2 *duplicem* S. Liberatam *in Lusitania distinguit, et Pseudo-Dextri auctoritate nixus utramque etiam confidenter* Wilgefortem *appellat. Unam statuit ad annum Christi* 138 *cum octo suis sororibus, cujus Vitam in Seguntino et Palentino Breviario referri ait ; alteram vero ad annum* 308 *collocat, narratque, eam ab amasio ad lascivum amorem expetitam, excrescente repente virili barba, perdendæ virginitatis periculum evasisse, ac deinde ob constantem virginalis pudicitiæ ac Christianæ fidei defensionem cruci affixam esse ; addit autem, eam ob hoc barbæ miraculum* Barbatam *cognominari;* Liberatam *vero dici, quod eam Deus hoc discrimine liberasset. Satis manifestum est, hæc Carillum, paucis mutatis, ex Germanis Belgisve scriptoribus hausisse, et pro libitu suo alteri* S. Liberatæ *tribuisse, cum Hispani aut Lusitani, ac ne ipsi quidem Pseudo-chronicorum auctores de barba* S. Liberatæ *cœlitus concessa meminerint.*

at præsul Bracarensis tantum unam agnoscit Lusitanam alteram vero ait esse Novocomensem,

8 *Altam plane viam et ab aliis parum tritam init illustrissimus ac reverendissimus D. Rodericus da Cunha archiepiscopus Bracarensis asserens,* S. Liberatam *seu* Wilgefortem *(hanc eamdem etiam sub* Ontcommeræ *nomine a Germaniæ populis coli existimat) post peractum martyrium a Christianis in Calensi Lusitaniæ urbe sepultam esse, ac de ejus ex hoc loco ad alium translatione nihil hactenus sciri. Quo loquendi modo satis indicat, se arbitrari,* E
quod S. Liberatæ *ossa eodem, quo primum condita sunt, loco etiamnum quiescant. Si objicias,* S. Liberatam *in urbe Calensi sepultam, ipsomet teste, unam esse e novem sororibus unico partu editis, adeoque illam eamdem juxta Breviaria Hispanica et historica monumenta Seguntiam translatam esse, respondet* S. Liberatam, *quam Seguntini venerantur, esse virginem Novocomensem, cujus corpus Simon Gironus episcopus Seguntinus ex Italia in Hispaniam transvexerit. Ecce ubi me sinuosis semitarum ambagibus expediendum speraveram, magis magisque iis implicor. Cum itaque hac non successerit, alia conabimur egredi via, et in assignatam ab illustrissimo præsule Italiam navigabimus.*

quæ in Italia non colitur ut martyr.

9 *In Italia præter* S. Liberatam *Ticinensem invenio alteram ejusdem nominis virginem Novocomensem, de qua numero præcedenti potissimum instituta est quæstio. Hæc postrema quidem, teste Augustino Valerio, episcopo Veronensi in libro de episcopis et Sanctis Veronensibus pag.* 26, *in quibusdam Calendariis descripta est virgo et martyr, sed perperam, ut ipse ibidem contendit, pag.* 27 *dicens,* fuisse S. Liberatam sororem S. Faustinæ, quæ ambæ fuerunt virgines tantum. Imo, *inquit,* F
ex traditione celebrantium ejus festum in ipsa ecclesia celebratur virgo tantum. Extant etiam duo versus ad caput imaginis ejus antiquæ in pariete ipsius ecclesiæ id attestantes :

Libera virgo Dei precibus pietate benigna.
Tu memor esto mei liberans a morte maligna.

Hæc ergo alia est a S. Liberata, *quæ Seguntiæ honoratur, nisi quis alteram virginem et martyrem in Italia assignet, quam potuerint Seguntini ad se transferre, aut nisi velit, eos virginem pro martyre colere, adeoque Seguntinam tum vitæ tum translationis historiam omnino falsam esse, quod sine gravibus argumentis non facile est admittendum. Hinc etiam ultro sequitur, sanctam illam virginem Novocomensem a* S. Liberata *seu* Wilgeforte *in Belgio culta plane diversam esse. Non igitur mihi diutius hic hærendum, cum Italis ignota sit* S. Wilgefortis, *in cujus cultum et originem præcipue inquiro.*

S. Liberata a quibusdam creditur sepulta in Hollandia;

10 *Opportune hoc loco recordor epistolæ postea exhibendæ, quam R. P. Andreas a S. Nicolao, Carmelitarum Exprovincialis, anno* 1706 *ex Burgundia*

AUCTORE G. C.

gaudia ad nos dedit, et ex qua intelligo, Helvetos Bavarosque singulare quidpiam circa S. Liberatæ *vel* Wilgefortis *sepulturam novisse. Juvat igitur, relicta Italia, Helvetiam Bavariamque petere, et hoc novum de* S. Wilgefortis *sepulcro documentum investigare. Conspicor illic Virginem barbatam, vulgo* Kumernuss *dictam, et cruci affixam. Lego appositam ad ejus tabellas Actorum epitomen, quæ quantum ad substantiam cum Legenda Belgica convenit. At ecce in hujus epitomes fine additur clausula, quæ notitiam plane novam et Martyrologis hactenus ignotam continet his paucis verbis :* Sepulta est in Hollandia in ecclesia, quæ dicitur Steinberg. *Sane operæ pretium est Hollandiam ipsam adire, sepulturæ locum coram inspicere, et antiqua hujus rei monumenta excutere.*

sed nulla illic superest istius sepulturæ notitia.

11 *Prætermitto itaque nunc Pragam primariam et amplissimam Bohemiæ urbem, in quam cultus* S. Wilgefortis *recenter inductus est. Omitto pagum Muringen ad silvam Herciniam, in quo sub nomine* Cumeranæ *crucifixa cernitur, et miraculis clarissima dicitur. Prætereo Moguntiam, ubi martyrii* B *occasio in Actis Germanicis narrata, ab omnibus aliis discrepat. Transeo alias Germaniæ urbes, et recta in Hollandiam iter instituo. Quando eam ingressus incolas de ecclesia Steinbergensi interrogo, negant se Steinbergam in Hollandia novisse; mihi ulterius indaganti respondent, in finibus Brabantiæ sibi proximis hujus nominis oppidum extare. Quare ego suspicatus, Helvetos Bavarosque Steinbergam Hollandiæ vicinam ejusque dominio subditam per errorem in ipsa Hollandia collocasse, ad oppidum istud propero, et consultis, qui illic supersunt, Catholicis, nil præter vernaculum* S. Ontcommeræ *nomen agro alicui inditum reperio. Reliqua de sepulcro et cultu monumenta illic plane ignota sunt. An ea umquam extiterint, an temporum injuria aut variis, quas hoc oppidum sustinuit, calamitatibus perierint, ignoro.*

In Anglia, Normannia aliisque locis colitur;

12 *Jam frustranei laboris pertæsus domum repetere statueram, dum mihi incidit, nomen* S. Wilgefortis *apud alios* Wilfordis, *Anglicum, nescio quid, sonare, et fortasse in hac insula, Sanctorum olim feracissima juxta ac studiosissima, celebriorem haberi illius memoriam. Quapropter ne quid circa* C *hanc Sanctam neglexisse dicar, e portu Batavico in Angliam solvo. Reperio ibidem antiquum libellum precum ad usum Sarisburiensis ecclesiæ compositum, in quo* S. Wilgefortis *inter alias sanctas virgines et martyres Anglas in Litaniis omnium Sanctorum invocatur, atque alibi peculiari antiphona et oratione celebratur, ita ut olim solennis illius cultus in Anglia fuisse videatur. Sed modo post rerum omnium præsertim sacrarum perturbationem ulteriores notitiæ in hoc regno frustra quæruntur. Cum aliquando audiverim, eamdem sanctam in Normannia cultum obtinere, ex Anglia in hanc Galliæ provinciam trajicia. Ad urbem Deppensem appulsus intelligo, Sanctam nostram in pago* Arques *non procul Deppa dissito, atque aliis hujus regionis locis magna fidelium pietate celebrari. At hic, amisso* Liberatæ *nomine, non nisi* Dignefortis, Wilgefortis, *aut* Virgofortis *appellatur ; unde, autem quomodo, et quando istius sanctæ Virginis et martyris cultus in hanc Galliæ provinciam transierit, ignoratur.*

sed Sanctæ patria, tempus, sepulcrum aliaque incerta sunt.

13 *Atque ita quidem, majori Europæ parte peragrata, ferme æque dubius ac exieram, domum revertor : nam circa* S. Wilgefortis *originem, vitam, chronotaxim, sepulturam aliasque Actorum* D *circumstantias incerta sunt omnia. Anglamne dicam an Gallam? Belgamne an Germanam? Italamne an Lusitanam? Plerique eam Lusitanam existimant ; sed ipsum* Wilgefortis *nomen illam originem negare videtur ; imo non desunt, qui ipsam in Galliæ natam esse affirment. Verbo uno adeo insolubilis est is Actorum nodus, ut non nisi scindendo dissolvendum sperem. Fateor equidem in Opere nostro passim intricata occurrere Acta, sed hactenus magis implexa me legere non memini. In plerisque lis est inter unam alteramve urbem aut provinciam ; at hæc obscura controversia ad plures Europæ regiones pertinet. Labori non peperci in pervolvendis et examinandis variarum nationum monumentis; nihilominus post hæc omnia lustrata etiamnum versor in labyrintheo circulo, ex quo exitum non video, nisi forte imiter illos, qui labyrintho inclusi post longos frustrancosque circuitus septa perrumpunt, et hoc qualicumque modo egressum inveniunt. An et quomodo hoc facturus sim, docebit reliquus commentarius. Sufficiat hoc paragrapho totam difficultatem quasi sub uno intuitu spectandam dedisse. Jam de singulis controversiæ punctis fusius agemus.* E

§ II. Variæ sanctæ Liberatæ.

Inter varias SS. Liberatas

Censeo præmittendas esse quasdam sanctas, Liberatæ *nomine nuncupatas, ut secuturi paragraphi clarius intelligantur; et* S. Liberata, *de qua hic agimus, quoad fieri potest, distinguatur, aut saltem minus confundatur. Prima occurrit* S. Liberata *Ticinensis, de qua egit Bollandus ad diem* XVI *Januarii. Altera* S. Liberata, *quæ cum S. Faustina sorore sua in cœnobio circa annum Christi* 580 *placide e vita migrasse dicitur ; Novocomi inque aliis Italiæ urbibus celebratur, ut videre est apud eumdem Bollandum die* XVIII *Januarii. Tertia est* S. Liberata *virgo, quæ cum sorore sua S. Olivaria apud Calvum Montem in Gallia seculo* VI *pie obiit, ut habent Acta nostra ad diem* III *Februarii. Quarta quædam* S. Liberata *colitur potissimum a Belgis ac Germanis, qui eam etiam* Wilgefortem *et vulgo* Oncommeram *vel* Ontcommenam *appellant. Gallis etiam nota est, saltem quoad nomen, quædam* S. Liberata, *quæ jam a tempore Caroli Magni in* F *Aquitania colebatur. Hæc Gallice vocatur* Sainte Livrade, *fuitque olim in hac regione adeo celebrata, ut plura habuerit sacella cultui suo dedicata ; imo pagi quidam ab ea appellationis originem traxerint. An hæc diversa sit ab ea, quæ in Belgio, vel Hispania aut Lusitania celebratur, incertum esse arbitror. Audiamus tamen Gallorum de hac re judicium.*

una in Aquitania olim celebris

15 *Claudius Castellanus in Martyrologio cum notis ad diem* XXIII *Februarii de hoc postrema sic loquitur :* Cum Carolus Magnus ædificasset ecclesiam circa palatium suum Cassinogilense ad Oldam in Aginnensi agro, eam dedicari jussit nomini hujus Sanctæ *(nempe* Liberatæ, *de qua agit)* quæ verosimiliter prope hanc regionem obierit, et cujus reliquiæ causam præbuerint huic dedicationi juxta frequentem istius seculi usum. *Deinde ait, istam* S. Liberatam *in Legenda apocrypha postmodum composita acceptam fuisse tamquam unam ex octo sororibus S. Quiteriæ, sibique videri eamdem, quæ in Lusitania et Belgio honorari creditur. Utinam solidas hujus suæ assertionis rationes produxisset, et lucis aliquid attulisset ad*

A *ad dispellendam hujus historiæ caliginem! Sed quæcumque demum sit ea* S. Liberata, *antiquitus satis celebrem fuisse oportet, cum nomen suum quibusdam Galliæ locis inditum reliquerit. Etymologiæ hujus testis est laudatus Castellanus, qui notas suas concludit his verbis :* Hæc ecclesia S. Liberatæ fundata per Carolum Magnum, facta est Prioratus ordinis S. Benedicti, circa quem accrevit oppidum S. Liberatæ. Præter Prioratum, qui jam pertinet ad congregationem S. Mauri, est in eo oppido conventus Ursulinarum. *Papirius Massonus in descriptione fluminum Galliæ de eodem loco hæc habet pag.* 580 : Hinc Cassinogilum soli non infelicioris succedit, et proxime S. Liberata frugum et commerciorum præpotens. *Hujus loci etiam obiter meminit Adrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 500.

a Simone Peyronetto

16 *Copiosius, at simul confusius,* S. Liberatæ *celebritatem in Gallia probat Simon Peyronettus in notis ad suum Martyrologium Sanctorum et Sanctarum. Postquam enim pag.* 484 *egisset de* S. Liberata *Novocomensi, addit sequentia :* Sed est et B. Liberata martyr, quæ refertur ab eodem Ferrario in Catalogo generali SS. etiam XVIII Jan., uti et a Thoma Trugillo tom. 1 Thesauri concionum, aliisque. Ast ecclesia Seguntina, ubi ejus traditur corpus quiescere, eam colit Officio duplici cum Octava XX Julii. De ea Ambrosius Morales lib. XII Historiæ, Marietta lib. IV de SS. Hispaniæ. Ista Sancta, quæ a Papirio Massono libro de fluminibus Galliæ SAINTE LIVRADE vernacule effertur, complures habet ecclesias, seu capellas in Aquitania sibi sacras, et in diœcesi Tolosana dat nomen vico et Parœciæ a Tolosa non longe dissitæ prope insulam Jordanis, vulgo SAINTE LIBRADE. Haud obscurus est etiam vicus S. Liberatæ, SAINTE LIVRADE, non longe ab Aginno. B

supponitur esse eadem cum illa,

17 *Scriptor hic, ut ex verbis ejus patet, opinatur, eamdem esse hanc Sanctam cum* S. Liberata *Seguntina. Sed cum nullum opinionis suæ motivum exprimat, hactenus sententiam ejus amplecti non possum. Si enim suspicionibus, veterum testimonio destitutis, indulgere liceret, suspicarer ego eodem jure, Sanctam quæ in Aquitania plures habet ecclesias, non esse diversam a* S. Liberata *Novocomensi, vel Ticinensi aut altera Calvi Montis, quarum reliquiæ eo delatæ sint : imo suspicabor potius eam Aquitanam esse, sicut exemplum habemus in S. Quiteria, quam Vascones sibi vindicant, etsi Lusitani suam esse contendant. Nec refert, quod forte in Aquitania* Liberatæ *Seguntinæ Acta legantur : nam in Vasconia eadem fabulosa S. Quiteriæ Acta legebantur, quæ ab Hispanis et Lusitanis vulgo traduntur, etsi ad Lusitaniam non pertineret, ut ostensum est in Actis nostris ad diem* XXII *Maii.* C

quam Seguntini in Hispania colunt,

18 *Hispani* S. Liberatam, *quæ Seguntiæ colitur, diversimode describunt. Ut ea diversitas, pro sequentibus paragraphis hic observanda, manifestius appareat, sufficiet dare, quæ de ipsa habet F. Thomas Trugillo in suo Thesauro Concionatorum, quem composuit, nondum natis pseudonymis Flavii Lucii Dextri, M. Maximi ac Juliani Petri chronicis. Is tom. 2 de festis Sanctorum anno* 1583 *Barcinone impresso col.* 450 in festo beatæ Liberatæ *narrat sequentia :* In ecclesia vulgo de Siguntia habetur in maximo honore Liberata, quæ mutato aliquantulum vocabulo nominari solet Librata. Est ibi sumptuosum quoddam et magnificum sepulcrum hujus Sanctæ, et vario diverso atque mirabili jaspide, adeo ut hoc sepulcrum sua arte mira, qua constructum est, videatur facile cum alio quolibet conferendum. Celebratur autem ejus festum XVIII Januarii; translatio vero die XV Julii. AUCTORE G. C.

et cujus Acta e Lectionibus antiquis desumpta

19 *Deinde Acta ejus ex Lectionibus ecclesiasticis istius temporis nonnihil credibiliora, aut saltem novis Pseudo-Dextri et sectatorum ejus figmentis nondum plane corrupta et confusa proponit his verbis :* In suis autem lectionibus dicitur, quod fuit hæc Sancta filia cujusdam regis vel principis alicujus viri, qui appellabatur Catelius, conjunx autem vocabatur Calsia, et civitas præcipua regni ejus dicebatur Balcagia. Atque ut aliqui dicunt, fuit hæc civitas præcipua inter occidentales civitates, sive fuerit civitas Hispaniæ sive alterius provinciæ. Erant autem hujusmodi reges gentiles, et habuerunt novem filias, quarum nomina hæc sunt : Liberata, Genibera, Victoria, Eumelia, Germana, Gema, Marcia, Basilia et Quiteria. Fuerunt autem istæ omnes sorores Christianæ a pueritia sua, et cum essent optime in fide instructæ, Liberata, quæ inter ceteras eminere videbatur in fide et religione, suo exemplo et sanctis E verbis gentiles multos convertit : degens enim vitam solitariam in quodam deserto, concurrebant ad eam multi tum Christiani tum etiam gentiles.

hic a Trugillo exhibentur.

20 Hoc tempore publicarunt Romani edictum quoddam contra Christianos, ita ut vel dimitterent legem Christianam vel statim interficerentur. Fuit autem accusata Liberata tunc cum suis sororibus et aliis Christianis, excepta sola Quiteria, qui per se triumphavit et martyrizata fuit alio modo. Attulerunt autem eas coram patre et cum non posset eas blandimentis inflectere, ut dimitterent Christi fidem, vigente in eo magis impetu et spiritu diabolico quam paterno amore posteaquam variis tormentis eas discruciavit et excarnificavit, tandem capite truncantur. Quamvis non satis constat, an fuerit sola Liberata, quæ decollata fuit ex patris mandato, aut si etiam fuerunt decollatæ ceteræ sorores, et alii Christiani qui cum his capti fuerant et vincti. Verum ab omnibus scriptoribus asseritur, sanctam Liberatam vel ab hoc judice vel ab alio martyrium sustinuisse. Post multos autem an- F nos Simeon episcopus collocavit corpus sanctæ Liberatæ in argentea quadam arca, et eam collocavit in eminenti quodam loco, præcipiens ut ab omnibus coleretur et in veneratione haberetur.

Hanc Italam esse contendit archiepiscopus Bracarensis,

21 *Lusitani quidam* S. Liberatam, *cujus hic Acta ex Trugillo dedimus, sibi vindicant, eamque a Seguntina omnino distinctam volunt. Unus pro omnibus sit illustrissimus ac reverendissimus D. Rodericus da Cunha archiepiscopus Bracarensis, qui in Historia sua ecclesiastica part.* I *cap.* 26 *num.* 3 *habet sequentia, quæ ex idiomate Lusitano sic Latina reddo :* Nomen S. Liberatæ præbuit occasionem omnibus fere auctoribus nostri temporis tum Hispanis tum Lusitanis confundendi eam cum alia S. Liberata, cujus festum XV Julii celebrat ecclesia Seguntina, quia illic possidet pretiosum ejus corpus, cum interim illæ inter se sint omnino distinctæ : nam S. Liberata Seguntina fuit Itala, et nata ut probabilius existimamus, Novocomi civitate Ducatus Mediolanensis...... Nostra vero S. Liberata nata est Bracaræ, ut jam diximus. S. Liberatam Italam memorat

AUCTORE G. C.

memorat Martyrologium Romanum, tribuens illi tantummodo titulum Virginis : Novocomi sanctæ Liberatæ virginis, uti etiam facit Usuardus. Nostra non solum virgo, sed præterea fuit martyr pro fide passa xx Julii. Italam Florentia Seguntiam transtulit episcopus Simon Giron cum peculiari facultate, sub Pontificatu Bonifacii VIII, qui fuit inter annos mccxciv et mccci, ut constat ex Breviario istius ecclesiæ in lectionibus matutinis xv Julii, quando illic celebratur hoc festum..... Sed cum Seguntiæ potissimum nota esset S. Liberata Lusitana, facile scriptores illius temporis non distinguentes inter unam et alteram accommodarunt Italæ res, quæ spectabant ad Lusitanam, et huic multa, quæ pertinebant ad Italam. *Denique post adductam quorumdam doctorum idem secum sentientium auctoritatem, et narratam* S. Liberatæ *vitam ac mortem sic illustrissimus præsul citatum caput concludit :* Reliquias hujus magnæ Virginis ac martyris sepelierunt Christiani in eadem civitate Calensi. Non scimus, quod inde alio translatæ sint : reliquiæ enim Seguntinæ, ut jam diximus, sunt S. Liberatæ Italæ. B

cujus opinionem oppugnat Tamayus :

22 *Joannes Tamayus Salazar hanc illustrissimi scriptoris opinionem acriter impugnat in suo Martyrologio Hispanico ad diem* xx *Julii sic Seguntinorum causam defendens :* A veritatis apicibus discessit D. Rodericus De Acuña Historiæ Braccarensis i parte cap. 26 num. 3 firmans, S. Liberatam, quam in templo Seguntino veneratam conspicimus, cujusque sacra pignora ibidem asservari cognoscimus, esse S. Virginis hujus nominis apud Comum urbem Italiæ, et Florentiam cultæ. Nam si illius ecclesiæ monimenta legisset, procul dubio in hosce erroris scopulos non impingeret. Ex illis igitur manifestum apparet, sacra B. virginis Comensis lipsana anno mcccxvii ex humili loco in basilicam majorem urbis Comensis fuisse translata, ut ex lection. Breviar. Comens. a Philippo Ferrario in Catal. SS. Italiæ die xviii Januarii fol. xxxvi adductis liquet. Ast (ut ipse Acuña fatetur) ea, quæ in Seguntino templo conduntur, Simon episcopus Seguntinus Florentia Seguntiam attulit de licentia Bonifacii VIII Pont. Max. anno mccxciv; ergo nequaquam potuere Seguntiam transferri, quæ postmodum, elapsis xxiii annis, in basilicam Comensem translata fuere. *Etiamsi huic Tamayi argumento responderi posse videam, tamen libenter fateor,* S. Liberatam *Seguntinam a Novocomensi verosimilius distinctam esse; imo in gratiam Seguntinorum aliam probationem a Tamayo prætermissam hic addo.* Nam *in ultima* S. Liberatæ *Seguntinæ translatione anno* 1537 *facta, uti ex antiquo Breviario Balthasar Porreno in ejus Vita pag.* 98 *refert,* ejusdem Virginis camisia adeo recenti sanguine perfusa visa est, acsi hesterna die effusus esset. *Hæc si vera sunt, quomodo* S. Liberatæ *Novocomensi convenire possunt, quæ pro Christo sanguinem non fudit, sed cum S. Faustina sorore in monasterio sancte vivens, placide in Domino obdormivit, ut latius videri potest in ejus Actis a Bollando editis ad diem* xviii *Januarii ?* C

Mariana scribit eam Seguntiæ passam esse.

23 *De* S. Liberata *singulare quiddam tradit Joannes Mariana noster in Historia de rebus Hispaniæ lib.* 4 *cap.* 14, *ubi eam contra omnium popularium suorum opinionem Seguntiæ passam scribit his verbis :* Ad hæc tempora et calamitatem Verissimus, Maximus et Julia fratres referuntur Olissipone perempti, Bracaræ Victor, Cordubæ Zoilus et decem et novem alii, Centolla et Helena prope Burgos, Seguntiæ Liberata et Quiteria, aliique quos si sigillatim recensere velimus, neque modum dicendi, neque finem reperiet oratio. *Quantum hic ad* S. Liberatam *attinet, puto quod Mariana locum cultus pro palæstra martyrii per errorem acceperit. Quod immediate subjungit, forte in hac ipsa, quam tractamus, materia locum habet; illius saltem hagiographos sæpe meminisse oportet :* Horum omnium, *inquit,* martyrum corpora, quibus in locis hoc tempore sint, de quibusdam affirmare promptum est, de plerisque non item, aliis alibi prædicantibus ; fortassis in plures partes sacris exuviis distractis, variæ opiniones natæ, penes quos pars tantum esset, totum habere putantibus. D

Quidam unicam, alii duplicem S. Liberatam adstruunt in Lusitania.

24 *Recentiores Pseudo-chronicorum defensores inter se non conveniunt, aliis unam, aliis duplicem* S. Liberatam *admittentibus. Quidam statuunt unam cum octo sororibus ad annum Christi* 138 ; *alteram vero ad annum* 308, *ne scilicet caro suo Flavio Dextro videantur contrarii, qui ad diversos hos annos* S. Liberatæ *meminit. Hinc Ferdinandus de Camargo in Chronologia sua sacra ad annum* 138 *et* 308, *unam ab altera solicite distinguit. Ex eodem motivo Balthasar Porrennus in Vita* S. Liberatæ *Seguntinæ pag.* 39 *duplicem agnoscit* Wilgefortem : Idem, *inquit,* nomen Wilgefortis habuit altera sancta Lusitana, de cujus martyrio mentionem facit præfatus Flavius Dexter anno trecentesimo. *Quinimo Martinus Carillo in hujus falsidici oraculi gratiam retractat sententiam, quam antea de* S. Liberatæ *sororumque ejus epocha sustinuerat : nam in Annalibus Chronologicis anno* 1634 *Cæsaraugustæ impressis, ita Hispanice scribit ad annum Christi* 138 : Aliqui ponunt earum *(nempe* S. Liberatæ *ac sororum)* martyrium anno Domini cccvi, et sic nos etiam scripsimus in prima editione horum Annalium. Dexter et archipresbyter Julianus illud ponunt tempore imperatoris Adriani. *Postea ad annum Christi* 308 *agens de* S. Liberata, *quam etiam* Wilgefortem *et* Barbatam *vocat, sic loquitur :* Est diversa a S. Liberata, de qua et octo sororibus actum est anno cxxxviii. *Alii Pseudo Dextri discipuli classicum suum auctorem aliter interpretantur, et de una eademque* S. Liberata *explicant. At tædet nos in hoc labyrintho diutius frustra vagari. De Seguntino* S. Liberatæ, *quæcumque illa sit, cultu agamus.* E F

§ III. Cultus S. Liberatæ in Hispania.

S. Liberata Seguntiam translata.

Seguntia, teste Livio ac Plinio, urbs Celtiberorum in Hispania Tarraconensi, nunc vulgo Siguenza *sita est in colle ad radices montis* Atiença, *estque fere media inter Bilbilim et Complutum. Hæc civitas episcopalis possidet reliquias* S. Liberatæ, *quas aliunde ad se allatas summa pietate veneratur. Hanc reliquiarum translationem* ex variis, *ut ait,* scriptorum schedis *refert Joannes Tamayus in Martyrologio Hispanico die* xv *Julii. Sed tam alte eam repetit, totque verbis amplificat, ut existimem, eum ex legitimis et antiquis schedis non probaturum omnia,*

A *nia, quæ narrat: cumque in similibus rebus hunc scriptorem sæpius fallere aut falli deprehenderim, malui breviora hujus translationis documenta, et quidem cum aliis collata proferre ex antiquo Breviario Seguntinæ ecclesiæ, ex quo se ea accepisse testatur Balthasar Porrennus in Vita* S. Liberatæ, *ubi pag.* 98 *habet sequentia:* Post martyrium beatæ Liberatæ, sanctum ejus corpus successu temporis a Simone tunc Seguntino episcopo in hac alma ecclesia conditum est, cujus tempore a regulari in secularem auctoritate apostolica translata fuit anno Domini MCCC. *Hæc erat præcipua, quam novimus, translatio, quæ ex urbe Florentina Seguntiam facta est. De hac etiam meminit Ægidius Gonzalez Davila in Theatro ecclesiastico tomo* 1 *de ecclesia Seguntina cap.* 8, *ubi de Simonis episcopi Seguntini gestis et epitaphio plura habet.*

et postea magnificentius ornata

26 *De ultima translatione idem Breviarium antiquum agit his verbis:* Deinde illustris Fredericus a Portugali, tunc Seguntinus ac demum Cæsaraugustanus sub hujus beatæ Virginis nomine regale sacellum construxit, ubi sanctum corpus B mira fragrantia in arca argentea, lapidea intro inclusa, XV Julii anno Domini MDXXXVII editis miraculis honorifice translatum est (nam ejusdem Virginis camisia adeo recenti sanguine perfusa visa est, acsi hesterna die effusus esset) simulque sanctorum Joannis et Thomæ apostolorum, Stephani, Ignatii, Blasii, Gamalielis, Mauri, Hilarii et Sixti ac plurimorum martyrum, confessorum et virginum reliquiæ venerandæ; conveniente undique populo, ut eidem translationi interesset, ac plenariam indulgentiam ab Adriano VI, Clemente VII et Paulo III Romano tunc pontifice concessam consequeretur, regnante in Hispania Christianissimo Carolo V Romanorum imperatore. *Quod hic de indulgentia a tribus Pontificibus concessa dicitur, sic intelligendum arbitror, ut ea primum ab Adriano VI obtenta, ac eo mortuo a Clemente VII iterum impetrata, tandem, translatione, nescio ob quam causam, per aliquot annos dilata, eadem indulgentia a Paulo III confirmata fuerit. Non tam facile explicare possum hujus ultimæ translationis annum, qui hic dicitur fuisse* 1537; *cum Ægidius Gonzalez Davila in suo Theatro ec-* C *clesiastico ecclesiæ Seguntinæ cap.* 18 *asserat, eam translationem factam fuisse sub illustrissimo ac reverendissimo D. Ferdinando Nino, qui juxta ejusdem scriptoris calculum tantum anno* 1546 *cathedram Seguntinam primo adiit. Hæc inquam combinare non possum, nisi forte in numerum arithmeticum error irrepserit, et pro anno* 1537 *annus* 1547 *sit legendus.*

coli cœpit Officio proprio,

27 *Post hanc translationem fuit præcipua præsulum Seguntinorum cura, ut de* S. Liberata, *quæ in magnifico sepulcro collocata erat, Officium proprium recitaretur. Id pium et elegans, teste Balthasare Porrenno in Vita* S. Liberatæ *pag.* 97, *habetur in Breviario Seguntino, cujus impressioni anno* 1561 *finis impositus est. Breviarium illud non vidi; at vix dubito, quin in eo contineantur Lectiones, quas Prudentius Sandovallius in Antiquitate civitatis et ecclesiæ Tudensis pag.* 38 *et seqq. ex lectionario Seguntino protulit, aut quas Bivarius in commentario ad Flavii Lucii Dextri chronicon pag.* 237 *exhibet; ubi dicit, se ex Breviario Seguntino et Palentino collegisse hanc historiam,* prout in antiquis venerandisque Breviariis Hispaniæ legi in divinis Officiis consuevit in festo S. Liberatæ. *In antiquis hisce lectionibus prodigiosa quidem novem sororum unico partu editarum historia legitur, sed nec Lusitaniæ aut* Wilgefortis *nomen, nec crucis supplicium, nec martyrii palæstra aut tempus exprimuntur; quæ tamen omnia in recentiori Officio expressa videmus. Hæc pro paragraphis secuturis meminisse juverit.*

AUCTORE G. C.

in quo post Pseudo-Dextri inventionem

28 *Post fictitiam Flavii Lucii Dextri inventionem, primamque ejus editionem anno* 1619 *Cæsaraugustæ factam; ecclesia Seguntina lectiones* S. Liberatæ *mutavit, et quasdam circumstantias antea ignotas, et, ut suspicor, ex novo Pseudo-Dextro haustas Officio suo inseruit. Id, cum anno* 1625 *sacra Rituum Congregatio legi permisisset, anno sequenti Matriti primo impressum est. Post annos plus quam quinquaginta proponitur idem* Officium S. Liberatæ virginis et martyris, patronæ ecclesiæ et diœcesis Seguntinæ duplex secundæ classis *(titulus is est Officii, quod habeo)* a sacra Rituum Congregatione recognitum et approbatum, in regnis Hispaniarum celebrandum die XX mensis Julii ab omnibus utriusque sexus, qui ad horas Canonicas tenentur, juxta decretum ejusdem sacræ Congregationis XXVI Septembris MDCLXXXII. E *Juxta hæc sacræ Congregationis indulta, Seguntini patronam suam celebrant solenni Officio, in quo præter lectiones secundi Nocturni, de quibus mox, propria habent sequentia. Antiphona ad Magnificat in primis vesperis est hæc:* Gloriosum sanctæ Liberatæ triumphum solenniter celebremus, quæ in cruce pendens, infernum vicit, et tyrannorum tormenta superavit, alleluia. *Antiphona ad Benedictus:* Quamvis plurimis blandimentis et minis sancta Liberata exspectaretur, ut fidem Christianam pudicitiamque desereret, stabilis et firma in agone permansit, et in cruce impollutum spiritum Deo reddidit. *Antiphona ad Magnificat in secundis vesperis:* O felix Liberata, a tyrannorum sævitia liberata! O gloriosa Wilgefortis, quæ ubique fortis in certamine reperta es! O patrona admiranda civitatis et diœcesis Seguntinæ, fac nos tuis precibus ad gaudia cœlestia, quibus frueris, pervenire. *Oratio denique sic habet:* Beatæ Liberatæ virginis et martyris tuæ, quæsumus, Domine, precibus et meritis adjuvemur: ut quæ pro tui nominis confessione, et pudicitiæ defensione in cruce pependit, ab inimicorum insidiis sua nos protectione defendat. Per Dominum nostrum Jesum Christum. F

lectiones novæ

29 *Seguntini vitam et martyrium suæ patronæ in lectionibus secundi Nocturni ita describunt:* LECTIO IV. Lucius Catellius Severus, præses Gallæciæ et Lusitaniæ, et ejus terræ regulus, idolorum cultor, ex Calsia conjuge, eidem falsæ religioni dedita, uno partu (ut multarum in Hispania ecclesiarum fert traditio) novem edidit filias. Quæ cum existimaret, hoc posse contra eam aliquam violati tori et intemperantis vitæ excitare suspicionem, obstetrici severe indixit, ut occulte illam tot filiarum turbam in flumen projiceret. Illa vero consilium detestata, in proximum vicum progressa, novem puellas totidem nutricibus alendas tradidit; a quibus sacro fonte lustratæ, Genivera, Wilgefortis seu Liberata, Victoria, Eumelia, Germana, Gemma, Martia, Basilissa, ac Quiteria nuncupatæ, totas se Deo concepto virginitatis voto consecrarunt.

AUCTORE G. C. *ab antiquis*

30 Lectio v. Interea dira persecutio Christianum nomen urgebat, et ad Balcbagiam Catelii sedem progressa (quæ hodie dicitur Bayona Tudensis) cultores idolorum impulit, ut Virgines sacras comprehenderent, et Catellio patri sisterent puniendas. Qui de genere et religione sciscitatus, Christianas et filias suas esse cognovit. Cum autem omnia illis regia liberalitate promitteret; omniaque supplicia judicis severitate minaretur, ut eas a studio Christianæ religionis abduceret, et maternæ preces et lacrymæ his omnibus accederent, nihilominus sacræ virgines omnes in ea, quam susceperant, fide constantes permanserunt.

multum discrepant.

31 Lectio vi. Cum autem pater nil proficeret, et in filiarum cædem raperetur furore, illæ tametsi martyrii cupidæ, patris tamen grave peccatum vitare cupientes, ab ejus statuerunt sese potestate subducere; quod facere non simul omnes, sed seorsum aliæ alio dilapsæ, ubi variis locis martyrium subierunt. Wilgefortis vero seu Liberata cum aliis Christianis in eremum secessit, ubi asperrime vivens, silvestri cibo semel ad vesperam quotidie reficiebatur; donec comprehensa iterum ab impiis idolorum cultoribus ad sacrilegum idolorum cultum et impudicitiam fuit instigata; illa vero nec sororum nece perculsa, nec minis aut cruciatibus deterrita, tortoribus sese læta obtulit. Et post varia tormentorum genera, in Lusitania ad Castraleuca pro fide et pudicitia decertans, in cruce meruit martyrii palmam adipisci, circa annum Domini centesimum trigesimum nonum: cujus corpus in amplissimo templo Seguntino honorifice conditum, summa colitur religione et populorum frequentia.

Actis in Breviario Seguntino contentis non multum deferunt Ambrosius Morales,

32 *Quid de hac historia judicent prudentiores Hispani paucis indicabo. Ambrosius Morales narrans quædam de* S. Liberata *in chronico Generali Hispaniæ lib.* 10 *cap.* 18, *ita Hispanice loquitur:* Huc usque pertingit historia istius Sanctæ in Lectionibus et Officio relata, in qua narrantur exotica quædam, quæ illic poterit videre, qui cupit. Ego enim in eo omni non video rationem exempli, doctrinæ aut certitudinis, quæ me ad id scribendum invitet. In tota historia numquam expresse dicitur hæc Sancta fuisse Hispana, nec ego video alium modum, quo hoc possit probari. *Morales hic loquitur de antiquis lectionibus Seguntinis, in quibus non fiebat expressa mentio Lusitaniæ; imo fatetur Balthasar Porrennus in Vita* S. Liberatæ *pag.* 58, *eam tempore Frederici a Portugali, qui ab anno* 1512 *usque ad* 1532 *Seguntinam sedem tenuit, necdum agnitam fuisse, ut Lusitanam, quia in ejus Legenda tantum dicebatur nata* ex patre Cathelio et matre Calsia regibus gentilibus inter finitimos Occidentis haud infimis.

Franciscus Padilla,

33 *Franciscus Padilla scribens de* S. Liberata *ejusque sororibus in historia Ecclesiastica Hispaniæ part.* I, *cent.* 4 *cap.* 26 *hæc habet:* De his Sanctis scribunt Basilius Sanctorus, Ambrosius de Morales, Doctor Villegas et Joannes de Mariera, qui (*postremus scilicet*) longam de illis texit historiam, et nescio unde eam sumpserit. Gauderem si indicasset, sicut solet, dum scribit de aliis Sanctis: nam plerumque solet ponere in margine auctores, qui scribunt de illis; at hic non ponit. Nec sunt verisimiles res quædam, quas de his Sanctis narrat, atque ita non videntur mihi dignæ, ut ponantur in hac historia..... Præfatus Basilius ait, Catelium istarum Sanctarum patrem, insignem quemdam virum fuisse in terra Bolcagia. Et certe ita esse debuit, quia tum temporis non erat rex in Hispania. Quod autem ad nomen Bolcagiæ attinet; nec in lexico, nec in ullo cosmographo sive antiquo sive moderno invenire potui quis sit ille locus Bolcagiæ; atque ita de eo rationem reddere non potero. *Deinde, exposita vita et translatione* S. Liberatæ, *hæc inter alia dicit:* Certitudo, quam habemus, quod hæc Sancta sit Hispana, in eo sita est, quod ejus corpus in Hispania existat, quod sufficit ad ei concedendum locum in nostra historia, etiamsi non fuisset nata in hac regione.

et Nicolaus Antonius,

34 *Nicolaus Antonius in Mss. posthumis mihi a R. D. Adriano Coninck auctoris consanguineo Matriti anno* 1721 *humanissime communicatis, de hac Sancta sic disserit:* Nec certum est, quamvis lectiones Breviarii Seguntini huc tendant, martyrem nos celebrare Hispanam; siquidem hujus almæ ecclesiæ monumentis translatum ad se foris a Florentia usque Simonis Gironii præsulis opera circa annum millesimum trecentesimum Liberatæ martyris corpus non obscure manifestatur; cujus translationis festum xv Julii celebrat. An inde ad nos, quæ a nobis olim in Italiam, translata sint vernæ Martyris pignora, nec affirmare nec negare est animus. *Certe ab aliis non tantum Hispanicos hujus Sanctæ natales in dubium revocatos, sed rotunde negatos fuisse, patet ex refutatione D. Prudentii de Sandoval, episcopi Tudensis, qui in libro de antiquitate civitatis et ecclesiæ Tudensis post exhibitas antiquas ecclesiæ Seguntinæ lectiones pag.* 41 *sic quosdam refellit:* Erravit Villegas dicens, has Sanctas fuisse Gallicas, qui est idem error, in quem lapsi sunt auctores, qui reformarunt Breviarium Pampilonense, quod idem asserit. *Hæc duo Breviaria inter se conciliet, qui volet. Ego huic liti me non immisceo.*

ex quo posteriore objectioni cuidam occurritur,

35 *Forte quispiam hic afferet argumentum, quod mihi Sanctorum causa in Hispania versanti sæpe objectum memini; nempe ad historicam certitudinem sufficere auctoritatem Breviarii. Is præter alia, in Responsionibus Papebrochianis hac super re dicta, habeat responsum eruditissimi Hispani, Nicolai inquam Antonii, qui in Mss. posthumis proxime citatis occasione S. Epitacii, in Placentino Breviario celebrati, in simili causa se tuetur his verbis:* Nec opponas sacram Congregationem Rituum, instante Placentina ecclesia, summoque viro D. Didaco de Arce Reinoso, Generali Hispaniarum Inquisitore, ejus episcopo, lectionem solemnis Officii, quo eadem ecclesia nunc utitur, S. Epitacii approbasse, in qua is Ambraciæ antiquissimæ Hispaniarum urbis antistes fuisse dicitur, a Petro Rotensi renuntiatus. Non enim, quod S. Rituum Congregatio indulserit fidelium instantissime supplicantium pietati tam objiciendum nobis est, quam imputandum credulæ et parum cautæ fidelium pietati, quod absque exactissimo rei examine traditionibus scriptoribusque heri et nudiusterius natis imprudenter stipare libellos supplices, a sacraque ista Congregatione, quæ traditionibus ecclesiarum non parum deferre consuevit, impetrare, ac ut verius dixerim, extorquere solent, quibus ad obrussam sani ac de-

fœcati

A fœcati judicii exactis, ne adversus se ipsa pronuntiet, veritas testimonium denegat.

quæ responsio Benedicti XIII summi Pontificis opinione confirmatur.

36 *Si quis huic responsioni non acquiescat, audiat eminentissimum Cardinalem Vincentium Mariam Orsinum, tunc archiepiscopum Beneventanum, nunc autem sub nomine Benedicti XIII summum Romanæ ecclesiæ Pontificem, qui in eruditissima dissertatione de S. Bartholomæi reliquiis Benevento vindicatis articulo* 7 *simile argumentum ita solvit :* Respondeo primo, maximæ quidem auctoritatis esse Breviarium Romanum in iis, quæ per sese ad cultum ecclesiasticum attinent ; minoris tamen ponderis esse in privatis factis aut gestis, quæ in Vita Sanctorum ex occasione referuntur, ita ut efficax inde argumentum peti non possit, ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur. Nec enim Ecclesia ipsa, quæ iis utitur, inconcussæ infallibilisque veritatis judicat quæcumque Breviariis suis sunt inserta, cum multoties pro variis temporibus, varia ex occasione ea mutaverit correxeritque. *Deinde citatis quibusdam conciliis, quæ Breviarii correctionem decernunt, ita concludit :* B Quæ omnia argumento sunt, Breviaria non illico putanda esse ab omni historica aberratione libera, sed magna plerumque spongia egere, licet illa in suum usum usurpet Ecclesia. Imo nec suis omnino carere nævis Clementino-Urbanum, quo utimur Breviarium doctissimi historiarum exploratores indicant. *Denique idem judicium fert de Martyrologio Romano, in quo quosdam errores detegit adductis exemplis, ad quæ curiosum lectorem remitto.*

§ IV. Diversæ auctorum opiniones de Actis S. Liberatæ Seguntinæ.

Proponuntur variæ sententiæ

U*t in hac confusa scriptorum varietate saltem aliquem servemus ordinem, primo de* S. Liberatæ *parentibus, dein de quibusdam vitæ circumstantiis, ac denique de martyrii loco, tempore ac genere varias opiniones referemus. Quod ad parentes attinet, in antiquis lectionibus Seguntinis apud Prudentium Sandovallium supra citatum nata dicitur* C beata Liberata ex patre Castellio et matre Calsia regulis gentilibus inter finitimos Occidentis ; *in novis autem ecclesiæ Seguntinæ lectionibus pater ejus vocatur* Lucius Catellius Severus, præses Gallæciæ et Lusitaniæ et ejus terræ regulus. *De hujus reguli titulo et nomine pluribus disserit Joannes Tamayus in Martyrologio Hispano die* XVIII *Januarii, ubi* Caium Atilium Severum *nominandum censet. Sed si modo de re conveniat, de nomine non litigabimus.*

de S. Liberatæ parentibus,

38 *In hujus Catellii reguli tempore et regni situ assignando multum a reliquis discrepat antiquus codex Ms. Musei nostri signatus* ✠ *Ms.* 40, *in cujus principio notatur, quod ad nos pervenerit ex Rubea valle prope Bruxellas. Is passionem S. Quiteriæ ita inchoat :* Erat quidam rex magnus super omnes Orientales Catillius nomine, habens uxorem nomine Alfiam de stirpe Juliani imperatoris Hi genuerunt novem filias et unum filium, qui omnes passi sunt mortem pro fide Catholica. *In fine Passionis hæc leguntur :* Passa est autem S. Quiteria in Vasconia prope civitatem Adurensem XI Kalendas Junii anno Domini quadringentesimo septuagesimo septimo. *Mater harum filiarum, quæ a plerisque* Calsia, *et in citato codice* Alfia *vocatur, a Pseudo-Juliano* Quiteria *appellatur, et quidem in Sanctarum numerum refertur. Audi ipsum in Chronico num.* 57 *tamquam ex tripode sic pronuntiantem :* Ex S. Quiteria natæ sunt istæ divinæ sorores : Genivera, Victoria, Eumelia, Grimana, Gemina, Martiana, Quiteria, Basilisa, Vulgefortis vel Liberata uno partu in civitate Gallæciæ, dicta Beleagra, quæ nunc dicitur Baiona, prope civitatem dictam Tudensem. *Quomodo hæc mater S. Quiteria cum Calsia Breviarii Seguntini componetur ? At ego hanc curam Juliani interpretibus relinquo.*

et fictitia eorum apotheosis exploditur.

39 *Vidimus* S. Liberatæ *matrem a Pseudo-Juliano in sanctarum numerum relatam, jam etiam ejus patrem ab eodem Juliano martyrum catalogo adscriptum videamus.* Credibile est, *inquit in Adversariis num.* 250, parentes tot virginum et martyrum veniam et salutem a Deo consecutos, Severumque passum in Hispania sub persecutione Antonini cum quodam centurione XX Augusti. *Respexit nempe impostor ad SS. Martyres Severum et Memnonem, qui* XX *Augusti a Græcis celebrantur, eosque in Hispaniæ urbem Deobrigam pertrahere conatus est, uti satis patet in ejus* E *Chronico num.* 400, *ubi sic scribit :* Deobrigæ S. Severi et Menonii sub Valeriana Augusto. *Nempe compositis de industria sphalmatibus ac solœcismis antiquitatem mentiri voluit. Sed an omnes posteros adeo stupidos fore existimavit, ut sine idoneo teste Catellium Severum sub Antonino, aut S. Severum martyrem Græcum cum socio Memnone sub Valeriano, crederent in Hispania passum ? Ars magna est, quamvis mala, consequenter multa fingere. Tam aperta est hæc Pseudo-Juliani impostura, ut Joannes Tamayus in ejus verba jurare solitus, hic charum suum in fallendo ducem deserere partim cogatur, uti in Martyrologio Hispanico ad diem* XX *Augusti patet ex ejus notis : nam agens de SS. Severo et Memnone tamquam martyribus Hispanis scribit sequentia :* Licet apud relatos auctores haudquaquam locus adsignetur palæstræ, tamen illum indigitavit Julianus archipresbyter Toletanus in Chron. num. 400, his verbis : DEOBRIGÆ SS. SEVERI ET MEMNONIS SUB VALERIANO AUGUSTO. Quæ sententia amplectenda est, nec admittenda alia ab eo confarcinata in Advers. num. 550 fol. 57, qua credidit hunc Severum fuisse F patrem SS. Quiteriæ et aliarum octo Virginum Gallæcarum. *Hæc de* S. Liberatæ *parentibus dicta sufficiant.*

uti et nutricis Silæ,

40 *Post hæc in ipso Martyris, de qua agimus, nomine, aliisque levioris momenti circumstantiis occurrit quædam discrepantia, quam hic breviter annotabimus. In antiquis hujus Martyris Lectionibus vocabatur solummodo* Liberata ; *in recentioribus vero* Wilgefortis seu Liberata *appellatur. Nescio ex quo auctore duplicatum hoc nomen in novum ecclesiæ Seguntinæ Officium transierit, nisi forte ex Pseudo-Dextro, qui inter scriptores tum Hispanos tum Lusitanos primus, quod sciam,* S. Liberatæ *nomen duplicavit. At de hac re postmodum recurret opportuna dicendi occasio. E contrario nomen Silæ, quæ obstetrix aut novem sororum nutrix fuisse dicitur, in antiquo Breviario Seguntino expressum, nescio qua de causa in novo prætermittur. Certe nomen illud honorifice poni potuit, si adhibenda sit fides Juliano, qui in Adversariis num.* 317 *tamquam testis oculatus testatur, sese fuisse prope templum, ubi corpus ejus servabatur.* Creditur, *inquit ibidem,* fuisse virgo, quæ creavit et educavit

AUCTORE G. C.

vit sanctas virgines et martyres sorores, S. Quiteriam, Liberatam et alias Lusitanas. Colitur anniversarius dies ejus martyrii Kalendis Novembris. Creditur passa non multum postquam virgines illæ passæ sunt. *Joannes Tamayus semper ad multiplicandos Hispaniæ Sanctos promptus, ambabus, ut aiunt, manibus hoc testimonium arripuit, et sola istius Pseudo-scriptoris auctoritate nixus Silam die* I *Novembris in suum Martyrologium Hispanicum intrusit. An tales sancti omnibus historicis et martyrologis ignoti, qui in quodam pseudo-chronico tantummodo canonizantur, in ecclesia colendi sint, sanctæ Sedi judicandum relinquo.*

Præter alias Actorum circumstantias discrepantes

41 *Scriptores Lusitani in his novem sororum Actis narrant quasdam circumstantias, quas apud Hispanos passim non invenio. In primis Georgius Cardosus, qui* S. Liberatam *ejusque sorores magis florido quam solido exornat elogio, in Hagiologio Lusitano die* XVIII *Januarii ait, eas a S. Ovidio archiepiscopo Bracarensi baptizatas et in fide Christiana institutas fuisse. De hoc patre spirituali et sancto fidei præceptore apud Hispanos, saltem quos legi, altum est silentium*; *imo in Lectionibus Seguntinis tam antiquis, quam modernis dicuntur a suis* nutricibus.... sacro fonte lustratæ. *Ludovicus dos Anjos in suo Horto Lusitanico sect.* 6. S. Liberatam *appellat fidei Christianæ magistram, et vitæ solitariæ fundatricem in Lusitania. Rodericus da Cunha in Historia ecclesiastica loco supra citato peculiare aliquid refert, nempe* S. Liberatam *a patre suo Caio Attilio ignominiosæ impudicorum hominum lasciviæ expositam fuisse*; *sed eam divino auxilio munitam ab eorum vi sese fortiter defendisse. Hanc publicam ignominiam* S. Liberatæ *ab ipso parente illatam fuisse, in nullis ejus Actis hactenus legere me memini.*

de martyrii loco,

42 *De loco, quem* S. Liberata *sanguine suo consecravit, non minor est disceptatio* : *nam ne quidem inter ipsa pseudo chronica de eo convenit. Dexter ad annum Christi* 138 *ait :* Wilgefortis vel Liberata Catelii Lusitanorum reguli filia passa est Amphilochii. *Julianus vero in suo chronico num.* 83 : Monte Calensi prope Castra Leuca in Lusitania S. Wilgefortis, quæ et Cometiensis et Liberata dicitur, pro defensione fidei et pudicitiæ in crucem agitur, et cervice succisa gloriosissimum de truci tyranno triumphum egit. *Bivarius in Commentario ad hunc Dextri locum inter hos duos sese judicem constituens, hanc definitivam contra Julianum profert sententiam* : Audiendus sane Dexter est præ Juliano. *Nos non multum disputabimus, uter alteri sit præferendus ; quia apud nos uterque æqualem, id est nullam, fidem meretur. Veteres Lectiones Seguntinæ martyrii palæstram distincte non exprimunt ; novæ autem asserunt, eam passam esse* in Lusitania ad Castraleuca, *pro quo Bivarius* Castralœlia *legendum putat. Omitto varias incertasque aliorum interpretationes, et scriptas sub Laimundi nomine fabulas, de quo pseudo-historico Lusitano vide judicium Nicolai Antonii in Bibliotheca Hispana veteri lib.* 6 *cap.* 4.

tempore

43 *Nec magis inter se concordant scriptores de Passionis tempore. Novæ Lectiones Seguntinæ, tacentibus iterum antiquis, volunt,* S. Liberatam *martyrii palmam obtinuisse* circa annum Domini centesimum trigesimum nonum. *Alphonsus Ciacon in libello, quem scripsit de Martyrio ducentorum Monachorum S. Petri a Cardegna, enumerans martyres sub persecutione Diocletiani passos, inter alios refert* S. Liberatam *his verbis :* Sanctæ duæ virgines sorores Liberata et Quiteria, diversis temporibus martyrio affectæ : Liberata quidem decimo quinto Kalendas Februarii, Quiteria vero undecimo Kalendas Junii. *Quiteriam vero plus centum quinquaginta annis Diocletianea persecutione posteriorem facit codex noster Ms. supra citatus, qui dicit, S. Quiteriam passam esse* in Vasconia prope civitatem Adurensem XI Kalendas Junii anno Domini quadringentesimo septuagesimo septimo. *Bernardum Brittum historiographum Lusitanum, aliam de martyrii tempore opinionem tueri collige ex Antonio Vasconcellio nostro, qui post narratam sanctarum novem sororum historiam in Descriptione regni Lusitani Antverpiæ impressa pag.* 447 *hæc subnectit :* De his sacris Martyribus scripsere Ambrosius Morales lib. X cap. XVIII. Villegas, qui easdem nulla ex causa Galliæ adscribit ; nec non Frater Bernardus Brittus parte II Lusitanæ Monarchiæ lib. I cap. XVIII. Duabus tamen in rebus longe fallitur : ætate scilicet, cum annos centum et quadraginta recentiores faciat, quam revera fuerunt ; et patria, quando Bracharenses negat fuisse. *Discrepantes aliorum sententias indagare operæ pretium non est : nam ex modernis scriptoribus de martyrio a tot annis peracto nihil certi eruemus.*

ac genere

44 *Postremo hujus paragraphi loco de martyrii genere quædam dicenda supersunt. In Lectionibus ex antiquo Breviario Seguntino et Palentino apud Bivarium in Commentario Dextri relatis leguntur sequentia :* Dimissis igitur cunctis sororibus ad regna cœlorum, tandem beata Liberata multis tormentis cruciata, cum a fide avelli non posset, capitis abscissione migravit ad Dominum, *Eamdem sententiam secuti sunt F. Thomas de Trugillo in Thesauro Concionatorum supra citato, Basilius Sanctorus in Vitis Sanctorum ad diem* XVIII *Januarii, Joannes Maricta in sua Historia ecclesiastica omnium Sanctorum Hispaniæ anno* 1596 *Conchæ edita lib.* 4 *cap.* 16, *Ambrosius de Morales in Chronico generali Hispaniæ lib.* 10 *cap.* 18, *Franciscus De Padilla in Historia ecclesiastica Hispaniæ centuria* 4 *cap.* 26, *Alphonsus de Villegas in Flore Sanctorum anno* 1626 *Cæsaraugustæ impresso, qui agens de festis Sanctorum Hispaniæ ad diem* XVIII *Januarii fol.* 399 *in fine Actorum* S. Liberatæ *Seguntinæ addit, de ea mentionem fieri in Martyrologio Romano. At in eo fallitur, quia Martyrologium istud die* XVIII *Januarii tantum loquitur de* S. Liberata *virgine Novocomi : nisi quis eum excusare velit, quod cum Roderico du Cunha archiepiscopo Bracarensi aliisque putaverit reliquias Seguntinas ad* S. Liberatam *Novocomensem pertinere ; qua de re satis actum est supra.*

diversa referuntur.

45 *Contra hunc veterum Hispanorum torrentem fertur novum Seguntinæ ecclesiæ Officium, quod nulla decollationis facta mentione, tantummodo dicit quod* S. Liberata *post varia tormenta in cruce meruerit martyrii palmam adipisci. Huic novæ opinioni viam paravit Pseudo Dexter, qui primus* S. Liberatam *etiam donavit nomine* Wilgefortis, *quæ juxta Martyrologium Romanum* in Lusitania pro Christiana fide ac pudicitia decertans, in cruce meruit gloriosum obtinere triumphum. *Cum itaque* S. Liberata *in vestustioribus Breviariis et historicis Hispanis diceretur capite truncata ; sancta vero* Wilgefortis *in additionibus Molani et Martyrologio Romano scriberetur crucifixa, inveniendum*

fuit

A *fuit aliquid, quo hæc duo suppliciorum genera uni eidemque martyri jam a Pseudo-Dextro confusæ convenirent. Pseudo-Dexter contentus hujus novæ sententiæ fundamentum posuisse, martyrii speciem non expressit, sed hanc fabulæ partem socio suo (nisi forte sit idem Proteus, qui sub diversis formis Hispanam historiam corrupit) Pseudo-Juliano adornandam reliquit. Is igitur Dextro succenturiatus in Chronico num.* 83 *hoc duplex supplicium eidem personæ ita aptat :* Monte Calensi, *inquit*, prope Castra leuca in Lusitania S. Wilgefortis, quæ et Cometiensis et Liberata dicitur, pro defensione fidei et pudicitiæ in crucem agitur, et cervice succisa gloriosissimum de truci tyranno triumphum egit. *En novum de* S. Liberata *documentum veteribus Hispanis ignotum. Si quis illud latius explicatum videre cupiat, adeat Bivarium, qui in Commentario ad Flavii Lucii Dextri chronicon ad annum Christi* 138 *hanc Pseudo-Juliani fictionem satis subtiliter defendit. Nos interim ad cultum,* S. Liberatæ *seu potius* Wilgeforti *in Belgio exhiberi solitum, properamus.*

B

§ V. Cultus S. Liberatæ seu Wilgefortis in Belgio.

Belgica quædam S. Wilgefortis effigies

B*elgæ colunt quamdam* S. Liberatam *vel* Liberatricem *virginem et martyrem, quam etiam* Wilgefortem *et* Oncommeram *vocant. Communis autem apud eos traditio est, ut superius dixi, hanc fuisse regis cujusdam Lusitani filiam, quæ regi Siciliæ nuptui locanda talem a Christo impetravit faciei suæ mutationem, ut ab ea sponsus abhorreret. Quare cum divinitus ei virilis barba excrevisset, ab irato et gentili parente in cruce suspensa est. Hæc traditionis summa; juxta quam in quibusdam Belgii ecclesiis ita depingitur.*

C



S. WILGEFORTIS, *alias* LIBERATA, *quam Belgæ a depellen. curis,* ONTCOMMERAM *nominant, Regis Portug. Filia; postq a Xpo sponso suo, deformari rogasset, ne ab Amasio ad nuptias expeteretur; atq. ita subito promissa illi barba excreuisset, pro Xprianæ Relig. ac pudicitiæ defensione, Cruci affixa fuit: miraculis hodieq. clarissima, atq. hoc inter cætera, quod simulachrum Ipsius Cytharoedi cujusdam ad mortem damnati, atq. ad patrocinium Ejus confugientis, Innocentiam vnius ocreæ argenteæ excussione, declararit.*

Vide Martyrolog. Rom. et Molan. ad Usuard.

a Bivario,

47 *Tabellæ huic Belgicæ omnino similis est imago* S. Wilgefortis, *quam D. Laurentius Ramires de Prado se Matriti invenisse asserit, quamque Pseudo-Juliani Adversariis a se editis post paginam* 54 *inseruit. Verum de illa longe aliter judicat Franciscus Bivarius in Additionibus S. Braulionis, ubi pag.* 16 *de S. Paula virgine Abulensi vulgo* Barbata *locutus hæc subjungit :* Prodidit noster Ramiresius imaginem S. Liberatæ, Seguntinorum patronæ (de qua nos multa diximus cum Dextro ad annum Christi CXXXVIII) cruci suffixæ, virili vultu promissa barba decoro cum hac inscriptione : « Sancta Wilgefortis, alias Liberata, quam » Belgæ a depellendis curis Ontcommeram nominant; regis Portugalliæ filia. Postquam a » Christo sponso deformari rogasset, ne ab amasio ad nuptias expeteretur, atque ita subito » promissa illi barba excrevisset, pro christianæ » religionis ac pudicitiæ defensione cruci affixa » fuit, miraculis hodieque clarissima; atque hoc » inter cetera, quod simulacrum ipsius cytharœdi cujusdam ad mortem damnati, atque ad pa- E » trocinium ejus confugientis innocentiam unius » ocreæ argenteæ excussione declararit. » Sed vero minime huic historiæ fidem præbet Ramiresius; nec mirum, cum imago illa non Liberatæ, sed crucifixi Domini gloriosi sit, apud Lucam Italiæ urbem in magna populi veneratione habiti; utpote cujus vivida contigit virtute, calceum argenteum alterius pedis innocenti aut pauperi excussisse. Sed de Liberata nullus scriptorum vel leviter quidquam de barba ei miraculose oborta aliquando prompsit, nisi forsan (quod nunc occurrit) Paulam nostram Liberatam vocarint ob liberationem ex barba ei miraculose concessam, eamque ex nomine cum Wilgeforti vulgus confuderit.

et Barone Blunnio eadem creditur

48 *Confirmat hanc Bivarii opinionem eruditissimus ac nobilissimus D. Henricus Julius Baro de Blun in litteris anno* 1687 *Praga ad Papebrochium datis, in quibus de crucifixa* Wilgefortis *effigie tale fert judicium :* Jam a pluribus annis frequenter inquisivi, unde cultus hujus Sanctæ potuerit ortum trahere, sed nihil admodum inveni, quod ad rem esset. Existimavi quidem primum illam repræsentare Wilgefortem regiam Lusitaniæ virginem, cujus meminit Martyrologium Romanum F xx mensis Julii; sed cum hæc ipsa historia non satis videatur esse certa, quia neque nomen Hispanicum est, neque ullus auctor meminit regum gentilium in Lusitania, suspicatus demum sum, et ipsam Wilgefortem, quod Belgicum potius nomen esse videtur, et S. Kummernissam, uti vulgo appellatur, repræsentare effigiem sanctissimi Crucifixi, quæ Lucæ in Italia a pluribus seculis colitur, quæque Nicodemo adscribitur. Illam ipsemet spectavi ante triginta et amplius annos, cum peregrinarer per Italiam; et agit de illa pluribus Angelus Rocca in Libro, quem Romæ anno MDCIX de particula sanctissimæ Crucis edidit. Ut S. Wilgefortis aut Kummernissæ imagines non alias esse existimem, quam hujus Crucifixi, quod Lucæ antiqua veneratione colitur, hoc potissimum me persuadet, quod omnibus S. Wilgefortis et Kummernissæ imaginibus appictus cernitur fidicen, cui ærumnis et egestate oppresso alterum ex aureis sandaliis porrexerit. Sed hæc ipsa desumpta sunt ex historia hujus Crucifixi.

AUCTORE G. C.

cum imagine Christi crucifixi Lucæ in Tuscia.

49 *Cum hæc legissem, statui in imaginem Christi crucifixi, quæ Lucæ in Hetruria osservatur, ulterius inquirere, atque ecce inter primas paginas libri, quem illustrissimus ac reverendissimus D. F. Angelus Rocca episcopus Tagestensis de particula sacratissimæ Crucis composuit, eam ipsam depictam intueor. Deinde pervolvens ejus commentarium pag.* 40 *hanc illius effigiei, quæ a Nicodemo picto fuisse fertur, lego descriptionem :* Illa imago, quæ Lucæ asservatur tamquam viva Cruci affixa cernitur ; barbam coloris avellanæ, subflavam scilicet, comæ adsimilem, haud longam, sed in extrema parte sensim bipartitam habens...... Calcei ejusdem imaginis argentei sunt, sed aurati, cruce insigniti, quorum dexterum ad hominem quemdam, pro ope sibi impetranda orantem, ipsamet imago miraculose projecisse narratur. Inde pro eo calceo sustentando (nudato calcaneo ; qui calceum numquam recipere potuit) calix non consecratus appositus fuit, sicut ad hanc usque diem illic cernitur ; et calcei pretium illi homini Crucifixum imploranti datum fuit.

B

Sed pingendi modum a pictorum arbitrio dependere

50 *Fateor hanc Lucensem Christi crucifixi imaginem excepta coronæ ac vestium forma, non multum a* S. Wilgefortis *tabella jam exhibito discrepare ; imo et miraculum ab illustrissimo Angelo Rocca relatum non adeo absimile esse ob eo, quod de fidicine ad* S. Wilgefortis *opem confugiente, communiter in Belgio narrari solet. Verum hæc a pictoris arbitrio dependere existimo, qui Virginem martyrem crucifixam virili forma depingere jussus, forte Lucense illud prototypon imitatus sit, eo quod ex quibusdam Actis audivisset, eam orasse, ut Christo crucifixo sponso suo similis fieret, sicque deformata virginitatem intaminatam conservaret. Quidquid sit, modo supra in æs inciso, inquit R. D. Augustinus Wichmannus in sua Brobontia Mariana lib.* 3 *cap.* 5, in plerisque campestris Brabantiæ ecclesiis conspicitur, sicut et Lovanii in ædis primariæ pronao, ubi peculiare habet altare, prout et in pago Alphen juxta Bredam, quod hodieque frequentatur et oblationibus vidi honorari, licet pene sit collapsum. In Waerle autem juxta Eyndoviam pago sacram habet sodalitatem et celebri peregrinorum concursu olim visitari

C

solita est, ac magno cum fructu et sublevamine eorumdem ante nuperam iconomachiam. *An in his Brabontiæ locis Sanctæ nostræ cultus adhuc perseveret, nescio. Saltem Lovanii eum ejus non amplius exstare jam intelligo.*

patet ex alia effigie.

51 *Dixi hunc pingendi modum a pictoris arbitrio dependere : nam longe dissimilem crucifixæ* Wilgefortis *imaginem exhibet Bartholomæus Riccius noster in suo Triumpho Jesu Christi crucifixi ad diem* XX *Julii pag.* 45. *Illic Martyr muliebri veste induta, et regali corona redimita, prolixiori, quam in ceteris tabellis, barba depingitur, atque crux, cui nondum erectæ clavis affixa est, a supplicii ministris in altum tollitur. Multum ab hac aliisque imaginibus differt lignea ejusdem sanctæ Martyris statua, quam anno* 1722 *vidi Mechliniæ in nosocomio virginum, quos nos in Belgio vulgo Beghinos nominamus. In hac statua repræsentatur quidem S. Virgo cruci jam erectæ affixa, sed imberbis, ut ex subiecta tabella, juxta illud exemplar æri incisa, patet :*

D



E

S. WILGEFORTIS *alias* ONTCOMMENE.

Hæc sanctæ Wilgefortis *statua ex antiquo Beghinasio, quod in suburbio Mechliniensi antea situm erat, et seculo decimo sexto in tumultibus Belgicis exustum est, in urbem delata ac in hodierni Beghinasii nosocomio collocata est, cui pia veneratio exhibetur, et vulgari nomine* virgo ægrotantium *appellatur. Narrant autem seniores Beghinæ atque inter eas una annos* 98 *nata, quod illius sanctæ Martyris intercessione quædam patrata fuerint miracula, quæ olim scripto consignata aut perierunt aut saltem inveniri non potuerunt. Atque hæc de picturarum discrepantia hic sufficiant. Parum quippe refert, quocumque pingatur modo. Nos Belgicum hujus sanctæ cultum prosequamur.*

Quidam asserunt Bruxellis S. Wilgefortis reliquias,

F

52 *Imprimis in nobili urbe Bruxellensi, antequam anno* 1695 *magna ejusdem pars bellicis machinis exureretur, Sanctæ nostræ reliquias exstitisse, eamque sub* Ontcommeræ *nomine in publica veneratione habitam fuisse, patet ex epistola, quam presbyteri sacelli sanctissimæ Virginis Mariæ vulgo Auxiliatricis anno* 1706 *ad nos miserunt. Hæc autem sic habet :* Bruxellis in Virginis Auxiliatricis sacello venerationi palam expositæ fuerunt sacræ Virginis exuviæ ante urbem pyrobolis dirutam ; sed ruina communi absumptæ non amplius exstant. Hæc porro una cum imagine exuviæ quotannis in supplicatione S. Jacobi Majoris, sacelli nostri patroni, populi accursu ingenti, circumferri solitæ. Asscrit autem nobis eremicola noster fide dignus, legisse se sæpius, thecæ statuam Virginis dimidiam eminentem gestanti subscriptum Flandrice : HIC SANCTÆ ONTCOMMERÆ QUIESCUNT RELIQUIÆ, HYDROPICIS CURANDIS PATRONÆ APTÆ. Denique festo illius XX Julii perpetuæ concessæ sunt sacello nostro indulgentiæ ab Urbano VIII Pontifice Maximo.

et Steinbergæ ejus sepulcrum exstisse.

53 *In oppido Steenbergensi jam Batavorum ditioni subjecto Sanctam nostram olim Catholico ritu invocatam, imo et sepultam fuisse quidam voluerunt. Ea quamvis incerta fama nos movit ad scribendum*

A *bendum P. Petro Idiers Societatis nostræ Sacerdoti, tunc temporis in Zelandia missionario, ut quid de hac re esset, cognosceremus. Missionarius iste anno* 1707 *respondit in hunc modum :* Steenbergæ indagavi circa S. Ontcommeram olim ibi cultam; sed vix ulla notitiæ nunc vestigia nisi nomen solum, quod oppidi consul mihi amicus assignavit in territorio suo **Sinte Ontcommers-polder**; nec sacerdos nec Catholici quidquam ultra. *Sane mirum non est, illic periisse hujus Sanctæ cultum et memoriam, cum Joannes Baptista Gramayus in Antiquitatibus Bredanis cap.* 19 *de hoc celebri quondam Brabantiæ oppido scribat sequentia :* Incendium anni MCCCLXIII tota urbe grassatum, et taliter, ut nulla cladis expers domus superesset, cineribus consepelivit Steenberganæ felicitatis memoriam. *Et cap.* 22 : Videtur etiam ex antiquis Ducum Brabantiæ et Bredæ Dominorum rescriptis oppidum istud non mediocres calamitates ab igne, aqua et peste sustulisse, ita ut antiqui splendoris, si fuit, vix vestigium videatur. *Adde quod Calviniana hæresis reliquum, si*
B *quis superfuerit, cultum aboleverit.*

Colitur in variis Belgii pagis,

54 *Extensus est ejusdem Sanctæ cultus per varios Belgii pagos, quorum aliquos, qui ad notitiam meam pervenerunt, hic enumerabo. R. P. Joannes Braze, collegii nostri Casletani Rector ad P. Janningum anno* 1706 *Casleto ita scripsit :* In Terdeghem, qui pagus est tribus horæ quadrantibus hinc dissitus, reperta est ara lateralis templi, in qua erecta est pictura illius Sanctæ, prout describitur in scheda his inserta *(miserat una Vitam* sanctæ Wilgefortis *e codice Gelensi ab Augustino Wichmanno editam)* quæ servabatur a Decano Christianitatis in Steenvoorde. Fuit olim in pago præfato confraternitas divæ Wilgefortis, sed ab annis facile quadraginta soluta sine ullis aliis documentis; ut adeo nec diem norint, nec modum, quo colebatur. *In Waelre Brabantiæ pago eamdem Sanctam honorari consuevisse testatur R. D. Servatius Nieuwenhuysen, pastor Helmondanus, qui in litteris anno* 1712 *ad nos datis inter alia hæc habet :* Sæpius vidi ipsam imaginem barbatam, et ut apparebat, satis antiquam tempore præcedentis pastoris. Intellexi tunc etiam plurimum
C fuisse a vicinis frequentatam præsertim tempore catholico. *An et quomodo is cultus perseveret nescio : nam istius loci parochus ad iteratas litteras respondere non est dignatus.*

ac præsertim in Veltzike,

55 *Humanius nobiscum egerunt duo parochi in agro Alostano, quorum unus, nempe R. D. Schuurmans, pastor in Veltzike Flandriæ pago inter Alostum et Aldenardum sito, datis anno* 1706 *litteris ad quæsita respondet in hunc modum :* Ut satisfaciam piæ petitioni vestræ de cultu S. Wilgefortis, respondeo, verum esse, dictam sanctam Virginem et martyrem hic specialiter coli; et hic vocari Wilgefortem, Oncommenam et Liberatam; et hic esse speciale altare ipsi consecratum in parte septemtrionali ecclesiæ, insuper ejusdem esse imaginem et in altari picturam, in quibus repræsentatur cruci affixa non quidem clavis, sed alligata funiculis in manibus et pedibus. Ipsius autem festum hic colitur quarto die Februarii tam a populo, quam a clero. Insuper per totum annum sæpe colitur a circumjacentibus parochiis et etiam ab incolis hujus offerendo aliquod cor vivum (ut hic dicitur) id est vivum animal, columbas, gallinas, pullos et similia; et hoc ad illum finem, ut ægri in angustiis mortis constituti allevientur; ex cujus cultu multi dicuntur invenire solatium. Similiter hic ab incolis colitur, qui orantes circumeunt certam viam hic dictam **Ommeganck** *(id est circuitus)* S. Oncommenæ. Quantum ad certa miracula, illa non ausim, ut certa proferre : nam licet quidam ægri, qui voverant specialem exhibere cultum dictæ Sanctæ, convaluerint, tamen incertum, an virtute medicamentorum an aliunde id contigerit.

AUCTORE G. C.

ubi exstant illius Reliquiæ.

56 Quantum ad notitiam Vitæ, hic traditio est, fuisse regis Portugalliæ filiam, quæ pacis ineundæ causa dabatur a patre in sponsam regi Siciliæ. Quæ quam cito scivit intentionem patris, oravit Christum Dominum, ut dignaretur talem ipsi deformitatem immittere, qua taliter appareret deformis, ut ab ipsa sponsus haberet horrorem. Et exaudita a Domino Deo excrevit quam cito barba in mento. Quod advertens gentilis pater adegit ipsam cruci. Ulterius hic in traditione est, ipsam cruci adactam in mediis tormentis orasse Dominum Deum, ut tale habere posset E
privilegium, ut qui ipsam in angustiis mortis constituti invocant, possint invenire solatium. Ceterum depicta habetur barbata in mento cum corona in capite, quam sustinent duo angeli. Quantum ad reliquias, habemus hic duas partes ab ordinario approbatas, longas ad medium pollicem, crassas fere ad duos digitos, præter aliam parvam partem, quæ a tempore immemoriali hic est in ecclesia. *Hæc ille, cujus diligentiam in danda exacta de suis Sanctis notitia utinam alii imitarentur!*

litteris testimonialibus approbata.

57 *Postea anno* 1722 *cura ac diligentia R. admodum D. Benedicti de Ruddere, canonici Mechliniensis, accepi authenticum de reliquiis Veltzikanis testimonium, quod anno* 1670 *datum sic sonat :* Amatus Coriache, presbyter canonicus archidiaconus ecclesiæ metropolitanæ Mechliniensis et ejusdem sedis vacantis vicarius generalis, omnibus has visuris salutem in Domino. Cum nobis per fide digna testimonia constet, duas partes reliquiarum sanctæ Oncomenæ sive Wilgefortis annis quam plurimis in sacello beatæ Mariæ Virginis de Successu in oppido Bruxellensi asser- F
vatas, et publico Christi fidelium cultui et venerationi expositas fuisse, et jam primum traditas fuisse ad manus venerabilis domini Thomæ Verbesselt, pastoris in Velsique, districtus Oordegemiensis, ad supplicationem dicti domini pastoris de Velsique, in quo loco ecclesia parochialis in ejusdem Sanctæ honorem est consecrata, easdem reliquias approbamus, permittimus easdem reliquias in dicto loco et ecclesia Christi fidelium venerationi exponi. In quorum fidem ac robur præsentes dedimus Mechliniæ die ultima mensis Septembris anno Domini MDC septuagesimo. *Autographum hoc instrumentum servatur in archivo Veltzikano, quod R. D. Vander Eecken pagi illius parochus transcripsit, cujus copiam cum originali concordare testatur die* XXIII *Augusti anno* 1722.

Cultus ejusdem in aliis Flandriæ, Brabantiæ,

58 *Alter in eodem agro Alostano parochus est R. D. Joannes Carolus Broeckmans, qui in epistola anno* 1706 *ad nos data hæc significat :* Colitur in ecclesia mea de Baveghem sancta Wilgefortis sub nomine Ontkommeræ picta, affixa cruci cum barba in mento instar viri cum corona aurea in

capite

AUCTORE G. C.

capite et vestibus femineis. Colitur octava die Octobris festo in populo, multo externorum concursu. *Eamdem S. Wilgefortem non procul Lovanio habere sacellum suo cultui dedicatum colligo ex Augustino Wichmanno supra citato, qui in sua Brabantia Mariana lib.* 3, *cap.* 5 *scribit sequentia :* Est autem Vlierbeca dimidio circiter lapide a Lovanio sita extra portam Diesthemiensem, in cujus via sacellum visitur, sanctæ cuidam virgini, sed non omnibus ita notæ, sacrum. De qua, quia per Brabantiam et totam præsertim Campiniam nostram plurimas habet statuas et altaria, tribus verbis hic agendum duxi, bona lectoris venia, qui digressiunculam hanc æqui bonique consulet; tum maxime quod B. Virginis Mariæ cœlesti sponso virginitatem suam consecravit, pro qua etiam vitam lubenter perdidit. Est ea virgo et martyr B. Wilgefortis, nobis autem Brabantis Oncommera vernacule **sinte Ontcommer**, cujus vitam sic breviter accipe ex Ms. codice, Gela mihi transmisso, Vitas sanctorum continente. *Hic subdit Acta, quæ nihil aut parum differunt a vulgaribus, de quibus postea latius.*

B

ac Hannoniæ locis.

59 *Notatu dignum etiam est, quod P. Angelinus Gazæus Societatis nostræ, vir editis libris notus, a multis jam annis ad Majores nostros Valencenis clara Hannoniæ urbe perscripsit :* Coluntur, *inquit*, in pago nobis vicino nec amplius medio milliari ab urbe hac distanti sanctus Colpinus et S. Wilgefortis. Pago nomen est Onoit, quo ad eorum opem implorandam confluunt undique ex ipsa etiam Francia, sed præsertim ex Hannonia plurimi. Nudiustertius locum ipsum adii, ut inquirerem, quid Sanctorum esset, et cujus ergo colantur. Sub ipso templi choro cryptam inveni, ubi altare est, et in hoc imagines duæ ligneæ sine ullis sanctorum illorum reliquiis. S. Colpinus fere pingitur instar S. Jacobi : vestem habet apostolicam et pedum peregrinorum, cui pera appensa est ; tegitur caput galero, sed sine concha marina, uti solet S. Jacobus. Sancta Wilfordis cruci fixa est, sed vestita et coronata, et quod mirere, barbata. Coluntur præsertim pro pueris languidis, pro aliis etiam tumescentibus; et quidem coluntur indifferenter ambo. Sciscitatus sum

C

ex pastore, num quid scriptum esset de eorum Vita aut aliis. Negavit quidquam reperiri, idque, uti verosimile est, vitio bellorum. *Epistolæ inclusum erat numisma plumbeum, in cujus una parte conspicitur S. Colpinus modo supra descripto; in altera vero parte* S. Wilgefortis, *additis his characteribus* S. WILFOR, *crucifixa exhibetur. Opinor hæc numismata fidelibus eo confluentibus distribui.*

Missa antiqua de S. Wilgeforte.

60 *Hisce de Belgico* S. Wilgefortis *cultu collectis, reperi de eadem Sancta Missam manuscriptam, quæ cujus sit temporis aut loci non facile dixero. Cum tamen character sit Belgicus, eam in Belgio olim recitatam fuisse suspicor, ideoque huic cultui Belgico subnecto. Titulus est* : Missa de sancta Wilgeforte virgine et martyre, cujus festum celebratur die vigesima Julii. Hæc fuit filia cujusdam regis Portugaliæ gentilis, per eumdem crucifixa propter nomen Domini nostri Jesu Christi crucifixi sponsi sui. *Introitus* : Me expectaverunt peccatores, etc. *Collecta* : Deus, in cujus sancti nominis honore beata Wilgefortis virgo et martyr martyrio crucis triumphavit, præsta, quæsumus; ut qui ejus commemorationem pia devotione frequentamus [et] honore, ipsius meritis et precibus ab omni necessitate et periculo animæ et corporis eripias, et ad gaudia æterna perducas. *Lectio libri Sapientiæ :* Confitebor tibi, domine rex, *etc. Evangelium :* Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, *etc. Reliqua, quæ in hac Missa sequuntur, nil peculiare continent.*

D

§ VI. Cultus ejusdem Sanctæ in Germania aliisque Europæ partibus.

Germanicum Sanctæ nomen explicatur,

Germani plurimi *S. Wilgefortem Catholico ritu venerantur eamque lingua sua proprie* **Ohnkummer** *vel* **Ohnkummernus** *et passim brevitatis causa* **Kummernus** *appellant. Sed ne forte quemquam nomina hæc Germanica morentur, breviter ea explicare lubet. Nomen Germanicum* **ohnkummer** *vel* **ohnkummernus** *componitur ex præpositione* **ohn** *id est* sine, *et substantivo* **kummer** *vel* **kummernus** *quod* mœrorem, angorem *ac* solicitudinem *significat ; ita ut* **ohnkummernus** *idem sit quod* sine anxietate. *Forsan hæc etymologia ex Actis originem trahit ; nempe quod ipsa Sancta ad conservandam fidem vel virginitatem sine mærore et angore fortiter martyrium subierit. Forsan etiam hoc nomen ex effectu ortum est ; quia scilicet clientes suos angustiis liberare dicitur, atque ita opem ejus implorantes* sine anxietate *fiant, secundum id quod in cruce ultimum oranti cælitus promissum legitur ; nimirum fore ut illi* ab omnibus molestiis et angustiis et tribulationibus cordis, corporis et spiritus, ejus intercessione liberentur. *De hac Actorum clausula quid sentiam, postmodum indicabo. Hæc de nomine satis ; jam ad rem veniamus.*

E

Ostenditurque ejus cultus Moguntiæ, Fuldæ,

62 *Moguntiæ ac Fuldæ pium* S. Wilgeforti *cultum exhiberi intelligo ex litteris P. Ignatii Dorn e Societate nostra, qui anno* 1716 *præter alia hæc scribit :* Significo præterea R. V. Moguntiæ, et quidem in templo Metropolitano esse ejusmodi imaginem (crucifixæ nempe virginis cum barba) satis vetustam, quæ ab incolis Moguntinis quotidiana devotione, eaque non vulgari colitur : vix enim memini, me templum hoc ullo tempore transivisse, quo non observassem unum alterumve aut etiam plures accensos cereos coram imagine ista; sæpe etiam ibidem flectentes et orantes homines ; appensa etiam videntur quædam anathemata. Subscriptio propter vetustatem non amplius tota legi potest. Homines quidem sciunt, crucifixam hanc virginem cum barba esse sanctam Wilgefortem ; non aliter tamen illam appellant, quam **sanct gehulff** / *id est proprie,* sanctum auxilium ; *forte quia pluribus illic sese invocantibus auxilium præbuit. Demum finitæ epistolæ hæc subjungit.* P. S. Modo audio, etiam Fuldæ esse ejusmodi imaginem ad cultum publicum in præpositura montis S. Michaelis expositam.

F

in Muringen

63 *Habeo penes me Germanicam crucifixæ virginis imaginem, ex qua apparet, eamdem* S. Wilgefortem *seu* Kumernissam, *mutato nonnihil nomine, in Muringen, ad Silvam Herciniam miraculis clarescere. Hic quidem coronata et barbata, sed a capite usque ad umbilicum nuda pingitur ; reliquum corpus consueta mulieribus veste ad pedes usque tegitur. Nullus hic ante eam flectit fidicen, sed ex utroque crucis latere pinguntur angeli qui in aere*

voli-

A *volitantes Martyri flores spargunt. Cruci vero subscripta sunt hæc verba :* Sancta Cumerana virgo et martyr miraculis clara in Muringen ad silvam Herciniam. *Ex hac pictura liquet, non ubique eodem modo, sed, ut supra diximus, pro pictorum arbitrio hanc Sanctam depingi; adeoque non esse periculum, ut cum Lucensi Christi crucifixi imagine confundatur : nam in hac nec fidicen nec calcei, nec calix aliaque appinguntur, quæ confusionis suspicionem præbeant. Miraculosa autem calcei excussio, quæ in plerisque* S. Wilgefortis *imaginibus tamquam fidicini facta exprimitur, in historia Crucifixi Lucensis homini cuidam pauperi contigisse traditur; quæ personarum distinctio diversum videtur indicare miraculum, quamvis solidam id affirmandi rationem non habeam.*

aliisque Germaniæ

64 *Non dubito, quin in plurimis aliis Germaniæ locis mihi ignotis Sancta nostra publicam venerationem obtineat : Embricæ enim notam fuisse, conjicio ex litteris P. Bartholomæi Des Bosses, qui anno* 1613 *ad Janningum nostrum Paderborna sic scribit* : De S. Wilgeforte spero R. V. anno præterito aliquid accepisse per Colonienses nostros, B qui eam provinciam susceperant. Scripseram ego P. Ambrosio Wirich Rectori Embricensis collegii, qua in urbe extare intellexeram memoratæ Sanctæ statuam in crypta ecclesiæ archidiaconalis S. Martini. Respondit ille mihi, Dominos Canonicos illius ecclesiæ consultos a se respondisse, nihil in ecclesiæ suæ archivio reperiri de Sancta illa. Quod responsum innuit, vere in crypta illa extare statuam hujusmodi, quamvis nesciatur, qua occasione eo devenerit. *Quocumque modo hæc sese habeant, saltem Susati* S. Wilgefortem *olim honoratam fuisse, colligo ex Collectaneis Mss. Westphaliæ apud nos Codice S. num.* 113 *in cujus principio, ubi de S. Patroclo et urbe Susatensi agitur, lego sequentia* : S. Wilgefortis crucifixæ cum barba et calceo imago in ecclesia collegiata Susatensi columnæ adpicta cum candelabro oblongo plurium candelarum inserto ipsi muro; quod signum cultus votivi.

ac Bohemiæ locis;

65 *In Bohemiam progrediamur, in cujus metropoli non a multis annis crucifixæ* Wilgefortis *imago publicæ fidelium venerationi exposita est : nam* C *R. P. Martinus Bilinensis Capucinus de hac, ni fallor, imagine erigenda primo Papebrochium consuluit per litteras anno* 1684 *Praga datas in hunc modum :* Mercator quidam Pragensis natione Belga statuit erigere hic Pragæ in quadam ecclesia altare S. Wilgefortis virginis et martyris, cujus festum juxta Martyrologium Romanum cadit in vigesimam Julii. Hæc Sancta in regno Boëmiæ ignotissima, mirabilis videtur genti nostræ, maxime quia præfigurando ejus effigiem pingitur virgo miraculose barbata, in cruce pendens cum uno aureo calceo : alterum enim quidam fidicen coram ipsa flectens ante se jacentem habet; calix etiam adjungitur. Vocatur vero hæc sancta vulgo Liberata, Germanice Ohn-kummernus diciturque plurimum coli in Belgio. Fateor, perlustravi diversos libros, de hac tamen Sancta aut nihil aut paucissima reperi. *Deinde petit quædam ad præfatæ Sanctæ vitam et cultum spectantia, quæ cum a Papebrochio Pragam transmissa fuissent, idem P. Martinus litteris circa ejusdem anni finem datis perhumaniter egit gratias.*

66 *Vix dubito, quin hæc eadem sit effigies, de qua anno* 1686 *in epistola ad Papebrochium jam partim supra memorata Laudatus Baro De Blun ita meminit :* Non ita pridem Reverendi Patres Capuccini in hac urbe extruxerunt elegans sacellum, in quo publicæ venerationi exposuerunt hanc effigiem, cujus ectypon ære expressum mitto. Spectatur hæc imago sacra in pluribus aliis locis hujus regni; quin etiam per totam Germaniam memini me illam in diversis ecclesiis sæpe vidisse sub nomine sanctæ Kummernis. *Hujus imaginis apographum impressum est Pragæ cum devota et prolixa ad eamdem Sanctam oratione Germanica, quam hic brevitatis causa omitto. Effigies vero illa, quæ juxta subscriptionem chronographicam anno* 1684 *erecta est, ab omnibus aliis regio vestium ac gemmarum ornatu distinguitur, ut hic vides.*

AUCTORE G. C. et Pragensis illius effigies exhibetur.



E

DIVa **WIL**gefort**I**s, a**LI**ter **LI**berata Sponsa **I**es**V**, **VI**rgo, et **M**art**II**r.

F

In Anglia olim habuit

67 *Videtur etiam Sancta nostra in aliis Europæ regionibus jam dudum fuisse nota. Imprimis Anglos olim* S. Wilgefortem *peculiari cultu veneratos fuisse suspicor. Habemus enim in Museo nostro* Enchiridion præclaræ ecclesiæ Sarisburiensis *in Anglia*, devotissimis precationibus ac venustissimis imaginibus, et iis quidem non paucis refertum *(ita notatur titulus libri) in quo peculiaris de* S. Wilgeforte *fit mentio, ut statim videbimus.* Impressum est hoc orarium *(verba sunt in libelli fine posita)* Parisiis in ædibus spectabilis viri Germani Hardouyn librarii jurati Universitatis Parisiensis, apud palatium commorantis, ad signum divæ Margaretæ *anno* 1533, *uti colligitur ex tabula paschali. In illo enchiridio elegantibus varii generis imagunculis adornato, et in charta pergamena nitidissimis typis excuso, post Psalmos pœnitentiales leguntur litaniæ omnium Sanctorum, in iisque post SS. Sitham, Fredeswidam, Wenefredam aliasque sanctas Anglas invocatur etiam* S. Wilgefortis.

68 *Alibi in eodem libello inter Collectas de variis*

riis

AUCTORE G. C.

Antiphonam et orationem propriam.

riis Sanctis legitur una de sancta Wilgeforte virgine et martyre *sub hac Antiphona :*

Ave,* sancta famula, Wilgefortis, Christi,
Quæ ex tota anima Christum dilexisti;
Dum regis Siciliæ nuptias sprevisti;
Crucifixo Domino fidem præbuisti.
Jussu patris carceris tormenta subisti,
Crevit barba facie, quod obtinuisti
A Christo pro munere, quod sibi voluisti,
Te volentes nubere sibi confudisti.
Videns pater impius te sic deformatam
Elevavit arius * in cruce paratam :
Ubi cum virtutibus reddidisti gratam
Animam quantocius, Christo commendatam.
Quia devotis laudibus tuam memoriam, virgo recolimus,
O beata Wilgefortis, ora pro nobis, quæsumus.

* *lege* acrius *vel* ocius

℣ Diffusa est gratia in labiis tuis.
℟ Propterea benedixit te Deus in æternum.

B

Oremus.

Familiam tuam, quæsumus, Domine, beatæ Wilgefortis virginis et martyris tuæ, regis filiæ, meritis et precibus propitius respice; et sicut ad preces ipsius barbam, quam concupivit, sibi cœlitus accrescere fecisti; ita desideria cordis nostri supernæ gratiæ digneris beneficiis augmentare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In Normannia etiamnum celebratur,

69 *Nunc ex Anglia in Normanniam Galliæ provinciam trajiciamus. Illic etiam invenio* S. Wilgefortis *cultum, et sacellum sub ejus patrocinio consecratum, uti latius patet ex litteris anno* 1706 *a R. P. Henrico De la Crochiniere Collegii nostri Deppensis Rectore ad nos datis, quæ sic sonant :* Nudiustertius adivi pagum Arques ob victoriam ab Henrico Magno reportatam famosum, et ab urbe nostra Deppensi leuca et amplius distantem; quo in pago vidi sacellum satis antiquum Deo optimo Maximo sub invocatione S. Wilgefortis sacrum, ubi extat in altari unico dictæ Virginis statua lapideo muro prominens, quæ ipsam virginem barbatam, veste talari indutam, manibus et pedibus fune cruci alligatam exhibet.

C

Duæ præterea visuntur ad altaris latera ejusdem Virginis imagines recentiores, in quarum una pingitur stans coram rege vel judice, qui videtur eam velle inducere ad idolum proxime erectum adorandum. In altera autem tabula pingitur jam in cruce pendens et pluribus utriusque sexus orantibus circumdata, cum hoc tamen picta discrimine, quod ibi defluant fere ad pedes capilli, qui in statua vix apparent linteolo ad occiput forte obligati. Festum dictæ sanctæ Virginis celebratur in hac capella die decima nona Julii, qua præsertim die magnus ad eam fit populorum concursus; toto autem anni tempore sæpissime adeunt fideles, etiam plus quam viginti leucis remoti, sanctam Wilgefortem adprecati, ut languentibus maxime infantibus sanitatem vel morientibus bonam mortem impetret a Deo. Dictum mihi fuit, eamdem Sanctam coli adhuc in pago Doudeville, et in aliquibus locis aliis regionis illius Caletensis dictæ vulgo du pays de Caux.

ubi et Acta ejus impressa sunt,

70 *Hisce litteris adjunctus erat libellus Gallicus jam a sexaginta circiter annis Deppæ impressus, qui sanctæ* Wilgefortis *(in titulo præterea* Dignefortis *et* Virgofortis *appellatur) vitam novem capitibus complectitur. In ultima hujus libelli pagina habetur hæc communis oratio :* Indulgentiam nobis, quæsumus, Domine, beata Dignefortis virgo et martyr imploret, quæ tibi grata semper extitit et merito castitatis et tuæ professione virtutis. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Non videtur* S. Wilgefortis *cultus ulterius in Galliam penetrasse; imo in quibusdam istius regni provinciis hæc Sancta est omnino ignota : nam insolita barbatæ Virginis imago Sequanos, Galliæ populos, attonitos reddidit, sicut patebit ex epistola, paragrapho sequenti danda, ubi etiam dubiis quibusdam in ea circa* S. Wilgefortem *propositis respondere conabimur, atque eadem opera ejus cultum et Acta, quantum fieri potest, illustrabimus.*

§ VII. Dubiis quibusdam circa S. Wilgefortem propositis respondetur.

E

R. P. Exprovincialis Carmelitarum,

Cum sub initium labentis seculi decimi octavi excitata esset gravis apud Sequanos disceptatio de S. Wilgeforte, *putavit R. admodum P. Fr. Andreas a S. Nicolao, Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo Exprovincialis exquirendum sibi esse judicium hagiographorum Antverpiensium per litteras Vesontione Sequanorum Nonis Januarii anno* 1706 *ad eos datas, in quibus post amicam salutationem ita scribit :* Quæstionis cardo sic vertitur. Exposita fuit in quibusdam templis effigies virginis barbatæ et e cruce pendentis, quam regis ethnici filiam, ideoque diademate redimitam, pro servando pudoris voto et fidei christianæ constantia ferunt martyrium fecisse. Portentosa visa est pluribus barbatæ virginis effigies, eamque a templis amovendam voluerunt nonnulli etiam probe catholici, ne risum ultra moveret apud vulgus imperitum et minus pium, dissuadentibus tamen aliis forte prudentioribus et magis piis.

exposito controversiæ statu de S. Wilgeforte,

72 Consultus ego, in posteriorem sententiam ut pronus descenderem, suaserunt hæc argumenta; quod scilicet videntibus tacentibusque episcopis diœcesanis pluribus, plures hujusmodi tabellæ atque etiam statuæ non raro expositæ jam dudum fuerint in templis ecclesiæ Catholicæ per Bavariam et Germaniam universam, per Gallias etiam alicubi ac Burgundiam superiorem; imo et per Helvetios orthodoxos in ipso S. Nicolai templo sub oculis episcopi Lausanensis, qui a Lausana sua extorris et per heterodoxos pulsus, sedem habet extemporaneam ad ipsum S. Nicolai templum in oppido Helvetiorum Friburgo. Accedit Martyrologiorum, Romani præsertim, auctoritas, in quo ad vicesimam, quam dixi, Julii diem legimus, S. Wilgefortem in cruce pro fide et pudicitia decertasse et triumphum reportasse.

F

et variis circa nomen,

73 Nec obstat apud me, quod barbati in Virgine vultus non meminerit Romanum Martyrologium; ac Wilgefortem appellaverit, quam Bavari et eorum contermini Helvetii Kumernum, Germani vernacule vocarunt Ontkummer, nosque Galli Kombre et Ankombre solemus nuncupare : illa enim pro regionum et idiomatum varietate, appellationum inducta varietas; sicut et Romani

Marty-

A Martyrologii de barbato Wilgefortis vultu silentium, distinguendam non suadent Kumernum seu Ontkummer ab illa Wilgeforte; tum quia Romanum Martyrologium non vultus martyrum pingere, sed martyrii modum tantum et causam aliquando breviter solet recitare; tum etiam maxime, quia sicut sanctæ Virginis istius nomen diversimode flectit vulgus, ita et Martyrologium Germanicum Latine Liberatam dixit, quam Wilgefortem Romanum vocavit.

cultum,

74 Rem controversam aperte videtur definivisse Bartholomæus Riccius Societatis vestræ, qui in libello pio juxta ac erudito, quem edidit de Triumpho Jesu Christi Crucifixi ista ad vicesimam Julii diem scripsit : « In Portugallia S. « Wilgefortis virgo, regis Portugalliæ filia pro « Christianæ religionis ac pudicitiæ defensione « decertans, cum a Christo sponso suo deformari « rogasset, ne ab amasio ad nuptias expeteretur, « subito illi satis promissa excrevit barba. Hæc « apud Belgas pluribus in locis colitur, sed S. « Ontkommeræ appellatione; forte a depellendis B « curis atque incommodis, ut in ejus Vita MS. « colligas. Martyrologium Romanum et Molanus « ad Usuardum. » Hæc Riccius, ubi supra. Atque ista si æque certa atque clara, certius certe nihil clariusve ad rem nostram adduci potuit pro sanctæ Virginis personæ, nominis, et passionis identitate.

et Sanctæ Acta erudite observatis,

75 Scrupulum nihilominus movet narratio, quam ad tabellas ejusdem Virginis apposuerunt Bavari et Helvetii contermini, quæ sic habet: « Erat alicujus regis gentilis filia apprime pul- « cra, quam rex ethnicus omnibus votis deside- « rabat accipere in conjugem; sed hoc dicta « Virgo summopere doluit, utpote quæ Deum « sibi in sponsum delegit. Ex quo pater iratus il- « lam conjicit in carcerem. Virgo invocat Deum, « ut illi auxilietur, quem sibi apparentem enixe « rogat, ut eam in talem mutet formam, qua « nulli viro placeat, quam soli Deo, et ut ipsam « faciat sibi similem in capillis et barba. Quod « cum videret illius parens, quæsivit ex ipsa, « quænam hæc forma sit? Ait illa, ejus sponsum, « quem elegit, sibi illam omnino similem fecisse, C « quippe, addidit, se nullum alium velle, nisi « Crucifixum. Itaque iratus parens ait : Mori « ergo te in cruce cum tuo Deo oportet; quæ ad « hoc paratissima in cruce est mortua. Qui invo- « cat sanctam Virginem in sua necessitate, illi « subvenit nomine Kumernus. Sepulta est in « Hollandia in ecclesia, quæ dicitur Steinberg. « Scrupulum, inquam, movet, quod Virgo in Lusitania martyr dicatur sepulta in Hollandia, et quidem in ecclesia de Steinberg. Quomodo enim, si una eademque Kumernus seu Ontkummera sit cum Wilgeforte, qua occasione et quo tempore translata fuit a Lusitania in Hollandiam, et in ecclesia de Steinberg deposita?

dubia sua proponit,

76 Liceat igitur pro re Christiana et Catholica cum piis et eruditis nostratibus tibi, eruditissime hagiographe, solvenda quædam super gravi isto negotio proponere capita. I. Quænam illa fuerit barbata Virgo in cruce? Anne Wilgefortis, de qua Martyrologium Romanum ad vicesimam Julii ? II. Utrum Kumernus, Ontkummera, Liberata, sit una eademque cum Wilgeforte, uti laudatus Riccius vester censuit? III. Quomodo vulgus flectere soleat in Belgio vestro nomen hujus barbatæ Virginis? IV. An vere in Hollandiam elatæ fuerint Virginis exuviæ, et in ecclesia de Steinberg depositæ? A quo, et unde, et quo tempore? V. Fueritne vere in Lusitania rex gentilis, cujus Wilgefortis seu Ontkummera fuerit filia? Quis rex ille, et quo nomine proprio donatus? Qui fuerint regni fines? Quo tempore regnaverit? VI. Ad quam diem per anni circulum festivitas Virginis istius apud vos celebrari solita? *Hæc tota viri prudentis, uti ex ipso contextu patet, ac eruditi epistola, præter clausulam et exordium, quibus in hagiographorum, quos consulebat, laudem excurrit.*

AUCTORE G. C.

ad quorum primum,

77 *Quid huic epistolæ tunc responsum fuerit, ignoro; quid autem nunc, re mature examinata, respondendum censeam, mox indicabo. Proponuntur in harum litterarum epilogo paucis verbis dubia multa, quibus numquam liquido me satisfacturum arbitror : nam argumentum rei, de qua agitur, perquam obscurum et intricatum est. Ne quid tamen dissimulasse videar, ad singula ordine respondeo, ut queo, quando ut volo non licet. Primo quæritur,* E quænam fuerit illa barbata Virgo? Anne Wilgefortis, de qua Martyrologium Romanum ad vicesimam Julii? *Censeo non aliam* Wilgefortem *(quidquid recentiores quidam Lusitani et Hispani duas* Wilgefortes *distinguant) in Romano Martyrologio designari, quam quæ in Belgio et Germania passim colitur, et in cruce barbata pingitur : Germani enim et Belgæ primi istius Virginis et Martyris meminerunt, eamque Martyrologio Romano suppeditarunt; haud dubie autem suppeditaverint* Wilgefortem *aut* Liberatam, *quam noverant coli apud se et in cruce pingi, antiquis scriptoribus et Breviariis Hispanis asserentibus, suam* S. Liberatam, *cui nova Pseudo-chronica primo* Wilgefortis *nomen addiderunt, capite plexam esse, nullumque de crucis supplicio verbum facientibus.*

collatis inter se

78 *Ut responsio vim suam et claritatem obtineat, Martyrologiorum quorumdam genealogia paulo altius repetenda est. Hermannus Grevenus Cartusianus, qui Usuardi monachi Martyrologium cum variis additionibus anno Domini* 1515 *Coloniæ Agrippinæ impressit, atque anno* 1521 *iterum edidit, utrobique in dictis additionibus sic habet die* XX F *Julii :* S. Wilgefortis Virginis et Martyris, filiæ regis Portugalliæ. *Ex his sua de* S. Wilgeforte *hauserint, et alicunde auxerint compilatores Martyrologii Germanici Adam Walasser et P. Petrus Canisius Societatis nostræ apostolicis laboribus per Germaniam celebratissimus, atque apud Helvetos Friburgi cum sanctitatis opinione vita functus. Hoc Martyrologium, quod communiter Canisii nomine citatur, anno* 1561 *Dilingæ cusum, et recusum annis* 1573 *ac* 1599, *in prima et secunda editione, teste Molano, ad diem* XX *Julii ita Teutonice habet :* Sancta Virgo et martyr Wilgefortis, regis Portugalliæ filia, quæ a nonnullis appellatur Latine Liberata et Teutonice Onkummer. *Quibus in tertia editione nempe anni* 1599 *hæc superadduntur :* Quæ pro conservatione virginitatis suæ et fidei Christianæ in cruce suspensa et mortua ad Christum transiit in cœlum.

variorum Martyrologiorum textibus,

79 *Habemus præterea tres editiones Usuardi aucti per Joannem Molanum sacræ Theologiæ doctorem, factas annis* 1568 *Lovanii,* 1573 *ibidem, et* 1583 *Antverpiæ. In prima ad dictum diem post Usuardi*

AUCTORE G. C.

Usuardi textum sic lego : S. Wilgefortis Virginis et Martyris filiæ regis Portugalliæ, quam nonnulli Latine Liberatam, Teutonice autem Ontcommeram agnominant. *Hujus elogii partem priorem sumpsit Molanus ex Additionibus Greveni citati; posteriorem vero ex Germanico Canisii primæ editionis, ut consideranti patet, atque ipsemet additis certis notulis indicat. In secunda et tertia editione non meminit, filiam regis esse, sed addit mortis causam et modum ita scribens :* In Portugallia, natalis S. Wilgefortis *(apposita margini hae notula* Ontcommera agnominatur Teutonice) Virginis et Martyris, quæ amore castitatis et Christianæ fidei in cruce moriens feliciter transivit ad Dominum. *Hæc additio nova Joannis Molani convenit cum iis, quæ in editione tertia Martyrologii Germanici etiam addita leguntur, et verosimiliter ex illo huc translata sunt.*

paulo fusius respondetur.

80 *Ex præmissis et præcipue ex editione Molani, quam Baronius consuluit, primum inserta fuit* S. Wilgefortis *Martyrologio Romano sub finem Pontificatus Gregorii XIII, ejusque elogium tale legitur in editione Antverpiensi anni* 1586 : In Lusitania, S. Wilgefortis Virginis et Martyris, quæ pro Christiana fide ac pudicitia decertans in cruce meruit feliciter consummare martyrium. *In editione anni* 1608 *ultima elogii verba, nulla significationis mutatione sic mutata sunt :* Meruit gloriosum obtinere triumphum. *Atque ita deinceps in Romano lecta sunt et leguntur. Prior lectio integra ex Romano, sub Gregorio Papa tunc recentissime correcto, translata legitur quoque in Martyrologio Basileensi* juxta Romanum ad novam Kalendarii rationem et Ecclesiasticæ historiæ veritatem restitutum et Jacobi Christophori episcopi Basileensis jussu editum Friburgi Brisgoiæ anno MDLXXXIV. *Ad Martyrologium Romanum nihil hic annotavit Baronius, nisi quod eadem habeantur in Additionibus Molani. Indidem sua etiam sumpsisse videtur Martyrologium Lusitanicum de propriis regni istius Sanctis impressum Conimbricæ anno* 1591, *atque expresse, a Teutonibus appellari* Ontcommeram et ab aliquibus Latine Liberatam. *Opinor, hæc Martyrologia annuntiationes suas hausisse ex ipsis Actis aut certe ex Florario Ms., quod omnibus Martyrologiis hucusque hic citatis antiquius est, ut sequenti paragrapho videbimus.*

Occasione secundæ quæstionis

81 *Jam procedamus ad secundam quæstionem, in qua petitur,* utrum Kumernus, Ontkommera, Liberata sit una eademque cum Wilgeforte ? *Respondeo* Kumernum *aut* Ontkommeram *eamdem esse cum* Wilgeforte; *fateorque, eam a Belgis et Germanis interdum vocari Latine* Liberatam. *At nego,* Wilgefortem *nostram eamdem esse cum* S. Liberata, *quam Seguntini ut patronam venerantur. Ad ita judicandum me movent rationes sequentes. Imprimis* Wilgefortis *non est Hispanicum aut Lusitanicum nomen, uti vel ex primo ejus elemento innotescit, quod Germanis et Belgis nominari solet duplex V, ac sic W formari. Hæc autem littera W Hispanis et Lusitanis æque inusitata est ac Italis et olim Latinis. Neque cogitari potest, nomen illud cum Gothis, Suevis aut aliis gentibus in Hispaniam irrepsisse, quia scriptores Hispani pariter ac Lusitani Pseudo-Dextro posteriores contendunt, sanctam Virginem suam, quam etiam vocant* Wilgefortem, *seculo post Christum natum secundo passam esse; tanto longius a vera* Wilgeforte *recedentes, quanto eam faciunt antiquiorem.*

fraus Pseudo-Dextri detegitur,

82 *Hac occasione vehemens mihi incidit suspicio de dolis, quibus hic Pseudo-Dexter Hispanos circumvenit : pseudonymus enim iste primus, quantum indagando rescire potui,* S. Liberatam *Seguntinam, quæ sub solo* Liberatæ *nomine antiquitus nota erat, etiam* Wilgefortem *appellavit, in Chronico suo ad annum Christi* 138 *ita scribens :* Wilgefortis vel Liberata Catelii Lusitanorum reguli filia, passa est Amphilochii. *Et iterum ad annum* 308 : In Lusitania civitate Callensi, quæ prope Castralælia sita est, S. Wilgefortis floret, pro fide et pudicitia mortem passa. *Verum, quid amabo, Flavio Lucio Dextro, qui S. Hieronymi ætate vixit, commune fuit cum nomine* Wilgefortis, *ut illud in Chronico suo scriberet, cujus primum elementum duplex V vel W nullum noverat, nedum scribere potuit. Præterea exdem mortis causæ* pro fide et pudicitia, *ut legitur in ultimo Dextri elogio, ita leguntur etiam in Additionibus Molani ad Usuardum anno* 1573 *impressis; ita ut censeri debeat, vel Molanum hic præ oculis habuisse Chronicon Dextri, vel auctorem Chronici habuisse præ oculis Additiones Molani. Certum est autem, Molanum additiones illas publice per typos luci prius dedisse, quam Chronicon Dextri mundo innotuit. Videtur igitur consequi, quod auctor Chronici illa mutuatus sit a Molano, et Chronicon ipsum non possit esse aliud quam Pseudo-Dextri, qui scriptum illud exeunte seculo* XVI *commentus est in dedecus sui nominis et confusionem historiæ Ecclesiasticæ.*

et duplex S. Liberata distinguitur,

83 *Est præterea ingens discrimen inter* S. Wilgefortem, *in Germania et alibi cultam, et* Liberatam *jam Seguntiæ patronam : nam prior non aliter pingitur aut cælatur quam in cruce suspensa, in qua et exspirasse creditur; altera autem a scriptoribus et Breviariis Pseudo-Dextro antiquioribus, nulla crucis facta mentione, capite plexa dicitur. Unde judico in novis Lectionibus Seguntinis Acta* S. Liberatæ *et* S. Wilgefortis *confusa esse, atque perperam ex duabus diversis unam factam fuisse. Adde, quod* S. Wilgefortis *juxta miraculum in Actis narratum barbata depingatur, quam miraculosam barbam nemo* S. Liberatæ *Seguntinæ attribuit. Huic ultimæ rationi succubuit vel ipse Tamayus in Martyro Hispano ad diem* XX *Julii hæc notans :* Aliqui suspicantur, nostram S. Virginem et martyrem Wilgefortem eamdem etiam esse, ac illam, quam Germani Ontcommeram... vocitant; in cujus rei probationem, historiam nostræ S. Virginis et martyris exprimunt. De quo sæpe sæpius dubitavi; quia nullibi in nostris Breviariis, Chronicis, scriptoribus et monumentis vetustissimis aut recentioribus miraculum de barba, quam Germani S. Virgini Hispanæ tribuunt, invenitur.

Tertiæ quæstioni facile satisfit.

84 *Levior est tertia quæstio, quam ut multum nos morari debeat : nam tantummodo petitur,* quomodo vulgus flectere soleat in Belgio nomen barbatæ Virginis ? *Nomen* S. Wilgefortis *duplici modo in Belgio inflecti solet. Rosweydus noster in sua Belgica Sanctorum Legenda cum quibusdam vocat eam* **Ontcommene**; *quæ vox derivatur a verbo Belgico* **ontcomen** *quod proprie* evadere *significat; ita ut* **ontcommene** *idem sit ac* quæ periculum evasit. *Forte hoc nomen Belgicum ad Latinam vocem* Liberata *alludit, originemque suam trahit ex ipsis Actis, eo quod* S. Wilgefortis *per miraculosam barbam perdendæ virginitatis periculum evaserit, et a conjugali amplexu liberata sit. Belgæ alii vocant eam* **Oncommer**, eo quod, *inquit Augusti-*

nus

A *nus Wichmannus in Brabantia Mariana lib.* 3, *cap.* 5, sui cultores solicitudine, anxietate et angustia cordis liberet; a quibus nostrum vernaculum **becommeren**, id est solicitum vel anxium esse *(potius* reddere). *Quamvis hæc etymologia repudianda non fit, puto tamen hoc Belgicum* S. Wilgefortis *nomen* **oncommer** *proprie originem habere a composito Germanico* **ohnkummer**, *quod* sine solicitudine *significat; nempe quia vel ipsa absque anxietate martyrium subiit, ut alibi num.* 61 *supra dixi, vel quia opem suam implorantes solicitudine et angustia liberat.*

Dubiis in quarta

85 *Quartæ quæstioni*, an vere in Hollandiam elatæ fuerint Virginis exuviæ et in ecclesia de Steinberg depositæ? At quo et unde, et quo tempore? *nihil certi responderi potest. Quippe in Hollandia nullam istius nominis urbem, pagum, aut ecclesiam invenio. Est quidem Steinberga oppidum Brabantiæ, quod forte in Hollandia situm putatur, quia jam Hollandorum potestati subditum est. Steinbergæ autem in Brabantia nil modo superest præter nudum* S. Oncommeræ *nomen, quod terræ alicui* B *contra maris impetum aggeribus obseptæ illic inditum est, appellaturque vulgo* **sinte Oncommers-polder**. *Quamvis olim illic celeberrima fuisset Sancta nostra, mirum non est, de ejus cultu et reliquiis nihil jam sciri, cum oppidum istud, olim commercio et canonicorum capitulo nobile, post varias ignis et aquæ calamitates non tantum pristinæ nobilitatis, sed etiam avitæ religionis vestigia perdiderit. Quare assequi non possum, unde Bavari Helvetique eam sepulturæ Steinbergensis notitiam eruerint. Cum itaque de ista reliquiarum Steenbergam translatione non constet, patet, multo minus dici posse*, a quo, et unde, et quo tempore *translata fuerint.*

et quinta quæstione propositis incertius respondetur.

86 *Quinta quæstio paucis verbis multa dubia complectitur, scilicet :* fueritne vere in Lusitania rex gentilis, cujus Wilgefortis seu Oncommera fuerit filia? Quis rex ille, et quo nomine proprio donatus? Qui fuerint regni fines? Quo tempore regnaverit? *Ad hæc singillatim respondendum est. Primo quod ad regis titulum attinet, is certe commentitius est, cum ipsi Lusitani multis post exstinctum gentilismum seculis tantum proprie dictos re-* C *ges agnoscant. Ut vero ad reliqua respondeam, prius distinctione opus est. Si agatur de* S. Liberata *Seguntina, cui Pseudo Dexter ejusque sequaces* Wilgefortis *nomen superaddunt, quis fuerit ejus pater*, et quo nomine proprio donatus, *multis disputat Tamayus in Martyrologio Hispano ad diem* XVIII *Januarii, atque ibidem contendit, cum Caium Atilium nominandum esse contra novas Lectiones Seguntinas, quæ illum Lucium Catellinm Severum appellant. Regi autem huic* qui fuerint regni fines *aliquo modo indicant, si credere lubeat, novæ Lectiones Seguntinæ, in quibus dicitur* præses Gallæciæ et Lusitaniæ et ejus terræ regulus; *qui habuerit urbem* Belchagiam *regni sui* sedem, quæ hodie dicitur Bayona Tudensis. *Porro* quo tempore regnaverit *pater* S. Liberatæ, *colligi debet ex iisdem Lectionibus novis, juxta quas ejus filia* in cruce meruit martyrii palmam adipisci circa annum Domini centesimum trigesimum nonum. *Hæc, inquam, ex novo Officio Seguntino et qualicumque Hispanorum ac Lusitanorum traditione responderi possunt, si de* S. Liberata *quæstio instituatur. Si vero eadem quærantur de* S. Wilgeforte *quam a* S. Liberata *Seguntina omnino distinctam censemus, respondeo, in ejus Actis nec patris nomen, nec regni fines aut tempus exprimi. Pater ejus tantummodo vago nomine vocatur rex Portugalliæ gentilis, qui cum rege Siciliæ bellum gesserit. At hæc ipsa fabulam olent, cum tempore gentilismi nec reges Lusitaniæ nec Siciliæ fuerint, multo minus inter se bella gesserint.*

AUCTORE G. C.

Sexta quæstione soluta,

87 *Ad ultimam quæstionem, qua petitur*, ad quam diem per anni circulum festivitas Virginis istius celebrari solita *sit apud nos, facilis est responsio. Quamvis* S. Wilgefortis *in plerisque Legendis Belgicis collocetur die* XX *Julii, tamen non ita cultui ejus affixus est hic dies, quin in variis Belgii pagis diverso anni tempore cum plurimo populi concursu invocetur, uti ex quorumdam parochorum litteris intellexi. Imo in Passione istius sanctæ Virginis et martyris, ex Ms., Ultrajectino S. Salvatoris desumpta, sub finem hæc ponuntur :* Passa est autem prædicta virgo Wilgefortis die XII mensis Julii, propter fidem Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Apud quosdam vero servatur die XX mensis Julii; secundum alios vero in festo Dionysii in Octobri. *In Florario nostro Ms., quod in* E *Rubea valle prope Bruxellas verosimiliter collectum est, refertur ad* XIX *Julii, quo etiam die solenniter honoratur in Arques Normaniæ pago, non procul ab urbe Deppensi sito.*

fit totius responsioni epilogus.

88 *Atque hæc sunt, quæ ad eruditam religiosi viri epistolam respondenda esse duxi. Etsi autem hæc responsa valde antiquis monumentis probari non possint, talia tamen sunt, ut cultum* S. Wilgefortis, *a tempore immemorabili ante Bullam Urbani VIII inchoatum, commonstrent legitimum esse. Hinc igitur patet, Sequanos pium cultum a Belgis, Germanis aliisque nationibus* S. Wilgeforti *impensum tuto imitari posse, quæ erat potissima dubitandi ratio, et præcipuus epistolæ scopus. Nec barba Virgini mirabiliter nata eos terrere debet : nam factum id esse potuit, atque sic factum esse traditio est cum cultu imaginis sic pictæ a tempore immemorabili continuata. Nonne Deus fecit alia non minus mirabilia in gratiam sponsarum suarum Virginum? Nonne periclitantem de pudicitia S. Luciam ita loco fixit in omnium conspectu, ut nulla vi vel ad latum unguem dimoveri posset? Nonne S. Agnetem* F *periculo proximam terrifico lumine circumfulsit ac defendit? Nonne S. Cæciliæ aliisque ad tuendam virginitatem angelos misit? Quid, quod in hac ipsa materia nobis non desit exemplum : colunt enim Abulenses in Hispania S. Paulam virginem cognomento Barbatam, cujus, ut aiunt Acta,* illico pulcra olim facies cœpit pilorum densitate repleri, *cum lascivus quidam juvenis eam persequeretur.* Istius sanctæ Virginis memoria, *inquit Tamayus in Martyrologio Hispanico ad diem* XX *Februarii*, adhuc apud Abulenses perseverat, prout ejus effigies in pervetusta ecclesia S. Laurentii conspicitur. *Adde, non esse adeo portentosum, quod feminæ barbatæ reperiantur : testatur enim Bivarius in Additionibus Braulionis pag.* 17, *sese sub Philippo II Hispaniarum rege vidisse* Peñarandæ *feminam cingulo tenus barbatam. Si quis alia barbatarum mulierum exempla legere cupit, inspiciat speculam Physico-mathematico historicam, quam R. D. Joannes Zahn Ordinis Præmonstratensis Canonicus regularis anno* 1696 *Norimbergæ edidit, ubi tomo* 3 *pag.* 71 *plura hujusmodi prodigia inveniet.*

§ VIII.

AUCTORE G. C.

§ VIII. Varia S. Wilgefortis Acta, ac de iis judicium.

S. Wilgefortis Acta Belgica.

Sunt in Museo nostro varia Acta S. Wilgefortis *Belgice, Germanice, Gallice, atque Latine conscripta. A Belgicis incipiamus. Præter Passionem ejus inter Vitas Sanctorum a Rosweydo nostro, die* XX *Julii impressam, et e Latinis nostris schedis, ut opinor, Belgice editam, habeo Ms. quoddam Belgicum, de quo R. D. Schuurmans parochus Veltzikanus in litteris suis anno* 1706 *ad nos datis ita testatur* : Scrutatus sum archiva, et inveni originale hujus inclusi, quod similiter vobis transmitto. *Inclusum autem erat martyrium* S. Wilgefortis *quod cum editione Rosweydiana ferme convenit, nisi quod in fine eam anno Domini* 130 *passam dicat, cum Rosweydus usque ad annum Christi* 138 *ejus mortem differat. Hos vero annos unde uterque determinaverit, non facile dicam, cum Acta Latina nullum martyrii tempus designent. Alterum Ms.* B *ejusdem Sanctæ martyrium antiquo et luxata carmine Belgico complectens, in paga Terdeglem prape Casletum ex codice pergameno descriptum est, et inde ad nos transmissum. In eo quidem carmine historiæ substantia servatur, sed licentia poëtis consueta inter patrem et filiam varia instituuntur colloquia, et angeli consolatores, aliaque pia episodia inducuntur. Hæc de Legendis Belgicis.*

Germanica et Gallica breviter indicantur.

90 *Laudatus supra P. Ignatius Dorn Societatis nostræ sacerdos litteris antea citatis inclusit Passionem* S. Wilgefortis *Germanice scriptam, quam sese Moguntiæ a quodam seniore summi templi vicario accepisse asserit. In Actis hisce Germanicis quidem narratur, quod* S. Wilgefortis *fuerit filia regis Partugalliæ; sed de bello inter regem Lusitaniæ et Siciliæ altum est silentium. Longe alia illic adfertur martyrii occasio : dicitur namque ipse pater filiam suam ad incestum amorem solicitasse, eamque impio suo desiderio resistentem, variis tormentis excruciasse, ac demum post impetratam divinitus barbam cruci affixisse. Præter hanc Passionem Germanicam Ms. habeo libellum Gallicum ante annos circiter sexaginta Deppæ in Normannia impressum, qui multis* C *verbis Latina ejusdem martyris Acta auxit, et piis quibusdam episodiis exornavit. In titulo libelli vocatur* Dignefortis, *alias* Wilgefortis *vel* Virgofortis, *additurque, quod sit Belgii patrona; qui postremus titulus in rigore sumptus nonnihil hyperbolen sapit. At jam de Actis Latinis agamus.*

Omissis tribus Mss. Latinis,

91 *Quatuor habemus Mss. Latina, quorum si unum noris, omnia noris, ita sunt narratione similia; trium vero antiquitatem ignoro. Unius, nempe Florarii nostri Ms., ætatem præterpropter colligere possum ex die* XVI *Julii, ubi sic legitur :* In Trajecto super Mosam, depositio SS. episcoporum Monulphi et Gondulphi, quorum primus erat heres et dominus oppidi Dynantensis, jam proh dolor! nostris temporibus destructi, scilicet anno salutis MCCCCLXVI. *Ex eo itaque hic Acta* S. Wilgefortis *producam, ex reliquis excerpturus, si quid ab hoc diversum et notatu dignum accurrerit. Dictum itaque Florarium ad diem* XIX *Julii sic habet* : Apud Portugaliam, passio sanctæ Wilgefortis virginis, quæ inde Liberatrix, Eutropia vel Regrufledis nominatur. Hæc fuit filia regis Portugaliæ tunc pagaui, guerram gerentis contra regem Siciliæ. Unde guerris hujusmodi durantibus, contigit regem Siciliæ manu violenta fines intrare Portugaliæ, potentiæ ejus resistere, ubi dampna multa faciebat; nec rex Portugaliæ potentiæ ejus resistere valebat. Pluribus igitur nobilibus pro concordia regum laborantibus, tandem pax conditione hac componitur; quod rex Portugaliæ regi Siciliæ daret suam filiam. D

Acta Sanctæ dantur ex Florario Ms.

92 Ambobus igitur regibus hac de causa in unum convenientibus, beata Deliberatrix eorum sistitur præsentiæ, eique de matrimonio per ejus patrem promisso indicatur, et ut ipsa assensum præbeat, insistitur. Tunc beata Virgo respondit, se non velle viro alicui conjungi, nisi tantum Crucifixo. Unde ambo reges multum perplexi et commoti fecerunt eam strictissime incarcerari, ut sic per tribulationes a proposito revocaretur. Ipsa vero incarcerata rogavit Deum, ut eam servare vellet castam et immaculatam ab omni consortio virili, et sic in corpore disponeret et deturparet, ut amplius a nullo viro appeteretur. Quod factum est : nam barbata ad modum viri facta est. Præsentata igitur patri sic barbata, commotus pater dixit, eam arte magica hoc fecisse. Cui respondit illa, non per artem magicam barbam ei accrevisse, sed sponsum suum Crucifixum ad preces ejus sibi eam concessisse, ut sic castitatem servare posset. Cui pater ait, quod nisi Deum Crucifixum abnegaret, et deos suos adoraret, ipsa crucifigeretur. Ipsa vero constans in proposito jussu patris crucifixa est, ubi ei variæ pœnæ et tribulationes illatæ sunt. Quæ morti appropinquans oravit pro omnibus Passionis suæ memoriam agentibus, ut ab omnibus tribulationibus cordis et corporis et spiritus liberarentur; et exaudita emisit spiritum. *In tribus aliis Mss. post sanctæ Martyris mortem adduntur hæc verba :* Unde horrenda facta sunt eo tempore tonitrua et palatium patris ejus ab igne absumptum est. E

Quatuor Mss. Latina S. Wilgeforti varia tribuunt nomina,

93 *In hoc Florario, ut consideranti apparet, neque locus neque tempus, quibus vixerit passave fuerit Sancta, neque nomen patris aut sponsi aut alterius personæ usquam indicatur; imo nec ipsius quidem* Wilgefortis *nomen istis Actis ita proprium est, quin sub aliis nominibus eadem proponantur :* F *nam in Ms. Ultrajectina S. Salvatoris hic est titulus :* Vita S. Regenflegis Virginis. *Eodem namine, mutata ultimæ syllabæ littera G in D, intitulatur exemplar Ms., quod ad nos pervenit ex schedis Guilielmi Lindani, primi Ruremundensium episcopi; hoc quidem etiam in contextu ipsam vocat* Regenfledem, *secus atque Ultrajectinum, quod cum eam* Regenflegem *nominasset in titulo, postea in contextu appellat* Wilgefordem. *Solus codex Ms. monasterii Canonicorum Regularium Rubeæ vallis prope Bruxellas sibi constat, et utrobique* Wilgefortem *nominat. Trium horum Mss. principium hoc est :* Beata Virgo et martyr Wilgefortis (Regenfledis *in scheda Lindaniana)* filia fuit regis Portugalliæ pagani tunc temporis, et guerras contra regem Siciliæ gerentis. *Cetera quoque in omnibus exemplaribus pari tenore decurrunt usque ad finem, nisi quod in Ms. Ultrajectina superadditur :* Passa est autem prædicta virgo Wilgefordis die XII mensis Julii propter fidem Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Apud quosdam vero servatur

[festum

A [festum ejus] die XX mensis Julii; secundum alios vero in festo Dionysii in Octobri. *In scheda Lindaniana, quamvis in illa ubique vocetur* Regenfledis, *notatur passa esse* XIII Kalendas Augusti *sive* XX *die Julii, quo passim referri in Martyrologiis* Wilgefortem *vidimus.*

quibus eamdem Sanctam significari volunt;

94 *Habuit hæc tria Mss. jam olim P. Rosweydus noster in collectaneis suis, atque annotatum reliquit ad vocabulum* Regenflegis *in titulo, quod alio nomine vocetur* Eutropia *et* Wilgefortis *et vulgariter* Ontcommera; *suspicatus, credo, diversis nominibus istis eamdem designari personam, quia eadem sub illis nominibus legebantur Acta. Videntur mihi nomina* Wilgefortis, Regenflegis *et* Eutropiæ *nimium discrepantia, ut uni eidemque personæ conveniant. Aliud est de nomine* Oncommeræ, *quod* S. Wilgeforti *Belgæ et Germani dederunt ex effectu, quo suos cultores ab angustiis liberat. Nomen* Regenflegis *in plurimis Sanctorum catalogis frustra quæsivi. Inveni quidem* Regenfredem; *sed hæc fuit abbatissa Denonicensis, adeoque a* S. Wilgeforte *penitus diversa. Plures mihi occurrerunt* Eutropiæ: B *prima est martyr Alexandriæ, de qua egimus in Actis nostris* XXV *Maii. Altera fuit virgo et martyr Sibapoli seu Nisibi in Mesopotamia, martyrio coronata cum S. Febronia aliisque virginibus, de quibus etiam actum est ad diem* XXV *Junii nostri. Tertia istius nominis virgo passa est cum Nicasio episcopo Rhemensi in irruptione Wandalorum, aut ut alii volunt Hunnorum. Quarta* Eutropia *est vidua in Gallia, de qua scribit Sidonius Apollinaris lib.* 6 *epist.* 2 *ad Pragmatium. Hæ omnes procul dubio a Sancta nostra sunt distinctæ. Asserit quidem Augustinus Wichmannus in Brabantia Mariana lib.* 3 *cap.* 5, *Cartusianos in suo Officio ecclesiastico habere hujusmodi Collectam :* Deus, qui beatæ Eutropiæ in cruce pendenti barbam mirabiliter excrescere fecisti, *etc.*; *at ego frustra ad inveniendam hanc orationem Breviarium Cartusianum pervolvi, imo ipsos Cartusianos Antverpienses adii, qui de hac oratione, aut* S. Eutropia *nihil norunt. Forte olim in eorum Breviario nomen* Eutropiæ *juxta Acta superius data cum* Wilgeforte *confusum est.*

sed videntur quædam diversis convenire.

95 *Malim ego suspicari singulis nominibus istis singulas venire Sanctas, si tamen talem titulum meruisse probentur idoneis argumentis, ac opinari,* C *eadem Acta, quæ alicui obscuri nominis Sanctæ, quam tamen constabat amore castitatis mortem oppetiisse, compilata sine debitis circumstantiis fuerunt, aliis visa esse apta, quæ suis Sanctis æque obscuri nominis, sed eadem de causa passis post longa temporum intervalla applicarent : fuit enim posterioribus seculis prurigo quædam comminiscendi de ejusmodi Sanctis scripta apocrypha, si non possent proferri vera. Putabant forte idiotæ illi, se minus Sanctorum suorum reverentes esse, nisi scripta de eorum gestis qualiacumque populo legenda proponerent; atque utinam non lucri causa id præstiterint, saltem illi, qui Sanctos morti vicinos ita orare faciunt, ut in his Actis sancta* Wilgefortis *jam cruci affixa et morti appropinquans orasse legitur* pro omnibus passionis suæ memoriam agentibus, ut ab omnibus tribulationibus cordis et corporis ac spiritus liberarentur, et exaudita emisit spiritum. *Quæ quam aliena est a Sanctorum humilitate oratio, tam est apta promissio subjuncta ad stimulandam religiosæ plebis pietatem, ut talis Sancti potius aras frequentet atque intercessionem imploret, quam alterius tam certam opem non polliciti.*

uti ostenditur quibusdam exemplis.

96 *Dixi malle me opinari, Acta, quæ ejusdem tenoris sunt et sub plurium Sanctorum nominibus leguntur, potius designare Sanctos plures diversos talibus sub nominibus, quam unum eumdemque, cui plura nomina illa conveniant. Talia exempla multa monstrari possunt in Actis Sanctorum, ubi Acta sancto uni tributa etiam alteri tribuuntur. Plures istiusmodi applicationes in promptu sunt. Exemplo sint Acta S. Venantii martyris Camertis, qui cum non tam celebris, ac modo, nominis esset olim, is qui Acta ejus conscripsit multis post Sancti martyrium seculis, sumpsit sibi Acta qualiacumque S. Agapiti Præneste martyrio coronati, eaque pura puta, mutatis paucis, applicuit S. Venantio, ut videre est ad diem* XVIII *Maii nostri. Idem fecit, quiscumque demum ille sit, qui monialibus Heresiensibus prope Paderbornam de sua S. Saturnina Acta, ut illæ existimant, propria; at revera ex antiquioribus S. Benedictæ virginis martyris Lugduni aut potius Lauduni in Galliis, die* VIII *Octobris adscriptæ Martyrologio Romano, desumpta, et S. Saturninæ illi accommodata obtrusit, uti notatum est in Commentario historico de hac S. Saturnina ad diem* XX *Maii. Plura istiusmodi si, luberet, aut opus esset, adferre possem.* E

Acta Sanctæ apparent suspecta,

97 *Suspicor idem factum esse in Actis* S. Wilgefortis, *quæ uti primum Sanctæ illi parum circumspecte aptata, ita magis temere aliis aliorum nominum Sanctis attributa fuerunt. Indicavi jam supra, quasdam horum Actorum circumstantias apocryphas esse : aiunt quippe regem Siciliæ et regem Portugalliæ adhuc paganum inter se bella gessisse, acsi contermina habuissent regna, imo regem Siciliæ violenta manu intrasse fines Portugalliæ, ac armis superiorem regno huic multa damna intulisse. At, obsecro, quinam in Sicilia aut Lusitania fuerunt regio titulo donati? Quandonam eorum regna fuerunt tam vicina, ut alterum alteruter violenta manu intrare potuerit, saltem sine armata classe, cujus in Actis nulla fit mentio? Quando etiam regis Siciliæ potentia ullis temporibus (Siciliæ inquam solius) tanta fuit, ut regnum Portugalliæ debellaverit; ut non dicam Portugalliæ nomen non usque adeo antiquum esse. Si regem Gallæciæ in scenam induxisset auctor pro rege Siciliæ, tolerabilior et verosimilior fuisset fictio. Hæ aliæque circumstantiæ* F S. Wilgefortis *Acta, etsi brevia sint, eoque ex capite proba videri possent, adeo reddunt suspecta, ut majori eorum parti fidem adhibere non possim.*

et forte aucta sunt ex pruritu scribendi propriam Legendam,

98 *Si conjecturas meas sequi auderem, nihil aliud in hac re tuto crederem, quam priscis temporibus virginem quamdam fuisse, sive indigenam sive peregrinam, sicut fuerunt plures in Belgio et alibi, quæ amore castitatis non dubitaverit mortem oppetere. Cum autem proprium ejus nomen ignoraretur, a clericis aut monachis ob tam generosam pudicitiæ suæ defensionem* virgo fortis *Latine appellari potuit; quam appellationem vulgus non percipiens ita inflexit, ut per corruptam plebis pronuntiationem* Wilge-fortis *vocata fuerit. Saltem in Actis Gallicis, ut supra monui, lingua vernacula* vierge forte *id est* virgo fortis *nominatur. Populus vero Christianus gestorum ejus aliorum ignarus eam colendam et invocandam duxit, quando Deo, qui est mirabilis in Sanctis suis, illius Virginis fortis sanctitatem miraculis probare placuit. Certe tam impius*

aut

AUCTORE G. C.

aut effrons præsumi non debet compilator Vitæ ejus, ut publico scripto tamquam Sanctam celebrare vellet, quæ talis non esset et haberetur. Adjuncta tamen putavit absque gravi piaculo comminisci se posse in rerum omnium ignoratione propter alterutrum aut utrumque finem, a me supra expositum; nempe ut scripta publice Vita populo venerationem erga Sanctam augeret, aut ecclesiæ alicui, fortassis suæ, ubi colebatur, majorem populi concursum conciliaret.

licet Sanctæ patria, aliaque gesta ignorarentur.

99 *Utut est, sub expresso nomine* S. Wilgefortis *exstat Legenda, cujus hactenus non potui invenire originem, quæ trium quatuorve seculorum antiquitatem excedat. Nec aliunde quam ex illo fonte hauserint sua, qui* Wilgefortem *primi Martyrologiis adscripserunt ac Lusitanam fecerunt, nihil dubitantes de veritate Actarum istorum, quæ defectu meliarum scripturarum nan poterant evidenter falsitatis convincere, præsertim ubi de patria Virginis loquuntur. Judico ego, salvo meliori, patriam ejus non magis esse Lusitaniam, quam vera esse, quæ de regibus Siciliæ et Portugalliæ eorumque bello, ac de suprema sanctæ Virginis in cruce pendentis oratione in Actis narrantur. Nomen* Wilgefortis, *si quidem huic Virgini et martyri proprium sit, certe Lusitanicum non est, sed potius Germaniam aut Belgium aliamve septemtrionalem regionem sapit. Memoria ejus in Germania et Belgio primum fastis ecclesiasticis adscripta fuit, in Germania et Belgio cultus ejus plusquam alibi terrarum viget. Hæc sunt, quæ de* S. Wilgeforte *colligere potui, et de Actis ejus dicenda esse duxi, libenter sententiam mutaturus, si quis solidas rationes aut antiqua documenta protulerit ad obscuram hujus Sanctæ historiam illustrandam, cujus examen mihi non exiguo labore canstitit.*

DE S. LUCANO EPISCOPO SABIONENSI

BELUNI IN DITIONE VENETA

J. B. S.

Ex Ferrarii Sanctorum Catalogis.

FORTE ANNO CCCCXXIV.

Nihil olim prætermisere Majores nostri, qua de sanctis Belunensibus, ac nominatim de hoc S. Lucano *ejusque exsulis altrice S. Avatia monumenta aliqua eruerent iis paulo certiora, quæ in Bavaria sua sacra, duce laudato Ferrario, tradiderat Raderus naster, de elegantia hinc inde magis quam de sincera veritate solicitus. Testatum id reliquit Papebrochius, ubi de prædicta S. Avatia agit ad diem* XX *Junii; habeoque etiam præ manibus adductas ibi litteras collegii Tridentini rectoris Pauli Frisch atque Francisci Perthanis, id candide rescribentis* XXVII *Julii* 1692, implorasse *se* subsidium Reverendissimi D. Vicarii Generalis ibidem; viri, *inquit,* mihi longe amicissimi. Recurri itidem ad alium sacerdotem mihi addictum; sed utrimque idem retuli responsum, nimirum, nihil prorsus exstare in scriptis de Vita S. Avatiæ et S. Lucani : id solum constare et dici posse, quod a populo fideli habeantur in veneratione et colantur ut Sancti.

De cultu constat,

non item de gestis,

2 *Hisce fisus,* S. Lucanum *debito hic loco reposui, ut cujus festivitas huic diei affixa est, tametsi nec de anno, nec de die obitus certi quidquam statui posse videatur; quemadmodum nec gesta ipsa qualiacumque, quæ Beluna se accepisse ait Ferrarius, satis tolerabilia sunt, utpote recentius digesta, atque ex similibus aliis æque fabulosis ad hunc Sanctum translata, quod non observare non potuit editor, Papebrochius vero paula clarius explicuit, ut opus non sit hic repetere, quæ loco citato dicta sunt. Sub hac cautela describa quæ in Catalogo Sanctorum Italiæ hoc die habet Ferrarius in hunc modum :* Lucanus episcopus Brixinensis (urbs est Brixina, seu Brixino Rhætica inter Tridentum et Œnipontem) cum in summa rerum penuria populo, ut lacticiniis in Quadragesima uterentur, permisisset, a malevolis apud Cœlestinum Pontif. Max. circa annum salutis CCCCXXIV accusatus est. *Et res et tempora, hic tam confidenter adducta, paulo majori auctoritate fulsiri merentur. Sic textus prosequitur :*

3 Qui, ut senex erat, unico comitatus famulo Romam proficiscens, apud Spoletum hospitis uxorem hydropicam oratioue sanat. Cum Romam pervenisset Pontificemque adiisset, pallium suum radio solari, tamquam vecti impositum mirabiliter substitit : quod cernens Pontifex, non modo illum ab objectis absolvit; sed et multis affectum beneficiis ad suam ecclesiam remisit. Verum paulo post ab eisdem persecutoribus sede pulsus, in vallem Agordiam Belunensis diœcesis venit, ubi usque ad obitum Avatia pia femina (quæ in ea valle templo sibi exstructo colitur) victum ministrante mansit. Cum vero multis clarus miraculis obiisset XIV Kalendas Augusti, corpus Belunum, nisi prius Agordi capite relicto, numquam transferri potuit. Translatum autem in ecclesiam Cathedralem, in arca marmorea conditum, magnam habet apud Belunenses venerationem, *apinor quia fortasse hoc die translatus supponitur, alias pridie recolenda esset ejus festivitas.*

quæ satis miræ

4 *Citat* monumenta ecclesiæ Belunensis, *quæ mirum est, ibi hodie amplius non superesse : an quod Belunenses ipsi satis perspiciant, pra genuinis admitti vix posse?* In quibus, *pergit Ferrarius,* nonnulla continentur fabulis proxima, veluti, quod ursum, qui sibi in itinere equum devoraverat, Romam usque ad Pontificis conspectum equitaret; ac perdices, quibus in itinere præceperat, ut Romam convolarent, Pontifici donandæ, illæ ante Pontifici adfuerint. *Annexum Ferrarii scrupulum pridem solverunt Raderus et ex ea Gewaldus in additionibus ad Hundium in Metropoli Salisburgensi, de episcopis Brixinensibus pag.* 457; *facillime enim intelligitur, Brixinensem episcopum appellari non posse* S. Lucanum, *nisi adhibita prolepsi seu anticipata usurpatione, quæ in hisce frequentissima est : tu cetera locis citatis atque etiam de S. Ingenuino ad* V *Februarii legere poteris; mihi satis est,* S. Lucano *meritam venerationem, qua sola ipsum gaudere jam ostendimus, hic asseruisse.*

retulit Ferrarius.

DE

A D

DE S. SEVERO EPISCOPO CONFESSORE

CASINI IN SAMNIO

Ex Usuardo Vaticano et Ferrario.

J. B. S.

FORTE SECULO V.

Quam parum celebris in Martyrologiis fuerit sancti hujus Severi *memoria, abunde patere existimo ex nostra Usuardi editione; cum istic solo fere nomine notus sit inter auctaria in codice Vaticano, qui fuit olim ecclesiæ Beneventanæ, ubi de ipso sic legitur :* In Cassino, natalis S. Severi episcopi, *quo saltem de cultu ejus, ut a synonymo Neapolitano, qui ad* XXX *Aprilis relatus est, diversi, aliquatenus securi reddamur. De ipso plura collegit in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem Ferrarius hoc elogio :* Severus, Valentiniano Marciano, Leone ac Zenone imperantibus, sub Leone I, Hilario, Simplicio ac Felice III summis Pontificibus vixit. Qui ob vitæ sanctimoniam et doctrinam ad episcopatum Casinensem evectus, adversus ejus temporis hæreses decertavit. Affuit enim sub Leone synodo Romanæ adversus Nestorium, Eutychen, Dioscorum et alios hæreticos, ac sub Felice adversus Acacium. Vitam duxit austeram; et in pauperes maxime pius fuit. Qui cum plures annos ecclesiæ suæ sancte præfuisset, obdormivit in Domino VIII Kalendas Augusti in sua ecclesia sepultus.

Obscuram Sancti memoriam

B

suscitavit Ferrarius;

2 *Errorem typographicum facile observas, nam Sancti natalis a Ferrario hoc ipso die* XIII *Kalendas Augusti consignatur.* Clarus, *inquit deinde,* post mortem miraculis : cum enim mulier Aquinas oculorum morbo difficillimo, cui opera nulla medicorum profuerat, laboraret, ei oranti S. Episcopus apparuit præcipiens, ut se ad ecclesiam suam conferret. Quæ eo a viro suo deducta statim ab ea infirmitate convaluit. Ex Pet. Diac. De vita et ob. SS. Casinens. qui plura refert miracula. *Nescio ubi ista legerit Ferrarius, ego unicum illud in nostro codice reperio, et ita quidem descriptum, ut vix fidem inveniat. Magis placet quod in annotatione subjicitur,* exstare prope monasterium Casinense ædiculam S. Severo dicatam, *de qua videndum Chronicon Casinense ab Angelo de Nuce recensitum lib. 2 cap.* 52, *ubi textui lucem addit editoris notatio, ex qua de antiquo atque hodierno situ prædictæ ædiculæ clarius edocemur. Porro* Casinenses monachos sancti *hujus* Severi natalem hac die celebrare *testanti Ferrario haud difficulter credidero.*

C

quem secutus videtur Ughellus

3 *Hæc de* S. Severi *cultu satis certa sunt, verum de ipsius ætate aut gestis quid Petrus Diaconus tradere potuerit, haud equidem satis perspicio, utpote qui totis sex seculis Sancto posterior, non nisi verbosam juxta ac tetricam panegyrim contexuit, de qua mox censuram proferre non verebimur. De reliquo videndus Ughellus Italiæ sacræ tomo* 2 *in appendice de episcopis Casinensibus, ubi plane obscuram ostendit et episcopatus istius et* sancti Severi *memoriam. Paucula ex eo huc transferre liceat :* Veteres Casinates Christiana sacra primum ab Apostolorum principe Petro disseminata amplexatos fuisse, constans est majorum traditio; nec inani conjectura ducuntur asserentes, ab eodem Casinam in ecclesiam cathedralem excitatam, eidem proprium reliquisse pastorem, cujus nomen ceterorumque post illum, usque ad Severum, invidiosam delevisse vetustatem. Constat enim Severum Casinensem episcopum, virum sanctissimum, sub Felice III Papa anno CCCCLXXXIII, cum finitimis Aquinate, Fundano, Capuano, aliisque Campaniæ præsulibus Lateranensi concilio subscripsisse; alterique sub eodem Felice concilio convocato adfuisse tradit Petrus Diaconus, qui ejus præclaras virtutes peculiari volumine complexus est.

E

4 *Nominum significatione hic tantillum abutitur Ughellus, dum* peculiare volumen *obtrudit. Verbosa oratio est, de qua quid sentiendum, jam me dicturum pollicitus sum. Reliqua Ughelli verba huc spectantia audiamus :* Cujus etiam, *nempe* S. Severi, meminit Leo Ostiensis lib. 3, cap. 40 *(mihi lib. 2 cap.* 52) Historiæ Casinensis, retulitque ejus nomini in Casinensi monte ecclesiam consecratam esse. Post hunc Severum, neque ante ipsum, sive ex longiori temporum serie, sive ex Gothorum incursionibus antiquorum Casinensium præsulum memoria intercidit. *Potiori forte jure quis diceret, prætensos eos præsules numquam exstitisse in rerum natura. Scio equidem quod* de spiritualis juridictionis Casinensis qualitate et origine *fusius disputet laudatus Angelus de Nuce in* Excursu historico *a pag.* 103; *ubi operose conatur evincere* ante S. Patriarchæ huc adventum, jam tum Casinense territorium propriam habuisse cathedram, diœcesim et episcopum. *At enim, utrum hæc omnia extra controversiam satis posita sint, erunt, ni fallor, qui mecum dubitent, nisi paulo certiora argumenta adducantur, quam quæ ex verisimilitudine potius quam ex vetustis verisque documentis hactenus prolata sint. Fontem haud satis limpidum propius inspiciamus.*

atque item Angelus de Nuce.

F

5 *Video hæc omnia niti sola auctoritate Petri Diaconi Casinensis, quæ quanta sit, non uno loco Mabillonius aliique eruditi testati sunt. Desumitur, nimirum historia ex eo libro qui inscribitur :* De ortu et vita justorum sacri cœnobii Casinensis, *quem* exscriptum *habemus* ex ejus autographo Ms. antiquis et difficillimis litteris Longobardicis in pergameno, qui in eo monasterio sub arctissima custodia asservatur. *Sane perquam solicite, nimium fortasse : nam si cetera iis paria sunt, quæ ibi sive Petrus ipse, sive alius, de* S. Severo *tradidit; in hac nostra Actorum collectione locum haud quaquam merebuntur. Ex brevi* peculiaris *istius* voluminis *analysi, quanti faciendum sit, faxo mox intelligas. Mota oratio hyperbolica facies circiter decem in-folio complectitur; cujus prologus plane*

Fons omnium est Petrus Diaconus

luxu-

AUCTORE J. B. S.

luxurians omni et nulli aptari potest : id verissimum est, non absque adolescentiæ venia, *quam auctor merito flagitat, legi posse. Post varia parerga*, nunc jam, *inquit* ad Severi retexenda præconia stylus sequens vertatur.

verbosissima oratione

6 *Quid vero tanto hiatu profcrat, mirare : duabus integris paginis verbosissime laudatur Publius Marcus Terentius Varro, ut* Romanorum doctissimus, considerantissimus, acutissimus et diligentissimus, *quod alicubi sub nomine* Casca *montem Casinum appellaverit, ut stomachum moveat puerilis loquacitas. En tandem pag.* 6 venerandi Severi præsulis Vitam scribere orditur. *Ita nempe ut per quinque alias facies plurimis verbis paucissima dicat : multum enim inde eduxeris, si satis evincas,* S. Severum *exstitisse, episcopum concilio Romano sub Felice PP. III interfuisse, obiisse, sepultum esse Casini, ac per varias ambages cæcæ mulieri visum restituisse. Ex uno specimine disce reliqua :* Annorum autem a vivifici Verbi incarnatione quadringentesimus primus circulus volvebatur, cum Valentinianus III felicissimum ac excellen- B tissimum Romani imperii thronum suscepit regendum. Hoc itaque orbis moderante habenas, vir Domini Severus, omnipotentis beneficio donatus, Campaniæ, ceu topazius, morum gravitate, vitæ prærogativa, virtutumque jubare coruscus, eo potissimum tempore Casinensis ecclesiæ pontifex splenduit, quo æquitas ab injustitia, pietas ab impietate, mansuetudo a severitate, Catholicæ et apostolicæ fidei cultus ab Arianorum, Nestorianorum..... fluctuabat vesania. Hic D itaque....., erat sanctitate conspicuus, castitate pudicus, etc.

ex qua nec de Sancti se de satis edocemur.

7 *Pedetentim, obsecro; ita puer adhuc virum post se relinquit; mox eodem cothurno ad cathedram promotus*, in æquitate discretus, fortitudine prudens, longanimitate vigens, in adversis patiens, *et quid non ? Sic pueritiam, sic electionem, sic episcopales virtutes pompose magis quam vere prosequitur. Tum Nestorii, Eutychetis et aliorum hæreses fuse describit, eo solum ut insinuet, quod dicebam, Romam cum aliis episcopis ad concilium vocatum fuisse* S. Severum, *quod si sola horum Actorum fide substet, equidem non admiserim, quidquid Ferrarius, Ughellus et Angelus de Nuce ea sola assertione inniti videantur. Debili profecto, ut iterum repetam : quid enim, quæso, de rebus ante sex secula gestis testari potuit Petrus Diaconus? Dum ita expilata imo planissime destructa fuissent archiva Casinensia, ut episcopatus istius vix ulla superessent, non dico vestigia sed nec sola memoria. Satis sit.* S. Severum *coli ut* episcopum, *cujuscumque demum loci antistes fuerit : nam antiquissimum, quod de* E *ipso superest, monumentum*, Casini *quidem eum depositum ait, ast loci istius episcopum fuisse, nusquam pronuntiat. At enim contentionis funem ea causa ducere, operæ pretium haudquaquam existimo. Ceterum ex hactenus dictis satis manifestum est, huc referri non posse* Severum *qualemcumque, codici Epternacensi perperam insertum, ut dictum est supra hoc die ad classem Martyrum Africanorum num.* 2.

DE S. EUSPICIO CONFESSORE

IN MONASTERIO MICIACENSI

G. C.

CIRCA AURELIAM IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

C

Sancti cultus, ætas et Vitæ scriptores.

INEUNTE SECULO VI.

M*iciacense cœnobium, duobus milliaribus Gallicis Aurelia dissitum, quod modo sancti Maximini nomen præfert, et vernacule* S. Mesmin de Micy *appellatur,*

S. Euspicius in monasterio Miciacensi

conditorem agnoscit S. Euspicium, *et haud dubie sacram illius memoriam quotannis veneratur. Sed cum* Euspicius *in ecclesia sancti Aniani primo sepultus fuerit, quemadmodum in Actis ejus num.* 13 *refertur, Miciacenses reliquiis sui Fundatoris caruerunt usque ad tempora Roberti Francorum regis; nempe quando pius ille princeps ecclesiam S. Aniani, flammis consumptam, anno* 1029 *restauravit, et ad illius dedicationem multos præsules convocavit. Cum ea occasione corpora Sanctorum, quæ in S. Martini ecclesia interim quieverant, in novum hoc templum solenniter deferrentur, Albertus Miciacensis abbas aliquas a Rege petiit ac impetravit. Conjicio, illas sacri corporis exuvias satis notabiles fuisse, cum Miciacenses hujus susceptionis causa, celebrarint mense Junio peculiare festum, quod in eorum Martyrologio juxta Mabillonii testimonium ita notatur :* Susceptio reliquiarum sancti Euspicii. *Si quis ulteriorem monasterii Miciacensis notitiam desideret, consulat Carolum Sausseyum in* F *Annalibus ecclesiæ Aurelianensis lib.* 3 *num.* 4, *vel Franciscum le Maire, qui ejusdem diœcesis et urbis Antiquitates Gallice edidit; et in secunda historiæ suæ parte cap.* 36 *præter alia narrat, quomodo illud cœnobium Miciacense anno* 1608 *Patribus Fuliensibus concessum fuerit. Nos interea Sancti nostri cultum examinemus.*

et Kalendario Aurelianensi colitur.

2 *Quamvis* S. Euspicius *antiquis Martyrologis sit ignotus, tamen alia monumenta satis testantur, publicam venerationem ipsi jam dudum exhibitam fuisse. Et imprimis Kalendarium Ms. Sanctorum Aurelianensium, quod ex istius ecclesiæ Breviario transcriptum esse existimo, sequentem suggerit lectionem :* Euspicius presbyter, Virduni nobilibus parentibus procreatus, in territorio Aurelianensi una cum nepote suo Maximino agens, tanta apud Deum et homines vitæ sanctitate floruit, ut utrisque Clodovæus rex Francorum agrum Miciacensem cum multis aliis prædiis in eodem territorio donaverit, ut in eo jugiter divinis sese manciparent obsequiis. Ibi cellulas monasticas et basili-

cam

A cam construere, adjuvante Eusebio Aurelianensi episcopo, cœperunt, quam idem celerius, quam credi par est, divina opera consummatam in honorem Dei et sancti protomartyris Stephani, ipsis poscentibus, consecravit. Cumque illic Euspicius monachos multos congregasset, biennio posteaquam Maximinum nepotem suum ad sacerdotium promoveri curasset, migravit ad Dominum, miraculis etiam post mortem clarus. *Cum* S. Euspicius *juxta omnia Acta in diœcesi Aurelianensi obierit, miror, quod Castellanus in Martyrologio universali* XIV *Junii. et in indice Sanctorum expresse asserat, eum Parisiis mortuum esse. Ferrarius quidem in Catalogo generali illum hac die etiam Parisiis annuntiat*; *sed fortasse tantum indicare voluit, eum in hac urbe honorari ob notabiles sacri corporis reliquias, sicut in notis suis innuit hoc modo :* Claruit sub Clodoveo rege. Corpus [*quiescit*] in æde S. Victoris, quæ est Canonicorum Regularium. *Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani die* XX *Julii eumdem Sanctum* apud Parisios *collocat. Quid sit de hac re, plenius edo-* B *ceri cupimus, et ad Sancti ætatem inquirendum pergimus.*

Determinata Sancti ætas 3 *Tempus, quo* S. Euspicius *vixit ac vivere desiit, præterpropter colligendum est ex civium Virdunensium contra Clodovæum rebellione, in qua primum de illo fit mentio. Cointius in Annalibus Francorum putat, illam civitatis Virdunensis defectionem anno* 498 *consignandam esse, quia Aimoinus eam post Clodovei baptisma, quod ipsi anno* 495 *vel* 496 *collatum est, et ante expeditionem Burgundicam, anno* 500 *peractam, collocat. Memoratus autem Aimoinus monachus Floriacensis, qui ineunte seculo* XI *floruit, in historia Francorum lib.* I *cap.* 17 *hanc rem ita narrat :* Contra hunc regem *(videlicet Clodoveum)* cives Viridunensis urbis rebellaverunt. Sed dum rex urbem obsidione vallasset, et jam admoti arietes alta murorum pulsarent, supplicante sancto viro Euspicio, ejusdem tunc urbis archipresbytero, verbum impunitatis a principe promeruerunt, et rex civitatem recepit. Postea cum Aurelianensem urbem Clodoveus rex adire disposuisset, sanctum C Euspicium ac ejus nepotem beatum advocans Maximinum, jussit ut suum prosequerentur iter : quibus et Miciacense contulit prædium, et ut ipsi ac posteri eorum illum possiderent locum, per suum firmavit pragmaticum. *De hoc pragmatico seu diplomate statim agemus. Ceterum ex hoc Cointii argumento nondum plane constat de anno Virdunensis obsidionis, cum Clodoveus duplicem contra Burgundos expeditionem susceperit, incertumque sit, utrum Virdunenses ante primam vel secundam expeditionem rebellarint.*

incerta est. 4 *Hugo abbas Flaviniacensis in Chronico, quod Labbeus noster in Nova Bibliothcea Mss. librorum edidit, Virdunensem obsidionem expeditioni Burgundicæ postponit, et aliud hujus historiæ tempus notat, dum de Firmino episcopo Virdunensi, qui eo tempore obiit, ita loquitur apud citatum tom.* I *pag.* 87 : Audita autem defectione Virdunensium, et ratus non esse procrastinandum in talibus, viribus undecumque coactis, cum valida manu militari ad eamdem urbem venit injuriæ gratia ulciscendæ : cujus muros corona militum obambit, aggeres struit, aspera complanat, et quæque urbi capiendæ commoda ordinat, portis custodias admovet, et ne quis tute exeat, magno D studiosoque conamine prohibet. Quo in tempore Firminus episcopus ejusdem civitatis, miræ sanctitatis vir diem clausit ultimum..... Obiit autem mense Decembrio, die secundo, anno, quantum colligere possumus, ab Incarnato Domino DIV, imperante Anastasio anno XIV, tertio conversionis Clodovei anno, Atheo V. C. consule, Pontificatum Romæ agente beato Papa Symmacho, et soluta obsidione, sepultum est corpus ejus sacratissimum ad dextram altaris beati Petri Apostolorum principis, *etc. Vides hic plures characteristicas temporis notas exprimi; sed hæ inter se non conveniunt : nam decimus quartus Anastasii imperatoris annus, quo Cethegus vel Cethæus (forte hic vitiose scriptum est Atheus) fuit Consul, incidit in annum Christi* 504. *At tertius annus a conversione Clodovei respondet anno Christi* 498 *vel* 499. *Itaque ex hac chronotaxi secum pugnante nihil certi concludi potest.*

5 *Chronologica hæc difficultas non parum minueretur, si in diplomate, quo Clodovæus donationem prædii Miciacensis confirmat, annus exprimeretur.* *nec ex duplici diplomate* *Sed quamvis duplex hujus donationis exem-* E *plar circumferatur, tamen utrumque anno subscriptionis caret. Carolus Sausseyus in Annalibus ecclesiæ Aurelianensis lib.* 3 *num.* 2 *ex Ms. codice, quem Adam abbas Miciacensis anno* 1257 *compilari curavit, profert sequens diploma :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Clodoveus. Quicumque regiæ dignitatis culmine efferri desiderat, merito eum præ oculis habere debet, cujus gratia effertur. Noverit ergo omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium et nostrorum tam præsentium quam futurorum solertia, quia nos res ecclesiasticas, plus quam omnes vitæ nostræ actus tutari atque augmentare gaudemus. Unde cunctis nostris fidelibus, omnibus videlicet episcopis, abbatibus, comitibus, missis, vicedominis, vicecomitibus, vicariis, telonariis, centenariis, villicis, seu cunctis, ut diximus, vero corde fidelibus notum fieri volumus, quia nos, Dei providente benignissima sive annuente clementia, beatissimos viros Euspicium ac ejus nepotem Maximinum religione monastica comptos a civitate Viridunis adduximus Aurelianis, nostrique eis fundum juris con- F cessimus nomine Miciacum, ut ibidem universorum Domino tam ipsi quam eis pie adhærentes seu per annorum curricula succedentes deserviant Deo sub ordine monastico, nostrique in perpetuum habeant memoriale coram Deo.

6 Adjecimus etiam Cambiacum, atque Latiniacum, ut suarum habeant necessitatum supplementum. *fundationis Miciacensis* Lygeris igitur cursum, quantum prædicti terra fundi ex utraque tenet ripa, cum omni libera piscatione, et de singulis salis navibus, per aquam eorum transeuntibus, singulas minas jure damus perpetuo. Superaddimus nostrorum postulatione fidelium, ut quicumque eis aliquid de sui juris beneficio tribuere voluerit, in aliqua qualicumque re beneficium, liberam habeat facultatem. Nos deinceps nostræ largitatis munere propter divinum amorem per nostram auctoritatem præfatis Dei servis, cum sibi vinculo Christi junctis suis succedentibus, eis jam dictum tenere concedimus locum, ut abhinc eumdem cum omnibus supradictis terris, aquis, et eis pertinentibus silvis, servis atque ancillis, vel quæque ad

AUCTORE G. C.

eos pertineant, vel pertinere videbuntur, absque alicujus impedimento, præsenti et futuro tempore, absque ullo telonio aut vicaria habeat Deo annuente. Sigillo nostro subter eam jussimus assignari. *Nulla hic, ut vides, temporis nota additur; et tamen Sausseyus libri proxime citati num. 4 opinatur, hanc fundationem circa annum* 510 *factam esse; alii autem eam anno* 504 *consignant. Mihi videntur hi auctores tempus illud determinare ex mera conjectura, ad quam probandam aut improbandam solidum argumentum non invenio.*

erui potest.

7 *Dacherius in Spicilegio tom.* 5, *pag.* 303, *vel in secunda istius operis impressione tom.* 3, *pag.* 307 *exhibet aliud ejusdem fundationis diploma, quod est sequentis tenoris:* Clodoveus Francorum rex, vir inluster, tibi venerabilis senex Euspici, tuoque Maximino, ut possitis, et hi qui vobis in sancto proposito succedent, pro nostra, dilectæque conjugis et filiorum sospitate diviuam misericordiam precibus vestris impetrare *, Miciacum concedimus, et quidquid est fisci nostri intra fluminum alveos, per sanctam confarreationem * et annulum inexceptionaliter tradimus, et corporaliter possidendum præbemus absque tributis, naulo et exactione, sive infra sive extra Legerim et Ligerinum, cum querceto et salicto et utroque molendino. Tu vero, Eusebi sancte, religionis Catholicæ episcope, Euspicii senectam fove, Maximino fave, et tam eos quam possessiones eorum in tua parochia, ab omni calumnia et injuria præsta liberos: neque enim nocendi sunt, quos regalis affectus prosequitur. Idem agite, o vos omnes sancti Catholicæ religionis episcopi. Vos ergo, Euspici et Maximine, desinite inter Francos esse peregriui, et sint vobis loco patriæ in perpetuum possessiones, quas donamus in nomine sanctæ, individuæ, æqualis et consubstantialis Trinitatis. Ita fiat, ut ego Clodoveus volui. Eusebius episcopus confirmavit. *Dacherius dicit, sese hoc donationis instrumentum transcripsisse* e schedis Hieronymi Vignerii, *quarum antiquitatem et auctoritatem ignoro. Mabillonius quidem in notis ad Vitam S. Maximini hoc secundum diploma præcedenti præfert; sed Germonus noster in erudito opere de Veteribus regum Francorum diplomatibus ostendit, quam incerta sint istius ætatis instrumenta. Quare utriusque diplomatis auctoritatem vel alterutrius electionem prudenti lectoris judicio relinquimus.*

* *Alias* implorare

* *id est* communicationem

Varii Vitæ ejus scriptores.

8 *Superest, ut de Euspicianæ Vitæ scriptoribus hic aliqua subjungamus. Benedictus Gononus monachus Cœlestinus in Vitis Patrum Occidentis lib.* 4 *pag.* 217, *ex Ms. monasterii Ambertensis edidit Vitam* S. Euspicii; *sed perperam in titulo Vitæ præfixo eum vocat episcopum: nullibi enim episcopatum administravit, ut recte advertit Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 501, *num.* 5. *Habemus Acta* S. Euspicii *descripta ex membranaceo codice bibliothecæ regiæ, quæ etiam Mabillonius præ oculis habuisse videtur, cum fragmenta ab ipso citata cum nostro Ms. plane conveniant. Scripsit ea auctor anonymus, cujus ætas ignoratur. Suspicor, antiquam et simpliciorem Vitam ab eo interpolatam et verbosiori phrasi exornatam fuisse: nam post narratam* S. Euspicii *mortem adeo prolixus est in describenda cœlesti aula, et Beatorum felicitate, ut huic digressioni facile viginti lineas impendat. Quare non judico, operæ pretium esse, ut hunc interpolatorem typis vulgemus. Gesta ejusdem Sancti Bertoldus monachus Miciacensis inseruit Actis S. Maximini, quæ seculo* IX *Jonæ episcopo Aurelianensi dedicavit, ut videre est apud Mabillonium in Appendice ad seculum* I *Benedictinum pag.* 591. *Verum cum Bertoldus in carmine Actis præmisso fateatur, sese prisca priorum Patrum monumenta secutum esse, more nostro ipsum Actorum fontem investigamus. Nescio, an illum repererimus; at saltem antiquior ceteris apparet auctor anonymus, quem Mabillonius seculo* VII *vixisse existimat, quemque proinde ex illius editione hic recudimus. Hisce translationem et Miracula ab eodem Mabillonio edita, et cum Ms. nostro collata subjungimus.*

VITA

AUCTORE ANONYMO PERANTIQUO

Ex Actis S. Maximini abbatis Miciacensis a Mabillonio editis in appendice primi seculi Benedictini pag. 582.

CAPUT I.

Rebellio civium Virdunensium contra Clodoveum, et regis erga eos clementia ob intercessionem sancti Euspicii.

Clodoveus rex Francorum Virdunum obsidet,

Gentem Francorum fuisse bellicosissimam et regibus floruisse strenuis, et antiquis probatur historiis et ampliatione terminorum: quæ gens per divinum adjutorium se longe lateque porrigens et divinum beneficium eis impertitum, et ejus gentis manifeste testatur fortitudinem. Porro, ut dixi, cum regibus floruerit clarissimis, Chlodoveus inter ceteros eminuit nulli priorum secundus, utpote quem ornabat virtus invicta, sed ideo invicta, quia erat ei mens Deo devota: et ideo ornabatur magis et firmabatur divinis viribus, quam victoriis carnalibus. Sed cum auspicia ejus regni multimodis urgerentur incursibus, sicut se habent multorum voluntates, quæ cupidæ sunt mutationum, et rebus novellis, autequam convalescant, inferre nituntur perniciem vel difficultatem; plurimi tales in regno ejus reperti sunt talium cupidi rerum: inter ceteros vero cives Viridunensis oppidi defectionem atque perduellionem dicuutur meditati; sed idem præfatus rex, ratus non esse in talibus rebus procrastinandum, viribus undequaque coactis, cum valida manu militari ad eamdem urbem venit, injuriæ gratia ulciscendæ. Cujus muros corona militum obambit, aggeres struit, aspera complanat, et quæque essent urbi capiendæ commoda ordinat, portis custodias admovet et ne quis tute exeat, magno studiosoque conamine providet.

2

A

cujus cives, mortuo urbis episcopo, ad placandum regem mittunt S. Euspicium,

2 Quo in tempore episcopus ejusdem civitatis *a* diem clausit ultimum. Obsessi vero cum, ut dixi, clausi tenerentur, viribusque diffiderent, sed et murorum firmitas arietibus atque aliis machinis jam cedere videretur, et mortuo episcopo nullus putaretur aptus reperiri, qui preces populi convenienter allegaret coram principe ira fervente; omnes in unam coiere sententiam, ut sanctum virum, Euspicium nomine, qui in eadem urbe sub titulo presbyteratus degebat, clarissimisque virtutum titulis florebat, ad principem miserorum civium postulationem lacrymasque depositurum mitterent. Vir autem Deo ac misericordia plenus, suorum civium postulata non renuens, sed in eo confidens qui discipulis suis præcepit dicens : « Cum steteritis ante reges et » præsides, nolite cogitare quomodo aut quid lo- » quamini, dabitur enim vobis in illa hora quid » loquamini : non enim vos estis qui loquimini, » sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis » ad principem, ut petebatur, ire disposuit, et calamitatem, quæ jam jamque civibus suis im- B minebat, Domino propellendam commendavit, simulque ut ipse in ore ejus esset, suppliciter exoravit.

qui benigne exceptus

3 Nec spes eum fefellit : nam cum regem pro civibus precaturus adiisset, seseque humilitatis studio coram principe terræ prostravisset, ab eo surgere reverenter et causam adventus sui dicere est jussus. Ille autem præcepto parens, talibus ad eum fertur usus verbis : Nobilissime, inquit, et omnium piissime regum, pene universo promulgata tua bonitas est seculo, per quam bonitatem tuam te obsecro, ut patienter me audias, meorum civium preces allegantem et tuam clementiam supplicantem. Emersit quidem inter nos quorumdam protervitas hominum, quæ improbitate sua multorum maculavit imperitiam, et juvenum sustulit stultam proterviam. Et quidem tua animadversione digni sumus, nec diffitemur : sed obsecro propter Dei misericordiam, ut interim subtrahantur culpæ debita supplicia, et porrigatur immeritis clementia. Nosti enim quia in principe plurimum valeat animi dulcedo et parcens liberalitas ad conciliandos civium animos. C Etenim si mos est bonorum principum debellare superbos, par est tamen et parcere subjectis : nec abhorret a victoria tua nostra suasio : qui cum victor sis hominum, passionis quoque propriæ fortior eris triumphator, si malueris patientiæ vires exercere, quam sanguine civium tuum fœdare triumphum.

rebellibus veniam impetrat,

4 His rex auditis et vi dictorum gravitateque Viri perspecta, cœpit ejus rigor animi mansuefieri, et amaritudo fellis dulcorari, divino utique nutu id agente, cujus fortitudini immania cedunt et dura fatiscunt. Denique tantus divino monitu rex adeo affectus est, ut postulationi ejus libentissime annueret et impunitatem quamvis nocentissimis contribueret, in tantum, ut specialiter de eo Scriptura divina olim dixisse visa sit per Salomonem : Hanc quoque, inquit, vidi sub sole sapientiam et probavi maximam : civitas parva et pauci in ea viri, venit contra eam rex magnus et vallavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum et perfecta est obsidio, inventusque est in ea vir pauper et sapiens, liberavit urbem sapientia sua. Igitur viro Beatissimo ordinante et regis manum tenente, repagula portarum urbis reduci jussa sunt et portæ aperiri ; sed et clerus procedere ordinatus est, regem cum laudibus et Deo dignis cantilenis suscepturus, per quæ et principi dignum sedulitatis suæ monstraret obsequium, et liberationis propriæ Domino offerret tripudium.

EX IMPRESSIS.

et oblatum orbis episcopatum recusat;

5 Itaque rex postquam, ira refrigerata per Famulum ejus, se sentit ab immani ereptum piaculo, gratias in ecclesia Deo reddidit, et civibus principali indulgentia data, ad curanda juxta morem epulis regalibus corpora sese convertit. Quibus biduo indulgens et recreatum exercitum post laborem itidem ad alia paria negotia curanda ducere volens, tertia demum die sanctum Euspicium suis aspectibus evocari voluit, et urbi, cujus subventor fuerat, quamque ab imminenti periculo eripuerat, episcopali dignitate et honore præesset admonuit et admonendo petivit. At vero Sanctus divinæ institutionis non immemor, qua præcipitur : Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam ; oblatum honorem vel potius onus sacerdotii hu- E militer recusavit, et, ut credendum est, præscius brevitatis suæ vitæ, quæ postmodum terminanda erat, ut alter succederet ei, cedere libuit *b*. Nam actuum ejus posteritas hoc indicat : cum enim rex hoc ab eo obtinere non potuisset, ut pontifex scilicet crearetur, jussit, ut sibi comes fieret, quo usque ad Aurelianensem urbem deveniret. Nec tamen id præcepit tamquam simultate imperante, sed potius amore devoto suggerente ; quippe cui dulcissima Viri præsentia causa erat lætitiæ, et absentia itidem putabatur causa mœstitiæ.

sed regem Aurelias discedentem sequitur.

6 Jam ergo in crastinum discessurus, cum inter gaudia regalia a beato et præfato Viro, ne id sibi molestum esset, multimodis precibus obtinere videretur, et ad consensum ejus se pervenisse gauderet ; id ab eo muneris reciproci exactum est, quatenus regis præcepto Maximinus, nepos illius, consors ejus fieret itineris et baculus senectutis, nec non et baculus imbecillitatis senilis. Videbat namque in eo ingenitam bonitatis docilitatem, et a puero innocentiæ puritatem, et crescentia virtutis insignia per dies incrementa : at- F que ideo quem videbat virtutis parem, volebat continuatim sibi fieri consortem. Neque in eo tantum diligebat sanguinis societatem, quantum virtutis parilitatem. Omne enim, ut Scriptura dicit, animal ad simile sibi conjungitur, et homo simili sibi copulatur. Rex vero libentissime petitioni ejus assensum præbuit gaudens, ut qui sibi unam adsciverat, duos jam divino munere assumendos cognoverat. Jubet ergo, ut uterque ejus comitatui jungeretur ejusque conspectui, dum tempus resque dictasset, semper præsto essent. Nimio enim eorum ducebatur favore, quem Christus ejus cordi immiserat, ut tantos viros nobis immeritis *c* condonaret.

ANNOTATA.

a *Hic episcopus in Vita Ms. ac aliis monumentis vocatur Firminus, ut vidimus in Commentario prævio num.* 4.

b *Hoc in Vita Ms. ita narratur :* E contra vir vene-

EX IMPRESSIS. venerabilis Euspicius omnimodis renitendo humiliter gratia provectæ ætatis recusavit administrare ecclesiastica jura; sed veluti melius deliberando pontificalis oneris cuidam suorum nepotum strenuo viro S. Vitono curam dignum duxit committendam: qui vir Domini Vitonus adeptus pontificalis infulam honoris vigilanti solertia, dignus Dominici ovilis extitit pastor et custos: hujus etenim gemina fratris prosapia fuere S. Euspicii nepotes benignissimus Lupus Trecassinæ urbis episcopus (non tamen ille gloriosissimi Germani Autisiodorensium socius antistitis, sed alter posteriore præsul tempore) atque Maximinus pater insignis Christi gratia, merito, et vocabulo. *Ab Hugone Flaviniacensi in Chronica apud Labbeum nostrum tom.* 1 *Novæ bibliothecæ Mss. librorum pag.* 89 *vocatur* sanctus Maximinus, frater sancti Vitoni. *Hæc genealogia examinari poterit* IX *Novembris, quo die S. Vitonus colitur. Videri interim potest Camuzatus in Promptuario sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis, ubi agit de episcopis Trecensibus, fol.* 157 *verso.*

B c *Ex his verbis non immerito aliquis conjiceret, auctorem hujus Vitæ esse monachum Miciacensem, etsi libenter fatear, id non satis certo concludi.*

CAPUT II.

Clodovei erga Euspicium se secutum liberalitas, fundatio monasterii Miciacensis; S. Euspicii mors et sepultura.

Clodoveus locum vitæ monasticæ aptum offert SS. Maximino et Euspicio,

Quid plura? Cum rex sæpe dictus ab oppido Viridunensi pedem extulisset, et res regno suo dignas per loca opportuna et civitates ordinavisset, ad Aurelianorum urbem pervenit, comitatui ejus adhærentibus prædictis viris. In qua urbe dum aliquantisper remoraretur quadam die dum more regibus solito alacritate ultra solitum utitur, tactus instinctu divino sanctum senem Euspicium, ejusque tam virtute quam sangui-
C ne proximum advocari jussit Maximinum, cui et dixit: Nostræ quidem fuerat voluntatis et ut putaveramus ecclesiæ utilitatis, ut te doctore et duce frueretur civitas, et populus tibi sanguine sociatus: sed quia suggerente animo nostro usque ad hæc te traximus loca, forsitan voluntate operante divina, optamus te in his partibus locum aliquem eligere, in quo et tuæ voluntati et utilitati satisfiat, et per vos futura ætas provectum utilitatis percipiat: quatenus et vobis in hac re certantibus merces accrescat, et nobis fautrix divinitas existat, sed et vobis successuri emolumentum capiant salutare, nostrumque teneant continuum memoriale. Vestrum est ergo illud providere, nostrum vero erit provisa ordinare.

qui eligunt prædium Miciacense,

8 Qua indulgentia viri sancti percepta, diligentissime investigare cœperunt, qui locus eorum votis esset commodus, scilicet ubi secreti compotes fierent, et menti semper amica silentia adipisci possent. Sed cum quod quærebant, divina voluntate fautrice reperissent, et a rege super hac re sciscitati essent; sanctus Euspicius, qui sciret imminere sibi diem vocationis extremæ, non suo nomini tantum munus adscribi, sed sub titu- D
lo nepotis sui Maximini voluit confirmari dicens: Domine mi rex, gratias ago primum divinitati, quæ vestrum sublimitatis affectum in meam inclinavit humilitatem, ut tanto me dignareris honore. Et quia impar sum tantæ benignitati, ille tibi rependet vicissitudinem hujus beneficii, qui tuo id inspiravit cordi. Scio enim verum esse quod Spiritus sanctus dixit, quod Cor regis in manu Dei est, et quocumque voluerit inclinabit illud. Verumtamen quia ætas mihi immensa non multos promittit annos, et famuli vestri, nepotis mei Maximini industria animique devotio meliora de se sperare suadet, peto, ut agrum Miciacensem ei liberalitas vestra concedat parvulamque possessionem, quæ vocatur Cambiacus, simulque aliam, quæ vocatur Litimiacus, quatenus dum supersumus, Deo nobis vacare ibi liceat cum his, qui nostræ voluerint jungi societati, adjuvante nos atque favente hujus urbis præsule Eusebio: nam ibidem rege consistente, isdem Eusebius loco præcedentis fuerat substitutus episcopus *a*. *a*

quod illis rex concedit,

9 His auditis, rex libentissime annuit, et E
petitis venerabilis Viri assensum præbere judicavit. Ideoque accitis commentariensibus et notariis publicis sollemnes ordinatæ atque conscriptæ vel confirmatæ sunt conscriptiones, *b* adhibitis signis atque sigillis sub nomine beati Maximini, ut in eodem agro Miciacensi, ubi veteres parietinæ structuram tantummodo priscam præferebant, nova famulorum Christi usibus reparare liceret habitacula, et in eis famulis Dei absque ullo liceret Domino famulari incommodo. Hoc sanctorum Virorum factum atque eventum conferat, cui placet, beatissimo Abrahæ, et videat quodammodo alterum Abraham et nepotem ejus Loth patrio solo, rebusque relictis exsulantem apud Abimelech vel Pharaonem reges, et apud eos potiore honore functos majorique, quam pridem in terra sua habuerint, claritudine donatos. Sed et promissum Salvatoris etiam ad litteram completum; quia qui sua pro Domino reliquerint, centuplum in hac vita cum persecutionibus recipient, et in futuro seculo vitam æternam. *b*

et cujus amœnitas hic describitur.

10 Isdem namque fundus, qui eis attributus est, Miciacensis scilicet, adeo est sancto Ordini monastico congruus, ut specialiter (si dici potest) ad hoc videatur a Deo dispositus. Nam hinc inde F
dum fluviis Ligeris *c*, et Ligeriti *d* colluitur, et servis Dei secretum præbet habitaculum, et importunis quibusque sese ingerere cupientibus arcet accessum. Porro intra sinus sui spatium insula ipsa majoris est bonitatis et fertilitatis quam magnitudinis: est enim ferax tritici, vinum abundans atque præcipuum reddens. Hortorum varietas quid ibi venustatis, quid conferat utilitatis, quis explicet! Porro nemora tam agrestia quam insitiva multam eidem loco augmentant pulchritudinem. Et ut dotes ejus sub uno comprehendam, omnigenum est altrix materque bonorum; cui et ad cumulum delectationis et gratiæ plurimum conferunt naves a mari commercia marina portantes. *c d*

Constructo illic monasterio,

11 His ita peractis, rex Chlodoveus eosdem venerabiles Viros supradictos præsuli Eusebio cum prædiis supra memoratis commendavit, ut ejus juvamine fruerentur, quo et locus suprascriptus ad cupitum præpararetur officium, et ab eo-

dem

A dem sancto viro et episcopo ad id peragendum acciperent emolumentum. Ipse autem rex, ut se habet negotium regni administrandi, ad alia curanda se vertit, urbemque reliquit. At vero beatissimus Euspicius cum nepote non impari Maximino, cum consilio et adjutorio pontificis, in sæpe dicto agro indefesso studio habitacula cœperunt struere monachis congrua, perinde et ecclesiam divino cultui aptam exstructis protinus erexere parietibus. Deo namque eorum cœpta prosperante ultra quam credi potest, opus illud in brevi peractum est, ad cujus dedicationem basilicæ invitaverant prædicti Viri jam dictum episcopum. At vero venerabilis episcopus cum clero sibi credito devotissime advenit, Deo digne opus consummavit propter quod venerat, basilicamque eamdem in honore Dei et sancti Stephani protomartyris consecravit. Et ut majori gratia eamdem venustaret ecclesiam, ejusdem dedicationis die sub honore diaconatus sanctum consecravit Maximinum, quo munere loco illi impertito episcopus cum clero ad urbem rediit.

S. Maximinus fit sacerdos, et S. Euspicius moritur,

B 12 Sancti vero in cœpto persistentes opere, in brevi odore famæ suæ religiosæ populum resperserunt in tantum, ut more alvearii monasterium videretur quosdam venientes atque redeuntes recipere atque reddere. Et quidam bona visuri atque audituri veniebant, quidam eadem narraturi redibant. Inter hæc autem, cum beatus Euspicius ad cœlestia capessenda quotidie anhelaret, inter alia, quæ a Deo acceperat, munera, hoc etiam ei collatum est, ut diem resolutionis suæ a corpore nosset, idque his, quibus tantam rem committere decebat, prædiceret. Et quia sancto Maximino unum adhuc deerat, quo insigniri debet secundum regularem sanctionem, qui monachis præest, sacerdotale scilicet ministerium *e* : episcopum beatus Euspicius Eusebium supplex adiit, vocationis suæ tempus non multum abesse prædixit; petivitque, ut semet adhuc superstite, beatus Maximinus ad honorem proveheretur sacerdotalem. Cujus voluntatem atque petitionem præsul benignus amantissime suscepit nec perficere distulit : insuper et benedictionem, qua patres abbatesque monachorum C confirmari solent, superaddidit. Postque omnia biennio cum felici nepote suo Maximino in terreno corporis sui habitaculo commorans, extremam sortitus diem, ad Dominum felici successu, commigravit *f*. Cujus non mors sed migratio, ut assolet mortalium pectora concutere, tenerrime beatum Maximinum fratresque cohabitantes affecit.

cujus corpus jam sepeliendum moveri nequit,

13 Sed vir venerabilis Eusebius episcopus hoc comperto caritatis ac perinde compassionis stimulo tactus, a civitate ad monasterium venit, sanctum Maximinum fratresque cohabitantes et lugentes consolaturus, nec non et beati viri officia funeris curaturus. Venit ergo et quæ circa talia caritas agenda præcipit, studiosissime peregit. De loco autem sepulturæ prædicti Viri cum deliberare episcopus cœpisset; visum est prudenti ejus consilio, ut in beatissimi Aniani *g* ecclesiam corpus ejus transferretur, et ad dextram partem corporis ejusdem sanctissimi viri poneretur : non dubitans convenire, ut quibus in Christi amore una fuit devotio, juncta et inseparata esset etiam corporis pausatio. Cum placuisset autem, ut per medium civitatis reliquiæ sanctæ portarentur, et episcopus venerabilis adesset cum clero itidem devoto atque monachis singultibus pectora quatientibus simulque multis prosequentibus diversi generis et conditionis turmis, et ventum esset ad portam Orientalem ejusdem urbis, quæ transmittit ad monasterium sanctissimi Aniani, vectores qui sanctissima ossa gerebant (mirabile dictu) subito constiterunt; et quasi in terra radicitus fixi immobiles restiterunt.

EX IMPRESSIS.

donec captivi liberantur.

14 Causa quæritur stationis, impossibilitas movendi sola tenetur : episcopi autem cogitatio dum in diversa distenditur, et quid facto opus esset, alta cogitatione rimatur, tandem ad id, quod utile erat, intelligentia ejus remittitur. Jussit enim, ut hi, qui in carcerali custodia nexibusque duris mancipati erant, solverentur; æstimans quod apud Deum gratum foret, ut eos, quos iniquitas vinxerat propria, beatissimi Viri præclara solverent merita. Quod et verum probatum est. Mox namque ut illi ab angustiis et ergastulis sunt liberati, eodem momento vectoribus sancti corporis facultas reddita est eundi. E Sed quid in tali facto præter hoc, quod dictum est, considerandum visum sit edicamus. Novimus namque quia beati Aniani meritis et precibus, populi ab eadem urbis obsidione liberati sunt *h*, qui propriis muris ita adstringebantur, ut urbs carceris angustias imitaretur. Et idcirco forsan placuit divinitatis consilio, ut ostenderet sanctos viros paris apud se fuisse meriti, quos pares miraculo pari atque familiari jungebat sepultura. Quid multa? Perventum est ad locum, quo pontifex voluerat, impletur ex more funeris obsequium.

ANNOTATA.

a *Is interfuit Concilio primo Aurelianensi anno* 511.

b *De donationis litteris egi in Commentario prævio num.* 5 *et* 6.

c *Notissimus Galliæ fluvius vulgo* la Loire, *quo per aliquot dies usus sum, dum Aurelia Salmurium navigarem.* F

d *Vocatur etiam* Ligerula *Gallice* le Loiret, *et prope Aureliam adeo copiose ex fonte affluit, ut statim navigabilis evadat.*

e *Notavi in Vita S. Joannis Gualberti ad diem* XII *Julii, eum fuisse abbatem, etsi sacerdotali dignitate non esset ornatus. Itaque hæc regularis sanctio fortasse alicui monasterio aut Ordini fuit peculiaris.*

f *Hinc circiter colligi debet epocha mortis Euspicianæ, quam ideo in margine Commentarii prævii ineunte seculo* VI *collocavi.*

g *Hic seculo* V *fuit episcopus Aurelianensis, de quo agendum erit* XVII *Novembris.*

h *In Actis S. Aniani narratur, quod captivos liberaverit, et Attilam ab Aurelianensi urbe prodigiose repulerit; ad quam utriusque Sancti similitudinem hic alludit auctor.*

TRANS-

EX IMPRESSIS.

TRANSLATIO

Ex editis apud Mabillonium seculo VI *Benedictino parte* I, *pagina* 314, *et cum Ms. nostros collatis.*

Dum Robertus rex Galliæ ecclesiam S. Aniani jubet, dedicari

Libet præterea annotare scripto, quo tempore et qua causa existente, reliquiæ beatissimi Euspicii Miciaco fuere delata honorifice. Conditoris omnium milleno vigesimo nono benignissimi Christi Salvatoris nostri Incarnationis anno, Indictione duodecima, præstantissimi confessoris Aniani basilica diutino ædificata spatio jussa est dedicari. Ad cujus consecrationis diem a glorioso rege ejus basilicæ restauratore Rotberto, regni ipsius anno trigesimo tertio *a*, jussione imperatoria imprimis evocantur archipræsules : Leutericus Senonensis *b*, Gauslinus Bituricensis *c*, qui et abbas Floriacensis, atque Arnulphus Turonensis *d*. Horum præsentiam subsequuntur præsules : Odolricus Aurelianensis *e*, Theodoricus Carnotensis *f*, Bernerius Meldensis *g*, Rudolphus Silvanectensis *h*, nec defuit etiam præsentia * venerabilis Odilonis Cluniacensium abbatis *i* : rector denique Miciacensium pater Albertus *k*, cujus reverendum caput nive dealbatum designat veræ specimen innocentiæ, jussus a rege cum caterva suorum et ipse adfuit monachorum.

(* *additur* cum summa dicendi reverentia)

forte Ratus *abbas Miciacensis quasdam S. Euspicii reliquias impetrat,*

2 Nactus * itaque nunc opportunum invenisse tempus expetendi beati reliquias Euspicii, supplex rogaturus regem adiit cum fratribus suis : preces quorum nobilissimus rex, qui etiam Miciacense cœnobium plurimum diligens optimis amplificavit bonis, faventibus ipsis * primatibus regis, insuper strenuissimo viro prædicti loci decano domno Tedelino *, cujus maxima apparent in Miciacensi loco beneficia, quod petebatur, libentissime annuit. In crastino autem die dedicationis, quæ est decimo sexto Kalendas Julii, fratres duo, quorum est nomen Laterius * et Odo, jussi sunt a præfato rege mitissimo, et jam nominato reverendo decano urnam, in qua sanctissimi Euspicii corpus reclausum * fuerat aperire, pallioque non minoris pretii, quo sancta ipsius tegebantur ossa, detegere, et partem reliquiarum ejusdem Sancti, ut expostulaveramus, accipere. Quod cum summo gaudio excipientes *, illico obortis lacrymis, pro pietate sui et omnium nostrorum Patroni, videlicet primi pastoris Miciacensis, erexit se ad eorum obtutus, quasi pro benedictione filiorum, dexterum ipsius brachium. Quo viso læti et trementes exinde illud attrahunt, quoque honorificentius possunt, quo paraverant, recondunt.

(* *alias* ipsius; * *alias* Tedelmo; * *alias* Leterius; * *alias* reclusum; * *alias* perficientes)

quæ a monachis Miciacensibus magno honore excipiuntur.

3 Tectis deinde altrinsecus sacris * reliquiis et gratantissime partem, quæ eis concessa fuerat, secum ferentes, recedunt, atque protinus nuncium dirigunt, quatenus fratres cum honore congruo longe eis occurrerent a monasterio. Mandatis obsequentes fratres excipiunt Patroni sui cum omni jubilo sanctas reliquias, sicque cum laudibus et cum honore, quantum mortalibus conceditur, digno ad ecclesiam veniunt, omnipotenti Deo pro concesso desiderio hujus beneficii devote reddunt immensas grates ad laudem et gloriam nominis Christi, cui est cum Patre et Spiritu sancto æternus honor, par gloria per omnia secula seculorum. Amen.

(* *alias* Sanctis)

ANNOTATA.

a *Est annus* 33 *Roberti, quo nempe solus regnavit a morte patris ; alioquin est* 42 *ipsius regni.*

b *Alias vocatur Leothericus, et ab anno* 1000 *usque* 1032 *Senonensem cathedram tenuit.*

c *Is fuit filius naturalis Hugonis Capeti, Galliarum regis, ut scribunt Sammarthani, et anno* 1028 *abbatiam Floriacensem, biennio ante combustam, restauravit.*

d *Hic avunculo suo successit anno* 1023. *De eo plura videri possunt apud Sammarthanos.*

e *Iste post multa præclare gesta obiit circa annum* 1033.

f *Theodoricus ascendit cathedram Carnotensem, clero plurimum reluctante, ut ex quibusdam epistolis ostendunt Sammarthani. In Ms. nostro omittitur hic præsul.*

g *Bernerius iste etiam memoratur apud Helgaudum in Epitome Vitæ Roberti regis. In Ms. nostro nulla fit illius mentio.*

h *Apud Sammarthanos vocatur Rodulfus ; sed certa ipsius episcopatus duratio non exprimitur.*

i *De hoc Odilone actum est die* I *Januarii in Opere nostro.*

k *Sausseyus in Annalibus ecclesiæ Aurelianensis lib.* 3 *num.* 6 *dicit, huic Alberto abbati successisse Asenarium anno* 1029. *Hoc si verum est, obiit Albertus eodem anno, quo dedicationi interfuit.*

MIRACULA

Ex seculo VI *Benedictino apud Mabillonium parte* I, *pag.* 314 *et* 315.

Andreas abbas Miciacensis,

Quia Sanctorum gloria eo amplius dilatatur et excrescit, quo latius diffusa propagatur ; ne virtutibus eorum invidere potius quam delectari videremur ; si quæ ab eis laudabiliter gesta tempore sepulta ex negligentia sub modio premerentur : quæ recenter gesta et sub oculis omni laude digna gloriosissimi confessoris sui Euspicii Salvatoris clementia fidelibus suis contulit, ipsa cogit universitas litteris immortalibus alligari. A patre itaque ipsius loci, ubi hæc gesta sunt, Andrea *a* habentes exordium, quæ sub ipso et in ipso mirifica contigisse novimus, non tam sermonum venustæ sobrietati, quam veritati indulgemus. Inferiori quippe inguine periculoque viciniori, letali quodam affligebatur tumore, quo vehementius paulatim protuberante, acsi totum inguen sibi subjici morbus ille decertaret.

implorata ope S. Euspicii, periculoso tumore liberatur,

2 Tali, inquam, infestatus incommodo, ipso die solemni Ascensionis Dominicæ obsequentium fratrum manibus innixus, ad ecclesiam accessit ; expletisque ex more Missarum solemniis, cum

vis

A vis morbi incessanter validior coalesceret, ut vel levis tactus reformidantem offenderet, omnisque medicantium ars frustra deperiret, sedit tandem animo salubre consilium non humani ingenii opem vel operam ulterius implorare, sed totum se divinæ virtuti sanctissimi confessoris Euspicii intercessionibus commendare; spem certam concipiens se citissimæ saluti posse restitui, si doloris vulnus divino tangi medicamine mereretur. Ad piam itaque ipsius petitionem [profertur] incomparabilis ille thesaurus noster dextera beatissimi Euspicii, cujus crucis munimine roboratus, quo morbus validius sese infuderat, sacro tactu liniri jubet. Jamque de salute securus, ipso die dum fessa membra dolore aliquantulum mitigato optata quiete refovens impensius obdormiret, tumor repente dissolvitur, tensa cutis laxatur, dolor excluditur: quodque intus latuerat putredinis, nimio fluxu ipsum dormientem excitat, et quod fide præsumpserat, effectu prosequente completum considerat. Sic demum sa-
B nitatem plenissimam adeptus, Deo et interpellatori suo beato Euspicio debitas atque innumeras grates retulit.

et ejusdem intercessione

3 Erat quædam muliercula villæ ipsius incola, cui Miciacense monasterium præeminet, quæ licet in rebus tenuis et abjecta, naturæ tamen non invidentis fœcunditate sibi perspicua, filio ex partu suscepto, adversantis fortunæ solabatur tristitiam, et in eo delectata est, ut in omnibus divitiis. Cujus sedula nutrix cum eum maternis affectibus tenerrime diligeret, et eo solo pignore
b ridiculæ *b* paupertatis temperaret infamiam; cum jam plenis et capacioribus adolesceret annis, ad cumulum infelicitatis, nubilosior fortuna adjiciens pro prolis defraudatæ profectu fraudulenti inimici infestatione lingua infantuli, quæ jam pridem plenam atque perfectam loquendi facultatem acceperat, silentii torpore sopita est. Quo mater infortunio non mediocriter permota, quod solum huic malo remedium adhibere poterat, in plateis per coætaneorum consortia filium passioni silentii subjectum mœrens trahebat: ut si forte ex industria obmutesceret, consimilium puerorum colloquiis invitata lingua facilius solveretur.

EX IMPRESSIS.

puer mutus loquelam recuperat.

4 At cum nullatenus vox, sed solus risus extorqueretur, non voluntariæ taciturnitatis causam, sed impossibilitatis esse sentit; jamjamque exspes et mente jacens, quid ageret hæsitans et ignara, piis tandem condolentium suggestionibus acquiescens, vehementer anxia, pro impetranda Salvatoris clementia ad memoratas gloriosissimi confessoris Euspicii reliquias avidius maturabat. Matri enim pro sanitate filii solicitæ mors erat ipsa celeritas. Petit itaque supplex et devota, ut quod latenti vulnere inimicus inflixerat, Sancti meritis ac precibus redimeretur. Cum igitur infantulus ille elinguis deosculata dextera, vinum, quod beatæ reliquiæ immersione sua sacraverant, degustasset, jam lingua palpitans et E
paulatim quodam modo stupendo ad alicujus vocabuli expressionem soluta, antequam claustra monasterii mater cum puero egrediens excederet, ex integro, quod amiserat, complevit officium.

ANNOTATA.

a *Andreas ille in Catalogo abbatum Miciacensium apud Sausseyum dicitur vixisse anno* 1171. *Unde hujus miraculi tempus præterpropter colligi potest.*

b *Ex sensu patet, hic paupertatem pro ignominiosa vocari ridiculam, quia sæpe pauperes ridentur.*

DE S. SEVERA VIRGINE

APUD TREVIROS.

J. B. S.

C F

CIRCA ANNUM DCLX.

Ex Vita S. Modoaldi cognita

De illustri hac S. Modoaldi sorore, in monumentis Trevirensibus propemodum ignota, agere non prætermisit is, qui sancti Trevirensis antistitis Acta satis eleganter recensuit Stephanus abbas S. Jacobi Leodiensis, a nobis jam pridem edita ad diem XII *Maii. Nimirum præclarissimæ Virginis elogium istic texuit, eamque a Sancto fratre, exstructo ad S. Symphoriani parthenoni præpositam ostendit; ut quidquid de aliis virginum cœnobiis ab eodem sancto Præsule conditis dubitari modo possit, de hoc sane res extra controversiam posita sit. Encomium pluribus, quam forte necesse erat, verbis conceptum, quamquam in prædictis S. Modoaldi Actis olim excusum, hic proprio suo loco inserere non dubitavi, præsertim cum de sanctæ hujusce Virginis gestis, nihil memoriæ proditum alibi invenerim, præterquam in Lectionario Trevirensi, alibi sæpius citato, unde nihil magnopere erui posse perspicies, quod a laudato Stephano pluribus descriptum non sit.*

elogium habet in Lectionario Trevirensi,

2 *Porro hodiernum* S. Severæ *apud Trevirenses cultum satis certum reddit jam dictum Lectionarium. Notavit Bollandus* XXVI *Februarii in Prætermissis eo die ipsam signatam esse in Ms. Kalendario Benedictino S. Salvatoris, melius ex Romano et aliis huc remissam: quando a Wione, Dorganio, Menardo ceterisque monasticis festivitas ejus celebratur. Bucelini oratio nihil addit iis, quæ de ipsa pluribus et certius a Stephano prædicata sunt; Trithemius autem non nulla miscuit pridem a nobis refutata. Magis placet Lectio Trevirensis, quam hic subjicio:* Severa virgo multarum et magnarum propinquitatum, a S. Modoaldo episcopo ejus fratre monasterio monialium, quod ipse in ripa Mosellæ, divi Symphoriani martyris honori construxerat, præficitur: cui sancti Benedicti disciplinam servandam tradidit. Et quæ erat fraternæ virtutis haud degener, et præstanti religione femina, excellentibus istic Christianæ perfectionis exemplis per omne vitæ tempus, effulsit. Demum fratri viam ad beatam vitam muniens, obdormivit in Domino, ad beatum Symphorianum sepulta. Inde vero Ludolphi archiepiscopi tempore, sæviente in ecclesia Treverensi schismate, ad S. Matthiæ basilicam translata est.

3 *Quod in hac lectione primum ponitur,* multarum

AUCTORE J. B. S. *quod in paucis explicatur.*

rum et magnarum propinquitatum *fuisse alludit omnino ad ea, quæ Stephanus de S. Modoaldi progenie memoravit; qua de re consuli merentur Henschenii annotationes pag.* 54; *tum ea quæ de S. Itta sive Iduberga disputavit ad* VIII *Maii pag.* 307; *ex quibus equidem necdum consequi video, quæ tam rotunde a Wione pronuntiata sunt, et ex eo a Bucelino descripta; nimirum* S. Severam patre natam esse Arnoaldo Austrasiæ duce, matre Oda Sueviæ ducissa; *quidquid ista se legisse asserat apud Rosieres : quo fieret ut et S. Arnulfi Metensis episcopi soror esset hæc nostra* S. Severa. *At enim operæ pretium non est, spinosam silvam hic denuo ingredi; de genealogia Francica investigationes novas invenies, occasione jam dicti S. Arnulfi ad* XVIII *Julii. Quod vero postremum dicitur,* ad S. Mathiæ basilicam translatam fuisse, *credam auctori Lectionarii. Utrum hodiedum superstites ibidem sint reliquiæ, an alio fortasse loco depositæ, a Trevirensibus doceri cupio : notavit editio Usnardina Lubeco-Coloniensis nescio quo auctore,* sepultam fuisse in ecclesia S. Eucharii, *quod cum jam dictis nemo facile conciliaverit.*

B

Memoria in pluribus Martyrologiis.

4 *In numerosa acie sanctarum Virginum et viduarum quæ S. Scholasticæ exemplum imitatæ sint, ad* X *Februarii cap.* 6. *pag.* 411 *locus etiam datus est.* S. Severæ abbatissæ monasterii S. Symphoriani Treviris. *De eodem parthenone* in ripa Mosellæ ad urbis mœnia educto, *meminit Browerus, cui prædictam* S. Severam sororem propriam magistram dederit *S. Modoaldus*, regula D. Benedicti omnibus præscripta; *unde et in monasticis celebrem jam diximus ejus memoriam, quibus Mabillonium in Actis SS. Benedictinorum non assentiri, ex ejus silentio satis colligitur; neque in Annalibus, ubi ipsam nominat, de Ordine quidquam protulit : non magis quam auctaria Usuardina, in quibus tamen notissima est. Ultrajectensis, Leydensis, Albergensis et Danicus eadem phrasi utuntur :* Treveris, S. Severæ virginis, sororis S. Monovaldi ejusdem loci episcopi; *in Bruxellensi vero melius legitur* Modoaldi, *quomodo etiam scribunt Hagenoyensis Editio Lubeco-Coloniensis Grevenus et Molanus; quibus adde Canisium et recentiores alios : solum Florarium Ms. adjecit,* matertera

C

m fuisse S. Gertrudis; *in ea nempe hypothesi quod fuerit soror S. Idubergæ uxoris B. Pipini, quam controversiam hic non relegimus. Notavit alicubi Browerus prædictum* S. Severæ *cœnobium* vix suis ruderibus superesse. *Cetera ex Stephano intelliges.*

ELOGIUM

Ex Vita S. Modoaldi in Actis XII *Maii.*

Monasterio a fratre exstructo præficitur

Interea cum domus ejus decorem diligeret, et ad referendas dignas conditori laudes ardentissimo semper amore flagraret, super ripam Mosellæ oratorium in honore B. Symphoriani martyris exstruxit, opere quidem exiguum, et artificiosi schematis decore minus ambitiosum; sed, quod nobilius est, clarissimis virtutum gemmis ac pulcherrimis virginei candoris margaritis, multo splendidius ac spectabilius, quam fuerit illud famosissimum Salomonis templum, auro et argento ac tot mirificis expositum argumentis. Ibi quippe congregationem sanctarum Virginum tamquam dulcisonos adolescentularum choros, in nuptiis Christi ecclesiæ jugiter laudes canentium, instituit, de quibus sponsa in laudibus sponsi videtur illud in Canticis dicere : Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te. Quibus etiam ad regularis vigorem disciplinæ servandum, sororem suam præfecit, nomine Severam; quæ secundum nominis sui præsagium et convenientiam, digna præsidentis animi severitate copulam carnis, opes, gloriam et cuncta quæ peritura noverat, cum ipsa sui nobilitate et corporis specie, quæ vermibus exaranda erat, parvipendenda esse dijudicans, virginitatem suam Christo illibatam obtulerat.

D

quod illa piissime rexit,

2 In cujus fide et amore virgineam aciem, quam sponso collegerat, tam materna pietate quam magistra severitate confirmans, omnem eis sanctæ institutionis diligentiam exhibebat. Nihil illius severitate jucundius, nihil jucundidate severius : lætitia illius tristis, tristitia suavis : inculta vestis, oculi demissi, caput inclinatum, incessus gravis, cibus tenuis, ita sane, ut cum omnia Deo digna faceret, nihil tamen dignum se fecisse crederet, comitesque suas plus exemplis doceret quam verbis. Nec deerat ei venerandi fratris sui assidua consolatio, qui in modum æris candentis ardens desiderio, sonans verbo, per scintillas sacræ exhortationis animum Virginis ad amorem Dei fortius accenderet, et ut aiunt oleum camino adderet. Benedictum et Scholasticam crederes : idem desiderium, non impar studium, eamdem erga Dei cultum devotionem in istis videres. Illum non magistrum, sed discipulum putares : istam non dominam, sed ancillam humilem æstimares; nisi quod eo magis ille servus, hæc ancilla Christi esset, quod uterque subjectis non dominari, sed ministrare videretur : quorum dignam fidei et laboris remunerationem quia jam tempus est enarrare, prudentissimæ Virginis vocationem, sicut tempore præcessit, ita nostra præcedere narratione faciamus.

E

in eodem sancte mortua.

3 Quæ dum vocem sponsi vocantis audiret et dicentis : Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis; ista nihil demorata, pio respondit affectu : Ego dilecto meo et ad me conversio ejus. Statimque secuta vocantem, cum lampade accensa et ornata oleo optime nitentis conscientiæ, digno est cum honore ab eo excepta, et in illum æthereum thalamum cum multa Sanctorum exultatione introducta. In quo tandem, quod diu optaverat, feliciter collocata, inter dulcissimos dilecti sibi sponsi requiescit amplexus; atque splendidissimis filiarum Sion agminibus adjuncta, deliciis beatissima perennibus delectatur. Cujus sacratissimum corpus, virgineis stipatum choris, virgineis conclamatum lamentis, cum psalmis et hymnis spiritualibus multo honore in ecclesia supradicti Martyris, cui summa strenuitate præfuit, officiosissime est reconditum. O vere beata et venerabilis Virgo! quæ pro mortali sponso immortalem elegit, quæ pro lutea domo cœlestem thalamum commutavit! Vere beata et gloriosa, quæ pro brevi labore æterna beatitudine fruitur, pro vanis histrionum canti-

F

lenis

A lenis, dulci angelorum concentu jucundatur. Hæc de vita et transitu clarissimæ Virginis paucis libavimus; neque enim justum erat, tam pro ipsius meritis, quam pro honore et reverentia egregi fratris, memoriam et laudem ejus præterire, de qua gaudent angeli et collaudant filium Dei. D

DE S. VULMARO ABBATE SILVIACENSI

PROPE BONONIAM IN PICARDIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti cultus, et pia ædificia ab ipso constructa.

EXEUNTE SECULO VII SIVE INEUNTE SECULO VIII.

B

S. Vulmarus, qui nomen suum dedit cuidam oppido.

Locus *olim* Silviacus *dictus, teste Mabillonio in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sec.* 3, *part.* 1, *pag.* 233, *nunc est oppidum agri Bononiensis vulgo* Samer *appellatum; quod nomen ex truncatis et in unum conjunctis* sancti Vulmari *vocabulis originem traxit; quando nempe incolæ pro* Saint Vulmer, *compendii causa, ut non raro fit,* Samer *usurparunt. Hoc loco* S. Vulmarus *seculo* VII *monasterium condidit, quod* S. Vulmari in nemore *aut* in Silviaco *interdum appellatur, ut distinguatur ab altero* S. Vulmari *monasterio, quod B. Ida vidua intra muros civitatis Bononiensis construxit, uti dictum est in ejus Vita ad diem* XIII *Aprilis ab Henschenio nostro illustrata. Ab hoc priori monasterio oppidum* Samer *appellationem accepit, quod proinde rectius Latine* oppidum S. Vulmari, *quam* Samerium *vel* Saulmerium *dixeris. Jacobus Malbrancus noster in opere suo de Morinis lib.* 6, *cap.* 38, *docet, quomodo Nortmanni hoc oppidum et monasterium funditus everterint; deinde lib.* 7 *ejusdem operis cap.* 32 *narrat, quomodo idem monasterium postea restauratum fuerit, ut suo loco videbimus. Lis est, an* S. Vulmarus *in hoc monasterio a se condito, statim post obitum sepultus fuerit, de qua re postmodum agemus. Sed hic prius ejus cultum stabiliamus.*

C

in Martyrologiis

2 *Non est dubitandum de hujus Viri sanctitate, quam veteres Martyrologi aliaque monumenta satis probant. Imprimis Ado, a Rosweydo nostro editus,* XVII *Junii ita eum annuntiat :* Eodem die S. Vultmari confessoris, admirandæ sanctitatis et religionis viri. *Usuardus ad eamdem diem* XVII *Junii iisdem plane verbis utitur, nisi quod eum non* Vultmarum, *sed* Vulmarum *appellet. Martyrologium Usuardi, quod monachus quidam Benedictinus anno* 1718 *Parisiis edidit, die* XX *Julii eamdem habet annuntiationem. Merito dubitari potest, an in hac postrema editione hæc annuntiatio loco suo collocata sit; qua de controversia vide Sollerium nostrum die* XVII *Junii et* XX *Julii in observationibus ad Usuardum pridem ab ipso illustratum. Apud eumdem etiam videri possunt Auctaria Usuardina, inter quæ editio Lubeco-Coloniensis Junii* XVII S. Vulmarum *vocat discipulum* sancti Judoci confessoris. *At eadem editio ad diem* XX *Julii tantum ita habet :* In pago Bononiensi depositio sancti Vulmari abbatis, presbyteri et confessoris. *Ut similes variorum Martyrologiorum phrases cum tædio lectoris hic non repetam, sufficiet adducere verba hodierni Martyrologii Romani, quod hac die sic eum memorat :* In pago Boloniensi in Gallia S. Vulmari abbatis, admirandæ sanctitatis viri.

Breviariisque ac alibi celebratur.

3 *Breviarium diœcesis Morinensis anno* 1518 *impressum celebrat festivitatem* S. Vulmari *novem propriis lectionibus, quæ partem Actorum continent, ac proinde hic transcribendæ non sunt, cum post hunc Commentarium prævium Acta integra daturi simus. Præter alia loca, in quibus* S. Vulmari *memoria recolitur, est pagus quidam inter Casletum et Belliolum Flandriæ Occidentalis oppida situs, nomine* Eecke, *qui* S. Vulmarum *tamquam patronum veneratur. Memorant loci istius incolæ, sese a quercu (hæc arbor Flandrice vocatur* eecke *vel* eicke) *in qua* S. Vulmarus *habitavit, nomen traxisse, et quercicam Sancti casam postea in magnum monasterium conversam fuisse. Jacobus Meyerus in Annalibus Flandriæ lib.* 1 *ad annum Christi* 668 *de hac etymologia et populi traditione ita scribit :* Claruit eodem tempore divus Vulmarus, Vulperto ac Duda in Bononiensibus ortus, qui relicta sponsa sua Hostorholda parentibusque ac Wamaro fratre, petiit monasterium Alti montis in Nerviis, ubi postquam aliquantisper persancte vixisset, reversus in patriam devenit in Mempiscum, vastamque ingressus silvam in cava quadam arbore triduum absque cibo egit : ea ab arbore Ekenses, agri Casletani populus, nomen se trahere arbitrantur. Vulmarum templi sui præsidem studiose venerantur, locumque, ubi quercus illa stabat, se ostendere posse putant. *Plura sanctitatis ejus monumenta per decursum videbimus. Interim sacra ædificia et monasteria ab ipso exstructa investigemus.* E

F

Sanctus in Flandria construxit ecclesiam

4 *Cum* S. Vulmarus *aliquamdiu habitasset in cœnobio Altimontensi, venit in Flandriam seu pagum* Minpisco, *ut Acta nostra loquuntur, quando quidam* vir fidelis..... congruum ei dedit locum, ubi Dei ecclesiam construxit, et plurimos in eodem loco convertens ad Dei cultum instruxit per multa bona exempla. *Quamvis non sit improbabile, huic ecclesiæ monasterium additum fuisse, tamen id ex his Actorum verbis non clare eruitur : potuit enim* S. Vulmarus *per bona exempla plurimos ad Dei cultum convertere et instruere, etsi non ædificaverit ibidem monasterium. Vellem, ut omnia, quæ Malbrancus noster in opere supra laudato lib.* 3, *cap.* 40 *de hoc Eeckensi monasterio asserit, ex antiquis monumentis probarentur. Certe mirum est, tam magnam molem ita a Nortmannis fuisse excisam, ut nulla superfuerint vestigia, de quibus antiqui scriptores meminerint. Porro ea, quæ Malbrancus ex Iperio et Ms. Bertiniano citat, per meram conjecturam monasterio Eeckensi applicat, et de* alio

AUCTORE G. C.

alio quopiam cœnobio æque commode intelligi possunt. Denique per pagum Mempiscum *vel* Menapiscum *non significatur determinatus aliquis pagus, uti hodiedum loquimur, sed ipsa Flandria, aut saltem magna ejusdem pars, uti videre licet in Vita S. Amandi ad diem* VI *Februarii illustrata, aliisque Belgicorum Sanctorum Actis passim obviis. Unde tota hujus monasterii moles traditione Eckensium potissimum nititur.*

et in agro Bononiensi condidit duplex monasterium,

5 *Deinde* S. Vulmarus *humanas laudes fugiens ex pago Mempisco discessit, et ingressus quamdam silvam patriæ suæ vicinam, ibidem ecclesiam et duo (recentiores scriptores tria enumerant) monasteria construxit. De his ædificiis anonymus Actorum scriptor sic loquitur num.* 13 : Illo quoque tempore in eadem eremo construxit ecclesiam sanctus Vulmarus in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ semperque Virginis, et beati Petri Apostolorum principis. Deinde cœperunt ad eum confluere viri et feminæ, ut potarentur de ejus immarcescibili fonte. Beatus autem Vir instruebat eos regulariter degens, et adunavit præclaram congregationem utriusque sexus; semota B autem fuit habitatio virorum a sexu fragili. *Mabillonius in observationibus præviis ad Vitam* S. Vulmari *num.* 3 *de his monasteriis ita scribit :* Inde in natale solum se reddidit, ubi tria monasteria, virorum unum, duo virginum ædificasse dicitur; quamquam in utraque ipsius Vita duorum tantum mentio facta videtur. Vileriam in Silviaco, vulgo *Wiere aux bois*, appellant locum, ubi conditus parthenon, modo excisus, uno lapide ab oppido S. Vulmari, quod Saulmerium seu Samerium, vernacule *Samer*, vocant. Hic Vulmarus condidit virorum cœnobium, et (si recentioribus credimus) aliud puellarum. Superest etiam nunc monasterium virorum, congregationi S. Mauri nuper unitum, quod oppido nomen et augmentum peperit.

unum virorum

6 *Malbrancus noster jam sæpe citatus lib.* 4, *cap.* 27 *de virorum monasterio aliisque circumstantiis ita facunde disserit :* Cum vitam in Silviaco suo degeret inedia, frigore et nuditate horridam, innumeros advenas ad se non modo visendum, sed ad sui sequelam simul pellexit, magis homines acerbitatibus suis, quam mundus voluptatum C suarum illecebris inescando : siquidem e Gallia ac Morinis præsertim ad ramosam illam solitudinem avide confluentes, cœlestis doctrinæ quasi ambrosia pastos, et divini amoris nectare pene ebrios detinebat : ita ut ipsi postmodum mutuis igniculis additum fomitem excitantes, idem vitæ institutum arripere stimularentur. Itaque multitudine non exigua disciplinæ asperioris spem faciente, cœpit domicilia monachorum usibus accommoda moliri. Etiam accessit basilica in honorem augustissimæ Virginis, Principisque Apostolorum non parum augusta; quo in opere docuit suam non minus in magnificis Deo structuris, quam sibi in vili casa et tuguriolo parandis industriam versari. Stetit hæc moles in prædio, quod jure alioquin hereditario ad ipsum devolvebatur, eo loco, ubi jam Saulmerium seu S. Vulmari oppidum : ita ut patria domus Saulmerium inter et Bononiam interjaceret. Istius paterni castelli nonnulla adhuc visuntur vestigia; brevis autem eremus in grande monasterium, deinde in concinnum oppidum excrevit, quod etiamnum geminum templum gerit. *Malbrancus hic et alibi* D *sæpius indicat,* S. Vulmarum *fuisse comitis Bononiensis filium. Ego de hac re nihil certum apud antiquos inveni : nam scriptor Vitæ tantum asserit, eum* ex Christianis et inclitis parentibus *natum esse. Si mater ipsius fuisset comitissa Bononiensis, non opinor, Sanctum fratri suo ita dicturum fuisse :* Tu vero et ipsa (*nempe mater mea)* quantum vires suppetunt, mihi aliquam consolationem alimoniæ impendite. *Certe comiti Bononiensi vires suppetebant ad alendum pauperem eremitam.*

et alterum feminarum.

7 *Idem Malbrancus lib.* 4, *cap.* 28 *de monialium cœnobio hæc habet :* Vix uno a Saulmeriensibus Bononicam viam versus lapide occurrit Wileria in Silviaco, sic dicta ad alterius ejusdem nomenclaturæ discrimen; nunc vulgo Wiere est nomen. Illic modo ruralis solum ædes residua est, et amplius nihil ; verum insignis olim monasterii breve monumentum. Uti enim Vulmarus viris, qui divino ejus alloquio eloquiove rapiebantur, in monte inter frondosa et opaca virilem, sic feminis non minori zelo præditis in declivi femineum cœtum dedit : cellas, triclinium, peristylia, partheniam ædem instar superioris ex- E ædificavit. *Deia lib.* 6, *cap.* 38 *cladem a Nortmannis utrique monasterio illatam ita exponit :* Porro in Saulmerium ipsum involarunt, civitatem in monte sitam radicitus exstirpantes, incenso penitus monasterio..... Ab Saulmerio monte descendere in vallem Wierensem lapide dissitam, ubi femineum D. Herembertħæ, quæ S. Vulmari neptis erat, cœnobium [invaserunt]. Diffugerant sanctimoniales ac præcipuam asportarant supellectilem : quod male habuit Nortmannos, utpote mulierosos homines, qui jam toties frustrati, cupidinibus suis nequiverant ancillari. Nihil hic residui voluere, quin flammis omnino deperiret. *Denique Malbrancus lib.* 7, *cap.* 32 *refert, quomodo Saulmeriense monachorum cœnobium e favillis Nortmannicis assurrexerit, et Wierense monialium monasterium in cinere suo sepultum remanserit. Hæc de cultu Sancti et sacris ejusdem ædificiis dicta sufficiant. Nunc aliqua ad ipsum propius spectantia examinemus.*

§ II. Sancti chronotaxis, sepultura, reliquiæ, Acta et miracula. F

Chronologica vitæ Vulmarianæ series

Malbrancus noster in chronologia, tomo I *de Morinis præfixa, præcipuas Vulmarianæ vitæ partes certis fere annis alligat. An ex solidis monumentis, an ex conjecturis hanc chronologicam annorum notitiam hauserit, ignoro. Juverit saltem illius chronotaxin hic proponere.* Anno DCXXXXII, *inquit,* Vulmarus rescissis nuptiis fugit, et ad Altimontense monasterium moratur.... Anno DCLVIII pariter S. Vulmarus in Eekensi memore sedem figit eremiticam...... Anno DCLXXVII, *ait,* S. Vulmarus circa hæc tempora ex Eekensi monasterio discedens agit eremitam in Silviaco suo.., Anno DCLXXXVIII Ceadvalla rex Occidentalium Saxonum in Anglia instruitur in Silviaco a S. Vulmaro abbate... Anno DCXCVII decedit in Silviaco S. Vulmarus XX Julii. *Unus ex his annis satis videtur certus, nempe dum dicitur rex Ceadvala*

AUCTORE G. C.

A *vala Sanctum nostrum anno* 688 *invisisse : nam venerabilis Beda in Historia eccles. gentis Anglorum lib.* 5, *cap.* 7 *testatur, illum regem Romæ paulo post perceptum baptismum anno* 689 *obiisse. Consonant omnia Mss.* S. Vulmari *Acta, præter Ms. nostrum, in quo haud dubie per amanuensis oscitantiam octo anni omissi sunt. Ceterum sicut reliquos annos a Malbranco signatos erroris convincere non possumus, ita antiquis testimoniis destituti, eosdem probare non audemus. At saltem annum conversionis et mortis dubium esse, patebit ex sequentibus.*

in omnibus non est certa.

9 *Imprimis Malbrancus confidenter asserit,* S. Vulmarum *anno* 642 *ad Altimontense monasterium fugisse. Interim non desunt graves auctores, qui istius monasterii erectionem ultra annum* 642 *differunt, ut videre est in Commentario prævio ad Vitam S. Vincentii Madelgarii die* XIV *Julii illustratam* § I, *num.* 8. *Neque certius est mortis tempus, quam Malbrancus anno* 697 *collocat : Mabillonius enim vitam illius plus quam ad decem annos extendit, in notis ad Acta* S. Vulmari *sic de obitu ejus disserens :* Et quidem circiter annum DCCX
B *obiit;* siquidem anno DCLXXXVIII monasterii Silviacensis fundamenta posuit ex num. 10. Certe annis minimum viginti apud Silviacum morari eum oportuit, ut duo triave monasteria numeroso discipulorum cœtu impleret. *Fateor, hanc Mabillonii rationem non omnino urgere, ut vita* S. Vulmari *tamdiu protrahatur : potuit enim spatio decem annorum (etiam viginti annos Silviacensi ejus commorationi assignat Malbrancus) duo monasteria ædificare. Attamen ex hoc annorum discrimine saltem colligitur, chronotaxin Malbranci non usque adeo certam esse.*

Reliquiæ Sancti prius in cœnobio a se constructo sepultæ,

10 *Altera inter Malbrancum et Mabillonium controversia est de primo sepulturæ loco : Malbrancus quippe lib.* 4, *cap.* 45 *existimat,* S. Vulmarum *primo sepultum esse* in sacrario, quod etiamnum S. Vulmari dicitur, ad forum Bononiæ altioris, *at postea monasterio suo redditum, compluribus inclaruisse miraculis. Contra Mabillonius contendit, ejus corpus, primo in monasterio Silviacensi conditum, postea Bononiam fuisse translatum. Mabillonii opinio videtur præferenda, quia Acta ab antiquo auctore scripta sic habent num.* 20 : Tunc huma-
C tum est corpus beati Vulmari cum reverentia magna in propria hereditate. *Antea autem eadem Acta num.* 10 *dixerant :* Ipsa vero sylva ejus hereditas fuerat. *Unde videtur legitime sequi, eum in cœnobio, quod in illa silva construxerat, sepultum esse. Deinde Mabillonius in Appendice ad Vitam* S. Vulmari *probat, ejus reliquias e monasterio Silviacensi Bononiam translatas fuisse, ut testatur historia translationis SS. Wandregisili et Ansberti, de qua nos, Deo favente, ad diem* XXII *Julii pluribus agemus. In ea monachus Blandiniensis apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sec.* V *pag.* 205 *narrat sequentia :* Ecce enim in nostrates gravis suspicio oritur, gravior seditio suscitatur, dicentes corpus egregii confessoris Vulmari atque abbatis a nobis esse sublatum ; cujus rei materiam excitabant duo clerici, quorum alter dicebatur Notgerus, alter Helgerus: unus eorum sancti Vulmari præpositus, alterque æditiuus..... Videns autem abbas, eos sibi nullo modo acquiescere, neque cœptam pertinaciam deponere, id pro omine imminentis sibi lætitiæ præsagus accepit. Unde et cunctis coram adstantibus dixit : Vere scio, beate Wandregisile, hic tuam vigilare virtutem pro consociandis tibi collegæ tui Vulmari sacris artubus, famulis tuis laborem istum impendere ; quod et factum est. Aperto ergo sacrosancto loculo corporis sancti Vulmari, bina membrorum pii Confessoris occulto Dei beneficio promeruit, et unum episcopali benedictione, gratias agens Deo, suscepit.

postmodum ab hæreticis dissipatæ sunt.

11 *Reliquiæ* S. Vulmari, *quas abbas Blandiniensis accepit, Gandavi a Calvinistis seculo* XVI *dissipatæ sunt. Neque furibundas hæreticorum manus evaserunt sacra ejusdem Sancti ossa apud Morinos diu conservata, de quibus Malbrancus lib.* 6, *cap.* 38 *occasione Nortmannicæ vastationis ita scribit :* Quod ad D. Vulmari corpus, pretiosissimam totius Bononesi gazam, attinet, superioris seculi hæretici et iconoclastæ videntur majori Normannis barbarie fuisse concitati : cum enim ascetæ excogitata quam optima potuerunt latebra, paucis admodum consciis, intra crassioris muri cæmenta. sacra Divi lipsana abdidissent, nullo extrinsecus apparente vestigio, perfidi lu- E culentam in propatulo mercedem proposuere illi, qui latebras recelaret. Vicit fabri murarii famulum auri sacra cupido, ita ut mille sannis fuerint in Divum debacchati, eaque peregerint, quibus nihil simile legimus a Danis actitatum. *Nescio, an omnia Sancti ossa in hac iconoclastarum irruptione perierint, an vero aliqua, fortasse antea aliis ecclesiis aut monasteriis communicata, rabiem hæreticorum effugerint. Id curiosis sancti Abbatis sodalibus aut popularibus indagandum relinquimus. Nos interea de manuscriptis et editis illius Actis hic pauca præmonebimus.*

Examinantur varia Mss. S. Vulmari Acta

12 *Mabillonius in Observationibus præviis ad Vitam* S. Vulmari *num.* I, *ait, sese vidisse duo Mss. Actorum exemplaria, quorum unum ab interpolatore quodam tot parachronismis et erroribus erat infectum, ut illud consulto rejecerit. Alterum vero in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sec.* III, *part.* I, *pag.* 234 *ex Ms. Bibliothecæ Gerardimontensis edidit. Habemus nos præterea quatuor alia eorumdem Actorum Mss., inter quæ est quoddam Vitæ Vulmarianæ fragmentum, ex Ms. Audomarensi desumptum, quod gesta Sancti alia plane* F *phrasi verbosius narrare incipit. Alterum est Ms. Ultrajectinum S. Salvatoris, quod ex prolixioribus Actis est contractum. Tertium exstat in codice nostro Valcellensi, qui sinceram et integram, excepto prologo, refert* S. Vulmari *Vitam una cum miraculis, quæ Mabillonius in suo Ms. Gerardimontensi non invenisse, sed tantum apud interpolatorem legisse videtur. Quartum denique descriptum est ex codice Aquicinctino a fol.* 37, *in quo sine parachronismis, a Mabillonio indicatis, narrantur* S. Vulmari *gesta et miracula, quæ cum codice Valcellensi ferme ad verbum conveniunt. In eodem codice præfigitur Actis prologus, qui in Aliis Mss. deest, et ex quo colligitur, scriptorem Vitæ non fuisse synchronum, sed ea tantum narrare, quæ* venerabilium hominum narratione comperta *habuit. Mabillonius censet, anonymum Vitæ scriptorem esse antiquum. Idem ego suspicor, etsi determinatam illius ætatem detegere non possim. Ex codice Aquicinctino cum aliis Mss. collato dabimus Sancti nostri Vitam et miracula, a Mabillonio omissa, quæ in editione nostra capite tertio comprehendentur.*

AUCTORE G. C.

et miracula; inter quæ Malbrancus annuum prodigium collocat,

13 *At cum miraculorum mentio inciderit, non possum, quin de illis etiam pauca præmoneam. Videtur ea collegisse idem auctor, qui Sancti Acta conscripsit, ut ex textus continuatione non improbabiliter eruitur. Ceterum num.* 21 *profitetur, se narrare ea miracula, quorum* multi adhuc testes supersunt, quibus hæc contigit vidisse. *Imo num.* 26 *dicit :* Hoc quoque, quod subjungo, ego ipse et alii quamplurimi oculis nostris vidimus. *At hic scriptor antiquus non meminit de annuo prodigio (forte tantummodo post ipsius obitum cœpit) quod Malbrancus noster ab immemorabili tempore usque de seculum* XV *contigisse affirmat, et de quo lib.* 4 *cap.* 45 *ita præfatur :* Non tacendum, quod ab omni retro memoria ad XV seculum pertigisse videtur : præterquam quod Saulmeriensibus et Diverniensibus pro comperto sit, narratum mihi a nepote cujusdam Petri Eulart, qui XCVI numerabat annos, etjam a XXXX e vita migravit, in iis partibus figens domicilium. Magno animi sensu suis nepotibus (quorum alter in nostra Societate superstes) recensebat hocce miraculum, majorum suorum ætate patrari solitum.

B

quod hic narratur.

14 *Deinde Malbrancus rem stupendam narrat his verbis :* Quotannis inventæ cruci sacro die, celebriore circum ritu et supplicatione compita obire in more positum fuit Saulmeriensibus. Pia hujusmodi institutione ingens in Vulmaro crucis studium recolebatur. Et illud quam Deo gratum, non homines solum, sed feræ ipsæ comprobarunt. Siquidem paulo ante supplicationis e templo ineundæ principium, in procinctu stabant pro valvis cervi duo, qui concito cursu e profundis Sylviaci recessibus advolarant : sed summa cum modestia præibant pompæ. Et sicubi facienda mora, pariter hærere cervi. Fiebat e vicinis et remotis partibus maximam ad spectaculi insolentiam concursatio. Peracto solemni ritu, vidisses se iterum valvis reddere feras, prono in sacrum limen capite; dein sylvas suas ocyssime repetere alteram : altera remanens communibus expensis alebatur aliquamdiu, et cedebat in pastum indigenis. Anno insequenti qui ad sua transfugerat cervus, alium sibi comitem reducere solitus, officiosam suam supplicationi operam eadem prorsus ratione impendere, restare

C

etiam ad basilicæ fores, socio se in nemora ad annum recipiente. Atque in multa secula perenne stetit cervorum obsequium : scilicet quamdiu tacitam fidem servarunt incolæ. Quondam enim (uti se suis cancellis continere nequit humana curiositas, novis forsan per bella accedentibus incolis et portentoso superiorum annorum experimento necdum plane instructis) utrumque cervum penes se retinere voluerunt, et deinceps ne unus quidem comparuit. Unde quæ in hodiernum diem circumfertur nomenclatura, ingratum illius curiositatis indicium, ad illos advenas est referenda : quia indigenis inveteratam adeo divinæ benignitatis consuetudinem devenerantibus mens tam improvida numquam incidisset, civicis præfectis illi rei haud dubie advigilantibus. *Hujus miraculi veritatem penes virum fide dignissimum relinquimus, et* S. Vulmari *gesta ac miracula ex Ms. nostro typis vulgamus.*

D

VITA

Auctore Anonymo.

Ex Ms. codice cœnobii Aquicinctini, cum aliis Mss. collato.

PROLOGUS.

Auctor narraturus, quæ de S. Vulmaro audivit, stylum excusat.

Scripturus Vitam beati Vulmari, habitatorem ejus invoco Spiritum sanctum, ut, qui ei talem conversatiouem largiri dignatus est, tantum etiam sermonem tribuat narraudi; quatenus et vestræ charitati debitum servitutis impendam, et ne is lateat, qui omnimodis imitandus est. In primis volo vos scire, quia non omnia illius gesta stilo comprehendi possunt. Ea igitur, quæ tantum de illo sunt venerabilium hominum narratione comperta, non ambigo calamo conscribere sacræ auctoritatis exemplo; quia Marcus et Lucas Evangelium, quod descripserunt, non visu, sed auditu didicerunt. Obsecro autem eos, qui hunc libellum lecturi sunt, ut animus eorum non abhorrescat, quia rustico et inornato sermone hæc comprehensa sunt, sed potius animo advertant, quia non in eloquentia, sed in fide constat regnum Dei, et meminerint, quia salus mundi non ab oratoribus, neque a philosophis; sed a piscatoribus est prædicata : cum, si utile fuisset, id quoque Dominus præstare potuisset. Sed jam nunc articulum reflectamus ad ea, quæ proposuimus. E

CAPUT I.

Sancti patria, parentes, conversionis occasio, vita monastica in cœnobio Altimontensi, et vita eremitica in Flandria. F

S. Vulmarus sponsam desereus *a* *b*

Vulmarus inferioribus Galliæ partibus haud longe a littore maris, in pago Bononiensi *a* in villa nuncupata Silviaco *b* et Christianis atque inclytis parentibus est editus. Pater ejus Vulbertus nomine, genitrix vero Duda; frater vero ejus Vualmarus * nuncupatur. Præfatus ergo vir sanctus Vulmarus tempore juventutis suæ conjugem duxit nomine Osterhildam *, quæ erat desponsata ab alio viro nomine Vuilmaro. Sed ipse Vuilmarus accusavit prædictum Dei famulum propter memoratam feminam ad principem Francorum; et per ejusdem jussionem principis adeptus est Vuilmarus sponsam suam superius memoratam.

* *alias* Wamarus

* *alias* Historaldam *et* Holcoroldam

petit monasterium Altimontense, *c*

3 Sanctus vero Vulmarus postquam reliquit conjugem, petiit monasterium recto tramite, quod est situm in pago Hainonense *c* Altus mons nomine, ibique a patre ejusdem monasterii libentissime

A tissime susceptus est. Tunc primitus rector ejusdem cœnobii injunxit ei causa obedientiæ boum fratrum curam gerere, ac ligna ad eorum officinam ministrare. Ille vero, ut erat prompti animi, injunctam sibi obedientiam exercebat. Sed postea, ut erat vir fultus adminiculo Spiritus sancti, instigante eodem Spiritu ad scholam perrexit, alphabetum postulavit sibi scribi, nam antea illiteratus erat.

In quo boum curam gerit. 4 Quadam vero die consueto more pergebat beatus Vulmarus ad silvam cum vehiculo, et deferens secum manu tabulam ac legens pergebat ante boves, sicut mos est bubulcis. Intento vero eo lectioni ac diligenter scrutante, substitit paulisper vehiculum. Nec mora post tergum aspiciens vidit illud retro stare, regressusque assumpsit illud, ac peregit incœptum opus. Postquam vero talis ejus intentio nota facta est abbati monasterii, præcepit ei, ut ad scholam pergeret, et diligenti cura litteras disceret; memoratam vero obedientiam alii commisit viro. Tunc demum clericus effectus est, et cœpit omnibus esse obe-
B diens a minimo usque ad maximum.

et ultra aliud humilitatis officium obit 5 Non arbitror prætereundum esse hoc, quod solitus erat facere vir Dei Vulmarus; nocturno scilicet tempore omnibus pausantibus silenter
d accipere calciarios *d* fratrum ac lavare, et ad nota loca iterum purgatos ferre. Cumque indesinenter id opus exerceretur, admirati sunt omnes, et vehementer stupefacti, et quis hoc ageret illos latebat. Consilioque inito, suo indicaverunt abbati. Abbas vero scrupulosius rimans, ac diligentius id probare cupiens, quis talem obedientiam fratribus exhibuisset, dimisit quadam nocte ipse suos calciarios cœnosos. Præfatus vero Dei famulus Vulmarus more solito venit ad stratum abbatis, volens deferre calciarios ejus ad abluendum. Tunc pater monasterii extensa manu eum arripuit ac tenuit, interrogans bis ac ter, quis esset. Ille vero siluit; sed postquam nequivit oppilare talem obedientiam, compulsus nimium patefecit humiliter dicens : Ego sum Vulmarus, filiolus tuus. Inquit abbas ad eum : Fac quod vis. Ille vero assumptis calciariis, peregit consuetum opus, quod desiderabat ; sed tamen abbas nulli
C revelavit hoc.

atque ob virtutem ad sacerdotium promovetur. 6 Deinde perstitit Dei miles in agone viriliter pugnans contra vitia, serviens Deo in humilitate et mansuetudine. Ubi non mediocriter degens præbebat ceteris exemplum, ac testimonium boni operis imitandi ; et ad hoc usque Deo suffragante protelavit, ut ad onus sacerdotale a fratribus dignus judicaretur, sicuti et adeptus est. Dehinc cœperunt eum summa cum reverentia venerari, et multas ei debitas laudes impendere. Sed Vir Dei non adquiescens adulationibus hominum, timens hic retributionem accipere, et in futuro privari, sicut de quibusdam Dominus in Euangelio dicit : Receperunt mercedem suam ; eremum more antiquorum patrum petit nihil hæsitans, nec ferens secum amplius nisi ministe-
e rium sacerdotale, [et bipennem *e*.]

Inde tendit ad eremum, 7 Post vero egressus est beatus Vulmarus de cœnobio, in quo diu habitavit, perrexitque directo tramite partibus Aquilonis in pago nuncupante Minpisco * *f*, ubi erat immanis silva; in quam ingressus, cavam arborem offendit. Introgressus autem habitavit in ea tribus diebus totidemque noctibus, neminem videns, nec cibum omnino sumens. Tunc pius ac misericors Dominus, qui est inspector omnium, respexit ejus devotissimum jejunium et afflictionem sui corporis; misitque sanctum angelum per visionem, ad quemdam virum fidelem, increpans eum ac dicens : Tu quidem delicias tibi præparas, et servus meus illa in eremo fame periclitatur. Qui expergefactus diluculo suæ intimavit uxori per ordinem, qualiter ei fuerat per angelum visio hujuscemodi intimata. Attamen testabatur, se ignorare locum, ubi Dei famulus morabatur.

* *alias* Mempisco

f

EX MSS.

8 Tunc inquit ejus conjunx : Vade sine ulla dubitatione, et fac prout tibi ostensum est. Ego vero præparabo tibi panem et alia necessaria; si autem a Deo est ille, comitabitur tecum usque ad destinatum locum. Tunc ille accepit sumptus *, ascendens equum. Dixit autem ad eum uxor ejus : Sine equum ire in quamcumque partem voluerit, Dominus te perducet ad locum, ubi ejus famulus conservatur. Qui ita faciens, Deo annuente pervenit ad arborem illam, ubi Domini Jesu Christi Servus orationi vacabat. Cum autem procul aspexisset Virum Dei, inquit ad eum : Dic mihi, si tu es servus Jesu Christi? Quia Dominus misit me ad te. Qui respondens dixit : Licet indignus, tamen servus ejus sum, eique, in quantum prævaleo, militare desidero. Ipse vero post hæc imperterritus accessit ad eum, simulque refectionem cum gratiarum actione perceperunt. *ubi a viro divite invenitur,* E

* *id est* annonam

9 Post refectionem autem, inquit ad Dei famulum : Si Domini Jesu Christi servus es, et ei militare desideras, veni una mecum, et ego tribuam tibi portionem hereditatis meæ, ubi cellam construere queas, et tunc liberius poteris plurimos lucrari. Sed ista facere Dei servus primitus renuit. Ille tamen in prece perstitit supplicando, ut ita faceret. Qua deprecatione compulsus Christi miles assentiens ait : Vade modo, et cras revertere, et ego tuam petitionem adimplebo. Sequente autem die reversus est, secundum jussionem Viri Dei. Beatus vero Vulmarus, prout pollicitus fuerat, cum eo perrexit. Ille vero vir fidelis, prout spopondit, omnia implevit, congruum ei dedit locum, ubi Dei ecclesiam construxit, et plurimos in eodem loco convertens ad F
Dei cultum, instruxit per multa bona exempla. Deinde commisit ei memoratus vir filium suum, ut eum litteris imbueret, et in Dei omnipotentis servitio educaret. Post hæc tradidit ei suam hereditatem, necnon et ejus germani, et alii quamplurimi illustres viri. *et accipit locum ad ædificandam ecclesiam.*

ANNOTATA.

a *Id est in comitatu Bononiensi, nunc vulgo* le Boulenois, *qui est tractus Galliæ in Picardia, extenditurque a Septemtrione in Meridiem ad tredecim leucas. De eo plura videri possunt apud geographos passim obvios.*

b *Locum, qui olim Sylviacus dictus est, assignavimus in Commentario prævio num.* 1.

c *Hoc est in Hannonia, in qua est monasterium dictum Mons altus, vulgo* Haut-mont, *de cujus fundatione pluribus actum est in Vita S. Vincentii Madelgarii* XIV *Julii.*

d Cal-

EX MSS.

d Calciarius *interdum significat sutorem; sed hic vox illa significat ipsum calceum, uti etiam in statutis Corbeiensis monasterii lib.* 1 *cap.* 3, *et alibi, ut notat Cangius.*

e *Hoc in Ms. nostro omissum erat. Ego uncis inclusum addidi, quia in aliis Ms. legitur.*

f *Per pagum* Minpiscum, *Mempiscum, vel Menapiscum significatur Flandria, vel magna illius pars, ut notavi in Commentario prævio num.* 4.

g *Agit de ea Malbrancus lib.* 4 *de Morinis cap.* 46. *Mabillonius in notis ad Vitam* S. Vulmari *dicit, eam coli* XVII *Kalendas Novembris, quo die de ipsa agi poterit, si interea ejus Acta et manifesta cultus signa suppeditentur.*

CAPUT II.

Vita solitaria in patria, duplicis monanasterii erectio, virtutes, pia mors et prodigiosæ exsequiæ.

B

Humanas laudes fugiens venit in silvam patriæ proximam,

Præterea cœpit Athleta Christi, in Dei omnipotentis servitio undique militare; et Dominus per eum multas facere virtutes. Sed cum longe lateque ejus fama percrebuisset, cœperunt ex vicinis locis multi ad eum confluere, ac eum summa reverentia venerari. Sed ille non facile accommodans animum humanis laudibus vel rumusculis, iterum assumpta memorata sarcina, latenter inde progressus in partibus occidentalibus in pagum Bononiensem, ubi natus fuerat, Domino Jesu Christo opitulante, pervenit, ingressus in quadam silva, non longe de illa villa, in qua natus fuerat, plane non plus uno milliario. Ipsa vero silva ejus hereditas fuerat, ubi construxit sibi tugurium, in quo militans die noctuque servivit Deo in vigiliis, jejuniis, in frigore, et nuditate, atque in orationibus, et in multa patientia.

ubi a fratre suo repertus ad matrem redire renuit,

11 Eodem quoque tempore ambulabat ejusdem Viri Dei germanus nomine Vualmarus, per memoratam silvam, reperitque Anachoretam

C

Christi ante tugurium suum stantem, ac manibus laborantem. Nesciens tamen quod ejus germanus esset, interrogavit eum dicens : Quis es tu, aut unde venis, vel quid agis? Eremita vero Christi non patiens illum diu in tali hæsitatione commorari, germanum ejus se professus est esse. Ille vero hilaris et alacer, inquit ad eum : Si tu es Vulmarus frater meus, descendamus una ad domum matris visitare ac consolari eam; quia longo tempore mœsta est de tua absentia. Quam petitionem S. Vulmarus sprevit dicens : Non ibo. Tu vero et ipsa, quantum vires suppetunt, mihi aliquam consolationem alimoniæ impendite; ego autem quantum prævaleo in conspectu Dei omnipotentis memor ero vestrum. Posthæc recessit præfatus vir ad domum nuntians hoc genitrici suæ; et congratulati sunt multum ad invicem.

sed tantummodo cibum sibi necessarium petit.

12 Quadam vero die prædictus Vualmarus pergens ad fratrem suum, deferens secum cibaria, nequivit eum reperire; cœpitque magnas emittere voces, et acclamare beatum Vulmarum. Ille autem hoc audiens, factus est ei obviam, prohibuitque eum amplius talem emittere clamorem. Tunc suspendit in una arbore tabellam, et malleolum et jussit, quandocumque veniret annonam deferens, tabellam percuteret et non hujusmodi clamorem emitteret. Quod in ejus cœnobio usque in hodiernum diem *a* permanet. D

a

Dum in eremo templum et duo monasteria condit,

13 Illo quoque tempore in eadem eremo construxit ecclesiam sanctus Vulmarus in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ semperque Virginis et beati Petri Apostolorum principis. Deinde cœperunt ad eum confluere viri et feminæ, ut potarentur de ejus immarcessibili fonte. Beatus autem Vir instruebat eos regulariter degens : et adunavit præclaram congregationem utriusque sexus. Semota autem fuit habitatio virorum a sexu fragili, alebatque illam quotidie cibo spirituali, unaque temporali sub regulari habitu regens. Tunc Vir Dei Irembertanam *, neptem suam abbatissam constituit, ut vigilantissimam curam gereret de illis sanctimonialibus, et diligenter custodiret a lupo invisibili et eas corroboraret in fide nec non et in castitate, seu etiam in bono opere. Ipse vero pastor erat monachorum non mercenarius, sicut Dominus de semetipso dicit in Euangelio : Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; mercenarius autem videt lupum venientem, dimittit oves et fugit.

* *alias* Bertanam *et* Herembertam

E

invisitur a rege Anglo-Soxonum,

14 Sub eodem vero tempore, quando idem vir Dei Vulmarus suam construxit basilicam anno Incarnationis Domini sexcentesimo octogesimo, [octavo *b*] Cheadvuala * rex occidentalium Saxonum, Romam de Britaunia pergens, cum ad præfati regis notitiam Viri Dei bona opera ac religio sanctitatis ejus, fama multorum volutante pervenisset, curavit ipse festinus ad eum venire, ac triginta solidos *c* ad ornandam ipsam basilicam contulit, inquiens ad Dei famulum : Audivi, quod sis prudentissimus vir, ideo supplico te, ut intercedas pro me ad Dominum, quia ego ignarus sum orandi Deum : videlicet, hæc dicens ideo, quia nondum fuerat regeneratus in Christo, tamen in Deum credebat. Deinde benedictione accepta a viro Dei Vulmaro, Domino Jesu Christo deducente, Romam pervenit, ibique sacro fonte baptizatus, repletusque bonis operibus feliciter de hoc seculo migravit ad Christum, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

b

* *alias* Keadwala *et* Ceadwala

c

F

Sæpe consolatur et instruit moniales.

15 Erat vero consuetudo beati Vulmari frequenter visitare et cousolari illas sanctimoniales. Si quando vero contigisset, illis deficere alimenta, susurrabant erga Dei Famulum. Sanctus vero Vulmarus indesinenter reficiebat eas per mellifluam prædicationem, et per exempla antiquorum patrum, et consolabatur eas inquiens : Abundanter ministrabit vobis Dominus alimentum, sicut per Euangelium pollicetur dicens : Primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Sed sicut Vir Dei prædixerat, ita sæpius contigit evenisse : nam aliquando antequam exhortationem finiret, tabella percutiebatur annuntians [eulogias *d*] advenisse. Illæ hoc aspicientes promptiori animo crediderunt, quidquid illis de cœlestibus prædicabat.

d

Mansuetudo ejus erga furem.

16 Quodam die venit quidam fur, accepitque ejus equum et caballicabat * eum, per totam noctem errans, et lustrans devia; et non poterat ad locum destinatum pervenire. Mane autem

* *alias* equitavit

facto

A facto, stetit ante portam memorati Viri. Contigit ergo, ut duo ex discipulis ejus egrederentur ad laborandum, inveneruntque illum sedentem supra equum. Et apprehensum, deduxerunt ad Dei Virum, retuleruntque ei, reum esse illum de ejus equo, cupientes eum custodiæ mancipare. Sed hoc abnuit Dei miles. Professus est enim, eum se salvum facere, usque ad certum judicium. Illis vero abeuntibus, cœpit latroni prædicare verbum Dei, ac monere, ne ulterius tale scelus perpetraret. Tunc demum dimisit eum liberum abire.

aliæque virtutes

17 Sæpius memoratus Dei famulus Vulmarus illam arctam viam ducebat, per quam pauci ingrediuntur ; sicut Dominus dicit in Euangelio : Augusta via est, quæ ducit ad regnum : et pauci sunt, qui vadunt per eam. Vilis namque erat in habitu, ac vilior in victu, promptus in oratione, assiduusque in lectione, frequens in opere, et laus Dei prorsus non recedebat de ore ejus, juxta quod Psalmographus ait : Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Et Paulus ait : Sive manducatis sive bibitis, sive B quodcumque aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et iterum : Semper gaudete ; sine intermissione orate ; in omnibus gratias agite : hæc est enim voluntas Dei, in Christo Jesu Domino nostro.

et misericordia erga pauperes.

18 Tunc longe lateque divulgata est ejus fama ; et concurrebant quamplurimi ex propinquis regionibus ad eum, et ipse fovebat eos esca potuque spirituali corroborans illos in Dei servitio. Ipsi vero multas ei afferebant eulogias : sed Vir Dei, ut erat largus dispensator, quemadmodum ait Apostolus : Hilarem datorem diligit Deus ; omnia pauperibus propriis manibus erogabat. Sed ego fastidium vitando aliorum, sicut superius spopondi, pauca ejus gesta, stilo currente perstrinxi, plurimaque prætermisi. Sed in istis, quæ Deo suffragante, patefeci, liquet, qualiter iste miles pugnavit positus in acie, adversus omnia nequitiæ spiritualia, quantasque passiones perpessus est, in frigore et nuditate, aliasque quamplurimas necessitates, quas in eremo sustinuit.

Pie moritur, et sicut prædixerat,

19 Tandem ergo senex et plenus dierum, volente Domino ejus patientiam ac laborem remu- C nerare, cœpit suos in Christo corroborare discipulos, et suum denuntiare obitum. Sed postquam hoc ad notitiam Deo sacratarum virginum pervenit, petierunt ac humiliter supplicaverunt, ut liceret eis illum visitare. Sed vir Domini beatus Vulmarus, repletus Spiritu sancto, præscius imminere haud longe suum obitum, omnino testatus est, non se in perpetuum jam feminam visuram. Eadem vero nocte Dei omnipotentis famulus beatus Vulmarus Deo Patri omnipotenti innumerabiles gratias referens, migravit de hoc mundo, factusque est planctus magnus ac ululatus virorum ac mulierum in ejus cœnobio, quia recesserat ab illis tam egregius pastor, et tam præclarus doctor, tamque præcipuus magister. Etenim tam erat sancta de illius gloria exultatio, quam pia de morte confusio : quia et pium erat illum flere, et pium de illo gaudere.

corpus ejus monialibus invisibile redditur.

20 Deinde, sicut mos est illis in regionibus, imposuerunt illud sanctum corpusculum feretro, ut ad ecclesiam deferrent. Illæ vero sanctimoniales confluebant, undique cupientes vel mortuum cernere, quem vivum non meruerunt visitare. Cum autem esset lux micans per totum mundum, nebula tamen velabat ejus venerabile corpus, ut sicut ipse vivens prædixerat, femina eum videre non debuisset, sic adimpleretur. Candelabra autem, quæ ante ferebantur, et turbam, quæ subsequebatur, videre poterant ; loculum autem, in quo Sanctus vehebatur, cernere non valebant propter densitatem nebularum. Tunc humatum est corpus beati Vulmari cum reverentia magna in propria hereditate.

EX MSS.

ANNOTATA.

a *Hinc forte non temere aliquis conjiceret, auctorem Vitæ saltem ante Nortmannicam vastationem scripsisse : nam monasterio ab his barbaris funditus everso, tabella et malleolus verosimiliter non permansissent. At conjecturam ut conjecturam damus.*

b *Haud dubie hic numerus amanuensis negligentia omissus est : nam in Mss. Valcellensi, Gerardimontensi, aliisque is additur, et confirmatur ex morte regis Ceadvalæ, ut in Commentario prævio num. 8 diximus.* E

c *Opinor, fuisse solidos aureos, de quibus videri potest Cangius in Glossario. Malbrancus autem lib. 4 cap. 27 de hac pecunia ita judicat :* Magnas auri partes fuisse autumo : namque data munera principis magnificentiæ haud respondissent, si nummorum magnitudo exiguum numerum minime pensasset ; vel cum ea ætate pecuniarum minor esset copia, possit grandior illa summa reputari.

d Eulogiæ *præter panes benedictos significant etiam quælibet alia munera, ut fuse ostendit Cangius in Glossario.*

CAPUT III.

Miracula post S. Vulmari obitum patrata.

F

Inter alia S. Vulmari miracula paralyticus

Præterea nec hoc omnino prætereundum censeo *, quin vel aliqua miracula, quæ Dominus per merita sancti Vulmari post ejus obitum gessit, nunc perstringam, licet sint innumerabilia, quæ a nobis propter superfluitatem non sunt scripta *. Sed ista, quæ modo opitulante divina gratia vobis intimare cupio, multi adhuc testes supersunt, quibus hæc contigit vidisse. Tempore quoque Domini Karoli *a* venit quidam clericus a partibus Provinciæ regionis, nomine Andobaldus, qui erat paralyticus ab annis quatuordecim : superna enim gratia eum per visionem admonuit, ut ad sancti Vulmari limina deveniret, ibique sanitas illi pristina redderetur. Præfatus vero æger diluculo consurgens, et visionem intra semetipsum pertractans cœpit rimari viam, quæ duceret ad monasterium sancti Viri.

* alias supersedere audeo

* alias referenda

a

Ex MSS. ad ejus sepulcrum sanatur,

22 Tandem illo pervenit, die sabbati in vigilia sancti Michaëlis archangeli. Nocturno tempore surrexerunt fratres ejusdem cœnobii consueto more, ut laudes Deo peragerent. Memoratus vero paralyticus ad ecclesiam devenit, ibique resedit super unam petram. Sed cum a lectoribus nona lectio jam legeretur, venit ad eumdem ægrum odor suavissimus, qualem antea non sensit. Ipse autem diligentius considerans, æstimabat, ad se thuribulum deferri. Cumque hoc studiosius attenderet, visum est ei a thoro sancti Vulmari instar faculæ ardentis venisse ac in ejus intrasse auriculam. Tunc in faciem suam, corruit, clamans ac dicens : Sancte Vulmare, adjuva me ; sancte Vulmare, adjuva me. Cœpitque emanare sanguis per omnia foramina capitis : et invasit omnes validissimus timor, qui erant in ecclesia. Finitis vero matutinorum hymnis, deduxerunt præfatum ægrum, qui sanatus fuerat, ad balneum, eumque abluerunt. Et sicut ipse testatus est, se per visionem vidisse, ita restituta est ei sanitas. Deinde benedictione percepta, cum gra-
B tiarum actione remeavit ad propria.

et aliqui festum illius

23 Quodam itaque tempore cum festivitas beati Vulmari, quæ est tertio decimo Kal. Augusti, celebraretur, et multi tam de proximis quam de longinquis properassent regionibus, quidam clericus, Marfridus nomine, qui ædi beati Martini præerat, quæ a monasterio beati Vulmari uno milliario ad septemtrionem distabat, jussit eo die cunctos, qui eidem ecclesiæ subesse videbantur, convocari ad secandum fœnum juxta flumen, quod
b dicitur Elna *b*. Illi vero accersiti aiunt : Hodie nobis minime operari licet, quia festivitas sancti Vulmari a cunctis in agro hic degentibus cum ingenti colitur gaudio. Ille autem spiritu superbiæ inflatus, illorumque parvipendens dicta, nec considerans quanti ille meriti apud Deum omnipotentem esset, cujus festum colebatur, illico respondit dicens : Ejus qui volunt festa colant ; vos tamen debitum servitium implere debetis.

celebrare contemnentes

24 Sed omnipotens Deus ei terribiliter, quanti apud se intus esset meriti, cujus festa foras colebantur, ostendit : nam testis alveus tanta im-
C mensitate redundavit, ut aqua fœnum, quod illo die fuit sectum, operiret : simulque totum perdidit, ac usque ad littus maris projecit. Tunc præfatus clericus horrore nimio perculsus, seipsum reum recognovit, simulque profitebatur, omnibus diebus vitæ suæ ejus festa se celebraturum. Sicque factum est divina dispensatione, ut ille spiritum superbiæ deposuerit, qui per spiritum rectitudinis seipsum humiliare noluit.

puniuntur.

25 Alio itidem tempore cum festivitas sancti Viri coleretur, quidam rusticus ab amico suo, ut secum ad solennitatem tanti Viri ascenderet admonitus, ire contempsit, ac cum suo ad silvam perrexit vehiculo. Cumque jam ab ipsa die, qua ejus veneranda celebratur festivitas, prædictus rusticus solus isset ad silvam, validissimus eum invasit pavor, ac repente coruscatio fulgurum immensaque tempestas orta est, ita ut ea hora, sicut ipse retulit, vitalem statim reddere se æstimaret spiritum. Cumque anxietate nimia huc illucque discurrendo æstuaret, crebris cœpit vocibus Deum sibi fore propitium, sanctumque Vulmarum intercessorem clamare, simulque profes-
sus est, omnibus diebus vitæ suæ, si ei Dominus D
vitam per merita sancti Vulmari concessisset, ejus festa mente devota se veneraturum. Et cum diu tanta esset fatigatus anxietate, tamen incolumis demum evasit, sed integrum ad domum non reduxit vehiculum.

Intercessione S. Vulmari vir quidam

26 Hoc quoque quod subjungo, ego ipse, et alii quamplurimi oculis nostris vidimus. Quodam itaque tempore in natali sancti Martini, cum inter sacra Missarum solemnia sanctum legeretur Euangelium, divina largiente clementia, et meritis sancti Vulmari adjuvantibus, cuidam peregrino, qui erat ab infantia surdus et mutus, cuncto circumstante populo, solutum est vinculum linguæ, et aures ejus apertæ sunt, ita ut loqueretur et videret. Solebat enim dicere idem æger, quod vidisset quemdam virum, cum sanctum legeretur Euangelium, mira canitie vultu honorabili ad se accedentem, et in manu baculum gestantem, ac in ejus auriculam insufflantem, et linguam illius extrahentem. Ad quam visionem totus ille obriguit, et semetipsum protinus in terram prostravit
sanguisque per eos et nares ejus emanavit ; ac E
deinde horribilem emisit vocem : ita ut omnis plebs, quæ astabat, æstimaret, eum sine sensu esse.

linguæ et aurium usum recipit,

27 Sed postquam erga eum divinam senserunt clementiam, omnes una voce benedixerunt Deum, qui tale miraculum suum Vulmarum operari dignatus est. Nocte vero alia eidem viro in visione astitit, eique dixit : Gratias age Deo pro sanitate tua, et cœptum iter ad basilicam sancti Martini ne dimiseris, sed omnibus, ubicumque veneris, intimare stude, quanta tibi fecit ac misertus sit tui Deus. Et hoc scias, quia in basilica beatæ Gertrudis per merita illius manus et pedes tui erecti sunt ; hic vero in basilica sancti Vulmari, per illius merita aures tuæ apertæ sunt, et vinculum linguæ tuæ solutum est.

et puer gressum recuperat.

28 Neque hoc silere debeo, quod omnipotens Deus eodem statim tempore per merita præfati Viri operari dignatus est. Quidam namque puer gravissima infirmitate perculsus, ita ut anno pene integro nec ambulare nec se sursum erigere, nec
ad modicum vel in scamno residere valeret, sed F
ubicumque erat ei opportunitas eundi, in modum ranæ manibus se sustentans, cetera membra post se trahebat : opitulante divina clementia illi, ad basilicam præfati Viri devenit ; ibique in oratione prostratus, preces Deo omnipotenti pro sua infirmitate fudit et impetrare meruit. Nam cum vespertinalis ageretur laus, de terra, qua jacuit, coram omnibus surrexit, atque illico ante altare devenit, ibique erectus est, et statim Deo sanctoque Vulmaro pro sanitate sua innumeras referebat gratias ; ac deinde sanus effectus est, quasi numquam læsionem ullam habuisset in corpore. Præterea plurimi, qui diverso morborum genere teneri videbantur, sanitatem pristinam recipere meruerunt, largiente Domino nostro Jesu Christo ; qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per cuncta secula. Amen.

ANNOTATA.

A

EX MSS.

ANNOTATA.

a *Si scriptor hujus Karoli cognomen expressisset, præterpropter ejus ætatem colligeremus. Cum vero fuerit Carolus calvus, Carolus simplex, aliique hujus nominis, frustra divinabimus, quem hic. voluerit indicaret.*

b Elna *vulgo* la Liane *fluvius parvus Picardiæ, qui oritur in confinio Artesiæ, ac deinde per comitatum Bononiensem fluens, juxta Bononiam in mare Britannicum se exonerat.*

DE S. PAULO DIACONO

MARTYRE CORDUBENSI.

G. C.

Ex S. Eulogio.

ANNO DCCCLI.

Hic S. Martyr ab Usuardo et Martyrologio Romano relatus,

B

Inter plurimos gloriosos Christianæ fidei pugiles, quos seculo nono dira Arabum persecutio in Hispania sustulit, hac die palmam martyrii adeptus est* S. Paulus diaconus *cujus sacra ossa, clam a Christianis sublata, sepulta sunt in Armilatensi S. Zoili monasterio;* qui locus, *inquit S. Eulogius in Memoriali Sanctorum lib. 2 cap. 4,* pene a Corduba in parte Septemtrionis triginta et amplius milliaribus distans, vastissimam horret inter deserta montium solitudinem; ad cujus collis radices, quo idem situm est, flumen Armilata discurrens, magno pisciculorum solatio inediam refovet monachorum : ex quo etiam Armilatense cœnobium appellatur. *Usuardus in melioris notæ codicibus die* XX *Julii sic breviter ejus memoriam celebrat :* Civitate Corduba, sancti Pauli diaconi et martyris. *Martyrologium Romanum eodem die hunc sanctum Martyrem memorat his verbis :* Cordubæ sancti Pauli diaconi et martyris, qui cum infideles principes Mahumeticæ impietatis ac sævitiæ argueret, et Christum constantissime prædicaret, eorum justu necatus, ad præmia evolavit in cœlum.

a quibusdam adscribitur Ordini Benedictino,

C

2 *Hagiologi quidam Benedictini eumdem Martyrem in Menologiis suis referunt, ac Ordini suo adscribunt. Contra hos confidenter insurgit Joannes Tamayus in suo Martyrologio Hispano ad hunc diem, et quasi parta victoria gloriabundus exclamat,* prorsus Wionis et Menardi commentum respuendum *esse. Deprompserat nempe ex armamentario suo, in quo ipsemet omne genus telorum cudere noverat, aliquot carmina, eaque sub Cypriani archipresbyteri Cordubensis nomine contra Benedictinos intorserat, quæ in Ms. (modo lubeat credere) fit habentur :*

Paulus amor patriæ, Paulus contribulis una
Christi levita, et sacri minister amoris;
Qui fidei regulas servans cum robore Christum
Extollis; vatem obscœnum sed verbere vocis
Confundis sanctæ : quo factus martyr in auras
Conscendis celsas, et amici vincula solvis.
Esto tui memor in CLERO, cui unus adhærens
Viventi nostros auxisti corpore greges,
Ut Deus his pacem tribuat, post cœlica regna.

contra quos Tamayus fraudulento argumento utitur.

3 *Sed de his carminibus audiamus judicium Nicolai Antonii, eruditissimi Hispani, qui lib. 6 Bibliothecæ veteris Hispaniæ cap. 7 agens de scriptis Cypriani archipresbyteri Cordubensis, tom.* I, *pag.* 346 *solitas Tamayi fraudes sic detegit :* In martyrum Cordubensium celebrandis agonibus id fuit pseudo-Cypriani consilium, ut S. Eulogii verissimam narrationem, aliis ipse, sed falsis eventibus locupletare videretur. *Deinde loco proxime citato inter alias assertionis suæ probationes in hac ipsa materia, de qua jam agimus, hoc tertium affert exemplum num.* 153 : De sancto martyre Paulo Eulogius egerat. Quem quidem sui Ordinis monachum fuisse quidam Benedictini asseruere, reclamantibus aliis. Tamayus voluit Benedictinis occludere os carmine pseudo-Cypriani, ubi CLERICUS, non MONACHUS, Paulus ille asseritur. *Denique Antonius prædictum caput septimum sic concludit :* Sed planissime hæc Tamayi merx est, quam profitetur ipsa ejus facilitas barbare, quidquid in mentem venerit, in versus fundendi. Sed satis jam de Cypriano poeta Cordubensi, et Joannis Tamayi eidem suppositis carminibus. *Nos prudentioribus Benedictinis adhæremus, qui hunc Paulum Sanctis Ordinis sui non annumerant, cum Eulogius nullibi monasticam illius professionem expresserit. Fictia igitur Tamayi carmina tantummodo retulimus, ut ostenderemus, veritatem fraudulenta defensione non indigere.*

E

Ex S. Eulogio dantur ejus Acta,

4 *Nunc solum restat, ut sincera hujus Martyris Acta describamus ex S. Eulogio, auctore synchrono, qui in Memoriali Sanctorum lib. 2, cap. 6 de eo narrat sequentia :* Sanctus vero Paulus contribulis noster, et hic levita dignissimus, cum primo adolescentiæ flore venustaretur, e civibus Cordubensibus progenitus, simplex affatim, obediens, et humanus, semper carceratis opem miserationis impendens, apud basilicam, quæ corporis beati martyris Zoili præsentia illustratur, spiritalibus enutritus est disciplinis. Qui exemplo sanctissimi Sisenandi verboque instructus, principibus et consulibus adsistere non extimuit, eosque de vanitate culturæ suæ, et scelerosi vatis insania arguens, Christum quoque Deum veraciter confitendo, peremptus est. Fertur tamen, cum adhuc carcere detineretur, imploratus a Tiberino Pacensi presbytero, qui ei ita dicebat : Obtine solutionem coram Domino, beate minister, et digno interventu tuo, dum coronatus Christo perveneris, longævun a me carceris squalorem amove : erat enim idem sacerdos pene viginti annos ergastulo mancipatus, nescio ob quod crimen accusatus ab inimicis coram rege. Qui presbyter florentissima adhuc juventute præpollens, ac virili præditus venustate, illi subterraneo specui deputatus, pene decrepitus, et senio confectus inde eductus, publicis demum carceribus mancipatur.

F

AUCTORE G. C.

patur. In his martyres Christi usque in horam mortis degebant. In his parricidarum, homicidarum, latronum, et scortatorum improbi ausus et execranda temeritas, ac diversorum criminum rei sub arctissima macerabantur custodia. In his positus prædictus sacerdos, causam sui carceris beato Paulo commisit. Cui Martyr sanctus, de corona victoriæ confisus, satisfacere optioni * ejus promittens, non post multos dies martyrii sui fidelis splendor eum carcere absolutum, Deo fautore, propriæ urbi restituit.

* *an non optationi?*

et annus martyrii contra caco-criticum dæmonstratur.

5 Consummavit autem Dei servus martyrium suum in pace XIII Kal. Aug. feria II, era qua supra. Cujus cadaver inhumatum, et ante fores palatii derelictum, post nonnullos dies, quorumdam fidelium curiositate clam sublatum, cum beati Theodemiri Carmonensis monachi corpore, apud sanctuarium prædicti martyris Zoïli conditum est. Qui et ipse juvenis post sexta die, qua sanctus decidit Paulus, id est VIII Kal. Augusti D feria VII, era qua supra occubuit, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui Sanctos suos adjuvit, et coronavit in pace in secula seculorum. Amen. *Vides hic annum et diem, quo Sanctus martyrii laurea coronatus est, accuratissime notari: Eulogius enim diserte dicit, id factum esse* XIII Kal. Augusti feria II, era qua supra; *superius autem lib. 2, cap. 2 expressit Eram 889, quæ sine ulla controversia respondet anno Christi 851. Attamen nuperus quidam Legendista Gallus putavit in his verbis invenire, quod more suo arroderet, asseruitque, hic evidenter designari annum 850, quo littera dominicalis E currebat. At homo hypercriticus, carpendi prurigine abreptus, toto anno a vera chronologia aberravit, cum anno 851 dies XX Julii in feriam secundam inciderit, ut manifestum fiet cuilibet, qui litteram dominicalem D, eo anno currentem, considerare voluerit.*

B

E

DE S. ANSEGISO ABBATE

P. B.

IN MONASTERIO FONTANELLÆ APUD ROTOMAGOS.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti cultus, Acta, chronotaxis vitæ, locus sepulturæ, donationes, scripta.

ANNO DCCCXXXIII.

S. Ansegisus idem abbas Flaviacensis, Luxoviensis. ac Fontanellensis,

C

H*ic ille est* S. Ansegisus *sive* Ansigisus *(nam utrovis modo scribitur) de quo egimus inter Prætermissos die* XVIII *hujus mensis pag.* 348; *quia die illo notatus erat apud Ferrarium in Catalogo generali, et Saussayum in Supplemento pag.* 1147; *at hic eum etiam inter illos collocat Sanctos, in Appendice pag.* 1218, *quorum incertos dicit esse dies natales; nimirum ibi Luxoviensem, hic Fontanellensem abbatem consignans, unum* Ansegisum, *qui utrique cœnobio præfuit, dividit in duos. Idem fecisse videntur Sammarthani tomo 4 Galliæ Christianæ paginis* 909 *et* 379 *: nam loco primum assignato, licet illum fuisse asserant abbatem Fontanellensem, Luxoviensem, ac Flaviacensem, tamen et Sanctum appellant, et obitum ejus affigunt* XIII *Kal. Augusti anni* 832; *at loco secundo inter Flaviacenses* Ansegisum *abbatem octavum recensentes, nec Sanctum faciunt, et fatis concessisse aiunt* anno DCCCLXXXII; *nisi forte est error typographi : nam cum* S. Angegisum *nostrum constet abbatem fuisse seculo nono Flaviacensem, Luxoviensem, et Fontanellanum, et unicus per illa tempora* Ansegisus *inter cœnobiorum illorum trium abbates inveniatur; haud dubium est, quin noster is esse debeat.*

colitur nunc quidem diebus aliis; obiit tamen 20 Julii :

2 *Quod vero sanctum* Ansegisum *annuntiat Ferrarius die* XVIII *Julii, id se eruisse in notis indicat ex Kalendario Burgundico et monumentis cœnobii Luxoviensis. Ea mihi videre non licuit : Sammarthani tamen tomo* 4, *pag.* 586 *Luxoviensia Kalendaria sic aiunt habere :* XVI Kal. Augusti obitus B. Ansegisi abbatis. *Item :* XX die mensis Maii, inventio corporis S. Ansegisi abbatis atque confessoris Christi; *et ita etiam citantur a Mabillonio hic in Observationibus præviis : consignant ergo illa natalem* S. Ansegisi *die* XVII, *non vero* XVIII, *Julii; quamquam et in eo errant, ut recte observat Mabillonius; cum legendum sit* XIII *Kal. Augusti*; ut patet ex Vita sequenti, *inquit*, et ex vetusto Breviario Fontanellensi, typis edito ex mandato Claudii de Pictavia abbatis, quo in Breviario habetur : XIII Kal. Aug. Anchisili monachi hujus loci commemoratio; *ubi* Ansigisum *nostrum intelligit non Mabillonius tantum, sed etiam Cointius* F *in annal. Franc. ad annum* 833, *num.* 81, *pag.* 291. *Ceterum nunc* In ecclesiasticis officiis nihil de eo agunt Luxovienses nostri, *inquit ibidem Mabillonius* ; Fontanellenses die XX Augusti Ansegisum coluut, itemque Novembris die XIX. *De die* XX *Augusti id etiam affirmat Castellanus in Supplemento Martyrologii sui universalis pag.* 695. *Hæc sunt, quæ de cultu ejus invenimus : nam nec Wioni quidem, aut Menardo, nedum aliis Martyrologis notus fuit.*

cujus Acta damus ex Chonico Fontanellensi;

3 *Rara est hujus Viri mentio apud auctores; et qui de illo scribunt, ut Sammarthani, Arturus in Neustria pia pag.* 157, *auctor historiæ episcoporum Rotomagensium, ubi de Ragnoardo pag.* 200, *et alii forsan pauculi, quæ de illo habent, ex eo fonte delibarunt, unde nos, Mabillonium, in Actis Sanctorum Benedictini Ordinis sec.* IV *a pag.* 630, *secuti Acta nostra proferemus; ex Chronico, inquam, Fontanellensi, quod typis primum vulgavit Lucas Acherius tomo tertio Spicilegii prioris editionis; in editione nupera, quam hic sequemur, quod ad codices iterum Mss. exacta sit, habetur tomo secundo a*

pag.

A pag. 263; de Ansegiso vero agitur cap. 17 a pag. 278. Chronici hujus auctor, tametsi sit anonymus, auctoritate tamen in hoc re valet plurimum, cum quia monachus fuit Fontanellensis, tum præsertim quod cum S. Ansegiso vixisse debuit, cum scripserit imperante Ludovico pio, ut ex ipso ejus Chronico patet, et probat satis luculente qui Spicilegium, ad incudem revocatum, haud ita pridem Parisiis edidit, in Monito quod Chronico Fontanellensi præmittit, in quo etiam lectorem admonet, Constitutionem Ansegisi abbatis, quam cap. 4 damus, non reperisse sese in Ms. Fontanellensi vetustissimo, neque ab eodem auctore scriptam eam esse vult Cointius ad annum 833, pag. 290.

juxta quod videtur S. Ansegisus monachus factus non diu post annum 788:

4 Porro quia amanuensium vitio, ut fit, sæpius, non nulla in hoc Chronico notatorum male temporum vitia deprehenduntur, tum quia aliter illa a quibusdam auctoribus, nec recte, signata sunt, libet hic breviter S. Ansegisi chronotaxim retexere, simulque si qua sunt in ea menda, purgare. Primum quo tempore natus fuerit Sanctus noster, non prodit auctor; conjici tamen illud utcumque potest ex iis, B quæ postea consignantur : nam, ut num. 2 dicitur, tenente locum regiminis hujus cœnobii (Fontanellensis, vulgo S. Wandrigisili) Girowaldo abbate propinquo suo, hoc accessit monasterium (Ansegisus) tonsuramque capitis ab eo suscepit. Giroaldus autem sive Gervoldus, juxta idem chronicon cap. 16, vitæ terminum dedit XVIII Kalendas Julii, anno Incarnationis Domini Jesu Christi DCCCVI... postquam rexit istud cœnobium annis octodecim, menses quinque, dies tredecim; atque adeo ab ineunte Januario anni Christi 788, vel 787 ut habet Chronicum annos ordiens a Paschate, ut recte observat Cointius, quem consule ad annum 788 num. 1.

cum duobus cœnobiis præfuerit ante annum 807 et forte multo citius.

5 Neque vero sub extremis Gervoldi abbatis annis monachum induit sanctus Ansegisus : quandoquidem ante annum Christi 807 jam duobus cœnobiis abbas præerat, ut asseritur in Actis num. 4; et quidem sub invictissimo rege Carolo, ut ait auctor noster, qui tamen Carolum post adeptum imperium, ac deinde Ludovicum vel imperatores vel augustos nuncupare consuevit : videtur ergo innuere, cœnobia illa S. Sixti, et S. Memmii Ansegiso commissa C fuisse a S. Carolo magno, rege quidem, at nondum tunc imperatore; hoc est, ante finem anni Christi 800. Atqui munus illud virum ætate maturum fere exigit, vix certe annis triginta minorem neque obiter tantum in vita monastica probatum; jam ergo pridem institutum religiosum amplexus erat; atque adeo sub initia circiter Gervoldi abbatis : nascique proinde potuit ut summum versus annum Christi 770. Non diffiteor tamen, conjecturam hanc esse meram, quatenus verbis modo citatis innititur; cum Carolum idem auctor (præter morem tamen suum) regem tantum appellet, anno Christi 807, quando tamen jam imperium diu tenuerat; ut patet ex num. 4 in fine. Ut ut est; haud multum a vero distare potest hypothesis nostra.

Abbas Flaviacensis constituitur anno 807, Luxoviensis vero anno 817;

6 Relicto deinde utroque illo cœnobio, Flaviacensi præesse cœpit anno juxta auctorem nostrum num. 2, Incarnationis Domini Jesu Christi DCCCVII, qui erat magni Caroli, ex quo rex Francorum constitutus est, XXXVIIII, (sic habet vetus editio Acherii; et recte, si modo sincere : nam annus regni Caroli XXXVIIII terminatur die IX Octobris anni Christi 807) ex quo vero imperator et augustus appellatus est, annus VII. Hæc, opinor, satis plana sunt. Corrige ergo Sammarthanos supra num. 1 citatos, et Acherium in Observationibus ad opera Guiberti abbatis pag. 602, ubi etiam Ansegisum inter abbates Flaviacenses humana deposuisse asserit anno 882; quod nequaquam cum hoc Chronico nostro cohæret. Post hæc Ludovicus pius anno imperii sui IV, ut dicitur in Actis infra num. 5, Luxovium, famosum Galliis cœnobium ad regendum beneficii jure eidem (Ansegiso) contulit. Quo anno Stephanus Papa tertio mense postquam Romam remeaverat, reversus de Francis, VIII Kalendas Februarii vita decessit. Tam annus Ludovici pii quartus, quam Stephani Pontificis obitus hic manifeste denotant Christi 817, quo Luxoviensi cœnobio præfectus sit abbas S. Ansegisus. Emendandum hic ergo iterum quod habent Sammarthani pag. 586, ubi S. Ansegisum inter abbates Luxovienses vixisse scribunt anno DCCCXVI, Indictione VIII.

ac tandem Fontanellensis anno 823, ibique obiit anno 833;

7 Fontanellensibus tandem assignatus est abbas, juxta numerum 1, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXIII, qui erat annus Ludovici, gloriosissimi augusti decimus, porro Paschalis Apostolici, id est Pontificis Romani circiter septimus, sub die E quarto Nonarum Aprilium, Indictione I. Cum hi characteres inter se omnes tam apte congruant, mirum, si vitium huc aliquod irrepsisset. Cum his optime convenit, quod ait num. 33, nempe Ansegisum præfuisse cœnobio Fontanellensi per annos decem, occubuisse autem, Dominica illucescente, die XIII Kal. Augusti; id est, anno Christi 833, quo dies XX Julii, signatus littera E, Dominicus erat. Errat ergo, vel cum ibidem addit Ansegisum rexisse supra annos decem, menses quinque, dies octodecim; vel cum ante initium ejus affixit diei secundæ Aprilis : nam inde ducti anni 10, menses 5, dies 18, excurrunt usque ad XIX, vel XX Septembris ejusdem anni 833, quæ tum in Dominicam non incidebant. Sed nimirum facile est in hujusmodi minutiis non satis accuratos esse amanuenses. Itaque Mabillonius in Annalibus tom. 2, pag. 561 post Cointium errorem agnoscunt in mensibus 5 et diebus, sed non satis recte restituunt. Ego rexisse illum existimo annos 10, menses tres, dies 18, non annumerando diem obitus; totidem enim sunt a die F 2 Aprilis anni 823, usque ad XX Julii anni 833; et facile in obscuris, licet non admodum vetustis, codicibus zyfra 5 accipi potuit pro 3.

unde corriguntur errores aliquot.

8 Ex hac chronologia, quæ saltem quoad annos est accuratissima, pronum est mendum illud deprehendere, quod habetur num. 26, ubi S. Ansegisus dicitur ab auctore nostro anno regiminis sui (utique Fontanellensis) decimo octavo in paralysim incidisse; cum annis tantummodo decem ibi vixerit. Quare anni decimi octavi loco legendus videtur octavus, quocum annus Redemptoris octingentesimus trigesimus primus coincidit, inquit Cointius ad annum 831, num. 51; quem in eo sequuntur Annales Benedictini ad eumdem annum. Suspicor ego in primo exemplari fuisse lituram, quam postea amanuenses pro littera numerali acceperint, et alii quidem pro X, alii pro XX : nam XXVIII pro VIII legitur in apographo ejusdem Chronici, quod habemus ex codice Rubeæ Vallis, uti et in codice quodam Tornacensi, cum quo apographum nostrum contulimus. Colligitur indidem etiam, errasse utrobique Sammarthanos num. 1 citatos, sive cum anno 832,

sive

AUCTORE P. B.

sive cum anno 882 *obitum ejus assignant, uti et Baluzium in præfatione ad Capitularia Regum Franc. num.* 40, *ubi annum notat* 834. *Denique hinc facile detegitur hallucinatio Martyrologorum, qui cœlestes* Ansegisi *natales alio die aut mense celebrant, quam illo, quem Chronici nostri auctor gemino charactere definit, diei nempe Dominicæ, ac decimæ tertiæ Kalendarum Augusti.*

De loco sepulturæ apud Fontanellam, ac de donationibus ejus.

9 *Sunt in Actis nostris et alia notatu digna ; ut quod scribitur num.* 21 *de loco sepulturæ, quem sibi jussit exstrui in capitulo, ut vulgo appellatur, cœnobii Fontanellani ; et in quo deinde conditus est eodem, quem extremum obierat, die, ut asserit auctor noster num.* 33. *Qua in re longe præfertur ejus auctoritas testimonio Adsonis, sive Hermirici, abbatis Luxoviensis, qui seculo decimo floruit, cum loco paullo inferius producendo videtur affirmare* S. Ansigisum *in cœnobio Luxoviensi sepultum esse. Mirari vero quisquam possit, quod de profusis donationibus in Actis hisce nostris legitur, maxime a num.* 26 : *quamquam enim abbas erat* S. Ansegisus, *paupertatis tamen religiosæ voto tenebatur. Sed* B *nimirum habebant abbates multa tum sibi quasi peculiaria, de quibus libere statuebant, ut ferebat per illa tempora consuetudo atque usus communis,* qui ipsis pro lege erat, *inquit Mabillonius tom.* 2 *Annalium pag.* 543, *quem ibi consule, uti et in animadversione ad Vitam* S. Ansegisi *pag.* 639, *et tom.* 1 *Annalium pag.* 255.

Videtur fuisse abbas duorum simul monasteriorum;

10 *Ex eo, quod narratur num.* 8, *de monachis Luxoviensibus, quos Sanctus noster ad restaurandam in Fontanellensi cœnobio monasticam disciplinam traduxit, colligit Mabillonius, aut potius pro certo ponit,* Ansegisum *eodem tempore duas simul abbatias, Fontanellensem scilicet ac Luxoviensem, administrasse ; vide tom.* 2 *Annalium pag.* 356. *Idem notat, sed subdubitans, Cointius ad annum* 831, *pag.* 198, *et seq.* ; *ubi tamen putat, abbatem fuisse Fulbertum eo tempore, quo* Ansegisus *suam edidit largitionem, hoc est, anno Christi* 831, *atque adeo biennio ante mortem ejus.*

est auctor Capitularium,

11 *Mirantur, nec immerito, Mabillonius et Cointius, auctorem Chronici Fontanellensis, cum in laudes* S. Ansegisi *satis prolixe excurrat, altum de collectione Capitularium Caroli magni et Ludovici* C *pii ab eo in quatuor digesta libros, quos post alios edidit Baluzius Capitularium Regum Franc. tom.* 1 *a pag.* 697, *silentium.* Ansegisum abbatem *semetipse collector appellat in præfatione, sylloqemque hanc suam composuisse se indicat* anno Incarnationis DCCCXXVII. *Sed quia non additur nomen abbatiæ, hinc opus illud alii* Ansegiso *abbati, qui postea Senonensium archiepiscopus fuit ; alii, quos inter Sigebertus ac Trithemius,* Ansegiso *abbati Laubiensi tribuendum censuere ; quos refellit Baluzius in præfatione ad Capitularia num.* 39, *ac numero sequenti hæc subjicit :* Existimare itaque fortassis liceret, Ansegisum abbatem, qui Capitularia Regum collegit, eum esse qui Fontanellensis abbas fuit. *Quod vero de hac re non meminerit auctor noster Fontanellensis monachus, id eo fieri potuisse suspicatur Cointius ad annum* 833 *pag.* 290, *quod* S. Ansegisus *in opus illud incubuerit, cum degeret in monasterio Luxoviensi, seu Luxoviensis tantum, seu Luxoviensis simul et Fontanellensis abbas esset. Certe lucubrationem illam* S. Ansegiso *nostro, ac decessori quondam suo vindicavit Adso Luxoviensis abbas, apud Mabillonium hic in Observationibus prævüs, cujus verba, quia ad Sancti laudem faciunt, libet asdcribere.* D

teste Adsone abbate.

12 *Sic igitur de* S. Ansegiso *seculo decimo narrat hic abbas :* Ea tempestate Luxoviensium quoque dignitas inter cetera, pristino rigore tabescente, jam pene vacillabat. Quod cæsar Ludovicus expertus, Ansegisum, virum dignissimum, comptum moribus, et sapientiæ decore præpollentem, loco præficit in pastorem. Hic collapsa reparat, dispersa recolligit, situm ecclesiæ longius extendit, circumpositas officinas amplioribus spatiis atque altioribus muris exporrigit, parietes quoque ecclesiæ cum ceteris ornamentis pulcra varietate depingit. Capitula siquidem regum Francorum, quæ diversis fuerant acta conciliis, excepit, et uno volumine contineri fecit. Cumque inter regni proceres Francorum regibus gratus esset, justis et piis operibus intentus vitæ finem fecit, et illic, ubi spatiosus ecclesiam extenderat, dignam accepit sepulturam. *Hæc Adso abbas. Qui plura de libris illis Capitularium desiderat, adeat Cointium ad annum Christi* 827 *a num.* 5. *pag.* 805. *Ego ad Acta festino ; de quibus* E *hoc etiam lectorem moneo, nihil in iis immutatum a me præter capitum ac numerorum marginalium juxta methodum nostram divisionem, adjectionemque notarum.*

VITA

Auctore anonymo, sed coævo, in Chronico Fontanellensi apud Acherium edito.

CAPUT I.

S. Ansegisus pluribus cœnobiis præficitur, ac tandem etiam Fontanellensi, ubi regulam S. Benedicti restituit.

F

S. Ansegisus fit abbas Fontanellæ, anno Christi 823,

Ansigisus, vir gloriosus ac tranquillus, omnique scientia, divinæ scilicet atque humanæ philosophiæ, sufficienter instructus, a patre, Anastasio nomine, matreque, vocabulo Himilrada, procreatus, divina ordinante clementia, regimen accepit loci hujus anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXIII, qui erat annus Ludovici gloriosissimi augusti decimus, porro Paschalis Apostolici circiter septimus, sub die quarto Nonarum Aprilium, Indictione I. De cujus clara origine, vita, conversatione, moribus, et actibus, placet præsenti operi ea tantum inserere, quæ lectoris animum non offendant. Nam juxta seculi dignitatem ex nobili Francorum prosapia claram duxit originem, quam nobiliorem operum splendidiorum reddidit exemplis.

cum ab anno 807 abbas fuisset Flaviacensis cœnobii,

2 Duæ vero clarissimæ virtutes in eo maxime refulgebant, quarum prima illa fuit, bene vivere ; secunda, recte docere. Denique tenente locum regiminis hujus cœnobii Girowaldo Abbate *a*, propinquo suo, hoc accessit monasterium, tonsuramque capitis ab eo suscepit. Deinde non multo post ad palatium eum perducens, in manus

nus gloriosissimi regis Caroli *b* commendare studuit. Defuncto vero Geroaldo, Trasarius hoc adeptus est cœnobium, ac non post multum temporis præfatus domnus Ansigisus Flaviacum monasterium, quod sanctus Geremarus fundavit, ac corpore requiescit *c*, quod est situm, in pago Bellovacensi, a domno rege Carolo in precarium accepit, anno videlicet Incarnationis Domini Jesu Christi DCCCVII, qui erat annus magni Caroli, ex quo rex Francorum constitutus est, XXXVIII * ; ex quo vero imperator et augustus appellatus est, annus VII. Quod fere ædificiis destitutum, ac in egestate redactum atque relictum invenit; sed intra pauci temporis spatium nobili sua industria recuperare studuit.

* *Prior editio habet:* XXXVIIII

quod egregie instauravit,

3 Omnia namque ædificia et publica et privata ipse ibidem, eliminatis atque projectis iis quæ vetustate consumpta fuerant, a fundamentis constitui, atque in majori elegantia restaurari fecit; veluti cunctis illo advenientibus palam est. Nam in præceptis rei rusticæ sagacissimus erat: unde factum est ut diversarum frugum maxima illi copia numquam deesset, quam semper larga manu cunctis indigentibus erogare noverat. Erat namque eleemosynarius valde, pauperumque refector, profluus ditator ac defensor ecclesiarum, clericorum nutritor, monachorum verissimus pater, peregrinorum lætissimus susceptor, viduarum ac pupillorum maximus adjutor.

et ante illud alia duo cœnobia gubernasset; aulæ insuper negotiis adhibitus;

4 Denique ante Flaviacense cœnobium duo alia ad regendum ab invictissimo rege Carolo ei commissa fuerant cœnobia: unum quod est situm prope muros urbis Remensis, et in honore S. Sixti, primi ejusdem urbis præsulis constructum, et est in ditione ejusdem civitatis *d*; alterum in territorio Catalaunici castri quo sanctus episcopus Memmius *e* corpore quiescit humatus. Quibus desertis, Flaviacensis rector constituitur anno supra scripto. Præterea dum prædictum Flaviacense cœnobium jure precarii ac beneficii teneret, etiam exactor operum regalium *f* in Aquisgrani palatio regio sub Heinhardo abbate, viro undecumque doctissimo, a domino rege constitutus est: quod nobilissime administravit, atque in cunctis operibus suis prudenter se agebat. Plurimis vero ejusdem regis jussu legationibus strenuissime functus est.

Luxoviensi vero præfuisset cœnobio ab anno Christi 817:

5 Interea defuncto magno Carolo imperatore augusto divæ memoriæ, Ludovicus ejus filius in imperium elevatur. A quo idem domnus Ansigisus magnifice honorari meruit. Anno denique imperii sui IV Luxovium, famosum Galliis cœnobium, ad regendum beneficii jure eidem contulit. Quo anno Stephanus Papa tertio mense, postquam Romam remeaverat reversus de Francis, VIII Kalendas Febr. vita decessit: in cujus sede Paschalis successor efficitur. Luna eclipsim passa est Non. Febr. die, hora noctis secunda *g*. Abdiraman rex Saracenorum legatos pro pace Compendium ad imperatorem misit, qui Compendio auditi, et Aquisgrani iterum perrexerunt, tresque menses detenti, regi suo remissi sunt. Hoc etiam anno Bernardus rex Italiæ in deditionem apud Cavilonem imperatori se tradidit. Sed his omissis ad cœpta revertamur.

in Fontanellensi autem successit Einhardo,

6 Anno igitur imperii domni Ludovici augusti tertio Trasarus rector hujus cœnobii cum licentia ejusdem imperatoris ad locum suæ nativitatis repedavit; ac Beneventum in Campania regrediens a Sigone duce, quem ex lavacro sanctæ regenerationis susceperat, honorifice susceptus est. Post quem Einhardus hoc cœnobium per septem ferme tenuit annos. Quod demum ultro derelictum, divina, ut credi fas est, jussione, ac gloriosissimi imperatoris Ludovici largitione domnus Ansegisus ad gubernandum suscepit anno jam supra taxato. Quod tam solerti studio summaque industria nobilitavit, ut novus Wandregisilus *h* credi posset, aut etiam magnus præsul Ansbertus *i* redivivam ad lucem regressus fore putaretur.

AUCTORE COÆVO.

ubi disciplinam collapsam restituit

7 Verum sicut illi in exordio sui ædificiis nobilitaverunt, clerum *k* auxerunt, disciplinis ecclesiasticis imbuerunt; ita iste diruta emendare studuit, ac vetustate consumpta in majori elegantia reparavit: clerum nobilissime auxit, ac regulari ordine secundum egregii Patris Benedicti normam ut vitam degerent, multipliciter decertavit. Nam ex desidia priorum patrum, qui gregis sibi commissi curam minus devote gesserunt, status almæ Regulæ prædicti Patris Benedicti, jam quasi casurus videbatur, licet illi, qui Domino militabant Canonico ordine, irreprehensibiliter conversarentur. Contigerat enim ob incuriam, ut jam dixi, prælatorum, qui ea, quæ Regulæ auctoritas sacræ dare mandabat, parvipendendo impertiri distulerant; sed prædictus reverendissimus pater Ansegisus hoc modis omnibus sategit, ut in pristinum statum ac legem recuperaret, juxta quod voluntatem domni imperatoris super hoc noverat, et quæ Regulæ auctoritas dare mandabat, largiri modis omnibus non negligeret.

per monachorum Luxovio evocatorum,

8 Denique ex Luxovio cœnobio, quo in Galliarum terris in religione ac regulari disciplina non inferius usque ad præsens videtur, monachos Deum timentes, virosque religiosos secum huc adduxit, qui et legem istinc monachorum docerent, et exempla salubria ostenderent: licet olim a viro justo Benedicto Fossatensis cœnobii abbate *l* eruditi in hac philosophia fore viderentur: qui plurimis diebus in hoc monasterio conversantes, nonnulla exempla doctrinæ et bonitatis suæ istic reliquerunt. Nam, ut vere fatear, non inferius Franciæ seu Galliæ monasteriis istud in omni religione comparabatur cœnobium.

ac suarum ipsius exempla virtutum.

9 Nec mirum, si tempore Ducis optimi milites Christi per viam regiam incederent; licet nunc Christi caritas non sit refrigerata, cum utique signifer sanctissimæ disciplinæ idem existeret, qui omnibus imitandus apparebat. Quicumque enim illum audiebat præcipientem, non redarguebat aliter operantem. Testimonium veritati, non amicitiæ reddebat. Sermones ejus utiles magis quam faceti esse noverant: a verbis quoque turpibus omnimodis abstinebat, sciens quia licentia eorum impudentiam nutrit. Quatuor quoque virtutes, quibus omnis homo præcipue inniti debet, in eo refulgebant: prudentia videlicet, fortitudo, temperantia, atque justitia. Sermo nempe ejus nusquam inanis exstitit, immo subditis sibi, aliisque aut suasit bona agere, aut monuit docere recta, aut consolatus est dolentes, aut præcepit fidem Deo æterno et immortali, regique terreno inviolatam servare, quæ etiam in suis actibus primus adimplere curavit.

10 Quæcumque vero ex rebus transitoriis possedit,

AUCTORE COÆVO. *quarum hic habes compendium aliquod.*

sedit, nihil magni æstimavit, sed potius caducum esse credidit: ideo gazas suas monasteriis ac egenis distribuere satagebat, thesaurizans sibi thesauros in cœlo, quo fur non appropiaret, neque tinea devoraret. Vitiorum per omnia fugax exstitit: Aliorum vero neque acerbus reprehensor, neque curiosus scrutator. Cunctis denique benignus, in adversis firmus, in prosperis cautus et humilis. Justitiæ postremo virtutem quam magnifice tenuerit, testantur legationes, quibus jussu Augustorum frequenter functus est; maxime ea, quæ tempore domni Ludovici magni imperatoris, jussu ejusdem partibus Marcæ Hispanicæ celebrata est adversus Gautselinum *m*, custodem limitis illius. Erat enim in sermone verissimus, in fide firmissimus, in bonis operibus promptus, in judicio justus, in consilio providus, in bonitate conspicuus, in caritate præclarus, fide catholicus, eleemosynis dives, vigil ingenio, promptus eloquio, flagrans studio. Utile nempe vas in domo Domini, Deo sedule serviens, errantes corrigens, correctos fovens, obtinatos spernens, humiles semper diligens, regi terreno subjectus, Christo domiuatori omnium devotus.

B

ANNOTATA.

a Girowaldus, *seu* Geroaldus, *aut* Gervoldus *Fontanellæ præfuit, ab anno Christi* 787 *usque ad* 806, *quo obiit* XVIII *Kalend. Junii, uti dictum est Commentario prævio.*

b Carolum *hic intellige cognomento* magnum, *Ludovici pii, de quo supra, patrem.*

c *Hinc monasterio nomen vulgo*, Saint Germer de Flay. *Adi Sammarthanos in Gallia Christiana, et Mabillonium tum in Actis Sanctorum, tum in Annalibus Ordinis sancti Benedicti ad annum Christi* 655 *a num.* 36. *Nos de S. Geremaro agemus die, quo in Ecclesia colitur,* XXIV *Septembris.*

d Nunc S. Sixti ecclesia parœcialis est intra muros urbis, *inquit hoc loco Mabillonius.*

e S. Memmii, *vulgo* Saint Mange, *abbatia prope Catalannos nunc est Canonicorum Regularium S. Augustini; ut vide apud Sammarthanos.*

C

f *Id est*, regiis ædificiis præfectus, *qualis etiam fuit S. Heinhardus, sive Einhardus, aut Eginhardus; uti docet Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini seculo* IV *part.* 1, *pag.* 414, *ubi datur ejus Vitæ compendium.*

g *Eclipsim hanc et cetera quæ sequuntur parerga, ad hunc annum etiam notant alii: vide Annales Eginhardi apud Chesnium tom.* 2, *etc.*

h *Cœnobii Fontanellam conditor et primus abbas, de quo agendum erit* 22 *hujus mensis.*

i *Abbas tertius ejusdem cœnobii, ac deinde episcopus Rotomagensis, de quo actum die* IX *Februarii.*

k *Id est, clericorum numerum, quo nomine monachi passim eo tempore donabantur; ut hic notat Mabillonius.*

l *Hunc Benedictum eumdem esse vult Cointius, in Annalibus ad annum Christi* 817 *num.* 283 *et annum* 823, *num.* 60, *cum S. Benedicto abbate Anianensi et Indensi, cujus Acta dedimus* XII *Februarii; sed plane diversum esse contendit Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 30 *num.* 75; *quippe qui Anianensi facile decem annis supervixerit.*

m *Illum, opinor, quem cum aliis reprehenderat Carolus magnus anno imperii sui* 12, *apud Baluzium, Capitularium Regum Francorum tom.* 1, *col.* 499.

D

CAPUT II.

Quid contulerit S. Ansegisus Luxoviensi ac Fontanellensi cœnobiis.

Ansegisi liberalitas in cœnobium Luxoviense;

Quantum vero in ecclesiasticis curis intentus fuerit, testantur munera, in cœnobiis ejus curæ subditis ab ipso collata. In Luxoviensi namque cœnobio hæc dona obtulit: crucem auream mirifice factam, gemmis pretiosissimis decoratam, habentem baculum, argento coopertum, quem secum solitus erat in itinere bajulare: offertorium *a* aureum cum patena sua aureo opere mirabili: calices argenteos tres deauratos anaglyfico opere patratos: hanappum *b* argenteum, optimo opere factum, habentem limaces aureos quatuor, in fundo exterius sibi annexos: aquamanile *c* et urceum argenteum mirabili opere: altare in honore perpetuæ Virginis Mariæ decoravit tabula lignea, quam imaginibus argenteis diversis cooperuit. De vestimentis vero, dirodimum *d* optimum unum; planetas casulas quinque: cindados *e* duodecim coloris diversi: dalmaticas tres: pallia fundata *f* sex: tapeta optima octo. Ecclesiam S. Petri altiorem in fabrica sua, muros exaltans, reddidit, ac cum clavis ferreis eam cooperuit. Porticum præterea, quæ vadit de ecclesia B. Petri ad S. Martinum, de novo fecit, et eam cooperiens scindulas *g* ejus ferreis clavis affixit.

E

item in Fontanellense,

12 In hoc igitur Fontinellensi cœnobio hæc munera contulit: portionem magnam ligni salutiferæ Crucis Dominicæ, inclusam auro, quod rotundo schemate formatum erat, ejusque in medio crystallum positum; ita ut figura ligni sanctæ Crucis intuentibus intus appareret. Quod postea præpedientibus peccatis, sive alio quolibet casu de frontispicio lecti protectoris nostri B. Vandregisili fures sustulerunt, perforata maceria basilicæ S. Petri, quod factum est pridie Nonas Decembris, Dominica, expletis post obitum ejusdem gloriosi Patris mensibus tribus, et diebus sexdecim.

F

cui multa contulit vasa sacra pretiosa,

13 Calicem aureum, mirifice factum, duas hinc inde habentem ansulas, gemmis pretiosissimis decoratum, qui pensat libram: alterum argenteum, anaglyfico opere factum, operis mirandi, cum patena sua argentea: offertorium argenteum, ejusdem calicis habens effigiem, mirifici operis: alia offertoria argentea cum patenis argenteis earumdem: coronam majorem argenteam cum lampada sua argentea, optimam unam: item lampadam argenteam unam: thuribulum argenteum optimum unum: candelabra, argentea tria, habentia solidos nonaginta, id est, unumquodque triginta: sigilla aurea mirifica cum pretiosis lapidibus numero duo: urceum argenteum, cum aquamanili optimum unum: cuppas *h* vitreas auro ornatas duas, eburneam unam, mirifice factam: pixidas eburneas duas: hanapum vitreum optimum unum. Quatuor Euangelia

gelia in membrano purpureo ex auro scribere jussit Romana littera; ex quibus Matthæi, Joannis Lucæ complevit; sed, interveniente morte ejusdem, reliquum imperfectum remansit: Lectionarium etiam in membrano pupureo similiter scribere jussit, decoratum tabulis eburneis: Antiphonarium similiter, in membrano purpureo argenteis scriptum litteris, ornatumque tabulis eburneis.

vestesque itidem sacras,

14 De vestimentis vero ecclesiasticis largitus est pallia, quæ dicuntur fundata, tria: stauracia *i* duo; stragulum Hispanicum unum: tapetia quatuor: dalmaticas, ministrorum ministerio aptas, sex: roccum subdiaconalem unum: coccum *k* unum: tunicam sacerdotalem Indici coloris *l* cum vestimento integro unam: planetas casulas quatuor: casulas item ex cindato Indici coloris tres, viridis coloris ex cindato item tres: item rubei sive sanguinei coloris ex cindato unum: blatteam *m* item casulam unam: cappas Romanas duas; unam videlicet ex rubeo cindato et fimbriis viridibus in circuitu ornatam alteram ex cane pontico, quem vulgus Bevurum *n* nuncupat, similiter fimbriis sui coloris decoratam in orbe: linteum optimum unum: facistergium optimum unum: Fanones *o* optimos duos; unum auro decoratum, alterum stauratio: item de cindato duos: pulvinaria serica Euangelicis officiis apta; majora, duo; minus, unum: cingula Romano opere facta auro decorata duo: mappulas duas, stolas duas.

ac libros, maxime S. Augustini,

15 De libris autem hanc dedit copiam, bibliothecam *p* optimam, continentem vetus et novum Testamentum cum præfationibus ac initiis librorum aureis litteris decoratis; libros Expositionum divi Augustini in Genesim ad litteram, volumen unum. Item Enchiridion ejusdem, volumen unum: ejusdem Explanationum in omnes Psalmos volumina tria: ejusdem contra Julianum hæreticum, volumen unum: item librum Epistolarum ejusdem ad diversos, volumen unum: item ejusdem librum qui dicitur, Unde malum, volumen unum. Item librum ejusdem qui prætitulatur, de Doctrina Christiana, volumen unum: librum decem Chordarum ejusdem: ejusdem super Epistolam Joannis [vol. I]: item adversus Epistolam Fundamenti volumen unum: Homiliare ejusdem, volumen unum.

sed et aliorum Patrum.

16 Expositionem B. Ambrosii in Lucæ Euangelium volumen unum: Epistolarum ejusdem ad diversos, volumen unum: item ejusdem librum qui dicitur de Bono mortis, volumen unum: item ejusdem de Joseph ac duodecim Patriarchis vol. I. Epistolarum B. Hieronymi volumen unum. Epistolarum S. Sixti episcopi volumen unum. Historiarum Josephi volumen unum. Tagii *q* sententiarum, volumen unum. Excerptionum Paterii de veteri ac novo Testamento ex Opusculis B. Gregorii Papæ vol. I. Euippi* ex Opusculis B. Augustini similiter vol. I. Gregorii in parte media Job. vol. I. Librum Fulgentii episcopi Carthaginensis vol. I. Librum Ferandi Diaconi ecclesiæ Carthaginensis vol. I. Bedæ in Genesim expositio vol. I. Ejusdem de Computo ac ratione temporum vol. I. Collectaneos duos super anni circulo, Pauli Diaconi volumina duo *r*. Libros Glossarum duos [volumina duo.] Librum canonum diversorum conciliorum, volumen unum.

* alias Eugyppii

AUCTORE COÆVO.

Ibidem ædificavit dormitorium,

17 Ædificia autem publica ac privata ab ipso cœpta et consummata, hæc sunt: in primis dormitorium Fratrum nobilissimum construi fecit, longitudinis pedum ducentorum octo, latitudinis vero viginti septem: porro omnis ejus fabrica porrigitur in altitudine pedum sexaginta quatuor; cujus muri de calce fortissima ac viscosa, arenaque rufa et fossili, lapideque tofoso ac probato constructi sunt. Habet quoque solarium, in medio pavimento optimo decoratum, cui desuper est laquear, nobilissimis picturis ornatum. Continentur in ipsa domo desuper fenestræ vitreæ; cunctaque ejus fabrica, excepta maceria, de materia quercuum durabilium condita est; tegulæque ipsius universæ clavis ferreis desuper affixæ; habet sursum trabes et deorsum.

refectorium cum domo majori,

18 Post quod ædificavit aliam domum quæ vocatur refectorium quam ita per medium, maceria ad hoc constructa, dividere fecit, ut una pars refectorii, altera foret cellarii; de eadem videlicet materia similique mensura, sicut et dormitorium, quam variis picturis decorari in maceria et in laqueari fecit a Madalulfo, egregio pictore Cameracensis ecclesiæ. Tertiam nempe fecit domum egregiam construi, quam majorem vocant, quæ ad Orientem versa, ab una fronte contingit dormitorium, ab altera adhæret refectorio: ubi cameram et caminatam *s*, nec non et alia plurima, ædificari mandavit; sed, adveniente morte ejusdem, hoc opus ex parte imperfectum remansit.

quorum situs describitur; uti et ornatus templo adjectus;

19 Hæc tria egregia tecta ita constituta sunt. Dormitorium videlicet ab una fronte versum est plagæ Septemtrionali, ab altera Australi, et adhæret ab ea basilicæ S. Petri. Refectorium similiter versum est eisdem plagis: et est fere contiguum a parte Meridiana absidæ *t* basilicæ S. Petri. Porro illa major domus, sicut supra diximus, constituta est. Ecclesia autem S. Petri a parte Meridiana sita est, versa tamen ad Orientem. Ipsa etiam a parte Occidentali triginta pedum in longitudine, ac totidem in latitudine accrevit, constructo desuper cœnaculo, quam in honore Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi dedicandam fore præoptabat. Sed et ipsum opus propter mortem ejus tam citam imperfectum remansit. In eadem autem basilica S. Petri pyramidem quadrangulam altitudinis triginta quinque pedum de ligno tornatili compositam, in culmine turris ejusdem ecclesiæ collocari jussit; quam plumbo, stanno ac cupro deaurato cooperiri jussit, triaque ibidem signa posuit: nam antea nimis humile hoc opus erat. Ipsam namque turrim, simulque absidam tegulis plumbeis a novo cooperiri jussit.

ac tandem etiam capitulum, ut vocant, et bibliothecam.

20 Jussit præterea aliam condere domum juxta absidam basilicæ S. Petri ad plagam Septemtrionalem, quam conventus, sive curiæ, quæ Græce bouleuterion *u* dicitur, appellari placuit; propter quod consilium in ea de qualibet re perquirentes convenire fratres soliti sint. Ibi namque in pulpito lectio quotidie divina recitatur, ibi quidquid regularis auctoritas agendum suadet, deliberatur: in qua etiam monumentum nominis sui collocari jussit, ut dum vitæ præsentis terminum daret, illic a suis deponeretur *x*. Item ante dormitorium, refectorium, et domum illam quam majorem nominavimus, porticus honesta

AUCTORE COÆVO.

nesta eum diversiis pogiis *y* ædificari jussit, quibus trabes imposuit, ac juxta mensuram eorumdem tectorum in longum extendit. In medio autem porticus, quæ ante dormitorium sita videtur, domum cartarum constituit. Domum vero, qua librorum copia conservaretur, quæ Græce pyrgiscos *z* dicitur, ante refectorium collocavit, ejus tegulas clavis ferreis configi fecit.

ANNOTATA.

a Offertorium *significat vel sindonem sericam, seu linteamen in quo fidelium oblationes reponebantur; vel pannum oblongum, quo involvitur calix, cum a diacono offertur sacerdoti; vel etiam aliud quidpiam solidum, et calicis, perinde ac patenam, appendicem : ut hoc loco intelligit Cangius in Glossario ad hanc vocem.*

b Hanappus *est patera sive crater.*

c Aquamanile *est vas inferius quod aquam recipit, quæ ex urceo manibus, dum lavantur, infunditur.*

d *Sic habet in textu postrema editio Acheriana, et prior in margine; at hæc in textu* Rodinum. *Sane* Dirodimum *quid rei sit, nescio; at* Rhodinum *vestimentum a colore roseo vocatur apud Græcos; imo et* Dirodinum *pro* diarhodino pallio, *sive roseo intensioris coloris accipi, ostendit Cangius in Glossario.*

e Cendalum, cendatum, cindatum et cindadus *juxta Cangium est pannus sericus, vel amictus ex lino Ægyptiaco.*

f Fundata *dicuntur Macro, quæ fundum habent aureum.*

g Scindula *est latus asser, quo domus cooperitur; imo ab assere differt, juxta Isidorum, quod asseres* soli ponantur atque conjuncti; scindulæ *vero* scindantur et dividantur.

h *Id est, pocula, sive pateras, Gallice* coupes.

i Stauracium *est genus palliorum depictorum ex sterace, quæ gutta similis est mali cydonii.*

k *Pro* cocco *legendum putat Cangius* cottum, *quæ est tunica clericis propria, Gallice* cotte.

l Color Indicus, *opinor, cæruleus est purpureo mixtus, ab Indico (vulgo Indigo) nuncupatus.*

m *Id est, purpuream.*

n *Id est, castorem seu fibrum.*

o Fanones *sindones sunt aut mappæ; usurpatur etiam illa vox ad significanda quæ voce ecclesiastica dicuntur* corporalia.

p Id est, Biblia, *inquit Acherius in margine primæ editionis.*

q *Tagii, seu Taii, vel Taïonis episcopi Cæsaraugustani opus hoc sententiarum Ms. servatur hactenus in quibusdam bibliothecis; verum de eo consule bibliographos, vel Mabillonium tom.* 2 *Analectorum a pag.* 68.

r Nempe Homiliarum in Euangelia totius anni, *ut hic notat Mabillonius, quem vide, si lubet.*

s Caminata *et* caminatum *dicitur camera, conclave, cœnaculum quodvis, in quo caminus exstat. Adi sis Cangii Glossarium.*

t Absida, *sive* apsida *passim denotat fornicem; accipitur tamen etiam, ut hic, pro parte templi interiori, in qua altare collocari solet.*

u *Id est, locus in quo fiunt consultationes; nunc vulgo* Capitulum *dicitur.*

x Ergo jam tum mos erat, ut abbates in capitulo tumularentur, *inquit hic Mabillonius. Porro notatur in editione postrema hujus Chronici, quod hinc sequitur usque ad hæc verba,* Domum vero, qua librorum, *etc., non legi in codice Fontanellensi.*

y Pogium *sive* podium et poium, *sunt ea quibus innitimur; ut sæpe in porticibus sunt clathra, vel columellæ mediam fere viri altitudinem adæquantes, unde qui prospectant, cubitis inniti solent.*

z Πυργίσκος *Græcis est armarium vel area in modum turris exstructa.*

CAPUT III.

Beneficia et eleemosynæ S. Ansegisi in cœnobium Flaviacense et alia plurima, etiam canonicorum, ac monialium.

In Flaviacensi cœnobio præter alia dona, basilicam construxit;

In Flaviacensi quoque cœnobio quæ obtulerit dona, hoc in loco declarandum censuimus. Ibi namque gratuita benignitate largitus est calices argenteos diversos decem : aquamanile argenteum, cum urceo suo argenteo : candelabra argentea numero septem; pallia diversa plus minusve quadraginta : casulas planetas ac cindatos diversos triginta, quarum colores oneri videtur describere : fanones ac lintea non occurrunt memoriæ quot fuerint numero. In honore vero sanctæ Trinitatis basilicam ædificavit, ante cujus aram tabulam argenteis imaginibus decoratam collocavit, ipsique aræ crucem argenteam imposuit, universamque basilicam variis picturis decorari jussit..

dedit ibidem opera varia SS. Patrum:

22 Nomina autem librorum quos ipsi contulit loco, hæc sunt : Pandectum *a* a B. Hieronymo ex Hebræo vel Græco eloquio translatum : ejusdem Expositionem in duodecim Prophetas, et sunt tomi viginti in volumine uno : ejusdem in Isaia Propheta libri octodecim, volumen unum : ejusdem librum Epistolarum, volumina duo : in Proverbiis Salomonis ejusdem volumen unum : in Danïelem Prophetam ejusdem : in Euangelio Matthæi ejusdem, continens in eodem Decreta Gelasii Papæ de libris recipiendis et non recipiendis et excerptio aliqua de libris Exameron S. Ambrosii episcopi, codex unus : libros S. Augustini, qui prætitulantur, De civitate Dei, numero triginta *b* duo in codice uno : ejusdem Expositionem in Euangelio S. Joannis, volumen unum : Homiliare ejusdem continens sermones CXLVII, volumen unum : libros ejusdem XV, de S. Trinitate, volumen unum.

Hieronymi Ambrosii, Augustini,

23 Concordiam Euangeliorum ejusdem, codicem unum : ejusdem de Doctrina Christiana, cod. unum : Expositionem symboli ejusdem, cod. unum : Quæstiones ejusdem octoginta, cod. unum : de Baptismo parvulorum ejusdem ad Marcellum *c*, lib. tres : de Sermone Domini in monte lib. duos : de Providentia Dei serm. I : de Natali proprio serm. I [de Cruce serm. I] Ad Flactianum Epistol. *d* [I] vol. I : ejusdem Academicorum lib. tres : Soliloquiorum lib. duos : de Immortalitate librum unum : de Quantitate animæ lib. unum : de Magistro librum unum : de

Ordine

A Ordine lib. II : de Videndo Deo librum I, vol. I. Libros confcs. ejusdem cod. unum : librum qui dicitur Enchiridion cod. unum : in Psalmis Expositionem ejusdem, codicem unum. Expositionem S. Ambrosii *e* in Epistolas Pauli, vol. unum. Hisychii presbyteri in Leviticum lib. 7. cod. I. Expositionem S. Joannis Constantinopolitani episcopi in Matthæum : Apocalypsim S. Joannis continentem etiam librum S. Isidori Differentiarum cod. unum.

Hilarii, Gregorii, Isidori,

24 S. Hilarii, episcopi, contra hæreticos cod. I. Homiliarium S. Gregorii Papæ in novissima parte Ezechielis prophetæ, in cod. uno : Epistolarum ejusdem cod. unum : Expositionem Bedæ presbyteri in Actibus Apostolorum, cod. unum. In septem Epistolas Canonicas et Apocalypsim Joannis cod. unum : ejusdem in Marci Euangelium cod. unum : ejusdem in Lucam Euangelistam cod. I : librum Testimoniorum Isidori de Christo et Ecclesia *f* cod. unum : ejusdem Etymologiarum cod. unum : ejusdem Rotarum *g* ad ad Sisebutum regem, cod. I. Prosperi de Vita activa et contemplativa *h* in cod. I. Prognosticon futuri seculi cod. I. Disputationem fidei inter Arium B hæreticum ac Athanasium Catholicum in cod. I. Epistolarum S. Cypriani Martyris cod. I. Alcuini de Trinitate librum in cod. I : Regulam B. Basilii episcopi : Regulam B. Benedicti in codice uno.

et aliorum, cum libris aliis.

25 Historiam ecclesiasticam Eusebii Cæsariensis episcopi in cod. uno : Chronicam ejusdem in cod. uno : Historiam item ecclesiasticam trium virorum, id est, Sozomeni, Theodoriti, et Socratis, in cod. uno. Canones diversorum Patrum in codice uno. Sacramentaria volumina duo. Cassiodori de Arithmetica, vol. unum : ejusdem in Psalmos expositionem vol. unum. Homiliarum Origenis in veteri Testamento, volumina duo : ejusdem in Psalmos expositionem, volumina duo. Vitas beatorum Confessorum Hieronymi, Augustini, Gregorii. Item passionem B. Columbæ Virginis in cod. uno. Institutio ac collectio cujusdam de vita canonica, vol. I. Gesta Francorum in cod. uno. Et alios plurimos, quorum nunc nomina non occurrunt memoriæ.

Catalogus eleemosynarum ejus in Fontanellense cænobium

26 In Eleemosynarum vero largitionibus quantum solicitus extiterit, ipsa ejus opera testimonium perhibent. Nam quodam tempore, id est, anno regiminis sui decimo octavo *i*, in passionem incidit illam, quam medici paralysim vocant : moxque vocatis domesticis ac fidelibus seu intimis suis, hanc rerum suarum distributionem gratuito animo facere curavit. Quæ elargitio seu distributio, ipsius jussu ac supplicatione edita est a venerabili viro Hildemanno, Bellovacensis urbis episcopo, adjuncto Berteningo et Gerlone laicis simulque Landone monacho. Cujus textus talis est : In hoc Fontinellensi Cœnobio largitus est Fratribus libras nonaginta; nam omnibus annis triginta in censu dare consueverat : famulis laicis libras decem : senibus in illo xenodochio, et ceteris mansionibus pauperum solidos *k* decem. Universæ familiæ hujus cœnobii libras quadraginta.

et alia

27 Ceterorum monasteriorum *l* nomina, ad quæ eadem largitio eleemosynæ pervenerit, sigillatim exprimam. Ad Gemmeticum cœnobium libras V direxit : ad Logium libram unam : ad Fiscannum libram unam : ad Villare libram unam : ad Longogilum libram unam : ad sanctum Walericum libram unam : ad B. Richarium libras duas et semis : ad sanctum Audomarum libras duas et semis : ad sanctum Audoenum in Rothomago libras quinque : ad sanctam Mariam in domo ejusdem ecclesiæ libras duas : ad sanctum Martinum in eadem urbe, et ceteris cellis, solidos viginti quinque : Ragnoardo ejusdem urbis archiepiscopo libras decem; videlicet ut quinque presbyteris, et alias quinque pauperibus erogaret.

cœnobia

28 Ad Penthale monasterium solidos quindecim : ad Penante solidos quindecim : ad Pratellos similiter : ad Ebroicas civitatem libram unam : ad illam Crucem S. Audoeni libras duas : ad Lixovium urbem libram unam : ad Fontanas cœnobium solidos duodecim : ad Bajocas civitatem libras duas : ad duorum Gemellorum monasterium libras duas : ad S. Martinum Turonensem libras quinque, illis canonicis in domo libram unam : ad S. Anianum Aurelianensem libram unam, illis canonicis in domo libram unam : ad sanctum Benedictum in Floriaco libram unam : ad Ferrarias libras duas : ad S. Carilefum libram E unam et semis : ad Curbionem monasterium libram unam : ad sanctam Columbam in Senonis, illis monachis libras duas, illis canonicis in eadem civitate libras duas.

plurima,

29 Item ad S. Petrum illis monachis in eadem urbe libram unam : in Autisiodoro urbe illis canonicis libram unam : ad S. Remigium illis monachis similiter : ad S. Heracleum in eadem urbe similiter : item in Autisiodoro ad S. Germanum, illis monachis libram unam : in Trecas illis monachis ad S. Petrum libram unam : ad sanctam Crucem Meldis illis monachis similiter : ad Fossatos monasterium illis monachis libras duas : ad S. Genovefam Parisius libras duas : ad sanctum Germanum Parisius libras tres, in eadem urbe illis canonicis libram unam : ad S. Dionysium libras quinque : ad Calam monasterium libras duas : ad sanctum Lucianum, illis monachis libras duas.

et canonicorum

30 Belloaci, illis canonicis libram unam : ad Flaviacum illis canonicis libras quindecim : ad opus famulorum eorum libras decem : Hildemanno *m* episcopo ad presbyteros et pauperes F libras decem : ad Oratorium monasterium solidos quindecim : ad Fontanidum monasterium solidos decem : Ad Insulam monasterium solidos decem : ad Andelagum monasterium solidos duodecim : ad Malardum-vallem solidos decem : ad Resbace monasterium libram unam et semis : ad sanctum Salvium in Brago solidos decem : ad Malam monasterium libram unam : ad S. Vedastum in Atrebato libras duas : ad Cameracum libras duas : ad S. Gaugericum libram unam : ad Corbeiam libras quinque.

collegia

31 Ad S. Eligium in Noviomo civitate libram unam; item ad eamdem urbem canonicis libram unam : item ad Suessionis civitatem canonicis libram unam : ad S. Crispinum solidos quindecim : ad S. Medardum monachis libram unam : illis sanctimonialibus libras tres : ad Remis, illis canonicis libram unam : ad S. Remigium in eadem urbe monachis libram unam : ad S. Memmium in Catalauno libram unam . ad eamdem urbem solidos XV : ad Altum montem monasterium, quo S. Ansbertus quondam exilio fuit in-

AUCTORE COÆVO.

n

trusus atque consortiis inde ereptus humanis *n*, solidos quindecim : ad Malbodium cœnobium libram unam : ad Castrilocum monasterium similiter : ad Laubias monasterium libram unam : ad Indam cœnobium libras duas.

collatarum biennio ante obitum,

32 Ad Lingonas illis canonicis libram unam : ad Luxovium libras viginti quinque id est, in ipso monasterio libras decem *o*; ad Fontanas, cellam ejusdem cœnobii, libram unam et semis; ad Cusantiam similiter; ad Anagrates lib. duas : ad Romarici montem libram unam : ad Balmam similiter libram unam et semis : ad Morbach cœnobium libram unam : ad S. Gregorium libram unam ; ad monasterium Mauri libram unam : ad Melundas * libram unam : ad S. Reginbertum, ubi primo elementa didicerat litterarum, per manus quoque matris suæ in usus egenorum viginti libras expendit : simili modo per manus Berteningi libras viginti : sibi vero in domo sua famulantibus libras quadraginta largiri fecit. Tribus vicibus omnes opes suas egenis ac pauperibus erogari fecit, nil sibi reservans; quæ qualiter gesta sint, ne nauseam aut fastidium ingessisse videar, transcendendo omittam.

* Meldunas

B

qui incidit in annum Christi 833, diem 20 Julii.

33 Eleemosynis enim sibi viam præparavit, quoniam noverat externum omnem hominem esse sive ad pœnam sive ad gloriam : ideo eleemosynis ac orationibus servorum Dei se roborat, ut et cursum hujus vitæ pacifice transigeret atque feliciter in perpetuum viveret. Rexit autem hoc cœnobium idem gloriosus Vir per annos decem, menses quinque, dies XVIII *p*. Ipso tempore recessit domnus Ansigisus, Dominica illucescente, die XIII Kal. Augusti; eodem die cum fletu maximo tumulatus extra basilicam S. Petri ad Aquilonalem plagam, in porticu, in qua Fratres conventum celebrare soliti sunt, ac consultis Deo dignis aures accommodare *q* : et cessavit regiminis locus triginta et octo diebus.

p

ANNOTATA.

C

a *Forte* Pandecten *a Græco* πανδέκτης, *quo nomine appellari non numquam consuevit complexum librorum omnium sacrorum veteris ac novi Testamenti, uti probat Cangius in Glossario.*

b *Lege* viginti duo; *et ita legi in codice Fontanellensi, testatur nuperus editor Spicilegii Acheriani.*

c *Sive* Marcellinum.

d *Non exstat.*

e *Hoc opus plerique nunc eruditi adscribunt Hilario diacono; quamquam id Petavio nostro non omnino placuit. Consule bibliographos.*

f *De hoc opere S. Isidori vide Nicolai Antonii Bibliothecæ veteris Hispaniæ lib.* 5, *cap.* 4, *num.* 144.

g *Imo de* Natura rerum, *quamquam et alibi* Rotarum liber *hic appellatur. Adi Nicolaum Antonium ibidem num.* 104.

h *Opus illud modo tribuitur Juliano Pomerio, non Prospero. Adi bibliographos.*

i *Errorem hunc chronographicum notavi in Commentario prævio.*

k *Cointius ad annum* 831 *num.* 51, *legi vult* libras: *ut conficiatur ex quatuor partitionibus summa librarum nonaginta; nempe ex* 30, 10, 10, *et* 40.

D

l *Monasteria illa hic describere operæ pretium non duxi; qui singula nosse desiderat, legat prolixas, quas hoc loco subjungit, Notationes Mabillonius; uti et in Annalibus Benedictinis tom.* 2 *a pag.* 540. *Videri etiam possunt apud Cointium in Annalibus ecclesiæ Francorum ad annum* 831 *a num.* 52 *usque ad num.* 100, *ubi singulis plerumque adscribitur, quis ibi tum præesset, cum hæc donatio fieret.*

m *Nempe Bellovacensi, ut notat Cointius.*

n *Uti narratur in ejus Vita cap.* 8. *Dedimus eam ad diem* IX *Februarii.*

o Lege libras viginti, *inquit Cointius.*

p *Vide quæ hic errata esse diximus in Commentario prævio.*

q *Hoc est, in capitulo, ut supra dictum est, Fontanellensis cœnobii, quidquid cum Luxovii tumulatum fuisse innuat Adso apud Mabillonium, qui multum abest ut tantum illi tribui velit, quantum auctori hujus chronici contemporaneo.*

E

CAPUT IV.

Constitutio Ansegisi abbatis.

Constitutionem vero, quam servis Dei isto in cœnobio degentibus de victu ac vestitu instituit, commodum arbitratus sum huic operi inserere. Cujus talis est textus : *Constitutio S. Ansegisi,*

Memoratorium qualiter domnus ac venerabilis Ansegisus abbas disposuit vestimenta, et calciamenta, atque alimoniam fratribus in monasterio Fontanella morantibus, una cum consensu eorum ordinabiliter : ut absque ullius occasionis querela, omni egestate exclusa, vota sua Deo reddere, atque sponsionis suæ negotium ad effectum omni tempore perducere possent.

35 De pago namque Bononiensi et Tarvanensi vestitus integros LX censuit porrigendos; drappos *a* albos XX, de quibus camisiæ *b* XX fieri possent; coria boum ad soleas V composita; fabarum modios XX; caseor. pensas *c* XXI per libras LXXV; ova mille; ceræ ad illam ecclesiam libras CC, ad opus fratrum C; sevo lib. CC; de Corialinse calcibus XXIIII. Bragal. LX; ad saccos autem faciendos, drappos albos II, de quibus fieri possint stamineæ *d* X; toaculas *e* II; coria bovina composita V; fabar. modios X, pisor. modios XX, caseor. pensas XV per libras LXXII; salis modios XXV; in mense Septembrio ova mille, de illa gregaria *f* pagens. LX; de Irtio et Idtio mapp. III. longitudinis ulnarum X, latitudinis II; de Apaliaco mappa una ejusdem mensuræ; lintea ad manus tergendas vellosa *h* III, unumquodque de ulnis quinque in longitudine, in latitudine III.

qua notatur,

F

a b

c

d e

f

h

36 De Gera camsiles *i* III, ad mappulas faciendas, longitudinis ulnarum XIII, latitudinis trium; de Clariaco mappam unam, habentem in longitudine ulnas X, in latitudine III ; item de Hirtio camsilem de ulnis XII, III latitudinis ad pedes tergendum ; de Camponis toaculam I ; de Rosoutio similiter ; de Floriaco similiter ; de prædicta gregaria

i

quid ex quolibet fundo

garia caseor. pensas xxx per libras LXXII ; filtra *k* ad soccos faciendum XII, ad lecta, quantum necessitas poposcit; porcos saginatos ad adipem et lardum cum unctis *l* LX, et insuper quantum necesse fuerit; de ministerio Rosontione fabar. modios tres, pisor. modios v; ad Nativitatem Domini aucipastas *m* tres, pullipastas XX, pullos LX. ova CCL ; et in Pascha similiter ; ceræ lib. III, mellis sextarios tres ; et in mense Novembrio ova D. ligna, carra IX.

37 Inter illam Crucem Paldriaco et Bladriciagas fabar. III, pisor. modios v ; ad Nativitatem Domini aucipastas IV, pullipastas XII, pullos LX, Ova CCL ; et in Pascha similiter ceræ lib. III, mellis sextarios III ; in mense Decembrio ova D ; ligna, carra LX ; de Campanis fabar. mod. III, pisor. modios VIII ; ad Nativitatem Domini aucipastas IV, pullipastas VII, pullos LXX, ova CCL ; et in Pascha similiter; mellis sextarium unum, ceræ lib, I ; in mense Januario ova D ; ligna, carra LX ; de Sadanma et Bubulo captiva fabar. mod. II, pisor. modios IV ; ad Nativitatem Domini aucipastas II, pullipastas X, pullos XXX, ova C ; et in Pascha similiter, mellis sextarios II, ceræ libras II ; in mense Februario ova D ; ligna, carra XII.

38 De Gariciagas, Duno, et Gera, fabar. mod. III, pisorum mod. IV ; ad Nativitatem Domini aucipastas tres, pullipastas XII, pullos XI, ova CCL ; et in Pascha similiter mellis sextarium I, ceræ libram I, et in mense Martio ova L ; ligna, carra XII ; de Petrioponte et Wirtlaïco toaculas II, fabar. mod V, salis mod. XV ; ad Nativitatem Domini aucipastas II, pullipastas XXVI, pullos CV, ova D ; et in Pascha similiter mellis sextarios II ; et in mense Aprili ova D ; de Idcio fabar. mod. I, pisor. mod. I ; ad Nativitatem Domini aucipastam unam, pullipastas IV, pullos XXV, ova L ; et in Pascha similiter mellis sextarium I, ceræ lib. I, et in mense Maio ova L ; ligna, carra XV ; de Irtio fabar. mod. I, pisor. mod. I ; ad Nativitatem Domini aucipastam unam, pullipastas IV, pullo XXV, ova L ; et in Pascha similiter mellis sextarium I, ceræ lib. I ; et in mense Junio ova D.

39 Item de Rosontione in mense Augusto ova CLXVI ; de illa Cruce et Campanis ova CLXVIII ; de Revereis curte *n* vini modios XLVIII, ova CCL ; vinum de Alpiaco mod. CCCL ; de Riparensi curte mod. CL ; de Abriaco mod. L ; de Burgundia mod. L : sunt modii DC. Adumaticum mod. XXXII ; Sicera, Humolone quantum necessitas exposcit, Ceræ ad illam Ecclesiam libras CC, olei libras CXXX, adipem mod. VIII ; ad opus fratrum ceræ lib. C, olei lib. C ; ad pelles hircinas sexaginta compositas lib. III ; ad cordebisos *o* XL comparandum lib. III ; ad coria bovina XX, lib. I ; capellos *p* nigros VIII de solid. XXXII, alios quatuor, unumquemque de solidis III ; qui fiunt solidi II *q* ; tres qui remanent de solidis septem, qui fiunt simul lib. 2 semis *r* : ad Stamineas XXX optimas comparandum lib. 3 ; ad femoralia paria XXX lib. 2.

40 Ad infirmorum curam mel et pigmenta lib. I ; ad saccos quindecim comparandum griseos *s* sicciscos, unde cappæ fiant, lib. X ; id est talis ordo, unumquodque de solidis X ; et duos optimos capellos de solidis XXX ; quinque, qui supersunt, de solidis XXXVI, novem vero, de solidis LIIII ; id est unumquodque de solidis sex ; ad roccos *t* faciendum, qui sunt rocci XVIII, colligunt super totum libras X ; ad sagos *u* XV in lecta mittendum lib. II et semis ; ad pelles berbicinas unde pellicia fiant, solidos X ; ad ubantos *x* lib. I ; ad fasciolas lib. I. Sunt in summa lib. XXXI *y* ; ad infirmorum curam, mansionilem *z* qui dicitur Bothmeregus, et quantumcumque decet sauram *aa* ; id est, de porcis, mutones *bb*, berbices *cc*, pullos, ova, omnem decimam nostram ad ipsam domum infirmorum concessimus. De nutrimentis nostris et de vasallis nostris ad portam monasterii dedimus villam Noviomum, et illos mansioniles qui dicuntur Gisimacas, Strotella, sanctum Stephanum, Luviccinas, Bantana, Cisternas, Lenticulosa ad illorum infirmitates et necessitates ex caritate, et caseos, et butyrum, nec non ad illorum famulos nutriendum, etc., quæ necessaria sunt concessimus.

A k l m *statis temporibus* B *pendi debeat* C *ad usus necessarios* n o p q r *cœnobii Fontanellensis.* s

AUCTORE COÆVO. t u x y z aa bb cc

ANNOTATA.

E

a Drappos, *id est pannos.*

b Camisiæ *sunt interulæ, quas monachi quidam vice cilicii gestabant laneas :* nam Benedictinis, *inquit Cangius in Glossario ad vocem* staminea, laneas camisias iuterdixit Innocentius III. PP. *Vide etiam hoc loco Mabillonium.*

c Pensa *hic appellari videtur persolutio, sive tributum in re quam ex pondere æstimamus.*

d Stamineæ *vocantur camisiæ sive interulæ laneæ, de quibus supra. De his etiam vide Menardum in Concordia Regularum pag.* 912.

e Toacula *dicitur Cangio mappula, mantile, manutergium,*

f Gregaria *est prædii pagensis seu rustici species, ubi greges ovium aluntur.*

h *Id est villosa, ut hic legit Cangius. Lintea sane villosa ad tergendum aptiora sunt.*

i Camsilis *hic accipitur pro tela linea, ut pater ex adjuncto.*

k Filtrum *dicitur antiquis, ut recte notat hic Mabillonius, quidquid ex lana coacta et compressa conficitur; qualis est illa materia, ex qua pilei conficiuntur. Vide plura de hoc apud Cangium ; ubi filtrum etiam pertinere ostendit ad lectos monachorum.*

F

l Unctum *est adipis massa ad ungendos calceos aliaque similia.*

m Sic vocabant artocreata ex aucis, seu anseribus ; et pullipasta quæ ex pullis : quorum esus monachis concedebatur in festis Nativitatis et Paschæ ex concilio Aquisgranensi, *inquit hic Mabillonius.*

n *Id est, de villa, quæ appellatur* Revereis : curtis *enim scriptoribus inferioris ævi, est villa, habitatio rustica ædificiis, colonis, servis, agris, personis, etc., ad rem agrestem necessariis instructa.*

o Cordebisus *dicitur* pellis de Corduba, corium caprinum alutariorum arte præparatum. *Cangius.*

p Capellus, *pileus est, seu quodvis tegmen capitis.*

q *Imo* 12 *: nam tria ducuntur in quatuor.*

r *Recte quidem si pro duodecim solidis superius numerentur undecim : sic enim solidi sunt hic universim* 50 *; cum libra una solidos* 20 *contineat.*

s Griseus *color est, qui ad album propius accedit,*

AUCTORE COÆVO. *dit, puta, cinericius. At quid* Sicciscus? *Unicum hoc ipsum hujus vocis exemplum profert Cangius; sed non explicat.*

t Roccus *est vestis suprema sive extima.*

u Sagus *hic est tecti stragulum.*

x Ubantos *pro* wantos, *id est chirothecas.*

y *Imo tota pecuniæ hic numeratæ summa redit ad libras* 45 *et semis; unde videtur hinc inde numerus alius pro alio positus.*

z Mansionilis *est agri portio cum mansione sive æde.* D

aa *Cangius pro* Sauram *legendum putat* Staurum, *quod significat quidquid ad vitæ necessaria conducit.*

bb *Id est, verveces.*

cc *Gallice* brebis *simpliciter oves significant. Porro loca hic passim notata neglexi; quis enim singula, tum quo operæ pretio, persequatur?*

DE B. BERNHARDO EPISCOPO ET CONF.

HILDESII IN SAXONIA INFERIORI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

B

§ I. Beati cultus et reliquiarum visitatio.

ANNO MCLIII. Quam *celebris est in sacris Fastis* XX *Novembris S. Bernwardi seu Berwardi, alias Bernardi Hildesiensis episcopi sub seculi* XI *principium ad Superos evocati festivitas, tam mihi difficile fuit junioris hujus* Bernardi *ullam in Martyrologiis aut ecclesiasticis Officiis memoriam reperire. Habebam quidem præ manibus Acta illius et miracula, olim a nostro Nicolao Schateno ad Henschenium missa, in quibus sæpe* beati *titulo decoratur; at cum anonymi istius scriptoris ætatem autoritatemque ignorarem, et in Actis nostris nemini locus concedi soleat, nisi de sanctitate aut immemorabili cultu plane constet, certiora publicæ venerationis testimonia exquirenda esse existimavi. Scripsi itaque anno* 1725 *ad P. Ludovicum Henseler, tum Coloniæ Agrippinæ degentem, quem antea Hildesii habitasse intellexeram, ut me de hodierno istius Præsulis cultu aliisque ad reliquias illius spectantibus certiorem redderet. Præstitit id diligenter vir humanissimus atque mihi respondit in hunc modum:* Libens R. V. ea communico, quæ mihi Hildesio a P. Hesselmeir gymnasii nostri præfecto, de cultu B. Bernardi fundatoris monasterii ad S. Godehardum prescripta sunt, ex quibus judico locum illi inter Acta Sanctorum denegandum non esse: quamvis enim nullum de ipso fiat Officium ecclesiasticum, habetur tamen inter Beatos, et imagines ejus pro cultu publico exponuntur. In templo S. Godehardi statua B. Bernardi ad humanam magnitudinem in sinistro altaris latere e regione S. Godehardi exhibetur, manu portans cœnobium S. Godehardi, cujus est fundator. Statua hæc nova quidem est, sed in locum alterius substituta, quam a trecentis fere annis expositam in altari fuisse constat ex traditione apud religiosos præfati monasterii recepta. Ibidem exstat pictura anno MDCXLVII formata, in qua Bernardus BEATI titulo decoratus repræsentatur. Anno MDCC repertum est corpus B. Bernardi episcopi in tumulo suo pene incorruptum, licet calix argenteus, quem manu prætulit, nitro sic corrosus esset, ut abierit in frusta. Confectum est hac de re instrumentum publicum, auctoritate celsissimi principis et episcopi Hildesiensis, qui corpus inspexit ipse, roboratum. Si copiam illius R. V. desideret, curabo, ut a reverendissimo prælato mihi transmittatur, qui plures etiam de eo informationes, si necessariæ sint, lubens communicabit.

Quamvis hic Episcopus Hildesiensis non inveniatur in Martyrologiis, C E

2 *Hanc notitiam adeptus obsequiosa viri istius benignitate abuti nolui, sed ad ipsum P. Sixtum Hesselmeir, Hildesiani gymnasii nostri præfectum, litteras dedi, quibus fidelem memorati instrumenti copiam petebam, et alia ad* B. Bernardum *pertinentia exquirebam. Is etiam post benignam obsequii sui oblationem varia perscribit de Actis et miraculis beati Præsulis, quæ in libro Ms. monasterii S. Godehardi leguntur. Ex initio et fine colligo, hæc ferme eadem esse cum illis, quæ P. Schatenus jam pridem ad Henschenium miserat: nam præter alia in calce libri hæc haberi asserit:* Caligulæ sandaliaque, quibus inter agendum episcopalis dignitatis officium beatus Pontifex usus est, inter cetera reliquiarum loco tam decenter quam honorifice penes nos cum ecclesiasticis reposita clenodiis continentur. *Hæc eadem verba in Ms. nostro inveniuntur post miracula num,* 17. *Deinde P. Hesselmeir hæc addit:* Liber hic *(nempe Vitæ et miraculorum, de quo supra egerat)* cum sandaliis die obitus ponitur super sandapilam, quæ ad sepulcrum erigitur, diciturque Missa pro familia fundatoris, omisso nomine Bernardi, cum collecta de sacerdotibus non episcopis. *Præterea in altera epistola publicam Antistitis venerationem confirmat his verbis:* Inveni statuam Beati supra templi januam cum radiis, et ad portam monasterii cum inscriptione: BEATUS BERNARDUS FUNDATOR; ejusque statua, ut nuper memoravi, in altari majore exhibetur, templum manu præferens. F

tamen habet cultum ut ex litteris constat.

3 *Hisce subjungo ipsum authentici instrumenti ecgraphum, quod opera ejusdem Sixti Hesselmeir Hildesio accepi, estque tenoris sequentis:* In nomine Domini Amen. Noverint universi præsentis instrumenti seriem visuri, lecturi aut legi audituri, quod anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo, Indictione Romanorum octava, pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini D. Innocentii divina providentia Papæ, hujus nominis duodecimi, anno nono, die

et ex visitatione corporis anno 1700 facta,

vero

A vero vigesima Julii, reverendissimus et amplissimus dominus Adolphus, asceterii ad sanctum Godehardum Ordinis divi Benedicti hic Hildesii abbas, me sacris Apostolica et Imperiali auctoritatibus notarium publicum infrascriptum, dominosque testes Joannem Assueri cathedralis Hildesiensis; et Joanuem Henricum Schmising collegiatæ sancti Mauritii prope Hildesium vicarios, ad se in præfatum monasterium vocari curarit, ibidemque nobis oretenus exposuerit, quod in renovatione ecclesiæ suæ intenderet aperire sepulcrum beatæ memoriæ Bernardi, comitis de Walleshusen, episcopi Hildesiensis vigesimi, fundatoris prædicti monasterii ad sanctum Godehardum, in medio chori sepulti, requirens me notarium et prædictos dominos testes, quatenus omnia quæ aperto sepulcro notatu digna reperirentur, diligentur observare, annotare, et super inventis in perpetuam rei memoriam, instrumentum publicum conficere et extradere vellem.

cujus instrumentum publicum,

4 Cum itaque ratione officii mei publici tam æquæ huic petitioni non potuerim non deferre, B idcirco una cum dominis meis prænominatis die vigesima Julii, quæ erat dies anniversaria depositionis beatæ memoriæ Bernardi, comitis de Walleshusen, episcopi Hildesiensis vigesimi, me ad templum sancti Godehardi contuli, ac hora septima accessi sepulcrum lapideum beatæ memoriæ Bernardi, episcopi Hildesiensis vigesimi, super cujus operculum lapideum incisa erat hæc scriptura :

✠ XIII. KL. AUG. O. DOMNUS BERNHARDUS
EPC. FUNDATOR LOCI HUJUS

In præsentia igitur et corona fratrum conventualium et nostra, sublato operculo, repertus est beatæ memoriæ Bernardus episcopus indutus casula moris antiqui, sub qua manus in pectore tectæ erant, nuda ossa capitis, quod adhuc consumptis carnibus integrum erat. Hoc caput videbatur reclinatum fuisse super lapidem, cui sequens scriptura incisa erat :

C ✠ ANNO DOMINICE INCARNATIONIS
MCLIII. INDICT. I. O. DOMNUS BERNHARDUS
BEATE MEMORIE HILDESH. EPC. XX.
SEDIT. ANNOS XXIII. MENSES II.
DIES X.

Hildesio ad nos transmissum,

5 Hoc caput jacebat in facie supra dextrum humerum : forte ut apparet, resoluta carne et arteriis, ad hanc partem declinatum est. Collum circumdabat parva catenula cum parva cruce pectorali, jacente supra pectus. Crux ipsa putatur argentea. Parvus calix argenteus, cujus pes consumptus erat, cum patenula repositus erat intra brachium dextrum. Pedum ligneum, cujus superior pars propter partem aliquam intermediam consumptam divisa erat a reliqua parte, jacebat ad dextrum latus. Ipsum corpus erat vestimentis opertum usque ad tibias; tibiæ autem et pedes erant induti sandaliis pontificalibus, tam tibialibus quam calceis, qui adhuc integriores erant, ornati parvis inauratis fimbriis : vestimenta autem, quæ a latere tangebant lapidem, videbantur ex parte consumpta ; alia vero erant adhuc tractabilia, sub quibus sentiebatur concavitas aliqua usque ad ossa, quæ adhuc solida et densa continebantur.

AUCTORE G. C.

hic exhibetur

6 Quæ omnia cum reverendissimus ac celsissimus dominus D. Judocus Edmundus, modernus Hildesiensis episcopus S. R. I. princeps, dominus noster clementissimus, assistentibus reverendissimis et amplissimis dominis, domino Jacobo ad sanctum Michaelem archangelum, et Adolpho ad sanctum Godehardum abbatibus, in præsentia et corona fratrum conventualium pridie (ut mihi relatum fuit) ipsismet oculis suis perlustrasset, et ultra centum numero aliæ personæ tam ecclesiasticæ quam seculares, adstantibus et cernentibus simul me notario et dominis testibus supra descriptam sepulcri formam conspexissent; hinc ego Bartholdus Windsracke sacris Apostolica et Imperiali auctoritatibus notarius publicus, in fidem præmissorum, inque veritatis testimonium præsens hocce publicum instrumentum desuper confeci, unaque cum dominis testibus meis supra nominatis subscripsi, et notariatus mei sigillo E consignavi legitime vocatus, rogatus et requisitus. Acta sunt hæc et inventa Hildesii anno, indictione, Pontificatu, mense, die, locis, testiumque præsentia, quibus supra. *Tunc notarius et testes more solito nomen suum subscribunt. Infra autem reverendissimus et amplissimus Benedictus Schiller, abbas ad S. Godehardum, apposito suo sigillo et propriæ manus subscriptione testatur, hoc apographum concordare cum originali, quod in monasterio S. Godehardi servatur.*

et in eo aliqua observantur.

7 *Nunc pauca in hoc instrumento observanda sunt; ac primo quidem, quod in utraque inscriptione occurrat littera* O, *quam linea jacens — mediam secat. Conjicio autem hoc charactere significari vocem* obiit *nisi forte sit Græcum* Θ, *qua littera apud Græcos* Θάνατος, *id est*, mors *seu* obitus *significatur, quamque Browerus noster, a Masenio editus, in Proparasceve ad Annales Trevirenses cap.* 24, *num.* 50 *testatur legi in epitaphiis antistitum et cœnobitarum Trevirensium. Alterum est, quod in secunda inscriptione mors ejus consignetur anno* 1153. *At in Ms. nostro num.* 23 *post versiculos sepulcrales ita legitur:* OBIIT TERTIO DECIMO KALENDAS AUGUSTI F ANNO MCLIV. *Suspicor, hunc annum in Vita Ms. ab aliquo recentiore ex conjectura aut traditione additum fuisse, cum in quodam codice Hildesheimensi annus omissus esset hoc modo :* Obiit autem anno nostræ incarnationis.....; suæ vero ordinationis anno..... et in monasterio S. Godehardi requiescit. *De hoc Ms. codice supra laudatus P. Hesselmeir sic ad me scribit :* Accludo Vitæ compendium, quod in membrana notatum iu monasterio S. Godehardi inveni : character etiam est antiquus; non additur annus. *Quidquid sit, potius credo antiquæ lapidis inscriptioni, quæ verosimillime beato Præsuli contemporanea est, quam ignoto Vitæ Ms. auctori, cujus ætatem ignoro. Idem judico de serie episcoporum Hildesensium, cum hic diserte numeretur* XX, *quamvis alia chronica ipsum* XXI *appellent. Jam de Actis eorumque scriptore nonnulla examinanda sunt.*

§ II.

AUCTORE G. C.

§ II. Acta eorumque scriptor.

Habemus varia Mss. B. Bernardi Acta,

Varia B. Bernardi *Acta, corumque compendia tum manu scripta tum typis edita habemus. Imprimis in Musco nostro servamus historiam Germanicam Ms. urbis ac diœcesis Hildesiensis, in qua inter alias episcoporum Hildesiensium Vitas, gesta* B. Bernardi *fuse describuntur. Sed cum in historia illa Germanica occurrat quoddam figmentum postea refellendum, et istius historiæ auctor videatur recentior, operæ pretium non est hanc Vitam Latinam reddere. Præterea Nicolaus Schatenus noster olim ad nos misit duplex Ms. Latinum, in quo eadem fere, quæ in Germanico, narrantur. At cum ambo talia sint, ut nec unum nec alterum ullam antiquitatis speciem præ se ferat, suffecerit ex utroque postmodum aliquam fabellam refutasse. Quartum Ms. nostrum ex codice membranco monasterii S. Godehardi desumptum est, in quo continentur* B. Bernardi *Acta et miracula, quæ huic Commentario* B *subjungemus, postquam de illius auctore aliquas conjecturas proposuerimus. Quintum denique est quoddam Vitæ compendium, quod laudatus Sixtus Hesselmeir ex vetusto ejusdem cœnobii codice describi curavit. Leibnitius id ipsum inter scriptores Brunsvicenses tomo 1 pag, 746 in Chronico Hildesheimensi edidit, et existimat, hoc conscriptum fuisse ab Ekkehardo abbate Vragiensi, qui* B. Bernardo *præsuli Hildesiensi synchronus fuit.*

ex quibus Vitæ synopsis,

9 *Quidquid sit, nos istam Actorum synopsin, cum Leibnitiana editione collatam, hic exhibemus ex memorato Ms. Hildesiensi, quod ita habet :* Bernardus episcopus, qui primum magister scholarum, deinde majoris ecclesiæ præpositus [fuit] pari desiderio cleri et populi supra modum renitens in episcopum eligitur. Electus autem sicut vir litteratura et discretione omnique virtutum decore conspicuus, dispersa congregare et congregata conservare, et habita modis competentibus augmentare curavit. Abbatiam siquidem Ryngelemensem prius regalem, nunc vero episcopalem a Conrado rege, eonsensu principum donante, in C perpetuum sibi et successoribus suis obtinuit ; ac præposituram in Alsburg, cum ante non totam possideret, Henrico duce partem suam conferente, integraliter bonis proprietariis ecclesiæ nostræ coadunavit. In honorem quoque beati Godehardi episcopi nostri et confessoris vere Sanctorum eatalogo non inconvenienter adscripti, cujus ipse translationem auctoritate Innocentii II Papæ, et conniventia Remensis concilii solenniter celebrarat, monasterium in australi parte nostræ civitatis construens dedicavit et dotavit, ac fratres monasticæ professionis inibi Deo servituros eonstituit, et eis Fredericum primum abbatem præfecit. Ipse fratrum utilitati pie prospiciens partem prædii, quod in Waleshusen habebat, in augmentum præbendarum contulit ; prædia vero quæ venerabiles abbatissæ Adelheithis et Eilika * ecclesiæ eontulerant, hac moderatione fratribus impertivit, ut curtes et litones usui fratrum cederent ; ministeriales vero curiæ episcopalis curialium more deservirent, sic tamen, ut ministerialium absque herede decedentium bona seu beneficia fratrum bonis semper accedant.

* *editio* Adelheidis et Elika

10 Nec hoc silentio prætereundum est, quod curtem nostram in Embreke, qua longo caruimus tempore, sagaciter requisivit, et fratribus reddidit, et inde quatuor servitia fratrum consilio dari ordinavit; duo fratribus sancti Mauritii et sanctæ Crucis, in Ascensione et in Pentecosten nobiscum in refectorio ; unum in Apostolorum Petri et Pauli festo, quartum in ipsius boni Comitis Thietmari, qui eadem bona nobis contulit, anniversario : et ut fratribus affectum fraternæ dilectionis in omnibus declararet, medietatem oblationum altaris beatæ Mariæ, et tertiam partem eorum, quæ ad beatum Godehardum afferuntur, itemque oblationes sepulcri cum omni integritate, domino Hermanno Thuringo venerabili presbytero interveniente, fratribus erogavit ; et ne rerum necessariarum defeetum sentire cogerentur, instituit, ut per licentiam absentibus per quindecim dies plenaria præbendarum portio, præter vinum, ministretur ; quando autem vinum deest, decem nummos pro vino dari, cum ante septem darentur ordinavit.

D *cum editione Leibnitiana collata.*

11 Castrum etiam Wintzenburg funditus dirutum, ut sibi ad tutamen ecclesiæ reædificare liceret, ab imperatore Lotario impetravit, quod et reædificavit, et ut ecclesiæ et sibi et successoribus suis et absque alicujus invasione liberum permaneret; duorum Romanorum Pontificum Innocentii et Eugenii, magnorum in Christo virorum, banno firmari rogavit. Ipse etiam ligneam turrim, vetustate dirutam, amovit, et novam non modico sumptu reposuit, deditque vas chrismarium * argenteum, et dorsale *(idem est apud scriptores medii ævi, quod apud Latinos aulæum)* valde bonum, quando Embreke fratribus resignavit, in testimonium. Indumenta * quoque episcopalia aurifrigiis *(hoc est fimbriis aureis)* decenter ornata de suo ecclesiæ comparavit, annulosque duos pontificales, suo nomine inscriptos, unum topazio aliisque gemmis cum margaritis circumpositum ; alterum quadrangulum jacintho optimo radiantem beatæ Mariæ obtulit. Qualiter etiam monasterium nostrum campanis et picturis adornaverit, coram omnibus elucescit. Prærogativam denique episcopalis officii, quam in Gandesheimensi ecclesia sui antecessores, episcopi videlicet Hildesheimenses, habuerant, toto vitæ suæ tempore quiete possedit : nam dominam Luthgardam, dominæ Berthæ abbatissæ subrogandam Goslariæ in euria imperatoris Lotharii in ecclesia beatorum Apostolorum Simonis et Judæ, promissa sibi debita obedientia, manu propria consecravit : qua defuneta, dominam Adelheidam illi rite substitutam, oculorum cæcitate præpeditus per manum Domini Bernhardi Palburnensis * episcopi in Gandesheimensi monasterio præsentialiter sibi obedientiam promittente, fecit consecrari. Obiit autem anno nostræ * Incarnationis......, suæ vero ordinationis anno......, et in monasterio S. Godehardi requiescit. *Annorum computus, qui in Ms. nostro desideratur, in editione Leibnitiana exprimitur hoc modo :* Obiit autem anno Dominicæ Incarnationis MCLIII, suæ vero ordinationis anno XXIII. *Recte quidem ; sed an ipse primus scriptor hunc annum posuerit, an autem alius suppleverit, nescio. Vide, quæ de hac re diximus supra num.* 7.

E *huic Commentario prævio inseritur.*

* *editio* crismatum

* *editio* In Dominica

F

* *lege* Paderbornensis

* *editio* Dominicæ

12 *Præter jam memorata Vitæ Ms. exemplaria varii auctores typis vulgati de gestis* B. Bernardi *memi-*

Fabula de quodam spectro,

AUCTORE G. C.

A *meminerunt. Verum aliqui Actis ejus immiscuerunt fabulam adeo insulsam, ut eam vix rusticæ plebi credibilem facias. Recens scriptor, catalogi episcoporum Hildesheimensium apud Leibnitium tomo* 2 *pag.* 791 *ceteris istius Præsulis gestis hæc immiscuit :* Acquisivit per revelationem ac admonitionem familiaris cujusdam spiritus (quem chronica Saxonum a rustico pileo, quo tectus incedebat, Hodeckhin vocant) Wintzenburgensem comitatum et oppidum Alveldense, postquam Hermannus ultimus Comes a Wintzenborg Saxonici cujusdam ac præpotentis reguli interfector, relictis suis omnibus ditionibus, in spontaneum exilium abierat, nemini postea suorum umquam visus. Eum comitatum totum cum consensu imperatoris Lotharii Saxonis possedit. *Eadem ad verbum habet Gaspar Bruschius in compendioso opere de episcopatibus Germaniæ fol.* 103 *verso. Imhoffius in Notitia Procerum Romano Germanici imperii lib.* 3, *cap.* 11 *idem figmentum ex Bruschio descripsit, atque ita sine examine ab uno libro ad alterum transiit. Nos eam narrationem ad severiorem crisin* B *revocamus, ac fabulosam esse contendimus, tum quia longiora et antiquiora Acta de spectro illo nullum faciunt verbum, tum quia istius fabellæ scriptores in ea referenda inter se dissident, ut jam ex eorum verbis ostendo.*

quæ in variis Mss. et editionibus

13 *Lesnerus, cujus Ms. opus de episcopis Hildesiensibus Schatenus noster vidit, hanc rem ita narrat :* Expugnavit deinde cæsar Lotharius arcem Wintzenborch....... et comitem Hermannum captivum abduxit, et Bernardo episcopo totum comitatum in manus dedit pro veteri jure : episcopus ex consensu cæsaris arcem reparat, et munit, ac ne imposterum a diœcesi avelli posset, impetravit ab Innocentio et Eugenio PP. diploma. Flexus tamen postea Bernardus precibus Conradi imperatoris et Hartungi archiepiscopi Bremensis, comitatum comiti Hermanno reddidit : quo haud ita multo post cæso, comitatus ad episcopum rediit. In eadem arce infestus quidam spiritus, uti et vicinis locis, vagatus est, quem Bernardus occupata arce expulit. Is tamen Aquisgrani civi Hildesiensi post apparuit, ac per eum ab episcopo reditum expetiit. Reversus deinde C fertur ei necem Hermanni comitis nuntiasse. *Vides hic, Hermannum comitem Wintzenburgensem ab imperatore Lothario expugnatum et captum, qui juxta alios post cædem patratam,* relictis suis omnibus ditionibus, in spontaneum exilium abierat nemini postea suorum umquam visus. *Vides hic, comitatum Wintzenburgensem Hermanno postea restitui, de qua restitutione apud alios fabulatores altum est silentium. Hæc combinet, qui potest ; ego interim eamdem scenam, alio modo adornatam, jam repræsento.*

diverso plane modo narratur,

14 *Chronicon Ms. Hildesiense, quod a P. Schateno olim accepimus et supra inter Acta Mss. tertio loco enumeravimus, de hoc episcopo Hildesiensi refert sequentia :* Episcopatui acquisivit comitatum Wintzenburgensem. Miro prorsus modo, ut chronicon Saxonicum refert, id evenit : nam Bernardi temporibus Hildesii in urbe, comprimis in episcopali aula, malignus spiritus humana forma indutus se omnibus spectabilem dabat, adeoque disertum, benignum, et familiarem omnibus, ut nullus ejus consuetudinem horreret amplius : Saxonica lingua parvum canem appellabant, quod pilcum e canis pelle formatum gestaret pauperis habitu. Accidit interea cædes præcipui e nobilitate viri. Auctor hujus Hermannus, ultimus e comitum Wintzenburgensium familia heres. Is, quia ob justam homicidii vindictam consanguineos veritus [fuerat,] deserta arce et bonis exul profugit, et incognitus diu latuit. Interea consanguinei ulturi necem cum collecto milite ad Wintzenburgensem arcem accedunt, ut eam occupent. Spiritus ille familiaris noctu cubiculum dormientis episcopi intrat, monetque, ut prævertat suis armis, et arcem sibi vindicet. Hoc monitu episcopus ministeriales suos convocat, militem subito colligit, et arcem occupat : inde comitatus a Lothario imperatore episcopatui junctus fuit. Arce in potestatem accepta, omnia reparat, et firmiter contra incursiones hostium munit. Tum vero spiritus ille incolas mire turbare cœpit : quem deinde Bernardus sacris exorcismis ex arce et diœcesi ejecit. *Audi jam alterum, qui historiam illam modo ab omnibus diverso exponit.*

hic exploditur;

15 *Leibnitius in Introductione ad tomum* 3 *de* E *scriptoribus Brunsvicensibus pag.* 9 *de ea vulgi narratiuncula sic scribit :* Narrant enim Buntingius aliique hujus notæ scriptores ex antiquioribus fabulatoribus, Hermanno novissimo comite de Winzenburg cum uxore gravida occiso a ministeriali suo, cujus uxorem adulterio polluerat, genium quemdam Hodeke (id est pileolum) dictum, arcis incolam, statim episcopum Hildeshemensem Bernhardum, adhuc in lecto mane jacentem, occasionis capillatæ admonuisse : Surge, inquit, o tonse, et Winceburgum vacuum cape. *Chronicon Stederburgense, quod Meibomius tomo* I *Rerum Germanicarum typis vulgavit, ad annum* 1152 *pag.* 454 *hæc habet :* Hermannus comes de Winzenborg simul cum uxore a ministerialibus ecclesiæ Hildensemensis occiditur. *Nihil hic de dæmone Hodikone memoratur. Hermannum comitem, quem alii exulem et nunquam postea visum, alii a Lothario captum fuisse asserunt, hic occisum vides. Ego de hac tota re dumtaxat ea credo, quæ in antiquo Chronico Hildesheimensi, quod Duchesnius edidit inter scriptores Historiæ Francorum, leguntur tomo* 3, *pag.* 538, *his verbis :* F Burchardus de Lucca occiditur : unde rex contristatus et iratus, Winceburch castrum Herimanni comitis, cui hujus cædis consilium et jussum imponebatur, obsidione circumdat...... Herimannus consilio principum cum prædicto castro regis se potestati tradit ; quem rex custodiæ deputat ; castrum vero everti solo tenus imperat. *Nullum hic fit verbum de pileato isto spectro, quod ad terrendos pueros primum a matribus Saxonicis excogitatum esse, ac postmodum in simpliciora gentis illius chronica irrepsisse arbitror.*

et alia quædam fabulosa et incerta discutiuntur.

16 *Non minus fictionis suspecta sunt, quæ in quibusdam chronicis de hoc* B. Bernardo *narrantur, ut jam paucis ostendere conabor. In plerisque Actis dicitur hic Præsul aliquot annis ante mortem cæcus fuisse. Chronicon Goslariense, quod Leibnitius tomo* 2 *scriptorum Brunsvicensium inseruit, occasionem hujus cæcitatis pag.* 535 *refert hoc modo :* Collocavit *(nempe Henricus secundus imperator, de quo agitur)* quasdam reliquias in altari cryptæ reverenter, quas postea Bernardus Hildesiensis episcopus cum Elberto, hujus ecclesiæ præposito, irreverenter videre, et alibi locare voluit.

quod

AUCTORE G. C.

quod ambo excæcati fuerunt. *Non parum fabulosa videtur hæc cæcitatis causa : quis enim credat, B. Bernardum erga Sanctorum reliquias fuisse irreverentem, qui* cum magno timore ac tremore..... sarcophagum, in quo positus fuerat noster patronus *(nempe S. Godehardus)* aperiri præcepit, ipseque cum ceteris fidelibus, orationibus interea devotissime institit, *ut ab auctore synchrono narratur in Opere nostro ad diem* IV *Maii tomo* 1 *ejusdem mensis pag.* 523. *Æquivocum est, quod in citato Chronico Stederburgensi ad annum* 1153 *de* Bernardo *nostro sic legitur :* Gregorius cardinalis Henricum Moguntinensem archiepiscopum et Bernhardum Hildensemensem et Henricum Mindensem deposuit. *Falsum id est, si auctor Chronici velit abdicationem* B. Bernardi *Hildesiensis similem fuisse depositioni archiepiscopi Moguntini, de qua vide Baronium ad annum Christi* 1153 *num.* 4 *et sequentibus : nam* Bernardus *Hildesiensis ultro ab episcopali onere liberari petiit, ut habes in Actis nostris a num.* 16. *Denique incertum est, quod in eodem Chronico Stederburgensi ad annum* 1140
B *traditur hoc modo :* Bernhardus episcopus Hildensemensis Romam profectus est. *De hoc Romano itinere in omnibus aliis monumentis, quæ vidi, altum est silentium. Nune Vitæ hic statim subjungendæ auctorem investigemus.*

Inquiritur, quis fuerit scriptor Actorum et miraculorum.

17 *Joannes Legatius apud Leibnitium tomo* 2, *pag.* 407 *elogium* B. Bernardi *ita concludit :* De Bernhardo, cujus Vitam Johannes veteris civitatis abbas eleganti sermone perscripsit, satis litteris traditum est. *Diu frustra quæsivi, quis ille Joannes, veteris civitatis abbas, fuerit, aut quo tempore vixerit. Nec plura de eo reperisse videtur Leibnitius, qui in Introductione ad tomum* 2, *pag.* 36 *quædam præmonens de Chronico, quod Joannes Legatius in monasterio S. Godehardi seculo* XV *exaravit, inter alia ad propositum nostrum hæc præfatur :* Monasterium hoc Ordinis S. Benedicti condi cœptum ab episcopo Bernhardo anno Domini MCXXXIII, XVI Kal. Julii in honorem S. Godehardi episcopi, cujus relatio inter Sanctos anno præcedente cura ejusdem Bernhardi, perfecta fuerat. Bernhardi ipsius Vitam Johannes, veteris civitatis abbas, eleganti sermone scripsisse hic
C dicitur ; ea non exstat. Veterem civitatem puto esse Olzen seu Oldenstad : nam et ibi erat monasterium Benedictinorum. *At scire cuperem, unde Leibnitius tam certo noverit, Vitam* B. Bernardi, *ab isto abbate scriptam, non ampliùs exstare. An ita exacte omnium bibliothecarum angulos excussit, ut hæc parvæ molis Acta alicubi latere nequeant ? Cum primum legissem in Chronico Joannis Legatii, Acta illa* eleganti sermone *a Joanne abbate conscripta fuisse, dubitare cœpi, an non essent ea ipsa, quæ post hunc Commentarium edituri sumus, cum illorum auctor subinde Ciceronianam sermonis elegantiam affectet. Attamen probabilius existimo, Vitam hic a nobis edendam a monacho S. Godehardi concinnatam fuisse, quia monasterium istud toties* nostrum *appellat. Fateor tamen hac observatione rem non penitus confici : potuit enim scriptor Benedictinus cœnobium istud appellare* nostrum *id est* nostri Ordinis, *licet in illo non habitaret, sicuti nos communiter Romanum, Pragense, Cracoviense aliaque collegia Societatis nostræ vocamus nostra, quamvis in iis non scribamus. Certius de hac re judicium possemus ferre, si constaret, eumdem esse scriptorem Actorum et miraculorum, cum collector* D *miraculorum satis indicet, se Hildesii scripsisse. Sed quandoquidem hæc aliaque incerta sunt, nos hic Vitam et miracula sub titulo auctoris anonymi excudemus, et quibusdam notis illustrabimus.*

VITA

AUCTORE ANONYMO BENEDICTINO

Ex Ms. codice monasterii Hildesiensis S. Godehardi.

CAPUT I.

Prosapia B. Bernardi, pueritia, et fratris ejus Lamberti elogium.

E

Auctor pauca præfatus piam pueritiam,

Quia Euangelicæ veritatis ore præcipitur, ut lucerna non sub modio, sed super candelabrum ad illuminationem fidelium constituatur ; et quia secreta regum celari jubentur ; opera vero Dei revelanda et magnificanda, jure pandantur, ideo dignum, et etiam gloriosum putavimus, vitam beati et venerabilis patris nostri Bernardi episcopi, quantum divina clementia donaverit, in exemplum modernis et posteris proponere, et gestorum ejus probabile magisterium Deum timentibus exponere. Beatæ igitur memoriæ Bernardus, parentibus ortus clarissimis, de prosapia videlicet comitum de Valleshusen *a* egregius pastor inclytæ urbis Hildesheimensis fuit et episcopus, et nunc glorioso excessu (ut confidimus) patronus effectus. Qui infantiæ tempore in regalibus castris nobiliter, ut res postularat, educatus est et nutritus. Cum vero usum rationis nancisci cœpisset, in flore primævæ ætatis Christi militiam, laqueis seculi ruptis, perseverantiæ definitione suscepit, et ad capessendæ religionis propositum, et virtuosæ vitæ F adhuc puerulus, Vir beatus mirandum in modum exarsit.

et juventutem S. Bernardi describit,

2 Hinc jam lectionibus cœpit se divinorum voluminum mancipare, et in eruditionibus fidei semetipsum insigniter exercere. Denique pro juvenilibus reprimendis cupiditatibus, et sapientiæ profectibus adipiscendis, orationibus se et abstinentiæ frænis constringebat : et (ut ita dixerim) ab ipsis cunabulis ecclesiastica observantia perquam honorabilis ei fuit, et multorum juvenum non solum, sed et senum quoque cum bonis exemplis, tum verborum sapientia eruditor fuit : manifeste enim ei aderat divina gratia, per quam innumeros ad imitationem sui in fide Dei, et operum exercitio provocabat. Ante omnia vero et præcepta euangelica et vocem Servatoris summo amore, summoque studio censebat implenda fore. Nam etsi juvenilis quidem et minus perfecti sensus fortasse videretur, perfectissimæ tamen castitatis indicium continens, quasi fundamentum quoddam primum ita ipsam in animum continentiæ dignitatem collocavit. Præclaræ igitur indolis

puer

A puer tum annorum additione, tum etiam virtutum incremento pedetentim succrevit, cum augmento naturæ spiritu proficiens, de virtute in virtutem gratia Christi provectus est.

et narrat, quomodo ejus frater Lambertus, canonicus Coloniensis,

3 Huic venerando adolescenti erant quatuor fratres : Lambertus, Swiderus, Opertus, Everhardus; eisque erat soror unica, Eveze nomine, quam sibi in conjugio copulaverat generosus comes de Rodenborch *b*. Horum quoque fratrum tres ultimi Swiderus Opertus, Everhardus, in statu habituque seculari conversati, divitiis et gloria donati, cum Dei timore vitam agebant. Quartus vero, Lambertus nomine, in primævæ ætatis flore divino (ut reor) plus quam humano, et amicorum auxilio in ecclesia cathedrali Coloniensi canonicus effectus est, ubi tam humiliter quam devote Dei servitio sese mancipavit; adeo ut etiam Christi bonus odor fuerit, et non tantum ad eos, cum quibus per dies singulos unanimiter in domo Dei ambulabat cum consensu, odorem bonæ famæ spargebat, verum etiam cum extraneis et secularibus virtutum gratia venerari B cœpit. At vero quæ tanta potest existere ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus orationis, quo quisquam possit universa promerita horum duorum fratrum germanorum, imo venerabilium patrum, Bernardi videlicet et Lamberti, non dicam complecti orando, sed percensere numerando, qui suis præclaris operibus adeo mundum illustrarunt, qui divinum cultum amplissimum reddiderunt, qui patriam, qua nihil potest esse jucundius, paci libertatique vel ingenio, vel orationis studio conservarunt *c*?

Hierosolymam tendere volens,

4 Insuper Deo dilectus Lambertus Dei servimini indies vigilantius inardens, peregre proficiscitur, viam versus Terram sanctam aggressus, et uno tantum servo comite contentus civitatem Austriæ Passaviam *d* intravit, Apostolorum exemplo relictis, quæ possidebat omnibus. Ubi a quodam laico converso, Raso nomine, visus, cognitus et iuventus est. A quo requisitus cur tanta vir nobilitate præclarus, cui militaris jure comitatus competeret, uno solum famulo contentus humiliter et pedester incederet. Cui ille : In C beneplacito est Dei, ait; Raso autem (ut creditur) divinitus inspiratus, considerato ejus viri honorandi hospitio, Pataviensem episcopum, tunc temporis nutu Dei in civitate præsentem, quam celerrime adiit, ejus pedibus provolutus. Quo facto insolito perterritus episcopus, quænam tam subitæ provolutionis causa existeret, solicitus inquisivit. Domine, inquit Raso, gratiosissime; dominum Lambertum Coloniensem canonicum hac in urbe cum uno tantum servo vidi humiliter satis incedentem, Jerosolymam (ut reor) profecturum : qui si ecclesiæ nostræ sociari posset, gloriam confiderem patriam nostram consecuturam et honorem maximum. Quibus episcopus auditis, ut servus Dei quamprimum sibi adducatur jubet.

ab episcopo Pataviensi excitatus fuerit ad vitam religiosam,

5 Raso autem ardentissimo desiderio currebat, eum, uti fecerat, episcopo præsentare conatus. Ille vero beatus Vir, quia vere humilis erat, nesciri se maluisset, quam cognosci; verum quia a reverendo patre et episcopo vocatus fuerat, ejus præsentiæ se concitus obtulit. Quo veniente, episcopus eum tam reverenter suscepit, quam benigne; cumque multo sermone collocuti fuerant, episcopus : Domine, inquit, Lamberte, te Jerosolymam profecturum accepi; si autem meis consiliis aurem inclinare volueris, inutilibus laboribus et vagationibus absque frugi posthabitis, in ecclesia quadam virorum religiosorum te stabiliendo, Deo servire dispone, et ut brevius tibi consilium meum insinuem, apud nos ecclesiam esse scias, Redenbach nomine, in qua viri admodum religiosi sunt plerique, qui sub regula beati Augustini Deo devotissime serviunt. Eos igitur, si meis acquiescere consiliis decreveris, visitabis; ego et tibi et famulo tuo singulos equos cum suis ornamentis necessariis præstabo, et si locus placuerit tibi, et fratrum conversatio, et apud eos manere deliberaveris, equos cum eorum additamentis ecclesiæ assignabis ; sic autem cum iisdem sub Dei benedictione proficisci curato. EX MS.

qui præsulis illius consilio obtemperans,

6 Quibus vir humilis auditis, gratias egit episcopo longe maximas, et e vestigio locum præscriptum adire contendit. Quo ad viros reverendos adveniente, haud secus, [quam] angelus Dei susceptus est, et in eorum conversatione tantum E delectatus est, quod eadem, qua venerat die, habitum tonsuramque secundum modum regularium canonicorum susciperet devotione maxima : ubi quam humiliter, quam devote, quamque charitative conversari cœperit non est dictu facile. Eo tempore episcopus Magdeburgensis, Aldegotus *e* nomine, tam hominibus reverendus, quam *e* Deo charus, ecclesiam sua in diœcesi ædificare proposuit, in qua sub regula sancti Augustini Dei famuli Christo militarent. Cumque in ea mentis occupatione versaretur, cogitare cœpit, unde viros idoneos de regula sancti Augustini adsciscere posset; et ecce venerabilis archiepiscopus Saltzburgensis insperato divina (ut creditur) ordinatione advenit. Cui honorifice suscepto, et aliquamdiu manenti archiepiscopus Magdeburgensis de ecclesia et monasterio fundando Ordinis sancti Augustini mentem aperuit; sed affligor, inquit, nimium nesciens unde personas idoneas, et Deum vere quærentes, adducere queam. Archiepiscopus autem Saltzburgensis devotionem reverendi patris archipræsulis Magdeburgensis plurimum et approbans, et laudans : F Domine, inquit, vestrum est incipere, Dei autem perficere. Nos etiam, ut bonorum operum illorum consortes fieri mereamur, viros vobis ejuscemodi religionis probatissimos, Deo adjutore, transmittemus.

institutum canonicorum regularium amplectitur.

7 Quo audito, archiepiscopus gratias agendo complurimas, ut opus propositum executioni demandaretur, vigilantissime disposuit ordinavitque. Verum archiepiscopo secum cogitante, quonam in loco aptius congruentiusque templum ædificaret, partim miraculis, partim civium Hallensium petitione motus, in locum circa oppidum Halle (ut hodie patet) ædificavit, quod cœnobium Novi operis appellavit; dominus autem reverendissimus archiepiscopus Saltzburgensis promissioni suæ satisfaciendo archipræsuli Magdeburgensi Aldegoto viros admodum religiosos hujusmodi professionis, beati videlicet Augustini, præpositum Berewicum de Redenbach, Everhelmum decanum ejusdem ecclesiæ, Wichmannum de Frekense cum aliis transmisit, adjuncto eisdem memorabili viro omni reverentia dignissimo Lamberto :

EX MS. berto : qui in eo monasterio divinum cultum regulariter, gloriosissime, devotissimeque simul incepere. At ubi Berewicus præpositus, vir morum virtutumque probitate profecto clarissimus, paucis post annis mortem oppetiisset, communi fratrum consensu, tametsi plurimum renitens, dominus Lambertus electus et suffectus est. Ubi quam virtuose, quam prudenter, quamque sancte vitam egerit, et in domo Dei super candelabrum omnibus illuxerit, litteris latius mandassem, nisi styli prolixitas vetuisset. Nunc ad principale, quo cœpimus, revertamur.

ANNOTATA.

a *Alibi dicitur ortus ex prosapia comitum de Rotenburg. An uterque hic comitatus ad eamdem familiam pertinuerit, genealogis disquirendum relinquimus.*

b *Forte ob hanc affinitatem vocatur* B. Bernardus *comes Rotenburgensis : nam alium hujus nominis comitatum non invenio, præter Rotenburgum ad Tubarim in Franconia vulgo* Rotenburg an der Tauber. *Plura de eo habet Merianus in geographica descriptione Franconiæ a pag.* 46.

B

c *Ex his similibusque phrasibus, quæ Ciceronianum quid olent, conjicerem, quod fortasse Joannes veteris civitatis abbas sit hujus Vitæ auctor, qui Acta* B. Bernardi eleganti sermone *scripsisse fertur. Sed ob rationes in Commentario dictas, et ob aliquam styli scabritiem non est hoc adeo verosimile.*

d *Latine vocatur hæc urbs* Patavia, *olim* Batava castra, *nunc vulgo* Passaw *atque hinc* Passavia.

e *Is fuit undecimus Magdeburgensium antistes, qui anno* 1118 *obiit. Pia ejus gesta vide in Chronico Magdeburgensi apud Meibomium tomo* 2. *Rerum Germanicarum pag.* 323 *et* 324.

CAPUT II.

C

Varia ejus officia in ecclesia Hildesiensi, electio ad episcopatum, pastoralis vigilantia et pia opera.

B. Bernardus post varios gradus in ecclesia Hildesiensi.

Venerandus igitur pater et dominus Bernardus medio ætatis suæ tempore, et in adolescentia nostræ ecclesiæ majoris canonicus fuit : quo tempore his studiis, utpote liberalibus, operam dedit summam, quæ adolescentia alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum et peregrinantur. Deinde primicerius seu scholasticus effectus, juvenes et adultos scholasticæ disciplinæ incumbentes omni cum diligentia servato laudabili petulantis juventutis rigore, informabat, et ad Dei timorem servitiumque verbis et exemplis trahebat. Norat enim vir felicis recordationis, quam sit disciplina omni hominum statui et præcipue minori ætati necessaria. Est namque disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes bonæ indolis, magistra virtutum : facit in Christo manere semper, ac jugiter Deo vivere, et ad promissa cœlestia pervenire : hanc sectari salubre est, aversari vero et negligere letale. Disciplinam enim qui abjicit, infelix est ; ideoque Salomon : Fili, inquit, ne neglexeris disciplinam Dei, nec defeceris ab eo correptus. D

ob eximias dotes ac virtutes,

9 Postquam hoc in officio ecclesiastico plurimum ecclesiæ contulerat, et Deo servierat humiliter et diligenter, propter ecclesiæ necessitatem amovendam et utilitatem atque honorem procurandum præpositus major ordinatur ; cujusmodi officium omni cura et solicitudine pro Dei honore exsecutus est, et omnibus hominibus affabilem ac benignum, pauperibus adjutorem præcipuum sese exhibebat. Quod ecclesiæ officium dum procurasset solicitus, tunc scilicet anno Domini millesimo centesimo trigesimo beatæ memoriæ charus Bertoldus *a* præsul noster decimus nonus obiit feliciter. Quo defuncto eis, quorum interfuit, de eligendo digno pastore, cura erat haud dubium quammaxima. Debet enim præferendus sive prælatus omni morum honestate exornari ; sic quoque necesse est, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit honor sublimis, et vita proclivis ; ne sit deifica professio, et illicita actio ; ne sit gradus excelsus, et deformis excessus ; ne locutionem simulet columbinam, et mentem habeat caninam ; ne professionem monstret ovinam, et ferocitatem habeat leoninam. d E

eligitur Hildesheimensis episcopus;

10 Præterea viros probatos eligi oportet, non probandos ; non volentes, non currentes, sed cunctantes, sed renuentes, qui stent viriliter pro afflictis, et judicent in æquitate pro mansuetis, qui sint compositi ad mores, probi ad sanctimoniam, parati ad obedientam, mansueti ad patientiam, subjecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, Catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, unanimes ad unitatem ; qui sint in judicio recti, in consilio providi, in jubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, in misericordia non remissi, in domo non otiosi, in hospitio non dissoluti, in convivio non effusi, ubique et in omnibus circumspecti. Hæc et horum similia prælatis admodum necessaria, quorum interfuerat eligere, profundius pensantes in dominum Bernhardum unanimi consensu vota sua deflexere, aptiorem, moratiorem, sanctiorem reperientes neminem. Cui electioni de se factæ non velle consentire [se dixit ; sed] deliberaturum sibi * suisque (diutine enim restitit.) Tandem cum petitionibus compluribus tum timore Dei inductus consensit. F

* *pro* secum

in qua dignitate constitutus,

11 Venerando itaque patre Bernhardo pontificatus infulis decorato, condignas divinæ pietati gratias persolvens, diœcesim suam omni devotionis studio dilatare, dilatatam pace firmare, et firmatam in divini cultus exercitio satagebat decorare. Forinsecus etiam de generali et populi et cleri gubernatione in specula pastorali constitutus solerter invigilavit, pro qua etiam omni tempore vitæ suæ, Deo humiliter supplicavit. Semetipsum etiam in sanctimonia solita, et in primitus incœpta bonorum operum assiduitate non modo caute satis custodivit, verum etiam sese meliorem indies evadere curavit, atque incredibili bonorum operum perseverantia in finem usque, sancto roborante Spiritu, perseveravit.

Fuit

A Fuit igitur et regibus et principibus honori maximo, pro cunctis sollicitus profecto, rite et in Christo omnibus omnia factus, sibi communis boni gratia minime parcens, sæpenumero se fatigavit, sua pericula neglexit, dum timorem a patria propulsaret, æque omnibus divitibus et pauperibus, nobilibus ac plebeis, tamquam filiis, prospexit charissimis.

procurat canonizationem S. Godehardi,

12 Anno salutis nostræ millesimo centesimo tricesimo secundo, sui vero pontificatus secundo, multis sumptibus, variis laboribus, et probatissimis miraculorum beati Godehardi gloriosi patroni nostri testimoniis procuravit, quod quarto Kalendarum Novembrium in synodo Remensi ab Innocentio II Papa, eodem venerando patre Bernardo præsente, S. Godehardus catalogo Sanctorum asscriptus est, et inter Sanctos Dei honorari præceptus est; quo memorabili viro cum gaudio redeunte, quamprimum translationem sanctissimi patroni nostri beati Godehardi efficere curavit, quemadmodum hoc historia de translatione ejusdem pii patris plenius docet et ostendit *b*. Et sequenti anno, decimo sexto Kalendarum Juliarum pro ecclesia sancti Godehardi pontificis construenda propriis manibus prima fundamenta collocavit, in loco quodam extra muros civitatis suæ in australi parte situatos quarto præsulatus anno.

et pia industria,

13 Anno quoque salutis nostræ millesimo, centesimo tricesimo sexto, præsulatus sui sexto, octavo Kalendas Julii abbas primus, Fridericus *c* nomine, in memorato monasterio, partim facto, partim infecto, ab eodem venerando Præsule maxima cum devotione est ordinatus. Ecclesiam etiam suam principalem pastorali cura sapientissime gubernavit, et fratres suos ad honestæ vitæ, sacræque religionis observantiam, et arguendo et obsecrando, aliisque modis informando conduxit. Thesaurum etiam ecclesiæ suæ, quem parvum invenit, tam decenter quam viriliter ampliavit : dispersa etiam quam diligentissime congregare, et diruta reformare curavit. Insuper abbatiam in Ringelen, quondam regalem, modo vero episcopalem, a Conrado *d* rege, consensu principum accedente, in perpetuum sibi ac successoribus suis impetravit. Præposituram etiam C in Olsborgh, Hinrico duce conferente, ecclesiæ suæ integraliter adunavit.

diœcesim suam amplificat,

14 Curtem quoque in Embreke, qua longo tempore ecclesia caruerat, sagacissime requisivit, et fratribus reddidit. Ut etiam iisdem fratribus sive canonicis affectum in omnibus ostenderet, oblationem mediam altaris beatæ Virginis, et tertiam oblationum partem, quæ ad beatum Godehardum offeruntur, et item oblationes sepulcri omni cum integritate, domino Hermanno *e* presbytero interveniente, fratribus libere dari disposuit. Et ne rerum necessariarum defectum quovis sustinerent modo, ordinavit, ut per quindecim dies plenaria præbendarum portio cum vino ministraretur. Quoties autem vinum minus haberi posset, pro qualibet mensura decem nummos dari instituit. Præterea castrum in Winzenburch funditus dirutum collapsumque, ut sibi licitum foret restaurare, ab Imperatore Lothario *f* solicitus impetravit, et ut ecclesiæ et successoribus suis liberum absque cujuscumque impeditione permanere posset, duorum Pontificum summorum, Innocentii II videlicet et Eugenii III, continuo sibi succedentium, litteris papalibus firmari rogavit et obtinuit *g*. Ligneam etiam turrim ibidem vetustate collapsam amovit, novam vero lapideam haud parvis sumptibus reponendo.

EX MS.

et illustrat,

15 Quam egregie etiam ecclesiam utramque, majorem videlicet, et sancti Godehardi, a se constructam, et clenodiis *h* et ornamentis ecclesiasticis, librisque pretiosis exornarit, atque decorarit, nemo est qui ignorat; præsertim illos non fugit, qui in utraque ecclesia de ejus beneficiis participantes in hodiernum usque diem vitam agunt. Jurisdictionem etiam in Gandersheimensi ecclesia, quam antecessores sui episcopi Hildesheimenses habuerant, toto vitæ suæ tempore quietam possederat : nam dominam Luthgardam, dominæ Bertæ abbatissæ suffectam, Goslariæ in curia imperatoris Lotharii in ecclesia beatorum Apostolorum Simonis et Judæ, promissa sibi debita obedientia, manu propria consecravit. Qua defuncta dominam Adelheidam rite electam oculorum dolore præpeditus per manum domini Bernardi Paderbornensis episcopi in ecclesia Gandersheimensi, præsentialiter sibi obedientiam promittente, consecrari fecit. E

ac denique ob oculorum defectum cura pastorali liberari petit.

16 Anno vero Domini millesimo, centesimo quinquagesimo tertio, suæ ordinationis vigesimo tertio, ingravescente oculorum dolore *i*, per dies singulos absolutionem curæ pastoralis a summo Pontifice et petivit et impetravit. Unde Bernhardus presbyter et Gregorius diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales et legati in hæc verba litteras suas ad eum postea dederunt. « Venerabili fratri Bernardo quondam episcopo Hildesheimensi salutem. Humilitatem et mansuetudinem tuam, quam nobis exhibuisti, attendentes in opportunitatibus tuis tibi libenter volumus providere. Sane quia utilitati ecclesiæ Hildesheimensis potius, quam temporali favori consuluisti, ut magis privatus velles vivere, quam dignitate ac cura gravatus, nec tibi nec aliis posses prodesse, ratio postulat, ut tanto tibi libentius et plenius subveniamus, quanto te Sedis Apostolicæ legatorum consilio devotius obtulisti. Quapropter ea, quæ fraternitas tua postulat, per omnia tibi ad sustentationem tuam volumus adimpleri. F Propterea quia de prudentia et honestate tua Ecclesia Dei doctrinam suscepit et utilitatem non modicam, ornamenta episcopalia tibi tam in vita quam in morte concedimus ».

ANNOTATA.

a *De ejus gestis videri potest Chronicon episcoporum Hildesheimensium apud Leibnitium tom.* 2 *de scriptoribus Brunsvicensibus pag.* 791.

b *Hanc translationem dedimus post Vitam S. Godehardi ad diem* IV *Maii.*

c *Hujus Frederici primi abbatis gesta præcipua habentur in Chronico Hildesheimensi Joannis Legatii apud Leibnitium tom.* 2 *de scriptoribus Brunsvicensibus pag.* 407.

d *Hic est Conradus III, ut exprimitur in chronico episcoporum Hildesheimensium apud Leibnitium tom.* 2 *jam citato de scriptoribus Brunsvicensibus pag.* 791.

e *Iste*

EX MS.

e *Iste Hermannus cognominatur* Thuringus *in Chronico Hildesheimensi apud Leibnitium mox citatum tomo* I *pag.* 747.

f *Lotharius ille, antea dux Saxoniæ, electus est imperator et obiit anno* 1137.

g *Nullum hic fit verbum de anili spiritus familiaris fabula, quam in Commentario prævio num.* 12 *et sequentibus refutavimus.*

h Clenodium *significat res quasvis pretiosas, et a Germanis vernacule dicitur* kleinod, *quam vocem aliqui componi volunt a Germanico* klein *id est* parvus *et* noth necessitas, *cum res pretiosæ sint parvæ necessitatis. Sed cum vox* κλεινώδιον *in eadem significatione, teste Cangio, occurrat apud Græcos medii ævi scriptores, probabilius est,* clenodium *a Græcis ad Latinos ac Germanos ejusdem temporis transiisse.*

i *In quibusdam Actis dicitur novem vel decem annis ante mortem cæcus fuisse. Vide, quid de cæcitatis illius causa judicaverimus in Commentario prævio num.* 16.

B

CAPUT III.

Pia munificentia, mors et epitaphium.

Auctor profert diplomata quædam,

Ut autem de innumeris bonis et utilitatibus, nostro præsertim cœnobio collatis, vel modica quædam commemorem, ex privilegiis nobis ab eodem collatis inserere perpauca decrevi, ut audituri ejus zelum, curam, vigilantiam pro Dei et Sanctorum ejus honore augendo, beatitudinis suæ [tanto] certiores existant, quanto ipsum diligentius laborasse in vinea Domini intelligunt. Unde inter cetera multa sic scribens pro privilegio nostri cœnobii post se dereliquit » Bernhardus Dei gratia, et beatæ Mariæ semper Virginis dignatione, sanctæ Hildesheimensis ecclesiæ episcopus. Conditoris mei beneficiis justum est, me nullatenus ingratum existere, quin immo honorificentiæ ejus per administrationes mei pontificalis officii ecclesias exstruere, exstructas vero, ut divinis laudibus jugiter illustrentur, fideli solicitudine procurare. Unde notum facio universis Christi fidelibus tam futuris, quam præsentibus, qualiter pro animæ meæ aliorumque Christi fidelium auxilio locum quemdam, extra murum civitatis nostræ in australi parte situm, quarto præsulatus mei anno excolere cœpi, quem divino honore sanctæ Mariæ Virginis, ac sancti Godehardi episcopi et confessoris, venerationi specialiter attitulavi.

C

quibus a B. Bernardo conceditur locus,

» 18 Qui videlicet locus cum adhærente sibi [ab] Aquilone prato a quodam nostræ ecclesiæ ministeriali, Theodorico nomine, jure proprietatis ante possessus, mihi ab eo cum omnibus pertinentiis suis ad hoc ipsum assignatus est, consensu heredis sui filii, scilicet Theodorici, impensis eis viginti quatuor libris argenti, septuaginta vero marcis pro molendino in eodem loco secus ripam fluminis industria posito. Verum quia idem Deo dignus confessor ante pontificatum in monachica professione laudabiliter conversatus est, visum est mihi valde competere, ut in loco, illi specialiter dicato, divinæ servitutis religio sic ordinaretur, quatenus quicumque ibidem militaturi aggregarentur, secundum regulam S. Benedicti in monachica Ordinis professione instituantur. Eapropter jactis in eodem loco templi fundamentis, quasdam religiosas monachici ordinis personas ibi coadunavi, quibus etiam abbatem præfeci nomine Fridericum *a*.

D

a ad fundandum monasterium Ordinis S. Benedicti

» 19 Hoc igitur novæ devotionis studium Deo (ut speramus) mediante inchoatum, ut ratum et inconvulsum imposterum permaneat, ejusdem Dei et Domini nostri auctoritate, et beati Petri principis Apostolorum, sanctique Godehardi episcopi, ac nostra, divina nobis dignatione concessa, potestate in perpetuum stabilimus, et confirmamus, statuentes, ut nullo deinceps tempore vel locus ipse a qualibet cujuscumque dignitatis persona in alios usus redigatur, vel alterius professionis Ordini subjiciatur, sed monachicæ professionis religio ibidem perpetuis temporibus irrefragabiliter observetur. Decernimus etiam, ut defuncto ejusdem venerabilis loci abbate, sive ab officio prælationis quacumque justa occasione canonice amoto, fratres ejusdem cœnobii liberam habeant facultatem secundum regulam beati Benedicti in paternitatis honorem quamlibet idoneam eligendi personam de iis, si reperta fuerit, sin autem, ex alio monasterio quovis sui Ordinis »

E

in honorem S. Godehardi,

20 Et infra pro privilegio ulteriori latius addit, scribens hoc modo : » Sane quoniam eumdem locum per intercessionem beati Godehardi optato futuris temporibus incremento tam in divinæ servitutis laudabili amplificatione, quam etiam in possessione prædiorum, ac decimarum, omniumque rerum necessariarum proficere speravi, prædia ecclesiæ jam collata, itemque omnia, quæcumque deinceps venerabilis locus concessione pontificum, largitione principum, et oblatione fidelium seu aliis justis modis, Deo donante, poterit adipisci, præsentis paginæ testimonio communita, firma, et illibata semper consistere volumus, eorum, qui ibidem in Dei famulatum aggregati fuerint, necessariis usibus omnimodis profutura. Et quia monachicæ vitæ sancta conversatio libertatem et vacationem a strepitu curarum secularium exigit, in hoc quoque sanctis monachis providenter sancimus, ut ipsi cum abbate suo ab omni terreno servitio liberrimi inoffense debita Ordinis sui quiete perfruantur. Unde etiam ambitum curiæ totum, in quo ecclesia illa fundata consistit, a jure ac potestate advocati absolventes, liberam ab omni secularis cujuscumque personæ ditione, sed sub manu abbatis regendam consistere volumus. Reliquorum vero prædiorum ecclesiasticorum advocatum volumus ut abbas cum fratribus suis consilii maturioris eligat, eique illorum tuitiones pro salute animæ suæ injungant, non in beneficium, sed tanquam commissum permansurum ei, si patronus hujus fuerit; sin autem, alii committendum, nec in posteros cujuscumque beneficii more transiturum.

F

A *eidem monasterio varia privilegia,* „ 21 Si qua igitur in posterum ecclesiastica „ secularisve persona his nostris constitutionibus ullatenus contraire tentaverit, nisi reatum „ suum digna satisfactione correxerit, sciat se „ anathematis gladio a sanctæ Ecclesiæ communione segregatam divinæ ultioni in perpetuum subjacere. Cunctis autem eidem loco „ jura sua servantibus, ipsum quoque competenti „ honore, ac necessariarum rerum subministratione, consilio, aut bona voluntate vel etiam „ proprii laboris devotione promovere cupientibus, ipse Deus ac Dominus noster Jesus Christus suæ benedictionis gratiam largiatur, ac „ sanctæ Mariæ Virginis, sanctique Godehardi „ confessoris intercessione adjutos et protectione „ munitos æternæ beatitudinis gaudiis aggregare „ dignetur „

b *et dona conferuntur,* 22 In alio item privilegione *b* sic ait : « Providentiæ pontificalis cura id a nobis exigit, „ ut quia lucrandis fidelium animabus ejusdem officii debito invigilare compellimur, „ etiam temporali servorum Dei necessitati con-

B „ grua nostræ auctoritatis tutela provideamus. „ Supernæ quippe pietatis respectus ecclesiam „ nostram mei sacerdotii temporibus spiritualium cœnobiis virorum ampliare dignatus „ est, quæ ne infestatione filiorum seculi graventur, in posterum ecclesiastica defensione „ munienda sunt. Et ut de cetero firmamentum „ habeat in perpetuum cum omnibus, quæcumque fuerint collata deinceps eidem loco, concessione pontificum, largitione regum, ducum, „ vel principum, sive quorumcumque sexus utriusque Domini fidelium in prædiis, redditibus, „ molendinis, villis, silvis, pratis, pascuis, piscationibus, viis et inviis, aquis, aquarumque „ meatibus et decursibus ac cunctis inhabitantium commoditatibus, quocumque vocabulo nominandis, iterum atque tertio auctoritate Patris, Filii, et Spiritus sancti mei episcopalis

c „ officii banno *c* in synodo generali nostræ ecclesiæ communivi, et in testimonium ejusdem „ confirmationis hanc chartam conscribi faciens, „ sigilli mei impressione signavi. Si quis autem „ aut mei ordinis successor, aut alia quælibet

C „ ecclesiastica secularisve persona quippiam horum aliquo tempore in irritum ducere tentaverit, omnipotens Dei, et ejus dignæ Genitricis, atque omnium Sanctorum iram incurrens, „ anathemate sempiterno plectatur, nisi resipiscens satisfaciat. » Hæc pauca ex multis collecta ad videndam hujus devotissimi Patris pietatem et piam devotionem sufficere visa sunt.

Mors et epitaphium B. Bernardi. *d* 23 Anno vero incarnati Verbi millesimo, centesimo, quinquagesimo quarto *d* ; decimo tertio Kalendas Augusti de corporis ergastulo pius Pater ad cœlestia regna migravit, sepultusque est in sanctuario dicti monasterii sancti Godehardi, quod ipse accurrate satis et magnis expensis fundavit, cujus epitaphium exstat tale :

Bernhardus præsul, cœlestis culminis exul
Istic dum viveret, ne Christi luce careret,
Omnia cernenti studuit parere parenti :
Miraculis clarus jacet hic Christo bene charus,
Cui Deus in cœlis rapto ductu Michaelis,
Dignum cœlicolis præstitit esse suis.

BERNARDUS COMES DE WALLESHUSEN VIGESIMUS EPISCOPUS HILDESHEIMENSIS, FUNDATOR HUJUS TEMPLI OBIIT TERTIO DECIMO KALENDAS AUGUSTI ANNO MCLIV, ET HIC REQUIESCIT IN CHORO. EX MS.

ANNOTATA.

a *Aliqui volunt, hunc Fredericum ex monasterio Corbeiensi, alii ex Fuldensi accersitum fuisse.*

b *Hanc certe vocem auctor non invenit in Cicerone, cujus subinde stilum et verba imitatur, ut ex præcedentibus patet. Cum igitur ea in apographo nostro legatur quam distinctissime, suspicor, illam intrusam esse imperiti interpolatoris aut amanuensis ignorantia, qua verosimile non est laborasse Actorum scriptorem, qui satis terse (saltem pro eo seculo)* B. Bernardi *gesta complexus est, et alibi eamdem vocem recte inflexit.*

c Banno *hic indicatur edictum publicum. De multiplici hujus vocis significatione consuli potest Cangius in Glossario.*

d *Diximus num. 7 Commentarii prævii, verosimillime erroneum esse hujus anni computum.* E

MIRACULA

FORSAN AB EODEM AUCTORE ANONYMO BENEDICTINO SCRIPTA.

Ex Ms. codice monasterii Hildesiensis S. Godehardi.

CAPUT I.

Variæ utriusque sexus personæ ope B. Bernardi sanantur, et puella mortua ad vitam revocatur. F

Ad probandum præclara hujus Viri *a* merita, quædam miraculorum recensenda rati sumus *a Prologus.* quibus innumeros homines, diversarum molestias infirmitatum perpessos, ad se confugientes, ope suæ intercessionis liberavit, et ex post Deo custodivit, e quibus quam plurima enarrare possem a plerisque quondam *b* veraciter cognita, *b* nisi vel tædium auditoribus, vel pigris creditu peccandi occasionem me dare timerem. In memorandis igitur hujus Viri honorandi præclaris operibus, et omni acceptione dignissimis, satius fore arbitror, ut, vitatis ambagibus longis, hæc tantum verborum eloquia afferantur, quæ ad rem notificandam fuerint congruentiora.

2 Erat quædam apud nos matrona in seculari *Mulier a febri et sanguinis fluxu.* conversatione posita, sed in timore Dei secundum modum suum prædevota duabus simul junctis infirmitatibus, febribus videlicet. et sanguinis fluxu gravissimis diutine detenta, et jam præ ægritudine prope confecta adeo, quod ne unum quidem verbum

Ex ms.

verbum eloqui poterat. Qua sic et a filia et ab amicis seminece visa, de ejus vita desperatum est. Corporalis namque medicaminis ei profuturum erat nihil. Quibus ob hoc summe dolentibus in mentem venit, quod pro salute ejus impetranda Deo et venerando patri Bernardo episcopo promittant, oblationem aliquam cum ea se facturos, Deo beati Pontificis intercessione vitam productiorem ei donante. Quo inter loquendum proposito et unanimi consensu facto (mirabile dictu !) perinde ac nihil esset sentiens nocumenti, quamprimum eloqui cœpit perfectissime, et circa tempus meridianum a febribus liberata, serotino ejusdem diei tempore de fluxu sanguinis, interventu beati pontificis Bernardi sanata est.

puer a periculoso gutturis vulnere,

3 Eo tempore puerulus quidam inter ceteros hujus oppidi adolescentulos puerili more in baculo equitando lusit, at eumdem puerum inter equitandum in baculum inopinate cadere contigit, et fracto baculo pars ejus anterior guttur pueri ingressa est : qua tandem extracta, pars non modica septem (ut ferunt) diebus relicta est, cujus B causa collum ejus plurimum intumuerat, adeo quod ne respirare quidem vel saltem difficulter potuisset : quas ob res parentes pueri dolore longe maximo sese macerantes, quid faciendum esset penitus ignorabant. Et ita mentibus eorum diversas in cogitationes mutatis, tandem nutantes, haud secus atque navis in fluctibus deprehensa maris, ad beatum patrem nostrum Bernardum, tamquam ad portum tutum, se dirigunt, spem suam in eum quasi in firmum littus infigentes, ut ab ingenti anxietate et puerum et se ipsos parentes eriperet, corde contrito et humiliato spiritu postularunt. Quid plura ? Ecce paucis post diebus evomita ligni particula, nedum mortem, sed omnem quoque dolorem liber evasit. His visis et auditis, et corde et animo exhilarati Deum cœli benedixere, qui talem nobis patronum in ecclesia nostra c reservavit.

et alia mulier a dolore capitis,

4 Eodem temporum curriculo femina quædam, urbi nostræ habitatu vicina, dolorem capitis gravissimum ab ineunte ætate perpessa, nullo medicorum auxilio juvari poterat. Quæ tandem sibi ipsi locuta est : Nihil, inquiens, terrenis medicaminibus diu frustrata proficis ; his igitur C flocci-pensis, ad superna medicamina a Deo petenda convertaris oportet. Quo in mente concepto, oblationem se Deo et beato Bernardo [daturam] spopondit, et quod fideliter postulavit, interventu pii Patris quamprimum consecuta est.

ac rusticus surditate liberatur.

Fuit quondam rusticus de Maelhardan casu surdaster effectus, qui probato diverso humanitus dabili consilio, et nihil sanitatis recuperandæ vel sentiens, vel sperans, ad Deum conversus est, et beatum Bernardum, cujus intercessione a Deo sanitatem petere cœpit humillime, et petitam citius impetravit.

Puella mortua ad vitam revocatur.

5 Inimico humani generis insidiante, accidit, quamdam nostræ urbis puellam in aquis suffocari. Quæ post longum inventa et extracta, vitam expirasse reperta est. Et isto cognito, quantis doloribus, quantis gemitibus, quantisque tristitiis parentes ejus affecti fuerint, consequi verbis potest nemo. Mater enim, crinibus capitis evulsis, in cœlum usque clamando lamentabatur ; pater vero mœstior humi prostratus lacrymarum profluviis terram humectare non desiit. Quibus sic se frustra macerantibus, hoc unum inventum est D solamen, ut videlicet a supervacuis tristitiis temperantes, divinum auxilium et beati Bernardi intercessionem implorarent, memoriam ejus congruis honoribus visitaturi. Quo facto (mirum dictu !) puella aquam vomendo subito revixit, et id miraculi parentes ejusdem puellæ in ecclesia majori mediis suis juramentis testificati sunt.

altera cum clerico a morbo caduco sanatur.

Fuerunt eodem ferme tempore clericus quidam et item puella, qui epileptico morbo, quem caducum vocant, adeo vexabantur, ut ad terram ore spumantes, et horribiliter ora in partem unam trahentes prosternebantur doloribus affecti gravissimis, et ad mortem usque periclitabantur. Qui singuli ad patrocinium beati pontificis Bernardi deducebantur, et ibidem profusis lacrymis et [post] orationum libamina in domum reversi sunt, plena sanitate gavisi.

alia denique muta.

6 Puella quædam annos nata prope duodecim insperato tam miserabiliter quam mirabiliter muta effecta loquelam penitus amisit ; cujus infirmitati mater ejus plurimum compatiens planctu, fletu, lacrymis, et tristitia diebus pluribus E sese macerabat. Hanc ob causam medicorum perquiruntur consilia, pecuniæ liberaliter expenduntur, præcepta physicorum perficiuntur diligentissime ; speratæ vero sanitatis evenit nihil. Durante itaque ægritudine ista continuo propediem tribus et triginta hebdomadibus absque spe quapiam sanitatis recuperandæ, suadent amici, quia humanum non queat remedium inveniri, omnipotentis Dei necesse sit præsidium implorari, et beati Bernardi intercessionem humilius petendo desiderari, visitationem ejus promittendo, quatenus puella ista, ipsius fulta præsidiis, quondam habitam et modo amissam mereatur recipere sanitatem. Quod devotis cum personis Deum timentibus effectum est.

meritis B. Bernardi loquelam recipit.

7 Et ecce quid simplicium fides impetrare possit ! Die sequenti post emissum votum, in Domini nostri Jesu Christi honorem et beati Bernardi pontificis, orationem Dominicam inducta puella toto cordis affectu meditatur, et, finita oratione, dictionem ultimam, Amen scilicet, tamquam nesciens, et inadvertenter plene perfecteque proferebat. Et rursus eamdem orationem (ut F potuit) repetere curavit, et tunc quasdam inter arterias collisiones confractionesque et sensit et audivit, quod nobis coram d, medio juramento, contestata est. Deinde tertio eamdem orationem Dominicam cœptam, verbis planis atque perfectis omnem oblita dolorem prompte consummavit. Quo facto, in se lætificata e lecto surgit ægritudinis, in domum a cubiculo descendit, et salutatis, quos præsto esse invenit, ubinam, inquiens, mater sit diligentius inquisivit. His visis et auditis, mater ocyus vocatur. Res panditur, amici conveniunt, adsunt vicini, laudibus compluribus Dei pietas magnificatur, et merita beati Bernardi palam enarrantur, et lætitia non modica in populo facta est.

Clericus,

8 Clericus quidem in Hogeneggessen aliquot diebus in febre laborans acuta, multum infirmatus est ; qua cessante, epilepsia eumdem invadere cœpit in tantum, ut quolibet die octies aut sexies in terram prostratus validissime vexaretur, ita quod a nullo teneri poterat. Quodam autem suæ miseriæ et passionis tempore quædam matrona

domum

A domum suam casu ingressa, quantum angustiæ et passionis idem misellus sustineret, vidit cognovitque, et omnibus tunc præsentibus suggessit, quatenus Dei misericordiam implorantes bonæ memoriæ Bernardi pontificis sepulcrum una cum eo devotius se visitaturos promitterent. Et facto protinus voto, a passione infirmitatis istius meritis beati Bernardi liberatus est, qua laborabat gravissime a festo purificationis Dei genitricis Mariæ usque in Pascha continue.

et puella ab epilepsia liberantur. Puella quædam prædicta infirmitate duobus ferme annis detenta pœnis valde miserabilibus affecta est, et post habitam infirmitatem sæpenumero mortua putabatur : tanta enim passione jugiter allidebatur. Quæ tandem divinæ se credens voluntati, et meritis beati pontificis Bernardi, oblationem ad sepulcrum ejus se promittit laturam, si, vita comite, incolumitate gaudere queat. Qua facta sponsione, sanitatem omnimodam nimirum adepta est continuam.

B

ANNOTATA.

a *Ob hanc orationis continuationem suspicor, eumdem monochum miracula collegisse, qui Acta conscripsit. Hæc tamen mera conjectura est.*

b *Ex voce* quondam *conjicio, hunc miraculorum collectorem recentiorem esse, et diu post tempora* B. Bernardi *vixisse.*

c *Hinc satis patet, hunc scriptorem fuisse monachum Benedictinum, et verosimiliter ex monasterio S. Godehardi, uti etiam de auctore Vitæ, qui forte idem est, diximus in Commentario prævio num.* 17.

d *Videtur auctor huic miraculo interfuisse, cum dicat :* Nobis coram, medio juramento, contestata est.

CAPUT II.

C

Beatus Bernardus quosdam a febri, hydropisi, sanguinis fluxu, aliisque morbis mirabiliter liberat.

B. Bernardus febricitantem et surdum sanat. Civis quidam Hildesiensis, Ambrosius nomine, negotiatione institor, percrebrescentibus beati Pontificis et meritis et beneficiis diffisus est, ludibrium ratus. Verum omnipotens Deus innotescere volens, quid in Sanctis suis efficere possit, permisit, ut isdem Ambrosius quotidiana febrium infirmitate haud mediocriter quateretur, quemadmodum et factum est. Quam aliquantisper infirmitatem perpessus, eadem infirmitate manente, surditas accessit. Quo cognito, et uxor et amici suadere conati sunt, ut beati Bernardi meritis et intercessioni se committeret, et quia stultiloquio peccasset, veniam ex corde peteret. Et fit, ut quadam die præmemoratus Ambrosius inter ceteros ad tumbam beati Bernardi devotionis gratia devenisset, pro sui sanitate recuperanda humiliter deprecaturus. Cumque recedendo a sepulcro abiret, intra aures quasdam punctiones transitionesque sensit. Et ecce mox omnibus coram clara voce annuntiat, auditum sibi plenissime redditum esse, et sanum se penitus consistere. Quapropter tunc una cum aliis potentiam Dei magnificare cœpit, et merita Sanctorum ejus venerari, reversusque in domum plena sanitate gavisus [est]. *EX MS.*

10 Famulus quidam in Honhusen hydropisi valde depressus, viginti hebdomadibus et eo amplius decubuit ægrotus. Quo mirandum in modum durascente *a*, physicos consulere decrevit, quod et fecit. Qui remedia justa et huic infirmitati conducentia polliciti sunt. Patiens autem, quia pauper erat et egenus, nedum in comparandis necessariis medicamentis, sed nec ad contentandos *b* medicos satis abundabat. Omnipotenti igitur Deo, et beato pontifici Bernardo se plena fide commisit, flagitans eos, quos habere poterat, amicos et vicinos, quatenus pro eo orarent, et pro eo votum facere non dubitarent : Potens enim, inquit, Deus est intercessione Pontificis sui ab hac infirmitate me liberare. Qua sponsione facta, breviusculo in dies posthac tempore de tanta infirmitate liberatur, et cum eis, qui voto intererant, gratias agendo quamplurimas nostram in ecclesiam devotissime se contulit. *hydropisin curat,* *a* *b* E

11 Erat tunc temporis quidam, nomine Joannes, arte lapicida, qui a natali Dominico usque in Pascha gravissimo sanguinis fluxu quotidie torquebatur. Demum exhaustis viribus propemodum omnibus, venit, ut beati Bernardi suffragia petere debuisset. Petit humiliter, et ejus se memoriam revisere promittit : qua facta sponsione, in dies convalescere cœpit, et paucis post diebus in ecclesia nostra liberatum se præsentavit, gratias Deo et B. Bernardo opera maxima peragens. *sanguinis fluxum sistit,*

12 Scholaris quidam annos natus propediem duodecim hora secunda prandendi causa hospitium intravit, eoque quippiam petere volente, verbis in ore reclusis, subito mutus effectus est; qui a plerisque tentatus, an videlicet astu mutitatem *c* simularet, et tandem certa loquendi impotentia comprobatur. Quo cognito, presbyter quidam vicarius sanctæ Crucis, ejusdem scholaris cognatus, multorum amicorum fretus consilio, beati Bernardi patrocinium implorare curavit. Quo facto, pedetentim lingua resolvitur et loquendi officium eidem pleniter restauratur. Propterea condignas gratiarum actiones Deo, et beato Bernardo agentes devotione cum maxima nostram in ecclesiam se receperunt. *et muto loquelam restituit,* *c* F

Erat item alius scholaris viscerum dolore longe maximo singulis tortus diebus, et tempore plurimo. Cui potiones, herbarum confectiones, ceteraque medicamenta iunumera offeruntur, e quibus omnibus adjumenti percepit nihil. Parentes autem ejus attendentes passionem indies invalescere, pro ipsius liberatione vitæque pristinæ sanitate recipienda beato Bernardo supplicare studuerunt, cujus interventu infirmitas confestim sedata est. *viscerum dolorem lenit.*

13 Febrium præterea homines complures utriusque sexus infirmitates passos, quosdam quotidianam, quosdam tertianam, alios vero quartanam, sanatos comperimus, maxima cum devotione ipsis sepulcrum felicis recordationis pontificis Bernardi singulis temporum curriculis visitan- *plures febribus afflictos,*

EX MS. visitantibus contestantibusque, quod nonnisi intercessione beati pontificis Bernardi liberati fuerint; nam quanto ocyus ejus interventum (ut nobis retulerunt) postularunt, relevamen sensim perceperunt.

duosque gravibus morbis laborantes Erat quidam adolescens per triduum [vel] quatriduum infirmitate maxima decumbens, ita quod nec os nec oculos aperire potuisset; quapropter a plerisque debita carnis solvisse arbitratus est. Verum ne hominem, cujus adhuc anima in corpore fuisset, humarent quoquo modo, sed ut viribus receptis pristinam agat vitam malentes, memoriam beati Bernardi pontificis spondent, se una cum ægroto frequentaturos, si, divina favente gratia, beati Bernardi intercessione auras sequenter spirare concessus fuerit. Quo emisso voto, sanitate postridie reddita, puer penitus convaluit, et juxta promissum in ecclesia nostra devotissime satis est factum.

pristinæ sanitati reddit. 14 Contigit in civitate nostra, quod, agonizante quodam puero, pœnis gravissimis afficeretur, quibusdam dicentibus puerum evadere mortem posse, quibusdam dicentibus oppositum. B Parentes igitur inter spem et metum hærentes dubii, temporali eum remedio posse sanari penitus diffidunt. Tandem suasu partim aliorum, partim devotione propria promittunt, eum ad sepulcrum beati Bernardi offerendum, quamprimum receptis viribus ire queat. Quo facto voto, incredibili velocitate pristinam recipit sanitatem, et oblationem suam ad beati Viri memoriam una cum parentibus humiliter complet.

Mulier in partu periculoso, Quædam femina oppidi Hildesheimensis in partu per dies tres gravissime angustiabatur: quæ nimium cruciata, et propemodum mortua, circumstantes, ut Dei clementiam, et beati Bernardi patrocinium implorarent, hortabatur. Quo facto, duos parturiens gemellos enixa, et omni dolorum angustia soluta est, et post tempore congruo muneribus suis onusta, in ecclesia nostra pro sui et puerorum liberatione facta, Deo et beato Bernardo læta oblationem fecit, devotione cum maxima. Eodem peracto, perplures aliæ prægnantes non nisi hujus Viri felicissimi meritis et intercessione a periculo vel mortis, vel C pœnarum intolerabilium liberatæ sunt: de quibus singulis vitandi tædii causa dicendum non fuerit impræsentiarum.

alia infirma, 15 Tempore quodam femina item alia, labore forte fatigata, in campo dormire cœpit: qua soporante, vermes, quos vocant auriculares, aures ejus ingressi, ineffabili eam dolore cruciabant. Quæ de pœnæ vehementia sensuum propediem expers effecta, id solum remedii invenit, quod omnium medicorum summum, Deum videlicet, et beatum pontificem ejus Bernardum devotissime imploraret. Fit, quod conceptum est animo; Deum invocat, beatum Bernardum compellat, et ejus memoriam se visitaturam humiliter vovet. Et ut firmitas ejus fidei magis ac magis probaretur, permittente Deo, accessit et alia infirmitas ista, quod oculorum dolore quammaximo aliquamdiu afficeretur: pro quo paulisper leniendo lecto se imposuit, et paulo post, exeuntibus de aure ejus vermibus pariter et oculorum sanitatem nacta est. D

Varias præterea oculorum passiones interventu beati Pontificis curatas legimus, de quibus singulis memorare scriptis si conarer, deficeret me tempus potius, quam meritorum hujus Viri præclari per ostensa miracula recitatio. Quidam enim partim viri, partim mulieres leguntur vel ex toto visum perdidisse, patentibus et claris oculis nihil vidisse, vel saltem gravissimo oculorum dolore detentos longissimo tempore fuisse; tandem vero intercessu beati pontificis Bernardi misericorditer adjutos, pristinas sanitates penitus recepisse. *plures cæci,*

16 Quidam homo plebeius in Oedelem tam fortiter paralysi affectus fuerat, ut omnium membrorum corporis totius officio non modo defectus fuerit, sed ut vivere quoque pertæsus sit: qui demum a plebano suo hortatus est, quemadmodum beatum pontificem Bernardum auxilium ejus petendo, implorare deberet. Assensit homo, beatum Pontificem humiliter implorat, oblationem spondet, et per Dei gratiam, et beati Viri merita liberatur. *paralyticus,* E

In villa Wetbergen erat quædam matrona, quæ tanto cœpit capitis dolore torqueri, ut amens effecta propriis se manibus dilaniare conata sit; quod ne contingeret, neve in ignem vel aquam sese peritura projiceret, compedibus vincta diligentius custoditur: cujus gravissima infirmitas cunctos videntes ad compassionem commovit, et quæ huic ægritudini potuisset applicata fuisse, medela profecto inventa fuit nulla. Uno igitur ore, una mente, unaque devotione, beatum pontificem Bernardum implorare aggressi sunt, vota voventes. Quo peracto, et usus rationis redditur, et dolor capitis penitus sedatur; mulier grata de his beneficiis et B. Bernardi intercessione, quibus ligata fuit compedibus ad sepulcrum beati Viri cum aliis muneribus allatis obtulit devotissime, ut cunctis evidenter patesceret, quantum Sanctorum suffragia apud Deum valeant. *et matrona capite dolens B. Bernardi opem experiuntur.*

17 Demum in hujus calce libelli obsignandum venit, quoniam caligulæ sandaliaque, quibus inter agendum episcopalis dignitatis officium beatus Pontifex usus est, inter cetera reliquiarum loco tam decenter, quam honorifice penes nos cum ecclesiasticis reposita clenodiis continentur. Cujus beatissimi Viri meritis et intercessione nos imprimis juvari confidimus et defendi; eo nobis gratiam suam largiente, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat unus Deus æternaliter benedictus. Amen. *Clausula de reliquiis B. Bernardi.* F

ANNOTATA.

a Durascente *hic positum est, ni fallor, pro* durante.

b Contentare *vox barbara est pro* satisfacere, *quod a Gallis vulgo dicitur* contenter.

c *Latini veteres hoc substantivo non utuntur. Græcis dicitur* ἀφωνία, *quod idem est ac barbaro latine* mutitas.

VIGESIMA

VIGESIMA PRIMA DIES JULII.

SANCTI QUI XII KALENDAS AUGUSTI COLUNTUR.

B

S. Daniel propheta Babylone.
S. Praxedes virgo Romæ

S. Julia virgo martyr
S. Claudius imperator barbarorum
S. Justus
S. Jucundinus et v alii *sive*
S. Justa
S. Jocunda
S. Ternus
S. Antonius
S. Herenus
S. Theodorus
S. Dionysius
S. Apollonius
S. Appamia
S. Pionicus
S. Cussio
S. Papyra
S. Saturius et VII alii
} Martyres Trecis in Gallia.

S. Victor
C S. Alexander
S. Longinus
S. Felicianus et *forsan*
S. Deutherius *vel* Eleutherius
} Massiliæ in Gallia.

SS. tres martyres anonymi Melitinenses, apud Græcos.

E

S. Victor
S. Stercorius
S. Emilianus
S. Hugal
S. Saphus
S. Montanus
} Martyres in Africa.

S. Adrianus
S. Helius
S. Patrochus
S. Cæsariana
S. Adrianitis
S. Dimesus
S. Felix
S. Aurelius
S. Thymogrates et *forte*
S. Theodotus
S. Julianus
} Martyres Cæsenæ ni Italia.

S. Zoticus episcopus martyr Comanæ in Armenia.
S. Joannes anachoreta confessor ad mare mortuum in Palæstina.
S. Serenedus confessor apud Cenomanos in Gallia. F
S. Arbogastus episcopus Argentoratensis in Germania I.
S. Vastrada vidua, Sustereni in agro Juliacensi.
B. Oddinus Barottus, Fossani in Pedemontio.

A

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Sulpitii episcopi et S. Leocadiæ virginis in Cellensi monasterio, *seu in Cella S. Gisleni memoriam facit Molanus, acsi hoc die eorum esset natalis; at rectius hæc alibi explicat de translatione. Eum secuti sunt recentiores alii, quos referre opus non est. De primo jam actum est* XXVII Januarii.

S. Leocadiæ *natalis est* IX Decembris.

S. Basiliscus martyr *hoc die passus dicitur in Actis* III *Martii cap.* 4, *num.* 21; *at cum ibi omnia ad eum spectantia, illustrata sint, lectorem eo remittimus* III Martii.

Phronimus *aliquis notatur in Kalendario Græco, quode didit Genebrardus. Plura de ipso nescimus :* B *nisi forsan idem sit cum synonymo Martyre inter Nicomedienses* XIII Martii.

S. Ezechiel propheta *hoc die inscribitur Typico S. Sabæ, aliisque pluribus qua excusis, qua manuscriptis fastis Græcis, quos habemus. At Menæa magna impressa cum Maximo Cytheræo ipsum signant* XXIII *hujus. Nos vero cum Martyrologio Romano ipsum dedimus die* X *Aprilis, substituta longe alia epocha, quam hodie habeatur in Menologio Slavo-Russico Sparwenfeldiano, quod signat annos* 417 *ante Christum : ubi tamen simul indicavimus, aliter ab aliis commutari. Vide igitur dictum diem* X Aprilis,

S. Zenonis episcopi Veronensis translatio *signata est hoc die a Notkero non sine elogio. Natalis est die quo ejus Acta illustrata sunt* XII Aprilis

S. Paterni, *gente Armorici, celeberrimi in Britannia episcopi memoriam, non una solennitate festivam esse recte observavit Harpsfeldius historiæ suæ pag.* 43, *ubi notat, eum* decessisse XVII Kalendarum Maii ; Armoricanos *vero* tres cele- C bres et statos dies in ejus memoriam observare : Kalendis Novembris, quibus dissidentes..... principes in gratiam reposuit ; XII Kalendarum Augusti, quando in sacerdotem, etc., initiatus ; postremo eum quo obiit diem, *etc. Atque is est quo Acta ejus illustrata sunt, ubi in Vita notatur alius ordinationis dies. Tu ergo vide sis* XV Aprilis.

Sancti martyris Acacii in Pascalo synaxis *hodie consignatur in Menæis magnis Græcorum excusis cum Maximo Cytherorum episcopo. Lege* Heptascalo *cum Mss. Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ, ac supplemento Sirmondo-Chiffletiano pluries alibi citato. Cangius Constantinopolis Christianæ lib.* 1, *pag.* 56 *agit de isto loco ; et de hoc Martyre lib.* 4, *pag.* 118 ; *ubi nonnulla congerit de prædictæ ædis sacræ ædificatione, instauratione, situ ac nomine, admodum probabile censens, vocem* Πάσκαλον *ex* Ἑπτάσκαλον *corruptam esse. Non recte ibidem adjungit, translationis reliquiarum S. Acacii festum celebrari a Græcis* XV *Septembris : nam in Menæis laudatis, Maximo Cytheræo et in Menologio, ex interpretatione Sirleti vulgato, recensetur isto die inventio reliquiarum S. Acacii episcopi Melitinæ absque titulo martyris ; non hujus, de quo hic agimus, qui fuit fuit miles et martyr. At quidquid ad eum spectat remittimus ad diem, quo cum Martyrologio Romano eum dedimus* VIII Maii.

S. Pancratius *hoc die notatus in codice Sanmaximinianensi Treveris spectat ad* XII Maii.

S. Petri Cœlestini *Canonizatio est in Florario Ms. Vide Vitam satis illustratam* XIX Maii.

S. Simeon Salus *ex Horologio Græco hoc die* synascetæ suo Joanni *jungitur a Molano, et ex ipso à Ferrario* ; *seorsim refertur a Castellano. Vide quæ hoc die de* Joanne *dicuntur, et de* Simeone I Julii. E

SS. Joannem et Benignum *geminos et S. Hidulphi discipulos hoc die memorat Castellanus : nos de utroque cum sanctissimo magistro egimus die* XI Julii.

S. Caii martyris, Calari in Sardinia *ita hoc die memoriam recolit Ferrarius in Catalogo generali acsi de eo ante locutus non fuisset. Vidæ quæ in Prætermissis diximus* XVII Julii.

S. Speratus *et socii hoc die reperti sunt alicubi a Bollando ; de iis actum* . XVII Julii.

S. Symphorosa *cum septem filiis signata hoc die est in codice Hieronymiano parvo Reginæ Sueciæ seu S. Columbæ ; unde et in plures alios transiit. De ea actum est* XVIII Julii.

S. Vulmarus *in Kalendario Benedictino male signatur hoc die, spectat ad* XX Julii.

S. Eliam prophetam *huc transposuit Galesinus ; sed nos de eo egimus* XX Julii.

S. Eleutherii synaxis prope Xerolophum *signatur in Ms. nostro supplemento ad Menæa magna excusa Sirmondo-Chiffletiano ; de qua etiam inter Prætermissos ad* XX Julii.

Claudiam *ut S. Praxedis matrem et* Scotam *et* Beatam *facit Dempsterus : alio die commodius reponi non poterat. Tu vide* XIX *Maii quæ de S. Pudentiana suo loco dicta sunt.* F

Synaxis sanctæ Deiparæ in Sarmasii *refertur in Menæis magnis excusis ; in quorum supplemento nostro Mss. Sirmondo-Chiffletiano eadem synaxis traditur, sed locus scribitur* ἐν τοῖς Ἁρματίου ; *et ita legendum, recte probat Cangius Constantinopolis Christianæ lib.* 4, *pag* 83, *ex eo quod ita scribant Græci ad* XVII *Augusti, quo eamdem synaxin colunt, et ad* XVII *Januarii, quo occurrit memoria S. Theodoti episcopi Cyrenensis : ut videre est in dictis Menæis.*

SS. Dionysium, Pontum, Cussionem, Papirium, Saturium cum aliis septem, *opinor ex Florario Sanctorum Ms., nobis annuntiat Editio Lubeco-Coloniensis, quam descripsit Grevenus,* Custionem *scribens pro* Cussione. *Hæc meræ confusioni apta sunt ; tu vide quæ hoc die de* S. Julia *et sociis Trecensibus dicuntur, ubi et de* Claudio *aliisque a Molano relatis.*

Joannis Jejunatoris *nomen invenio in Synaxario*

Ruthenorum

A *Ruthenorum peculiari diœcesis Kioviensis, pluribus laudando ad diem* XXIII *hujus : qui jam dictus, an sit idem cum Joanne, apud Castellanum inter Ahemeros cum titulo* venerabilis, *et cognomento* Abstinentis *posito, utpote qui, si Rufino, ut addit, et Palladio credimus, vivebat sola Eucharistia, quam sumebat die Dominico; nos latet.*

S. Eleutherius puer *in nonnullis auctariis seorsim refertur : ut in Greveno :* Eleutherii pueri et confessoris ; qui cum oraret ad sepulcrum S. Victoris, emisit spiritum. *Verum sive his* Eleutherius *sive* Deutherius *fuerit, a classe sociorum S. Victoris Massiliæ in Gallia, de quo hoc die agitur, avellendus non fuit.*

Eliæ Confessoris, apud Turnes in Sardinia *festivitatem admittemus ex Ferrario, ubi de hujusmodi Sancti existentia et cultu magis constiterit.*

Festum Dei Genitricis in partibus Armeniæ *hodie inscribitur Martyrologio Arabico-Ægyptio, a Gratia Simonio Maronita Latine reddito : cujus vel meminisse, hic satis.*

Albini Confessoris *hoc die legitur in Greveno ; at* B *quem velit, nec ipse indicat, nec promptum est divinare : Sanctos non admitto sola ejus auctoritate suffultos.*

Higbaldus *abbas Bardeniensis in comitatu Lincolniæ vir* sanctissimus ac continentissimus *vocatur a Beda lib.* 4 *Historiæ cap.* 3. *Lege Martyrologium Anglicanum die* XXI *Julii, et Acta S. Swiberti seculo seq. Ita in Prætermissis Mabillonius seculo* 2 *Benedictino Solus Menardus cum retulit inter Sanctos, habetque elogium ejus Mahew in Floribus Anglicanis.*

Serenum episcopum Andegavensem *diserte nobis hoc die profert Ferrarius, notans* tabulas ecclesiæ Andegavensis : *item* floruisse circa annum DCIX : *demum, natione* Italum fuisse, patria Spoletinum. *Ad quæ adducit Renatum Benedictum, de* Sereno *historiam aliquam more suo texentem. At palmam omnibus eripuit Saussayus in Supplemento pag.* 1148 *hujusmodi oratione :* Juliomagi Andium, sub IV Lugdunensi, S. Sereni episcopi et confessoris. Hic natione Italus, patria Beneventanus, in Galliam veniens, lumen gratiæ quo fulgebat, diffudit ; eamque in C omnium bonorum existimationem, ob clara Spiritus sancti charismata evasit, ut Audonino Andegavensi episcopo supernas ad sedes abeunte, eidem, communi cleri et populi desiderio, suffectus fuerit. Quo in munere, editis perfectæ sanctimoniæ exemplis, morte beata obdormiens, ad eum, quem unice quæsierat, Christum, qui via, veritas et vita est, feliciter transivit. *Quis hæc legens non existimet, vera ibi et sincera prædicari? Interim inania sunt, ni fallor, omnia : neque enim* Serenum *aut* Audoninum, *in serie episcoporum Andegavensium reperias; ut mera sit nominis fictio ex* Serenico *vel* Serenedo *quorum Acta jam illustrata sunt* VII *Maii. Et* Serenedi *quidem, cujus corpus Andegavum translatum est, hoc die memoria agitur, ut vide infra suo loco, atque totam Saussayi orationem rescinde.*

Saturnini episcopi et confessoris ex ritu antiquo in Dolensi ecclesia episcopali fieri hodie festum *asserit ibidem Gallicanus Martyrologus, ast ex quo fonte non divinavero : ego talem Sanctum episcopum et confessorem, nec in tota Britannia,* D *neque alibi hoc die reperi. Si alibi recurrat, locus ei proprius dabitur.*

Heliæ et Stertionis, in Africa *meminit Grevenus, quos ex corrupto aliquo Hieronymiano codice descripserit. Et* Heliæ *quidem in* Africa *legitur in codicibus Rhinoviensi et Richenoviensi, sed et istic perperam. Vide sis ambos infra ad classes suas revocatos proprio nomine :* Helium *ad Cæsenatensem,* Stercorium *ad Africanam. Neque ea sola turbatio est quæ in minoribus Hieronymianis hoc die occurrit, ubi in Richenoviensi ex* Alexandro *Victoris Massiliensis socio formata est* Alexandria; *in Augustano ex* Massilia, Basillæ, *pro qua in Labbeano* Massillæ ; *alia vero æque male connexa sunt.*

Corona *item ex codicibus Rhinoviensi et Richenoviensi processit cum Victore conjuncta :* Massiliæ, Victoris et Coronæ, *ubi corona illa, procul dubio, accipienda est, pro particula socios colligente, quamdiu aliunde nihil certioris luminis accedit. Mali totius principium ex depravato codicis Epternacensis laterculo ortum videtur, ut infra suo loco notatum invenies.* E

Felicianum *aliquem* martyrem *perperam hoc die* Cordubæ *adscripsit sæpius infelix Galesinius, citans in notationibus Adonem, Usuardum, et codicem aliquem Ms.; ipsum, haud dubie, quem passim fallere Majores nostri toties demonstrarunt; nam Adoni et Usuardo ignotissimum fuisse* Felicianum *istum* Cordubensem, *tam certum est quam quod certissimum. Massiliensis* Felicianus *S. Victoris socius satis celebris est, at synonymum martyrem Cordubensem, nemo est qui agnoscat præter unum Tamayum spuriis hujusmodi prædis avidissime inhiantem, reperto haud dubie suffragante aliquo ex suis pseudochronicis; quem idcirco acriter hic etiam corripit Clar. Nicolaus Antonius in Adversariis Mss. Madriti a sociis Pinio et Cupero descriptis, quæ utinam lucem aliquando videant, ne solos exteros arguant Hispani, quod Tamayi sui ineptissima somnia, vigiles ipsi toties convellere compellantur.*

Daniel abbas *a Greveno in additionibus ad Usuardum hoc die collocatus est* in Ægypto, *ut* presbyter confessor, *nulla apposita characteristica, unde a synonymis distinguatur : Canisius eum* F *secutus, non satis elogii addidit, ut inde melius cognosci queat. Maurolycus paucis ac nitide, et quidem primo loco, sed tamen æque obscure :* Apud Schytopolim Ægypti, memoria S. Danielis, viri magnæ sanctimoniæ ; *atque hæc descripsit Felicius. Quæro quid velint recentiores isti dum Sanctum tam ambigue annuntiant, antiquioribus omnibus Martyrologis ignotum ; fontemque assecutus videor ex quo res tota profluxerit ; nimirum ex Petro de Natalibus lib.* 6, *cap.* 123, *ubi* Danieli *alicui, in Vitis Patrum satis conspicuo, nempe lib.* 10, *cap.* 114 *innocentiam suam insigni miraculo infantuli recens nati loquentis, comprobanti, nescio quæ alia appingit, nec eidem personæ, opinor, nec temporibus convenientia; rotunde sub finem adjiciens,* sanctitate perfectum in pace quievisse XII Kalendas Augusti. Hæc, *inquiens vaga phrasi,* ex Vitis Patrum : *Ferrarius magis presse ex Heraclide acceptum memorat. Verum hæc ego in Rosweydi editione frustra quæsivi hactenus : neque vero tametsi ibi reperirentur, statim consequens esset,*

Danielem

Danielem *istum Sanctis annumerandum, si non accesserit major auctoritas; multo minus hoc die quem nescio unde Equilinus acceperit. Ceterum quisquis is* Daniel *sit, hic forte positus occasione synonymi prophetæ; si vero cultu gaudeat, alibi certo recurret.*

Beatorum patrum Pauli episcopi et Joannis senioris (πρεσβυτέρου) *Vitam habemus Græcam, hinc inde mutilam, ex pervetusto, uti adscribitur, codice bibliothecæ Seguierianæ Parisiis. Primus eorum natus fuisse scribitur in Athalia, nescio qua, Ponti civitate, cujus invitus consecratus fuerit episcopus; e qua sese quam subduxerit, strepitum pertæsus, Edessam versus, seculo quinto aliquantulum adulto, sicut colligitur ex nomine Rabbulæ (de quo vide tomum* IV *Julii pag.* 263) *qui ibidem tum episcopus præsiderit. Paulus juxta dictam Vitam, ibi episcopum sese celaverit, labore manuum victum quæritans: cui se junxerit Joannes quidam; ac post gesta varia et peregrinationes, hic ab illo monitus de instante morte (quem clam profectum in urbe Nisebena quæsiturus iverat) atque Edessam reversus, cum Sanctis in spelunca permanserit, quoad vixit. Joannem S. Symeonis Sali synasceten damus hoc die Joannes ille ac Paulus quo spectent, nescimus, nullo amborum vel alterutrius cultus vestigio reperto. De Vitæ auctore nihilo habemus amplius. Ob synonymiam tamen Joannis hodierni, utrumque hic proponimus; alibi pluribus de illis acturi, si major alicunde nobis notitia suggeratur: et si pro vera historia Græculus aliquis hic, uti alibi sæpius, dramaticam fabulam non adornaverit.*

Danielis abbatis et confessoris Ordinis Cisterciensis depositionem, *ut* sancti *hoc die* Venetiis *nobis annuntiat Arnoldus Wion in fœcundiori suo quandoque vitæ Ligno, quem alii monastici certatim secuti sunt; Dorganius, Menardus et expressius Henriquez, ex Wionis annotatione nonnulla colligens, quæ ego quidem inde erui passe non video. Habe primum quæ observat laudatus Wion*: Tabulæ, *inquit,* sanctimonialium sancti Danielis *(non hujus sed Prophetæ)* Venetiis ejus natalem hoc die reponunt, *puta in Necrologio, ut moris est.* De eodem agit Franciscus Sansovinus in descriptione civitatis Venetæ lib. 1. *Sic est; agit Sansovinus fol.* 5 de monasterio S. Danielis, *aitque* anno MCXXXII Joannem Polanum episcopum dedisse fundum Danieli abbati Cisterciensi familiari suo, viro sanctæ vitæ. *Cetera quæ ibi habet Sansovinus ad* Danielem *non spectant: quod si vera narrat Wion, ipso illo anno* 1132, *quo sua collocat Sansovinus,* Daniel *ipse e vivis excessit. Ceterum ex ultimis istis verbis,* viro sanctæ vitæ, *formavit Wion* sanctum Danielem; *Henriquez vero ex ejus notatione ea corollaria deduxit, quæ hic expendenda subjicimus. Elogium suum his verbis concludit*: et inter Sanctos postmodum fuit relatus; *quod ex Wionis verbis collegit, addens*: cœnobium illud virginum Cisterciensium Venetiis contructum, eidem sancto abbati Danieli sacrum esse, adeoque ejus nomen Sanctorum Catalogo adscriptum. *Hæc porro avide arripuere Bucelinus et Chalemotus, quin et prius etiam Kalendario insertus est; sicque accrevit isto etiam nomine Sanctorum vinea. De Danielis istius vita aut gestis nihil usquam traditur*; *ast hoc mea nihil interest; si de legitimo cultu docear, et istum et quoslibet alios ejus generis promptissime et libentissime venerabor.*

Benedictus *item* monachus qui sub Cisterciensium vexillo egregie Altissimo militavit, *et* cum magna opinione sanctitatis obdormivit in Domino *donatur ab eodem Henriquez titulo* beati; *modestior Chalemotus* venerabilem *dumtaxat pronuntiat, refertque die sequenti.*

Gabriel novitius cœnobii Nucalensis *in citato Henriquezii Menologio prolixiori elogio decoratur, verum sub sola appellatione* pii Viri.

Joannes Lintzingius, Mulbrunensis abbas, *Henriquezio ignotus, merito a Chalemoto* venerabilis *nomine nuncupatus est, utpote a Lutheranis plurima perpessus.*

Joannes cognomento Buta, Ordinis Minorum S. Francisci, miraculis post mortem inclaruit Panormi, *teste nostro Octavio Cajetano in Martyrologio Siculo. Hunc non novit Arturus in Martyrologio Franciscano, neque Hueberus in Menologio.*

Oliverius Maillard confessor, *Tolosæ in Gallia* Angelus Pelitensis confessor *Uxenti Salentinorum in Apulia.* Joannes de Sillis confessor *apud Marianum montem* Gabriela a Perusio, *Fulginii in Umbria*	*Beati titulo donantur ab Arturo in Martyrologio Franciscano et ultima iterum in Gynæceo.*
Godefridus, *Londini in Anglia multa tormenta et mortem tandem perpessus* Claudius et Antonius, *in Avenionis provincia multis certaminibus clari* Hieronymus a Villa vitiosa *Eboraci in Portugallia* Maria Longa Capucina, *Neapoli in Campania* Maria Catharina, *Brixiæ in Tyroli* In Hungaria LX Tertiarii	*Adduntur ab Huebero in Menologio; sed absque sanctitatis titulo.*

Barbaram matronam *Romanam* pientissimam, genere, scientia, castimonia, ac vitæ perfectione illustrem, *Sanctis hoc die annumerat Arturus in Gynæceo, testem adducens S. Ennodium Ticinensem. Laudat hic quidem* Barbaram *istam, at qua demum auctoritate Sanctorum catalogo eam intexat Arturus, necdum intelligo. Ineptior est Gallonii citatio: nam virginem hic Ramanam prædicat, tota cœlo ab Ennodiana matrona diversam.*

Raymundus de Plano, Ordinis Prædicatorum, ab hæreticis in provincia Tolosana comprehensus, cum in fide catholica, quam egregie prædicaverat, perseveraret, erutis oculis, et eidem in cibum datis, tandem dire necatus est. *Elogium est Saussayi in Martyrologio Gallicano Paucula adjecit Marchesius in Diario, cum titulo* Beati, *quo ipsum huc usque gaudere aliunde non intelleximus.*

Bartholomæam Martinam *profert hoc die Arturus ex Ordine Dominicano,* patientia, regulari disciplina, et miro Spiritus fervore celebrem, *quamque adeo* beatam *appellare non dubitat. Prudentior Marchesius satis habuit, eam* venerabilis *titulo honorare.*

Alexandro de Oliva de Saxo ferrato *titulum* beati *tribuit Thomas de Herrera in Alphabeto Augustiniano pag.* 14. *De ejus cultu nihil alibi legere memini,*

A *memini, hoc ipsi epitaphium ibi adscribitur :* Alexandro Oliva Saxoferratensi theologo clarissimo, Eremitarum B. Augustini ab infantia spei maximæ alumno : qui cum esset sui Ordinis generalis, ob singularem doctrinam et vitæ sanctimoniam Cardinalis a Pio II ignorans creatus est. Vixit annos LV, obiit anno salutis MCCCCLXIII.

Venerabilem Carularum *Tornacensem Canonicum a singulari modestia et profusa in pauperes liberalitate laudat Castellanus, notatque obiisse* 1556.

S. Liberii *(pro* Liborii) *scribit hoc die Ferrarius in Catalogo generali : sed melius notat haberi in Martyrologio Romano die, quo de ipso agemus nempe* XXIII Julii.

S. Theophili, Justi, Throphimi et Matthæi certamen *notatur hoc die in Menæis magnis excusis, sequente Maximo Cytheræo : quæ ad illos spectant, dabuntur die, quo duo ex illis consignantur in Martyrologio Romano* XXIII Julii D

S. Ignatius Steirionites in pace consummatus *in nostro manuscripti Synaxarii vel Menæi, nostri Collegii Divionensis seu Petri Francisci Chiffletii apographo memoratur : in quo indicatur idem Sanctus haberi in Mazariniano ; de quo agendum erit die, quo inscribitur Menæis magnis Græcorum excusis* XXVI Julii.

S. Leubini episcopi confessoris, *et quidem* civitate Carentis *annuntiat codex Remensis SS. Timothei et Apollinaris, ut est inter Usuardina auctaria ; ast ibi observavimus, indicari procul dubio* S. Leobinum Carnotensem *de quo* XV Septembris.

Memoria Andreæ Apostoli *habetur in Martyrologio Arabico-Ægyptio, a Gratia Simonio Maronita verso in gratiam nostri Athanasii Kircheri. Colitur, ut notum est,* XXX Novembris

---

B E

DE S. DANIELE PROPHETA

BABYLONE.

J. P.

SYLLOGE HISTORICA.

§ I. Danielis nomen, genus, patria ; unicusne an plures? Educatio, externæ dotes.

VERSUS ANNUM MUNDI CIRCITER MMMCDLXXIX, ANTE CHRISTUM CIRCITER DCLXVIII. *Daniel, cujus etymon datur an nomen nostri prophetæ, an potius cognomen?*

Daniel, *nomen officio, ad quod a Deo magnus hic Propheta electus fuerat, conveniens, hebraice significat* judicium; Dei *aut, secundum Hieronymum,* judicavit me Deus, *sicut dicit noster Cornelius a Lapide in præfatione in Danielem; vel* judex Dei, *ut noster item Jacobus Tirinus in caput* I *Danielis* ℣ 7 *: nam præter ea, quibus sanctus Vates prænuntiavit postremum judicium, variaque ac multiplicia Dei judicia circa varios reges et regna, quæ tradit; mirabilem etiam* C *judicem se præbuit in reformanda iniquissima sententia, contra innocentem Susannam lata : quibus si adjungas summam in rebus arcanis et abstrusis exponendis dexteritatem, in futuris item occultissimis et obscurissimis prænuntiandis sagacitatem, totum merito hominem coaluisse dicas ex cœlesti discerniculo, quo solide ac prudenter de omnibus judicavit ac judicare justa docuit, illo dante, qui ad munus adeo singulare ipsum vocaverat. Porro an nomen illud datum ei fuerit ab initio, an post exposita somnia, et manifestata judicia Domini, ita ut non tam nomen, quam cognomen fuerit, quærit Sanctius noster ; ac primum amplectitur, secundum censet probabile ; ut videsis ejus Commentarium in Danielis cap.* 1, ℣ 31.

Illud in captivitate ejus mutatum fuit.

2 *Porro postquam e Judæa abductus esset in captivitatem Babylonicam : nomen illud Hebraicum ibidem in Chaldaicum mutatum fuit ; quæ mutatio erat signum dominii et auctoritatis, uti habetur ex Genesi cap.* 2, ℣ 19, 20; *et cap.* 41, ℣ 45; IV *Regum cap.* 23, ℣ 34, *et cap.* 24, ℣ 17. *Nomen illud fuit* Baltassar, *Danielis* I ℣ 7; 2 ℣ 26; 4 ℣ 16, *genti isti magno in honore habitum ac regium, ne dicam divinum. Etenim a filio Nabuchodonosoris Balsassar* Daniel *dictus videtur* Baltassar, *q. d.* Baal *vel* Beli occultus thesaurus, *puta* Beli sapientia, *uti ex Maldonato affirmat Cornelius a Lapide in dictum cap.* 1 *Danielis,* ℣ 7. *Observat tamen noster Gaspar Sanctius in cap.* 1, ℣ 7, *a rege non omnino mutatum esse* Danielis *nomen, sed idioma : idem quippe valere Hebraice τὸ* Daniel, *et Chaldaice.* Baltassar, *cum aliquo tamen discrimine. De variis interim nominibus* Danieli *tributis consuli potest noster Scipio Sgambatus in opere Archivorum veteris Testamenti, Neapoli excuso anno* 1703, *titulo* 55.

3 *De stirpe Juda progenitum esse* Danielem, *constat ex cap.* 1 *Danielis,* ℣ 6 : Fuerunt ergo inter eos de filiis Juda Daniel, Ananias, *etc.* ; *ac de semine regio oriundum, omnes, teste Gaspare Sanctio præfationis in Danielem prolegomeno* 1, *conveniunt; idque non obscure liquet ex ipso* Daniele *cap.* 1, ℣ 3, *ubi :* Ait rex *(Nabuchodonosor)* Asphenez præposito eunuchorum; ut introduceret de filiis Israel, et de semine regio et tyrannorum, pueros, *etc. Unde recte deducit Cornelius a Lapide hic,* Danielem *ex Davide, Salomone aliisque regibus Juda esse prognatum. Josephus Antiquitatum Judaicarum lib.* 10, *cap.* 12 *asserit,* Danielem *fuisse de Sedeciæ genere. Perperam ergo Dionysius Cartusianus Proœmio in Danielem innuit,* Danielem *ex paterno genere fuisse tribus Levi ex materno tribus Juda : Scriptura enim paternum genus consignare solet. Cum igitur ea hic* Danielis *genus referat ad reges Juda, sequitur hoc ejus genus paternum fuisse, uti recte hic rursus Cornelius a Lapide.* *Sanctus originem trahit ex stirpe Juda, et regia;* F

4 *Idem genus, sicut notavit Theodoretus oratione* I *in Danielem, suadet, quod Isaiæ cap.* 39, ℣ 7 *Ezechiæ dicitur, postquam regias opes ostentavit Babyloniis :* De filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent *(Babylonii)* et erunt eunuchi *quamquam de stirpe Juda magis constet quam de regia,*

AUCTORE J. P.

chi in palatio regis Babylonis. *Quo fit, ut ex tribu Juda ortus fuerit* Daniel, *quæ una ex omnibus reges jam antea a multis seculis ferebat; prout notat laudatus Sanctius : qui quamquam recte dicat*, Danielis *ortum e tribu Juda negari non posse ob Danielis caput* 1, ℣ 6; *putat tamen ex hoc loco genus* Danielis *regium non sic effici necessario, ut qui contra senserit, aliquid existimari possit Scripturæ sacræ cogitasse contrarium; idque non male videtur probare ex loco supra citato :* Ut introduceret de filiis Israel et de semine regio et tyrannorum, *id est principum, ut videsis apud a Lapide hic. Hi porro tyranni, inquit Sanctius, sive principes, alieni esse poterant a genere regio, imo et a tribu Juda; adeo ut rex non jusserit, ut ad aulam regiumque conspectum eligerentur solum, qui genus ducerent e regiis natalibus, aliis exclusis, quos regii sanguinis splendor non ornaret; sed ut advocarentur ad aulicum ministerium, qui cloris essent orti parentibus, et aliquo titulo ac nomine commendatis.*

quæ tamen ipsi probabilissime videtur attribuenda,

5 *Ad locum supra ex Isaia productum, quo editur, e regio sanguine quosdam eunuchos fore in aula regis Babylonii, respondet, non ab eodem loco*
B *ac ministerio ceteros excludi. Accedit eo, quod, teste S. Hieronymo in præfatione Commentariorum in Danielem, translatio Septuaginta interpretum, quam ipse tunc habuit, ortum esse dicat e Levitico genere; quando in titulo historiæ Beli ponebatur :* Homo quidam erat sacerdos, nomine Daniel, filius Abda ; *et Chronicon Alexandrinum inter ea, quæ habet de Prophetis Olympiade* 70, *e parentibus, qui in aula regia principem locum obtinerent. Sanctio videtur suffragari noster Pererius, qui præfatione in Danielem, ait*, genus *ejus* PROCUL DUBIO regale fuisse; *Cornelius a Lapide autem in præfatione sua:* Daniel, *inquit*, ortus est ex stirpe Juda, PUTA ex stirpe regum Juda : *quæ particulæ, hujus quidem* puta, *illius* procul dubio, *videntur aliquo modo insinuare, non eadem certitudine de* Danielis *ortu e genere regio constare, qua constet de ortu e tribu Juda.*

ex sensu commun., Scriptura non repugnante.

6 *Unde non videtur arguendus Augustinus Calmet, Ordinis S. Benedicti, congregationis S. Vitoni et S. Hidulphi, Commentariis litteralibus in*
C *omnes antiqui ac novi Testamenti libros ab anno* 1707 *Lutetiæ Parisiorum Gallice editis notissimus, quando in capitis* 1 *Danielis* ℣ 6, *dicit :* Credi (ON CROIT) omnes quatuor *(Danielem et tres ejus socios)* e regio sanguine fuisse. *Concludamus itaque cum Sanctio, minus quidem esse certum, e regio sanguine ortum fuisse* Danielem; *sed hoc magis esse verisimile, ut est communis sensus, neque deesse aliquod in Scriptura vestigium. De patria nihil haberi ex Scriptura certum, prosequitur Sanctius.*

De patria et patre non constat.

7 *Pererius ex Dorothei Synopsi, et Epiphanio in libro de Vita et obitu prophetarum assignat Bethoron superiorem; adde Chronicon Alexandrinum citatum cum Menæis magnis excusis in elogio Sancti, de quo infra; ubi* Βύθαρον *scribitur; quæ est in sorte Ephraim, et familiæ Leviticæ annumerata, quæque distare dicitur ab Hierosolyma novem milliaribus, prope castellum Emmaus. Quam sententiam uti non persuadet adeo levis ne dicam nulla istorum, quos citant, scriptorum auctoritas, ita eam non evertunt contraria documenta, quæ in promptu sint. Unde malumus, hanc fuisse genuinam* S. Danielis *patriam supponere, quam negare. Cui tamen certe non valde favet, uti observat Sanctius, quod* Daniel *de tribu Juda ortus est, non e tribu Ephraim,* D
ubi sita dicitur Bethoron; neque de Levi, cui ex Ephraimitico funiculo civitas illa adscripta est. De patre ejus mirum est silentium, nisi quod, ut colligitur ex dictis, princeps fuerit. S. Epiphanius hæresi 35 *vel* 55 *ex editione nostri Petavii postea laudanda :* Quam multi sunt, *inquit*, quorum origines aperte non produntur : puta Daniel, Sidrac, *etc.* Quorum qui parentes fuerint, nusquam in Scripturis commemoratum legimus... Non gravabor ea hoc loco referre, quæ nonnullorum traditione didicimus. Igitur Danielis patrem Sabaam fuisse quemdam accepimus. *At de hac qualiquali traditione ipse viderit.*

8 *Septuaginta interpretum translatio, a S. Hieronymo superius memorata, quæ in principio capitis* 14 *hujus libri habuerit*, Danielem *fuisse de tribu Levi et sacerdotum, in causa fuit, teste Pererio in pluries nominata præfatione, cur nonnulli existimarint, duos exstitisse* Danieles, *et unum quidem de tribu Juda fuisse auctorem hujus libri usque ad caput* 13; *de altero autem, qui erat de tribu Levi, historiam, quæ in ultimo capite continetur, a quo-* E
dam Abacuc, alio nempe, quam qui inter XII *Prophetas ponitur, esse scriptam. Quam opinionem idem auctor recte refellit ex eo, quod neque olim synagoga, neque nunc Christi Ecclesia, plures uno* Danieles, *libri hujus auctores novit.*

Nihil cogit admittere

Danieles duos.

9 *Dionysium Cartusianum, qui ex duplici genere, paterno nempe ac materno litem hanc dirimere in uno eodemque* Daniele *nititur (frequens enim erat duarum istarum tribuum per matrimonia copulatio) etiam citat, sed non sequitur; credibilius censens, codicem illum* LXX *interpretum, quem citavit Hieronymus, fuisse mendosum; testante, inquit, non semel Hieronymo, codices* LXX *interpretum fuisse suo tempore admodum vitiosos et corruptos : certe non deprehendi in ullo Græcorum librorum, qui nunc quidem exstant, id, quod in illo codice fuisse eo loco refert S. Hieronymus. Ita ille alterum istum* Danielem *expungit : quæ cursim hic delibasse pro nostro instituto sit satis. De anno natali aget chronotaxis.*

Educatio qualis

10 *Quamquam de singularibus atque individuis adjunctis educationis Sancti nostri eo tempore, quo ante captivitatem apud suos puer degebat, nihil hac-* F
tenus ex idoneis documentis didicerimus, neutiquam tamen dubitandum, at certissime ponendum est, hanc primam ineuntis ætatis partem, quæ crepusculi instar, consequentis ætatis lucem annuntiare solet, ab ipso compositissime, integerrime ac religiosissime decursam fuisse, in timore videlicet Domini, divinæ legis observatione, ceterisque virtutibus, quæ tenellam istam ætatem, robustioris prænuntiam comprimis decent; easque jam tum supra vulgus hominum, divinorum charismatum possedisse dotes, quibus tot tantisque rebus mirabilibus, in decursu vitæ perpetrandis, prolusisse quodammodo videri posset; prout solenne esse divinæ providentiæ in antiquo æque ac novo Testamento, notissimum est.

externæque ejus dotes.

11 *Externas porro ejus dotes et gratias, ac singularia educationis ornamenta, enumerant sacra eloquia Danielis cap.* 1 *a* ℣ 3, *quando indicant inter filios Israel, quos Nabuchodonosor introduci ad se jusserat, fuisse* Danielem, Ananiam, Misaelem et Azariam pueros *utique, quales rex adduci designarat,* in quibus nulla esset macula, decoros forma, et eruditos omni sapientia, cautos scientia, et do-

ctos

A ctos disciplina et qui possent stare in palatio regis, ut doceret eos litteras, et linguam Chaldæorum. *Accurato adeo regis delectui accessit par cura eos alendi tempore captivitatis, de qua paragrapho proxime sequenti.*

§ II. Captivitas, sanctitas, virtutes.

Captivitatis Danielis prophetæ

Postquam venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Jerusalem, et obsedit eam, *Daniel cap.* 1, ℣ 1; *captumque regem Joakim* et victum catenis duxit in Babylonem II *Paralipomenon, cap. ultimo* ℣ 6, *una cum* Daniele *ejusque sociis; Joakim supplex tyranno factus ac tributum ei pollicitus, regno mox redditur, relictis Babylone obsidum loco* Daniele *ejusque sociis, et aliis, prout videre est apud Tirinum in Commentariis ad dictum mox Danielis locum ex variis, quos citat auctoribus. Hæc igitur tam inchoatæ, quam ad tempus continuatæ* Danielis *nostri captivitatis causa exstitit; quam si ascetice expen-* B *das, referendo eam ad Dei providentiam cum Pererio, commentante in eumdem locum; cur nimirum permiserit Deus, innocentem* Danielem *in captivitatem abduci, tres potissimum occurrunt rationes.*

causæ;

13 *Prima ratio* : *ut* Daniel *Hebræos, qui erant in eadem captivitate, instrueret, in spiritu curaret, auctoritate, doctrina et exemplo contineret in veri Dei cultu, alioquin facile ad gentium, quibuscum versabantur, impiam superstitionem et idololatriam lapsuros; captivitatis ærumnas solaretur, ejusque finem accelerart. Secunda ratio* : *ut nomen* Danielis *hoc pacto magis illustraretur, majorem utique gloriam et potestatem adepti apud alienos reges et barbaras gentes in ista captivitate, quam liber apud suos umquam fuisset adepturus. Tertia ratio* : *ut per* Danielem *apud superbissimos reges ac populos superstitionis tenebris obcæcatos, veri Dei cognitio eluceret. Atque hæc de captivitatis causis tam historice quam ascetice consideratis; post quas de ejusdem tempore disseramus.*

tempusque ejusdem,

14 *Figendo isti tempori maxime conducunt verba ista Danielis cap.* 1, ℣ 1 : Anno tertio regni Joakim regis Juda, venit Nabuchodonosor, *etc., ut* C *supra. De duplici ad obsidionem Jerosolymitanam Nabuchodonosoris sub Joakimum adventu : quorum alter contigerit sub initium regni, anno videlicet tertio; alter vero iterum anno undecimo, id est postremo, quo cum regno vitam quoque finivit, habes apud Sanctium hic, ex Scriptura sacra probatum. Quo anno e patria emigraverit* S. Daniel, *dissentiunt auctores, quos citat, sed non sequitur dictus scriptor; e quibus sint, qui putent anno octavo Joakimi id contigisse. Alii idem fere statuunt, censentes cum Jechonia esse translatum; præeunte S. Hieronymo in caput* 1 *Ezechielis. Sed a Lapide præfatione in Danielem, Sanctum captum esse cum Joakimo rege, anno ejusdem regni tertio, qui fuit annus primus regni Nabuchodonosoris, atque ab eodem abductum esse Babylonem, rectius statuit; ac proinde consequens est, ut res gesta innectatur primæ Nabuchodonosoris adversus Judæos expeditioni. Videri etiam possunt Pererius ac Tirinus in Commentariis ad verba Danielis proxime citata, et Salianus ad annum mundi* 3428, *num.* 24, *ubi et Hieronymo respondet*; *quibus adde Calmetum in tabula Chronologica, præfationi ejus in Danielem subjecta.*

15 *Quorsum enim, uti recte observat Sanctius, de tertio anno Joakimi in principio sermo, et de aliis captivitatibus tantum silentium, nisi hoc Propheta suarum rerum vellet esse principium. Exorsus est autem suæ vitæ narrationem ab illa ætate adhuc puerili, in qua cum aliis tribus, aulicis ministeriis destinatus est sub eunuchorum magistro; quod statim subdidit, postquam tertii anni Joakimi, et primi Nabuchodonosoris appulsus meminisset. Ita Sanctius; qui re sic stabilita, solvit argumentum Maldonati, uti et locum in speciem contrarium ex Jeremiæ cap.* 25, *ubi primus Nabuchodonosoris annus in quartum annum Joakimi incidisse dicitur, intelligendo videlicet annum tertium finitum, et quartum inchoatum aut modice progressum. Alio etiam modo idem interpres conciliat Danielem cum Jeremia, si dicatur, secundo anno regni inchoato venisse Nabuchodonosorem; et annum illum imperfectum omissum esse a* Daniele, *qui incurrit in annum quartum Joakimi, ut paulo pluribus ibidem deductum reperies.*

AUCTORE J. P.

primo nempe Nabucnodonosoris ad Hierosolymam adventu.

Quoto ætatis anno Daniel in captivitatem abductus?

16 *Difficilius quæri potest, quoto ætatis anno* Daniel *abductus sit Babylonem? Pererius in præfatione tamquam simillimum vero censet, eum tunc non fuisse decimo anno majorem; at debili nititur* E *auctoritate pseudo-Epiphanii atque pseudo-Isidori. Deinde affirmat,* Danielem *duodecimo ætatis anno Susannam liberasse, ex S. Ignatii epistola ad Magnesianos (quæ interpolatis annumeratur; et de qua videri possunt bibliographi) aliisque, quos profert. Sanctius ei dat annos* 20 *aut circiter; quam opinionem tamquam veriorem et nos amplectimur cum Cornelio a Lapide in citata præfatione; eamque confirmat in expositione capitis* 13, ℣ 45, *statuens* Danielem *facile* 24 *annorum fuisse, quando Susannam liberavit; quod quarto vel quinto anno postquam* Daniel *venerat Babylonem, accidisse ei videtur. Rem cum Tirino hic in pauca contraho. Quomodo, inquit, populus omnis puero duodenni, judicem agere volenti, ipsosque judices, ad judicium suum vocanti auscultasset? Ergo* puer junior *(qualis dicta loco vocatur* Daniel) *significat hic* juvenem, *qui comparatione* senum *adulterorum merito censeri poterat* puer. *Et vero* pueros *dici in ætate etiam grandi ex usu Scripturæ sacræ, ostendit Sanctius prolegomeno* 3, *num.* 13. *Adde, quod major ætas quam* 10 *aut* 12 *annorum, qua Sanctus primo in* F *captivitatem abductus sit, suadeatur ex iis, quæ de sapientia ejus mox disseremus, ubi nonnulla de sanctitate ac virginitate præmiserimus.*

Ejusdem sanctitatis,

17 *Sanctitas* Danielis *tum ex pluribus aliis argumentis, tum ex eo potissimum elucet, quod dum etiamnum in vivis degeret (anno videlicet ætatis* 34, *prout supputat a Lapide in locum Ezechielis mox producendum) ac proinde ætate non valde provectus, ipsius Dei testimonio viris duobus sanctissimis annumeretur Ezechielis cap.* 14, ℣ 14 *et sequentibus, ubi habentur ista :* Si fuerint tres viri in medio ejus *(terræ prævaricatricis atque infidelis)* Noe, Daniel et Job; ipsi justitia sua liberabunt animas suas... nec filios *autem* nec filias liberabunt; sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. *Jam vero eximia vitæ* Danielis *sanctitas et integritas adeo vel ipsis principibus ac satrapis gentilibus erat spectata, ut invidiæ stimulis acti, et ad callidissimas fraudes oculatissimi, non existimarint odium regis adversus eum aut offensionem alio modo concitari posse, quam dolos struendo religiosæ ipsius pietati : nam, prout dicitur Danielis cap.* 6 ℣ 4 : Nullam causam et suspicionem reperire potuerunt; eo quod

fidelis

AUCTORE J. P.

fidelis esset *(Daniel)* et omnis culpa et suspicio non inveniretur in eo.

studium orationis duris probatum, at non intermissum,

18 *Atque ita cum in technas omnes et consilia se versarent, dicunt tandem* ℣ 5 : Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui. *Latoque a rege decreto,* ut omnis, qui petierit aliquam petitionem a quocumque Deo et homine, usque ad triginta dies, nisi a *rege* mittatur in lacum leonum; *vel ob crudele tamen adeo ac fatale decretum nihil remisit* Daniel *de consueta adorandi Deum religione, eligens mori potius, quam minus pie vivere. Etenim hoc* cum Daniel comperisset... ingressus est domum suam, et fenestris apertis in cænaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut et ante facere consueverat; *ibid.* ℣ 10. *Accusatus itaque de violato regis edicto, et in lacum leonum missus, inde illæsus evasit, duplici prodigio ob raram adeo oc duris probatissimam pietatem, tam in se, quam in æmulis suis triumphans.*

mira abstinentia,

B 19 *Abstinentia* Danielis *supra modum rara, supra fidem fere mirabilis, nisi ex divinis verbis constaret. Ecquis enim satis admirari possit, quod tempore duræ captivitatis inter Babylonicæ aulæ delicias, quorum spectator esse poterat et testis et particeps in dies, accedente ad hæc potissimum regis imperio, ac præpositi eunuchorum solicitudine ac precibus, numquam tamen adduci potuerit Propheta, vel in tenera adeo ætate, ut de severissima vivendi ratione quidquam remitteret?* Proposuit... Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus; *et obtinuit, ut solis leguminibus et aqua victitaret. Causas vide apud interpretes. Et vero hanc parcam et religiosam Juvenis sanctissimi abstinentiam Deo mirifice gratam fuisse, liquet ex insignibus præmiis, quibus illam Deus miraculose prosecutus est* ℣ 15, 17 *et sequentibus Verum an illa abstinentia ipsi perpetua fuit? Sanctius in caput* 10 *Danielis* ℣ 3, Panem desiderabilem non comedi, *hæc habet, quibus propositæ quæstioni fit satis :* Hinc constat, aliquando Danielem cibis usum fuisse lautioribus, bibisse vinum, et panem comedisse desiderabilem, id est, delicatum, qualis expeti solet ab his, quibus vita est a sordibus

C et vulgaribus epulis aliena : id enim ipse non obscure docet ; cum hæc trium hebdomadum jejunio respuisse dicit. Quare quod principio fecit cap. 1, ut tantum legumina et aquam ad mensam adhiberet, id illi perpetuum non fuit. *Pererius autem in citatum caput commentans, exponit, cur* Daniel *melioribus fuerit usus cibis in senectute, quam in juventute.*

virginitas,

20 *Nec prætereunda est virginitas ejus, quam illibatam illum ad mortem usque conservasse, omnes, inquit a Lapide in prolegomenis pluries allegatis, consentiunt. Sic porro alienus erat ab illis rebus, quæ libidinem aut provocant, aut produnt, ut a Judæis putaretur eunuchus : usque adeo casti ac compositi ad decorum motus, virginalis pudor atque modestia, verecundi oculi, verba pudica, ut a carne nihil habere crederes. Unde S. Joannes Damascenus lib.* 4 *de Fide cap.* 25 *ait, castitatis gratia tam* Danielem *a leonum sævitia, quam tres pueros ab igne Babylonio fuisse inviolabiles. Objectionem, quam contra cælibatum ejus nonnulli formant ex loco Ezechielis cap.* 14 *supra :* Si fuerint tres viri, *etc., solvunt a Lapide et Sanctius in prolegomenis. Quam-*

D *quam vero non satis certo constet, an Sanctus noster fuerit spado seu exsectus, de qua re utrimque citantur auctores apud interpretes; præplacet tamen sententia Cornelii a Lapide ac Sanctii in prolegomenis (ne alios memorem ab ipsis citatos) uti et Tirini in cap.* 1, ℣ 3; *quæ ipsum eximit ab hac probrosa apud Judæos et odiosa macula.*

desiderium propriæ et alienæ salutis. An martyr et quo sensu? Typus Christi fuit.

21 Daniel *item hanc sanctitatis dotem habuit, ut tam suæ quam alienæ salutis ac perfectionis esset avidissimus. Unde, ut recte observat Cornelius a Lapide, cap.* 9, ℣ 23 *vocatur* vir desideriorum. *Inde orans pro populo, ei reditum e captivitate Babylonica tum a Deo tum a Cyro impetravit : permansit enim* Daniel *in principatu et præfectura usque ad Cyrum, qui primo anno suæ monarchiæ Judæos e captivitate dimisit. Inde denique tempus Christi redemptoris, ejusque nativitatis et passionis abbreviari petiit et impetravit dicto capite* ℣ 24. *Martyrem fuisse probat a Lapide, illa ductus ratione, quod ob pietatem et invocationem Dei Hebræorum missus fuerit in lacum leonum, et quidem bis, esto Dei ope inde evaserit illæsus. Titulum hunc suadet ab exemplo S. Joannis, qui a Patribus vo-* E *catur martyr eo quod in dolium ferventis olei sit immissus, quamquam inde gratia Dei illæsus exierit. Atque hoc etiam sensu* S. Daniel *martyr dici potest, quamquam martyrium revera passus non fuerit, sicut probabitur* § 4. Daniel *denique typus fuit Christi, Sanctorum omnium prototypi, et sanctitatis omnis auctoris ; id quod rationibus omnino septemdecim ostendit laudatus Cornelius a Lapide. Atque hæc pro nostro instituto de* S. Danielis *sanctitate ac virtutibus plus quam satis; de sapientia ejus nunc dicamus.*

§ III. Sapientia; auctoritas apud reges ac populos inde orta; an S. Daniel excludendus e numero prophetarum.

Sapientia Danielis ab ipso Deo laudata,

Sapientia sanctitati reliquisque sancti Vatis dotibus par eum exornavit : cujus complura ex dictis ac factis ipsius, in libro ejus expositis, argumenta in promptu sunt, quæ suis quæque locis explanata habes apud interpretes. Sed illud maxime F *notandum, quod sapientiæ suæ Sanctus ipsummet Deum præconem habuerit. Etenim rex Tyri, sapientissimum se reputans,* Danieli *tamen se comparare non audebat. Atque hoc est, quod irridens, per sarcasmum ei objicit Ezechiel cap.* 28, ℣ 3. Ecce sapientior es tu Daniele, omne secretum non est absconditum a te. *Jamvero ex Danielis cap.* 1, *ubi tenera adhuc erat sapientissimi Juvenis ætas, cui sicut crescentibus paulatim annis crescebat quotidie robur corporis, ita pariter nova in dies fiebat eruditionis accessio, luculentissime constat, quantam, quam late patentem, quam subtilem et acutam et haberet jam tum ingenii vim cum profundissima sapientia conjunctam, et qualem postea habiturus esset, ubi eum maturior ætas virum formasset.*

a quo supra alios egregie ornatus fuit

23 *Pauca vero e pluribus, quibus per decursum libri, ejus nomine inscripti, divina plane ipsius sapientia commendatur, et varia, quæ interpretum lucubrationibus inserta leguntur circa hoc idem, quo de in præsentia agimus, argumentum; paucula, inquam, nobis hic sufficiant. Jam tum a primo ingressus sui in Babylonem tempore, publica eruditionis*

ac

A *ac sapientiæ fama erat notissimus : ut qui eo nomine præ pluribus aliis selectus et ad regis Babyloniorum aulam deductus fuerit cum sociis suis. Dixerat quippe rex ad aulicum suum ministrum,* ut introduceret de filiis Israël... eruditos omni sapientia, cautos scientia, et doctos disciplina. *Et* ℣ 17. Pueris autem his dedit scientiam et disciplinam in omni libro et sapientia; Danieli autem, *quo ceteris longe altius emineret,* intelligentiam omnium visionum et somniorum; *munus utique et partem non minimam spiritus prophetici, quo Deus ipsum cumulatissime donavit.*

quam et rex Nabuchodonosor summis laudibus extulit.

24 *Nec vero modice laborarunt* Daniel *et socii ejus, ut tempus triennii, quod datum eis erat ad excolendas scientias antequam ad regem ingrederentur, cum fructu transigerent : nam cum jam regi adstarent, elapso triennii termino, specimina edituri rationemque reddituri eorum, quæ et ante sciebant et ibi didicerant, adeo eximiam ex variarum scientiarum aggregatione sapientiam præ se tulere, ut asseverarit rex de illis* ℣ 20, *invenisse se* decuplum super cunctos ariolos et magos, qui erant in universo regno. *Juvat his attexere ea, quæ de* S. Da-
B nielis *sapientia paulo magis singulatim determinat a Lapide in prolegomenis:* Fuit, *inquiens,* chronologus sui non modo temporis, sed illius ævi certissimus ac celeberrimus. Fuit vir omnium hominum illius seculi sapientissimus, et in omni scientia etiam Chaldæorum aliorumque gentilium versatissimus. *Tirinus in cap.* 1 ℣ 4, *solertiam et sagacitatem in scrutatione rerum naturalium; ac disciplina ethica, politica, œconomica præditos fuisse Sanctum ejusque socios, tacite indicat vel supponit : nam* cauti scientia *et* docti disciplina, *qui pro Nabuchodonosoris aula quærebantur ex Hebræis, hisce facultatibus ornatos fuisse dicit : proinde dotes illæ in* Daniele *ac sociis, qui ad regiam aulam erant delecti, desiderari haud poterant.*

Et vero regibus et populis

25 Daniel *itaque non secus ac scientiæ oraculum ac sapientiæ prodigium a summis et imis, regibus et populis habitus semper fuit summa in veneratione et admiratione. Ac* rex Nabuchodonosor *imprimis post somnium de famosa statua sibi a* Daniele *expositum,* cecidit in faciem suam, et Danielem adoravit, et hostias et incensum præcepit, ut sacri-
C ficarent ei. *Et paulo post :* Tunc Rex Danielem in sublime extulit, et munera multa et magna dedit ei; et constituit eum principem super omnes provincias Babylonis, et præfectum super cunctos sapientes Babylonis. Daniel autem postulavit a rege, et constituit super opera provinciæ Babylonis Sidrach, Misach et Abdenago : ipse autem Daniel erat in foribus regis, *uti habes cap.* 2. *Lecturus vero scripturam digitorum in pariete apparentium cap.* 5, *Baltassari regi a regina, (sive ea regis mater, sive avia, sive uxor fuerit; vide Cornelium a Lapide) ita commendatur :*

ob eam summo semper in honore fuit habitus.

26 Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum sanctorum habet in se; et in diebus patris tui scientia et sapientia inventa sunt in eo : nam et rex Nabuchodonosor, pater tuus, principem magorum, incantatorum, Chaldæorum et aruspicum constituit eum : pater, inquam, tuus, o rex, quia spiritus amplior, et prudentia, intelligentiaque et interpretatio somniorum, et ostensio secretorum, ac solutio ligatorum inventæ sunt in eo. *Accitus itaque* Daniel *postquam scripturam exposuisset,* jubente rege indutus est... purpura, et circumdata est torques aurea collo ejus, et prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno suo. *Sub Dario autem constituitur supra satrapas regni, cap.* 6, *honorifica auctoritate ornatissimus :* Igitur Daniel superabat omnes principes, et satrapas : quia spiritus Dei amplior erat in illo. Porro rex cogitabat constituere eum super omne regnum. *Summam denique eidem etiamnum juveni auctoritatem et gloriam peperit adeo inexspectata et mirabilis liberatio innocuæ Susannæ, cap.* 13; *post quam* Daniel... factus est magnus in conspectu populi a die illa et deinceps.

AUCTORE J. P.

Prophetarum ex albo illum expungere,

27 *Constat abunde apud omnes,* S. Danielem *prophetarum numero accensendum esse, quidquid eum inde eximere nonnulli voluerint. Hebræi, Hieronymo teste in præfatione in* Danielem, *sacræ Scripturæ libros in tres digerunt classes, nimirum in Legem, Prophetas et Hagiographa, seu scripta sacra. Porro tertiæ huic classi* Danielem *annumerant, et a Prophetis segregant, eodem Hieronymo teste. Cur id Hebræi putarint, docet Theodoretus in hunc librum : cujus verba brevitatis causa non transcribo. Argumentum, Hebræorum opinioni in speciem fa-* E
vens, quod desumitur ex oratione Azariæ cap. 3, *ubi eodem tempore, quo Babylone esset* Daniel, *is dicit :* Non est in tempore hoc propheta, *etc., elucidat Sanctius proleg.* 4; *atque in ulteriorem rei confirmationem;* quod propheta, *inquit,* fuerit Daniel, liber totus manifeste docet, et ita clamat aperte et clare, ut nisi qui aures obstinato obstruxerit, ignorare non possit.

nemo nisi pertinax potest : qualem etiam exstitisse,

28 Quam multa de Christo, quam varia de Antichristo, deque imperiorum mutatione prædixerit, quam illa rerum confirmaret eventus, quis non videt? Cæcus sit oportet et amens, qui hic prophetici spiritus vim non agnoscat; *et donum plane divinum supra naturalem hominis facultatem, prænoscendi et prænuntiandi ea, quæ solus novit Deus, et ille, cui is voluerit revelare. Enimvero Judæorum ora obstruit Christus Matth. cap.* 24, *quando dicit :* Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a DANIELE PROPHETA, *etc. Judæos quoque confutare debet Josephus, dilucide significans quam grandem de hoc* Danielis *charismate existimationem concepisset, quando non prophetis dumtaxat, sed maximis quoque prophetis Sanctum hunc virum accensuit lib.* 10 *Antiquitatum* F
Judaicarum cap. 12, *ubi sic legitur :* Omnis eximia felicitas ut prophetæ excellentissimo ei contigit, et viventi tam apud reges, quam apud populum gratioso, et post obitum sempiternam memoriam consecuto. *Et vero sequenti elogio Prophetam ibidem prosequitur :* Libri enim ejus, quos conscriptos reliquit, etiam nunc apud nos, *inquit,* leguntur : qui nobis certam fidem faciunt, quod Deus cum eo colloquia miscuerit.

Josephus agnoscit;

29 Non solum autem futura prædixit quemadmodum alii prophetæ; verum etiam tempus, quo eventura essent, præfiniit*:* et cum alii prophetæ calamitates prædicerent, ideoque malam gratiam apud reges et multitudinem vulgarem inirent; hic bonarum rerum vates fuit, ut propter faustam ominationem quidem benevolentiam omnium sibi conciliaret, propter eventuum vero certitudinem, fidem sibi apud universum mortalium genus compararet. Exstat enim in illius scriptis, unde maxime illius prophetiæ certitudo potest colligi, *etc. Atque ex his plane liquet, tam longe*

AUCTORE J. P.

abfuisse antiquos Judæos ab illa opinione, quæ Danielem *expungendum censuit ex albo prophetarum, ut honorificentissimo loco cum inter prophetarum coryphæos reponant.*

bonarum tamen rerum vatem falso asserens.

30 *Interim Josephus, cui* Daniel bonarum rerum vates fuit, *etc.*, *recte refutatur a Saliano ad annum mundi* 3497 *tamquam locutus* ad mentem suorum popularium, non ipsius Prophetæ et rei veritatem. Si enim librum, *inquit*, ipse legit, invenit Danielem, si quis alius, regibus, quibuscum vixit, severissima atque acerbissima denuntiasse *(uti probat ab exemplis, licet res probatione non egeat) neque proinde regibus aut populo inde charum fuisse. Addit* : Danielem, opinor, ex se ipso metitus * est Josephus, qui Græcorum et Romanorum, quibus serviebat, gratiam venabatur... Pseudoprophetarum iste mos est, et ne omnium quidem, cum Balaam etiam domum auro plenam præ veritate prophetica contemnere potuerit.

* mensus

B

§ IV. Visiones, interpretationes somniorum, prophetiæ, scripta; mors ejusque adjuncta; an sanctus martyrium passus?

Summa fuit Danielis in visionibus, etc.,

Tres *istæ modo in titulo propositæ magni Prophetæ dotes adeo cohærent simul, ut non abs re facturus videar, si modo de una, modo de alia promiscue agam, usurus verbis Pererii in præfatione alias indicata, quibus erudite præeus argumentum dilucidat* : Omnes, *inquit*, Danielis visiones admirandis imaginibus et similitudinibus fuerunt expressæ. His accedit, quod prophetia Danielis complectitur omnia tempora, præterita, præsentia et futura : præterita, ut in primo somnio Nabuchodonosor; futura, ut in expositione somniorum ejus, et in aliis omnibus prædictionibus ; præsentia, ut in scriptura manus, quæ apparuit in pariete, et in judicio Susannæ. Continet item
C omnes modos, quibus visiones propheticæ fieri solent, hoc est vel per somnia, vel per ecstasim aut raptum, vel per signa sensibilia, vel per illuminationem mentis. Et, ut paucis dicam, si præstantia prophetiæ eo major debet æstimari quo de Christo vel plura et majora, vel explicatius et apertius vaticinatur; Daniel profecto unus de summis et nobilissimis prophetis eo nomine censeri debet. *Ita illc.*

excellentia :

32 Daniel... hoc, *inquit S. Hieronymus in Daniel cap.* 1 ℣ 17, extra tres pueros habebat insigne, quod visiones et somnia, quibus per symbola quædam et ænigmata, futura monstrantur, sagaci mente cernebat; ut quod alii videbant in phantasmate, oculis cordis adspiceret. *An et quousque scientia* Danieli *et sodalibus ejus a Deo communicata fuerit naturalis vel supernaturalis; cujusmodi fuerint somnia, quorum eventum* Daniel *interpretatus est; quo pacto vera somnia a falsis discriminentur; item quid somnium sit, quid visio; et cetera, quæ hic quæri possint, disce ab interpretibus; e quibus consule imprimis Sanctium ac Pererium in caput* 1 *Danielis, et a Lapide in cap.* 40 *et* 41 *Genesis; sufficiat hic verbo insinuasse, somnia illa, quorum* Daniel *interpretem egit, a Deo immissa fuisse, non vero fortuita. Alias porro* Danielis *prophetias de mundi excidio recenset pseudo-Epiphanius in Vita* Danielis, *pseudo-Dorotheus in Synopsi, et Chronicon Alexandrinum.* D

33 *Opera S. Epiphanii recensuit, e Græco in Latinum convertit ac notis illustravit, eaque Lutetiæ Parisiorum edidit anno* 1622 *noster Dionysius Petavius, duobus tomis tam genuina istius auctoris, quam spuria complexus et supposititia.* Horum ducit agmen, *inquit in præfatione tomi* 2 *ad lectorem*, Liber de Vita Prophetarum, quem ψευδεπίγραφον esse, sexcentæ mendaciorum nugæ persuadent, quibus ille refertus est. *Rem itaque gestam eodem tomo pag.* 143 *pseudo-Epiphanius sic narrat* : Aliud præterea portentum in arduis Babyloniæ montibus designavit. Cum, inquit, montem illum, qui ad Aquilonem obversus est, fumantem videbitis, Babylonis exitus appropinquabit; cum autem velut igne flagrantem aspexeritis, totius orbis occasus imminebit. Sin mons ille, qui ad Austrum est, aquis manaverit, populus in patriam revertetur, et Hierusalem ampla et spatiosa demum instaurabitur : id quod Jesu pontificis et Zorababelis filii Salathielis studio atque opera perfectum est. Quod si mons cruore fluxerit, Belialis per universum orbem cædes protenditur, ac Dominus, hominis assumpta specie, descendet in terram. *Quæ nos cum Saliano ad annum mundi* 3535, *num.* 4 *dicimus* Rabinicum furfurem sapere, et passim contemni.

quædam spuria inter illas, et falso ipsi imputata.

E

34 *Quoniam vero non tam* Danielis *scripta*, *quam* Danielis *gesta ac persona ad nostrum præcipue institutum spectant; plurima, quæ de libro ejus hic quæri possent, alio remittimus. Hunc* Danieli *vindicat Pererius in sua præfatione; ubi et de ejusdem libri præstantia, ex materia et auctore petita; hysterologia sive præpostera rerum serie atque orta inde obscuritate; ac denique utilitate. Librum item hunc* Danieli *asserit Sanctius proleg.* 5 ; *historiam Susannæ proleg.* 4 ; *totum caput tertium, proleg.* 7; *de dracone et sacerdotibus Bel, de lacu et Habacuc proleg.* 3; *de canonica libri totius auctoritate proleg.* 9; *qua lingua scriptus, et quis ejus interpres proleg.* 10. *Consuli item potest Tirinus in sua præfatione, uti et Calmetus in sua, pag.* 518. F

Præter scripta ab interpretibus Danieli vindicata,

35 *Falso quædam* Danieli *adscripta fuisse, et ab Ecclesia pro talibus non agnita, meminisse hic etiam convenit : de qua re Huetius in Demonstratione evangelica, Propositione* 4, *cap.* 14, *titulo* de Prophetia Danielis *num.* 10 *sic fatur :* Fecit præstans Danielis fama, et explicandis potissimum somniis celebrata, ut vetus quidam onirocritorum auctor operi suo Somnialiorum Danielis nomen falso præscriberet. Ejus usum damnant Decreta Gratiani, utpote supposititii et impii. At incertum est, idne, vel simile quid notaverit synopsis, cum inter apocrypha Danielem collocavit. Certe additamenta Danielis non respexit, quæ inter legitimos hujus Prophetæ fœtus ab eo recensentur. Ego vero et Latinam Christiani hominis scriptionem esse puto, cum nulla ejus appareat mentio, vel in Artemidoro, vel in Achmete ; nec valde antiquam, cum inter eos qui ante Artemidorum idem tractaverunt argumentum, nomen Danielis nuspiam exstet. *Hæc Huetius, in margine citans Decretum Gratiani par.* 2, *causs.* 27, *q.* 1, *cap.* 16; *sed habentur caus.* 26, *q.* 7, *cap.* 16.

quædam etiam ei supposita.

36

A

Referuntur variæ circa annos vitæ

36 *Pererius in fine præfationis in Danielem statuit, sanctum Vatem vixisse ad annos usque* 100, *ætatem illam pertexens per varios successive calculos chronologicos; ultra vero quam longe processerit, incompertum esse. Pererio perperam imputat noster Cornelius a Lapide in prolegomenis, quasi vixisse* Danielem *statuerit annis* 138; *quod si verum foret, merito certe tunc tantam ætatem rejiceret Cornelius a Lapide, tamquam* enormis *sit* ætas hominis, et illo seculo inaudita : *unde alii censeant,* Danielem *non excessisse annum centesimum. Denique puncta chronologica, quæ ibidem figit, eo redigit, ut mors* Danielis *innectatur anno suæ ætatis* 101 *aut* 111. *Sanctius prolegom.* 3, *num.* 14, *quamquam fateatur, incertum esse, quo ætatis anno sanctus* Vir *e vita excesserit, ut certum tamen admittit, ad grandem usque ætatem progressum, et, sicuti chronologice statuit, plus quam senilem.*

sententiæ.

37 *Abulensis quæst.* 91 *in cap.* 2 *Matthæi, ætatis dictæ tempus circumscribit uno supra octoginta anno;* sed multo plures, *inquit Sanctius,* vixisse constat. *Tirinus vero omnium, quos ego quidem viderim, in definienda illa ætate restrictissimus, statuit ex hypothesi quod, si mortuus sit* Daniel *anno tertio monarchiæ Cyri (quia deinceps Scriptura illius non meminit) vixerit universim annis* 71; *idque conformiter ad ea, quæ disserit in Chronico suo sacro cap.* 35, *de principio ac fine* 70 *annorum Babylonicæ servitutis, captivitatis et desolationis; tempore, quo vixerit sanctus Propheta in captivitate ista, non ad septuaginta annos, id est ad totam ejusdem durationem extenso, uti interpretes bene multi statuunt, sed ad triginta ex annis istis septuaginta restricto; de quo uti et aliorum metiendi hæc et alia Sancti tempora calculo, pluribus videbitur in chronotaxi paulo post a nobis ordinanda.*

B

Locus mortis

38 *Proximum est, ut præter ea, quæ tempus vitæ ac mortis circumstant, nunc de loco mortis disseramus. Petrus de Natalibus Sanctum vita functum vult in Media, et quidem* v *Kalendas Septembris, uti videre est in Vita lib.* 7, *cap.* 126; *de utroque isto asserto ipse viderit. Sanctius obitum ejus tribuit Babyloni,* ut docent, *inquit,* communiter Patres et Martyrologium Romanum. *Et commentans in cap.* 1 *Danielis* ℣. 21, *censet Prophetam nostrum ex Media* rediisse... Babylonem, atque ibi tandem nobili sepulcro conditum esse; *sed ex auctoritate pseudonymorum Epiphanii, Isidori, Dorothei, etc., quos citat, id neutiquam confici potest. Eumdem mortis locum assignat a Lapide : causam addens,* Noluit enim, *ait,* redire in Judæam cum Esdra et aliis, quibus reditum a Cyro impetraverat, tum ut Judæorum salutem et negotia apud Cyrum promoveret; tum ut Judæorum, qui in Babylone plurimi remanebant, director et protector esset. *Ita ille ex Theodoreto in caput* 10. *Consule etiam Pererium in Proleg. versus finem. Si vero Prophetæ idem fuerit locus mortis, qui et sepulcri, varia huc faciunt, quæ dabimus* § 5. *At notat recte novus legendista Gallus in Vita* Danielis *paragrapho* II, *de qua infra, non posse hic proferri id, quod Deus ad ejus sepulcrum fuerit operatus, nec quales ipsi fuerint honores exhibiti : cum nihil possit asseri de loco sepulturæ ejus, aliisque adjunctis, quæ ejus mortem comitata et secuta sunt.*

C

aliaque ejusdem adjuncta nos latent.

39 *Præplacet itaque mihi ista opinio, quæ affirmat, incompertum plane nobis esse locum mortis, et alia ejusdem adjuncta; qua in re lubentes sententiæ memorati legendistæ subscribimus; viderit tamen num satis sibi in ista incertitudine constare probetur, quando paucis interjectis affirmans, non videri locum sepulturæ umquam exstitisse Babylone,* Daniel, *inquit, non amplius habitabat Babylone ex quo Darius Medus ipsum adduxerat Ecbatana, urbem Mediæ principem. Videtur obiisse in Persia, aut in urbe quadam ad Tygrim cita, ubi habuit ultimas suas visiones. Hæc ille; quod mihi videtur idem esse, atque rem incertam ex incertis divinare conjecturis : etenim an et quamdiu Sanctus supervixerit istis supremis visionibus non constat; non magis quam an et quamdiu tunc ibi substiterit, an potius alio migraverit. Malumus itaque nullam, aliorum circa locum obitus adoptare sententiam, quam adoptando aliquam ex illis, non sufficiente fundamento suffultam, meras venditare conjecturas. Unde consequens est, ut Calmetus præfatione in Danielem pag.* 515 *nimis affirmate mortem in Persia ponat; neque satis sibi etiam constet, cum paulo post asserat, dubitari, an mortuus fuerit Babylone.*

AUCTORE J. P.

Græci comminiscuntur Sanctum ab Attalo capite truncatum.

40 *Sanctum Vatem nostrum certo aliquo sensu fuisse martyrem dicebamus obiter num.* 21 *ex Cornelio a Lapide. Plus aliquid volunt tabulæ Græcorum sacræ, uti post patebit, referentes, Sanctum veri et stricte dicti martyrii, fuso nempe sanguine, lauream consecutum, quando eum sub rege Attalo, nescio quo, capite truncatum tradunt : cum nullus, quod sciatur, veterum Patrum vel historicorum, uti recte observat a Lapide in prolegomenis, hoc memoriæ prodiderit. Nugis igitur ipsi suis gaudeant Græculi, hic item, more sibi alias satis superque usitato, falli volentes aut fallere. Idcirco commentitiam hanc mortem imaginariis fabulatorum somniis accensemus; quam an ipsi primum excogitarint, an alibi inter Rabinicas aut Thalmudisticas quisquilias invenerint, non habemus unde affirmemus. Atque hæc quidem spectant* sancti Danielis *prophetæ obitum, et ea quæ eumdem circumstant; nunc subdamus, quæ illum consecuta sunt.*

E

§ V. Sepulcrum, epitaphium, statuæ.

F

Varia de sancti Prophetæ sepulcro

De S. Danielis *sepulcro, quidquid nonnulli scriptores illud certo loco determinare voluerint, nihil satis credibile videtur statui posse : propterea quod nec auctores, nec proinde eorum testimonia satis habeant ponderis ad faciendam fidem. Referemus tamen ea, quæ ipsi tradunt, relicta lectori plena assentiendi vel dissentiendi libertate. Si pseudo-Epiphanio credimus,* humatus est in angusta (*forte* augusta) caverna honorifice, exstatque monumentum ejus ad hoc seculum cunctis notissimum; *si autem pseudo-Dorotheo in Synopsi de Vita et morte Prophetarum, Bibliothecæ Patrum tom.* 7 *per Margarinum de la Bigne, editionis secundæ anni* 1589 : Edidit, *inquit,* et aliis Persarum regibus multa portenta, quæ scripta non sunt. Mortuus est vero Daniel in terra Chaldæorum, et in sepulcro regio solus cum honore sepultus. *Ubi videtur significare, eum fuisse sepultum in ipsa turri, de qua mox agemus.*

narrantur;

42 *Josephus lib.* 10 *Antiquitatum Judaicarum cap. ultimo, turrim quamdam a* Daniele *constructam celebrat, minime vacantem prodigio, si vera is narrat,*

AUCTORE J. P.

rat. Cum ab omnibus, *inquit*, Deo charus existimaretur, et propter hanc de se opinionem esset illustrissimus, ædificavit apud Ecbatana Mediæ turrim, opus pulcherrimum. et singulari admiratione dignum, quod in hodiernum usque durat, et spectantibus recentissimæ structuræ videtur, ac si ea ipsa die, qua spectatur, esset absolutum: tantam novitatis speciem, et tam integram pulchritudinem habet, nihil omnino a tam longo tempore læsam, præter aliorum ædificiorum consuetudinem, quæ æque atque homines vetustatis injuriam sentiunt, nec firmitatem solum, sed etiam decorem sensim deperdunt. Mos autem durat usque in præsens tempus, ut in ea turri sepeliantur Medorum reges, et Persarum atque Parthorum: ejusque custodia Judaici generis sacerdoti hodieque concreditur.

sed nihil satis fide dignum,

43 *Ad illum ipsud sepulcrum alludunt clarissime verba Vitæ* S. Danielis *apud Petrum de Natolibus, de qua infra ; ubi postquom dictum erot de morte ejus in Media, mox additur* sepultus in sepulcro regali solus cum gloria. *Quod Græci memorant in* B *suis Menæis magnis excusis od diem* XVII *Decembris in elogio Sancti et sociorum ejus, nimis inouditum oc singulore est, quam ut ob tantillam auctoritotem, nou prolatis fide dignioribus documentis, mox credi debeat, quæ vel ouiles Rabinorum, vel similis certe ingevii fabulatorum nænias redolent, donec aliunde probentur. Itaque ibidem fabulosæ, uti supra diximus, eorum morti subditur ista fabula duplex:* Dicitur autem, eorum capita post truncationem agglutinata fuisse corporibus eorum. Angelus autem Domini tollens ipsos, in montem Gebal eos duxit ; in quo positi sub petra annis 400, in resurrectione Domini nostri Jesu Christi et ipsi resurrexerunt, et iterum obdormierunt. *De Hebal, seu Gebal (Josepho lib. 4 Antiquitatum cop. ultimo, versus finem est* Gibal *seu* Gibalus*) moutis situ juxta Sichem consuli potest Cornelius a Lopide in cap.* 8 *Josue*, ℣ 30.

Alia quædam

44 *Beujominus Tudelensis in suo Itinerario, quod ex Hebraico Latinum fecit Benedictus Arias Montanus, et typis Plantinianis prodiit Antverpiæ anno* 1575, *in quo res memorabiles, quas ante* 400 *tunc annos totum fere terrarum orbem, prout nota-* C *tur in titulo libri, notatis itineribus dimensus, vel ipse vidit, vel a fide dignis suæ ætatis hominibus accepit, describuntur; laudatus, inquam, Benjaminus, pog.* 78 *narrat in Chuzsethou, Elam olim dicta, Elamitarum patria, ante uvam ex* 14 *synagogis Judæorum quæ ibidem congregabantur*, Danielis *sepulcrum esse: de quo subjungit sequentia, quæ an vera sint, au ex apocryphis, quod suspicor, Judæorum somniis deprompta, non habeo unde certo affirmem ; daturus quæ apud ipsum de hac re reperio, his verbis notata :* Interfluit autem Tigris fluvius urbem ipsam, et habitationem etiam Judæorum dividit ; atque altera ex parte fluminis ditissimi omnes sunt, quicumque inhabitant, foraque habent negotiis et mercibus instructissima.

ejusdem farinæ

45 Ex altera vero tenuiores pauperioresque omnes, nulla fora, commercia nulla habent, neque hortos aut pomœria ; adeo ut aliquando invidiam conceperint adversus alteros, existimaverintque divitias et ubertatem illis ex Danielis prophetæ ibidem sepulti vicinia effici: quamobrem ab illis postularunt, ut Danielis sepulcrum ad suam regionem transferri permitteretur. Quod D cum constanter negatum esset; ad contentionem primum, deinde ad dimicationem atque pugnam deventum est, magna cum utriusque partis clade ad multos usque dies ; donec tandem lassi utrique in conditiones et pacta convenere, ut alternis annis Danielis cippus ad alteram partem transferretur : idque aliquamdiu factum repetitumque fuit. Sed accidit interim, ut Senigar Saa, filius Saa, regum omnium Persarum imperator summus, eo veniret ; *interjectisque pauculis de multitudine regnorum, quæ illi parebant, nomine Arabico, quo is appellabatur, ditionisque ipsius extensione, sic prosequitur:*

proferuntur,

46 Is igitur cum in hac urbe aliquando commoratus, Danielis cippum ex altera in alteram urbis regionem transferri, atque cum illo complures ex Judæis et Ismaelitis commigrare vidisset ; causa rogata et cognita, indignum judicavit, ut hujusmodi adversum Danielem irreverentia toleraretur : verum spatium inter utramque partem diligenter dimensus, Danielis cippum, in arca magna vitrea impositum, in medio illo loco ex trabe maxima æneis catenis suspendit, ædemque E construi jussit synagogæ usui dicatam, omnibusque totius orbis hominibus patentem, neminique negatam mortali, sive Judæo sive Aramæo, eo precationis causa ingredi volenti. Pendet autem arca illa ex trabe usque in hodiernum diem. Porro imperator ille edicto vetuit, ne quis pisces e fluvio caperet ad unum ex inferiori parte, alterum vero ex superiori, miliare, propter Danielis reverentiam et cultum. *Senigar ille Soa an et quando regnorit, fatemur tam nobis esse incompertum, quam investigatu impervium in tam intricata regnum Persarum post seculum septimum successione : nec vero tonti est res hæc gesta seu potius fabula.*

et æque suspecta.

47 *Gregorius Abulphoragius in historia Dynastorum ex Arabico in Latinum versa ab Eduardo Pocockio, dynastia* 5, *pog.* 54, Danielem *sepultum esse vult* in arce Shushan, scilicet urbe Tustar *. *Verum, quia auctor ille adeo receus est, utpote qui floruerit seculo post Christum natum* 13 *(vide tractatum de Patriarchis Antiochenis tomo* IV *Julii præliminarem, pag.* * 100) *quidnam, amabo, ab ipso hic exspectare possis, quod vel tantillum viri prudentis mentem movere valeat ad assensum? Habemus hic* F *interim in diversa abeuntes circa sepulcrum* Danielis *sententias, urbium septem, de patria Homeri contendentium more divisas. At nihil censemus hic esse certum, sed potius incerta omnia, tacentibus de loco, in quo conditus sit sanctus Propheta, divinis eloquiis. Jam vero sepulcrum hoc ubiubi fuerit, non pigebit illud cohonestare sequenti epitaphio, quod ex rebus Sancti gestis eleganter ac nervose concinnavit Salianus ad annum mundi* 3535 *:*

* *alias* Shusthar

Epitaphium breve ac nervosum,

48 Claudit spelæum hoc Virum magnum, viator, Virum regio Davidis sanguine illustrem, regia plurimorum regum atque imperatorum familiaritate, atque honoribus clarum : regis Messiæ vivido typo, ac spiranti figura clarissimum. Virum dico prophetam Danielem, potentem opere ac sermone: qui duodennis propheticæ lucis radios orsus accipere, ultra centesimum vaticiniis clarus evasit. Cui divina exponendo somnia, afflatusque cœlestes, longinquos imperiorum progressus, longaque serie futuros principes, Xerxes, Alexandros, Antiochos, Ptolemæos, Titos ac Vespasianos, ultimumque mundi portentum Antichristum

A tichristum oculo perspicaci vidit, atque perscripsit. Qui septuaginta ipsos annos populi exilium deplorans, postremam ejusdem populi reprobationem atque interitum tanto ante agnovit, exhorruit, renunciavit : populi sui, Christum ac Messiam suum ad se missum negantis, et diem visitationis suæ, excæcatis malitia luminibus, non agnoscentis; Christum, cujus ipse diem, annis hebdomadisque studiose numeratis indicarat.

a Saliano concinnatum. 49 Prophetam dixi, martyrem dicere oportuit : qui septem leonibus rabida fame furentibus objectus in cibum, septenos dies latrantem bestiarum stomachum, arentes fauces, hiantia ora, ungues humano sanguini assuetos frenavit atque compescuit; susceptoque cum immani dracone certamine, eum medicata fruge disrupit atque distraxit. Martyrem dixi, non satis est. Addo ergo doctorem populi idolorum tenebris circumfusi : addo confessorem in exilio seculari : addo virginem in eo populo, in quo sterilitas erat pudori : addo eversorem idolorum, veræ pietatis propugnatorem, ac firmamentum : miraculum B sapientiæ, fortitudinis, pudoris et integritatis. Vitam in exilio ad centesimum decimum annum produxit quingentis atque octodecim annis ante Christi Domini nativitatem. Abiit e vivis anno ab orbe condito CIↃ CIↃ CIↃ IↃ XXXV. *Ita Salianus : notas temporis, ex ejus chronologica ratione hinc inde producto epitaphio interspersas, aptare poterit quivis aliter, easque ex nostra chronotaxi paulo post subjungenda emendare.*

De statua 50 *Addi his velim paucula ista ex notationibus ad Martyrologium Romanum ad hanc diem* XXI *Julii, ubi sic legitur :* Antiquus mos Christianorum fuisse reperitur, ut in suis sepulcris inter alia resurrectionis symbola, Danielem in lacu inter leones liberum stantem sculperent. Extant ejus rei in veteribus lapideis sepulcris complura exempla; ea fortasse de causa, quod de resurrectione mortuorum cap. 12 apertissime sit locutus : seu quod e lacu ipse liber egrediens, quodammodo hieroglyphicum hominis e tumba resurgentis expresserit. *Publicum item suæ erga Sanctum nostrum venerationis monumentum Constantinopoli exstare voluit piissimus imperator Constantinus* C *magnus, teste Eusebio Pamphili de Vita Constantini lib.* 3, *cap.* 49 : Vidisses igitur, *inquit*, in fontibus, qui sunt in medio foro... Danielis ... effigiem una cum leonibus ære expressam, et auri bracteis refulgentem.

et effigie. 51 *Adjungas his licet quantulamcumque Sancti effigiem, post præfationem Commentariorum in Danielem æri incisam apud a Lapide cum hac epigraphe :* Effigies Danielis in habitu Babylonico, scilicet saraballis, purpura et cidari : illo enim eum in Babylone et aula usum, patet Danielis, cap. 3, ℣ 21 et cap. 2, (*imo cap.* 5) ℣ 29. Curavi, *inquit*, eam expingi ex vetusto codice bibliothecæ Vaticanæ, nempe ex Græco Sanctorum Menologio manu scripto, et picto auratis imaginibus ad vivum ante annos 700. Fuit hic codex Basilii Porphyrogeniti imperatoris, qui Constantinopoli nuper allatus ad Cardinalem S. Cæciliæ, ab eoque datus S. D. N. Paulo V Pontifici, ejus jussu repositus est in bibliotheca Vaticana, utpote illustre antiquitatis monumentum. *Vocem* saraballa, *quæ Chaldaica est, pro capitum et crurum tegumentis promiscue usurpari, notat Cangius in Glossario Latino : hic vero videtur adhiberi pro tibialibus aut braccis. Sanctius noster in caput* 3 *Danielis,* braccæ, *inquit*, Chaldaice SARBAL, quam vocem S. Hieronymus modo SARABALLA, modo braccas convertit. AUCTORE J. P.

§ VI. Rerum a Sancto gestarum chronotaxis.

Non est hic animus mihi, nec porro præsentis id est instituti, novam circa res a Sancto gestas chronotaxin condere : aliorum quippe jam pridem in eo desudavit labor, ad quos id propius spectat; fixum fere dumtaxat habeo, quamnam temporum seriem illi ordinarint, exponere; quo fiat, ut præterpropter norit lector hagiophilus, sibi hic formare ideam saltem rudem chronologicam. Pererius sub finem suæ præfationis in Danielem ordinavit chronotaxin; debili tamen fundamento nixam, auctoribus videlicet Epiphanii et Isidori nomen mentitis. Sic loquitur Pererius : Cum Babylonem captivus Daniel ductus est, tenerrimæ fuit ætatis : eum namque Isidorus fuisse inquit tunc puerum; Epiphanius pusionem et infantem vocat. Quo fit, ut simillimum vero sit, tunc Danielem 10 anno non fuisse majorem. Atque hoc ponatur tamquam fundamentum chronologiæ Danielis deinceps explicandæ. Annus igitur decimus Danielis, quo ductus est Babylonem, concurrit cum tertio anno regni Joacim... et cum primo anno regni Nabuchodonosor.... Hinc liquet, natum esse Danielem anno circiter vigesimo quinto regis Josiæ... annis ante Domini nostri ortum sexcentis ac prope sexaginta... *Proponuntur* E

53 Cum Daniel Susannam liberavit, annum agebat 12... Interpretatus est Daniel primum somnium regis Nabuchodonosor annum agens 35; visiones, quæ in 7 et 8 capite libri hujus narrantur, octogenarius habuit. Scripturam manus in pariete scribentis annum natus prope centesimum explanavit. Anno, qui hunc proxime secutus est, quique primus fuit Darii regis Medorum tempus Messiæ adventus et mortis, septuaginta illis hebdomadis comprehensum et definitum, divinitus ei patefactum est. Visiones, quæ memorantur in 10 et 11 et 12 capite, hoc est, usque ad tertium Cyri regis annum, jam centenario contigerunt... Ultra vero, quam longe processerit, incompertum est. *Parachronismum pseudo-Isidori, qui asserit Sanctum, centum ac decem annos, et usque ad Darium Persarum vixisse, ibidem refutat; sententiam utique, quæ se ipsam destruat, sicut pluribus ibi ostendit. At quæ ibi ædificat, destrueret ipsemet, si vera forent, quæ ipsi Cornelius a Lapide imputat.* *variæ* F

54 *Pererii quippe systema chronologica serie per reges deducit idem Cornelius a Lapide in sua præfatione hic :* Computat, *inquit*, Pererius Danielem mortuum esse anno ætatis 138 : natus est enim juxta ipsum anno Josiæ 25, qui deinde adhuc regnavit 6 annis, scilicet usque ad annum 31; post Josiam regnavit Joachaz tribus mensibus; post Joachaz, Joakim undecim annis; post Joakim, Joachin tribus mensibus; post Joachin Sedecias undecim annis : post quem secuta est ca- *aliorum*

ptivitas

AUCTORE J. P.

ptivitas Babylonica 70 annorum usque ad Cyrum; post captivitatem regnavit Cyrus 30 annis; post Cyrum Cambyses octo annis; post Cambysem Magi uno anno; post Magos Darius Hystaspis: cujus primo anno (si credimus Isidoro libro de Vita et obitu Prophetarum) mortuus est Daniel in Babylone. Jam adde annos hos omnes, invenies 138. Tot ergo vixit Daniel. Ita Pererius, *inquit Cornelius a Lapide. At Pererium non tot Sancto annos dare, imo vero eos, qui tot ipsi dant, refutare, liquet ex dictis: ita ut mirari satis haud possimus, adeo affirmate hoc ipsi imputare Cornelium a Lapide; qui proposita duplici de obitu* Danielis *hypothesi, notat ad marginem, verius esse, ipsum* 100 *annos vixisse. Sed observa, in superiore systemate annos* 27 *regni Cyri perperam non distingui ab annis* 3 *monarchiæ Persarum: eum admodum sint diversi.*

circa res a Daniele gestas

55 *Salianus tomo* IV *Annalium ecclesiasticorum veteris Testamenti, ad annum mundi* 3426 *censet cum Torniello, tunc* Danielem *natum fuisse, anno videlicet Joakim regis Juda primo, ante Christum*
B 627*; ac tertio circiter ætatis anno in captivitatem adductum ex pseudo-Epiphanio et Sulpitio initio lib.* 2 *sacræ historiæ. Nec vero absurdum judicat, id infanti contigisse, quoniam ibi non tam captivus, quam obses futurus erat, regii utpote sanguinis, ut tuto Joakim remitti posset in regnum suum. Sed et Susannæ judicium, quod, inquit, plerique sancti Patres anno ejusdem duodecimo contigisse dicunt, cum hac juxta ipsum positione optime convenit, eum altera convenire non potest. Porro deinceps ita Sancti gesta ac tempora ordinantur apud ipsum variis locis (de quibus vide dicti tomi indicem in voce* Daniel) *captivitas anno mundi* 3428; *institutio puerilis anno circiter* 3433; *manifestatio sapientiæ* 3436; *liberatio Susannæ* 3438; *annus tertius prophetiæ* 3440; *sanctitas in exemplum sumpta ab Ezechiele* 3441.

earumque tempora,

56 *Explanatio somnii de successione monarchiarum, machinatio mortis, impetrata a rege dilatio, revelatio divina, responsa regi data* 3453; *dedicatio statuæ aureæ inter ea, quæ narrat* 3455 *et* 3456: *explicatio somnii Nabuchodonosoris* 3463; *manifestatio fraudis sacrificulorum Beli, interfectio draco-*
C *nis, projectio* Danielis *in lacum leonum* 3473; *somnium de quatuor bestiis, sive quatuor ventis* 3495; *secessus ex aula Nabuchodonosoris* 3496; *visio de eversione regni Persarum et Antiochi crudelitate in Judæos* 3497; *interpretatio scripturæ in pariete exaratæ* 3516; *profectio ad Medos cum Dario, præfectura super satrapas, etc., eorum uti et principum invidia, oratio Sancti terna in die, ingressus in lacum leonum, etc., vita deinde apud reges gratiosa, oratio pro solutione septuagenariæ captivitatis, etc., eodem* 3516, *ante Christum* 537; *qui omnes anni, si primi ad ultimos producantur, conficient universe summam annorum* 90.

chronotaxes.

57 *Tomo autem* V *reliqua Sancti gesta suis temporibus sic innectuntur. Convivium ac familiaritas cum Cyro, anno mundi* 3517; *jejunia, corporis afflictationes, visio postrema, luctus, etc.,* 3519; *obitus denique* 3535, *ante Christum* 518. Cum, *inquit,* Isidorus scribat Danielem ad centesimum et decimum ætatis annum pervenisse, quem nos primo Joacimi regis anno natum cum Torniello censuimus, oportet eum hoc anno vivendi finem fecisse. *Sed, ut iterum hoc inculcem, illud oportet, ex tali auctoritate petitum, nullam fidem fa-* D
cere potest. Perperam interim ad prædictum annum a laudato auctore producitur Cornelius a Lapide in eumdem Prophetam, tamquam isti chronologiæ non immerito subscribens; qui longe tamen ab ea abhorret.

Quibus videtur ea præferenda,

58 *Tirinus in Chronico sacro, quod præfigitur tomo ejus primo, cap.* 35 *inquirit, quando experint, quando desierint* 70 *anni Babylonicæ servitutis, captivitatis et desolationis; relatisque quinque sententiis, ingenue profitetur ob tantorum, quos pro iis allegarat, virorum auctoritatem, omnes illas probabiles esse; paucis tamen conclusionibus edisserit, quænam sibi præ reliquis amplectenda videatur, non tam, inquit, asserendi quam disputandi studio. Statuit itaque* I. *certum videri,* 70 *annos tam desolationis quam captivitatis et servitutis Judæorum finem cepisse anno primo monarchiæ Cyri, qui una cum Dario Medo expugnata Babylone, et Balthasare, ultimo Chaldæorum monarcha, occiso, monarchiam a Chaldæis transtulerit ad Persas, et statim primo suæ monarchiæ initio relaxarit captivitatem Judæorum, remissis quotquot vellent redire in Judæam. Statuit* E
II. *non esse distinguendos* 70 *annos desolationis templi vel urbis Jerosolymitanæ ab annis* 70 *captivitatis vel servitutis Judæorum, ac proinde nec duo statuenda principia, nec duos terminos quasi duplicis captivitatis septuagenariæ Judaicæ, a Prophetis prædictæ.*

quam ponit Tirinus.

59 *Statuit* III. *tamquam verosimilius, ab anno* 2 *Sedeciæ, quo excisum est templum et urbs Jerosolymitana, usque ad annum primum monarchiæ Cyri, fluxisse dumtaxat* 30 *annos. Ex variis probationibus, quas affert, unam delibo, tamquam huc spectantem potissimum:* Daniel, *inquit, cum rege Joakim, anno regni ejus quatuor abductus est Jerosolymis Babylonem (Daniel cap.* 1, ℣. 1) *utique* 10 *ut minimum (imo juxta dicta nostra* § 2, *paulo plurium) annorum. Ergo si exinde fluxerint* 70, 80, *vel* 88 *anni, quot ponunt auctores priorum quatuor sententiarum, jam imperante Cyro et Dario fuisset* Daniel *pene centenarius. Atqui, inquit, tantus senex non fuisset a Dario præpositus* 120 *satrapiis (Daniel cap.* 6, ℣. 1) *ut Darium regem sexagenarium (cap.* 5, ℣. *ultimo) sublevaret ipse centenarius. Idque confirmat exem-* F
plo aliorum, quos profert; quique centenarii vel centenariis majores fuerint oportet: cum tamen constet, vix ullos ea mundi ætate ad tantam senectutem pervenisse. Ratio hæc, fateor, satis videtur urgens, ut in illud systema propendeamus. Nec vero incommodis ab ingenti illa et tum temporis insolita Sancti nostri aliorumque supra ætate petitis, satis expedite et apte occurritur, si sic respondeas:

Occurritur objectioni, quæ contra illam formari posset,

60 *Quid vetat,* Danielem *vel in tanta senectute ad id muneris, idque in dictis adjunctis admotum fuisse? Mirabile id quidem, at non ideo mox incredibile. Mirabile inquam. At quid tum? Cur pigeat aliquid mirabile admittere circa ætatem illius, in quem tot mirabilium prærogativarum cumulum toto vitæ ejus decursu congessit is, qui facit mirabilia magna solus, et in hoc Propheta præ aliis mirabilis apparuit. At sic fere tantum ostendis: primo quod fieri id potuerit, non quod vere hoc factum sit; secundo, in miraculis et paradoxis sic quidlibet solvi potest, recurrendo ad causam primam; tertio grandis illa Vatis ætas nec juxta hoc systema necessaria est, nec auctoritate irrefragabili suadetur.*

61 *Itaque laudatus Tirinus hanc rerum a Sancto*

A *et juxta illud systema gesta Sancti suis temporibus innectuntur.*

cto gestarum ordinat chronotaxin in sua præfatione in librum Danielis : natales affigit anno circiter 15 Josiæ ; qui juxta Chronicon sacrum paulo ante laudatum, respondet anno circiter 3408, ante Verbum incarnatum circiter 597. Adhuc puer seu adolescens 20 annorum captivus a Nabuchodonosore ducitur Babylonem una cum rege et cognato suo Joakim, anno 3 regni ejusdem : ubi quarto post anno Susannam a morte liberavit, et prophetam agere cœpit. Comparatur ob sanctitatem cum Noë et Job (Ezechiel 14 ℣. 14) nondum egressus annum vitæ 34 ; regi autem Tyrio per sarcasmum objectus propter suam sapientiam, jam tum non nisi 38 annos natus. Anno ætotis 57, monarchiæ Nabuchodonosor 2, interpretatus est eidem somnium, tam quod cap. 2, quam quod cap. 4 describitur. Anno 66 visionem habuit, quæ cap. 7 ; anno 68, quæ cap. 8 ; quo et cædem Balthassaris prædixit, cap. 5. Sequenti anno tempus adventus et mortis Messiæ, 70 hebdomadis (cap. 9) comprehensum divinitus. Biennio post, nempe 3 anno monarchiæ Cyri revelata sunt ei, quæ cap. 10 et 11 de excidio urbis Jerosolymæ, et B *orbis totius, de Antichristo, de extremo judicio prædixit. Quo eodem anno si mortuus est* Daniel *(quia Scriptura deinceps non meminit illius) vixerit universim annis 71, et prophetarit annis 47. Ita ille, remittens lectorem ad Chronicon citatum cap. 30 et 34.*

Nonnullorum opiniones

62 *Torniellus in Annalibus sacris ad annum mundi 3426, natales affigit isti anno, Joakimi primo ; captivitatem autem regni ejus 3, sicut dicit ad annum 3428 ; ac variis deinceps locis Acta sancti Prophetæ in sua tempora dispertit, usque ad annum ætatis suæ 94, mundi 3522 ; quamdiu vero ultra supervixerit, addit, in sacro eloquio non haberi, et in tali quidem ætate* adhuc corpore *fuisse* robustum. *At nec tam gravis ætas ob dicta videtur et danda, nec apparet adhucdum tantillus pusio existens* Daniel *abductus (quod ipse conficit ex verbis pseudo-Epiphanii) uti tum ex dictis, tum potissimum ex nostro § 2 colligi potest. Tostatus in cap. 2 Matthæi quæstione 91 Sancti vitam et quidem Babylone extendit ad annos 81, partim eos conflans ex 70 annis captivitatis, et undecim aliis eamdem antegressis ; quæ refutantur ex dictis.*

C *minus nobis probantur.*

63 *Novus legendista Gallicus natali deputat annum 3388, captivitati 3398, liberationi Susannæ 3400 ; varia deinceps Sancti gesta calculis chronologicis innectens usque ad annum ejus 88, quo circiter obiisse credatur. Sed huc redeunt eadem fere incommoda ; uti et in tabula chronologica Calmeti a pag. 250 ; in qua signatur abductus Babylonem anno mundi 3398, liberasse Susannam 3401. Quia vero eum non plures tunc quam 12 annos habuisse, credi affirmat in Commentariis suis pag. 754 ; in signando anno Vitæ natali fere cum legendista consentiat oportet. Nonnulla post hæc Sancti gesta per annos distribuit usque ad historiam Beli et draconis anno 3468.*

§ VII. Cultus sacer ex variarum gentium fastis ; reliquiæ, ædes sacræ, apparitio.

Martyrologi Latini communiter signant Sanctum hac die,

M*artyrologi Latini annuam Sancti memoriam signant hac die* XXI *Julii. Beda ex Floro auctus sic habet :* S. Danielis Prophetæ. *Romanum parvum :* Danielis Prophetæ ; *quod sequitur Ado, hunc Usuardus et alii, iisdem fere omnes terminis. Romanum hodiernum adjungit locum :* Babylone S. Danielis Prophetæ ; *non abs re, quamquam enim de loco mortis sancti Prophetæ non satis nobis constet, sicut diximus, imo verosimilius fortasse sit, alibi eum mortis debitum solvisse, Babylone tamen satis apte annuntiatur, utpote in qua diutissime is vixerit, quamque habuerit tot rerum mirabilium a se patratarum testem et spectatricem.* Danielis Prophetæ *memoriam notari in fragmento Kalendarii Lucensis, a Florentinio post Martyrologium Hieronymianum excuso, monuimus jam pridem in Prætermissis ad diem* X *Aprilis ; qua vero de causa eo retractus sit, nos latet. Incompertum quoque habemus, cur Ado post Romanum parvum ipsius memoriam repetat die* XI *Decembris.*

AUCTORE J. P.

Græci vero 17 Decembris,

65 *Græci de* S. Daniele *et tribus ejus sociis, videlicet Anania, Azaria et Mizaele agunt die* XVII *Decembris, quos tres remittimus hinc ad diem* XVI *Decembris, quo inscribuntur Martyrologio Romano. Sanctum itaque nostrum annuntiant dicto die Kalendarium Græcorum a Genebrardo editum, Anthologium, Menologium ex versione Sirleti a Canisio vulgatum, Typicum sub nomine S. Sabæ, Horologium anno 1607 Venetiis, ut puto, excusum, Menologium ex bibliotheca Friderici Lindebrogii, quod, sicut ei adscribitur, videtur fuisse ecclesiæ Constantinopolitanæ, Menologium item jussu Basilii imperatoris editum, quod Latinum fecit Arcudius, et impressit Ughellus tomo 6 Italiæ sacræ, a Septembri nimirum usque ad Martium. Menæa denique magna excusa, sequente, ut solet, Maximo Cytheræo, solenni ritu Sanctum honorant, hosce versiculos ei accinentia :* E

Ὕπαρ Θεοῦ βλέπει σε ἐπὶ θρόνου,
Τμηθεὶς Δανιὴλ, οὐκ ὄναρ καθὼς πάλαι.
Daniel perempte, clara te visio Dei
Non sommium, ut olim, in throno positum videt.

cum versiculis et canone.

66 *Ad fabulosam* Danielis *sub Attico mortem hic alluditur. Allusio altera ad claram Dei visionem et ad somnium, longa explanatione non indiget : nam satis clare videtur alludi ad antiquum dierum et thronum ejus, Dan. cap. 7 ; Deum Patrem videlicet et majestatem ejus ; vide Cornelium a Lapide hic. Laudata Menæa canonem etiam habent, non apposito nomine auctoris, ex laudibus Sancti constantem ; cujus est acrostichis :* F

Σοφὸν Δανιὴλ ᾄσμασιν περιστέφω.
Tibi necto, sapiens Daniel, sertum metro.

Nihil porro continet canon iste satis notatu dignum, ut operæ pretium non sit, eidem pluribus immorari ; de quo breviuscule inferius inter elogia dicetur.

Sancti memoria apud alios etiam memorabilis.

67 *Sed apud alias quoque nationes magnum sibi nomen, hominibus autem venerabile fecit sanctissimus Propheta, prout colligitur ex variis aliis tabulis sacris, eadem cum Græcis die* XVII *Decembris* Danielem *ejusque tres sodales consignantibus ; nimirum Kalendario Ruthenorum apud Possevinum (in quo nil de sociis) tomo 2 Apparatus sacri a pag. 364 ; Synaxario Ruthenorum peculiari diœcesis Kioviensis, interprete nostro Georgio David, pluries apud nos laudato ; Menologio item Slavo-Russico Sparwenfeldiano ; adde Martyrologium Arabico Ægyptium, a Gratia Simonio Maronita ex Arabico translatum, ac Ephemerides denique Moscorum figuratas, ante tomum primum Maii editas,* ubi

AUCTORE J. P.

ubi tamen Danieli *non adjunguntur socii. Atque ex his liquet, celebrem fuisse apud hagiologos Latinos pariter ac Græcos, aliosque, magno omnes hactenus numero recensitos, annuam Prophetæ sanctissimi memoriam.*

Reliquiæ dicuntur esse Venetiis, Vercellis, Constantinopoli,

68 *Nunc trado de ejus reliquiis ex aliorum fide, quæ colligere potui. Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum*, Translatas, *inquit*, eorum *(Danielis et trium Puerorum, de quibus proxime egerat)* reliquias Babylone Alexandriam, et in ecclesia SS. Joannis et Cyri positas, Acta eorumdem significant; easdemque Venetias translatas accepimus; insuper et Vercellis crus S. Danielis asservari percepimus, thesaurum plane incomparabilem. *In Vita SS. Cyri et Joannis martyrum, saltem prout ea a nobis vulgata est die* XXXI *Januarii, pag.* 1085 *tantum agitur de reliquiis sanctorum Trium puerorum, nulla facta mentione* S. Danielis. *Ex Georgio Codino in Excerptis e libro et chronico de antiquitatibus Constantinopolitanis a Lambecio editis, et typis regiis Lutetiæ Parisiorum anno* 1655 *excusis, discimus, quod* B. Helena prope *ecclesiam S. Romani* deposuerit capsam B cum reliquiis prophetæ Danielis... uti et aliorum prophetarum reliquias, quas Hierosolyma secura attulisse *ibidem dicitur. Rem eadem narrat Cangius lib.* 4, *pag.* 135.

Trecis item atque Aretii.

69 *Saussayus in suo Martyrologio Gallicano inter alia, quæ in elogio Urbani PP. IV ad diem* IV *Octobris adjecit, sic de illo habet in rem nostram :* Patriæ autem memor optimus maximus hic Pontifex, Trecis natali solo templum sub S. Urbani PP. et martyris titulo excitavit... in quo posuit duodecim canonicos sacris operantes, quibus... cranium Danielis Prophetæ et martyris reliquias asservandas commisit. *Petrus Rodulphius Tossinianensis, conventualis Franciscanus, historiarum Seraphicæ religionis lib.* I, *pag.* 84, *vult lipsana sacra* Danielis *in Italiam delata, in Vita beati Benedicti Aretini :* Qui, *inquit*, cum esset minister provinciæ Antiochenæ, detulit Aretium digitum Danielis prophetæ ex Babylonia : cujus virtute multa Deus operatus est in ea urbe. *Obiisse ibidem scribitur laudatus Benedictus* II *Kalend. Septembris anno* 1224. *Titulum* beati, *quo hic vocatur, examinare, non est hujus loci.*

C

Ædes Danieli sacra Constantinopoli,

70 *Menæa magna excusa in elogio* Danielis *ac Trium puerorum, ædem sacram nobis suggerunt :* Celebratur eorum synaxis in magna ecclesia *(Constantinopolitanam S. Sophiæ intelligo)* quorum memoriam agi a patribus accepimus ante dies septem Dominicæ epiphaniæ, et divinæ per carnem præsentiæ Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi : quapropter et ipsos puto e tribu Juda esse *(imo vero ex Danielis cap.* 1, ✠. 6 *eos fuisse de* filiis Juda *constat)* e qua omnium Servatoris Christi genus deducitur. *In eadem urbe exstitisse sacrarium* S. Danielis *nomine nuncupatum, discimus e Commentario prævio ad Vitam S. Marciani tomo* I *Januarii, pag.* 610. Sed quis iste Daniel, *inquit recte Cangius Constantinopolis Christianæ lib.* 4, *pag.* 100, et an diversus a Stylita, incertum. *Nescire enim se fatetur, an hic locus a statua* Danielis *Prophetæ, superius a nobis memorata, nomen habuerit; majore cautela usus, quam novus legendista Gallus, qui alibi exotice criticus, hic vero in affirmando plus æquo facilis, in Vita* S. Danielis *Prophetæ, quæ habetur inter Vitas Sanctorum veteris Testamenti, ab ipso editas translationem corporis* S. Danielis *ex Oriente Constantinopolim (quam non male suppositam dicit, donec saltem sufficienter probetur) et sepulcrum ejus in ecclesia S. Joannis, a laudato Marciano condita, ædemque illam sacram simul* Danielis *nomine vocatam, sine idoneo fundamento intelligit de* S. Daniele *hodierno.* D

71 *Ecclesia* S. Danielis *Prophetæ Venetiis exstructa, ac sub Petro Polano duce in monasterium Benedictinum conversa notatur apud Ughellum Italiæ sacræ tomo* 5, *col.* 1207. *Petrus vero Polanus Venetiarum dux floruit sub finem seculi* XI, *prout colligitur ex laudato auctore, qui ibidem col.* 1318 *ponit Joannem, filium ejus, ad infulas Venetas promotum anno* 1133, *ubi et de prædicta ecclesia mentionem facit. A monachis Cisterciensibus, qui monasterium primo incoluerunt, transiisse ad moniales Benedictinas, tradit idem Ughellus col.* 1202. *Vide etiam de hoc loco col.* 1267 *et* 1318. *Eo Constantinopoli translatum fuisse corpus S. Joannis martyris, habes ad* XIX *Maii pag.* 305; *ubi et de miraculis.*

ac Venetiis

72 *Inde etiam pag.* 307 *desumitur factum aliquod, quod ad Sancti apparitionem, de qua dicendum nobis proposueramus, pertinet. Paralytica jam moritura ibidem dicitur servata fuisse apparentibus SS. Joanne martyre et* Daniele ; *subdito rei expositæ hoc epiphonemate :* Ad laudem æterni Dei... et patroni ac defensoris S. Danielis Prophetæ. E

in qua Sancti apparitio contigit.

§ VIII. Scriptores antiqui, qui de Sancto meminerunt; item spurii; Vitæ, elogia.

Præter Josephum occasione Danielis non satis recte de divina providentia locutum,

De *rebus a* S. Daniele *gestis præter ipsummet* Danielem, *ab eodem Spiritu, quo inspirante locuti sunt sancti Dei homines, inspiratum, agit, uti ex dictis constat, Flavius Josephus lib.* 10 *Antiquitatum Judaicarum cap.* 11, *et* 12 ; *sed hoc ultimo nec contra Epicureorum, divinam providentiam e medio tollentium, quos ex Danielis vaticiniis refutat, satis fortiter, neque de ipsis vaticiniis satis honorifice locutus; quando dictum caput ita concludit :* Verum hæc ego ita, ut inveni, in litteras retuli; quod si quis mavult diversam opinionem sequi, id per me quidem erit illi integrum. *At quid nos hæc autem? Ubi idem ille auctor sexcentis locis vapulat apud Salianum ; qui assignantur in indice post tomum* 4 *Annalium ecclesiasticorum veteris Testamenti.* F

agunt de ipso Sancto SS. Asterius et Chrysostomus, etc.

74 *S. Asterius, Amaseæ in Ponto episcopus, versus annum* 400 *clarus, scripsit sermonem in* S. Danielem *et Susannam, quem Græco-Latinum edidit Combefisius tomo* I *Auctarii Græcorum Patrum col.* 95. *Novus bibliographus Gallus, a fide orthodoxa et Ordine suo apostata, in Commentariis de Scriptoribus ecclesiasticis tomo* I, *col.* 894 *dicit, eumdem manuscriptum exstare Græce inter Mss. codices Bodleianæ bibliothecæ, cod.* 192, *Barocciano ad diem* XXXI *Decembris. S. Asterio synchronus Severus Sulpicius sacræ historiæ lib.* 2 S. Danielis *gesta exponit satis terso, ut solet, stylo. S. Joannes Chrysostomus sermone* I *de oratione,* Quod omni morte, *inquit*, acerbius existimare conveniat, privari oratione, docet pulcre nos Daniel, magnus Propheta, magis eligens mori, quam tres dies solos oratione privari. Non enim impium esse huic mandavit Persarum *(imo Chaldæorum)* rex, sed tres dies solum volens invenire. *Notum*

ex

A ex cap. 6 *Danielis, edicto istius regis, qui fuit Darius Medus, vetitam fuisse orationem* usque ad triginta dies. *Inter opera istius sancti Patris, anno* 1274 *Parisiis Græco-Latine edita, tomo* 6 *a pag.* 200 *recensetur Interpretatio in Danielem, antea, ut præmittitur, a Cotelerio edita; in qua Sanctus variis locis laudatur. Apud Eusebium in Constantini Oratione ad Sanctorum cœtum cap.* 17 *laudatur noster Vates a magnitudine animi, morum sanctitate ac virtutum ornamentis, et miraculis.*

Aliqui auctores sublestæ fidei notantur.

75 *Nec vero quis miretur, non majorem hic rationem haberi quorumdam aliorum auctorum, videlicet S. Epiphanii de Vita* XXV *Prophetarum, S. Dorothei in Synopsi, et S. Isidori de Vita vel obitu Sanctorum; mirari potius nobis liceat, eos adeo liberaliter ab egregiis Scripturæ interpretibus allegari tam ultra meritum nominis, quod præferunt, quam ultra auctoritatem at fidem, qua carent. Nam præter nomina, quæ mentiuntur, nugas non paucas venditant ac falsitates, atro calculo notati atque ex auctorum genuinorum ac fide dignorum numero eliminati a bibliographis, quorum sunt partes hujus-* B *cemodi argumenta tractare; nobis vero sufficit eo lectorem remittere, ne longiores simus quam par est. Consuli itaque potest bibliographus paulo ante designatus, omnium recentissimus, qui ex variorum aliorum testimonio pseudo-scriptoribus istis sublectæ fidei notam inurit tomo* I, *col.* 532, 1378, 1591. *Vide insuper ea, quæ jam pridem ad diem* X *Aprilis pag.* 857 *dicta sunt de istis operibus Isidoro et Epiphanio suppositis ; item syllogen historicam S. Eliæ die* XX *hujus, ubi de pseudo-Epiphanio et pseudo-Dorotheo. Nos porro ad alia progrediamur.*

Gesta Sancti apud Surium,

76 *Commentarium item de* S. Daniele *ac tribus Pueris exhibet Surius hoc die sub nomine Metaphrastis ; ejusdemque argumenti habemus apographum Græcum, quod nihil aliud est quam compilatio historica e sacris Litteris deprompta, et alicubi etiam ex Flavio Josepho aucta. Cum itaque ea videri possit ibi, satis sit nobis ejusdem hic vel meminisse, ne annotatis quidem pauculis, quæ minus placent. Petrus de Natalibus lib.* 7, *cap.* 126 *Vitam* S. Danielis *collegit e variis. Sed ea non placet undequaque, quia reculis quibusdam loco plus uno respersa; quas proin ad Rabbinorum aut hujusmodi* C *certe ingenii fabulatorum somnia ablegamus. De exsectione, uti vult ex Josepho,* S. Danielis *et sociorum, habes sententiam nostram superius. De Nabuchodonosore sine ulla probationis specie dicit :* Videbatur ei quod bos esset in anterioribus, et posterioribus leo, *quæ et pseudo-Epiphanius fabulatur.*

Petrum de Natalibus,

77 *De famoso dracone ita memorat idem Petrus de Natalibus :* Sacerdotes.... ejus habebant vasa plena aqua, facta de coriis vitulorum, et ea virgis percutiebant, ut facerent sonitum terribilem quasi tonitruum : ad quem excitatus draco quandoque emittebat ignem, quandoque fumum, quandoque visibiliter apparebat. *Dramatica certe et episodica descriptio, quam sive ad Græculorum scenas referas, sive ad Thalmudistarum commenta, nihil refragabor. Nec melioris certe notæ videntur ea, quæ narrat de Balthassare :* Intellexerat enim, *ait,* ut dicunt Hebræi, 70 annos captivitatis Hebræorum, quos Hieremias prædixerat, fluxisse : et tamen Judæi non erant liberati : unde Judæorum Deo insultabat. *De signis, a* Daniele, *uti refert, datis, et supra ex Josepho productis ; de spelunca item regali, in qua solus cum gloria sanctus Vates sit sepultus, jam diximus, uti et de loco sepulturæ, quam posuit in Media, et die mortis.*

AUCTORE J. P.

ac Legendistam Gallicum neotericum.

78 *Neotericus legendista Gallus tomo* 4 *de Vitis Sanctorum, inter eas, quas habet de Sanctis veteris Testamenti, Acta* S. Danielis *digerit a col.* 184, *illa distribuens in duos paragraphos, in primo quidem historiam Vitæ, in secundo autem cultus documenta complexus, utrobique satis cum laude, gestis Sancti, prout generatim in præfatione ad laudatas Vitas* § 1, *sibi præfixerat, e Scriptura desumptis, et, quo majore cum sacri textus reverentia, et rerum narrandarum brevitate id fieret, non paucis ejusdem locis in compendium quasi contractis; quibus adjecit hinc inde ex Josepho ea, quæ in rem suam erant, adeo sibi temperans in digressionibus argumento suo extrinsecis minime tangendis, ut ipsas quidem observationes Patrum, sive illæ ad elucidandos sensus sive ad confirmandos mores spectarent, exclusisse sese a suo argumento fateatur. Utinam sicut hic ab alienis, ita in Vitis Sanctorum novi Testamenti a propriis observationibus plusculum abstinuisset, ubi aperto sibi liberiore in Vitas Sanctorum grassandi* E *campo, ultra modestæ criseos metas sæpissime vagatus fuit : pluribus item locis non tam errorum corrector, quam corrigendus convincitur ex tomis nostris hujus mensis Julii.*

Elogia ex Menologio Basiliano.

79 *Menologium Basilianum Sancti laudes prædicat sequenti elogio :* Eodem die (XVII *Decembris*) certamen S. Danielis Prophetæ. Daniel sanctus eamdem cum Tribus pueris captivitatis fortunam passus Babylone nonaginta annos prophetavit, Christique nativitatem præcessit annis quadringentis sexaginta, vir summa omnium rerum abstinentia, nihilque nisi legumina in cibum admittens, eum sibi a Deo amorem conciliavit, ut per angelum occulta edoctus mysteria, somnia regi interpretatur : deque singularum gentium regnis, Medorum, Assyriorum, Persarum, Macedonum, Romanorum, eorumque omnium excidio prænuntiavit, excepto Romanorum Christianorumque imperio, quod quidem Christo imperatore futurum esset perpetuum. Demissus autem in leonum foveam, miraculoque servatus, habitus est a Baltasare rege filii loco ; sed postea ab Attico rege cum tribus pueris capite damnatus occubuit. F *Fabulosam hanc mortem jam num.* 40 *reprobavimus. An vero et quid sit corrigendum in notis chronologicis dicto elogio immixtis, discere poteris ex superiore chronotaxi.*

Menæis excusis,

80 *Aliud Sancti simul ac Trium puerorum elogium texunt Menæa magna excusa ; quod huc transcribere, non est operæ pretium. Fabellas quasdam in eo occurrentes notavimus supra in decursu hujus sylloges. Elogium pariter habet Anthologium, nihilo melioris circa dictas fabellas notæ. Canon de quo supra, componitur ex congerie laudum seu attributis Sancto ex sua historia convenientibus ; et duplex quidem est, titulo saltem tenus : nam is, qui soli* Danieli *inscribitur, paucis absolvitur ; sed mox ei subjungitur alius, tam ipsi quam Tribus pueris communis cum hac acrostichide :*

Τρεῖς παῖδας ὑμνῶ Δανιὴλ τε τὸν μέγαν.
Tres canto Pueros, teque, magne Daniel.

Cum autem ejus argumentum non tam conducat ad novam eruditionem de Sancto subministrandam, quam ad excitandum recitantium aut psallentium pium ac reli-

AUCTORE J. P.

religiosum erga eumdem affectum, supersedebimus ulteriore laudati canonis istius transcriptione.

et liber primus Machabæorum.

81 *At vero omnia ista Sancti elogia coronet unicum aliud divino oraculo prolatum lib.* 1 *Machabæorum cap.* 2, ℣. 60, *ubi Mathothias jam moriturus hortatur filios, ut patrum exemplo semper tueantur legem Domini; interque varios, quos enumerando ob oculos eis ponit, postremo loco recenset* Danielem *his verbis :* Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. D

DE S. PRAXEDE VIRGINE

J. B. S.

ROMÆ.

SECULO II.

Illustratis XIX *Maii hujus et S. Sororis Actis,*

De *celeberrima hac Sancta vix quidquam reliquum fecit Papebrochius, dum ad* XIX *Maii S. Pudentianæ sororis ejus Acta, cum hujus gestis undequoque connexa ita illustravit, ut hic de solo peculiari* S. Praxedis *cultu paucula liceat subjungere. Vetustissimum illum esse probant Frontonis et Allatii Kalendaria, præter exemplar Sacramentarii Gregoriani, quod* B *in annotationibus suis refert Menardus. Id equidem miror potissimum, in omnibus Sacramentariis memoriam ejus non recoli, cum Sanctæ ecclesia jam a primis seculis titularis verosimillime fuerit, inter antiquissimas Romanas reputanda. Id certum est, ab ipso seculo quinto, saltem anno* 449 *cum titulum prætulisse famosum illum antipapam, Græcæ factionis artibus adversus S. Symmachum electum, ut die* XIX *hujus paulo fusius narrandum fuit. Habes ejus subscriptionem primo loco inter presbyteros apud Labbeum tomo* 4, *col.* 1315 : Cœlius Laurentius archipresbyter titulo S. Praxedis, *cui et alterum ejusdemmet tituli licet adjungere, nomine* Petrum, *ordine septimum et quadragesimum.*

superest singularis ejus

2 *Vetustissima in Martyrologiis sacra* S. Praxedis *memoria repetenda est ex Romano parvo et Beda, quandoquidem ea quæ in Hieronymianis codicibus Epternacensi et Corbeiensi adjecta aut inserta sunt, ut minimum valde dubia videantur. Sic de ea Romanum parvum brevissime loquitur :* Romæ, Praxedis virginis ; *et paribus ferme terminis Beda :* Natale S. Praxedis virginis, *quos secutus Ado, ex vulgatis Actis elogium contraxit in hæc* C *verba :* Romæ, natale S. Praxedis virginis. Hæc cum sorore sua Potentiana vel Pudentiana a sanctissimo patre Pudente, qui fuit edoctus in fide ab Apostolo Paulo, in omni castitate et lege divina erudita, post transitum parentis, vigiliis et orationibus atque jejuniis assidue vacans, omne patrimonium suum, simul cum prædicta beata sorore in sustentatione pauperum et Christi Sanctorum erogavit. In titulo vero quem pater earum Pudens, nomine beati Pastoris dedicavit, una cum consilio B. Pii Sedis Apostolicæ Episcopi fontem Baptismi construere soror et ipsa studens, ut familia earum die sancto Paschæ baptizaretur.

in antiquis Martyrologiis memoria.

3 *Non satis advertit S. Ado, implicationem istic involvi, ut Virginum pater a Paulo Apostolo edoctus sit (quod factum supponi debet circa annum Christi* 62 *aut* 63*) ipsæ vero ad Pii tempora supervixerint; de quibus vide ad* XIX *Maii. Pergit elogium :* Quos ad XCVI numero manumissos B. Pius aquis salutaribus abluit. Inde post innumera pietatis opera, post multorum Martyrum sepulturas (inter quos B. Symmetrium presbyterum cum aliis XXII apud titulum supradictum manibus suis sepelivit) qui per martyrii palmam ad regna cœlorum transierant : eadem beatissima Virgo migravit ad Dominum, coronam justitiæ receptura XII Kal. Augusti. Sepulta in cœmeterio Priscillæ via Salaria, juxta sororem suam, atque sanctum patrem Pudentem posita. *Brevius hæc et nitidus ab Usuardo totaque ejus progenie reddita sunt, atque extra controversiam posita ; ut videre est in citata jam nostra editione, quemadmodum et in hodierno* E *Romano Martyrologio.*

Quid de Actis censendum sit.

4 *Ceterum quæ ex Adone hic data sunt Actorum vices facile supplent, reliqua ex jam dicta die* XIX *Maii quærenda. Ast erit fortasse qui ex me quæri posse censeat, num ea ignorem quæ post Maium nostrum typis vulgata sunt criticorum de iisdem sanctarum Sororum Actis judicia ? Huic ego paucis respondeo, me ea et vidisse, et non semel expendisse, sic tamen ut non adverterim, multo solidiora attulisse, quam quæ ad prædictam diem notata fuerant ad salvandam aliquousque narrationis non satis accuratæ substantiam, quam immitiori calamo excutiens Tillemontius, id ferme evincit, quod in observationibus ad Usuardum* XIX *Maii ingenue confessus sum. De cetero autem verbum unum aut alterum in ipso textu, prævia munitione immutatum, vitio verti non usque adeo debuit, cum librariorum ignorantia plures id genus errores in alia etiam Acta intruserit ; hic vero patentissimum videatur, confusa esse Apostolorum tempora cum B. Pii Papæ ætate, ut rursus ad* XI *Julii cursim a nobis indicatum est ; item in Observationibus Usuardinis* XX *Junii, ubi* F *plura ferme polliciti sumus, quam hic exsequi promptum sit, quod nullæ ex eo tempore notitiæ accesserint, quæ ad rem istam recoquendam nos magnopere alliciant.*

Hodierna inter duos Ordines controversia

5 *Alia hodie quæstio vertitur inter RR. PP. Ordinis Vallumbrosani, jam a tot seculis ecclesiæ Praxedianæ possessores, et RR. PP. Bernardinos reformatos (vulgo Feuillants) ad S. Pudentianæ, non jam de Actorum auctoritate et pretio, aut de similibus eo spectantibus, sed de re minoris certe in se momenti ; utra nimirum duarum istarum ecclesiarum antiquitate præemineat, dum interim ambas S. Petri Apostoli præsentia consecratas quodammodo esse contendant ; quæ opinio seu traditio an cum ipsis Actis qualibuscumque, certe cum veritate historica satis conciliari possit, frustra equidem hic denuo examinandum susciperem ; ex iis quæ ad* XIX *Maii,* XX *Junii,* XI *Julii et alibi jam observata diximus, facile intelliget eruditus lector, multa hic passim asseri aut potius supponi, quæ argumentis paulo firmioribus fulciri oporteret, priusquam de prioritatis prærogativa contentionis quantumvis piæ funi-*

funiculus ulterius producatur. Instrumenta nonnulla eo pertinentia, ad me non ita pridem missa sunt, quorum si hic vel obiter meminero, utrique parti satis me facturum pro nostro instituto existimavi.

de S. Pudentianæ aut S. Praxedis

6 *Habeo præ manibus nova Officia Romæ* MDCCVII ex typographia reverendæ Cameræ Apostolicæ *vulgata, alterum pro die* XII *Maii:* In festo dedicationis ecclesiæ S. Pudentianæ de urbe, *ubi lectionibus quatuor secundi Nocturni sic tota historia deducitur, ut prædicta prioritas ecclesiæ S. Pudentianæ non possit non vindicari. Alterum Officium est:* In festo translationis seu elevationis reliquiarum S. Pudentianæ virginis *ad diem* XX *Julii; in quo lectio* V *secundi nocturni sic inchoatur :* Hæc olim sancti Pudentis senatoris domus divino cultu, et Sacramentorum ministerio a beatissimis Apostolorum principibus primum decorata, ex privata æde, antiquissima omnium ecclesiarum Urbis, et supra alias potissimo venerationis cultu dignissima reddita est. Hic namque visitur puteus, in quo a piissima virgine Pudentiana sacer plurimorum martyrum, sub Antonino imperatore interemptorum cruor spongia collectus reconditus fuit. *Vides hic denuo anterioritatis prærogativam ecclesiæ S. Pudentianæ apertissime tribui, tametsi ætas ejus cum Antonini imperatoris temporibus connectatur.*

ecclesiarum prioritate,

7 *Officiorum istorum postulandorum occasio fuit postrema sacrarum reliquiarum inventio, cujus longum instrumentum nihil operæ pretium est describere, cum lectio octava rem totam complectatur his verbis :* Dum autem anno reparatæ salutis MDCXCIX pro eodem altare majori venustiorem et ampliorem in formam redigendo, fundamenta ab imo foderentur, tertio decimo Kalend. Augusti, ipso S. Praxedis pervigilio, reperta est arca plumbea easdem reliquias beatarum virginum Pudentianæ et Praxedis, ac particulas quasdam memoratorum vasorum, pretioso Sanctorum martyrum cruore rubricatas continens. Quæ recte recognitæ, et in ipso altare publico fidelium aspectui et cultui honorifice expositæ fuerunt, præsidente huic reliquiarum inventioni Joanne Maria Gabriellio abbate generali nostræ congregationis S. Bernardi, et paulo post presbytero Cardinale hujusce tituli, qui, ut istius reliquiarum translationis seu elevationis memoria peculiari festo ac Officio quotannis solenniter recoleretur, a S. Sede Apostolica facultatem et indultum obtinuit.

uti et de ambarum reliquiis,

8 *Quod hic dicatur* reperta arca plumbea easdem reliquias beatarum virginum Pudentianæ ac Praxedis.... continens, *non sic accipiendum censeas, ut omnes* S. Praxedis *reliquiæ in S. Pudentianæ asserventur, sed quod verosimiliter utriusque Sanctæ reliquiarum partes in ambabus ecclesiis pridem honoratæ fuerint; neque enim in ipso instrumento Ms. de inventis* S. Praxedis *reliquiis ulla prorsus memoria; sic enim ibi legitur :* Inventa marmorea capsa fuit aperta, et intus reperta fuit alia capsa plumbea, longitudinis palmorum duorum cum dimidio, et tam latitudinis quam altitudinis palmi unius cum dimidio, habens in coperchio * signum sanctissimæ crucis impressum, qua elevata, et ea, qua decet, reverentia asportata ad sacrarium dictæ venerabilis ecclesiæ per eumdem Illust. ac Reverendiss. D. Vices gerentem aperta, et intus reperta fuere quamplura ossa, et ex cineribus corporis dictæ sanctæ Christi virginis Pudentianæ. *Et infra :* Extraxit ex dicta capsula plumbea, humiditate madefacta, dictas sacras reliquias corporis S. Pudentianæ, illasque recondidit in quadam capsula lignea, *etc. Hactenus verba instrumenti.*

* operculo

AUCTORE J. B. S.

in una an altera, an utrobique repositis,

9 *At jam dictis non omnino consonant quæ ab aliis tradi video, quæque difficile sit ad rectam normam exigere. Sanctuarium Piazzæ ad* XIX *Maii de S. Pudentiana agens, fatetur quidem in ea ecclesia ejusdem reliquias esse, addit tamen Sanctæ ipsius corpus quiescere ad* S. Praxedis. A S. Prassede ne monti, ove riposa il suo corpo ; *in Hemerologio autem ad dictam diem* XIX *Maii eadem verba rotunde repetita invenies. Nihilominus sacrum caput exponi ait ad S. Pudentianæ; illud, opinor, quod sub elapsi seculi principium, sedente Paulo V, ex prætorio comitis Stanghæ, ad preces Cardinalis Burghesii impetratum est; eo delatum ex Bavaria, huc autem ex cœnobio virginum Vallis profundæ (Dieffental) in Ringavia, ut testatur instrumentum Serenissimi Guilielmi ducis Bavariæ, datum Monachii anno* 1592. *Atque hæc etiam fuse deducta habeo, verum quæ nihil doceant quod erudito lectori gratum esse possit : præterquam quod hæc nos a* S. Praxede, *longius abducant. Neque de sanctarum Sororum reliquiis hic quidquam nostro arbitrio definitum cupimus : sacris suis thesauris gaudeant ambæ ecclesiæ, aliæque tum Romæ, tum alibi; superest ut paucis memoremus, quæ pro prioritatis prærogativa in* S. Praxedis *favorem adducunt RR. PP. Vallumbrosani.*

a nobis hic definienda

10 *Hos inter Reverendissimus* P. D. Benignus Davanzati a Florentia, olim per spatium sexdecim annorum parochus ecclesiæ, seu potius basilicæ S. Praxedis de Urbe, deinde quadriennio abbas ejusdem monasterii, et ad præsens abbas modernus archicœnobii Vallis umbrosæ *nobis* exponit se tempore suæ mansionis in Urbe multa invenisse documenta, quibus præfatæ basilicæ historiam texuit, quamque in aliorum obedientiæ obsequium typis mandare brevi compellitur, unde non incongruum duxit præsentem compendiosam ejusdem ecclesiæ notitiam *nobis* mittere, qua non dubitat auctor ostendere, præfatam ecclesiam S. Praxedis primam præ ceteris omnibus anterioritate temporis fuisse Romæ erectam, et in qua D. Petrus primo sacra facere cœperit. *Hoc ipsum est exordium epistolæ e monasterio Vallis umbrosæ ad me scriptæ die* XXX *Maii* MDCCXXIV. *Porro ad asserti sui probationem adducit scriptores ecclesiasticos* Ciacconium, Oldoinum, Gorlianum, Martinellum, Bosium, Hugonium, Severanum, Panvinium, Piazzam, *etc.;* sed specialius, *inquit,* Cardinalem Baronium.

non suscipitur.

11 *Hujus verba recitat ex anno* 44 *(vellem numerum addidisset;)* Majorum firma traditione præscriptum est, domum Pudentis Romæ fuisse primum hospitium S. Petri principis Apostolorum, illicque primum Christianos convenisse ad synaxim coactam ecclesiam; vetustissimumque omnium titulum Pudentis nomine appellatum. Ex quibus verbis, *inquit,* liquide apparet, quod ista ecclesia a D. Petro fundata prima fuit præ omnibus aliis. *Ad evincendam sequelam, paulo inferius* incunctanter affirmat, domum Pudentis primum a D. Petro præ omnibus in ecclesiam conversam, sub titulo Pudentis, sitam esse in Exquiliis

AUCTORE J. B. S.

quiliis, et esse illam S. Praxedis. *Ego apud Baronium lego ad annum* 44 *num.* 61, *S. Petrum a* Pudente senatore, qui Christo credidit, in domum suam exceptum esse, quæ erat in Viminali, ubi postea titulus est erectus, Pastoris nomine nuncupatus. *Rursus ad annum* 57, *num.* 100 : Constat, Pudentis Senatoris, Petri discipuli domum in ecclesiam ad sacra obeunda esse mutatam, is est titulus Pastoris. *Quid multa? Ad annum* 59, *num.* 18, *disertissime asserit, Pudentis* domum ad radicem Viminalis positam fuisse, *ut non videam ex Baronii sententia adjumenti quidquam Reverendissimo Davanzato posse accedere : cetera non prosequor, hæc cursim delibasse sit satis.*

Tamayi somnia securius refelluntur.

12 *Paucula hic subnectere me compellit Tamayi de* S. Praxede *digna auctore suo oratio, qua ipsam quidem Sanctam Romanis non audet eripere, at sacrum ejus corpus Majoricam deportatum asserit, his verbis :* Majoricæ in Balearibus Hispaniæ insulis, depositio sacrarum B. Praxedis virginis exuviarum.... cujus corpus Majoricam delatum, et honorifice collocatum, summo insulanorum cultu recolitur. *Miratus sum, fateor, audacem annuntiationem, idque etiam magis, quod rei ejus auctorem faciat nostrum Ribadineiram, Legendam ejus Hispanicam sic Latine vertens, ut sub finem hæc verba impudenter et vitiose assuat :* Postmodum sacra Virginis pignora Roma Majoricam in Balearibus Hispaniæ insulis translatum est, ubi honorifica inclusum theca, et in sacrario majoris basilicæ conditum, summa colitur veneratione. *Consului ego textum ipsum Hispanicum quem habemus editionis anni* 1604, *consului versiones, ubi verborum istorum nec vola nec vestigium, ut qua fronte Tamayus ipsi hæc tribuat, prorsus non intelligam. Ad Majoricenses quod attinet, viderint ipsi quas Sanctæ istius aut forte synonymæ reliquias aliquando nacti fuerint, easque qua possunt ratione tueantur, saltem religiose venerentur. De* S. Praxede *quod præterea seorsim dicam, nil superest.*

DE S. JULIA VIRGINE ET MARTYRE,
ITEM DE SS. CLAUDIO IMPERATORE BARBARORUM, JUSTO, JUCUNDINO ET QUINQUE ALIIS ; SEU JUSTA, JOCUNDA, TERNO, ANTONIO, HERENO, THEODORO, DIONYSIO, APOLLONIO, APPAMIA, PIONICO, CUSSIONE, PAPYRA, SATURIO ET SEPTEM ALIIS.

J. B. S.

TRECIS IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sub Aureliano.

Acta a Camuzato primum edita,

A*cta sanctæ hujus Trecensis Virginis primus, quod sciam, in lucem extulit, is quem in nostris ad Usuardum Observationibus laudavimus, Tricassini Promptuarii auctor Nicolaus Camuzatus ibidem canonicus, rerum Trecensis ecclesiæ accuratissimus investigator, in subjuncta Actis ipsis notatiuncula solerter monens, prædictam* historiam inconcinne conscriptam, *quod sane verissimum est; se vero ipsam* prætermittere nec debuisse nec potuisse, cum S. Juliæ martyrium Romanæ Ecclesiæ Fastis seu Martyrologio ad diem XXI Julii intextum sit. *Dicere ferme poterat, fontem se detexisse, unde verosimiliter recitati in titulo Martyres in sacros ipsos Fastos transiissent; prima quidem in Usuardum:* Trecas, S. Juliæ virginis et martyris ; Claudius, Justus et Jucundinus *in ejus auctaria; ceteri in Saussayum, qui tot martyrii socios nominatim expressit quot repererat in dicta passionis historia; quam nos ea solum causa, hic post Surium denuo producimus, tametsi patentissimum sit, imperitum scriptorem multa inseruisse, quæ nec rebus nec temporibus facile quis aptaverit.*

verosimilius non vidit Usuardus.

2 *Videritne ea Acta Usuardus, indeque* Juliam *acceperit, asserere equidem non ausim; verosimilius est, ex solo vicino cultu Virginem ipsi innotuisse, cur enim præteriisset martyrii socios, qui in iisdem Actis tam diserte commemorantur, quique ab aliis, eo, quo jam dixi, ordine, subinde adjuncti sunt?* Claudius *quidem* imperator barbarorum, Justus et Jucundinus, *cum quinque anonymis in Usuardis Coloniensibus. Adjecit Molanus* S. Juliæ *translationem, de qua primus meminerat auctor Florarii Sanctorum manuscripti, cujus verba sunt :* Cujus sacrum corpus in territorio Meldorum, Jodarensi monasterio translatum, honorifice veneratur humanum, anno salutis CCLXXII. *Quo hæc tempore gesta sint, ii nos doceant, quorum interest, satis patet florilegum istum a vero aberrare, etiam dum infra adjungit:* In Græcia, depositio Claudii imperatoris, anno salutis CCLXXII. *Voluit haud dubie dicere* Trecis. *Æque confusa sunt verba ejus ultima :* Item beatorum martyrum Dionysii, Ponti, Cussionis, Papirii, Saturii cum aliis septem ; *qui majori confusione a Greveno in Africam translati sunt. Postremos suggessit Saussayi elogium non inelegans, Actorum substantiam aliquatenus emollitam referens, mutata etiam nonnihil sanctorum Martyrum serie, dum tres feminæ in postrema acie collocantur. En Saussayi orationem :*

Saussayus ipsa nitide

3 Eodem die Augustæ Trecorum, natalis S. Juliæ virginis et martyris, quæ ejusdem civitatis oriunda, non minus purissimæ religionis studiis ac moribus castissimis, quam rara corporis forma præcelluit. Quibus nominibus a Claudio copiarum militarium duce primum in conjugium expetita; magna virtutis et fidei imprimis efficacia, eum ipsum cum nonnullis ejus commilitonibus a nefando dæmonum cultu, ad Christi servatoris agnitionem et obsequium pertraxit ; sicque et

virgi-

A virginitatis suæ decus, quam Domino sacraverat, illibatum servavit, et a perditionis via ereptum suum procum, Christi effecit servum, atque in veræ felicitatis tramitem, provexit. Cujus rei serie comperta, Aurelianus imperator succensus furore in Virginem, fidei in asseveratione Christique præconio magnanimiter perseverantem, jussit illam extra urbis mœnia decollari.

et eleganter contraxit,

4 Cumque nec Claudium abducere potuisset a sententia, quem videbat ipso Virginis martyrio factum in tuenda Christiana pietate firmiorem, ipsum una cum viginti aliis, qui salutaribus Virginis monitis baptisma susceperant, securi quoque plecti eodem loco mandavit; ubi datis fortiter cervicibus, extremum Christo testimonium omnes unanimi confessione reddiderunt. Ex hoc nobili agmine tredecim athletarum dumtaxat nomina fuere monumentis tradita, nempe : Terni, Antonii, Herenei, Theodori, Dionysii, Apollonii, Pionici, Cussionis, Papyræ, Saturii, Justæ, Jucundæ, Apamiæ : ceterorum vero vocabula, quæ a memoria hominum excidere, in libro Dei et B Agni fulgent æternum consignata. Observatur vero magna veneratione corpus S. Juliæ, cum capite S. Claudii in sacrario inclyti monasterii Jotrensis in agro Meldensi, ad quod e Tricassina urbe pridem translatum fuit, non sine divinæ virtutis et gratiæ insigniis : *quæ utinam alicunde eruisset, ac de translationis tempore nos docuisset! In Meldensi Breviario nulla hoc die de* S. Julia *aut sociis memoria, neque de singulari apud Trecenses cultu meminit Camuzatus.*

ac duriora emollivit.

5 *Ceterum satis nitide Acta contraxit Saussayus, sublato ferme potissimo offensionis lapide, in titulo illo* S. Claudio *appicto* imperatoris barbarorum, *quem melius* copiarum militarium ducem *appellavit. Quidni et barbarorum aliquot ductor esse potuerit, eo seculo, quo non infrequentes fuisse extraneorum populorum (qui apud Romanos barbari dicti sunt) in Gallias excursiones, satis notum est; quos inter* Claudius *iste sanctissimæ Virginis Christianæ constantia, castitate ceterisque virtutibus ad fidem Christianam cum militum suorum nonnullis perductus sit, et martyrii palmam Aureliani tempore in urbe Tricassina adeptus : quæ si simpliciori ea phrasi in ipsa passionis historia explicarentur, neque adeo inconcinna Camuzato visa fuissent, neque tam crude a Tillemontio et sequacibus criticis rejecta. Equidem longe absum ab historiæ approbatione, at qualiscumque appareat, cum laudato Camuzato dicam, non debuisse me ipsam ab Actis nostris excludere, in quibus sexcenta hujusmodi relata sunt, vel ea solum gratia, ut ex eorum collatione Acta sincera et genuina magis elucescant.*

Camuzati observatio.

6 *Notationes subjunctæ non sunt, quod ipsas supervacaneas omnino censuerim ad ea explananda, quæ meri ornatus gratia a compilatore inventa videntur : ast ea prætermittenda non fuere, quæ de aliquali ejus superstite apud Tricassinos veneratione suggerit Camuzatus,* martyrii tempus *cum Baronio* anno CCLXXV adscribens, quo tempore Aurelianus imperator Tricassibus agebat. Communis autem hujus regionis hominum animos pervasit opinio *(inquit)* ipsam Virginem una cum Claudio et ejus sociis prope urbem Tricassinam securi percussam et capite plexam fuisse, non procul ab eo loco ubi hodie visitur puteus, camerata testudine, in sacelli speciem conformata coopertus, in cujus fronte præsignatæ Virginis lapidea exstat effigies. Febre etiam laborantibus id usitatum, ut aliquo motu devotionis, manantem ex præfato puteo aquam, fusis dictæ Virgini precibus, ejusque præsidio implorato ebibant, futurum confidentes, ut pristinam valetudinem recuperent. *Jam de Actis ipsis lectorum esto judicium.*

AUCTORE J. B. S.

ACTA MARTYRII

Ex Camuzato et Surio.

Julia a Claudio capta renuit ejus nuptias;

Tempore illo Julia sanctimonialis Christi, civis urbis Tricassinæ, capta est a quodam Claudio imperatore barbarorum; cumque eam cœpisset, duxit illam in patriam suam; videns vero vultum ejus pulcherrimum, statim voluit eam sibi conjugio sociare. Tunc Ancilla Christi dixit E ad eum : Ego sponsum habeo Dominum meum, cui me vovi, et animam meam commendavi, et angelus ejus mecum semper habitat : hic si vel leviter senserit, quod tu me amore polluto contingas, mox contra te furorem suum exagitabit, et injurias meas in te vindicabit. Cumque hæc audisset Claudius imperator, iracundia plenus, ait ad eam : Et quis est sponsus tuus, vel quis est cui potestas est ab eo data, ut vindicet injurias tuas de manibus meis? At illa, ut ancilla Christi fiducialiter nihil metuens, respondit dicens : Dominum meum habeo Jesum Christum qui est in cœlis, cui me devovi virginem, qui habet potestatem universæ carnis humanæ : cui servio immaculata, qui potens est præstare omnia se ex fide petentibus. At ille audiens hæc, dixit ad eam : Tu vero, ut audio, Christiana es. Illa respondens, dixit : Vere Christiana sum. Audiens hæc imperator magis timuit, et exinde satis cœpit eam honorare. Statimque jussit condignum parari cubiculum, ubi nullus virorum haberet ingressum : et præcepit puellis ut ei obsequium sine intermissione præstarent; cumque F ibidem degeret, obsequium sibi unaquæque ad invicem præstabat. Tunc Ancilla Christi ingressa in cubiculum, orationi et jejuniis vacare cœpit, maximasque gratias agere Deo die noctuque, qui eam dignam habuit respicere positam in captivitate, ut tantam gratiam inveniret in conspectu domini Claudii imperatoris, pro quo tam devote Dominum supplicabat, ut nihil mali evenisset in plebe, neque in domum ipsius regis.

et precibus suis ipsum juvat.

2 Cumque hoc ageretur, contigit post paucum tempus, ut ad bellum iret imperator Claudius contra suos adversarios. Et antequam proficisceretur, vocavit Juliam ancillam Dei, et dixit ad eam : Roga pro me Dominum tuum, ut sanus revertar de inimicis meis triumphans; et ego te amplis honoribus ditabo. Castissima Dei Julia, dixit ad eum : Perge securus, domine meus, ego enim orabo Dominum meum et sanus reverteris. At ille audito sermone Ancillæ Dei, pervenit ad adversarios suos nocte, et percussit eos usque ad internecionem. Sed cum triumphasset de iis, reversus in domum suam cum magna gloria ma-

gnosque

EX EDITIS.

guosque ei apponens honores, ut dominam illam adoravit, non ut ancillam. Intellexit enim quod per ejus orationes Dominus salvarc illum dignatus est. Quoniam longum est omnia enarrarc per ordinem rerum gestarum, ego si possum pauca de pluribus dicerc curabo. Quotiescumque Claudius imperator ad bcllum pergeret, omnibus inimicis suis prostratis in Dei nomine, victor revertebatur : quia Dominus noster Jesus Christus per orationem B. Juliæ ancillæ suæ hoc illi præstabat.

Monita in visione, cum Claudio Trecas redit;

3 Cum vero complesset ibi Julia annos viginti et octo, in visu apparuit ei Dominus dicens ; Exurge, inquit, Julia, quia non amplius oportet te hic manerc; sed revertere ad urbem quæ vocatur Trecassis, unde capta es, quoniam oportet te ibidem coronam martyrii accipere. Sancta vero Julia exsurgens prima luce, exultans et laudans et adorans Dominum lætabatur, quod vidisset visionem hoc jubentem, ut ad civitatem suam remearet ; magis autem confortabatur, quoniam ad gloriam et laudem Christi martyrium suscipere promeruisset, dicens : Quia si ibidem cursum
B meum habeo complere, ad coronam martyrii vocor. Accessit ergo S. Julia ad Claudium imperatorem, dixitque ad eum : Sic enim dignatus est revelare mihi Dominus meus Jesus Christus, cui servio in corpore, et in spiritu meo immaculato, ut revertar Trecassim, quia ibidem me oportet coronam martyrii accipere. Vide ergo, imperator, ne velis me hic retinere, et graveris. Claudius imperator dixit ad S. Juliam : Tu hinc vadis, me cui relinquis? Non expedit mihi, ut vadas, nam venient adversarii mei, a quibus per orationem tuam liberare me solebas, et occident me. Ideo quæ mea sunt derelinquens, vadam tecum. Sancta vero Julia dixit ei : Relinque omnia bona tua et veni mecum ; credo quippe in Dominum meum, quod sibi acceptabilem te faciet, gregique tuo * sancto. At ille cum audisset hæc, derelinquens domum suam, cum uxore et filiis, aurum, argentum, possessiones multas et infinitas, profectus est cum Ancilla Dei, non ut alienigena, sed ut domesticus Sanctorum, non ut barbarus, sed ut fidelis Christianus. Non ut lupus, sed ut ovis Christi iter cum Aucilla Dei carpit; et utrique
C properant in fines Trecassis. Ingressi sunt vero civitatem persecutionis tempore.

* suo

capitur, et decollatur;

4 Sancta vero Julia hoc agebat ut religiosis, qui retrusi erant in carcerem, pro nomine Domini Jesu Christi palam se ostenderet, ut a militibus percuteretur. Post non multum vero temporis comprehensa est S. Julia, et ducta est ad Cæsarem. Cumque oblata esset Elidio præfecto, dixit ad eam : Tu Christum adoras quem dicis te habere sponsum ? Sancta vero Julia respondit : Ego Christum Dominum meum confiteor : nam dæmones immundos non adoro. Tunc præfectus dixit militibus : Ite et extendite eam ad trocleas, et carbones ignitos supra dorsum ejus ponite. Cumque extensa fuisset B. Julia, excæcati sunt oculi ministrorum carnificum, et clamantes dice- D
bant : Adjuva cos, Julia. Et cum obcæcati fuissent qui eam cædcbant, alii ministri venerunt, ut nervis crudis eam attrahcrent, et non potuerunt. Quod cum vidisset impiissimus Aurelianus, sanctissimam Virginem in sua constantia permanere, dixit ad eam : Sacrifica diis, aut certe si non sacrificaveris, hodie gladio morieris. B. Julia respondit : Ego parata sum pro nomine Domini mei Jesu Christi mori, qui me vocare dignatus est ; ut completo certamine, accipiam coronam vitæ meæ. Tunc imperator, data sententia, jussit eam decollari.

eodemque supplicio afficitur Claudius

5 Cumque hæc audisset Claudius in Ancillam Dei gesta fuisse, offerens [se] imperatori, dixit : Et me cum ea jube interfici, quia domina mea est. Imperator autem interrogavit quis esset? At ille respondens, dixit : Ego sum Claudius imperator, qui in captivitate eam duxi ; quando contra Romanos pugnavi. Nam multa mihi Deus ipsius per eam præstitit bona : quam ego per annos viginti et octo venerando servavi. Sed cum Deus ipsius apparuisset ei nocte per somnium, ut E
acciperet coronam martyrii, dixit mihi : Noli me retinere, domine mi, sed fac dimitti me ut eam ad urbem Tricassinam, ubi Deus meus dignabitur dare mihi coronam. Ego vero dixi ei : Non vades nisi eam tecum. Et ipsa Sancta dixit mihi : Relinque possessionem tuam et da pauperibus, et veni mecum, ut accipias coronam vitæ æternæ. Ego vero, relictis omnibus , pro nomine Domini mei Jesu Christi, profectus sum cum ea usque huc. Imperator autem Aurelianus hæc audiens, dixit ei : Christianus non es ; quomodo potes in nomine ipsius mori? Respondens autem Claudius imperator dixit : Credo, si pro nomine Dei mei Jesu Christi sanguinem meum fudero, vere Christianus ero. Nec ante conspectum magnæ divinitatis suæ, B. Juliæ martyris suæ meritis, me faciet alienum. Imperator Aurelianus audiens hæc, data sententia, jussit eum gladio percuti extra muros urbis Tricassinæ, ubi gloriosa virgo Julia a Domino meruit accipere palmam XII Kalendas Augusti.

et post ipsum viginti alii.

6 Quod cum regressus fuisset imperator in prætorium suum, oblati sunt ei alii viginti ; et F
hæc nomina eorum : Justa, Jocunda, Ternus, Antonius, Herenus, Theodorus, Dionysius, Appollonius, Appamia, Pionicus, Custion, Papyras, Saturius, et socii eorum, quorum nomina scripta sunt in libro Christi et Agni. Sed similiter ipsi consummaverunt martyrium suum in pace, sepultique sunt in supradicto loco, in quo Julia virgo passa est et sepulta. Acceperunt igitur coronam vitæ apud Dominum nostrum Jesum Christum confessione nominis sui : quia ipse dare dignatus est vitam æternam, cui est honor et gloria, virtus et imperium sempiternum, laus et potestas cum Deo Patre, almoque et vivifico Spiritu, in secula seculorum. Amen.

A D

DE SS. VICTORE, ALEXANDRO, LONGINO, FELICIANO MARTYRIBUS, ET FORSAN DEUTHERIO VEL ELEUTHERIO.

MASSILIÆ IN GALLIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sanctorum cultus et numerus.

B *CIRCA FINEM SECULI III, AUT INITIO SECULI IV.*

Apud antiquos Martyrologos notus est S. Victor Massiliensis,

I*nter plurimos sanctos Martyres, Victoris nomine insignitos, illustris plane est* Victor Massiliensis, *quem a martyrii palæstra sic vulgo cognominatum existimo : is enim Massiliæ (hæc est antiqna et celebris Galliarum civitas, Rhodanum inter et Alpes ad mare Mediterraneum sita) gloriosam martyrii palmam adeptus est, ibidemque solenni ritu colitur* XXI *Julii cum sociis, quamvis illi non eodem die ad Cœlites migraverint. Venantius Fortunatus lib.* 8 *carm.* 4 *inter alios Sanctos de* Victore *nostro meminit hoc pentametro :*

Massilia Victor martyr ab urbe venit.

Omnia Martyrologia, tum antiqua tum recentiora, annuam horum Sanctorum memoriam hac die celebrant, ex quibus aliqua exhibuisse sufficiet. Hieronymiana, a Florentinio edita, sic habent : Et in Gallia Massilia natalis sanctorum Victoris, Alexandri, Dotheri, Feliciani et Longini. *Vetus Martyrologium Romanum de solo* Victore *ita breviter meminit :* Massiliæ Victoris martyris. *Usuardus eumdem cum tribus sociis commemorat :* In Galliis civitate C Massiliæ, natalis sancti Victoris ; qui cum esset miles, et nec militare, nec idolis sacrificare vellet, primo in carcerem trusus, ibique ab angelis visitatus, deinde variis excruciatus pœnis, novissime contritus in mola pistoria, martyrium consummavit. Passi sunt cum eo tres milites, Alexander, Felicianus et Longinus. *Martyrologium Romanum, quo hodiedum utimur, pene iisdem verbis hos Martyres annuntiat, et Usuardi exemplo omittit* Deutherium, *de quo postea pluribus agemus.*

eumque memorant Ado,

2 *Usuardum præcesserat Ado, qui* XII *Kalendas Augusti* S. Victorem *sequenti exornat elogio :* Eodem die in Galliis, civitate Massilia, natalis sancti Victoris, qui persecutione Diocletiani et Maximiani, cum esset miles, et nec militare, nec idolis sacrificare vellet, primum a tribuno suo Asterio in carcerem trusus, sed omni nocte ad consolandos et visitandos infirmos ab angelo eductus est. Deinde jussu Eutychii præfecti, retortis brachiis, loris subtilibus ligatus, et pedibus fune contrictus, per mediam tractus est civitatem. Post hæc fustibus crudelissime cæsus ac suspensus et taureis cruciatus, cum exhibuissent aram, in qua sacrificaret, et eam nec respicere sustinens, de manu sacerdotis calce excussisset, pedem ei præses jussit incidi. Ad ultimum in confessione persistens, missus est in molam pistoriam, in qua sparsum granum vertigine animalis macerari solet : itaque ita contritus martyrium consummavit. Passi sunt cum eo tres milites : Alexander, Felicianus et Longinus, qui dum eum nocturno silentio in carcere custodirent, visi- E tantibus illum angelis sanctis, tanto claritatis fulgore obstupefacti, atque ad ejus genua provoluti, credentes in Christum, nocte eadem in mari baptizati sunt ; et sequenti die ante consummationem beati Martyris gladio jugulati. Puer quoque Deutherius, qui dum ad sepulcrum ejus oraret, emisit et spiritum. *Videtur Ado hic in compendium redegisse Acta, quæ nos infra examinabimus.*

et Rabanus;

3 *Rabanus certe aliud Actorum exemplar præ oculis habuit, cum* S. Victorem *martyrem, quem alia Acta militem fuisse affirmant, nominet episcopum Massiliensem : sic enim in suo Martyrologio ad hanc diem scribit :* Eodem die passio est Victoris, Massiliensis episcopi, qui sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus propter fidem Christi per Arterium præsidem trucidatus est simul cum militibus Eleutherio *(Petrus de Natalibus eodem nomine appellat puerum, de quo supra Ado)* Feliciano et Alexandro : nam cum memoratus episcopus prædictis militibus ad custodiendum in carcerem traditus esset, ibi angelica visione visitatus est. Unde ipsi custodes videntes ibi lumen splendidum, cadentes ad beati Victoris genua, remedium ab eo implorant ; quos cum san- F ctus episcopus baptizasset, et ipsi in confessione nominis Christi usque in finem perseverassent, martyrio coronati sunt. Similiter et episcopus jussu imperatoris decollatus est. *Deinde subnectit clausulam de subita Maximiani tyranni punitione, et morte paulo post subsecuta, quam viri eruditi merito rejiciunt. Inter alios Ruinartius in Admonitione prævia ad hanc passionem de ista narratione ita judicat :* Ceterum veri simile non est id, quod Rabanus in Martyrologio commemorat, Maximianum scilicet post Victoris mortem dæmonum infestatione tortum fuisse, ac quinto post die putredinis squalore decoctum et vermibus bullientem semetipsum strangulasse. Certiora enim habemus de Maximiani morte argumenta ;... sed et in hoc quoque erravit Rabanus, quod Victorem Massiliensium episcopum fuisse existimarit.

ex quorum aliorumque diversa narratione oritur dubium

4 *Ex hactenus relatis Martyrologiis suboritur dubium, an* S. Victori *tres vel quatuor martyrii, aut saltem cultus, socii adjungendi sint : Hieronymiana*

AUCTORE G. C.

miana enim Martyrologia ipsi quatuor socios, atque inter eos Dotherum *addunt; Usuardus vero et hodiernum Martyrologium Romanum tantum tres recensent; Ado autem tribus militibus subjungit* Deutherium *puerum, qui ad* S. Victoris *tumulum in oratione exspiraverit; Rabanus denique tantum tres enumerat, omissoque* Longino, *puerum* Deutherium *in militem* Eleutherium *transformat. Antiquus noster codex Molsheimensis asserit, quod tribus* militibus Deutherio, Feliciano, et Alexandro sanctus Victor in baptismi gratia pater *exstiterit. En nodum undique implexum; at videamus, utrum aliunde solvi non possit. Imprimis Acta a Bosqueto ac Ruinartio edita, et Mss. a nobis edenda, quæ passim sinceriora et antiquiora putantur, dumtaxat tres milites cum* S. Victore *passos memorant, et de* Deutherio *vel* Eleutherio *non meminerunt. De eo etiam tacent varia Breviaria Gallica, quæ die* XXI *Julii festum* S. Victoris *Officio ecclesiastico celebrant, nempe: Lexoviense anni* 1624, *Rothomagense anni* 1627, *Parisiense anni* 1680, *et forte plura alia, quæ jam operosius quærere non vacat. Contra* B *vero Officia propria Massiliensia, anno* 1633 *et* 1662 *impressa,* S. Deutherium *in Lectionibus propriis et ipsa Collecta exprimunt; sed quem anno* 1633, *ut custodem a* S. Victore *conversum, coluerant, eum anno* 1662 *ut puerum, in oratione sancte mortuum, venerantur. Habe utriusque Breviarii verba. In antiquiori Officio ita legitur:* Beatus Victor...... in carcerem detruditur, ubi cœlesti lumine circumfusus custodes suos, Alexandrum, Felicianum, et Longinum, et Deuterium ad Christi fidem convertit. *In altero autem post narratum* S. Victoris *et trium militum martyrium hæc habentur:* Eodem die, Deutherius puer ad illius sepulcrum orans in ipso orationis impetu innocentem animam efflavit, et ei corpore consepultus est, cujus charitatis spiritum infans viriliter hauserat. *Hinc etiam Collecta mutata est, prior enim recitabatur hoc modo:* Omnipotens sempiterne Deus, mundi creator et rector, qui beatos martyres tuos Victorem, Fælicianum, Alexandrum, atque Longinum, nec non et Deuterium ad nominis tui gloriam consecrare voluisti, exaudi populum tuum, cum sanctorum tuorum C tibi patrocinio supplicantem, ut ad pacis donum proficiat, et fidei charitatisque augmento repleatur. Per, *etc. Posterior oratio anni* 1662 *concipitur his verbis:* Exaudi, Domine, populum tuum, cum sanctorum martyrum tuorum Victoris, Alexandri, Fæliciani, Longini, et Deutherii pueri confessoris tui patrocinio supplicantem, ut et temporalis vitæ nobis tribuas pace gaudere, et æternæ reperire subsidium. Per Dominum, *etc.*

de numero sociorum,

5 *Ex his quidem constat, Massiliæ quemdam* Deutherium *coli, ut sanctum; sed ob diversam Rabani et Adonis sententiam, ac Massiliensis Officii mutationem needum liquet, qualis hic* Deutherius *fuerit, aut qua occasione mortem obierit. Tentemus igitur, an ex Actis quibusdam Mss., aliisve monumentis certiorem notitiam possimus eruere. Isaacus Vossius, serenissimæ reginæ Sueciæ bibliothecarius, habuit in codice membraneo Acta* S. Victoris *martyris, quorum nos ecgraphum servamus, in quibus ad rem nostram leguntur sequentia:* Nec illud miraculum omnino reticendum est, quod parvulus filius Longini, beatissimi martyris, Deuterius nomine, amore Christi jam baptismatis unda perfusus, natandi adminiculo pelago porti tenera D membra transmeaturus committere non dubitavit: quique spiritu Dei gubernante, ad littus maris perductus, et dolore ac maceratione natandi, seu imbecillitate corporis attritus, dum se ad monumentum patris pia animi contritione defigit, emisit spiritum. Cum patre tamen martyrio copulatur, ut dignus martyrio fieret, qui exstitit pietate carissimus. *Non placet mihi hæc pueri natatio, nescio quorsum suscepta, quamvis codex noster Molsheimensis, signatus* P. Ms. 20, *suppresso patris et natatoris nomine, eamdem sic narret fol.* 130: Nec illud miraculum omnino silendum est, parvulum filium de utero matris amore Christi jam baptismatis unda perfusum, *etc. Codex noster Fuldensis* Q. Ms. 6 *rem adhuc magis implicat, ita enim habet fol.* 11 *verso:* Nec illud miraculum omnino silendum est, parvulum filium Deuteri beati martyris, amore Christi jam baptismatis unda perfusum natandi adminiculo, *etc. Ecce unde aliquid lucis speraveram, majores tenebræ affunduntur.*

et unius martyrio.

6 *Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 6, *cap.* 122 *hunc puerum vocat* Eleutherium E *(Rabanus supra eo nomine appellat unum ex tribus militibus) et tale texit Actorum compendium:* Victor martyr cum sociis suis sub Maximiano imperatore in civitate Massilia passus est. Qui Maximianus, perfecta cæde martyrum Thebæorum in civitate Sedunensi, Massiliam devenit, Victoremque militem, eidem de Christianitate delatum, comprehendit: quem sacrificare nolentem funibus per totam urbem distractum Asterio præfecto puniendum tradidit: qui ipsum dudum in patibulo afflictum in carcerem trudi jussit, ubi sanctus Victor cœlesti lumine et angelica visitatione confortatus est. Quæ cum vidissent tres milites eum custodientes, id est Alexander, Longinus et Felicianus, conversi sunt ad Christum: quos in confessione fidei imperator decollari mandavit. Præfectus vero Victorem equuleo suspensum, et fustibus ac nervis cæsum, iterum in custodia reposuit. Sed post triduum inde eductus statuam Jovis, sibi oblatam, ut ei thura incenderet, pede evertit; cui pes ille statim præciditur. Deinde mole molendini suppositus crudeliter F conteritur; verum post paululum machina ipsa divinitus dissipata, dum adhuc Martyr Domini aliquantulum palpitaret, gladio cædente vere victor ac triumphator efficitur. Nam et eodem instanti vox de cœlo audita est: Vicisti, Victor beate. Corpora vero sanctorum Martyrum jussu Cæsaris in pelago projecta, angelis ministrantibus, ad oppositum littus enatantia devecta sunt, et a Christianis sepulta. Ad quorum tumulum dum puer, Eleutherius nomine, Christianus persecutionem fugiens declinasset, orans emisit spiritum, eisdem Sanctis sepultura sociatus. *Similem passionis synopsin habet quoddam Ms. Ultrajectinum et Vincentius Bellovacensis in speculo Historiali lib.* 12, *cap.* 7; *sed in iis de* Eleutherio *vel* Deuterio *nullum fit verbum. Cum igitur de hoc Sancto tam diversa et incerta tradantur, ad illius nomen in titulo dubitationis signum* forsan *addidi. Nunc de sanctorum Martyrum, ac præsertim* sancti Victoris *reliquiis sermonem instituam.*

§ II.

AUCTORE G. C.

A

§ II. Sancti Victoris reliquiæ variis locis honoratæ.

Testimonium Gregorii Turonensis

Antiquissimum Massiliæ monasterium, quod a S. Victore *nomen gerit, et originem suam debet celebri Joanni Cassiano, conservat hactenus pretiosas sanctorum Martyrum nostrorum exuvias, quorum ossa tegit deaurata capsa; caput autem* S. Victoris *includit argentea lipsanotheca, gemmis ornata, quam Guesnayus noster in suo Cassiano illustrato lib.* 2, *cap.* 22, § 1, *num.* 5 *ita describit:* Ad sinistrum majoris aræ latus in amplo satis armario S. Victoris martyris caput, ex auro argentoque duos inter angelos argenteos inauratos prominens asservatur; pectorale illi ex auro solido, lapillis eleganter distincto; collum etiam pretiosis ornatum monilibus; basis ei argentea incurvata, leunculis octo gryphisque totidem deauratis imposita, cum insignibus Urbani V Pontificis Maximi, estque inusitatæ adeo magnitudinis, ut quingentas libras facile pendat. *Quantus vero olim ad has reliquias fieret hominum concursus, et quam crebra patrarentur miracula, memoriæ prodidit Gregorius Turonensis lib.* 1. *De Gloria Martyrum cap.* 77, *ubi in editione Ruinartiana col.* 807 *ita loquitur:* Est et ad sepulcrum sancti Victoris Massiliensis martyris mira virtus. Nam cum sæpius ad eum accedentes infirmi sanentur reliqui, energumeni tamen multum se considentes, et Martyrem declamantes, ejectis dæmonibus, liberantur. Aureliani autem patricii servus a dæmonio correptus, dolendo exitu cruciabatur, ita ut plerumque propriis se morsibus laceraret; sed adductus ad basilicam Sancti, cum se exuri ejus virtute fateretur, debacchans per totam ædem, die tertia mundatus abscessit. Qui in tantum fidei merito roboratus est, ut deinceps humiliatis capillis, abbatis sortitus ordinem, monasterio uni præponeretur,

B

de Massiliensibus S. Victoris reliquiis,

8 *Idem Gregorius in Historia Francorum lib.* 9. *cap.* 22 *narrat, quomodo seculo sexto patrocinium* S. Victoris *imploratum fuerit, quando Massiliæ dira pestis exorta erat:* Massiliensis urbs, *inquit,* contagio pessimo ægrota, quanta sustinuerit, altius replicare placuit. His enim diebus Theodorus episcopus ad regem abierat, quasi aliquid contra Nicetium patricium suggesturus. Sed cum a rege Childederto minime de hac causa fuisset auditus, ad propria redire disposuit. Interea navis ab Hispania una cum negotio solito ad portum ejus adpulsa est, quæ hujus morbi fomitem nequiter deferebat: de qua cum multi civium diversa mercarentur, una confestim domus, in qua octo animæ erant, hoc contagio interfectis habitatoribus, relicta est vacua. Nec statim hoc incendium luis per domos spargitur totas; sed interrupto certi temporis spatio, ac velut in segetem flamma accensa, urbem totam morbi incendio conflagravit. Episcopus tamen urbis accessit ad locum, et se infra basilicæ sancti Victoris septa continuit cum paucis, qui tunc cum ipso remanserant, ibique per totam urbis stragem orationibus ac vigiliis vacans, Domini misericordiam exorabat, ut tandem cessante interitu, populo liceret in pace quiescere. Cessante vero hac plaga mensibus duobus, cum jam populus securus redisset ad urbem, iterum succedente morbo, qui redierant sunt defuncti; sed et multis vicibus deinceps ab hoc interitu gravata est. *Imo eadem urbs a paucis annis contagioso morbo iterum afflicta est, qua occasione illustrissimus ac reverendissimus Dominus Henricus Xaverius de Belzunce, qui anno* 1710 *dignissimus Massiliensium episcopus consecratus fuerat, ardentissimæ erga gregem suum caritati fræna laxavit, et præsenti mortis periculo se assidue ac intrepide exponens exercuit zelum vere Xaverianum, quem omnis posteritas meritis laudibus extollet, et munificus laborum remunerator Deus æterna, ut certo confidimus, gloria compensabit.*

C

quæ urbi Constantinopolitanæ,

9 *Etiamsi Massilia semper studiose pretiosas* S. Victoris *reliquias conservaverit, non tamen ita fuit avara, quin aliis eas communicando gloriam et cultum sancti Martyris sui per varias provincias propagarit. Ac primo quidem quasdam hujus Martyris exuvias Constantinopoli prope portam auream in æde sacra* S. Victoris, *quam Joannes Comnenus imperator ædificavit, honoratas fuisse discimus ex duplici epistola, quam Cangius in sua Constantinopoli Christiana lib.* 4, *cap.* 7, *pag.* 140 *refert, quamque se ex Martyrologio Canonicorum* S. Victoris *Parisiensis descripsisse testatur. Prioris hic est tenor:* Venerabili fratri domno Petro Canonico S. Martini Trecensis, Frater Joannes Pict, canonicus S. Victoris Parisiensis salutem. Intimo cordis affectu vestræ supplico Fraternitati, ut certitudinem illam, quam vos de capite beati Victoris Massiliensis meministis habere, insinuare dignemini. *Petrus autem, qui Garnero episcopo Trecensi in Orientem profecto erat a sacris, huic epistolæ ita respondet:* Frater Petrus, Fratri Joanni. Hoc vobis de certitudine capitis beati Victoris insinuo, quod imperator Constantinopolitanus, Calojohannes nomine, tertius, ante Emanuel, volens fundare quamdam ecclesiam in honore beati Victoris Massiliensis, misit nobilem quemdam virum ad civitatem Massiliensem cum pretiosis muneribus ac reliquiis plurimorum Sanctorum, insinuans domino Massiliensi, ut remuneratione prædictorum munerum aliquid de corpore beati Victoris sibi mittere dignaretur. Qui satisfaciens ejus petitioni, misit imperatori magnam partem capitis præfati Martyris; et sic, illa per nuntios parte recepta, fundavit ecclesiam in honore beati Victoris in Constantinopolitana urbe infra muros, non longe a portis aureis. Urbe autem subjugata, dominus Garnerus episcopus Trecensis, cujus ego Petrus eram capellanus, accessit ad ecclesiam beati Victoris, in qua erat conventus monachorum. Assumpsit autem idem episcopus ab eadem ecclesia caput beati Victoris, pretioso vase repositum cum aliis reliquiis Sanctorum. Ego vero Petrus ab eodem episcopo, domino meo; pro servitio quod ei impenderam, postulavi, ut partem illam capitis sancti Victoris conferre mihi dignaretur: qui petitioni meæ satisfaciens, litteras sigilli sui munimine impressas, et aliorum episcoporum, qui erant in civitate prædicta, in testimonium illius partis capitis et aliarum reliquiarum, mecum in Galliam reportavi. Demum vero partem illam sanctissimi capitis Victoris beatissimi dedi magistro Petro de Corbolio, tunc Senonensi archiepiscopo. Idem vero archiepiscopus magnam contulit portionem illius partis capitis ecclesiæ beati Victoris prece domini Johannis Teu-

E

F

AUCTORE G. C.

Teutonii, tunc ejusdem ecclesiæ abbatis. Suscepimus autem eamdem portionem sanctissimi capitis cum processione et gaudio pridie Idus Aprilis. *Gerardus du Bois in Historia ecclesiæ Parisiensis tom. 2, pag. 296 scribit, hæc sacra lipsana a Parisiensibus Victorinis anno* 1210 *honorifice susceptu esse.*

et Parisiensi S. Victoris cœnobio

10 *Parisiense* S. Victoris *cœnobium jam antea acceperat quasdam ejusdem sancti Martyris reliquias, nempe dum anno* 1115 *uterque Hugo cœtui Victorino nomen dedit. Laudatus Gerardus du Bois lib.* 12. *Historiæ ecclesiæ Parisiensis cap.* 8, *num.* 3, *hanc rem ex annalibus Victorinis ita narrat :* Ambo *(nempe Hugo senior ac junior)* ut opinor per speciem Romam proficiscendi, e patria exeunt; deinde Massiliam veniunt, memoresque propositi, basilicam sancti Victoris ad persolvenda Deo vota ingrediuntur, obtinentque a Massiliensibus monachis reliquias sancti Victoris martyris, dentem scilicet et scapulam, et tamquam opimis onusti spoliis Parisios advolant, ossaque sancta ad familiam Victorinam deferunt, seque suumque nomen B collegio canonicorum inscribi poscunt. Gratus eorum fuit adventus Victorinis, et anniversaria dies susceptionis reliquiarum die XVII Junii apud Victorinos colitur. *Joannes Picardus canonicus Sanvictorinus in commentario ad Passionem* S. Victoris, *quem manuscriptum habemus, hanc narrationem confirmat, testaturque, in Rituali ejusdem cœnobii ad diem* XVII *Junii præscribi sequentia :* Hac die legitur Missa matutinalis pro magistro Hugone, cujus studio et labore, Deo cooperante, reliquias S. Victoris nobis ad urbe Massilia allatas amplectimur. *Adamus, qui seculo* XII *in eadem domo Victorina obiit, inter alia pia carmina ad perpetuam hujus susceptionis memoriam composuit hymnum, quem Picardus in commentario jam citato ita exhibet :* Ex radice charitatis, ex affectu pietatis, psallat hæc ecclesia. Psallat corde, psallat ore, et exultet in Victore Victoris familia. Pars ipsius nobis data, per fideles est allata ex urbe Massilia; cujus prius spiritali, nunc ipsius corporali fruimur præsentia. Hæc est summa gaudiorum : dilatemus animorum ipsa penetralia. Martyris reliquiæ laudis et lætitiæ nobis sunt materiæ. Vi- C ctor miles triumphalis, Christi martyr specialis, nos a mundi serva malis, ne nos amor mundialis mergat in flagitia. Ne permittas spe frustari, quibus potes suffragari, fac nos Christo præsentari, ut hunc tecum comtemplari possimus in gloria.

communicatæ fuerunt,

11 *Deinde anno* 1203 *ad sacrum ejusdem ecclesiæ thesaurum nova accessio facta est, quam Gerardus du Bois tomo 2 laudati operis pag.* 585, *ita memorat :* Anno MCCLXXXIII Carolus princeps Salernitanus filius Caroli regis Siciliæ, post immanem illam cædem Francorum, quam Panormitani in Sicilia perpetraverant, venit Parisios, attulitque secum reliquias sancti Victoris, quas acceperat a Joanne abbate sancti Victoris Massiliensis, quas tradidit ecclesiæ Victorinæ Parisiis *Tunc subdit, exstare apud Victorinos ipsas Caroli litteras, quæ mense Julio ejusdem anni Parisiis hac super re scriptæ fuerunt; sed cum eas omiserit, nos ex Picardo proferimus authenticum hujus donationis instrumentum, quod ita habet :* Carolus primogenitus illustris regis Hierusalem, princeps Salernensis, Montis sancti angeli domi- D nus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noveritis, quod cum propter devotionem, quam ad sacratissimum Christi martyrem beatum Victorem Massiliensem habuimus et habemus ; impetraverimus a viris religiosis domino Joanne abbate et conventu monasterii S. Victoris Massiliensis prædicti , de reliquiis præfati Martyris portionem aliquam nobis dari ; quas reliquias ad majorem certitudinem de ipso sacratissimo corpore accepimus manu nostra. Nos de prædictis reliquiis nostris juncturam unam monasterio S. Victoris Parisiensis donavimus ad honorem beatissimi Martyris supradicti. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum Parisiis anno Domini MCCLXXXIII mense Julio. *Dein Picardus exacte describit sigillum, quod etiamnum pendet ex membrana hujus diplomatis, et in archivo Victorino conservatur.*

ubi solenniter honorantur,

12 *Officia propria cœnobii Parisiensis, in quibus festum* S. Victoris *solemniter cum Octava celebratur, die tertia infra Octavam recolunt sub ritu du-* E *plici memoriam insignium reliquiarum hoc modo :* LECTIO IV. Alacri devotione, charissimi, diem hodiernum recolamus, quo cœlestis providentia ecclesiam nostram dextro pede beatissimi Victoris martyris, patroni nostri (quo idolum Jovis in terram dejecerat) insignivit. Ipsum siquidem sacratissimum pedem nobis donavit illustrissimus princeps Joannes dux Bituriæ regis Francorum christianissimi Joannis filius, quem per varias manus habuerat a sanctissimo Papa Urbano quinto, prius abbate sancti Victoris Massiliensis, quando ejusdem sacratissimi Martyris corpus de veteri capsa in novam transtulit anno Christi circiter millesimo trecentesimo sexagesimo. In hoc autem pede naturæ omnino vis est illata : nam cum mille trecenti et amplius anni fluxerint, quo a corpore præcisus est, tamen illius partes sunt adhuc ita naturali ordine sitæ, solidæ, et cute integra tectæ, ut a corruptione cernatur illæsus. LECTIO V. In hunc quoque diem memoriam referimus aliarum reliquiarum ejusdem gloriosi Martyris, de quibus ex Necrologio nostro hæc excerpsimus. Venerabilis et discretus F vir Joannes a Pignu, Prior S. Martini a Campis, et postmodum abbas Cluniacensis, partem brachii sancti Victoris martyris supplici prece nobis impetravit a domino Papa Urbano quinto, dum Massiliæ translationem faceret corporis ejusdem sancti Victoris. Hanc reliquiam per episcopos, et testes fide dignos idem dominus Urbanus per eumdem dominum Joannem nobis transmisit, pro qua veneranter operienda idem dominus a Pignu dedit nobis viginti francos auri. Dominus quoque Petrus a Tienvilla, cantor ecclesiæ sancti Aniani Aurelianensis, dedit nobis in pluribus parvis fracturis quamdam particulam capitis sancti Victoris martyris, quam penes se propter hoc specialiter retinuit, quando dictum caput venerandum (quod in ecclesia sancti Aniani honorifice conservatur) de veteri vasculo in novum vasculum argenteum fuit translatum, videlicet anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, in die solennitatis ipsius sancti Victoris.

AUCTORE G. C.

A *et miraculum ad eas patratum in Officio proprio narratur.*

13 *Eadem Officia propria, quæ ab Antverpiensibus* S. Victoris *monialibus mihi perhumaniter communicata fuerunt, in die Octava quoddam miraculum, ad Parisienses* S. Victoris *reliquias patratum, narrant his verbis :* Lectio vi. Tam præsentes quam posteri scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum Martyrem post antiqua, quæ plurima leguntur, miracula in terra et in mari ad invocationem ipsius divina virtute patrata, novum faciens præclarum et evidens miraculum in præsenti ecclesia, in honore ipsius fundata, et in ejus nomine specialiter dedicata. Anno siquidem Dominicæ Incarnationis millesimo trecentesimo secundo, vir quidam, Garnerus nomine, divino sed occulto judicio tertio Idus Januarii dum culturæ cujusdam vineæ solus operam daret subita percussione dextri brachii ac manus dextræ, motum sensumque amisit. Qui cum jam quorumdam Sanctorum, sanitatis beneficium petiturus, visitasset ecclesias, nullum tamen remedium reportasset, tandem dum anxius nocte sabbati vigilaret, audivit vocem hujus-
B modi : Noli timere, vade ad sanctum Victorem, et sanaberis. Hæc ille divina revelatione monitus, fide et devotione iter arripuit, dieque conversionis sancti Pauli Apostoli, quæ erat feria vi, ecclesiam nostram ingressus [est], quadam honesta cive Parisiensi pluribus nota comitante ipsum. Dum Fratres horæ sextæ preces cantabant, ante majus altare venit, ubi oratione fusa deosculatisque sacris S. Victoris martyris reliquiis (quas pridem venerabilis Hugo canonicus noster e Massilia detulerat) antequam preces inceptas Fratres percantassent, pluribus videntibus, dictorum brachii et manus sensum recuperavit et motum. *Plura alia miracula collegit, et in tres libros distinxit monachus anonymus, sed fide dignissimus, utpote in multis testis oculatus, quamvis illius ætatem nullo modo detegere potuerim. Istam miraculorum historiam, more nostro in capita divisam, post hunc Commentarium prævium Actis subnectemus.*

Aliqua ejusdem S. Martyris ossa ad Normanniam,

14 *Nescio, unde aut quo tempore reliquiæ* S. Victoris *pervenerint ad cœnobium, ejusdem sancti Martyris nomine insignitum, quod seculo* xi *condi-*
C *tum est in Caletensi Normanniæ tractu, quem incolæ vulgo* en Caux *appellant. Arturus in sua Neustria pia pag.* 545 *de illius origine hæc scribit :* Hic locus exordium cepit ab ecclesia, sancto Victori martyri inibi consecrata, ob nonnullas ipsius Christi Athletæ asservatas reliquias; ad cujus invocationem illic etiamnum complura Deus operatur magnalia, et fideles impetrant varia cœlitus beneficia. Quam quidem sacram ædem quidam presbyter, nobili stirpe progenitus, nomine Tormordus, de cujus jure erat, dedit abbatiæ sancti Audoëni Rothomagensis; assensu Guilielmi Nothi ducis Normannorum, et Malgerii archiepiepiscopi Rothomagensis, et Rogerii de Mortuo mari illius vici toparchæ anno mxlviii. *Diplomata fundationis aliaque de hoc loco ibidem videri possunt. Porro jam sæpe laudatus Picardus de eodem monasterio et* S. Victoris *reliquiis illic honoratis hæc habet :* Anno mdcv cum illuc religionis ergo pervenissem, contemplatus sum annosas ædes, præclaras tamen hisce sacris Victoris nostri reliquiis, scilicet duorum brachiorum mentique ejusdem portionibus, insuper annulo buccinaque, cujus cuspidem ad surditatem tollendam plurimum facere testatur color genuinus ex creberrimo mutatus attactu. Eodem plane die, quam nos et Massilienses sancti Victoris agunt ἐπινίκιον, scilicet xxi Julii, eamdemque precationis usurpant formulam.

Flandriam,

15 *Nonnulla* S. Victoris *ossa in Belgium nostrum allata sunt, ut idem Picardus testatur his verbis :* Guilielmus Betunianus eques insignis parthenonem *(Mayerus in Annalibus Flandriæ lib.* 9 *ad annum Christi* 1271 *moniales hujus cœnobii* Victorinas *appellat, de quibus Sanderus in Flandria illustrata lib.* 3 *rerum Iprensium cap.* 2 *fusius agit)* excitavit in Belgio ad pontem Rorardi super Isaram in agro Furnensi. Sed hæreticus miles tam ferociter impieque locum vastavit patrum memoria, ut virgines sese receperint Ipras. Quamobrem Margareta de Mailly *(Sanderus eam de Maingni cognominat)* antistes prudentissima litteris supplicibus datis ad R P. et D. Dionysium de Coulemp, nostræ Canonicæ rectorem vigilantissimum, exoravit particulam brachii E
sanctissimi Victoris, earum nostrique patroni, quam lectissimus vir D. Dionysius Villerius Tornacensis canonicus et cancellarius detulit hoc anno : sacrilegus enim miles, ut præmonui, antiquas reliquias auro nudarat, nudatasque barbare temerarat. *Hæ postremæ reliquiæ, ni fallor, mihi anno* 1725 *a monialibus istis Victorinis, jam in urbe Iprensi commorantibus, ostensæ fuerunt. Rayssius in Hierogazophylacio Belgio pag.* 368 *asserit, sacras hujus Martyris reliquias a Minoritis Valencenensibus asservari.* Valentianenses *(nempe Minoritæ, de quibus agit, habent)* corpus sancti Victoris, *inquit,* qui Massiliæ in Gallia in persecutione Diocletiani et Maximiani martyrium consummavit, ex donatione Joannæ comitissæ Flandriæ et Hannoniæ, Ferdinandi Lusitani conjugis. *Opinor, Rayssium, homonymia deceptum, hic unum martyrem pro altero accepisse : Gonzaga enim Minister generalis Ordinis S. Francisci in opere, quod de ejusdem Ordinis origine ac progressu conscripsit, parte* 3 *agens de provincia S. Andreæ, in qua est Conventus Valencenensis pag.* 1067 *ita loquitur :* Anno Domini mccxxxiii supradicta F
Comitissa..... deferri fecit ad templum noviter consecratum corpus sancti martyris Victoris, pretiosissimo et ditissimo loculo inclusum. Fuit hic Christi martyr socius B. Mauritii ex legione Thebæorum, qui pro Christiana fide sub Maximiano imperatore in agro Sedunensi Galliæ occubuerunt. *Eadem habet Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1233 *num.* 43.

Brabantiam

16 *Moniales, quæ seculo* xiii *prope Antverpiam habitarunt, et nunc in illa urbe degentes vulgo* Victorinæ *appellantur, seculo elapso notabiles sancti Patroni sui reliquias ex Parisiensi* S. Victoris *cœnobio acceperunt. Sacras illas exuvias, quæ publicæ venerationi exponuntur, propius aspexi et veneratus sum, petiique authentica documenta, quibus earum fides probaretur. Prudentes autem virgines istæ præter alia instrumenta, solicite conservata, mihi consignarunt testimonium illustrissimi episcopi Antverpiensis, quod mihi sufficere videtur, et sic sonat :* Frater Ambrosius Capello, Dei et Apostolicæ sedis gratia episcopus Antverpiensis, omnibus

has

AUCTORE G. C.

has visuris salutem in Domino. Quoniam Sanctorum cum Christo regnantium relicta in terris corpora aliasque exuvias ecclesiarum esse ornamenta, urbium contra hostes visibiles et invisibiles præsidia, publicæ pietatis incitamenta, et recta ratione et innumeris experimentis et omnium seculorum sensu comprobatum est, propterea peculiari favore ac benevolentia eos complectimur, qui ejuscemodi sacrum thesaurum pie asservant ac colunt, vel aliunde in nostram important diœcesim. Quare cum venerabilis domina Roosen priorissa cœnobii vallis sanctæ Margaretæ in hac civitate nobis supplicasset, ut portiunculam capitis sancti Victoris martyris, ipsi donatam ab admodum R. D. Priore vicario regalis abbatiæ sancti Victoris Parisiensis inspicere et auctoritate nostra ordinaria approbare dignaremur : Nos, quantum in Domino possumus, respondere volentes pio devotionis affectui, thecam, cui includebatur, sigillis et inscriptione salvis existentibus, diligenter inspeximus, ac in ea reperimus particulam capitis sancti Victoris B martyris, quam dictus admodum R. D. Prior de consensu capituli miserat prædictæ dominæ Priorissæ Roosen, uti luculenter testabatur adjunctum legale veritatis, donationis, et traditionis instrumentum. Quibus visis et debite examinatis, uti et ex aliis desuper transmissis litteris cum constet, dictas reliquias veras et legales esse, eas et nos ut tales approbamus atque venerationi publicæ exponi posse præsentibus decernimus. In quorum fidem præsentibus subscripsimus, et sigillo nostro, ac secretarii nostri signatura communiri fecimus. Antverpiæ in palatio nostro episcopali die XVI Maii MDCLXVII. Frater Ambrosius Capello episcopus Antverpiensis. De mandato reverendissimi domini episcopi prædicti D. Van de Brul secretarius.

aliasque provincias pervenerunt,

17 *Aliqua ejusdem Martyris ossa antiquitus in comitatu Ruscinonensi exstitisse, colligo ex epistola Garsiæ monachi Cuxanensis, circa annum* 1040 *ad Olivam episcopum Ausonensem scripta, quæ apud illustrissimum Petrum de Marca in Limite Hispanico a col.* 1072 *refertur : in ea enim prædictus Garsias plurimas monasterii sui reliquias enu-* C *merans sic habet col.* 1076 : Sunt reliquiæ beati Victoris, qui apud Massiliam crudelissime cæsus ac suspensus et taureis cruciatus, et in molam pistoriam missus martyrium consummavit. *Non dubito, quin etiam in aliis locis mihi ignotis sacra Martyris nostri ossa honorentur. Inter illa tamen non numero Flaviobrigam, Cantabrorum urbem, vulgo dictam* Bermeo *vel juxta aliquos* Bilbao, *ad quam corpora SS. Victoris et Alexandri per maris undas enatasse, Tamayus hac die in Martyrologio Hispano fingit. Cum autem pseudo-Dextrum huic fabulæ non satis clare subscribere conspiceret, poetam Aulum Halum, quem semper ad quælibet confirmanda paratum habet, statim in auxilium advocat, et quosdam fictitios versus ex eo recitat. Neque contentus præcipuas horum Martyrum reliquias Hispaniæ falso attribuisse, eorum Acta corrumpit, tempus martyrii mutat, et omnia pro libitu suo perturbat. Nobis manifesta hujus Martyrologi commenta, toties alibi refutata, hic iterum operose refellere nec lubet nec vacat.*

18 *Potius ad primum omnium reliquiarum fontem Massiliam revertamur, ubi anno* 1363 *reliquiæ* S. Victoris *aliorumque visitatæ et recognitæ fuerunt, ut constat ex quodam instrumento, quod R. D. Fournier, in Massiliensi* S. Victoris *abbatia religiosus, anno* 1709 *ad Janningum nostrum misit, ex quo excerpsi sequentia :* Fuerunt repertæ infra dictum altare reliquiæ S. Victoris et sociorum ejus in magna quantitate, prout in instrumento super dicta inventione confecto continetur. Et quia videbatur, quod in reliquiis hujusmodi non essent ossamenta corporis S. Victoris et sociorum ejus, et in versibus dictæ capsulæ depictis et descriptis continebatur, quod corpus B. Victoris infra dictam capsulam erat. Ideo capsula fuit aperta, in qua fuerunt inventæ, ut præfertur, reliquiæ, quæ sequuntur cum suis albarellis seu cartellis. Et primo fuerunt reperta ossamenta corporum B. Victoris et sociorum ejus in magna quantitate, prout apparent, et sunt involuta in quatuor pannis seu saccis in dicta capsula repositis, et sunt etiam magnæ formæ, et residua ossamenta corporum dictorum sanctorum Victoris et sociorum ejus fuerunt reperta in dicto altari, dum diruebatur. *Deinde post enumeratas multorum aliorum Sanctorum reliquias sequuntur hi versus, qui lipsanothecæ inscripti sunt :*

D *et Massilienses reliquiæ anno 1363 recognitæ fuerunt.*

E

Serva thesaurum, qui gemmas vincit et aurum,
Corpora Sanctorum, pia capsula, custos eorum.
Corpus Victoris conservat pignus amoris.
Victor non victus, quia lætus pertulit ictus,
Cum Sanctis multis divino munere fultis
Cœlo lætatur, cœlestibus associatur.

Hæc de sacris exuviis dicta sufficiant, jamque diversa Sanctorum nostrorum Acta discutiamus.

§ III. Diversa horum Sanctorum Acta examinantur.

Acta a Bosqueto,

Illustrissimus Bosquetus fuit primus, ni fallor, qui duplicia horum Martyrum Acta typis vulgavit. Priora quidem et prolixiora, quæ stylo soluto conscripta sunt, historiis ecclesiæ Gallicanæ part. 2, *pag.* 127 *inseruit ; deinde sequuntur alia in fine mutila, et metro Leonino adstricta, quæ ex codice Ms. bibliothecæ Vaticanæ edidit. Antonius Beaugendre, monachus Benedictinus, eadem Acta metrica Marbodo Redonensi episcopo adscribit, et Parisiis anno* 1708 *ex duobus Mss. inter Opera illius col.* 1527 *edidit. Ruinartius, qui prosaïcam Bosqueti editionem, cum Mss. collatam, inter Acta Martyrum sincera Amstelodami iterum typis mandari jussit, in admonitione prævia pag.* 292 *de prioribus hisce Actis ita loquitur :* Hujus Martyris Acta in variis codicibus Mss. passim reperimus, sed in nonnullis quidem vitiata ; at in aliis sinceriora, quæ jam Franciscus Bosquetus, tum prætor Narbonensis, in probationibus ad librum quartum historiæ ecclesiasticæ Gallicanæ vulgaverat ; ex quo ea ipsa, sanatis ope codicum Mss. aliquot mendis, descripta proferimus. Hæc porro Acta etsi tantæ antiquitatis esse non videantur, ut ab auctore æquali, vel etiam fere æquali scri-

F

pta

pta dici possint; talia tamen viris eruditis visa sunt, quæ Joanni Cassiano, aut alicui ex illustribus viris, qui seculo quinto ineunte istis in partibus florebant, possint tribui. *Tillemontius in Monumentis ecclesiasticis tom.* 4, *pag.* 549 *eadem digna judicat, quæ S. Eucherio, vel S. Hilario Arelatensi, aut Cassiano aliisve illustribus illius ævi scriptoribus attribuantur. Alii ea adscribenda putant Honorato Massiliensi episcopo, qui circa finem seculi quinti floruit. At frustra de certo auctore conjecturam faciemus, cum Mss. hactenus reperta nomen illius non prodant.*

et Guesnayo

20 *Joannes Baptista Guesnayus noster in Annalibus Massiliensibus pag.* 131, *profert breviora eorumdem Martyrum Acta, quæ sese ex vetustissimis tabulis monasterii* S. Victoris *excerpsisse testatur. Tillemontius tom.* 4 *Monumentorum ecclesiast. pag.* 775 *in illis carpit quasdam levioris momenti circumstantias, quæ a longioribus Actis differunt. At illius scrupulis satisfacere conabimur, ubi prius ex Guesnayo oculis et judicio lectoris subjecerimus ea ipsa Acta, quæ sic habent:* Cum post Christi passionem sub Diocletiano et Maximiano, imperii eorum vigesimo anno, die octavo mensis Julii pene totum orbem crudelis vastaret persecutio, ad Massiliensem urbem totius Maximiani imperatoris adventura denuntiatur atrocitas. Tunc cum beatus Victor latere non posset, pervigili tandem indagatione inventus ad Asterium et Euticium præsides adducitur: qui cum se Christianum ingenue fateretur, et idolis sacrificare recusaret, in carcerem violenter detruditur, ubi cœlesti lumine circumfusus custodes suos Alexandrum, Fælicianum, Longinum et Deuterium ad fidem Christi convertit. Ex quo indignatus Maximianus jussit eum retortis brachiis loris subtilibus ligari, et pedibus fune constrictis per mediam trahi civitatem. Post illa vero supplicia revocatus ad judicem, ut sacrificaret: Non sacrifico dæmoniis, constanter ait. Cui blando sermone dixerunt judices: Victor, cum sis homo Romanis legibus serviens principum dignitatem debes amare. At ille: Ego creatorem Deum omnium timeo et diligo, qui verus et magnus est, quem ego etiam pro salute imperatorum deprecor, et sine intermissione oro; illi autem sacrificare debemus, qui omnium corpora defunctorum in die judicii reparabit in melius. Cui præsides: Ecce suspenderis in patibulo, et videbimus, quid tibi proderit animus iste tam pertinax. Ego, inquit, suspensus in patibulo ad veram religionem migrabo, ibique me suscipiet, qui pugnat pro me; vos autem cum idolis vestris perpetuis tenebris involuti apud inferos æterna morte torquebimini. Cumque diu suspensus fuisset in patibulo dicere cœpit: Domine, audi precem servi tui, ne permittas me discedere a te, a quo numquam defui* ex quo te cognovi, et quia creator meus es, esto et redemptor.

* *forte* defeci

typis excusa examinantur,

21 Tunc præsides sanctum Martyrem de suspendio deponi, et coram eo statuam Jovis, cui sacrificaret, exhiberi jubent; quam cum nec aspicere vellet, et eam de manu sacerdotis calce in terram dejecisset, Maximianus iratus pedem, quo calcem dederat, sancto Martyri præscindi jussit. Postea jussu ejusdem tyranni molæ pistoriæ suppositus et celeri vertigine saxi circumactus, collisis cervicibus cerebroque excusso, mirabile visu, conteritur. Sed dum aliquantulum palpitaret, una cum sociis, quos ad fidem converterat, capite truncatus est XII Kalendas Augusti. Tunc vox de cœlo audita est dicens: Vicisti, Victor beate, vicisti: eripui enim te a persequentibus et de profundo aquarum. *Displicet hic Tillemontio vigesimus imperii annus (id est Christi trecentesimus quartus) quem Acta ista et alia quædam Mss. martyrio eorum assignant; probabiliusque ipsi apparet, eos inter annum* 287 *et* 291 *passos esse. Sed cum Maximianus, ut ipsemet fatetur tom.* 4. *Monument. ecclesiast. pag.* 757 *mense Julio anni* 303 *vel* 304 *potuerit esse Massiliæ, non video, Acta illa ob hanc causam esse rejicienda, aut manifestæ falsitatis convinci. Neque velim tamen hunc determinatum martyrii annum operose tueri, cum Actorum antiquitatem et auctoritatem non satis cognoscam. Non placet etiam Tillemontio, quod in iis dicatur Maximianus* die octavo mensis Julii *Massiliam venisse. Ex hoc loquendi modo colligit, Acta illa esse recentiora. Attamen tomo* IV *Julii ad diem* XVII *ejusdem mensis pag.* 214 *in proconsularibus martyrum Scillitanorum Actis legimus, eos* mense Julio die septimo decimo *occisos esse. Nemo interim ob hanc expressionem Acta illa novitatis arguit; imo ipse Tillemontius tom.* 3 *operis proxime citati pag.* 638 *in iis antiquitatem et veritatem veneratur.*

AUCTORE G. C.

et quorumdam manuscriptorum.

22 *Habemus plura manu scripta ejusdem Passionis exemplaria, quæ multum inter se discrepant. Codex noster Fuldensis fol.* 10 *hunc præfert titulum rubris characteribus exaratum:* Incipit passio sancti Victoris Massiliensis episcopi mense Julio die XXI. *Deinde in toto contextu nulla fit mentio professionis militaris, quæ tamen in plerisque aliis Mss. illi tribuitur: nam in Ms. Isaaci Vossii, quod supra citavi, inducitur Asterius præfectus sic apud Maximianum imperatorem de* S. Victore *conquerens:* Hic Victor miles habet jam duos menses, quo annonam non vult accipere, et clamavit, se Christianum esse; denique et cum me jubente reclusus fuisset in carcere, de signis fugit occulte. Volo ergo scire, quomodo de signis recesserit custoditus a militibus: omni enim nocte, ut audio, egrediebatur. Si non esset maleficus, istud facere non valeret. Audiens hoc Maximianus dixit sancto Victori: Victor, cur consuetas annonas non accipis? Dicit ei sanctus Victor: Quia militare seculo nolo.... Maximianus dixit: Quomodo egrediebaris nocte de signis, qui militum custodia servabaris? Sanctus Victor respondit: Non latenter ego egrediebar, sed publice et aperta janua, non ad otium deambulandi, sed ad languentium visitationem, quod semper facere consuevi: Deus enim favens bono operi et cernens me præ impia custodia spatium non habere egrediendi, mittebat per singulas noctes angelum suum, qui januas, obseratas humana industria, sua præsentia aperiret, et vigilantibus custodibus egressum liberum et regrediendi facultatem donaret. *Hæc etiam leguntur in antiquo Breviario ecclesiæ cathedralis Massiliensis; at in pluribus aliis Mss. quæ nihilominus* S. Victorem *militem faciunt, nullum de tota hac historia fit verbum.*

fabulis

23 *Vix intelligo, quid significare velint præsides, quando in Mss. jam citatis* S. Victorem *ita alloquuntur:* Miserrime hominum, deciperes nos loquendo, si conditione tua nautam te forsitan nesciremus. *Quis hoc conciliet cum Actis post hunc*

Com-

AUCTORE G. C.

Commentarium edendis? ubi num. 4 *dicitur :* Sed quia vir clarus erat, judicatum a præfectis est, uti ejus causa ad Cæsaris audientiam referretur. *Neque hanc nauticæ conditionis exprobrationem magis declarat* S. Victoris *responsio, quæ sic habet :* Non solum nauta, sed etiam gubernator, adjuvante me Domino, fui. Unde qui creavit me, ipse modo gubernat, tuetur, et adjuvat, in quo spem posui, cui vota obtuli, et offerre non desino. *Memini me simile quid legere in Passione S. Phocæ episcopi et martyris Sinopensis, cujus Acta ad diem* XIV *Julii illustrare conatus sum, ubi in Commentario prævio* § IV *de nautica istius Sanctis professione conjecturam proposui, quæ utrum hic locum habere possit, judicent eruditi. In eodem codice Fuldensi additur in fine sequens commentum :* Maximianus vero diu jam languidus animo, corpore et virtute nudatus, et dæmonis jugi infestatione confectus, consummato Sanctorum martyrio, clamare Asterio præsidi cœpit ac dicere : Heu! incidor miser a sanctis Viris ac torqueor, quia ut video jam et nos excludimur a luce, quam tulimus; torquet pœna quam dedimus; majus est quod recipimus, quam intulisse probamur. Qui usque ad quartum diem tortus, die quinto a semetipso laqueatus, etiam omni putredinis squalore decoctus, vermibus bulliens in diro judicio vitæ suæ malum digna morte finivit; quod ejus cadaver etiam nobis, qui adhuc cernimus monumentum, aperta veritate declarat, id est ut gloriæ sit testimonium, qui probatur crudelitatis fuisse principium. *Codex Molsheimensis, et alia quædam Mss. hanc postremam fabellam etiam narrant. Confidenter appello hanc narrationem fabulosam, quia ab omni verosimilitudine est aliena et venerandis antiquitatis monumentis repugnat, ut jam paucis ostendam.*

B

detectis,

24 *Imprimis quis credat, tunc temporis Maximiano libuisse aut licuisse Christianos persequi, cum circa finem vitæ suæ in maximis angustiis versaretur? Quis credat,* S. Victorem *aliosve Christianos ejus jussu necatos fuisse anno Christi* 310, *quo Maximianus laqueo vitam finivit, postquam jam diu a Constantino ob rebellionem purpura et auctoritate privatus fuisset, ut fuse narrat Lactantius, scriptor synchronus, in libro de Mortibus persecutorum cap.* 28, 29 *et* 30. *Dum vero dicitur hic Maximianus* omni putredinis squalore decoctus, vermibus bulliens in diro judicio vitæ suæ malum digna morte finivisse, *manifesta confusio facta est cum Maximiano Galerio, de quo Lactantius cap.* 33, *operis jam citati id discrte affirmat. Quod autem additur de Maximiani cadavere, cujus testimonio prædicta narratio confirmatur, non satis convenit cum iis, quæ tradit chronicon Novaliciensis monasterii de corpore Maximiani, quod seculo* XI *Massiliæ inventum fuisse dicitur. Fragmentum hujus chronici apud Chesnium tom.* 3 *Script. Galliæ pag.* 641 *ita habet :* Circa igitur hæc tempora apud Maxiliam * civitatem sepulcrum ejusdem Maximiani, Christianorum ingentis persecutoris, inventum est. Nam sicut nobis retulerunt, qui interfuerunt, erat mirabiliter corpus ejus intus et extra unctionem balsami, et alia nonnulla genera odoramentorum oppido perfusum. Corpus quoque ejus totus integer * tetro pilo, caro candida, barba permaxima : ad caput vero ejus pocula erant auro aurizo * plena balsami. Ipse vero in locello plumbeo quiescebat in quodam labro ex marmore candidissimo, cum litteris aureis desuper scriptis. Nam consilio Rainbaldi *(apud Dionysium Sammarthanum in novissima Galliæ Christianæ editione tom.* 1, *col.* 553 *vocatur* Rajambaldus, *diciturque anno* 1031 *Arelatensem cathedram ascendisse)* archiepiscopi Arelatensis, et ceteris fidelibus actum est, ut in mari magno cum totis libris jactaretur. Nam diebus ac noctibus maris æquora ibi videntur semper ardere, ubi jactatum est corpus ejus. *Hujus historiæ fides sit penes auctorem; at saltem hæc cadaveris descriptio non convenit ei, qui in Mss. perperam legitur* putredinis squalore decoctus, et vermibus bulliens impiam animam exhalasse. *Quantum ad marmoreum Maximiani sepulcrum spectat, S. Ambrosius lib.* 7, *epist.* 57 *ad Theodosium imperatorem, in qua agit de Valentiniani Augusti sepultura curanda, Maximianum tali tumulo reconditum esse indicat his verbis :* Et hic porphyreticum labrum pulcherrimum, et in usus hujusmodi aptissimum : nam et Maximianus, Diocletiani socius, ita humatus est.

C

* lege Massiliam

* lege totum integrum

* lege obrizo.

D

Acta et miracula hic edenda recensentur.

25 *Cum igitur pleraque Mss. nostra contineant narrationes, aut parum verosimiles, aut manifeste falsas, iis recensendis supersedeo, et ex omnibus dumtaxat duo ad editionem eligo, quæ sinceriora videntur. Primum est brevius quoddam Ms. Ultrajectinum, quod paucis verbis complectitur ea, quæ in Actis, a Bosqueto et Ruinartio editis, fusius exponuntur. Alterum est Ms. quoddam Gallicum, a Chiffletio nostro transmissum, cujus habemus tria apographa, diversis locis exarata, quæ plane inter se conveniunt. Hoc autem ecgraphum Chiffletianum Actis Bosquetianis et Ruinartianis est admodum simile, si paucas levioris momenti discrepantias excipias, quas in margine annotabimus. Porro hæc Acta, ut supra ex Ruinartio monui, non sunt talia, ut ab auctore synchrono vel suppare scripta dici possint : nam longæ ratiocinationes aliique characteres satis innuunt, ea studio composita fuisse, quamvis prudens eorum scriptor intra verisimilitudinis limites se continuerit, nihilque contra antiquam historiam protulerit. Hinc fortasse dubium oriri posset, utrum breviora Acta non sint primigenia, et longioribus præferenda. Sed cum nesciamus, an hæc ex illis contracta, an vero illa ex his adornata sint, hujus rei judicium erudito lectori relinquimus; et jam ex Mss. prælo subdimus utraque Acta, post quæ ex Ms. Chiffletiano sequentur miracula, cum Ms. Parisiensi collata.*

E

F

ACTA BREVIORA

Auctore Anonymo.

Ex Ms. Ultrajectino.

S. Victor variis injuriis et tormentis affectus,

Sub Maximiano passus est in Urbe Massilia Victor miles. Cum enim illuc venisset Maximianus, peracta cæde sanctorum Thebeorum, decrevit ut omnes diis sacrificarent, aut exquisitis mortibus deperirent. Cum autem hujusmodi decreto animi Christianorum turbarentur, beatus Victor

A Victor in medium se ingerens statim apprehenditur, et præfectorum tribunalibus præsentatur, ubi cum fidem Christi constanti vultu et voce libera testaretur, protinus circumstantium clamor attollitur; et cum multas injurias ab omnibus tolerasset *a*, præfecti decreverunt, ut ejus causa ad audientiam Cæsaris deferretur. Qui statim ejus præsentiæ sistitur, et multis accusationibus undique impetitus, summis terroribus ad sacrificia perurgetur. At ille terrente robustior, Spiritu sancto repletus, imperatorem et preces ejus mira prudentia confutavit, evacuans idolorum cultus, et fidem Christi certa ratione confirmans. Tunc Cæsar in rabiem convertitur, et ad jussum ejus Martyr Dei funibus coartatus per totam urbem trahi præcipitur, ut ex ignominiosa ejus pœna [dii] vindicarentur, et Christianorum animi terrerentur. Tali ergo ludibrio spectantium oculis satiatis, iterum tribunalibus præsentatur, et de negando Christo et diis adorandis acrius iterum perurgetur. Sanctus autem Victor ad singulas eorum objectiones sapienter respondens, cunctos B oppressit quodam rationum pondere. Sed tamen ab incusatis * unum jubetur eligere, aut placare deos, aut infeliciter deperire. Si sic, inquit proponitis, quod verbis docuimus, et exemplis videbitis: Deos sperno, Christumque confiteor. Quæcumque potestis date supplicia, cumulate tormenta. Qui statim Asterii jussu patibulo affigitur, et torquetur: sed ibidem orans, apparente sibi Domino recreatur.

* *id est* incusantibus

conversis ad fidem tribus custodibus, martyrio coronatur.

2 Post hæc in carcerem mittitur; sed statim cœlesti lumine et angelica visitatione confortatur. Et dum exultans psalleret, tres milites Alexander, Longinus, et Felicianus eum custodientes, dum hoc viderent, ad pedes ejus procidunt, ac pœnitentes baptizari se petunt. Hoc audiens imperator milites quidem capitali sententia damnavit; Victorem vero, conversionis eorum auctorem, iterum suspensum, et fustibus et nervis taureis laceratum, ad carcerem revocavit. Peracto autem triduo, dum idem per omnia constans in fide reperiretur, in eum minæ, terrores, maledicta, et convitia denuo revocantur; et jussu Cæsaris coram Jovis ara componitur. Sed Vir C sanctus de ipsa sacerdotis manu statuam solotenus prostravit, et protinus eodem pede jussu Maximiani privatur. Ad ultimum vero corpus et animam Deo redditurus, edicto Cæsaris ad molendum * ducitur, et mox molæ suppositus, crudeliter conquassatur. Sed cum, dissipata paulo post divinitus machina, spirans aliquantulum videretur, amputato ei capite, mox, cœlica vox auditur: Vicisti, Victor beate, vicisti. Jussu autem Cæsaris eorum corpora marinis fluctibus immerguntur; sed ministrantibus angelis natatu celerrimo in littus oppositum transferuntur, ibique a Christianis decenter sepulta, multa petentibus pie beneficia largiuntur. Passus est beatus Victor octavo Idus Maii *b*, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre, et Spiritu sancto, honor et gloria in secula seculorum. Amen.

* *forte* molendinum

ANNOTATA.

a *Tillemontius tom.* 4 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 755 *judicat, ea, quæ hic dicuntur de populi furore erga Christianos, omnino conformia esse antiquis historiæ monumentis.*

b *Eo die Mediolani passus est alius miles, nomine Victor, cujus Acta illustrata sunt tomo* 2 *Maii a pag.* 286. *Forte ob hanc synonymiam facta est diei confusio: nam Martyrologia passim nostrum* Victorem *ad* XXI *Julii referunt.*

EX MS.

ACTA LONGIORA

Auctore anonymo.

Ex Ms. cujusdam bibliothecæ Gallicæ, quod Petrus Franciscus Chiffletius noster ad nos transmisit. E

CAPUT I.

Maximiani persecutio, sancti Victoris comprehensio, et post ignominiam illi illatam libera fidei Christianæ defensio.

Massiliam veniente Maximiano,

Massilia civitas ampla, quondam mirabili structura sua, firmitate simul et pulchritudine gloriosa, in optimo terræ solo, in capite Galliarum sita, terra marique omnium fere gentium commerciis patens, immensa divitiarum opulentia, et frequentibus populorum turbis armorumque terroribus inclyta fuit: unde et Romanæ potentiæ meruit esse in occiduis partibus quædam quasi propria sedes. Quare et Romanorum numinum, imo Romanorum dæmonum, studiosa F cultrix, et sacrilegarum superstitionum acerrima et ferocissima defensatrix habebatur. Quas ob res superba nimis et pessima tanta crudelitate in Christianorum supplicia Sanctorumque neces, velut totius humanitatis immemor, raptabatur, ut collectos undique circa se piorum greges, ad adventum maxime imperatorum, instar luporum raperet; sed nec ipsis civibus parcens, quoscumque Christiani nominis invenisset, absque ulla miseratione ætatis aut sexus, quasi ad triumphum suorum dæmonum, variis ludibriis affectos, et irrecitabilibus tormentorum generibus excruciatos, vilius quam pecudes trucidaret. Inter quas sanctorum martyrum gemmas Victor sanctissimus, velut ceteris stella fulgentior, gloriosus claruit, vel quod esset nobilior, vel quod in religione nostra instructior, ferventior atque famosior; vel quod de ipsa ceteris pessimis immaniore et truculentiore bestia, Maximiano videlicet imperatore, cum ipso cominus pugnans, insigniter et digne suo nomine triumphavit.

2 Maximianus enim cum pro Sanctorum sanguine

EX MS. *et Christianos persequente,* * *Ruinartii editio* aliis * *Ruinartius omittit* beatorum * *Ruinartii editio* illuc

guine, quem per totum orbem crudelius ceteris * maximeque per totas Gallias recentius fuderat, et præcipue pro famosissima illa beatorum * Thebeorum *a* apud Agaunum *b* cæde, nostrorum plurimis nimis terribilis factus, Massiliam advenisset, ut secundum Scripturam impius adhuc impie ageret *c*; cuncta illic * crimina sua cum vita nequissima completurus, ne quid sibi deesset scelerum, pietati protinus insatiabilis tortor, velut parum hactenus fecisset, tota rabie bellum indicit, Christicolasque, nisi sacrificent idolis, exquisitis mortibus deperire jubet : tum vero tanta malorum nube oppressis perturbatisque nostrorum animis, invincibilis sese in medium Victor opposuit singulis noctibus sanctorum castra solicite circumiens, et per domos singulas ad amorem æternæ vitæ, et contemptum transitoriæ mortis servorum Dei corda confortando succendens.

comprehenditur S. Victor miles,

3 Talibus insistens, felix hostia mox futurus, deprehenditur, ac præfectorum tribunalibus præsentatur. Præfecti primum suadent clementius

B

Viro, ne deorum culturam sperneret, nec consucta militiæ stipendia et Cæsaris amicitias pro cultu cujusdam olim mortui recusaret. Ille statim, sancti Spiritus armatus eloquio, deos, quos dicebant, immundissimos dæmones efficacissime comprobat; militaria vero stipendia, et imperatoris amicitias, se Christi militem in contumeliam Regis sui nullatenus habere velle respondit. Dominum autem nostrum Jesum Christum, altissimi Dei Filium, pro caritate restaurationis humanæ, vere quidem hominem fuisse mortalem, et ab impiis, se volente, occisum, sed divinæ suæ virtutis potentia die tertia suscitatum, cœlos ascendisse, et a Deo Patre regnum super omnia stabile suscepisse, vultu constanti, ac liberæ vocis plena auctoritate protestatur. Nec mora; circumstantium clamor ingens in cœlum attollitur, pius Domini confessor ab omnibus injuriatur : sed quia vir clarus erat, judicatum a præfectis est, uti ejus causa ad Cæsaris audientiam referretur. Quo facto, ille efferato animo subito conversus in furias, dilationis impatiens, jubet Athletam sanctum suis tribunalibus præsentari.

C

qui ob fidei confessionem ignominiose per urbem raptatus,

4 Beatissimus igitur Victor coram tribunali furentis imperatoris statuitur, multisque undique accusationibus impetitus, omni calliditate summisque terroribus ad sacrificia iterum dæmonum perurgetur. Martyr vero ex audito terrore robustior, velut qui gehennas levi commercio vinceret, nec auferri de terra veritus, qui municipatum cœlestis curiæ jam sentiret, de promptuario sancti Spiritus recreatus, imperatorem sævissimum, cunctosque principes ejus mira prudentia et virtute animi confutavit, idolorum cultus assertionibus claris evacuans, Jesum Dominum * verum Deum esse certa publice ratione confirmans. Tunc impiissimus cæsar, omni fera crudelior, omni dracone malignior, diabolica face succensus, in rabiem vertitur, sanctumque Martyrem funibus coarctatum per totam urbem præcipit volutari; ut ex ignominiosa Viri pœna, et deorum suorum vindicaret injurias, et nostrorum simul animos territaret. Data sententia, conclamat exercitus, insanientis populi undique ad spectaculum multitudines ruunt; dumque per totam civitatem brachiis pedibusque ligatis Christi

* *editores* Christum

Athleta pertrahitur, impiis manibus, vel maledico saltem ore, prout quisque poterat, cruciatus adaugent, ita ut pro reatu non minimo sibi duceret, qui ad ejus injurias non aliquid adjecisset. D

iterum ad deorum cultum invitatur;

5 Tali ergo ludibrio cum satis superque vulgi nefandissimi oculos satiasset, ad tribunalia præfectorum sanctissimus iterum Victor laceratus, cruentusque reducitur; de negando Christo et diis adorandis acrius itidem peroratur : putantes enim pœna et contumeliis populique tumultibus fessum animo decidisse, nec jam de superfluo locuturum, qui sibi potius consulendum esse crudeli experimento didicisset, de injuriis Cæsaris ac totius reipublicæ graviter conqueruntur. Tum deinde supremæ dementiæ, nihilque esse infelicius asserunt, quam omnium deorum, et invictissimorum principum amicissima familiaritate posthabita, cuncta mundi oblectamenta, et gloriam et honorem, ipsam quoque dulcissimam salutem corporis, pro eo quod numquam viderit, perdere; cunctorum iras deorum hominumque in se gratuito provocare : cum omnium dolore carorum persumma tormenta ad interitum festinare. Proinde vel jam experto rationem sanioris eligendam esse consilii, nec contemnendos esse deos, quorum manifesta majestas fulgeret in templis, quorum beneficia sentirentur a cunctis, quos et veneranda antiquitas adorasset, summi principes colerent : quibus propitiis, cuncta lætarentur; quibus adversis, durare mundus nec ipse valeret. Illi sane quantocius renuntiandum, qui et vivendo semper pauperrimus fuerit, et quam esset impotens moriendo demonstraverit : id si faceret, futurum ut et imminentia supplicia lucraretur, et de intima Cæsaris amicitia summisque honoribus ipsis posset intervenientibus gratulari : quæ si respueret, ad illam, quam nemo umquam vidisset, Christi sui gloriam, non aliter quam ipsius exemplo per summa tormenta et contumelias, totius opprobrium et abjectio populi factus, esset illico transiturus. E

sed ille multis rationibus,

6 Cum Martyr de primo jam impetu plene victor, et sancti Spiritus factus oraculum, imperterrito et infatigabili animo, Deo confortante, persistens, ad hunc modum concionatus ait : Si de injuriis Cæsaris et reipublicæ agitur, numquam, inquit, Cæsari, numquam reipublicæ nocui, non honori imperii quidquam detraxi, non ab ejus me propugnatione retraxi. Quotidie pro salute Cæsaris, et totius imperii studiose sacrifico : Quotidie pro statu reipublicæ coram Deo spiritales hostias macto. Dementissimum autem non ab re videri omnibus existimo, si quis unum aliquid ita diligat, ut non id pro centuplo meliore postponat. Quid vero si illud unum nec prout cupias habere, nec si habeas, sine metu gaudere, nec cum maxime solicitus sis, valeas retinere; illud vero centuplum, mox ut volueris, præ manibus habeas, cum tenueris, securus gaudeas, quod nullo jam fine, nullo sui tuive defectu, nullius deinceps violentia perdas : proinde sanioris ratione consilii, omniumque judicio sapientium familiaritas principum, mundi oblectatio, gloriæ, honores, salus corporis, cara cognatio, et hujuscemodi cetera, ipsa denique temporalis vita, quæ nec pro voto acquiri, nec secure haberi, nec vel longiuscule teneri, omnibus plane notissimum est, æternæ vitæ ineffabilibus et stabilibus F

A bilibus gaudiis, summique omnium auctoris amplexibus postponenda sunt. Quem cum amaveris, habeas; cum habueris, cuncta pariter cum illo possideas; nec te doleas hæc ipsa, quæ deserueras, momentanee reliquisse, quæ commutatione levissima incomparabiliter meliora in æternum gaudeas recepisse. Non autem tormenta, sed refrigeramenta recte dici, quæ cruciatus æternos exstinguunt; nec mortem, sed salubre poculum reputari, per quam ad talem vitam transitus procuratur.

impia deorum scelera revelans,

7 Illo sane nihil insanius, nihil omnium, conscientia teste, vecordius, qui hoc tanto bono sine causa posthabito, manifestum vitæ suæ hostem, studiose ut deum, colat. Unde et post vitam nihil aliud quam mortis æternæ mercedem, et inexplicabiles sine termino cruciatus acquirat. Quis enim vitæ humanæ truculentior hostis appareat, quam qui agenda docet, proprioque exemplo suadet, quæ et extrema sunt agentis opprobria, et justissimis legibus capitaliter puniuntur? Nonne autem agenda docentur, quæ publice recitari,
B quæ laudando cantari jubentur? Tales quippe, tales sunt dii vestri maximi, quibus præcipientibus, horrenda sua scelera non solum recitantur, sed et visibiliter effinguntur, in theatris cantantur, et summis laudibus celebrantur in templis. Cui enim vestrum nescire licet funestas rapinas, et quantum in se fuit, nefanda parricidia summi Jovis? Cui innumera ejus stupra, et adulteria furtiva et publica, fraudulenta et violenta ignorare permissum est? Numquid reginæ deorum sororisque Jovis maligna crudelitas, et fraterna secum incesta latuerunt? Nonne palam sunt Martis implacabilis ferocitas, et obscœnissimi Priapi, nec non fœdissimæ Veneris turpitudo? Quid deas
d e febres *d* deosque pallores *e*, et hujuscemodi deorum referam greges, quos ipsi vos deos malignos, et salutis inimicos humanæ prædicatis? Pudet
f g memorare deos stercutios *f*, et deas cloacinas *g*, et mille talium portenta deorum, qui tanto dedecore miseros suos cultores afficiunt, ut venerari cloacas, et stercora (deorum scilicet talium templa) compellantur.

C

et insanum eorum cultum explodens,

8 Patet igitur quam truculentissimi et ultra omnes inimicos immanissimi hostes sint hominum isti dii vestri magni, quorum lignea vel lapidea, vel ærea majestas, a vobis facta et stabilita, a muribus seu avibus stercoratur in templis: quorum prædicta maleficia, nulla vero beneficia sentiuntur a suis: quos venerata vestra misera antiquitas periit; quos utinam vestri principes tollendo felicius viverent, quibus propitiis, cuncti, quibus propitii sunt, jubentur a justissimis legibus capitaliter plecti, quibus adversis, per mundum innocentia, honestas et justitia reflorescit. Non enim illi propitiari nisi similibus possunt, dissimilibus enim nequeunt, quia nulla contraria sibi invicem convenire possunt. Similes vero illorum et justissima lex (ut diximus) cum pessima nota de medio exterminat, et ipsa æquitas nihil illis post vitam aliud nisi mortis æternæ supplicia servat. Beatitudinem quippe flagitiosis nemo vel insanus concedit. Restat ergo, quidquid post hanc vitam talibus retribuitur, id esse, ut quoniam numquam beati sunt, sempiterna miseria moriantur. Quoniam ergo dii vestri dissimilibus quidem adversi, similibus autem semper mortaliter sunt inimici, ratione firmissima constat, quod eos nemo colere debeat, quorum et cultura viventes semper turpissimos, et retributio, sive in hac vita, sive post hanc vitam, facit miserrimos; quos nec aliquatenus deceat formidari, cum sola sit eorum propitiatio metuenda.

EX MS.

Christi fidem constanter defendit,

* editores adorare

9 Illum sane quanta caritate, quanta veneratione dignum est adorari * qui cum inimici essemus, prior nos dilexit, qui et deorum turpium nobis fraudes aperuit, et ut nos ab illis eriperet; non suam minuens deitatem, sed nostram vestiens humanitatem inter nos Deus permanens, homo factus apparuit; ut pauperrimos ditaret, nostræ se paupertati, cum ditissimus esset pauperrimus veniens configuravit: cujus illa humana conversatio nobis est omnis virtutis et honestatis exemplum. Cujus indebita mors debitam nostram abolevit in æternum, et dum isti dii, imo pessimi dæmones, illum innocentem nostra infirmitate velatum injuste expetunt, quos a se deceptos captivaverant, juste perdiderunt. O quam dives illa, quam objicis *, paupertas, qua quando sibi placuit solo jussu piscibus implevit naviculas, quinque millia * satiavit turbas! O quam fortis infirmitas quæ omnes suorum infirmitates sanavit! O quam vivifica mors, quæ tot mortuos suscitavit! Quæ ne forte minus vera esse aliquatenus æstimetis, aspicite ab initio prædicta, innumerabilibus miraculis totius creaturæ attestatione firmata. O si intente videretis, quantus iste sit, cui totus est obediens mundus; qualis sit qui est desiderabilis totus, in quo nihil vituperabile, in quo totum laudabile, cujus caritas omnes recipit, cujus judicium nullus evadit! Quid ejus vita sanctius, quid doctrina rectius, quid promissis utilius, quid minis terribilius? Quid ejus tutius patronatu, quid laudabilius amicitia, quid jucundius gloria?

E

* editores objicitis

* editores millium hominum

et ethnicos ad eam amplectendam hortatur.

10 Quis deorum huic similis, quis huic comparabilis? Omnes enim dii gentium dæmonia, Deus autem noster cœlos fecit, et ideo illi cum suis cultoribus æternis incendiis damnati sunt, atque damnandi, sicut scriptum in sancto Propheta: Dii, qui cœlum et terram non fecerunt, pereant de sub cœlo. Et in alio: Confundantur omnes, qui adorant sculptilia. Et iterum: In ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent. De isto autem sanctus Propheta dixit: Deus noster præ omnibus diis, omnia quæcumque voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis; unde et eodem propheta testante *: Beati omnes, qui timent eum *, qui ambulant in viis ejus: Regis enim sui gloria fideles milites non carebunt; propter quod secure pro ejus testimonio mortem nos ultro suscipimus, et quam certa sit nostra spes, passionis exemplo monstramus. Quocirca, viri illustrissimi, viri doctissimi, mentis compotes, et ratione vigentes, semoto, quæso, paulisper odio et contentione, justo examine vim utriusque partis attendite, ne turpissimis et inimicissimis dæmonibus, damnatis atque damnandis *, ulterius vosmetipsos tradatis; neu divinæ similitudinis honorem, quæ in vobis est, eorum obscurissimæ turpitudini substernatis, ut eorum damna-

F

* editores teste

* editores Dominum

* editores damnantibus

EX MS.

damnationem evadere valeatis. Obedite autem sanctissimo, pulcherrimo, justissimo, clementissimo, omnipotenti Creatori, et amico vestro; cujus vos humilitas, si ei acquiescitis, sublimabit, paupertas ditabit, mors vivificabit, cujus vos nunc advocant saluberrima monita, invitant præmia; ut in æterna ipsius gloria paulo post suscipi, et in ejus semper amicitia valeatis gratulari.

ANNOTATA.

a *Baronius cædem martyrum Thebæorum anno* 297 *consignandam existimat; alii vero eam ad annum* 286 *revocant. Poterit hæc controversia chronologica operosius discuti ad diem* XXII *Septembris, quando eorum memoria in Martyrologiis celebratur.*

b *Locus ille, in diœcesi Sedunensi situs, adhuc celebris est ob tot martyrum memoriam, et ob extructum ibi insigne monasterium, quod hactenus perseverat, sub S. Mauritii nomine notissimum.*

B c *Auctor hic alludit ad illum Apocalypsis cap.* 22, ℣ 11 : Qui nocet, noceat adhuc, *etc.*

d *Cicero lib.* 3 *de Natura Deorum refert, fanum Febri fuisse erectum in palatio. Vide de eadem insania Valerium Maximum lib.* 2, *cap.* 5, *et Lactantium de falsa religione lib.* 1, *cap.* 20.

e *Livius lib.* 1, *cap.* 27 *ait :* Tullus in re trepida vovit Pallori ac Pavori fana. *Unde Lactantius loco proxime citato ethnicos ita ridet :* Pavorem Palloremque Tullus Hostilius figuravit et coluit. Quid de hoc dicam, nisi dignum fuisse, qui semper deos suos, sicut optari solet, præsentes haberet.

f *Suspicor, deum Stercutium esse eumdem, qui a Lactantio circa finem capitis* 20 *vocatur Sterculus, et de quo ibidem ita loquitur :* Et Sterculus, qui stercorandi agri rationem primus induxit.

g *Lactantius eodem libro* 1 *de falsa religione cap.* 20 *hanc fœdam divinitatem ita explodit :* Cloacinæ simulacrum, in cloaca maxima repertum, Tatius consecravit ; et quia cujus esset effigies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit. *Alia*

C *deorum dearumve nomina non explico, quia passim nota sunt.*

CAPUT II.

Constantia S. Victoris in tormentis, trium militum conversio, felix eorum mors, ac S. Victoris post varia supplicia martyrium.

Dum S. Victor in tormentis divina consolatione recreatur,

Cumque perorasset Martyr, impiissimi præsides, rationum pondere oppressi : Adhuc inquiunt (Victor) philosophari non desinis? Unum tibi elige aut placare deos, aut cum summa infelicitate deperire. Si sic, inquit, proponitis, quod docuimus verbis, exemplo firmandum est; Deos sperno, fateor Christum. Quæcumque potestis, date supplicia, cumulate tormenta. Exacerbati ergo responsis cjus præfati sacrilegi, dum in laniando eo alter alterum crudelitate vincere nititur, in se primitus versi, orta rixa, dissentiunt : D pro qua recedente Euticio, optatæ sortes excruciandi Martyris alteri cedunt. Tunc Asterius (sic enim dicebatur) Christi Militem patibulo * mox jubet affigi : quo facto cum diutius accerrime torqueretur, attollens Sanctus, in cœlum lumina piam tolerantiam a misericordissimo patre Deo, cujus id esse donum noverat, precabatur : nec jam ultra ferens clementissimus Jesus certatori suo insigne certaminis, victoriæque signum, crucem videlicet in manibus gestans, in specie consolantis apparuit dicens : Pax tibi, Victor noster : Ego sum, inquit, Jesus, qui in Sanctis meis injurias et tormenta sustineo. Viriliter age, et esto robustus : ego enim tecum sum fortis adjutor in prælio, qui et fidelis post pugnam * et victoriam remunerator in regno. Ad Salvatoris vocem protinus omnis dolor cunctaque irrita cessere tormenta. Tunc ille mente vultuque alacri conversus ad laudes, immensas visitatori, ac consolatori suo toto spiritu gratias referebat. E

* *in editis omittitur* patibulo *et* sanctus

* *in editis omittitur* pugnam

et in obscurum carcerem detruditur : viso cœlesti lumine, tres ejus custodes ad fidem convertuntur,

12 Lictores autem sævi cum jam lassi deficerent, nihil autem se profecisse, tripudiante Martyre, cernerent, depositum patibulo jussu nefandissimi præsidis sub custodia militum in obscurissimum omnium carcerem trudunt. Et ecce benignissimus Jesus, sponsionis suæ non immemor, noctis medio Militi suo visitationem angelicam mittit. Continuo igitur solutis carceris claustris, depulsa nocte, totum carcerem die clarior lux cœlestis irradiat. Exultans Martyr laudes Domino cum angelis leniter se demulcentibus cantat. Milites ergo claritatem tanti cernentes fulgoris, ad pedes Sancti cernui procidunt, veniam flagitant, baptisma petunt : quos pro tempore diligenter instructos, ascitis sacerdotibus, ipsa nocte ad mare duxit, ibique baptizatos propriis manibus de fonte levavit. Mane autem facto, sanctorum militum Alexandri, Longini, Feliciani *a* (sic enim eorum nomina dicebantur) divulgata conversione, magnus ille draco Maximianus furore succenditur, feralia edicta proponuntur : hæc omnia in Victorem (quippe qui auctor fuisset) durius retorqueri, milites vero F debere aut consentire idolis, aut capitali sententia condemnari.

qui ab illo excitati,

13 Tunc beatus Victor novos Christi milites præmissurus ad prælia, hujuscemodi oratione præmunivit, dicens : O fortissimi commilitones, o gloriosi certaminis antesignani, nunc opus est animis, nunc opus est tota fortitudine; fidem quam nunc imperatori vestro * promisistis, viriliter custodite. Imminet enim hostis, adest pugna : vult enim hostis * tirocinia vestra repentinus aggredi, ut si incautos invenerit, palmam victoriæ se quodammodo subripuisse glorietur ; vos autem, carissimi, non ita negligenter instructi estis, non ita parum Christum didicistis, vos quoque non ignoratis præmia, nec perdidistis militiam, sed mutastis; experiatur igitur rex vester * quos elegit, quibus aciem primam felicis pugnæ commisit : experiantur et inimici, quos impetant, nec vos degeneres in aliquo sentiant, de quibus tam bene vester imperator sensit, ut recentissimis tironibus rerum summam committeret,

* *editores* nostro

* *editores* nova

* *editores* noster

A teret, et primos belli eventus nostræ * fortitudini commendaret : nec vos terreant bella, qui semper bella didicistis, nec vos avocent peritura, qui jam præ manibus æterna videtis. Superest vobis illa fortiter rapere, superest vobis per medias acies ad illa transire, quæ si paulo vobis interim asperiora videntur, ipsum Regem nostrum, jamjam per talia transisse cognoscite. Ipsum non alium dicentem audite : In mundo pressuram habebitis ; sed confidite, ego vici mundum ; ipsum, inquam, fiducialiter mente et voce contra omnia dura invocate.

* *editores* vestræ

ad constantem Christi confessionem,

14 Non vobis fideliter invocantibus deerit, qui suis omnibus veraciter promisit dicens : Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Denique hujus rei me ipsum vobis exemplum fidele propono. Dum enim appensus patibulo intolerabilibus cruciarer angustiis, misericordem Dominum supplicibus lacrymis invocavi ; et ecce protinus illum video gloriosum redemptionis nostræ signum in manu ferentem, et dicentem mihi : Pax tibi, Victor, ne timeas ; ego B enim sum Jesus, qui in Sanctis meis injurias et tormenta sustineo : ad cujus vocem tanta mihi statim virtus infusa est, ut nulla deinceps * supplicia reputarem. Quapropter, carissimi, virtutis vestræ memores, in auctorem omnium Jesum Dominum, et qua ille transierit, quo pervenerit, aspicientes, ne timeatis minas volaticas mortalium hominum, quibus promissa jam præ manibus est immortalium societas angelorum ; et momentanea ferte supplicia, ut triumphaliter superare possitis æterna ; et qui ante hac malebatis mori, quam vinci, perpetuo perituri, nunc patimini, oro vos, vincere *, in æternum postmodum regnaturi.

* *editores hic addunt* penitus

* *an* vinci?

ante illum gladio feriuntur.

15 Talibus armatos, unaque Victorem sanctum, missi apparitores ad forum superius rapiunt. Quibus auditis, certatim ad spectaculum tota pene civitas ruit : alios furibunda mentis insania pertrahebat, alii meliore jam spiritu cupiebant videre sanctum Martyrem cum diabolo dimicantem. Vulgi concurrentis undique confusio personat : tumultu et clamore omnia replentur ; C in sanctum Martyrem maledicta et convitia undique jaciuntur ; at ille contra omnia illata robustior permanens, cum ab impiis cogeretur, ut vel milites, quos averterat, ad cultus deorum revocaret : Quæ ipse, inquit, ædificavi, destruere mihi non licet. Interrogati ergo milites sancti, Alexander, Felicianus, atque Longinus, in confessione Domini fideliter perseverant, moxque ex imperiali jussu gladio feriuntur, corporaque projicientes temporalia, vita potiuntur æterna.

Postea S. Victor iterum frustra ad Jovis cultum impellitur,

16 Sacratissimus autem Victor cernens Sanctos milites neci datos, lacrymabili voce Dominum precabatur, ut illorum socius esse martyrii pariter et gloriæ mereretur ; quorum post Deum credulitatis et confessionis auctor exstitisset. Statim igitur gloriosus Martyr, conclamantibus turbis, undique tunditur, iterumque suspensus, fustibus, nervisque taureis atrocissime cruciatur ; inde, victis tortoribus, revocatur ad carcerem, ubi triduo *b* in oratione perseverans, martyrium suum magna contritione cordis et multis lacrymis Domino commendabat. Denique funestus Cæsar, audita constantia Martyris, velut ad ultimum tortor insanior reservatus, suis eum adspectibus imperat sisti. Tunc interrogatione facta, Martyr perseverantissimus, idem qui fuerat in confessione Domini per omnia reperitur. Tum vero quasi de novo furor et rabies in Christi Militem debacchantur ; tum minæ, terroresque, maledicta, et convitia denuo renovantur. Interea Maximianus Jovis aram jubet afferri : mox igitur coram ipso ara componitur, sacrilegus quoque sacerdos paratus assistit. Tunc imperator ad sanctum Victorem : Pone, inquit, thura, placa Jovem ; et noster amicus esto. Hoc audito, fortissimus Christi Miles, sancti Spiritus ardore inflammatus, seseque amplius ita ferre non sustinens, velut litaturus, propius accedit, aramque de ipsa manu sacerdotis solo tenus pede prostravit, atque ipsum pedem jussu mox detestabilis Cæsaris amputatum, Deo et regi suo Domino Jesu Christo, velut quasdam suaveolentes primitias interim sui corporis dedicavit.

b

EX MS.

ac tandem sub mola contritus capite truncatur,

17 Ad ultimum vero jam tum corpus et animam Domino redditurus, edicto Cæsaris ad molam pistoriam ducitur. Ibat autem ita celer et hilaris, acsi nihil penitus passus incommodi videretur. E Igitur cruentissimi et execrabilis tyranni jussa complentes lictores sævi gloriosum Martyrem, toto mox corpore, rotatu celeri conterendum, pistoriæ molæ supponunt ; tunc electum Dei frumentum sine miseratione conteritur, tunc invictissimi Martyris ossa felicia crudeliter conquassantur : sed cum, dissipata paulo post divinitus machina, spirans adhuc aliquantulum videretur, ad perfectam ejus plenamque victoriam, tot Domino confessionibus dedicatum, tot et tantis agonibus decoratum, gladio illi caput abscindunt. Quo facto mox desuper vox cœlestis intonuit dicens : Vicisti, Victor beate, vicisti.

ejusque corpus cum aliis in mare dejectum prodigiose eripitur et honorifice sepelitur.

18 At infelix Maximianus, speciale dæmonum templum, a quibus hactenus fuerat superatus, sperans se vincere vel defunctos, ad cumulandas Martyrum glorias, omni humanitate sepulturæ prohibita, eorum corpora in profundo maris brachio, quo a meridiano latere civitas cingitur, a piscibus devoranda submergi facit. Sed pius Dominus meliori consilio et honori Sanctorum, et posterorum patrociniis providens, ministrantibus angelis, natatu celerrimo sancta corpora F in oppositum littus illæsa transponit ; ibique a Christianis in crypta, nativo in saxo operose ac decenter excisa, sepulta multis usque in hunc diem miraculis honorantur, multaque beneficia pie petentibus, ipsorum meritis, conferuntur. Per Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, cui sit laus æterna, virtus, honor, et imperium cum Deo Patre et Spiritu sancto per infinita secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Vides, hic dumtaxat tres milites nominari, nullamque fieri mentionem* Deutherii *vel* Eleutherii *de quo sat fuse disputavimus in Commentario prævio* § 1.

b *Hinc patet, milites a* S. Victore *conversos, triduo ante ejus martyrium passos esse. Nihilominus*

Lectiones

EX MS. *Lectiones Massilienses post officium S. Lazari, anno 1633 impressum, eodem die omnes laurea martyrii coronatos fuisse indicant his verbis :* Sed dum aliquantulum *(nempe* S. Victor *mola contritus)* palpitaret, una cum sociis, quos ad fidem converterat, capite truncatus est duodecimo Kalendas Augusti.

MIRACULA

AUCTORE ANONYMO.

Ex eodem Ms. Chiffletiano, quod contulimus cum Ms. altero, quod ex Parisiensi S. Victoris archivo descriptum est.

B

CAPUT I.

Præfatio, blasphemi punitio, dæmoniacorum, cæcorum, contractorum, aliorumque ægrotantium sanatio.

Auctor pauca præfatus Miracula, quæ Dominus Jesus Christus ad declarandum gloriosum martyris sui Victoris meritum, post venerabilem ipsius triumphum operari dignatus est, ad laudem ejusdem Domini Jesu, de cujus munere sunt, enarrare et scribere honorificum est : neque enim infructuoso silentio sunt tegenda, quæ et dicta et scripta multis possunt esse utilia. Verumtamen parvulus sensus meus ad hæc scribenda nullatenus ex se solo præsumeret, nisi ad hæc obedientia injuncta me cogeret; sed plerumque vera obedientia nequaquam de sua, sed de Dei virtute præsumens, supra vires assumit negotium, confidens in id, C quod imperitia denegat, divinum adesse auxi- *a* lium. Tu itaque, pater carissime *a*, qui imperas, ora, inquam, ut Spiritus sanctus cordi meo adveniens lucem suæ veritatis infundat, et os meum ad id, quod jubes, digne pronuntiandum aperiat.

narrat, quomodo blasphemus fuerit punitus, b 2 Die Dominica, illa scilicet quæ dicitur Ramis palmarum *b*, cum populus ad ecclesiam beati Andreæ apostoli ob flores benedicendos (sicut ea die fieri solet) cum processione exiret, et sancti Victoris caput cum magna veneratione et devotione in lignea theca deferret, quidam custos ecclesiæ, perfidiæ et blasphemiæ spiritu nequiter incitatus, cœpit tandem in populum invidiæ suæ virus effundere, et eorum devotionem irridendo velle dissolvere : superstitiosum enim esse dicebat, ligno inutili et vacuo quidem, sed signato, tantum honorem ab hominibus exhiberi; nihil inibi, quod veneratione dignum esset, haberi. Mox derisorem Militis sui ultio divina percussit, unumque ex oculis illius eruens, os quoque blasphemum ad aurem usque detorsit, sicque dolore cogente, confiteri miser et venerari [debuit] præsentem, quem prius, suadente perfidia, subsannando dixerat fuisse absentem. D

ac dein ope S. Victoris liberatus. 3 Sed mox ad precem conversus veniam postulat, affirmans, multumque contestans, quia si sanitatem pia Martyris interventione reciperet, procul dubio in posterum toto vitæ suæ tempore erga cultum ejus supplex ac devotus existeret. Rogavit, obsecravit, nec tamen tunc aliquid impetravit ; sicque per totum annum in eadem vexatione ac deformatione permansit. Emenso demum anni spatio, prædicta die Dominica recurrente, cum populus more solito ad ecclesiam supradicti Apostoli cum deportatione reliquiarum procederet, tum ille, cui sua vexatio intellectum jam dederat, clamare cœpit ac dicere : O beatissime Victor, parce mihi misero, parce, et pro tua pietate peccati mei impietatem remitte; oculum obcæcatum illumina, et os deformatum reforma ; satis dederim huc usque pœnarum : audeo enim et confidenter affirmo, quia amodo tuus ero, si per te sanitatem amissam recepero. Statim miseratio divina supplicanti affuit, quæ confitentem et pœnitentem pristinæ sanitati restituit : qui pro sanitate recepta gra- E tias agens, ac de cetero, ne quid inepte proferret, ori suo custodiam ponens, quamdiu vixit postea erga beati Martyris cultum devotus permansit.

Mulier a septem dæmoniis possessa, 4 Cum igitur fama miraculorum beati Martyris longe lateque crebresceret, et non solum proximas, verum etiam longe remotas provincias relatio gloriosa percelleret, mulier quædam de Wasconia *c*, quam per annos decem possederant *c* et possidendo vexaverant septem dæmonia, cum per plurima loca Sanctorum duceretur, nec sanaretur, tandem auditis Christi militis Victoris virtutibus, ad ecclesiam memoriæ illius adducitur; quæ ferreis nexibus alligata in quoscumque poterat rabidis dentibus sæviebat; et ecce virtutem non ferens, per os ejus cœpit clamare dæmonium : Scitote, quia hinc nullatenus exeo, si non carnes prius ad vescendum accipio. Virtus siquidem illa, quæ dæmonem illum fortiter exurebat, jam ab ea muliere, interventione beati Victoris, dæmones sex socios ejusdem expulerat. Sequenti autem die sancto Parasceve, malignus ille terribiliter rugiens horribili voce proclamat : O Victor, o Victor, merito diceris Victor, quia F per te victus * jam teneor, et per te victus hinc * *alias* vinctus exire compellor ; sed veraciter scias, quia si hinc coactus egrediar, statim filiam transmarini regis ingredior, ibique diutius moror. His dictis, vellet nollet, miser exire compellitur, et a possessore maligno mulier diu possessa relinquitur, ita ut ab ore illius saliva sanguinolenta deflueret, et fœtor intolerabilis de inferiori parte procederet. Quæ, ut Deo et beato Victori pro adepto beneficio gratias retulit, gaudens ad propria remeavit.

vir contractus, 5 Homo quidam toto corpore contractus, et in modum sphæræ miserabiliter conglobatus, benignissimi Martyris Christi efflagitabat auxilium. Cujus infortunium vir quidam piæ mentis adspiciens, ejusque miseriæ miserationis affectu compatiens, tali voto se erga beatum Martyrem obligavit; quia si eum sanaret, per singulos annos ei candelam unam offerret. Tunc divina clementia et patientis miseriam et compatientis misericordiam

sericordiam

A sericordiam ex alto prospiciens, Martyris sui suffragantibus meritis, contractum illum misericorditer visitavit, visitatum erexit, ita ut eadem hora, ruptis contractionis suæ nexibus, surgeret, et ad locum, in quo beati Martyris corpus conditum quiescebat, velocissime curreret, gratias agens et dicens : Gratias tibi, Deus, qui interventione Martyris tui misericordiam mecum fecisti, et ex toto debilem ex toto sanasti. Alios quoque ad laudem invitat, signa monasterii totis viribus pulsat, atque in voce excusationis * et confessionis Te Deum laudamus cum fratribus cantat *d* : et ne hoc, quod diximus, aliquis æstimet fabulosum, attendat et videat hunc, de quo locuti sumus, adhuc superstitem cum filiis supradicti condescensoris sui, quo voluntas tulerit, liberis gressibus ambulantem.

* *lege* exultationis

mulier elephantiasi laborans,

6 Quodam tempore secundum morem patriæ, ad confirmationem pacis cum aliis Sanctorum reliquiis gloriosa beati Victoris memoria ferebatur. Ventum est igitur ad villam quamdam, quæ Cararco dicitur, ubi mulier quædam elephantiæ *e*
B morbo percussa a communi omnium conversatione sequestrata morabatur, quæ intelligens gloriosi Martyris adesse reliquias : Credo, inquit, sanctissime, quia si vis, potes me mundare. Sequenti igitur nocte tamquam in excessu mentis effecta, vidit ad se radium immensæ lucis influere, et totam domum illam, in qua jacebat eodem lumine coruscare : et ecce in ipso accessu lucis divina quædam virtus affluit, quæ ab omni eam lepræ contagione mundavit.

gravi incommodo vexatus,

Saturninus quidam gravi satis incommodo vexabatur, quippe qui crebro in faciem corruens, spumans in terra volutabatur : qui mox ut mente devota beati Martyris expetivit auxilium, omnimodum ægritudinis suæ meruit obtinere remedium.

dæmoniacus,

7 Cum ad memoriam Martyris quispiam fuisset ingressus, quod coram sacrosanctis reliquiis adstare dignus non fuerit, rei exitus comprobavit : nam mox correptus dæmone, amens effectus est. Laniare miser se ipsum et pugnis tundere, et naturæ hostis effectus sibi ipsi propriis manibus oculos eruere, sicque tandem prostratus in
C faciem miserabile omnibus spectaculum fore. Quis tantam inibi impiissimi possessoris non execratur sævitiam ? Quis possesso benignissimi Martyris non exorat clementiam ? Transacta tamen hebdomada, multorum precibus victus, maximeque gloriosissimi Athletæ Christi virtute superatus, objurgare dæmon cœpit et dicere : Quid me, Victor, persequeris ? Cur me hinc exire compellis ? Ego si violenter introissem, lege coactus violenter ejici debuissem. Hic autem se sponte tradidit, se mihi sponte subjecit. Constat igitur, quia injuriam patior, si hinc coactus ejicior. Si justus est Deus tuus, justus et tu servus illius, justitiam servato et rectum judicium judicato. Statimque in his verbis cum illo familiari sibi fœtore malignus exire compellitur, et non sine suo dedecore per virilia patientis, cum fluxu veneni venenosus ejicitur. Quid plura ? Roboratur infirmus populus, gratulatur, gratiarum actio in commune persolvitur.

femina

8 Quædam ab ocellis *f* mulier cum ad sepulcrum Martyris in oratione prostrata jaceret, vidit quemdam miræ pulchritudinis juvenem, cominus accedentem, duas lampadas in manibus ferentem, sibique verbis consolatoriis blandientem : Æquanimior, inquit, esto, Deo gratias agito, per cujus potentiam lumen tibi amissum restituo. His dictis, qui apparuerat adolescens, evanuit, et receptis oculorum lampadibus, mulier læta discessit. EX MS.

et puer cæcus,

Narrare quispiam solet, quia dum puer quidam fabro exhiberet obsequium, oculorum amisit intuitum. Qui diutius ad memoriam Martyris in oratione persistens dum nec desperatione nec tædio fatigatur, unius oculi restitutione donatur. Tum ille non solum de illuminato jam oculo concepit lætitiam, sed de alio quoque illuminando assumpsit fiduciam. Nec piæ eum exspectationis fefellit eventus : nam post dies aliquot, dum attentius orationi insistitur, et alterius oculi reparatur amissio, et videndi, qui cæcus fuerat, duplicato gratulatur officio.

mulier toto corpore contracta

9 Mulier quædam toto contracta corpore, apud virum suum, ut ad beati Viri reliquias præsentaretur, obtinuit ; cumque orasset, nec sanaretur, a viro suo, quo advecta fuerat asino, ad E
domum propriam reportatur. Sequenti die sabbati petit illa denuo, se ad ecclesiam reportari, quod vir suus, etsi invitus, acquievit tamen, ut fieret ; sed nec sic quidem beneficium, quod petebat, obtinuit. Tertio demum sabbato iterum viro suo mulier devota blanditur, et plus de ipsius vexatione, quam de sua fatigatione, sollicita, orat tamen, ut semel adhuc ad ecclesiam reportetur. Tum ille, desperatione jam fractus ac tædio, durius respondere, et quasi præsumptuosam ipsius petitionem increpando corripere : stultum esse dicebat post tam diutinam infirmitatem de sanitate præsumere, inani quadam fiducia tantum laborem assumere ; præsertim cum jam secundo nihil potuisset orando proficere. At illa, ut turbatum illius sedaret animum, molliori quidem responsione asserebat, Deo nihil esse impossibile, nihilque, difficile, semper eum orationem humilium, maximeque afflictorum vota respicere, piis desideriis aurem libenter impendere, semper justis supplicationibus præsto esse, numquam eum cor contritum et humiliatum despicere : F
denique, qui compeditos solveret, qui elisos erigeret, qui cæcos illuminaret, aliasque nonnullas per Martyris sui merita virtutes ostenderet, et suæ quoque contractionis compedes per interventionem ipsius posse dissolvere.

ad reliquias S. Victoris deducta,

10 Cum igitur iter agerent ille pedibus nitens, illa inter manus viri asello innitens, factum est ut imminente jam vespera ad ecclesiam propinquarent. Tum illa in terram se deponi efflagitat, justum esse perhibens ac devotioni congruum, se quoque, si quo modò posset, sine vehiculo incedendo ecclesiam introire : præsertim cum eadem hora servos Dei inibi commorantes constaret vespertinas laudes ante sanctum Dei Martyrem decantare : quæ, viro stomachante, deposita, statim ut terram contigit, solutis colligationis suæ vinculis, in pedibus stetit, et in usum pristinum revocatis membris, reliquum viæ una cum viro suo propriis gressibus peragens ad ecclesiam venit.

Cæcus quidam, uxore ducatum præbente, ad ecclesiam

Ex Ms. *et cæcus liberantur.* ecclesiam venit, pro restitutione oculorum orationi incubuit, nihilque proficiens, qui cæcus venerat, cæcus abscessit. Die sequenti cum spe hesterna regreditur, quanto recentior tanto devotior ad orationem revertitur, sicque in brevi desiderii compos efficitur. Exponit oratio devotionis affectum, mereturque devotio orationis effectum.

ANNOTATA.

a *Ex his, aliisque hic proxime adjunctis conjicio, auctorem fuisse monachum, qui forte abbatis sui jussu hæc miracula collegerit.*

b *Quamvis scriptoris nostri ætatem determinare non possim, tamen ex hac expressione colligo, eum post seculum* VIII *vel* IX *vixisse, cum Edmundus Martene in tractatu De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis Officiis cap.* 20 *ostendat, nullam fieri mentionem apud auctores de benedictione* B *palmarum seu florum ante seculum octavum vel nonum.*

c Wasconia *vel* Vasconia *aliquando sumitur pro omni Aquitania, quæ est pars Galliæ inter Oceanum Aquitanicum, Garumnam fluvium, et Pyrenæos montes extensa; aliquando strictius sumitur, ut videri potest apud geographos passim obvios.*

d *In Ms. Parisiensi nihil legitur de campanarum pulsu aut hymno* Te Deum laudamus.

e *Morbus ille, teste Bartholomæo Castaldo in Lexico medico*, elephantia *vel* elephantiasis *vocatur, quia in eo cutis corio elephantis similis videtur. Est autem species quædam lepræ, quæ ab aliquibus* lepra Arabum *appellatur. Plura de eo, vide apud Gorreum in Definitionibus medicis.*

f Ab ocellis, *lege conjunctim* abocellis *et* abo-culis, *id est* cæca; *a propositione privativa* ab *et substantivo* oculis, *quasi* absque oculis. *Ita etiam lege pag.* 155 *ad litteram* b.

CAPUT II.

C

Cæcorum illuminatio, leprosorum mundatio, et pueri mortui resuscitatio.

Mulier nervis contracta, Mulierem quamdam contractio nervorum debilem inutilemque reddiderat, cui ad totius corporis solatium una tantum manus sana remanserat. Hæc igitur adminiculo cujusdam filii sui ingressa basilicam orationi incumbit, lacrymas fundit, exponit miseriam, implorat misericordiam. Die quadam, imminente jam vespera, janitorem ecclesiæ obsecrat, ne inde expellatur, quin potius ante sanctum altare intromittatur, per beatum Victorem se sanandam fore, sibi jam promissum esse testatur. Homo misericordiæ janitor acquiescit, et mulierem, quo rogaverat, intromittit. Nocte sequenti totum ejus corpusculum, acsi febribus urgeretur, ita subito tremore concutitur, nervorum ligatura dissolvitur, tortuositas membrorum dirigitur et in statum pristinum contractionis deformitas revocatur.

D

12 Nec solum mater beneficium cœleste percipit, ad filium quoque exuberans misericordia redundavit: nam et ipse unius brachii virtutem amiserat, quod pectori suo contiguum movere omnino non poterat. Sed dum materuæ calamitati pium filius impendit obsequium, ipse quoque sanitatis adeptus est commodum. Statim in Dei tabernaculo vox exultationis et salutis emittitur, et Deo gratias referentes, filius de matre, mater de filio collætantur; itaque filius in eodem loco in obsequio Fratrum remanere disposuit. Mater vero non jam ope aliena, sed virtute propria ad sua remeavit, quæ mox ut ad conjugalem copulam est regressa, et ad eam quoque sua contractio est reversa. Quæ iterum ad ecclesiam veniens et de cetero continentiam spondens, sanitatem pristinam consecuta est. *cum filio sanitatem impetrat.*

13 Lotharius quidam Turonensis, ut lumen amissum reciperet, diversas Sanctorum memorias expetebat. Denique cum beati Antonini *a* oratorium peteret, virtutum, quæ per beatum Victorem efficiebantur, odore respersus est: virtus Dei Martyris ab iter agentibus prædicatur, et eorum, qui per eum curati jam fuerant, numerositas intimatur. Cumque mutato itinere, quo respersus fuerat odore prosequitur, in ipso itinere occurrentem sibi misericordiam experitur: cum enim ad quamdam crucem in via erectam pervenisset, et ad venerationem ipsius paululum in oratione subsisteret, unius oculi visum adeptus est; quo ducente, ad ecclesiam venit, qualiter virtutem Martyris ante exspectatum fuisset expertus, omnibus enarravit, noctem sequentem in vigiliis et orationibus totam expendit, et statim in crastinum in restitutione alterius oculi beneficium cœleste persensit. *Intercessione S. Victoris cæcitas, a* E

14 Mulieres duæ de diversis locis ad beati Victoris suffragia expetenda convenerant, quæ utræque, altera senectute, altera infirmitate, oculorum lumen amiserant. Die quadam illa, quæ prior natu erat, dum ad januam monasterii beati Martyris Christi auxilium præstolatur, elegantis formæ et habitus juvenis ei per visionem ostenditur, qui duas candelas accensas in manibus gestans, acsi exstinctas lampades vellet illuminare, ita candelas ipsas oculis ipsius visus est admovere. Recedente visione, visionis effectus consequitur, et lumen, quod senectus obtuderat* per manus juvenis restitutum accenditur. Altera quoque, cum illuminata fuisset, et ad domum regressura ab ecclesia paululum recessisset, in ipso itinere secundo et tertio excæcata, secundo quoque et tertio ad memoriam Martyris illuminata est. Tum vero metuens, ne deterius sibi aliquid contingeret, si ad sua deinceps redire tentaret, in eodem loco resedit, ubi et nunc usque incolumis degit. *a variis utriusque sexus hominibus,* F *alias abstulerat*

15 Uno quispiam oculo gressus dirigens, utroque orbatum lumine ad sepulcrum Martyris frequentibus deducebat: uno igitur oculo incedentes crebro, ut dictum est, ad ecclesiam veniebant, statimque recedentes nullum sanitatis beneficium reportabant. Diu siquidem ad orationem stare non poterant, quia victum necessarium non habebant; duplex eos urgebat necessitas, una vivendi, altera videndi, et cum venissent, ut visum reciperent, statim recedebant, ut victum perquirerent. *depellitur;*

rerent. Quadam denique die cum ecclesiam more ingressi fuissent, mox ille, qui unum oculum habuit, alterius visum recepit; qui ex toto cæcus fuit, ex toto cæcus remansit. Qui tamen, de curatione alterius assumpta fiducia, noctem sequentem in oratione pervigilem duxit; mane vero circa introitum Missæ, reseratis oculis, reliquum diei in laude consummavit.

mulier leprosa sanatur;

16 Mulierem quamdam immunditia lepræ singularem reddiderat; quippe quæ non solum a thoro legitimo, verum etiam a communi conversatione sequestrata manebat; quæ et passionis magnitudine prægravata, et rubore sequestrationis confusa, dum omni se humano solatio destitutam vidit, quod inde consequi solet, intentionem cordis sui ex integro ad Deum convertit. Tandem, auditis Sancti virtutibus, ad martyrium ejus accessit; quas necessitas suggerebat preces cum lacrymis fudit, et quæ hominibus despectui erat, ut ipse eam susciperet, imploravit. Cumque post orationem cum ipsa, qua venerat, lepra regreditur, et Deum quoque vel qui ejus sunt sibi difficiles esse conqueritur: statim occulta quadam virtute in ipsa sua querimonia totum ejus corpusculum, varietas cutis ad unius speciem coloris reducitur, et in pristinum vigorem revocatis membris, tota mirabiliter natura renovatur.

puer mortuus,

17 Vir quidam fidelis et devota ejus uxor ad sepulcrum Martyris facta oratione, dum ad propria redeunt, quem sanum reliquerant, parvulum filium ægrotantem inveniunt: qui infirmitate crescente, tertia die defunctus est. Parentes vero, dum seipsos præ dolore non capiunt, ad beatum Victorem lamentationis suæ verba convertunt: Quid est, inquiunt, o beate Victor, quid est quod factum est? Ad sepulcrum tuum preces et vota persolvimus, nos et nostra tuæ protectioni commisimus; et ecce unde magis securi esse debuimus, inde infortunium majus incurrimus! Dum enim post orationem et venerationem, tibi exhibitam, domum regredimur, unici, quem habebamus, filii solatio destituimur; fide tamen amplectimur et exempla testantur, quia quidquid volueris ab omnipotente Deo facile impetrabis. Age ergo, converte in gaudium luctum nostrum, et restitue nobis filium nostrum. Vicini igitur et qui convenerant dum dolorem consolando lenire cupiunt, quas juvare debuerant, ex sua desperatione preces redarguunt: superfluum esse aiunt dignumque ridiculo, tale aliquid orando exigere, spe vana se ipsum affligere, preces eos et lacrymas perdere. Tam grande miraculum aut nulli umquam Sanctorum aut paucis admodum fuisse possibile; proinde dolori ac fletibus temperandum esse, per patientiam levius fieri posse, quod impossibile esset corrigere.

ad vitam revocatur;

18 At illi nihilominus persistentes in precibus sedulis Martyrem questibus interpellant: quippe quos ipsa sua necessitas vel fide devotiores vel spe robustiores effecerat. Deinde cum ad locum sepulcri pro amicorum deferretur obsequio, ecce subito, qui mortuus fuerat, residere puer visus est, parentes vocare, ut solveretur ac portaretur erigere, longo se itinere fatigatum asserere, denique et vocem se hujusmodi audisse testatur: Propter dilectum meum Victorem anima corpori suo restituatur. Mirari omnes ac lætari et gloriosa Victoris sanctissimi merita cum laudibus protestari. Quanto vero parentes exultaverint gaudio non est nostræ possibilitatis evolvere. Mox depositum atque solutum ad sepulcrum Martyris præsentare non differunt, factumque mirabile omnibus enarrantes, ipsi ad propria regressuri Suscitatori suo puerum tradiderunt. Hujus rei, qui viderunt, audierunt, testes sunt.

EX MS.

et duæ feminæ sanitati restituuntur.

Duæ mulieres, cæca una, alia contracta, spe recuperandæ sanitatis ad sepulcrum Martyris præsentatæ, ibique una post alteram curatæ sunt: prius * ab ocellis videndi beneficium experitur; deinde contracta subito fragore concussa in pedes erigitur.

* *forte* prior

uti etiam vir cæcitate et lepra percussus.

19 Quidam cæcus et leprosus alterius ducatu ad ecclesiam venit, diem illam cum nocte sequenti in oratione pervigilem duxit. Post hæc vero dilationem curationis suæ moleste accipiens miserabilem in auribus omnium querimoniam exorsus est. Miserum se et infelicem appellat, qui nec Sanctos cum Christo regnantes, nec homines in terris viventes propitios habeat: Omnes, inquit, amici mei dereliquerunt me; et noti mei quasi alieni recesserunt a me. Stulti quoque despexerunt me, et quam maxime diligebam, uxor mea aversata est me. Omnis substantia mea ad nihilum redacta deperiit et exceptis duobus vasculis apum nihil omnino remansit. Tu igitur, beate Victor, tu ad luminaria tua concinnanda de ipsis vasculis ceram accipe, et mihi ad vestigia mea dirigenda lumen corporis redde. Quod fratres, qui forte aderant, tunc audientes, et necessitatem illius vel devotionem compassionis visceribus intuentes, preces precibus adjuvant et ex intimo cordis affectu, ut exaudiri mereatur, exorant: quibus orantibus exauditio divina non defuit, quia subito æger ille beneficium, quod petebat, obtinuit. Cessant lacrymæ, dolor omnis excipitur et mutatis precibus gratiarum actio in commune persolvitur.

Mulier impudica,

20 Cryptam illam, quæ Sanctorum corpora in primo ipsorum adventu servanda suscepit, Julia quædam impudica, et in cœno luxuriæ multo jam tempore volutata, præsumptuose et irreverenter intravit; quod enim aut venerationis gratia, aut necessitatis suæ causa nequaquam advenerit, continuo super eam irruens ultio divina monstravit. Nam quia simplicem illum oculum cordis secuta non fuerat, amisso corporis visu, manifestum præsumptionis suæ cunctis indicium dabat. Sed hoc profecto miraculum (ut postea patuit) quam ob sui Martyris meritum, tam ad suæ pietatis indicium virtus cœlestis exhibuit. Tali enim necessitate compulsa infelix illa, immo jam vere felix mulier, tenebras corporis in lucem congerit cordis, dum per illam, quam exterius patitur, quanta intus cæcitate defecerit, ad memoriam revocare compellitur.

a cæcitate corporis et mentis.

21 Prius igitur interioris oculi cæcitate fugata, anteactæ lasciviam vitæ detestans, et futuræ continentiam spondens, pro recuperando corporis visu ad sanctum Dei Martyrem tota se cordis ac precum devotione convertit, et non solum deinceps caste victuram, verum etiam sub sacro velamine reliquum vitæ suæ spatium in Dei se servitio fore acturam ex voto promisit. Quid plura? Et lumen mulier impetravit amissum, et effectui mancipare non distulit, quod fuerat ex voto promissum:

EX MS. missum : sacri enim velaminis impositione sanctimonialis effecta castam deinceps vitam agere studuit, et continentiæ non segnis amatrix, in continentiæ perseverantia vivendi terminum fecit. Constat igitur quatuor miracula, ut ita dicam, in uno miraculo fuisse patrata. Dum enim visus exterior ex præsumptione subducitur, ex ipsa pœnæ admonitione interior oculus aperitur, et lumen amissum per orationem restituitur, quod his omnibus mirabilius est, ad vitam anima, peccatis exstincta, reducitur.

et alius ab hydropisi liberantur. Accidit inter cetera, ut quidam morbo, quem intercutaneum *b* vocant, gravissime laboraret, adeo ut similitudinem quamdam lepræ in carne ipsius pestis illa prætenderet ; qui auditis Sancti virtutibus, in nullo prorsus diffisus opem ejus expetiit, et quid fidei devotio quid Sanctorum apud Deum posset oratio, alios expertus edocuit : nam velut nihil umquam perpessus incommodi fuerit, sic ab omni potius *, qua tenebatur, infirmitate mundatus apparuit.

* *alias* ocius

B

ANNOTATA.

a *De variis sanctis Antoninis egimus ad diem* IV *Julii, tom. 2 ejusdem mensis a pag.* 7. *Nescio, an hic indicetur S. Antoninus Apamiensis in Gallia, de quo ibidem actum est.*

b *Morbus intercutaneus hic idem est, ni fallor, qui apud Græcos ὑδρὼψ et Latinos* aqua intercus. *Sic autem appellatur, quod aquosi humores hæreant inter cutem. Attamen fortasse est æstus inter carnem et cutem, aut quædam lepræ species, ut hic indicare videtur auctor.*

CAPUT III.

C

Dæmoniacæ liberatio, mira ferri pro candela accensio, gravissimi morbi ac cæcitatis depulsio.

Mulier a dæmone possessa, Mulier quædam a pessimo dæmone miserabiliter vexabatur, ita ut nihil penitus sui juris in sensibus corporis, malignissimo usurpante spiritu, retinere videretur : omnimoda enim sospitate destitutam hospes impius totam obsederat, et obtusis auribus, visuque sublato, insuper et usum loquendi subduxerat. Sic itaque misera illa et miserabilis mulier præter hoc, quod gravissime patiebatur exterius, quæ membris ferro constrictis rabiem pectoris et rubore genarum et stridore dentium testabatur, furorisque sævitiam, etsi cæci, torvi tamen oculi minabantur : mortem omnibus intentabat, et accendentes quoslibet vel ad quos ipsa accedere poterat, mordicus laniabat. Tandem inter nitentium manus ad sepulcrum Martyris non tam adducta est, quam violenter attracta, ibique omnibus, quos vel sua necessitas vel illius infelicitas præsentes reddiderat, miserabile prorsus spectaculum facta : omnium siquidem unius miseriæ commovebat affectus, nullius tam ferreum pectus, quod ad compassionem vel misericordiam infelicis mulieris non tangeret cruciatus. Flebant, quoniam eo magis flendam esse credebant, quo minus usque flentem videbant : nam et ii, qui lugere se ipsos advenerant, suarum obliti, tantisque illius compassi miseriis, pro salute illius preces ad Dominum cum lacrymis effundebant. D

23 Flentibus igitur cunctis et pro restitutione mulieris Deo et sancto Victori devotissime supplicantibus, tandem impudentissimus ille alieni juris invasor, per os feminæ, quam suam fore crediderant, in audientia omnium clamare compellitur : O Victor, o Victor, qui mihi ac patri meo *a* adversari non desinis ; nusquam nos requiescere pateris ; de multis nos hactenus mansionibus expulisti, crebro sedes, crebro hospitia mutare coëgisti, et nunc, ut sentio, me hinc quoque habes ejicere, et in barathri tandem ima retrudere. Vere enim intelligo, velim nolim, tuis me orationibus egressurum ; sed pro certo noveris, me ex toto sine vindicta minime recessurum : nam etsi aliud facere nequeam, obscœnum tamen fœtorem in exitu meo tibi tuisque relinquam. E Nec mora post hæc, dum in ipso confusionis suæ testimonio, acsi flagris cæderetur, cum magno ejulatu et fœtore, quem ipse prædixerat, immundus spiritus exire compellitur. Et hic igitur quatuor miracula in unius reparatione mulieris magnifice constat esse profecta : siquidem ab obsesso corpore malignus expellitur, surditas in auditum reducitur, et in visum cæcitas revocatur, et in usum loquendi lingua resolvitur ; quod videntes, qui aderant, tanto uberiores Deo et sancto Victori gratias referebant, quanto venerationem jam curatæ mulieris graviorem esse prospexerant. *et surda, cæca, ac muta facta liberatur.*

24 Nec illud prætermittendum puto, sed tanto diligentius referendum, tantoque attentius audiendum, quo singulare et inauditum hactenus, quod subjungitur, constat esse miraculum. Rebus aliquis pauper et spiritu quemdam gloriosi vultus et reverendi habitus virum sibi videt in somnis assistere, et torporem suum in hunc modum increpationis arguere : Cur, inquit, negligenter agis? Cur ceteris segnior inveniris? Cur ecclesiam beatæ semper Virginis cum aliis adire non properas, ut dignum aliquid una cum precibus offerendo, per intercessionem nostram Christum ejus filium tibi placabilem facias? Qua ille redargutione perterritus, a somno excutitur, et mente tacita secum anxius sciscitatur, quisnam esse potuisset, a quo talia salutis suæ monita percepisset. Sed hunc esse beatissimum Martyrem Christi, et tunc quoque in simplicitate cordis sui homo credidit, et fide certissima rei eventus ostendit. Verum attenuatis paululum curis, rursum ille sopitus est ; et ecce iterum in modum supradictæ visionis Sanctus apparuit, negligentiam ipsius cum increpatione redarguit, ut ferrum illud rotundum et longum, quod in domo sua habebat absconditum, pro cereo tolleret, et sic ad ecclesiam pergeret, imperavit. *Pauper quidam in somno monitus,* F

25 Quo ille audito, expergefactus obstupuit et quod imperatum secundo jam fuerat, effectui mancipare non distulit. Ferro sublato, ad ecclesiam venit, quam tunc forte non minima populi multitudine constipatam invenit : eadem enim *ut ad opem S. Victoris confugeret,*

nocte

A nocte, qua ille ingressus est, beatissimi Martyris gloriosæ passionis dies annua recensebatur, et in eadem ecclesia juxta morem provinciæ ad laudem ipsius nox illa ab incolis in vigiliis et orationibus tota expendebatur : quibus singulis luminaria in manibus accensa tenentibus, non tam coruscare, quam ardere videbatur ecclesia, tanti luminis irradiata fulgoribus. Solus inter alios pauper ille penuria luminis ab aliis divisus apparuit, et quid ageret nescius, tandem quasi invento consilio, cuidam de commorantibus inibi Fratribus præsentiam suam exhibuit, cui et ferrum illud ostendens, ut pro eo vel unam candelam mutuo sibi daret oravit, nec vel noctem illam solus sine lumine vel diem festum sine oblatione transigeret, nihil se aliud ad manum habuisse contestans, quod in tali negotio sibi commodius deservire potuisset. Verum indignatus ille aurem avertit, et quod petebat, se non acturum fore respondit : nam curam ecclesiæ ipse gerebat, et multum in hujusmodi negotiis vexatus jam fuerat.

B *carens candela, quam offerret,* 26 Tum ille humano destitutus solatio ad aliquem Sanctorum convertitur et de supernis auxilium præstolatur. Tu, inquit, beatissime Victor, tu me pausantem in lectulo meo surgere compulisti, tu me ecclesiam istam et noctis hujus vigilias adire fecisti. Tu etiam paupertatis meæ angustias optime nosti : et quia præter hoc ferrum, quod ut mecum tollerem, ipse jussisti, nihil aliud, quo paupertas mea imminui pateretur, inveni : et nunc jussionem tuam implere festinans, vides, o Domine, in quantam anxietatem devenerim, ut quid agere debeam, ratione aliqua invenire non possim : ego enim opprobrium hominum et abjectio plebis, solus inter coruscantia agmina tenebrosus assisto, ego in derisum omnibus factus, solus tantæ multitudini vel dissimilis vel singularis appareo. Et quid agam? Verum quia melius nequeo, scio quid faciam : in conspectu omnium ferrum istud exponam, quod ipse jussisti, tenendo pro cereo, quantulumcumque dedecoris mei solamen accipiam.

manu gestat ferrum, C 27 Fecit homo, quod dixerat, et ferrum in manibus in modum cerei erectum tenebat; et ecce mirum in modum in summitate ferri ignem præsagiens fumus apparuit, parvoque spatio interjecto tota se in splendorem ignis nubes illa fumigabunda convertit. Sicque (mirabile visu) nulla extrinsecus materia ignis adhibita, ferrum accensum est, ut contra naturam flammarum globos emitteret, et in modum salis, ardentibus prunis injecti, crepitantes de medio ignis scintillas ejiceret. O vere mutatio dexteræ Excelsi! Qui miserabile omnibus paulo ante spectaculum fuerat, versa jam vice, miserabile * cunctis spectaculum dabat : et quibus ante penuria luminis timuerat esse contemptui, hic jam erat novæ lucis immensitate formidini. Stabant enim omnes, rei novitate perterriti, exspectantes finem tam grandis videre miraculi, nec diu tantum splendorem ferentibus oculis, sese mutuo respiciebant, et inter gaudium metumque suspensi, ejus hanc esse potentiam, qui rubum ardere fecerat incombustum, minime dubitabant; at ille novi luminis portitor, quidnam ageret, quo se verteret, nesciebat, nec tamen ignarus hoc divinæ ostensionis signum sanctissimi Martyris sui prætendere meritum, in vigiliis et observationibus tota nocte sic permanebat. EX MS.

* *forte* mirabile?

quod mirabiliter arsit. 28 Mane autem facto, cum in eadem ecclesia Missarum solennia celebrarentur, et sua ab omnibus luminaria offerrentur, et ipse quoque inter alios devotus accessit, et ardentis ferri partem superstitem cum humilitatis hostia offerre curavit. Oblatum igitur cum luminaribus aliis ferrum exstinguitur, et usque in præsentem diem, ad aliorum infidelitatem arguendam, aliorum devotionem excitandam, in testimonium multis ostenditur. Quo viso, mirabilis Deus in Sanctis suis ab omnibus prædicatur, et Martyris sui apud Deum virtus et merita declarantur.

Quidam gravi morbo afflictus, Alter quispiam miserabili quadam ægritudine tenebatur adstrictus, ut quasi truncus inutilis per singula videretur membra contractus. Qui auditis Sancti virtutibus, ut ad memoriam ejus deferretur, obtinuit, et sæpe delatus nullum penitus infirmitatis suæ remedium reportavit : sed non idcirco desperatione fractus aut tædio, die quadam Dominica sic restitutus est, ut vigorem pristinum singula corporis membra reciperent, E et nulla prorsus in eo vel contractionis vel dissolutionis vestigia remearent *.

* *forte* remanerent

et puella cæca sanitatem obtinent. 29 Puellam quamdam, haud longe ortam a cœnobio, pestis quædam oculorum mirum in modum cæcam reddiderat; palpebræ enim, quæ aliis, ad velamen vel munimen oculorum solent esse subsidio, huic erant cæcitatis occasio : nam pupullis irrevocabiliter superductæ et deorsum faciei, acsi visco tenerentur, adstrictæ, totum illud receptaculum lucis obduxerant, et, jubare solis excluso, quasi obserato aditu, videndi iter obstruxerant. Hæc a matre lugubri ad sepulcrum Martyris et ipsa lugubris adducta deponitur, ibique pro salute unius indefessa ab utraque ad Deum oratio funditur, et gloriosi Martyris suffragia cum omni precum ac devotionis instantia præstolantur. Frequenter oratum : cumque in hujuscemodi opere muliebri quadam improbitate *b* persisterent, tandem a Domino factum est, ut *b* et filia de sua cæcitate remedium, et mater de filiæ reparatione solatium, ambæ simul divinæ pietatis experirentur solatium. Quadam enim [die] Sabbati circa solis occasum, dum attentius F orationi insistitur, reseratis subito palpebris, oculorum claustra laxantur, et retro acto velamine, in suum videndi usum pupillarum faculæ revocantur. Unde factum est, ut eadem hora et luctus in gaudium et preces in jubilum verterentur, et lætitiam animi clamore testante, per ora mulierum sanctissimi Victoris præconia panderentur. Itaque non jam matre filiam, sed e converso matrem trahente filia, duplicato viam carpentes lumine, regrediuntur ad propria. Sed quia omnia, quæ vel vidimus vel audivimus, hujus Sancti miracula in uno libro comprehendere vel laboriosum, vel fastidiosum esse perpendimus, in hujus fine miraculi et libellum istum finem pariter habere statuimus, ut ad ea, quæ restant, describenda miracula quanto recentiores tanto devotiores accedamus.

ANNOTATA

EX MS.

ANNOTATA.

a *Sic legitur in utroque Ms.; sed non intelligo, quem hic dæmon patrem suum appellet. Suspicor, ita legendum potius :* Mihi ac parti meæ, *id est sociis meis,* adversari non desinis. *Vide tamen, quæ noster Cornelius a Lapide habet ad verba Joannis cap.* 8 ℣. 44, *ubi de diabolo hæc dicuntur :* Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus, *nempe mendacii.*

b *Improbitas hic significat assiduitatem vel perseverantiam eo modo, quo dixit Virgilius :* Labor omnia vincit improbus, *id est constans et assiduus.*

CAPUT VI.

B

Confirmatio miraculorum S. Victoris alio miraculo; et mira domus cujusdam conservatio in communi vastatione.

Post ægrum quemdam sanatum,

Gravissimo quispiam vexatus incommodo, quodam genere languoris defecerat, et posteriori corporis parte præmortua, usque ad interiora ventris pestis illa pervenerat. Qui opinione virtutum et fidei devotione subnixus ecclesiam, quæ Sanctorum reliquias continet, ab amicis deportatus ingreditur, ibique in oratione persistens divinæ pietatis remedia et beati Victoris suffragia præstolatur : qui prima vel secunda die nihil proficiens, nec tamen vel diffidentia vel labore deficiens, tertia demum die (erat autem dies illa Sabbati) salutem, quam petebat, obtinuit, et vegetato corpore, viribusque resumptis, membris omnibus sanus et integer, acsi nihil passus fuisset, apparuit : sicque factum est, ut qui alienis manibus deportatus advenerat, voti compos effectus, suis gressibus ad propria remearet.

C

aliqui homines de miraculis S. Victoris dubitantes,

31 Verum hoc, quod subjungitur, tanto diligentius et retractari debet et recipi, quo non solum miraculum sed et argumentum quoddam miraculorum in eo ipso constat explicari. In castro, quod vulgo Teminas *a* dicitur, quidam infidelitatis amici et duræ cervicis homines, auditis tot signorum virtutibus, non credebant, sed tam divinæ potentiæ quam Sanctorum meritis derogantes, quidquid de perpetratione signorum hactenus fama vulgaverat, jurejurando verum esse negabant, et sicut scriptum est : Aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, his pene miraculorum opinio non vitæ fuerat, sed mortis occasio. Cumque in hujusmodi incredulitatis errore persisterent, et multa super his confabularentur, et quærerent, tandem unius consilium in commune proponitur : probandum scilicet fore, et experimento discendum, utrum vera essent, quæ de Sancti virtutibus dicebantur, an falsa. Aiebat igitur, anum quamdam in sua possessione degentem, videndi beneficio multo jam tempore caruisse, ita ut de cæcitate illius nullus omnino posset ambigere. Hanc ad ecclesiam summo mane oportere duci, et ad martyrium beati Victoris pro deponenda cæcitate deponi. Porro si voluntas Dei esset, ut per sancti Martyris sui merita mulier visum reciperet, consequens etiam fore, ut eos, incredulitate deposita, erroris sui pœniteret, simulque ipsius clementiam humiliter implorandam, ut super his quæ in eum mentiendo deliquerant, Deum sibi per intercessionem suam placabilem faceret. D

anum cæcam veritatis explorandæ gratia illuminandam adducunt,

32 Acquiescunt alii hoc ita omnino, ut dictum est, fieri : spondent omnes, dextrisque mediis ab incredulitate se recessuros affirmant, si hoc tamen Sanctus efficeret, ut lumen amissum mulier cæca reciperet. Mane igitur, jubente domino, ducatum vero præbente filio, mulier ab ocellis *b* adducitur, et convenientibus, qui fœderati fuerant, simul ab omnibus ad ecclesiam properatur; quam tunc forte tanta populi multitudo repleverat, ut, qui mulierculam caperet, vix in ea locus inveniri debuisset; quæ tamen non sine magno conatu post januam intromissa deponitur, ibique turba incredula rei exitum præstolatur : inter quos, qui consilium dederat, E tam de propria quam de aliena cæcitate sollicitus, ita supplex exorsus est : Magna sunt, o beatissime Victor, et omnimodis stupenda, quæ hactenus de virtutibus tuis audivimus, quibus tamen, peccatis nostris, ut puto, exigentibus, nondum fidem adhibere potuimus; sed nunc jam obsecro, quia ad hoc ipsum convenimus, utrum vera sint, quæ dicuntur, appareat, et visum huic mulieri virtus tua adeo prædicata restituat : nam si actum id fuerit, ut tuis suffragantibus meritis lumen ei reparetur exterius, et nobis procul dubio lumen ad credendum restituetur interius. Nos enim, ut verum fatear, magis excæcati sumus, qui ad contemplandam veritatem signorum tuorum cordis oculos non habemus. Discant igitur omnes, qui scire desiderant, et in uno miraculo indubitanter agnoscant, quia et alia omnia, quæ hucusque audivimus, per tua sancta merita operatus sit Deus, qui facit mirabilia magna solus.

post cujus illuminationem credunt.

33 Post hæc quasi unius horæ spatio interjecto, filius supradictæ mulieris, qui matris inibi vel custodiam vel curam gerebat, contra fenestram, quæ altari postposita, ei erat opposita, F oculos intendebat; et ecce tam vultu quam habitu reverendus per eamdem (ut ei videbatur) fenestram juvenis introibat, quem cadenti super amictum chlamyde lampas in modum sphæræ immenso splendoris lumine præcedebat; qua super altare residente, adolescens ille, acsi aliquem quæreret, ecclesiam circuire videbatur, ut quidnam ageret, quo se verteret, dubitare crederetur. Mox, quasi dubitationis nube remota, per mediam populi multitudinem ad mulierem gressum vertit, propiusque accedens propriis digitis, quasi medendi gratia, lumen ei utrumque aperuit. Quæ statim in faciem corruens, in vocem laudis erupit; adolescens vero cum ipso prævio lumine per eamdem, qua intraverat, fenestram egressus est, nec eum prius se vidisse vel postea ipse, qui hæc videre promeruit, testatus est ; sicque omni incredulitate vel dubietate deposita, qui ad hoc ipsum convenerant, crediderunt, et

simul

A simul omnes, qui aderant, Deum, qui in Sanctis suis mirabilis est, glorificaverunt. Unde factum est, ut, dum per merita sanctissimi Martyris, unius oculi ad videndum reparantur exterius, multorum oculi ad credendum illuminarentur interius.

Agricola surdus et mutus.

34 Ruricola quidam, cum ex more agriculturæ operam daret, justo quidem, sed occulto Dei judicio percussus, surdus, simul et mutus effectus est : qui statim in terram corruens et laborem in dolorem, exercitium in supplicium versum intelligens, tota die sic semianimis permanebat, nec de loco illo, in quo ceciderat, omnino movere se poterat. Inclinata jam die horaque transacta, qua ille de agro redire solitus fuerat, de absentia viri uxor solicita, ab amicis et vicinis, sicubi eum vidissent, anxia requirebat : quibus referentibus, cum miserabilem rei cognovisset eventum, denotatum sibi locum adire non distulit, et ut dictum fuerat, ita et experimento factum esse cognovit. Mox jacentem in faciem de terra erigens interrogare cœpit, et ut causam B infortunii sui modumque sibi indicaret, admonuit; at ille penitus obmutescens, ad ecclesiam, in qua Sancti memoriam haberi sciebat, manus supplices porrigebat, acsi hoc solum dicere vel impetrare vellet, ut illuc eum uxor sua in eadem hora deduceret, quod et factum est. In ipso igitur solis occasu ad sepulcrum Martyris simul adstabant, et pro salute unius ambo pariter, ille corde tantum, illa corde simul et voce, Deo et sancto Victori devotissime supplicabant : et ecce subito virtus cœlestis apparuit, quæ duo simul beneficia, videndi scilicet et audiendi efficaciam, infelici illi restituit. Verum infelix diu esse non potuit, quem ab infelicitate sua felix Christi Miles liberare disposuit. Mane igitur facto in ipso ortu solis sanitas inchoata perficitur, et mutatis precibus in laudem beati Victoris muta prius lingua resolvitur.

et mulier cæca sanantur.

35 Cuidam mulieri diutina cæcitatis molestia laboranti Sanctus in somnis apparuit, eamque, ut ecclesiam beatæ semper Virginis adiens pro recuperando lumine luminare sibi offerret, admonuit. Qua mulier allocutione turbata omnem C illico somni soporem excussit, viroque suo visione exposita, ut ei ad perveniendum opem ferret, expetivit; qui mox fide adhibita, et ducem viæ et comitem seipsum impendit. Itaque cum post laborem itineris alicubi resedisset, rogat illa virum suum beato Victori una secum gratias agere, cujus suffragantibus meritis cæcitatis suæ tenebras jam sensisset ex parte clarescere. Deinde ad ecclesiam veniens definitum salutis suæ pretium luminare dedit, et ex integro lumen recepit.

Domus quædam in communi vastatione,

36 Quidam malefici et effrenatæ mentis homines per villam aliquam discurrebant, et insatiabilem in ea vel rapinam vel ruinam cum omni vesania spiritus exercebant : ab ipso enim irruptionis suæ exordio tecta succendunt, homines feriunt, spolia distrahunt, cuncta subvertunt. Quam eorum sævitiam indigenæ non ferentes passim diffugiunt, et quo quisque loco poterat, sese a conturbatione hominum, et a facie furoris eorum abscondunt : inter quos unus aliis non corpore sed fide robustior inter fruteta latitans, et de latebris cuncta prospectans, in hunc modum exorsus est : O beatissime Victor, de cujus virtutibus tot et tanta audivi, et vera esse non dubito, tibi domum meam et omnia, quæ in ea sunt, servanda committo; tu eam ut custodias, obsecro, quia hoc te posse veraciter credo ; confundantur, qui nos persequuntur, pereant qui perdere cuncta festinant. Inter hæc singula quæque vastabat incendium, et sola, pro qua orabat, domo superstite, cuncta jam fuerant redacta ad nihilum. EX MS

incendiario divinitus punito,

37 Denique de tota illa multitudine tres majori aliis sævitia debacchantes, ad domum illam rapidis equorum cursibus accesserunt; duoque ex illis quasi ex præcepto unius, qui vel atrocitate, vel auctoritate præeminere videbatur, ignem vicissim imponere, tectumque succendere conati sunt ; sed ad subvertendum humana præsumptio effectum non habuit, ubi ad protegendum virtus divina prævaluit : illis siquidem inani labore confectis, domus illa permansit incolumis. E Quam eorum inertiam vel tarditatem tertius ille redarguens, ocius advolat, suis ignem manibus imponendum esse, domumque cremandam exclamat. Cumque, ut dixerat, ignem conaretur imponere, continuo equus ille, cui insidebat, in præceps corruit, et toto corpore in terra colliso, grandiloquus ille divina ultione percussus interiit. Quod ut reliqui duo viderunt, præ nimio timore pene exanimes effecti, quantocius in fugam conversi sunt. Nec mirum, si contra adversarios suos fortis Christi Athleta prævaluit, si regnum triumphator et principum ministros iniquitatis Victor devicit.

ab incendio illæsa conservatur.

38 Hoc dominus domus de loco, in quo latebat, prospiciens illico surrexit, cum tremore et gaudio magno ad domum cucurrit, sua omnia intacta et integra reperit : nec multo post ad ecclesiam venit, rem gestam omnibus enarravit, et pro liberatione sua gratias agens Defensori suo ab illa die et deinceps rerum suarum decimam vovit, cujus nimirum virtute actum fuisse asseruit, ut nec domum suam ignis omnino læsisset, nec de rebus suis usque ad pretium unius F nummi quippiam deperiisset; qui etiam hostes suos, alios fuga subactos ad nihilum redegisset, mox ipsam, quam secum attulerat, decimam, id est unius vituli obtulit, et nihilominus per singulos annos in decima persolvenda votum implere curavit.

ANNOTATA.

a *Nunc communiter vocatur* Themines, *estque marchionatus in provincia Cadurcensi. De hoc castro agit Valesius in Notitia Galliarum pag.* 551.

b *Hic recurrit idem loquendi modus* ab ocellis *qui supra satis explicatur in Annotatis capitis* I *ad litteram* f.

CAPUT

EX MS.

CAPUT V.

Variorum cæcorum illuminatio, et puellæ mortuæ revocatio ad vitam.

Mulier cæca, a b

In die Kalendarum Novembrium, quando festivitas omnium Sanctorum sub una celebritate recolitur *a*, mulier quædam ab ocellis *b* adducitur et ad memoriam Martyris, pro voto suo deponitur : ut enim ibidem posita asserebat, multum diuque optaverat, ut ad sepulcrum Viri Dei præsentari debuisset, sperans procul dubio, quia ejus suffragantibus meritis, optatæ salutis beneficia reportaret. Cum igitur ex intimo cordis affectu in conspectu Dei orationem suam effunderet, et tribulationem pronunciaret, nihilum tamen illa die proficiens, noctem quoque sequentem B in oratione persistens duxit pervigilem. Mane autem facto, cum per manus sacerdotis in altari salutaris hostia tractaretur, factum est, ut, tacentibus vel orantibus aliis, mulier illa de loco, in quo jacebat, pro salute sua gratias agens ab omnibus audiretur.

puer contractus,

40 Eadem nihilominus die puer aliquis, nullo membrorum suorum fretus auxilio, ad suffragia Martyris pio patris deferebatur obsequio. Hic enim ab utero matris suæ ita toto corpore contractus apparuit, ut nihil in eo, quod hominem demonstraret, agnosceres, nisi faciem tantum aspiceres, vel vocem loquentis audires : hæc duo in illa confusione membrorum humanum aliquid prætendebant. Hunc, ut dictum est, cum ad locum virtutum fidelis ac pius pater spe promerendæ salutis deferret, in ipso itinere, invocato nomine Martyris, virtus divina non defuit, quæ deformem illam membrorum congeriem competenti ordine et omnimoda sanitate restituit. Nam crepitantibus membris, ita toto corpore, acsi in equuleum extensus fuisset, erigitur, et mox solutus a patre in terram cum admiratione deponi- C tur, et mirum in modum, qui gressum hominis minime noverat, sine omni adminiculo patrem saliendo præibat. Nomen beati Victoris in commune extollitur, et non jam pro impetranda valetudine, sed pro reddenda gratiarum actione ad ecclesiam properatur. Quam cum ingressi fuissent, ipsi arreptis funibus signa pulsabant, et divinæ laudis [cantica incboantes ad cantandum alios invitabant.

uxor visu privata,

41 Maleficus quidam in suo tandem facinore deprehensus ab eisdem, quos læserat, oculis erutis excæcatus est : qui cum multo tempore lugens et mœrens ducatu pauperculæ suæ mulieris et ipse pauper incederet, ad cumulum communis miseriæ, factum est ut et illa infortunium cæcitatis incurreret. Quid plura? Palam omnibus factum est, gravi eos incommodo laborare. Cæcus igitur, aliquo præbente ducatum, crebro ad ecclesiam veniebat, et stans ante altare quasi calumniando dicebat : O sancte Victor, qui tanti meriti ab omnibus prædicaris, qui tot beneficia necessitatibus aliorum impendis, mihi misero et infelici homini quare injuriam facis? Sciebas me D oculorum luce privatum nec posse incedere, nisi uxore præbente ducatum ; cur ergo fieri permisisti, ut et illa commune lucem amitteret, ita ut nec mihi, nec sibi postmodum utilis foret? Precor igitur, et per Dominum Jesum obsecro, ut aliquod solatium necessitati nostræ impendas, et vel mihi violenter ablatos, vel illi pestilentiæ tabe consumptos oculos reddas. Quadam igitur die sabbathi cum ante altare simul assisterent, et hæc et his similia vel objurgando vel obsecrando proferrent, sensit mulier circa caput suum quali sibilum auræ lenis, totum corpus suum, ut ipsa dicebat, algore subito refrigerantis, sicque redeunte paulatim lumine, visum recepit, donec cunctis, qui aderant, audientibus, clare omnia se videre asseruit. Mox collatum sibi beneficium in commuue deduxit, et ducatus officium, quod cæcitate interveniente omiserat, cæcitate deposita, renovare non distulit.

famulus a dæmone possessus.

42 Petrus quidam dominum suum adeo viventem dilexerat, ut in morte ipsius modum doloris excederet, et quia per discretionis regimen suus esse contempsit, per doloris intemperantiam E maligni spiritus sese domiuio mancipavit. Statim correptus a dæmone est, et in brevi ejus incommodum manifestum omnibus factum est. Amici igitur, opinione virtutum excitati, ad beati Victoris adeunda suffragia iter instituunt, et illud maligni spiritus vehiculum vehiculo impositum ante sacratissimi Martyris ossa deponunt. Cumque ut de obsesso corpore exire debuisset divina se virtute coarctari dæmon persensisset, unde prius beato Viro de sua ejectione calumniam fecit, inde nimirum, quia invitus egrederetur, ostendit : Nullum, inquit, Victor, nullum mihi in conspectu tuo refugium esse perspicio, nullum prorsus a facie tua tutum mihi latendi locum invenio : quos enim usitatis artibus et labore non modico mibi acquiro, tua violentia alienatus amitto. Et quid agam? Vel hinc obsecro ne me ejicias, hunc, quem juste possideo, mei juris esse permittas. Cumque in hunc modum immundus spiritus horrende perstreperet, cum ejulatu magno ac fœtore suo egressus est. Qui autem vexatus fuerat, reparatis paulatim viribus, magis F magisque convaluit, omnique in brevi sanitate recepta, a die liberationis suæ et deinceps Deo et beato Victori se devotiorem exhibuit.

et pauper quidam cæcitate percussus sanitati pristinæ restituuntur.

43 Rebus aliquis pollens et moribus, cuidam Avito pauperi temporalem spe mercedis æternæ in domo sua victum præbebat, et ut ejus abundantiæ in futuro particeps fieret, de suis divitiis illius inopiam sustentabat. Is, Avitus scilicet, præter rerum inopiam, penuriam etiam visus incurrebat, et cum ipso lumine spem omnem recuperandæ salutis amiserat : cui præter necessarium corporis victum, ille suus procurator compassionis etiam impendebat affectum : nam plurima Sanctorum loca in eadem civitate lustraverat, preces expenderat, gradiendo corpus, spiritum orando, afflixerat; et nihil prorsus remedii tanto se labore adeptum fuisse dolebat. Compertis denique Victoris sancti virtutibus, cæcum suum ille pius pater familias, ut illius quoque martyrium adiret ac suffragia postularet, admonuit; vitæ quoque ejus ac precibus opem se

laturum

A laturum esse promisit. Cumque eum in hujusmodi opere pene usque ad desperationem desudasse cognosceret, ut fidem ejus ac devotionem excitare posset, merita beati Victoris extollere, multa miraculorum ejus exempla proponere, ab ipso denique, si fidei præmium non deesset, optata eum salutis gaudia reportaturum asserere; sicque persuadente domino et ducatum præbente, tandem cæcus iter arripuit, et ad locum, in quo orari oportebat, aliquando pervenit, ibique ante Sancti reliquias in oratione persistens, non prius abscessit, quam salutem, quam petebat, obtinuit.

Filia unica 44 Mulier quædam, viri sui jam defuncti destituta solatio, unicæ, quam habebat, filiæ sustentabatur obsequio; quæ et ipsa lecto decidens necessitatem mortis experta est. Dolor matris modum nescit, consolationem respuit, consilium non admittit, ætatis oblita vel sexus, quasi amens effecta, discurrit, et pene se ipsam præ dolore non capiens, post longa tandem inventa suspiria cum clamore voces intendit; crebro Deum invocat, B crebro filiam nominatim appellat, sæpe ad aliquem Sanctorum convertitur, et inter hæc ad funus sæpe recurritur. Tandem inter alia nomen ei beati Victoris occurrit, et quanta per eum Dominus mirabilia fecerit, ad memoriam necessitas ipsa reducit. Mox ad ejus postulanda suffragia tota se cordis intentione convertit, et ad ipsum omnem illam precum suarum vehementiam referens, his eum vocibus interpellare cœpit: Novi et ego, Victor felicissime, novi et ego mulier infelicissima, quanta sit apud Altissimum virtus tua: novi, inquam, et ego, quanta miseris beneficia conferas, quam te benevolum omnium votis exhibeas. Nec me latet illud tam grande miraculum, et nostris pene temporibus inauditum, quomodo orbato patri ante paucos dies unicum restituisti filium.

cujusdam mulieris 45 Vicinis igitur, et qui convenerant, vigiliarum vel exsequiarum funeri morem gerentibus, miserabilis mater persistebat in fletibus, et sanctum Dei Martyrem sedulis interpellabat questibus dicens: Experiatur, obsecro, Martyr beatissime, infelix anima mea sanctissima apud Deum C merita tua: inclina aurem tuam et exaudi me, quoniam inops et pauper ego sum, quoniam unicum illud, quod habebam de filia mea, vides amisisse solatium. Novi enim, o Domine, et indubitata fide teneo, quia si voluntas sola affuerit, facile apud misericordem Deum, hoc singulare donum tua obtinebit oratio. Peractis igitur nocturnis ex more vigiliis, circa prosecutionem funeris et sepeliendi officium ab amicis satagitur, et ad sepulturæ locum cum illo suo ejulatu prosequente matre, et sola ad planctum exsequiarum sufficiente, corpusculum deportatur. Tandem vero consummatis omnibus, cum eo ventum fuisset, ut in defossam humum naturali reciprocatione deponi debuisset, super artus funereos mater lugubris et ipsa pene præ nimio dolore exanimata prosternitur, crebroque vocem interrumpente singultu, vocatam ex nomine filiam, quasi ulterius jam non videndam, in hunc modum alloquitur: Heu, mihi, filia mea carissima! Cur tam cito meis te amplexibus subtrahis? Cur dulcissimo solatio tuo senectutem meam destituis? Cur me, inquam, superstitem deseris? In tua morte cuncta jam perdidi. Baculum senectutis meæ, lumen oculorum meorum amisi. Ut quid mihi ulterius vivere, ut quid mihi sine te lucem hanc exosam aspicere? Hactenus igitur vixisse sufficiat, imo te sublata, me jam superstitem esse pœniteat, et si non potui moriendo præcedere, saltem ut subsequar, mortis jam liceat jura persolvere. EX MS.

46 Hæc et similia prosequente matre, ecce mirum in modum totum subito corpusculum illud intremuit, et velut tacto loculo audiret a Domino: Tibi dico surge, ita cunctis cernentibus, quæ mortua fuerat, puella resedit, nec causam luctus ignorans matrem appellat, hortatur ut gaudeat, seque ad hoc revixisse cognoscat, ut dolorem ejus sua vita interimat. Ait enim, maternis precibus motum beatum illum Victorem, cum ad supplicia traheretur, sibi affuisse, et debellato mortis ministro, se ab eodam glorioso Viro matri restitutam esse. Quem tantæ rei novitas non illico in stuporem convertit? Quis tam grandis miraculi magnitudinem intuens, Deo et sancto Victori ingratus abscessit? Mater vero mirum in modum exhilarata una cum viro, qui eamdem puellam de sacro fonte susceperat, ad ecclesiam venit, et E rem gestam omnibus referens de perpetrato miraculo multis miraculum fecit: fidem quoque verbis suis in ipsius, quam vivam receperat, filiæ suæ demonstratione vel attestatione perficiens, omnes, qui audire poterant, una secum in laudem et gratiarum actionem convertit. *a morte suscitatur.*

ANNOTATA.

a *Hinc iterum patet, collectorem miraculorum post seculum octavum scripsisse, cum Sigebertus in Chronico ad annum Christi* 835 *hæc habeat:* Monente Gregorio Papa et omnibus episcopis assentientibus, Ludowicus imperator statuit, ut in Gallia et Germania festivitas omnium Sanctorum in Kalendis Novembris celebraretur, quam Romani ex instituto Bonifacii Papæ celebrabant. *Pluribus hæc confirmat Edmundus Martene in tractatu de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis Officiis cap.* 34, *num.* 26.

b *Hic iterum occurrit eadem phrasis* ab ocellis; *de qua jam supra bis monuisse sufficiat.* F

CAPUT VI.

Diversarum infirmitatum curatio, et pueri decennis resuscitatio a morte.

Curialem quemdam, qui vicariæ potestatis gerebat officium, suo mancipatum domino, blasphemiæ spiritus horrendo prorsus agebat incommodo, ita ut Creatorem suum non solum confiteri, vel adorare contemneret, verum etiam confitentes quosque vel adorantes contumeliis, injuriisque lacesseret. Grave illud admodum erat, quidquid de Deo audire contigisset, quidquid ad cultum ipsius a fidelibus devote fieri comperisset; tam Missarum solennia, quam reliqua Christianæ religionis sacramenta, tota animi detestabatur insania. Campanarum sonitus, si quando ad aures *Quidam spiritu blasphemiæ vexatus.*

EX MS. res ipsius pervenissent, demisso capite, ne eas audiret, divortium requirebat. Cumque ipsum jam corpus, quæ mentem infecerat, tabes malitiæ consumpsisset, et usque ad extremam maciem vel debilitatem artus impios exedisset, videt tandem in somnis sanctum Dei Martyrem ante lectulum suum quasi transitum facere, seque virga, quam manu gestabat, modeste percussum, salutaria ab eo mandata percipere : audivit enim, ut quæsito vehiculo, beatissimæ Dei Genitricis basilicam incuuctanter adiret, custodem sui corporis monachum conveniret, de pane Fratrum aliquam sibi particulam dari postularet : Qua, inquit, percepta, si non fide hæsitaveris, tam mentis quam corporis ex integro sanitatem recuperabis. Quibus ille monitis ad se reversus, primo mane vehiculum conscendit, ad ecclesiam venit, visionem exposuit, panem petiit, et accepit, et sui compos effectus infra paucos dies, membrorum etiam integerrimam sanitatem obtinuit.

48 In Burgone castro, leproso cuidam Sanctus in somnis apparuit, eumque, ut pro recuperanda B sanitate martyrium suum adiret, admonuit. Mane facto, ægrotus iter instituit, ad memoriam Martyris cum labore pervenit, ubi quotidianis obsecrationibus vacans, paulatim convaluit, et infra unius anni spatium perfecte mundatus apparuit.

et mulier lepra infecti sanantur.

Mulier quædam dum lepræ plaga percutitur, ad cumulum pœnæ a thoro legitimo sequestratur : quæ auditis Sancti virtutibus, apud virum suum, ut ad martyrium ejus duceretur, obtinuit. Ubi quanto necessitas gravior, tanto ab ambobus oratio fundebatur attentior; sed diu multumque orantes, nullum tamen desiderii sui consequuntur, effectum : nondum enim curationis tempus advenerat. Discedunt mœstior uterque, quam venerat, quia dolorem morbi desperatio cumulabat. Tum illa ad dolorem suum verba convertens, infelicem se aiebat et miseram, quæ nec inter homines viveret, nec homines posset moriendo deserere. Opprobrium se esse conqueritur vicinis suis, et commotionem capitis in populis. Orat virum suum, ne vel ipse ægrotam despiceret, quam in nullo se umquam incolumis læsisse meC minisset. Cujus ille querimoniam, piæ ut erat mentis, blanda studuit responsione compescere, et calamitati illius se super omnia condescensurum promittere. Insuper et mansiunculam e vicino domus suæ se ei facturum asseruit, et de labore manuum suarum necessaria provisurum. Anni igitur circulo revoluto, iterum prædictæ mulieri venit in mentem, Deo dilecti Martyris sepulcrum invisere, ejusque suffragia attentius flagitare : quo cum venisset et cor contritum, et humiliatum una cum precibus obtulisset : Aut sanitatis, inquit, remedium aut mortis hic expectabo solatium. Cumque ibidem perseveraret in precibus, nocte quadam dormienti quidam adstare visus est, eique vestem, qua erat induta, magno conatu diripere : Patere, inquiens, pannis te vetustis et sordidis exui, et multo melioribus corpus tuum vestibus contegi. At illa, dum nudari, se metuit, expergefacta consurgit, et lepræ veste deposita, nova se cute nitentem, et toto mundatam corpore deprehendit; moxque ad domum propriam cum gratulatione perveniens, ad communem vivendi usum est recepta.

D

Puer decennis jam sepeliendus

49 Puer quidem annorum circiter decem, immatura morte præventus, de medio sublatus est : cujus corpusculum a prima hora noctis usque ad horam diei sextam pervigili a parentibus et propinquis custodia frequentatur ; sicque ad locum sepulcri ab amicis atque presbytero, qui ad hoc ipsum advenerat, deportatur. Lugent parentes senectutis in puero se amisisse solatium, et nimis durum adversum se intempestæ mortis causantur imperium. Nec virtutum ignari, quas per Martyrem suum Dominus operari dignatus est, toto cordis annisu ad ejus suffragia postulanda se convertunt. Nam et ipsum puerum ab infantia sua Deo et beato Victori devoverant, et ipsius eum vel dominio vel patrocinio manciparant. Tandem inter efferentium manus subito corpusculum tremore concutitur; et recuperato spiritu quasi ex jacendi lassitudine, puer in latus convertitur. Nec mora, audientibus cunctis, more solito matrem appellat, et quasi ex longo fessum itinere se cibari expostulat. Qui mox cum ingenti omnium admiratione solutus, cibo potuque reficitur, viribusque receptis, ad sepulcrum Martyris a parentibus, I *a* hujus rei teste presbytero, *a* præsentatur, ubi gratiarum actione completa, E puer ejusdem ecclesiæ Fratribus, sacris imbuendus litteris traditur. Parentes vero ad propria cum gaudio revertuntur.

vitæ restituitur,

50 Sed forsitan, quia insolitum, idcirco et frivolum alicui videatur esse, quod diximus ; verum si non mihi, saltem parentibus fidem adhibeat. Denique puerum ipsum interroget, jam ætatem habet, ipse de se loquatur : solet enim * simpliciter narrare quærentibus, magnæ quemdam auctoritatis et reverentiæ virum sibi, cum ab impietatis *b* ministris traheretur, affuisse, eorumque audaciam cum innocenti severitate corripuisse, videlicet cur eum, qui sibi ab infantia traditus fuisset atque commissus, suo juri absque judicio mancipare præsumpsissent. Eos vero ad hanc vocem confusos omnino ac debiles sine responsione aliqua discessisse, seque ab eodem venerabili Viro cum ingenti lumine ad superos reductum, et parentibus restitutum fuisse.

* *alias puer*

b

et varii morbi

51 Haud longe a cœnobio in castro, quod Cardiliacus *c* dicitur, mulier quædam incedendi palpandique privatur officio. *c* Quæ et rebus destituta et viribus duplici contritione atteritur, undique calamitatis suæ angustiis premitur, nec pedibus incedendo per domos victum exigere, nec manibus laborando necessaria potest acquirere. Tandem a vicinis fidelibus, acceptis stipendiis, virtutum, quas per sanctum Virum fieri audiebat, odorem secuta est. Plus igitur fide robusta, quam corpore, laborem viæ arripuit, et novo quodam incedendi genere artus volubiles per terram trahendo, ad ecclesiam venit. Quam ingressa Paschalis solemnitatis feria tertia, tota die illa et nocte obsecrationibus vacans sic permanebat. Quarta vero feria, dum in ecclesia eadem circa horam diei primam Missarum solennia recensentur, et in pristinum membra vigorem, et novam mulier prorumpit in laudem. Ecclesia tota clamore confunditur ; sed mox, quod factum fuerat, cognito, una cum muliere in laudem convertitur.

a corporibus

52 Cujusdam divitis servus diutina et gravi admodum infirmitate atteritur, ad aures morbo congesto, ad ultimum surdus efficitur ; quem post annos

EX MS

A annos quatuor in eadem infirmitate transactos dominus suus admonuit, ut ad memoriam Martyris pro recuperanda sanitate confugeret, præsertim cum aut ibi aut nusquam hujuscemodi beneficium adepturus esset. Qui uno tantum comite contentus, dum simul iter agerent, ad vocem illius aures cœpit erigere, et tenui licet auditu, verborum illius sensum admittere. In ipso vero ingressu ecclesiæ, ad plenum reseratis auribus, in materiam vertitur laudis restitutio sanitatis.

pelluntur

53 Quidam de longinquo fama virtutum excitatus advenit, et mutum ab utero matris suæ septennem filium ad locum sepulcri deposuit. Hic igitur nulli supradictorum in fide secundus, discedentibus aliis, non discedebat; sed quasi de beneficio percipiendo non dubius, tota illa hebdomada ibidem in precibus persistebat. Attende, inquit, o Victor sanctissime, quia nimia tui fiducia insipiens factus sum, dum in tali negotio tuum exspecto subsidium. Una enim omnes voce mihi persuadere conantur, talem te numquam virtutem operatum fuisse, nec ab utero matris B suæ qualibet corporis parte damnatum te aliquando sanitati restituisse; ego tamen omnium tam fide quam sensu novissimus, ego, inquam, non possum ambigere, eum, qui omnia potest, et hoc quoque per sanctissima merita tua posse efficere. Age ergo, o Martyr Christi nobilissime, ut quod homines aut impossibile tibi esse credunt aut difficile, tu eis possibile ostendas ac facile. Hæc et his similia eo quotidie perorante, usque ad proximam diem Dominicam causa illius dilata est. Hac enim die circa horam primam fides præsens declaratur in filio; et quod natura negaverat, loquendi officium reformat oratio. Patri igitur filius primitias verborum impendit, eique, ut ad refrigerandam linguam suam modicum aquæ sibi deferret, oravit. Qua mox percepta, ita ad purum verba formavit, acsi hactenus suum exercuisset officium. Quanto tunc pater exultaverit gaudio (etsi utrumque difficile sit) facilius tamen æstimari, quam verbis explicari posse existimo.

intercessione S. Victoris.

54 Aliis igitur admirantibus, aliis vero dubitantibus, pater ad propria faciliore, quam venerat, gressu revertitur, quia non jam solum itiC neris sed et verborum comitem filium se habere lætatur. Nec multo post una cum puero eodem atque presbytero et vicinorum non parva multitudine, orationis gratia ad ecclesiam rediit, et ut verum esse constaret, filium suum ibidem loquendi inchoasse officium, ab utero matris suæ usque ad illud tempus eum mutum fuisse, multorum testimonio comprobavit. Ex uno igitur miraculo alterum quoque conjicimus, et eum cum loquela audiendi quoque efficaciam percepisse perpendimus. Nam omnes fere quos mutos vidimus, et surdos quoque deprehendimus. Sed jam opportunum videtur et congruum, ut ad reparandas vires et recreandum paulisper spiritum, hunc secundum miraculorum librum claudamus, et oratione interposita, horum auctorem Deum, et gloriosum ejus Martyrem deprecemur, ut eorum, quæ sequuntur, sicut veritatem indubitanter amplectimur, ita et narratione digni inveniamur.

ANNOTATA.

a *In Ms. Parisiensi hic est exiguus hiatus; in hoc autem Ms. est tantum majuscula* I *expressa, quam Chiffletius suspicatus est, Joannem significare, ut colligo ex hac nota, quam ad marginem posuit:* forte Joanne.

b *Nescio, quos hic impietatis ministros appellet.*

c Cardiliacus *vulgo* Cardillac *est marchionatus provinciæ Cadurcensis. Unde cum antea iterum castrum ejusdem provinciæ occurrerit, dubitari posset, an hæc miracula contigerint Massiliæ, nisi forte circa illam urbem sint loca, iisdem aut similibus nominibus insignita, quæ frustra quæsivi.*

CAPUT VII.

Prodigiosæ quædam sanationes, quas scriptor miraculorum fieri vidit intercessione S. Victoris. E

Hactenus igitur quadraginta et duobus capitulis totidem miracula, quæ per beatum Victorem martyrem suum Dominus operari dignatus est, compendiose collegimus, et ad profectum animarum in memoriam posteris tam credenda quam legenda reliquimus: hæc enim ante adventum nostrum in hanc patriam consummata, etsi nequaquam videre meruimus, ex his tamen, quæ propriis oculis vidimus, et subsequenter adjungimus, ea quoque, quæ superius memorata sunt, fideliter amplectenda esse didicimus: testem enim auctorem horum invoco Deum, quia eorum, quæ sequuntur, quædam sicut oculis vidi, manibusque tractavi; alia vero, sicut ipsorum, qui post adventum meum curati sunt, certissima relatione, et multorum testimonio didici, ita dictando digerere, styloque ligare curavi, quamvis et eorum, quæ supra dicta sunt, nonnulla etiam ab ipsis, qui curati sunt, et fere omnia ab his, qui F viderunt vel manibus tractaverunt, audire et scire promerui.

Auctor narrationis suæ veritatem probat,

56 Unde et me ipsum plurimum reprehendo, quia ea referentibus non statim fidem adhibui; sed testis mihi est Deus, et conscientia mea, quia auditis Sancti virtutibus, me idcirco nonnumquam dubitare simulabam, ut ea, quæ dicebantur, quanto expressius tanto verius, quanto frequentiori tanto certiori relatione cognoscerem. Cum enim juxta veritatis sententiam de omni verbo otioso, quod locuti fuerimus, rationem in die judicii reddituri simus; timui sane, ne non solum verbi otiosi, sed etiam mendacii apud Deum rationem exigerer, si ea scribere vel hominibus persuadere præsumpsissem, quæ non certis prius testimoniis, vel probabilibus indiciis vera esse comperissem. Nonnulli enim, dum favoralem auram vel loquendo vel scribendo apprehendere cupiunt, quæ nec probabiliter dici, nec veraciter credi possunt, impudenter mentientes, non parum credulitatem eorum, quæ vere dicuntur

et tamquam testis oculatus narrat.

EX MS.

tur, imminuunt. Nunc igitur ad ea, quæ postquam huc advenimus, nobis præsentibus atque cernentibus gesta sunt, describenda recurramus *a*.

a quomodo mulier cæca oculorum usum,

57 Quædam mulier cum pro reparatione oculorum, quibus annis quatuor excæcata jam fuerat, ad sepulcrum Martyris devenisset, et ipsa die adventus sui cum nocte sequenti pervigil in oratione perdurasset, primo mane sequentis diei beneficium, quod petebat, obtinuit. Quam cum exclamantem et de percepto munere gratias referentem audissem, statim accurri, manum adhibui, et de salute ejus exquirere cœpi; videntem inveni, quam multorum testimonio cæcam advenisse cognovi. Illico in laudem prorupi, et cum magno conatu vocis ac cordis compunctione, Te Deum laudamus incepi. Peractis laudibus, et gratiarum actione completa, mulier læta regreditur; et ecce in ipso itinere inopinato ictu in capite percussa prosternitur; quæ dolore ac metu pene exanimata, suis tamen peccatis hoc imputat, se adversus beatum Victorem, licet ignaram, ream tamen in aliquo esse accusat; mox B commeantium manibus sublevata reportatur ad tumulum, et de commissis veniam postulans, beneficium est adepta secundum; sicque discedens ad propria rediit, et nunc usque incolumis Deo et sancto Victori gratias agit.

instans mortuus

58 Quidam pater familias et ejus fidelissima uxor tantas per beatum Victorem virtutes fieri audientes, sublato de cunabulis filio, ad ejus martyrium accesserunt: cui et seipsos oblationem facientes, ejus se custodiæ atque tutelæ de reliquo commiserunt. Mox alacriores effecti ad propria redeunt, et post hæc in brevi prospera quæque succedunt. Sed quia nonnumquam evenire solet, ut prosperitati succedat adversitas, non multo post puerulus ille, quem unicum habebant filium, adversa valetudine prægravatus, infirmitatis suæ XIII die defunctus est. Igitur post planctum et lacrymas, quæ vel ætati hujuscemodi vel unicæ soboli uberiores impendi solent, virum suum fide robustior mater alloquitur, et virtutum, quas per beatum Victorem factas esse noverat, eum memorem esse hortatur. Aiebat itaque, toto cordis anuisu ejus suffragia flagitari C oportere, eum qui extraneos nec ad se pertinentes susciperet, sibi, qui ejus se dominio vel patrocinio mancipassent, procul dubio affuturum esse. Asserebat, etiam remota omni ambiguitate, credi debere, eum, qui trium in brevi mortuorum suscitator magnificus extitisset, suum quoque mortuum sibi posse restituere. Maternæ pietatis consilium a patre suscipitur, et ab hora egressionis ejus, id est ab hora diei nona usque ad occasum solis in oratione persistitur.

vitam,

59 Inter hæc vero ubi dolor, ibi oculus: quia dum per orationem vita speratur, crebro defuncti cadaver inspicitur. Tunc vero pater cum nullum orationis sentiret effectum, desperatione fractus et tædio, ad ministerium sepulturæ accingitur, et thecam ligneam, qua recondi corpusculum debeat, machinatur. Matre vero ampliore fide ac pietate in precibus persistente, ecce puerulus linteum, quo coopertus erat, nitebatur rejicere, et quasi de somno evigilans sic questus quosdam ætatis illius, et anfractus imperfectæ vocis cœpit emittere: nondum enim ad id ætatis pervenerat, ut posset ad integrum verba formare: statim cum admiratione et gaudio parentes accurrunt, vivum reperiunt, Deo et sancto Victori D tam grandis miraculi virtutem attribuunt, pueroque sublato, ad sepulcrum Martyris cum festinatione perveniunt, ubi sex diebus continuis in oratione et gratiarum actione devotissime perdurantes, septimo demum die ad sua regressi sunt. Vidi ego parentes et puerum, quos et crebro allocutus, et multa supra facto hujuscemodi sciscitatus sum. Denique tam ex verbis eorum, quam ex fide ac devotione, ea, quæ dicebantur, vera esse cognovi; ita ut impium fore judicarem, si non simplicitati eorum et fideli narrationi fidem adhiberem.

et faber

60 Faber quidam dum uno tantum oculo sibi suisque labore consuetudinario necessaria provideret, casu miserabili accidit, ut et ipsum amitteret. Quadam enim die dum super incudem suam manubrio * incidendo componeret, de ipso cornu particula aliqua ictu inopinato ejus oculo insiluit, et unicum illud lumen, quod operi suo impendebat, exstinxit. Plangit miser labori suo finem impositum, dolet exosum quietis se invenisse solatium: suæ enim cessationis otium, destitutæ familiæ suspicatur interitum; et cum E utrumque difficile sit, non tantum eum sua infelicitas, in quantum domestica angit necessitas. Cumque dolorem dolori apponeret, et se ipsum de die in diem lugendo affligeret, unum post omnia restabat consilium, beati Victoris implorare subsidium. Quadam igitur nocte quiescenti in strato suo Martyr apparuit, eumque, ut summo mane consurgeret, et candelabrum sibi faceret, admonuit; et quod ab ipso operis sui exordio paulatim lumen amissum recuperaturus esset, adjecit. Surgit ille velocius, et inter spem metumque suspensus fidem rei explorare disponit. Mox ad opus imperatum accingitur, et in tenebris inchoanti unius oculi lumen accenditur.

* *alias* manubrium

visum recuperaverint.

61 Vicini igitur, inopinatis malleorum ictibus excitati, cum admiratione concurrunt, et quem heri aut nudiustertius cæcum viderant, in opere solito desudantem inveniunt. Quid plura? Opus quod palpando inchoaverat, videndo consummat. Nec multo post, sublato candelabro, ad ecclesiam venit, et recuperati luminis pretium cum gratiarum actione persolvit. Ipse igitur talem nobis F eventus sui historiam explanavit. Quod si cui hæc mea fidem verba non faciunt, candelabrum ipsum inspiciat, in inferiori quidem parte scrupulosum, et quadam difformitate distortum; in superiori vero parte rotundum, et rectum, et competenti qualitate porrectum. Ipsum enim affirmantem audivimus, in inchoatione ejus parum sibi admodum luminis affuisse, cum ipso vero opere paulatim visu crescente, consummato candelabro, lumen quoque ex integro reparatum fuisse *b*.

ANNOTATA.

a *Ex hoc prologo apparet, quantæ auctoritatis debeant esse ea miracula, quamvis in illis sint aliqua plane prodigiosa. Dolendum tamen est, quod auctor suam ætatem, nomen, aliaque non expresserit, quæ majorem adhuc fidem facerent.*

b *Hic finit Ms. Andreæ du Chesne, ut in Ms. nostro*

A *stro ad marginem olim notavit Papebrochius. Ea tamen, quæ capite sequenti narrantur, in utroque Ms. nostro leguntur, et ab eodem auctore collecta fuisse videntur.*

CAPUT VIII.

Alia miracula, ope S. Victoris patrata, et ab auctore visa.

Mulier cæca Mulier quædam rebus et animis pollens, incolumem felicemque cum viro suo vitam agens, infirmata atque cæcata fuit: cui et hoc quoque ad cumulum doloris accessit, quod cum cæcitate eadem diutius laboraret, viro suo oneri atque contemptui esse cœpit. Unde factum est, ut multis eam contumeliis afficeret, injuriis provocaret, suis demum fraudaret amplexibus, et, quod his omnibus gravius est, crebro dissidium minaretur.
B At illa prudenti quidem usa consilio, patientiam, quam in flagello didicerat, injuriis atque convitiis opponebat, plus de viri sui quam de propria salute solicita, multa ad correctionem ejus tum blanda tum aspera prætendebat, ut bonum pro malo restituens, carbones caritatis super caput cordis ejus congereret, et ne perditionis ejus causa existeret, tantam ejus obstinationem vel blandiendo mitigaret vel arguendo reprimeret. Impium siquidem esse dicebat, a Deo flagellatos despicere, et, quos ipse recipit, mortales abjicere, ejus manum in flagellis aggravare velle, quos ipse percussionibus atterit, opprobriis arguere, injuriisque lacessere et in his omnibus eis, qui ejusmodi sunt, grave prorsus judicium imminere.

visum recipit; 63 Inter hæc a colloquiis divinis et orationibus non vacabat: quippe quam ipsa sua abjectio Deo propinquiorem reddiderat. Cumque ad Deum stillaret oculus ejus, hoc solum assiduis a Deo precibus flagitabat, ut aut viri animum mitigaret, aut cæcitatem suam, quæ obstinationis ejus causa exstiterat, in usum pristinum revocaret. Quid plura? Octavo demum cæcitatis suæ anno
C ad sepulcrum Martyris alienis manibus adducta deponitur. Tribus diebus et totidem noctibus sub oculis nostris in oratione persistens, quarto demum die voti sui compos efficitur: nam circa expletionem Missæ, quæ ante sepulcrum Martyris celebrari solet, dum attentius orationi incumberet, exaudiri promeruit; moxque collatum sibi beneficium sentiens, orationis constantiam in laudem et gratiarum actionem convertit. Quod videntes et audientes gavisi sumus, et quod factum laudabiliter fuerat, in materiam laudis convertimus.

famulus bis in amentiam lapsus 64 Mercenarius quidam, cum pascendis gregibus operam daret, subita infirmitate percussus, et in terram prostratus est: qui vix sero domum regressus per verba aliena, quæ protulit, quod suus non esset, ostendit. Qui, furore crescente, catenatus, et ad locum virtutum adductus est. Videres miserum stridentem dentibus, oculis coruscantem, terrentem pedibus, mortem omnibus minitantem, furorisque sævitiam et rubore genarum et verborum novitate testantem. Nomen vero Dei, vel quidquid de Deo Christiana ei devotio persuadere voluisset, omnimoda detestabatur amentia. Sed dum ibi, compatientibus nobis et pro eo orantibus, vinctus teneretur, ad se ipsum paulatim revertitur; nec multo post, reprobante *a* eo * domino suo, et ad propria revertente, ipse remansit incolumis. Qui alterius se subdens domino, cum ei per omnia gratus existeret, suam iterum incurrit amentiam. Quam ejus vexationem ille suus dominus satis ægre ferebat, quia fidem, quam in eo expertus fuerat, quanto rariorem tanto cariorem habebat. D *a* * *alias* cum

ad mentem redit; 65 Accidit igitur, disponente Deo, ut die quadam monacho cuidam cum illo furioso occurreret, quæsitoque consilio, hoc ab eo responsum acciperet: Novimus, inquit, hunc nuper a beatissimo Victore, patrono nostro, curatum, ejus se injuste servitio substraxisse, et idcirco pristinam, ut vides, amentiam incurrisse: unde credendum est, numquam eum integræ sanitati posse restitui, nisi ejus se ex toto mancipaverit servituti. Quam ille conditionem omnino recusabat, quia idoneum sibi ministrum et utilem invitus dimittebat. At ille de salute sua agi intelligens, sese medium E ingerit, et quasi ad hoc ipsum paululum vexatione cessante, quid de se fieri debeat, sicut ei fuerat revelatum, exponit. Ait enim, magnum aliquem in somnis sibi assistentem, insipientiam suam cum magna vultus et verborum austeritate corripuisse: pro eo videlicet, quod ejus se subtractum dominio alterius servitio subdidisset; nec aliter eum ab infirmitate sua posse sanari, nisi ejus famulatui sese prius restituisset. Quod idcirco de beato Victore credi oportere dicebat, quia erga ejus obsequium se voto nuper obligaverat. Dimissum igitur a domino suo ad cœnobium monachus duxit, et infra paucos dies sanum effectum, ecclesiæ custodem constituit: qui nunc usque incolumis de percepto beneficio assiduas Deo et beato Victori gratias agit, et commissam curam ecclesiæ fideliter gerit.

et captivi 66 Accidit inter cetera, duos magnos secundum pompam seculi viros, suaque elatos potentia ad tantas inimicitias devenisse, ut suas invicem animas quærerent, et mori magis, quam ad pacem sibi cedere aquiescerent. Unde factum est, ut die quadam parati ad prælium ex adverso con- F currerent, et collatis viribus bellum grande committerent. Multis ex utraque parte corruentibus, unius tandem milites fracto robore se in fugam converterent. Quos urgentes, qui victores exstiterant, alios interemerunt, alios vivos apprehensos carcerali custodiæ manciparunt. Fit non æqua digressio, dum lætus alter, alter tristis regreditur, et unde alter victor erigitur, inde alter victus confunditur. Qui de suis viribus nihil ultra præsumens (quippe qui suorum alios in mortem, alios in captivitatem dejecerat) ab Athleta Christi robur efflagitat, et ad sepulcrum ejus veniens, apud eum voto se obligat, ut eos saltem, qui de suis supererant, ipsius, de carcere, patrocinio vivos recipiat, ne de sua prorsus confusione pars inimica superbiat.

mirabiliter liberantur; 67 Mox assumpta fiducia, ad suos regreditur, paucosque numero blande allocutus, ad suas injurias ulciscendas hortatur; quibus et beati Victoris suffragia constantissime pollicetur: die vero tertia occulto quodam instinctu se trahi intelligens, cum eisdem egreditur, et si qua hostes reperiat,

EX MS.

periat per loca, quibus venire consueverant, discurrendo percunctatur : sicque progrediens ad castrum usque, in quo sui captivi tenebantur, accessit, portasque ex insperato apertas, ac sine custode reperiens, festinus irrumpit : nec sic contentus, septa quoque domus hostilis armatus ingreditur ; hostes suos somno gravi oppressos, passim per humum fusos intuetur : siquidem de sua victoria elati manducare et potare consederant, et nihil minus quam hostium suspicantes adventum (quippe quos paucos superstites paulo ante repulerant) insolita quadam somni virtute sepulti jacebant. Mox ille, suis de custodia eductis, sublata ab eis vincula hostibus versa vice imposuit ; sicque discedens paucos de suis, qui et domum et vinctos custodirent, ibidem disposuit : eos vero, quos de captivitate receperat, sepulcrum Martyris, utpote per eum liberatos, adire præcepit : qui et venientes Deo et sancto Victori de sua liberatione gratias retulerunt, et suas ibi compedes nonnulli ipsorum in testimonium reliquerunt.

B

multaque alia beneficia ad patrocinium S. Victoris confugientibus conferuntur.

68 In quadam vigilia passionis Deo dilecti martyris et gloriosissimi patroni nostri, scilicet beati Victoris, quæ XI Kalend. Augusti recolitur, innumerabiles diversæ ætatis atque conditionis viri ac mulieres passim ad ejus postulanda suffragia convenerunt. Inter quos et infirmorum sive debilium non minima multitudo, recuperandæ sanitatis gratia, affuerunt : alii namque suorum manibus adducti ; alii vero in grabatis allati ; nonnulli membra debilia baculo sustentante subnixi, passim ecclesiam repleverunt. Quidam igitur ex illis in eadem die ante solis occasum ; multi vero in nocte sequenti ; nonnulli quoque in ipsa solemnitate diei beneficium sanitatis adepti sunt : adeo enim super his, qui infirmabantur, virtus divina emicuit, ut de illa tanta ægrotantium multitudine pene nullus affuerit, qui optatæ salutis, si eam ex corde petiisset, immunis abscesserit. Videres cæcos ab utero matris suæ mutuo se invicem lumine intuentes, surdos nova mutorum verba, utrisque admirantibus, audientes, claudos sicut cervos (ut legitur) salientes, leprosos recenti cute nitentes, energumenos immundorum spirituum expulsione gaudentes, et in his omnibus laudes et gratiarum actiones cum magna omnium exultatione resonantes : quarum scilicet virtutum numerum sola ejus scientia amplectitur, a quo et per quem hæc facta fuisse creduntur. Testes vero nonnulli, tam monachi vel clerici, quam fideles et laici, nunc usque supersunt, qui hæc una mecum vel viderunt oculis vel manibus attrectaverunt, inter quos et venerabilis Caturcensis *b* episcopus, qui et ipse hæc videre promeruit, et nunc usque tantarum virtutum testis fidelis existit. D

ANNOTATA.

E

a *Chiffletius in margine dubitat, an non sit legendum* repedante eo domino suo *pro* redeunte eo ad dominum suum. *Sed judico, retinendam esse lectionem verbi* reprobante, *præsertim quia Ms. Parisiense legit* reprobante eum domino suo, *id est, domino suo non volente eum amplius habere servum, ut colligitur ex sequentibus, ubi dicitur operam suam alteri domino locasse.*

b *Cum hic Caturcensem seu Cadurcensem episcopum oculatum miraculorum testem appellet, crescit dubitatio superius proposita, circa locum, quo hæc miracula contigerunt. Utinam etiam Auctor nomen episcopi istius expressisset ! tum enim de scriptoris ætate aliqualem conjecturam facere potuissemus.*

C

DE TRIBUS MARTYRIBUS ANONYMIS MELITINENSIBUS.

F

J. P.

Cultus apud Græcos.

FORTE SUB DIOCLETIANO.

Martyres isti

ad quos ex variis Martyribus Melitinensibus videantur potissimum referendi.

Tres hi *Christi Pugiles attribuuntur Synaxario Mazariniano : quibus in Chiffletiano apponitur post eorum annuntiationem hoc distichon :* Οἱ ἅγιοι τρεῖς Μάρτυρες, οἱ ἐν Μελιτίνῃ ὑπὸ δημίων κατὰ πετρῶν σύρομενοι τελ. Sancti tres Martyres, qui Melitinæ a lictoribus per petras raptati martyrium consummarunt :

Δώσουσι φωνὴν ἐκ μέσου πετρῶν ἅμα,
Τὸ τῆς Γραφῆς, τρεῖς θνήσκομεν σεσυρομένοι.
Dabunt vocem de medio petrarum simul,
Ut dicit Scriptura : Tres morimur raptati.

Alludit poeta ad illud Psalmi 103, ℣. 12. De medio petrarum dabunt voces.

2 *De numerosissimo Martyrum Melitinensium in Armenia agmine sub Diocletiano agit Martyrologium Romanum ad diem* V *Septembris ; e quibus tres nominatim memorantur :* Eudoxius, Zeno, Macarius ; *de quatuor autem sacris corporibus Constantinopolim delatis, ac temporibus Justiniani imperatoris repertis, qui eorum beneficio a letali morbo curatus fuerit, agit Baronius in notationibus. De Martyribus Armenis sub eadem persecutione passis laudatus auctor tractans ad annum* 311, *varios recenset Melitinæ martyrio coronatos, quos inter nominantur :* Hiero, Nicander, Hesychius *et alii triginta sub Lysia præside. An nostri tres innominati ex his vel superioribus extracti huc sint non constat. At repugnabit, ut opinor, nemo, si per tres nostros anonymos potius intelligantur aliis tres, qui ibidem nominantur, sub eadem persecutione passi, non expresso mortis genere :* Polyeuctus, Victor et Donatus.. nobiles milites ; licet alii Cæsareæ eorum certamen contigisse referant, *prout ibidem addit Baronius.*

DE

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS

VICTORE, STERCORIO, EMILIANO, HUGALE, SAPHO ET MONTANO.

Ex Hieronymianis. J. B. S.

XXI JULII. Hoc die, *si umquam, manifeste patet imperiti alicujus librarii in laterculo codicis Epternacensis deformando supina inscitia, omnia ferme sus deque vertentis. Sic incipit :* In Africa, natalis Boliæ, Stercori : Massiliæ, Victoris, Coronæ. Et Romæ, Praxedis, Emiliani, Hugalis, Saphi, *etc., quæ omnia turbatissima sunt. Rectius codices alii Africæ sex pugiles vindicant, et Massiliæ* Victorem *ultimo loco referunt, non cum* Corona, *quæ verosimilius sociis applicatur* Alexandro *nempe* Feliciano, Longino *et* B Deuterio : *ut huc perperam* Victor et Corona *intrusi sint, de quibus actum est* XIV *Maii :* Praxedes *vero plane accessoria est, ut cui inter Martyres locus non competat, atque adeo assumentum dici oporteat in codice Corbeiensi :* Et natalis S. Praxedis virginis. *Uniformitas itaque codicum Lucensium, Corbeiensis et Blumiani satis evincit, classem Africanam recte hic a reliquo textu discretam esse, modo nomina apte conveniant ; ut non* Sophiæ *Lucensis legerimus, sed* Saphi ; *item* Stercorii *et* Hugalis *pro* Stercoris *et* Hugal. *Quam parum subsidii ex codicibus minoribus accersi potuerit, diximus supra in Prætermissis.* E

DE SANCTIS MARTYRIBUS CÆSENATIBUS

ADRIANO, HELIO, VICTORE, PATROCLO, CÆSARIANO, ADRIANITIDE, DIMESO, FELICE, AURELIO, THYMAGRATE, ET FORTE THEODOTO ET JULIANO.

Ex Hieronymianis. J. B. S.

XXI JULII. Inter *codicis Epternacensis, quantumvis confusas annuntiationes occurrunt undecim martyres* Cesenæ *Italiæ adscripti, non* Cæsanæ *Indiæ aut Arabiæ, ut nimium scrupulose dubitat Florentinius. Idem est in Lucensibus numerus, quidquid luxata sint, nonnullorum nomina. Postremos duos adjicit apographum Corbeiense, cui* C *in hac parte fidem haberi posse existimo, quod tamen certo asserere non præsumpsi. In effòrmandis solita ferme occurit differentia. Pro* Cæsariano *est in Lucensi* Cæsariane, *turpius in Epternacensi* Tæsianæ ; *quemadmodum pro* Dimesi *seu* Dimeli *scribit* Diomedis ; *et* Timoratis *pro* Thymogratis, *Corbeiensi* Typogratis, *alius forte velit esse* Timocratis. *Ceterum in hisce minutiis tantopere laborandum non video. De* Victore *Massiliensi et sociis suo loco agitur, uti et de* Praxede, *quam Hieronymianis non videri accensendam jam diximus.* F

DE S. ZOTICO EPISCOPO ET MARTYRE

COMANÆ IN ARMENIA.

Ex Martyrologio Romano. J. B. S.

XXI JULII. Inter *Martyres celebrem esse* Zotici *appellationem, ex Actis nostris plusquam manifestum est, utpote in quibus vel solo primo semestri ad usque duodeviginti synonymi referuntur,* *In sacris Fastis ignotus* *quos porro et alii, non minori forte numero subsecuturi sint. Ast inter eos omnes, tum jam præteritos tum deinceps futuros, nullum me, seu in Græcis, seu in Latinis Fastis aut Martyrologiis legere usquam memini cui ea conveniant quæ in hodierno Martyrologio Romano nobis hoc die suggessit Baronius in hunc modum :* Comanæ in Armenia, S. Zotici episcopi et martyris, qui sub Severo coronatus est. *Neque vero habuit quem citaret Baronius præter solum Eusebium, dum in notationibus ita pronuntiat :* Meminit hujus magna cum laude Apollinaris episcopus Hierapolitanus apud Eusebium lib. 5, cap. 15, ubi legitur, hunc adnumeratum inter episcopos fuisse ex vico Comana

(Comanus

AUCTORE J. B. S.

(Comanus episcopus ibi asseritur) licet Nicephorus dicat eum presbyterum Ostrenum lib. 4, cap. 23.

ex Eusebii historia

2 *Quidquid Nicephorus ibi comminiscatur, parum mea interest; forte ei ansam præbuerint, quæ habet Eusebius citato libro, cap. 16, ubi laudatus Apollinaris eum vacat* compresbyterum nostrum Zoticum Otrenum; *at clariora sunt verba quæ sub ejusdem capitis finem habet idem Eusebius ex Asterio Urbano, dum inter eos qui* garrulum illum *Maximillæ, in Montanistarum historia famosissimæ*, spiritum alloquerentur et examinarent, *laudat* viros probos et episcopali dignitate præditos, Zoticum scilicet Comanensem et Julianum Apamenum. *Idem, procul dubio, est, de quo apud eumdem Eusebium caput* 18, *pag.* 186 *editionis Valesianæ additur ex Apollonio*; Zoticum illum, cujus a priore scriptore facta est mentio, cum jam Maximilla Pepuzis se prophetare simularet, supervenientem, dæmonium quo illa agitabatur coarguere instituisse. *Atque hæc sola sunt quæ de hoc Zotico ex Eusebii historia adducere potuit Baronius, cujus textum ex Annalibus ejus ecclesiasticis ad annum*
B 205, *num.* 27 *hic subjungo :*

3 Passus quoque habetur, hac eadem persecutione *(Severi)* urgente, Zoticus episcopus Otrenus *(quid ni* Comanus?) in Armenia, cujus dies anniversaria in tabulis ecclesiasticis XXI Julii est conscripta. Meminit ejus laboris adversus Montani sectatores suscepti Apollinaris, nosque supra retulimus. Hallucinatur Nicephorus qui eum presbyterum, non episcopum nominat : nam idem qui supra Apollinaris, episcopum dicit ex vico Comana in Armenia oriundum : jam enim his temporibus satis dilucide distinctum erat nomen episcopi a presbytero. Virum probum *istic describi, satis certum est, qui non immerito a Baronio Sanctis annumerari potuerit; ast ubi et quo tempore martyrium fecerit, fateor mihi hactenus plane incompertum esse. De Comana Ponti frustra litem movit Baronio Tillemontius, satis enim clare in Martyrologio positionem expressit; alium non* Ostrenum, *sed* Otrenum *in Phrygia episcopum fuisse, insinuat Eusebius, ut diversus non sit ab eo quem Apollinaris* compresbyterum, *vocat, et quidem* Otrenum, *quem etiam a Comano distinxit Valesius in notis ad Eusebium pag.* 97 : *verum quid ex his magnopere erui possit, non video, neque quod hic superaddam, quidquam superest.* E

D *in hodierno Romano refertur.*

DE S. JOANNE ANACHORETA CONF.

AD MARE MORTUUM IN PALÆSTINA.

J. P.

Ex Fastis Græcis ac Martyrologio Romano.

VERSUS FINEM SECULI VI.

Cultus sacer apud Græcos,

A*d diem primam hujus mensis in Commentario prævio Vitæ S. Symeonis Sali, quædam de* S. Joanne, *ejusdem in anachoresi socio, dedimus, quædam distulimus in hunc diem, ipsius cultui sacrum. Notantur ambo in Typico sub nomine S. Sabæ citari solito his verbis :* Sanctorum patrum nostrorum Symeonis propter Christum stulti et Joannis synascetæ ejus. *Kalendarium Græcorum a Genebrardo editum sic ha-*
C *bet :* Symeon eremita et Joannes collega. *Kalendarium vero Syriacum seu Chaldaicum anno* 1624 *Romæ excusum sic :* S. Joannis et Symeonis, qui appellatus est abjectus propter Christum. *Adde Mss. Menæa bibliothecæ Ambrosianæ, Martyrologium Arabico-Ægytium, a Gratia Simonio Maronita Latine redditum, Menæum Chiffletii, Menologium Slavo-Russicum, Horologium impressum anno* 1607, *novum Anthologium Græcum item typis editum, Kalendarium Ruthenorum apud Possevinum excusum tomo* 2 *Apparatus sacri (ubi non apponitur Symeon), Menæa magna excusa, sequente Maximo Cytherorum episcopo, Menologium a Sirleto Latine versum, ac Synaxarium Basilianum : de elogiis consuli potest paragraphus quintus Commentarii modo citati.*

et Latinos; de Vita die I hujus, aliisque ad eum spectantibus.

2 *A Græcis* S. Joannes *ad Latinos transiit : Molanus sic ipsum refert in editione sua secunda, quæ est anni* 1573 : SS. patrum Simeonis, qui propter Christum dictus est Salus, et Joannis synascetæ ipsius. *Utrumque signavit Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt. Causam ignoro, miror magis; cum in Romano uterque signetur ; Symeon quidem die prima hujus,* Joannes *vero hac* XXI : In Syria S. Joannis monachi, collegæ S. Symeonis. *Vitæ hujus postremi, gesta alterius immixta sunt tomo* I *Julii a pag.* 136. *De ætate* S. Joannis *statues ex dictis de ætate S. Symeonis* § 2 *Commentarii prævii, et ex notis chronologicis Vitæ inspersis ; unde sub initia seculi sexti aut paulo serius vixisse, et sub ejusdem finem eodem fere ambo tempore obiisse colliguntur. De scriptore autem Vitæ ejusque laudibus* § 3 *agi-* F *tur. Ceterum solenni Officio coluntur apud Græcos, sicut liquet ex laudatis Menæis magnis, quæ recitant canonem sacrum seu canticum acrostichis litteris in utriusque honorem concinnatum. Supervacaneum foret illum huc transcribere. Suffecerit aliquod specimen sub ejusdem canonis finem :* Unam animam, patres, duobus ferentes in corporibus, scopum habuistis unum in moribus diversis, o Symeon, Joannes : ideo vos laudamus. *Synaxarium Rutheuorum, pluribus descriptum die* XXIII *hujus, occasione SS. Trophimi ac Theophili, hoc habet singulare, quod post Simeonem Salum memoret* Joannem Jejunatoren ; *de quo in Prætermissis hodiernis. Nostrum porro* Joannem *in titulo superiore adscripsimus mari Mortuo in Palæstina, quia ibidem asceticam vitam duxit; Syriæ tamen attribui Sanctus etiam potest cum Martyrologio Romano, quia Syria oriundus, sicut habetur e dicta Vita cap.* I, *num.* I. *Quomodo autem Edessa, quæ locus ei natalis fuit, nunc Syriæ nunc Mesopotamiæ attribuatur, leges in annotatis ad Vitam S. Alexii die* XVII *hujus, pag.* 254, *littera* i.

DE

A D

DE S. SERENEDO CONFESSORE

APUD CENOMANOS IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sancti cultus, translatio, Officium Andegavense, Vita cum fratris Actis communis.

SECULO VII.

De *sancti hujus* Serenedi, *seu* Cerenedi, *alias* Seneredi *(Gallice* Serené *vel* Serné) *de ejus, inquam, germano fratre Cerenico, itidem Sancto, satis fuse actum est ad diem* VII *Maii, ubi difficultates omnes, quæ hic moveri possent, pridem explanatæ sunt, tum circa utriusque fratris patriam, peregrinationem Romanam et Gallicam, munera et ætatem, quæ postrema aliter a Corvasserio, Bondoncto et Cointio definitur, quam eam stabiliverit Mabillonius in Actis Benedictinis seculo* 2, *a pag.* 572, *ut vide jam dicto loco abunde disputatum. Nihil enim ex eo tempore lucis accessit, quo hæc a nobis denuo tractari, aut pressius modo determinari possint. Quæ* S. Serenedi *propria sunt, tam clare in Vita explicantur, ut commentatione opus non sit, nihilque adeo hic illustrandum maneat præter solum cultum, de quo in vetustioribus Martyrologiis nulla usquam memoria. Inter auctaria Usuardina repertus est unicus codex Burdegalensis ita hoc die annuntians :* Salvia, S. Sereneti confessoris. *Clarius paulo et distinctius Castellanus :* Salviæ ad Erviam, prope Sabolium, in decanatu Brunelonio in Cenomanis, S. Serenedi anachoretæ, cujus reliquiæ honorantur in S. Mauritii Cathedrali Andegavensi.

B *Antiquis Fastis prætermissus,*

a Saussayo C

2 *Saussayi elegans oratio hic describi meretur.* In agro Cenomanico, depositio S. Serenedi confessoris mirifici : qui apud vicum Salinam in cellula se recludens, vigiliarum orationumque assiduis obsequiis Deo complacere instituit, perque vitam activam ad contemplativam evectus, munditia cordis egregia præstans, divinis colloquiis, angelorumque etiam amico commercio frui promeruit; qui Deo grata ejus officia, præparataque piis operibus præmia revelabant. Raptibus frequenter ad superna pertractus mira plurima vidit, quæ mortalis hominis captum, quantum cœlestia terrenis præstant, longe exsuperant; divinoque irradiatus lumine, sic purissimæ mentis acie abdita cordium penetravit, ut facta non modo quorumcumque cognosceret, sed cogitationes etiam deprehenderet : insuper singulorum, qui gratia ornati erant, propria discerneret merita. His cum promicaret luminibus, ad eum religiosorum virorum, tamquam ad magistrum sanctitatis, et probatum Dei amicum, turba numerosa confluxit, quos benigne complexus, excellentissimam divinæ majestati obsequendi edocuit theoriam. Multi enim ad eum temporalia subsidia conferebant : quæ Vir divinus, ne devotionem eorum contemnere videretur, cum gratiarum actione recipiens, continuo in pauperum solatia rependebat. Cujus pietatis fœnora Deus misericordiæ et totius consolationis pater miraculi insignis beneficio compensavit.

3 Cum enim clauso ob hominum scelera æthere, pluvia deficeret, tantaque hinc messis immineret sterilitas, ut immensa fame tota circumquaque regio vastaretur; orante servo Dei Serenedo, ut quondam ad Eliæ preces, reserato cœlo, copiosi imbres defluxerunt, quibus terra madefacta ubertatis copiosæ benedictionem recepit. At cum subinde ingens successisset mortalitas, insuperque incursibus hostium tota provincia quateretur, tantis ingruentibus malis, clerus et populus Cenomanicus episcopum adierunt, ejusdem consilium super tot calamitatibus inquirentes. Is censuit, divinum auxilium piis operibus expetendum. Indicto igitur cum Missarum sacrificiis Litaniarum triduano jejunio, postrema denique die cœleste innotuit responsum religioso viro super his afflictionibus Domino supplicanti; flagella hujusmodi a Deo irato immissa, non nisi Serenedi, ejus fidelis servi (cujus merita immensa erant) deprecatione averruncari posse. Unde concursu ad eum facto opem poscentium, Vir Dei pro populo in cilicio et cinere preces fundens, iram superni Regis sua intercessione placavit, pacemque et sospitatem communem impetravit. Alia longe maxima edidit stupenda, quæ antiqua apostolorum et prophetarum facta fere exæquabant; ad quorum desideratum consortium tandem Vir immaculatus, emenso feliciter hujus vitæ decursu, pro strenui famulatus, quem Domino jugiter persolvit, remuneratione, sanctissimo excessu profectus est.

longo ornatur elogio.

E

F

Reliquiis Andegavum translatis,

4 *Mirum prorsus, de sacri corporis Andegavum translatione Saussayum nec verbum addere. Porro quo tempore ea facta fuerit, aut a quo Andegavensi episcopo, tunc* Salviæ *seu* Salicæ *(Saulge) temporali domino, nec auctor Vitæ prodidit, neque ego alibi annotatum reperi : id certum est, Salviæ primum sepultum fuisse* S. Serenedum, *atque Sancti ipsius nomen* (S. Serné) *loco inditum. Testantur vero citati supra Corvasserius et Bondonetus, ille in Innocentio, hic in Domnolo, sacras reliquias Andegavi honorifice depositas, erectumque Sancto altare, ad sinistram ei qui templi navim ingreditur, in quo ambo fratres Cerenicus æque ac* Serenedus *opere anaglyphico sculpti repræsentantur habitu Cardinalitio purpureo, quod nempe in Vita sancti Cerenici num.* 4 *et pressius in nostris annotatis referatur, quod* post modicum tempus *Romæ* elapsum, idem Papa *(verosimiliter Vitalianus)* ob gratiam religionis, utrumque ordinarit Romanæ Ecclesiæ Cardinales. *Quæ quo pacto accipienda sint, vel mediocriter erudito abunde patet, ibique explicatum*

AUCTORE J. B. S.

catum est : satis fuit sculptoribus, nomen Cardinalis audivisse, ut habitum non adeo antiquum ipsis appingerent. Ex Serenedi *nomine* Serenus *aliquis conflatus est, quem inter Andegavenses episcopos in Prætermissis supra collocatum vidimus.*

Sancti festivitas ibidem

5 *De singulari* S. Serenedi *festivitate apud Andegavenses quotannis celebrari solita hoc die certiora tradit ecclesiæ istius Breviarium, quod habemus excusum Parisiis anno* 1624, *ubi in propriis Lectionibus refertur totius vitæ compendium, Saussayano jam dato haud postponendum. Colitur autem Officio duplici sub hac propria oratione :* Deus qui hodiernam diem beati Serenedi solennitate consecrasti; præsta, quæsumus, ut cujus solennia veneramur in terris, ejus apud te suffragia sentiamus in cœlis. *Fit etiam commemoratio S. Serenici ex communi secundo loco, et S. Praxedis. Sic incipit* LECTIO IV: Serenedus et Serenicus fratres, honesto loco Spoleti in Italia nati, litteris sacris summa parentum cura eruditi, cum multum diuque consilium evangelicum secum contulissent: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres B aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit; ac rationem ejusdem consilii perficiendi sæpe a Deo petivissent, tandem divinitus admoniti, relictis parentibus et fortunis, Romam profecti sunt; ibique ab omni rerum temporalium cura liberi, diu latentes, in oratione et rerum divinarum contemplatione, vitam angelis magis quam hominibus similem traduxerunt.

Officio duplici quotannis celebratur.

6 LECTIO V. Ubi vero eorum sanctitas cœpit inclarescere, summus Pontifex ad se vocatos Ordine diaconatus insignivit, et, renitentes licet, ad honorem evexit Cardinalitiæ dignitatis. Verum cum splendor tanti honoris longe ab humili eorum instituto alienus, Sanctis viris non placeret; veriti ne, quod sæpius accidit, religionis obtentu, vana seculi gloria initum a pueris consilium labefactaret, Roma relicta, regnante Clotario in Galliam pergentes, Salviam pervenerunt Cenomaniæ vicum. Quem locum rati studio contemplationis accommodum, in eo constiterunt; donec Serenicus hominum turbam magis C devitaturus, relicto fratre, ad pagum Oximum se contulit, ubi cum diu solitarius latuisset, ædificata ecclesia in honorem sancti Martini, munitus sacris Ecclesiæ mysteriis; Nonis Maii animam Deo reddidit. LECTIO VI. Serenedus autem Salviæ relictus, studia indefesse persecutus contemplationis et orationis, ab iis numquam, nisi urgente charitate, abstrahebatur. Implorata per episcopum ejus apud Deum intercessione, Cenomaniam et circumvicinas regiones, longa sterilitate vexatas, suis precibus liberavit. Archidiaconus factus, licet invitus id muneris suscepisset, seipsum in doctrina, in integritate, in gravitate exemplum præbebat bonorum operum: ut non esset, a quo non optime audiret, et sanctus haberetur. Diem vitæ præsagiens ultimum, suos admonuit, et eos ad omnia pro gloria Christi fortiter ferenda gravissime cohortatus, migravit in cœlum. Corpus ejus primum loco honesto Salviæ sepultum est; unde postea in ecclesiam Andegavensem translatum, magna ibi veneratione, et votorum frequenti nuncupatione colitur.

7 *Ad Vitam Sanctorum fratrum quod attinet, est ea pro magna parte utrique communis, quam* VII D *Maii datam, supra jam diximus; saltem quousque ambo vitam eremiticam in agro Cenomanensi una duxisse leguntur; ut adeo numeri omnino septem capitis primi hic reliquæ* S. Serenedi *historiæ omnino præfigi deberent, nisi jam in Sancti fratris Actis pridem excusa essent omnia separationem prægressa, quam hac ratione institutam ibi invenies :* Sed cum Dominus ex gemina lampade gemina disposuisset illuminare loca, necnon et duas provincias decorare; B. Serenicus tam fertile repudians solum, parcius atque solitarium perquirere deliberat; scilicet hominum frequentiam fugere, et solitariam cœlesti contemplatione dignam cupiens deducere vitam. Hac autem secum deliberatione habita, germanum amabili affatus eloquio, et benedictionem cum lacrymis fundens: In cœlesti patria nos, inquit, mereamur indeficienti visu cernere. *Reliquum istius capitis et totum sequens usque ad finem ad S. Serenicum, apud Sagium agentem, pertinet; hic* S. Serenedi *nostri Vitæ reliquum seorsim decursum ex Actis Benedictinis subjiciendum superest.*

Pars Vitæ S. Serenici cum hac connectenda.

E

VITA

Ex seculo secundo Benedictino.

Sacris studiis vacans,

Sanctus ergo Serenedus cum apud vicum Salviam in pago Cenomanico remansisset, summa discretione instituit, qualiter viveret, scilicet quantum abstinentiæ, vigiliarum, orationum, ceterorumque bonorum Deo cotidie indesinenter offerret. Sæpe tamen hunc modum excessit, prout sibi gratia Spiritus adspirasset. Eo denique plenus, per activam ad contemplationem evectus vitam, interius deliciis pascebatur, præsertim qui per munditiam cordis divinis colloquiis et angelorum visionibus frueretur, qui suos labores pio solatio relevarent, et æterna sibi gaudia nuntiarent. Unde sæpius contigit ut di- F vino Spiritu super se raperetur, adeo quod non solum facta, sed multorum etiam cogitatus cognosceret, et Spiritu veritatis edoctus, nullatenus falleretur, nec in ejus præsentia quispiam mentiri auderet. Excrevit igitur fama bonitatis ejus in populo, ac religiosorum virorum ad eum turba confluxit, certatim sibi temporalia bona ferentes, quæ quidem caritatis gratia suscipiebat, sed statim pauperibus erogabat, quibus e converso cœlestis vitæ documenta reddebat, solerter præcavens, ne quis ab eo absque aliqua ædificatione recederet.

multos ad se allicit, quos ad caritatem hortatur.

2 Si quis desperatus peccator ad eum venisset, tantis hunc irrigabat doctrinæ fluentis, ut, relictis erroribus et peccatis, lætus et alacer remearet. Unicuique, sicut expedire videbat, cœlestis dona fluenti præbebat; discordes ad pacem perpetuam revocabat. Cujus monitis multi patrimonia terrena reliquerunt, et calcantes caduci oblectamenta mundi, ejus sacro consortio penitus adhæserunt. Nam cum esset litteris eruditus, et omnis ejus sermo sale conditus in gratia, eos

qui

A qui sibi adhæserunt tam doctrina, quam vita jugiter informabat, qui si quando ab oratione vel exhortatione vacaret, lectioni intentus, assidue studebat profunda Scripturarum rimari, veteris ac novi convenientiam inspicere Testamenti. Vir prudens et simplex ac pacis amator, vultu semper et animo placidus, nulli pro malis noverat reddere talionem. At si quispiam de amissis rebus sibi aliquid nuntiasset, pectore tranquillo Dominum datorem et ablatorem omnium collaudabat : nec erat ei in suscipiendis hospitibus personarum acceptio, sed divinum in his potius quam humanum attendebat honorem.

Cenomanos fame, peste et bello oppressos,

3 Intentus ergo tam sanctis operibus, cœpit magnis clarere miraculis : non enim lucerna abscondi sub modio, nec civitas super montem posita poterat non videri. Tempore quodam, clauso diutius cœlo, cum terris pluviæ negarentur, tanta fuit messis sterilitas, ut immensa fame tota pene provincia vastaretur : desiccabat enim nimia terram ariditas, et colonis fructum nulla fere semina referebant. Præter hæc ingens successit morta- B litas hominum et ex aere jam corrupto vicinum multis minabatur interitum. Erat autem videre mirum, quod cum aliqui moribundi mortuos sepelirent, protinus exspirantes cum eisdem sepelirentur. Super hæc incursibus hostium atque bellis, quorumdam superbia principum tota provincia turbabatur, ut revera videretur impletum, quod in Propheta Dominus comminatur : In tribus, inquit, visitabo populum meum, in peste et fame et gladio.

rogante urbis præsule,

4 Tantis igitur ingruentibus malis, omnis, clerus et populus Cenomanicum præsulem adeunt, ejus consilium super tot calamitatibus inquirentes : qui ubi humanum cessit auxilium, decrevit a Deo precibus expetendum. Indixit igitur cum Litaniis et Missis triduanum jejunium. Tertia vero nocte jejunii, cuidam Religioso revelatum est, B. Serenedi meritis patriam liberari. Eo igitur agnito, præsul gavisus est, et venerandis sumptis secum a latere viris, ad virum Dei per semetipsum accessit, a quo cum honore susceptus est. Libatis igitur osculis, post amatoria verba notitiæ, virum secretius advocat, adventus C sui causam et ordinem pandit, nec sine nutu Dei huc se venisse refert. Abnuit Sanctus, seque indignum, nec talis meriti fore dicit, per quem liberetur. Instat præsul dicens revelatum a Deo, ipsum nisi cedat, ex inobedientia reum, per quem populus deperiret. Tandem justis convictus rationibus cessit, et licet se diceret peccatorem, spondet tamen pro populo oraturum.

precibus suis liberat.

5 Recessit igitur pontifex. Tunc vero vix crederes quanta se afflictione compressit, quantum se lacrymis, jejuniis, vigiliis orando perdomuit. Igitur quia multum valet deprecatio justi assidua, accepit quod petiit, invenit quod quæsivit, atque pulsanti apertum est. Pluit igitur abunde et congrue, atque ipso anno tanta frugum omnium erupit ubertas, ut prædictam inopiam penitus aboleret. Quibus imbribus lotus aer salubriter temperatus est, fugataque peste, ingrata mortalitas desiit. Ubi attende, quod dum præsentem mortem tot pro certo morituris nec etiam morientibus distulit, tot quodammodo mortuos suscitavit. Post ubi compertum est, hoc ejus meritis accidisse, compuncti belli duces, ejus consilio pacem fecere, sicque fames, pestis et bella pariter quievere. O magni meriti Virum! O quam mirabilis Deus in Sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis! EX IMPRESSIS.

Archidiaconus fieri recusat.

6 Hunc præsul honorans invitum et coactum archidiaconum statuit. Obstat ille, et causatur se diaconum Cardinalem Romanum minui non debere. Tandem hoc solo cessit, ut eo consulto res gererentur. Exinde Sanctus in summo honore a cunctis habitus est, et per ipsum confidentius a Deo indulgentiam postulabant. Nam tanta inerat ei gratia sanitatum, ut non solum ejus tactu et verbo, quin etiam vestibus sanarentur infirmi, ac quando manus lavisset, multi ex aqua loti vel poti febribus curabantur. De fragmentis panum vel de ciborum reliquiis, quas quidam fideliter longius asportabant, ægri sanati sunt. Leprosum quondam sibi notum precibus sanitati restituit; aliquibus cæcis lumen crucis signaculo reddidit Gessit multa, quæ si quis per singula diceret, ante dies quam opus deficeret; sed fastidium vitans ejus vitæ finem veloci stilo decurram. E

Obitus sui præscius moritur.

7 Cum igitur tantorum laborum vices Dominus sibi reddere vellet, graviter infirmatus mortem adesse sensit. Convocatis ergo discipulis rem prædicit, quorum mox lacrymis atque planctu vicinia conturbatur. Ubi cum multitudo promiscua convenisset, hortabatur eos ut benefacientes non deficerent, nec dubitarent ferre dura, et aspera mundi pro Domino, quibus corona daretur æterna; scirent se tamquam advenas et peregrinos a carnalibus desideriis abstinere debere, pro quibus æterna tormenta parantur. Cumque talia diutius perorasset, sumpto Sacramento corporis Domini, præclaram, quam sibi dederat, animam sine macula reddidit Creatori. Audita est in ejus obitu cœlestis melodiæ suavitas angelorum canentium, et odor insolitus multorum naribus infundebatur. Ad ejus exsequias tota fere convenit provincia, eum ut patrem patriæ lamentantes. Sepultus est ergo in ecclesia, ubi miraculis clarus jacuit per tempora longa, et ibidem cernuntur adhuc sepulchri vestigia. Nam corpus ejus postmodum Andegavim translatum est : quod qualiter factum sit, sicut ab antiquis traditur paucis dicam. F

Corpus Andegavum translatum.

8 Fama refert, quod dono cujusdam Salvia vicus ille in dominium Andegavensis episcopi devenisset. Quem cum aliquamdiu possideret, quoniam vicus idem remotior esset ab urbe Andegavensi, ipsum pro quodam, qui nunc Vicus episcopi dicitur, dedit, unde etiam hoc nomen traxit. Detulit igitur inde præsul B. Serenedum, et in ecclesia pontificali condidit cum honore. Quod si res aliter sit, certum est in episcopali ecclesia B. Mauricii Sanctum istum haberi, quem populus Andegavensium orat, clerus honorat, et ejus festum recolit duodecimo Kalendas Augusti. Est enim magni meriti Sanctus, qui in carne vivens a plebe Domini pestem, famem et bella removit, nunc etiam carne solutus plus removere potest. Unde valde honorandus atque orandus est, ut se veneranti clero et populo corporis et animæ salus proveniat, atque ejus meritis vitam æternam consequantur ab eo qui vivit et regnat in ævum. Amen.

DE

A

D

DE S. ARBOGASTO

EPISCOPO ARGENTORATENSI

P. B.

IN GERMANIA PRIMA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sancti cultus.

ANNO DCLXXVIII.

B

S. Arbogastus Argentorati a multis seculis cultus,

Quanta jam olim S. Arbogastum *suum Argentina, sive Argentoratum, vel, ut modo vocitatur, Strasburgum veneratione coluerit, testatur auctor anonymus in Vita S. Deicoli, scripta anno Christi circiter* 965, *quam dedimus tomo* 2 *Januarii ad diem mensis ejusdem* XVIII : *sic enim habet cap.* 1 : Nec incuriose prætereundum videtur cis-Vosagicas Alsatiæ partes, quarum caput atque decus omne civitas Argentina dignoscitur, quæ vulgarico vocabulo Strazburch vocatur; quæ exceptis reliquiis principalibus, proprios se gaudet possidere patronos, quos a Domino suscepit veræ fidei fundatores et divini verbi providos seminatores, id est, Amandum, Justinum, Arbogastum, Florentium, et alios non nullos, quorum nomina in beati ordinis albo superna illa regia sine fine tenet caraxata.

antiquis Martyrologiis, si Germanicum unum excipias, ignotus fuit; non item recentioribus.

2 *Miramur ergo, cum nullam ejus mentionem vel apud Adonem, vel apud Usuardum, vel alios antiquiores celebrioresque Martyrologos reperimus. Apud Adonem, inquam, vel Usuardum; quo nomine genuinum utriusque textum intelligo : nam in appendice quidem ad Martyrologium Adonis a Rosweydo nostro editum hæc legi scio ad* XIII *Kalendas Augusti* : Eodem die, sancti Arbogasti episcopi et confessoris; *quæ eadem verba hoc die sunt in Florario nostro Sanctorum Ms. seculi* 15; *nisi quod ad titulum* episcopi *addatur* Argentinensis. *In auctariis vero Usuardinis quam sit frequens ejus memoria, videri ad eamdem diem in editione nostra potest. Porro antiquissima Sancti nostri in Fastis sacris annuntiatio ea videtur esse, quæ notatur in Martyrologio ecclesiæ Germanicæ, quod Beckius per septingentos annos delituisse ait, cum illud ederet Augustæ Vindelicorum anno Christi* 1687; *in eo hæc leguntur ad diem* XII *Kalend. Augusti* : Praxede virg. et Danihelis proph. et Arbogasti conf. *Paulatim tamen sanctitatis ejus fama, prodentibus, ni fallor, miraculis, fundi latius cœpit, ac nomen sacris toto passim Occidente tabulis inseri, ut ex auctis Adoniano, Usuardinoque Martyrologiis, Wione, Dorganio, Menardo, aliisque licet intelligere; quibus tandem etiam accessit Martyrologium Romanum, eumdem cum ceteris omnibus diem ipsi festum assignans* XXI *Julii, ubi sic illum refert* : Argentorati, sancti Arbogasti episcopi, miraculis clari.

C

Officium ejus in variis ecclesiis recitatum,

3 *Officium quoque de* S. Arbogasto *quibusdam in ecclesiis pridem recitatum invenio : puta apud Moguntinos, in quorum Breviario, excuso Venetiis anno* 1495, *notatur die* XX *Julii Officium ejus ex communi confessoris pontificis ritu feriali, cum propria collecta. Consonat Breviarium Moguntinum anno* 1507, *nisi quod in rubricis moneat* : S. Arbogasti ferialiter, sicut de confessore pontifice; sed in ecclesia Moguntina habentur novem Lectiones. *At in alio ejusdem ecclesiæ Breviario, Coloniæ impresso anno* 1570, *mutata est Collecta, et additæ sunt binæ Lectiones propriæ, quarum prior continet præcipue miraculum suscitati ad vitam filii regis Dagoberti; altera calcatas ab eo sæpius siccis vestigiis Bruschæ fluminis aquas. Apud Constantienses celebratur festum aliquanto solennius die suo, id est,* XXI *Julii, ut patet ex eorum Breviario excuso Lugduni anno* 1561; *in quo et diversa est a præcedentibus Collecta, et Lectiones primi ac secundi nocturni sex propriæ ponuntur ex Actis fere nostris, servata plerumque phrasi, depromptæ; cetera sunt de communi confessoris pontificis; Evangelium* : Sint lumbi vestri præcincti. *In alia ejusdem diœceseos Breviarii editione Dilingana anni* 1575 *eadem servatur Collecta, sed Lectiones primi nocturni petuntur, de Scriptura, ut aiunt, occurrente; secundi propriæ sunt, sed a præcedentibus longe diversæ; reliqua cum priori conveniunt. Breviarium Wormatiense, impressum Moguntiæ anno* 1576, *aliam iterum Collectam exhibet cum tribus tantum Lectionibus, iisque propriis, et ex Vita nostra petitis.*

E

solennius tamen Argentorati, in quo propria sunt pleraque :

4 *Verum hac parte ceteris ecclesiis multum antecellit Argentinensis, cujus Breviarium habemus excusum anno Christi* 1489. *In eo namque ad diem* XXI *Julii Antiphonæ ad Matutinum, Laudes ac Vesperas; Lectiones item et Responsoria omnia sunt propria : et Lectiones quidem sunt novem, per tria nocturna tributæ, quas idcirco prætereo, quod sex priores sint ex Actis infra dandis verbum propemodum de verbo translatæ, præcisis tamen brevitatis causa non paucis; tres autem reliquæ, quæ ad nocturnum tertium pertinent, assignentur ex homilia in Evangelium* : Homo quidam nobilis, *etc. Reliqua, quia peculiaria sunt, studioso lectori hic repræsentanda putavi. Initium faciam a primis Vesperis, quarum Antiphonæ sic habent* :

F

ad primas Vesperas.

5 1. Gaude, nobilis ecclesia, spiritalis argenti fulgens elegantia, quæ tui patris Arbogasti votiva recolis solennia. 2. Hunc nobis specialem mater Hibernia misit pastorem, cujus lactis imbuti dulcedine, cœlesti quandoque fruemur plenitudine. 3. Sanctus itaque pater Arbogastus, desiderio vitæ perennis inflammatus, paterno solo renuntiat; ut multos exemplo suo perfectos efficiat. 4. Laudatur merito beati Arbogasti sapientia,

A pientia, ejusque memoria perpetuo vigebat [*forte pro* vigebit] in ecclesia, quam multiplici virtutum decoravit efficacia. 5. Lætemur igitur in tanti patris Arbogasti festivitate, cujus patrocinio veniam peccatorum, et consortia civium speramus consequi supernorum. Capitulum. Plures facti sunt sacerdotes, *etc.* ℟. Sancte præsul Arbogaste, pie tibi famulantibus assiste, defensando gregem, placando poli sibi regem. ℣. Te plebs ista bonum lætetur habere patronum. Defensando, *etc.* *Super Magnificat antiphona* : O fons totius bonitatis Deus ! A te bona fluunt, ad te recurrunt : quia longe ab insulis partem bonam maris Arbogastum usque ad nos manare fecisti ; per quem nostram aridam fluminis tui impetu rigasti. Concede nobis, Jesu bone, viventium te fontem aquarum hanc venam sectando. *Oratio*, Adesto, Domine, *etc.*, *ut modo legitur in communi confessoris non pontificis.*

ad nocturnum primum, 6 *Ad Matutinum præter invitatorium proprium in primo nocturno hæ sunt antiphonæ.* 1. Claris ortus natalibus, Hibernia oriundus, velut unum ex B fluminibus paradisi, Arbogastus emissus est. 2. Infantiæ teneris annis decursis, sacris litteris a parentibus traditur erudiendus. 3. Puer vero animi ad sacra præcepta capacis existens, fluenta doctrinæ sitienti pectore potabat. *Responsoria et versiculi post singulas ejusdem nocturni Lectiones ex Actis, ut dixi, nostris excerptas, sic habent :* 1. ℟ Beatus Arbogastus nobilibus et, quod est excellentius, parentibus Christianis editus, a puero cœlestis tirocinii rudimenta suscipiens, Christianæ religionis venerator, ac præcipuus semper exstitit cultor. ℣. Qualis juvenili futurus esset ætate adhuc in tenera indole præmonstrabat. Christianæ religionis. ℟. 2. Arbogastus puer non puerili lascivia relaxabatur ; sed totus circa ecclesias et loca sancta semper intentus, perfectissimis quibusque studuit artius inhærere : quo Catholicæ documenta fidei per illos et bonorum operum exempla combiberet ℣. Sectabatur ultra vires opera misericordiæ ; ut, quantum posset, indigentibus subveniret. Perfectissimis quibusque. ℟. 3. Jam vero annos adolescentiæ ingressus, cum rerum suarum potestatem habere cœ- C pisset, tantam circa pauperes Christi curam habebat ; ut in eorum alimenta, cuncta quæ possederat, erogaret. ℣. Nimirum verbis beati Job Vir iste sanctus poterat uti : Ab infantia crevit mecum miseratio. Tantam circa.

ad secundum, 7 *In secundo nocturno antiphonæ* 1. Fuit beato Viro moris etiam Sanctos quosque pro studio imitationis adire ; et singulorum virtutes in vitæ propriæ ornamenta vertebat. 2. Hujus continentiam, illius sectabatur jocunditatem ; istius largitatem, illius vigilias, alterius æmulabatur industriam. 3. His et talibus sanctæ conversationis studiis cunctos in admirationem sui amoremque converterat. ℟. 1. Vir beatus cum terrenarum opibus facultatum abundaret, non surda aure illud evangelicum percipiens : Nisi quis renuntiaverit omnibus, non potest meus esse discipulus, pauper pauperem Christum sequi disposuit. ℣. Reddere illi animo ardenti exæstuans, qui dives cum esset, pro nobis pauper fieri dignatus est : pauper pauperem. ℟. 2. Sanctus itaque Dei Famulus, toto desiderio in Dominum versus, patriæ, parentibus, amicis, seculo denique renuntians, eremum concupivit : et in partes Francorum, Domino ducente, pervenit. ℣. Ut sine solicitudine hujus mundi Deo totus vacaret, sedem hominum conversationi secretam elegit. Et in partes Francorum. ℟. 3. Ea tempestate regnum Francorum gubernabat Dagobertus, sub nomine terreni imperii miles regis æterni, quæ cæsaris cæsari, quæ Dei erant Deo reddens : cui Vir sanctus, virtutum fama prodente, innotuit. ℣. Non enim sub modio latere lucerna poterat, quam Dominus, ut multis luceret in domo, præpararat. Cui vir.

AUCTORE P. B.

ad tertium ; 8 *In tertio nocturno antiphonæ* 1. Cumque Sancti fama longe lateque crebresceret, ad Argentinensis pontificium civitatis concordi regis, sacerdotum, ac civium voluntate et communi acclamatione non minus raptus quam electus est. 2. Qui licet omni conamine reluctaretur, vicit tamen pium devotæ plebis desiderium ; atque inexplebili cunctorum gaudio, pontificali sublimatur cathedra. 3. Erat enim lucerna, veri luminis accensa gratia, atque ideo supra candelabrum dignissime constituenda, ut omnibus in domo Dei, verbo et exemplo, veritatis lumen in- E funderet. ℟. 1. Jam vero, sumpto episcopatu, qualem se quantumque præstiterit, non est humanæ facultatis evolvere. Idem nempe perseverabat qui prius fuerat. Eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu vilitas erat ; atque ita episcopii dignitatem implebat, ut tamen pristinæ religionis propositum non amitteret. ℣. Verbi divini doctrinam cunctis impendens quotidie, nullum tempus a salutari prædicatione vacuum esse sinebat. Atque ita. ℟. 3. Erat quoque familiare beato Arbogasto ad oratorium, quod ab urbe trans fluvium submoverat, mundi clamorem declinare, illicque ad exemplum pristinæ anachoresis secretis cœlestibus vacare : cujus sub plantis in transitu unda se calcabilem præbuit. ℣. Hac virtute sanctum suum Dominus ornare dignatus est, ut dignum Petri successorem cunctis fidelibus ostenderet. Cujus. ℟. 3. Te mirabilem in Sanctis tuis, Domine rex regum, collaudamus ; tua opera, Christe, tua miracula prædicamus : qui sanctum tuum Arbogastum ita dignatus es glorificare, ut illum de morte faceres mirabiliter triumphare. ℣. Apostolico quippe illum merito F coæquasti, dum per illius merita filium regis a mortuis revocasti. Qui sanctum. Gloria. Te mirabilem.

ad Laudes, etc. 9 *Antiphonas in Laudibus positas prætermitto ; quod non nisi pios ecclesiæ Argentinensis erga Pastorem suum affectus exhibeat, nec ad Vitæ ejus historiam quidquam conferant, præter antiphonam ad Benedictus, quæ his verbis concepta est :* Cum Dominus Electum suum post decursa hujus vitæ stadia remunerare decerneret, cœpit Vir Dei æmula corporis infirmitate stimulari ; qua ingravescente, dissolutionem sibi imminerere præscius, extra portam sepulturæ locum delegit, ne vel in morte Domini extra portam passi vestigia relinqueret. *Sequitur Oratio* : Deus, qui nobis hujus diei solennitatem beati Arbogasti confessoris tui atque pontificis commemoratione fecisti ; adesto familiæ tuæ precibus, et præsta, ut cujus natalia celebramus, ejus meritis apud te et intercessionibus adjuvemur. Per Dominum. *Hæc ergo dies Julii* XXI *coli dicitur, ut* S. Abrogasti *natalitia ; quod idem repetitur in antiphona super*

AUCTORE P. B.

Magnificat, in secundis Vesperis, quæ sic sonat : Beatissimi et ante secula prædestinati nobis Pontificis hodie solennitas veneranda recolitur, in qua de terris assumptus post longa hujus vitæ certamina cœleste capitolium, tamquam miles emeritus a Christo coronandus intravit. Quapropter veneranda hujus Patris suffragia imploremus : habebimus nimirum apud Deum intercessorem, quem specialem meruimus habere pastorem.

Sancti cultus ex antiquis Missalibus ostenditur.

10 *Habemus et Missale impressum Argentorati anno Christi* 1512, *in cujus Kalendario ad* XII *Kal. Augusti rubrica notatur festum* S. Arbogasti, *non secus atque alia, quæ in populo celebrantur. In Missa vero nihil admodum est singulare præter Sequentiam, quæ sic habet :* Pange sincera voce, fidelis ecclesia, quæ sponsi replicas tui Patrisque fessa solennia, Arbogasti, præsulis Christi virtutes, merita recolens. Lætetur tanto Filio mater Hibernia : exultet Hospite religiosa Gallia. Tu Sponso gaude fideli ; tu Patre optimo, Pastore sanctissimo lætare semper devota, Hic pro patribus tibi natus, in Christo te progenuit : Christo despondens te virginem exhibere castissimam, Hujus doctrina Præsulis Dei eloquiis columna mundissimis deargentata nitescis. Cujus exemplis optimis fidem purissimam, quam monstras opere, claro testaris nomine. Cujus virtutibus plurimis polles, divina illi quæ contulit gratia. Nam Apostoli Principis verus successor undas calcabiles transiit. Et mirabile tropheum morte de triumphata retulit. Virtute Dei mortua rursus corpora vitæ suscitans. Hic cæco lumen, debili gressum reddidit. Hic nudo vestis, egeno victus exstitit. Hic viribus omnibus et toto desiderio in Dominum versus, terrenis cunctis renuntiat. Cujus ore prodiit semper justitia, fides, caritas, et cuncta ad veram vitam spectantia. Nunc ergo læti tanti Patris præconia canamus. Ipsius ore et animo suffragia poscentes ; Ut qui mira fecit in terris, semper intercessorem sentiamus pium in cœlis. *Est et Missa de* S. Arbogasto *in Missali Moguntinensi, edito anno Christi* 1493 ; *sed minus celebris, nec quidquam continens peculiare ; uti neque illa, quæ legitur in Missali equitum Melitensium, quod prodiit Argentorati anno* 1505 ; *in cujus Kalendario prævio festum* S. Arbogasti *celebrandum notatur per Ordinem universum ritu semiduplici.*

Ejus memoria in Rhætia.

11 *De reliquiis* S. Arbogasti *erit infra dicendi locus ; prætereunda non est hic tamen Rhætorum erga illum pietas : quippe qui ecclesiam ejus nomini sacram, haud procul Veldtkirchio ad fauces Montfortias, eo loco posuerint,* ubi olim Divus habitasse memoratur, *inquit Bucelinus in Menologio Benedictino ad hunc diem ; quæ prodigiis multis illustrata peregrinos eo frequentes alliciat. Ibidem* saxum, *inquit idem,* ostenditur durissimum profunda et prodigiosa genuum ejus impressione nobilitatum, multis etiam hodie, pedum languore seu defatigatione afflictis, admodum salutare. *De hac æde meminit idem auctor in Rhætiæ chronologia pag.* 141, *et in ea sæpius celebratam a se sancti* Arbogasti *ad aras memoriam profitetur.*

§ II. Acta ejus, et scriptores illorum.

Auctor Vitæ S. Arbogasti nullus Sancto æqualis aut suppar;

Ex quo inventa est ars typographica, auctores plurimi non orthodoxi tantummodo, verum etiam hæretici Acta S. Arbogasti *vulgarunt ; ita tamen ut quo juniores ii sunt, eo fere proferant copiosius argumentum. Quare ne quid in hac re temere ac sine idonea satis auctoritate assertum obtrudamus, primos, quantum quidem fieri potuit, detegere fontes conati sumus ; et quamquam auctores aut Sancto nostro æquales aut suppares assequi non licuit, ad eum devenimus tamen, qui omnium primus hæc Acta litteris mandasse videatur ; ut ex hoc ejus exordio liquet :* Sanctissimi sacerdotis Christi Arbogasti exortum, vel conversationem ejus a puero ad provectionem usque pontificatus seu antiquitas oblitteraverit, vel scriptorum raritas non declaraverit, quia scriptio non docet, incertum habetur. At vero tanti Patris insignia, quibus in diebus suis, miraculis coruscantibus, claruit, non ex toto sunt silentio oppressa, quæ per aures fidelium transeundo, posteris narrantibus, auribus nostris sunt infusa, Tradunt namque, *etc.*

antiquissimum tamen proferimus,

13 *Quibus quidem verbis haud obscure significat primo : quantum a* S. Arbogasti *temporibus distet, cum ea nomine* antiquitatis *appellet ; deinde, cur illa prætermiserit quæ Sancti pontificatum antecedunt, quod ea nempe nec antiquitas traditione, nec scripto historia conservasset ; postremo miracula se tantummodo quædam afferre, non quæ scripta prius uspiam legerit, sed quæ, per aures fidelium transeundo, posteris narrantibus, auribus ejus sint infusa ut solam historiæ suæ testem adducat piam illam, quæ ad ejus usque tempora perseveraverat, fidelium traditionem. Frustra sit igitur, qui scriptorem Vitæ* sancti Arbogasti *hoc nostro (quisquis hic demum fuerit) antiquiorem requirat. Nec vero sine vade ac teste admittendum videtur, si quid auctores alii, nostro utique juniores, de sancto hoc Præsule vel amplius vel contrarium narrant ; quando unicum eorum omnium, quæ de illo sciuntur, fundamentum piorum hominum est traditio, quæ in rebus ejusmodi hoc minus suspecta solet esse, quo ceteris est magis antiqua.*

et saltem seculi decimi,

14 *Quod si quis me roget, quem tandem, aut cujus ætatis esse putem auctorem nostrum ; id me fateor nullo certo indicio posse definire. Si tamen verum est, quod tradit Guilielmus Eysengreinius in Catalogo testium veritatis, excuso Dilingæ anno Christi* 1565, *et ex eo Possevinus noster in Apparatu sacro, aliique in suis bibliothecarum scriptorumque commentariis ; si verum est, inquam, Vitam* S. Arbogasti *scriptam fuisse ab Uthone, qui hoc nomine secundus (juxta Wympheliugum tertius) episcopum egerit Argentinensem ab anno Christi* 950 *usque ad* 965, *ausim affirmare, auctorem nostrum seculo decimo juniorem non esse ; atque adeo vel ipsum esse Uthonem, ut sentit Henschenius noster in Diatriba de tribus Dagobertis pag.* 77 ; *vel alium quidem, sed Uthone priorem : quippe qui nullum ante se Actorum* S. Arbogasti *scriptorem noverit.*

15 *Et de Uthone quidem haud levis est conjectura : convenit certe tempus : nam si primum ab illo*

A *ipsumque forsitan Uthonem episcopum Argentinensem,* *illo scripta sint hæc Acta seculo decimo, recte dicere potuit, multa quæ ad Sancti vitam pertinebant,* antiquitate *fuisse* oblitterata; *ut qui tertio post* S. Arbogastum *seculo scriberet. Convenit etiam locus: Argentinensis enim episcopus erat Utho: apud Argentinenses autem scripsisse auctorem nostrum tum ex eo colligitur, quod* sanctum Arbogastum patris *nomine compellet, tum etiam quod ibi opus hoc elaboraverit, ubi præcipua vigebat miraculorum ejus operumque in pontificatu Argentinensis ecclesiæ gestorum memoria, quæ* posteris narrantibus *ipse didicerit. Denique si Vitam* S. Arbogasti *aliquam composuit Utho, eam haud dubie bibliothecæ etiam Argentinensi, quam tanto studio, testibus Wympheliugo, Eysengreinio, aliisque, locupletare conquisitis undique libris conatus est, reliquerit; aut certe cum popularibus ipse vicinisque, præsertim religiosis atque ejusmodi lucubrationum amantibus, communicaverit; qui eam in codices quoque suos transcripserint; atqui non alia* S. Arbogasti *Acta relata in codices Mss. istic invenimus, quam ea, quæ modo daturi sumus: restat ergo, ut opus Uthonis ea esse censeamus.*

B *ex duplici Ms. cum exemplaribus excusis collato,* 16 *Nam geminum habemus ejusdem Vitæ apographum; iisdem utrumque verbis conceptum, utrumque ex vicinis Alsatiæ locis depromptum: alterum quidem ex Ms. cœnobii S. Maximini apud Treviros; alterum vero ex Ms. codice cœnobii Wiblingensis Ordinis S. Benedicti prope Ulmam in Suevia. Neque præter bina hæc manuscripta aliud nacti sumus, nisi schedam exiguam desumptam ex codice bibliothecæ Vaticanæ num.* 110, *quæ Vitæ nostræ compendium exhibet in tres Lectiones, ad usum chori, dissectum, et ab auctore nostro usque adeo non recedens, ut iisdem passim phrasibus insistat. Eademne etiamnum Vita apud Argentoratenses manuscripta servetur, haud equidem scio; in usu tamen olim ibi ac pretio fuit, ut colligo ex Breviario, de quo ante memini, ad usum Argentinensis ecclesiæ typis expresso anno Christi* 1489; *ubi in sex lectiones primi ac secundi nocturni tributa legitur eadem omnino Vitæ, pauculis tantummodo compendii causa detruncatis. Ex quo id confici saltem potest, Acta hæc nostra præ aliis recepta jam olim in ipsa, quam* S. Arbogastus *ad mortem usque rexit ornavitque, ecclesia fuisse.*

C *missa alia Vita impressa Lovanii;* 17 *Præ aliis, inquam: nam et alia ejus Acta habemus; non manuscripta quidem, sed jam inde ab anno Christi* 1485 *impressa Lovanii inter alias Sanctorum Vitas fol.* 97 *verso. Quin et easdem Sanctorum Vitas, biennio ante Coloniæ excusas, Corsendonci in Campinia apud canonicos regulares servari notavit Rosweydus noster. Differunt a nostris hæc Acta præcipue* 1. *Quod careant exordio illo, quod supra num.* II *dedimus.* 2. *quod* S. Arbogastum *de Scotia oriundum in Alsatiam venisse narrent cum aliis sociis suis, de qua re disseremus inferius.* 3. *quod pleraque compendiosius describant, verbis tamen hinc inde ex Vita nostra desumptis.* 4. *quod omittant miraculum* S. Arbogasti, *fluvium siccis pedibus calcantis, ut est in Vita nostra num.* IX. *Ceterum hæc Acta, ut modo dicebam, manuscripta nusquam invenimus; ut proinde de antiquitate illorum auctoritateque non constet: cum nostra in codicibus calamo exaratis reperta sint, et jam olim solenni ritu in ipsa ecclesia Argentoratensi decantata, ac subinde etiam non semel prælo commissa; primo quidem Coloniæ anno Christi* 1485 *in Legendis Sanctorum, Historiæ Lombardicæ adjunctis, cap.* 180; *deinde Argentinæ, ni fallor, in Breviario jam dicto, anno Christi* 1489, *ut in fine notatur; ac tandem iterum Argentorati, ubi Historia Lombardica cum adjunctis Legendis recusa est anno Christi* 1496.

AUCTORE P. B.

cui nostra merito præfertur. 18 *Accedit, quod Acta nostra in illis, in quibus a Lovaniensibus dissonant, sequitur Codex Vaticanus supra laudatus; ut cum ait,* S. Arbogastum *ex Aquitania venisse, ac super Bruscham fluvium siccis ambulasse vestigiis; in utroque ea etiam sequitur Jacobus Wymphelingus in Argentinensium episcoporum catalogo, quem primus edidit Argentorati anno Christi* 1508; *aliique plures, ut patebit ex sequentibus. Atque hæc sufficere mihi visa sunt, ut, missis Actis Lovaniensibus, antiqua huc tantum nostra et manuscripta proferrem, eaque ex binis, ut supra monebam, apographis, Trevirensi scilicet et Wiblingensi, quæ tum inter se, tum cum excusis ante citatis plane conveniunt, si paucula exceperis amanuensium vitia, quæ in uno facile emendavi ex aliis. Imo hoc etiam a ceteris discrepat Ms. Trevirense, quod Actis in fine translationem reliquiarum adjiciat, ut in loco monebimus. Superest modo, ut universam Sancti præsulis nostri Vitam percurram, et quæ sunt in ea minus explicata, dilucidem; quæ dubia quibusdam sunt visa, confirmem; suisque aptem temporibus, quæ in alia auctores plurimi detorserunt. Neque vero prætermissurus ea sum, quæ a recentioribus aut plane conficta, aut nullo certe testimonio fulta reperero; ut quivis perspiciat, neglectum hic esse nihil, quod vel ad hujus historiæ veritatem stabiliendam, vel ad amoliendas ab ea fabulas, quibus aliqui, nescio qua pietate, delectantur, quoquo modo facere videatur.* E

§ III. Nomen, patria, parentes, vita ante susceptum episcopatum ducta.

S. Arbogasti nomen varie inflexum; Arbogasti *nomen Sancto nostro constanter attribuunt, quicumque de eo vel minimam ante seculum* XVII *fecere mentionem; apud Germanos tamen vernaculo idiomate appellatur* S. Algast, *quo nomine insignitur etiam ejus ecclesia illa, quam supra diximus in Rhætia haud procul Veldtkirchio percelebrem esse; ut fidem faciunt Bucelinus in Menologio suo, et in topographia Rhætiæ Merianus. Dempsterus insuper in Historia Scotorum lib.* 1, *pag.* 25 *appellatum ait, et* Argobastum, *et* Armegastum; *Wolfgangus Lazius de Gentium migratione in præfatione, et lib.* 3 *in catalogo Francorum Merovingorum,* Arbogasten *vocitat.* F

patria ejus an Hibernia; 20 *De patria Sancti antiqua disputatio est, Hibernus fuerit, an Scotus, an potius Aquitanus. Et Sanctis quidem illum suis accensent Hiberni in Catalogo Sanctorum Hiberniæ edito Duaci anno Christi* 1615, *et in alio excuso quatuor post annis Leodii, itemque in illo, qui adjicitur Vindiciis Hiberniæ sive antiquioris Scotiæ contra Dempsterum impressis Antverpiæ anni Christi* 1621, *uti et in aliis pluribus, quos manuscriptos accepimus, inter quos tamen aliqui eum prorsus omittunt; qui vero recensent, unum plerique pro se citant Guilibertum Minoritam;*

noritam;

AUCTORE P. B.

noritam; cujus sane non multum urget auctoritas. At enim quis lites in hac re Scotas inter Hibernosque continuas se facile speret componere: cum ipsa Hibernia per plura secula Scotiæ nomen habuerit? Hibernis tamen etiam favent, quæ § 1 *supra protuli ex vetusto Breviario et Missali Argentoratensi, ubi* S. Arbogastum *ecclesiæ Argentinensi dedisse dicitur* mater Hibernia.

an Scotia

21 *Pro Scotia aliquanto graviora sunt momenta: nam* de Scotia oriundum *facit* Arbogastum *Richerius, auctor seculi* XIII, *lib.* 1 *Chronici Senoniensis cap.* 5 *in Spicilegio Acheriano novæ editionis tom.* 2, *pag.* 606. *Idem habetur in Vita S. Florentii, qui* S. Arbogasto *in episcopatu successit, tum ea quam ex codice Ms. proponit Surius die* VII *Novembris, tum in duabus aliis itidem Mss., quas ad illum diem servamus; unde fortissimum pro Scotis peti posset argumentum, nisi loco isti errores inspersi essent. Ubique enim dicitur* S. Florentius cum beato Arbogasto, Theodato et Hildulpho e Scotia venisse in Alsatiam: *cum id falsum sit tam de S. Theodato sive Deodato, ut ostendimus*
B
tom. 3 *Junii pag.* 872; *quam de S. Hildulpho, uti tom.* 3 *Julii pag.* 200, *demonstratum est; hunc etenim in Bajoaria, illum in Francia occidentali natum probavimus; et Hildulphus quidem non nisi anno Christi* 671 *ad S. Deodatum primo accessit, hoc est annis circiter quadraginta posterius quam anachoresim amplexus esse credatur S. Deodatus. Æque propemodum suspecta videtur Vita* S. Arbogasti *in editione Lovaniensi anni* 1485, *cum ita sonat:* Beatus Arbogastus, de Scotia oriundus, cum aliis sociis suis in hanc provinciam *(Alsatiam)* profectus, *etc.: hæc enim ex Actis S. Florentii desumpta videntur. Hanc interim sententiam sequuntur Grevenus et Molanus in Martyrologiis ad hunc diem, Eysengreinius, Dempsterus supra citati, et quidam recentiores.*

an potius Aquitania?

22 *Aquitanum tamen fuisse, mihi quidem apparet verisimilius: quando id satis aperte asserunt Acta nostra, etiam prout exstant in Breviario Argentinensi, cum affirmant, illum* de Aquitania progressum *esse. Iis adde codicem Bibliothecæ Vaticanæ superius commendatum, Jacobum Wymphelingum; antiqua Breviaria, Moguntinense anni*
C
1570, *Constantiense anni* 1561 *et* 1575, *Wormatiense anni* 1575; *accedunt Sebastianus Munsterus lib.* 3 *Cosmographiæ universalis, ubi de episcopatu Argentinensi, Gaspar Bruschius in epitome episcopatuum Germaniæ cap.* 5, *et qui illum sequuntur Demochares de divino Missæ sacrificio cap.* 35, *ac Jodocus Coccius noster in suo Dagoberto cap.* 15, *qui omnes Aquitanum fuisse aiunt* S. Arbogastum; *tametsi non inficientur esse, qui Hibernum fuisse velint. Aquitanum etiam rotunde pronuntiant Cratepolius in Catalogo archiepiscoporum atque episcoporum, qui Missæ sacrificium asseruerunt, pag.* 96; *et Cointius in Annalibus ecclesiæ Francorum ad annum Christi* 664, *num.* 4. *Enim vero videntur hic Acta nostra, utpote ceteris quæ modo dedimus, multo antiquiora, potissimam tum in hac re, tum in aliis mereri fidem.*

Parentes ejus et vita domi acta ignorantur.

23 *In antiphonis ac responsoriis, quæ ideo supra a num.* 6 *ex antiquo Breviario Argentinensi descripsi, quod novam aliquam Sancti Vitam exhibeant, dicitur* S. Arbogastus claris ortus natalibus, *atque adeo* nobilibus, et quod est excellentius, parentibus Christianis editus. *Tum multa subduntur de pueritia, adolescentia ac virili ejus ætate privatim acta. Hæc qui legit, meminerit Sancti nostri elogia sibi proponi, satis quidem modeste excogitata neque a verisimilitudine aliena, sed elogia tamen, non historiam. Neque amplius ipse illius Breviarii concinnator videtur exigere; quandoquidem antiquam sancti Episcopi sui historiam in Lectionibus primi ac secundi nocturni candide exhibet, ne initio quidem omisso, quod, ut jam notavi, sic habet:* Sanctissimi sacerdotis Christi Arbogasti exortum, vel conversationem ejus a puero ad provectionem usque pontificatus, seu antiquitas oblitteraverit, vel scriptorum raritas non declaraverit, quia scriptio non docet, incertum habetur. *Unde sequitur, ut neque de tempore, quo sit natus, certi quidquam statui possit.* D

Adventus ejus in Alsatiam.

24 *Adulta tandem maturaque ætate ex Aquitania in Alsatiam venit, ut significat auctor noster num.* 1; *sed quid ibi primum gesserit, seculi decimi scriptor usque adeo ignorabat, ut a profectione ejus statim ad episcopatum transiliat; quasi nutu quodam divino, ut primum advenerat, ad infulas esset evectus. Aliter hæc tamen pene omnes, qui deinde* E
scripserunt, accipiunt; nam solitariam ipsi prius in Alsatia vitam attribuunt, quam sedem Argentinensem adierit. Et solitudinem quidem diu ante incoluisse dicendus est, si ad eam se cum S. Deodato, episcopatum Nivernensem cum Vosagi eremis commutante, contulit; ut est in Vita S. Florentii apud Surium die VII *Novembris, et S. Deodati, quam illustravimus ad diem* XIX *Junii, ubi sic habetur cap.* I, *num.* 4, *pag.* 873: Igitur terque quaterque beato Deodato, centuplum a Christo et vitam æternam capessenti, præ ceteris comites tantæ mercedis cohæsisse feruntur isti, Arbogastus et Florentius: quorum prior in Sacro nemore (quod Theutonico idiomate Heiligesforst vocitatur) eremitica vita est functus, indeque ad episcopatum Argentinæ civitatis est raptus. *Id autem factum ibidem statuimus, in Commentario prævio num.* 7, *sub annum Christi* 630. *Vitæ eremiticæ meminit etiam Breviarium Argentinense supra num.* 7.

et vita in eremo Vosagi, ubi nunc Hagenoa,

25 *Idem fere de* S. Arbogasto *narrat Gaspar Bruschius loco supra citato, his verbis:* Is peregrinus et eremita venit in Alsatiam, ibique in Sacro nemore, eo pene loco, ubi nunc Haganoa sita est, oratorium sibi construens, Deo jejuniis ac precibus diligenter servivit; non otiosus tamen prorsus: nam et prodibat, et accolas de vera Dei cognitione, de vero timore Dei... diligentissime erudiebat. Hanc ipsam doctrinam confirmavit etiam miraculis: nam et immundos spiritus ejiciebat, et ægrotos sanabat, et mortuos resuscitabat; perturbatas vero conscientias ita verbo Dei erigebat, ut hilares ab eo discederent, qui tristi ac perturbato animo accesserant. *Quibus omnibus commotum ita Dagobertum regem fuisse ait, ut eum ad episcopatum Argentoratensem promoverit. Bruschium sequuntur assignati ante Demochares, Eysengreinius, Cratepolius, auctor Breviarii Constantiensis anni* 1575 *hoc die, Arnoldus Wion in suo Martyrologio monastico Benedictino; aliique, quos inter singulare quid referunt Coccius noster, et Antonius de Heredia.* F

ac subinde alibi acta,

26 *Nam prior in suo Dagoberto rege cap.* 15 *asserit,* sanctum Arbogastum *non modo exstruxisse oratorium atque aliquot annos vixisse in sacro nemore, illo pene loco, ubi nunc Hagenoa, imperialis*

camera

A *camera consistit; verum etiam fama sanctitatis, ac miraculorum ejus ad regiam delata, invitatum inde a Dagoberto ad alloquium fuisse; qui eum detinere apud aulam suam frustra tentaverit, quippe cui solitudo sua longe potior esset. Sed cum ipsa solitudo illa tandem nimia hominum undique ad illum recurrentium turba frequentaretur, migrasse Sanctum ad intimam eremum eo loco, ubi hodie Surburgum est; ibique templo ad S. Martini Turonensis memoriam excitato, ac positis circum tuguriis et mapalibus, cœpisse mentem sanctioribus studiis, ignotum pene omnibus, excolere; donec inde ad episcopatum evocatus sit. In margine citat instrumenta, quibus narrationem suam confirmet; atque inter illa codicem Salicum monasterii Ebersheim Ms., et Chronicum Argentinense Ms. Inde hæc ergo deprompserit: nam reliqua quæ istic assignantur, inspexi omnia; historiam vero illam nusquam offendi.*

non sine summa asperitate;

27 *De Heredia in Vitis Sanctorum Ordinis S. Benedicti Hispanico idiomate vulgatis, ad hunc diem ait, venisse* S. Arbogastum *ad Sacrum nemus, ubi nunc Hagenoa est; ibique in frondosa valle fundasse* B *ecclesiam, in qua cum aliis monachis vixerit, regulamque S. Benedicti ad litteram servarit; vilissimo vestitu asperrimum tegens cilicium; herbis vescens ibi nascentibus, aut coctis, cum plusculum sibi indulgeret; frondibus arborum, ac fonte sitim levans; hiemis injurias quantascumque nudis pedibus atque aperto ferens capite; et vel in substrata tabula, vel herbis aridis tam breves carpens somnos, ut iis sustentare vires nequaquam posse videretur. Denique (nam sciens multa prætereo) in conventuali vita, ut loquitur auctor ille, jam satis probatus, in cellam ejusdem cœnobii eremiticam sese abdidit, in qua annos plures exegit, donec inde a Dagoberto, ob suscitatum a mortuis ejus filium, ad Argentinensis ecclesiæ cathedram sublatus est. At enim episcopum jam tum fuisse, cum Dagoberti filium precibus revocavit ad vitam* S. Arbogastus, *omnes asserunt: collige ergo, quam in ceteris fidem hic scriptor mereatur, quando in re tam nota fallitur. Benedictinis quidem Sanctum hunc accensent Wion, Menardus, Dorganius, Bucelinus; apud Mabillonium tamen, qui Acta Sanctorum Ordinis sui longe penitus introspexit, nusquam est.*

C *De quibus tamen omnibus antiquiora testimonia desiderari possunt.*

28 *Sunt etiam, ut supra ex Bucelino diximus num. 11, qui habitasse illum, utique nondum episcopum, aliquamdiu velint in Rhætia. Verum hæc omnia, ut monui, Actorum nostrorum auctor ignoravit; silet etiam, qui Vitam ejus illam composuit, quam Lovanii anno Christi 1485 prælo subjectam fuisse diximus; non attingit vitam ejus anachoreticam Wymphelingus. Franciscus Guillimannus in Commentario suo de episcopis Argentinensibus pag. 92 ait, unum S. Florentium in eremum secessisse; ceteros autem,* Arbogastum *scilicet, Fidelem, Thietboldum et Childolfum, quos ipsi socios itineris tribuit, Argentoratum esse progressos; ubi piis Dagoberti studiis sub episcopi tum sedentis potestate subservierunt, ut addit Joannes Ruerus in Sacris Vosagi antiquitatibus lib. 2, cap. 6. Itaque quæ hoc paragrapho dedimus, tanti cuique sunto, quanti adducta pro iis momenta videbuntur. Porro, ut hoc etiam addam, quod inter socios* S. Arbogasti *Thietboldum aliqui numerant, eum ego suspicor pro Deodato sive Adeodato esse positum; cum etiam S. Deodati collegium corrupta voce appellari consueverit* S. Diedold, *ut observat Bruschius in Catalogo Episcoporum Argentinensium, ubi de Rodthario; certe qui Thietboldum hic habent, Deodatum omittunt, et contra.*

§ IV. Tempus episcopatus ejus Argentinensis, et felicis obitus, uti et suscitati ad vitam Sigeberti.

S. Arbogastus factus est episcopus Argentinensis,

Cum de episcopatu Argentinensi, quem administravit tanta cum laude S. Arbogastus, *agendum est, res ipsa videtur exigere, ut hic nonnulla tum de ipsa urbe Argentoratensi, tum de tota episcoporum ejus ditione ac serie disserantur; præteribo hæc tamen silentio; quando id jam ab aliis nec paucis nec parce præstitum diu est: nam de Argentorato quidem ac diœceseos Argentoratensis finibus præter alios plurimos, per decem omnino capita scribit Guillimannus initio Commentarii de episcopis Argentinensibus. De serie autem episcoporum, quatenus saltem ad sua usque tempora ab auctoribus omnibus perturbata fuerat, restituenda non infeliciter laboravit Henschenius noster in Diatriba de tribus* E *Dagobertis lib. 4, § 4; quem secuti sunt Sammarthani in episcopis Argentoratensibus, et Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum Christi 627, a num. 13, et alibi. Causa vero subversi prius ordinis ac temporum in catalogis episcoporum illorum, error duplex fuit: alter, quo senior S. Amandus episcopus Argentinensis, cum S. Amando Trajectensi, tribus seculis juniore; alter quo junior Dagobertus, S. Sigeberti Austrasiæ regis filius, cum avo suo Dagoberto confusi ab omnibus diu fuerunt.*

non, ut plerique putarunt,

30 *Hinc etiam ante Henschenium male passim notata est episcopatus Arbogastini chronologica: nimirum legerunt in Actis ejus auctores illi,* eum in temporibus Dagoberti regis..... divino nutu....., Argentinensis ecclesiæ cathedram consedisse. *Cum ergo Dagobertum secundum ignorarent, hoc ad primi Dagoberti tempora contulerunt; et quidem non sine novo errore: convenit enim nunc inter eruditos, Dagobertum I e vivis ereptum esse anno Christi 638, idque evincunt Hadrianus Valesius rerum Francicarum tomo 3, Cointius in Annalibus, Mabillonius parte 1 seculo IV in præfatione ad Acta* F *Sanctorum Ordinis S. Benedicti § 9 a num. 199: cum nemo sit interea chronographorum illorum, qui* S. Arbogastum *sub Dagoberto seniore consecratum esse volunt episcopum Argentinensem, quin biennio saltem serius sancti Præsulis nostri initia collocet; et Wymphelingus quidem anno Christi 641, quem fere sequuntur Guillimannus, et Ruerus, annum notantes 640; Bruschius vero initium ejus refert ad annum 646, quod imitantur Munsterus, Demochares, Pantaleon, Mersæus Cratepolius, Coccius, locis ante assignatis; Eysengreinius elegit annum 643. Tantum ergo abest, ut Sanctus noster sub Dagoberto I episcopatum adierit; ut etiam qui id stabilire maxime volebant, re tamen ipsa negaverint.*

sub Dagoberto primo;

31 *Enimvero eadem auctoritas, Actorum scilicet* S. Arbogasti, *quæ adducere eos potuit, ad hujus episcopatus initia Dagoberti cujusdam regno illiganda, movere illos etiam merito debuisset, ne Dagoberti primi temporibus hæc innecterent: præcipuum enim Actorum illorum argumentum est restitutus vitæ per* S. Arbogastum *Dagoberti regis filius unicus, qui inter venandum ab equo, quem apri conspectus*

AUCTORE P. B.

spectus nimium perterrefecerat, excussus ac misere protritus erat. Quis autem non videat, hæc Dagoberto I nequaquam accommodari posse? Quippe qui binos reliquit filios moriens, S. Sigebertum ex Ragnetrude, atque ex Nanthechilde Chlodoveum; quorum hic illo tribus tantum annis junior fuit; ut unicus quidem patri Sigebertus fuerit ab anno Christi 630 usque ad 633, quo natus est Chlodoveus juxta chronicon Fredegarii, sed ea tamen ætate nequaquam ad equitandum, nedum ad belluas insectandas idoneus: neque ille proinde esse potuit, quidquid ita statuant auctores jam dicti, Dagoberti regis filius, de quo agunt Acta nostra; neque adeo idem etiam Dagobertus.

et multo minus sub Dagoberto III;

32 *De Dagoberto autem III, qui et* secundus *passim et* junior *appellatur, multo hæc minus possunt intelligi; cum is vel filium per ætatem habere non potuerit, uti post Henschenium sensit Adrianus Jordanus noster Historiæ Franciæ tom. 3, lib. 28 in fine; vel si filium ejus, ut plerique volunt, fuisse statuas Theodoricum, non hic certe ab auctore nostro designari potuit; quandoquidem eum, ut iidem asse-* B *runt, moriens pater vagientem in cunis reliquerit. Neque hic dici plura necesse est; cum de Dagoberto ejusve filio nulla fuerit hactenus in hac re mota controversia.*

sed sub Dagoberto II;

33 *Superest ergo, ut quæ narrantur in Actis nostris, ad Dagobertum II, S. Sigeberti filium, referantur, atque ad ejus filium unicum, sive Sigebertus is, avi nomine, dictus fuerit, sive alio quocumque: nomen enim Acta non exprimunt; Sigebertum tamen appellat Bruschius et fere post illum recentiores alii: ubi id ipse repererit, equidem nescio; legisse tamen alicubi debuit, cum et matrem ejus fuisse asserat, Mechtildem, Saxonum ducissam; quæ quidem a matre S. Sigeberti avi ejus toto cœlo diversa est. Eodem sane hæc retulerunt non modo Henschenius noster tomo 1 Februarii in Analectis de S. Sigeberti rebus gestis § 1, pag. 231, in Diatriba Dagobertina et alibi; sed etiam post illum Sammarthani in episcopis Argentoratensibus, Cointius in Annalibus ad annum Christi 675 num. 16. Jordanus Historiæ Franciæ tom. 3, lib. 27.*

in Austrasia regnante,

34 *Neque vero diu post revocatum in partem regni Austrasiæ adrhenanam ab Hibernico exilio* C *Dagobertum, creatum esse episcopum* S. Arbogastum *patiuntur Acta nostra; quæ postquam miraculum illud ejus insigne suscitati ad vitam filii Dagoberti verbis multis prosecuta sunt, subdunt de sancto Præsule num. 9:* Postea vero multis vixit annis, pollens virtutibus sanctis. *Quare cum anno Christi 680 non supervixerit Dagobertus II, sed vel illo anno vel sub finem antecedentis interfectus sit; uti ostendit Mabillonius in præfatione citata ad Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculi* IV, *necessario inde, quantum res sinit retroeedendum est ad initia regni Dagobertini, ut ibi figatur* S. Arbogasti *consecratio, eamque non longo intervallo consecuta regiæ prolis exstinctæ suscitatio: quandoquidem necem ipsam Dagoberti anteverterit sancti Præsulis obitus; ut asserit Wymphelingus; cum ei successisse ait in sede Argentinensi, superstite Dagoberto, S. Florentium. Id quod etiam ex Chronico Senoniensi colligitur cap. 5, ubi dicitur S. Deodatus Novernensis familiariter novisse* S. Arbogastum *jam episcopum factum, ac deinde successorem ejus S. Florentium: cum tamen Deodatus decesserit anno circiter eodem, quo Dagobertus secundus, uti dictum est Commenta-* D *rio ejus Vitæ prævio ad diem* XIX *Junii; et sequitur ex Chronico Senoniensi, in quo dicitur cap. 8, S. Hildulphus, qui obiit anno Christi 707, viginti et octo annis S. Deodato supervixisse.*

versus annum Christi 670;

35 *Cum igitur Dagobertus non videatur ad solium Austrasiæ rediisse multo ante annum Christi 670, ut probat ibidem Mabillonius num. 203; circa tempus illud, aut certe non diu post, Rodthario successisse dicendus est* S. Arbogastus, *regisque filium suscitavisse: ut inde saltem usque ad annum Christi 678, quo illum circiter obiisse statuimus,* annis multis *vixisse censeri possit. Ita ecclesiam Argentinensem administraverit Sanctus noster per annos circiter novem, jam tum, cum esset* de novo episcopus factus, miraculis fulgens; *ut affirmat Richerius in Chronico Senoniensi cap. 5, et senex, ut habent Acta num. 5. Scio, hæc minime cohærere cum antiquis episcoporum Argentinensium catalogis; sed eos in hac re parum attendendos puto; cum eorum primus auctor Jacobus Wymphelingus initio operis sui ita pronuntiet:* Et si exactissimam fecerim diligentiam in colligendo nostratium episcoporum catalogo; non potui concordes per omnia inve- E nire scriptores. Parum referre videtur, quoto quisque anno mortem obierit, aut quot annis sedi huic præfuerit, dummodo de vitæ et morum, rerumque aliarum gestarum statu ab ipsa comperta veritate non deviemus. *Denique nihil illorum chronologia corruptius; ut exemplis quamplurimis, nisi lectoris tædio parcerem possem ostendere.*

quando Sigebertum Dagoberti II *filium vitæ restituit;*

36 *Ne quis autem, Diatribam Henschenii Dagobertinam secutus, neget, Dagoberto II versus annum Christi 670, filium esse potuisse, qui utcumque equitare per ætatem potuerit, quod Acta nostra prorsus exigunt; is adeat exegesim præliminarem tomo tertio Aprilis nostri præfixam, qua idem Henschenius priorem Diatribam innovat, systema suum ad receptam modo ab eruditis annorum Dagoberti primi, non a morte Chlotarii patris, sed ab inito primum Austrasiæ regno, epocham accommodans. Fatebitur nihil fuisse facilius, quam ut anno Christi 662 uxorem ducere potuerit Dagobertus secundus, sive in Alsatiam jam reversus esset, ut statuit Henschenius; sive post annos demum octo reversurus, ut loco citato contendit Mabillonius. Quidni ergo filium habere potuerit Sigebertum octennem circiter anno* F *Christi 670 qui et puer tum esset, uti non semel appellatur in Actis, et in parentis comitatu equitare jam sineretur?*

de quo miraculo qui dubitarunt,

37 *Sed quoniam de filio Dagoberti.* S. Arbogasti *precibus ad vitam reducto, mentionem hic facimus, non abs re facturum me arbitror, si traditionis hujus historiam, quanta potuero, auctoritate confirmem; ne temere quis jam revocare porro tentet in dubium. Certe parumper dubitasse sese de miraculi hujus fide fatetur ingenue Antonius de Yepes in Chronico generali S. P. Benedicti ad annum Christi 639,* eo quod, *inquit,* Sigebertus Gemblacensis, auctor gravis et antiquus, in historia, quam de Sigeberto rege condidit, nullam ejus fecerit mentionem. *Nimirum in antiquo adhuc errore versabatur vir eruditus, quo hæc intelligenda putabantur de S. Sigeberto, Dagoberti primi filio, eoque ipso, de quo historiam condidit Sigebertus Gemblacensis: quod si verum esset; habuisset enimvero juxta ea quæ diximus num. 31, unde merito de hujus miraculi fide dubitaret, saltem ut in Actis* S. Arbogasti, *et alibi passim narratur. Sed vel sic tamen credidisse illud*

sese

A *sese affirmat, cum subdit* : Sed scriptores alii æque clari et diligentes, nos adduxerunt, ut crederemus. Permovere etiam debuit insigne cœnobium, a Dagoberto fundatum, cui nomen Apri monasterium, vulgo Ebersmunster, *(de quo agemus inferius)* ne tantæ rei memoria aboleretur. *Quanto igitur magis permovere hæc Antonii fidem debuissent, si discussæ jam tum fuissent tenebræ Dagobertinæ, quæ totam hanc historiam involvebant? Morari profecto eum minime potuisset Sigeberti Gemblacensis silentium in historia S. Sigeberti regis, ad quam* S. Arbogasti *miraculum nequaquam attinebat.*

aut qui aliter illud narrarunt,

38 *Dubitasse hic etiam videri potest Henschenius, qua parte miraculum illustrius est; cum in Exegesi præliminari ad tom.* 3 *Aprilis pag.* VIII *sic habet* : Ad Dagobertum II regredimur; cujus filius a S. Arbogasto, episcopo Argentoratensi, ad vitam revocatus dicitur, sive is vere mortuus fuerit, sive saltem lethali morbo laborarit. *Eam phrasim imitatus postea videtur Jordanus noster Historiæ Franc. tom.* 3, *lib.* 27, *pag.* 508. *Verum hic noster loquendi modus non infrequens est in re*
B *nondum examinata, maxime si quid uspiam occurrit in contrarium; quale in hac historia legisse aliquid poterat Henschenius apud Henricum Pantaleonem in Prosopographia part* I, *pag.* 133; *ubi præter alios errores, hæc scribit* : Accidit autem, cum rex in venatione esset, ut filius ejus Sigebertus, patrem comitatus, aprum insequeretur. Verum generosus equus, adolescente excusso, effecit, ut letali vulnere ab apro afficeretur. Hac clade rex territus, statim sanctum Arbogastum ad sese vocavit; ut partim medicamentis, partim ardenti oratione ad Deum efficeret, ut filius restitueretur sanitati. Itaque Arbogastus vocatus, illico comparuit, atque suis officiis regis filium ad pristinam sanitatem reduxit. *Ita Pantaleon, ausus etiam hic citare Munsterum lib.* 3, *et Historiam ecclesiasticam centuria* 7.

nullo prorsus fundamento nituntur.

39 *Nimirum ea est hæreticorum propria confidentia, etiam cum splendide mentiuntur, ut hoc loco Pantaleon : nam neque Munsterus lib.* 3 *Cosmographiæ universalis (quam anno* 1556 *impressam habemus Gallice) neque Magdeburgenses centuria septima, ubi de hoc miraculo scribunt, aut medicamentorum*
C *meminere, aut letaliter dumtaxat vulnerati Sigeberti*; *sed utrobique mortuus fuisse dicitur, ac deinde precibus* Arbogasti *revixisse; uti etiam refert Nauclerus, Generatione* 21, *quem citant Centuriatores, hac saltem parte Pantaleone magis fideles, licet in* S. Arbogastum *alias, cum de loco agunt, quem sibi sepeliendo delegerat, proterve blasphemi. Sane qui aliter, ac ferunt Acta nostra, hoc prodigium narraverint ante Pantaleonem, et vero etiam post illum, legi neminem : quandoquidem Actis in hac re nostris consonent omnes, quos toto hoc Commentario produxi, quique vel tantillam Sancti Vitæ particulam attigere; imo et Franciscus Irenicus in Exegesi Germaniæ lib.* 3, *cap.* 46, *auctor fragmenti historici, quod Chronico Alberti Argentinensis præfigitur apud Urstisium in Historicis Germaniæ parte* 2, *pag.* 74, *Albertus ipse ibidem pag.* 165, *et alii, quorum testimonia, ut unus confutetur Pantaleon, hic acervare otiosum videtur; quando illos etiam ipsos auctores, quos appellat, adversarios habet, suæque indices imposturæ : quamquam omnes antiquos in eo errasse non diffitear, quod ignorantes alterum Dagobertum, nec suo tempore miraculum hoc, nec suis, ut ante monui, personis aptaverint, dum alium pro alio patrem, alium pro alio filium acceperunt.*

AUCTORE P. B.

§ V. Alia ejusdem miracula; beneficia in ecclesias et cœnobia; tempus mortis; sepultura; elevatio ac translatio reliquiarum; scripta.

Ceteræ Sancti miracula :

Nec *postremum illud fuit, nec solum* S. Arbogasti *miraculum : nam et alia post illud, quoad vixit, patravit plurima, ut habent ejus Acta, Lovanii, ut ante dicebam, excusa; sed ibi tamen nullum eorum describitur. Nostra vero num.* 9 *id saltem exprimunt, quo intelligas ea præcipue ad morborum, dæmonumque ab insessis corporibus depulsionem pertinuisse. Unum præterea paulo latius explicant; cum illum orationis causa non numquam siccis pedibus fluvium trajecisse narrant : quod etiam asserunt codex Vaticanus, Breviaria Moguntinum anni* 1570 *et Constantiense anni* 1575, *Jacobus Wymphelingus, et alii quidam eo juniores; quos* E
inter Jodocus Coccius noster in Dagoberto rege cap. 15 *affirmat, oratorium illud* S. Arbogasti *postea in insigne Canonicorum Regularium cœnobium fuisse commutatum, idque per Hezelonem præstanti virtute præsulem; hodie tamen nihil præter* Arbogasti *nomen, religione prorsus abolita, retinere. Quem hic Hezelonem designet, ignoro : si illum intelligit, qui inter episcopos Argentinenses apud Wymphelingum quadragesimus octavus, apud Guillimannum quadragesimus numeratur, ac sedisse dicitur ab anno Christi* 1047; *profecto id admodum diu post Sancti obitum factum sit oportet. Aliter de hoc* S. Arbogasti *cœnobio pronuntiat Albertus Argentinensis in Chronico ad annum Domini* 1374; *aliter iterum Guillimannus cap.* 9 : *ille ab rege Dagoberto constructum; hic ab ipso quidem* S. Arbogasto *inceptum, at deinde a duobus canonicis ecclesiæ cathedralis perfectum esse ac dotatum ait.*

et possessiones pro ecclesia Argentinensi

41 *His porro tam frequentibus prodigiis quanti se apud Deum esse comprobabat meriti, tanta apud piissimum regem gratia valebat; ut quidquid ab eo* F
vellet, nullo negotio consequeretur. Illud tamen præcipuum fuit, quod ecclesiæ Argentinensi, post suscitatum regis filium, impetravit; ut Acta narrant num. 8, *et auctores, qui de eo scribunt, omnes consentiunt. Videri de hac re meretur imprimis Coccius in Dagoberto suo cap.* 15, *ubi donationem hanc vere regiam eleganter exponit; aitque* amœnissimam *traditam esse* terrarum regionem cis citraque Rubeaquas, tum fœcundis Elli utrimque ripis adusque fere Novientum porrectam, ipsumque Rubiacense oppidum cum arce regia Isenburgo, accurata finium topothesia hodie oppidorum pagorumque circiter triginta duum definitum. *Tum subdit* : Ea hodieque in Argentinensis ecclesiæ possessionibus perpetuat, Mundati *(de qua voce disserit in fine capitis)* appellatione indita, ab singularibus exemptionum et immunitatum prærogativis, quibus regum ac cæsarum beneficio decorata, per unum aliquem ex illustri majoris ecclesiæ collegio administratur. *Queritur deinde Coccius, commentariorum inopia premi se, unde tantæ munificentiæ testem Dagoberti primi syngrapham hauriat.*

AUCTORE P. B.

hauriat. Nempe in communi adhuc errore versabatur, quo Dagoberti primi donatio credebatur esse, quæ fuit secundi.

per illum a Dagoberto II impetratæ;

42 *Secundi tamen Dagoberti diploma reperisse se ait in præclaro Argentinensis diœcesis membraneo codice, quod continuo, sed mutilum, exhibet; uti et ex ipso Henschenius in Diatriba de tribus Dagobertis lib. 2, cap. 5, et Cointius in Annalibus Ecclesiæ Franc. ad annum Christi* 675 *num.* 17. *Interpolatum vero illud esse post Henschenium censuit Jordanus Historiæ Franc. tom.* 3, *lib.* 27; *at Cointius ad annum jam dictum a num.* 18 *omnino commentitium esse contendit. Malim eos lector curiosus adeat, quam ut me queratur hic esse longiorem. Fatetur interim ultro Cointius num.* 23, *non improbare se quæ scribit Coccius de donis a Dagoberto rege collatis ecclesiæ Argentinensi, postquam* Arbogastus *episcopus Sigebertum ejus filium a morte suscitavit. Ceterum donationi in Actis nostris descriptæ, hoc additur in Vita* S. Arbogasti *impressa Lovanii :* Ipse quoque rex, Dei gratia instructus, ad Argentinensem ecclesiam se Dei B Genitrici serviturum contradidit et plurima prædia eidem ecclesiæ in proprietatem dedit. Plurimi quoque qui liberi erant, et beneficia ab eodem rege habebant, exemplo ejus accensi seipsos Argentinensi ecclesiæ contradiderunt. *Verum hæc neque in Actis nostris , neque apud antiquos alios Sancti nostri præcones invenio. Itaque ex Vita Lovaniensi hæc eadem mutuatum fuisse opinor Ruerum sive Ruyrum in sacris Vosagi Antiquitatibus part.* 2, *lib.* 2, *cap.* 5.

imo et aliis ecclesiis

43 *Non stetit hic paterna* S. Arbogasti *cura ; siquidem* ejus tempore *(quid ni etiam opera?)* Dagobertus rex in Germania et Francia ad honorem Dei multas construxit ecclesias, quas propriis prædiis et possessionibus dotavit et ditavit : *ut habent Acta Lovaniensia. Quin imo præter Apri monasterium, inquit, citatus ante Antonius de Heredia, Sanctus noster ad Rheni ripas fundavit alia duodecim. Sed hæc ego quibus confirmem argumentis, non reperio; at quibus convellam, nullis opus est; quando in hujusmodi negotiis sola nuperi scriptoris auctoritas oppido sublesta est. Quid, quod ne ipsum quidem Apri monasterium (alias* Ebersmunster, Ebersheimunster, *sive ab Eberhardo; sive* C *ab Apro, ut quidam volunt, qui Sigeberti equum terruerit, nuncupatum, cum antea* Novientum *et* Novietum *appellaretur) auctorem habeat* S. Arbogastum; *sed vel Athicum ducem, S. Othiliæ patrem; vel S. Deodatum episcopum Nivernensem, impensas et fundum Athico suppeditante? Consuli de hac re possunt tum Eysengreinius loco jam sæpe assignato, tum Coccius in Dagoberto cap.* 15, *tum maxime Mabillonius in Annalibus Benedictinis anno Christi* 667 *a num.* 59.

atque imprimis Surburgensi,

44 *Albertus Argentinensis in Chronico apud Urstisium ad annum Domini* 1374 *sic habet :* In cujus etiam sancti Arbogasti honore Dagobertus rex Francorum, cujus filius a morte suscitatur a sancto Arbogasto, construxit duo cœnobia, unum super Alsam fluvium prope Argentinam *(de quo dixi num.* 40.) et aliud in Sarburg *(Guillimannus cap.* 8 *legit,* Surburg) quæ largissime dotavit. *Et de cœnobio Surburgensi id etiam affirmat Guillimannus : pro Dagoberto tamen Sigebertum regem ponens, qui collegium illud,* ut alia, *inquit,* monasteria plura, ejus *(S. Arbogasti)* admonitu et D opera.. condiderit : *in quo falli putatur, cum vel ante patrem (Dagobertum scilicet secundum) Sigebertus obiisse credatur, vel certe eadem cum patre sorte ac cæde sublatus; ita ut rex numquam fuerit. Vide Diatribam Henschenii sæpe citatam lib.* 2, *cap.* 15, *et recentiores alios. Guillimanum sequitur Ruerus parte* 2, *lib.* 2, *cap.* 5; *at Alberto adhæret Jodocus Coccius, in Dagoberto cap.* 19, *ubi et Surburgense Benedictinorum olim cœnobium, at postea collegium canonicorum, describit.*

ac Schutteranæ.

45 *Multum etiam Sancto huic debet cœnobium Schutteranum; nam* Arbogastus, *inquit Wymphelingus,* etiam Dagoberto, Francorum Germanicorum regi gloriosissimo, persuasit, ut monasterio Schutterano, curtem seu curiam aut prædium, in pago Herlisheim Basileensis diœcesis, dono daret : unde et inter singulares monasterii istius benefactores et apud veteres, et apud recentiores Schutteranos monachos imaginibus depictus est. *Legi de hac re meretur ante omnes Coccius in Dagoberto cap.* 8, *ubi fuse de cœnobio hoc disserit; sed quia non satis illi notus fuit Dagobertus secundus, corrige chronologiam ejus, et personas, quas confun-* E *dit, distingue cum Henschenio in Diatriba lib.* 2, *cap.* 5; *Cointio in Annalibus eccl. ad annum Christi* 675, *num.* 28, *et Mabillonio in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 676, *num.* 64; *quibus fere locis etiam de Surburgo agitur.*

Obiit S. Arbogastus anno Christi 678;

46 *Itaque Præsul sanctus optime, ut ex dictis patet, de ecclesia, tum sua, tum aliis meritus, vivere tandem desiit, non anno Christi* 658, *ut putant Bruschius, Demochares, Munsterus, Pantaleon, Cratepolius; neque* 668, *ut habent Wymphelingus, Irenicus, Guillimannus, Coccius, Ruerus, aliique, Dagobertum omnes secundum ignorantes ; sed anno Christi* 678, *uti ex eo confici potest, quod anno sequenti sub tempus vernum Dagobertus II episcopatum Argentinensem (utique vacantem) obtulerit S. Wilfrido, Romam proficiscenti, teste Eddio in vita S. Wilfridi cap.* 27, *apud Mabillonium in Actis SS. Benedict. Sec.* IV, *part.* I, *pag.* 691. *Cur autem obitum ejus in annum præcedentem retroagam, id causæ est, quod in annum aliquem octavum, ut modo vidimus, auctores omnes conspirent, deinde quia* S. Arbogastus, *ut ex § primo supra colligere est, obiisse creditur die* XXI *Julii; adeoque* F *post tempus vernum, quo jam vacabat ejus sedes anno Christi* 679.

cum paulo post ei succedere debuerit S. Florentius, recusante episcopatum S. Wilfrido.

47 *Vacabat, inquam, tum ejus sedes; neque enim adduci possum, ut credam cum quibusdam, concessurum umquam fuisse Dagobertum, ut superstiti* Arbogasto, *quantumvis etiam id forsan optanti, alius Argentinæ sufficeretur episcopus. Accedit insuper, quod S. Florentium, ut supra monuimus,* Arbogasti *successorem et episcopum, ante mortem suam viderit S. Deodatus, qui vita functus creditur die* XIX *Junii, anno* 679. *Itaque recusante oblatam sedem S. Wilfrido, statim in eam succedere jussum esse S. Florentium existimo, qui eam aliquamdiu post* Arbogasti *mortem et ante Wilfridi adventum in Alsatiam, amore solitudinis deprecatus esse poterat. Nec moror Willielmum Malmesburiensem de Gestis pontificum Anglorum lib.* 3, *cum videtur significare, non recusatam a Wilfrido fuisse omnino Dagoberti oblationem; sed ad reditum a concilio Romano dilatam; quo pacto non videretur* Arbogasto *substitutus fuisse Florentius ante cædem Dagoberti; hæc, inquam, nihil moror cum quia repugnant*

iis

A *iis, quæ ante asseruimus; tum quia de ista dilatione verbum nullum facit Eddius, a quo omnem suam in hac historia auctoritatem Malmesburiensis habet, tamquam ab eo, qui cum Wilfrido vixerit.*

Sepeliri voluit loco reorum suppliciis infami.

48 *Jam quantum hæc mors ad Sancti nostri virtutes integerrimas commendandas faciat, facile quisque conjiciet, si ad locum attendat, quem sibi Vir apud Deum hominesque tantus, in sepulcrum elegit: nam ut Acta ferunt num.* 10, *et assentiuntur omnes qui vel epitomen Vitæ ejus qualemcumque scripserunt:* Cum sentiret imminere sibi diem extremum, in monticulo, urbi vicino, ubi sancti Michaëlis est ecclesia constituta, sepulturam sibi fieri præcepit, et eo se ferri ac sepeliri, imitans Salvatorem Christum, qui extra portam elegit sibi sepulcrum. *Est quidem monticulus ille nunc Strateburgi mœnibus inclusus, et non modo honestus, sed et oratorio S. Michaëlis consecratus; at olim ante dilatatam urbem patibulo infamis, ut videre licet apud Merianum in Alsatiæ topographia post paginam* 36 *tab.* 1; *id quod ante Wymphelingum aliosque passim illum secutos, notat Albertus* B *Argentinensis loco hactenus non semel adducto, his verbis:* Etiam patibulum et locus supplicii malefactorum fuerat tunc, ubi jam est collis et capella sancti Michaëlis apud domum Augustinensium; ubi etiam beatus Arbogastus, pontificum Argentinensium sanctissimus, Christi volens sequi vestigia, sibi sepulturam elegit. Igitur sanctus Arbogastus apud patibulum, ut vivens disposuit, sepultus, multis signis et virtutibus ab eodem loco deportatur et in memoria sanctæ sepulturæ et devotionis loci, capella sancti Michaëlis ibidem ædificatur, in qua retro altare sepulcrum ejus elevatum adhuc cernitur, ac patibulum ad locum, ubi jam est, transfertur. *Scribebat hæc Albertus seculo decimo quarto.*

Elevatio corporis, et translatio.

49 *Errat vero Bruschius (et post illum Bucelinus in Menologio ad hunc diem) in* Arbogasto, *cum ait:* Postea vero, multis annis labentibus, supra tumulum ejus *(Arbogasti,)* monasterium S. Arbogasti, et in eadem vicinia summum templum Argentinense ædificari cœptum est. *Monasterium enim illud etiam nunc extra urbem est, teste Guillimanno, quem citavi supra num.* 40, *et aliis;* C *summum autem templum Argentinense a sacello S. Michaëlis immane quantum distat? Verisimiliter est, quod habet idem Bruschius in S. Florentio, ita scribens:* Elevabat *(S. Florentius)* de tumulo S. Arbogastum, miraculis clarum: *id enim post illum affirmant etiam Demochares supra citatus, et Cratepolius. Serius tamen ex illo loco in alium translatæ videntur ejus reliquiæ; ut innuit appendix illa, quam in apographo nostro Actis annexam invenimus atque edidimus:* At vero post multos annos inde translatus, et ad cœnobium Surburcæ deportatus, ibi est honorifice reconditus; ubi et nunc, *etc. Coccius in Dagoberto cap.* 19 *testatur, ejus cineres ibidem in locello inaurato affabre facto etiamnum religiose custodiri;* quos cum in transitu venerabamur, *inquit, unciales litteras in orbe adnotavimus, quæ thesauri reconditi, et auctoris nomina hoc verborum schemate proloquuntur:*

Inclite servorum pater, Arbogaste, tuorum.
Munera Giroldi respice, serve Dei.

Non omnes tamen in illud cœnobium Sancti reliquiæ delatæ sunt; cum earum pars, testibus Wymphelingo, Guillimanno, Ruero, ad collegiatam S. Arbogasti *ecclesiam, urbi Argentinensi vicinam, deportata sit.*

AUCTORE P. B.

Quid scripserit.

50 *Sunt denique (ut nihil prætercam, quod ad sancti Præsulis hujus gloriam notatum usquam invenerim) qui eum illustres inter scriptores recenseant. Id omnium primus fecisse videtur Joannes Baleus in scriptoribus Britanniæ centuria* 14, *cap.* 81, *ubi de Sancto nostro:* Evulgasse dicitur, *inquit,* Homilias aliquot libro uno. *Baleum pone secuti sunt Centuriatores Magdeburgenses centuria* 7, *cap.* 10. *Idem, ni fallor, sed clarius affirmat Guilielmus Eysengreinius, testis prioribus haud paullo dignior, in Catalogo testium veritatis ad annum Christi* 643, *cum* S. Arbogastum *ait fuisse præsulum suæ ætatis facile omnium eloquentissimum, atque in Epistolas Pauli doctissimos commentarios scripsisse; quod post Eysengreinium notarunt etiam Antonius Possevinus noster in Apparatu sacro, et Dempsterus in Historia Scotorum lib.* 1, *pag.* 25. *Cum tamen horum omnium nemo indicet, quo loco, et an omnino exstet opus illud; cumque in recentioribus Scriptorum catalogis non appareat nomen* Arbogasti; *vel delitescere alicubi commentarium illum, vel omnino intercidisse, necesse est. Id enimvero etiam demiror admodum, nullam apud antiquiores librorum scriptorumque collectores tam præclari Auctoris, operisve fieri mentionem.* E

VITA

Ex Ms. S. Maximini Trevirensi, collata cum Ms. Wiblingensi, atque exemplaribus olim prælo vulgatis.

Sanctus Arbogastus episcopus Argentinensis fuit Dagoberto carus,

Sanctissimi sacerdotis Christi Arbogasti exortum vel conversationem ejus a puero ad provectionem usque pontificatus, seu antiquitas oblitteraverit, vel scriptorum raritas non declaraverit, quia scriptio non docet, incertum habetur. At vero tanti Patris insignia, quibus in diebus suis, miraculis coruscantibus, claruit, non ex toto sunt silentio oppressa; quæ per aures fidelium transeundo, posteris narrantibus, auribus nostris sunt infusa. Tradunt namque eum in temporibus Dagoberti regis *a*, cum sancta Ecclesia longe lateque flores doctrinæ Catholicæ suave redolentes diffunderet, et verbum Dei usquequaque prospere curreret, de Aquitania progressum, divino nutu (quod postea signis testantibus patuit *b*) Argentinensis ecclesiæ cathedram consedisse, susceptumque culmen regiminis felici gubernatione diu rexisse. Qui beatus Christi Sacerdos præfato regi amica familiaritate adeo est innexus, ut, eo intra regalem aulam ascito, illius alloquio, quasi mellis dulcedine degustata *c*, delectaretur, et consilio uteretur.

cujus filium ab equo protritum,

2 Qua jocunditate cum uterque, suo rex in regno, episcopus in episcopio prospere se agerent, hostis humani generis invidia res læta vertitur in contraria. Nam cum quadam die venatores

EX MS.

natores regis more solito aprum insequerentur in saltu *d*, regis etiam filius, qui erat ei unicus, pariter cum eis in eodem discursu festinavit. Dum autem illa per devia quæque et diversos anfractus cum canibus aberrarent, solus relictus, singulari *e* occurrit incautus; quo viso sonipes, in quo sedit, pavefactus, cursum retorquens, in fugam vertitur. Puer vero cum eum freno retinere vellet, et in alteram partem habenam strictius traheret, heu! nimium pronus a sella est prolapsus : adhuc autem habenæ, quam in manu tenebat, inhærens, per terram tractus, calcibus equi miserabiliter est protritus. Quem sui pedissequi diu quæsitum, et ita invenientes attritum, non sine maximo mœrore tollentes, et in equis levantes, funere lugubri domum sunt reversi. Hinc venit sermo, quod sit percussus ab apro *f*.

et summo omnium luctu extinctum

3 Quod cum in palatio *g* regis personaret, quantus undique concursus virorum ac mulierum, quantus ejulatus regales ædes, vicos, campos, ubicumque auditum est, impleverit, nemo valet explicare *h* : nam non solum in vicinis, sed in omnibus usquequaque provinciis, ubi casus tantus est auditus, omnes dolor stuporque maximus invasit. Primates dignitates regni omnes eodem perculsi dolore, exanimati regis desperatione, ipsi desperati, quid faciant, aut in quo spem regni constare confidant? Quippe quia heres regni et spes tota fuisset extincta. Interea puer in lecto collocatus, altera die vita est præsenti exutus. Quid igitur hujusmodi concussionis facto opus sit, et quomodo regis dolorem mitigarent, cum secum quærerent, tandem consilio invento, ut Episcopus invitetur regi suggerunt : quod ille devotissime amplectens, mox, sine dilatione, legatis directis, ut ad se Episcopus omni festinantia fatigare se dignetur, exposcit.

evocatus ad aulam Sanctus,

4 Nec mora, faciunt jussa; episcopum adeunt : causam invitationis non sine luctu exponunt. Ille vero, audito casu amici, totus spiritu conturbatus, flens multumque gemens, vocato comitatu, statim properare non distulit. Nec minus interea rex ad adventum Pontificis impatiens, egressus, Senem eminus festinantem conspicatus, fusis lacrymis, velato capite, comitantibus multis atque lacrymantibus stipatus, occurrit. Qui cum se invicem solito salutare pararent, præ nimio dolore cordis vox hæsit in gutture. Quantum lacrymarum ex utraque parte flueret, nulli cognitum esse poterit. Tandem luctu satiati *i*, transacto longo spatio, tersis luminibus, ruunt in oscula, amicis salutatibus. Ad orationem procedit Episcopus; rex cum suis a longe est secutus. Nec minus regina, comperto sancti Viri adventu, ut Martha vel Maria pro fratre, fusa lacrymis, singultu pectus quatiente, sed verecundo pudore summisso, ad Episcopi flectitur genua, pro filio rogatura. Quam ille summissus manu erigens, quid velit non rogat, pie admodum intelligens, quid singultus implorat.

ope Virginis Matris revocavit ad vitam,

5 Denique jejunus mox ecclesiam ingressus, in oratione pernoctavit, Dominum pro puero deprecaturus. Quomodo, aut quibus verbis oraverit, non patet; quid autem impetraverit, non latet. Nam, finita oratione *k*, diei advenientis crepusculo, cum sopor gravissimus mortales solet occupare, lento pede ad puerum ingressus, ejectis omnibus ad exequias vigilantibus, flexis genibus, committit se beatæ Mariæ patrociniis; ut illa, quæ Vitam genuit, vitam puero impetraret a Filio *l* : nam aliter non est ausus tale aliquid tentare, nisi illa pro se Dominum dignaretur invocare. Quid enim ageret? Inter spem metumque trepidus, optatum instanti oratione exspectat auxilium. Nec suspendit diutius pius Archiater Famulum suum, qui ita sperantibus in se solitum confert remedium. Inter orandum enim puer, quasi de gravi somno excitatus, caput extulit: somniet, an vigilet, stupefactus. Sanctus ergo cum spei fixæ in Deum cognovit eventum, lætus accessit; puerum vivum erexit; vocatis officialibus, illum indumentis exui jubet funebribus, et quibus ante usus est, indumentis indui regalibus.

incredibili omnium gaudio;

6 Igitur qui huic officio aderant, clamorem gaudii diutius cohibere non poterant; quin libere eruptum atrium, omnemque aulam regis vociferatu maximo implebant. Quo omnes a somno excussi, huc illucque discurrebant, causam tanti sonitus ignorantes. Nec non ipse rex, qui tunc primum parum somni carpebat, exterritus (nam nimium tristis tota nocte jacebat insomnis) cubiculum, ubi tantus fragor exortus est, festinus incurrit. Quanta lætitia cor ejus pulsaverit, fusæ præ gaudio lacrymæ testantur; cum reviviscere vidit pro quo, si eum reciperet, ipse mori concupivit. Vocata mater ad sancti Viri pedes festinat; quia cor ejus triste filius vivus mulcebat : nec non omnes, qui ad funus deflendum confluxerant, gaudio repleti ad admirationem resurgentis pueri quique præ aliis ire festinabant.

tum regiam in se munificentiam deprecatus,

7 Rex ergo, ne moram faceret Episcopo, domum, ne laudaretur a populo, festinanti : consilium cum regina duxit, quomodo Sanctum remuneraret, qui eis tanta beneficia a Deo præstaret. Aurum, argentum, quæcumque concupiscibilia et regis dono honorabiliora in thesauris invenire poterant, gratissime præcepit offerri, humiliter deprecans, ut accipere dignaretur. Quæ sanctus Vir accipere devitans, ait : Si aliquid pro gratiarum actione Deo offerre te delectet, ad augendum Dei officium in ecclesia beatæ Matris Christi, cujus meritis filium vivum recepisti, terminos ejus, qui angusti sunt, ad tantum servitium dilatare aliqua parte regni tui, ut sit in usufructuario ibi servientibus Domino, si ita regiæ majestati placet, poteris : quia firmius hoc ac stabilius est ad beatitudinem tuam, tuorumque præcedentium patrum, et sequentium posterorum promerendam, quam aurum, quod oculos, cum videtur, delectat, et cor, cum perditum fuerit, contristat.

ecclesiæ Argentinensi Rubiacense oppidum impetrat.

8 Quam propositionem Pontificis rex gratulanter amplectens : Ubi, inquit, invenire poterimus locum talem, qui congruat ad serviendum Matri cœlestis Regis, cujus sunt universa in cœlis et in terris? Cumque hæc secum volveret, mentemque per omnem Alsatiam spargeret, sicubi talis forte locus inveniretur, qui tantæ donationi aptus haberetur; occurrit animo Rubiacham *m*, oppidum cunctis usibus, id est agris amœnis, campis, silvis, aquis, ædificiis, populis opulentissimum, summæ Reginæ in dotem convenire. Nec distulit rex, voto tandem invento, cancellario mox accito *n*, coram optimatibus suis,

assensum

A assensum tam bono consilio præbentibus, testamentum facit: ut Rubiacha cum omnibus appendiciis suis confinibusque, ad se pertinentibus, etiam cum villis, totum et integrum amodo et deinceps sit sub dominio sanctæ Argentinensis ecclesiæ: servientis Dei Genitrici Mariæ *o*, stabili et inextricabili stipulatione subnixum. Hoc nobili donativo ditatus, valedicens regi, ad propria remeavit Episcopus; convocatoque clero, militumque cœtu, populique conventu, cunctis astantibus ac aspicientibus, testamentum acceptum posuit super altare consecratum in honore sanctæ Mariæ.

Super aquis ambulat; aliaque patrat miracula;

9 Postea vero multis vixit annis *p*, pollens virtutibus sanctis, e quibus unum miraculum fidelibus valde proficuum huic operi dignum duximus inserendum. Fertur namque, eum citra flumen, quod de saltu Vosagi, nomine Briuscha *q*, mixtum cum Alsa fluvio, qui alveo per Alsatiam eo usque decurrit, oratorium ligneum parvum sibi fieri jussisse, quo nocturno silentio fluvium transiens, veniret, ut ibi se secretius in B oratione mactaret, mentem quoque in divina contemplatione latius extenderet. Subinde vero cum navigium non invenit, siccis pedibus fluvium transivit; completaque oratione, rursus super undam ambulans repedavit. Ita ergo religiosam vitam ducens, diversis morbis oppressos curavit; dæmones ab obsessis corporibus fugavit; discordantes concordare fecit; quibusque secundum modum necessitatis commodus exstitit moderator.

moritur, et sepelitur extra urbem; inde postea transfertur ad cœnobium Surburgense.

10 Cum autem sentiret, imminere sibi diem extremum, in monticulo urbi vicino extra civitatem *r*, ubi sancti Michaëlis est ecclesia constituta, sepulturam sibi fieri præcepit, et eo se ferri ac sepeliri; imitans Salvatorem Christum, qui extra portam elegit sibi sepulcrum *s*. At vero post multos annos inde translatus et ad cœnobium Surburcæ deportatus, ibi est honorifice reconditus: ubi et nunc famulantibus Deo et hymnis et laudibus multa beneficia patronus [confert] comitante gratia Christi, cui est honor et gloria per omnia secula seculorum. Amen.

C

ANNOTATA.

a Dagobertum *hujus nominis* secundum *intelligi debere diximus in Commentario prævio* § 4.

b *Parenthesim hanc habet utrumque exemplar Ms.; at omittunt impressa.*

c *Hæc comparatio est in utroque Ms., et Breviario Argentinensi; non item in auctario historiæ Lombardicæ.*

d Saltus *is situs est cis locum, qui sive a copia aprorum, sive (quod vero propius) ab infausto apri lædentis eventu nuncupationem accepit vulgo* Ebersheimmunster, *sive Apri-monasterium, quod est oppidulum in ditione episcopi Argentoratensis, et sedet ad Ellum fluvium, vix uno milliari Germanico distans a Schlestadio in Septemtrionem: unde ipse saltus dicitur* Ebersheimunsterwald, *teste Coccio in Dagoberto cap.* 15. EX MS.

e Singulari, *id est apro, ut probat Caugius.*

f *Ita utrumque nostrum Ms.; sed excusa hanc reflexionem expunxerunt.*

g *Dagoberti secundi regia erat Kirchemium, haud procul Molsheimio, quod Bruscha fluvius alluit; uti dictum in Diatriba de tribus Dagobertis lib.* 2, *cap.* 2.

h *Quæ sequuntur usque ad* Interea puer in lecto collocatus, *sunt in utroque Ms. nostro; sed in excusa Vita desunt.*

i *Quod sequitur usque ad*, Quomodo, aut quibus verbis oraverit, *desideratur in Vita impressa; conveniunt tamen hic inter se apographa nostra.*

k *Ita consonant Mss.; sed in impressis Actis deest quod sequitur usque ad*, Ejectis omnibus.

l *Hinc usque ad initium sequentis numeri pleraque omittuntur in impressis, nonnulla etiam variantur; exemplaria tamen Mss. conveniunt.*

m *Vulgo* Rufach, *de quo vide dicta in Commentario prævio num.* 41, *et Coccium in Dagoberto cap.* 21, *ubi et de templo parœciali* S. Arbogasti *titulo insignito.* E

n Cancellario mox accito, *non est in Vita impressa; est tamen in utroque apographo nostro; et in editione quidem Lovaniensi cancellarius appellatur Durandus, quod redolet illud diploma, de quo memini supra num.* 42. *Quamvis autem vox* cancellarius *illo seculo, quod in illo diplomate notatur, in usu non fuerit, ut citatus ibidem Cointius asserit; in usu tamen sub Carolinis fuit et deinceps, quando scripsisse putamus auctorem nostrum, qui usitata ac nota suis temporibus appellatione officium illud significat, quod alio prius nomine, sed jam exoleto, nuncupatum fuerat.*

o *Ecclesia cathedralis Argentorati, vulgo* Munster *dicta, jam tum Dei Genitrici erat sacra; nondum adeo tamen augusta, ut modo est. Adi Guillimannum cap.* 9, *et Merianum in Alsatiæ topographia idiomate Germanico scripta pag.* 37.

p *Annis scilicet octo circiter ut in Commentario prævio dictum.* F

q *Impressa habent* Bruyscha; *Ms. Wiblingense,* Brusen: *vernacule Breüsch; Latine* Bruschius *et* Bruscha *dicitur. Fluvius est Alsatiæ nobilis, qui prope Argentinam cum Illo, Ello, sive Alsa, principe Alsatiæ flumine, a quo et nomen habet regio, mixtus suum deinde nomen retinet, donec se in Rhenum exonerat.*

r *Est monticulus ille cum imposito sacello S. Michaëlis modo intra urbis mœnia, ut in Commentario prævio dictum est.*

s *Quæ sequuntur solum habet exemplar Ms. Trevirense, ut ante monui. De translatione egi Commentarii prævii num.* 49; *de Surburgensi vero cœnobio num.* 44.

DE

A D

DE S. VASTRADA VIDUA

SUSTERENI IN AGRO JULIANENSI.

J. B. S.

Ex monumentis inde acceptis.

SECULO VIII.

Cultam eam pridem ut Sanctam

Quam in sacris Fastis seu Martyrologiis parum celebris est S. Vastrada, alias Vastrades S. Gregorii, non proprie episcopi, sed abbatis et ecclesiæ Ultrajectinæ rectoris mater, S. Alberici episcopi avia, tam certum videtur, eam vero cultu ecclesiastico gavisam esse in cœnobio olim, nunc nobilium virginum collegio Susterenensi, Susterensi seu Suestriensi (vulgo Susteren) in agro Juliacensi, Leodiensis antea, nunc Ruræmundensis diœceseos, de quo non ita pridem varia collegit et vernaculo sermone descripsit R. P. Arnoldus Hertsworm, alibi a me laudatus, prior S. Crucis Venlonæ, cujus lucubrationem, perillustri D. Wilhelminæ Elisabethæ Boronissæ de B Hompesch Susterenensi abbatissæ dedicatam, et ab ipsamet commodatam ad me misit anno 1721 R. P. Ludovicus Toebast, collegii nostri Ruræmundensis jam secundum rector, ex qua eas partes, quæ ad Sanctos spectant potissimum, transcribi curavi, tametsi plurima observaverim, quæ tum ab historica veritate, tum a recta temporum ratione longissime deflectant.

probant adducta monumenta;

2 Narrat istic Hertswormius parte 2, § 4 Zwenteboldi ejusque conjugis Odæ Susterenensem fundotionem seu potius restaurationem, non usquequaque indubitatam, ad quod cœnobium sæpius confluxerint laudati SS. Gregorius et Albericus, utpote quorum mater, jam dicta S. Vastrada eo sese recepisset; ubi deinde et vitæ finem fecerit, et sepulturam nacta, et publicam venerationem consecuta sit: quod idem testatur Fisenus noster in Floribus Leodiensibus, inter ambigua multa id certo ausus asserere, quod ipsam, Sanctis adscriptam, veneretur posteritas: neque mihi dubium videtur, quin eamdem indicare voluerit Florarium Sanctorum Ms. C dum hoc die Vastradem annuntiat titulo martyris non recte insignitam: Item Vastradis martyris, unde fortassis sua acceperit Grevenus in auctariis Usuardinis: Vastradis martyris. Certe Castellanus in Martyrologio suo universali disertissimis verbis eam inter Sanctos collocat: Susteren in ducatu Juliacensi, S. Vastradæ, id quod verosimiliter hauserit ex Wilhelmo Heda in Gregorio, ubi de ejus controversa Susterenensi sepultura locutus, subjungit: ubi et S. Wastradis, mater ejusdem Gregorii requiescit, cujus festum celebratur XII Kalendas Augusti.

licet de gestis ejus vix quidquam repertum sit.

3 Vastradam item ut Sanctam agnoscit Mabillonius ad Vitam S. Gregorii seculo 3 Benedictino tom. 2, a pag. 319; cultum porro immemorabilem confirmant sacræ ejusdem exuviæ, in sacro Susterenensi thesauro religiose asservatæ, de quibus laudatus Heriswormius parte 3, § 4, venerandum sacrarium bis ingressus omniaque accurate scrutatus, ut E oculatus testis scribit, sese istic reperisse ossa et cineres Vastradæ seu Vastradis, matris sancti Gregorii, aviæ S. Alberici, quæ colitur XXI Julii. Hæc ad vindicandam S. Vastradæ publicam venerationem dicta sunto: nam de ejus Vita, gestis aut obitus tempore, nihil, quod sciam, memoriæ proditum est: quæ vero aliis Sanctis, toto ferme seculo inter se dissitis, istic miscet Hertswormius, locis suis ex professo postmodum discutientur, nempe ad XVII Augusti, dum de Benedicta et Cæcilia Zwenteboldi filiabus agendum erit, tum od XXV Augusti, dum de S. Gregorio, ad XIV Novembris, ubi de S. Alberico et alibi. Atque hæc hactenus: quod si quid præterea ad S. Vastradam spectans, in manus nostras perveniat, ad S. Gregorii filii ecclesiæ Ultrajectinæ rectoris natalem commode referri poterit, neque enim aliunde quam ex ejus Actis sanctitas matris innotuit.

F

DE B. ODDINO BAROTTO

FOSSANI IN PEDEMONTIO.

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De cultu aliquali ex processibus et Actis.

ANNO MCCCC.

Apud sotos populares celebris

De urbe Fossanensi pluribus olim in hoc Opere agendum fuit occasione culti illic, ut civitatis patroni, S. Juvenalis Narniensis (saltem quemadmodum tunc ferebatur) episcopi, quem potius, licet synonymum, Sanctum alium fuisse, ab infulato Narniensi martyre distinctum censuit Papebrochius in Commentario ad Acta ejus concinnato tomo I Maii a pag. 406; ubi diversa instrumenta referuntur, ad Majores nostros Fossano et Taurino transmissa, tum excusa tum Mss. in quibus nil prætermissum est quod ad Fossanensium rerum splendorem quoquomodo queat conducere, ut res istæ ibi abunde explicatæ, hoc loco iterum producendæ non sint; sufficit sane data istic Fossani notitia. Ea porro instrumenta talia sunt, ut odnexum ubique habeant, inter Sanctos aut saltem illustres alios Fossanenses, etiam hunc, quem beatum constanter prædicant, Oddinum, cognomento Barottum, primariæ ecclesiæ, tunc collegiatæ, modo cathedralis olim præpositum, rebusque præclare gestis, virtutibus ac miraculis apud populares suos in paucis celebrem.

2 Equi-

A *Beati titulo istic decoratur,*

2 *Equidem fatebor, optasse me sæpius paulo illustriora cultus legitimi indicia, quam sint ea quæ in Fossanensium monumentis adducuntur, idque adeo vel maxime, quod a Ferrario, Sanctorum popularium collectore minime parco, Sanctosque et Beatos Italiæ omnes tanta diligentia scrutato, et sanctum ipsum Juvenalem Fossanensem tam distincte referente, nec verbo* beati *istius* Oddini *mentionem usquam fieri observarem ; ut proinde in nullis usquam Fastis sacris, quantumvis recentibus ejus occurrat memoria, ut facile perspicias muros Fossanenses ante seculum* XVII *transgressam non fuisse, totis ducentis annis quodammodo sepultam, donec anno* 1608, *annitentibus maxime ejus consanguineis, colligi cœperunt variorum incolarum testimonia quibus insignium gestorum, illustriorum virtutum, miraculorum ac cultus aliqualis fama stabiliretur, ea saltem ratione ut* Oddinum *suum Fossanenses altaribus proxime admoverint.*

quem Majores nostri agnovere,

3 *Ab annis circiter sexaginta, anno nimirum* 1667 *ad Majores nostros missum est opusculum Italicum Joannis Nigri canonici et pœnitentiarii præ-*
B *dictæ ecclesiæ Fossanensis, Taurini anno* 1650 *Italice excusum sub titulo : Vitæ et miraculorum gloriosi sancti Juvenalis, etc., de quo ad* III *Maii jam satis dictum ostendimus ; cui cum non omnino acquiesceret Papebrochius, eo res perducta est, ut ipsa demum instrumenta manuscripta accesserint, ex quibus ipsis sua omnia laudatus Niger collegerat. Sunt ea codex Ms. foliorum chartæ integrorum triginta et amplius, seu plusquam centum viginti paginarum in folio, ex quo quæ ad S. Juvenalem spectant, jam data sunt, reliqua ad* B. Oddinum *referuntur potissimum, taliaque censuit Papebrochius, ut de toto instrumento pag.* 409 *scripserit in hunc modum :* Atque ita totum instrumentum, seu potius instrumentorum plurium fidelissima collectio concluditur, firmaturque appressione episcopalis sigilli, qualiter in nostro Museo servatur ad memoriam posterorum, et usum etiam aliorum temporum, quando de B. Oddino agendum erit in Julio.

tametsi signa satis illustria non videantur.

4 *Censuit igitur Papebrochius, relata istic multorum testimonia istiusmodi esse, ut de Beato illo*
C *hic agendum minime dubitaverit, in quo ei non illibenter subscribo, tametsi, ut jam dicebam, paulo urgentiora optarem veri et legitimi cultus documenta ; qualia an sint quæ habemus, jam mox fiet manifestius, ubi ex ipsius Nigri autographis litteris patuerit, post Vitam ab eo editam nec hilum celebritatis accessisse. Sic scribit ipse ad Papebrochium* VIII *Aprilis* 1675 : Ad beati Oddini Barotti cultum ab anno MDCL nihil accessit, præter quædam ornamenta circa ejus iconem a latere chori existentem. Is vero cultus impenditur qui ante centesimum annum exhibebatur. Fiunt scilicet privatæ preces et vota ; pingitur cum radiis, et publice colitur ; non tamen apponitur altare, nec sacrificatur, neque appenduntur luminaria, etiam XXII Junii *(lege* XXI Julii) ejus festo, sed ea accenduntur ad altare majus. Placuit hic alligare ejusdem effigiem, nec non S. Juvenalis, quæ ex devotione populi, post alias jam impressas circumferuntur.

Accepta est Vita ex processibus

5 *Miror sane, virum de cetero accuratum, in die obitus hallucinatum, quem tam clare expresserat in Vita seu elogio a se edito, ubi mortuus dicitur non* XXII *Junii sed hac* XXI *Julii, die vero sequenti seu* XXII *sepultus. Porro processus jam dictus seu testimoniorum collectio in Ms. incipit fol.* 27, *ubi præmittitur depositio communis seu generalis totius urbis, in suis primoribus seu consiliariis congregatæ, qui magno numero, ad instantiam R. D. Petri Antonii Barotti, vera prædicant ea omnia quæ in sequenti instrumento et in reliquis depositionibus longe fusius et sigillatim deducuntur, quæque ipsissima capita sunt ex quibus Vitam suam nitide collegit exornavitque laudatus Joannes Niger a nobis Latine versam, ut plane opus non sit longum processum Latine reddere, aut hic inutili prorsus labore totum describere, ad centum ferme paginas extensum. Titulus Latinæ institutionis in hunc modum conceptus est :* Testimoniales requisitionis, exhibitionis, supplicationis et librorum bellationisque juramentorum et informationum. *En modo instrumentum ipsum, hinc inde contractum.* AUCTORE J. B. S.

quorum præcipua substantia,

6 Anno Domini MDCVIII, die VI Junii Fossani judicialiter coram perillustri ac reverendissimo D. D. Thoma, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopo Paphensi, coadjutore Fossanensi, comparuit R. D. Petrus Antonius Barottus, suo et nomine aliorum de Barottis, exhibens supradictam supplicationem, incipientem : Exponunt E
nobiles suprascripti...., et petit sumi informationes, et testes examinari ad æternam rei memoriam, de et super contentis in illa : Et primo quod de anno Domini MCCCC et per ea tempora fuit inter viventes adm. R. D. Oddinus, ejusdem familiæ de Barottis, præpositus, dum viveret, ecclesiæ SS. Mariæ et Juvenalis..... Item petit sumi informationes a testibus præsentandis, quatenus deponant super voce et fama, et ipsos se scire quod dictus beatus Oddinus imprimis, dum viveret, fuit præpositus.... Item quod præfatus beatus Oddinus, ob vitæ sanctitatem et insignia pietatis opera vivens, tandem moriens, divina permittente clementia, Beati nomen est assecutus, prout ad hæc usque tempora durant depictæ illius imagines, et de superioribus ipsos scire, concurrentibus voce et fama et aliis adminiculis......

in instrumento Ms. fuse deducta,

7 Item de statu et prout remanent depictæ ipsius imagines. Item ubi repositæ erant corporis illius reliquiæ, et prout nunc jacent et reperiun- F
tur, et de statu ipsarum. Item quod dictus beatus Oddinus suis sumptibus construi jussit capellas campestres..... Item de pia populi devotione in dictum beatum Oddinum, illumque pro beato reputari et reputatum fuisse. Item quod depicta etiam fuerit ipsius imago cum nominis subscriptione, antequam parietes antiqui chori destruerentur. Item quod anno MCCCLXVIII gerebat curam animarum..... Item electus fuit pœnitentiarius cum ipsamet auctoritate absolvendi qua fruuntur pœnitentiarii Romæ..... Item de multis auctoritatibus sibi concessis..... Item de multis miraculis, prout testes examinandi dixerint. Item quod anno Domini MCCCLXXVI accessit in Jerusalem ad sepulcrum D. N. J. C. invisendi causa..... Quibus auditis, præfatus perillustris ac reverendissimus episcopus coadjutor et vicarius generalis, visis et diligenter inspectis..... ordinavit esse sumendas informationes requisitas a testibus præsentandis quæ inde sumptæ fuerunt, *etc.*

8 *Subjicitur* copia dictorum et depositionum testium

AUCTORE J. B. S. *breviter exponitur ;*

testium examinatorum, super vita moribus et actis quondam adm. R. P. beati Oddini Barotti ac contentis in suprascripta requisitione. *Tum vero ex ordine testium viginti et amplius exquisita referuntur testimonia sub latina formula quæ ad singulos repetitur, reliquo contextu Italice deducto. En testem primum fol.* 29 ✝. Et primo nobilis dominus Michael Cuneo super contentis in supra scripta expositione illorum de Barottis, informando cum juramento, tactis, ut supra, Scripturis, deposuit se scire et notum esse, che sin che lui teste era adolescente, *etc. Atque hæc eadem toto reliquo codice ad singulos testes accurate præmittuntur, suntque satis convenientia omnium testimonia, tametsi non omnes articuli in ordine ad singulos testes eadem omnino serie digerantur : satis sit, jam tum anno* 1608 *fuisse constantem et a majoribus, patribus, avis et atavis receptam per id tempus traditionem circa* vitam, mores et acta beati, *de quo loquimur,* Oddini Barotti, *cujus radiatam vetustam effigiem, a Nigro huc transmissam, in æs incidi curavimus, totum vero elogium ex Italico Latine vertimus, ipsumque subjungimus.* B



C

B. ODDINUS BAROTTUS
Præpositus ecclesiæ Fossanensis
obiit anno 1400, 21 *Julii, æt.* 56. *sup. licentia*

explicaturque expressa imago.

9 *Ad expositæ imaginis explicationem paucis observandum est, asseri passim in laudatis processibus seu testimoniis, ac sæpenumero inculcari, Christum Servatorem* B. Oddino *apparuisse, quemadmodum in picturis certatim exprimitur, ut etiam narrat infra elogii auctor num.* 12. *Atque hæc sunt quæ de* B. Oddino *impetrari hactenus potuere. Frustra variis litteris toto anno et amplius instití, clariora mihi solidioraque perseverantis cultus argumenta suggererentur; responsi nihil obtinere licuit, ut facile intellexerim, in antiquo statu rem omnem persistere, neque adeo de approbando Romæ cultu Fossanenses hodie magnopere esse solicitos. Neque vero nos calculo nostro venerationis quidquam additum cupimus, quod vulgari usitataque illic appellatione, ab Ordinario haud dubie probata, saltem permissa,* Oddinum beatum *dixerimus. Vocetur* venerabilis *duntaxat, vel quocumque alio nomine : certe virtutes ejus et singularia ecclesiasticæ perfectionis sanctitatisque documenta, talia esse censemus, quæ clericis omnibus merito in exemplum proponantur. Et vero receptam eam de* B. Oddini *sanctitate opinionem olim invaluisse, testis est etiam Ughellus tom.* 4, *col.* 1512, *dum ita scribit :* Cathedralis antiquæ sed elegantis architecturæ est, ubi præter sanctorum corpora Alverii et Sebastiani, martyrum Thebeæ legionis, nec non beati Oddini, illius ecclesiæ præpositi, anno MCCCC defuncti, S. Juvenalis..... reliquiæ conquiescunt. *En modo Vitæ compendium, quod e patrio sermone Latine redditum nuperrime diximus.* D

VITA

Seu potius elogium

Ex Italico Joannis Nigri Latine versum.

Juvenis clericali militiæ adscriptus.

Fossani natus est B. Oddinus anno MCCCXXXIV *a* patre Jacobo, matre Catharina conjugibus, ex conspicua priscaque Barottorum familia, quæ cum tribus abhinc seculis viros probos Deique timore præditos semper produxerit, haud obscure hi demonstrarunt, non dissimiles se fuisse progenitoribus ipsius Beati, seque adeo hujus meritis ac patrocinio singulares a Deo favores consecutos. Pie igitur ac laudabiliter educatus, præbitis indiciis docilis facilisque ingenii, mox litteris perdiscendis admotus est, in quibus quantum profecerit, ex muneribus, quibus dignus habitus est, manifeste licet conjicere : verum cum natura sua ad pietatis officia magis propenderet, clericali militiæ adscriptus, sic magis magisque in dies virtutibus ac bonis moribus enituit, sic placuit in rebus ecclesiasticis administrandis ; ut ad regendas ecclesias animarumque curam suscipiendam vocatus sit, priusquam ætatem assecutus esset qua ad sacerdotium promoveretur. E *a*

mox pastorali curæ admotus,

2 Hac fama impulsus Taurinensis per id tempus episcopus, ejus ordinarius, suppleto gratiose unius anni defectu, presbyterum ipsum ordinavit, quo capax redderetur ad regendam ecclesiam parochialem S. Joannis Baptistæ, diœceseos ferme præcipuam, quam ipsi ultro offerebat familia Opertorum, ejusdem patrona. Hanc adeptus zeli sui pastoralis vela expandit, tum in exponendo verbo Dei, tum in ministrandis Sacramentis, tum vero in aliis spiritus exercitiis atque in officiis caritatis ; sicque annis aliquot prædictæ ecclesiæ præfuit, ut jam tum venerationem sibi conciliaret, eo maxime, quod exteriora ministeria interno devoti animi sensu inflammaret, assidue intentus orationi, vigiliis ac jejuniis, adeo ut sæpissime solis herbis et leguminibus vesceretur. F

omnibus virtutibus enituit, atque Hierosolymam profectus est.

3 Ut autem palam faceret, quam abjecte de se humiliterque sentiret, circa annum MCCCLXXVI grosso se rudique habitu induit, ea plane forma qua ii procedunt qui tertiam S. Francisci regulam profitentur, multis seipsum durisque pœnitentiis macerando; cum vero singulari ardore ferretur in contemplandam Servatoris nostri Jesu Christi passionem, inde tanto affectu incensus est, eumque animo amoris ignem concepit, ut diutius conti-

EX ITALICO J. NIGRI.

A continueri non posset quin sacra ea loca inviseret, ubi prædictæ passionis Dominicæ et theatrum fuit, et vestigia supersunt. Ut itaque propius communicaret Redemptoris sui doloribus et tormentis, eodem circiter anno, debitis facultatibus litterisque munitus, peregrinationem Hierosolymitanam suscepit, votorum suorum compos effectus, non sine martyrii desiderio, Deo permittente ut in Turcarum captivitatem incideret, cum socio Hieronymo Mareneo Fossanensi, cui cum futuræ liberationis diem prædixisset, cum eodem in patriam regressus est.

Rigide in se sæviens pauperibus prospicit;

4 Tum vero pœnitentiæ disciplina probe institutus, continua ejus documenta exhibere non destitit, tum frequentibus suis concionibus, tum parcimonia vestitus victusque, frugali mensa, imo paupere utens, ut egenis succurreret; cibis ferme quadragesimalibus contentus, alios mendicis erogabat: et siquando carnis aliquid mensæ apponeretur, ad pauperes infirmos eam amandare, quotidianum ipsi erat; cujus rei singulare exemplum miraculo non caruit. Fuit qui Viro B beato caponem in festis Natalitiis apponi juberet, ipse vero clerico suo injunxit, ad pauperem infirmam eum continuo deferret; quo respondente, ignorare se, ubi mulier ista habitaret, hoc pacto viam commonstravit: Vade, inquit, ostium tibi commonstrabit Dominus. Pergens itaque in incertum clericus, ubi ex adverso januæ domus pervenit, e manibus quodammodo ferculum sibi sensit eripi, quo indicio ingressus, infirmam mulierem consolatus est. Sunt qui referant, Beatum clerico dixisse: Vade, hic te canis ad infirmam introducet; quodque obsequens canis clericum secutus sit, donec infirmæ vicinus gradum stiterit.

variaque munera solus obire solitus,

5 Tanto salutis animarum peccatorumque conversionis zelo tenebatur, ut, quo potentiori stimulo eos ad pœnitentiam et confessionem excitaret, ab Urbano PP. VI obtinuerit facultates pœnitentiarii Apostolici, atque ab episcopo Taurinensi licentiam absolvendi a casibus reservatis, ut liquet ex patentibus litteris eum in finem datis VII Julii anno MCCCLXXIV. Porro ob summam illam æstimationem quam de ipso prælati superiores conceperant, C sæpius ei delegationes, et negotia, res ecclesiasticas concernentia, tota circum Fossanensis territorii vicinia committebantur; eratque ipsi a præfato episcopo facta potestas, restitutiones incertis debitas exigendi, eas in pios usus erogandi, quin et vota commutandi. Cum autem varii Fossanenses sacra loca Romana Lauretumque visitare cuperent, dux ipse itineris directorque electus est; quo circa, ut piis peregrinantibus majori solatio esset ac Sacramenta ministrare posset, altare, quod vocant portatile, a Legato Apostolico Taurinensi impetravit per litteras datas decima Decembris MCCCLXXX.

nosocomium condit et sacella varia erigit.

6 Singularis plane fuit hujus Servi Dei misericordia in pauperes, ac memorabilis juxta zelus erga loca pia, in quibus perpetua cura intentus erat ad largienda procurandaque egenis subsidia; ast inter cetera opera præclarius, quod anno MCCCLXXXII agressus sit erectionem et fabricam nosocomii majoris, in quam rem tot eleemosynas et legata collegit, tantum de suo contulit, ut ex domo angusta arctoque peregrinorum hospitio, in eum statum adduxerit, ut et pauperes infirmos suscipere et eos sustentare posset. Fert etiam traditio, condita ab ipso fuisse sacella quatuor in honorem sanctorum Petri Apostoli, Stephani, Bernardi ac Lazari mendici, haud procul ab oppidi suburbiis, in quadranguli quodammodo formam disposita, tamquam propugnacula spiritualia seu stationes peregrinantium oppidanorum, quales a capitulo collatæ aliquando sunt, dotibus nonnullis ditatæ.

Ad ecclesiæ præpositu-ram evectus

7 Piæ hujusmodi procurationes quibus assidue incumbebat, tantam ipsi æstimationem venerationemque conciliarunt, ut vacante mense Novembri anni MCCCLXXXIX præpositura, seu prima præcipuaque collegiatæ per id tempus ecclesiæ Fossanensis dignitate, communibus omnium votis successor acclamatus sit piissimus Sacerdos, atque ab ipso capitulo suavissima contentione ad dignitatem acceptandam inductus. At enim ubi se ecclesiæ caput advertit, ad proficiendum majores spiritus, atque ad grandiora molienda animos concepit, mox cum canonicis et populo de ecclesia amplificanda, deque erigenda turri consilia conferens; eique rei tam ingenti studio atque ardore sese applicuit, ut ei felicissime contigerit, opus ipsum consummatum intueri anno MCCCXCVII. E

templum de integro restaurat,

8 Et certe res plane miranda, quod subsidiis non stabilitis sed plane incertis exstruere potuerit mediam tanti ædificii partem cum frontispicio et grandi illa mole turris campanariæ. Verum assidua ejus cura ac diligentia meditato operi ærarium fuit, siquidem præter contributiones, eleemosynas et legata quæ dexteritate singulari exprimere noverat, ab Amadæo VII, primo Sabaudiæ duce, facultatem impetravit libere distrahendi frumenta ad fabricæ incrementum, effecitque ut Taurinensis episcopus eam decimarum partem remitteret, quæ ipsi in territorio Fossanensi competebat; quemadmodum ex archivi cathedralis codicibus hodiedum patet tota Servi Dei œconomia, non solum in ordine ad templi verum etiam ad nosocomii ædificationem. Neque vero Dominus ferventem illum cultus sui zelum immuneratum reliquit, quemadmodum ex binis miraculosis prodigiis manifestum fuit.

non sine variis prodigiis;

9 De primo ita memorant: Dum trabs grandior templi fabricæ causa ductaretur, ita luto infixæ sunt currus rotæ, ut tametsi juncta fuerint F tria boum paria, e loco moveri non potuerit, donec accurrens beatus Oddinus, vectoribus animos addidit; missisque bobus quatuor, solos binos jugo applicuit, iisque impertita benedictione, manu altera temonem arripiens, altera stimulum agitans: Agite, inquit, pergite in nomine Domini et sancti Juvenalis; atque ecce continuo, non sine adstantium stupore, boves duo trabem ad templum commodissime perduxerunt. Alterum fuit quod e summa turri prolapsus sit cæmentarius dum in templo esset beatus Oddinus, qui ex strepitu et clamoribus de infelici casu monitus, fusis lacrymis, brevique oratione præmissa, ad jacentem et pro mortuo habitum cæmentarium accessit, eumque de nomine compellans, apprehensaque ejus manu, fidenter dixit: Noli pavere, nihil tibi mali accidit, redi ad opus; ille vero tamquam e somno excitatus, in pedes sese erexit, ac turrim rursus conscendit.

10 Quanto autem studio et amore ferretur in

EX ITALICO J. NIGRI.

calamitatemque ab agris avertit.

in concives et populares suos, eodem isto anno MCCCXCVII comprimis patuit: cum enim observasset circumvicinorum agrorum fructus et grandine et alia aeris intemperie annis prope singulis misere prostratos, communitatem induxit, ut particulari statuto colendum sibi præfigeret festum S. Brigidæ virginis, quam et in compatronam ac protectricem elegerunt, secutaque est postmodum perpetua et constans ejusdem festivitatis observatio. *Opinor hic indicari Brigidam illam Hibernicam virginem quæ apud Fæsulanos celebris est, utpote Italis notiorem alia multo seniore S. Brigida thaumaturga, itidem Hibernica. De utraque eadem die agitur* I *Februarii; quod hic obiter notatum volui. Pergit elogii scriptor:*

Cum magna sanctitatis opinione moritur,

11 Vivendi finem fecit bonus Dei Servus anno ætatis suæ LXVI, Julii die XXI, anno MCCCC, fuitque depositus in communi canonicorum sepulcro; verum noluit Dominus ut etiam sepulta maneret meritorum ejus gloria: etenim mox ab obitu sæpius apparuit resplendenti corpore genibus flexis ante summum altare, sicque visus est a sacrista, signum campana daturo ad Matutinum. Id vero
B ubi ad episcopum Taurinensem relatum est, præmisso fideli examine, tum circa prædictas apparitiones, tum circa virtutes et miracula, jussit is corpus adhuc integrum alba indutum, reponi in muro chori ad latus Euangelii, in loco elevato inter tres longiores lapides, sic ut per fenestellam, craticula ferrea occlusam, spectari corpus posset, sequenti disticho inferius scripto:

Oddin veneranda jacent hic membra Barotti
Præpositum templi quem pia vita dedit.

et honorifice sepelitur.

12 Superiorem sepulcri istius partem occupabat depicta Sancti effigies, radiato capite, in habitu canonicali, flectentis ante imaginem Salvatoris in nube expositam, ad eum modum quo ei olim apparuerat; subscripto hoc epitaphio:

JESUS MARIA. BEATUS ODDINUS BAROTTUS PRÆPOSITUS HUJUS ECCLESIÆ ANNO DOMINI MCCCC, INDICTIONE OCTAVA, DIE XXII MENSIS JULII SEPULTUS. HIC PIUS, PRUDENS, HUMILIS, PUDICUS,
C SOBRIUS, CASTUS FUIT ET QUIETUS, VITA DUM PRÆSENS VEGETAVIT EJUS CORPORIS ARTUS.

13 Hoc in statu cum permanerent reliquiæ, D
visitatæ fuerunt ab Hieronymo della Rovere Taurinensi archiepiscopo anno MDLXVI; deinde vero ab Hieronymo Scarampo episcopo Campaniensi et visitatore Apostolico anno MDLXXXIII atque ab ipsis summa cum veneratione monstratæ sunt familiaribus, et exteris qui tum forte aderant. Tantum vero accrevere Servi Dei sanctitatis fama, una et populi in ipsum fiducia, ob singulares gratias quæ post ejus mortem obtentæ sunt, ut in variis templis aliisque locis expressæ ejus effigies radiatæ omnes cum titulo Beati, præcipue vero in S. Juvenalis, S. Joannis Baptistæ, S. Francisci, S. Georgii, nec non in nosocomii frontispicio quæ hodiedum apparent.

Visitantur ejus reliquiæ;

14 Fatendum tamen, hominum imperitia ac temporum iniquitate (quemadmodum et in aliis rebus contingit) neglectam esse curam referendi in tabulas accepta beneficia, quæ, ut fert traditio, plurima fuere, eaque inter illud memorandum, quod capitis dolore affecti, dum ipsum Beati tumulo applicarent, omni protinus doloris sensu liberi inde recederent. Multi præterea contestati sunt, ejus meritis et intercessione, febres tertia- E
nas et quartanas sese dispulisse; unde et ad ejus sepulcrum et ad picturam frequentia visa sunt anathemata, ut in opinione hominum, Beatus semper habitus et creditus sit. Accidit autem ut corporis ejus depositum, cum novi chori exstructionem impediret, a primo Fossanensi episcopo Camillo Daddeo, in decentem capsam fuerit translatum IV Aprilis MDXCV, est anno MDCVIII, ad latus dexterum denuo collocatum est, inter ea sculptoriæ artis decoramenta, quæ modo adhuc spectantur, studio et munificentia sacerdotis Petri Antonii, beati Oddini agnati; *cujus videlicet cura et studio processus supra in Commentario prævio citati, instituti sunt;* sicque firmata in Beatum veneratio.

aliaque venerationis signa accedunt.

ANNOTATA.

a *Error aliquis irrepsit vel in textu Vitæ vel in inscriptione imaginis superius insertæ : hic enim dicitur mortuus anno* 1400 *ætatis* 56; *in Vita autem natus anno* 1334. F

VIGESIMA

VIGESIMA SECUNDA DIES JULII.

SANCTI QUI XI KALENDAS AUGUSTI COLUNTUR.

S. Maria Magdalena apud Massiliam, in Provincia Galliæ.
S. Syntyches Philippis in Macedonia.
S. Plato martyr Ancyræ in Galatia.
S. Cyrillus, S. Andreas, B S. Tebellius, S. Aureus, S. Stertheus — Martyres Antiochiæ.
S. Andreas, S. Elianus, S. Aiaboso — Martyres Maxulitani in Africa.
S. Cyrillus patriarcha Antiochenus.
S. Josephus comes confessor Scythopoli, in Palæstina.
S. Wandregisilus abbas Fontanellæ, apud Rotomagos in Normannia.
S. Meneleus abbas in monasterio Menatensi Arverniæ. E
S. Theophilus junior martyr in Cypro.
S. Hieronymus episcopus Papiæ, in Insubria.
S. Gualterius confessor Laude Pompeia, in Insubria.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Braulionis *Cæsaraugustani episcopi translationem notavit hoc die Marietta; de ea et Sancti gestis pridem a Majoribus nostris actum est ad* XVIII Martii.

S. Theodosiæ Virginis et Martyris *cultum celebrem alicubi fuisse in Rhemensi provincia, verbo observavimus ad auctaria Usuardina hoc die; nempe quod codici Heriniensi, cetera notæ optimæ, adjectam videremus Sanctæ istius* translationem, *de qua etiam meminit Florarium nostrum Sanctorum Ms. De qua translatione agatur, conjiciendum ex iis quæ de ipsa Sancta dicta sunt ad diem* v Aprilis. C

SS. Eugenium et Protogenem *episcopos hoc die, sed minori charactere, primæ suæ Usuardi editioni adjunxit Molanus cum* Apollo ; *sed ab eo textu in posterioribus editionibus prudentius abstinuit. Ferrarius omnia colligens, tres istos diversis annuntiationibus Catalogo suo generali hoc ipso die inseruit. De postremo loquimur infra, de duobus aliis* Eugenio *et* Protogene *actum est jam pridem die* v Maii.

S. Germani inclyti Parisiacæ urbis episcopi et confessoris *translationem hoc die factam memorat Saussayus. Verum quæ de hac et de Sancti gestis dicenda fuerunt, habes in Actis ipso die natali* XXVIII Maii.

SS. Martyrum Achatii et sociorum *memoriam agit hoc die Ferrarius,* Labaci in Carniola, *citatque tabulas ejus ecclesiæ.* Unus est, *inquit,* ex decem millibus in monte Ararath in Armenia crucifixis, *etc. At nos de iis jam pridem egimus die scilicet* XXII Junii

S. Joannes Gualbertus *perperam hoc die signatus est a Felicio, quem non video cur in eo imitatus sit Arnoldus Wion, nisi fortasse ut illum in annotationibus suis refellat. Nos de eo jam supra ejus die natali* XII Julii.

Relatio reliquiarum sancti Hieromartyris Phocæ *celebratur in Typico S. Sabæ, cujus Sancti mentio etiam fit in Mss. Menæis bibliothecæ Ambrosianæ, Martyrologio Arabico Ægyptio ac Kalendario Syriaco seu Chaldaico Romæ excuso* 1624. *et Latine reddito a D. Josepho collegii Maroninitici anno* 1661. *Molanus dictam relationem addidit secundæ editioni sui Usuardi, ex quo fortasse Galesinius. Plures Sanctos synonymos non leviter intricatos enumeravimus die* XIV *hujus, occasione S. Phocæ martyris et episcopi Synopensis in Ponto, ut liquet ex Commentarii prævii paragrapho* I, *a pag.* 600. *Ad quem determinate* Phocam *ista hic sint referenda, fatemur nos nescire : eadem difficultas occurret die proxime sequenti inter Prætermissos. Vide interim dictum diem* XIV Julii. F

S. Paulus diaconus martyr *perperam huc a Marietta translatus est ; spectat ad* XX Julii.

S. Victoris et sociorum martyrum *festivitas a Marietta etiam transposita est. Vide* XXI Julii.

SS. Florentii et Sysinnii *memoriam hodierno laterculo inserit Florarium Sanctorum Ms., nulla prorsus nota adjecta, unde inter multos ejusdem nominis agnoscantur : satis sit ea hoc loco indicasse.*

S. Marcellæ Martyris *memoriam lego notari hoc die in variis Mss. tabulis Græcis, pluries a nobis citari solitis. Excerpta, quæ habemus ex Mss.*

A *Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ, in elogio, quod de ipsa habent, narrant,* incolas insulæ Chii venerabile ei templum ædificasse, tum quia magno ipsam affectu prosequuntur, tum quia plurima miracula ab ea quotidie patrantur : quorum unum, ad hodiernum usque diem inauditum, fieri perhibetur ; inveniri nimirum lapillos supra littus, in quo templum ipsius conditum fuit, concreto sanguine plenos, quibus abrasis, scobem in vasa abjectam adhibeant ad omnem curationem suam. Hinc omnibus innotuit tamquam Sancta et martyr, tum ex sanguine in lapillis reperto, tum ex apparitionibus nocturnis, *etc., quæ sine certioribus sane monumentis minime admittenda sunt. Varias id nominis Martyres dedimus diebus variis in nostris Actis; an et ad quem diem ista spectet, ignorare nos fatemur. Nec mirum, istam Martyrem adeo nobis esse ignotam, cum adeo ignota fuerit apud Græcos, ut in Synaxario Chiffletiano singulari isto characterismo signetur in duobus versiculis, qui ex Græco itæ sonant :* Tametsi

B ignoremus omnes nos [te] Marcellam; certaminis tui Christus novit modum. *In tanta itaque temporis, martyrii aliarumque, quæ ad ipsam spectant, rerum ignoratione, nihil agendum nobis putamus quam simpliciter hic de ipsa meminisse.*

Waldredum *abbatem in aliquo Kalendario reperit Bollandus ; at cum hic alibi notus non sit, sufficiet, ipsius hic meminisse.*

S. Marchillæ memoria *occurrit in Martyrologio Arabico-Ægyptio paulo ante laudato ; verum desideratur major notitia.*

Salvianum *ut* sanctum, *ut* episcopum, scriptis et meritis gloriosum *hoc die prædicat Saussayus cum longo elegantique elogio, quod viro præclarissimo debitum non negamus ; ast Massiliensem episcopum fuisse, nescio ubi Martyrologus iste legerit; multo minus ubi et a quo tempore Sanctorum honoribus donatus sit, aut, hoc potius quam alio die usquam colatur. Mirus est Saussayus in suis canonizationibus : hic* Salvianum *Sanctis adscribit, quem venerabilem dumtaxat dicere debuit; postridie vero* Cassianum *inter venerabiles*

C *collocat, quem Massiliæ altaribus admotum, ignorare non potuit. Sic rursus hoc die*

Claudium Marium Victorinum *exornat* sancti *appellatione, de cujus cultu nullum alibi vestigium.*

Baltfridem *item* monachum, *ut* S. Wandregisilo charum, in territorio Bituricensi *annuntiat, opinor, ut sic discipulus Magistro jungatur; sed de cujus cultu certiores nos reddere oportebat.*

Hilarius *episcopus Vesuntionensis, quartus hoc die Sanctus est creationis Saussayanæ, seu mavis Ferrarianæ : alii satis habent eum venerabilem pronuntiasse; ut* de festivitate *nihil noster invenerit. Utrum* depositio *ejus vere* contigerit II *Kalendas Octobris, non opus est pluribus inquirere. Adde* Pancharium *et* Justum *quos in ipso suo Martyrologio huic* Hilario *eadem auctoritate adjunxerat.*

Eliam Tolosanum *ut* beatum *prædicat hoc die Marchesius in Diario, ejus occasione agens de S. Maria Magdalena, magnifice commemorans prætensum miraculum in rege Siciliæ, etc., quæ eo loci perperam intrusa sunt.*

Augustinus della Bagella *cum eodem titulo secundum locum occupat.*

Catharina *cognomento* Martyr *tertio loco ponitur sed absque ullo titulo.* D

Gofridus *seu* Godefridus *ex abbate Clarævallensi episcopus Lingonensis* beati *titulo donatur in sæpe citato Cisterciensi Kalendario; quem* sanctum *rotunde appellant Henriquez et Bucelinus longo eum ornantes elogio ; quale etiam habet Saussayus, cum inter pios solum memorans. Chalemotus de eo agit* VIII *Novembris, ut jam* XV *hujus in prætermissis monuimus : si interea probetur cultus, superest dies quo ejus Acta illustrentur.*

Benedictus, *ut jam dicti Godefridi discipulus, cum sola* venerabilis *appellatione hoc die relatus est a Chalemoto, taccnte de eo Henriquez, qui die præcedenti ipsum memoravit ; ast hic*

Andream *Bonævallensem monachum secundo loco annuntiat idem Henriquez,* beatum *de more prædicans, quemadmodum et Bucelinus, non ea monumenta citantes, ex quibus de cultu fiamus certiores.*

Rapertus scholarcha vir doctissimus in Sangallensi monasterio *laudatur hoc die a Dempstero.*

Wilfredam reginam et abbatissam *ex Martyrologio Anglicano se accepisse memorat Ferrarius . utique ex prima editione anni* 1608, *ubi cum elogio refertur, in altera anni* 1640 *a Wilsono prætermissa est.* E

SS. Theudilam, Isaac, Laurentium et septem alios martyres *hoc die* XXII Julii consumptos *notavit Ughellus in episcopis Spoletinis tom.* I, *parte* 2, *col.* 166 ; *at de his aliisque Umbriæ Sanctis fuse disputatum est in Tractatu prælimi nari ad tomum* I *Julii, quo curiosos lectores remittimus.*

Joannes Mindensis abbas et auctor reformationis Bursfeldensis *cum titulo* beati *refertur in Fastis Westfalicis nostri Joannis Velde,* Mindæ ad S. Mauritium, *additque*

Joannem de Hagen et indagine *cum eodem titulo, ut* primum ibidem reformatorem ; *de quorum qualicumque cultu certiora monumenta desideramus.*

Joannes de Lana *cum titulo* beati *signatur in Encomiastico Augustiniano Philippi Elssii; verum alia requiruntur ut inter Sanctos hic locum habere queat.* F

S. Adrianum confessorem *hoc die* Massiliæ *nobis annuntiat Castellanus in Martyrologio suo universali, apposito ad marginem seculo* IV, *absque alia notitia quam frustra alibi quæsivi hactenus; ut unde Sanctum istum, Massiliensibus ipsis plane ignotum, eruerit ipse, conjicere prorsus nequeam : at certe sola ejus auctoritas, ut jam alibi dixi, ad adstruendos novos Sanctos sufficiens nobis non est, nec erit umquam.*

Tactum Ilerdensem episcopum *Tamayus unicum habuit, quem in acie Sanctorum suorum Hispanorum hoc die collocaret his verbis :* In regio Onniensi cœnobio prope Burgos Hispaniæ, B. Tacti episcopi Ilerdensis in Cathalonia, qui cognitis sancti Eneconis, illius monasterii abbatis, mirabilibus, relicta sede, monachum induit, ubi celebris operatione virtutum, ad cœlos confessor inclytus migravit. Cujus corpus juxta sancti abbatis sarcophagum tumulatum, adhuc honorificentissima theca quiescit. *Quis hæc legens de vero tam præclari Sancti cultu dubitet? Interim ex ipsa Tamayi confessione, in ea serie*

ignotum

A *ignotum antea fuisse constat. Audi loquentem ipsum :* Nunc primum, *inquit*, ejus nomen in Martyrologiis scriptum videbitur, quia huc usque S. Præsulis festa ignorabatur dies, licet ejus sanctitudo et venerabilis memoria, publica apud cœnobitas monasterii regalis Oniensis a multis retro sceulis exstitcrit. Eam nunc suscitare compellimur, cum, Deo favente, tanti Præsulis in diei transitus cognitionem inciderimus. *Quasi vero sufficiat, diem obitus cognoscere, ut quis publica veneratione donetur : neque fictitii Auli Hali adductum epigramma apud nôs ulla sanctitatis momenta adfert aut huic aut aliis id genus Sanctis, quos nobis obtrudit sola Tamayi, toties convulsa auctoritas.*

Ludovicus Grippius martyr, *in territorio Ebroicensi*
Godefridus item martyr, *Londini in Anglia*
Angelus Pincianus confessor, *Romæ*
Matthæus Ferulanus confessor, *Ferulæ in Sicilia*
B Stephanus ab Antiqua mellatia confessor, *Cocolanis in India Occidua*
Laurentius a Brundusio confessor, *Ulyssippone*
Magdalena a sepulcro virgo abbatissa, *Belvisii in territorio Placentino Hispaniæ*

cum titulo Beati *memorantur ab Arturo in Martyrologio Franciscano, et ultima etiam in Gynæceo.*

Petrus a Valentia *in citeriori Hispania laudatur a Fortunato Huebero in Menologio Franciscano, qui etiam reliquos memorat, sed omni titulo abstinens; et præterea addit*

Petrum Niethi *in territorio Valentino Hispaniæ.*

Matthæum Rubeum Cajetanum *in Italia.*

Claram de Sambucca *in Sicilia.*

Fulgentium de Asculo *Ordinis Capucinorum cum pluribus aliis ex eadem congregatione.*

Margaritam Richiam *viduam Senensem in Italia, ut multis virtutibus et spiritu prophetiæ illustrem, superaddidit P. Benignus Fremaut in Vitis Belgicis Ordinis Seraphici, ex Fastis Senensibus et Vita edita* 1699.

S. Apollonius martyr *notatur in Synaxario Divionensi; sed de eo agemus cum Martyrologio Romano* xxiii Julii.

C S. Apollinarem Ravennatensem episcopum *hoc dies referunt nonnulli codices Hieronymiani ; verum colitur et de eo cum Martyrologio Romano agemus die sequenti* xxiii Julii.

SS. Martyrum Trophimi et Theophili, ac aliorum triginta *(tredecim)* memoria *hoc die notatur in supplemento nostro Sirmondo-Chiffletiano, pluries citato : de quibus, quod et heri monuimus, agendum cras cum Martyrologio Romano, quod duos ex istis, qui hic nominantur, recenset* xxiii Julii.

De S. Lewinna virgine martyre *agunt hoc die plures recentiores Martyrologi cum Greveno et Molano; ast eamdem plerique etiam signant* xxiv *hujus ; nos habita ex ipso loco notitia, quod hoc die non colatur, ejus festivitatem ad proprium diem remisimus* xxiv Julii.

SS. virginum et martyrum Julianæ et Semproniauæ *meminit hoc die Ferrarius* in territorio Barcinonensi, *citans ecclesiæ istius tabulas. Errat in nomine* Sempronianæ *pro qua scribere debuit* Semproniæ ; *non minus felix in assignando die, qui apud Tamayum est* xxvii Julii. D

S. Neoti *monachi Angli* translatio *signatur hoc die a Menardo; eum ego esse existimo, de quo in Actis Benedictinis* xxxi Augusti.

S. Julianæ virginis et abbatissæ inventio *ut hoc die facta ponitur a monasticis Wione, Dorganio et Menardo* in monasterio S. Blasii de Catoldo Venetiis. *Ferrarius* translationem *scripsit; at natalem ejus referunt ad* i Septembris.

Philippus *aliquis, saltem quantam ex abbreviato nomine licet colligere, adjicitur, ut* Minorita *et ut* martyr cum sociis a Saracenis occisus, *inter additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum; at quis ille sit, nec Arturus me hactenus nec alius docere potuit. Si forte Ceptanos indicare voluit annotator, male efformato nomine, de iis agetur* xiii Octobris.

S. Verenam virginem martyrem *ut* S. Ursulæ sociam *inter Scotos collocavit Camerarius, avide inde accepit Arturus, ipsam* Veronam *appellans;* E *sed ea a sociabas avellenda non est, de quibus omnibus agetur* xxi Octobris.

Benno Osnabrugensis episcopus *insigni elogio ornatar ab Alberto Krantzio lib.* 5 *Metropolis cap.* 26, *pag.* 136, *aitque* præfuisse ecclesiæ cum summa laude per annos viginti; migrasseque anno octogesimo octavo post mille, xi Kalend. Augusti; *atque adeo hoc die, quo proinde coli ipsum oporteret, si vera sunt, quæ de ipso prædicat Vita B. Bennonis episcopi Misniensis ad* xvi *Junii tom.* 3, *pag.* 156 D, *ubi hæc disertis verbis asseruntur :* Floruerunt autem hoc nomine [*Bennonis*] viri non incelebres ; unus quidem episcopus Osnabrugensis, ob vitæ meritum in Sanctorum numerum relatus. *Ad quæ notavit Henschenius, ipsum* in Catalogo episcoporum apud Blavium, in descriptione episcopatus Osnabrugensis Beatum appellari, *at non videri cultum habere aut habuisse; nomen certe non inveniri in Kalendariis istius ecclesiæ ante Breviaria cusis.* Sed iis, *inquit*, mos est ponere solum celebriores, *inter quos hactenus connumeratus non est. Fasti Westfalici Mss nostri Joan-* F *nis Velde ipsum cum* Beati *titulo annuntiant* xxvi *hujus, monentque a Ferrario et aliis signari* xx *Novembris. In ea incertitudine visum est tempus concedere Osnabrugensibus, ut de legitimo cultu nos doceant, omnia interim remittendo ad dictum diem* xx Novembris.

Sancti Apollo, discipuli et episcopi Conensis *memoria* in Asia *notatur hac die apud Ferrarium, qui eum ex Molano accepit, Usuardo ejus anni* 1568 *adjectum. De isto Sancto una cum* Sosthene, Cepha, Tychico, Epaphrodito, Cæsare *et* Onesiphoro *jam egimus die* xxii *Martii, occasione S. Epaphroditi. Vide etiam Prætermissos ad diem* xxix *ejusdem mensis. Verum quia Græci rursum eos proferunt die* vii, viii, *et* ix *Decembris, si quidquam præter illa, quæ jam dicta de illis sunt, tunc dicendum occurrat, poterit illud dari* vii, viii *vel* ix Decembris.

DE

A D

DE S. MARIA MAGDALENA

J. B. S.

APUD MASSILIAM.

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS

§ I. Exponitur quæstionis status.

SECULO I.

Interminabilis suborta quæstio

Quod *de genealogiis prima sua ad Timotheum epistola cap.* 1, ✰. 4 *olim scribebat Doctor gentium,* quæstiones *esse* interminatas, *id huc non inepte referri posse nonnulli existimant, ut* interminata *et interminabilis asseratur proponenda hic expediendaque disceptatio de sancta toto orbe Catholico illustrissima* Maria Magdalena, *ferventissimo in Christum Servatorem amore, ex ipsis sacrosanctis Evangeliis tam* B *cognita, quam notis suis proprie characteristicis hodiedum implicita ; utpote de qua jam a binis seculis disputatum sit, et porro etiamnum inter viros eruditissimos acris maneat concertatio ; varie olim proposita, varie conclusa ; necdum decisa, neque argumentis pure historicis verosimillime umquam satis dirimenda. In medio posita sunt falli nescia Evangelistarum oracula, patent omnibus venerandorum Patrum in iis explicandis sententiæ, exhaustam prope dixeris perspicacissimorum nequidquam interpretum aliorumque scriptorum eruditionem, neque tamen ita hactenus elucidata est quæstio, ut plane pateat, utri contendentium parti omnimode acquiescat humanum ingenium, sola perspecta veritate omnino saturandum, aut fide divina subigendum.*

de Sancta longe illustrissima,

2 *Fontes attigi seu locos e quibus argumenta depromenda veniunt, non quod de dogmate aliquo agatur, in quo fides detrimentum pati queat; in puro enim facto historico sistitur, neque clare revelato, neque ex Patrum sensu determinato, vel, ut dicebam, facile terminabili. Ut vero rerum momenta satis pateant, resque omnis justis suis terminis* C *circumscribatur, ea dilucide præmittenda et restringenda sunt, de quibus et qua ratione controvertatur. Siquidem innumera de* Magdalenis *et* Mariis *scripta dicam, an intricata sunt, adducta ultro citroque Patrum testimonia, eadem hæc modis diversissimis distracta, atque ad arguentium sensum detorta, quæ si recte expenderis, nec uni ferme nec alteri hodie contendentium parti certum seu decretorium momentum afferre perspicies : pauca certe quæ hodiernam controversiam ex professo attingant. Nos, quo poterimus studio, evitare hoc loco conabimur, ne res per se satis implexa majores etiam tenebras lectoribus affundat, quibus affatim difficultatis suppeditabitur etiam dum tota controversia, justis suis terminis contracta proponetur. Ad magni litigii status varios seu phases sensim accedimus.*

et ab Evangelistis tam clare expressa.

3 *Neque vero de sanctitate, virtutibus, gestis, miraculis aut cultu, more nostro hic disquirendum est, neque dubitari a quoquam potest, dum sanctam* Mariam Magdalenam *hoc die nominamus, quin de ea sermo sit, quem sacri Evangelistæ expressissime variis locis propria ea appellatione indigitant, hoc addito charactere, quod septem malignis spiritibus eam Dominus liberaverit ; Lucæ* 8 : Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant. *Marci* 16 : Apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia. *Eadem est quæ Joannis* 19, stabat juxta Crucem Jesu ; *et Joannis* 20, *quæ nuntiavit Apostolis,* quia vidi Dominum. *Eadem demum quæ Matthæi* 27 *et* 28 *non semel appellatur. Hæc tam clara sunt, ut luce sua oculos prope offendant, vixque, his lectis, cuiquam suaderi possit, circa hanc laudatam adeo in Evangeliis feminam difficultates suboriri posse.*

4 *At non ibi cardo vertitur, notissimam omnes agnoscunt sanctam* Mariam Magdalenam; *audienda sunt quæ de ea sancti Patres aliique scriptores investigaverint. Ex Lucæ 7 desumitur quodammodo quæstionis exordium, nempe ex vulgatissima mulie-* E *ris peccatricis in convivium Simonis Pharisæi irruentis, et Christi pedes ungentis vulgatissima historia. Quæritur enim utrum ea peccatrix pœnitens, quæ in solo S. Lucæ Evangelio memorata et anonyma est, utrum, inquam, ea mulier ipsa sit sancta nostra* Maria Magdalena, *primum* peccatrix in civitate, *deinde dilectissima Christi sectatrix, discipula, ministra. Atque hæc prima phasis est, si ita loqui licet, seu aspectus, sub quo quæstionem quis contemplari possit, partemque affirmativam tueri, uti pridem fecerunt viri sanctissimi juxta ac doctissimi S. Bernardus, Nicolaus Clarævallensis, Petrus abbas Cellensis, S. Thomas et S. Bonaventura, quorum verba et argumenta ubi opus erit, in medium producemus.*

Quæsitum a SS. Patribus utrum ipsa peccatrix fuerit?

5 *Rursus cum Joannis cap.* 11 *dicatur* Mariam *fuisse Lazari et Marthæ sororem, de qua prædicet Evangelista :* Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis ; *at vero nulla alia unctio sciatur ante id tempus facta fuisse præter illam solam et unicam, de qua ex Lucæ Evangelio jam egimus, disputant Patres et interpretes, utrum ista* Maria *Marthæ et Lazari soror, ab habitationis loco* Bethanica *dicta, ipsa illa fuerit* F *mulier pœnitens, antea* in civitate peccatrix, *non jam* Maria Magdalena, *sed amantissima illa* Maria quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius ; *dum* Martha *soror* solicita, *rebusque domesticis occupata, sola Domino ministrare cogebatur; sub quibus terminis eam opinionem, duce Augustino, propugnant viri alii, tum sanctitate quoque tum doctrina illustres, quorum elenchum non recte confecit Calmetus, Augustinum omittens, Bedam autem et alios adducens, qui apertissime unitatem propugnant, de quibus infra uberius.*

Alii an ipsa Lazari et Marthæ soror?

6 *Has duas opiniones, utut inter se diversas, in unam combinasse videtur tertia illa communissima, quæ principio logico innixa, consequens censet, ut quæ uni tertio eadem sunt, eadem inter se connectenda sint, eorumque Patrum auctoritates in partes suas non incommode trahi posse existimat ; estque illa et fuit semper Ecclesiæ ipsius consensio ; dum* Mariam Magdalenam, *jam cum peccatrice confusam, hanc vero cum* Maria Bethanica, *unam esse eamdemque credidit feminam : nimirum, ut denuo repetamus, censuit et constanter censet, pœnitentem illam*

Capitalis controversia, una designetur an plures feminæ?

A *illam peccatricem, et* Mariam Magdalenam, *et* Mariam *Lazari ac Marthæ sororem minime discernendas esse. Ipsissima hæc, inquam, et receptissima est totius Ecclesiæ Catholicæ, saltem Occidentalis consensio, perpetua traditione, Officiis ecclesiasticis alisque monumentis ab omni ævo stabilita et confirmata.*

Non ut olim de unctricibus disputatum est,

7 *Ne qua supersit confusio, præmittendum omnino fatendumque est, non sic olim inter vetustiores Patres, tum Latinos tum Græcos, agitatam fuisse quæstionem, de una nempe aut pluribus feminis Evangelicis (quas postmodum* tres Magdalenas, *alii* tres Marias *nuncuparunt) nam præcipua illorum investigatio nunc huc, nunc illuc deflexit, prout exponenda Evangeliorum capita materiam suggerebant. Nimirum de unctionibus quærebatur potissimum, atque illæ quotuplices, seu a quot diversis feminis factæ statuerentur. De primorum seculorum communiori sententia testis est Origenes in Matthæum Homilia* 35 : Multi quidem æstimant, *ait,* de una et eadem muliere quatuor Euangelistas exposuisse. *Sic et Chrysostomus in eumdem Evange-* B *listam :* Una et eadem apud omnes Euangelistas esse videtur. *Sed de his plura inferius, ubi de Theophilo Antiocheno, de Theophylacto, Euthymio aliisque Græcis, uti et de Latinis Patribus, qui pro triplici femina perperam adducuntur ; quemadmodum et unitatis defensores Patres aliquot allegare soliti sunt, qui de hodierna quæstione cogitasse non videntur ; ut ad rectam totius controversiæ nostræ intelligentiam definitionemque segreganda sint ea omnia, quæ verum quæstionis hic ventilandæ nodum non attingunt.*

sed ut a Fabro Stapulensi obtrusa nova opinio.

8 *Hæc igitur ipsa est, et non alia quæstio : ex una parte recentiores nonnulli ducibus Fabro Stapulensi, atque Jodoco Chlictovæo, volunt,* Mariam Magdalenam, *a* Maria Bethanica, *et has ambas a* peccatrice pœnitente *diversissimas esse, ita ut non una sed tres distinctæ omnino feminæ habendæ sint ; sicque hæc opinio plane ex diametro adversatur jam dictæ, quæ tria ista nomina, seu propria seu appellativa, uni et soli feminæ aptanda contendit. Atque hæc quidem constantissima et indubitata (ut ipsi adversarii fatentur) Ecclesiæ sententia, saltem a tem-* C *pore sanctissimi Papæ Gregorii Magni, hoc est a fine seculi* VI, *seu a* VII *principio. Neque diserte turbatam umquam novimus eam possessionem usque ad annum* 1519, *dum bini illi Parisienses doctores, inter plurimos istius temporis errores novam hanc atque eatenus inauditam opinionem in lucem protrusere, qua jam non una* Magdalena, *sed tres omnino diversæ feminæ, et quidem ipsæ dictæ* Magdalenæ *orbi innotescere cœperunt, non sine gravi scandalo, cui tollendo exserenda fuit Sorbonæ districtio, edita celebri censura* IX *Novembris anno* 1521, *quam* I *Decembris ejusdem anni ratam habuit, quamque hic opportune subnectendam censuimus. Frustra apud Universitatis historicum Bulæum quæsita, desumpta est ex Biblioteca critica tomo* 2, *a pag.* 286.

Censura Sorbonica de tribus Magdalenis.

anno 1521 a Sorbona Parisiensi,

De unica Magdalena, Decanus et Facultas Theologiæ in alma Universitate Parisiensi, omnibus fidelibus salutem. Ad Romanos scribens Apostolus Paulus, altiloquus Christi præco, ipsos orthodoxæ fidei cultores his verbis salubriter hortatur : Quæ pacis sunt sectemur, et quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus. Quod utique salutare monitum cum omnes pro viribus amplecti debent libenter, tum sacrarum Litterarum professioni addicti, quorum proprium munus ac partes habentur, ea quæ sunt ædificationis, quantum ad doctrinam et mores in populo Christiano promovere, quæ vero offendiculum aliis præstant studiose revellere.

AUCTORE J. B. S.

accurate discussa,

10 Cum itaque proximis annis, occasione quorumdam opusculorum in lucem editorum, quæ plures esse Magdalenas disseruerunt et prædicarunt, eamdem sequentium sententiam multa et gravia oborta fuisse noscantur scandala in populo Dei ; quam plurimi quoque potuerunt ea occasione abduci a sincera devotione in unicam Magdalenam, ut fructuosæ post lapsum pœnitentiæ speculum hactenus habitæ *, nec non divelli ab universalis Ecclesiæ ritu, unicam Magdalenam in suo Officio adstruentis. Quin imo et possit consimiliter etiam trahi in dubium et ambiguitatem quamdam de reliquis institutis, quæ ecclesiastica sanctione observantur, longa jam antiquitate receptis, itane habeant sicut tradit Ecclesia, an secus ; quod aliorum saluti vel maxime incommodaret : nempe nihil certum aut indubitatum in tota Ecclesia demum relinqueretur, si cuique pro suo arbitrio impune liceret hujusmodi traditiones sanctorum Patrum per Ecclesiam receptas, rejicere aut calumniari ; quibus incommodis per alia quorumdam scripta videbatur satis fuisse provisum. E

* habitam

et ad receptam Ecclesiæ sententiam,

11 At cum proximis diebus, certis acceperimus documentis, nonnullos rursum in dubium etiam publice populum Dei docendo revocare, an unica fuerit secundum Evangelicam historiam Magdalena vel plures : hinc est quod nos pro nostro officio studentes hisce offendiculis minorum subortis obviare, opportunum itidem remedium, ne amplius posthac enascantur adhibere ; post frequentes inter nos habitas super hac re conferentias, definimus, decernimus, atque determinamus, sententiam S. Gregorii (qui totius quondam Ecclesiæ Præses fuit et sapientissimus Officii ecclesiastici auctor, et moderator) quod (licet in sacris Evangeliorum textibus ejusdem peccatricis pro diversitate statuum ejus varia legantur officia) unica tamen sit Maria Magdalena, F quæ Marthæ soror exstitit, peccatrix illa cujus conversionem scripsit Lucas in capite sui Evangelii 7, amplectendam esse et tenendam, ut Evangelio Christi conformem, et Ecclesiæ Catholicæ ritui consentaneam.

assensu concordi prohibita.

12 Scripta vero adversus hanc sententiam nullatenus esse toleranda, nos assensu concordi censemus, omnibusque inhibendum, et iis qui de nostro existunt gremio, aut sunt futuri inhibemus, ne deinceps eorum quispiam præsumat in concionibus ad populum, aut disputationibus publicis, librisve, aut alias asserere, plures esse Magdalenas : aut in dubium revocare, quod sit unica. Datum in nostra congregatione apud collegium Sorbonæ, in ejus majore aula, ad hæc specialiter convocata, die Sabbato IX mensis Novembris anni Domini MDXXI. In quorum testimonium præsentes manu nostri Bedelli majoris seu Notarii signari jussimus in nostra congregatione apud S. Mathurinum post Missam de more celebratam, per juramentum convocata ; ubi et hæc ex abundanti confirmata fuere et ratificata,

die

AUCTORE J. B. S.

die prima Decembris MDXXI. De mandato Dominorum Decani et Magistrorum sacræ Facultatis Theologiæ. *Signatum* J. de Neri.

§ II. Quæ potissimum adducantur ad suadendam trium feminarum diversitatem.

Difficillimam esse quæstionem agnoverunt eruditi,

Videre pridem eruditi quique, quod jam dicere cœperam, difficillimum esse, si non prorsus adynaton, ex proposita quæstione feliciter eluctari, ut pridem monuit Cardinalis Quinonius in Breviario Romano a se disposito et Parisiis edito, anno 1558, *lectione* V *Officii ipsius Sanctæ scribens:* De Maria Magdalena non parvam esse doctissimorum et gravissimorum virorum controversiam, quibusdam res gestas ad unam, aliis ad plures mulieres referentibus ; *ubi alludere omnino videtur ad ea quæ Parisiis actitata olim fuisse jam notavimus. Sic et Cardinalis Baronius in Annalibus*
B *idem saxum volvens ad annum* 32, *ingenue fatetur,* nec tanti *se* esse, nec de se tantum præsumere, ut de his supremam ferre sententiam præsumat vel proponat. *Neque id se facere posse credidit Estius in famosa oratione Duaci habita* XXI *Julii anni* 1609, *quæ inter excusas est quarta decima, ubi præcipue adversus Baronium decertare videtur. Atque is est qui sopitam quodammodo priori seculo* XVI *acerrimam controversiam, sequenti ineunte primus suscitavit, solus inter Belgas Catholicos, quos ego quidem noverim, qui ab antiqua sententia, saltem palam et aperte desciverit : in eo laudandus, quod pari modestia atque eruditione mentem suam proposuerit. Sic prolusionem suam academicam orditur:*

quos inter doctor Estius

14 Quæstio celebris est apud theologos, auditores, utrum ea quæ in Evangeliis commemorantur vel de muliere peccatrice, cui remissa sunt a Domino peccata multa, quia dilexit multum; vel de Maria Magdalena, de qua ejecit septem dæmonia, quæque circa sepulcrum Domini solicita fuit; vel de ea quæ apud tres Evangelistas Dominum unxisse legitur in Bethania : in unam eamdemque mulierem omnia competant,
C an vero ad diversas, duas scilicet, aut tres, aut etiam quatuor mulieres sint referenda. Variant enim opiniones, plerisque sentientibus, quod una sit eademque ; aliis vero in duas ; aliis in tres quatuorve ea quæ narrantur, distribuentibus. Quæ quæstio quoniam ad intelligentiam evangelicæ narrationis, et dicta Evangelistarum inter se concilianda, pertinet atque conducit ; gratam fore huic celeberrimo auditorio ejus tractationem minime diffido : maxime quod et temporis occasio nos huc invitet. Nam sive una sit illa mulier, sive duæ, sive plures ; crastina dies, qua per totam Ecclesiam solennitas agitur beatæ Mariæ Magdalenæ, ita nobis eorum quæ sive de una, sive de pluribus Evangelica prodidit historia, sub uno nomine commemorationem indicit ; ut etiamsi plures sint, nullius tamen earum memoria prætermissa videatur.

receptam opinionem labefactare conatus.

15 Est autem hæc quæstio non nuper excitata, vel hoc vel superiori seculo ; sed de qua etiam veteres ac præcipui Doctores Ecclesiæ, tamquam de dubia et controversa quæstione locuti sunt. Quam proinde Cæsar Baronius, in suis ad Martyrologium Romanum annotationibus, famosissimam et antiquitus disputatam quæstionem appellat. D Marianus quoque Victorius in Indice operum S. Hieronymi difficillimam vocat, et ubique in Ecclesia controversam. Dixi præcipuos Ecclesiæ Doctores de ea velut dubia locutos fuisse, hi sunt : Ambrosius, Hieronymus et Augustinus. *Verum de his Patribus infra suo loco ; sufficiat hic ex ipso Estio rei recitandæ difficultatem præmonstrasse, quam recentissime etiam probe agnovit eruditissimus Augustinus Calmet, non semel alibi a nobis laudatus, in dissertatione præmissa Commentario in Lucam a pag.* LXIV ; *et sic loqui oportet sapientes omnes, qui mare istud magnum ingressi, viam feliciter, saltem cum certa veritatis apparentia, enatandi nequaquam se invenire fatentur.*

Audacior anonymus eam convellere nititur,

16 *Non ita sentire visus est anonymus (quem Maucounduit appellatum intelligo) qui anno* 1685 *editam medio ante seculo Loveti alicujus dissertatiunculam, ex Estio ferme desumptam, sed novis phaleris indutam, in lucem emisit, multa piissime præfatus, ac speciosissimos titulos accumulans, quibus se ad scribendum impulsum profitetur ; vel eo quidem usque, ut multum honorarium se sibi imposuisse asserat, quod illustrissimas sanctas* Mariam E Magdalenam *et* Mariam Bethanicam, *errore populari turpiter infamatas, peccatrices seu meretrices et ipse eatenus crediderit. Tunc satis retractatam ait, descriptam supra Facultatis theologicæ Parisiensis censuram, per approbationem Lovetiani opusculi : quin imo tunc prævalere quodammodo cœpisse Fabri et Clictovæi opinionem, ex quo in Breviario ecclesiæ Parisiensis particularis ambabus istis Mariis festivitas, et sua cuique Officia propria assignata essent. Ut paucis dicam ; pio suo et pœnitente stylo, litem prorsus se evicisse, sanctissimasque Virgines debito honori restituisse, haud inglorius triumphat.*

Loveti argumenta suscitans,

17 *Juverit Latinam facere, atque hic pro majori parte attexere Loveti præfationem, ab anonymo adoptatam, ut in brevi schemate pateat, quam ornate, et ad persuadendum speciose venditentur, quæ pro triplici Evangelica femina ex eo tempore in sola Gallia studiose evulgata sunt, Estii argumentis potissimum innixa, ut ex sequenti paragrapho clarius perspicies : aliis interim non deficientibus, qui pro recepta Ecclesiæ sententia calamos certatim strinxerint. Audiatur primum jam dicta Loveti præfatio.* F *Sic lectores alloquitur :* Demonstrabit vobis hic discursus, S. Mariam Bethanicam, S. Lazari sororem distinctam personam esse a S. Maria Magdalena, et neque unam neque alteram fuisse umquam feminam illam quam Evangelium peccatricem appellat. Agnoscitur ea distinctio ex Evangelio Lucæ, dum sub finem cap. 7 narrat, feminam peccatricem, post condonata peccata a Christo dimissam esse, et capitis 8 initio, distinguens Magdalenam a peccatrice sic dimissa, ait, Magdalenam, de qua septem dæmonia exierant, Christum secutam cum aliis mulieribus provinciæ Galilææ. Sub finem autem capitis 10, distinguens Magdalenam a Maria Bethanica, scribit, Jesum, Judæam ingressum, hospitatum in domo Marthæ, cui erat soror, nomine Maria, quæ sedebat secus pedes Domini.

instansque a variis unctionibus,

18 *Alterum distinctionis argumentum sumit Lovetus ab unctionibus in Christi corpore a diversis mulieribus, diversis locis, et diverso prædicationis ejus tempore peractis, quarum prima Lucæ 7 in Galilæa, civitate Naïm, in domo Simonis Pharisæi,*

dum

A *dum esset Joannes in carcere, anno Christi* 32 *innectitur, facta a muliere peregrina, notissima* in civitate peccatrice. *Unctionem secundam, de quo Joannis cap.* 11 *et* 12, *collocat in domo Marthæ anno Christi* 34, *diu post Joannis martyrium. Tertiam vero hisce adjungit, quæ describitur Matthæi* 26 *et Marci* 14, *in eodem quidem Bethaniæ castello, sed in domo Simonis Leprosi, quatriduo post jam dictam secundam, et duobus ante passionem diebus; et hæc quidem non pedibus adhibita sed capiti, a muliere non minus incognita quam innominata. Subsumit Lovetus : atqui ex nullo Evangelii textu eruitur, quod* Magdalena *harum unctionum ulli interfuerit; inde igitur consequens est mulierum distinctio, imo non trium solum, sed et quatuor; in quo Estium aut non intellexit Lovetus, aut certe secutus non est.*

quod Estius ante præclu-serat;

19 *Etenim ut recurrentem identidem difficultatem circa unctionum numerum hinc simul et semel amoveam, cum Estio sentiendum omnino existimo, unam eamdemque referri apud Matthæum Marcum et Joannem, non in domo Marthæ, sed apud Si-* B *monem Leprosum in Bethania paulo ante passionem, a* Maria *Lazari et Marthæ sorore, certissime factam. Sic habet Estius pag.* 232 : Primum non puto laborandum in explicandis argumentis eorum qui narrationem Matthæi et Marci de muliere in Bethania ungente Dominum, et narrationem Joannis de Maria sorore Lazari, itidem in Bethania Dominum ungente, ad diversas referunt unctiones; ac multo minus qui etiam ad diversas referunt personas : quod faciunt Origenes... et eum secuti Theophylactus in Marcum, et Euthymius in Matthæum. Placet enim omnino hac in parte quod scribit Augustinus lib. 2 de consensu Evangelistarum cap. 79, non esse dubium, quin eamdem rem memorati tres Evangelistæ narrent gestam in Bethania : ubi etiam discipuli (quod omnes tres commemorant) murmuraverunt adversus mulierem, tamquam de perditione pretiosissimi unguenti. Nam quod obstare videtur; dum unus Evangelista narrat, pedibus infusum unguentum, alii duo capiti; docte eam apparentem dissonantiam tollit eodem loco Augustinus.

C

ex quo tamen reliqua accepta sunt.

20 *Jam tertia distinctionis evidentia Loveto est, quod mulieres istæ diversis cognomentis apud Evangelistas indigitentur, quo nostrum Maldonatum adducit :* Ubique Mariam Magdalenam appellant Evangelistæ, ut eo cognomento illam distinguant ab omnibus aliis quæ Mariæ vocabantur. *Quarto arguit a diversitate originis et mansionis, quæ ibi fusius deducta, satis est hic indicasse, ex Estio mox cum aliis integre exhibenda. Demum urget, quod sanctæ istæ Mariæ diversis locis sepultæ asserantur; et quidem* Magdalena, *ad finem usque vitæ virgo purissima, Ephesi martyrium passa, ibique sepulta sit;* Bethanicam *autem Hierosolymis cum sorore depositam oporteat : utpote cum hagiomastyx Launoius quatuordecim omnino Martyrologia, et ipsi quidem antiqua, produxerit, in quibus sanctæ Sorores sic annuntiantur :* Hierosolymis, nativitas sanctarum Marthæ et Mariæ sororum Lazari. *Hæc denique præfationis conclusio Launoii ipsius verbis concepta :* Notandum est, nomine Mariæ, Mariam Magdalenam non intelligi, sed aliam mulierem, juxta sententiam veterum Patrum, qui Magdalenam Lazari sororem non fecerunt, a peccatrice distinxerunt, adeoque plures mulieres in Evangeliis intelligendas statuerunt. Qua de re videatur Estius in doctissima oratione, quam de Magdalena, illiusque a peccatrice discrimine habuit. *Est hic præ manibus ex qua nihil intactum relinquetur.*

AUCTORE J. B. S.

Castellanus dicte opinioni insistens

21 *Habes brevi compendio argumenta fere præcipua quæ a recentioribus adducuntur ad evertendam universalis Ecclesiæ, saltem Latinæ sententiam, de prædictarum mulierum unitate atque identitate. Anonymi libellum ad Majores nostros continuo misit clarrissimus Claudius Castellanus, sexcenties nobis laudatissimus, tametsi a placitis ejus particularibus plerumque discrepemus. Is, ut erat unitatis impugnator acerrimus, sic nobis suadere non destitit, ut Gallicam istam opinionem amplecteremur, quam mihi, fatebor lubens, tantum non persuaserat; usque adeo efficacia videbantur ea argumenta quæ in primo suo Martyrologii Romani cum notis Bimestri splendide et eleganter proposuit, quæque hic etiam Latine versa exhibeo, ne quis miretur si in meis ad Usuardum Observationibus sententiæ isti propius accedere visus sum; sic tamen ut præmaturæ nihil definiendum censuerim, totius controversiæ decisionem ad hunc locum remittens. Ipsum igitur Castellanum* E *etiam audiamus ex* XIX *Januarii, quo die* Mariam *et sororem Martham annuntiare non dubitavit. Sic ibi collegit quidquid in favorem opinionis suæ adduci posse existimavit, eo persuadendi conatu tantoque verborum lenocinio, ut in distinctionem lectores blande satis, quin et nervose alliciat.*

speciosissima quæque adduxit,

22 *Incipit a vetustioribus Martyrologiis, quorum cum esset peritissimus, summum ex iis momentum accersere non prætermittit; unde ad Menæa progressus, diversas ex ipsis utriusque* Mariæ *festivitates ostendit : quæ omnia postmodum a nobis explicabuntur. Inde dilabitur ad Flodoardum de templo Bethanico Lazari et duarum sororum seculo* X *agentem. Tum ad celebrem historiam Vezeliacensem, quo nimirum ex ipsa Palæstina* S. Mariæ Bethanicæ *corpus translatum fuerit, ibidemque inventum anno* 1265, *ac biennio post adstante sancto rege Ludovico translatum in thecam argenteam per Legatum Simonem, ad Romanam Cathedram evectum, sub nomine Martini IV* 1281, *a quo paulo ante costa, inde ablata, ecclesiæ Senonensi concessa fuerat. Confusam eo tempore Mariam istam ait cum* Magdalena, *id quod centum ante annis minime factum fuisse, probare conatur auctoritate S. Bernardi, quæ suo loco recurret; uti et tota Vezeliacensis traditio, collata cum Massiliensi, cui tantopere inniti non debuit Castellanus. Urgentiora sunt ejus argumenta ex ipsis Evangeliorum textibus desumpta, quæ ejusmet verbis reddi merentur :* F

ut in sententiam suam nos pertraheret.

23 Nihil adeo stupendum, *inquit,* quam sit hæc *(trium mulierum)* confusio iis, qui Evangelia legunt, nullo præjudicio affecti : præterquam enim quod eodemmet tempore quo Christus peccatricem conversam e Simonis Pharisæi domo dimittit, mox prodeant Magdalena, Joanna, Susanna et mulieres aliæ, ex quo a malignis spiritibus curatæ erant, Dominum cum Apostolis sequentes, et de facultatibus suis ei ministrantes, qui cum ipso e Galilæa in Jerusalem, duobus ante passionem annis, iter suscipiunt, sub cujus finem Bethania transiens Christus, Mariam, Martham, Lazarum primum visit : præter hæc, inquam, distinctionis realis evidentissima indicia, observari potest, tam oppositos esse trium istarum mulierum animi atque ingenii characteres, quam qui maxime; ii præsertim qui inter Mariam Magda-

AUCTORE J. B. S.

Magdalenam et Mariam Bethanicam tam native describuntur: Magdalena Christum sequitur quocumque pergat; Maria non sequitur umquam: Magdalena in itineribus Christo ministrat; Maria ne domi quidem curat quæ ad ministerium pertinent: Magdalena ubique quærit Dominum; Maria ipsum tranquille domi exspectat: Magdalena semper agit; Maria semper contemplatur... Rationi certe magis consonum fuisset, Magdalenam cum Martha confundere, ita ubique simillimæ invicem apparent, ita pari agilitate circa frequens ministerium satagentes. *Hactenus graphice Castellanus, cujus reliqua argumenta cum ceteris communia sunt.*

§ III. Præcipua adversariorum argumenta proponuntur.

Præcipua adversariorum argumenta ad tres classes reducit Estius:

B

Viam sensim sternimus ut manifestius pateant momenta omnia rationum quibus Parisiensis ecclesia, tum Aurelianensis, Viennensis et Cluniacensis congregatio (hæ solæ huc usque Officium mutasse dicuntur) impulsæ sunt, ut a ritu Romano deflecterent. Non diffiteor, satis plausibilia esse eorum argumenta, neque diffitebor, diu me multumque in eam partem inclinasse, donec, recte perpensis omnibus, modus patuit, quo ea omnia, quantumvis speciosa et solida, ex Evangeliis, ratione, et firmo plurimorum Patrum interpretumque consensu, atque ex indubitata Ecclesiæ traditione abunde dissolvantur, quemadmodum ex sequentibus paragraphis planum futurum existimo, nullis novis viis aut mediis adhibitis, nullis fabricatis systematibus (quod fecere Lamy, Mauduit, Pezron et alii) nulla vocis peccatricis *contorsione, sed plano perspicuoque Patrum et interpretum sensui inhærendo. Ut autem hodiernorum unitatis impugnatorum antesignanum esse doctorem Estium clarius perspicias, adducendum hic censui orationis ejus contextum, ad cujus capita singula solutiones ordine subjicientur.*

Argumenta Estii contra unitatem.

C

arguit primo a serie Evangelii Lucæ,

Ut autem ternarius earum habeatur numerus, hæc tria probanda sunt: peccatricem et Mariam Magdalenam non esse eamdem; rursus, peccatricem cum Maria sorore Marthæ et Lazari non eamdem esse; item Mariam Magdalenam non esse eamdem cum sorore Maria Lazari. Quibus autem binarius sufficit numerus; suffecerit quoque unum quodlibet ex his tribus astruere posse. Quod igitur horum trium erat primum, id imprimis ostendi videtur ex ipsa serie narrationis evangelicæ apud Lucam. Cum enim septimo capite historiam de peccatrice et pœnitente muliere pertexit, nomen illius reticet, non ideo, (quod quidam adferunt pro ratione) quia famæ ejus et honori consultum vellet; quid enim ad consulendum ejus honori profuit, Evangelistam tacuisse nomen, si passim omnes per Ecclesiam fideles sciturі erant, quænam esset; aut, cur non eadem ratione Davidis et Petri nomina suppressit Scriptura, quando eorum crimina nobis prodidit? Sed tacuit, quomodo aliorum atque etiam aliarum, quæ laudabiles fuere, nomina tacuerunt Evangelistæ: velut illius Hæmorrhoissæ, et Chananeæ mulieris, et illius quam hic idem Evangelista Lucas narrat extulisse vocem de turba, atque dixisse Domino: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. D

quod peccatrice dimissa, mox Magdalena inducatur,

26 Cum vero idem Lucas statim post, ac nulla alia narratione interposita, scribit de mulieribus quæ curatæ a spiritibus malignis et infirmitatibus, sequebantur Christum, et ministrabant ei de facultatibus suis; primam inter eas suo nomine designat Mariam Magdalenam, nec verbo significans, eamdem esse, de qua proxime locutus fuerat. Quin potius non eamdem esse narratio declarat: nam peccatrici extremis verbis dicitur a Domino: Vade in pace, quod et Hæmorrhoissæ dixerat a se sanatæ, et adulteræ mulieri Joannis 8: Vade, inquit, noli amplius peccare. Quæ verba utique sunt dimittentis a se mulierem; alioqui dixisset ei quod aliis: Veni, sequere me.

quam, Dominum comitantem, nefas sit talem cogitare;

27 Sed dices, sponte sua mulier, collecta prius ex facultatibus suis pecunia, Dominum secuta est, ut gratam se pro tanto beneficio accepto exhiberet. Id haud dubie verum arbitror de Maria Magdalena a tot dæmoniis liberata, sed de peccatrice non fit probabile; imo videri potest admodum improbabile, vel uno argumento: nam qua ratione Christus Dominus, qui toties et tam graviter monet, a scandalis cavendum esse, quique per Apostolum suum præcipit dicens: Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus; qua, inquam, ratione sineret peccatricem, infamem mulierem, et, ut apertius dicam, publicam meretricem (sic enim a sanctis Patribus appellatur) recenter conversam ac neophytam, accedere ad suum comitatum, et in eo remanere; ubi paratæ tot calumniæ adversariorum, tot in promptu infirmorum offensiones, etiam ipsorum Christi discipulorum; aut quis hodie tale quid facientem aut patientem probaret? Quam vero indecorum, mulierem nuper meretricem atque infamem, familiariter assidueque conversari cum Maria matre Domini, ac ceteris honestis et integræ famæ mulieribus, quæ Christum sequebantur, et tam viventi quam mortuo officiosa impendebant obsequia. E

neque dici possit quando ejecta sint ab ea septem dæmonia;

28 Jam ex ipsa historia accedit aliud argumentum, quod una dici non possit, peccatrix et Magdalena. Hæc enim a septem dæmonis curata narratur: quod etsi nonnulli de spirituali curatione, id est, vitiorum expulsione, quibus obsessa fuerat illa peccatrix, exponant, ut supra meminimus; plerique tamen interpretes de corporali dæmonum ejectione, ut verba sonant, intelligunt. Nam historicorum est, planis verbis uti in suis narrationibus, et non allegorice loqui. Testantur autem diserte Lucas et Marcus, ex hac muliere, quam Mariam Magdalenam vocant, ejecta fuisse septem dæmonia. Nec sane aliter id accipiendum, quam quod idem Lucas eodem loco de aliis narrat mulieribus, quibus Magdalenam annumerat, dicens: Et mulieres aliquæ quæ curatæ erant a spiritibus malignis, et infirmitatibus; Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, etc. Quæritur ergo, quandonam fuerit ab hac obsessione dæmonum curata: num antequam unxit pedes Domini, et ab eo audivit; Remittuntur tibi peccata; an post id tempus: nam in ipso tempore quo illud fecit et audivit, eam curationem contigisse, ratio non sinit. Nequaquam enim Evangelista hoc corporale miraculum spirituali F

conjun-

A conjunctum, tacuisset : præsertim in tanta dicendi occasione. Quod si prius curata fuit : quomodo non tunc etiam desiit esse meretrix, tanto beneficio affecta? Nam certe quod aliis, id et ei dictum fuisset a Domino : Vade et amplius noli peccare. Si postea curata dicitur ; cur post remissa ei peccata, et postquam audivit : Vade in pace, adhuc a dæmoniis fuit obsessa ? Conatur hoc dilemma solvere Baronius in Annalibus ecclesiasticis ; verum rectene et solide, an secus id faciat, lector ejus judicet. Sed hæc satis de primo membro.

instat secundo quod peccatrix non possit esset soror Marthæ

29 Sequitur secundum, scilicet peccatricem non esse eamdem cum Maria sorore Lazari. Quod ita probant. Peccatrix illa Galilæa fuit : nam quod de ea narrat Lucas, in Galilæa contigisse, contextus historiæ declarat. Consentiunt etiam interpretes, quibus placet, rem accidisse, vel in Naïm, vel in Capharnaum, Galilææ civitatibus. Maria vero Lazari soror Jerosolymitana erat, ex Bethania castello seu municipio Jerosolymis vicino, sicut et soror ejus et frater; quemadmodum liquet ex iis, quæ de his tribus commemo-
B
rat Joannes ; nec usquam legitur in Galilæa, vel alibi conversata. Deinde, illa infamis fuit mulier; hæc apud Judæos honesta et clara habebatur, ita ut honoris causa multi ex Judæis, ut refert Joannes, inviserent eam et Martham sororem ejus, ut consolarentur eas super morte fratris : quod facturos non est verisimilime, si impudica et meretricia conversatione familiam suam dehonestasset. His jam adde, quod Christus Dominus non tam familiariter cum suis discipulis hujusce Mariæ domum frequentasset, multoque minus apud eam hospitium etiam nocturnum (quod ex Evangeliis fecisse constat) elegisset; si fuisset aliquando meretrix, eaque publice infamis. Talium quippe familiaris et domestica consuetudo, etiam post actam pœnitentiam, viris etiam sanctis fugienda est ; saltem ut ne quis infirmus scandalizetur. Nec vero Judæi prætermisissent Christo et discipulis ejus hanc calumniam impingere, qui tam multa alia leguntur in eo criminati fuisse. Qui enim dicebant : Hic cum peccatoribus manducat et bibit ; an
C
non multo magis dicturi erant : Hic hospitium eligit, apud infamem mulierem ? Et ubi regula, quam Evangelii sui prædicatoribus præscripsit, dicens : In quamcumque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete ? Dignus, id est, honorabilis, ac bonæ famæ ; ne scilicet Evangelium male audiat propter hospitis vitam improbam aut suspectam.

neque etiam Magdalena a diversa patria aliisque adjunctis;

30 Restat ut et de tertio membro aliquid dicamus ; diversam fuisse Mariam Magdalenam a Maria sorore Lazari. Primum hoc communi argumento cum præcedente videtur ostendi ; quod et illa Galilæa fuerit ex Magdalo Galilææ castello orta. Numeratur enim ab Evangelistis inter eas mulieres, quæ Christum e Galilæa fuerant secutæ. Mariam vero Lazari sororem Jerosolymitanam fuisse, jam probatum est. Nam quod illuc ex Galilæa non commigraverit, ut alii volunt, ex eo satis apparet, quia Jerosolymis habebat multos notos ; qui, ut jam dictum est, honoris causa ad eam ibant consolaturi super fratre defuncto. Præterea, nec legitur Maria Lazari soror occupata fuisse circa sepulturam Domini, quemadmodum nec Martha soror ejus, quamvis multum sedula et solicita : sed hoc singulariter ac nominatim asscribitur Mariæ Magdalenæ, quæ id præstitit, adjuta a sociis mulieribus, quæ simul cum ipsa ex Galilæa Jerosolymam ascenderant. Nam Maria et Martha non erant ex earum numero, quæ Christum assidue comitabantur ministerii causa ; sed tantum de illis legitur apud Lucam et apud Joannem, quod Christo solitæ erant hospitium suæ domus præbere. Qui ubi tale quid referunt, nusquam Magdalenam cognominant ; ubi vero de sepultura Domini agitur, Mariæ Magdalenæ nomen auditur. Verum hæc satis. Omitto recensere authores et veteres et recentiores, quorum testimoniis hæc singula membra, vel simul omnia comprobentur. Non enim permittit brevitas temporis nobis ad dicendum concessi.

putat tertio diversa nomina in unam personam confusa.

31 Illud addo, videri posse quod in hac re de qua agimus, acciderit, quod alibi interdum : ut diversæ historiæ in unam conferantur, maxime ubi consensus est in nomine. Quomodo Græci Nazianzenus et Metaphrastes, et ex Latinis Prudentius, ex duobus Cyprianis unum fecerunt, quod et in Martyrologia quædam irrepsit. Ita
E
Simonem Apostolum et Simeonem discipulum, Cleophæ filium, quidam unum faciunt. Ita nonnulli de Philippo Apostolo et diacono, tamquam uno, historias passionis conjungunt. Quod an etiam in Dionysio Atheniensi et Parisiensi acciderit, examinent antiquitatum periti. Certe constat in quibusdam Martyrologiis, eos die et loco et genere passionis separari. Sic et e diverso, nominum pluralitas unam personam interdum in duas divisit ; quod in Bartholomæo et Nathanaele accidisse, mihi vehementer probabile est. Intellexistis, auditores, quibus argumentis ac rationibus singula membra partitionis supra positæ nitantur ; ex quibus illud effici videatur, ut ternarius sit agnoscendus numerus earum mulierum, de quibus est instituta hæc oratio. Id cui non placet, illi necesse erit ad ea respondere.

Ex his capitibus sumpta sunt aliorum argumenta,

32 *In hac artificiosa Estii oratione nihil prætermissum est, quod ad suadendam trium Evangelicarum feminarum distinctionem speciosius adduci possit; patetque, ut supra dicebam, Loveti, anonymi*
F
et Castellani præcipua argumenta ex eo fonte deprompta esse, at hinc inde non nihil amplificata, sed maxime ab Anquetino, Leonnensi in Normania parocho, adversus Lamy, Mauduit et Pezron acriter certante, cum quo conferto pede ultimum congressus est anonymus longa dissertatione paginarum 286 *in* 4 *minuti characteris, edita Parisiis anno* 1713, *cujus auctorem nos docuit Calmetus, nempe Trevetum curatum in Gomicourt, quem proprio isto nomine sæpius infra compellabimus.*

quibus cavillos non addimus facile solubiles.

33 *Porro ad prædicta argumenta dissolvenda Estii seriem prosequamur, neglectis aliis variorum objectionibus, quibus momenti minus inesse videtur, quibusque hæc tractatio nimium extenderetur : quales istæ sunt, quas ab Anquetino et Treveto vulgatas diximus, quorumque logicales argutationes negligi posse censuimus : ut quod* Maria Bethanica, *cum Judæa esset, peccatrix esse non potuerit, non magis quam* Magdalena, *utpote cum Deuteron.* 23 *scriptum sit :* Non erit meretrix de filiabus Israel ; *quod nimis quam facile solvitur, ex iis quas in Israel ea labe infectas fuisse certissimum est. Quod ad* Magdalenam *propius spectat, si hæc arreptitia fuerit, peccatricem dici non posse ; satis sit respondisse,* *ea*

AUCTORE J. B. S.

Quæ ab auctoritate adducuntur

ea arte mulierem a dæmone institutam fuisse, sicque ottemperata omnia, ut, si vere meretrix fuerit, amasios ad peccandum tanto majoribus lenociniis pellexerit. Plurima id genus alia sunt quibus sigillatim referendis refutandisque Acta nostra, satis aliunde accrescentia, implere noluimus.

34 *Qui pro distinctione auctoritatibus certant eas desumunt I. ex S. Irenæo ea omnia enumerante quæ ex solo ferme Lucæ Evangelio de Christi Servatoris gestis tradita sunt, ubi peccatricis pœnitentiam ita refert, ut, cum de ea ceteri Evangelistæ sic non egerint, aliam plane mulierem a* Magdalena et Maria Bethanica *fuisse, opinari debuerit. II. Ex Constitutionibus apostolicis ubi pseudo-Clemens lib.* 3, *cap.* 6 Magdalenam *a* Maria Bethanica *disertissime distinguit, quod prope unicum est in hac parte pro distinctione Vossii argumentum, a quo nec Cotelerius multum recedit, ut jam taceam quæ ex eodem loco Estii ductor Turianus noster disputavit. III. Adducuntur Theophilus sextus a Petro Antiochiæ episcopus, Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et Nicephorus, qui omnes, ut ut* B *distinctionem inter unctrices mulieres statuant, ad præsentem quæstionem proxime non pertinent; quomodo nec plures Latini de quibus supra* § I, *locuti sumus, in eo certe nobis faventes, quod admissa aliqua confusione a totali tantopere non recedant; quibus Ambrosium et Hieronymum addunt, qui potius dubitasse, quam certi aliquid asseruisse videntur.*

minoris momenti sunt;

35 *Verumtamen auctoritatibus istis pauculis minime terremur : jam pridem fassi sunt, certe fateri debent adversarii, nihil sibi ex Patribus aut traditione magnopere subsidii accedere, ut ab iis proinde Estius prudenter abstinuerit; quantulumcumque vero accedere posset, id omne solutum invenies in laudata Treveti dissertatione a pag.* 184, *ubi S. Irænei mentem commodissime explicat; Constitutiones apostolicas cum Baronio et aliis merito rejicit; Theophilum adversariis penitus eripit; Origenem et Chrysostomum contra ipsos retorquet; Theophylactum vero, Euthymium et Nicephorum, ut S. Gregorio magno posteriores, extra controversiam ponit, quando de primorum seculorum traditione agitur, quam nos* § 5, *paulo uberius exponemus, ubi prius Estii argumenta omnia expenderi-* C *mus; nempe quæ proponi merebantur quæque hoc* § *ipsiusmet verbis fidelissime proposita sunt.*

qualia et multa alia quæ allegari vix merentur.

36 *Etenim commiseratione dignum censeo quod ex Gavanto eruere conatus est, nimirum Clementem PP. VIII in* S. Mariæ Magdalenæ *Officio hymnum aliquem antiquum mutari jussisse, ea sola ratione ductum, quod istic nimis aperte cum sorore Lazari confunderetur, diceretur que multis obnoxia fuisse criminibus. Verba Gavanti, hymnos enumerantis, sunt pag.* 70 : Nardo Maria pistico, *ubi solum ait,* mutatum esse in recognitione sub Clemente VIII, *nulla prorsus causa allegata quam Estio aliisque supponere libuit. Miror equidem viros doctos hujuscemodi minutiis chartam inficere, et sacerdotes quidem, quibus saltem quotannis recitanda sunt quæ in Missali et Breviario præscribuntur, ubi Evangelium est Lucæ* 7 *de peccatrice, ceteraque omnia de* S. Magdalena *pœnitente loquuntur, oratio vero disertissime exprimit:* Cujus precibus exoratus quatriduanum fratrem Lazarum vivum ab inferis resuscitasti. *Hæc a Clemente auferenda erant, si de mulierum distinctione vel remotissime umquam cogitaverit. Æque ridiculum est, quod tres mulieres non confundat Ecclesia, sed trium diversarum actiones sub una festivitate celebrandas suscepe-* D *perit. Satisne hæc serio? Apage, obsecro, ausim dicere nugas quibus pares, in Hispania natas, solidissime pridem contrivit Cl. Nicolaus Antonius, ex cujus adversariis descripsit noster Pinius, quæ huc adducerem, nisi pseudo chronicorum auctoritas jam satis enervata esset. Ad paulo solidiora respondeamus.*

§ IV. Eademque diluuntur.

In Lucæ narratione sufficiens intervallum

A*d primum, e Lucæ narratione desumptum, in qua* statim post, ac nulla alia narratione interposita, *dimissioni anonymæ pœnitentis subjungit* Magdalenam *Christum cum aliis mulieribus sequentem, nec verbo significans, eamdem esse de qua proxime locutus fuerat; respondetur, non usque adeo presse ea ab Evangelista conjungi, quin longius intervallum concipi possit et debeat inter cap.* 7 *et* 8. *Ne vero hic divinando litigemus, videre hæc omnia olim Sancti Patres citari soliti, ut S. Bernardus serm.* 22 *in Cantica; Nicolaus Claræ vallensis serm.* E *de* S. Maria Magdalena, *inter opera S. Bernardi; Godefridus Vesten. serm.* 9; *Petrus abbas Cellensis sermone* 5, *de* S. Maria Magdalena; *S. Thomas in Sum.* 1 *part. quæst.* 21 *art.* 4 *ad* 1; *et S. Bonaventura compend. Theolog. veritatis de grat. sanctific. lib.* 5, *cap.* 19. *Viderunt, inquam, hi Patres omnia quæ hic Estius tanto apparatu commemorat, neque tamen dubitarunt, quin ea, quæ peccatrix dicitur capite* 7, *fuerit eadem ipsa* Magdalena, *quæ capite sequenti proprio nomine appellatur.*

invenere Patres multi,

38 *Ne hic textibus paginas repleam, pauculos attulisse, sit satis. S. Bernardi verba clarissima sunt :* In odore justitiæ cucurrit Maria Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa quoniam dilexit multum ; justa profecto et sancta, et non jam peccatrix quemadmodum pharisæus exprobrabat. *Ita loquuntur ceteri : nempe citatus Nicolaus inter S. Bernardi opera, agens de* Maria Magdalena : Est enim unguentum bonum, quod Maria pedibus Salvatoris infudit, est et melius quod eadem (si tamen eadem) super caput recumbentis effudit. *Ita S. Thomas;* Sicut de Maria Magdalena legitur, dimissa sunt ei peccata multa, F quoniam dilexit multum. *Ita S. Bonaventura :* Secundum est, quod sit caritate formata, sicut Mariæ Magdalenæ, quam fides salvam fecit, et cui dimissa sunt, *etc.; quibus mirum visum non est, quod cap.* 7 *taceatur peccatricis nomen, quacumque demum de causa, quam nobis ignotam fatemur; æque ac illam, cur Matthæus et Marcus suppresserint nomen istius, quam constat, alteram fecisse unctionem in Bethania ; cur, inquam, Lucas istius nomen ibi reticuerit, quam paulo post propria appellatione signavit, de qua re vide Trevetum a pag.* 95, *singulos Anquetini angulos sedulo excutientem.*

ut omnia facile componantur.

39 *Viderunt etiam sancti Patres citati et alii, intellexeruntque,* et factum est deinceps, et ipse iter faciebat, *etc., non designare rem adeo immediatam, ut non plurima intercesserint, priusquam Christi comitatui sese ultro adjunxerit, non jam peccatrix sed* justa et sancta Magdalena, *forti sua dilectione semper amabilis; duplicis accepti beneficii constantissime memor, et ad mortem usque Christo deditissima. Neque vero ita dimissa est ut Christum perpetuo deserere cogeretur, quod inepte nonnulli urgent ex iis verbis* : Vade in pace ; *neque, ut vult Estius,*

AUCTORE J. B. S.

A *Estius, ad sequendum invitanda fuit, quam ex eo tempore ita ursit caritas, ut ab electo sponso separari non nisi invitissima potuerit. Atque his, ni fallor, abunde dissolvitur prima Estii argumentatio, ab anonymo verbosius quidem extensa, sed a Treveto et aliis non minus presse et solide refutata.*

Quod de scandalo dicitur in Christum non cadit,

40 *Instat majori conatu et ornatu Estius a ratione scandali, quod certo exoriturum credidit, si mulierem antea peccatricem, in comitatum suum Christus admitteret. Delicatiorum hic scrupulus videtur, quo se turbari non siverunt laudati superius Patres, convenientiarum istarum omnium haud sane imperiti. Addamus audacter quod peccatricis conditio Christum non exterruerit, tametsi meretricem fuisse dixeris, quod tamen ex Evangelio satis aperte non eruitur, præterquam quod et meretricis appellationem multimodis extenuari posse non ignorem; at quidquid istius sit, Christus qui peccatores venit salvos facere, pœnitentem adeo nobilem ac generosam, et conversione sua illustriorem redditam, non magis a se repellere debuit quam Samaritanam aut adulteram; qui alibi* publicanos et meretrices

B *alios* præcessuros *ait* in regnum Dei; *qui denique publicanum habuit Apostolum, de nulla re minus quam de scandalis pharisæorum solicitus, ut jam taceam, ea morum integritate fuisse, et tam casto aspectu, ut ne minima quidem impudicitiæ suspicio vel in mentem cuiquam venire potuerit.*

neque quæ apud nos displicerunt, Judæis offendiculo fuere.

41 *Hæc qui fusius expensa et secundum apices omnes soluta intueri cupit, adeat toties laudatam sæpiusque nobis citandam Treveti dissertationem a pag.* 84. *Ut autem hæc Christus merito sprevit, sic delicatiorem idcirco fuisse non existimaverim sanctissimam ejus genitricem Mariam aut mulieres alias, perspecta nimirum dilectione qua ipsa Dominum, Dominus autem ipsam prosequebatur. Assumptæ istæ depictæque elegantius congruentiæ fucum prima fronte faciunt; at solide nihil evincunt. Nam quod in hisce nostris regionibus oculos alicubi vehementer offenderet, si feminæ pœnitentes directorem suum turmatim sequerentur, et cum eo familiarius conversarentur, id apud Judæos innocuum fuisse, vel ipsi adversarii fateri compelluntur, ut quidquid hic tam speciose adducitur, nihil prorsus receptæ*

C *Ecclesiæ opinioni officiat.*

Dilemma Estii de tempore pridem solverat Baronius,

42 *Instat denuo Estius eo dilemmate, quod a Baronio non satis solutum, insinuat. Rei cardo in in eo vertitur, utrum* Magdalena, *a septem dæmoniis obsessa, ab his a Christo Domino curata sit ante remissionem peccotorum, an vero post ipsam remissionem. Nam in ipso tempore, quo audivit:* Remittuntur tibi peccata, *id contigisse rationem sinere non putat. Quod si prius, quomodo non desiit esse meretrix? Si post, cur post remissa peccata a dæmoniis fuit obsessa? Existimo equidem ad hæc omnia tam accommode respondisse Baronium, ut plane satisfecisse persuasum habeam, frustraque quærat Estius, rectene et solide, an secus hoc fecerit. Sed quid iis tandem intendit orator? Responsum habeat, curatam dici posse cum aliis energumenis, aut forte seorsim, a septem istis dæmoniis, mense uno aut altero, et, si vis, tribus, antequam peccatorum pondere, quæ forte obsessionis causa fuerant, plene eximeretur.*

et hic rursus facile res tota explanatur.

43 *Ea peste liberata, animi morbum considerans, occasionem quæsivit, quam tam celebris redderetur ejus conversio, qua anteacta vita vituperabilis apparuisset; eamque nacta, in convivium irruit, publicam pœnitentiam exhibuit, amorem, fortasse antea carnalem ac libidinosum, castissima in Christum caritate commutavit, audireque meruit, demissa sibi esse peccata multa, quoniom multum dilexisset. Quid hic, obsecro, tantum facessit negotii? Nisi nos forte præsumamus, Evangelistam docere, qua ratione narrationes suas instituere debuerit. Ingenti utroque malo libera Magdalena, abdicato seculi fastu, eam bonorum propriorum partem sibimet reservandam proposuit, qua dilecto Christo numquam deserendo, ministraret, quod demum fuit postremum ejus officium. Hæc quidem paucis, quæ fusissime a Treveto disputata invenies. Quæ si sufficere non putent Estii sequaces et defensores, quærant ipsi a laudatis sanctis Patribus solutiones magis accommodas, aut Baronii verbis acquiescant, qui sane in hac parte nihil desiderari passus est. Nunc ad alterum Estii articulum progredior, quo peccatricem non esse eamdem contendit cum Maria Lazari et Marthæ sorore.*

Quod ex diversa patria adstruitur

44 *Argumentum duplici membro constat, nempe:* I, *quod* Maria *ista Judæa et Jerosolymitana fuerit, adeoque in Galilæa numquam conversata;* II, *quod verosimile non sit, Christum tam familiariter egisse* E
cum sororibus istis et fratre, adeo ut in eorum domo non semel pernoctarit, si Maria *antea fuerit in civitate peccatrix, quod de ea, quæ passim virgo integerrima audit, præsumendum non est. Ad primum respondeo, incongruentiis istis absterritos minime fuisse sanctos Patres, Eusebium Emissenum, Petrum Chrysologum, Paschasium Radbertum, Alcuinum, Franconem secundum abbatem Vindocinensem, Petrum Damianum, abbatem Rupertum, S. Norbertum, Liranum et alios, quo minus* Mariam Bethanicam *(adversariis unctricem secundam) cum peccatrice Naïmitide aut Capharnaitana planissime confunderent, ut vide locis citatis apud Calmetum in Lucam pag.* LXXXIII, *quæ hic sigillatim enumerare, supervacaneum duxi; S. Augustinum et alios infra pluribus loquentes subjiciam.*

æque quidquam evincit

45 *Ne tamen intactum quid prætereant, dicere non vereor,* Mariam Bethanicam *Lazari sororem non ita Judæam fuisse, si vere in ipsa Judæa nata sit, ut in Galilæa numquam habitare, aut saltem commorari, et fortasse viro alicui indigenæ aliquando assuescere non potuerit; sive liberioris vitæ studio, sive quod ibi bona sua et facultates possederit;* F
ibidemque conversa Christum secuta sit, donec in Bethaniam ab ea invitatus venerit, Domino jam pridem æque ac postea cum ceteris mulieribus adhærens, donec ægrotantem fratrem Lazarum ipsa revisert; quo ad vitam revocato, ut antea in Galilæa fecerat adhuc pœnitens, ita modo sancta et justa, *pedes atque etiam caput, quasi in sepulturam unxerit: quæ ambæ unctiones in unam potius mulierem, quam in duas tres aut quatuor conveniunt, quidquid in eo maxime varient sanctorum Patrum, maxime Græcorum sententiæ. Quæ de scandalo iterum reguntur, verum existimes Estii et aliorum scrupulum; quod vero Judæi Jerosolymis ad consolandas in morte Lazari sorores accesserint, æque quidquam concludit; cum enim* Maria *jam ferme a biennio, tam solenniter a priori vita resipuisset, tum priora censeri poterant penitus obliterata: præterquam quod ille Jerosolymitanorum concursus superjectione augeatur: longe major fuisse censendus est, qui non tam sororum aut Christi ipsius causa contigit, quam ut Lazarum viderent, quem a mortuis suscitatum, agerrime inducebant in animum.*

46 *Quintum argumentum sic proponit Estius:*

Restat

AUCTORE J. B. S. *ut ex quotidiano usu ostenditur.*

Restat ut et de tertio membro aliquid dicamus; *nempe diversam fuisse* Mariam Magdalenam a sorore Lazari. *Huc autem denuo redeunt patriæ seu mansiones diversæ, nullo certe solido fundamento subnixæ, nisi recte sequatur, Lazarum et Martham numquam in Galilæa aut Jerosolymis fuisse, quod id in Evangelio nullibi exprimatur. Apage minutias! an Bethaniæ ita affixos fuisse, cogitare quis audeat? Quasi, ut populari argumento utar, non possit mulier Brabantina quotidie commigrare in vicinas Flandriam, Zelandiam, Hollandiam, Geldriam, Hannoniam, Leodiensem aut Namurcensem provincias, quibus non magis finitima est Brabantia quam Judæa Galilææ; quod tamen passim accidere, vel pueris apud nos notissimum est. Quod autem* Jerosolymis habuerit multos notos, *bona Estii venia nec hilum evincit. De sepultura quid dicendum sit, nostrum erit, paulo uberius exponere, ubi ad traditionem Massiliensem accesserimus. Gratis item asseritur,* Mariam et Martham non fuisse ex earum numero quæ Christum assidue comitabantur ministerii causa. *Transeat τὸ* assidue; *sed unde nobis probabit Estius, numquam secutas fuisse, saltem* Mariam *a Christi amore, si Evangelio credimus, dicamus a Christi latere, avelli prope nesciam?*

B

Neque diversa nomina et agnomina

47 *Sextum nititur agnomine* Magdalenæ, *quod Bethanicæ* Mariæ *numquam, Galilææ autem semper adscribitur, ut Evangelia legenti palam esse contendunt; at certe inani conatu.* Magdalenæ *cognomentum additur, quoties a sociabus aut synonymis distinguenda est; nam ubi id non recurrit,* Maria *simpliciter dicitur. Sic apud Matthæum et Marcum nusquam cum sorore Martha aut Lazaro fratre composita, characteristica sua passim insignitur. Apud Lucam vero et Joannem, pro occasionum, in quibus comparet, diversitate, modo eum addito, ut Lucæ* 8, *dum eum mulieribus Galilæis inducitur, capite vero* 10, *apud sororem degens, non aliter quam* Maria *appellatur, ubi nimirum confusionis nullum suberat periculum; rursus vero ubi aliis mulieribus adjuncta est Lucæ* 24, *cognomentum suum sortitur. Sic apud Joannem cap.* 11 *et* 12 *nulla* Magdalenæ *mentio; ubi vero cap.* 19 *et* 20 *confundi cum aliis potuisset,* Magdalenæ *distinctivum appositum est.*

C

Mariam a Magdalena divellunt.

48 *Quid plura hic quærimus?* Maria, *ardentissima sua caritate conspicua, ubique ita effulget, ut eamdem ubique quodammodo olfacias.* Mariam *compellat Dominus, illa vero familiari vocabulo, cui sedens secus pedes assueverat,* Rabboni *ingeminat, quæ in ipsissimam Bethanicam quadrare, pertinax sit qui negaverit. Ne actum agam, liceat hic rursus lectores ad citatam dissertationem remittere, in qua pag.* 40, *de cognomentis istis tota quæstio exhauritur. Quæ demum adjungit Estius de confusione vel duplicatione nominum, ex ipsomet Evangelio in ipsum retorqueri possent. Ecquid Petrus ideo unicus esse desinit, quod nunc* Simon, *nunc* Simon Barjona, *nunc* Simon Joannis, *nunc* Simon Petrus *cognominetur? Porro ex historia ecclesiastica non multum laborandum fuerit, ut elenchus eorum bene magnus conficiatur. Fatebor lubens, eximii viri argumenta tanta arte proponi, ut ad assensum aliquem alliciant; at quivis facile intelligit, talia non esse quæ multos compellant (e Belgis certe nullum novi) ad deserendam vetustissimam Ecclesiæ sententiam, quæ quibus auctoritatibus et argumentis stabilita sit, faxo brevi perspicias.*

D

§ V. Quæ fuerit sitque hodie in quæstione traditio ecclesiastica.

Temere impugnatur traditio ecclesiastica

In *qua acceptione intelligenda sit ea, qua de hic agimus, traditio, jam supra satis expositum est; ad fidem proxime non spectare, Estio plane assentimur. De ea agitur, quæ in Ecclesia, saltem Latina, sic ab omni ævo, et a longe maxima SS. Patrum atque interpretum parte sit admissa, imo ab omnibus ausim dicere, eo saltem sensu, quod ante seculum* XVI *vix ullus reperiatur qui peccatricem aut cum* Magdalena *aut cum* Maria Bethanica *non confuderit: qua ratione dici omnino potest, contra antiquissimum et communissimum Ecclesiæ omniumque fidelium sensum obniti, atque ut minimum novitatis alicujus reos esse, qui receptissima ista atque in omnibus Officiis sacris expressissima placita tam facile impugnant. Etenim qui hæc mature moderateque expendunt, evidenti demonstratione ostendendam censent istiusmodi opinionis falsitatem, priusquam adversus eam tam audacter insurgatur: quod olim ita expressit illustris Roffensis episcopus adversus Fabrum disputans, suppositione* 12 *f.* 14: Adversus receptissimam simul et roboratissimam Ecclesiæ consuetudinem nemini fides adhibenda est, nisi vel testimonium e Scripturis irrevincibile, vel rationem prorsus indissolubilem attulerit. *Jam itaque ad Patres accedamus, quorum qui forte non tam expresse mulierum controversarum unitatem asseruere, certe adversus trium distinctionem eos pugnasse, perspectissimum est.*

E

primo et secundo seculo recepta;

50 *De hac traditione latissime rursum disseruit laudatus Trevetus, a pagina nempe* 177 *ad* 234, *ex quo aliisque satis nobis erit ea delibare, quæ ad propositum argumentum sufficiant. Ut autem ab ipsis Ecclesiæ incunabulis res tota procedat, pro primis seculis testimonium dicet Origenes, vulgatam nimirum ejus tempore opinionem fuisse, quod una eademque mulier Christum unxisset in Naïm et in Bethania; in eo ipse exerrans, quod non binas dumtaxat, ut modo adversarii volunt, sed ternas fuisse existimaverit:* Ego autem magis consentio, tres esse. *Age vero traditionem nostram ordiamur a Tertulliano libro de Pudicitia, pag. mihi* 634 *editionis la Barre, ita scribente:* Si vero et factis aliquid tale pro peccatoribus edidit, ut cum peccatrici feminæ contactum corporis permisit, lavanti lacrymis pedes ejus, et crinibus detergenti, et ungenti (*alias* unguento) sepulturam ipsius inauguranti. *Quæ verba quamquam clarissima non sint, satis tamen aperte insinuant, soli et uni mulieri ambas unctiones attribui, et posteriorem quidem ut ad sepulturam ordinatam, ubi certo* Maria *involvitur, tum quæ unguentum effudit ad sepeliendum, tum quæ aromata emit, ut cum aliis mulieribus veniens Christum ungeret.*

F

item tertio, quarto, etc.

51 *Ad idem seculum tertium pertinet Clemens Alexandrinus lib.* 2 *Pædagogi, cap.* 8 *peccatricis unctionem memorans, at non ita perspicue eam cum alterutra* Maria *confundens ut peremptoria dici possit ejus auctoritas. Propius rem attingit Victor Antiochenus, non quod ipse unitatis assertoribus faveat, sed quod alios citet qui* Mariam Marthæ *sororem a peccatrice minime distinguant. Verba ejus sunt:* Apollinarius tamen et Theodorus eamdem

AUCTORE J. B. S.

A dem apud omnes Evangelistas describi aiunt; Joannem vero historiam illam ceteris accuratius prosecutum. *Neque iis ultra probandis magnopere institerim, cum adversarii ipsi Tillemontius et alii citatæ auctoritati non audeant refragari. De SS. Ambrosio et Hieronymo longam disputationem non ingrediar, eos enim variasse, aut saltem subdubitasse non diffitentur præcipui unitatis vindices, quamquam Ambrosium a se stare, multis contendat Trevetus. Eum inter spectatores seu indifferentes collocavit laudatus interpres Calmetus, qui cur de S. Augustino idem senserit, non adeo clare perspicio: is sane, si quis alius,* Mariam Bethanicam *cum peccatrice apertissime confundit.*

notantissime a S. Augustino

52 *Audi ipsum lib. 2 de consensu Evangelistarum cap. 79, editionis novissimæ tom. 3*: Nunc jam de muliere et unguento pretioso quod in Bethania gestum est, consideremus. Lucas enim quamvis simile factum commemoret, nomenque conveniat ejus, apud quem convivabatur Dominus, nam et ipsum Simonem dicit: quia non est contra naturam vel contra morem hominum, ut B si potest unus homo habere nomina duo; multo magis possint et unum nomen habere homines duo; potius credibile est, alium fuisse illum Simonem non leprosum, in cujus domo hoc in Bethania gerebatur. Nam nec Lucas in Bethania rem gestam dicit, quam narrat; et quamvis non commemoret civitatem aut castellum, ubi factum sit, tamen non videtur in eodem loco versari ejus narratio. Nihil itaque aliud intelligendum arbitror, nisi non quidem aliam fuisse mulierem, quæ peccatrix tunc accessit ad pedes Jesu, et osculata est, et lavit lacrymis et tersit capillis, et unxit unguento: cui Dominus adhibita similitudine de duobus debitoribus, ait dimissa esse peccata multa, quoniam dilexit multum; sed eamdem Mariam bis hoc fecisse, semel scilicet quod Lucas narravit, cum primo accedens cum illa humilitate et lacrymis meruit peccatorum remissionem.

tam clare asserta

53 Nam hoc et Joannes, quamvis non sicut Lucas quemadmodum factum esset, narraverit, tamen ipsam Mariam commendans, commemoravit, cum jam de Lazaro resuscitando cœpisset C loqui, antequam veniret in Bethaniam. Quod ita ibi narrat: Erat autem quidam, inquit, languens Lazarus in Bethania de castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur. Hoc dicens Joannes attestatur Lucæ, qui hoc in domo Pharisæi cujusdam Simonis factum esse narravit. Jam itaque hoc Maria fecerat. Quod autem in Bethania rursus fecit, aliud est, quod ad Lucæ narrationem non pertinet, sed pariter narratur a tribus, Joanne scilicet, Matthæo et Marco. *Hactenus Augustinus nullo prorsus scrupulo ductus quo minus* Mariam Bethanicam *cum muliere peccatrice expressissimis verbis confunderet.*

ut effugio locus non supersit.

54 *Imbelle telum est quod ex tractatu 49 in Joannem adversarii intorquere conantur, ubi ex inserta parenthesi Augustinum dubitasse contendunt, quem potius, ex communi Latinorum Patrum et interpretum sensu, censere deberent, expressius declarasse quod in prædicta loco non satis explicuerat, ut jam taceam, non usque adeo constare, utrum jam dictorum operum primum scripserit Augustinus. En ipsa verba*: Ecce ipsa soror Lazari (si tamen ipsa est, quæ pedes Domini unxit unguento, et tersit capillis suis quos laverat lacrymis) melius suscitata est quam frater ejus, de magna malæ consuetudinis mole est liberata. Erat enim famosa peccatrix; et de illa dictum est: Dimittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum. *Si instes, ex his necdum constare quod* Magdalenam *cum peccatrice confuderit Augustinus, facilis est responsio; sufficere confusionem unam, ut pateat, non adeo indifferentem fuisse S. Doctorem, ut in præsenti controversia spectator magis quam suffragator accedat; præterquam, quod ex iis locis haud obscure colligi posse videatur, id ipsum supposuisse Augustinum, utpote quod in quæstionem non verteretur.*

Confusa cum peccatrice Maria Bethanica,

55 *Aut ego fallor, aut multum logomachiæ hic admiscent unitatis mulierum impugnatores, ut SS. Ambrosium, Hieronymum et Augustinum in partes suas obtorto collo inflectant, aut saltem cum Estio a confusione removeant; quos si attente legeris, ita locutos intelliges, ut* Mariæ Magdalenæ *confusionem magis supponant, quam ulla probatione egere existiment, tota difficultate ad solam* Mariam Bethanicam *reducta, quam Origines, Chrysostomus et alii, numquam sibi persuadere potuerint peccatricem fuisse*: Nec enim credibile est, ut Maria, quam diligebat Jesus, soror Marthæ quæ meliorem partem elegerat, peccatrix in civitate fuerit, *Augustino contra identitatem apertissime, Ambrosio subtimide (nisi ei, quod equidem non existimo, adscribi possit præfatio Missalis Mediolanensis) Hieronymo, saltem nonnihil dubitando asserentibus; nulla uspiam* Mariæ Magdalenæ *facta mentione, ut quam, ex septem istorum dæmoniorum expulsione, ipsam illam peccatricem fuisse supposuerint. Nam quod aliqui Ambrosium eo torqueant, ut* Magdalenam *virginem dixerit, ineptissimum est; eodem quippe argumento mulieres omnes a Galilæa Christum secutæ in virginum numerum referrentur.* E

Magdalenæ confusio satis certo supponitur.

56 *Plura alia testmonia adducuntur, quæ brevitatis causa prætereo, ut et S. Petrum Chrysologum addam, paria cum Augustino sentientem homilia in cap. 7 Lucæ ad hæc verba*: et osculabatur pedes ejus, *quæ hoc modo interpretatur*: Præcesserunt intervenientes lacrymæ, ut devota oscula sequerentur; quia lacrymæ, sunt sanctificationis documentum, oscula sunt reconciliationis indicia. *Atque ad hæc*: et ungebat unguento, *addit*: Mulierem super caput Domini fudisse oleum, alio Euangelista referente, cognovimus. Non est ergo quod facit hæc mulier mollis et carnalis obsequii; sed plane humanitatis est sacramentum, quia in capite Christi Deus est, in pedibus euangelizantium pacem. *Neque plus aliquid dicere videntur Nonnus in Joannis cap. 12, Andreas Cretensis serm. in Dominica Palmarum, Cyrillus Alexandrinus, et Eusebius Emissenus hom. in fer. v Dom. pass., vel forte alius sub ejus nomine, ætate non inferior, quibus Paulinum adjungere licet epistola 4 ad Severum, ita fere loquentem, ut* Magdalenam *etiam signate indicare videatur.* F

Traditionem istam sequitur S. Gregorius

57 *Vetustiorum istorum sanctorum Patrum, et communem Ecclesiæ totius primitivæ sensum ignorasse doctissimum juxta ac sanctissimum Papam Gregorium Magnum, nemo nisi temere vel suspicari ausit, ut merito refellendi et retundendi sint, qui cum recentioribus distinctionis assertoribus, non absque ejus ignominia comminiscuntur, primum ipsum et solum unitatem mulierum in scriptos commentarios, deinde in Officia ecclesiastica intrusisse; quod*

quam

AUCTORE J. B. S.

quam turpe sit, nemo non videt; ubi nimirum sic loquitur Gregorius, ut de re ante ejus ætatem notissima, certissima et receptissima, neque disputando aut arguendo, sed simplicissime rem ut indubitatam proponendo. Sic incipit homiliam suam 25 *in Evangelia:* Maria Magdalena, quæ fuerat in civitate peccatrix, amando veritatem, lavit lacrymis maculas criminis, *etc. Cum hisce connecte homiliæ* 33 *exordium:* Cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet quam aliquid dicere..... Hanc vero quam Lucas peccatricem mulierem, Joannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem dæmonia ejecta fuisse testatur.

sequunturque posteriores passim,

58 *Plana hæc sunt, neque de Gregorii mente dubitant adversarii, neque diffitentur, post ejus tempora invaluisse omnino sententiam de confundendis in unam solam controversis mulieribus, idque tam certum est, ut vix ullum totis nongentis et amplius annis, usque ad seculi* XIV *principium reperire sit, qui, si non aperte pro unitate steterit, certe a tribus mulieribus distinguendis, saltem inter Latinos, longissime non abfuerit. Pro multis unus sufficiat Chrodobertus Turonensis archiepiscopus, seculi* VII *scriptor, in notis ad S. Leonis opera ita expressissime locutus:* Memoretur Euangelicæ illius mulieris peccatricis Mariæ Magdalenæ de qua Dominus septem dæmonia ejecit....; et ipsa est quæ semper Dominum prosecuta est usque ad crucifixionem et sepulturam, et ipsa prima post resurrectionem, antequam ullus Apostolorum, et antequam mater Domini gloriosissima Maria semper Virgo, et angelos et Dominum videre meruit: ipsa est soror Marthæ et Lazari, quem Dominus triduanum mortuum suscitavit. *Percurre sequentia secula, occurret Beda, in quo Gregorium loquentem invenies, Paschasius Radbertus, Christianus Druthmarus, Odo Cluniacensis et plurimi alii passim citari soliti.*

quos longo ordine Trevetus enumerat:

59 *Tetricus certe et odiosus sim, si plures textus accumulem in tanta scriptorum frequentia, præsertim adversariis ultro fatentibus, post S. Gregorii tempora Patres prope omnes atque interpretes, magni istius Pontificis eum universa Ecclesia sententiam amplexos, saltem nullum omnino exstitisse qui de trium mulierum distinctione cogitaverit: Neque sane communissimæ isti totius Ecclesiæ consensioni tam impune obtrectari licuit Fabro et Chlictovæo, ut non statim repressa sit ipsorum temeritas ab celeberrimo viro Joanne Fischero Roffensi episcopo in Anglia, a Natali Beda in Gallia, a Balthazare Sorio in Hispania: quorum argumentis ita subscripsit facultas theologica Parisiensis, ut decretum supra relatum edendum censuerit. Qui deinde receptam traditionem acriter et ex professo propugnaverunt, a Treveto, Calmeto et aliis longa serie enumerantur.*

neque a priori censura scitur recessisse Sorbona.

60 *Sit nobis hic loco coronidis quæ pag.* 228 *a Treveto adducitur viri clar. Joannis Nicolai ex Ordine Prædicatorum, ad citatum nuper S. Thomæ textum annotatio his verbis:* De muliere innominata hoc dicit Lucas, et non pauci sunt quialiam a Magdalena putent; sed eamdem affirmat Gregorius, et Gregorii sensum Ecclesia sequitur, cum promiscue in Officio suo de utraque loquitur, ut de una. Hinc et ejusdem sensum suis omnibus amplectendum Facultas ipsa Parisiensis, contra Fabri Stapulensis libellum, tum recentem, ad annum 1521 publico ac solenni decreto sanxit; et contra nugas nescio quorum blatcronum, etiam S. Thomæ id affingere audentium, anno MDCXXXVI, cum essem ipse præsens, idem decretum renovavit. *Apage igitur eorum somnia, qui Sorbonam a decreto tam solenniter lata ac renovata, hodie descivisse nugantur.*

§ VI. Unica mulier Evangelico magis consona ex conformitatibus.

Conformitates istæ

Hactenus auctoritate certatum est, quæ sola tametsi sufficiat ad infringendos omnes adversariorum conatus, utpote ex ipsis Evangeliorum fontibus ub Ecclesiæ exordio hausta et perpetua traditione confirmata, adeoque ulterius non demonstranda; ex abundanti nihilominus lubet etiam iis momentis fulcire opinionem nostram, quæ speciosas illas adversariorum ratiocinationes non solum elidant sed penitus enervent, usque adeo ut ex ipsa historia evangelica manifeste pateat, meritissimo jure censuisse sanctos Patres et interpretes supra relatos, in diversas mulieres perperam dividi, quæ in unam eamdemque aptissime conveniunt: non ea quidem claritate, ut evidentia sint argumenta (alioquin res ipsa jam fide divina credenda esset) sed ea verisimilitudine, ut adversariorum machinas omnes abunde dispellant. Ex congruentiis seu conformitatibus id primum demonstrare aggredimur, sequenti paragrapho textus ipsos expensuri ex quibus concordia et consonantia Evangeliorum magis elucescat.

ex ipso Lucæ Evangelio erui possunt,

62 *Ab ipsa S. Lucæ historia, unde potissima suboritur difficultas, sumemus exordium: is enim solus est qui de* Maria Magdalena, *de* Maria *sorore Marthæ, et de peccatrice sub tribus diversis nominibus, ut ita dicam; locutus est, quarum secunda apud solum Joannem etiam nota est sic ut dicendum sit, Matthæo et Marco ignotam fuisse, nisi sub* Magdalenæ *nomine intelligatur. Sanctum Lucam sequamur. Is itaque sub Evangelii sui capitis septimi finem, unius ex prætensis his tribus conversionem commemorat; tum cap.* 8, *alteram exhibet (jam a septem dæmoniis liberam) jam virtutum exercitio et bonis operibus sedulo intentam, puta vitæ activæ deditam, Christum assidue sequendo, eique de facultatibus suis ministrando; demum cap.* 10 *prodit alia paulo perfectior, tantum non ad unionem et ad contemplationem evecta. An hic tres intueris, an unam?*

qui si Magdalenam non nominasset,

63 *Absint præjudicia, fatere candide: si* Mariam Magdalenam *non nominasset Lucas cap.* 8; *si et sororem Marthæ anonymam reliquisset, ecquid suspicio mox incideret, non tres istic mulieres, sed unam indigitari? Potuitne Evangelista ordinatiori systemate peccatricem a septem dæmoniis possessam, his primum liberatam, deinde pœnitentem, tum caritate in Christum succensam, veniamque promeritam, sensim ad perfectiora quasi manu ducere? Est sane quod suadeat, hic peccatricis animæ, sensim ad Deum ascendentis, progressum describi. Rursus, si Lucas de* Magdalena *aut de sorore Marthæ sermonem instituisset, antequam de peccatricis conversione locutus fuisset; si apud alios Evangelistas quidquam occurreret quod Lucæ narrationem interturbaret, distinctioni locum dandum esse, haud equidem diffiterer.*

peccatrix, pœnitens et amans ultro confunderetur:

64 *At enim, nisi vehementer fallor, quisquis lecta peccatricis pœnitentis conversione, in animum induxerit, serie historica combinare gesta omnia quæ tum Lucas ipse tum alii Evangelistæ pertexunt*

ad

A *ad* Magdalenam *et Marthæ sororem spectantia, haud difficulter intelliget, consecutionem esse vitæ peccatricis istius, quæ expiatis in domo Pharisæi peccatorum sordibus, ita mores commutaverit in melius, ut toto reliquo vitæ decursu constantissime a se exegerit, quod primo isto conversionis die intrepide cœperat; quamque proinde Christus ipse singulari semper amore prosecutus sit. Ipsam contemplare liberatorem suum continuo sequentem, ei indivulse adhærentem, et de bonis suis fidelissime ministrantem. Adverte ubique mulieribus aliis ferventiorem, ut inter ipsas prima nominetur. Christo Jerosolymam properante, præcurrit ipsa, ut dilectissimum magistrum hospitio excipiat; mox secus pedes, ut consuetum facile amorem cerneres, ad audiendum verbum eadem assidet, relicta tum sorori Christum ministrandi cura: quæ si recte perpendantur, vel invito lux suboritur, quo Lucæ historia non parum illustretur.*

nec fingi potest ignota ante Maria

65 *Sic ipse cap.* 10 *loquitur, inquiunt adversarii, ac si plane ibi ostenderit, agere se de duabus sororibus antea Christo ignotis, diu nempe postquam peccatrix curata esset,* Magdalena *vero ipsum Dominum, Galilæam perograntem, jam a longo tempore secuta fuisset. De variis Evangelistarum loquendi modis, et cur pauca reticuerint, hic frustra disquireretur; cœptum evangelicæ narrationis filum deducimus. Ecquis, obsecro, sibi persuaserit,* Mariam *illam Marthæ sororem, Christo antea incognitam, imo non potius familiarem fuisse, quæ hospiti vix ingresso ad pedes assederit verbumque ejus ex contracta jam necessitudine audiverit? Edisserant nobis adversarii ubi et quando tam intima notitia accesserit; evolvant Evangelia, ut ante id tempus, quod Lucas ibi designat, ullam feminam inventant, cui tanta usquam fuerit cum Servatore conjunctio. Quid igitur magis pronum est cogitare, quam ea omnia coaluisse, ex quo Christum tam ardenti amore cœpit diligere pœnitens ista, in quam omnia planissime conveniunt quæ de* Magdalena *et* Maria *memorantur, ut hic speculum in oculos incurrat Castellaniano penitus oppositum. Christum Jerosolymam ex Bethania pergentem prosequamur:*

B

quæ cum Christo agit tam familiariter,

66 *Et* Maria *ipsa comitata sit ad instantem festivitatem, unde cum Dominus, ad proxima festa rediturus, ultra Jordanem progressus esset, regnum Dei ibi etiam prædicaturus, ipsa Bethaniæ remanserit, satis propinqua, ut dilecto, cujus missionis terminos omnes noverat, nusquam deesset. Interea in morbum inciderit Lazarus frater; quæ Evangelistæ Joannis narratio est, priori aptissime connectenda. Advenit Christus Lazaro jam mortuo, ad vitam revocatus est, secutaque singularissimi amoris istius argumenta, quæ eamdem mulierem ubique attentam, agentem, loquentem, servientem, ungentem, dicamus amantem tot indiciis commonstrant, ut candide fatear, observatis adjunctis his omnibus, tanto magis in mulierum unitatem propendere me, quanto ab eadem pridem abhorrere visus sum; ea nimirum semper obversatur factorum connexio, ut non possit non esse eadem* Maria *ad pedes, ad caput, ad crucem, ad monumentum plorans, ad visionem angelorum, ad pedes sponsi apparentis convolans, tota redamantis Domini amore colliquescens, ut de qua sola testatus sit,* quoniam dilexit multum

C

ut alia a Magdalena esse non possit,

67 *Pingamus hæc suis coloribus, et characteristicas ubique conformes repræsentemus, vel a peccatrice ducto rursum exordio: neque enim umbris suis carere potest* Magdalenæ *delineatio Christi ipsius penicillo expressa. Peccatricem intueamur criminibus suis deformem, hæc in* Magdalenam *facile transferunt dæmonia septem a quibus obsessam novimus, monstris istis et physicis et moralibus ab ipso pientissimo Servatore liberatam, ut* ubi superabundaverat delictum, superabundaret et gratia. *En* Magdalenam *peccatricem, sed et pœnitentem:* cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum; *en et amantem, en gratam erga benefactorem, cui de facultatibus suis abunde prospicit, quem fidelissime sequitur ad passionem usque et crucem, quem vel mortuum nequit deserere, non passa se a monumento avelli, donec redivivum conspiceret, et ad pedes ejus sese denuo provolveret.*

AUCTORE J. B. S.

nisi Christi dilectricem omnino neges;

68 *Et hic* Mariam *Marthæ sororem non agnoscimus? Mirum sane si melius effingere se ipsa potuit, de qua sola, ob vehementissimum in Christum amorem, dictum accipimus*: Diligebat autem Jesus Mariam; *nempe a qua tenerrime diligebatur. Quis hæc de pluribus dici patiatur? Rursus,* unguento unxit pedes meos, *de peccatrice pronuntiatur; at numquid et* Maria *Marthæ soror libram attulit nardi pistici pretiosi quam effudit super caput discumbentis;* Magdalena *porro emit aromata, ut veniens ungeret Christum? Ubique eadem amoris violentia, idem caritatis impetus. Mutua Servatoris jam ostensa in* Mariam *dilectio, sed et in peccatricem, quam adversus Pharisæum tutatur, quemadmodum et* Mariam *dum a sorore accusaretur, et obmurmurarent Apostoli; sed nec* Magdalenæ *minus favit, dum ipsam, præ mulieribus aliis, præ Apostolis, primam gloriosa sua præsentia consolatus est. Si hæ diversæ mulieres sunt, ut minimum consequetur, solam* Mariam *Bethanicam turpi otio domi diffluxisse, dum ceteri noti notæque omnes tanta solicitudine Dominum ad crucem, sequerentur eumque amissum investigarent.*

E

qualis tamen ubique depingitur,

69 *Vides, opinor, quo hæc extendi possint si characteres, proprietates et conformitates sigillatim expendantur; unicam observationem, jam tactam, repeto, quæ ex notissima Lazari historia mulierum identitatem magis confirmet.* Lazarus infirmabatur, *statimque* miserunt sorores ad Christum, dicentes: Domine ecce quem amas infirmatur. *Undenam fingi potest tanta inter sorores istas et Dominum necessitudo et conjunctio:* Ecce quem amas, *cum ex solo Luca sciatur ad castellum istud semel divertisse unde jam multo tempore abfuerat? Unde ipsis adeo notus locus in quo Christus commorabatur?* Miserunt *tamen* ad eum; *quid magis obvium est quam cogitare, non aliunde oriri potuisse familiarem adeo notitiam, quam ex eo quod* Maria, *fidelis Christi administra, ei in Galilæa adhæsisset, ipsumque hospitio excepisset. At cur modo Christum non sequitur? In promptu est responsio, quod cum Dominus trans Jordanem euangelizaret, non adeo procul a Bethania, ministrare ipsi commode posset per internuntios, qualem misit, ut reditum maturaret ob fratris, quem sororis causa diligebat Jesus, periculosam ægritudinem. Attende tenerum libellum supplicem:* Quem amas infirmatur, *attende mutuam Christi amicitiam*: Lazarus amicus noster.

F

ubique ipsa eadem sese prodente.

70 *Si recte amicitiam definivit S. Thomas,* est amor mutuæ benevolentiæ fundatus super aliquam communicationem; *necesse est igitur, communicationem hujusmodi et connexionem inter familiam istam et Christum intercessisse; cujus nulla suppetunt vestigia, nisi accersantur ex familiaritate quam in Galilæa cum amato amans* Magdalena

con-

AUCTORE J. B. S.

contraxerat, cum constanter sequendo et de facultatibus suis ipsi ministrando; ut hic denuo perspicias, Magdalenam *et* Mariam *Bethanicam, non geminam, sed unam unicam esse mulierem; quam et peccatricem ex eadem agnosces, si more suo ad Domini pedes ruentem conspexeris, ubi Bethaniæ appropinquare intellexit.* Maria ergo cum venisset ubi erat Jesus, videns cecidit ad pedes ejus, et dicit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. *Ad pedes Christi non cecidit Martha, cecidit* Maria, *quæ iis assueverat, ex quo domum Pharisæi ingressa, ad sanctissimos pedes salutem invenerat, jam pari modo fratris vitam a Servatore exoratura. Ubique* Mariam *urget caritas, ubique tenerrimi amoris præbet argumenta; eadem in conviviis, eadem in penetralibus, eadem ad fratris sepulcrum, eadem ad Domini monumentum, ubique multum diligens, ubique pedes complexa, ubique talis ut ex characteristicarum collectione unam eamdemque agnoverit Ecclesia, et porro agnoscere pergat, quidquid adversarii contradicant.*

B

§ VII. Eadem consonantia aliis argumentis ostenditur.

Pro identitate positive arguitur

Ex hactenus allatis jam patere opinor, externi splendoris nescio cujus et plausibilitatis adversariorum opinione plus inesse quam solidæ veritatis; neque vero usque adeo speciosas esse ipsorum rationes, ut non facillime repellantur, quemadmodum ad superius dicta attendenti satis puto esse perspicuum. At positiva argumenta ex ipso Evangelio desiderari passim arbitrantur, quibus recepta Ecclesiæ opinio sufficienter stabiliatur; utpote cum trium mulierum identitas non satis aperte inde erui videatur. Jam fassi sumus fatemurque denuo, non tam diserte expressam esse prædictam identitatem, ut fide divina credenda sit; ceterum si non omnimoda certitudine inde profluat, ea certe verisimilitudine eam ex historia evangelica deduci existimamus, ut non habeant adversarii quod pari soliditate queant opponere, ad effugia plerumque et ambages recurrere soliti; ut apertissimum Joannis textum quodammodo præveniant, ipsius et Matthæi ac Marci verba eludant. Vastas hic denuo et nonnumquam hiantes dissertationes ultro citroque edidere certantes inter se Galli, quas hic expendere aut discutere longissimum esset negotium. Satius nobis visum est, rem in pauca, sed qua poterit claritate, contrahere, præclusis identidem præcipuis adversariorum effugiis.

C

ex Joannis cap. 11 : Maria autem erat, etc.;

72 *En verba Evangelistæ Joannis capite* 11 : Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariæ et Marthæ sororis ejus (Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis; cujus frater Lazarus infirmabatur.) *Ex his verbis non dubitavit Augustinus, laudatus supra num.* 52, *non dubitarunt alii Patres, quin aperte innueret Evangelista,* Mariam *esse feminam illam, quæ in Naim* (*ut narrat Lucas cap.* 7) Dominum unguento unxerat, et capillis suis pedes exterserat, *cum nulla alia femina in Evangeliis nota sit, quæ id fecerit antequam Lazarus in Bethania infirmaretur; sed* jam hoc Maria fecerat, *inquit disertissime Augustinus. Liceat uti forma dialectica : Nulla mulier Dominum unguento unxit et pedes capillis extersit antequam Lazarus infirmaretur excepta sola peccatrice; ergo* Maria *soror Lazari peccatrix ipsa est.* D *Probatur consequentia : solam et unicam Domini unctionem factam novimus a peccatrice in Naim; atqui eam fecit* Maria *soror Lazari; ergo* Maria *soror Lazari peccatrix ipsa est. Legat hæc expendatque quisquis partium studio liber est, et fallor vehementer nisi in obvio verborum sensu, qui ultro in oculos incurrit, continuo assentiatur, describi istic a Luca et Joanne unam eamdemque mulierem.*

neque patet locus effugio,

73 *Mirare contra subtilem adversariorum evasionem. Non de femina a Luca memorata, inquiunt, ibi loquitur Joannes, verum anticipatione seu prolepsi usus, eam unctionem insinuat quæ postmodum, ut narrat ipse Joannes cap.* 12, *facta est Bethaniæ in domo Simonis Leprosi, adeoque male hic confunditur cum peccatrice Lazari soror. Quid? Quod in promptu sit paris anticipationis exemplum, quod apud Matthæum Apostolos enumerantem cap.* 10, *Judas Iscariotes inter alios nominetur cum apposito,* qui et tradidit eum; *cum tamen traditio ista seu perfidia diu post perpetrata sit. Sic vim argumenti a se amoliri præsumunt, sed casso conatu : nam, ut mitissime dicam, hoc purum et splendidum effugium est, ab eo minime obtrudendum qui Joannis* E *Evangelium paulo studiosius evolverit; apud quem solitum, quod sciam, non est in historiæ suæ serie præteritum tempus futuro substituere, ut qui de eodem Juda agens capite* 6 *non dixerit,* qui tradidit, *sed :* hic enim erat traditurus eum; *ubi vero de Nicodemo et de se agit, post rem gestam, diserte præterito utitur,* qui venerat ad ipsum nocte, *cap.* 7 *et* 19 : *capite autem ultimo :* qui recubuit in cœna supra pectus Jesu, *ut accurate semper narrationis filum deducat, servatis temporum differentiis, tametsi annis quinquaginta post res gestas scripserit.*

dum tam distincte Maria ibi describitur,

74 *Id vero ut manifestius quisque perspiciat, pateatque adeo tritæ argutationis non magna subtilitas; quid, obsecro, præoccupatione qualicumque Joanni opus erat, ut cap.* 11 *mulieris factum præindicaret, quod capite immediate sequenti de integro erat descripturus? Rursus, quid ea opus erat parenthesi, nisi docere aliquid voluisset, quo mulier ista nota quadam peculiari tamquam characteristica distingueretur depingereturque? Ea nimirum cui soli singularem prærogativam asserere intendebat, quod ipsi præ ceteris quibuscumque feminis datum esset,* F *Christum Servatorem inungere; id quod de nulla prorsus alia nec in sacra, nec forte in profana historia usquam traditum est. Id Evangelista Lucas (apud quem solum, ea sola unctio nota est) indicare prætermiserat, supplet Joannes; ut pluribus aliis locis ab ipso factum, compertissimum est. Atque hanc inserendæ parenthesis veram fuisse causam omnino censemus; ut audacter pronuntiare liceat, meram videri elusionem, quod Joannes loco jam dicto* Mariam, *quæ unxit pedes Domini, ab unctione postea facienda potius, quam ab unctione prius facta nominaverit. Prætereo exceptiones id genus alias, tricas dicam et cavillos, quibus referendis, nedum refellendis supersedeo.*

ut Christi unctrix quæ alias ignota esset,

75 *Aliorum instantia est, quod Evangelistæ mutua non referant aut recitent, neque ad ea quæ ab aliis narrata sunt, alludere soliti videantur, unde consequens putant, Joannem non meminisse mulieris a Luca memoratæ, sed istius solius de qua ipsi loco citato sermo erat. Bona verba, quæso : ecquid Evangelista Lucas satis ostendit, scivisse se quæ a Matthæo et Marco tradita sunt, alia vero subjicit ab ipsis prætermissa? Ecquid vero Joannes plura alia supplevit*

AUCTORE J. B. S.

A *plevit, quæ apud alios desiderabantur aut non satis aperte describebantur? Ne longius ab argumento evagemur; quis hodie nosset, quænam ea mulier fuerit apud Matthæum 26 et Marcum 14, quæ in Bethania in domo Simonis Leprosi Dominum unguento unxit, de qua tamen ibi tam diserte asserit Dominus:* Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus; *quis, inquam, mulierem istam nosset, aut quo pacto locum haberet ipsius Servatoris prophetia, nisi eam Joannes de nomine indigitasset? Quis peccatricem (apud Lucam etiam anonymam) umquam scivisset, nisi Joannis luce perfusa* Maria *appellaretur? Et cujus demum mulieris, secundum Christi vaticinium, memoriam celebrat Ecclesia præterquam solius* Mariæ, *quæ Joanni manifeste* peccatrix *est, ipsi etiam et aliis* Magdalena.

neque verificari posset

76 Magdalena, *inquam, imo* Maria Magdalena, *in qua cum peccatrice confundenda non multum laborasse videntur Patres et interpretes passim, quorum supra nonnullos recitavimus, quamque ex septem dæmoniorum possessione, peccatis pluribus* B *antea deformem haud gravate agnoverunt, agnoscitque hodie cum ipsis universa Ecclesia. Quæritur, an id etiam aliunde æque clare eruatur, atque modo ex Joanne ostensum est,* Mariam Bethanicam *eamdem fuisse, quæ etiam in Naïm Dominum unguento unxerat. Id utique non obscure probari contendimus, ex verbis Matthæi, Marci et Joannis, quæ a Christo pronuntiata narrant in cœna apud Simonem Leprosum facta, dum Apostoli, saltem Judas Iscariotes, obmurmurarent, pretiosum unguentum a* Maria *sic effundi, quod potuerat venumdari trecentis denariis, idque pretium dari pauperibus: quam inconsultam obtrectationem Christus ipse continuo corripuerit, mulieris pium in se officium mire commendans, addito quidem singularissimo vaticinio proxime relato, quod ubicumque prædicaretur Evangelium, ibi et diceretur quod ipsa fecerat, ejusque rei memoria perpetuo conservaretur; quæ sane aliter conservata non est, quam in eo ipso sensu quem recipit, tenet, conservat tueturque communis Ecclesiæ sententia.*

C *Christi de ea vaticinium.*

77 *Huc igitur spectant quæ Matthæus ait cap. 26:* Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit; *quæ obvio genuino sensu ita interpretaberis, ut Christus palam ibi innuerit, vivo etiamnum sibi contulisse mulierem, quod non multo post tentatura esset mortuo conferre, quodque non futurum, solus ipse prænoverat. Id vero paulo clarius insinuat Marcus cap. 14:* Quod debuit hæc fecit; prævenit ungere corpus meum in sepulturam; *fecit nimirum modo, quod frustra postmodum ipsa illa eadem conatura est, utpote quam resurrectione mea præventurus sum. Neque abludunt verba Joannis cap. 12:* Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud; *quasi diceret, sinite illam modo corpus meum ungere, cum in sepultura mea id ipsi integrum futurum non sit. Non vitilitigemus: Dic, amabo, cur iis locis tam concorditer fit mentio sepulturæ, si Christus præsignare non voluit, eam ipsam mulierem pro sepulcrali sua unctione fore solicitam? Non ignoro, multimodis torqueri exponique jam relata Evangelistarum verba; at ne hic versandis variis tricis immorari cogamur, id unum postulo, ut nude ipsa et in sensu maxime obvio accipiantur, considerenturque adjuncta omnia, præsertim sacri amoris quo in Servatorem ferebatur, et porro post ejus mortem continuo efferbuit dilectissima Christo* Maria, *in* Magdalenam, *velint nolint adversarii, certissime transmutanda.*

Demum ex sola mulieris descriptione,

78 *Describitur mulier Christo addictissima, ejusque, si ita loqui licet, pedissequa, mulier Christo pridem assueta, mulier amatum Servatorem nec in vita, nec in morte, nec in sepulcro desertura:* ad sepeliendum me fecit; prævenit ungere corpus meum in sepulturam; in diem sepulturæ meæ: *aut mei parum prospiciunt oculi, aut designari istic video mulierem, quæ a sepulcro Domini ovellenda non est, quæque proinde modis omnibus corpus ejus invenire ungereque sataget: in quo cum impediendam sciret Christus, concedere tunc voluit, ut præveniret* ungere corpus in sepulturam: *quod cum et obmurmurantes discipuli ignorarent, merito eos redarguit, quod vetare vellent mulierem, bonum opus in se operari. Verte hæc et inverte, volve et revolve; vel invitus compelleris, ut hic eamdem agnoscas mulierem et sepulturam prævenientem, et sepulturam omni conatu curare intendentem: atqui sepulturam curare intendens ipsa est* Magdalena, *ergo et prævenientem* Magdalenam *esse fatebimur;* E *quodque ex omnibus consequens ultimum est, Ecclesiæ sententiam quæ* peccatricem, Mariam Bethanicam *Lazari sororem et* Magdalenam *in unam, unicam eamdemque mulierem confundit, Evangelio magis consonam esse.*

Maria certissime cum Magdalena confunditur,

79 *Intueamur demum ardentissimam Christi dilectricem juxta crucem ejus stantem: aut hæc* Maria Bethanica *est, aut amatrix dici non meretur; neque in ipsam quadrat quod optimam partem elegerit, neque adeo recte Christus amorem collocavit:* Diligebat autem Jesus Mariam. *Hæccine tam tenere redamantem Dominum, ceteris mulieribus certatim assistentibus, sola in cruce desereret? Non inducar, ut credam. Hæccine vivum Christum bis inunxerit, et morientis aut sepulti obliviscetur? Imo vero ad monumentum properat mane cum adhuc tenebræ essent; repertoque monumento vacuo, ad Petrum currit querula:* Tulerunt Dominum meum, et nescimus ubi posuerunt eum. *Regreditur, perstat foris ad monumentum plorans; introspicit, videt angelos, non acquiescit; sed amoris igne succensa Dominum suum quærere pergit, unde contigit ut* F *eum sola tunc videret, quæ remanserat ut quæreret. Compellat amantem Dominus,* Maria; *dilectum continuo agnoscit ex voce, quem ex facie necdum agnoverat: et negabimus hanc Lazari sororem esse, tam singulari Servatoris amicitia illustrem, ut nusquam sciamus mulierem proprio nomine a Christo appellatam, præter ipsam et sororem Martham? Et ipsissima* Maria, *ne dubites; sed est et* Magdalena, *teste iterum Evangelista Joanne:* Venit Maria Magdalena annuntians discipulis: Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi; *est et* peccatrix, *quod erat demonstrandum.*

quæ sola adeo per totam Ecclesiam prædicatur.

80 *Hæc fusius deducit pluribusque evincit laudatus Roffensis Episcopus suppositione 5, 7 et 10 imo tota sua Fabri Confutatione: neque minus eadem urget Natalis Beda in Declaratione sententiæ Ecclesiæ fol. 30; verum ne præfixæ nobis brevitatis limites excedamus, sola hic sufficiet recte ex præmissis deducta Baronii conclusio:* Certe quidem, *inquit,* etsi nulla alia subesset ratio, qua hæc ipsa mulier, et peccatrix, eademque Maria soror Lazari, Magdalena cognominata, dici posset; tamen ut justificetur Jesus in sermonibus suis, ne falsi vaticinii (quod nefas est dictu) arguatur, affirmare

AUCTORE J. B. S.

mare necesse est, unam eamdemque esse Magdalenam, nec diversas seu plures, dum unam tantum longe lateque per orbem diffusa Ecclesia prædicat Magdalenam.

§ VIII. Græcorum diversa opinio.

Græcorum Patrum non uniformis opinio,

Diversam dico, non ex eo solum copite quod Ecclesiæ Latinæ traditioni omnino non consentiat, seu quod Græci ipsi inter se discrepent, ut sub una serie videre est tom. 7 Bibliothecæ Patrum concionatoriæ apud Combefis, plurima ex Græcis istis colligentem sub titulo festi B. Mariæ Magdalenæ, *ubi tamen hinc inde in adjectis notulis, distinctioni potius mulierum quam unitati favere videtur. Relatus est istic Amphilochius unctionem* Mariæ, *de qua murmuravit Judas, cum unctione Evangelistæ Lucæ confundens, sed ubi claritatem desideres. S. Ephræm Syrus apud eumdem pag.* 359 *unam solam mulierem agnoscit cum Latinis, quæ Servatorem bis unxerit.*
B
Contra vero Chrysostomus pag. 367 *aliam mulierem vult esse quæ apud Matthæum et Marcum unguentum* effudit super caput ejus, *ab ea quæ secundum Lucam* extremos pedes attigit : *ubi abunde perspicis, quod supra dicebam, non agitari istic eam, quæ nobis præ manibus est, quæstionem, at de solo unctionum atque unctricum numero disputari, in quo quam diversa sentiant Græci Patres apud laudatum Combefisium manifestius deprehendes.*

aliis binas unctrices,

82 *S. Chrysostomi ipsius sententia expressius refertur pag.* 372 *ex ejus homilia* 81 *in Matthæum de qua supra meminimus, his verbis :* Hæc mulier una et eadem apud omnes Euangelistas esse videtur ; haud tamen est. Sed in tribus una mihi atque eadem esse videtur ; apud Joannem autem non item, sed alia quædam mirabilis est, scilicet soror Lazari. *Nulla injuria Chrysostomo infertur, si et ipsum, quemadmodum de S. Hieronymo aliisque diximus, varia de unctricibus mulieribus sensisse asseratur, ut ex Græcis illis Patribus nulla uniformitas haberi possit, oleum et operam perdentibus neotericis qui inanissimo conatu certam aliquam ex ipsis traditionem pro sex primis seculis sese eruisse*
C
exultant. Audi etiam Titum Bostrensem ibidem pag. 376, *ubi de peccatrice loquens, sive ipse, sive alius sub ejus nomine, sic diserte pronuntiat :* Hæc mulier neque ea est, cujus fit mentio apud Matthæum, neque ea rursus, cujus apud Marcum, nec ea tandem, cujus apud Joannem : *unde consequens est, tres ut minimum fuisse unctrices feminas, id quod nemo hodie admiserit, utpote ab Augustino et Latinis passim, atque ab universæ Ecclesiæ communiori sensu alienum.*

aliis ternas asserentibus,

83 *Est tamen ea ipsa Theophylacti aliorumque recentiorum Græcorum vulgatior opinio quæ his verbis refertur pag.* 391 : Quærunt autem multi, quot fuerint mulieres quæ unxerint Dominum unguento. Et alii quidem dicunt, quod duæ fuerint, una scilicet apud Joannem, quæ fuit soror Lazari et alia apud Matthæum et Marcum, et nunc apud Lucam. Ego autem credo his qui dicunt tres esse : unam quidem apud Joannem ante sex dies Paschæ, quæ et soror Lazari ; aliam autem apud Matthæum et Marcum ante duos dies Paschæ ; et tertiam illam de qua nunc Lucas, quæ in media Evangelii prædicatione Dominum unxit. *Atque hæc sententia eo demum recidit, quo eam olim adduxerat Origenes tractatu* 35 *in Matthæum fusius disserens, et veris falsa miscens, ex quo sat erit pauca decerpsisse :* Ergo quis dicet, *inquit,* quatuor fuisse mulieres de quibus conscripserunt Evangelistæ ; ego autem magis consensio tres fuisse : et unam quidem de qua conscripserunt Matthæus et Marcus.... ; alteram autem fuisse de qua scripsit Lucas ; aliam autem de qua scripsit Joannes. D

et duas cœnas ac totidem unctiones in Bethania.

84 *Plura eo loco adfert Origenes quæ longiori discussione examinanda essent ; id vero cum jam toties ab expositoribus, et recentissime a laudato superius Treveto a pag.* 197 *accurate præstitum sit, a quo etiam quæ sub Theophili Antiocheni nomine circumferuntur, tum quæ Molestus Hierosolymitanus apud Photium sensisse dicitur, abunde refutata sunt ; sufficiat hic paucis plerorumque Græcorum sensu exposuisse, a quibus quantum recedendum sit, ex supra disputatis patentissimum arbitror. Suppositio facti erronea est, quod pro una Bethanica cœna binas ipsi invehant, velintque adeo, aliam fuisse mulierem quæ apud Matthæum et Marcum ungendi officio perfuncta sit, aliam vero de qua meminit Joannes, ubi tamen ex receptissima doctorum nostrorum et quidem etiam adversariorum concordi sententia, non nisi* E
cœna unica Christo exhibita sit in domo Simonis Leprosi ; non nisi unica peracta unctio, de qua discipuli æque apud Matthæum et Marcum, atque apud Joannem murmuraverint, Domino pium mulieris officium mirifice vindicante, quæ eadem apud tres Evangelistas oratio est, quidquid fortasse aliqui cum Baronio binas in Bethania cœnas propugnari posse existimaverint.

Hinc in Menæis diversæ personæ,

85 *Admissa apud Græcos mulierum, distinctione, nil mirum est si in subsecutis Menæis, Menologio, Synaxariis aliisque ipsorum ritualibus festivitates distinctæ occurrant, quæ nimirum singulis propriæ censerentur. Sic* Maria *soror Lazari pro ipsorum arbitrio in Menæis adscripta est* XVIII *Martii, ut suo loco in Actis nostris notatam invenies ; fortasse quod eo circiter die unctionem Bethanicam factam existimaverint. Relata itidem et prætermissa est ad diem* XXI *ejusdem mensis* mulier in civitate peccatrix, quæ unxit pedes Domini in domo Simonis Leprosi ; *opinor* Pharisæi *voluisse dicere, nisi hic Simones isti confundantur, sitque, ut non nemo cogitavit, Simon ille binomius, aut ex Naim in Betha-* F
niam migraverit. Dandum aliquid Fastis Græcis, quorum nusquam concors, nusquam satis accurata in totius istius narrationis adjunctis sententia, quorumque annuntiationes et elogia recitasse, refutasse erit ; cum de mulieris istius peccatricis sanctitate aut cultu, si cum alia non confundatur, nihil satis certi aut in evangelica aut in ecclesiastica historia traditum sit.

sed Magdalena inter eas præcipua;

86 *De* S. Maria Magdalena *ad hunc diem certatim agunt Fasti Græci et Orientales omnes, quocumque nomine appellentur ; nam præter Menologium et Menæa excusa de ea meminerunt Maximus Cytherorum episcopus, Typicum Sabæ, Menæa particularia, Anthologium, Horologium, Kalendarium Genebrardi, Ruthenica, Syriaca, Chaldaica, Æthiopica, aliaque, in quibus plerumque communi ornatur elogio a Græcis accepto* τῆς ἁγίας μυροφόρου καὶ ἰσαποστόλου Μαρίας τῆς Μαγδαληνῆς, *quo illustrius encomium Sanctæ adscribi non potuit, ut cetera omnia minoris momenti et fabulosa aliquando admixta, hue etiam transcribere plane supervacaneum visum fuerit. Tomo* I *Aprilis pag.* 811, *ubi de S. Maria Cleophæ agitur, referuntur versiculi qui accinuntur* matronis Evangelicis, quæ venerunt

AUCTORE J. B. S.

A runt Dominica mane ut ungerent Jesum, *quas inter dubium non est, quin* S. Maria Magdalena *computanda sit; unde vulgo notissimæ* tres Mariæ, *quales olim in ecclesia Maurianensi coli solitas habes in Actis tomo* I *Maii pag.* 169. *Ast hic de sola nostra prosequendus est sermo.*

verum inde parum subsidii adversariis,

87 *Quam ætatem sapiant adducta jam pro Sanctæ cultu Græca illa monumenta, pluribus non disquiro; satis manifestum est, recentiora censeri oportere, vel ex eo solum capite, quod de prætacta sacri corporis translatione varia admisceant quæ certissime seculo nono posteriora sunt, imo ea secula sapere videntur, quibus disputari cœptum est tum inter Latinos et Græcos, tum vero inter Latinos ipsos, ut infra pluribus erit discutiendum. Advertant interim obsecro, recentiores critici nostri distinctionis assertores, parum admodum sibi ex tota veteri Græcia subsidii ad præsentem controversiam hactenus accessisse: certe nihil quo universæ Ecclesiæ Catholicæ antiquissima traditio vel tantillum labefactetur. Ultro etiam adjicimus Menæorum satis vulgare elogium, ei prorsus consimile quod ex Synaxario* B *Basilii Porphyrogeniti tomo* I *mensis Julii retulimus. Operæ pretium non est idem bis describere; sic rem totam Raderus Latine reddidit:*

neque ex elogio

88 Sanctæ unctricis et paris Apostolis Mariæ Magdalenæ. Hæc postquam ad Christum venit, numquam amplius ab illo, usque ad mortem illum secuta, discessit; cujus gratia a septem dæmonibus, a quibus obsessa erat, liberata est: fuitque illius unguentaria, et prima omnium, cum altera Maria, sanctissima nempe Dei genitrice, resurgentem vidit a mortuis, quando vesperi Sabbati vidit angelum, et mane duos angelos in albis sedentes, rursumque ipsum Dominum, quem putabat hortulanum esse, quando audivit: Ne me tangas. Post divinam ergo et sanctam ascensionem Christi in cœlum, Ephesum venit ad S. Joannem Theologum et Apostolum, ibique sancte obdormivit, conditaque in aditu speluncæ, in qua postea septem dormientes conquieverunt. Leone deinde imperatore nostro beato fine sopito, corpus Magdalenæ relatum est Constantinopolim, et in cœnobio S. Lazari, ab ipso ædificato deposita, in quo singulis annis illius memoria C peragitur. Et præterea in æde Curatoris juxta Taurum.

pro majori parte non admittendo.

89 *Hujus elogii priorem partem, etsi non omnino accurate digestam, facile quivis admiserit; at quæ in posteriore dicuntur falsa prorsus existimo. Quid sibi vult encomiastes, dum ait,* post ascensionem Christi in cœlum, Ephesum venit ad S. Joannem? *An forte Joannes ante ascensionem eo præcesserat? Ephesi fuisse sanctam nostram* Mariam Magdalenam, *saltem ibi in Domino obdormivisse, negandum omnino est, neque id a Græcis satis umquam probabitur. Historiam, posterioribus seculis confictam, infra examinabimus, ceteraque ad decantatam translationem spectantia. Sive autem a Leone, sive a Basilio exstructum fuerit S. Lazari cœnobium (de quo vide Cangii Constantinopolim Christianam) admitti omnino non potest, S. Lazari Bethanici, aut veræ ipsius* Mariæ Magdalenæ *corpora eo translata fuisse, quod erit alterius disquisitionis argumentum. Certe ex eo elogio patere videtur, studiosa hæc esse Græcorum commenta, quibus receptissimam Latinorum traditionem convellere niterentur. Jam Martyrologia nostra expendamus, inde ad controversas translationes processuri.*

§ IX. Sanctæ cultus in Fastis Latinis.

Hic, si usquam aberrarunt

Sacramentaria hic intelligo, Kalendaria antiqua et Martyrologia ex quibus de vetustate ac sinceritate cultus omnino statuendum est; ea autem hic potissimum expendenda suscipio, quod pridem adverterim, citari ultro citroque ac congeri varia Martyrologia, plurimaque involvi, quæ si recte explicata fuissent, prope evidens esset, pleraque omnia, certatim allegari solita, nulli contendentium parti prodesse quidquam posse aut obesse. Hæc igitur non eo adducimus ut S. Mariæ Magdalenæ *cultus, longe lateque per totam Ecclesiam propagatissimus probetur, verum hac solum causa, ut manifeste pateat, ex sacris hisce monumentis, pro sanctarum mulierum distinctione perperam hactenus conflictatos esse, qui communi Ecclesiæ sensui obluctati, ignotis sibi telis Andabatarum more cæce certaverint, duce Launoyo, multa indiscriminatim corradente ex omnis generis Martyrologiis, de quorum ætate, pretio aut merito prius exhibendis non magnopere fuit solicitus, quod* E *in his primum ei esse oportebat.*

Fastorum nostrorum imperiti,

91 *Is itaque in dissertatione de commentitio SS. Lazari, Maximini, etc., in Provinciam appulsu, Martyrologia multiplicat, atque ex Græcis confusa nonnulla adducit, quæ huc certe spectant minime. Exemplo sint* mulieres Martha et Maria *positæ* IV *Junii in Menologio, quod a versione, Sirleti nuncupamus, quasi nullæ uspiam fuerint Marthæ aut* Mariæ *præter duas notissimas sorores Bethanicas. At toto cælo aberravit Launoyus, quem cæcum ducem plurimi æque cæce secuti sunt, cum binæ istæ mulieres in Actis nostris ad eum diem prætermissæ, cum aliis tribus celebrentur in Menæis aliisque die* VI *ejusdem mensis Junii, non sine alia confusione, ut loco citato explicatum invenies. Sic frustra Bedam, Rabanum, Adonem, Usuardum, Notkerum describit Launoyus; quorum Martyrologiorum ætatem, seriem et genesim si novisset, pluribus dissertationis suæ paginis male inficiendis omnino pepercisset. Habes hæc omnia fusius explicata in præfatione ad Usuardum ante tomum* VI *Junii, quæ hic modo repetenda non sunt.* F

Hieronymianorum sphalma non satis observantes,

92 *Una est eaque sola difficultas hic paulo uberius explananda, quam nec Launoyus vidit, nec eorum quisquam qui ex Martyrologiis ad præsentem controversiam dirimendam adjumenta hactenus accersiverunt. Petitur hæc ex codicibus Hieronymianis, in quorum plerisque omnibus vel* XIII *vel* XIV *Kalendas Februarii, seu* XIX *aut* XX *Januarii ita ferme legitur:* Hierosolyma, Mariæ et Marthæ sororum Lazari, *seu*: Hierosolymis, nativitas SS. Mariæ et Marthæ, sororum Lazari, *vel simili alia annuntiatione, quæ Florentiniam aliosque mirum in modum exercuit, Menardo pondus aliquot addente in notis suis et Observationibus ad* librum Sacramentorum Gregorii Papæ, ejus nominis primi cognomento magni, *ut ipse quidem existimavit; sed perperam, cum Sacramentarium istud qualecumque Gregoriano ipso multo auctius sit, nec ad ejus tempora revocari ullo modo possit, binis ut minimum et forte ternis seculis posterius.*

quod Menardus insigni solœcismo

93 *Neque vero in toto illo Sacramentario ulla* Mariæ, Marthæ *aut* Magdalenæ *reperitur memoria, verum Menardo placuit istic inserere quæ alibi legerat, quæque, meo quidem judicio, non satis apposite*

AUCTORE J. B S.

posite explicuit. Ait igitur se invenisse in codice aliquo Rodradi, XIV Kalend. Februarii Mariæ et Marthæ ; *in codice Rhemensi,* Natale sanctæ Mariæ et Marthæ ; *in codice Ratoldi,* Natale Sanctorum Mariæ et Marthæ ; *ubi, inquit,* τὸ SANCTORUM sumitur substantive in plurali, et sæpe occurrit in nostris Mss. et in Missali Romano. In nostris codicibus citatis similes exstant orationes de eisdem Sanctis in hunc modum : Exaudi, Domine, populum tuum, cum Sanctorum tuorum, *etc. Sic* super oblata *habetur ;* ut et tibi gratæ sint pro tuorum festivitate Sanctorum. *Et ad* Postcommunionem *rursus :* Sanctorum tuorum, Domine, intercessione placatus. *Atque hæc, si superis placet, atque id genus alia vult Menardus referri ad sanctas duas sorores* Mariam *et* Martham, *nullo usquam adducto exemplo ut fidem faciat,* Sanctorum *conjungi posse aut saltem alicubi conjunctum fuisse cum duabus mulieribus, seu duobus substantivis feminini generis.*

non explicuit sed magis involvit.

94 *Apage effugia, non tam procul accersenda : istud* τὸ Sanctorum *non ad male intrusas sorores* B Mariam *et* Martham *sed ad martyres plures viros et mulierem referendum est, qui eo die in antiquioribus Sacramentariis conjuncti fuerunt, quæ ab imperitis amanuensibus descripta, multimodis deturpata sunt, atque ad usum ecclesiarum, pro quibus describebantur, pro mero arbitrio efformata ; alius diceret deformata, vitiata et detorta. Audiatur Menardus ipse eodem loco adducens Martyrologium Ms. bibliothecæ Corbeiensis, ubi legerit :* Hierosolyma, Marthæ et Mariæ. Cetera, *inquit,* sculpta sunt a quodam, ut credere par est, nugatore, sed quodammodo apparet scriptum fuisse sororum Lazari. *Utinam id genus nugatorum minor fuisset numerus! qui in Sacramentariis aut aliis sacris Fastis Romanis legentes Sanctos sibi ignotos, alios affines sibique notiores substituerunt, ut mox faxo paulo clarius intelligas ; ubi Romani ritus notas apposuero, quas in selectis suis ad Romanum Kalendarium Observationibus distincte et recte expressit eruditissimus Fronto, alibi a nobis sæpe et merito laudatus.*

Sacramentaria et Kalendaria antiqua,

95 *Quærit is primo utrum* Kalendarium suum Romanum *sit? Respondetque in hunc modum :* Qui legerit hoc Kalendarium, non dubitabit dicere C Romanum, quia multa in eo leguntur, quæ soli Romæ conveniunt. Deinde stationes Romanæ designantur : erant autem aliæ Romanæ, aliæ Parisiis, aliæ in aliis urbibus, ut infra ostendimus. Denique quotquot inscribuntur Sancti, aut Romæ passi sunt, aut Romæ ecclesiam habent. Et bene omnino : antequam etenim solennitas Sancti alicujus fieret, debebat illic, ubi colebatur, habere locum sacrum, seu oratorium, seu basilicam, seu cœmeterium. Solennitas enim non fit nisi concursu populi, nec concurrit nisi in locum Sancto, qui colitur, devotum. Hinc olim quæque provinciæ suos habuere Sanctos, quos colerent ; ita ut nec S. Petrus quidem publica festivitate coleretur ubique, nisi propriam haberet basilicam.... ; nec satis est, monasterium illic esse Sancto consecratum, quia ad monasteria non fiebat populi concursus, ut legimus sæpe in epistolis Gregorii Magni. Nec nisi post Gregorium III cœpere Sancti illis in locis invocari, ubi non habebant proprias ædes sacras. *Atque hæc vera epocha est parvi istius Martyrologii Romani, quod ab aliis auctum Sanctos etiam Orientales Occidenti familiares reddidit, cultumque saltem aliquem ad omnes ecclesias propagavit.* D

96 *Erant igitur ante ea tempora Sancti ad certa quodammodo loca restricti, qui ex Sacramentariis ad universaliora Martyrologia sensim transiisse censendi sunt. Id vero pessime ab aliquibus librariis, seu propria seu aliorum auctoritate factum, ut vel Sacramentaria ipsa, vel saltem Martyrologia fœde corruperint, non solum Sanctos alios proprios adjungendo, quod usque adeo vituperandum non est, sed Sanctos alios sibi notiores aliis substituendo. Audacter dicamus, depravata esse Sacramentaria quælibet Romana, in quibus Sancti alii appositi sunt, præter eos solos, qui Romæ eo pacto festivitates suas habuerint, quo ipsas citatus Fronto descripsit : ut plane frustra quærendæ sint Romæ* Maria, Martha *aut* Magdalena *ante id tempus, quo Romæ collectum diximus Martyrologium Romanum parvum, ex Rufini historia potissimum auctum, unde et ex Floro, Beda mixto, Adonem, Usuardum, Notkerum et reliquam ferme Martyrologiorum progeniem originem habuisse, pridem demonstravimus.*

non ad usum universalis Ecclesiæ sed ad particularia loca spectabant ;

97 *In prædicto Romano parvo nulla prorsus* Mariæ *aut* Marthæ *in Januario memoria, neque vero in Sacramentariis editis aut in Kalendario Frontonis ulla exstitit ; neque sane exstare potuit in ea martyrum promiscua collectione quam describit S. Gregorius in Registro :* Nos pene omnium MARTYRUM, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solennia agimus ; *quibus verbis vetustissimum Hieronymianum Martyrologium indicari, alibi censuimus ; et ex quo saltem sanctorum* MARTYRUM, *quibus solis principio constitit, commemorationes nomine tenus fieri poterant, ut ferme modo Martyrologium in choro recitari consuevit : ast inde procul aberant* Maria *aut* Martha, *quas martyres Latinorum saltem nemo, quod sciam, umquam somniavit, nedum asseruit ; ut vel inde manifestissime colligi possit, adscititiam esse corruptamque eam annuntiationem quæ modo in codicibus Hieronymianis exstat, nec vere, nec loco suo ; ut tela prorsus imbellia inde cudant, qui pro mulierum distinctione ex ignotis sibi fontibus temere argutantur.*

neque Sancti ante Romanum parvum communes facti sunt. E

98 *Rem paucis conficio. Inter eruditos hodie compertum est, vetustissimos esse eorum Sacramentorum codices, quos edidit Thomasius, postmodum S. R. E. Cardinalis, quique ex Galesiano aucti omnino videntur ; in iis autem frustra quærerentur* Maria et Martha sorores Lazari ; *ibi enim et recte et genuine legitur ad* XIII Kalend. Februarii, *hoc plane modo :* In Natl sanctorum martyrum Sebastiani, Mariæ (*pro* Marii) Marthæ, Audifax et Abacuc, *seu* Abacum ; *quibus hæc aptatur oratio :* Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctorum martyrum tuorum, quorum celebramus victorias, participemur et præmiis ; *ubi* sanctorum *non* substantive *accipitur, ut volebat Menardus, sed vere cum præcipuo genere cohæret, quemadmodum construi debere, norunt pueri grammatici. Primus* nugator *imperitissime hinc extraxit* Mariam *et* Martham ; *alius verosimiliter positionem adjecerit* Hierosolyma, *et, si ita vis, idem aut tertius aliquis* sorores Lazari *distinguere non dubitaverit, cum quibus martyres isti Romæ celebrati, non majorem affinitatem habent quam cum Scythis aut Arabibus.* F

Explicatur vera festivitas notata in antiquis Sacramentariis,

99 *Hinc igitur, nisi vehementer fallor, clarissime*

A *sime perspicis codicum Hieronymianorum, aliorumque, ut Rabani et Notkeri, qui ex ipsis sua acceperunt, inquinatum fontem, ex quo tot inanes logomachiæ hactenus promanarunt. Ut jam taceam, non* Mariæ et Marthæ *scripturum fuisse* nugatorem, *si quid cordis aut cerebri habuisset, sed* Marthæ et Mariæ, *ut passim fit, dum binæ istæ sorores junior cum seniore conjunguntur. Id nobis certum sit, primum fuisse auctorem Romani parvi qui de* Maria Magdalena, *Martha aut Lazaro meminerit, quique cum Floro (quem Bedam Majores nostri appellarunt) Sanctam nostram ad hunc diem* XXII *Julii collocaverit, unde sensim festivitas ejus per universam Ecclesiam propagata sit, et ad nostra usque tempora perseveraverit; non mutanda, opinor, propter trium aut quatuor Gallicanarum diœcesium nimis præproperam variationem. Martham idem Romanum parvum verbo annuntiat* XVII *Octobris, quod et Ado fecit; Usuardo magis placuit celebritas alia, qua ad* XVII *Decembris cum fratre Lazaro conjungitur, addito ex Adone elogio, quod ex eodem pro* Maria Magdalena *desumere neglexit,* B *sed in hodierno Romano restitutum est, cujus partem aliquam Wandelbertus versibus suis illigavit.*

in quibus nec Maria, nec Martha, nec Magdalena notæ fuere,

100 *Quo potissimum tempore ex* XVII *Decembris ad* XXIX *Julii retracta sit S. Martha, non est hujus loci disquirere. Ut indubitatum admittere oportet, nullam* Mariam Bethanicam, *Marthæ et Lazari sororem, in hodiernis Fastis Latinis, multo minus peccatricem seorsim a* S. Maria Magdalena *recoli; ut apertissimum sit, in hoc consentire Martyrologia nostra omnia, confirmareque adeo receptissimam de unica muliere Evangelica Ecclesiæ Catholicæ sententiam, quam ex vitiosa Hieronymianorum codicum lectione frustra arietare conati sunt recentiores illi distinctionis propugnatores, quos ad priora et saniora consilia reductum iri non diffidimus. Ab elogiis colligendis hic abstinendum fuit, quod ea in Usuardo nostro et in aliis passim obvia sint, et vero ad hujus Commentarii calcem de* S. Mariæ Magdalenæ *elogio, de miraculis, templis, et celeberrima ubique solennitate acturi simus. Breve encomium concinnavit Raderus, quod reliquorum omnium vices supplere hic interim poterit. En ipsum:*

diu post in Occidente admissa.

101 Haud scio an ulla ex mulierum sorte femina, post augustam Dei Matrem et æternam C Virginem, tantis laudum præconiis (quod futurum prædixerat Christus) ab omnium prope temporum post Christum natum memoria sit celebrata. Nam ab omnibus sacræ et evangelicæ historiæ conditoribus, illorumque interpretibus certatim laudatur et prædicatur. Habuit adversus criminatores defensorem et Opt. Max. patronum et propugnatorem simulque laudatorem Christum Deum. Propagata est gloria, nomen, fama et laus Magdalenæ, non solum per omnem orbem, sed etiam omnium temporum æternitates, prout futurum Christus ipse prædixerat. Exstant præterea encomia ejusdem apud Patres, *etc. Superest intricatissimæ quæstionis nodus alter haud minus difficilis, quo de Sanctæ obitus loco, translatione et reliquiis disputandum est; ubi ignosci mihi quoque cupio si immensas chartarum moles, quibus ingens volumen impleri posset, huc non accersam, summa rerum capita, qua licebit verisimilitudine, percurrere contentus.*

Breve Mariæ Magdalenæ elogium.

AUCTORE J. B. S.

§ X. Sanctæ obitus, sepultura, translatio a Græcis perperam tradita.

Novum pelagus ingredimur, contrariis fluctibus agitatum, tempestatibus et ferme naufragiis æque ac prius fœdum et infame, ubi rursus turbatissima omnia, implexa et obscura, dum de re, et quidem acriter contenditur, quam ferme totis sex primis Ecclesiæ seculis scriptorum nullus attigisse scitur, ut per ignotissima vestigia, densas tenebras diceres, incedendum sit, nemine facem præferente aut lucem, quam satis tuto sequi possis: casu iterum plane mirabili, ut, quam illustris fuit ex ipsis sacris Evangeliis S. Mariæ Magdalenæ *gloria, quemadmodum proxime diximus, tam dubia sint reliqua vitæ ejus gesta, commoratio, obitus, sepultura, saltem quæ ex probatis monumentis educi queant: Græcis inde, hinc Latinis, præsertim Massiliensibus, opposita et pugnantia tradentibus. Adde quod nec Latini ipsi inter se satis conveniant, dum alii Sanmaximinensibus, de sacri corporis possessione litigantibus, favendum existimant;* E *hi vero in translationis suæ historia discrepent; dum alii Jerosolymis aut ex Bethania, alii ex ipsa Provincia reliquias Vizeliacum allatas contendunt. Quid? quod et Romæ sacra lipsana servari dicantur, ut hic rursum perplexa omnia, et gravissimis difficultatibus obnoxia perspicias.*

Massiliensibus infestus Launoyus

103 *Ut ex altero hoc tumultuoso mari, seu mavis labyrintho egressus pateat, sic ordinanda est disputatio, ut ea prius amoliamur, quæ falsa, aut saltem minus verosimilia censenda sunt, qualis est jam dicta superius Græcorum opinatio quod* S. Maria Magdalena *S. Joannem Ephesum secuta, illic diem extremum clauserit, ibidemque deposita fuerit, donec seculo nono inde translata Constantinopolim, apud S. Lazarum fratrem collocata sit: quæ omnia avide arripuit Joannes Launoyus, ut Provincialensium traditionem quoquomodo subverteret, haud satis memor, sese obscuris, et obtritis, ut ita dicam, armis pugnare, utpote solo vincendi ardore abreptus, nec satis inhærens positis alibi principiis, quæ in opusculi sui præfatione prudenti sensatoque consilio ita stabiliverat:* De Maximino *(nempe S. Magdalenæ socio)* nihil dicam, quod a veteribus et optimis auctoribus, qui ante annum Christi sexcentesimum scripserunt, nihil actum comperi. Hac autem in re usque adeo remota, sine commentariis veterum sapere, historici sapientis non est, nec Christiani scriptoris, qui supra ceteros mortales a mendacio abhorrere debet. F

arma Græca, sed obsoleta

104 *Hæc sapienter Launoyus, sed a quibus ipse primus deflexit, qui cum de* S. Magdalenæ *sepultura Ephesina ante annum circiter sexcentesimum* nihil actum comperit, *nec sapuit ipse, nec sapientis historici partes explevit; audiendus hic a nobis et refellendus, argumentis ejus omnibus sincere repræsentatis. Ecce igitur quibus potissimum certat hypercriticus in editione anni* 1660 *a pagina* 226, *ducto a Modesto Hierosolymitano principio, quem apud Photium cod.* 275 *græce primum, deinde latine sic loquentem inducit:* Merito igitur elegit Magdalenam Salvator, de qua Dominus septem dæmonia ejecit, ut principem peccati per illam ab hominibus expelleret. Historiæ tradunt, Magdalenam, de qua Dominus septem dæmonia ejecit,

suisque historicis principiis contraria arripuit;

AUCTORE J. B. S.

cit, hanc virginem fuisse, et martyrium ejus memoratur, ubi dicitur, propter summam illius virginitatem et puritatem, illam tamquam vitrum purum tortoribus visam fuisse. Post obdormitionem sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ, profecta est Ephesum ad dilectum discipulum, ubi cursum apostolicum per martyrium unguentifera Maria perfecit, nolens ad extremum usque spiritum ab Joanne Evangelista et virgine separari.

nihil reperiens totis sex seculis

105 *Hæc sola, tota et unica basis est, cui Launoyanum ædificium innititur, quamque ex ipso certatim mutuantur adversarii, ut* Magdalenam *istam virginem a muliere peccatrice discernant, accersita auctoritate ab unico scriptore Græco seculi septimi (quo Modestum floruisse certum est) quoque Græcum vetustiorem neminem producunt, ubi S. Gregorium Magnum rejicere non verentur, traditionem sex seculorum fideliter secutum. Et quis, obsecro, fidem facit, hæc vere Modesto tribuenda? Photius nempe, schismatis Græcanici auctor, pluribus stigmatibus inustus, solo adducto fragmento, quod Latinis verosimillime opponendum censuit. Verum etsi daremus,* B *hæc a Modesto scripta, quid inde præsidii Launoyo accederet, qui de tota ea re* ante annum Christi sexcentesimum nihil dictum comperit, *silentibus ante Modestum per sex omnino secula Græcis omnibus? An hic cum Tertulliano dicet,* primam *instrumento isti* auctoritatem summam antiquitatem vindicare? *An hic potius, quam in Provincia, traditionem ullam reperit totis sex seculis confirmatam? Reducatur ipse ad criseos suæ regulas, quarum* prima est : In rebus quæ ad historiam pertinent, iis maxime credendum esse, qui quo tempore res ipsæ gestæ sunt, scripserunt; dum nemo ceteroqui coævus notæ probitatis et doctrinæ refragetur. Altera : Post coævos auctores, magis eorum scriptis assentiendum, qui rerum gestarum temporibus viciniores, quam qui remotiores fuerunt : *unde Massiliensibus sæpissime insultat.*

quo sepulturam Ephesinam assereret;

106 *Age vero, hic nobis traditionem exhibet doctor Launoyus de* S. Mariæ Magdalenæ *sepultura Ephesina a Modesto, seculi septimi scriptore inchoatam, quam ipse monumentis Provincialensibus præferre non dubitat, de qua vel hiscere erubesceret,* C *si argumenti sui negativi oblitus non esset, quo ex silentio sex seculorum invicte jugulari potest, sic ut apud ipsum ejusque sequaces omnis Modesti auctoritas vana et nulla sit. Habe id dialectica Launoyana demonstratum ex tam diuturno silentio eorum qui rem scire potuerunt et scribere debuerunt. Scribit ad Victorem I. PP. Polycrates Ephesinus episcopus, apud Eusebium lib.* 5, *cap.* 24, *ubi enumerans,* lumina *quæ* in Asia magna exstincta sunt, *præter Joannem*, qui in sinu Domini recubuit, *Polycarpum* qui apud Smyrnam episcopus et martyr fuit, *præter Thraseam, Sagarim, Papirium, Melitonem, Philippum etiam adducit,* unum ex duodecim Apostolis, qui mortuus est Hierapoli, et duas ejus filias, quæ virgines consenuerunt, et aliam quoque ejusdem filiam, quæ Spiritu sancto afflata vixit, et Ephesi requiescit; *ubi hæc, inquam, lumina tam accurate enumerans, de* Magdalena *nec verbo meminit, quam certe primo loco, ut* lumen *vere præcipuum, nominatam oportuit, si secundo, quo Polycrates vixit, seculo, vel umbra ipsius Ephesi superstes fuit, quam tam confidenter asserit Modestus, et* virginem *fuisse*, et martyrium *ejus ibidem memorari.*

107 *Non opinor, eo quo vivimus seculo, cordatum quemquam repertum iri, qui traditionem aliquam simpliciter admiserit seculo septimo inchoatam, cujus nimirum per tot ante secula nec vola nec vestigium apparuit; ut hic nobis ferme fatendum sit, eusam inter alias esse hanc historiam, sexto circiter seculo, quo et alias ex ignorantiæ ovis exclusas erudit existimant, ut absque scrupulo eadem censura inuri possit, qua Flavium Dextrum merito confixit Launoyus. Neque vero Modestus ut merus fictionis auctor insimulandus est : facile enim contingere potuit ut virgo aliqua,* Magdalenæ *nomine insignita, apud Ephesum, ferventibus ethnicorum persecutionibus, martyrio affecta fuerit, quam Ephesini cum illustriore confuderint; ut more hominum nimis quam frequenter factum novimus, quæque ibidem, ut infra dicam, a S. Willibaldo, si tamen satis certa est ea historia, et a Magdalveo Virdunensi et forte ab aliis reperta sit, ejusque reliquiæ in alias partes deportatæ, ac tandem reliquum corpus Constantinopolim translatum, de qua translatione varia ex Græcis congessit idem Launoyus, quæ satis erit paucis infra delibare.* D *ut si ibi Magdalena aliqua martyr fuerit,*

108 *Hæc, ni fallor, qualemcumque Modesti auctoritatem satis enervant, neque tamen neglexerim aliam Natalis Alexandri responsionem, tomo* 2 *pag.* 181 *ita scribentis :* Respondeo, Modestum, Patrum Græcorum sententiam secutum, duas agnovisse Magdalenas : alteram virginem, alteram peccatricem; unde cum eam, quæ Ephesi obiit virginem et martyrem fuisse dicat, nostram non excludit, quæ nec virgo, nec martyr fuit, sed peccatrix. Imo ex hoc colligitur, quod cum una revera fuerit Magdalena, eaque peccatrix, hæc non Ephesi, sed in Provincia obierit. Quamquam forte profecta Ephesum est, illucque Deiparam Virginem comitata : unde Ephesini sacra monumenta ipsi erexerint; indeque invaluit apud Græcos posteriores opinio, illam Ephesi obiisse. Attamen Græci monachi, Cypri degentes ingenue fatentur, ex veteribus monumentis Græcarum ecclesiarum constare, Mariam Magdalenam una cum Martha sorore, et Lazaro fratre, in Provinciam appulisse, ut constat ex epistola P. Josephi Besson Societatis Jesu professoris data Alepi in Oriente die XVII Aprilis MDCLX ad P. de Gourdan in domo Aquensi ejusdem instituti degentem : qua testatur, se, in collatione hac de re habita cum Cypriis monachis audivisse, illos ingenue professos, Magdalenam sororem Marthæ et Lazari, in Provincia sepultam fuisse. E *aliam a nostra esse oporteat.* F

Nec Gregorius Turonensis nec alii oppositum evincunt:

109 *Sequitur ordine apud Launoyum (non adeo scrupulose chronologum) S. Gregorius Turonensis, ut corrasorem videas nihil negligere; qui quanti Turonensem alibi faciat, satis notum est; neque inde opiniani suæ pondus accersunt adversarii, soliti credulitatem ejus traducere, præsertim dum externa narrat, ex aliorum fide accepta. Neque subsidii quidquam affert Hodœporicon S. Willibaldi per sanctimonialem a nobis in Actis primo loco editum ad diem* VII *Julii, in quo nimirum de* Magdalenæ *sepulcro aut septem Dormientibus nec verbum, ut hæc alteri Vitæ, per anonymum scriptæ, facile assuta fuerint. Et vero, tametsi hæc omnia ultro admiserim, aliud nihil evinces, quam quod sepulcrum forte aliquod apud Ephesum exstiterit sanctæ* Magdalenæ *peccatrici perperam attributum. Flodoardi versus tantumdem significant; verum utique est, prope Bethaniam sepultum fuisse Lazarum :* Hic

prope

A prope Bethaniam tibi, Lazare sancte, sepulcrum; *at non minus verum est, inde Lazarum exivisse. Neque negaverim, domum ipsius*, sororumque *in* ecclesiam *mutari potuisse. Richardi Wasseburgii recentius testimonium in Antiquitatibus Galliæ Belgicæ de Magdalveo Virduuensi, qui etiam apud Ephesum viderit* Magdalenæ *corpus*, dentesque *binos* cum capillorum portione obtinuerit, *valeat quantum valere potest*; *pretium non figit Launoyus: hæc omnia receptissimam opinionem nec leviter quidem succutiunt:* Id unum tradiderunt *omnes isti*, post primum falsum testem, qui hoc ipsum posteritati falso commendavit. *Nec vero tantum piaculum, Græcos fictionis arguere, quod quoties ipsis improperatum fuerit, norunt qui in historia aut controversiis peregrini non sunt.*

uti nec alia Græcorum commenta,

110 *En tibi modo scriptorum Græcorum agmen, duce anonymo qui Theophanis annales continuavit jussu Constantini filii Leonis VI, ubi asseritur, imperatorem* ecclesiam condidisse..... *quæ* S. Lazaro dedicata est..... et translatum ipsius beati Lazari, et sororis ejus Mariæ Magdalenæ corpus *ibidem* repositum. *An hæc etiam admittent triplicis feminæ defensores? Fateantur ipsi nobiscum, Græcos nec in mulierum numero, nec in corporum istorum translationis tempore satis sibi cohærere, dum alii prioribus seculis factum volunt, alii seculo primum octavo, ut Anquetinus apud Trevetum pag.* 255, *alii nono aut decimo. Habes et istic Leonem Grammaticum, Georgium Cedrenum, Joannem Curopalatam, Joannem Zonaram, Græcorum Menæa, Anthologium, et nescio quæ alia a Launoyo importune opportune undecumque congesta; eo solo intuitu, ut* S. Mariam Magdalenam *quam posset longissime a Provincia averteret; adducturus haud dubie Anonymi de locis Hierosolymitanis, inter Symmicta Allatii paginam* 88, *ubi Lazari et sororum sepulcra in Bethania describuntur, si opusculum istud in manus ejus pervenisset: nisi forte id obstitisset quod Mariam Marthæ sororem, disertissime* Magdalenam *appellet. At ne singulis hisce referendis, expendendis ac refutandis tempus teram tædiumque pariam, utar unica Alexandri spongia, qua hæc omnia breviter diluit, et Græcorum, seu potius criticorum nostrorum ex ipsis litigantium, ora occludit pag.* 184, *in hunc sensum:*

B

C

in Latinorum odium passim conficta.

111 *Respondet, Græcos deceptos fuisse, ut plures fingendo* Magdalenas; *qua opinione supposita*, Magdalenam, *Lazari sororem, Ephesi quiescere, et inde Constantinopolim translatam fuisse scripserunt: vel in odium Occidentalis Ecclesiæ, quæ illarum reliquiarum possessione gloriabatur, illas supposuisse sub* sanctæ Magdalenæ *et sancti Lazari nominibus; quod Græcis (ut hic taceam intortas olim in eos parœmias) non insolens esse constat ex epistola Clementis IV Pontificis Maximi, ad serenissimam Isabellam, sancti Ludovici regis Galliarum sororem, data anno* 1268, *qua ipsam ab opinione dimovet, quæ ipsam fefellerat, quod quædam reliquiæ, ex Græcia allatæ, caput essent S. Pauli Apostoli.* Quod si forsitan, *inquit*, caput beati Pauli Apostoli apud te esse putas, depone conscientiam, ne fallaris, nec ponas scandalum Matri tuæ Romanæ Ecclesiæ, quæ deceptionem hujusmodi non æquanimiter toleraret. Si vero Græci aliquo tempore se illud habere dixerunt, ne mireris: nam odio Latinos habentes, facile tibi formaverunt mendacium, qui de fide mentiri Catholica, quod est majus, minime dubitarunt. *Hanc epistolam depromptam asserit ex Mss. Victorinis. Verbo dicam, convenientia et certa nobis exhibeant adversarii Græcorum istorum testimonia, facillime, me saltem, qui nullo partium studio ducor, habebunt consentientem.*

AUCTORE J. B. S.

§ XI. Proponitur translatio Vezeliacensis.

Alia hæc turbatissima historia,

Ex *dubiis, obscuris et incohærentibus Græcorum de* S. Mariæ Magdalenæ *sepultura et translatione traditionibus ad Latinos transimus, ea, qua fieri poterit, diligentia operose exploraturi, utrum in hac orbis parte satis certo reperiendum sit Sanctæ nostræ sacrum corpus, quod nec in Palæstina, nec in tota Asia superesse existimamus, ut proinde in Occidentem, imo in Galliam deportatum oporteat, sive istuc Sancta ipsa viva pervenerit, sive aliunde eo postmodum allatæ sint sacræ reliquiæ, ibique depositæ. Quod enim et Romæ exstare dicantur* S. Mariæ Magdalenæ *exuviæ; quæ istæc, quales, aut quando eo pervenerint, inquirendum non suscipio, postquam in Romano Martyrologio* apud Massiliam *Sancta nostra collocata est. Ad Galliam itaque solam demum reducitur spinosissima quæstio, tot difficultatibus involuta et implexa, ut ex Græcanicis tenebris eluctati, in densiores ferme incurramus, ex quibus non nisi palpando liceat emergere.* E

nec a Launoyo nec ab aliis recte digesta,

113 *Verbo dicam, Provinciam sensim ingredimur, tot concertationum disputationumque palæstram, ut quæ ultro citroque scripta sunt, fallor, si quis absque ingenti tædio evolvere queat: præterquam quod periculosæ videatur plenum opus aleæ, ut olim recte observavit noster Brietius ad annum* 1281, *ubi agens de Martino PP. IV ita scribit:* Hic tum Senonas misit costam S. Mariæ Magdalenæ, quam seposuerat dum interfuit ejus translationi Vezeliaci cum S. Ludovico rege; cujus etiam testimonium præstat, sicut et diploma hoc anno datum, quo asseveratur, corpus S. Mariæ Magdalenæ quiescere Vezeliaci, consonum diplomatis Lucii II, Urbani III, Clementis III, Innocentii III, de quibus inter Vezeliacenses monachos, et Maximinenses Dominicanos ingens certamen, cui se immiscere vir undecumque doctissimus Joannes Launoyus amicus noster cognovit esse periculosum. *Verum nec Launoyum hic nec alios quotquot numeraveris, hypercriticos moramur, utpote quibus non contendere, sed res ipsas candide proponere animus est, ut neque Natalis Alexandri gladiatoria argumenta mutuare lubeat. Id agimus ut priusquam ad capitalem controversiam perveniatur, clare et sincere expendamus, quæ adversus Provincialensium antiquam possessionem a Vezeliacensibus eorumque patronis opposita sunt.* F

quæ hic ab ovo examinatur,

114 *Est mihi præ manibus vasta chartarum moles, in scriniis nostris pridem asservata, in quibus et* S. Mariæ Magdalenæ *Vita et tota translationis istius, seu potius furtivæ surreptionis historia variis maxime coloribus depingitur, id potissimum complexa, quod Gerardus aliquis Burgundiæ, ut ibi dicitur, saltem in Burgundia comes, cœnobium istud Vezeliacense primum sanctimonialibus condiderit, deinde eversum restituerit, viris concesserit, volueritque conquiri ex Provincia occultatas istic* S. Magdalenæ *reliquias, quæ in prædicti cœnobii ecclesia deponerentur ad quam; inquisitionem delectus missusque fuerit Badilo, seu Baidilo monachus, cujus*

AUCTORE J. B. S.

jus expeditionis series, quam mire, tam varie narratur in pluribus nostris manuscriptis, quorum vix ulla inter se conveniunt, multis parergis pro singulorum scriptorum captu exornata : sed quæ a Vincentio Bellovacensi bonam partem rescissa sunt, ex quo prædicta historia in Legendam auream, S. Antoninum, Petrum de Natalibus, Mombritium aliasque Legendas transfusa est.

ex plurimis Mss.

115 *In Ms. Secliniensi sic inchoatur translationis istius narratio :* Nunc ergo, largiente Domino, aggrediemur exponere, *nempe post præmissam Vitam*, qualiter gleba corporis ejusdem sacratissimæ Mariæ Magdalenæ ad locum, in quo hodie veneratur, translata sit. Anno igitur passionis vel resurrectionis Dominicæ plus minusve septingentesimo quadragesimo nono, regnante HLudovico regum piissimo, nec non et filio ejus Carolo, viguit pax atque profectus Christianorum ecclesiarumque Catholicarum in orbe terrarum; præter infestationes gentis Saracenorum quæ fiebant præcipue a partibus Hispaniarum, *etc. Et hæc eadem in aliis legere est, quamquam scriptores* B *singuli aliquid de suo certatim adjecisse videantur, prope dixerim quasi studiose errasse, dum adeo turpiter tempora confundunt. In codice Ultrajectino paulo convenientius annorum series ponitur, nempe : Temporibus Carolomanni et Pippini, scilicet anno Domini septingentesimo quadragesimo nono. Alii cum Ludovico combinant annum* 849, *alii ad Carolum Calvum descendunt leguntque tamen annum* 769 : *magna ubique rerum et temporum confusio inferius magis expendenda.*

mirum in modum confusis et mutatis.

116 *In aliis Mss. alia asseruntur haudquaquam melius fundata, præmissis Normannicis, tum vero Saracenicis depopulationibus, quibus nempe direpta penitus et eversa fuerit universa Provincia, Aquensis vero civitas, unde sacrum corpus ablatum volunt, internecione deleta. Tum diversa alia commiscere pergunt scriptores, adeo ut paulo post suadere conentur ex* Africanis partibus, *nescio a quo Gentione reliquias etiam S. Marthæ Vezeliacum allatas, tunc nempe quando ad Æduos pervenit corpus S. Lazari : ut jam taceam adjuncta alia haud minus incongrue deducta quibus manuscripta omnia,* C *variis ineptiis pro Scriptorum ingenio rudi modo sunt amplificata. At ne hisce diutius immorer, ex uno specimine de reliquis omnibus facies conjecturam : sic enim referunt manuscripta pleraque quæ quidem rem totam paucioribus verbis complectuntur. Narrationem accipio ex laudato supra Ms. Secliniensi, quod ita habet :*

Ferunt missum Aquas Badilonem

117 Compertum namque jam olim a multis longe lateque habebatur, quod B. Maria Magdalena, ut superius digestum est, in præfata civitate Aquensi a S. pontifice Maximino sepulturæ tradita fuerat, ibidemque illius sacratissima ossa servarentur. Hac denique fama instigati, tam Comes Burgundiæ Gerardus, quam abbas Heudo prædicti monasterii Vizeliacensis, delegaverunt satis accurate ad civitatem Aquensem fratrem quemdam, cui nomen erat Badilo, ea scilicet devotione, ut si, annuente Domino, in partibus illis aliquod pignus e corpore sanctissimæ Mariæ Magdalenæ reperire valeret, revertens ad illos deferret. Qui, arrepto itinere, fultus honesto famulorum comitatu, tam prospere quam devote ad Aquensem pervenit civitatem. Quam cum introisset, nihil ei omnino in ea visum fuit apparuisse nisi extremæ pestis et mortis imago ; cernensque Badilo tam immane Christianæ plebis D justitium, cœpit edere gravissimos lachrymarum ex pietate singultus. Tandemque memor devotionis sui itineris, curiose deambulabat, quorsum investigans, si quempiam reperiret qui eum ad indaginem desiderii speratæ rei perduceret.

118 Dum hoc siquidem ageret, occurrit ei videre circa majorem, quæ fuerat in civitate, ecclesiam, in Andronarum tuguriis victos senes ætatis decrepitæ præstolantes alicujus transeuntis adventum, victus impendendi gratia. Hos cum vidisset, divertit ad illos, caute inquirens, ubinam locorum fuisset ecclesia, in qua corpus B. Magdalenæ, a S. Maximino olim sepultum, a fidelibus veneraretur ; spondensque se ad hoc illuc devenisse, non solum ad præsens transeunter adoraturum, verum ob amorem illius sanctæ Christi famulæ, ibidem diutius permansurum, nec minus etiam, in quantum valeret, sacris reædificandis inserviturum. Illi vero hæc audientes admodum læti, promiserunt se illi in cunctis fideliter parere, et quæ vellet ostendere. Dein, oratione in brevi completa, invitat illos ad prandium, quoniam diutina videbat illos deficere E inedia ; ac sic utrique refocillati, surgentes a prandio surrexerunt, ut locum desideratum præfatus Badilo certius inviseret nutu eorumdem senum. *Sequitur senum commonstratio, totiusque mausolæi descriptio, in quo scilicet opere anaglyphico expressa fuerit Sanctæ ipsius vita, ut pedum unctio, Christi apparitio, etc.*

ut ex urbis ruinis sacrum corpus surriperet;

119 *Mundatur deinde locus, ac restaurantur nescio quæ altaria; ibique commorans Badilo a redeuntibus sensim incolis mire honoratur, nonnulla reædificat omnibusque complacere nititur : donec* quinquennali lustro *expleto, omnibus rite exploratis : in occasionem pii furti attentandi sedulo intendit;* tandemque divinitus inspiratus, opportunitate reperta, nocte quadam accedens ad sibi optime notum mausolæum pius violator, a parte pedum effregit, et quæ intra habebantur prospexit; cernensque corpus cute integerrima superductum, manibus pectori impositis ex more jacens extensum ; odor namque tantæ suavitatis exinde efferbuit, ut nemo mortalium valeret effari. Quod nimirum satis juste contigit; illius enim corpus, F quæ Deum corporatum perungere meruit, odoratissimum omnium esse debuit. Hoc denique et beatus archipræsul Maximinus eam sepeliens intellexit, dum plurimis aromatibus illius corpus infecit.

quod variis artibus consecutus

120 Interea nocte insecuta videbatur sibi adspicere quamdam religiosissimam candidissimis vestibus indutam, satisque accurate a capite circumamiciebatur; cujus etiam vox eidem Badiloni talia intimabat : Ne formides, inquiens, quoniam eundum est nobis una tecum ad locum a Domino prædestinatum. Mane vero facto, hujuscemodi aromate fortificatus, suos secrete convocans, indixit eis, ut sequenti nocte forent parati, qualiter repatriandi iter arriperent. Illi quoque hæc audientes oppido lætabantur ; ingruentis quippe noctis conticinio facto ac præparatis utensilibus, accessit ad sepulcrum, extrahensque inde corpus, ut erat, sicut diximus, ex omni parte integerrimum, pannisque mundissimis involvens, cum cetera supellectili, quam absportare nitebatur, vehiculo imposuit. Dehinc arripiens iter cum suis avidissime remeare tentabat, *etc. Junge his*

Vezeliacum deportarit.

demum

A *demum miraculum, quo sacrum corpus Vezeliaco appropinquans* cœperit tanto pondere deprimi, ut quamlibet plurimi accessissent, nullatenus inde ferre valerent. *At post absolutam orationem* tanta agilitate perrexerunt..... ut magis ipsi portari quam ut quidpiam ferrent, existimarentur.

Quæruntur prima vestigia talis traditionis.

121 *Omitto reliquam historiom, æque inconcinne digestom, et mirocula de quibus forte infra sermo recurret. Vidit hæc omnia, opinor, Vincentius Bellovacensis tot adjunctis vestita, temporibus suis non sotis commode divisa, atque odeo satius esse duxit, rescissis porergis, breviorem orationem texere, cuilibet ferme seculo facile optandam, quam in ejus Speculo hobes lib.* 23, *cap.* 152. *Atque hæc vera et sincera expositio est totius translationis Vezeliocensis, quæ quo primum seculo litteris consignata sit, scrupulosius non disquiro : dubium non videtur quin hæc omnia componi cœperint post inventionem sacri alicujus corporis in ejus cœnobii ecclesia anno* 1265, *quod monochi illi* S. Magdalenæ *esse ex poulo antiquiore traditione existimaverint. Hujus autem traditionis prima vestigia quærenda censui in ipsa su-*B *perius citata historia Vezeliocensi, cujus liber primus solis diplomotibus constat, in quorum nullo* S. Magdalenæ *vel minima fit mentio onte medium seculi* XI, *nempe in bulla Pontificia Leonis PP. IX pag. istic* 460, *data anno ejus secundo, qui fuit* 1050, *ut ibi, nisi vehementer fallar, figenda videotur Vezeliacensis traditionis epocha, qua vetustiorem frustro quæsivi hactenus.*

quæ seculo primum tredecimo maxime invaluit.

122 *Eo igitur seculo nonnihil accrescere potuerit prædictæ troditionis fama, ita ut in Belgium usque penetraverit, sic tomen ut unde thesourum suum monachi occepissent adhucdum ignorosse videontur. Tum vero inter cœnobii istius varias vicissitudines turbasque, quibus toto fere seculo* XII *exagitatum est, sensim defecerit cultus, tometsi* crypta, *ut loquitur historia pag.* 616, supra B. dilectricis Mariæ Magdalenæ sepulcrum exstaret. *Verum perpetuæ seditiones, et cum Nivernensi comite aliisque contentiones Sanctam istam facile oblivione involverint, ut sequenti demum seculo* XIII *rursus suscitondom putarint Vezeliacenses Sanctæ suæ memoriom, quod manifeste probant instrumenta, ex bibliotheca Vaticana a Majoribus nostris descripta,* C *quæ sequenti paragrapho integra exponere visum est, ut clarius pateant quæ apud alios edita necdum invenire licuit. Titulum præferunt* inventionis secundæ, *dicere voluit scriptor inventionis Vezeliacensis, cujus momenta jam proposita, post diplomatum exhibitionem expendemus.*

§ XII. Cujus inventio diplomatibus firmata.

Cum de reliquiis dubitaretur,

Porro cumque prædictum pretiosissimum corpus seu sacratissimæ reliquiæ subtus magnum altare tunc temporis devotissime repositæ fuissent, ibique per quingentos annos et amplius latuissent absconditæ, venirentque Reges, Duces, Comites, Barones, Reginæ, Duchissæ, Comitissæ ac Christi fidelium numerosa multitudo ad sepulcrum ipsius sanctissimæ Mariæ Magdalenæ, non solum anno quolibet, imo quotidie, ac quasi continue cum maxima devotione venerandum, quasi ex omni parte mundi conveniret, maxime cum locus ille crebris miraculis ob ipsius piissimæ amatricis Dei meritis * et precibus coruscaret. Verum quia de reliquiis ipsius parum peregrinantibus exhibebatur, a nonnullis exstitit hæsitatum, utrum sæpedictæ sacratissimæ reliquiæ in eodem monasterio requiescerent, prout in translatione ipsius extitit superius declaratum. Quapropter ad inventionem sacratissimarum reliquiarum processum fuit in modum qui sequitur et in formam.

AUCTORE J. B. S.

* *An non merita ?*

invitati duo episcopi

124 Universis præsentes litteras inspecturis Guido de Melloto divina miseratione Autissiodorensis, et Petrus ejusdem miseratione Paneadensis episcopi salutem in Domino. Cum publice diceretur et fere ab omnibus Christi fidelibus notitiam loci Viziliacensis habentibus crederetur, quod corpus gloriosissimæ Mariæ Magdalenæ requiesceret in monasterio Viziliacensi, quidam tamen an ibidem requiesceret hæsitarent; religiosi viri Joannes humilis abbas ac conventus monasterii ejusdem pro firmo tenentes, quod in ipso monasterio requiesceret corpus gloriosissimæ E peccatricis, et omnem scrupulum hæsitationis de fidelium mentibus amputare volentes, ut ad dictum monasterium veniremus, ad exquirendam hujus rei certitudinem et probandam, nobis humiliter supplicarent :

plures in vase æneo reperrunt,

125 Nos vero devotis ipsorum petitionibus annuentes, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, die Dominica ante festum B. Dionysii, ad dictum Viziliacense venimus, et ipsa nocte post matutinas, cum conventu personaliter ad locum accessimus, in quo dictum corpus requiescere dicebatur, et circumfodientes ibidem, quoddam vas nobile æneum seu metallinum quadratum et longum in quodam loco subtus magnum altare devotissime invenimus, et in dicto vase quasdam venerandas reliquias, cum magna veneratione repositas et in duobus pannis sericis involutas, et erat ibidem copia muliebrium capillorum; quas quidem sanctas reliquias esse corpus beatissimæ Magdalenæ, manifestissime declaratur ex testimonio litterarum illustrissimi Regis quondam Caroli, cum iisdem reliquiis in- F ventarum quarum tenor talis est :

cum nescio quo Caroli testimonio ;

126 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei Rex. Regalis celsitudinis moris est ut nos justorum supplicationibus annuendo, ea quæ futurorum commendanda sunt memoriæ manus nostræ propriæ subscriptione firmemus, et annuli nostri impressione signemus. Idcirco noverit experientia atque industria omnium fidelium quod in hoc sacro loculo reconditum est sacrum corpus beatissimæ Mariæ Magdalenæ. Signum ✠ Caroli gloriosissimi Regis. Datas vero reliquias lætanter involvimus, et cum magna circumstantia præ pietate et gaudio multitudine lacrymarum, diligenter inspeximus et postmodum devote adoravimus.

casque pannis decenter involverunt,

127 Tandem easdem reliquias venerandas in dictis pannis involvimus, superadditis quibusdam linteamine et alio panno serico ne propter vetustatem dictorum pannorum sericorum de corpore tam gloriosissimo seu de tam venerandis reliquiis aliquid deperiret. Quibus taliter involutis ac

AUCTORE J. B. S.

ac etiam ligatis a nobis, sigilla nostra ibidem apposuimus cum sigillis religiosi viri Guerrici abbatis S. Mariani Antissiodorensis, et venerabilis viri magistri Petri præcentoris Senonensis : ac hujusmodi venerandas reliquias cum dictis litteris ibidem repertis, in dicto vase reposuimus. Supra idem vas nos Autissiodorensis Episcopus sigillum nostrum ante, et retro nos Paneadensis episcopus et dictus abbas S. Mariani Autissiodorensis sigilla nostra nihilominus apponentes, idcoque vas juxta locum suum pristinum reponentes, ac eumdem locum, ut prius fuerat, obturantes. In hujus autem rei testimonium et certitudinem sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum et actum anno Domini prædicto, die Lunæ post Dominicam supradictam.

facta ejus rei S. Ludovico relatione.

128 Quibus sic peractis, prædicti Domini episcopi et abbas prælibatam sanctarum reliquiarum inventionem piissimo ac sanctissimo regi beatissimo Ludovico, tunc temporis regnanti, personaliter nuntiaverunt; qui quidem beatissimus Rex glorificans Deum ex eo quod suis temporibus B præfatæ sanctissimæ reliquiæ fuerant inventæ, diem statuit et ordinavit, videlicet vigiliam B. Marci Euangelistæ anno Domini millesimo sexagesimo septimo, una [cum] reverendissimo patre ac domino Symone Cardinale, tunc in Francia Apostolicæ Sedis legato, ad præfatas sanctissimas reliquias solenniter relevandas, ad quod etiam ipse piissimus ac beatissimus Rex una cum prædicto legato personaliter præsens fuit cum multis proceribus, ut sequitur :

Hic autem Vezeliacum adveniens,

129 Anno Domini millesimo ducentissimo sexagesimo [septimo] septimo Kal. * Maii in vigilia beati Marci Euangelistæ positum fuit in capsa corpus sacratissimum beatissimæ Mariæ Magdalenæ in præsentia domini piissimi Ludovici regis Franciæ, et in præsentia domini Symonis tituli S. Cæciliæ presbyteri Cardinalis, tunc Apostolicæ Sedis legati in Francia, et in præsentia domini Guidonis de Melloto episcopi Autissiodorensis, et domini Joannis Autissiodorensis, tunc temporis abbatis Viziliacensis, et in præsentia domini Anfonsi comitis Pictonensis, fratris supradicti Regis, et in præsentia domini Theobaldi regis Navarræ C et comitis Campaniæ, et in præsentia trium filiorum prænominati regis, videlicet domini Philippi majoris, et domini Joannis comitis Nivernensis et domini Petri; et in præsentia domini Hugonis ducis Burgundiæ, et in præsentia Domini Anfonsi Com. Den. et in præsentia Domini Geraldi abbatis S. Germani Parisiensis, et in præsentia magistri Gaudrici, cum multitudine fidelium tam prælatorum, nobilium et populorum numerosa. Tunc sequitur forma litterarum testimonialium prælibati piissimi et sanctissimi, beatissimi regis Ludovici in hæc verba :

* VIII Kal.

acceptas inde nonnullas reliquias

130 Ludovicus Dei gratia Francorum rex, dilectis sibi in Christo abbati et conventui Viziliacensi salutem et sinceram in Domino caritatem. Mittimus vobis per dilectum et fidelem clericum nostrum magistrum G. archidiaconum in ecclesia Paris. latorem præsentium, pretiosum brachium beatissimæ Mariæ Magdalenæ, et genam ipsius una cum tribus dentibus, quæ in octavis Paschæ ultimo præteritis, cum nos solenni ejusdem B. Mariæ translationi interfuimus, nobis apud Viziliacum tradidistis, quæ quidem ob specialem devotionem, quam nos et cuncti fideles habere debemus ad ipsam, in vasculis aureis, variis lapidibus pretiosis ornatis, brachium videlicet in vasculo facto ad modum brachii, una cum manu, genam vero in alio vasculo, quod ab angelo argenteo deaurato inter manus tenetur, fecimus honorifice collocari; vobis et vestræ ecclesiæ ex parte nostra per dictum archidiaconum præsentanda, in præsentia venerabilis patris Symonis, tituli S. Ceciliæ presbyteri Cardinalis, Apostolicæ Sedis legati, causa visitationis nostram ecclesiam adeuntis. Verum cum vos de sacratissimo corpore prædictæ beatissimæ Mariæ Magdalenæ, cum ipsius translationi, ut prædictum est, interfuimus, portionem bonam nobis liberaliter dedissetis, ex quo vobis grates referimus copiosas : D

pretiosissime exornat et remittit,

131 Nos liberalitatem vestram hujusmodi attendentes, vestramque ecclesiam venerando decorare volentes, exennio * de sacratissimis reliquiis nostris, quam jam dudum recepimus de imperii Constantinopolitani thesauro vobis transmittimus : de pretioso videlicet ligno Dominico, duas de spinis sacratissimæ coronæ Domini, de E pannis infantiæ Salvatoris, de ipsius sudario, de veste purpurea in qua fuit illusus, et de linteo quo fuit præcinctus quando pedes discipulorum suorum extersit in cœna; quas quidem reliquias fecimus in manu brachii supradicti reponi. Congruum enim visum est nobis quod hujusmodi reliquiæ Redemptoris ponerentur cum reliquiis illius sanctissimæ mulieris, quæ tam ardenter dilexit eumdem, et ab eo tam largam suorum recipere meruit veniam delictorum : a qua etiam ipse tam familiariter se tangi permisit. Rogamus igitur dilectionem vestram, quatenus hujusmodi tam sanctas tamque venerandas reliquias cum debito suscipientes honore, ipsas cum ea veneratione, qua decet, conservare curetis. Caventes ne prædicta vascula ac lapides pretiosi, ad ornatum eorum appositi, alienentur imposterum seu etiam distrahantur. Cæterum rogamus vos, ut in vestris orationibus ac beneficiis, nostri nostrorumque specialem perpetuo memoriam habere velitis. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Senon. anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo F septimo, mense Julio. Deinde sequitur forma litterarum prædicti Symonis legati.

* xenio.

cum legati Apostolici testimonio,

132 Symon miseratione divina tituli S. Cæciliæ præsbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis legatus, ad æternam rei memoriam. Sanctuarium pretiosum, quod his diebus Christianissimus princeps Ludovicus rex Francorum illustris, monasterio Viziliacensi, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti, Ordinis S. Benedicti, Eduensis diœcesis, per discretum virum G. archidiaconum in ecclesia Parisiensi transmisit, et quod idem archidiaconus, in vestra et cleri ac populi præsentia, religiosis viris abbati et conventui ejusdem monasterii ex parte ipsius Regis præsentavit et dedit, videlicet os brachii B. Mariæ Magdalenæ collocatum in vasculo aureo, ad modum brachii facto, ornato decem et octo rubinis, quorum plures sunt optimi et reliqui sunt balas *, et viginti et novem smaragdis, tredecim saphiris orientalibus et triginta duabus margaritis

* Vide Cangium v Balascus

AUCTORE J. B. S.

A tis grossis : partem etiam ligni veræ Crucis, et pannorum infantiæ Salvatoris, ac purpuræ in qua fuit illusus, nec non baltei quo præcinctus exstitit cum lavit pedes discipulorum, et duas spinas de vera corona, qua in sua passione exstitit coronatus, in manu ipsius brachii situatas : genam quoque ipsius Sanctæ cum tribus dentibus repositam in quodam vasculo argenteo deaurato, quod angelus argenteus deauratus, ornatus quatuor rubinis balas, et totidem saphiris et octo smaragdis, tenet in manibus, intactum permanere volentes, et ad devotionem perpetuam eidem monasterio integraliter conservari; auctoritate, qua fungimur, districtius inhibemus, ne quis tantum sanctuarium seu vasa prædicta vel eorum partem, aut aliquos vel aliquem de prædictis lapidibus vendere, minuere, vel mutare, donare, impignorare, distrahere, vel quomodocumque alienare præsumat ; in omnes qui contra nostram inhibitionem scienter venire præsumpserint, excommunicationis sententiam proferentes. Ordinantes etiam ac statuentes, et in virtute obedien-
B tiæ prædictis abbati et conventui districte præcipiendo mandantes, ut semel annuatim in capitulo generali personarum monasterii supradicti mandatum, inhibitionem et excommunicationem hujusmodi publice legi et diligenter exponi faciant, ac solemniter publicari. Datum apud Clameciacum v Idus Augusti, pontificatus Domini Clementis Papæ quarti anno tertio. Item aliæ litteræ Indulgentiæ ipsius Legati.

qui et 100 dierum indulgentia largitur.

133 Symon miseratione divina tituli S. Cæciliæ presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis legatus ; religiosis viris abbati et conventui monasterii Viziliacensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti, Eduensis diœcesis, salutem et sinceram in Domino caritatem. Sanctorum meritis inclita gaudia fideles Christi assequi minime dubitamus qui per condigna devotionis obsequia eorum patrocinia promerentur, eumque venerantur in illis, quorum gloria ipse est et retributio meritorum. Causam itaque dare devotis populis ad promerenda sempiterna gaudia cupientes, omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui in singulis
C quatuor festivitatibus, quæ de B. Maria Magdalena in ecclesia vestra, in qua ejus corpus requiescit, annis singulis celebrantur, cum devotione et reverentia visitaverint, annuatim ibidem suorum peccatorum veniam a misericordiarum Domino petituri, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, ac ea qua fungimur auctoritate confisi, centum dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum apud Clameciacum III Idus Augusti, pontificatus Domini Clementis Papæ quarti anno tertio.

§ XIII. Subsistere tamen omnino non videtur.

Ex antiquiorum Pontificum diplomatibus,

Quæ *jam superiori paragrapho relata sunt, id unum probant, fuisse nimirum receptissimam eo seculo* XIII *Vezeliacensium opinionem, de* S. Mariæ Magdalenæ *corporis ibidem præsentia, quam toto ante seculo sensim invaluisse supra diximus; ex quo nempe diplomati S. Leonis PP. IX anni* 1050 *nata tunc circiter ea traditio monachorum supplicationi inserta est, de qua tot alii Pontifices, dictam abbatiam ejusque privilegia confirmantes, et notanter Joannes VIII anno* 878 *ipsorum ecclesiam Vezeliaci consecrans, nec verbo quidem* S. Mariæ Magdalenæ *meminerunt, ut vide in ipsamet historia Vezeliacensi enumerata privilegia et chartas a pag.* 458 *Nicolai I, Joannis VIII, Stephani, Joannis, Marini, Benedicti VI, Benedicti VII, Joannis XV et Silvestri II, qui cum sederit sub seculi* XI *principium, recte censuisse videor, ante Leonis IX tempora, altum de ea traditione, saltem in publicis rescriptis, apud Vezeliacenses fuisse silentium : ubi vero ea semel obtinuit atque in diplomate Pontificio locum reperit, nil mirum si secuti postmodum, quos objicit Launoyus, successores Romani Pontifices, Paschalis II, Alexander III, Lucius III, Urbanus III, Clemens III, Innocentius III, Nicolaus III, Martinus IV, adjice etiam Gregorium VII et quot quot alios nominare volueris; nil mirum, inquam, si in suis rescriptis eamdem opinionem mere suppo-* E *suerint, quorum quanta in similibus factis, ex supplicantium suggestione relatis, auctoritas sit, jam totius a nobis dictum et vulgo notum est, ut hic repeti non oporteat.*

in quibus nulla Mariæ Magdalenæ mentio,

135 *Age vero, adverte, sodes, quid demum prætensæ illæ scilicet Pontificiæ declarationes nobis in hac parte ostendent. Videlicet in diplomatibus seu epistolis Pontificiis usque ad Silvestri II tempora simpliciter legitur, monasterium* in honore Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, et in veneratione beatissimæ Mariæ Genitricis ejusdem Domini nostri constructum..... et B. Petro Apostolo collatum ; *quæ ipsissima et vera est prima institutio. Apud Leonem IX vero sic variatur phrasis, ut conditum cœnobium dicatur* in honore Domini nostri Jesu Christi, et veneratione ejusdem Genitricis, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et beatæ Mariæ Magdalenæ; *quod falsi revinces ex ipsis fundationis instrumentis a pag.* 446; *in quibus* S. Mariæ Magdalenæ *nominis nulla prorsus memoria exstat. Porro ibi non stetit Vezeliacensium conatus, a Paschali enim II addi curarunt* sepulcrum B. F Mariæ in eadem ecclesia celebrari, *unde secutus postmodum Innocentius III apud Natalem Alexandrum concedit, ut in solennitate translationis* beatæ Mariæ Magdalenæ infra Quadragesimam annis singulis... ob solennitatis reverentiam, Gloria in excelsis Deo decantetur : *atque hujusmodi incrementis tamquam fulcris, tota Magdalenica Vezeliacensis historia innititur.*

revincitur traditionis istius novitas.

136 *Quod si inde stabiliri posse existiment traditionem suam Vezeliacenses, meminerint, obsecro, ex vetustiorum Pontificum silentio eam fortius concuti, quam ex sequentium relatione firmari umquam queat, nisi verosimilem saltem narrationem prodant, ex qua de translatione aliquando et unde facta, de ejus tempore deque aliis adjunctis certiores reddi possimus; quantum enim adducta instrumenta vacillent, ex sola eorum analysi lector quilibet, nullo partium studio ductus, etiam cæcutiens perspiciet. Miror equidem non curavisse Vezeliacenses, ut eadem opera sanctorum Lazari et Marthæ sacra lipsana sibi vindicarent, item Andeoli atque Pontiani mar-*

martyrum, de quibus lego in epistola Cononis Prænestini episcopi, apud dictam historiam Vezeliacensem pag. 483, *quod Comes Nivernensis, cœnobio isti infestissimus, portas Vezeliacensis claustri* fregerit *ac porro diruperit* sanctorum Lazari et Marthæ sororis ejus, et SS. Andeoli et Pontiani martyrum corpora; *quæ quo pacto eo accesserint, tantumdem probari potest, quam quod eo umquam delata fuerint sacra* S. Mariæ Magdalenæ *pignora, quorum translationis qualemcumque historiam sola, ut ita dicam, terminorum explicatione concidere necesse est, ut solvendis Vincentii Bellovacensis, S. Antonini ac id genus auctoritatibus non occupemur, quas pridem Melchior Canus ad justam historiæ libram sic expendit, ut hic convellendæ non sint.*

quæ ex duplici incohærente historia

137 *Id imprimis observari cupio, relationum istarum scriptores id pro indubitato habuisse, sacrum* S. Mariæ Magdalenæ *corpus ex Provincia, imo ex ipsa Aquæsextiensi urbe ad cœnobium istud delatum fuisse, eamque opinionem seculo* XII *et* XIII *apud ipsos prævaluisse, cum antea, nisi multum fallor, unde eas reliquias accepissent, verosimillime ipsimet* B *ignoraverint; quo factum, ut duas historias confuderint, nempe Badilonis monachi, cujus in eo cœnobio seculo* XI *aliqua, tamquam sacri corporis allatoris, memoria supererat, cum peregrinatione in Palæstinam, quod haud dubie sibi tunc imaginarentur, non aliunde prædictum corpus apportari ad se potuisse, tumque adeo sparsa ejus rei fama in Belgium usque percrebuerit, sic ut Baldericus, primum Gerardo Cameracensi a secretis, Noviomensis deinde et Tornacensis episcopus, seculi istius scriptor non indiligens, de ea in Chronico suo Cameracensi meminerit, sic tamen ut rumoribus certam fidem habuisse non videatur, dum caute adjecit verbum* fertur, *quemadmodum ex ejus verbis lib.* 2, *cap.* 43 *apertissime liquet. Sic ibi loquitur :* Est monasterium quoque canonicorum, in honore Apostolorum Petri et Pauli, in vico qui dicitur Lutosa, quod construxit B. Amandus, et est dives abbatia, ubi vir Dei venerabilis Badilo requiescit, qui corpus S. Mariæ Magdalenæ ab Hierusalem in Burgundiam, in loco Vercelliaco attulisse fertur.

non minus lebefactatur,

138 *Ex his patet, opinor, quid de adventu reliquiarum suarum senserint Vezeliacenses ante seculi* C *undecimi medium ; at postmodum edocti,* S. Mariæ Magdalenæ *corpus non Hierosolymis sed in Provincia quiescere, alia omnino substituenda fuit historia, tumque nimirum Badilonem, non in Orientem properasse indeque reliquias comportasse, sed ex Provincia eas furto abstulisse memorare cœperunt, servato pii violatoris nomine, quem synchronum fecere fundatori suo Gerardo comiti, cui cum in ea regione non modicum imperium, isque adeo Provincialis traditionis conscius esset, hunc finxerunt reperiendi rapiendique sacri corporis auctorem et incentorem, cujus jussu in eas partes perrexerit præfatus Badilo : atque hæc ita ferme adjecta sunt Chronico Sigeberti, qui sive historiæ istius ipse auctor sit, sive alius, is certe ita rem totam sub seculi jam dicti finem transmutavit, sic plane memorans :* Persecutione post lapidationem Stephani protomartyris mota, Maximinus, unus de LXX Christi discipulis, ad Gallias transiens, Mariam Magdalenam secum adduxit. Eam etiam apud Aquensem urbem, cui præsidebat, defunctam sepelivit. Aquensi vero urbe a Saracenis desolata, corpus ipsius Mariæ a Gerardo Comite Burgundiæ ad cœnobium Viceliacum, a se constructum transfertur. Quamquam aliqui scribant, quod hæc apud Ephesum quiescat, nullum super se tegumen habens. D

atque ex enormi parachronismo

139 *Ad historiam Vezeliacensem sensim hic gradum fieri intelligis, tametsi Badilonis nomen non exprimatur. Eam periocham Sigeberto pridem abjudicavit Miræus, de qua re mihi hic non lubet contendere. Quisquis laciniæ hujus, nihil a Sigeberti stylo abhorrentis, verus auctor est, crassam suam inscitiam prodidit, dum Gerardum comitem ad annum* 745 *nobis commemoravit, quem constat tunc necdum fuisse in rerum natura, nisi toto sesquiseculo eum supervixisse imperitissime fingas, quemadmodum ex rei totius enodatione mox patebit apertius. Ceterum errasse scriptorem istum non usque adeo mirum est, quando Vezeliacenses ipsi pleraque sua omnia Magdalenica nonnisi perturbate comminiscuntur. Habes superius* § XI, *qui Sigebertino textui ferme consentientes, ad Pippini et Carolomanni tempora omnia revocant, nempe ad annum* 749, *cui anno si historia innecti posset, id saltem utcumque tolerabile fieret, quod de Saracenicis depopulationibus omnes tradidere, utpote quos Caroli Martelli tempore in Provinciam penetrasse certissime constat. At quo tandem pacto figmentum hujusmodi cum ipsa cœnobii Vezeliacensis fundatione cohæreat, atque ab enormi parachronismo eximi posset, doceri equidem cupio.* E

quem Saussayus impune deglutiit.

140 *Deglutiit ipsum intrepide Saussayus in Martyrologio suo Gallicano ad diem* VIII *Octobris, ubi Badilonem inter Sanctos referens, ita de eo prædicat :* Lutosæ Hannoniæ oppido, depositio sancti Badilonis, abbatis monasterii, quod ibi condidit sanctus Amandus episcopus Trajectensis. Vir ille venerabilis cum loci præsignati regularem præfecturam magna sanctimoniæ claritate gereret, rogatus a Gerardo Rossilonio Burgundiæ comite, Carolo Martello regiæ domus principi percharo ; Aquassextias in provincia Phocensi (quas nuper Saraceni vastaverant) profectus, illo ex tractu reliquias sanctæ Mariæ Magdalenæ in Burgundiam magna ex parte attulit ; atque in cœnobio Vezeliaci, apud Æduos constructo in hunc finem ab præmemorato comite, dignanter reposuit. Quod monasterium tantis insignitum pignoribus, postea Joannes VIII Papa, rediens a Trecensi concilio, solenni ritu et frequenti præsulum comitatu, in Dei ac beatissimæ pœnitentis honorem dedicavit. Ad quod etiam demum brachium Sancti hujus abbatis delatum est : qui exacto fidelis villicationis ministerio, demum perrexit beandus ad Dominum. F

Annales Benedictini ostendunt

141 *Asystata hic cum reliquis componit Saussayus, nempe Gerardum comitem qui ante annum* 745 *Vezeliacum construxerit, cujus cœnobii nulla vestigia repererunt Sammarthani ante seculum nonum jam satis provectum, quo primus ejus abbas Eudo præsedisse dicitur anno* 846, *Gerardus vero seu Geraldus de Rossilione fundator* apud Avenionem civitatem suam obiisse anno 849, *ut ipsis quidem visum est, dum interim ad aliquot præterea annos omnia removenda sunt. Annales enim Benedictini cœnobium istud Vezeliacense utque una Pultariense conditum volunt anno* 867, *fundatoresque Gerardum comitem et Bertam conjugem adhuc supervixisse* anno ejus seculi septuagesimo primo, *quod vide citati operis tomo* 3 *a pag.* 143 ; *ambos vero*

A *vero postmodum in jam dicto Pultariensi cœnobio sepultos; ut manifestissime perspicias, ex Balderico, Sigeberto, Saussayo aut ejusmodi accessionibus historicis nihil prorsus subsidii Vezeliacensium traditioni accedere.*

male fundatas esse, 142 *Neque hilo plus eruitur ex alio æque insulso commento, fusius relato in sermone aliquo Actis apocryphis* S. Mariæ Magdalenæ *subjuncto in grandi nostro codice Ms. Valcellensi, quod nempe tempore Carolomanni Francorum regis (itaque seculo octovo) Adelgarius episcopus Æduensis (floruit hic post annum* 873*) Vezeliacum advenerint, ad Endonem* prædicti cœnobii archimandritam, *qui ambo* inter nonnulla religionis sermocinia Adelelmum inclytum militem, qui frater erat Eudonis, *in Provinciam ablegaverint, ut inde desideratissimum corpus, cujus depositionis locum Adelelmus probe noverat, Vezeliacum afferretur; ipse* vero celeriter *non solum* gloriosissimæ Mariæ Magdalenæ, *sed etiam* beati Maximi, *voluit dicere* Maximini, corpora collegit, *etc. Quid hoc aliud est dicere, quam quod Vezeliacenses traditionis suæ originem penitus ignoraverint.*

B

diversas istas Vezeliacensium narratiunculas, 143 *Adde jam et aliam a Sammorthanis ibi narrationem texi, quod per Eudonis istius, primi abbatis Vezeliacensis* industriam, instinctu Gerardi de Rossillon, facta sit translatio corporis B. Mariæ Magdalenæ ab Aquensi territorio ad Vezeliacum, et ad illud transferendum missus a prædictis Badilo monachus venerandus, qui vocatur pius latro, anno DCCCXLIX. *Et hæc epocha est cum vulgatissima furti Badilonis historia, non minus quam aliæ incomponibilis; cum hæc omnia incidant in tranquillam Provinciæ tempestatem : ubi Badilo illuc accessisse fertur eo tempore, quo per Soracenorum incursiones usque adeo eversa et desolata erant omnia, ut vix in ea regione homines, vix quo in tectum se receptaret Badilo invenerit. Quid quod hic rursus in diversum abeat laudata historia Vezeliacensis pag.* 640 *in qua expressissime scribitur :* Anno Verbi Domini Incarnati millesimo centesimo sexagesimo sexto, exceptionis autem sacri corporis beatæ dilectricis Dei Mariæ Magdalenæ ducentesimo octogesimo sexto, *ut certissime consequens sit, non ante annum* 880 *(unde*

C *Alexandro inciderit signare annum* 875, *nescio) factam fuisse qualemcumque sacrorum pignorum translationem, nec cum Pippini aut Carolomanni, nec cum Ludovici aut Caroli Calvi, dicamus cum nullis temporibus satis connectendam.*

quomodocumque explicentur. 144 *Cum annis male digestis justo diutius colluctor, ut tandem me tædeat rebus tam inconcinne combinatis diutius immorari. Vertant Vezeliacenses in omnem partem quæcumque exhibere possunt cœnobii sui monumenta ad* S. Mariæ Magdalenæ, *seu mavis cum Castellano et aliis* S. Mariæ Bethanicæ *translationem spectantia; fallor si ex scriptis istis omnibus tam inepte consutis, quidquam extundas quod ad rectam chronologiam, aut saltem verisimilem narrationem reduci possit; ut plane mirari liceat, ex hujusmodi instrumentis adversus Provincialenses eos perperam conflictatos, quicumque ex eo capite eorum traditionem impugnare conati sunt. At enim, negare ausis, inquies,* S. Mariæ Magdalenæ *corpus Vezeliaci umquam exstitisse? Candide eloquar, id mihi neutiquam probari, ex inconditis omnibus, quæ hactenus producta sunt : si sinceriora proferantur, victas manus me ultro daturum profiteor. Verum miracula non pauca ibidem patrata memorantur per Sanctæ istius intercessionem. Quid tum postea? Miracula non probare realem talis corporis existentiam, jam sæpe in Actis nostris demonstratum est.* AUCTORE J. B. S.

Quales Vezeliaci reliquiæ esse potuerint. 145 *Eccur vero alia Sancta sub* Magdalenæ *nomine Vezeliaci coli non potuerit, quod sexcentis prope locis accidisse, in eodem Opere nostro pridem ostensum? Id si non placet, dic partem aliquam reliquiarum ex Provincia quoquo modo acceptam; quæ tandem ultima est Natalis Alexandri in hac causa solutio : tritus enimvero est locus iste communis ex Theodereti Dialogo* IMPATIBILIS : Communibus nominibus etiam partem appellamus. In Sanctorum enim Apostolorum vel prophetarum, aut martyrum ædes sacras ingressi interrogamus Quis situs est in arca? Qui autem verum norunt, respondentes, aut Thomam forte Apostolum dicunt, aut Joannem Baptistam, aut Stephanum martyrum antesignanum, aut alium quempiam ex Sanctis nominantes, tametsi perexiguæ interdum reliquiæ conditæ sint, *etc. Hisce porro si acquiescere noliut Vezeliacenses, quid ipsis de* S. Maria Magdalena *reliquum facere liceat, prorsus non video. Jam pars ultima longæ hujus et tetricæ disceptationis discutienda superest, seu recoquenda crambe, qua eruditos pridem saturos fuisse, utut probe noverim, certe hoc loco intactam præterire, integrum non est.* E

§ XIV. Possessio Provincialium hactenus verosimillima.

Provinciales seculo præterito *Ut incerta huc usque, implexa, salebrosa et obscura toto hoc Commentario versovi, ita novis rursus tenebris, iisque prope Cymmeriis me involutum iri perspicio, si agitatissimam olim controversiam retexendam evolvendamque suscipiam, qua ex una parte propugnatur adventus* S. Mariæ Magdalenæ *cum fratre Lazaro, Martha sorore, Maximino et pluribus Sanctis aliis Massiliam, seu ad ostia Rhodani; asseritur diuturna commoratio et Sanctæ nostræ in specu Balmensi insignibus miraculis illustris pœnitentia; inde obitus, sepultura, atque constans et perpetua sacri corporis primum Aquissextiis,* F *tum in Sammaximiniensi Cassianitarum prius monachorum deinde RR. PP. Prædicatorum cœnobio. Ex altera vero parte accerrime contenditur, ficta hæc omnia et mere commentitia esse, nec* Magdalenam, *nec Lazarum, nec Maximinum, nec Martham aut socios et socias in Provinciam umquam appulisse, utpote cum illa Ephesi deposita, inde Constantinopolim deportata fuerit, aut si mavis, ex urbe Hierosolymitana Vezeliacum allata, certe Massiliam aut Aquassextias oculis suis numquam viderit. Hæc lucta, hæc pugna; quæ Provinciales totis viginti et amplius annis exercuit, obtrectantium duce et corvphæo Joanne Launoyo, doctore Parisiensi, qui Sammaximianensium possessionem turbare, concutere et funditus evertere adorsus sit.*

acerrime aggressus Launoyus 147 *Edidit itaque Parisiis anno* 1641 Dissertationem de commentitio Magdalenæ in Provinciam appulsu, *quod erut fundamenta suffodere fidei et pietatis Provinciæ erga cælites suos tutelares, ad quos vindicandos grandem mox* Disquisitionem *opposuit*

AUCTORE J. B. S.

posuit de Magdalena Massiliensi advena *noster Joannes Baptista Guesnæus, editam Lugduni anno* 1643, *quam criticus continuo retundere conatus est altero opusculo, quod* Disquisitionem disquisitionis *indigitavit, eodem ipso anno deproperatum. Guesnæo autem succenturiator accessit Michael Jordanus ex S. Dominici familia nonnullis discursibus moralibus, quibus titulum fecit,* Ratio vindicatrix calumniæ, *quæ ad manus meas non pervenit. Paulo pressius adversarium aggredi visus est Honoratus Bouche* Vindiciis fidei et pietatis Provinciæ *anno* 1644 ; *ac rursus eodem anno Guesnæus sub nomine Petri Henry, in* Auctario historico, *quo decretum supremi senatus Aquensis atque etiam Universitatis censuram elucidat. Demum anno* 1647 *Gallicam epistolam in lucem misit,* Le triomphe de la Madelaine, *cujus auctorem fecit Dionysium de la sainte Baume ; et palæstra et vita ereptus anno* 1658.

non minori conatu repressus est,

148 *Post nonnullas pertinacis conflictus inducias, vexillum denuo erexit Launoyus opuscula sua anti-Magdaleniana auctiora evulgans anno* 1660, *in quibus a pag.* 296 *procacius explodit* S. Mariæ Magdalenæ *Acta ; a pag.* 328 *Prieratem etiam petulantius excutit ; a pag.* 346 *Buchei vindicias, denique a pag.* 376 *Guesnæi Auctarium aliaque sibi objecta ruit, agit, rapit, tundit atque prosternit. Postremus, quem viderim, ex arena pedem extulit laudatus Honoratus Bucheus vindicias suas Latinas Gallice restaurans anno* 1663, *verso titulo :* La défense de la foy et de la piété de Provence pour ses Saints tutélaires, *etc. Quid Vincentius Reboul, quid Joannes Scholasticus Pitton doctor medicus in hac eadem controversia præstiterint, quamve symbolam contulerint, mihi videre non licuit : neque huc adducendus Hercules Commodianus, Launoyo-mastyx, in quo præter dicta, non nisi flagra, lora et scuticæ suppeditantur, ad res illustrandas minime conducentia. Atque ibi demum stetit scribendi, litigandi, replicandi duplicandique, ut caussidici loquuntur, pruritus, partibus utrimque de parta victoria in sinu triumphantibus.* B

admixtis pluribus parergis,

149 *Ut candide eloquar, in his omnibus parerga multa sunt, nugæ non paucæ, sarcasmi, invectivæ, scommata, logomachiæ et quidquid inter contendentes, qui cæco competu ruunt, dici aut ingeri potest, ut sola ipsa lectio nauseam ereet et fastidium. Semel igitur ea legisse sit satis, ne quis eadem sibi denuo oggerenda, aut ex integro enucleanda existimet. In medio sunt excusa ea opuscula, sunt et instrumenta ipsa, ut nihil dissimulem, expansa, contracta combinata, divulsa ; sic ut sincero oculo considerata ad rem, quæ sola præ manibus esse debet, haud multum sane conducant. Totam historiam Vitæ nemo Provincialium est qui hodie tueri ausit, nemo qui in narrando Sanctorum in Provinciam appulsu, eum vulgatis traditionibus omnimode concordet, singulis propemodum viam sibi propriam effingentibus. Argumenta aliqua Guesnæi, Buchei, et Natalis Alexandri ex levioribus monumentis petita, talia non sunt, quin aliquousque dispungi possint, ut sane eorum non nulla dispunxit, dissolvitque Launoyus.* C

quæ hic recensere inutile fuerit.

150 *Neque enim in omnibus usque adeo male arguit antidico-Magdalenita, nisi sobrietatis limites prætergressus hypercriticæ suæ vela nimium expandisset, singula arrodere, vellicare et prorsus convellere mordaciori dente conatus, accersitis undecumque parum fundatis subsidiis. Quod si modeste et pacate presseque systemati inhærendo argumenta utrimque proposita fuissent, magno nobis hic adjumento forent, dum interim ex tot litigiosis scriptis vix ea extunduntur quæ perspicuum quæstionis certis suis limitibus coercendæ, sic statum expliceut, ut lectores omnes de eo per se judicare facile queant. Rem ego pacifice juxta ac compendiose, eaque qua fieri quidem poterit, claritate expendam, rescissis iis omnibus, quæ tædium magis parere, quam rei substantiam docere nata sint, eos terminos prescripturus, qui me spinosis istis et odiosis diverticulis omnino eximant.* D

Rejectis omnibus apocryphis,

151 *Ne itaque in explicanda adventus seu appulsus* S. Mariæ Magdalenæ, *tum vitæ in Provincia exactæ historia aut aliis circumstantiis, sexcenta inter se pugnantia irrito conatu conciliare compellar, primum profiteor, me Acta quæcumque sub Marcellæ, Syntychis aut alterius nomine, sive Hebraice, sive Latine scripta, prorsus non admittere, neque id genus narrationes alias, æque confusas nec non distortas, ex quibus vix quidquam elicias, quod ad sanum sensum, saltem apud cordatos reduci queat. Hujus generis sunt multa apocrypha, qualis historia quædam sub Josephi nomine, cujus est principium,* In diebus Claudii, *etc. Libellus insuper de* S. Magdalenæ *accessu ad senatum Romanum, ut Pilatum de nece Christi postularet judicio, et alia ejusmodi, quæ a Baronio pridem et aliis ad insulsa deliramenta amandata sunt : præter prodigia innumera, quæ sicut nulla certa fide adstruuntur, sic merito rejici possunt, donec firmiora momenta, quæ rem persuadeant, in medium adducantur : ut illa omnia ab hac disquisitione penitus removeam, qua nimirum id unice præ oculis habeo, ne quid Provincialium possessio detrimenti accipiat.* E

a thesi Parisiensi abhorrendum non est;

152 *Rotunde iterum dico et repeto, concertationum istarum pelagus me nequaquam ingressurum, satisque proinde habiturum, quod ex perpetua Massiliensium totiusque regionis traditione, non uno instrumento debite roborata, verosimillime constet,* S. Mariam Magdalenam *cum sociis in Provinciam quocumque demum tempore appulisse, ibi haud dubie vixisse, ibi vita functam, ibidemque depositam esse, ut ab ea thesi non magnopere equidem abhorream quæ anno* 1646 *die* XXIV *Maii in Sorbona Parisiensi pro actu Vesperiarum propugnata est, referturque in Buchei Gallico opusculo anni* 1663 *pag.* 29, *his verbis concepta :* Sancti Lazarus et Maximinus, beata Maria Magdalena, ac soror Martha, et Maria Jocobi et Salomes, mari se commiserunt, ductu divinæ providentiæ, qua circa annum sexagesimum secundum ad ostia Rhodani in Provincia appulerunt, et in ea postmodum dispersi, S. Lazarus Massiliensis, et sanctus Maximinus Aquensis episcopi facta sunt, beata Magdalena in speluncam Balmensem secessit, Martha urbem Tarasconensem, Mariæ Jacobi et Salomes Arelatensem petierunt et incoluerunt. F

id vero propugnandum suscipio,

153 *In hisce nihil tantopere occurrit quod verisimilitudinem superet, nihil quod probatis ecclesiasticis monumentis repugnet, nihil quod cum Massiliensium traditione apposite non conveniat, ut adeo sacri corporis* S. Mariæ Magdalenæ *possessio Provincialibus asseratur, Martyrologio Romano ad hunc* XXII *Julii inscripta :* Apud Massiliam, natalis S. Mariæ Magdalenæ, *etc., ubi recte observat Baronius,*

A *nius*, de accessu ejus cum Martha et Maximino in Gallias, tum veterem traditionem, tum etiam antiquos Mss. codices edocere, *quidquid in variis adjunctis dissentiant, ut fit dum res multis ante seculis gestæ, variis popularibus rumoribus sæpe innectuntur. Objectiones formavit Launoyus, dissolverunt Provinciales et nuperrime Alexander, quorum opera eruditis notissima sunt. Id ego propugnandum suscipio, quod ad fidem pietatemque Provincialium tuendam vindicandamque sufficiat, nempe* S. Mariæ Magdalenæ *sacras exuvias in Provincia superesse, vereque adeo a Provincialibus ad S. Maximini religioso cultu a summis Pontificibus, Cardinalibus, episcopis, regibus, principibus, optimatibus et quotidianis peregrinationibus constantissima veneratione celebrari, de quibus consuli possunt citata jam opuscula*; *his ego hic utar rationum momentis, quæ rem brevissime conficiant.*

ad S. Maximini superesse Sanctæ nostræ exuvias;

154 *Jam supra* § x *satis demonstratum opinor,* S. Mariæ Magdalenæ, *de qua agimus, corpus Ephesi nec fuisse, nec proinde ex prætenso ejus ibidem sepulcro Constantinopolim translatum; Hierosolymis autem seu in Bethania umquam depositum,* B *corruptorum Martyrologiorum lacinia est, refutatione minime digna. Porro Vezeliacensem traditionem jam proxime sic everti, ut qui desperatam causam suscipiat, neminem repertum iri existimem; quos præterea hac ratione mox jugulaveris, quod in sacri* S. Magdalenæ *corporis inventione anni* 1279 *reperta schedula manifeste ostenderit, ipsum illud esse, quod anno* 716 *metu Saracenorum absconditum fuerat. En tibi modo rei totius caput in paucissima contractum : Cum nullis satis verisimilibus argumentis hactenus probatum fuerit, alibi exstare pretiosa Sanctæ nostræ lipsana, id omnino consequens est, ut in sua possessione Sammaximinienses permaneant, neque ullis obtrectantium cavillis perturbentur. Hanc possessionem loquuntur laudatæ jam Guesnæi, Buchei, Alexandri et sexcentorum aliorum, ab ipsis citatorum auctoritates, ex quibus unicam (quæ omnium instar sit) hic illustrare aggredior, qua vindicata, rem omnem verosimillime in tuto collocatam, argumento ad hominem, ut loquuntur, mecum, ni fallor, intelliges.*

ut probat repertum anno 1279 testimonium,

155 *Neque vero longa probatione opus. Negari omnino non potest sacri corporis inventio facta anno* C 1279, *et fuse pridem ex ipsis authenticis instrumentis descripta, recentissime etiam in Amalrici Augerii de Biterris historia Rom. Pont., Scriptorum medii ævi tomo* 2 *ab Eccardo vulgata col.* 1788, *quam nec Launoyus ipse in dubium revocare ausus fuerit, id unum conatus potissimum, ut, quod una repertum est, identitatis corporis testimonium, fictionis et falsitatis convinceret, utpote cum in eo quædam ipsi plane absona notarentur, quæ nemo eatenus satis explicuerat. Rei totius cardo vertebatur in scheda seu cartallo, veteri charactere scripto, ex cujus lineamentis, ex apposito anno et regis nomine non modica crisim exercendi ansa præbebatur, Provincialibus ipsis ad ipsum salvandum, in diversa abeuntibus, usque adeo ut etiam Natalis Alexander a vero sensu longissime recesserit. Verum his omnibus opportune occurrit Baronii illustrator Pagius ad annum* 716, *ubi schedam ipsam tempori suo accurate restituit, solutis omnibus quæ contra opponi possent. Sic habet dictus cartallus :* Anno nativitatis Dominicæ DCCXVI, mense Decembri, in nocte, secretissime, regnante Odoino piissimo Francorum rege, tempore infestationis gentis perfidæ Saracenorum, translatum fuit hoc corpus carissimæ et venerandæ Mariæ Magdalenæ de sepulcro suo alabastri, in hoc marmoreum, ex metu dictæ gentis perfidæ Saracenorum, quia securius est hic, amoto corpore Sidonii.

AUCTORE J. B. S.

156 *Ad hæc sic loquitur Pagius :* Superest adhuc ea schedula, quæ tamen propter vetustatem amplius legi non potest. Sed Bernardus Guido sacræ fidei inquisitor ac episcopus Lodevensis circa annum MCCCXX, in suo Speculo historiali, eamdem refert, aitque : Istum ego cartallum vetustissimum legi, qui hæc scribo, et vidi ibidem in sacrario (scilicet oppidi S. Maximini) reservari in testimonium veritatis, etc. Eamdem etiam vidit Philippus Cabassola episcopus Cavallicensis et Cardinalis, ut ipsemet testatur in libello anno MCCCLV adversus monachos Vezeliacenses composito, qui Ms. exstat in bibliotheca S. Victoris Parisina. Denique eadem verba leguntur in libro pergamineo asservato in conventu PP. Prædicatorum sancti Maximini, et in omnibus fere scriptoribus, qui de hac inventione superioribus seculis locuti sunt. *Negotium facessebat* Odoinus *iste* Francorum rex, *quem aliqui in* Clodoveum *transformarunt; in quo errore versatus est Cabassola Cardinalis, qui schedam legerat, ait enim :* Odoinus pleno nomine dicitur Chlodoinus, et lingua Gallica Chlodoveus ; *alii alias vias ad nodum istum dissolvendum ingressi sunt; rem prope attigerat Guesnæus, sed planam reddidit laudatus Pagius.* E

quod Pagius a criticorum cavillis,

157 Vana, *inquit*, hæc sed seculis in quibus theologia Scholastica utramque paginam faciebat, tolerabilia..... Verum is Odoïnus Francorum rex alius non est ab Eudone Aquitaniæ duce, qui aliquando Odo, aliquando Otto, Odoicus, vel Odoinus appellatus reperitur. *Tu cetera ibi videsis absque fuco et felle rectissime deducta, quæ ulterioribus tricis plenissime me evolvunt : satis enim ad intentum meum superque est, prædictum testimonium omnino extra controversiam positum esse, ex quo manifestissime liquet, sacrum corpus, sub seculi octavi principium a Sammaximiniensibus monachis tunc Cassianitis, ut volunt, translatum, et Saracenorum metu occultatum fuisse, ibidemque post quinque et amplius secula integrum repertum, ut pluribus auctoritatibus aperte evincunt laudati scriptores, ad quos de cetero curiosiores lectores remittendos censui, munere meo abunde functus, quod Provincialibus, saltem verosimillime, sartam tectam servaverim traditionem, possessionem, ac constantissimum ad hæc usque tempora sanctissimæ Jesu dilectricis* Mariæ Magdalenæ *cultum ac venerationem.* F

recte et solide vindicavit :

158 *Hæc omnia, ut jam non semel dixi, pluribus instrumentis ab Alexandro relatis, operose confirmant Provinciales, quibus hic unum superaddo, nusquam hactenus, quod sciam, proditum, repertum in nostro perantiquo Ms. codice signato* ✠ *Ms.* 98, *quo G. seu Gislebertus abbas Westmonasterii, S. Anselmo synchronus, ut habes tomo* 2 *Aprilis pag.* 942, *mulierum Evangelicarum identitatem satis nervose probat, iis ferme, quæ supra a nobis adducta sunt, argumentis, inter quæ et illud urget, quod S. Maximinus* mulierem beatam videlicet Mariam Magdalenam, secum Massiliam duxerit, et usque ad finem illam secum habuerit ; postea super tumulum istius una ex parte in lapide exsculpi fecerit,

ut ea traditio verosimillima sit.

AUCTORE J. B. S.

fecerit, quomodo ad pedes Domini accessit, lacrymis lavit..... Ex alia vero quomodo post resurrectionem, procumbenti ad pedes suos, ei Dominus dixerit : Noli me tangere, *etc. Ex quibus id saltem cruitur, traditionem Provincialium jam seculo* XI *in Anglia fuisse receptissimam; quod verbo hic annotare, a proposito nostro alienum non censuimus; nihil territi Illustrisimi Bosqueti, Lodevensis primum deinde Monspeliensis episcopi, in hac re dubitantis, Historiæ ecclesiæ Gallicanæ pag.* 15, *modestissima auctoritate.*

§ XV. S. Mariæ Magdalenæ cultus, Officium Massiliense et Acta.

Elogiorum plena sunt omnia

Inter multa quæ de Sancta hac nostra miranda stupendaque occurrunt, id certe tacendum non est, quod ubi passim in Sanctorum, quorum Acta illustramus, cultu asserendo non minima ponenda sit opera ; hic plane oppositum usuveniat, dum vela B *potius contrahenda sunt, cum de Sancta agimus, cujus tota quam late extenduntur merita, virtutes, honor, cultus, patrocinium et gloria. Ecquis enim inter Catholicos est, qui* S. Mariam Magdalenam *singulari veneratione non prosequatur? Utpote perfectissimum pœnitentiæ speculum, ardentissimi in Christum amoris vividum exemplum, virtutum omnium lucidissimum prototypon; ut fusius olim ostendit Carolus Stengelius, Ordinis S. Benedicti in* S. Mariæ Magdalenæ vitæ historia commentario illustrata, *editaque Augustæ Vindelicorum anno* 1622, *ad quam pios lectores, Sanctæ hujus nostræ Jesu dilectricis imitatores clientesque remitto. Digna ferme fuisset Vita ista quæ hic recuderetur, nisi ad moralia identidem deflecteret, ac præter ea, quæ ex Evangeliis accepta sunt, multa alia, ex apocryphis admiscuisset auctor cetera minime contemnendus.*

cultusque toto orbe celeberrimus,

160 *Reliqua universalissimi cultus argumenta certatim exhibent urbes Catholicæ prope omnes, quas inter vix ullam invenias, ubi vel ecclesia ipsi exstructa dedicataque non sit, saltem sacellum aut altare, aut congregatio sub ejus nomine erecta ; cœnobia item seu monasteria, tum feminarum pœnitentium* C *refugia, atque id genus opera alia, quibus* S. Mariæ Magdalenæ *nomen ubique terrarum celebratissimum redditur. Quid quod in pluribus Ecclesiæ diœcesibus festivitas ejus de præcepto, ut loquimur, frequentari pridem consueverit, ea solemnitate quæ cum Apostolis ipsi communis est, a Græcis, recepto vocabulo,* synapostola, *ab aliis* Apostolorum apostola *vulgo nuncupata, ut superius quoque dictum est. Breve et satis elegans est Stengelii elogium hujusmodi :* Inter omnes fere cœlestis regni divas, post beatissimam illam cœli terræque reginam Virginem Deiparam Mariam, nulla celebrior apud Christicolas, honore Sanctis debito recolitur ipsa S. Maria Magdalena, ita ut quacumque pateat Christianus orbis, ipsi passim soleant aras erigere, statuere imagines, tabulas pictas et templa dedicare, sacra facere, solenni precatione atque ritu opem ab illa et auxilium expetere.

et diversæ variis locis festivitates ;

161 *Neque me latet, in variis Europæ ecclesiis singulares ejus translationes celebrari, opinor occasione sacrarum reliquiarum, quibus innumeræ prope ecclesiæ gloriantur. De quanam agat Florarium nostrum Sanctorum Ms. ad* XXVII *Februarii, haud* D *equidem facile dixero ; neque de qua loquatur Grevenus cum pluribus aliis Martyrologiis ad diem* XX *Martii. Eodem mense Martio die* I *in Breviario Hildesiensi signatur* S. Mariæ Magdalenæ conversio, *quæ ipsa ejusdem mensis die decima Officio duplici peragitur in ecclesia Augustana. Atque hæc etiam jam dicto Flororio inscripta est ad diem* VII *Aprilis his verbis :* Item conversio S. Mariæ Magdalenæ anno salutis XXXII, vitæ suæ XXII, *quæ ubi codicis istius auctor repererit, non disquiro, neque quam* inventionem *velit, quæ ibidem refertur* XVII *Decembris illigaturque* anno salutis DCCCXC. *Finis non sit, si Martyrologia nostra omnia decurrere lubeat, Romamque, Bononiam et ceteros orbis Christiani urbes perlustrare, quod hic certe in rebus adeo patentibus cunctis, operæ pretium esse non existimavi.*

singularis hodie inventionis anno 1279 ;

162 *Parco itaque pluribus, ut ad præcipuam longeque celebratissimam inventionem translationemque progrediar, illam scilicet, de quo jam sæpius locuti sumus, anno* 1279, *applaudente tota Provincia peractam, cujus memoria in iis partibus, ut solennissima, ita in variis istic ecclesiis pretiosissima, communissima et receptissima est ; in Aquensi potissimum, ubi ad totam octavam Officia extenduntur.* E *Verum ad hanc rem nostram conducunt quam maxime Officia propria Sanctorum Massiliensis ecclesiæ, ex quibus quod hic damus, describi curavit, atque ad Papebrochium misit anno* 1680 *noster Carolus Faber, alibi a nobis sæpe et merito laudatus. Est hoc ibi proprium* die V Maii, *sub hoc titulo :* Inventio S. Mariæ Magdalenæ duplex. Totum Officium ut in ejus festo XXII Julii, præter ea quæ hic sunt propria. *En orationem :* Deus, qui Ecclesiam tuam hodierna die sacrosancti corporis beatæ Magdalenæ revelatione gloriosa lætificas; concede propitius, ut cujus præsentia et miraculis illustramur, perpetua mentis et corporis beneficia consequi mereamur. Per Dominum. *Invitatorium :* Laudemus Deum nostrum : in inventione beatæ Mariæ Magdalenæ.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

F

de qua hic tres lectiones

Singulari Dei providentia interdum contingit, diu in latebris esse corpora Sanctorum, ut recenti inventionis miraculo, illorum sanctitas magis elucescat. Nempe tum inventionibus, tum translationibus sacrarum reliquiarum multiplicamus festa, et Sancti in nos multiplicant beneficia. Hæc est veluti Sanctorum quædam resurrectio, quæ sepultam, et jacentem fidelium pietatem exsuscitat, ut Sanctorum ossa, quæ semina sunt æternitatis, ac venerabile templum Spiritus sancti, fiant nobis mortalis vitæ subsidia, et de media morte, viva flumina gratiarum. Jam pridem barbarorum surreptum incursibus latuerat beatæ Magdalenæ corpus, cum anno millesimo ducentesimo octogesimo primo *, congregata est, ad hanc perquisitionem, apud sanctum Maximinum synodus, studio et cura illustrissimi principis Caroli Andegavensis, in qua præerat venerabilis Guillelmus Longus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, et regiæ majestatis cancellarius, [cum] quatuor archiepiscopis, quinque episcopis, abba-

* alias 1280.

AUCTORE J. B. S.

A abbatibus decem, multisque sacræ Theologiæ doctoribus ac religiosis viris, qui examinatis, ac rite discussis testimoniis, scriptis, et monumentis universis, rem illam spectantibus, decretum solenne condiderunt, has esse veras, ac legitimas Magdalenæ reliquias; quod a Bonifacio octavo confirmatum est, et summa fidelium devotione susceptum. Tu autem, etc.

LECTIO V.

ex proprio Massiliensi

164 Ita Magdalena, quæ olim, corpus Domini sui, post ejus resurrectionem, tam impense quæsierat, hac post mortem gloria decorata est, ut amissum ejus corpus solicite quæreretur. Gavisa est Provincia universa invenisse corpus, quod pœnitentiæ victima perennis exstiterat, quodque magis vixerat vita Salvatoris quem amabat, quam vita spiritus qui illud animabat. Quos videtis cineres, non tam resolvit putredo, quam flamma B amoris: aut si dicere lubet, amor, et mors, simul convenerunt, ut quod ille pro Christo accenderat, ista consumeret, et sic ambo gratum Deo sacrificium absolverent. Quia tamen vivens adhuc Magdalena antra, et speluncas quærebat, quibus se, de peccatis contrita, absconderet, in eadem post mortem perstitit humilitate, et sponso suo crucifixo consepulta, mortalium obtutus fugere voluit. Nobis illam hodie reddidit Christus, et sepulchri squalorem gloria cumulavit, ut ad ipsum curreremus in odorem unguentorum Magdalenæ, et corpus pœnitentis inveniendo, spiritum pœnitentiæ reciperemus. Nihil est enim celebrare Magdalenæ inventionem, nisi et imitemur ejus contritionem. Gaudeamus certe quod Magdalena inventa est, sed inveniamus nos perditos peccato, et dum celebramus solennitatem, non amittamus solennitatis utilitatem. Tu autem, etc.

LECTIO VI.

desumptæ sunt.

165 Verum si inventas reliquiarum margaritas C propius inspiciamus, beatæ Magdalenæ caput, adhuc suis ossibus constans, pœnitentiam inspirat; et cum mortua corpora horrorem incutere soleant, illud amorem, et venerationem mirabiliter infundit. Maximum autem micat in hoc capite miraculum; nam quasi Magdalena dixisset morti, quod olim Christus dixerat Magdalenæ, Noli me tangere; non est ausa mors contingere eam partem, quam Salvator suis digitis consecraverat, et adhuc signa vitæ retinere videtur, quod vel solum reliquiarum veritatem affatim comprobaret. Manserunt præterea inviolati, et in pyxide asservantur beatissimi capilli quos Judicis, et Salvatoris sui pedibus tamquam retia, et vincula amans illa pretiosa sanctissime audax injecerat; ita ut quas invenimus reliquias Magdalenæ, partim ipsius Salvatoris reliquiæ, propter reverentiam contactus, censeri possint; qui utinam Magdalenam vere imitanti unicuique aliquando dicat: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Tu autem, *etc.*

Varia Acta edita,

166 *Ad Acta quod attinet, id etiam in Sancta nostra prodigii instar est, quod de nulla tot Vitæ scriptæ sint, de nulla tam impune quælibet sibi comminisci licere censuerint, pii dicam, an inepti compilatores, nunc ampliantes, modo contrahentes; pro suis quique traditionibus certatim corradentes quidquid vel solam veri speciem undequaque redolere censeretur. Hinc illæ, de quibus supra dixi, a Bellovacensi, de Voragine, Petro de Natalibus, S. Antonino et tot aliis editæ, quibus ea ferme traditio assuta est, qua Vezeliacum translatum fuisse* S. Mariæ Magdalenæ *corpus perperam asserebatur. Marcellæ historiam hic non adduco, quod ea inter apocryphas narrationes jam pridem relegata sit: neque ea hodie nominari merentur quæ ex Silvestro Prierate (hic nimium credulo) in Legendam suam transtulit Surius, ubi prætensum miraculum Barcinonense, in Siciliæ rege patrato, miris ornatibus circumvestitum, Actorum vicem quodammodo supplet, tot modo argumentis, etiam a Natale Alexandro convulsum, ut de eo tacere præstet quam ingratam memoriam renovare. Neque majorem hoc seculo auctoritatem consecuta est ostentata illic F. Eliæ revelatio, etc.*

plurima Mss.;

167 *Ad manuscripta si accedimus, vix codex in Museo nostro (ubi tanta eorum copia) exstat, quin aliqua in istis* S. Mariæ Magdalenæ *Legenda occurrat, aut ex jam citatis descripta, aut aliunde aucta, transposita, contracta atque ad scriptoris ingenium diversimode adornata. His accedunt apographa ex variis partibus huc congesta. Binas Vitas descripsit, de Actis Sanctorum immortaliter meritus, noster Petrus Franciscus Chiffletius, ex codice Ms. Vallis Lucentis, atque item ex alio Cartusiæ Divionensis; quæ postrema satis convenit cum ea quæ in nostro grandi codice Valcellensi exhibetur; at vero in Chiffletiano subsequitur Vita alia sanctorum Mariæ, Lazari et Marthæ ad quinquaginta capita extensa, quorum non pauca omittenda censuit Chiffletius, suntque ea haud dubie famosa Acta Marcelliana, quæ satis est nominasse. Aliam item Legendam improbo labore descripsit idem Chiffletius ex codice S. Justi Lugdunensis paginarum* 24 *in fol. ceteris haud multum dissimilem, atque adeo luce aut prælo non magis dignam.* E

sed quorum nulla admitti possint,

168 *Adde his relationem* de vita et conversatione S. Mariæ Magdalenæ *ex Ms. S. Viti in Gladbach, territorii Juliacensis, quæ collata fuit* F *cum Mss. S. Maximini apud Trevirim, Pragensi, etc., paginasque implet omnino sexaginta. Tum vero opus æque vastum, quod ex altero natum diceres, in Ms. Rebdorffensi et alio Marchianensi. Item et alia Acta ex codice Ms. seculi* XV, *quod fuit S. Albani juxta Trevirim Ordinis Cartusiensis; ut omittam tot alia, quæ vel enumerare tædiosissimum fuerit, nedum lectorum oculis exponere, quemadmodum et plurimas translationum historias, de quibus superius abunde actum existimo. Liceat asserere, Legendas istas omnes qualescumque momenti tam exigui videri, et pridem ab eruditis ita contemptas fuisse, ut iis Acta nostra inspergere, scrupulo mihi et religioni pridem duxerim. Credant mihi Magdalenophili omnes, nullam ex iis esse quam lector sensatus patienter queat evolvere; ut proinde negligendas plane censuerim, æque ac Dionysii Cartusiensis sermones, pios quidem, sed majori ex parte apocryphis inspersos, contentus solo elogio seu sermone a Mombritio pridem edito, quem ex bibliothecis Floriacensi et Cluniacensi accipimus, omissis rhythmis et hymnis ex quibus nihil magnopere discere liceat.*

AUCTORE J. B. S.

ut encomium Odonis abbatis prætulerimus.

169 *Prælucet hic nobis igitur notissima editio Joannis a Bosco, Odonis sui sermonem dedicantis* reverendissimo Claudio a Guisia cœnobii ac totius Cluniacensis Ordinis abbati generali nobilissimo, *cum præfatione ad rem hanc nostram minime spectante. Sermonem ipsum damus Odonis abbatis, inter scriptores ecclesiasticos apud Labbe ita pridem celebris, ut commendatione nostra opus non habeat. Sermonem dico potius quam vitæ seriem, verum ea ratione concinnatum, ut quidquid in historia Evangelica ad* S. Mariam Magdalenam *spectat, satis accurate prosequatur ; haudquaquam dubitans, ut erat seculo* x *totius Ecclesiæ receptissima opinio, quin et peccatrix et Maria Bethanica cum* S. Maria Magdalena *confundendæ essent; utinam tam clare alicubi indicasset, æque communem suo tempore fuisse totius Galliæ sententiam de Sancta eadem Massiliæ aut ad S. Maximini deposita; quam quæstionem, per id tempus controversam non fuisse vel ex eo capite plane intelligis. Satis nobis sit, sermonem tradere prout ab Odone tunc scriptus est.*

B

SERMO

De S. Maria Magdalena

Auctore Odone abbate Floriacensi et Cluniacensi.

Exemplum propositurus.

Quamquam per quatuor mundi climata, fidelium connexione propagata, sacratissimæ Mariæ Magdalenæ insignia, piæ imitationis exemplo sacrosancta celebret Ecclesia ; atque in beatissimorum scriptis Evangelistarum ipsius devotionis sedula famulatio, perseveransque servitus et ingens dilectionis fervor, ac illius sanctæ familiaritatis ministratio, et usque ad triumphum C Dominicæ passionis ineffabilis habeatur constantia ; nec non et quæ in morte sui Redemptoris etiam Apostolis fugientibus egerit, et quod ipse Dominus magni consilii Angelus, resurgens a mortuis primo ei apparuerit ; tamen utilitati legentium consulentes, ea quæ de ipsius virtutum flosculis, gemmarum more, sanctarum elucidant paginas Scripturarum, et quodammodo sui jubaris impressione vernantes reddunt ; compendiose prælibare curavimus. Ut si cui forte non vacat sanctissimi pelagus Evangelii ex ordine percurrere, in quo tantæ fidei continentur præconia, saltem hanc nostræ exiguitatis schedulam, illius accensus desiderio, legere non recuset.

orditur a nobilitate generis,

171 Fuit igitur secundum seculi fastum clarissimis beatissima Maria natalibus exorta, quæ ut Patrum asserunt traditiones, a Magdalo castello Maria Magdalena nuncupata est. Quam non solum germinis dignitas, verum etiam patrimonii jura parentum excessu, splendidam reddiderunt : adeo ut duplicatus honor nominis excellentiam circumquaque diffunderet. Solent enim apud homines plus divitum quam pauperum nomina sciri. Sed quia rerum affluentiam interdum voluptas D comes sequitur, adolescentioris vitæ tempora lubricis supposuit discursibus, solutis pudicitiæ frænis. Hæc est enim mulier de qua scribit Lucas Evangelista : Quia erat quædam mulier in civitate peccatrix, quæ quia dilexit multum, dimissa sunt ei peccata multa. Et de qua Marcus ait : Surgens autem Jesus mane prima sabbathi apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia. Quam vero pius et misericors erga conversos peccatores exstiterit Deus, istius comprobat perfectio, quæ non solum criminis promeruit ablutionem, sed Apostolorum consors effecta, illis donata est Dominicæ resurrectionis nuntia. Hæc autem divino postmodum afflata Spiritu, mentisque intuitum in se reverberans, ac pristinæ vitæ detrimenta non sustinens ; ut comperit Dominum et creatorem totius humani generis in domum venisse Symonis, qui non venerat vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam, non ob suorum enormitatem scelerum de sui Conditoris diffidens clementia, pretiosissimo accepto unguento, ad ipsum misericordiæ fontem concito properavit gradu ; corruens ante clementia Domini vestigia, amaritudinemque cordis, per uberem lacrymarum exaggerans fontem. Mox denique compunctionis fletibus sui Plasmatoris pedes cœpit rigare, capillisque suæ devotionis tergere ; ac indesinenter osculis veræ humilitatis confovere, ac mundissimo suæ dilectionis unguento perungere. E

et a zelo conversionis;

172 Quæ cum in tali devotionis famulatu non esset repudiata, sed potius misericorditer suscepta ; ausu familiaritatis confisa , etiam super sanctissimum Domini caput, pretiosissimi liquoris effudit odorem. In tantum ut tota domus ex odoris fragantia more aromatum redoleret ; nihil scilicet ore depromens, sed per exterioris obsequii beneficia, suæ compunctionis flammam ac si ipsis loqueretur verbis dicens : O Domine Jesu clementissime, qui omnia scis et cordium inspector es verus, qui non vis mortem peccatorum, sed magis ut convertantur et vivant, tu ipse intelligis quid mei deposcant singultus, quid lacrymæ ab imo crutæ flagitent, quid meus amarus exoret gemitus. Peccatrix sum et immunda, et F omnium nefandorum criminum labe polluta. Sed quia meam ab annis prioribus contaminavi vitam, ad te Dominum meum, qui es vita æterna, confugio ; ut male perditam restituas vitam, et me de baratri faucibus clementer eripias, misericorditer liberes, potenter abstrahas, qui solus laborem et dolorem consideras. Quid vero ex hujuscemodi dilectionis professione consecuta sit; ipse Dominus manifestat, qui Symoni indignanti cur ad se mulierem peccatricem permitteret accedere, conversus ad illum respondit inter cetera : Amen dico tibi, dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Quæ Domini adepta clementiam, ut Lucas describit, illico, posthabitis omnibus, ita familiaris effecta est, ut ipsum non solum mente, sed et corpore sequeretur, de propriis facultatibus, utpote valde locuples, victum et vestitum ei ministrans; implens bifarie Dominicum præceptum dicentis : Qui mihi ministrat, me sequatur.

eam mystice Ecclesiæ comparans,

173 Mystice autem hæc beatissima Mulier sanctam designat Ecclesiam. Quæ bene in domum

A mum Symonis venisse dicitur, et ab omnibus pristinæ vitæ contagiis curata. (Symon enim interpretatur obediens) pristinos decoquens anathematisavit errores, omnemque idolorum postponens spurcitiam per aquam baptismatis, suorum obtinuit veniam delictorum, ac quotidie Dominum sequitur non gressu pedis, sed imitatione operis. Rigavit autem hæc Mulier pedes Domini lacrymis pœnitentiæ, et unguento piæ confessionis linivit; quia Ecclesia Dominum Jesum Christum verum Dominum ac verum credens hominem, pro suis quotidie excessibus, lacrymarum singultibus ipsius exorat ablutionem. Dumque assumptæ humanitatis mysteria, digna reverentia suscipit et prædicat, quia inter homines conversari dignatus est; utique in pedes Domini unguentum nardi pisticum, id est fidelem, fundit. Quæ loquitur in Cantico amoris dicens : Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Quæ nimirum verba juxta litteram, manibus beatæ Mariæ Magdalenæ complevit; et quotidie spiritualiter non cessat implere, cum in B totam mundi latitudinem glorianter laudes referens Creatori dicit : Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos, in omni loco, quia bonus odor Christi sumus Deo.

cujus adversarios ostendit.

174 Quæ cum sublimitatem divinæ majestatis, quæ æqualis est illi cum Patre, congrua religione ac reverentia confitetur et prædicat; et in quantum naturalis ingenii vigor superni luminis illustratione perfusus scit, digna veneratione recolit; mentisque aciem ad contemplandam tantam potentiam extendit, caput profecto illius pretiosissimo perfundit unguento. Quod vero Judas Scharioth contra hanc sanctissimam Mulierem, indignatus dicitur, pro effusione tanti unguenti; datur aperte intelligi, quia reprobi et infideles contra sanctam Ecclesiam quotidie sæviunt; ejusque derogant religioni ac devotioni, videntes per quatuor mundi plagas, doctrina ipsius et exemplis, divinitatis Domini potentiam, et humanitatis ejus clementiam cunctis claruisse. Unde et de hac sancta Muliere quæ prevenit ungere corpus Domini, inquit ipse : Amen dico vobis, C ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit, in memoriam ejus. Quoniam non solum in toto mundo, de hac sancta Muliere prædicatur quod unxerit caput Domini; sed et de Ecclesia. Quotidie enim ut jam prælibatum, hæc operatur in suis sanctis actionibus.

Magdalum turrim interpretatur.

175 Bene etiam Maria Magdalena dicitur ; Magdalus vero interpretatur turris, et significat Ecclesiam. Turris enim non solum sublimior, sed et tutior domus est : non facile hostibus patens, ac per hoc Ecclesiam designat, quæ terrena deserens, cœlestia desiderat, pugnans inter spiritales nequitias, fortitudinemque suam non sibi, sed Domino committens, orat cum Propheta dicens : Esto mihi turris fortitudinis, a facie inimici. Hæc est illa turris fortis et inexpugnabilis, cui voce sponsi in Canticis Canticorum dicitur : Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, et omnis armatura fortium. Et de qua Salomon ait: Turris fortissima nomen Domini; ad ipsam currit justus, et exaltabitur. Sed quia nominis interpretatione compulsi, a superficie historica paululum discessimus, libet intueri clementissimam Domini familiaritatem erga beatam Mariam et sororem ejus Martham ; ac ipsarum piæ devotionis in omnibus famulatum.

AUCTORE ODONE FLORIACENSI.

Gesta in Bethania,

176 Legimus enim, Evangelista Luca narrante, quod intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam, et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam secus pedes Domini sedens, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Unde non solum contra Sororem, verum etiam contra ipsum Dominum querelam assumit dicens : Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet. At ille qui non est personarum acceptor, sed singulorum merita dijudicat, scitque meliorem esse animam quam corpus, ut cibum spiritalem, quam carnalem : ita unius opus laudat, ut alterius non vituperet. Ait vero : Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima, porro unum est E necessarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum. Spiritualiter autem hæ duæ Mulieres devotissimæ, quæ Dominum susceperunt in domum suam, duas significant Ecclesiæ vitas, activam scilicet et contemplativam. Per Martham ergo, quæ circa frequens ministerium erat, activæ vitæ labor exprimitur. Per Mariam vero quæ sedens secus pedes Domini, verbum illius intenta mente percipiebat, contemplativæ vitæ dulcedo signatur; cujus sapor quanto magis degustatur, eo amplius a rebus visibilibus, et curarum tumultibus animus separatur. Spretis enim omnibus temporalibus, sola mens cum Deo esse desiderat. Libet enim audire præcepta cœlestia, sicuti hæc beatissima faciebat Maria, quæ sedens secus pedes Domini, verbum illius intenta aure percipiebat.

ubi mortuus Lazarus,

177 Impletum est in ipsa, quod olim per beatum Moysem dictum fuerat: Et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ipsius. Quam gratissima enim apud Conditoris clementiam, pro suæ devotionis famulatu et inexstinguibili dilectionis fervore habita sit, Joannes F Evangelista manifestat, ubi quatriduani Lazari venerandam inauditamque describit resuscitationem. Diligebat, inquit, Jesus Martham et sororem ejus Mariam, et Lazarum; ac in sequentibus commemorat, quoniam vocata a sorore sua, cum veniret ubi erat Dominus, corruit ante pedes ejus dicens : Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Jesus autem ut vidit eam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea flentes, infremuit spiritu, et turbavit semetipsum, et dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei; Domine, veni, et vide ; et lacrymatus est Jesus. Manifeste suæ pietatis clementiam ex assumpta humanitate dilucidans, quando pro ipsius doloris immanitate, lacrymas non dedignatus est fundere suæ compassionis, salvo tamen divino mysterio. Germinis sublimitas, ac secularis pompæ dignitas, beatæ Mariæ Magdalenæ in hoc dignoscitur facto; quando jam in quatriduana fratris morte, tanta nobilium et potentium multitudo Judæorum, ad ipsius mitigandum confluxerit dolorem.

Et

AUCTORE ODONE FLORIACENSI.

Et non passi sunt ad fratris tumulum sine sui præsentia, eam properare, dicentes: Quia vadit ad monumentum ut ploret ibi.

ad vitam revocatur.

178 Est denique hoc procuratum Domini misericordia, ut patraturus tale tantumque miraculum, multi adforent Judæorum. Quatenus dum unus resuscitatur in corpore, nonnulli erigerentur in mente, et essent testes ac laudatores ipsius promptissimi. Unde in consequentibus idem Evangelista refert dicens: Testimonium ergo perhibebat turba quæ fuerat cum Jesu, quando Lazarum resuscitavit, et vocavit eum de monumento. Typice autem hæc Mulier quatriduanum mortuum deflens fratrem, sanctam præfigurat Ecclesiam, quæ pro illorum discrimine qui obnoxii tenentur sceleribus, atque consuetudinaria mortalium criminum labe tumulati, pessimæ opinionis famam e suis egerunt corporibus, lugere non cessat. Omnes enim in Christo fratres sumus. Super Lazari vero interitum flere dicitur Dominus, quando suæ miserationis respectu, hujuscemodi corda, per compunctionis gratiam visitans,
B ad pœnitentiæ lamenta inflectit. Hoc autem ipse agere dicitur, quod ut nos intentissime perficiamus, suæ inflammationis instinctu procurat. Tale est profecto et illud: Ipse enim Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et sicut Lazarus post effusionem lacrymarum, mirantibus turbis, resuscitatur a corpore: ita et peccatores post compunctionis lacrymas, digna carnis maceratione peracta, resuscitantur in anima; impio, Domino per prophetam pollicente, qui ait: In quacumque die peccator conversus fuerit, et ingemuerit, omnia peccata ejus oblivioni tradentur.

Constantia fidei,

179 Sed his breviter prælibatis, ad ipsius fidei constantiam atque ferventissimæ dilectionis ardorem, nec non et quod in passione Domini specialiter ac familiariter peregerit; cunctis admirandum imo magis imitandum mortalibus, perveniendum est. Nam hæc sancta Mulier Dominum secuta, sicut jam præfati sumus, et de suis largissimis facultatibus illi devotissime ministrans; postquam vidit eum comprehensum, ligatum, flagellatum omnibusque subsannationi-
C bus et irrisionibus delusum, ad ultimum pro salute generis humani in cruce positum; discipulos etiam qui prius dicebant: Eamus et nos, et moriamur cum ipso, terga vertisse: ipsa cum eo remansit, quia quæ arctius et ferventius eum dilexerat, nec a mortuo potuit separari. Et sic impletum est tempore Dominicæ passionis, quod olim per beatum Job dictum fuerat: Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Quasi enim consumptis carnibus, pellis ossi adhæret, quando discipulis fugientibus, beata Maria Magdalena cum Domino perseveravit. Et tamdiu permansit, quousque diveris conditum aromatibus in sepulchro collocari prospexit.

dilectionis,

180 Inde autem mœrens et nimio succensa dolore recedens, perspicue ad notum sui Redemptoris locum abiens sepulcri, emit aromata, et ipsa nocte in quantum valuit, unguenta præparavit. Sabbatho vero secundum mandatum legis siluit. Occidente autem sole, quod supererat, in præparandis unguentis operam dedit. Mane autem una sabbathi, cum adhuc tenebræ essent, D
cum præparatis aromatibus venit ad sepulchrum, cupiens sacratissimum ejus corpus perungere, quem viventem nimio dilexit amore. Cum enim sexus femineus timidus soleat esse ad ambulandum in tenebris, nihil ista metuit quæ toto corde Dominum dilexit. Erat porro in ea perfecta charitas, quæ foras mittit timorem: nam neque propter sui sexus fragilitatem, neque propter lapidis magnitudinem, neque propter metum custodum, a cœpto itinere declinavit, quousque ad sepulchrum Domini intrepida pervenit. Cujus Mulieris constantia in libro Regum pulchre præfigurata est, quando allophyli vaccas fœtas applicarunt ad plaustrum, vitulosque earum recluserunt domi. Ibant autem, sicut scriptum est, vaccæ in directum, per viam quæ ducit Betsameth, pergentes et mugientes, nec tamen ad dexteram vel sinistram declinantes.

et in quærendo perseverantia,

181 Ita et beata Maria Magdalena cupiens sepulchrum Domini invisere, quasi mugiens et gemens, quæ ad tempus præsentia Domini sui privata fuerat, incedebat, imitabile exemplum omnibus præbens fidelibus, ut per viam Dei am- E
bulantes, nec propter tentationem dæmonum, vel metum hominum, aut curam parentum, a cœpto itinere deviemus, quia inchoantibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur. Allegorice autem tenebræ erant in corde hujus sacratissimæ Mulieris, cum ad Domini venit monumentum: quia resurrectionis ejus ignara, viventem inter mortuos requirebat. Tunc vero in mente sol ortus est, quando non solum resurrexisse vidit, sed etiam credidit, et vidit lapidem sublatum a monumento. Et quia corpus Domini non invenit, furatum credidit, atque festina quod viderat discipulis nunciavit. De hac veraciter in Canticis Canticorum voce Ecclesiæ dicitur: In lectulo meo per noctem quæsivi, quem diligit anima mea; quæsivi illum et non inveni, surgam et circuibo civitatem, quærens quem diligit anima mea. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem, num quem diligit anima mea, vidistis? Et factum est cum pertransiissem illos, inveni quem diligit anima mea. Tenebo illum, nec dimittam; donec introducam eum in domum patris mei, et F
in cubiculum genitricis meæ.

donec amissum sponsum

182 Cucurrit namque, ut diximus, hæc sacra Mulier, et venit ad Symonem Petrum, et ad alium discipulum quem diligebat Jesus, et dixit eis: Tulerunt Dominum meum de monumento, et nescio ubi posuerunt eum. At illi currentes venerunt ad monumentum, et ita invenerunt sicut Mulier dixerat. Abierunt ergo discipuli et reversi sunt ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Considerandum est hoc loco, hujus Mulieris mentem quantus amor Domini accenderat, quæ etiam discipulis a monumento Domini recedentibus, non discedebat. Et quia ab inquisitione non cessavit, prima videre meruit. Plorat ergo, quia quem multum desiderabat, non videbat. Plorabat, quia corpus Domini de monumento furatum putabat. Dum vero fleret, inclinavit se, et prospexit in monumento. Jam enim monumentum vacuum viderat, et Dominum furatum de monumento discipulis nunciaverat. Quid est quod iterum se inclinat, nisi

A nisi quia iterum videre desiderat? Verbi gratia, sicut dum aliquam rem amittimus, quamvis huc illucque sæpius discurrendo quæramus, ad illum tamen sæpius locum discurrimus et respicimus, ubi eam posuisse meminimus. Ita et hæc sancta Mulier, quamvis huc illucque curreret, corpus Domini quærens; anxia tamen de ejus absentia, frequenter monumentum aspiciebat, ubi eum positum noverat. Unde etsi Dominum statim videre non meruit, angelorum tamen visione privata non est. Nam vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.

quoquo modo inveniat.

183 Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Quem quæris? Interrogabant angeli, non ut quærendi minuerent desiderium, sed ut augerent. Sic enim nos cum propter amissionem flemus, si quis causam fletus inquirat, magis ploratum accumulat. Ita et illi causam doloris interrogabant, ut fletu desiderium augerent, scientes: Beatos esse qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Sed Mulier, cujus rei gratia fleret, manifestat, cum adjungit: B Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conversa retrorsum, vidit Jesum stantem, et nesciebat quia Jesus est. Recte, ut Dominum mereretur videre, conversa retrorsum dicitur, qui enim retrorsum convertitur, illuc oculos dirigit ubi prius terga habebat. Quasi enim retrorsum conversa est, quando dubitationis postponens nebulas, Christi resurrectionem ex parte credere cœpit. Cui tamen visionem sui Dominus ita suspendit, ut quia amabat, sed eum resurrexisse non credebat, illum et videret, et non cognosceret. Unde Evangelista: Illa, inquit, æstimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Habet enim vis amoris hoc proprium, ut quem quisque multum amat, omnes amare putet. Sed non in toto hæc Mulier erravit; cum Dominum hortulanum æstimavit. Sicut enim hortulani officium est, noxias herbas eradicare, ut bonæ quæque proficere valeant, ita Dominus Jesus Christus de horto suo, id est de Ecclesia sua, quotidie vitia eradicat, ut virtutes crescere valeant.

Sexus femineus nobilitatus.

C 184 Cum vero sexus femineus fragilis sit ad onera ferenda, hæc propter amoris magnitudinem, leve et possibile arbitratur dicens: Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Dicit ei Jesus: Maria; conversa illa dicit: Rabboni, quod dicitur Magister. Dicit ei Jesus: Noli me tangere. Quia Dominus superius mulierem communi sexu eam appellavit et cognitus non est; vocavit eam proprio nomine, ut saltem cognoscentem se cognosceret. Ait enim: Maria. Cum enim apud Dominum certus sit numerus electorum, magna gratia illis datur, qui propriis nominibus Deo noti esse manifestantur. Qualis erat Moyses cui dictum est: Novi te ex nomine. Unde Mulier postquam proprio nomine a Domino vocata est, statim cognoscentem se recognovit dicens: Rabboni, quod dicitur Magister. Hæc autem inquiens, illico corruit in terram, volens adorando pedes ejus tenere, recognocens eum, vocata ab ipso ex nomine. Cui a Domino dicitur: Noli me tangere. Ubi non est putandum, quod post resurrectionem tactum renuerit feminarum; cum de duabus a monumento illius recedentibus dictum sit, quod accesserunt et tenerunt pedes ejus. Sed ideo a suo contactu prohibuit, quoniam ejus mentem adhuc perfectam in fide non sensit; quando Dominum viventem inter mortuos requirebat.

AUCTORE ODONE FLORIACENSI.

Cur vetetur Christum tangere.

185 Quare autem ab ipsa se tangi noluerit, manifestatur, cum subditur: Nondum enim ascendi ad Patrem meum; id est, quia me inter mortuos ut mortuum requiris, et nondum credis me æqualem Patri secundum divinitatem: Noli me tangere. In ejus quippe mentem Dominus ad Patrem non ascendit, qui non credit eum æqualem esse Patri. Et quia beata Maria necdum perfecte divinitatis ejus potentiam cognoverat, prohibita est tunc ne tangeret pedes ejus. Vade autem ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. Venit autem Maria nuncians discipulis: Quia vidi Dominum, et hæc mihi dixit. Clementissima namque Dei pietas in hoc loco erga femineum genus declaratur. Quia enim per feminam mors mundo illata fuerat, ne semper in opprobrium sexus femineus haberetur, per sexum femineum voluit nunciare viris gaudia resurrectionis; per quem nunciata fuerat tristitia mortis. E Acsi diceretur: De cujus manu sumpsistis poculum mortis, ab ejus ore audite gaudia resurrectionis. Et sicut per beatam Mariam semper Virginem, quæ spes est unica mundi, paradisi portæ nobis sunt apertæ, et maledictio exclusa Evæ: ita per beatam Mariam Magdalenam, opprobrium feminei sexus deletum est, et splendor nostræ resurrectionis in Dominica resurrectione exortus, ab ea propinatus est.

Fuit Apostolorum apostola.

186 Unde bene Maria interpretatur stella maris. Quæ interpretatio quamvis Dei genitrici specialiter congruat, per cujus partum virgineum, Sol justitiæ mundo resplenduit; tamen et beatæ Magdalenæ potest congruere, quæ cum aromatibus veniens ad sepulchrum Domini, prima splendorem Dominicæ resurrectionis mundo renunciavit. Et si discipuli ideo Apostoli vocati, quia missi sunt ab ipso ad prædicandum Evangelium omni creaturæ; nec minus beata Maria Magdalena ab ipso Domino destinata est ad Apostolos, quatenus F dubietatem et incredulitatem suæ resurrectionis, ab illorum cordibus removeret. Te ergo supplices quæsumus, Domine, ut qui illi tuæ misericordiæ tantam contulisti gratiam, nobis ipsius propitiari digneris meritis, quatenus qui nostrorum obruti sarcina peccatorum non valemus obtinere veniam; ipsius pio suffragante patrocinio, quæ tibi devote imo specialiter servivit in seculo, nuncque cum angelis, claritatis perfruens gloria, triumphat in cœlo, solito caritatis radians fulgore; omnium criminum exuat labe, atque supernam suo precatu ducat ad patriam, quo laureati ipsius consortes efficiamur gloriæ, Te annuente, qui vivis, etc.

Explicit sermo venerabilis Odonis Floriacensis et Cluniacensis abbatis, de B. Maria Magdalena.

APPENDIX

AUCTORE J. B. S.

APPENDIX PRIMA

De S. Mariæ Magdalenæ reliquiis.

Ut ut plurimæ sint variis in locis,

Superest modo immensa adhuc rerum congeries, si loca omnia percurrenda sint in quibus sacræ S. Mariæ Magdalenæ *reliquiæ asservari honorarique dicuntur; porro miraculorum farrago ingens, si singula prosequar, quæ in variis libris excusis et Mss. magno numero pridem collecta sunt. Venia mihi dabitur, quod summa dumtaxat rerum vestigia depromam, indicatis locis ipsis ubi plura alia reperiri queant; longas vero verbosasque historias in pauciora contrahendas putavi, sic tamen ut, rescissis superfluis, necessaria minime prætericrim. Neque hic* B *ventilata toties quæstio movebitur, sintne miracula, illo vel isto loco patrata, sufficienti argumento, ut quis inde sacrarum reliquiarum realem præsentiam arguat; qua de re mentem nostram ex alibi dictis satis exploratam credimus. Itaque miracula quælibet in Provincia, in Burgundia aut alibi terrarum patrata sus deque nobis erunt, modo labor noster tantillum contulerit ad sanctissimæ Jesu Dilectricis gloriam, tota hodie Catholica Ecclesia adeo illustrem rutilantemque, ut ab hujusmodi signis subsidia minime accersenda sint.*

præcipuas ad S. Maximini depositas oportet.

188 *Ut a reliquiis exordiar, jam satis demonstratum est, ipsum sacrum corpus, si non omnino integrum, saltem potiori longe sui parte ad S. Maximini depositum esse, quo spectare hic etiam potest laudati superius Silvestris Prieratis vulgatum a Surio testimonium, dum ita scribit :* Cum anno Domini MCCCCXCVII devotionis gratia antrum, in quo pœnituit B. Maria Magdalena, et sacras ejus reliquias apud S. Maximinum visitassem, ostensum est mihi pluries sacrum et venerabile caput ejus grande valde et totum undique ad os usque denudatum, excepta ea parte frontis, quam Sal- C vatorem omnium diximus tetigisse. Ibi enim pellis ad instar quasi Æthiopissæ, seu cadaveris jam diu occisi clare apparet, et in pelle duæ fossæ duarum extremitatum digitorum, quarum altera multo est reliqua evidentior atque profundior, et sub pelle caro ad albedinem declinans. Ostensi sunt et in vitrea ampulla ejus capilli, non omnes, sed qui pedes Christi tersere : nec non et ampulla vitrea, plena terra habente colorem medium inter rubeum ac nigrum, quam in Parasceve beata Magdalena sub cruce collegit, quæ, ut omnes mihi sine hæsitatione affirmabant, singulis annis in die Parasceves, perlecta passione, evidenter et clare ebullit, acsi ibi videatur sanguis ebullire. Vidi et brachium ejus magnum et cerei coloris. Ossa vero ejus, in capsa argentea reclusa, videri non potui.

Quæ Coloniæ habeantur ;

189 *Qui litem Sammaximinienses inter et Vezeliacenses amice componere nituntur, haud difficiles sunt, ut hisce sacri corporis partem aliquam ultro concedant ; id autem qua tandem ratione cum ipsa historia conciliari commode possit, neque eminus perspicio : id hodie satis certum est, reliquias qualescumque Vezeliacenses Calvinianorum rabiem et furorem non evasisse, ut modo istic nihil aut perparum supersit.* Alterum ejusdem sanctissimæ Feminæ brachium asservari *ait Stengelius* Coloniæ in monasterio S. Barbaræ ad Carthusianos, uti testatur F. Erardus Winhemius in Sacrario Coloniæ Agrippinæ. *Juvat hic et Gelenium audire dum ita memorat ad* XI Kalend. Augusti : S. Mariæ Magdalenæ, quæ intra Coloniam, *inquit,* tres ecclesias habet, *ut in eo Romæ non cedat. Pergit Gelenius :* Credo quod sancti Patres totidem ejusdem nominis personas in Evangelio memoratas agnoscant; *nempe quod plura forte brachia repererit.* Harum minus brachium ibidem in ecclesiis S. Albani et PP. Carthusianorum, et mandibula in S. Pantaleonis asservatur. *At si Breventano de antiquitate Ticinensi credimus, ostenditur istic brachium sinistrum, idque integrum cum manu et digitis, cum mamilla ; atque item de capillis, etc. Brachium aliud vendicant sibi Siculi in suo Martyrologio, ubi ita scribitur hoc die :* In Calatabillota, translatio brachii S. Mariæ Magdalenæ. *Hæc vero qua satis fide subsistant, aliorum esto judicium.* E

Lutosæ in Hannonia, in Bavaria, Romæ,

190 *Adde modo et brachium ejusdem Sanctæ, quod Lutosam (Leuze) in Hannoniam Belgii transtulisse dicitur sæpe nominatus Badilo ; ast istud fortasse extra controversiam facilius ponetur, si dicatur, istius Sanctæ brachium esse, quæ Vezeliaci pro sancta* Maria Magdalena *Evangelica supposita fuerit. Audiamus denuo Stengelium :* Religiose coluntur etiam insignes particulæ reliquiarum ejus in celeberrimo Bavariæ monasterio Schirensi Ordinis S. P. Benedicti, ubi digiti adhuc carne tecti visuntur. In monte sancto Andechs visuntur ejusdem dens molaris, item de mandibula, et pars cinguli, et alia non exigua particula. Item de cranio ejusdem. Item Romæ in aliquot ecclesiis et alibi pluribus locis. *De Romanis* S. Mariæ Magdalenæ *reliquiis videndi omnino Pancirolus, Martinellus et Piazza ; in cujus postremi Sanctuario assignatur brachium ad S. Antonii, pes ad sanctorum Celsi et Juliani, ad S. Cæciliæ digitus, alibi crines et pars capitis; ut necesse sit fateri, multa in his intervenire, quæ* S. Mariæ Magdalenæ *Bethanicæ, ex abundantia pietatis, ut mitissime dicam, certe falso attribuantur.* F

ubi certe sacrum corpus esse nequit.

191 *Sic quæ a Johanne Mabillonio traduntur in Musei sui Italici parte secunda pag.* 567 *ex appendice ad eum, quem ibi describit, Ordinem Romanum :* in choro canonicorum *basilicæ Lateranensis,* esse altare S. Mariæ Magdalenæ, in quo reconditum est corpus ejus sine capite, per manus Domini Honorii tertii Papæ, qui ipsum altare consecraverit, *non possunt non ad aliquam synonymam sanctam referri, cum si uspiam, certe in urbe Romana dubium esse nequeat, quin apud Massiliam Evangelica nostra deposita sit, qua de re tot summos Pontifices disertum testimonium tulisse certissimum est, quorum longam seriem habes apud nostrum Guesnæum in suo Breviario præcipua Disquisitionis capita complectente, ubi minimum duo et viginti indubitati enumerantur usque ad Urbanum VIII, nemine interim per tot secula Romæ reclamante, obloquente, aut* S. Mariæ Magdalenæ *corpus sibi vindicante, ut istic certo constantissimam Massiliensium traditionem ceteris omnibus prævalere*

necesse

A *necesse sit, in ipso Romano Martyrologio tam aperte expressam.*

De aliis per Italiam, Hispaniam, Galliam et Germaniam.

192 *Est penes nos Ms. Volaterranum, in quo pro ea ecclesia assignatur* os digiti majoris, nempe pollicis, et de capillis aurei coloris. *In officiis Brundusinis reliquiarum indeterminatarum memoria agitur, quemadmodum et in ecclesia Veronensi S. Georgii. Saccæ in Sicilia dicatum* S. Mariæ Magdalenæ *templum moximum memorat Pirrus tom.* 2, *pag.* 333, *in quo et digitus ejusdem Sanctæ honoratur ; ac præterea tomo eodem alios tres digitos assignat pag.* 620, *quos se veneratum asserit, et in ipsis cornem et ungues, quasi tunc demortuæ mulieris. Alias invenit Masinius in Bononia perlustrata ; alias suggerunt Neapolitani; costam Ravennotes. Quod si singula Italiæ sanctuaria accessero, haud dubium quin in locis præcipuis de sacris* S. Mariæ Magdalenæ *hujus aut alterius. exuviis reperturus sim, ut jam Galliam, Hispaniam aliaque regna prætercam, quorum thesauros excutere, quid aliud erit quam ingratam recensionem pertexere?*

193 *In Neustria Mousterii de Bajacensibus agitur; recentissimam linguam,* ac si nunc a vivente B extracta fuisset, *in Catalaunia reperit Manrique in Annalibus ad annum* 1157, *cap.* 5. *D'Avila tomo* 2, *pag.* 79, *os sanctæ Hispali asservari memorat. Saussoyus de scopula producit Aureliis ; de pulvere Vivarii noster Columbus. In lipsanologio Escurialensi digitos binos signatos invenio, Colonia eo cum multis aliis socris lipsanis tronslatos : quod si Chronica Hispanica audieris, alia fortosse non una* Magdalena *in Hispaniam pervenerit. Tu vide sis an nostro Ferrando acquiescere possis in Disquisitione reliquiaria pag.* 148 *et* 149. *Inter omissos in appendice ad diem* 11 *Januarii ex Martyrologio Pragensi reliquias aliquas memorari notatum est ; alias dabit Bucelinus in magno suo reliquiarum Thesauro ad hanc diem. Verum ut de earum numero et copia aliqualis conjectura fieri possit, satis erit, si ex Arnoldi Rayssii Hierogazophylacio Belgico non nullas exhibuero : si enim in tam exigua orbis Christiani regione tot sacra* S. Mariæ Magdalenæ *lipsana deposita asserantur; quot per alia toto orbe imperia dispersæ sint, promptum erit intelligere. En paucis plerarumque Belgicarum elenchum.*

Speciminis loco sint Belgicæ.

C 194 *Audomaropoli in collegio Anglorum Societatis Jesu magna veneratione custodiri ait* os parvum et crines S. Mariæ Magdalenæ *pag.* 160. *Item* crines multos *in Differding, ditionis Luxemburgensis pag.* 188. Digitum *ejusdem Brugis in ecclesia Cathedrali S. Donatiani pag.* 200. *Flinis, Duaca non procul, reliquiæ sunt pag.* 215, *capilli vero Flareffiæ pag.* 218. Duo ossicula *referuntur in ecclesia Cathedrali Tarnacensi pag.* 314, *cum crinibus et unguenta, præter* costam, *quæ pag.* 379 *cœnobio S. Nicolai de Pratis (hodie S. Marci) adscribitur. Quid Walciodori habeatur pag.* 331 *explicatum non est; at collegiata S. Mariæ Valentianis* gaudet medietate brachii *pag.* 332. *Cœnobium Olivense juxta Binchium in Hannonia* dentem *possidere dicitur pag.* 388. *Est pars alia, sed innaminata Bruxellis pag.* 396; cubitus *in Cartusia Rutilensi ad Mosam pag.* 454; *et de ossibus Salsiniæ ad Namurcum pag.* 459. *Lego alibi, Leodii ad S. Jacobi monstrari maxillam cum uno dente, quas reliquias dederit Philippus filius regis Majoricarum. Addere poterat, in templo nostro domus Professæ Antverpiæ, partem assis satis notabilem populi venerationi pridem exponi solitam. Alias lubens prætereo, cum hasce abunde sufficere existimem.*

AUCTORE J. B. S.

Quales istæ omnes esse possint.

196 *De his omnibus aliisque sexcentis sub* S. Mariæ Magdalenæ *nomine reliquiis, nemo ex me quæsierit, verasne et genuinas ejus esse censeam : cum enim contentionis funem pridem abscidimus, quibus prima regula est, religiosa cultu venerandas reliquias omnes debite approbatas, sive verum nomen præferont, sive fortasse sub alterius appellatione populi venerationi exponantur ; altera, non ideo proprias esse tales Sancti reliquias, quod tali loco sub ejus invocatione miracula patrentur, cum pridem monuerit S. Gregorius lib.* 2 *Dialog. capite ultimo,* illic majora signa *Sanctos* facere, ubi minime per semetipsos jacent ; *ut sive sacra ista spolia omnia hujus* Magdalenæ *sint, sive synonymæ, sive alterius Sancti aut Sanctæ cujuslibet, ad rem omnino nihil conferat. Deum enim primo et primario colimus in Sanctis suis, qui felicissima æternitate donati, invidiæ aut æmulationis stimulis agitari nequeunt. Si cui hæc pauca non sufficiant, consulat is quæ recentius de eo argumento dicta sunt tomo* VI E *Junii pag.* 215, *ubi ad id genus objecta apposita solutiones inveniet. Nunc pari brevitate miracula expedienda sunt.*

APPENDIX ALTERA

De S. Mariæ Magdalenæ miraculis.

Quæ pridem edita sunt, satis est indicare,

Præfixum itaque ordinem eademque compendii rationem sequemur in Sanctæ nostræ Dilectricis miraculis strictim recensendis, ne longiores historias describendo inutilem prorsus operam posuisse dicamur, tædio magis quam oblectamento futuri ; idque adeo longe satius visum, quod, ut jam supra innui, a signorum istorum copia aut varietate nullum prorsus gloriæ incrementum sanctissimæ Apostolorum Apostolæ accedere necesse sit. Neque vero ea quæ jam pridem et non semel edita fuere, recudenda existimavimus, ea præsertim quæ a Vincentia Bellovacensi F *lib.* 23, *cap.* 153 *olim tradita, ex ipso ad verbum transumpsit laudatus Stengelius opusculi sui pag.* 332. *Nonnulla item Legendæ suæ adjunxit de Voragine in famosa sua Lombardica historia ; ast ea satis nota supponimus : nos, quæ ibi desunt, ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris aliisque brevius infra delibabimus. Porro Guesnæianæ Disquisitionis caput vigesimum octavum, in quod miracula sua congessit, satis erit paucis appellasse. Demum* Libelli historialis Mariæ beatissimæ Magdalenæ *Philippi Cavallicensis episcopi synopsim solum dabimus. Hic ab ignotioribus initium sumitur.*

ut quæ et in Actis nostris habentur.

197 *Insigne miraculum, imo plurium miraculorum seriem texunt lectiones de S. Adjutore monacho Tiranensi in Normannia, a nobis datæ* XXX *Aprilis, ut fusius in ipsa Vita ab Hugone archiepiscopo Rothomagensi scripta, ac recens edita in Martenei et Durandi Thesauro anecdotorum tom.* 5 *a col.* 1011, *ubi certissima fide narrantur, quæ alias incredibilia viderentur, præstita a* S. Maria Magdalena *militi isti primum cruce signato, tum Tironii*

AUCTORE J. B. S.

nii piissimo monacho, quæ cum locis jam assignatis abunde exposita sint, hic recensere aut describere opus sane non fuit. Inter visiones S. Franciscæ Romanæ ad diem IX *Martii pag.* * 128, *quæ ordine* 38 *est, tota versatur in iis quæ* S. Maria Magdalena *eum ea amantissime communicavit. Sic de ejusdem Sanctæ favoribus in Mechlinienses clientes suos collatis, deque exhibito ipsi ab incolis singulari cultu habes in Commentario prævio ad Acta S. Rumoldi* I *Julii a num.* 209. *Alia quærere supersedeo; locus hic dandus est dicto capiti* 28 *Disquisitionis Guesnæianæ, ex qua solos paragraphorum titulos seligemus.*

Referuntur ea quæ habet Guesnæus :

198 *Capitis titulus est pag.* 177, Miraculis celebrior redditur. § 1. Ter laqueo suspensus, morte liberatur. § 2. Duo viri illustres ex mortis faucibus eripiuntur. § 3. Quidam mortiferis plagis acceptis, sanatur. § 4. Cæcis duabus mulieribus lumen restituitur. §. 5. Luscus alterius oculi visum recuperat. § 6. Surdis duobus audiendi facultas redditur. § 7. Mutæ mulieri subvenitur, eique lingua restituitur. § 8. Quidam ab insanabili morbo et mortis præsentissimo peri- B culo liberatur. § 9. Stulta mulier sanatur. § 10. Sterilis altera concipit et parit. § 11. Adolescens æstuantium libidinum fluctibus eximitur. § 12. Magdalenæ cultus religiosi et famæ violatores divinitus puniuntur. *Hæc qui fusius et ex ordine descripta legere maluerit, ad fontem ipsum recurrat, nobis satis fuit hæc breviter indicasse. Plura alia suggerit prædictum Ms. Ultrajectinum, Rosweydi eura descriptum sub titulo,* De miraculis B. Mariæ Magdalenæ, *quorum ea hic subjiciam, quæ nec in Vincentio Bellovacensi, nec in Historia Lombardica, nee in Guesnæo aut aliis excusis, quod sciam, referuntur.*

ex variis antiquis Mss.

199 *Primum est quod aecidit in sacerdote Cæsaraugustano, Sanctæ passim obtrectare solito, qui dum equo veheretur, per dumeta, scopulos et foveas a furente jumento abreptus est, nec prius ingenti periculo liberatus, quam Beatæ patrocinio sese toto eorde eommendasset. De clerico quodam Stephano de Flandria, Sanctæ ipsins meritis ad meliora converso, meminit de Voragine. Subjungitur aliud de Britone, erga Sanctam devotissimo, solitoque eam* C *rogare,* ut numquam eum permitteret de ista luce sine vera pœnitentia et peccatorum confessione migrare. *Hie naufragium passus, opitulante Sanctæ dextra, ad ripam perductus, potentis suæ adjutrieis magnalia mirifiee prædicans, quod postulaverat impetravit. Quartum de occiso milite reviviscente, deque alterius peccatorum schedula, Sanctæ intercessione inducta deletaque, videndus etiam de Voragine. Sequuntur favores singulares et apparitiones factæ duobus monachis, peculiaribus* S. Mariæ Magdalenæ *cultoribus, atque monacho alteri, Raynaldo nomine, qui ex beatissimæ virginis Mariæ, sanctæ nostræ Dilectricis et sanctæ Elisabethæ visitatione plurimum in virtute profecerit.*

plura alia.

200 *Historia bubulci Gratianopolitani, nomine Petri, urgente vitrieo in festo* sanctæ Mariæ Magdalenæ *laborantis, apud Vincentium quoque et Stengelium legitur. Temporis charaeter sequenti miraeulo appositus est :* Circa annum Domini MCCXI apud Lemovicas quædam nobilis matrona moritur, et sudario involuta reservatur; et dum exsequiæ præparautur, resurgeus de morte dicit, beatam Mariam Magdalenam sibi labia tetigisse, D et se statim spiritum resumpsisse. In festo vero ejusdem venit Vczeliacum cum sudario et multis testibus suæ mortis. *Ut jam annum, quod in his rarum est, adjectum vidimus, sic ex loci explicatione elaritatis tantillum accedit :* In Vilario, domo diœcesis Leodiensis, monachum *fuisse narrat,* Arnoldum nomine, *illum fortasse, de quo egimus* XXX *Junii, sub nomine Arnulfi;* vitæ laudabilis, et magnum zelum habentem circa Ordinis disciplinam, *qui cum* ex nimia abstinentia stomachum in tantum iufrigidasset, ut vix aliquos cibos reciperet, imo receptos rejiceret,... *ex sacræ* S. Mariæ Magdalenæ *manus contactu adeo confortatus est, ut mane surgens sanus, non absque fratrum admiratione chorum intraret.*

sed compendiose

201 *In Ms. nostro Rebdorffensi plura alia signa collecta sunt; illud imprimis, quod inspectante magna populi multitudine factum dicitur in contracta plane feminæ dextra, quæ* intuentibus cunctis.... apparuit extensa et incolumis reddita. *Quod supra de uno aliquo occiso, et per Sanctæ merita ad vitam revocato narratur, id in hoc eodice pluribus* E *eontigisse asseritur.* Quidam *vero* ex Aquitania oriundus dum a liberatione Vizeliaco reverteretur, in suos inimicos, quorum fratrem occiderat, incurrit.... *eui* tanta data est fortitudo, *ut eorum insidias, tela et gladios, cœlesti beatissimæ patronæ suæ ope protectus feliciter* devitaret, *omnesque pedibus fuit provolutos, ad piissimæ Dilectricis ecclesiam pœnitentes adduceret. Demum* quidam miles veniens a Normannia... in quadam pugna confligens, in collo ictum accepit, cujus ictus collisione graviter afflictus, lumen ipsius oculi penitus amisit. *Verum sanctissimæ Dilectricis visione recreatus, concepto voto,* visum recepit, et Vizeliacum expetens, super altare, ubi Dei Famulæ sacratissima gleba requiescit, miræ pulchritudinis calicem de auro et argento obtulit, et hæc omnia nobis, *inquit colleetor,* ipse pius relator intimavit.

colliguntur.

202 *In eo singulare est Ms. Marchianense, quod, quemadmodum Bellovacensis, primo loco militem Arvernensem memoret, qui in prælio captus et vineulis eonstrictus, ab iis exemptus fuerit, æque ac alius* crudeliter catenatus, brachiis et cruribus astrictus; *sic ut plura id genus ibi eolligantur. Et* F *primum quidem Bituricensi aliquo, qui propter debita ab exactore carceri mancipatus, dirisque compedibus cruciatus,* rogans nomen Mariæ illius supplicis Jesu Christi, misericordiam a Domino impetravit. *Alter in eastro Nueeriis ferro vinctus, Sanctæ auxilio* reperit semet solutum divinitus absque humano adminiculo; similiter *et ipse dudum inimica ligamina suæ repræsentavit liberatrici. Verbo dicam; si scriporibus hisce fides est, ingens vinculorum, compedum nexuumque ferreorum multitudo ad Sanctæ aram appensa fuit. Reliqua compendiosius tradit his verbis :* Dæmoniaci ergo quamplurimi ea tempestate in eodem loco evidentissime sunt ad pristinam sanitatem restituti. Muti etiam loquelam olim amissam quinque et eo amplius affabiliter receperunt. Febricitantium quoque nec non et aliarum diversarum infirmitatum tam multiplex tum temporis curatio facta est, ut per singulos nequeat exponi. *Neque nobis operæ pretium videtur, hæc et similia multo fusius in eodem codiee Gladbacensi deducta sigillatim pertexere.*

203

A Sic et Libellus historialis, 203 *Superest* Libellus *jam dictus* historialis Mariæ beatissimæ Magdalenæ, *cujus hæc præfatio seu dedicatio :* Reverendissimo in Christo Patri D. Henrico de Villariis, Dei gratia primæ sanctæ sedis Lugdunensis archiepiscopo, Galliarum primati, Domino suo carissimo, Philippus, sola Dei permissione, Cavallicensis episcopus, salutem in eo, in quo et per quem est vera remissio peccatorum; et se totum cum præsenti libello, quem, Pater amantissime, inconcussa loquendi fiducia, ex alterius filis texui, tuis affectibus præsentandum, in laudem illius sanctissimæ Peccatricis, patronæ tuæ, imo meæ, et (ut loquar verius) simul nostræ, sui doloris et dilectionis insinuantis ardorem, *etc. Historia quæ in autographo sequebatur, a Papebrochio, codicem describente, merito prætermissa est, utpote tota apocrypha; tum translationem illam Vezeliacensem impugnat auctor variaque miscet, etiam præterita, quod ea transcribere omnino supervacaneum videtur. Denique orationem longe verbosissimam texit,* de certis singularibus miraculis beatissimæ Dilectricis. B

204 *Hæc inter ea potissimum beneficia, quæ ipsimet collata fuere commemorat : nempe* in civitate Januæ *anno* MCCCXLIX, *ubi, mirandis ædificiis perlustratis, dum ad hospitium se recepisset, proximum germanus ejus frater mortis discrimen incurrit; ipse vero* votum vovens recommendavit eum Dilectrici dilectæ, *sicque frater imminenti periculo liberatus est. Alterum* miraculum auctori factum in Baiano portu, *dum navi vectus gravissimisque procellis obrutus, invocata rursus Dilectrice, portum tenuit salvus et incolumis. Nec multum absimile est tertium* factum auctori in plagia dicta Romana, *ubi rursus violentis aquarum turbinibus aliquot diebus jactatus, solo dilectissimæ Patronæ suæ auxilio, feliciter evasit. Subnectitur et aliud celebre miraculum, quo Massiliæ vir quidam sagitta in pectore letaliter confixus, annisque pluribus durissima tormenta passus,* votum vovit, sperans firmiter, Dilectæ se conservari auxilio..... et ecce in actu, dum sui voti promulgasset arcana, ferrum ipsum, velut cujuspiam imperio, vel impulsu, ab intrinseco emissum prosiliit, potenti manu, ut pie creditur, indevictæ virtutis Mariæ. *Atque hisce tractationi jam satis longæ coronidem imponimus.* E

AUCTORE J. B. S. *in pauca contrahitur.*

DE S. SYNTYCHE

S. PAULI APOSTOLI DISCIPULA

PHILIPPIS IN MACEDONIA.

J. B. S.

SECULO I.

Et Syntyches quæ Philippis dormit, *prima est et vetustissima, quod quidem sciam, Romani parvi hac die commemoratio, quam Ado in hunc modum auxit :* Et beatæ Syntyches quæ Philippis dormit sepulta ; de qua beatus Apostolus Paulus scribit : Evodiam rogo, et Syntychem deprecor, id ipsum sapere in Domino. *Usuardo libuit disporata conjungere :* Eodem die, S. Mariæ Magdalenæ, et Sinticen beatæ quæ Philippis dormit; de qua Apostolus Paulus scribit : *de hac vero connexione diximus suo loco, neque modo causam illius divinare promptum est, nisi fortasse Usuardo inciderit* Syntychen *Adonis, illam ipsam esse quæ apocrypha S. Mariæ Magdalenæ Acta ex Hebraicis Marcellianis Latina fecisse olim credita est; melius certe apud alios discretæ sunt Sanctæ istæ, quemadmodum et in hodierno Romano.* C

Signata primum est a Romano parvo,

deinde a tota progenie.

2 *Longam porro auctiorum Usuardinorum aut aliorum Martyrologiorum seriem hic texere, necesse prorsus non video, cum plura docere non possint, quam quæ continentur in Adoniano elogio, quod a Notkero descriptum est, tacentibus Hieronymianis, Beda, Rabano, Wandelberto, aliisque ad progeniem Usuardinam non spectantibus, in qua neglectam inde Evodiam intelliges, quod eam Romani parvi conditor prætermiserit. Adoniunis verbis de* Syntyche *superaddidit Equilinus episcopus, quod* in omni religione perseveraverit, *de quo non est quod merito quis dubitet : Philippensem autem genere, ibidem in pace, opinor, mortuam sepultamque ex Pauli Apostoli epistola laudatus Romani parvi auctor haud incongruenter collegerit, diversam omnino ab alia* Syntyche, *si hæc umquam exstitit in rerum natura : idque ita passim admittitur, ut qui in controversiam revocare ausit, hactenus nemo inventus sit.*

Laudatur maxime ab Apostolo,

3 *Ex citata jam ab Adone Apostoli ad Philippenses epistola eruenda est laus universa quæ in* Syntychen *nostram ejusque sociam conferri possit. Matronæ dicendæ sint, viduæ an virgines, non exprimitur : de potentioribus fuisse, hinc arguas, quod largioribus, procul dubio, eleemosynis ad Evangelii propagationem nonnihil contulerint ; summa vero earum gloria, quod ipsarum nomina in libro vitæ scripta disertissime asserantur. En textum integrum :* Evodiam rogo, et Syntychem deprecor, id ipsum sapere in Domino. Etiam rogo et te, germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente et ceteris adjutoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. *Ad quæ alludens Chrysostomus hom.* 13 *ita scribit :* Hoc Paulus etiam de istis testificatur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Videntur autem mihi hæ mulieres caput fuisse Ecclesiæ, quæ ibi erat, easque commendat viro fortasse admirabili, quem comparem etiam vocat..... Quæ mecum laboraverunt in Evangelio. Hinc solicitudo et cura erga illas, non ob amicitiam, sed ob bene facta. F

quod cum ipso laboraverit in Evangelio.

4 *Sunt qui in hac epistola unionem potissimum ac concordiam Philippensibus ab Apostolo commendari velint, hincque adeo verba illa :* Evodiam rogo et Syntychem deprecor, id ipsum sapere *sic interpretentur, ut insinuet Apostolus necessitudinem* quæ

AUCTORE J. B. S.

quæ antea intercesserat inter ambas istas Sanctas mulieres nanuihil refrixisse, quam a compare illo, sive is Syzygus sive alius fuerit, sive alterutrius maritus sive amicus, rursus instaurari conciliarique impense desideret ; in quam sententiam propendisse Theodoretum, patet quam apertissime : Mulieres quidem laudat, *inquit*, sed innuit esse aliquid inter eas exortum contentionis; *quod paulo avidius arripuit Tillemontius, quamvis id ex Græco ipso textu τὸ αὐτὸ φρονεῖν non tam clare erui videatur. At quidquid illud fuisse supponatur, illustrioribus aliarum virtutum exemplis subinde expunctum, ex adductis ipsius Pauli verbis tam manifestum* D *est, ut* Syntyches *sanctitati id fraudi esse posse, omnino non existimemus.*

5 *Nemo Sanctæ gesta distinctius explicuit, nemo ætatem pressius determinavit auctore Florarii Sanctorum Ms., in cujus solius fide hæc paucula, nescio unde accepta subjicio :* Eadem die beatæ Synthicen, discipulæ sancti Pauli, cujus præconium laudum idem Apostolus in epistolis suis commemorat. Hospita erat discipulorum Christi, atque multi per eam conversi baptizati sunt a Paulo. Postmodum solicita circa frequens ministerium discipulorum, plena dierum quievit Philippis anno salutis LXXVIII.

Quid de ea Florarium Ms. Sanctorum?

DE SANCTO PLATONE MARTYRE

ANCYRÆ IN GALATIA.

J. P.

B

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Cultus sacer ex Fastis Latinis et Græcis; elogia, canon in Menæis; ædes sacræ.

SUB MAXIMIANO.

Longe celebratissima est in Fastis sacris *S. Platonis martyris memoria, quamquam alio die apud Latinos, alio apud Græcos, aliosque consignata, ut quæ apud illos hoc, apud hos die* XVIII *Novembris notetur. A Latinis incipiamus, hac die eum annuntiantibus. Apographa Hieronymiana sic eum referunt :* In Aquira Gallaciæ, natalis S. Platonis, cujus gesta habentur. *Romanum parvum sic brevius :* Ancyræ, Platonis martyris. *Ado ex Hieronymianis suam annuntiationem videtur accepisse, correcta ex Romano parvo positione, quæ in illis corrupte legitur, uti et* C *in Rabano, (vide observationes in Usuardum a nobis editum, hac die) dum sic idem Ado memorat :* Ancyra Galatiæ, natalis S. Platonis martyris, cujus gesta habentur. *Usuardus eumdem exprimendi modum servat, nisi quod locum depositionis minus correcte efferat, dicens :* Ancira Galatiæ, *etc., quem Molanus cum Adone rectius effert. Apud Bedam ex Floro auctum, et a nobis editum hoc die nihil offendo; qui tamen hodie in notationibus ad Martyrologium Romanum citatur, ac proin alius intelligi nequit quam Plantinianus Beda seu suppostitius.*

S. Platonis memoria hac die

2 *Martyrologium Romanum* S. Platonis *memoriam consignat hac item die cum elogio in hæc verba :* Ancyræ in Galatia, natalis S. Platonis martyris, qui sub Agrippino Vicario verberibus cæsus, uncis ferreis laniatus, aliisque immanissimis tormentorum generibus cruciatus, demum abscisso capite; invictam animam Deo reddidit : cujus miracula in subveniendis captivis Acta secundæ synodi Nicenæ testantur. *Ad diem* XXIII *Januarii pag.* 458 *breviter actum fuit de Ancyra urbe, occasione SS. Clementis episcopi, Agathangeli,* E *et sociorum Martyrum; quam item illustravit Basilius martyr* XXII *Martii, Theodotus et Thecusa, etc.* XVIII *Maii; ut necesse non putemus, de ista urbe, aliunde satis superque nota, plures hic notitias suppeditare. De Sancti* gestis, *quæ supra dicebantur* haberi, *agemus infra loco suo, ac de eorum merito disquiremus.*

a Latinis;

3 *Græci de Sancto nostro agunt non* XV *Kalendas Januarii, sicut male indicavit Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum, sed* XIV *Kalendas Decembris, seu* XVIII *Novembris,* Romano *insuper sub eadem annuntiatione eidem pluries conjuncto. Typicum sub nomine S. Sabæ editum sic habet :* Sanctorum Martyrum Platonis et Romani. *Ambos item annuntiat Horologium utrumque cum Kalendario Græcorum, quod edidit Genebrardus. Martyrologium Arabica-Ægyptium vitiose eorum nomina exprimens, sic scribit :* Certamen S. Platani et Ermanii, et sociorum ejus. *Russi, Græcos secuti, ambos memorant eodem die, uti constat ex Martyrologio Slavo-Russico, quod Sparwenfeldianum vocamus, ubi ita legitur :* Sanctorum martyrum Platonis et Romani, qui passi sunt F anno CCCII sub et a Maximiano. *De S. Romano martyre, quem alibi in Græcis Fastis isto die notatum reperio, agetur cum Martyrologio Romano ad eumdem diem* XVIII *Novembris, quo ipsum exhibet. Kalendarium Ruthenorum apud Possevinum tomo* 2 *Apparatus sacri, quod datur a pag.* 364, *male scribit* S. mart. Platoni. *Melius in Novembri Moscorum figurato ante tomum* I *Maii annuntiatur* Platon ✠ martyr.

a Græcis vero aliisque die 18 Novembris

4 *Ecgraphum nostrum ex Menæis monasterii S. Marci PP. Prædicatorum Florentiæ, sic brevissime :* Plato M. ; *quem etiam memorant Menologium Basilianum apud Ughellum tomo* 6 *Italiæ sacræ col.* 1137, *uti et illud, quod ex interpretatione Sirleti vulgavit Canisius, addita ei in hoc ultimo nuncupatione* magni martyris. *In Horologio, quod est quasi Breviarium ad legendas Horas, Romæ cum approbatione Romana excuso anno* 1677 *in usum Basilianorum monachorum, notatur ejus Officium. Menæa denique magna excusa, sequente, ut solet, Maximo Cytherorum episcopo, Sanctum honorant, et ista quidem solenni admodum ritu.* Mega-

signatur.

AUCTORE J. P.

A Megalomartyris *annuntiationi subduntur in illis hi versiculi :*

Μικροῦ λαθὼν παρῆλθεν ἡμᾶς ὁ Πλάτων,
Πλάτων ἐκεῖνος, ὃν πλατὺ κτείνει ξίφος.
Ὀγδοάτῃ δεκάτῃ τε Πλάτων ἄορ κατέπεφνε.
Ferme latens abivit a nobis Plato :
Plato ille, latus colla cui gladius secat.
Octava decima Platonem interficit ensis.

Notatio etymologica, ad quam hic alluditur, est, ut per se patet, in vocibus λαθὼν, Πλάτων, πλατὺ, *quibus cum eodem fere lepore, respondent Latinæ. De canone sacro, quem laudata Menæa Sancti triumphis accinunt, dicetur mox ; ubi prius nonnulla præmiscrimus ipsius elogia.*

Elogia

5 *Breve imprimis est illud apud Canisium laudatum :* Hic *(Plato)* fuit ex urbe Ancyra Galatiæ, frater sancti martyris Antiochi, qui propter Christi confessionem oblatus Agrippino præsidi a duodecim militibus verberatus, et super grabatum æreum accensum extensus, postremo detracta corporis pelle laniatisque carnibus, ense B percussus, martyrio coronatus est. *Paulo plura narrat Menologium citatum supra Ughellum, ubi habentur sequentia :* Plato martyr, Ancyræ Galatiæ natus, frater Antiochi martyris, adolescens, quod Christianæ fidei et religionis causa ab idolorum cultu prorsus abhorreret, Agrippini præfecti mandato virgis a duodecim militibus gravissime cæsus est. Deinde super candens ferreum grabatum extensus, iterum flagris admovetur : tum ferreis pilis candentibus circa alas et latera ita aduritur, ut flamma fumo permixta ex illius cute passim erumperet.

S. Platonis

6 Ad hæc pellis tota, detractis a capite ad talos loris, conciditur, quorum unum in Agrippini faciem, accusata illius crudelitate, contorsit. Post hæc carceri includitur ; unde cum post octo dierum inediam suaderetur, ut allatum cibum sumeret, illeque respondisset, abunde se divino verbo ali ; eductus, diuque etiam tortus, caput lictori amputandum lætus porrexit. *Hisce fere consonant Menæa excusa in suo elogio ; in quo tamen nihil de octiduana inedia, uti nec de loro in faciem* C *Agrippini a Martyre contorto. In nostro Ms. supplemento ad Menæa ista, et synaxario membranaceo antiquo nostri Sirmondi, sive collegii Claromontani, nunc Ludovici Magni Parisiis, lego* Platonis *elogio circa medium addi ista :* Τοῦ δὲ σώματος αὐτοῦ μετὰ τὴν τιμωρίαν θαλεροῦ καὶ ἥδιστόν τι ἀποστίλβοντος γενομένου, πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς τὸν Χριστόν. Vegetato autem post cruciatum corpore, ac suavissimi aliquid exstillante, multi in Christum credidere. *Paucisque interjectis de adustione corporis, fumoque e naribus et ore emisso, sic pergit :* Εὐξαμένου δὲ τοῦ Ἁγίου, καὶ οὐρανίων δυνάμεων εἰπουσῶν τὸ Ἀμὴν, πολλοὶ τῶν περὶ τὸν ἡγεμόνα τοῦτο ἤκουσαν.

dantur ; uti et canon

7 Καὶ εὐθὺς ὁ τόπος, ἐν ᾧ συνεκροτεῖτο τῷ Ἀγριππίνῳ τὸ βῆμα, κλονεῖται, καὶ τῆς φρικτῆς ἐπισκοπῆς τοῦ δεσπότου Χριστοῦ πρὸς τὸν Ἅγιον μηνυτὴς γίνεται. Orante autem Martyre et cœlestibus potestatibus dicentibus, Amen, multi ex illis, qui a præfecto stabant, hoc audierunt ; statimque locus, ad quem una cum Agrippino convocatum erat tribunal, tumultu miscetur, horrendæque inspectionis Christi Domini indicium ad sanctum Martyrem defertur ; *quæ aliquid mihi videntur ex armamentario scenico Græcorum præ se ferre. Huc pertinet canon in honorem Sancti Menæis magnis insertus, sub nomine Theophanis, cujus hæc ponitur acrostichis :*

Τῶν σῶν ἐπαίνων, ὦ Πλάτων, μέλπω πλάτος.
Latum cano tuis laudibus campum, o Plato.

qui est in Menæis excusis.

8 *Patet iterum allusio auctoris in nomine proprio* Πλάτων *et substantivo* πλάτος, *quod latitudinem significat. Porro nihil invenio in canone, quod morari nos hic debeat ; ut qui totus pene sit in recensendis tormentis, quæ Martyr et pertulit constanter, et invictissime superavit, meritis idcirco ibidem laudibus honoratus. Allusiones syllabarum similiter cadentium cum proprio nomine* Platonis, *ibidem recurrunt, sed eodem spectant, quo præcedentes. Accipe specimina :* Τῆς αἰωνίου βασιλείας, ἔνδοξε, τὸ καθαρώτατον χοροβατῶν πλάτος. Ad æterni regni, o gloriose, ac purissimæ latitudinis cœtum iens, *etc. Et :* Θείᾳ πλατυνόμενος χάριτι, divina dilatatus gratia. *Atque hæc quidem hactenus tum ex fastis potissimum Latinis ac Græcis de cultu Sancti, non* E *neglectis etiam ejusdem elogiis ; nunc nos vocant ædes ipsi sacræ.*

Ædes Martyri sacra Constantinopoli seculo sexto,

9 *Codinus in Originibus Constantinopolitanis pag.* 44 : Templum, *inquit*, S. Platonis condidit Anastasius Dicorus sub principium septimi seculi (ἐναρχομένου ἤδη τοῦ ἑβδόμου αἰῶνος.) Decem vero columnas sculptura ornatas Thessalonica in hoc templum transtulit ; quarum duæ ab imperatore Romano Lacapeno in Chalcem transpositæ fuerunt. *Anselmus Bandurus Imperii Orientalis sive Antiquitatum Constantinopolitanarum parte* 4, *lib.* 2, *pag.* 626 *recte observat, perperam ibi pro* ἕκτου αἰῶνος, *id est seculo sexto, scribi* ἑβδόμου αἰῶνος, *seculo septimo : nam Anastasius Dicorus imperium Orientis suscepit, mortuo Zenone anno* 491 ; *anno autem* 518 *e vivis excessit. Per* Chalcem *intellige templum S. Salvatoris Chalcis, Constantinopoli ; de quo varia collegit Cangius Constantinopolis Christianæ lib.* 4, *pag.* 81. *His item duabus columnis bema istius templi innixum fuisse, habes apud Codinum pag.* 63 : *de cujus conditore agit Bandurus citatus lib.* I, *pag.* 479. *Bemata vero diversa Constantinopoli dat Cangius, deque istius vocis notione* F *colligit varia lib.* 3, *cap.* 49.

cujus variæ notitiæ dantur.

10 *Ut ad ædem* S. Platoni *sacram redeamus ; ad majorem deinde et augustiorem splendorem reædificatam esse a Justiniano imperatore testatur Procopius lib.* 1 *de Ædificiis cap.* 4, *pag.* 15 *(cito hic et infra editiones Parisinas).* Parum abfuit, *inquit*, quin martyrium S. Platoni sacrum prætermitterem, splendidum sane atque augustum, ac vicinum foro Constantini. *Theophanes pag.* 202 *scribit, quod sub eodem Justiniano* mensis Decembris die xx magnæ ecclesiæ dedicatio secundo celebrata, nocturnæque vigiliæ dedicationi hujusmodi præmitti solitæ, apud S. Platonis peractæ fuerint. *Quidnam pro isto templo præstiterit Basilius Macedo, refert Constantinus Porphyrogenitus in avi Vita pag.* 199, *sic loquens :* Inclyti martyris Platonis tectum laborare videns et fatiscere, novum instauravit, immissis parietibus, ubi necesse erat, ædem communiens ac firmans. *Adde Cedrenum, qui pag.* 588 *agens de templis, quæ Basilius terræ motibus rupta et concussa refecit et instauravit,*

AUCTORE J. P.

vit, Platonis inclyti martyris fanum, quod corruerat, erexisse eum *tradit. Atque ex his abunde liquet, Martyris nostri memoriam Constantinopoli potissimum maxima in veneratione habitam fuisse; quod ulterius constabit ex alia æde ibidem ei sacra, de qua paragrapho sequente.*

§ II. Aliæ ædes sacræ; reliquiæ, miracula.

Aliæ ædes sacræ Constantinopoli et Anastasiopoli.

Ex clausula laudato nostro supplemento Claromontano addita discimus, aliam S. Platonis *ædem sacram Constantinopoli fuisse. Clausula ista sic enuntiat:* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῷ σεπτῷ αὐτοῦ μαρτυρείῳ, τῷ ὄντι ἐν τοῖς Δομνίνου ἐμβολοῖς. Celebratur ipsius solennitas in venerando ejus martyrio, quod est in porticibus Domnini. *Per τὸ μαρτυρεῖον intellige ædem martyri sacram vel oratorium: vide dicta tomo* II *Junii in annotatis, pag.* 678 *littera g. De porticibus Domnini agit Cangius* B *Constantinopolis Christianæ lib.* 2, *pag.* III; *quarum situm exhibet Bandurus in urbis Constantinopolitanæ delineatione, quæ æri incisa præmittitur citatæ quartæ parti Imperii Orientalis. Locus iste depravatus est in textu Latino Cedreni, pagina* 588 *citata, ubi legitur* in rostris Domini. *Jam vero quoniam ædes illa satis remote distat a superiore, de qua paragrapho proxime antegresso, recte inferimus, duas Constantinopoli ædes sub nomine* S. Platonis *exstitisse diversas; quarum hæc ultima minoris fortasse molis ac celebritatis fuerit, quam ista superior, quæ diversis temporibus tam ex ædificatione prima, quam ex restauratione imperatorum, ut supra vidimus, satis fuerit pervulgata; adde, quod illud* martyrium *non invenerim expressum, nisi in dicto nostro supplemento, e quo illud produxi. In Vita S. Theodori Siceotæ die* XXII *Aprilis pag.* 45 *mentio fit oratorii* S. Platonis *Anastasiopoli in Galatia, versus annum* 600, *uti colligitur ex S. Theodori ætate. Vide insuper ibidem paginam* 53. *Nunc de reliquiis.*

reliquiæ Venetus;

12 *Sansovinus de urbe Veneta anno* 1581 *ibidem excusus lib.* 1, *a pag.* 25, *agens de monasterio S. Laurentii (de quo etiam Ughellus tomo* 5 *Italiæ sa-* C *cræ, col.* 1267) *seculo* IX *a monachis ad monalies translato, scribit in ejusdem ecclesia asservari corpus* S. Platonis; *verum in lectionibus propriis istarum monialium solummodo notatur ibidem asservari* S. Platonis *caput; quod unde, a quo, et quo tempore illuc sit translatum, non exprimitur. Nec plura in promptu sunt de Sancti reliquiis; quo reduci possunt ea, quæ ad sepulcrum ejus patrata obiter indicantur in sequenti mox narratione.*

miracula plurima tum variis locis,

13 *De miraculis virtute* S. Platonis *editis, altum tum in ipsius Actis, tum in aliis, quæ hactenus produximus, monumentis est silentium; sed opportune admodum in rem nostram accidit, ut illud si non abunde, saltem utcumque supplere possimus ex S. Nili ad Heliodorum Silentiarium epistola, cujus fragmentum recitatum est in septima synodo, actione 4, exstatque Græco-Latine apud Labbeum tomo 7 Conciliorum a col.* 223; *Latine vero ita habet:* Per ea, quæ per singula loca, et in diversis temporibus fiunt miracula, Dominus hos quidem, qui modicæ sunt fidei, nec non et infideles ad stabilitatem fidei invitat; fidelium vero fidem imo et spem crescere facit, et gravem et immobilem demonstrat prudentiam *. Et volo tibi quid unum D ex denis millibus Platonis nostri, trophæa reportantis et martyris, modo narrare: qui non solum in patria nostra, sed et in omni civitate ac regione paratissime gratiam donat, et ostendit his, qui Deum per eum postulant, admirabilem fortitudinem.

* sensum

sic ex monte Sinai captivus abductus senis Galatæ filius,

14 In monte quippe, qui vocatur Sina, ubi Moyses a Deo legem accepit, monachis habitantibus indigenis et peregrinis, unus quidam virorum, genere Galata, una cum proprio filio singularem * amplexus vitam degebat, continentiæ certamina transigens multo tempore in deserto. Et ecce quadam die repente quidam in prædicto monte religione barbari * et detestabiles irruentes comprehendunt eos, qui in promptu ex his et impræsentiarum inventi sunt monachi una cum filio senis Galatæ, et in captivitatem ducunt. Quos et ligantes post tergum, multas transeunt mansiones desertas, jejunos et nudos minantes eos, nec calciatos penitus aliquo calciamento, per illa inaquosa et asperrima, et nullius consolationis loca, vi et necessitate circumeuntes, et E infinito pavore detentos.

* monasticam

* Græce pagani

e captivitate barbarorum, ab apparente ei S. Platone

15 Solus autem in quodam abdito specu occultatus senior luctu tabefiebat, non ferens privationem Deo amabilis filii; et Dominum flagitabat Christum per Platonem compatriotam martyrem, ut incurvaretur ad miserationes. Id ipsum autem et filius per eumdem sanctissimum Martyrem rogabat Deum in captivitate vinctus, ut sui misereri, et miraculum facere dignaretur. Utroque autem exaudito, patre scilicet in spelunca montis, et filio in captivitate; ecce subito martyr Plato noster astat super equum apparens, trahensque alterum equum opportunum *, manifestatur puero vigilanti, et hunc agnoscenti ex eo, quod sæpe viderct Sancti characterem in imaginibus, et statim jubet eum de medio exsurgere, et accipere equum, et insidere.

* vacuum

mirabiliter ad patrem revehitur.

16 Et confestim more araneæ vincula dissoluta sunt: et solus ipse liberatus per invocationem, nutu Dei surgens, iusedit equo, et sequitur ducentem se sanctum Martyrem constans et gaudens. Compendiose autem et acute * ambo, sanctus scilicet Plato et novitius monachus, quemad- F modum pennati perveniunt ad habitaculum senis orantis atque lugentis: et restituens salvum victoriosissimus Martyr corde dolenti patri desiderabilem filium, disparet. Itaque in omni loco his, qui per eos invocant Deum, omnes res mirandas et gloriosas Domini Christi memorabiles et inclyti Athletæ perficere valent. Porro hæc ad te scripsi, ut amico Martyrum existenti, et numquam aliquando satietatem memoriæ beatorum Martyrum accipienti.

* celeriter

Sanctus non tantum innumeris prodigiis clarus, sed etiam ejus sepulcrum miseris perfugium.

17 *Ita ibidem ex laudata epistola, sub nomine S. Nili recitata narrantur; qui floruisse ponitur circa annum* 440, *de eoque erit agendum die* XII *Novembris cum Romano Martyrologio. Si vero illud,* quid unum ex denis millibus *referri debeat (et certe eo referendum videtur) ad casum, qui mox sequitur, obliquum* S. Platonis, *et non potius ad τὸ* ea, *quod præcesserat,* quæ per singula loca et in diversis temporibus quotidie fiunt miracula; *tunc consequens erit, ut innumeris Athleta noster fulserit miraculis. Ast utcumque ista verba acceperis, multitudo miraculorum ab ipso perpetratorum satis elucet ex*

mox

mox sequentibus supra, qui non solum in patria nostra, *inquit S. Nilus (quem Constantinopolitanum patria fuisse lego)* sed et in omni civitate ac regione paratissime gratiam donat, et ostendit his, qui Deum per eum postulant, admirabilem fortitudinem. *Idem S. Nilus, cum rescivisset, quod potens admodum aliquis paganus vi abstraxisset personas, quæ ad sepulcrum* S. Platonis *confugerant, ipsi prædixit, Deum ulturum injuriam, Martyri suo illatam, eoque ipsum reducturum, ut confugiturus sit ipsemet ad ejus ecclesiam ; sicut ex S. Nili lib.* 2, *epistola* 178, *pag.* 210 *Romanæ editionis, refert Tillemontius Monumentorum ecclesiasticorum tomo* 5, *pag.* 564 ; *quam historiam quia textus citatus in promptu non est, ex ipso huc allegamus.*

§ III. Lectiones propriæ ; Acta.

Lectiones propriæ B

Inter *Officia propria Sanctorum excusa, quæ habemus, pro monialibus S. Laurentii Venetiarum, quorum corpora et reliquiæ in eadem ecclesia servantur, die* XXIV *Julii ponitur Officium* S. Platonis martyris *ritu duplici, cum hac oratione propria :* Concede, quæsumus, omnipotens [Deus] ut beati Platonis, martyris tui, cujus venerandam celebramus festivitatem, et meritis exultare, et suffragiis refici mereamur. *Officium illud a die* XXII *hujus, ad dictum diem haud dubie fuerit retractum propter concursum aliorum duorum festorum, nempe S. Mariæ Magdalenæ, quod* XXII, *et S. Apollinaris, quod* XXIII *celebratur ; et cujus in primis Vesperis*, S. Platonis *commemoratio in isto Officio præscribitur.*

pro monialibus

19 *Assignantur* LECTIONES *primi nocturni :* A Mileto, *etc., et tum hæ propriæ dantur.* LECTIO V. Plato martyr, Maximiano imperatore, sub Agrippino præfecto Anocræ * in Galatia passus est. Qui adhuc puer et locuples, cum esset parentibus Christianis quidem orbatus ; omnia sua pauperibus distribuit. Quapropter præfectus eum teneri et idolis sacrificare jubet. Quod cum renueret, a duodecim viris sibi vicissim succedentibus graviter cæditur ; sed immobilis animo persistens, carceri traditur. ℟. Honestum.

* Ancyræ

C

S. Laurentii

20 LECTIO VI. Verum post dies septem de carcere educitur, et iterum diis sacrificare cogitur ; quos cum detestaretur, super lectum ferreum extenditur, et carbonibus substratis, oleo, resina piceque perfusus torretur. Sed cum hæc in illum nihil valerent ; cunctis cernentibus, aspectu angelico confortatur, atque suavissimo odore fragrante refovetur. Quo Miraculo quamplurimi ad Christum conversi sunt. ℟. Desiderium.

Venetiis

21 LECTIO VII. Post hæc in equuleo suspendit *, et ferrea mala ignota ejus lateribus adhibentur. Sed cum hæc quoque patienter tolerasset et quasi immobilis stetisset ; excandescens Agrippinus jubet de corpore ejus corrigias trahere. Quas tandem tractas suscipiens Plato in facies * præfecti jactavit his verbis : Exple jam sanguine sitim, dire potator sanguinum, exple carnibus famem : etenim hæc tui juris sunt, anima autem Dei. Quibus verbis confusus Agrippinus abiit, Platoque iterum traditur in carcerem. ℟. Stola jucunditatis.

* suspenditur

* faciem

AUCTORE J. P.

hic dantur.

22 LECTIO VIII. Cum igitur per decem et octo dies in carcere sine cibo et potu afficeretur fame, a Deo quotidie confortatus est. Novissime autem de carcere tractus, iterum ad simulacra ductus, iterum sacrificare jussus, iterum conspuit simulacra. Quamobrem jubente præfecto extra urbem in locum, qui Campus dicitur, ductus, ibi gladio capite truncatur ; et cujus præclara miracula in subveniendis captivis Acta secundæ Nicenæ synodi testantur. Ejus caput in ecclesia sancti Laurentii Venetiis magna veneratione asservatur. ℟. Posuisti. *Pro* LECTIONIBUS *tertii nocturni assignatur homilia in Evangelium :* Si quis vult post me venire, *ut in communi unius martyris. Pro* LECTIONE *nona, homilia in Evangelium vigiliæ S. Jacobi.*

De Actis, quæ exstant sub nomine Metaphrastis judicium :

23 *Sancti* gesta *in apographis Hieronymianis, uti vidimus*, haberi *dicuntur ; sed an et ubi etiamnum supersint, incertum. Si conferre illa liceret cum Actis, quæ hodiedum exstant, vix dubito, quin utraque inter se plane essent diversa. Quæ apud Lipomanum tomo* 4, *die* XVIII *Novembris, et apud Surium hac die producuntur sub nomine Metaphrastis, plurimum certe degenerarunt a primævis ac genuinis Actorum notis, quæ idem Metaphrastes, sive, si mavis, similis ingenii interpolator exornasse a nobis putatur ; adeo multa continent, quæ neutiquam nobis probantur. Verte illa, inverte, discute, excute ; quid, amabo, reperies, quam continuatum a capite pene ad calcem contextum colloquiorum, minarum, blanditiarum, agglomerata ubique ad nauseam, ne dicam supra fidem, tormentorum multitudine ac varietate. Adde preces ad Deum frequentes, apparitiones, locos e sacra Scriptura depromptos ; quæ omnia non tam mihi videntur redolere sinceram martyrii historiam, quam drama pium, poeticis ornamentis decoratum. Acta itaque prolixiora apud Surium et contractiora apud Petrum de Natalibus, de quibus mox, ea esse non possumus putare, quæ supra in Hieronymiani Martyrologii apographis indicata sunt, contra ac videtur Florentinio in notis ad dictum Martyrologium hac die.*

E

quod etiam quadrat apographo nostro Græco. Dantur Acta ex alio apographo.

24 *Quod Græcum istorum Actorum apographum, e bibliotheca, ut suspicor, Vaticana transcriptum (paginis ejusdem tenoris octo, uti annotatur in margine, existentibus etiam Parisiis in S. Germani) quod, inquam, apographum illud, jam ab annis aliquot latinitate a nobis donatum, typis nunc, præter promissum tomo* IV *Julii infra citando, non communicamus, tum in causa est exiguum operæ ac rei pretium ; tum quod legi ea apud Lipomanum ac Surium possint ; tum denique quod aliud quodpiam exemplar ad manum sit, numquam, quantum scimus, alias editum, ac proinde, hic non omnino sine fructu edendum ; tametsi substantiam eamdem contineat. Accepimus illud a nostro Joanne Gamans anno* 1641, *et hoc titulo notatur :* S. Platonis M. ex Bodecensis cœnobii Ordinis regularium S. Augustini, diœcesis Paderbornensis passionali pergameno Ms. insigni, mensis Decembris fol. CII, pag. A. Incipit passio S. Platonis martyris, quæ est XIX Kal. Januarii. *Eadem dies exprimitur ad calcem dictæ Passionis : quæ tamen Slavo-Russicis, uti supra diximus, æque ac Græcis Fastis ignota est, sicut et apographo nostro Græco Passionis, quod cum Fastis istis consentiens, eumdem diem sic notat :*

F

Præcipua quædam Actorum capita circa diem mortis

25 Ἐτελειώθη δὲ .. Πλάτων .. μηνὶ Νοεμβρίῳ ὀκτωδεκάτῃ. Martyrio autem..... functus fuit..... Plato, mense Novembri, die decima octava. *Consonant*

AUCTORE J. P.

sonant Lipomonus ac Snrius. Petrus de Natalibus in Actorum compendio, quod habet lib. 6, cap. 126, relato Sancti martyrio, mox subdit, tumnlatum fnisse XI Kal. Augusti; *addito sicut suspicor, hoc potius die, quom alio, ex Martyrologis Latinis. Quomquam vero circa genuinum martyrii diem nihil certi determinari queat ob defectum Actorum primigeniorum, quæ olim putamus existitisse, multo, ut dicebamus, aliter conscripta, quom nunc exstent; malumus tamen amplecti diem* XVIII *Novembris, a Græcis constantissime annuntiotum; quam diem hodiernum mensis Julii, quem Latini concordes signant; eo quod hi ab illis videantur occepisse tom ipsum Martyrem, quom ejusdem Acta; quorum compendium illi Mortyrologiis suis inseruerint, odoptata forte ab ecgraphis Hieronymianis, Romano parvo, Adone, Usuardo, eosque secutis hac die* XXII *Julii: quamquam an reipso hoc ita sit foctum, et qua de causa, definire certo non possimus.*

ac tempus,

26 *Ecgraphum Bodecense cum Petro de Notalibus* S. Platonem *possum scribit sub Maximiano; quod supra quoque memoravimus ex Menologio* B *Slavo-Russico. Apud Lipomanum oc Surium nomen propium imperatoris haud reperio. Passum item sub Agrippino, tam ex elogiis, quam ex Actis Græcis ac Latinis hobemus. Porro is o Petro de Natolibus vocotur* præfectus; *o Bodecensi autem constanter* præses; *a Lipomano et Surio (consentiente etiom Passione Ms. Græca, de quo supro)* vicarius *dicitur. Quod si sub vicorio possus re vera fuerit Sonctus, non videtur esse passus onte tempora Diocletiani, qui juxta id quod docet Lactontius de Mortibus persecutorum cop. 7, illud genus magistratus putatur primus instituisse: de qua re consuli etiam possunt dicto tomo* IV *Julii pog. 25. Quomquam quid hic fidas Actis Græcis, aliunde valde suspectis? Præsertim cum Menæa magna excusa cum Anthologio titulum ipsi dent* ἡγεμῶνος; *qui magis ordinarie præfectum alicujus provinciæ denotat; quolis si fuerit Agrippinus, jom Diocletiani tempora potuit antevertere; utpote quos ante illum jam institutos ex Eusebio diximus eodem tomo Julii nostri, pag. rursum 25.*

uti et palæstram martyrii

27 *Polæstra mortyrii, seu locus, in quo* S. Plato *obtruncatus ac sepultus sit, apud Lipomonum, Surium, Petrum de Natalibus, quibus adde lectiones* C *proprias supro productas, dicitur* Campus; *qui utique, si verus ille et non fictus martyrii locus fuit, non in ipso urbe Ancyra, sed extra oc prope illam extiterit, id quo satis clore pandit opographum Bodecense:* Duxerunt eum, *inquit,* foras civitatem Anciram, ad locum qui vocatur Campus, *addito epitetho* amœnus; *quo vox* Campus *recte, modo vere determinata minus ferit, quom si, illo secluso, indeterminate ac simpliciter cum aliis istis dicas* Campus. *Et vero occidere focile potuit, ut agro olicui suburbano oprico et amœno id nominis a vicinis Ancyranis impositum fuerit. In apographo nostro Passionis Græco, eidem loco* Κάμπῳ *nomen dotur; estque vox Græco-barbara, et inter exempla apud Cangium notatur usurpata a Chrysostomo in oratione de Circo; ut mirum nedum incredibile videri non debeat, hujusmodi vocem istis seculis ab Ancyronis adhibitam fuisse, in Oriente, uti opinor, tunc non ignotam; pro qua, si bene Græce illius efferre significationem volueris, dices* πεδίον.

Quædam notantur

28 *Superest, ut pauculis expendamus locum superiorem num. 5 ex Menologio Basiliano, et eo, quod est apud Canisium, ubi* S. Plato *scribitur fuisse* D *frater germanus S. Antiochi martyris. Titulum hunc Soncto isti adscribi, in pluribus Græcorum fastis notavimus die* XV *hujus, quo is cum Mortyrologio Romano datus a nobis fuit tomo et pagina proxime citatis. Non vero germanus dumtaxat frater refertur fuisse* S. Platonis, *sed* per quem etiam in Christum credidit, *sicut scribitur ibidem ex Menæis Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosionæ. Tametsi vero istam songuinis conjunctionem vel dubiom vel suspectom reddere nec velimus nec possimus; duo tamen circa hanc observori jubemus, quæ eidem non videntur ex omni parte favere.*

de S. Antiocho, fratre germano S. Platonis,

29 *Primo apud Lipomanum ac Surium dicitur:* B. Plato... multos verbo illuminans fecit Christo credere. *Quos inter si numerori debeot S. Antiochus, mirum est, nullam de germani fratris conversione mentionem fieri a Metaphraste vel olio ejusdem ingenii auctore in antiquioribus scriptis ex quibus suam adornovit Possionem, verosimiliter in eo non repertam; quam si ibi reperisset, non prætermisisset,* E *uti opinomur, eum transcribere. Alterum est, quod notori velimus, et ibidem pag. 26 etiam observovimus, duobus istis fratribus germanis patriam ottribui longe diversom a loudotis Menologiis Bosilii et Canisii, quæ S. Antiochum Sebastenum faciunt; at* S. Platonem, *uti diximus supra num. 5, Ancyræ adscribunt.*

uti et de exemplari Passionis, quod hic datur.

30 *En tibi nunc quolem qualem Sancti nostri Passionem, cui sicut et illi, quæ exhibetur opud Lipomonum oc Surium, consona sit ea, cujus exordium dotur a Leone Allotio in Diatriba de Symeonum scriptis pag. 128 inter ea, quæ Metophrostæ adjudicot, his verbis expressum:* Οὐ ξένα Γαλατῶν τὰ παρόντα, οὐδὲ ὁμολογητοῦ τῆς ἀληθείας ἀλλώτρια. *Id est:* Non sunt peregrina Galatis ea, quæ tractamus, neque a Confessore veritatis aliena. *Quæ si conferos cum edito exordio apud Lipomanum ac Surium, ac Ms. sub nomine bibliothecæ Vaticanæ mox a nobis citato, quod sic incipit:* Οὐ ξένα Γαλατῶν μέλλω λέγειν, οὐδὲ τῶν τὴν Ἄγκυραν οἰκούντων ἀλλότρια, οὐδὲ ὁμολογητοῦ καὶ Θεοῦ λόγον πεπιστευμένου ἄπιστα ἐμῶ; *quæ, inquam, si cum illis conferas, eodem istas omnes referes Passiones, et tamquom ex ungue leonem, cognosces ejusdem porentis prolem esse: quomquom ea, quæ hic dotur ex* F *Ms. Bodecensi, pluribus locis Suriona brevior sit.*

PASSIO

Ex Passionali pergameno Ms. cœnobii Bodecensis.

CAPUT I.

S. Plato apud præsidem Agrippinum accusatur; sed nec tormentis nec blanditiis a Christi fide avocatur.

S. Plato naturæ et gratiæ dotibus insignis,

Non sunt aliena vel peregrina omnibus habitantibus Ancyram, neque per tota vicina loca, quam sæva et crudelis persecutio temporibus Maximiani imperatoris in provincia Galatia adversus

A adversus religionem Christianorum facta sit, ita ut frater fratrem, et pater proprios filios, et amici amicos, vicinosque suos, qui Christum confitebantur, persequerentur, et morti traderent. Quo tempore beatissimus Platon *a* relictus est a parentibus parvulus cum magnis divitiis et possessionibus multis, eo quod illustres et nobilissimo genere fuissent exorti. Erat autem ipse decorus forma, repletus Spiritu sancto ab infantia, quique dum adhuc sub procuratoris dispositione esse videretur, evangelicæ admonitionis non surdus auditor, cœpit divitias, quæ a parentibus sibi fuerant derelictæ, pauperibus erogare, et tota animi intentione, sine qualibet reverentia festinans ad palmam martyrii, publice se Christianum esse confitebatur *b*.

sistitur Agrippino præsidi;

2 Quod cognoscentes ministri sathanæ, tenuerunt eum et miserunt in carcerem. Cumque nuntiatum fuisset Agrippino præsidi, jussit sibi tribunal *c* præparari ante regiam, contra templum Jovis; et sedente eo pro tribunali, adjutor B officii dixit : Platon, qui de religione Christianorum se jactat, et contra præcepta principum deos immortales injuriat, adest : quid præcipitis ? Agrippinus dixit : Discinctus *d* ingrediatur. Et cum fuisset ingressus, ait ad eum præses : Cum universus orbis terrarum in epulatione consistat, cur tu in tanto ac tali constitutus es errore, ut audeas præcepta principum contemnere, et deos magnos derelinquere, et Crucifixi religionem sectari? Sanctus Platon respondit : Vos estis, qui degitis in errore, derelinquentes Deum, qui fecit cœlum et terram, cum omni ornamento eorum, et adoratis lapides et ligna, opera manuum hominum.

a quo interrogatus,

3. Agrippinus dixit : Nobilitas juventutis tuæ protervum te facit. Dic tamen mihi, de qua religione es, aut de qua civitate, vel quod nomen est tibi? Sanctus Platon respondit : Natus in hac patria, religione Christianus, nomen habeo Platon ; servus Christi ex utero matris meæ. Agrippinus dixit : Non cognovisti, quia jam jussit dominus imperator, ut omnes, qui in religione Christiana perseveraverunt, per multa tormenta C puniantur? Sanctus Platon respondit : Cognovi ex parte, et mente irrisi stultam jussionem principis. Agrippinus dixit : Ergo stultam dicis jussionem principis ? Sanctus Platon respondit : Etiam cum ipso auctore. Præses dixit : Non tibi expedit jussa principum irridere, nec deos magnos postponere, eo quod omnes, qui ista facere præsumpserunt, diversis tormentis interierunt. Unde et ego, conspiciens nobilitatem et decorem juventutis tuæ, compatior tibi, atque præmoneo, ut recedas ab hac vanitate, obediens jussis principum, et ad deorum templa concurras.

crudelissime cæditur : sed nec verberibus,

4 Sanctus Platon respondit : Ego præcepta mei regis, qui est Rex regum et Dominus dominantium, cum summo desiderio ab infantia servavi, et ad finem vitæ meæ servabo, et die noctuque ad referendas laudes sancto nomini ejus concurro. Nam omnes dii gentium, dæmonia ; Dominus autem cœlos fecit. Tunc Agrippinus jussit eum exspoliari, et a quatuor militibus crudeliter ac diutius cædi. Qui cædentes defecerunt, mutatique sunt alii duodecim viri fortissimi : et hi quoque dum per multas horas corpus Martyris cædere viderentur, nihil prævalentes defecerunt ; in corpore autem beatissimi Martyris nullæ maculæ videbantur. Quæ diligentius conspiciens universa multitudo circumstantium, una cum Agrippino præside, mirabantur valde, et confundebantur, nescientes, quid dicerent. Beatissimus autem martyr Platon forti animo et immutabili corde permansit in confessione sua, gaudens in pœnis; quæ illi pro nomine Christi inferebantur. Videns igitur Agrippinus ejus constantiam, amplius confundebatur ; et dixit ad eum : Pulchritudo juventutis tuæ ornat genus tuum. Nam scio te nobili genere procreatum. Quare ergo vis hac florentissima luce sine causa privari? Jam nunc suadeo tibi, ut proprio filio, effugere mortem et concurrere ad vitam. EX MS.

nec verbis a veri Dei cultu avocatur

5 Sanctus Platon respondit : Bene suades, Agrippine ; ego ideo fugio sempiternam mortem, ut promerear æternam percipere vitam. Agrippinus præses dixit : Dicito mihi, infelix, quantæ sunt mortes? Sanctus Platon respondit : Una quidem temporalis est ; alia vero æterna : una subito finitur; alia, quæ præparata est tibi, et patri tuo diabolo, vel eis qui obaudiunt præceptis tuis, finem non habet : sed est in ea sempiternus cruciatus : ubi erit fletus et stridor dentium. Agrippinus dixit : Unde tanta verborum superfluitas? Aut sacrifica diis immortalibus, aut certe subjicieris multis cruciatibus. Sanctus Platon respondit : Fac citius, quidquid tibi videtur : nam numquam sacrifico diis tuis, nec ad injuriam summi Dei flecto cervicem meam lapidibus et lignis sine sensu ; sed festino adjungi illi, qui pro nobis mortuus est, et die tertia resurrexit, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris. E

et ideo in carcerem detruditur.

6 Tunc Agrippinus duci eum in carcerem jussit ; plurimi vero fidelium simul et gentilium sequebantur eum, mirantes et laudantes perseverantiam ejus. Sanctissimus autem Plato dum duceretur ad carcerem, exhortatus est populum, dicens : Viri Christiani et omnes qui me conspicitis, non vos terreant tormenta, quæ in me exercuit impiissimus Agrippinus : quia non propter causam parvam ad hoc veni certamen ; sed propter factorem cœli et terræ, maris et omnium quæ in eis sunt. Multæ quidem tribulationes justorum ; sed de his omnibus liberabit eos Deus. F Venite ergo omnes, confugiamus ad tranquillissimum portum, et investigabilem Christum, et patienter suscipiamus tormenta, quæ nobis pro ejus nomine inferuntur, scientes, quemadmodum non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Hæc cum dixisset et confortasset omnes audientes se, lætus et gaudens ingreditur carcerem, fixisque in terram genibus oravit et dixit : Domine Jesu Christe, qui scis universos actus meos, et cunctos gressus dinumeras, adesto mihi puero tuo, et conforta me, ut possim patienter sufferre tormenta, quæ mihi pro nomine tuo inferuntur, et non mihi prævaleat sathanæ discipulus Agrippinus ; quatenus sciat universitas hominum, quam nihil sunt idola, quæ colunt, sed magis cognoscat omnis mundus, quia es verus Deus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia secula seculorum. Amen.

7 Post dies septem execrabilis Agrippinus jussit

EX MS. Propositis diversis tormentorum instrumentis

sit educi de carcere sanctum martyrem Platonem, sibique præsentari. Quod cum fieret, adjutor officii, Viventius *e* nomine, nuntiavit præsidi Agrippino et dixit : Platon, qui regalibus edictis obaudire renuit, et vestris monitis non acquiescit, sed adhuc perseverat in malitia sua, adest præ foribus : quid præcipitis? Agrippinus dixit : Prius adducite diversa genera tormentorum, et sic ingrediatur. Quo facto. ingressus est Platon coram præside Agrippino. Præses dixit : Ponite ante eum diversa genera tormentorum, id est lebetas, sartagines, manus ferreas et anaclastas, catapeltas *f*, et obeliscos acutissimos *g*, sed et alia diversa et terribilia tormentorum genera; arbitrans hoc, quod mox ut conspiceret sanctus Platon tantorum species tormentorum sibi præparari, expavesceret, et sibi consentiret. Unde dixit Agrippinus ad eum : Ecce conspice, Platon, qualia tibi præparata sunt tormenta. Nunc ergo tracta, ut pro honore generis tui et decore juventutis tuæ possis frui lucis hujus gaudiis. Quod ut possit fieri, sacrifica magno deo Apollini, aut certe ad confusionem natalium tuorum in his pœnis deficies.

B

uti et adhibitis blanditiis, constans Martyr perseverat;

8 Sanctus Platon respondit : Non tecum multum loqui volo, Agrippine, eo quod videam, te peccatis esse obnoxium, et totam mentem tuam cogitatione diabolica vexari, ut putes me similitudinem tormentorum, quæ ante me posita sunt, pavescere, et abnegare religionem meam. Unde insensate et sine intellectu, cur non perspicis, si ista tormenta, quæ a te, homine corruptibili, proponuntur, timenda sint, magis quam ea, quæ sine fine administrantur. Audita ergo Agrippinus constantia beatissimi martyris Platonis cœpit eum mollibus hortari suasionibus, dicens : Si volueris me audire, tamquam patrem tuum, bene tecum agentem, et gustaveris de sacrificiis deorum nostrorum, mox absolvam te a vinculis istis, et unicam filiam fratris mei dabo tibi in matrimonium, et divitem te faciam et honoratum reddam. Tunc beatissimus Platon deridens præsidis amentiam, dixit : Infelicissime omnium et deceptor animarum, ego si vellem pervenire ad nuptias terrenas, meliorem ac nobiliorem possem accipere, quam filiam fratris tui.

C

novisque additur tormentis,

9 Iratus Agrippinus, [jussit] eum sterni sub lectum æneum, et poni sub eo prunas, et ignem copiosum, et desuper fervens oleum effundi, resinam atque bitumen, et ceram flagrantem super eum mitti, ita ut omnia viscera ejus nudata intolerabiliter torquerentur. Tunc Suffronius *h* commentariensis *i* dixit : Miserrime hominum, cur contradicis præceptis præsidis ? Nonne vides, quæ contra te posita sunt tormenta? Sanctus Platon respondit : Recede a me minister sathanæ, et vade retro, quia non prævalebis mihi : ego enim torquendum totum corpus meum tradidi propter Christum. Agrippinus dixit : Numquid Christus, quem dicis, qui crucifixus est a Judæis, potest te liberare de manibus meis? Nisi cito sacrificaveris deo magno Apollini, non effugies tormenta, quæ tibi præparata sunt. Sanctus Platon respondit : Neque Apollini sacrifico, neque ceteris diis tuis : nam Apollo perditio *k* interpretatur, et omnes qui credunt in eum, simili damnatione peribunt. Divinitas autem vera non in manufactis habitat templis, sed est in cœlis ; cui quotidie sacrifico hostiam laudis.

D

quæ suffert lubens tyrannum redarguens.

10 Agrippinus dixit : Infelicissime, ut video, mortem diligis, et vitæ hujus splendorem odio habes. Sanctus Platon respondit : Multoties audisti a me, inimice veritatis, quia si perseveravero in confessione Domini mei Jesu Christi, non morior, sed post coronam victoriæ, vitam æternam possidebo; non solum ego, sed et omnes, qui credunt in eum ; quem et tu, si dignus fuisses intelligere, utique manibus tuis execrabiles deos, quos colis, confringeres, et una mecum prostratus in terram, Deum verum, qui habet flatum tuum in manibus suis, curares. Ad hæc Agrippinus indignatus dixit : Desperate et aliene, deorum principumque inimice, quare ad tanquam nunc insaniam te pervenisse non pudet, ut etiam usque ad mei deceptionem perducas errorem tuum, quatenus sequar superstitiosam sectam, quæ nuper adinventa, a Romanis principibus damnata est. Sanctus Platon respondit : Et ego novi superbiam cordis tui ; quia in malevolam animam non introibit Dei sapientia. Sed tamen memor esto verborum meorum ; quia veniet tempus, quando cum fletu et gemitu recordaberis quæ nunc a me dicuntur, et velles tunc per me modo credidisse ; sed sera illa pœnitentia non proderit tibi, quam modo per malitiam cordis tui neglexisti.

E

ANNOTATA.

a Platon *hic more Græcorum, qui* Πλάτων, *scribunt ; Latini vero* Plato.

b *Ab hoc exordio plurimum discrepat illud, quod est apud Lipomanum ac Surium.*

c *Lipomanus ac Surius habent* apparitor ; *apographum nostrum Græcum* βοηθὸς, adjutor. *De isto officio Cangius in Glossario Latino :* Adjutores, *inquit*, dicuntur, qui magistratibus seu potius officialibus quibusvis adjungebantur, ut in muniis obeundis essent, qui eos adjuvarent. *Plura vide in annotatis ad caput 2 Actorum S. Apollinaris, die* XXIII *hujus, littera* h.

F

d *Non satis assequor, quam vim hic habeat* τὸ discinctus *(quod non est in editis apud Lipomanum, ac Surium, nec in apographo nostro Græco) seu, quod idem est, ut ego interpretor,* abjecto cingulo ; *cum miles non fuerit Sanctus noster. Aliud est in Martyribus militibus; qui vel sponte sua in obsequium fidei, et in imperatorum ac præsidum gentilium contemptum, cingulum militare seu balteum deponebant; vel eorum imperio deponere illud jubebantur, si nollent Martyres idolis sacrificare. Videsis Antonium Gallonium de Cruciatibus Martyrum cap.* 4, *a pag.* 151 *editionis Coloniensis. Forsan* τὸ discinctus *hic sonat solum contemptum, fere sicut illud Horatii,* discinctus nepos.

d *Apographum Græcum* Βικέντιος; *Lipomanus ac Surius* Vincentius.

f *Græce,* καταπέλτας; *Latine* Catapultas, *sicut est apud Lipomanum et Surium.*

g *De hisce instrumentis videri potest laudatus Gallonius in suo indice, ubi tamen vocem* anaclastas *non reperio : quod fuerit haud dubie instrumentum*

retor

A *retorquendi aut refringendi crura vel alia membra Martyrum juxta etymon ἀνακλάζω. In nostro apographo Græco est ἀνακλάστας quod Lipomanus et Surius non habent.*

h *In Græco est Σοφρώνιος, juxta quod rectius* Sophronius *Lipomanus et Surius scribunt, quam hic in nostro textu sit.*

i Commentariensis, *custos carceris, sic dictus, quod* commentarios, *id est rationes custodiarum et reorum conficeret, et inscriptiones criminum reciperet, uti est apud Cangium in Glossario Latino.*

k Ἀπόλλυμι *enim (cujus inusitatum* ἀπόλλω) *significat* pereo, perdo, destruo.

CAPUT II.

Constantia Martyris novis tormentis frustra probata; qui tandem capite plexus martyrio coronatur.

B

Nova tormenta Tunc jubente præside iterum torquebatur beatissimus martyr Platon et dum in examinationibus diversorum tormentorum affligeretur fortissimus miles Christi, transierunt horæ tres, et post hæc dimissus est, et depositus a ministris de lecto æreo, in quo diversæ pœnæ illi fuerant illatæ. Sed non solum ignis et tormenta ei non nocuerunt, imo etiam tam suavissimus odor replevit circumstantes, ut angelicam visitationem affuisse nullus dubitaret. Nulla etiam penitus macula in ejus corpore videbatur; ita ut omnes glorificarent Deum, dicentes : Verus est Deus Christianorum, qui et confortat et sanat servum suum, ut nihil in eo prævaleant tormenta. Agrippinus vero confusus post tanta tormenta, quæ ei intulerat, dixit : Aquiesce vel adhuc Platon ; et si non vis sacrificare diis, abnega saltem illum, qui crucifixus est, et dimitteris.

nihil adeo S. Platonem movent, 12 Sanctus Platon respondit : O crudelissime seductor, et falsator veritatis ; quid suades, ut abnegem salvatorem meum, Dominum Jesum C Christum, qui mihi in tormentis affuit, et non permisit in corpore meo, sicut ipse perspicis, de omnibus tormentis, quæ in me exercuisti, maculam remanere. Recede a me, qui operaris iniquitatem, nec velis amplius ignorantes et simplices animas adducere in errorem, quia Dominus meus non derelinquet animam meam in inferno : nec dabit sanctum suum videre corruptionem. Agrippinus dixit : Quia misertus sum tui, propterea contumeliosus et stultus effectus es in verbis. Scito quoniam acrioribus tormentis te affligam, ut tu mihi ultroneus dicas : Paratus sum diis immortalibus immolare. Sanctus Platon respondit : Omnia tormenta tua, quæ et intulisti, et adhuc illaturum mihi minaris, ita sunt apud me, tamquam si aliquis ad delicias sit invitatus ; et ideo gaudens suscipio plagas corporis mei, ut heres efficiar vitæ æternæ. Tunc Agrippinus ira motus surrexit de sella, et fibulatorium *a*, quo erat indutus, rumpens, jussit ferrum ignitum poni ad latera ejus. Quod ubi fecerunt ministri, tanta valitudo ignis facta est, ut non solum latera Martyris Dei comburerentur, verum etiam interiora ejus disrumperentur, ita ut per nares et cerebrum fumus ignis erumperet. *EX MS.*

ut tyranno etiam insultet, Christo fretus. 13 Sanctus autem Platon, cum jam mortuus esse putaretur, dixit Agrippino : Immanissime canis, nihil mihi prævalent supplicia tua ; quia Dominus meus Jesus Christus murus est mihi inexpugnabilis, et protector non deficiens in æternum. Accedens vero quidam adjutor nefandi judicis prope beatum Martyrem, dixit ad eum : Acquiesce, obsecro, præceptis imperatorum, et sacrifica diis immortalibus : quia propter tua tormenta nos omnes deficimus ; et tu nec vultu nec mente mutaris. Magnanimus ad hæc Christi Martyr respondit : Et tu patronus vis esse deorum, qui nescis dextram aut sinistram tuam. Ergo si dogmatizas, Agrippinus taceat. Deinde erectis ad cœlum oculis, ingemiscens, dixit : Dorsum meum tradidi flagellis, et totum corpus meum examinationibus inimici propter nomen tuum, Domine Jesu Christe. Ne discesseris igitur a me, quoniam tribulatio proxima est; et non est qui adjuvet, nequando dicant gentes, ubi est Deus ejus ; sed fac beneplacitum tuum, ut E non prævaleat mihi canis iniquus, qui rabido furore latrat adversum me. Cumque a Christianis dictum fuisset, Amen; commotus est locus ille, et omnes, qui aderant, territi fugerunt.

Constantia ejus rursum probatur, 14 Præses tamen a malitia cordis sui non recessit, sed vocans ad se beatum Martyrem dixit: Ecce Platon, multiplicando sermones in stultitia tua perseveras. Ego multoties talia et ampliora audivi ab illis, qui hujus religionis dogmata prædicabant ; sed nemo ex omnibus vivens evasit de manibus meis, nisi hi, qui consentientes mihi, adoraverunt magnos deos. Sic et tu dispone sacrificare, aut accede reiteratus ad pœnas. S. Platon respondit : Homo sine Deo, et omnium malorum adinventor, quid vis protrahere martyrium meum, recurrendo iterum ad præterita et inania verba, sicut canis rediens ad vomitum suum. Dominus meus Jesus Christus pro mundi salute fudit sanguinem suum, quanto magis et nos debemus desideranter propter nomen ejus transitoriam mortem sustinere, ut in perpetua vita promissiones ejus lucremur. Tunc Agrippi- F nus excitatus in furorem, præcepit corrigias excidi de membris ejus a capite usque ad pedes, dicens : Putasne te adjuvare potest Christus, in quo confidis ?

et corpus membratim scinditur. 15 Sanctus Platon respondit : Crudelissime, et Dei * tyranne, non incongrue tibi nomen illud impositum est Agrippinus : quod intelligitur ferus *b* : nam sicut fera agrestis fugiens præcipitatur, ita et tu quæris una tecum in foveam mittere sequentes perversam mentem tuam, sed ego ita gaudeo in pœnis tuis, quomodo qui invenit thesaurum multum : aut qui videt, quamdiu desiderat videre. Ministri autem sine misericordia incidebant particulatim membra beatissimi Martyris tamquam statuæ animam non habentis. Verumtamen Athleta Christi patienter sustinens dicebat : Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi ; dedit in opprobrium conculcantes me. Videntes hæc Christiani, qui aderant occulti, flebant pro tam crudeli pœna, quam extra naturam hominum patiebatur. Ipse vero immobilis in fide

* *forte* dire

EX MS. fide Christi non deficiebat, sed potius irridebat amentiam judicis, et tollens unam corrigiam de latere suo, quæ fuerat a carnificibus incisa, jactavit ante tribunal præsidis dicens : Sathan, sanguinum devorator; nescis, inimice Dei, quia ad imaginem suam fecit Deus hominem. Cur tu pro defensione dæmonum, innocentia hominum corpora particulatim incidis? Quare non perspicis quia et tu carne es indutus? Cur delectaris videre concisionem membrorum meorum, siue aliquo delicto?

sed irrito conatu;

16 Ego quidem delector in iis pœnis, quia quantum fuerit membrana mea a carnificibus detracta, tanto pulchrior corona mihi præparabitur a Domino meo Jesu Christo. Tu autem accipiens corrigiam corporis mei habe in testimonium damnationis tuæ. Erit enim hæc tibi ad judicium perditionis æternæ, ut memor sis iniquitatis tuæ, dum veneris in supplicium æternum, quod tibi est præparatum una cum idolis tuis. Dicit ei præses : Tu me et deos satis injuriasti. Non est tibi curæ, quod viscera tua per latera exeunt, B sed adhuc in responsionibus tuis contumax esse inveniris. Cui sanctus Platon subridens, ait : Tu miser stercore repletus in fœtoribus perseveras, ut totus sordidus in æterna damnatione deficias; ego vero emendatus per varias pœnas cum magna fiducia Salvatori meo assisto, ut sine ulla passione possim in ejus sancto convivio epulari. Agrippinus præses dixit : Scio quoniam ideo verbosaris, ut citius te interficiam, sed ego secundum malitiam cordis tui severioribus tormentis te reservabo, ut per te terreantur omnes qui contradicunt magno Deo Apollini. Sanctus Platon dixit : Operibus ostende, quæ in verbis minaris, ut satisfacias voluntati patris tui satanæ : habes enim potestatem terreni priucipis sub corpus meum. Nam animæ meæ nihil mali potes inferre.

inter nova tormenta,

17 Agrippinus dixit : Scias in veritate, quoniam sicut in præteritis tormentis expertus es, ita et adhuc minime parcam tibi, nolenti sacrificare benevolentiæ deorum; etiamsi Platonis illius, qui fuit amator et cultor deorum, philosophiam accipias. Sanctus Platon respondit : Tu C magis scias atque cognoscas per experientiam tormentorum, quæ per Dei gratiam patientissime pertuli : quoniam corpori meo non parco, sed magis propter amorem Domini mei Jesu Christi ipsam mortem, quam minaris, libenter perfero. Tunc Agrippinus eum jussit iterum in equuleo suspendi et in tantum a carnificibus uncinis ferreis corpus ejus et genua radi, ut ossa denudata remanerent. Et præco magna voce clamabat : Sacrifica diis et dimitteris. Cumque vidisset eum toto corpore solutum, jussit eum deponi dicens: Miserrime, quid speras? Cum jam omne corium tuum disruptum sit, et ossa denudata, quare non sacrificas, ut repropitientur tibi dii, et veniam vivendi concedant. Sanctus Platon respondit : Quid adhuc me exspectas audire, dæmonum cultor? Si omnes pœnas tuas præteritas pro nihilo habui, quanto magis nunc parvi pendo eas, cum jam coronam meam amplector? Denudatus carnali corio, sed vestitus lorica fidei, securus penetrabo cœlum a facie inimici. Quod si adhuc aliqua tormenta volueris inferre, adimple festinus, ut in omnibus confundaris. Agrippinus dixit : Patientiam habeo in te propter falsum nomen, quod D habere videris, Platonis philosophi, qui magnus doctor esse videbatur, nec tamen ab honore et reverentia deorum recessit, sed magis docuit, ut a sacrificiis nullus omnino recederet : unde admiror, de tua nobilitate habens experientiam, doctrinæ ejus cur non assentias una nobiscum his, quæ a majoribus tradita esse cognovisti.

et inediam longam de tyranno triumphans :

18 Sanctus Platon respondit : Vade retro me, sathanas, quia mihi non prævalebis qui mecum habeo Spiritum sanctum, cujus philosophiam et doctrinam die noctuque meditari non cesso. Nam Platonis illius sacrilegi, cujus tu mentionem fecisti, nihil habeo nisi nomen tantummodo et non fabulosam et erraticam sapientiam, in verbis meditatam et compositam, in qua ille confidens alios decipiebat. Vera autem sapientia, quæ per Dominum meum Jesum Christum, in mundo manifestata est, non in verbis philosophiæ placatur, sed puris mentibus adhærebit. Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientum, et prudentiam prudentum reprobabo. Stupefactus Agrippinus mirabatur responsiones et fortissimum E animum ejus, dicens ad suos : Quid tacemus? Puto victi sumus. Et iterum jussit eum duci in carcerem, præcipiens, ut una uncia panis et calix aquæ illi per diem daretur, et a nullo homine omnino videretur. Ingressus igitur beatissimus Platon in carcerem, fecit ibi decem et octo dies, et noluit omnino accipere neque panem neque aquam, sciens Dominum in Evangelico dicentem : Non in solo pane vivit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei. Cumque vidissent custodes, quod nihil gustavit per tot dies, rogabant eum dicentes : Manduca, homo, ne forte periclitemur nos, cum tu nihil horum gustaveris, quæ tibi inferuntur.

ac tandem capite damnatus

19 Sanctus Platon respondit : Nolite reputare fieri quoniam ego moriar, si nihil gustavero de cibo carnali, quia repletus sum Spiritu sancto, qui missus est de cœlo a Patre, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui dixit : Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Et iterum : Qui biberit de aqua, quam ego do, fiet in eo fons aquæ vivæ, et non deficiet in æternum. Unde F omnino absurdum est, ut ad injuriam summi Dei polluar de cibis sacrilegorum. Post hæc sedens Agrippinus in tribunali contra templum Jovis, jussit adduci S. Platonem. Cumque fuisset adductus, dixit ad eum : Quid tractasti circa salutem tuam; paratus es sacrificare, an disposuisti vitam finire, et esse cum Christo nescio quo illo quem prædicas? S. Plato respondit : Salus mea Christus est, quem tu blasphema lingua nominasti. Fac igitur citius, quod facturus es, nec amplius moreris in verbis. Tunc Agrippinus, videns animo forti et hilari vultu perfectaque fide persistere beatum Martyrem, amplius confundebatur, et dixit : Per pœnas nihil prævaluimus, eo quod magica arte superet nos; caput ergo ejus amputetur.

martyrio coronatur.

20 Accipientes itaque eum carnifices post datam sententiam, duxerunt eum foras civitatem Anciram, ad locum qui vocatur Campus amœnus, ubi, impetrato spatio orandi, elevans oculos ad cœlum beatus Martyr ait : Gratias tibi

ago,

A ago, Domine Jesu Christe, ad quem desideranter festino: quia non prævaluerunt mihi minæ et tormenta nequissimi judicis, sed misisti angelum tuum, qui confortavit me et sanavit vulnera mea. Nunc ergo accipe cum pace animam meam, et aggrega me dignanter in aula tua. His dictis extendit caput, [et] dixit spiculatori: Modo, frater, fac, quod tibi jussum est. Quem mox ille percussit, et amputavit caput ejus; cujus corpus furati sunt Christiani et cum omni diligentia posuerunt in eodem loco, in quo fiunt virtutes, et multa mirabilia usque in hodiernum diem. Martyrizatus est autem sanctissimus Dei Platon sub Maximiano imperatore, Agrippino præside, decimo nono Kalendas Januarii: regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula. Amen.

EX MS.

ANNOTATA.

a Fibulatorium *apographum nostrum Græcum* φιβλατώριον; *Cangius vero in Glossario Græco-barbaro* φιβλατούριον: *qua voce tum fibulam, qua subligatur vestimentum, tum vestimentum ipsum significari, invenies apud eumdem auctorem in Glossario Latino-barbaro. Hic autem videtur accipi in hac ultima notione.*

b *In apographo Græco ita exponitur etymon hic indicatum, dum dicit Sanctus Agrippino*: ἄγριος γάρ τις λύκος κατέστηκας; *vis est in vocibus* Ἀγριππῖνος, *et* ἄγριος, ferox, immitis: *quæ Græce quidem, Latine tamen non obtinet.*

B

DE SANCTIS MARTYRIBUS ANTIOCHENIS

E

CYRILLO, ANDREA, TEBELLIO, AUREO ET STERTHEO.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

XXII JULII.

Annuntiatio Hieronymianorum,

H*ujus manipuli martyres omnino quinque Antiochiæ diserte tribuit codex Lucensis seu Fontanellensis; in Corbeiensi legi, haud dubie, non potuit nomen* Sterthei, *cujus loco puncta apposita sunt, additaque bina alia nomina* Silvani *et* Donati; *quæ in codicibus nostris nusquam reperiuntur, ut propterea Sanctos istos omittendos putaverim, aliunde, nisi fallor, huc male intrusos. In vetustiori codice Epternacensi nomina etiam prædicta quinque clare expressa sunt, sed turbato non nihil ordine, ut facile pateat imperiti librarii transpositio, dum Apollinarem hoc die memorat, ac dein sic pergit*: Antiochiæ, Andreæ martyris; Auritia civitate Gallitiæ Platonis, Cyrilli, Tebeli, Auli, Stertei. *Ex his mihi quidem dubium non est quin martyres isti quinque rectissime Antiochiæ consignati sint, nullo alio quam martyrum titulo distinguendi, sive* Cyrillus *sive* Andreas *eorum ductor censeatur: ut prorsus non videam, unde in duobus Hieronymianis parvis a nobis editis, nempe Augustano et Labbeano* episcopi *titulus* Cyrillo *accesserit, de ea tacentibus ceteris omnibus apographis, etiam Martenianis.*

C

Rabani,

2 *Dixi in solis istis duobus, nam quod ex Ms. Reginæ Sueciæ seu S. Columbæ Senonensi elogium in notis suis adduxit Florentinius, opinor ex codice Holsteniano*: Antiochiæ, S. Cyrilli episcopi, doctrina et sanctitate conspicui, cum aliis quatuor, *in nostro inventum prorsus non est; utpote in quo simplicissime legitur*: In Antiochia, natalis S. Cyrilli cum aliis IV; *ubi plane perspicis,* Andreæ, Tebellii, Aurei *et* Sterthei, *more istorum codicum, nomina brevitatis causa suppressa fuisse, dum in aliis ut summum* Andreæ *adjungitur; at nusquam, uti dicebam, appellatio* episcopi *præterquam in duobus istis codicibus Augustano et Labbeano, quos sæpe interpolatos auctosque monuimus, quemadmodum et Gellonensem, ab Acherio vulgatum. Et sic de Rabani codice censendum est, in quo legerit*: In Antiochia, natale S. Cyrilli episcopi, Andreæ; *atque item de Notkeriano, in quo sic habetur*: In Antiochia, Cyrilli episcopi, Andreæ et Actebelli, *haud dubie pro* Aurei *et* Tebellii.

et Notkeri. F

3 *Atque ita Notkerum legisse, satis certum est, ut nesciam unde Florentinius alia hauserit, quæ Notkero perperam adscribit, nisi ex aliquo auctiore Adone, quem Notkerum non semel existimavit. Puriorem paulo codicem secutus est Maurolycus, in quo nimirum repererit*: Antiochiæ, Cyrilli, Andreæ et Sabelli. *Bedæ Plantiniani annuntiatio ex corruptis Hieronymianis accepta est*: In Antiochia, Cyrilli episcopi et Andreæ, *a qua citanda melius abstinuisset Baronius, ut ostenderet S. Cyrillum patriarcham Antiochenum in Fastis Latinis (quem apud Græcos frustra quæsierit) antea cognitum fuisse, quod verisimile omnino non est. Fuit hæc tamen ipsi occasio, ut Cyrillum Martyrologio Romano insereret, in quo ei præluxerat Galesinius, elogium novum de suo concinnans*: Antiochiæ, S. Cyrilli episcopi, qui sacrarum litterarum eruditione, et pietate admirabili in episcopali munere præluxit. *Verum de hoc proxime agendum est.*

DE

A D

DE SANCTO CYRYLLO

PATRIARCHA ANTIOCHENO.

P. B

ANTIOCHIÆ IN SYRIA.

ANNO CCC.

Acta S. Cyrilli non videntur fuisse umquam scripta.

De S. Cyrillo, *actum est in Tractatu de patriarchis Antiochenis, quem tomo* IV *Julii præfiximus; ibique locum inter eos obtinet decimum nonum. Successisse illum Timæo diximus anno Christi* 280 *circiter; vivere autem desiisse anno* 300; *quo suffectus est illi Tyrannus. Hujus, sicut et duorum ejus decessorum communione privatus fuit ob suspicionem doctrinæ hæreticæ sanctus Lucianus martyr; uti ex epistola S. Alexandri Alexandrini dictum est ad diem* VII *Januarii pag.* 358. *Cetera ejus Acta numquam fuisse scripta, satis verisimile videtur; quando ne ipse* B *quidem Eusebius, quo tamen nemo* Cyrillum *novisse propius poterat, nemo, si quid historia dignum aut præ ceteris memorabile noverat, scribebat libentius, verbo saltem uno res ab eo gestas attigit : sic enim habet, nec quidquam amplius de* S. Cyrillo, *Ecclesiasticæ historiæ lib.* 7, *cap.* 32 *in editione Valesiana :*

Vix quidquam de illo scitur, nisi quod trahit Eusebius.

2 Iisdem temporibus Antiochenæ ecclesiæ post Domnum Timæus præfuit : cui successit nostra memoria Cyrillus. Sub hoc Dorotheum virum doctissimum, Antiochenæ tunc ecclesiæ presbyterum, cognovimus. Qui cum studiosissimus esset sacrarum Scripturarum, Hebraïcam quoque linguam addidicit, adeo ut ipsos etiam Hebraïcos codices peritissime legeret. Erat hic ingenio admodum liberali, et humanioribus disciplinis apprime eruditus : ceterum ab ipso matris utero eunuchus. Unde et imperator tamquam miraculo obstupefactus, eum in familiaritatem suam adscivit, et baphii *(in quo purpura tingitur)* quod est apud Tyrum, procuratorem constituit. Hunc nos sacras Scripturas in ecclesia non inscite exponentem audivimus. Post Cyrillum Tyrannus C episcopatum Antiochensis ecclesiæ suscepit : cujus tempore ecclesiarum vastatio maxime viguit. (ἤκμασεν, *id est*, exarsit, efferbuit.) *Hæc tantum de Cyrillo Eusebius, et ex eo Nicephorus Callistus Historiæ ecclesiasticæ lib.* 6, *cap.* 34 *et* 35; *in eo tamen aberrans, quod Dorotheum non sub Cyrillo, sed sub Tyranno collocet.*

Non est notus in antiquis Martyrologiis,

3 *Quid, quod nec antiquis Martyrologis sive Græcis sive Latinis innotuit? Nam quæ paragrapho superiori de S. Cyrillo martyre dicta sunt, ea ad nostrum hunc* Cyrillum *pertinere non possunt, ut ibidem ostensum est : ille enim martyr fuit, non episcopus; hic autem episcopus, non martyr; siquidem nec Martyrologium modernum Romanum hoc illi epitheton tribuit his verbis :* Antiochiæ, S. Cyrilli episcopi, doctrina et sanctitate conspicui. *At enim, inquis, et illum etiam episcopum fuisse, aliquot Martyrologii Hieronymiani exemplaria testantur, et nostrum hunc quoque fuisse martyrem, in notationibus ad Martyrologium Romanum hoc die satis aperte profitetur Baronius, cum ita scribit :* Habentur ejus *(S. Cyrilli episcopi Antiocheni)* Acta juncta illis sanctorum Claudii et Nicostrati, quæ ex antiquis codicibus edidit Mombritius tom. 1, ubi scribitur, ipsum ob Christi fidem passum, ac tandem in carcere Deo spiritum reddidisse.

4 *Ad primum patet responsio ex paragrapho præcedenti; cum ex tot exemplaribus Martyrologii Hieronymiani Mss. atque excusis, quæ consuluimus, duo tantum sint, eaque passim interpolata, quæ Cyrillo apud Antiochiam martyrii laurea cum aliis quatuor decorato* episcopi *appellationem adjungant. Quod vero ad Acta Cyrilli pertinet, quæ apud Mombritium juncta sint illis SS. Claudii et Nicostrati, ea æque quidquam evincunt; nisi et sincera esse, et de eodem Cyrillo istic agere dicantur, quem hoc die notat Martyrologium Hieronymianum; eumque nostrum esse comprobent Patriarcham Antiochenum. Quorum nihil, opinor, facile cuiquam persuadebitur. Et de Actorum quidem illorum sinceritate non est hic dicendi locus : pertinent enim ad diem* VIII *Novembris, quo discutienda erunt. Fatetur interea Baronius in notationibus ad eumdem diem,* ea in nonnullis esse corrigenda. *Fac tamen hoc loco non esse interpolata; an eumdem ibi Cyrillum cum Hieronymiano; an vero etiam nostrum assignari quis credat? Tute judica, Lector : nam postquam narratum esset, qua ratione S. Simplicius sculptor ad fidei veræ desiderium adductus esset; quod nempe, inter cædendos in Pannonia lapides, sua identidem animadvertisset instrumenta diffringi; non item aliorum, qui Christiani erant, et Christi nomen ante opus invocabant, hæc subjiciuntur in Actis Mombritianis :*

nec in Actis SS. Claudii, etc. E

5 Et cœperunt *(socii Christiani, qui fidem Simplicio suaserant)* quærere sacerdotem; et invenerunt episcopum in custodia ligatum, nomine Cyrillum, ex Antiochia adductum *(quod non addit Ado ad diem* VIII *Novembris)* proque nomine Christi vinctum; qui jam multis verberibus fuerat maceratus per annos tres. Ad quem venientes noctu Symphorianus, Claudius, Nicostratus, et Castorius una cum Simplicio : quem invenerunt catenis constrictum cum plerisque confessoribus. Et ingressi ad Cyrillum episcopum, miserunt se ad pedes ejus, et rogabant, ut baptizaret Simplicium. Cumque hoc audisset beatus Cyrillus episcopus, gaudio repletus est magno, dixitque ad Simplicium : Fili, vide, si ex toto corde credis; et omnia ministrabuntur tibi. Respondentesque Claudius, Symphorianus, Nicostratus et Castorius dixerunt ad eum rem gestam, de ferramentis quod obvenisset.

a Baronio F

citatis :

6 Et tunc beatus Cyrillus episcopus gratias agens Deo omnipotenti dixit ad Simplicium : Fili, vidisti virtutem in operatione nostra. Modo tantum fideliter crede. Respondit Simplicius cum lacrymis, et dixit ei : Et quomodo jubetis ut ostendam credulitatem meam? Beatus Cyrillus episcopus dixit : Ut credas in Jesum Christum

Dominum

A Dominum nostrum, Dei filium, creatorem omnium rerum; et omnia simulacra manufacta respuas. Simplicius dixit: Ego credo quia in veritate ipse est Deus verus Jesus Christus. Et, facto eo secundum consuetudinem ecclesiasticam catechumeno, baptizavit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ibidem in carcere; et dimisit eos. *Tum relato, quod mox secutum est, S. Simplicii et sociorum ejus martyrio, toleratisque suppliciis, de S. Cyrillo additur:* Sanctus vero Cyrillus episcopus hoc audiens, dum esset in carcere, afflixit se, et transivit ad Dominum. *Hæc sunt, quæ in Actis illis ad S. Cyrillum spectant.*

ibi enim de alio S. Cyrillo agitur;

7 *Vides, opinor, S. Cyrillum, de quo hæc Acta meminerunt, ab Hieronymiano prorsus esse diversum: Hieronymianus enim Cyrillus episcopus non fuit, ut ille fuisse narratur in Actis: Hieronymianus martyrium fecit Antiochiæ cum Andrea, Tebellio, Aureo et Stertheo; at Cyrillus Mombritianus in carcere Pannonico solus, aut certe (si socios ejus appellare volueris eos, quorum occasione præ tristitia exspiravit) non cum quatuor illis, quos modo* B *recensuimus, sed cum aliis quinque, Claudio scilicet, Nicostrato, Symphoriano, Castorio, et Simplicio. Vides etiam diversum esse utrumque illum Cyrillum a nostro: uterque enim ille in persecutione periit, et Mombritianus quidem in Diocletianea; cum noster diem supremum obierit anno Diocletiani decimo sexto, Christi* 300, *hoc est trienno ante exortam persecutionem, quæ juxta Eusebium lib. 8, cap. 2 indicta primum est anno Diocletiani 19, Christi* 303, *cum jam Tyrannus,* S. Cyrilli *successor ecclesiæ Antiochenæ patriarcha præesset, ut idem testatur lib. 7, cap. 32: cum in Oriente ante illud tempus ecclesiarum et episcoporum tanta fuisset tranquillitas; ut tunc demum* diabolus tamquam ex altissimo sopore excitari primum cœperit, *sicut idem loquitur, lib. 8, cap. 4.*

AUCTORE P. B.

quisquis ille fuerit.

8 *Quisquis ergo fuerit utervis ille Cyrillus, noster esse non potuit; sed vel posterior nostro vel prior. Nec refert, quod Cyrillus in Actis Mombritii dicatur episcopus* ex Antiochia adductus, *cum unus tantum Antiochiæ patriarcha* Cyrillus *umquam fuerit. Nam hæc verba primum, ut dixi, non habet Ado, qui Acta magis sincera præ oculis habuisse videtur; deinde præter Antiochiam Syriæ ad Orontem fluvium positam, quæ patriarcharum sedes erat, alia fuit Pisidiæ metropolis, aliæ alibi plures; non dicunt autem Acta illa adductum fuisse beatum suum Cyrillum ex Antiochia Syriæ; neque adeo de* S. Cyrillo *patriarcha Antiocheno intelligi debent, sicut in citatis notationibus credidit Baronius. Mitto cetera, quæ hic afferri possunt argumenta; sufficiunt hæc, ut, quod initio dicebam, nihil ab antiquitate relictum posteris de* S. Cyrillo *patriarcha Antiocheno intelligatur, præter id quod num.* 1 *et* 2 *notavimus; imo nec elogium ejus, ut nunc est in Martyrologio Romano, in antiquioribus ac sinceris Martyrologiis* E *reperiri, nec vero etiam memoriam: nam Rabanus* Cyrillum *patriarcham hic significare non potuit, sed unum ex quinque Martyribus Antiochensibus, (quem ex corruptis Hieronymianis episcopum fecerit) ut patet ex adjuncto Andrea. Idem de Notkero dictum puta; idem de supposititio Beda Plantiniano, quem citat Baronius. Neque vero Galesinius, qui* S. Cyrillum *nostrum Fastis Romanis ante Baronium inscripsit, antiquiora ulla pro se Martyrologia citat in subjectis notationibus, sed tantum* Annales, *nescio quos,* ecclesiasticos græce scriptos; *quos post eum Baronius ne appellare quidem est ausus.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS MAXULITANIS

ANDREA, ELIANO ET AIABOSO SEU AIOBOSO.

J. B. S.

XXII JULII. C

F*rustra hoc die in codicibus Hieronymianis trium istorum Martyrum palæstram quæsivit Florentinius; eo redactus, ut* sacros pugiles ex Cappadocia, Militana urbe vel regione fuisse putarit: *ubi* frequens, *inquit,* martyrum carnificina. *Huc virum impulere variæ in codicibus loci efformationes, sic ut Lucensis scriberet* Militanarum, *Corbeiensis* Militanorum, *demum Epternacensis vetustissimus* Maxilitatorum, *ut plane mirum non sit, corruptum librariorum oscitantia martyrii locum seu Martyrum patriam a Florentinio reperiri omnino non potuisse; qui mihi æque ignotus esset, nisi opportune succurrisset Kalendarium ecclesiæ Carthaginensis, a Mabillonio primum, deinde a Ruinartio, inter Acta primorum martyrum sincera, rursus editum, in quo, tametsi aliqua parte mutilo, diserte hoc die ad* XI Kal. Aug. *legitur,* Sanctorum Maxulitanorum, *ut vix dubitari jam posse videatur, quin Martyres isti sub* Militanorum *et* Maxilitatorum *nomine in Hieronymianis indicentur.*

Corruptus alibi locus.

in Kalendario Carthaginensi repertus est,

2 *Ad eosdem vero referendusne sit tractatus seu sermo S. Augustini a nobis citatus die* IX *Aprilis, an ad illos ibi relatos, hisque, saltem a loci determinatione, ferme synonymos, nempe* Massylitanos, *non facile dixero, cum mensis Aprilis in prædicto Kalendario desideretur; neque id in notis ad prædictum Kalendarium ausus est asserere Mabillonius. Ceterum et de his locutum sanctum Hipponensem Antistitem scripsit Castellanus eo nempe, quo solet, more, ut Sanctorum festivitatem celebret quidem, at de cetero tota tractatio ad morum emendationem dirigatur, unde ex ipso nec gesta, nec martyrii genus aut tempus facile eruatur. Satis nobis sit, veram appellationem, in codicibus nostris depravatam, restituisse. Ultimi nominis variatio ex iisdem codicibus oritur, utpote cum in codice Lucensi* Aiabosi *in Corbeiensi* Aiobosi *habeatur, pejus, ni fallor, in Epternacensi,* Cabosi. *In duobus aliis exprimendis una est apographorum omnium ratio; ex minoribus autem seu contractis non nisi tenebras accersiveris.* F

a Ruinartio non nihil illustratus.

3 *Paulo distinctiorem* Maxulæ *et* Maxulitanorum *notitiam suggessit Ruinartius in notis ad Historiam Wandalicam, ubi de provincia Proconsulari (cujus episcopos in exsilium missos, et eos inter Carcadium Maxulitanum enumeraverat) observat pag.* 234, Maxulam veterem, *a Plinio* Maxulam coloniam *dictam; atque ibidem* Numidium Massylitanum, *et* Numidium episcopum ecclesiæ catholicæ Maxulitanæ

tanæ

AUCTORE J. B. S.

tanæ *recitat ; demum et* Numidium *alium, ejusdem urbis antistitem, qui concilio Carthaginensi sub Bonifacio anno* 525 *subscripserit. Inde ad Martyres nostros progreditur, eorum festivitatem ex citato a nobis Kalendario ad* XI Kal. Augusti *memorans ; ubi dubium quod nobis Castellanus ingesserat apposite dissolvit.* De iis, *inquit*, duos habemus S. Augustini sermones, qui de sanctis martyribus Massylitanis inscribuntur ; *ut fortasse iidem plane martyres sint, quos* IX *Aprilis anonymos dedimus, hic vero propriis nominibus expressos, de quibus frustra alibi plura aut clariora quæsieris.* D

DE S. JOSEPHO COMITE CONFESSORE

J. P.

SCYTHOPOLI IN PALÆSTINA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B

§ I. Patria, vitæ professio in Judaismo; Judæorum patriarchæ et apostoli.

ANNO CIRCITER CCCLVI VEL PAULO SERIUS.

Tiberias urbs Palæstinæ

T*iberias, urbs Palæstinæ in Galilæa provincia, ad oram lacus Genesareth, Cellario in Australi ; Baudrando autem ac neoterico Legendistæ Gallo, postea citando, in Occidentali parte sita,* S. Josepho comiti *patria obtigit, teste S. Epiphanio, a quo* Tiberiadensis *appellatur in historia, inferius ex ipso a nobis danda num.* 1. *De conditore istius urbis sic loquitur Flavius Josephus Antiquitatum Judaicarum lib.* 18, *cap.* 13 : Herodes porro tetrarcha, receptus in amicitiam Tiberii, de ipsius nomine urbem a se conditam vocavit Tiberiada, electo ad hoc optimo agro Galilææ in ora lacus Genesarethici... Hæc partim a convenis, partim a Galilæis habitata est, quorum nonnulli eo migrare coacti sunt ; quidam etiam e nobilitate sedes illic sibi optaverunt : quoque major esset frequentia, recepti sunt ad incolendum etiam tenuissimi quique undecumque confluentes, et in his aliquot, quos non satis constat esse liberos. C

patria fuit S. Josephi ;

2 Hos magnis immunitatibus ac beneficiis prosecutus, adstrinxit ad habitandum ; alii domos, alii agros largitus, quo minus horrerent ædificatam *urbem* præter ritum patrium in solo multis sepulcris referto : cum juxta nostras leges ad septem dies impurus habeatur, qui in talibus locis habitet. *Porro fueritne Tiberias tum a fundamentis condita, an ex veteri potius oppido instaurata ac reparata, discutiendum aliis relinquimus, ad quos propius id spectet. Interim S. Hieronymus in caput* 48 *Ezechielis*, ℣. 21 : Tiberias, *inquit*, olim appellabatur Chenereth. *Nobilitata autem est Tiberiadis memoria in sacris Litteris, uti patet ex cap.* 6 *et* 21 *Joannis* ℣. 1 ; *nec non eodem cap.* 6, ℣. 23. *Paucula hæc ad notionem patriæ* S. Josephi *sufficiant. De vitæ professione hæc subdimus.*

vitæ professio Judaismus cum summa dignitate conjuncta.

3 *Professus ille fuit superstitionem Judaicam, paternarum traditionum, uti inveteratus perfidæ atque obduratæ istius sectæ mos fert, adeo perfracte tenax, ut quamquam plane singularibus, manifestis ac plures repetitis divinæ misericordiæ adminiculis a sua inveterata pertinacia fortiter et suaviter fuerit ad Christi fidem vocatus ; avocari tamen serio numquam sese siverit a semel concepta obstinatione ; sæpe convictus, sæpe deliberans ac nonnumquam etiam meliora spondens ; nihilo tamen minus usque reluctari pergens, donec tandem victas Deo vocanti manus dedit, uti dicetur inferius occasione conversionis ejus. Et vero supra vulgus Judæorum et coætaneos suos in suæ sectæ instituto, et forte etiam natalium splendore excelluisse, argumento est summa dignitas, qua apud suos fulsit.* Etenim hic ipse Josephus, *teste eodem S. Epiphanio*, ex illorum erat ordine, qui apud Judæos principem locum dignitatis obtinent, quos quidem secundum patriarcham apostolos nominant. Assident hi patriarchæ, et cum eo sæpius diu noctuque versantur ; quod eidem a consiliis sint, ac de iis referant, quæ ad legem pertinere videntur. E

Dignitas patriarchæ et apostolorum

4 *Et quoniam in patriarchæ atque apostolorum apud Judæos dignitatis sermonem incidimus, placet paulo pluribus, quo melius intelligatur, eam elucidare. Noster Dionysius Petavius Opera S. Epiphanii duobus tomis anno* 1622 *Parisiis edidit, et suas in ea Animadversiones adjecit tomo* 2 ; *inter eas vero, quas habet in hæresim* 30, *quæ est Ebionitarum, a pag.* 55, *istos dignitatis titulos recte explanat in hæc verba :* Tam patriarcharum quam apostolorum dignitates ac vocabula apud Judæos nonnisi post Urbis excidium usurpata videntur. De patriarchis in Theodosii Cod. lib. 16, tit. 8 frequens est mentio. Et quidem apostoli patriarchæ velut assessores ex communi et usitata vocis notione dicti sunt, quod ad exigendas a synagogis pecunias ab illo mitterentur, ut ex Cod. Theodosii patet, L. 14 de Judæis. *Sic autem sonat :* Superstitionis indignæ est, ut archisynagogi, sive presbyteri Judæorum, vel quos ipsi apostolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum a patriarcha certo tempore diriguntur, a singulis synagogis exactam summam atque susceptam ad eumdem reportent. F

qualis apud Judæos

5 Qua de re omne, quidquid considerata temporis ratione confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum dirigatur ærarium. De cetero autem nihil prædicto decernimus esse mittendum. *De iisdem patriarchis quod Epiphanius indicat, non delectu, sed generis successione dignitatem adeptos, ac plerumque luxu ac deliciis corruptos fuisse, Hieronymi auctoritate confirmatur ; qui in Commentariis ad cap.* 3 *Isaiæ ad hæc verba :* Et effeminati dominabuntur eis, *ita scribit :* Consideremus patriarchas Judæorum, et juvenes sive pueros, effe-

AUCTORE J. P.

A effeminatosque ac deliciis affluentes, et impletam prophetiam esse cernemus. *Porro de hereditaria ista successione S. Epiphanius inferius in historia* S. Josephi *nostri num.* 10 *sic habet :* Inter hæc adolescente jam Ellelis *patriachæ* filio pupillo, qui ad spem patriarchatus educabatur : neque enim magistratus apud Judæos ullus præripit, sed parentibus filii succedunt, *etc.*

fuerit.

6 *Baronius ideo ad annum* 327, *num.* 18. Bene conveniunt hæc, *inquit*, quæ de nominibus magistratuum Judæorum Epiphanius tradit, cum Constantini imperatoris rescriptis L. 2 et 3 *(imo* 4) de Judæis C. Theodosii, quibus eisdem indulget privilegia, in quibus exprimuntur hæc eorum nomina magistratuum, patriarcha, presbyteri, hieros * archisynagogi. *Et ex loco Codicis Theodosiani supra allegato* apostolos *memorans, indicat apte, illos, præterquam quod* ad exigendum aurum et argentum a patriarcha certo tempore diriguntur, et morum inquisitores et moderatores apud Judæos fuisse ; *ut videsis ad annum Christi* 32, *num.* 5, *et liquet ex iis, quæ inferius de* S. Jose-

* hierei

B pho *referuntur, cujus et historiam Baronius ibidem citat. At quæri hic potest a curiosis antiquitatis investigatoribus, quo tempore dignitas ista patriarchalis primum apud Judæos, atque adeo apostolorum officium cœperit, an ante eversionem urbis Hierosolymitanæ, an vero, quod superius Petavio videbatur, post illam. Controversiam hanc, quoad situm in nobis erit, paululum dilucidemus, si omnino solidis fundamentis dirimere non possumus.*

Disseritur de patriarcharum istorum origine ac successione.

7 *Tillemontius in historica* S. Josephi comitis *conversionis collectione, quam Monumentis suis ecclesiasticis insertam tom.* 7, *a pag.* 290 *exhibet, occasione patriarchæ Ellel seu Hillel, qui, uti in historia, quam infra producimus,* e stirpe Gamalielis originem traxerat, qui patriarchatum apud illos tenuit. Quem etiam suspicari merito possumus, ut a plerisque proditum est, e primi illius Gamalielis genere esse prognatum, qui sub Christi Domini passionem auctor ejus consilii Judæis fuit, ut a persequendis Apostolis abstinerent; *occasione, inquam, illa asserit, videri exprimere S. Epiphanium, quod Gamaliel iste, e quo Ellel originem traxerit, hanc dignitatem primus possederit.*

C *Sed nos ex mox allatis Epiphanii verbis neutiquam id extundere possumus. Discipiamus itaque an et quid ex alio Tillemontii loco conficere in rem nostram possimus. Habetur ille in notis ejus super S. Gamaliele tom.* 2 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 469, *ubi sic animadvertit :*

8 *Multus, inquit, apud Rabbinos sermo est de Gamaliele, quem volunt omnium aliarum synagogarum principem fuisse ab anno circiter* 20 *æræ vulgaris, usque ab* 52. *Filium ei dant Simeonem nomine, alterius ac secundi Gamalielis patrem; qui fuerit primus Judæorum patriarcha (sicut videri dicit Paulo Pezron in Defensione antiquitatis temporis, Gallice edita Parisiis anno* 1692) *omniumque aliorum linea paterna sibi succedentium ad annum usque* 420. *Addit, quod judicet laudatus Pezronius, dubitari non posse, quin primus Gamaliel sit S. Gamaliel, de quo in Actis Apostolorum sermo sit; et tempus sane convenit. At quæritur ibidem apud Tillemontium, an filium is habuerit Simeonem ; sed ipsi non videtur, credi posse, quod alios is filios habuerit, quam Abibam, qui cum eo baptizatus fuerit, et Sedemiam aut Selemiam, qui in Judaismo permanserit : dicere itaque oportere, quod Selemias fuerit Simon (at nomina ista parum inter se affinitatis habent) et, uti paulo post addit, Selemias potuerit esse binominis, uti multi alii Judæi. Sed quod maxime contra principatum primi Gamalielis supra omnes alias synagogas facit, est illud, quod intelligi posse non videatur, quo pacto ita se gesserit S. Gamaliel, ut salva fide et conscientia sua, permanserit Judaicarum synagogarum princeps per annos* 20 *post mortem Christi. Ita ille.*

9 *Dicamus nos, illam successionem, prout a Rabbinis, parum fidei hic, quia in pluribus aliis falli aut fallere consuetis, circumfertur, idoneo fundamento destitui, ut inde conficiatur, Simeonem, S. Gamalielis filium, fuisse patrem alterius Gamalielis, primi Judæorum patriarchæ, ut volunt; cui successerit Ellel, qui, admisso isto successionis ordine, debuisset esse patriarcha secundus; ac proin incertam plane esse epocham, quæ inde petitur, inchoati apud Judæos patriarchatus. Aliunde itaque petenda est. Petavius, uti paulo ante vidimus, censet, illam non nisi post Urbis excidium figendam. Gothofredus inferius memorandus, pag.* 230 : Ad- E
mitto, *inquit*, ut patriarcharum et similia, ita et apostolorum vocabula inter Judæos nonnisi post Urbis excidium usurpata. *Nec vero aptius nobis tempus videtur accommodari posse prædictæ epochæ, quam si eam affigamus exeunti circiter seculo Christi primo aut ineunti secundo : ita quidem, ut non ponatur ante ruinam urbis Hierosolymitanæ, nec diu post illam differatur. Dum vero hic scriptis antiquitatis tabulis destituimur, conjecturis utamur.*

Videntur illi cœpisse instituti exeunte seculo primo aut ineunte secundo.

10 *Diximus itaque has dignitates non incepisse ante excidium Hierosolymitanum. Ecquis enim ante illud vel verbo quidem auctor earum meminit? Nec Josephus, nec quisquam alius de patriarchis locutus fuit, inquit Tillemontius tomo* I *historiæ Imperatorum pag.* 590; *ubi plurima ad illos pertinentia curiose collegit. Ac proin altissimum etiam de apostolis ante illud tempus apud auctores fuit silentium. At vero jam tum ab Adriani tempore exstitisse patriarchas, ibidem addit, judicio nonnullorum eruditorum, quos citat. Et certe finis seculi primi æræ Christianæ, aut initium secundi longe nobis videntur accommodatissima constituendo eorum initio. Etenim accepto per excidium Hierosolymitanum* F
fatali irreparabilis internecionis ictu, eversisque una cum destructo templo eorum sacrificiis, ritibus ac cæremoniis, si paucula inde excipias, nacti postea aliquantulum respirandi spatium, inceperint serio cogitare de erigenda aliqua forma status, ut ita dicam, seu monarchiæ, cujus princeps esset patriarcha, quo de agimus, qui, conniventibus in eo Romanis imperatoribus, tanta apud eos valebat auctoritate, ut regis instar summa rerum potiri videretur. Vide Tillemontium mox citatum.

Plurimæ circa illos notitiæ

11 *Jacobus Gothofredus in Codice Theodosiano a se edito et Commentariis perpetuis illustrato, tom.* 6, *tit.* 8, *lib.* 18, *a pag.* 215 *plurima operose collegit circa dictos patriarchas, quæ hic in compendium contraho, diffusius apud ipsum videnda ab eo, cujus id intererit; eorum quippe multa hoc titulo, et quidem pluribus legibus mentio fit, e quibus asserta circa illos sua confirmat.* I. *Non unum itaque patriarcharum genus fuit, sed alii aliis superiores, alii contra aliorum ditioni subjecti, etc.* ; *patriarcharum item horum certus districtus seu terræ tractus fuit.* II. *Majorum patriarcharum magna sub Chri-*

AUCTORE J. P.

Christianis imperatoribus dignitas viguit, uti constat ex titulis quibus honorati sunt. III. *Istorum patriarcharum arbitrio synagogæ paruerunt, constitutique ab eis legis Judaicæ primates : ditioni enim eorum suberant archisynagogi, patriarchæ minores scilicet ac presbyteri ceteri, ejusque missionibus parebant; ab his denique præpositi, qui ceteris præessent.* IV. *Habebant assessores seu apostolos, de quibus supra diximus.* V. *Certo tempore hi patriarchæ a singulis synagogis certam summam exigebant anniversario canone, auri Coronarii nomine (de quo fuse agit idem auctor in Commentario ad Leg.* 14, *pag.* 229) *in Occidentalibus etiam partibus, quamquam ipsi essent in Orientalibus.*

in compendium hic coactæ

12 VI. *Patriarchæ in sola Palæstina fuerunt, non alibi in Oriente, multo minus in Occidente; vicinas tamen Palæstinæ provincias subinde perlustrabant, ac nominatim Ægyptum.* VII. *Nonnisi unus ab initio patriarcha existebat, et universalis, et quidem adhuc anno* 399; *addit tamen plures Judæorum fuisse patriarchas, Babylonienses videlicet ac Tiberiadenses : de qua re consule Tillemontium superius allegotum, pag.* 591. *De successione eorum, ex Epiphanio satis superque antea jam diximus.* VIII. *Videri voluerunt esse de tribu Juda, ex Origene, aliis id negantibus, Cyrillo videlicet, et Theodoreto, qui eos ad stirpem Herodis refert; Epiphanius autem ad Gamalielem, uti diximus.* IX. *Chrysostomus Oratione* 3 *adversus Judæos in editione Græca Savilii, quæ est oratio quarta in Græco-Latina nostri Frontonis Ducæi tom.* I, *pag.* 504, *patriarchas eorum* caupones, negotiatores, omni iniquitate plenos *vocat.*

proferuntur.

13 *Ex mox addit*, quod qui nunc apud *illos* dicuntur patriarchæ, non sint sacerdotes, sed per simulationem sacerdotum agant personam, nec aliter ludant, quam histriones in scena, *etc. In Dialogo de vita S. Joannis Chrysostomi, sub nomine Palladii Parisiis edito, sic legitur pag.* 137 : Dicunt, pestilentem et falsum Judæorum patriarcham singulis annis aut anno interjecto synagogæ principes mutare ad corradendam pecuniam; similiter et hujus æmulum, Ægyptiorum patriarcham, *etc. Theophilus, ni fallor, intelligitur; de quo vide Patriarchas Alexandrinos ante tomum* v *Junii, pag.* 52*. *Et vero patriarcharum Judæorum vitia in causa fortasse fuerint, cur aboliti sint; de qua re eodem titulo* 8 *Leg. ultima, substitutis eorum loco primatibus* post excessum patriarcharum, *quæ Lex notatur data anno* 429; *adeo ut patriarchæ esse desierint sub Theodosio juniore inter annum* 415 *et* 429, *et propius quidem ad annum* 415 *ob Gamalielis tum dominantis improbitatem nequidquam coërcitam; quam Theodosius diutius non tulerit, vel qui statim post excesserit; ut visum est Gothofredo ad hanc Legem.*

§ II. Mirabilis in judaismo S. Josephi obstinatio, miraculum ab ipso tunc patratum; conversio ad Christianam fidem; dignitas comitis.

Sanctus singularibus plane mediis ac crebro revictus

Mirabilem dicimus istam obstinationem, et jure quidem optimo : sive enim ex una parte consideremus Spiritus sancti impulsum, qui ad meliora Sanctum vocare non cessabat; sive ex altera parte repulsam ejus, qua vocanti resistebat, habemus profecto utrobique, quod egregie miremur. Nam animum ejus solicitum habebat eorum recordatio, quæ in baptismo *Ellelis patriarchæ fieri* mystica arcanaque viderat; et quidnam ageret, anxie cogitabat; *prout dicitur in historia conversionis ejus infra num.* 8. *Accedebat librorum sacrorum lectio ea occasione et modo, quibus id exponitur num.* 9 : Quibus perlectis, rursus ejus animus cruciari cœpit. Et Christianam quidem fidem capessere molestum ei videbatur; sed hæc duo nihilominus et librorum lectio et patriarchæ initiatio vehementer hominem angebant : qui obdurato tamen, ut assolet, animo permansit. *Crucis item virtutem contra præstigias num.* 16, tertium hoc Josephus documentum Christianæ religionis habuit, quo nihil adversus Christi nomen crucisque signum valere maleficia comperit; neque propterea Christianus ut esset, in animum induxit. *Adde apparitionem Christi num.* 17. At Josephus ne ita quidem perpulsus *acquievit; sed* vehementem in morbum ac desperatum incidit.

ad Christi fidem vocatus, semper obstinatus permansit.

15 Tum Dominus ei rursus apparens, ut in se crederet hortatur; ita valetudinis compotem futurum. Hoc ubi facturum recepit, ac repente convaluit, in eadem obstinatione perstitit. Quare secundo in morbum delapsus, ac perinde desperatus, cum jam instare tempus extremum Judæi, illius cognati crederent, quod ab iis secreto fieri solet, mysterium æger audivit. Etenim ex legis peritis quidam natu grandis accedens illius auribus insusurrabat *illa verba, quæ habes num.* 18; *sed sine ullo successu. Sive autem Judæi verba ista adhibuerint tamquam signum ad sanandos morbos; sive superstitio illos induxerit, ut imitarentur atque in speciem simularent illud, quod Christianis persuadebat fides actitare in hujuscemodi rerum adjunctis; satis mirum accidit, a Judæis prorsus incredulis adhiberi verba, quæ præcipua et augustissima circa orbis Servatorem Jesum, quem cane pejus et angue perfidi isti oderant, fidei nostræ mysteria graphice exprimunt. At vero hujus facti fides solide stabilitur ex S. Epiphanio, qui ista adjecit :*

Ista occasione mirum Judæorum factum a falsitate vindicatur,

16 Omni, *inquit*, ego asseveratione confirmo, hæc mihi Josephum ipsum, *quando jam erat ad Christum conversus*, narrasse. Quod insuper ab alio quopiam accepi, *ait, quem pluribus ibidem num.* 18 *et* 19 *describit. Nullum, inquit recte Tillemontius, videmus medium dubitandi de duarum istarum historiarum, a duobus Sanctis allatorum veritate; qui certe nos fallere noluerint. Addit insuper, nescire se, num aliquis sit credendi locus, quod falli potuerint, de quo Calvinista quidam, ipso referente, eos accusat, ordinaria isti sectæ impudentia usus. Etenim illi non proferunt in medium nisi quod audierunt ipsimet. Aliud porro est, si S. Epiphanius afferre debuerit, quod Judæi* semper *dicerent moribundis ista verba mystica, prout observat Tillemontius; addens, non videre se locum dubitandi, quin* aliquoties *id saltem facerent. Verum textus Epiphanii discrte habet* τὸ παρ' αὐτῶν ἀεὶ μυστηριωδῶς γενόμενον παρὰ τούτων ἤκουσε, quod ab iis secreto fieri solet mysterium æger audiit, *prout est in versione Petavii, qua etiam usus fuit Tillemontius. Quod si illum textum magis presse ac verbum de verbo reddere voluerimus, sic cum inter-*

AUCTORE J. P.

A *interpretabimur :* Quod ab illis SEMPER mystice fiebat, ab ipsis audivit; *jam vero si adverbium* ἀεὶ *afficiat aliud sibi junctum adverbium* μυστηριωδῶς *(et certe quippe ni sic videatur hic illud posse afficere, cum immediate ipsi præponatur?) longe tum erit alius sensus; qui sic reddi poterit vel æquivalebit huic :* Id quod ab illis SEMPER MYSTICE fit, quando fit, *vel* quoties fit; ab ipsis audivit.

et explicatur :

17 *Ubi vides non importari, quod ab illis hoc* semper *fiat. Quod si* τὸ semper *in illa propositione immediate afficiat copulam, tum sensus propositionis æquivalebit huic :* Quod ab illis ET FIT SEMPER, et MYSTICE quidem. *Erunt fortasse, quibus hæc expositio videatur ad subtilitates philosophicas releganda potius, quam ad narrationem historicam, ab S. Epiphanio neutiquam forte intentam. Esto : historici quippe in sensu potius vulgari loqui solent, de subtilitatibus istiusmodi minime soliciti ; sed eo nos utcunque cogit factum ex adjunctis omnibus mirabile supra omnem modum, diceremus pene supra omnem fidem, nisi ex ore duorum testium, et unius quidem omni exceptione majoris,* S. Josephi *videlicet, ore re-* B *ferretur ; quod si illud aliquoties seu in certis quibusdam circumstantiis contigisse dicatur, manebit quidem vel sic prorsus mirum ; sed paradoxum, quamquam eo pacto omnino non tollatur, magna saltem ex parte mitigabitur. Si melius aliquid occurrerit eruditis in præsenti argumento, facile eis palmam concesserimus, viam quamdam tentasse contenti, qua facilior forte aditus in implexo hoc negotio ad ipsam veritatem sterni possit. Addi his etiam possunt annotata ad caput secundum historiæ conversionis littera* 1.

non tamen omnis in eo occurrens difficultas solvitur.

18 *Tillemontius difficultatem complanare conatur, recurrendo partim ad evidentiam, qua adventus Messiæ probatur contigisse ; partim ad profundam tenebrarum abyssum, et duritiem humani cordis, producto exemplo* Josephi *historici Judæorum ; si celebris super Jesu Christo locus, inquit, vere ipsius est ; de quo theologi polemici viderint. At per hoc dicta difficultas non tollitur. Ne vero plura hujusmodi obdurationis exempla sectemur externa, quando domesticum* S. Josephi *nostri in promptu adest, cujus adamantinam obstinatæ mentis duritiem nec tot frequentes ac manifestæ Jesu Christi apparitio-* C *nes, nec testimonium adeo singulare de Christo vel a juratissimis ejus hostibus prolatum emollire neutiquam potuere, nedum confessionem ullam tacitam vel expressam Christi Servatoris ex ipso extundere : nam* is, *teste S. Epiphano num.* 20, cum in morbo adhuc esset, et a seniore inter alia hæc.. inaudisset.. animum nihilominus obfirmabat. Igitur Dominus.. iterum ei se in somnis objicit.. sanitati *eum* restituens ; surgere *jubens*, et demum credere. *At frustra :* nam ubi convaluit, ne tum quidem credidit. Iterum ergo, recuperata jam sanitate, per visum ei Dominus offertur, et, quod nondum credidisset, accusat. *Deinde apparitionibus et increpationibus accedunt promissa, et quarta jam se vice ipsi spectandum exhibet Dominus.*

Datur a Christo potestas, ut Sanctus faciat miraculum, quo se ad Christianam fidem convertat ;

19 *Quo autem ei* de religionis *ipsius* fide constet, si quod, *ait*, in meo nomine prodigium efficere volueris ; me ipsum invoca, ego tibi præstabo. *Promisso respondit eventus : nam furiosum in* nomine Jesu Nazareni *a dæmone liberavit, sicut narrat pluribus S. Epiphanius a num.* 21. Interim *tamen noster Josephus* inveterata pertinacia obduruerat, *num.* 23. *Porro circa hoc miraculum ab ipso tum, quando etiamnum in Judaismo sordescere semper pergebat, factum, observare juvat cum Baronio ad annum Christi* 327, *num.* 31, *cujus verba sunt ista :* Quis miretur hæc a Josepho tentata, cum testentur Acta Apostolorum *(cap.* 19) eadem actitata a filiis Scævæ principis sacerdotum? Licet res illis haud ita feliciter acciderit ac Josepho. *Res gesta videri potest, loco citato. Miraculi vero hujus patrandi potestatem,* Josepho *longe undequaque ob inveteratam animi duritiem indignissimo concessam forte audierat S. Basilius, quando in Regulis brevioribus ad Interrogationem* 179 *sic respondet :* Porro quod munus Dei, donumve tribuatur alicui, non est mirandum. Siquidem Deus in tempore bonitatis et patientiæ, solem suum oriri facit super malos et bonos, idque sæpenumero ad utilitatem etiam vel ejus ipsius, cui donum tribuitur, quod videlicet, si fieri possit, Dei bonitatem reveritus aliquo modo incitetur, ut in eum gratus esse studeat : vel aliorum etiam, convenienter verbis Apostoli illis *(ad Philippenses cap.* I ℣. 15 :) Quidam quidem et propter invidiam et contentionem : quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant. *Ceterum an et quo modo miracula fieri possint etiam a reprobis, explicabitur* XXV *hujus in Commentario prævio ad Vitam S. Magnerici, Trevirorum episcopi,* § 8. E

ast alia occasione animus tandem ejus emollitur et convertitur.

19 *Et fructum quidem a S. Basilio mox indicatum producere potuisset in* S. Josepho *miraculum, quod fecit, si minus durus et obstinatus exstitisset. At Pastor bonus ovem illam perditam, adeo patienter et diu frustra hactenus quæsitam, suppliciis tandem ad se pertraxit, quam tot et tam inusitatis favoribus demulserat, ut vocem suam audiret. Conversionis quippe seriæ occasionem* Josepho *dedit dignitas, a Judæorum patriarcha ipsi collata, apostoli videlicet : quo officio cum accurate perfungi vellet, ac ministros quosdam ex eisdem improbos in ordinem redigere, dignitate etiam sua ipsos privans, implacabile apud ipsos contra se odium concitavit. Qui in lectione Evangeliorum ipsum deprehendunt, virgis cædunt, ad mortem quærunt, ac fluvio Cydno submergunt ; ubi pro mortuo derelictus, sed servatus tamen a morte, postea salutaribus sacri baptismi lymphis immersus est, et Christo vivere cœpit ; secundum ea, quæ refert S. Epiphanius num.* 23 *et sequentibus.* F

Fit amicus Constantini magni, et ab eo creatur comes,

21 *Itaque in amicitiam Constantini Magni imperatoris penitus intravit, qui, auditis ex ipso iis quæ contigerant,* illi dignitatis præmium.. contulit, comitemque fecit, jubens insuper, ut quidquid vellet, optaret ; *num.* 26. *Petavius supra memoratus de isto honoris titulo ita notat pag.* 38 : Comitum dignitas, nudus sine magistratu ac functione plerumque titulus fuit, ut ex Codice Theodosiano constat. Hanc Constantinus plerisque, ut refert Eusebius, concessit. Eadem per honorarios codicillos a principe conferebatur : qua de re ad Themistii orationem quartam pluribus disputavimus. *Ita Petavius ; ubi et plura de istis codicillis contra anonymum conjectorem ; quo curiosum lectorem remittimus. De* comitiva, *prout ab Epiphanii interprete nominatur, seu* comitis *dignitate agit Cangius in Glossario mediæ et infimæ latinitatis ; ubi variam istius tituli ac multiplicem notionem valde operose collegit : hic vero videtur indicari præfectura provinciæ seu istius saltem tractus terræ,* in

AUCTORE J. P.

in quo sitæ erant civitates, ab Epiphanio enumeratæ, quibus Constantinus Magnus præfecerit S. Josephum *eo saltem usque, ut imperatoria auctoritate munitus tam contra Judæorum quam Arianorum machinationes, secure ac tuto ædificare ecclesias posset, et forte etiam judicis vel publici magistratus munus aliquod præterea exerceret, quo majorem fidei Christianæ ac meditati operis adversariis, qui oppositurі sese videbantur, sui reverentiam atque observantiam incuteret.*

ut secure et tuto ecclesias ædificare possit,

22 *Neque enim habebat dumtaxat, quod a Judæis, quorum superstitionem deseruerat, sibi timeret, sed vel maxime etiam Arianos habebat infestos, quos, teste Epiphanio num.* 5, summa infamia traducebat. Quippe unus ipse rectam ac sinceram fidem Scythopoli retinebat, cum reliqui essent Ariani. Quod nisi comitis dignitate fuisset præditus, ut hic eum honor ab Arianorum violentia tueretur, ne in ipsa quidem urbe Vir ille constitisset, præsertim sub Patrophilo, *etc. Nec vero merum in eo sine re aut potestate hunc dignitatis titulum fuisse, argumento est illud, quod habemus* B *num:* 27 : At Josephus acceptis cum ea potestate (*ædificandi videlicet ecclesias* in Judæorum pagis omnibus et oppidis) ac dignitate litteris, Tiberiadem perrexit, unaque et diploma secum attulit, quibus impensas e fisco caperet, cum privatim ipse stipendia ex eodem acciperet. *Atque hæc quidem pro instituto nostro sint satis. Si quis de* comitum *origine seu antiquitate, diversis eorum ordinibus, ac reliquis huc spectantibus plenius instrui desiderat, adeat Cangium in Glossario, Gothofredum tom.* 2 *in Commentario ad* 13 *titulum Theodosiani Codicis, et Tillemontium historiæ Imperatorum tom.* 4, *a pag.* 285. *Ad conversionem porro Sancti redeamus.*

renovata forte hunc in finem a Constantino,

23 *Baronius ad annum* 327, *num.* 5 *credit, Constantinum Magnum publicasse de novo occasione ipsius anno* 329 *rescriptum, quod fecerat jam tum ab anno* 315, *ad condemnandos igni Judæos, qui persequerentur eos, quibus placuisset ab eorum superstitione transire ad Christianam fidem. Sic loquitur Baronius :* Occasione, puto, Josephi adversus Judæos lex olim lata Murgilli in Pannonia sub consulatu quarto Constantini atque Licinii, postea Constan- C tinopoli ad cohibendos Judæos, qui agebant in Oriente, iterum sancita reperitur.. eodem imperatore ad Euagrium rescribente. *Vide Codicem Theodosianum tit.* 8 *de Judæis, etc., apud Gothofredum tom.* 6, *pag.* 214; *qui in hunc locum commentans pag.* 215 : Sunt, *inquit*, qui haud improbabiliter censent, eumdem, *de quo ibi proxime egerat*, Josephum, huic legi ferendæ Constantino causam præbuisse.

quam adversus Judæos alias tulerat, lege.

24 *Esto autem cogitatio ista non videatur habere fundamentum particulare juxta Tillemontium in historica collectione* S. Josephi *superius citota ; satis tamen conformis apparet historiæ isti ; e qua discimus, piissimum istum imperatorem* S. Josepho *neophyto magnos benevolentiæ singularis favores contulisse; ipsumque* Josephum, *ecclesiæ Tiberiade construendæ intentum, pessimas a Judæis vexationes sustinuisse ; ut facile contingere potuerit, ut ad Constantinum, apud quem gratia et auctoritate valebat plurimum, illas detulerit præsertim cum obstaculis illis manifeste contrairetur auctoritati, qua munitus egregie ab eo fuerat ad condendus ecclesias ; et Constantinus suamet sponte aliunde erga religiosissima ista opera prorsus impensissime totus flograret. Consule sis Eusebium in Vita Constantini lib.* 2 *et* 3. D

§ III. Exstructa Tiberiade a Sancto ecclesia; scriptum quoddam ipsi attributum; vitæ Chronotaxis; annus mortis incertus; locus, de quo agit Sancti historia, pluribus hic elucidatus.

Circa ecclesiam a S. Josepho constructam

V*arias a* S. Josepho *ecclesias fuisse conditas, potestatem utique sibi ab imperatore Constantino Magno factam non segniter excutioni mandonte, discimus ex historia conversionis sub finem. Circa templum vero inter eas* Adrianum *Tiberiade, de quo ibidem num.* 28, *paucula præmittimus, quibus cognomenti istius ratio dari dilucidarique possit. Ælius Lampridius in historia Augusta ex recensione Claudii Salmasii Parisiis edita anno* 1620, *in Vita Alexandri Severi pag.* 129*:* Christo, *inquit*, E templum facere voluit, eumque inter deos recipere. Quod et Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri; quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur ; sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, et templa reliqua deserenda. *Auctor notarum in historiam prædictam pag.* 170, *credere non vult id, quod hic asserit Lampridius, propterea quod alii hoc non dixerint; censetque templa ista jussa fieri, Adriani* nomini sine dubio consecranda. Quod et Spartianus, *inquit*, in Vita illius testatur.

varia hic discutiuntur;

26 *Sed quamquam is dicat pagina* 7 *quod* per Asiam iter faciens templa sui nominis consecravit, *ad quem locum respexit hic notarum auctor, ut videre est in notis ejus in Spartianum pag.* 26; *satis potet, quod Spartiani assertio non evertat dictum Lampridii, sed quod utrimque conciliari commode possint. Et vero silentium aliorum auctorum, quo nititur dictus notorum auctor, an ratio sufficiens et satis solide fundata videri debet iis, qui Je-* F *sum Christum adoront, ut non credant verum esse, quod ejus inimici non sine gloria ipsius verum esse crediderunt? Certe Lampridius, gentilis auctor, neutiquam nobis, nec proin auctori notarum, suspectus esse debet, utpote qui tam ab adulatione erga Christianos, quam ab illorum sacris erat alienus. Salmasius in notis pag.* 229 *adeo istum locum non arrodit, ut potius supponat esse verum ; quidquid autem sit de ista sive vera sive falsa prædictione, qua Adrianus* prohibitus est, *etc.* : *Deus enimvero eventum ejusdem verum esse voluit, non permittendo, ut imperator adeo improbus aliquam istius gloriæ partem haberet, quam soli imperatori Constantino reservabat, tamquam aliarum, quibus fulsit, laudum præcipuum ornamentum.*

uti et circa scriptum, quod videtur perperam ipsi attributum.

27 *Sed ut denuo ad* S. Josephum *revertamur ; Isaacus Vossius de Sibyllinis oraculis, Oxonii editus anno* 1680, *cap.* 3, *pag.* 18, *apud Tillemontium in pluries adducta collectione historica pag.* 299 *citatur, quod ipse Sancto attribuat scriptum nomine* Hypomnesticon, *in multis, sicut additur bibliothecis inveniendum. At quidnam hoc scripti sit, fatemur*

A *mur cum Tillemontio, nos nescire. Neque satis concipimus, quo fundamento scriptum aliquod possit attribui illi, cujus aliud nullum habemus scriptum, et cujus vitæ professio non videtur ad scribendum fuisse accommodata. Adde quod, cum scriptum illud in promptu non sit, ut nobis inspicere illud liceat, incompertum nobis sit, an et quinam characterismi in eo reluceant. Quin imo videtur nobis longe verosimilius, hujusmodi scriptum non esse* S. Josephi comitis *quia nihil de eo prodidit S. Epiphanius in istis præsertim ipsiusmet* S. Josephi *narrantis, nec non temporis ac rei narratæ adjunctis, in quibus totam pene singulatim ejus vitam audivit, et quidem sub finem vitæ ejus. Si operis istius possessoribus aliquid solidi in mentem veniat, quo illud* S. Josepho *vendicent, inventionem gratulabimur publico eruditorum bono ; sed boni hoc ne vel per umbram quidem sperare audemus. Certiora habemus de tempore quo Sanctus vixit.*

Ex characterismis temporis, historiæ de conversione Sancti a S. Epiphanio intermixtis,

28 *Sanctus quippe Epiphanius historiæ conversionis aliquot temporis characterismos intexuit, quibus et vitæ Sancti exordia, ejusdemque decursus ac finis probabiliter ordinari queant; et unde hanc* B *chronotaxeos hypothesim constituere liceat. Natales ejus affigimus anno Christi circiter* 286 ; *conversionem a Judaismo anno circiter* 326, *ætatis* 40 *: nam latitudinem aliquam ætatis utcumque satis maturæ videtur suadere tum munus tutoris, quo functus est, num.* 8, *tum crebro repetita, et toties ab ipso rejecta media peculiaria, ut se converteret; tum denique dignitas apostolatus, a Juda Judæorum patriarcha,* ad robustam *jam* ætatem *provecto, ipsi collata num.* 23. *Constantinum vero Magnum, qui tunc ab anno* 323 *regnabat in Oriente, vide Tillemontium tomo* 4 *historiæ Imperatorum art.* 4, *anno eodem, aut paulo post convenerit ; a quo fuerit creatus comes anno* 329, *ætatis* 43 ; *anno* 330 *operam dederit ecclesiis ædificandis, ætatis* 44 ; *circa quod tempus contigerint Judæorum ad illas impediendas præstigiæ, num.* 29. *S. Eusebium Vercellensem, in exilium relegatum hospitio exceperit anno* 355, *ætatis* 69 ; *S. Epiphanius ad eum diverterit, ac conversionis ejus historiam audierit ex ipsius ore, anno* 356, cum affecta *utique* jam ætate foret ac septuagesimum plus minus annum ageret, C *teste S. Epiphanio num.* 3.

ordinatur vitæ chronotaxis :

29 *Et sane illud circiter tempus satis apte congruit cum pauculis ejusdem historiæ minutiis, in quibus presse recensendis ob lapsum notabilem temporis, quo audierat eam narrari S. Epiphanius, loquitur modo opinantis, et ob longinquitatem temporis, quod narrationem inter et scriptionem intercesserat, memoriæ quodammodo suæ diffisus, uti planum fit ex sequentibus :* Erat tum patriarchæ nomen Ellel (ita enim et a Josepho nominari solitum arbitror, nisi me ob temporis longinquitatem fallit memoria) *num.* 2. Judas, opinor, patriarchæ nomen erat, neque tanto intervallo probe commemini, *num.* 10. Patriarcha Judas (ita enim forte vocabatur) *num.* 23. Templum,... quod Adrianium, ni fallor, appellabant, *num.* 28. *Illud itaque circiter tempus, ut iterum dicam, satis apte congruit tam cum audita ab S. Epiphanio historia, quam cum tempore, quo eam litteris mandavit : scripsit enim super Hæresibus anno* 376, *ac proinde annis post viginti, quam illam narrari audivisset ; uti conficitur ex Hæresi* 66, *cap.* 20, *pag.* 638 *editionis Petavianæ ; ubi imperatores quosdam enumerans :* Ad hunc annum, *inquit,* qui est Valentis decimus tertius, Gratiani nonus, Valentiniani junioris primus, *etc.* ; *Christi autem* 376.

sed de anno mortis non satis constat.

30 *Jam vero quod S. Josephus paulo post, quam ad ipsum divertit S. Epiphanius, e vita excesserit, hinc credibile, illinc incertum est. Credibile, inquam, id est, quia S. Eusebius episcopus Vercellensis in epistola ad suos, a Baronio ad annum* 356, *a num.* 92 *producta, conqueritur, quod plurima Scythopoli a crudeli Patrophilo, Ariomania infectissimo, passus fuerit : cujus forte ansam querelæ non habuisset, si* S. Josephus, *egregius in paucis ac potens ipsius advocatus et defensor, tum temporis supervixisset. Hac de causa eum tunc non amplius superstitem fuisse, credibile censuit Tillemontius pag.* 299. *Sed non videtur satis expendisse rationes, quæ id, quod hinc apparet credibile, aliunde et æquali, si non majore fortasse cum similitudine, illud reddant incertum. Audiatur Baronius loco citato num.* 91 : Quod Ariani pollerent imperatoris *(Constantii)* auctoritate, haud passi sunt E eum apud tantum hospitem commorari, quem Patrophilus a Josepho divulsum diræ custodiæ mancipavit : indigne enim ferebant cum ipse, tum Constantius, et ceteri Ariani, ut quem a sua ecclesia exilio abstraxissent, in Arianorum parœcia tanto dignaretur honore, cum hospitio Comitis, tum etiam visitatione ex diversis circumcirca provinciis insignium fama virorum. *Atque hæc ratio Eminentissimi Annalium ecclesiasticorum conditoris nobis apparet præferenda conjecturæ Tillemontianæ ; ut dicendum videatur, non satis constare, quamdiu sanctus* Comes *anno ætatis* 70, *Christi circiter* 356 *supervixerit. Castellanus ad textum sui Martyrologii Romani hac die nomini* S. Josephi *adscribit* versus annum CCCLXIX ; *quod si verum esset, jam fuisset octogenario major : quod Castellano non assentimur, donec aliunde id probetur.*

Thermas Gadarenses præstigiis infames fuisse,

31 *Quoniam vero de* thermis Gadarensibus *in historia ejus num.* 11 *fit mentio, et nonnulla circa istum locum nobis se offerunt paulo longiora, quam ut commode in annotatis nostris expandi queant ; visum est potius ea huc conjicere, quæ et Baronius historiæ conversionis nostri Sancti, ex S. Epiphanio apud ipsum narratæ ad annum* 327, *intexuit,* F *percommodam arripiens occasionem referendi sequentia, quæ memorat Eunapius Sardianus in Vitis philosophorum in Jamblicho, insigni fama philosopho, ad easdem thermas accedente, consentientia his, quæ scribit Epiphanius de diaboli præstigiis ibidem exercitis. Sic ergo res habet :* Aliquanto post tempore placuit cunctis, stato anni tempore accedere Gadara, qui locus est thermarum in Syria, secundas a Baiis in Romano imperio obtinens, quibus nullæ balneæ calidæ comparari possunt. Istic cum lavaret, pariterque ceteri darent lavationi operam, nata de balneis disceptatione, subridens Jamblichus : Tametsi religione, inquit, impediar, quo minus ista aperiam, vestra tamen causa id fiet. Simulque jussit discipulos sciscitari a popularibus indigenis, quibus jam olim nominibus donati fuissent duo e calidis fonticulis minores, sed ceteris elegantiores venustioresque.

constat ex mira,

32 Illi postquam imperata fecissent, negarunt se causam nominum posse rescire : uni tamen Amori nomen esse ; alteri Anteroti deo, amantium

AUCTORE J. P.

tium injuriæ vindici. Confestim ipse contacta manu aqua (sedebat enim forte in crepidine fontis, ubi depletur ac superfunditur alveus) paucis admurmuratis verbulis, de fontis imo pusionem excivit candidum, commoda statura, capillitio in fulvum aurum tincto, dorsi cute nitida, qui totus lavanti aut loto assimilis erat. Attonitis rei novitate comitibus: Transeamus, inquit, ad proximum fonticulum; simulque exsurgens præcedebat, in cogitatione defixus, ac suspenso vultu; ibique eadem, quæ prius peragens, alterum Amorem evocavit, prioris per omnia similem, extra comas nigrantes, huic magis, et rutilas et per collum sparsas. Ambo pueruli circumfusi arctis complexibus Jamblicho velut naturali patri inhærebant: quos ille in proprias suas sedes e vestigio restituit, lotusque excessit, obstupefacto comitum et familiarium cœtu, qui ab eo tempore scrutari quidquam desierunt, et argumentis et signis, quæ viderant, tamquam validis habenis pertracti, in omnibus credulos se præbuerunt.

B

quæ hic narratur historia;

33 Ferebantur de illo in vulgus et alia fidei absona monstrique similia, quorum ego nihil scriptis mandare volui, ratus id parum tutum esse, Deoque invisum, si quis historiæ veraci et solida fide nixæ fabulas inanes, commentitias et fluxas inserat. Quid, quod et hæc ipsa scribo non sine religione quadam, metuens, ne rumores sint et fictæ auditiones; nisi quod viros sequor, qui fidem non adhibentes aliis, rei vitæ sensu permoti fuerunt. *Atque hæc tamquam vera admittit Baronius, ut quæ* Eunapius ab Ædesio inter primos Jamblichi familiares se accepisse testatur. *Et ad tempus quod attinet;* ista quidem acciderunt his ipsis prope temporibus *(quibus præstigiæ, ab Epiphanio in historia sæpe dicta relatæ)* nam (quod et Suidas habet) claruit Jamblichus sub Constantino; ad ultimamque senectutem eum pervenisse idem Eunapius tradit, *prout ibidem Baronius observat. Verissime autem de infami isto prostibulo pronuntiat S. Epiphanius num.* 12: Quæcumque loca divinis sunt celebrata prodigiis, in iis ex adverso exitiosas suas plagas tendere *(dæmon)* conatus est.

C

dæmone conante loca sacra profanare.

34 *Eodem namque dæmonis artificio factum est, quod narrat S. Hieronymus epistola* 49 *ad Paulinum, editionis novissimæ Parisinæ Operum S. Hieronymi tomo* 4, *col.* 564; *quæ epistola alias est* 13: Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter 180, in loco resurrectionis simulacrum Jovis; in crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem resurrectionis et crucis, si loca sancta per idola polluissent. Bethleem nunc nostram, et augustissimum orbis locum... lucus inumbrat Thamus, id est Adonidis; et in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, Veneris Amasius plangebatur. *Et sane similem sibi scopum præfixisse diceres diabolum, amatoriis illecebris ac libidinibus opportunum reddendo ac spurcitiis deturpando profanandoque locum, quo de hic agimus: nam in illo situs est agro, Gadareno videlicet, qui Christi Domini præsentia ac miraculis celebratus habetur, uti ex Lucæ cap.* 8 *notat Petavius in Animadversionibus supra allegatis.*

D

§ IV. Historia conversionis S. Josephi qua occasione et qua fide scripta a S. Epiphanio; alii ejusdem scriptores; cultus Sancti ex Martyrologio Romano, aliis sacris Fastis ignoti.

Libri ab Ebionitis asservari et adhiberi consueti

Qua occasione ad hanc conversionis historiam litteris mandandam accesserit S. Epiphanius, disertis verbis indicat ipsemet; quando variis Ebionitarum erroribus relatis, tandem etiam circa eorum libros ita tradit: Atque Euangelium illi quidem secundum Matthæum admittunt, quo solo Cerinthianorum vel Merinthianorum instar utuntur; idque ipsum secundum Hebræos appellant. Etenim vere illud affirmare possumus, unum ex omnibus novi Testamenti scriptoribus Matthæum Hebraice ac litteris Hebraicis euangelicam historiam texisse *. Nec defuere, qui de Joannis Euangelio confirmarent, illud Hebraice Tiberiade in Judæorum gazophylaciis, et in secretioribus quibusdam penetralibus recondi: id quod nonnulli mihi, qui se ad Christi fidem e Judaismo transtulerant, accuratissime declararunt.

E

* texuisse

occasionem dederunt S. Epiphanio scribendi hanc historiam.

36 Imo et Apostolorum Actus in Hebraicum sermonem perinde conversos e Græco iisdem in thesauris haberi, multorum sermone percrebuit; et qui nobis ista narrabant, indidem Christianæ amplectendæ fidei occasionem acceperunt. Fuit ex eorum numero Josephus quidam, *etc.; a quibus verbis inchoat historiam istam nostram; cujus tam ex decursu quam ex fine patet, quod istorum librorum occasione ad scribendam illam animum adjecerit. Etenim apertissime hoc indicat auctor ista clausula, qua narrationem suam absolvit:* Ad hæc, *inquit,* obiter narranda digressi fuimus eorum occasione librorum, qui apud Judæos translati reperiuntur; cujusmodi est Joannis Euangelium et Apostolorum Actus Hebraice conversi. *Ac de occasione quidem scribendi hæc dicta sunto, quibus adeo dilucide mentem auctor suam exposuit, ut addendum nihil reliquerit. Superest, ut de fide, qua scripsit, nunc etiam dicamus.*

F

Fidem historiæ S. Josephi conciliat auctoritas S. Epiphanii, qui illam conscripsit,

37 *Fidem imprimis historiæ nostræ conciliat auctoritas S. Epiphanii, in quo tum vitæ sanctimonia eluxit singularis, tum eruditio magna cum candore et sinceritate conjuncta. Ne pluribus summorum virorum elogiis coacervandis rem in longum sermonem extrahamus, delibare suffecerit paucula ex veterum elogiis, quæ Petavius Operibus ejus a se editis præmittit. S. Hieronymus libro de Scriptoribus ecclesiasticis:* Epiphanius, *inquit,* Cypri Salaminæ episcopus, scripsit adversum omnes hæreses libros, et multa alia, quæ ab eruditis propter res, a simplicioribus propter verba lectitantur. Superest usque hodie, et in extrema senectute varia cudit opera. *Et Apologia* 2 *contra Ruffinum:* Non tibi sufficit passim contra omnes detractio, nisi specialiter contra beatum et insignem Ecclesiæ sacerdotem styli tui lanceam dirigas? Quis est ille, qui velut necessitatem euangelizandi per omnes gentes et per omnes linguas habere se putat de Origene male loquendi; qui sex millia li-

brorum

AUCTORE J. P.

A brorum ejus se legisse, quam plurima fratrum multitudine audiente, confessus est? *Augustinus libro de Hæresibus ad Quodvultdeum sic habet :* Usque ad istos ergo de Hæresibus opus suum perduxit supradictus *(Epiphanius)* episcopus Cyprius, apud Græcos inter magnos habitus, et a multis in catholicæ fidei sanitate laudatus. *Plura tum ibi apud Petavium, tum apud nos invenies ad diem* XII *Maii, quo gesta S. Epiphanii collecta et illustrata sunt.*

qui ab eruditis alibi lapsus convincitur; sed illud

38 *Novi equidem, majorem circa res ac tempora, nec non historiarum delectum a viris eruditis in eo accurationem desiderari*; *prout liquet ex Baronii Annalium tomo tertio variis locis; Melchiore Cano Locorum theologicorum lib.* II, *pag.* 477; *Petavio denique in Animadversionibus ad hæresim* 68 *Meletianorum tomo* 2 *citato, a pag.* 273; *et ibidem adversus hæresim Arianorum* 69, *pag.* 286. *Sed sive falsis aut spuriis alias usus Actis vel historiis, perperam falsa pro veris aliquando tradiderit; sive leviusculis aliorum narratiunculis plus justo credulus nimium detulerit; sive defectu sufficientis delectus res et tempora confuderit*; *obtinuerit hoc alibi* B *in ipso, sed in nostra id historia neutiquam obtinere potest. Etenim non scribit hic nisi quæ ex Sancti ore hausit, et quæ ipsimet Sancto evenerant, et eodem prorsus modo quo evenerant, sincere et candide sine ambagibus aut exaggerationibus hyperbolicis, omnem totius rei seriem pertexens, et ita quidem, ut ubi subodorari poterat in leviusculis quibusdam minutiis subesse posse memoriæ lapsum ob intercapediuis longitudinem, quæ inter tempus, quo historiam audierat narrari, et quo eam scripto consignabat, media interfluxerat; ita quidem, inquam, ut ideo suæ memoriæ diffisus expressiones locis bene multis ita attemperarit, ut nihil diceret præterquam quod probe tunc memoria teneret, et eodem prorsus modo, quo memoriæ tunc occurreret.*

in hac historia non obtinet, quam suspexit Baronius,

39 *Nec vero dici potest memoria hic lapsum esse S. Epiphanium: nam omnia et singula, quæ narravit, satis expressis ac vivis vestigiis memoriæ præsentia habuit. Ubi vero hinc inde in levioris momenti adjunctis videtur vacillasse, id indicare non prætermisit; cujus rei specimina dedimus num.* 28. *Sive ergo narrationis fontem,* S. Josephum *videlicet, sive narrationis scriptorem ipsum, S. Epipha-* C *nium, sive denique narrationis modum et œconomiam consideres; omnia candorem, sinceritatem ac fidem spirant. Quin imo ipsemet Annalium ecclesiasticorum conditor Baronius nullius erga S. Epiphanii scripta adulationis suspectus, utpote qui alibi ipsum liberrime castigavit, hanc historiam certissimo approbationis suæ calculo commendavit: quam ubi ad annum* 327 *Annalibus suis integram intexuisset, auctori ejus sequenti epiphonemate ita applaudit*: Hactenus de his S. Epiphanius : cui gratias agimus, quod tam egregiam historiam, adeoque certa et firma fide testatam, scriptorum monumentis posterorum memoriæ commendarit. *Ad annum vero* 132 *agens de aquæ benedictæ usu in Ecclesia Catholica contra dæmones, exemplo* S. Josephi comitis *blaterones novaturientes confutat.*

genuinam agnoscunt Tillemontius ac Legendista hypercriticus,

40 *Tillemontius nimiæ in approbandarum historiarum delectu credulitatis vitio minime notandus, absit ut vel tantillum hujus historiæ veritatem infirmare voluerit, cum eam tamquam veram et genuinam Monumentis suis ecclesiasticis insertam voluerit; de qua re supra dictum est. Hunc secutus hypercriticus neotericus Gallicus, arrodere alioqui plurima audacter et temere consuetus, inter Vitas Sanctorum hac die tomo* 2, *a pag* 351 *eidem historiæ locum dedit*; *quin imo in tabula Critica auctorum et Actorum mensis Julii pag.* 18 : Historia, *inquit*, ejus descripta fuit modo amplo et perquam accurato per S. Epiphanium, qui eam ex ore ejus didicerat, *etc. Eamdem neotericus item annalista Gallicus historiæ suæ ecclesiasticæ inseruit. Itaque ex productis hactenus tot argumentis pro veritate atque sinceritate hujus nostræ historiæ concludo, summam et indubitatam fidem historicam eidem esse habendam; quidquid tota ejusdem veritas ex ore duorum testium, Sancti videlicet* Josephi, *qui rem omnem ut propriam, qualis revera erat, narravit, et S. Epiphanii qui eam ex ipsius* Josephi *narrantis ore excepit; duo namque sunt testes omni exceptione majores, et in quorum ore stet omne verbum.*

nititurque certis S. Epiphanii testimoniis.

41 *Et sane non ex rumoribus adespotis, non ex obsoletis gerronum somniis, anilibusve næniis, aut ex oblitteratis longinqua locorum, temporum ac personarum distantia vestigiis suam historiam deprom-* E *psit Epiphanius; at certa indubitataque fide singula accepit, eademque, quam accepit, fide ad posteros transmisit, satis præsenti, quamquam non omnino recenti, uti ex dictis patet, memoria. Audiatur ipsemet :* Mihi vero hæc, uti dixi, omnia Josephus ipse narrabat. Hæc, inquam, non aliunde quam ex ipsomet illius ore didici, cum affecta jam ætate foret, ac septuagesimum plus minus annum ageret. Ad hunc Scythopoli diverteram, *etc.*, *num.* 3. Cujus invisendi gratia cum ego, *inquit*, et fratres quidam alii venissemus, iisdem nos ædibus recepti fuimus. Ubi cum Josepho familiariter versati deque eo sciscitati, quid ipsi demum accidisset... ac quemadmodum *a Judaismo* ad Christianos transisset; hæc ab illo omnia auditione certa, non aliena fide explorata didicimus. Quæ cum ad fidelium utilitatem memoria digna cum primis arbitremur.... quæ ad Josephum illum pertinerent, accuratius exsequi voluimus, *num.* 4 *et* 5. Sed ad patriarchæ historiam, et ipsius adeo Josephi redeamus; quam in lectorum gratiam iisdem, quibus ille referebat verbis, accurata fide repræsentabimus, *num.* 6. Ut mihi ipse Josephus F accuratissime narrabat, *num.* 13. *Huc revocari possunt ea, quæ diximus superius, num.* 15.

S. Josephi nostri memoriam nullibi in Fastis reperimus præterquam in Martyrologio Romano;

42 *Collecta sunt hactenus, quæ ad illustrandam prorsus mirabilem* S. Josephi comitis *ad fidem Christi conversionem opportuna esse duximus*; *at nunc tractandum superest instituto nostro maxime necessarium neque parvi sane momenti argumentum sed ejusmodi certe, quod inter alia omnia, quæ de Sancti rebus institui queunt, principem merito locum sibi vendicet; illud videlicet, quod in antiquo e sacris Fastis stabiliendo ipsius cultu consistit. Ac mirabile quidem imprimis id accidit, quod nusquam gentium in ullis, quoad scutari quidem nobis licuit, Martyrologiis, sive ea sint supremæ sive mediæ sive infimæ ætatis,* S. Josephus comes *adscriptus inveniatur. Consulta sunt omnis generis exemplaria Latina, et Græca item tam excusa quam manu scripta; ad aliarum quoque gentium tabulas itum est, sed irrito conatu: neque enim ullum vel per umbram quidem nominis istius hactenus nobis apparuit vestigium aut indicium, nedum mentio aliqua, non*

magis

AUCTORE J. P.

magis quam si nusquam terrarum S. Josephus comes *exstitisset in rerum natura. Solum et unicum inter omnes, quantum scimus, sacros Fastos Martyrologium Romanum, tam anno* 1635, *quam antea editum, illius nomen diserte expressit hac die* XXII. *Istud prædicti anni* 1625 *ita brevissime:* Scythopoli in Palæstina, S. Joseph comitis. *Martyrologium Basiliense juxta Romanum ad novam Kalendarii rationem restitutum, et Jacobi Christophori episcopi Basiliensis jussu editum Friburgi Brisgoiæ, anno* 1584, *adjungit ista:* Qui ex Judæo Christianus effectus, zelo Catholicæ disciplinæ atque miraculis coruscavit. *Quæ haud dubie desumpta sunt ex prima Ramani Martyrologii editione, eum habeantur in ea, quæ prodiit anno* 1586; *ac proin quæ hic dicuntur, ad Romanum illud Martyrologium, tamquam ad primævum eorum fontem reducenda plane censemus.*

incognito nobis fonte in illud assumptus

43 *Quonam igitur ex fonte hunc Sanctum hauserint reformatores Martyrologii Romani; quo duce ac præmonstratore illum annua ibidem memoria honorarint, eandide profitemur, illud omnino nos la-* B *tere. Idem esto judicium de die ac mense, quibus ibidem annuntiatur. Quod nihilo plus intelligimus. De obitu enimvero ipsius, adde etiam de cultu, aut certo cultus die altissimum est silentium in historia conversionis apud S. Epiphanium; præter quem unicum et solum, qui hujus Sancti meminerit, nemo alius occurrit. Neque rem conficit Baronius, dicendo in notationibus ad Martyrologium Romanum,* de quo Græci. *Quinam enim, amabo, sunt tandem illi Græci? Cujusve ætatis et auctoritatis? Scriptine manu, an typis editi? Utinam vel unum unicum nominasset! si quem vidit præter S. Epiphanium, qui Sancti res gestas scripserit; vel si aliud aliquod monumentum ad manum habuit Baronius, ex quo constare nobis possit de continuato aut de inchoato saltem cultu, quo aliquando apud Orientalem gavisus fuerit ecclesiam; unde ad Occidentalem transierit, eadem, præeunte Martyrologio Romano, id est publica venerationis memoria donatus.*

quem Baronius nunc, uti et alias non indicat satis determinate.

44 *Suspicamur, bona diligentissimi Annalium ecclesiasticorum Parentis venia, per hanc annotationem,* de quo Græci, *nihil forte aliud indicare ipsum voluisse, quam quod de illo agat S. Epipha-* C *nius, ut qui summis raram imprimis ac plane mirabilem ejus conversionem ac virtutes alias laudibus prosequatur. Simile quid observatum a nobis fuit in Tractatu de Patriarchis Antiochenis, qui præfigitur tomo* IV *Julii, circa Sanctum, qui floruit eodem, quo hic noster, seculo quarto, nomine Cæsarium, Eudoxii patriarchæ Antiocheni, Arianorum omnium scelestissimi patrem; qui Cæsarius tamquam martyr adscriptus legitur Martyrologio Romano ad diem* XXVIII *Decembris: quem in locum hanc itidem non dissimilem annotationem adjecit Baronius,* Græci de eodem. *Sicut hic, ita ibi etiam indicavimus desiderium videndi illos Græcos produci, si quos vidit.* D *Cæsarii hujus martyris præcones alios, quam Suidam, quem unum ab illo referri in Annalibus locis illic citatis, tunc diximus; quique hæc more suo forsan hauserit ex Philostorgio, historiographo Ariano, ut ex ipsa hujus epitome, a Photio data colligere est lib.* 4, *cap.* 4. *Sed ne præpropere aut præmature quidquam hic statuamus, alio ista remittimus.*

Quamquam vero nulla ex Græcis legitimi cultus indicia habeamus,

45 *Ad Sanctum nostrum potius redeamus. Tillemontius recte Baronio regerit, quod* Græci isto die, *nempe* XXII *Julii,* de illo in Menæis non loquantur; et quod neutiquam sit in Menologio Canisii, *eo videlicet, quod is ex interpretatione Cardinalis Sirleti publici juris fecit; ex quo Baronius Sanctos in eo notatos excerpere consuevit, et inter illos, qui signantur in Romano, suum ipsis quoque locum dare. Neotericus legendista Gallicus alibi exotice criticus, hic vero præter morem facilis et liberalis:* Ecclesia Græca, *inquit,* credidit, honorandam esse religioso cultu ejus memoriam; *sed noverit severus ille toties præter æquum et bonum aliorum correctior, corrigendum se esse ob levitatem, qua tran-* E *scribit ea, quæ probata nec vidit, nec probare ipsemet potuit. Nemo tamen hæc a nobis dicta ita accipiat, quasi expungendum censeamus e Romanis Fastis* S. Josephum; *(quem enim ille tenet in eo locum, tenere porro pergat) sed dissimulare non possumus, libentes nos visuros fuisse aliqua certa indicia produci alicujus saltem legitimi cultus; id quod præ omnibus investigandum a nobis prius est, quam Sanctus aliquis, de quo hoc non satis constet, locum habeat in Opere nostro. Quod quia de* S. Josepho *non satis nobis probabatur, putavissemus, ut candide rem ipsam eloquamur, nobis integrum non esse, ibidem ipsi locum dare, ob non reperta publicæ venerationis idonea monumenta; nisi una unica auctoritas secus persuasisset.*

Sanctum tamen hic damus, exemplo Martyrologii Romani.

46 *Nam quandoquidem inscribitur Martyrologio Romano, satis superque tutos nos esse putamus, si, illo duce præeunte, ipsum Operi nostro accenseamus, præsertim cum nihil noverimus, quod cultui ejus publico sit contrarium, quidquid ille sufficienter aliunde nobis non probetur. Accedit eo, quod forte alicubi circa illum aliquid viderit Baronius, etiamsi id satis clare non expresserit. Et vero nequaquam dubita-* F *mus, quin divina misericordia, adeo profuse dives in Sanctum nostrum, perfectum in illo conversionis opus operata fuerit, eumque piis ecclesiarum structuris, aliisque egregiis virtutibus obnixe intentum, ac publico, etiam tunc, quando etiamnum vivebat, miraculo donatum, de quo inferius num.* 30, *tandemque in pace consummatum ad se evocarit, æternum ipsi pro seria conversione, et vitæ Christianæ professione bravium datura. Reliquum nunc est, ut mirabilem conversionis historiam, notationibus, sicubi congruum fuerit, elucidatam subjiciamus.*

HISTORIA

A

HISTORIA CONVERSIONIS

Auctore S. Epiphanio, synchrono ac familiari, Panarii sive Adversus Hæreses tom. 2, lib. I, a pag. 127 editionis Parisinæ, accurante et interprete Dionysio Petavio S. J. vulgatæ.

CAPUT I.

B

S. Josephus Judæus, ex visu mysteriorum baptismi et lectione Scripturæ sacræ deliberat de fide Christiana, sed nullo successu; filius Judæorum patriarchæ fœde corruptus.

S. Joseph Constantino Magno synchronus, et apud Judæos honoratus,

a b c d e f

Fuit ex illorum numero Josephus quidam, non historiæ ille scriptor antiquus *a*, sed Tiberiadensis *b* alter, qui beatæ memoriæ Constantini senioris imperatoris ætate *c* vixit : a quo etiam comitivam *d* accepit, cum ea potestate, ut cum in urbe ipsa Tiberiadis, tum Diocæsareæ *e*, Capharnaumi *f*, ac vicinis aliis in oppidis ecclesias in Christi honorem exstrueret. Qui quidem priusquam ad imperatoris notitiam pervenisset, quamplurima ab ipsis Judæis est passus. Etenim hic ipse Josephus ex illorum erat ordine, qui apud Judæos principem locum dignitatis obtinent : quos quidem secundum patriarcham *g* Apostolos *h* nominant. Assident hi patriarchæ ; et cum eo sæpius diu noctuque versantur : quod eidem a consiliis sint, ac de iis referant, quæ ad legem pertinere videntur.

g h

C

i ad eorum patriarcham accersit episcopum Tiberiadensem,

2 Erat tum patriarchæ nomen Ellel *i* (ita enim et a Josepho nominari solitum arbitror, nisi me ob temporis longinquitatem fallit memoria.) Is e stirpe Gamalielis originem traxerat, qui patriarchatum apud illos tenuit. Quem etiam suspicari merito possumus, ut a plerisque proditum est, e primi illius Gamalielis *k* genere esse prognatum, qui sub Christi Domini passionem author ejus consilii Judæis fuit, ut a persequendis Apostolis abstinerent. Moriens Ellel vicinum episcopum Tiberiensem arcessit, ab eoque lotione sacra sub vitæ exitum per medicinæ speciem expiatur.

k

ut baptismum clam ipsi impertiat; quæ res, uti et aliæ post narrandæ,

l m

3 Cum enim episcopum per Josephum velut medicum *l* evocasset, facessere jussis omnibus, supplex illum interpellat his verbis : Quæso te, inquit, mihi ut Christi signum impertias. Tum accitis ministris, aquam inferri jubet, tamquam ægrotanti patriarchæ morbi quoddam ex aqua remedium parare vellet *m*. Illi quid strueret ignari imperata faciunt. Inde verecundiam simulans, et universos abire jubens patriarcha, sacro baptismate ac divinis mysteriis initiatus est. Mihi vero hæc, uti dixi, omnia Josephus ipse narrabat. Hæc, inquam, non aliunde quam ex ipsomet illius ore didici, cum affecta jam ætate foret, ac septuagesimum plus minus annum ageret.

A. S. EPIPHANIO.

n maxima producuntur fide a S. Epiphanio tamquam ex ore S. Josephi exceptæ.

o

4 Ad hunc Scythopoli *n* diverteram, quo se Tiberiade ille contulerat, ibique splendida quædam ædificia sibi comparaverat. Tum enim Eusebius Vercellensis *o* in Italia episcopus, a Constantio ob fidei integritatem exulare jussus, ab illo hospitio erat exceptus. Cujus invisendi gratia cum ego et fratres quidam alii venissemus, iisdem nos ædibus recepti fuimus. Ubi cum Josepho familiariter versati, deque eo sciscitati, quid ipsi demum accidisset, quod eum apud Judæos illustrem fuisse sciremus, quive gestæ rei esset ordo, ac quemadmodum ad Christianos transisset, hæc ab illo omnia auditione certa, non aliena fide explorata didicimus.

Causam scriptionis assignat auctor cum notitia S. Josephi.

E

5 Quæ cum ad fidelium utilitatem memoria digna cumprimis arbitremur, propter eos libros, qui in Judæorum thesauris servantur, Hebraico sermone translati ; quæ ad Josephum illum pertinerent, accuratius exsequi voluimus. Nam is non modo Christianus erat, eamque fidem susceperat ; sed et Arianos summa infamia traducebat. Quippe unus ipse rectam ac sinceram fidem Scythopoli retinebat, cum reliqui essent Ariani. Quod nisi comitis dignitate fuisset præditus, ut hic eum honor ab Arianorum violentia tueretur, ne in ipsa quidem urbe Vir ille constitisset, præsertim sub Patrophilo, Ariano episcopo *p*, qui et opibus, et crudelitate, et apud imperatorem Constantium familiaritate atque audacia plurimum poterat.

p

qui alterum matrimonium init, ne ab Arianis ad sacros ordines promoveatur.

F

q

6 In eadem etiam urbe quidam erat ætate junior, qui e Judæo traductus ad Christum, sinceram fidem retinebat ; isque, quod minime palam auderet, clanculum ad nos veniebat. Sed Josephus lepidum quiddam nobis ac ridiculum narrabat, nec dubito quin sit verissimum. Aiebat enim mortua conjuge veritum se, ne ab Arianis violenter abreptus, clericus fieret ; sæpe enim blande illum adeuntes, ut ad suam factionem transiret, hortabantur, ac majoris spe processus alliciebant : ut vel, si necesse foret, episcopatum ostenderent. Horum igitur metu alterum se matrimonium *q* iniisse dicebat, quo se ab illa manuum impositione liberaret. Sed ad patriarchæ historiam, et ipsius adeo Josephi redeamus ; quam in lectorum gratiam iisdem quibus ille referebat verbis, accurata fide repræsentabimus.

Dictus baptismus a Josepho clam visus,

7 Cum itaque patriarcha baptismo hunc in modum initiaretur : Ego, inquiebat, per januæ commissuram furtim introspectans, omnia, quæ ab episcopo patriarchæ fierent observabam, ac diligenter animo retinebam. Ubi inter cetera patriarcha vim quamdam auri non mediocrem tenens, hanc episcopo porrexit : Et, pro me, inquit, offerto. Scriptum est enim : A sacerdotibus Dei alligari solvique in terris omnia, et eadem in cœlo soluta fore vel alligata. Post hæc apertis foribus, sciscitantibusque de patriarcha, qui aderant, quemadmodum ex eo remedio valeret, percommode se habere respondit : quid enim diceret, præclare noverat.

A S. EPIPHANIO. et lectio sacræ Scripturæ deliberationem ei injicit de amplectenda fide Christiana ;

8 Biduo dehinc vel triduo, adeunte sæpius per medici speciem episcopo, felici ex hac vita exitu patriarcha decessit, cum prius Josepho et alteri cuidam honestissimo viro tenerrimæ adhuc ætatis filium commisisset. Quocirca omnia ab illis ambobus administrabantur, quod esset patriarcha adhuc ætate puer ac propemodum infans, et inter illorum manus educaretur. Per idem tempus Josephi animum solicitum habebat eorum recordatio, quæ in baptismo fieri mystica arcanaque viderat : et quidnam ageret, anxie cogitabat. Commodum illic Gazophylacii cella quædam erat obsignata (gaza r porro Hebraice thesaurum significat) cujus sigilli gratia plerisque varia de eo Gazophylacio suspicantibus, Josephus clam ausus aperire, nihil pecuniarium reperit, sed libros dumtaxat, pecuniis omnibus præstantiores.

sed obduratus permanet.

9 Quos dum evolvit, forte in illud incidit, de quo dictum est, Joannis Euangelium, e Græco in Hebraicum translatum, una cum Apostolorum Actibus. Ad hæc Matthæi quoque Hebraicam genealogiam invenit. Quibus perlectis, rursus ejus B animus cruciari cœpit : et Christianam quidem fidem capessere, molestum ei videbatur ; sed hæc duo nihilominus, et librorum lectio, et patriarchæ initiatio vehementer hominem angebant. Qui obdurato tamen, ut assolet, animo permansit.

Interea patriarchæ filium, a Judæis ad quælibet nefanda pellectum,

10 Inter hæc adolescente jam Ellelis filio pupillo, qui ad spem patriarchatus educabatur, (neque enim magistratus apud Judæos ullus præripit, sed parentibus filii succedunt) mox ut ætatis florem ac vigorem attigit, ad ejus familiaritatem æquale quidam perniciose obrepunt otiosi adolescentes, ac moribus corrupti, (Judas, opinor, patriarchæ nomen erat, neque tamen tanto intervallo probe commemini.) Hi varia illum ad corruptelæ flagitiorumque genera pertrahebant, mulierum stupra, nefandas libidines, magicas præstigias, quibus ad cupiditates explendas illum adjuvabant ; et amatoriis illecebris, atque carminibus ad ejus complexum matronas ingenuas vi quadam adigebant.

C

ANNOTATA.

a *Flavius Josephus videlicet, qui floruit anno æræ Christianæ* 67. *Plura bibliographi ; ac nos die* XXI *hujus mentionem de eo fecimus in Sylloge historica S. Danielis prophetæ* § 8, *pag.* 128.

b *Ab elucidatione hujus loci incepimus nostrum Commentarium prævium.*

c Constantini senioris imperatoris *res gestæ ad diem* XXI *Maii, a pag.* 12 *illustratæ sunt. Obiit anno* 337.

d Comitivam *dignitatem pluribus exponit Commentarius noster prævius* § 2.

e Diocæsarea *in tractu Tiberiadis. S. Hieronymus in Præfatione in Jonam, tomo* 3 *editionis novissimæ col.* 1470 : Geth, *inquit*, in secundo Saphorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæsarea, euntibus Tiberiadem haud grandis est viculus. *Inferius num.* 27 *ab Epiphanio Diocæsarea dicitur* Sephurim, *satis utcumque conformiter eum S. Hieronymo.* D

f Capharnaum, *urbs est ad lacum Genezareth, e sacris litteris notissima, quæ Christum habuit incolam, et cujus fuit propria civitas Matth. cap.* 9, *℣.* I ; *et cap.* 4, *℣.* 13. *S. Hieronymus in libro de Situ et nominibus locorum Hebraicorum, tom.* 2. *editionis citatæ col.* 426 : Capharnaum, *inquit*, juxta stagnum Gennezar, usque hodie oppidum in Galilæa Gentium *(alias superiore)* situm, in finibus Zabulon et Nephthalim.

g Patriarchæ *apud Judæos officium habes in Commentario prævio* § 1.

h Apostoli *Judæorum pluribus descripti sunt ibidem.*

i *Patriarcham Huillum, a S. Hieronymo Apologia* 1 *adversus Ruffinum ex Origene memoratum, sed ab aliquo eum hoc Ellele confusum, habes apud Gothofredum citatum pag.* 216.

k *De* Gamalielis genere *satis multa diximus superius. Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano, ad diem* II *Decembris signat* Gamalielem *cum titulo martyris ;* E *additque in notis, ejus reliquias in ecclesia Pisana asservari. Castellanus in tabula Festorum, Martyrologio suo universali adjecta pag.* 1082, *agit de inventione reliquiarum* Gamalielis, *etc. Sed alio ista spectant.*

l Medici *professio haud tamquam repugnans dignitati aut sanctitati episcopali habebatur ; prout conficitur ex Eusebio Ecclesiasticæ historiæ lib.* 7. *cap.* 32, *pag.* 288 *editionis Valesianæ ; ubi Theodotus episcopus Laodicenus dicitur* medicinæ... quæ in corporibus curandis constitit, omnium sine controversia peritissimus.

m *Balneum intelligit neotericus Legendista Gallicus in Collectione historica Vitæ, de qua supra ; quod et suadetur inde, quod* verecundiam simulans, universos abire jubens, *etc., ut mox dicitur de patriarcha hic.*

n *Urbs est Palæstinæ ad Jordanem ; de qua plura jam pridem dicta sunt ad diem* XXI *Februarii, pag.* 247, *occasione S. Severiani, ejusdem urbis episcopi et martyris.*

o *S. Eusebius, Vercellensis episcopus et martyr, notatur in Martyrologio Romano die* I *Augusti et* F XV *Decembris, cujus gesta collegit Tillemontius Monum. eccles. tom.* 7, *a pag.* 529. *Sed hæc alio spectant. Hic autem obiter notandum est, quod occasione vocis* Βριγγέλλας, *uti est in Græco textu apud Petavium (pro quo forte scribi debet* Βερκέλλας*) in versione Operum S. Epiphanii Latina, interprete Jano Cornario, anno* 1564 *Parisiis edita, inepte reddatur* Fregellæ ; *et sic ibi dicitur perperam* Eusebius Italiæ episcopus urbis Fregellæ.

p *Habes apud Baronium ad annum Christi* 325 *Patrophilum Scythopolitanum inter primipilos Arianorum. Tillemontius ipsum perstringit Monumentorum ecclesiasticorum tom.* 7 *variis locis, uti videre est in indice ad hunc tomum.*

q *An et quot liberos ex duobus istis matrimoniis habuerit, nusquam invenimus.*

r Gaza *vulgo Persica vox dicitur, sed ab Hebræis etiam usurpata, uti et a Latinis.*

CAPUT

A

CAPUT II.

Patriarchæ filium frustra conatur S. Josephus ad frugem revocare ; triumphat nomen et crux Christi; Josephus tamen in Judaismo pertinax.

Josephus, ejusdem tutor ad frugem reducere satagit ;

At Josephus, et alter pupilli curator senex, puerum sequi coacti, sane id permoleste ferre, et objurgare nonnumquam verbis, et hortari. Ille æqualibus suis multo magis obsequi : flagitia partim dissimulando, partim inficiando tegere. Neque enim tutores criminari ac vulgare scelera palam audebant, sed quasi erudiendi gratia opportuna monita suggerebant. Forte Gadara *a* ad thermas *b* proficiscuntur. Frequens illic mercatus quotannis celebratur : ad quem, undique lavandi causa dies aliquot confluunt, variorum ad morborum remedium, idque callidissimo dæmonis consilio geritur.

sed frustra : nam impuro amore insaniens,

12 Nam quæcumque loca divinis sunt celebrata prodigiis *c*, in iis ex adverso exitiosas suas plagas tendere conatus est, atque illic viri cum mulieribus promiscue *d* lavare solent. Ac tum forte *e* erat in balneis ingenua mulier, eximia corporis venustate ac specie : quam adolescens inveteratæ libidinis aculeo percitus adamavit, ac per balnearum solium *f* ambulans, latus suum ad mulieris latus affricuit. Illa in nomine Christi semet obsignat *g* : nam Christiana erat; quo minus peccare eam, aut lavare cum viris attinebat. Sed hæc plane imperitis atque idiotis ob ignaviam doctorum accidere solent, qui ejusmodi homines nullis documentis præmuniunt.

nec voti compos factus,

13 Verum ut sua Deus miracula demonstraret, omnibus suis conatibus patriarcha ille adolescens excidit, cum et ad eam misisset, et muneribus solicitasset; illa vero et internuncios contumeliose a se dimisisset, nec impudici amatoris artibus cessisset. Igitur socii, comperto juvenis mœrore, quem ex vehementi mulieris amore ceperat, potentiores quasdam præstigias adornant, ut mihi ipse Josephus accuratissime narrabat. Nam post solis occasum vicinos ad tumulos infelicem puerum adducunt. Ibi enim sepulcra sunt, quæ Polyandria *h* vocantur, cavernæ nimirum rupibus incisæ.

ad magicas præstigias appellit animum ;

14 Quo cum illum adduxissent, magica quædam carmina et execrationes, atque impietatis plenissimas artes adolescentis causa, concepto etiam nomine mulieris, expediunt. Interim divino nutu factum est, ut hæc seni alteri, qui cum Josepho erat, in animum venerint. Qui, re cognita, omnia cum Josepho communicat. Ac primum calamitatem suam deplorans, O nos, frater, miseros, inquit, ac vasa perdita! Cuinam appositi custodes sumus? Quid rei esset sciscitatus Josephus, nihil ante verbis ab eo didicit, quam manu prehensum senex in eum locum eduxit, ubi cum adolescente nefaria illa manus inter mortuorum busta, maleficii causa convenerat.

A S. EPIPHANIO.

sed nequidquam ;

15 Ergo illi foris ad ingressum stantes, omnia, quæ ab iis fierent, exaudiunt, iisdemque abeuntibus se subducunt. Neque enim admodum advesperascebat ; sed utpote sub occasum solis dubia luce discerni adhuc oculis aliquid poterat. Mox sceleratis illis a sepulcro digressis, cum collega Josephus ingreditur. Ibi maleficiorum instrumenta reperiunt in humum abjecta, quæ, ut aiebat, humano potu ac sanguine aspersa, immisto pulvere discedentes reliquerant.

signo crucis ac Christi nomine prævalente : quo viso nondum Christianus fit Josephus ;

16 Tum vero compertæ illorum insidiæ, cognitumque, cujus hæc mulieris causa molirentur ; itaque quantum artes illæ possent, exspectabant. Cum nihil venefici isti promovissent, ac se mulier et Christi signo, et fidei præsidio defenderet, cognitum est, adolescentem tres integras noctes illius alliciendæ gratia substitisse, ac demum spe sua frustratum cum impostoribus jurgio contendisse. Tertium hoc Josephus documentum Christianæ religionis habuit, quo nihil adversus Christi nomen, crucisque signum *i* valere maleficia comperit ; neque propterea Christianus ut esset, in animum induxit. E

neque eo ipsum permovit apparitio Christi, sed præter promissum obstinatus mansit.

17 Secundum hæc Christus ei se in somnis objicit ; et : Ego, inquit, sum Jesus, quem majores tui in crucem egerunt : proinde in me credito. At Josephus ne ita quidem perpulsus vehementem in morbum ac desperatum incidit. Tum Dominus ei rursus apparens, ut in se crederet, hortatur ; ita valetudinis compotem futurum. Hoc ubi facturum recepit, ac repente convaluit, in eadem animi obstinatione persistit. Quare secundo in morbum delapsus, ac perinde desperatus, cum jam instare tempus extremum *k* Judæi, illius cognati, crederent, quod ab iis secreto fieri solet, mysterium, æger audiit. Etenim ex legisperitis quidam natu grandis accedens, illius hæc auribus insusurrabat.

Alia denuo ad Christi fidem amplectendam monitio,

18 Crede, inquit, Jesum sub Pontio Pilato cruci affixum, Dei Filium, et ex Maria postea genitum, Christum esse Dei, et a mortuis excitatum ; et ad mortuos vivosque judicandos esse venturum. Omni ego asseveratione confirmo, hæc mihi Josephum ipsum in rei gestæ exponenda serie narrasse *l*. Quod insuper ab alio quopiam accepi, qui Judæus adhuc ob illorum metum erat, atque inter Christianos persæpe degebat, eosque et observabat plurimum et amabat, qui per Bethelis, Ephraimique solitudinem ab urbe Hiericunthis *m* ad montium *n* juga tendenti mihi comitem se itineris adjunxit. Huic ego cum de Christi Domini adventu nonnulla proponerem, nulla in re contradicebat. F

et auctoris digressiuncula circa Judæum.

19 Qua re plurimum admiratus, quid causæ tandem esset, hominem interrogavi (et erat alioqui legis suæ peritus, ac disputandi sane non expers) cur, inquam, mihi nihil responderet, ac de Christo Jesu Domino nostro mihi consentiret. Ad quæ ille subjecit : moribundum se quandoque a Judæis insusurrari sibi in aurem leviter audisse, Jesus Christus crucifixus, Dei filius, de te judicabit. Sed hæc hactenus ; quod ad rem præsentem attinet, revera, ut accepimus, dicta sunto. Redeo jam ad Josephum.

20 Is cum in morbo adhuc esset, et a seniore inter

A S. EPIPHANIO. *Apparet Josepho iterum ac quarto Jesus; sed ne vel tum quidem credere in illum voluit.*

inter alia hæc, quæ diximus, inaudisset: Jesus Christus de te judicabit, animum nihilominus obfirmabat. Igitur Dominus pro ingenti sua erga homines misericordia iterum ei se in somnis objicit: Teque, ait, sanitati restituo. Surge modo, et nunc demum credito. Verum ubi convaluit, ne tum quidem credidit. Iterum ergo recuperata jam sanitate per visum ei Dominus offertur, et quod nondum credidisset accusat. Inde amplissima quædam promittens, sic alloquitur: Ut tibi, inquit, de religionis meæ fide constet, si quod in nomine meo prodigium efficere volueris, meipsum invoca; ego tibi præstabo.

ANNOTATA.

a Gadara, *inquit S. Hieronymus lib. de Situ et nominibus locorum Hebræorum citato, col.* 451 urbs trans Jordanem, contra Scythopolim et Tyberia-
B dem ad orientalem plagam sita in monte, ad cujus radices aquæ calidæ erumpunt, balneis desuper ædificatis. *Plura de hoc loco Cellarius Notitiæ orbis antiqui tom.* 2, *lib.* 3, *cap.* 13.

b *De* thermis *istis plura suggerit Commentarius prævius a num.* 30.

c *Locus hic ibidem expositus fuit num.* 33.

d *Græce est* ἀνδρόγυνα γὰρ ἐκεῖσε λούονται. *Petavius pluries modo citatus, variis notitiis locum hunc in suis ad eumdem Animadversionibus illustravit, quas, ne forte curiosus aliquis hic desideret, huc transcribo. Mira, inquit, vocis usurpatio, qua promiscuas utriusque sexus balneas fuisse significat. Est enim* ἀνδρόγυνον λούεσθαι, *idem ac* promiscue. *Sic in Constitutionum Apost. lib.* 1, *cap.* 9, ἀνδρόγυνον γυνὴ πιστὴ μὴ λουέσθω. *Quod impurissimi perditissimique genus exempli Romæ etiam aliquando fuit. Adrianus autem, authore Spartiano,* lavacra pro sexibus separavit. *Quod idem ab Alexandro postea revocatum. Lampridius:* Balnea mista Romæ exhiberi prohibuit; quod quidem jam ante prohibitum Heliogabalus fieri permiserat. *Quanto prudentius moderatiusque Romani illi veteres, a quibus*
C *hoc manavit institutum,* ut filii cum parentibus puberes, vel generi non lavarentur, ne paternæ reverentiæ auctoritas minueretur, *ait Ambrosius* 1 *Off., cap.* 18, *et Cicero* 1 *Off. At vero non Christiani modo quilibet, sed etiam, quod mirandum, ac detestandum magis est, clerici ipsi cum mulieribus plerumque lavare consueverant. Quæ flagitiosa licentia cum in Christianis omnibus, tum in posterioribus istis canonum severitate coerceri opus habuit, quos ibidem citat Petavius. Varia etiam circa balnea notantur ad libri* 1 *Constitutionum Apostolicarum jam memoratum caput* 9, *inter sanctorum Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt opera, etc., editionis novæ anni* 1700, *pag.* 209.

e *Græce est* κατὰ συγκυρίαν, *id est* forte, *vel uti redditur Luc. cap.* 10, ℣. 31 accidit, ut. *Ineptissime Cornarius,* juxta Sycyriam; *qui* Sycyriam *locum esse credidit: nam, teste Petavio hic,* συκυρίαν *antea legebatur, non tamen* Συκυρίαν *majusculo* Σ, *ut quidam, inquit, asscrit.*

f *Græce* διϊὼν ἐν τῷ ἀέρι, *Cornarius,* deambulans in aere; *sed* ὁ ἀὴρ *balnei partem esse, ex Galeno ad Glauc. pridem observatum fuisse ab eruditis* D
hominibus, etsi non liquet quænam pars illa sit, recte hic notat Petavius: quam ipse interim solium *reddidit.*

g *Hic Eminentissimum Annalium conditorem immerito et insulse insectatur Casaubonus, quod salutaris illius signi virtute Christianam mulierem e tanto castitatis periculo liberatam ab Epiphanio dici putet. Quod Epiphanium voluisse negat, sed nec ullam in signo crucis ad efficienda miracula propriam inesse virtutem: neque vero aliter quam ut piam cæremoniam adhibitam in Ecclesia veteri, quæ orationi adjuncta animos fidelium ad Christi crucem eveheret. Vide Petavium, et ea, quæ nos ex ipso inferius.*

h *Notæ in Julii Pollucis Onomasticum Græce et Latine editum Amstelodami anno* 1706, *segmento* 16, *lib.* 9, *cap.* 4, *pag.* 986, *ad vocem* πολυάνδρεια *observant ista:* In Hesychio est πολυάνδριον, τάφος πολυχώρητος, μνῆμα; sed seu πολυάνδριον seu πολυάνδρειον scribas, parum refert; attamen prior scriptio magis est usitata. Πολυάνδρια vero sepulcra erant capaciora, in quibus plusculæ locandis cadaveribus fuere cellulæ. Hieronymus in E
Prophetas haud raro meminit: et hujusmodi publica fuisse videntur sepulcra, in quibus honoris ergo viri fortes, et bene de republica meritissimi condi solebant. *Consuli etiam de hac voce potest Lexicon Suidæ.*

i *Ex textu Græco S. Epiphanii, qui Latine paulo ante hic redditur,* cum nihil venefici isti promovissent, *etc. Petavius mox citatus Casaubonum ita superiores næneas prosequentem:* Quis negare audebit, aliud hoc esse, quam quod scribit Baronius, dicere Epiphanium signi crucis virtute, illam mulierculam fuisse periculo ereptam, *recte solideque confutat, ut qui oscitanter hanc Epiphanii historiam legerit, prout ex hoc loco satis apparet: ubi quidnam aliud Epiphanius narrat, quam crucis præcipue signum, et invocationem nominis Christi mulieri præsidium attulisse? Infinita sunt antiquiorum Patrum testimonia, quibus illud, quod iste negat, efficitur, veterem nempe Ecclesiam salutari crucis signo vim quamdam tribuisse; id quod ex Basilio potissimum, ceteros ut omittat, Petavius invicte probat. Quæ tanti Patris auctoritas* σταυρομάστιγας, F
si omnem nondum frontem exuerint, confundere debet. Huc maxime conducunt annotata inferius ad cap. 3, *littera* g.

k *Editio Petavii habet* ὑποληφθεὶς δὲ τελευτᾶν; *qui monet in Animadversionibus hic, antea lectum fuisse* ὑπολειφθείς. *(vertit enim Cornarius,* relictusque velut moriturus) *additque, se ex regio codice* ὑποληφθεὶς *restituisse; idque et narrationis seriem postulare. Quod et recte probat. Neque enim moribundum Judæi eum cognati deseruerant; quos mysticum illud insusurrasse dicit.*

l *Petavius in Animadversionibus, hic Epiphanium, inquit, otiosus quidam nugator nimiæ credulitatis accusat, quod falsa Judæi unius aut alterius narratione inductus, existimaverit, morituris omnibus mysterium illud in aurem immurmurari. Scribit enim* τὸ παρ' αὐτῶν ἀεὶ μυστηριωδῶς γινόμενον. *Verum ut hæc mera fabula sit, nullam omnino sanctissimus Pater culpam hac in re sustinet; qui quod a fide dignis hominibus acceperat, simpliciter, uti narratum sibi erat, nullo suo interposito judicio retulit*

A *tulit. Quid est autem cur de Christo plerosque id sibi Judæorum persuasisse non putemus? Neque enim mentitum fuisse* Josephum comitem *vel Calvinianus iste nisi impudenter finxerit. Ita Petavius; sed de ista re pluribus disseruimus in Commentario prævio a num.* 14.

m Ἰεριχὼ *in veteri et in novo Testamento nomen est indeclinabile; quod tamen varie apud varios inflectitur. Mendose hic* Jerichunthis; *nam ultima syllaba non per adspiratam litteram* θ, *sed per tenuem* τ *effertur; ac proinde Latine absque adspirata* h *exprimi debet. De cujus loci situ et eventibus varia collegit Adrichomius in Theatro terræ Sanctæ pag.* 18.

n *Ab Hierichunte, relicta ad Occidentem Hierosolyma, itur Septemtrionem versus primo ad montes Bethel, deinde hinc ad montes Ephraim, milliarium unius horæ circiter octo linea recta ab Hierichunte distantes, si credimus mappæ topographicæ tribus Ephraim, etc., apud Adrichomium ante paginam* 25. *Major enim alibi notatur distantia.*

B

CAPUT III.

Miraculo, quod patrat, non convertitur; promovetur a Judæis, deinde cæditur et morte exponitur; at tandem baptizatus condit ecclesias; ac crucis signo præstigias eorum dissolvit.

Accepta in confirmationem fidei Christianæ potestate faciendi miraculum,

Erat in urbe Tiberiade furiosus quidam, nudo corpore circumcursans, qui cum sæpius indueretur, ut ejusmodi hominum mos est, vestes suas lacerabat. In eo Josephus, quæ per visum acceperat, experiri gestiens, dubitare tamen nonnihil, ac pudore retardari. Confirmato tandem animo, intra ædes adducit; et occlusis foribus, aquam manibus hauriens et amentem illum cruce consignatum aspergens: In nomine, inquit, Jesu Nazareni crucifixi exi dæmon ab hoc C homine, isque sanus esto. Ad hæc ille vociferans et humi procumbens, atque ex ore spumas agens, seseque dilanians, diu permansit immobilis: ut mortuum jam esse Josephus crederet.

furiosum a dæmone liberat S. Josephus;

22 Donec interjecto horæ spatio vultum perfricans surrexit. Tum se nudum animadvertens, occultare ac manibus pudenda protegere, eo se habitu corporis esse, permoleste ferre. Denique veste ab Josepho ex iis, quarum copia erat, injecta, sibi restitutus, animoque compositus, magnas illi secundum Deum gratias egit, cujus se beneficio liberatum agnosceret; eumdemque tota urbe pervulgavit. Ita Judæorum omnium, qui istic erant, aures miraculi illius fama pervasit. Ex quo rumor ingens percrebuit, ita illis jactantibus: Josephus, aperto gazophylacio, scriptum Dei nomen invenit, eoque lecto mirifica portenta ac prodigia facit.

sed vel sic in obstinatione sua obfirmatur,

23 Neque falso ista differebantur, etsi non eo quo illi suspicabantur, modo contigerant. Interim Josephus inveterata pertinacia obduruerat. Sed clementissimus Dominus, qui sese diligentibus præclara quædam offert consequendæ salutis præsidia, eadem illis impertit, quos æternæ vitæ felicitate dignari constituit. Per idem tempus cum jam patriarcha Judas (ita enim forte vocabatur) ad robustam ætatem pervenisset, Josephum præmii loco apostolatus (dignitatis id nomen est) honore ac commodis exornat. Inde cum litteris in Ciliciam proficiscitur. Quo cum accessisset, unoquoque ex oppido decimas ac primitias a provincialibus Judæis exigebat.

A S. EPIPHANIO.

a Judæis ad apostolatum promotus;

24 Ac tum casu contigit, ut nescio qua in urbe in vicina ecclesiæ domo diversaretur. Exinde contracta cum episcopo familiaritate clam ab eo Euangeliorum librum postulat ac legit. Et quoniam pro ea, quam gerebat, Apostoli functione (ita enim ut diximus, ea dignitas vocatur) summam præ se gravitatem, atque in constituenda disciplina severitatem ferebat, cui rei præstandæ fuerat electus, ac plerosque synagogis præfectos, et sacerdotes ac presbyteros, et Azanitas, quo nomine diaconos aut ministros appellant, homines improbos in ordinem redegerat, ac dignitate E privarat, multorum in se convertit odia.

quem munere suo recte functum et legendo Evangelio occupatum virgis cædunt,

25 Qui ut eum ulciscerentur, curiosius explorare, et quæ ab illo gererentur, inquirere summopere cupiebant. Ob eas igitur causas acutissime tandem odorati ex improviso impetum in ædes faciunt, atque in ipsa Euangeliorum lectione Josephum opprimunt. Hic libro de manibus erepto hominem corripiunt, et ad terram allisum, vociferantes maximisque contumeliis vexantes, in synagogam abducunt, virgisque cœdunt. Primum hoc ab illo legitimum certamen pro fide susceptum. Ad hæc accurrit urbis episcopus, eumque ex illorum manibus eripit.

et interimere machinantur; sed servatur et baptismo tandem abluitur, bene favente ei Constantino Magno,

26 Alias deinde cum iter agentem offendissent (sic enim ipse narrabat) in Cydnum *a* abjiciunt; atque illum impetu fluminis abreptum ac sub aquas demersum periisse rati, magnopere gavisi sunt. Sed is servatus, postea cœlesti lavatione dignatus est. Hinc ad comitatum profectus, ad Constantini imperatoris amicitiam pervenit, *a* eique quidquid sibi acciderat, exposuit; principem se Judæos inter dignitatis locum habuisse; sed visa sibi frequentia divinitus oblata, invi- F tante Domino, ut ad fidei cognitionisque suæ sanctissimam sortem, ac salutem sese transferret. At optimus imperator, Christique revera servus, et divino quodam inter principes ardore post Davidem, Ezechiam, et Josiam æstuans, hoc illi dignitatis præmium, quod paulo ante retulimus, contulit, comitemque fecit, jubens insuper, ut quidquid vellet optaret.

et comitis dignitatem impertiente cum potestate ædificandi ecclesias:

27 Ille nihil aliud nisi hoc unum maximi beneficii loco postulavit, sibi ut in Judæorum pagis omnibus et oppidis exstruendarum in Christi honorem ecclesiarum potestas imperatoris edicto fieret. Quibus in locis nemo umquam ecclesias ædificare potuerat; quod nullus inter eos neque gentilis, neque Samaritanus, neque Christianus habitaret. Præsertimque Tiberiade, Diocæsareæ, quæ et Sephurim dicitur, Nazareti *b*, Capharnaümi; ibi diligenter hoc observant, nemo ut *b* gentis alterius domicilium illic habeat *c*. At Josephus, acceptis cum ea potestate ac dignitate *c* litteris, Tiberiadem perrexit, unaque et diplomata secum

A S. EPIPHANIO.

secum attulit, quibus impensas e fisco caperet, cum privatim ipse stipendia ex eodem acciperet.

quarum dum unam condere instituit Tiberiade, rem impedire maleficiis d

28 Igitur Tiberiade ecclesiam ædificare cœpit. Erat in eadem urbe templum ingens olim exstructum, quod Adrianium *d*, nisi fallor, appellabant. Quod cum imperfectum hactenus mansisset, oppidani publicas in balneas commutare studebant. Hoc Josephus nactus, ad id, quod animo conceperat, accommodare instituit. Et ut quadrato lapide quaternum cubitorum certam ad altitudinem erectum invenerat, veteri structuræ novam ecclesiæ molem imponere statuit. Ad id calce viva opus erat, reliquaque omni materia. Igitur caminos extra urbem fieri non paucos imperat, septenos circiter, quos vulgo fornaces nominaut

conantur Judæi; sed Josephus,

29 Sub hæc Judæi ad audenda quælibet projecti, ad usita ei genti maleficia confugiunt. Etenim magicis carminibus ac præstigiis vim ignis impedire egregii homines aggressi sunt ; sed non perpetuo potuerunt. At initio tamen cessabat ignis, nihilque coquebat, naturæ suæ velut officio destitutus. Tum qui suppetitando igni pabulo,
B virgultis scilicet ac fruticibus erant appositi, cum nihil se proficere animadverterent, rem ad Josephum deferunt. Pupugit ea res hominem, statimque cœlestis in Dominum ardore succensus, extra urbem advolat; aquam postulat; affertur in æneo
e f vase, quod campsacen *c* vulgo, illic cacubium *f* vocant.

facto crucis signo et invocato nomine Jesu, palam eorum præstigias dissolvit, g

30 Eo coram omnibus accepto (nam ad hoc spectaculum Judæorum turba convenerat, ut rei eventum, ac quid tandem Josephus ageret viderent) crucis signum *g* super illud digito ducit, ac Jesu nomen invocans magna voce sic loquitur : In nomine Jesu Nazareni, quem mei pariter atque horum omnium, qui hic adstant, majores in crucem egerunt, hæc aqua vim habeto ad magicas artes, maleficiaque omnia restinguenda, quæ isti compararunt, ab eademque vis igni sua restituatur, quo Domini domus absolvi possit. His dictis, fornacibus singulis aquam aspergit. Ita dissolutis præstigiis, coram omnibus, ignis efferbuit.

atque alia alibi templa exstruxit.

31 Quo miraculo commota turba magnis vocibus exclamavit : Unus est Deus, qui Christianos adjuvat; itaque discessit. Ac sæpe alias vexantibus Judæis tandem veteris templi partem exstruxit, in eaque parvam ecclesiam condidit. Post inde discedens Scythopoli concedit. Diocæsareæ porro aliisque in oppidis postremo ecclesias ædificavit. Ad hæc obiter narranda digressi fuimus, eorum occasione librorum, qui apud Judæos translati reperiuntur, cujusmodi est Joannis Euangelium et Apostolorum Actus Hebraice conversi. Sed de hac historica relatione hactenus.

ANNOTATA.

a Cydnus, *notissimus Ciliciæ amnis, mediam Tarsum interfluit; in quo dum lavat Alexander Magnus, præsentissimo mortis periculo sese exposuit; ut videre est apud Quintum Curtium lib.* 3; *quem et eodem libro pluribus describit in hæc verba :* Cydnus non spatio aquarum, sed liquore memorabilis : quippe leni tractu a fontibus labens puro solo excipitur. Nec torrentes incurrunt, qui placide manantis alveum turbent. Itaque incorruptus, idemque frigidissimus ; quippe multa riparum amœnitate inumbratus, ubique fontibus suis similis in mare evadit; *Cilicium videlicet, quod est Mediterranei pars.* D

b Nazareth, *inquit S. Hieronymus, lib. de Situ, etc., supra citato,* unde et Dominus noster Salvator Nazaræus vocatus est ; sed et nos apud veteres quasi opprobrio Nazaræi dicebamur ; quos nunc Christianos vocant. Est autem usque hodie in Galilæa viculus contra Legionem in quinto decimo ejus milliario ad Orientalem plagam juxta montem Thabor, nomine Nazara. *Duabus leucis a monte Thabor, trium autem dierum itinere ab Hierusalem distat, teste Adrichomio pag.* 141 ; *ubi et citatur auctor, qui putavit fuisse ad occasum montis Thabor. Oppidum vero Nazareth colli impositum fuisse, liquet ex Luc. cap.* 4, ℣. 29. *Nominis etymon traditur apud S. Hieronymum epistola* 44, *alias* 17 *Paulæ et Eustochii ad Marcellam :* Ibimus ad Nazareth, et juxta interpretationem nominis ejus, florem videbimus Galilææ. *Plura de hoc loco satis sunt obvia ex sacris Litteris.* E

c Quando autem et a quo imperatore concessum sit Judæis, habitare in aliquibus locis Palæstinæ, et nec alios alterius gentis inter eos commorari posse, plane incompertum habetur : ab ea enim provincia eosdem ignominiose sæpe ejectos fuisse, superius dictum est. *Ita Baronius ad annum* 327, *num.* 34 *in hunc S. Epiphanii locum observat; ut res plane mirabilis sit, quam hic narrat Epiphanius, non tamen incredibilis ob auctoritatem asserentis, qui in illis circumstantiis, in quibus erat, illam scire potuit ac debuit.*

d *Plura ad hanc vocem spectantia dedit Commentarii prævii* § 2.

e Καμψάκης, capsa; *vide Cangium, ubi præter hoc Epiphanii, alia insuper exempla reperies.*

f *Forte* κουκούμιον, *inquit Petavius in Animadversionibus hic; quod est* cucuma, *vasis genus; in quo, uti est apud Cangium in Glossario ad scriptores mediæ et infimæ Latinitatis, aqua calefit, aut aliquid maceratur, lato ventre instar cucumeris. Ibidem addit exempla; in quorum uno indicatur sic vocatum* a sono fervoris. *Joannes Meursius in Glossario Græco-barbaro vult in textu hoc Epiphanii* rescribendum esse κακάβιον : *sed Cangius in Glossario ad scriptores mediæ et infimæ Græcitatis, ad vocem* κακούβιον perperam, *inquit,* Meursius κακάβιον, *alii* κάκαβον legendum contendunt : idem enim est quod καμψάκη, capsa, cista. Vox est indigenarum; *uti clarissime indicat S. Epiphanius, dum sic dicit :* Κακούβιον δὲ τοῦτο οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσι. F

g *Affine exemplum ac geminum occurrit apud Photium Cod.* CXVI *ex Georgio Alexandrino in Actis S. Chrysostomi :* Feminæ, *inquit,* Eucliæ nomine filius, febri ad medicorum desperationem correptus, a Joanne curatus est aqua, quam ille cruce signatam ad aspergendum dederat. *Præmiserat ista :* Leo etiam, ut ferunt, viatores multos abripiebat; at cum rogatus Joannes cruce eis signum impressisset, hujus mox ille vi exanimatus est. *Audiant hæc crucis osores, suamque pseudo-ecclesiam in restringenda sanctissimæ crucis virtute*

A *tute sese formasse, et antiquam reformasse debuccinent : quæ ideo huc adducere placuit tum quia antiqua sunt, tum quia a Sancto facta, qui et non diu post* S. Josephum *nostrum eodem seculo* IV *floruit, et cum S. Epiphanio vixit, eodem fere tempore mortuus.* D

DE S. WANDREGISILO ABBATE

IN CŒNOBIO FONTANELLÆ APUD ROTOMAGOS. P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Acta S. Wandregisili; miracula; historia translationis in montem Blandinium; eorumque auctores.

B

ANNO DCLXVII.

S. Wandregisili Acta damus duplicia, utraque ab auctore coævo;

Sancti Wandregisili, *seu* Wandrigisili, *et* Wandregesilli, *cognomento* Wandonis, *vernacule* saiut Wandrille, *qui monasterii cognominis, quod et Fontanella dicitur, fundator et abbas primus fuit, diem hodie natalem, ut infra videbimus, Ecclesia celebrat. Scripta jam olim ante seculum nonum ejus Acta fuisse, testatur, qui circa annum Christi* 835 *floruit, auctor Chronici Fontanellensis, quod habes in Spicilegio Acheriano postremæ editionis tom.* 2, *a pag.* 263 : *ait enim cap.* 16, *inter alios codices antiquos ab Harduino monacho Fontanellensi, scribendi, seu potius litteras pingendi, arte peritissimo, atque anno Christi* 811, *ut asserit Mabillonius, vita functo, descriptum etiam fuisse* Librum Vitarum sanctorum Wandregisili, Ansberti et Wlfranni confessorum Christi : *jam tum ergo vetustiora apud Fontanellam exstabant harum Vitarum exemplaria, unde suum ille exscripserit; quæque, nisi multum fallor, Vitam illam* S. Wandregisili *continebant, quam secundo loco daturi hic sumus. Bina enim Acta proferemus, exemplo Mabillonii seculo* 2 *SS. Benedictini Ordinis a pag.* 526, *et utraque quidem ab auctoribus coævis elaborata, utraque jam prælo vulgata.* C

quorum priora sincera, a Philippo Labbeo primum edita,

2 *Priora Labbeus noster edidit tom.* I *Bibliothecæ Mss. librorum pag.* 784, *ea mutuatus, ut ait,* ex veteribus membranis, quas, a viro sibi amicissimo et eruditione præstanti acceptas, *ipsi* exhibuit D. d'Herouval antiquitatis illustrandæ studiosissimus. *Ab eodem Herouvallio communicata illa fuerunt Mabillonio, qui eadem denuo loco, quem assignavimus, post Labbeum, typis expressit. Addit vero, codicem illum, seu membranas Herouvallianas bibliothecæ quondam Corbeiensis fuisse, ac litteris uncialibus exaratas. Idem priorem hanc Vitam sinceram esse censet et integram; auctorem vero ejus monachum facit cœnobii Jurensis, quod Romanum seu Romanis dicebatur; quia nimirum in illo cœnobio commoratus aliquamdiu fuerit Sanctus, ibique miraculum illud acciderit,* quod *auctor hic num.* 17, ipso Sancto Domini narrante cognovisse *se scribit ; deinde, quia eumdem hunc scriptorem, atque ipsa hæc verba designare videatur auctor Vitæ secundæ, cum post idem illud miraculum num.* 12 *subdit :* Hæc de Viro Domini revelatio ostensa fuerat cuidam servo Dei, in ipso loco *(Jurensi monasterio)* degenti, qui et nobis narrare solitus erat. Certe iste auctor, *subjicit Mabillonius,* de Fontanella monasterio, quasi de alieno domicilio loquitur , tametsi Wandregisilum Patrem nostrum appellet *num.* 29 : *ex quo et illud saltem sequitur, ut non modo Vita prior a posteriore, sed etiam hujus ab illius auctore plurimum differant.* E

auctoris ætatem per se probant.

3 *Scriptoris hujus ætatem ex dictis facile colliges;* Wandregisili *namque æqualem satis aperte se prodit numero* 17 *verbis modo recitatis. Idem eruere est ex prologo, ubi num.* I *sic habet :* Ad texendam Vitam beati domni Wandregisili excitatus, aggrediar ego facultate, qua valeo : ... plurima quippe mihi de ipsius beatissimi Viri virtutibus pandere, multa a memetipso visa *(puta quæ sunt facta ante discessum Sancti ex Jurensi monasterio;)* plerumque etiam venerabilium monachorum, seu discipulorum ejus (*Fontanellensium opinor,)* qui per prolixa ei tempora servierunt, relatione prolata, quæ non tantum audita, sed visa narrant... expressi stylo. *Similia sunt alibi : ex quibus licet conjicere, quanto in pretio sit habendum hoc opusculum, tametsi barbare passim et obscure compositum, ac forte propterea minus quam alterum, de quo mox dicam, in codicibus Mss. obvium , ac typis numquam ante Labbei tempora subjectum : neque enim Vitam hanc primam Surius edidit, ut perperam notat Jacobus Longus in Bibliotheca Historica Gallicana num.* 5529; *sed secundam, ut inspicienti palam erit. Uter autem fidelius autographum idem typis expresserit, Labbeus, an Mabillonius, definire non ausim; discrepant certe non raro ; ut annotabo, cum operæ pretium fuerit. Est quidem editio Mabillonii plerumque emendatior, quam Labbei; sed hujus videtur ad codicem membraneum exacta religiosius. Itaque cum Labbeum infidelitatis non arguat Mabillonius, suspicor, ipsummet immutasse autographi sententias illas et voces, quas judicabat vel corruptas esse, vel minus perspicuas.* F

Acta altera posterius scripta ab alio auctore,

4 *Vita posterior auctoris est anonymi, sed monachi Fontanellensis, ut quidem erui videtur ex ejus prologo, in quo* S. Wandregisilum beatissimum Patrem, almum Patrem, venerandum Patrem *appellat ; opusque suum S. Lantberto episcopo tunc Lugdunensi, sed abbati paulo ante Fontanellano, ac* S. Wandregisili *successori, inscribit : episcopo, inquam, Lantberto inscripsit, ut ex verbis*

ipsis

AUCTORE P. B.

ipsis recte probat Mabillonius hic in observationibus præviis num. 2; *non vero Lantberto etiam tum abbati Fontanellensi, ut idem Mabillonius, sui, ut fit, oblitus, male observat in notis ad Vitam secundam pag.* 545. *Exinde etiam patet, concinnatam esse hanc Vitam post initum annum Christi* 681, *quo S. Lantbertus in episcopatu Lugdunensi successisse debuit S. Genesio; siquidem verum illud est, quod annis antea tredecim ac mensibus octo ab obitu* sancti Wandregisili, *hoc est, a mense Julio anni Christi* 667, *Fontanellense cœnobium abbas gubernaverit, uti docuimus in Actis ejus ad diem* XIV *Aprilis : aut certe post annum Christi* 678 *elaboratum esse opus hoc necesse est, si potior habenda est auctoritas, quæ sane antiqua videtur, Actorum S. Condedi apud Mabillonium in Actis SS. Benedictini Ordinis seculo* 2, *pag.* 864; *ubi annus septimus regis Theoderici illigatur anno secundo S. Ansberti abbatis, qui S. Lantberto apud Fontanellam suffectus erat : sic enim annus Theoderici sextus alligandus est anno primo S. Ansberti, quo scilicet Lantberto, ex abbatis dignitate ad episcopalem assumpto,* B *successerit; annus vero is erat Christi* 678. *Cave tamen, si auctorem hunc sequeris, ne S. Lantbertum cum Actorum ejus auctore per annos tredecim abbatem fuisse statuas, quod facit Mabillonius : id enim repugnat aperte Actis S. Condedi, in quibus annus Lantberti nonus dicitur Theoderici tertius; ac proinde Theoderici sextus dici debet Lantberti duodecimus, quo juxta hunc auctorem ex abbate sit factus Lugdunensis episcopus.*

et quidem synchrono, clariora sunt, sed interpolata ·

5 *Posterius etiam concepta videtur hæc Vita, quam prima; cum hujus ordinem presse sequatur usque ad conditum Fontanellæ cœnobium, atque aliqua insuper suppleat, quæ in alia fuerant prætermissa; eaque imprimis, quæ Fontanellense primordium consecuta sunt; unde ei auctorem arguas Fontanellanum fuisse. Idem tamen prioris, atque adeo et* S. Wandregisili, *de quo scribit, æqualis propemodum fuit; quod ipse de se in prologo testatur his verbis :* Inseremus ergo illa, quæ veris assertionibus experti sumus fuisse patrata : non nulla enim a memetipso visa, *etc. ; tum etiam hisce, quæ supra dedimus ex num.* 12 : Hæc de Viro Domini revelatio ostensa fuerat cuidam servo C Dei *(auctori prioris Vitæ; ut etiam censet Mabillonius)* in ipso loco degenti, qui et nobis narrare solitus erat. *Tanto ergo pluris facienda hæc essent Acta, quanto prioribus clariora sunt et auctiora; nisi locis postmodum aliquot, ut infra videbitur, interpolata fuisse constaret; quod eorum pretio mirum quantum deterit, nec eam tamen ob rem omittenda prorsus illa putavi, quod priorum explanationem quamdam et supplementum contineant; tum quod hæc sola in usu fere hactenus fuerint ac porro esse pergant in quibusdam ecclesiis; ut adeo a nobis illustrari merito debeant.*

ea nos damus ex Mss. codicibus :

6 *Edidit hæc etiam Laurentius Surius ad hunc diem; sed plurimum immutata tum per capita singula, tum maxime sub initium et finem totius operis : nam et alium prologum exhibet; et translationem trium corporum sanctorum a S. Baino accuratam, soli accommodat* S. Wandregisilo, *de quo non sine battologia repetit, sepultum eum fuisse in ecclesia S. Pauli per annos quadraginta. Nos ea deprompsimus ex codice membraneo Ms. Valcellensi, contulimusque cum alio codice Ms. monasterii quondam Thosani, itemque cum editis apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini seculo secundo, a pag.* 534. *Tum varias lectiones eorum, quæ quidem alicujus momenti sunt, assignavimus in annotatis. Cum hisce consonat* S. Wandregisili *Vita Ms. cœnobii S. Catharinæ, alias sanctissimæ Trinitatis juxta Rotomagum, quantum quidem ex iis conjicimus, quæ consultus olim a Bollando nostro respondit Joannes Prevotius, vir studiis nostris addictissimus, et ecclesiæ Rotomagensis canonicus ac bibliothecarius. Hoc solum ab exemplaribus nostris differre videtur : quod conditam Fontanellam asserat* anno Dominicæ Incarnationis DCLXXII, sub die Kalend. Martiarum, Indictione octava, *retinet tamen annum Clodovei undecimum ; deinde quod obitum Sancti consignet anno Lotharii tertii duodecimo, quem ceteri codices ad annum ejusdem undecimum figunt ; denique quod in translatione* S. Wandregisili *annum quintum Baini anno Christi* 694 *innectat. Verum in hisce secum pugnat. Quid vero in hac parte sit rectius, aut minus aberrans, infra discutietur.* D

7 *Actis* S. Wandregisili *miracula subjicimus, quæ de pluribus aliqua circumferuntur. Ea desumpsimus ex eodem codice nostro Valcellensi, quem ad alia Mss., Thosanum scilicet, et Aquicinctinum, itemque ad excusum Mabillonii in Actis SS. Benedict. seculo* 2, *pag.* 547 *exegimus exemplaria, notatis, quæ ad rem facere visa sunt, sicubi collati inter se textus differrent; additisque iis omnibus, quæ Mabillonius consulto prætermisit. Qui miracula ista collegit, monachum se quoque Fontanellensem fuisse, non obscure profitetur in præfatione; cum hæc scripsisse se affirmat* amore prædicti patris, sancti Wandregisili ac jussione prælatorum cœnobii Fontanellensis. *Ætatem vero suam indicat cum alibi, tum num.* 44, *ubi se aperte significat interfuisse cum aliis translationi reliquiarum factæ* anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo octogesimo quinto. *Notandum vero est, pleraque hic recensita prodigia, tametsi* S. Wandregisilo *præcipue adscribuntur, illi tamen cum S. Ansberto censeri posse communia; cum apud amborum reliquias fere contigerint. Est et aliud* S. Wandregisili *miraculum, post hujus auctoris ætatem patratum, quod ex Appendice altera ad Chronicum Fontanellense apud Acherium in Spicilegio tom.* 2 *secundæ editionis dabimus in hoc Commentario infra num.* 37 *et sequentibus : nam ea, quæ ad illa tempora pertinent, quibus ejus reliquiæ Gandavum translatæ sunt, legi poterunt in Historia adventus earum in montem Blandinium, qua de nunc agendum.* E F

uti et miracula ejus seculo nono collecta; et quædam posteriora;

8 *Itaque miraculis* S. Wandregisili *historiam subnectemus translationis ejus in montem Blandinium, qui olim Gandavo adjacebat, nunc ejusdem urbis mœnibus includitur. Vulgarunt eam pridem Acherius et Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis sancti Benedicti seculo quinto, a pag.* 200, *sed rescisso maximam partem exordio, forte quia justo verbosius videbatur; nos illud tamen, qualecumque demum est, supplendum putavimus, ne desiderari quidquam ex authentico monumento possit; idque ex eodem codice manuscripto, unde auctores jam dicti sua protulerunt : nam illius apographum ipse nobiscum, Vir Cl. Aimericus Bigotius anno Christi* 1665 *perhumaniter communicavit; ita tamen descriptum, ut satis intelligas, autographi characteres*

tum historiam translationis in montem Blandinium.

A *racteres non numquam fuisse ambiguos. Quare apographum hoc nostrum eum impresso illo contulimus; imo et cum ejusdem historiæ parte non exigua in libello Ms. Officiorum propriorum ecclesiæ Blandiniensis. Porro narrotionis hujus auctor monachus quidam cœnobii Blandiniensis anonymus fuit; ut ab ipso stotim exordio elucescit. De ætate ejus ita sentit Mabillonius in observationibus præviis :* De illius ætate etsi nihil certi definire possum, eum tamen annum millesimum et centesimum excessisse, non facile crediderim; siquidem *(num.* 49) miraculum arborum, in flores autumni tempore erumpentium, suo adhuc tempore quotannis evenisse attestatur : quod haud scio, an pluribus ab hac translatione seculis perdurarit; cum illius apud subsequentes auctores nulla mentio reperiatur.

Quid in horum editione servatum.

9 *Reperi præterea inter schedas nostras Sermonem aliquem in solemnitate* S. Wandregisili, *descriptum (unde, aut a quo, nescio) et missum ad Suppriorem anonymum monasterii Aquicinctini anno Christi* 1582. *Satis is quidem concinnus est, auctoremque* B *arguit non medioeriter eruditum ; quia tamen mores unice spectat, nec quidquam Actis nostris lucis affert, supprimendum judicavi; maxime cum assequi non potuerim, cujus tandem ætatis esset. In reliquis autem, quæ supra commemoravi, producendis, usitotum nobis morem servari ; ita ut Vitam primom, quæ textu continuo ab initio ad finem usque decurrebat, in capita numerosque discreverim: alterius vero Vitæ ordinem, cum nimium concisus videretur, in longiora capita sic secui, ut quæ prius capita fuerant, nunc totidem sint numeri servato interim eodem ad marginem titulo, qui in codice nostro singulis capitibus respondebat. In miraculis priorem capitum inscriptionumque rationem non satis æquabilem, contraxi digessique, ut visum, nulla in textu ipso facta uspiam immutatione; quod idem in ceteris observatum est. Superest modo, ut ea discutiam, quæ in monumentis hisce vostris vel dubia sunt, vel interpolata, vel omissa ; quod ut ordine faciam, ipsa rerum narratarum tempora sequar.*

C

§ II. Sancti Natales, vita in seculo ducta, conversio ad institutum monasticum, et horum ratio chronologica.

Nascitur apud Virdunenses patre Waltchiso,

Wandregisilus, *in Vita priori num.* 4 *dicitur* oriundus torritorio Verdunensium, natalibus nobilis, et summis parentibus. *Consonat Vita posterior num.* I, *sed addit* : Denique genitor ejus *(S. Vandregisili)* Waltchisus nomine, ex nobilissima prosapia ortus, consobrinus exstiterat Pipini excellentissimi principis Francorum. *Waltchisum quoque Sancti nostri patrem appellant alii plures apud Dominicium in Variis antiquitatis monumentis, quæ Ansberti familiæ redivivæ subjungit pag,* 6, 12, 13, 15 ; *et Bouchetum in Vero origine familiæ regum Franciæ inter probationes primæ partis pag.* 38, 39, 52. *Verum quis ille Waltchisus, aut cujus Pipini consobrinus?* Hujus genitor, *inquit auctor Chronici Fontanellensis in Spicilegio Acheriano tom.* 2 *novæ editionis pag.* 264, Walchisus nuncupatus nomine, ut veraci didicimus traditione seniorum, patruus gloriosissimi Pipini, ducis Francorum, filii Anchisi exstitit. *Statuit ergo Waltchisum fuisse filium S. Arnulphi episcopi Metensis; ac fratrem Ansegisi, qui ex S. Begga, B. Pipini Landensis filia, Pipinum Crassum seu Heristallum genuit: quæ etiam instrumentorum apud Bouchetum ac Dominicium citatorum, Joannis Ipeiri in Chronico S. Bertini parte* 9, *Sigeberti in Chronico ad annum Christi* 692, *aliorumque passim etiam juniorum, ut Arturi du Monstier in Neustria pia, ubi de Fontanella, cap.* I, *Jacobi Malbrancq nostri, De Morinis tom* I, *lib,* 3, *cap.* 31, *Pagii in Criticis Baronianis ad annum Christi* 944, *num.* 9, *imo et Majorum aliquando nostrorum sententia fuit, quamquam obiter tantum insinuata in annotatis ad Vitam S. Ansberti die* IX *Februarii pag.* 350.

AUCTORE P. B.

qui non fuit filius S. Arnulphi episcopi Metensis,

11 *Sed opinionem hanc et nos in sequenti tomo ad diem* XXI *Februarii in Commentario ad Acta B. Pipini, atque alibi sæpius missam fecimus, et eruditi deinde plures explodendam putarunt, atque imprimis Hadrianus Valesius Rerum Francicarum lib.* 19. *pag.* 141, *Cointius in Annalibus ad annum Christi* 601, *num.* 41, *Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini seculo* 2, *pag.* 535: *qui recte negant, S. Arnulpho Metensi filium, præter S. Chlodulphum atque Ansegisum, ullum fuisse : quod et antiquissima docet auctoritas, ut vidimus in Commentario ad Acta ejusdem S. Arnulphi die* XVIII *hujus mensis* § 2, *et ratio temporum aperte demonstrat : nam quo pacto S. Arnulphus, quem natum ibidem ostendimus versus annum Christi* 582, *Waltchisi pater esse potuerit, cum hujus Waltchisi filius* S. Wandregisilus *ne fingi quidem possit post annum Christi* 601 *natus, ut ex iis, quæ dicentur infra, patebit? Deinde S. Chlodulpho, filio S. Arnulphi primogenito, minorem ætate non fuisse* S. Wandregisilum *docet Cointius modo assignatus ; qui tamen ætati* S. Wandregisili *tot annos detrahit, quot alius nemo. Natum ergo oportet comminisci nepotem ante patrem;* Wandregisilum, *inquom, ante Waltchisum, si hunc S. Arnulphi filium, illum nepotem fuisse quis velit.* E

sed B. Pipini Landensis consobrinus.

12 *Adhærendum est igitur auctori nostro, quem hoc loco corruptum esse non scimus, cum asserit Waltchisum, non Pipini Crassi patruum, sed Pipini, ut ex tempore colligi debet, Landensis consobrinum fuisse; nam quod ei titulus additur* excellentissimi principis Francorum, *quem Heristollio, non Landensi, tribui solitum esse vult Cointius, in eo facile admittam interpolationis aliquid intrusum in coætanei scriptoris textum fuisse ; quamquam neque epitheton illud ab ipsius B. Pipini Landensis conditione usquequaque videri debeat alienum. Consobrini porro dici proprie solent duarum sororum filii; unde, si sic auctorem nostrum placet intelligere, dicendæ erunt Gualchisi et Pipini hujus motres fuisse sorores ; neque proinde audiendus est, auctore nostro et ætate et merito multo inferior, Umno in Vita S. Arnulphi, quam secundo loco exhibuimus ad diem* XVIII *hujus mensis, cum ait cap.* 1, *num.* 9 : Ex hujus Pipini *(de Landensi mentionem paulo ante fecerat)* sorore, Waldrada nomine, natus est Gualchisus, qui sanctum genuit Wandregisilum, Christi confessorem. *Sic enim inter se Pipinus et Waltchisus consobrini non essent, sed ille hujus avunculus, hic illius e sorore nepos. Bouchetus Waldradam ipsius Waltchisi non* F

matrem

AUCTORE P. B.

matrem facit, sed conjugem, e qua genuerit S. Wandregisilum; *cum asserti hujus sui in citatis probationibus testem omnino nullum proferat, qui vel Waldradam uspiam nominet, nos ignotam nobis Sancti nostri matrem fateri malumus, quam illam temere designare. Auctor Vitæ S. Godonis ad diem* XXVI *Maii pag.* 444, *ipsum* Wandregisilum *appellat* Pipini consobrinum; *sed usus id vulgo habet, ut consobrini etiam dicantur consobrinorum filii. Chronicon Malleacense apad Labbeum tom.* 2 *Bibliothecæ Mss. pag.* 193 *asserit Waltchisum* consobrinum Dagoberti regis atque ceterorum regum extitisse. *In Vita nostra secunda num.* 14 *dicitur etiam Erchinoaldus, qui sub Clodovæo Major domus fuit,* ex materna origine beati Viri *(Wandregisili)* consanguineus; *idem vero* Erchinoaldus, *teste Fredegario cap.* 84, consanguineus fuit de genitrice Dagoberti. *Hæc de Sancti nobilitate.*

nascitur, inquam, non anno Christi 570 *circiter;*

13 *Quis annus natalis ei fuerit, antiquior Vita non indicat; innuit tamen, illum Dagobertini regni primordiis, sive anno post Christum natum* 622, *vix annis amplius viginti quinque priorem esse potuisse;* B *cum dicit num.* 9, quod ipsum Hominem Dei in juventute *Dagobertus rex* in suo ministerio habuerit. *Juvenis ergo erat, cum Dagobertus regnaret, sub eoque* Wandregisilus, *ut num.* 4 *dicitur,* exerceret exacturam commissam sibi. *Idem argumentum duci debet ex Chronico Fontanellensi apud Acherium, cap.* I, *num.* 2, *ubi dicitur* idem Vir Domini, adolescentiæ dum polleret ætatis in annis, in aula gloriosissimi regis Dagoberti nobilissime militaribus negotiis ac aulicis disciplinis educatus esse. *Non igitur natus est anno Christi* 570, *ut notant Chronicon quoddam Ms. Normannicum, et quidem, ut videtur, abbatiæ Fontanellensis, in Codice quodam antiquo membraneo, qui olim ad Thosanos pertinuit, deinde ad abbatiam Dunensem transiit, quod a Christi nativitate ad annum usque* 1204 *compendiosissime deducitur, itemque aliud Chronicum Normannicum a Christi nato usque ad annum* 1220 *pertingens, quod est in codice Ms. Reginæ Sueciæ, num.* 322, *ut notavit Henschenius, qui excerpta nobis ex eo nonnulla reliquit. Idem assernit Arturus Neustriæ piæ pag.* 131; *et sequitur fere ex Vita* S. Wandregisili *secunda num.* 27, C *ubi narratur obiisse, anno Christi* 665, annorum circiter nonaginta sex. *Hoc, inquam, repugnat prioribus et sinceris Actis Sancti nostri; non enim hic juvenis appellari posset anno Christi* 622, *quo regnare primum cœpit in Austrasia Dagobertus; qui annos amplius quinquaginta vixisset; qua ætate etiam ridiculum esset parentes comminisci, qui tum primum eum juberent desponsare sibi puellam, quod is* juxta eorum jussionem *fecisse memoratur in Vita prima num.* 5; *idque sub Dagoberto; quandoquidem nuptias illas consecuta mox est mutuo conjugis utriusque consensu conversio amborum ad perfectioris vitæ institutum, regnum obtinente Dagoberto, ut ibidem dicitur num.* 9.

sed omnino sub finem seculi sexti,

14 *Et vero interpolatam hic esse Vitam secundam aperta demonstrat antilogia: nam qui loco citato ad annum Christi* 665 *vita defunctus fingitur nonagenario major, idem num.* 1 ortum inclytæ nativitatis habuisse *dicitur* tempore quo sceptra regni Francorum fortis rex Dagobertus honeste gubernabat; *cum ab initio regni Dagoberti, usque ad annum Christi* 665 *anni tantum intercedant* 43. D *Sed et falso illum asseri sub Dagoberto natum constabit tum ex anno Christi* 667, *quem ultimum* S. Wandregisili *fuisse infra probabimus, tum ex ætate qua migravit in cœlum: erat enim* in senectute, *ut est in Actis ejus prioribus num.* 27, *et quidem* ætate longa defectus, canebat sæpissime, dicens: Heu mihi! quia peregrinatio mea prolongata est; *ibidem num.* 31, *et juxta posteriora Acta num.* 20, *iter agens* non in equo vehi jam poterat, videlicet in ultimo jam positus ævo; sed vehiculo deportabatur. *In Vita quoque S. Ansberti archiepiscopi Rotomagensis tom.* 2 *Februarii pag.* 349, *num.* 13 *dicitur Sanctus noster morti vicinus* jam in decrepita ætate positus. *Videntur hæc sane virum significare septuagenario haud multo minorem: ut ergo tam senem statuamus anno Christi* 667, *et adhuc juvenem ac vegetum regnante Dagoberto, exeunte circiter seculo sexto natum putamus.*

quamquam annus certo definiri non possit.

15 *Nec displicet conjectura Majorum nostrorum in annotatis ad locum e Vita S. Ansberti citatum, qua suspicati sunt amanuensium oscitantia factum, ut in secunda* S. Wandregisili *vita commutatæ sint* E *cyfræ ætatem ejus denotantes, atque ita pro* 69 *jam legi* 96, *quo pacto natus esset circa annum Christi* 598, *annumque egisset ætatis vigesimum quartum (qui certe ad juventutem pertinet) cum Dagobertus Austrasiæ regnum capesseret. Cointius tamen ad annum Christi* 601, *num.* 40, *non transpositos numeros jam dictos existimat, sed primum inversum, ut pro* 66 *scriptum fuerit* 96; *itaque natum ipse Sanctum statuit anno Christi* 601; *neque hoc displicet, quamquam dubitem, an apographa omnia Vitæ secundæ numerum illum* 96 *habuerint: nam in officio proprio Ms. Blandiniensium, ex ea Vita desumpto, est* 95; *Petrus de Natalibus lib.* 6, *cap.* 127, *legit* 92; *Breviarum Rotomagense excusum anno* 1627, *habet* 90; *chronicum Normannicum Ms. Reginæ Sueciæ notat annum ætatis ejus* 89. *In his majus discrimen est, quam ut soli numerorum vel transpositioni, vel inversioni, quæ librariorum indiligentia facile committuntur, possit attribui. Quapropter, etsi conjecturas jam dictas non improbem, quod a vero nativitatis ejus tempore aberrare non multum possint; nihil tamen apparet in iis, unde satis solide determinari annus unus aliquis præ alio possit.*

In aula Dagoberti magnis functus honoribus,

16 F *Est tamen cur ad finem seculi sexti referri potius videatur, quam ad initium septimi; siquidem ante, quam conjugi consentienti, mundoque remitteret nuntium (quod Cointius circa annum Christi* 627, *num.* 3; *Mabillonius vero in Annalibus Benedictinis anno Christi* 629 *factum statuit) exacturam gessit, ut habet Vita prima num.* 4; *imo comitatum palatii, ut narrat Vita secunda num.* 2; *item Vita S. Godonis data* XXVI *Maii; Chronicum Fontanellense cap.* I, *Chronicum S. Maxentii seu Malleacense apud Labbeum, et auctores alii juniores. Hoc vero munus, cum in judiciis aulicis gravissimisque exercendis versaretur, id etiam videtur exigere, ut præter insignem juris prudentiam, ætatis quantam possumus gravitatem auctoritatemque* Wandregisilo *cum illud obiret, adscribamus: quantam, inquam, possumus: neque enim, ut modo vidimus, eam ita licet extendere cum ab aula recederet, quin juvenilis appellari posset, cum ad illam primum accederet. Quid ni ego annum ætatis circiter trigesimum egisse illum credamus, quando talis ei provincia demandata est? Id autem multo etiam magis valet, si non comi-*

tem

A tem tantummodo palatii, sed etiam ducem fuisse, quis velit, antequam seculo valediceret : asserit hoc certe auctor citati mox Chronici Fontanellensis, quamquam incerto, ut Mabillonio quidem Annalium lib. 12, num. 13 visum est, fundamento.

iis renuntians anno Christi 629 circiter, in Montem Falconis recessit,

17 Eadem ratio facit, ut anno Christi 629 conversionem ejus ad vitam monasticam, quam narrat Vita prima num. 8, secunda num. 5, assignare cum Mabillonio mavelim, quam 627 cum Cointio : cum neutri sententiæ ulla aliunde patrocinetur auctoritas, et systema prius cum reliqua Actorum nostrorum chronologia non minus congruat, quam posterius, ut ex sequentibus planum fiet : neque enim ante conditam, anno Christi 648, ut infra dicetur, Fontanellam, aliud statui debet, quam Ordinum sacrorum susceptio, quam præcesserint anni fere decem in cœnobio Jurensi exacti. Fac annos hos simul fuisse 12, redieris ad annum Christi 636 ; inde porro ad annum 629 retro ducti sunt anni integri sex, quorum si primum Monti Falconis, postremum Bobio atque itineri Romano dederis, medios vero quatuor servaveris Elisangio ; erit, opinor, Actis utrisque cumulate B satis factum. Secessus enim primus ejus ex aulicis negotiis ad Montem Falconis minime diuturnus fuit; cum in utraque Vita ibi dicatur habitasse non multo tempore. Est autem Mons Falconis (vulgo Monfaucon) nunc oppidulum Galliæ in Campania in diœcesi Remensi, a flumine Mosa et ab urbe Veroduno 4 circiter leucis distans : loco, olim densis obsito silvis, nomen ab avi, quam falconem dicimus, quæque S. Balderico monasterii ibidem in honorem S. Germani ædificandi vel occasionem vel indicium dedit, est inditum, ut narrat Flodoardus Historiæ ecclesiæ Remensis lib. 4, cap. 39.

apud Waltfridum, eumdem an diversum a S. Balderico.

18 Sunt qui hunc fuisse Baldericum velint, qui alio nomine in Actis nostris secundis num. 5 Baltfridus seu Waltfridus nuncupetur, a quo in hoc cœnobium admissus sit Sanctus noster : et certe de Baltfrido hoc, nulla uspiam, quod noverim, præterquam hoc loco fit mentio (Saussayum enim nil moror;) cum tamen debeat fuisse vitæ sanctitate notissimus, ut ibidem asseritur his verbis : Cujus actus et Vitam in gestis de eo scriptis, si qui nosse velint, facile reperient. Parum autem verisimile videtur, ut, cujus Acta omnium versarentur mani-C bus, ejus omnino neglecta sit in vicinis ecclesiis, sive Virodunensi, sive Remensi, memoria. S. Balderici quidem Acta perierunt, si paucula quædam excipias, quæ laudatus modo Flodoardus annotavit; at viget etiamnum apud Remos recordatio, eorumque Breviariis ejus festum quotannis præscribitur die XVI Octobris. Firmat hoc sane conjecturam eorum, qui nullum agnoscunt Baltfridum a S. Balderico diversum. Adde, quod monasterium S. Germani S. Baldericus in Monte Falconis versus initia Dagoberti condiderit, ut colliges ex Mabillonio Annalium Benedictinorum lib. 12, a num. 10 : potuit ergo facile illi etiam tum præfuisse, cum accederet S. Wandregisilus. Denique in exemplari Ms. Thosano Vitæ secundæ S. Wandregisili, non Waltfridus, sed Baldricus legitur, uti notavit Rosweydus noster, qui nostra cum illo contulit. Mabillonius tamen, qui eumdem utroque nomine in notis ad hæc Acta intelligi putaverat, in Annalibus dein loco proxime laudato, eo inclinat, ut alium Baldericum, alium Baltfridum fuisse existimet, idque nominis utriusque diversitate motus. Discuti hoc iterum loco suo poterit ad diem XVI Octobris, cum de S. Balderico agendum erit. Nos institutam Vitæ seriem prosequamur.

AUCTORE P. B.

§ III. Vita ejus apud Elisangium austera, iter in Italiam, commoratio in monasterio Jurensi; sacerdotium, condita Fontanella aliæque basilicæ, tempus regiminis.

Ex Monte Falconis migrat in territorium Elisangium circa annum Christi 630 ;

Non diu ad monasticam disciplinam in Monte Falconis accesserat Sanctus, cum a Dagoberto accitus ad aulam est, consilii hujus sui, absque regia missione aut facultate concepti, rationem redditurus. Inde vero, causa adversus obtrectatores obtenta, ad Montem quidem Falconis rediit, ut habet secunda Vita num. 5; sed brevi adeo substitit, ut Acta priora vix moram ullam indicent, cum subdunt num. 11 : Inde (ex aula Dagoberti) reversus cœpit ædificare cellam in alio loco de facultatibus suis. Posteriora sic habent num. 7 : Quo (Montis E Falconis) non multo post occasione quadam loco relicto, in Elisgangium commigravit territorium; ubi et monasterium construxit pro temporis opportunitate in possessione propria : ibi namque beatus Ursicinus requiescit venerabiliter humatus. Adiit ergo Elisgangium sive Elisaugium territorium vel eodem adhuc anno conversionis suæ primo, Christi 629, vel, ut summum, sequenti. In Elisangio per annos aliquot videtur habitasse : tum ex eo quod ibi cellam exstruxerit sibi, ad stabile utique domicilium; tum quia vita, quam istic egit, ita describitur, ut illustrium illarum virtutum, quibus ad obitum usque exornatus deinde fuit tirocinium quoddam videri debeat; quod utique viri singulari sanctimonia conspicui tanto longius extrahere consueverunt; quanto arripiunt ferventius, quantoque minus in eo profecisse se putant, etiam cum plurimum profecerint. Ingens moliuntur ædificium, solidum ergo fundamentum substernunt ; vix autem solidum in virtute est aliquid, nisi diuturna assiduaque exercitatione vertatur in habitum.

ubi cellam ædificavit, vixitque austerissime

20 Hæc cella quid, aut ubi fuerit. Acta sincera F non explicant; interpolata vero, et monasterium illam fuisse significant, et in Elisaugio territorio positam, ubi beatus Ursicinus quiescebat humatus. Quiescebat hic autem in depressa valle, præruptis utrimque montibus obsita, qua Dubis fluvius a Rauracis, seu agro Basileensi alveum ad Burgundos retorquet, in monasterio a se erecto, e quo dum vivens sanctitatis, doctrinæ, miraculorum radios quaquaversum emitteret, tantam attraxit eo multitudinem hominum, ut locus paullo ante incultus et horridus in pagum brevi excresceret, qualis adhuc erat anno Christi 1139; at subinde in oppidum abiit, et quidem arce munitum, nomen antiquum etiamnum retinens sancti Ursicini, vernacule S. Ursitz. Monasterium hoc sancti Ursicini, abbatiæ Grandivallensi olim subjectum, cum illa Adalberoni episcopo Basileensi cessit donatione Rudolphi, ultimi Burgundiæ regis, quam anno imperii septimo confirmavit Otho III imperator; postea vero in duodecim canonicorum collegium commutatum est. Hæc et plura Urstisius in Chronico Basileensi Germanice edito lib. 1, cap. 3, aliique ; ceterum de cella seu monasterio, ibidem a S. Wandregisilo aliquando ædificato, verbum

AUCTORE P. B.

verbum apud eos nullum. Dicendum ergo, aut monasterium illud obscurum admodum fuisse atque intercidisse jam olim; aut vocem cellam, quæ est in priori Vita, vel cellulam, ut est in Chronico Fontanellensi, mutatam esse temere in monasterium ab interpolatore posterioris Vitæ: quamquam enim cella, itemque cellula apud veteres fere monasterium significabat; non numquam tamen etiam tum denotabat domunculam uni monacho aut eremitæ destinatam, ut videre est apud Cangium in Glossario. Quid si ergo talem sibi tantummodo cellulam apud S. Ursicinum Sanctus noster erexerit, ubi solitarie degerit? Certe nulla monachorum, nulla superiorum, nulla disciplinæ cœnobiticæ hoc loco in primigenia Vita fit mentio. Præterea, quæ in eadem vita num. 11 cella dicitur, ibidem num. 13 tugurium nuncupari videtur; quo nomine nemo umquam, eredo, monasterium intellexerit. Quod si cui sincera hic apparet etiam Vita altera, is, per me licet, cum Mabillonio sentiat, qui in notis ad Acta S. Germani seculo secundo pag. 513, ad hanc etiam difficultatem hæsitans: Fortasse, inquit, jam
B illic erant quædam cellulæ a B. Ursicino ædificatæ, quas Wandregisilus auxit.

donec inde Bobium petiit anno circiter 635 et Romam; deinde ad cœnobium Jurense redit sub annum 636.

21 Elisangiam cellam incoluit Vir sanctus donec inde angelico ductu Bobiense S. Columbani in Longobardia cœnobium adiit, ut asserunt Acta priora num. 13 ac 14; posteriora num. 9; Chronicum Fontanellense cap. 1: idque versus annum Christi 635; nihil enim urget, ut id cum Cointio factum dicamus circa annum Christi 623; cum ex dictis videatur diutius memoratam jam cellam tenuisse. De Bobio satis in Actis utrisque dicitur, ut hic addi nihil debeat. Agi de illo fusius poterit in Actis S. Columbani die XXI Novembris, et consuli interea Ughellus Italiæ sacræ tom. 4, col. 1280 et 1318; ex quo etiam intelliges, tum Bobio abbatem præesse debuisse S. Bertulphum, cum illuc Sanctus hic noster diverteret, atque adeo cum inde discederet: neque enim diu ibi substitit, sed aliquantulum temporis, ut habet Vita prima num. 14, sive aliquantisper, ut secunda num. 9; Bobium vero rexit Bertulphus per annos 13, obiisse autem putatur anno Christi 640. Statuo igitur an-
C num circiter totum in illo cœnobio fuisse positum a S. Wandregisilo, cum inde in Hiberniam ire cogitaret (adita tamen prius urbe Romana, quod sola narrant Acta secunda num. 10, ut Apostolorum limina viseret.) Ita reducem ex Italia in monasterio Jurensi, S. Romani dicto, in vicina Gallia, diœcesi Lugdunensi, sisto versus annum Christi 636. Memoria lapsus est Mabillonius Annalium suorum lib. 23, num. 47, cum S. Wandregisilum ex Italia reversum ad monasterium S. Ursicini remisit; cum utraque Acta, atque ipsemet alibi non semel, aliud asserant: statim enim ut ex Italia veniens cœnobium Jurense attigit, ibi sedem elegit, neglecta Hibernia, quam ante spectaverat. De hoc cœnobio jam sæpius egimus, maxime ad Acta S. Romani, primi ejus abbatis, die XXVIII Februarii; S. Lupicini XXI Martii; S. Claudii VI Junii.

Ordinatur a S. Audoeno et S. Audomaro circa annum 647.

22 Multis diebus, inquit auctor Vitæ prioris num. 15, ibidem sub institutione regulari habitavit; Chronicum Fontanellense habet multum temporis; at Vita secunda disertius num. 11, decursa in monasterio S. Romani exprimit decem ferme annorum curricula. Hi, si ab ineunte circiter anno Christi 636 numerentur, versus annum D
646 excurrent, aut paulo etiam citius; quandoquidem non decem, sed ferme decem fuisse dicuntur. Inde ergo tum ad S. Audoenum accesserit, a quo sacris Ordinibus initiatus sit, ut post utraque Acta nostra tradit Chronicum Fontanellense. Ad hoc porro anni duo, et quod excurrit usque ad conditam Fontanellam, sufficiunt. Licet enim longa per id tempus in susceptione sacrorum Ordinum servari deberent interstitia ab iis, qui e vita seculari ad clerum aspirabant; ita tamen ea pro monachis, quorum probata virtus esset, Gelasius PP. I contraxerat, ut anno uno subdiaconi, diaconi ac presbyteri possent ordinari; ut vide in epistola ejus 9 ad episcopos Lucaniæ apud Labbeum tom. 4 Conciliorum, col. 1188. Est igitur hic temporis satis tum ad ordinationes jam dictas, tum ad qualemcumque commorationem S. Wandregisili apud S. Audoenum, quam Acta videntur exigere. Lis tamen intentari possit hic aliqua nobis ab iis, qui S. Audoenum consecratum esse episcopum Rothomagensem contendunt, non anno Christi 635, quem cum Fridegodo quidam perperam assignaverant; sed anno 746, die XIV Maii: nam, si spectentur Acta nostra posterio- E
riora num. 13, jam aliquamdiu episcopatum gessisse oportuit Audoenum, et quidem tam apostolice, ut ejus fama longe lateque inclaruisset, antequam ad eum S. Wandregisilus e cœnobio Jurensi profectus sit: qua ratione igitur hic illum, jam episcopum, convenire potuit anno Christi 645, aut sequentis initio? Verum hanc nobis molestiam eximit Cointius ad annum Christi 640, a num. 20, ubi adversariorum fundamenta subruit, et validis ipse argumentis evincit, S. Audoenum infulis Rotomagensibus esse redimitum anno eodem Christi 640. Adi sis hunc, Lector, aut etiam Exegesim nostram præliminarem tomo III Aprilis; donec de S. Audoeno plura disseruerimus die XXIV Augusti.

Fontanellæ cœnobium condit

23 Proximum ab accepta presbyterii dignitate atque augustissimum S. Wandregisili opus fuit erectio cœnobii, quod ab eo nunc fere sancti Wandregisili vocitatur, quamquam et aliud a situ nomen habet, Fontanella. Est autem Fontanella, inquit Mabillonius Annalium tom. 1, lib. 13, num. 50. pagi Rotomagensis locus in Caletis, octodecim fere millibus infra Rotomagum, haud amplius F
passibus octingentis a flumine Sequana, prope Calidobeccum oppidum, sic dictus a fonte rivuli præterfluentis per angustissimam vallem, quæ vix sufficit capiendis monasterii ædificiis. Cetera huc spectantia legi breviter possunt in Actis, præsertim secundis num. 14 et 15; fusius vero et amœnius capite primo laudati toties Chronici Fontanellensis apud Acherium; ubi et additur, Wandregisilo ad rem tantam suscipiendam hortatorem fuisse S. Audoenum. Totius abbatiæ historiam inde ab ipsis primordiis ad sua usque tempora juxta abbatum sibi succedentium seriem satis diligenter concinnavit Arturus du Monstier Rotomagensis, Ordinis Fratrum Minorum recollectorum, in sua Neustria pia a pag. 131 usque ad 184; brevius eamdem tradunt Sammarthani tom. 4 Galliæ Christianæ pag. 908: eos, si quis in rebus hisce curiosus est, consulat; ita tamen, ut chronologiæ eorum ubique ne fidat nimium: errant enim jam tum ab ipso principio: Sammarthani quidem, dum exordium Fontanellæ ac regiminis S. Wandregisili alligant anno Christi 645;

Arturus

A *Arturus vero, cum illud figit anno Christi* 654 *vel* 655, *pag.* 132 : *quæ fere et Majorum nostrorum sententia fuit tum in annotatis ad Acta S. Ansberti die* IX *Februarii pag.* 350, *tum in Diatriba de tribus Dagobertis lib.* 4, *cap.* 3. *Verum, discussa deinde penitius regum Francorum chronologia, annum huic fundationi delegerunt* 648; *ut vide ad diem* XIV *Aprilis in Commentario ad Acta S. Lantberti, et in Exegesi numero præcedenti citata.*

anno Christi 648, die prima Martii;

24 *Et recte quidem ita statuerunt; quando auctor Vitæ secundæ diserte exprimit annum illum num.* 14 *his verbis :* Cœptum autem est hoc opus sub die Kalendarium Martiarum, anno regis Hlodovei undecimo. *Sic enim locum ejus restituit Mabillonius hic in Observationibus præviis ad Acta num.* 4; *nec dubium esse potest, cum hic auctor cum* S. Wandregisilo *vixerit, quin unicum illum characterem adhibuerit, cum nullus alius per illa tempora in usu fuerit; ut nos sæpe, et hoc etiam loco observant adductus Mabillonius, Cointius ad hunc annum num.* 28, *et Pagius in Criticis ad Baronium eodem anno num.* 19. *Itaque ceteras omnes tempo-* B *rum notas, quæ adjiciuntur, interpolatori debemus haud sane chronologo; ut qui parum adeo cohærentia eumdem in annum compulerit, exemplum secutus auctoris Chronici Fontanellensis cap.* 1; *imo ejus verba mutuatus : licet in hisce characteribus non omnia secundæ Vitæ exemplaria nec inter se, nec cum Chronico illo conveniant; quod novum est suppositionis argumentum. Sic enim habet Ms. cœnobii S. Catharinæ, alias sanctissimæ Trinitatis juxta Rotomagum; ut olim Bollando testatus est V. Cl. Joannes Prevotius, Rotomagensis ecclesiæ canonicus et bibliothecarius, in scripto quod servamus :* Cœptum est autem hoc opus ab anno Dominicæ Incarnationis DCLXXII sub die Kalendarum Martiarum, Indictione octava, qui erat annus præfati regis Clodovei undecimus, pontificante Sedem Romanam anno septimo beatissimo Papa Martino : *ubi vides, nec annum Christi, nec Indictionem cum exemplari nostro, neque adeo cum Chronico Fontanellensi congruere; ubique tamen servantur et Kalendæ Martiæ et annus Chlodovei undecimus; quæ proinde sola hic fixa et genuina censenda sunt. Successit autem Dagoberto patri Chlodoveus II anno* C *Christi* 638, *die* XVIII *Januarii, quo is vita functus est, ut post Valesium, Cointium et Mabillonium nos etiam ipsi statuimus in memorata Exegesi; et nunc eruditorum omnium sententia est. Undecimus ergo Chlodovei annus cœptus erat anno Christi* 648 *a die* XVIII *Januarii, quando proximis Kalendis Martii Fontanella condi cœpit.*

quod confirmatur.

25 *Idem annus conditæ Fontanellæ confirmari potest ex annis aliis regum Francorum, qui cum annis regiminis* Wandregisili *a eodem auctore conferuntur, ut num.* 18 *dicitur :* Anno quarto regiminis ejusdem viri Dei, qui erat Hlodovei præfati regis decimus quintus, *etc., qui sincerus est ipsius auctoris textus, nullis adscititiis temporum characteribus, ut prior, interpolatus. Ex quo patet, ab eodem annum primum regiminis* S. Wandregisili, *seu erectæ abbatiæ Fontanellensis collocatum fuisse anno ejusdem Chlodovei undecimo : nam cum cœperit annus primus regiminis* Wandregisili *mense Martio, recte conjungitur annus ejusdem quartus, qui excurrebat mense Martio anni Christi* 652, *cum anno Chlodovei decimo quinto, qui a die* XVIII *præcedentis Januarii cœperat. Idem animadvertere est num.* 19, *ubi annus septimus Chlotarii III componitur cum anno regentis Fontanellam* Wandregisili *decimo quinto. Chlodoveus enim secundus regnavit annos* 18 *completos, ut in Exegesi ante dicta cap.* 2, *num.* 14 *probavimus; obiit ergo anno Christi* 656 : *nam si usque ad sequentem pertigisset, annos* 19 *regnasse dicendus esset. Obiit, inquam, anno Christi* 656, *quamvis admodum provecto; siquidem superstes fuit usque ad secundam saltem hebdomadam Novembris, ut ex instrumento, quod Mabillonius produxit, ostendit Pagius in Criticis Baronii ad annum Christi* 656, *num.* 17; *ex quo etiam certo constat, non ante annum illum locandam esse mortem Chlodovei II; quandoquidem ibi annus Clotharii ejus filii ac successoris tertius respondet sine dubio anno Christi* 659 *usque ad secundam hebdomadam mensis noni, seu Novembris. Ab anno Christi* 656 *ductus septimus Clotharii inchoari debet anno Christi* 662 *et desinere anno Christi* 663; *incidit vero in illum annus decimus quintus* Wandregisili *abbatis; quippe qui putatus ab anno Chlodovei undecimo, Christi* 648, *mense Martio, fluere debuit a Kalendis Martii anni Christi* 662 *usque* E *ad easdem Kalendas anni* 663. *Idem firmat Chronicum Fontanellense cap.* 1, *num.* 8 : *cum post locum Fontanellæ donatum ab Archinoaldo* anno undecimo prædicti regis *(Chlodovei)* die Kalendarum Martiarum, *subdit,* anno subsequenti... duodecimo sæpe fati regis..... Kalendarum Martiarum die, *petitam esse et impetratam donationis ejusdem confirmationem. Itaque de anno Chlodovei undecimo recte hic in Actis notato dubitandum haudquaquam videtur.*

Sub Clothario III auget cœnobium et quatuor basilicas construit,

26 *Monasterium hoc exiguum primo, ut res fere sunt cum nascuntur, ingens deinde sub Clothario tum loci, tum monachorum ædificiorumque, imo etiam privilegiorum ac fundorum incrementum accepit, eodem omnia accurante* S. Wandregisilo, *ut narratur in Vita secunda num.* 15; *ubi et commemorantur basilicæ quatuor ab eodem exstructæ; idque sub eodem Clothario, ut ex eo patet, quod Sanctus, dum huic operi insisteret, Godonem nepotem suum Romam ad conquirendas novis fabricis Sanctorum reliquias destinarit, qui eas a Vitaliano Papa impetravit, ut non Acta modo nostra, sed Chronicon etiam Fontanellense, asserunt. Vitalianus vero Pontifica-* F *tum iniisse creditur anno Christi* 657, *qui Clotharii tertii anno primo partim, partim secundo respondet. Itaque Cointius ad initia Vitaliani hæc referenda hoc eodem argumento putavit; ut vide ad annum Christi* 658, *num.* 15. *Mabillonius tamen, hic in Actis, Vitalianum ab interpolatore intrusum fuisse significat, neque causam tamen affert, cur ita judicet. Suspicor ego hanc ei fuisse, quod aliquanto inferius in Actis num.* 18 *legeret :* Patratum POSTHÆC miraculum per ipsum Dei virum referre gratum duxi, *etc. Hinc, opinor, conjecerit, ecclesias illas ædificatas fuisse ante miraculum istud, hoc est, ante annum decimum quintum Chlodovei, atque adeo diu ante Pontificatum Vitaliani. At enim si ratio illa quidquam eo facit, valere eadem poterit, ut cetera omnia, quæ usque ad numerum* 18 *narrantur, ante annum Chlodovei quintum decimum facta dicantur; quod tamen de instituto cœnobio Fiscamnensi nec Acta S. Waningi, tam a nobis die* IX *Januarii, quam a Mabillonio seculo* 2 *edita, credi sinunt, nec*

ipse

AUCTORE P. B.

ipse Mabillonius credidit in Annalibus suis, ubi Acta illa secutus, Fiscamni primordia ad Clotharii III tempora, sive annum Christi 658, *revocavit. Quare vox illa* posthæc *in Actis nostris non ordinem rerum narratarum, sed narrationis afficit, quæ hoc loco certissime* ὕστερον πρότερον *refert.*

aliasque plures per annos 19, menses 4, dies 21, quibus præfuit:

27 *Præfuit condito a se monasterio Sanctus noster per annos, non decem tantummodo, ut Arturus ex confusa perturbataque sua chronologia perperam collegit; sed annos omnino novemdecim, menses quatuor, dies unum et viginti, ut habent Vitæ secundæ exemplaria omnia, quæ quidem viderim; in quibus, quamvis legatur num.* 27 *obiisse* regiminis sui anno decimo nono, mense quarto, die primo et vicesimo, *tamen intelligendi sunt anni novemdecim completi et menses* 4, *diesque* 21 : *cum in Actis S. Ansberti ad diem* IX *Februarii, cap.* 3, *pag.* 349 *dicatur rexisse Fontanellam* per viginti fere annorum spatia... a primo ædificationis die. *Ita etiam intellexit Trithemius de Viris illustribus Ordinis Benedictini lib.* 3, *cap.* 96; *ubi regiminis hujus annos rotunde censet viginti, quia nimirum vigesimus per* B *menses fere quinque fluxerat; eadem fuit ipsius interpolatoris sententia, si annos Christi ab instituta Fontanella usque ad obitum numeres, prout ab ipso adjecti sunt. Neque dissentiunt Mabillonius, Cointius, Pagius aliique recentiores. Atque hoc quidem tempore mirum quantum et monasticum institutum et rem catholicam promoverit* Wandregisilus; *cum præter basilicas modo dictas non nullas alias erexerit, ut ex eadem Vita colligitur : duas enim habes num.* 17 *et quidem cum cellulis, seu monasteriolis, quo monachos destinabat, quos ne ampliata quidem Fontanella capere jam poterat; aliam rursus num.* 18; *aliam cum monasterio num.* 20; *aliam denique cum cœnobio num.* 21. *Quid quod ipsum Fiscamni parthenonem (de quo fuse tractat Arturus in Neustria a pag.* 193) *ei partim adscribendum putemus? Chronicon certe S. Bertini apud Martenium tom.* 3 *Thesauri anecdotorum col.* 465 *ait, S. Waningi* in hujus monasterii fundatione coadjutorem valde fuisse sanctum Wandregisilum. *Hinc eidem fortasse subjectum a S. Waningo fuerit, ut asserit Vita nostra secunda num.* 17. *Controversia est Cointium inter et Mabillonium, regulamne S. Benedicti suis* C *præscripserit* S. Wandregisilus, *an aliam : hoc Cointio visum est Annalium tom.* 3, *ad annum Christi* 667, *num.* 5; *illud vero tuetur Mabillonius cum hic in Observationibus præviis ad Acta, tum in Annalibus Ordinis sui tomo* 1, *ad annum* 689, *num.* 65; *ot maxime in Præfatione ad partem* 2 *Actorum seculi tertii num.* 35; *et ita tuetur, ut possint ac debeant Benedicti Sanctum hunc inter alios Ordinis sui retinere, uti de S. Lantberto ad diem* XIV *Aprilis pag.* 216 *Majores nostri censuerunt.*

§ IV. Tempus mortis, locus sepulturæ, translationes variæ.

Obiit non anno Christi 665,

In *anno, quo vivere desierit Vir sanctus, assignando non modica reperitur chronologorum, aliorumque diversitas, quam compendii causa prætereo. Receptissima inter alias eorum fuit opinio, qui annum delegerant Christi* 665, *ex Actis, opinor, posterioribus derivata, in quibus num.* 27 *dicitur obiisse* regiminis sui anno decimo nono, mense quarto, die primo et vicesimo, qui erat annus Dominicæ D Incarnationis sexcentesimus sexagesimus quintus, Indictione octava, porro tertii Hlotharii regis annus undecimus vitæ ipsius, Pontificatum agente Romanæ Ecclesiæ anno nono Papa Vitaliano. *Verum jam supra docuimus, interpolatoris hæc esse omnia, præter* tertii Hlotharii regis annum undecimum. *Patet id cum ex ante dictis, tum ex exemplari Ms. ejusdem Vitæ apud cœnobium S. Catharinæ, sive SS. Trinitatis, juxta Rotomagum, in quo Prevotius ita legi testatur :* Post paululum conticuit, annorum circiter XCVI, et regiminis seu anno XVIIII, mense IV, dieque primo et vigesimo, qui erat annus Dominicæ Incarnationis DCXI, Indict. XII. Porro III Lotharii regis annus XII vitæ ipsius, Pontificatum agente Rom. Ecclesiæ anno XIIII Papa Vitaliano. *Ubi vides, ab ipso istius Vitæ auctore nequaquam hæc temporum adjuncta notata primum fuisse, sed a variis interpolatoribus esse intrusa, quando tantum inter se discrepant. At enim, inquis, etiam differt annus Clotharii duodecimus in Ms. Rotomagensi ab anno ejusdem regis undecimo, qui notatur in aliis. Fateor; sed inter* XI *et* XII *tantilla differentia est, ut ex primigenio auctoris codice,* E *non satis fortassis expresso, facile potuerit exoriri; non item alia illa, toto cœlo diversa.*

sed 667, die XXII Julii.

29 *Retinendus tamen est annus Clotharii undecimus (quidquid aliter Cointio ad annum Christi* 667, *num.* 1 *visum est;) primum quidem quia illum habent omnia exemplaria Vitæ secundæ tam edita, quam manu scripta, quæ consului, præter unum illud Rotomagense : deinde quia in illum congruunt, quæ modo notavimus de exordio Fontanellæ ac tempore, quo illam Sanctus noster gubernavit; quæ non conveniunt cum anno Clotharii undecimo : nam ab anno Chlodovei undecimo, Christi* 648, *die* I *Martii, quo cœptum est cœnobium, usque ad annum Clotharii undecimum, Christi* 667, *diem* XXII *Julii exclusive, anni sunt* 19, *menses* 4, *dies* 21, *quibus præfuisse diximus* Wandregisilum; *durabat autem annus Clotharii undecimus usque ad secundam hebdomadam, ut minimum, Novembris proxime sequentis; diem vero obitus* S. Wandregisili *fuisse undecimum Kalendas Augusti, sive* XXII *Julii, utraque ejus Acta testantur. Accedunt Acta pervetusta S. Condedi anachoretæ apud Mabillonium seculo* 2, *pag.* 864, *quæ S. Lantberti abbatis (qui* S. Wandregisilo *diebus tantum quatuor vita functo* F *successit, ut habent ejus Acta die* XIV *Aprilis data) annum nonum cum anno Theoderici regis tertio conjungunt; quod in chronologiam nostram optime quadrat. Childerico namque fratri successit Theodoricus anno Christi* 673 *ante Septembrem medium; ut probat Pagius ad annum illum num.* 11 *et* 12 : *annus ergo ejusdem tertius inchoabatur anno Christi* 675; *quando scilicet mense Julio initus erat undecimus regiminis S. Lantberti, ab anno Clotharii undecimo, Christi* 667, *supputatus.*

sepultus apud Fontanellenses in basilica S. Pauli Apostoli;

30 *Quo loco felicem animam Sanctus exhalaverit, disquiri non debet, quando id Acta nostra satis indicant contigisse in monasterio suo Fontanellensi; ubi etiam sepultum affirmant in ecclesia S. Pauli Apostoli, quæ una ex illis est, quas apud Fontanellam ab eo conditas esse diximus num.* 26. *Idem confirmant Martyrologi infra producendi cum depositionis locum assignant. Additur porro in Actis alteris num.* 27 : Sepultusque erat *(S. Wandregisilus)* in ecclesia sancti Apostoli Pauli annis qua-

A quadraginta; sanctus vero præsul Ansbertus annis undecim, inclytusque Pontifex Wlframnus annis ferme novem. *Verum hæc auctoris nostri verba non esse, ex ejus prologo manifestum est: ibi enim scriptionem hanc suam S. Lantberto dedicat episcopo Lugdunensi, tum utique superstiti. Is autem, quamquam nesciatur quo anno vivere desierit, ut in Commentario Actis ejus prævio dictum est ad diem* XIV *Aprilis, non potuit tamen octavum seculum attigisse; cum ei in sede Lugdunensi ante finem seculi septimi successores varios assignent, qui archiepiscoporum illorum seriem ordinarunt, Jacobus Severtius, Joannes Chenu, ac Sammarthani. Itaque Mabillonius in Actis SS. Benedict. sec.* 3, *parte* 2, *pag.* 462 *obiisse illum notat circa annum Christi* 688, *Cointius in Annalibus ad annum Christi* 687, *num.* 25 *Isaacum locat. Lantberti successorem: ad annum vero* 693 *num.* 10, *post Severtium probat ex Beda, anno illo sedisse Lugduni Godwinum, qui tertius a S. Lantberto defuncto censetur. Quæ hic ergo narrantur in Vita secunda, haud paulo posterius facta sunt, quam auctor scripserit; suntque* B *adeo illi supposita hæc plane omnia: quod miror, non advertisse Cointium in Annalibus ad annum Christi* 704, *num.* 20.

ubi requievit per annos 37,

31 *Idem tamen asseritur in Actis S. Wlfranni, quæ Jonæ Fontanellensi monacho tribuuntur, ut exstant apud Surium ad diem* XX *Martii; at Majores nostri hæc Acta tam depravata judicarunt, ut omittenda censuerint, ut ad diem Martii jam dictum videre est. Idem etiam habet Vita* S. Wandregisili *apud episcopum Equilinum lib.* 6, *cap.* 127. *Idem legitur in Appendice altera ad Chronicum Fontanellense apud Acherium cap.* 1. *Desumpta sunt hæc, ut arbitror, ex Chronico Fontanellensi juxta codicem Ms. Fontanellæ, qui idem habere dicitur; nisi quod pro* annis quadraginta *scriptum sit,* annis circiter quadraginta; *in quo consonant tum exemplar, quod edidit Acherius, tum etiam Ms. nostrum ex codice Rubeæ Vallis cum alio Tornacensi collatum, quæ cap.* 2 *sic habent:* Requievit igitur B. Wandregisilus in eadem S. Pauli basilica annis circiter quadraginta; inclytus autem præsul Ansbertus annis novem; sanctus vero archiepiscopus Wlfrannus annis unde- C cim. *Discrepant hæc ab auctoribus ante citatis: primo, quod annos quadraginta non numerent, quibus in ecclesia jam dicta quieverit Sanctus noster; deinde quod annos undecim, quos illi Ansberto attribuunt, adscribant Wlfranno; novem vero, quos isti Wlfranno concedunt, adjungant Ansberto. Quæ quidem chronographia Cointio sic placuit, ut ad eam emendare conatus sit Vitam sancti Wlfranni, quam totam dedit ad annum Christi* 704. *Et sane melior est prioribus, si per* annos circiter quadraginta *intelligantur anni triginta septem; quot ab obitu* S. Wandregisili *usque ad elevationem ejus et primam translationem putantur, juxta idem Chronicum; quod, licet in chronologia sæpe sit miserum et infelix, hic tamen omnes sequuntur; quod et auctor ejus antiquus est (obiisse enim creditur versus annum Christi* 834*) et ex eo aliarum Vitarum interpolatores, quæ de hac re scribunt, videntur arripuisse. Sic autem hic narrat cap.* 2, *in quo gesta S. Baini persequitur.*

32 Hic namque Bainus episcopus inter innumera bonitatis suæ opera, quæ gessit, etiam corpora sanctorum Wandregisili, Ansberti atque Wlfranni in ecclesiam beati Principis Apostolorum Petri de basilica S. Pauli Apostoli transtulit. Et posuit quidem beati patris Wandregisili in medium; magni vero præsulis Ansberti ad lævam; et gloriosi pontificis Wlfranni ad dexteram partem in absida ejusdem basilicæ ad Orientalem plagam. Facta est autem hæc sancta translatio, ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS SEPTINGENTESIMO QUARTO, INDICTIONE SECUNDA, PRIDIE KALEND. APRILIS, FERIA SECUNDA. NAM SOLENNITAS SANCTI PASCHÆ TERTIO KALEND. APRILIS TUNC EXSTITIT; QUI ERAT ANNUS DECIMUS GLORIOSI REGIS HILDEBERTI: porro Joannis Papæ, qui octogesimus a beato Petro Romanam rexit Ecclesiam, annus primus; BAINI DENIQUE PATRIS PRÆDICTI ANNUS QUINTUS EX QUO REGIMINIS ASSUMPSERAT CURAM ISTIUS CŒNOBII. Eodem vero in loco, quo B. Wandregisilus in prædicta S. Pauli Apostoli requieverat basilica, B. Erenbertum episcopum posuit, qui antea in inferiori loco ejusdem ecclesiæ subter arcubus tumulatus annis plus minusve triginta tribus requieverat, die trigesimo primo post translationem prædictam, condiditque super eum repam argento decoratam. Requievit igitur B. Wandregisilus, *etc.*, *ut numero præcedenti citavi. Tum subdit:* Qui ita inventi sunt cum vestibus suis a corruptione illæsi, quasi eadem die fuissent sepulturæ traditi. Nam sicuti ministrare sanctis altaribus consueverant; ita etiam tumulati fuerant. E

AUCTORE P. B.

donec inde ad ecclesiam S. Petri Apostoli translatus est a S. Baino

anno Christi 704, die XXXI Martii,

33 *Mirum vero, si hic erret chronographus ille in anno Christi septingentesimo quarto huic translationi assignando, quem tot characteribus inter se consonis munit, quot majusculis litteris expressi. Nihil enim video, quod carpi in eis merito possit: non Pascha, non Indictio, ut patet; non annus etiam Childeberti regis decimus; quidquid aliter Majores nostri aliquando statuerint: is enim regnare cœpit anno Christi* 695 *ante diem* XXIII *Martii, ut recte ostendit Pagius in Criticis Baronianis ad annum Christi* 692, *num.* 18: *fluebat ergo annus ejus decimus anno Christi* 704 *a medio circiter mense Martio; non denique annus ab assumpto Fontanellensis abbatiæ regimine S. Baini quintus, quantumvis hic displiceat Cointio ad annum* 704, F *num.* 3: *initium enim S. Baini refertur in eodem Chronico ad annum septimum Childeberti regis ac decimum tertium Sergii Papæ, qui ambo characteres consistere nequeunt: siquidem Sergius ordinatus est* XV *Decembris anno Christi* 687; *uti demonstrat uterque Pagius: annus ergo ejus decimus tertius desinebat mense Decembri anni* 700; *cum annus Childeberti septimus non nisi sequenti anno ante diem* XXIII *Martii inchoaretur: sextum ergo Childeberti annum scriptum oportuit, non septimum; eamque fuisse mentem auctoris, ex eo confirmatur, quod annum quintum S. Baini conjungat cum decimo Childerici exeunte Martio; quod facere non potuisset, nisi anno Childeberti sexto constitutum fuisse abbatem S. Bainum voluisset; id quod etiam apposito Sergii Pontificis anno decimo tertio significatur. Fac ergo Baini initia ad initium fere anni sexti Childeberti pertinere, hoc est ad medium circiter Martium anni Christi* 700 *(nam dies ac mensis, quo cœperit, ignotus est); facile intelliges, annum Baini quintum exeunte Martio concurrere*

cum

AUCTORE P. B.

cum Childeberti decimo, Christi 704. *Ut ut est, de translatione prima* S. Wandregisili *anno Christi* 704, *pridie Kalendas Apriles facta, ex hoc auctore consentiunt omnes, licet in ordine et anno primo Joannis Papæ mendum agnoscant.*

una cum corpore S. Ansberti episcopi quidem; sed an etiam S. Wlfranni?

34 *Utrum vero jam tum obiisset, ac proinde translatus una cum* SS. Wandregisilo *atque Ansberto fuerit S. Wlfrannus, res est adeo intricata, ut quoquo te vertas, nihil certi satis occurrat, quod affirmes. Negavit Henschenius noster in Commentario prævio ad Acta S. Wlfranni die* XX *Martii, censuitque vixisse S. Wlfrannum usque ad annum Christi* 741; *idque tum ex ipsis ejus qualibuscumque Actis, tum maxime ex historia de obitu Radbodi ducis Frisiorum, cui consentirent antiquitates omnes Belgicæ, quam ex Actis longioribus dedit ibidem; ex qua historia consequi recte statuebat, ut Radbodo supervixerit S. Wlfrannus : Radbodus autem periit anno Christi* 719. *Quia vero nondum inde constabat, quamdiu Sanctus ille superfuisset, id ex Odoranno, Clario, monachis S. Petri-Vivi apud Senones, aliisque collegit, qui obiisse eum scri-* B *bunt anno Christi* 741, *aut circiter. Erant hæc argumenta, quibus convelli satis credebat unius Chronici Fontanellensis, in re chronologica pugnantia non numquam asserentis, auctoritatem; unius, inquam, Chronici Fontanellensis : nam si idem in Actis nostris secundis legitur, id ostendi auctoris nostri non esse; in Actis S. Wlfranni etiam non sine antilogia inserta sunt. Ex Chronico autem Fontanellensi tum ibi tum alibi assumpta hæc esse, ex eo liquet, quod iisdem fere ubique verbis exprimuntur. Addidit Henschenius et Martyrologia quædam, quæ elevationem ac translationem S. Wlfranni non solum ut seorsim factam a translatione* SS. Wandregisili *et Ansberti, uti narrant Acta contractiora; sed etiam alio die ac mense, nempe Idibus Octobris, celebrant. Vidit hæc et refellere multis conatus est Cointius ad annum Christi* 704, *ut Chronici Fontanellensis tam in obitu, quam in translatione jam dicta consignanda fidem tueretur; ac Pagio quidem persuasit, ut videre licet in Criticis ad Baronii Annales anno Christi* 700; *at Mabillonio non item, neque in Actis SS. Benedict. sec.* 3, *parte* I, *pag.* 356, *neque in Annalibus Benedictinis* C *tom.* 2, *pag.* 11 : *quippe qui proscribere ob rationes a Cointio adductas Radbodiani interitus historiam non ausus, Wlfrannum saltem ad annum Christi* 720 *vixisse existimaverit; neque proinde una cum* SS. Wandregisilo *atque Ansberto potuisse transferri. Quælibet harum sententia ut habet momenta sua, ita difficultate non caret; ut citatos auctores consulenti palam fiet : neque enim res aut hujus est loci aut tanti videtur, ut longa dissertatione controversiam de novo instauremus.*

Translati inde SS. Wandregisilus et Ansbertus ab anno Christi 858,

35 *Quanta porro in veneratione istic fuerint Sancti nostri reliquiæ, inde licet conjicere, quod ad hoc ejus sepulcrum Pipinus ipse rex, cognomento Brevis, orationis causa accesserit, dum cœnobio præerat Wido, dictus laicus, qui rexisse fertur ab anno Christi* 753 *usque ad* 787, *ut affirmat Chronicum Fontanellense cap.* 15; *ubi et Pipini ejusdem liberalitas commendatur : quippe cujus ope ecclesia S. Petri, in qua repositæ servabantur exuviæ* S. Wandregisili, *flammis hausta anno Christi* 756, *elegantior ac sublimior assurrexerit; quo tempore occidisse debuit, quod infra in miraculis num.* 6 *narrabitur.*

Mansit hoc loco sacrum hoc depositum usque ad annum Christi, non 862, *ut in appendice Chronici* D *Fontanellensis cap.* 2 *dicitur, sed* 858, *ut affirmat auctor Miraculorum infra num.* 10 *et sequentibus, quando ob frequentes Normannorum incursiones ad loca tutiora Bononiam versus transferri debuit una cum corpore S. Ansberti; ac primo quidem ad prædium devenit, quod Bladulfi villa dicebatur, eratque e Fontanella ad territorium Bononiense venientibus trans fluvium Altheiam, ut ibidem habes num.* 10. *Inde continuo utrumque corpus ad ecclesiam S. Petri, quæ vicina erat emporio Quantavico (nunc vulgo Estaples) deportatum, eodem anno,* V *Idus Maii, in ipsa Vigilia Ascensionis Christi; ubi per dies quinque substitit, ut idem ait num.* 12 *et* 13. *Ex ecclesia S. Petri juxta Quantavicum delatæ sunt utriusque Sancti Reliquiæ in Walbodegem, quæ villa dicitur territorii Bononiensis, repositæque in basilica S. Quintini martyris, ut est ibidem num.* 18. *Hinc acceptas esse opinor particulas reliquiarum* SS. Wandregisili *et Ansberti, quibus donati dicuntur monachi S. Richarii Centulenses in Chronico Hariulfi anno Christi* 866, *apud Acherium Spicilegii tom.* 4, *pag.* 503 *et sequenti.* E

ad loca alia atque alia; ac tandem Gandavum anno Christi 944.

36 *Ex æde S. Quintini relatæ denuo sunt anno Christi* 866 *eædem* SS. Wandregisili *atque Ansberti exuviæ ad S. Petri prope Quintavicum, juxta eumdem auctorem num.* 30 : *ibique sunt asservatæ usque ad annum Christi* 885, *quando die* XII *Kalendarum Decembrium inde asportatæ sunt ad ecclesiam S. Carauni, civitati Carnotenæ vicinam, ac tribus ferme postea mensibus intra urbem ipsam receptæ* XIV *Kalendas Martii; donec inde Bononiam translatæ sunt, metu, ut par est credere, Normannorum, qui sequenti seculo Carnotensibus imminebant, atque adeo civitatem eorum obsidione cepissent, nisi Richardi ac Roberti virtute fusi barbari fugatique fuissent anno Christi, ut in Criticis ostendit Pagius, nongentesimo undecimo,* XIII *Kal. Augusti. Erant ibi certe Sanctorum nostrorum corpora antequam citatus toties miraculorum auctor scriptioni suæ finem imponeret : ultimum enim prodigium tum factum narrat, cum jam ibi utriusque reliquiæ conquiescerent. Bononia Gandavum sunt avecta ad montem Blandinium ea ratione, quam ex historia, miraculis subjecta, cognosces; idque anno Christi* F 944, *mense Augusto; quamquam ad cœnobium Blandiniense non ante diem* III *Septembris advenerunt, ut ibidem dicitur num.* 46. *Quod autem in hac historia translatum simul cum aliis duobus narratur corpus S. Wlfranni, hoc falsum diximus esse ad diem* XX *Martii pag.* 161, *et patet ex historia inventionis ejus, quam ex appendice Chronici Fontanellensis ibidem dedimus pag.* 148. *Porro translationes jam dictæ omnes ad tres præcipue reduci solent: quarum prima censetur, quæ facta apud Fontanellam est ex ecclesia S. Pauli ad S. Petri, diciturque etiam elevatio; altera ex ecclesia S. Petri Bononiam, sive in territorium Bononiense; tertia denique Bononia in montem Blandinium. Est etiam apud Chesnium, tom.* 2 *Scriptorum historiæ Francorum pag.* 525, *qui delatum fuisse velit Sancti nostri corpus Audomaropolim, et quidem anno Christi* 846; *sed ex historia Miraculorum citata redarguitur, non secus atque auctor anonymus ab eodem vulgatus in Scriptoribus historiæ Normannorum pagina* 2 *ubi idem adstruit.*

§ V.

AUCTORE P. B.

A

§ V. Cetera ad ejus reliquias pertinentia, atque imprimis brachii utriusque translatio; corporis amissio; cultus.

Ejus reliquiæ tantisper ad agrum Bellovacensem delatæ,

Q*uamquam paragrapho præcedente translationes omnes* SS. Wandregisili *atque Ansberti complexi sumus, nec aliæ posterius contigisse memorentur; cum apud Blandinienses uterque thesaurus, dum quidem superfuit, constanter sit asservatus; id ita tamen accipi uolim, ut numquam interea monasterio exportari tantisper aliquo potuerint. Hoc enim de corpore* S. Wandregisili *factum esse constat non semel; ac primum quidem ab eo ipso, qui illud nuper Bononia Gandavum attulerat, sancto abbate Gerardo, qui obiisse creditur anno Christi* 959; *quod ita narrat auctor appendicis ad Chronicum Fontanellense capite tertio:* Hujus itaque *(Richardi I Normanniæ ducis, in cujus ditione erat Fontanella)* cum jam fama potentiæ longe lateque B pervolaret, Normannorumque tellus alta pace exultaret, Gandensis cœnobii abbas, Girardus nomine, sumpto Wandregisili pretioso corpore, usque in pagum Beluacensem venire maturavit, atque in villam, quæ Reveriscors dicitur, ad hospitandum divertit, quod Theodorico, nobili et valde potenti, per ejusdem prædii Majorem mandare curavit; quia, licet injuste, illius possesionis dominabatur tunc temporis, quæ pridem fuerat de ditione Fontanellensis cœnobii. Quod ubi superbus ille et arrogans comperit, legatum baculo, quem forte tenebat, percussit, et cum ingenti injuria e conspectu suo exire coegit.

ubi suas Sanctus injurias ulciscitur:

38 Rediit ergo ille qui nuntiaverat; abbati Girardo cum gravi dolore intimavit quæ pertulerat: quibus auditis, fit ingens omnium gemitus, confestimque coram lectica Sancti prosternuntur, atque inter fluentes lacrymas et amara cordis suspiria adversus Sanctum prædictus abbas multa probrose inculcando flebiliter conqueritur. Sed inter hæc decedente, sole, noctis silentium advenit. Theodoricus vero dormiturus se in lectulo composuit; cui derepente terribilis persona C sub habitu monachili apparuit, eumque pro contumelia, quam sibi hesterno intulerat, vehementer redarguens, pastorali baculo, quem ferebat, graviter percussit; qui statim somno interrupto experrectus, graviter ingemuit, seque a quodam cano abbate cæsum, altis et perturbatis vocibus clamavit; deinde subita internorum correptus tortura secessum naturæ petiit, ubi fœda egestione omnia profundens viscera, vitam miserabiliter abrupit: ut viventibus liquido daretur animadverti, cujus meriti apud Deum sanctus pater Wandregisilus fuerit, qui sic viventem inimicum et atrocis injuriæ reum mortis supplicio condemnare potuerit. Res ergo hæc in regione illa omnibus statim innotuit; abbatem Girardum cum comitibus suis non mediocriter exhilaravit.

ac mox Gandavum referuntur, et sic etiam Aldenardam delatæ fuerunt.

39 Qui deinde, participato cum suis consilio, omnem cum sanctis pignoribus comitatum ad custodiam dereliquit; sicque ascensis equis, Rotomagum ad urbem cum paucis properavit; admissusque, Richardo comiti causas adventus sui diligenter et opportune intimavit, seque in promptu S. Wandregisili corpus habere retulit, quod suo restitueret loco, si terræ sibi redderentur, quas chartarum posset approbare privilegiis; at ille suorum usus consilio principum, chartas exhiberi præcepit, et coram omnibus recitatas exponi. Quo facto murmur et contradictio fieri cœpit ab omnibus, qui dicebant nequaquam posse carere propriis honoribus, quas sibi armis et sanguine prædecessorum suorum pepererat bellicosa virtus, sive quos sibi ipsi diuturno acquisierant servitio multisque sudoribus. Sic igitur facta difficultate rei, quam prædictus abbas quærebat Girardus, nulla deinceps potuit pollicitatione retineri, sed ad suos illico per emensum iter remeavit, atque S. Wandregisilum, consumpto nequidquam tanto labore, ad locum, unde eum extulerat, festinus revexit; ubi apud Deum et homines in magna gloria et honore nunc usque requiescit. *Hæc auctor ille, qui seculo undecimo floruit. Quo quidem seculo iterum delatas fuisse Aldenardam* S. Wandregisili *reliquias cum aliis pluribus, eo tantisper ex Flandria tota pro conjuranda pace collectis, anno Christi* 1030, *narrat Sanderus Gandavensium rerum lib.* 4, *paginis* 305 *et* 383 *ex Chronico Sigeberti, quod id etiam habet ad eumdem annum in editione Miræi juxta codicem Justi Lipsii. Verum supplicationes dici hæ potius, quam translationes merentur.* E

Brachium ejus Gandavo Fontanellam relatum, alterum Bronii est.

40 *Celebratur adhuc aliqua tamen veri nominis translatio, non quidem totius corporis* S. Wandregisili, *sed brachii dumtaxat, facta ex cœnobio Blandiniensi ad Fontanellense, dum huic præesset Robertus, ut ex tabulis Mss. Fontanellensibus narrat Arturus in sua Neustria pia pag.* 164. *Præfuit autem Robertus, eodem teste, ab anno Christi* 1047 *usque ad* 1062. *Hujus brachii simul et aliarum* SS. Wandregisili *et Ansberti reliquiarum quarumdam ratione conciliandus secum ipse videtur Ordericus Vitalis ecclesiasticæ Historiæ lib.* 4, *dum ait primo quidem pag.* 618, *Fontanellenses monachos ob calamitates Normannicas abstulisse reliquias, quas numquam retulerint, quas inter recenset corpora* SS. Wandregisili, *Ansberti, et Wlfranni (de quo postremo alibi diximus) Gandam delatas*, quæ a Flandritis *inquit,* usque in hodiernum diem servata, magnæ ibidem venerationi sunt. *Deinde vero pag.* 623: Rotomagensis autem Ansbertus *(verba ejus sunt)* cum Wandregisilo abbate, et Gulfranno archipræsule Senonensi Fontanellæ servatur, debitaque a suis reverentia quotidie honoratur. *Nimirum hoc de brachio intelligit et illis cineribus, de quibus dictum est die* XX *Martii, pag.* 148; *illud vero de reliquo corpore, quod Gandenses tenuerunt: nisi quod alterum etiam brachium cum parte capitis, uno dente, duobus manuum digitis, ac aliquot capillis abbatiæ Broniensi cessit, sub S. Gerardo abbate, teste Rayssio in Hierogazophylacio Belgico, pag.* 126. F

Corpus ejus magna in veneratione fuit Gandavi,

41 *Porro magnæ apud Gandenses venerationi fuisse Sancti nostri reliquias non solum ex Orderico intelligere est, sed etiam ex Historia adventus in montem Blandinium infra exhibenda; itemque ex ejus celebritatibus variis, ibidem quotannis observari solitis; denique ex ipso loco, quo istic repositæ cum aliis olim fuerunt, quemque descripsimus ad diem* V *Februarii in Commentario ad Acta S. Bertulphi,*

iterum-

AUCTORE P. B.

iterumque ad diem x *Julii, ubi de S. Amalberga virgine pag.* 79. *Eumdem in schedis, quas habemus, ad Blandinienses spectantibus, ita depictum invenio :* In choro monasterii S. Petri est sacellum, id est cella, ferrea testudine ornatum, et ita artificiose confectum, ut ex pavimento crescere videretur. Artifex, nomine Petrus Pauli, incola Gandensis, jussu et mandato Domini Joannis Cauwerburg abbatis monasterii dicti [illud fabricandum suscepit;] sed antequam perfectum esset opus, ex hoc seculo migravit [dictus abbas] sed perficiebatur sub Gerardo de Cuelsbrouck, Joanni succedente (*anno Christi* 1517) in prælatura abbatiali : post quod opus etiam brevi defunctus est artifex, qui pro opere tantum habebat XLVIII centum florenorum *(id est florenos quater mille octingentos) Tum addit opus duplo æstimatum fuisse, ac subdit :* Postea etiam deauratum est hoc ferreum opus, in quo elevata fuerunt sancta corpora S. Bertulphi, qui solet pulsare, ut ferebatur, cum bellum et calamitosum tempus instaret, *(vide citatum Commentarium ad Acta S. Bertul-* B *phi,)* sancti Gudwali, sancti Ansberti, sancti Wandregisili, sancti Wlfranni, sanctæ Amalbergæ, et plura alia usque ad decem. *De hoc opere meminit etiam obiter Sanderus Gandavensium rerum lib.* 4, *pag.* 325.

sed anno 1578 in persecutione Calviniana periit.

42 *In eadem scheda notatum erat, reliquias hasce omnes cum aliis multis deinde vel combustas, vel diffusas, vel in profluentem abjectas, vel alio modo indigne tractatas a Calvinianis periisse, aut certe disparuisse ; arcam vero argento, margaritis, gemmis, pretiosissimisque lapidibus ornatam, impiorum illorum usibus cessisse. Id quod etiam quotannis deflet Blandinium in Officii sui ecclesiastici ad diem* III *Septembris lectione octava his verbis :* Quorum, proh dolor! reliquiæ et sacratissimorum corporum sacratissima pignora,... Deo... non immerito nobis irato, fuere hostibus fidei violenter erepta anno MDLXXVIII, persequente catholicam Ecclesiam in Belgio principe Auriaco Calviniano, non sine inæstimabili damno, quod supra septennale exilium passi sumus in hoc nostro monasterio, quod tunc fœdis admodum ruinis horribiliter defœdatum fuit. *Hactenus de reliquiis ; nunc ali-* C *qua de cultu.*

Cultus ejus antiquus et celeber,

43 *Quam antiqua ac celebris fuerit ejus in Ecclesia veneratio, cum ex dictis supra de prima translatione atque elevatione, tum infra ex miraculis poterit æstimari. Testantur hanc etiam antiquissima Martyrologia, qualia sunt, quæ Hieronymiana nuncupari solent; sic enim habet vetus exemplar ab annis circiter mille compactum, ut asserit quidem, qui illud edidit Martenius in Thesauro anecdotorum tom.* 3, *a col.* 1547 ; XI Kalendas Augusti : In Galliis monasterio Fontinellæ depositio Wandregisili abbatis. *Similia inserta leguntur in ejusdem Martyrologii exemplaribus, ad eumdem diem apud Florentinium, atque Acherium, in Spicilegio novæ editionis tomo* 2 *sub initium ; similia ad eumdem diem habent Wandelbertus, Usuardus, et alii passim tum editi, tum anecdoti, quorum elenchum texere in re minime dubia supervacaneum duximus ; quando etiam in Romano moderno sic annuntiatur eodem die :* In Blandinio monasterio, sancti Wandregisili miraculis clari. *Eodem die commemoratio ejus præscribitur in Breviario Audomaropolitano* D *excuso Parisiis anno Christi* 1518, *uti et in Breviario Morinorum anni* 1542, *et Verodunensi anni* 1625 ; *in Rotomagensi anni* 1581 *eodem die fit ejus commemoratio in utrisque Vesperis ac Laudibus ; at postridie celebratur ejus festum ritu semiduplici ; sed in Breviario ejusdem diœcesos excuso anno* 1627, XXII *Julii memoria ejus habetur in secundis tantum Vesperis, postridie vero Officium semiduplex.*

et variis quidem solemnitatibus anniversariis;

44 *Neque vero satis habent Martyrologi quidam unam ejus anniversariam celebritatem proponere, sed alii duas, alii plures in anno consignant. Sic apud Florentinium non solum ejus depositio, itemque ecclesiæ S. Petri, in qua requiescere dicitur ipse venerabilis Pater, dedicatio notatur* XI *Kalend. Augusti, verum et prima ejus translatio secundo Kalendas Aprilis, sive die* XXXI *Martii quo eam factam esse diximus. Florarium Sanctorum Ms. depositionem ejus longo elogio ex secunda Vita petito celebrat* XXII *Julii ; translationem primam* XXXI *Martii ; alteram vero in montem Blandinium die* III *Septembris. Idem faciunt auctaria quædam Usuardi a nobis edita ; idem Martyrologi Ordinis Benedi-* E *ctini ad eosdem dies, Wion, Menardus, Bucelinus ; Dorganius tamen omisit translationis Blandiniensis memoriam, at cetera consonat aliis.*

maxime apud Fontanellenses et Blandinienses.

45 *Sed reliquis, ut par est, antecellunt hac in parte monachi Fontanellenses ac Blandiniani : et illi quidem, dum* IV *Kalend. Martias (ut Bollandum docuit laudatus ante Prevotius ex Breviario, uti scribit, Fontanellensi jam tunc olim excuso, sed non prostante)* dedicationem ecclesiæ S. Wandregisili *celebrant ritu duplici : die autem* XVI Kal. Julias commemorationem S. Wandregisili, sive, ut est, in serie Breviarii, *inquit*, solemnitatem brachii S. Wandregisili in capp. : *die* I *Kal. Augusti festum depositionis ejus cum Octava in cappis. Blandinienses Officio proprio primam ejus translationem recolunt ritu duplici die* XXXI *Martii : depositionem* XXII *Julii cum Octava ; ac tandem etiam Adventum ejus in montem Blandinium die* III *Septembris itidem cum Octava, uti constat ex Officiis eorum propriis, quæ hic manuscripta servamus. Lectiones et Antiphonæ nihil novi nos docent præter id quod num.* 43 *notabamus ; ex quo constat, etiam post deperditas reliquias non deferbuisse apud viros illos* F *religiosos pristinam erga sanctum* Wandregisilum *aliosque pietatem. Desumptæ sunt ex Vita secunda et Historia adventus infra producendis, nisi quod nonnulla in iis confusio est, quam ex ipsis Actis facile erit emendare ; ut cum dicuntur in Officio de Adventu ejus in primi Nocturni lectione secundæ sancti* Wandregisilus, *Ansbertus, Wlfrannus pridie Kalendas Aprilis a S. Baino, Taruannensis sedis præsule Bononiam in basilicam S. Petri translati. Fefellit hic auctorem æquivocatio basilicæ sancti Petri : duæ enim sunt hujus nominis basilicæ, sed maxime diversæ, ad quas translationes quoque diversæ* S. Wandregisili *factæ sunt ; altera est Fontanellensis, atque ad hanc Sanctum nostrum transtulit Bainus, ut supra monuimus ; altera Bononiensis, seu potius territorii Bononiensis apud Quantavicum ; ad quam Sancti corpus non nisi sesquiseculo serius, diuque adeo post S. Baini tempora, deportatum fuit. Adi supra paragraphum quartum.*

VITA

A

VITA

Sincera, auctore coævo quodam monacho Jurensi anonymo.

Ex Philippi Labbei nova Bibliotheca manuscriptorum librorum tom. I, *a pag.* 784; *et ex Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti editis a Luca Acherio et a Joanne Mabillonio, Seculo secundo, a pag.* 526.

B

PROLOGUS.

Auctor narraturus visa a se et audita,

Religiosorum quorumdam virorum vita quantum est meritis excellentior, tantum gestis lucere debet clarius; præsertim cum ad indagandam eam idonei minus sumus. Confidimus enim in illo, qui dixit: Non enim estis vos, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis; et per quem linguæ mutorum sunt reseratæ *a*. Non ergo mirandum est, si per plasmaturam suam præbet intellectum; cum, quando voluerit, veritatem suam per ora jumentorum narrat. In hujus ergo spem erectus, et accinctus robore cœlesti, ariditatem meam ad texendam Vitam beati domni Wandregisili excitatus *, aggrediar ego * facultate, qua valeo (nam potens est Dominus ad sermonem corroborandum:) plurima quippe mihi de ipsius beatissimi Viri virtutibus pandere *b*, multa a memetipso visa, plerumque etiam venerabilium monachorum seu discipulorum ejus, qui ei per prolixa tempora servierunt, relatione prolata, quæ * non tantum audita, sed visa narrant, in hoc opere defulgente gratia prædicti Patris pauca de plurimis quidem sermone, ut legentibus fastidium non generem, brevi materiola * expressi stylo, seu ut prolatior pagina ridiculum non inferat; sed modica narratio lectoribus ædificationem nutriat, etsi eleganter minus expleta fuerit, divini adjutorii misericordia præstante, ut nostris * exinde veniam tribuere dignetur.

* *Mabillonius* excitavi.
* ergo
* qui
C
* materiolam
* nobis

hortatur ad attentionem et studium imitandi,

2 Nunc ergo qui hæc legit, in studium boni operis atque in fervorem ejus animus incalescat: quæ gesta in aure audierit, in ara cordis sui cum omni aviditate meditando custodiat, custodiendo perficiat, perfectumque in opere Domini cum summo desiderio adimpleat. Obsecro itaque ego tenellus *c*; ut omnis, qui hanc Vitam beati Viri legerit, caveat, ut sicut Cain ferro, de invidia non percutiat iste dente et lingua; sed curet custodire in corde et anima: quia, sicut canit Propheta: Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, lingua eorum gladius acutus. Plerumque etenim ad conversationem seu correptionem mortalium multo prosunt exempla bonorum, quibus ædificatur homo cotidie multiplices consectari virtutes: si enim ad adipiscendam amœnitatem paradisi, quibus præmovemur, præcepta deessent; pro lege nobis Sanctorum exempla sufficerent. Hoc a seculis adimplet Rex trinus æternus qui * servorum suorum famam commendans perennem, ut posteri eorum exemplo proficiant, atque in amorem cœlestis patriæ cum devotione maxima incalescant.

AB AUCTORE COÆVO.
* unus æternusque

quod scriptionis hujus est finis.

3 Hæc autem nos considerantes, de hujus venerabilis patris Wandregisili hoc quod ad laudem Domini pertineat, non quod favore humanæ declamationis lassescat, relatione inseruimus. Habent mali in ea quod metuant, boni quod gratulentur, superbi ut humilientur, luxuriosi exemplum pudicitiæ verecunda mente custodiant, garruli ut quiescant, cupidi ut arescant, avari ut relinquentes *d* mundum cum omni impedimento ejus, ebriosi discant sobrii esse, raptores mansuetudinem apprehendant, ignavi ut fervescant, imprudentes veram prudentiam cum sancta simplicitate arripiant. Hoc omnes cum admiratione consideremus, quamtam in hujus Athletæ Domini habemus religionis gratiam, quod miremur *e*, et quantam vim virtutis ejus vel afflictionem corporis et fontem lacrymarum: pleraque despectu mundi quo modo aut qualiter abrenunciavit, et voluntates proprias in trophæo Domini crucifigens perseveravit; quia non permittit brevitas totam ejus operationem sermone concludi; sed tamen derelinquamus hujus textum narrationis, ut felicius perveniamus ad enarrandum aliquid de ejus vitæ meritis; ad gloriam Dei pronunciando surgamus *f*.

E

ANNOTATA.

a *Mabillonius addit*: Seu (*forte* ceu *vel* sicut) brutum asinæ os per sensatos hominum colloquio distinxit modos. *Alluditur autem ad historiam Balaam Numerorum cap.* 22.

b *Mabillonius sententiam hic ita restituit*: Nam potens est Dominus ad sermonem corroborandum plurimum, qui mihi de ipsius beatissimi Viri virtutibus pandit iter. Multa a memetipso visa, plerumque etiam, *etc.* F

c *Patet, vocem esse sese deprimentis, quasi dicat: Ego infirmus, ac virtute puer tenellus.*

d *Imo* relinquant; relinquentes *tamen legitur etiam apud Mabillonium.*

e *Mabillonius*: Consideremus, quantum hujus Athletæ Dei habemus religionis gratia, quod imitemur.

f *Mabillonius*: Ut felicius perveniamus ad enarrandum aliquid de ejus vitæ meritis ad gloriam Dei.

AB AUCTORE COÆVO.

CAPUT I.

S. Wandregisili patria, nobilitas, nuptiæ, vita monastica in monte Falconis et Elisangio.

Wandregisilus nobilis Virdunensis, et regius exactor,

Igitur fuit virtute * venerabilis, Domino inluminante, Wandregisilus, cognomento Wando, oriundus territorio Verdunensium, natalibus nobilis, sed religione nobilior. Qui cum summis parentibus quondam * comitans *a*, et ab ipsis juventutis suæ rudimentis studiis juxta mores secularium eum in actione instituerunt inter mundi decus. Qui accipiens honores terrenos exercebat acturam *b* commissam sibi; sed tamen mens ejus non erat alienata a mandatis Domini, quia sancti Euangelii jussionem explebat; reddebat enim quæ Cæsaris sunt Cæsari, et quod est Dei Deo.

* vir vitæ
* quodam tempore

B

uxorem ducit jussu parentum,

5 Non post multos dies rogatus a parentibus suis *c*, ut sibi aliquam puellam desponsaret, ipse juxta eorum jussionem sublimibus parentibus et bene natam sibi quamdam puellam desponsavit: erat enim in seculo nobilissima *d*. Porro cœpit ipse Vir tacite in cogitatione sua dicere, quid exinde facere deberet: volebat enim oblectamenta mundi deserere et in Dei servitio se subjugare; et quia pavebat, si * innotesceret, quod consensum ei minime daret, cogitavit ut acciperet eam, et postea ei de conversationis habitu fabularetur; quia * accipiens eam, et post acceptam suam volens lucrari conjugem (sicut scriptum est: Diliges proximum tuum sicut teipsum) prudenti hortamine, ut erat eruditus, suadebat ei conversationis gratia, virtutem * magnam habere mercedem; ut qui hic in una carne conjuncti fuerant, in gloria Sanctorum sine fine copularentur.

* si ei
* Qui
* virtutum

quam consentientem, mox Deo virginem consecrat.

6 Illa autem accensa a Spiritu sancto, talia verba præripuit * dicens: O Domine Deus *; quid tibi fuit, quod antea mihi hanc rem non divulgasti? Scias certissimè, quia et ego me absque omni dubitatione volo tradere ad Dei servitium atque vanitates hujus mundi deserere, et regnare in Christi gloria. Quod tibi in tantum supplico, Domine meus, ut quod ore profers, explere opere contendas, et temetipsum liberes, et me, ancillam tuam, ad jugum Dei cum summa festinatione tradas. At ille hæc audiens, versus in gaudia glorificavit Dominum, et admiratus est de tam excellenti desiderio ejus. Fit ex utraque parte consensus. Ipse autem sibi coronam capitis *e* deposuit, et ei velamenti gratiam circumdedit; et, Domino adjuvante, talis fuit sua conversatio seu puritas cordis, quod per eam Dominus adhuc in hoc corpore degentem plurimas virtutes operari dignatus est.

* præripit
* meus

Rixas prece componit:

7 Quid plurima? ad illud redeamus tempus, quo Dominus per famulum suum ostendere dignatus est fortitudinem suam. Adhuc cum esset in laico ordine, pergens in itinere, cum thoro *f* et familia plurima veniens quodam loco, qui * est inter rusticanos homines pessimos *, qui nec Deum timebant, nec hominem quemquam reverebantur, orta est contentio propter pabulum equitum tam valida, ut, nisi pietas Domini et merita ipsius hominis Dei subvenissent, multa homicidia ibi fuerant * facta. Ipse autem ibi petiit adjutorium, ubi possibilitas erat tribuendi, et ad orationem, quasi ad gladium, pergens, divinæ misericordiæ clypeum postulavit, et Domino miserante, qui servis suis pius obauditor est, confestim ipsa litigatio ita est mitigata, ac si de longævis temporibus amicitiæ jura conjuncta * habuissent, et per filium pacis, qui ipse vir Dei erat, litigantes Dominus ad concordiam per Servum suum mirum in modum convertit.

* quod

D

* pessimum,
* fuerint
* conjuncta

fit monachus;

8 Exinde cœpit magis corde fervescere atque eum * ore professionis annuntiare, dicens: Certe iste est super omnia diligendus; quia, ubicumque fuerit invocatus, illico ad præsens est exaudiendus, juxta quod ipse Dominus per prophetam promisit: Cum autem quæsieritis me in toto corde vestro, inveniar a vobis. Post quod ipse Vir Dei relinquens mundi istius oblectamenta, cupiebat in sancto cœnobio sub religionis habitu conversari. In primitiis * cum quodam fere * in loco, qui cognominatur Montefalco *g*, habitavit non multo tempore; qui *h* erat homo multum index *i*, corona capitis decoratus *k*. oculos speciosos, faciem liliabilem *l*, manus prolixas, et frequenter per laticem cupiebat eas abluere, qui erogatas omnes facultates suas in camino paupertatis petiit assidendum *m*.

* deum

E

* et primitus
* sene

ideoque accusatus apud regem,

9 Sed quia diabolus est invidiosus ad nocendum, et contra bonitatis formam pugnat malitia, invidia diabolus maxima in eum exarserat, qui per semetipsum seu per suos fautores eum inquietare non cessabat; sed ipse præcinctus galea salutis et scuto fidei contra omnes sagittas inimici fortiter dimicabat. Dagobertus rex *n*, qui tunc illis temporibus aderat, pro eo quod ipsum hominem Dei in juventute in suo ministerio habuisset, volebat eum inquietare pro eo, quod sine sua jussione se tonsorasset, et ipsum in suo palatio perduci jussit. Qui ipse Vir Dei confidens in adjutorium Christi, qui ei præsens consolator aderat, licet nolens quidem ad aulam regiam perrexit; qui cum venisset prope de consistorio Principis, erat quidam pauperculus, qui vehiculum suum ante portam ipsius regis demerserat: pluribus egredientibus, nullus ei auxilium præstabat; sed omnes pene super ipsum ambulabant, deculcantes eum. Aveniens autem ipse Sanctus Dei, vidit impietatem, quam operabantur filii diffidentiæ, et de equo, quem sedebat, cum velocitate descendens et pauperi manum porrexit, et ipsum plaustrum simul de loco levaverunt.

F

post actum caritatis et humilitatis absolvitur:

10 Prospicientes eum multi, qualiter se inquinasset de luto, deridebant eum et multa opprobria ei dicebant. Ipse autem nihil curans de vituperationibus iniquorum; sed humilis humilem magistrum prosecutus * vestigio: quia ipse Dominus in Euangelio dixit: Si patrem familias Belzebuth * vocaverunt; quanto magis domesticos ejus? Cum autem hoc in laudem Dei diverteret, statim apparuit angelus Domini, qui vestimentum ejus diligenter curavit, et factus plus candens quam antea fuerat, postea pervenit in

* prosecutus est
* Beelzebub

A in palatio regis, et stabat ante eum et satellites ejus, quasi agnus in medio luporum; sed Dominus, pastor omnium Sanctorum, ovem suam de fauce inimicorum ereptam in medio eorum quasi custos, servabat; et cognoverunt omnes, quia hic Vir Dei erat, et pro Christi desiderio omnem gloriam mundi despexerat. Et præcepit rex, ut nemo ei faceret inquietudinem; sed licitum esset ei Domini gloriam contemplari.

austere vivit in alia cella, o

11 Inde reversus, cœpit ædificare cellam in alio loco *o* de facultatibus suis; ubi se jejuniis et vigiliis affligebat; quotidie gemitus, quotidie lacrymæ, et, si quando repugnantem somnus imminens oppresserat, nuda humo vix ossa arida collidebat. Ille etenim pro metu gehennæ et amore Christi tali se carcere damnaverat. Videns eum diabolus semper ad eminentiorem viam conscendere, nimia crudelitate in eum exardescebat, atque multas inquietudines tam apertas quam et pro sopore * ei faciebat: qui ipse Sanctus Dei cognoscens fallaces insidias ejus, quas ei per dulcedinis consensum suggerebat, per vexillum crucis seu per abstinentiam suas illecebras et suasiones superabat.

* per soporem

B

carnis illecebras mirifice superans.

12 Qui ipse diabolus conspiciens se ab ipso Viro Dei vinci, declinavit ad majorem interitum; et, si aliquo modo, juxta quod humana conditio *p*, eum somnus oppressisset, per ipsam visionem multiplices impugnationes ingerebat. Qui expergefactus a sopore accipiebat armaturam Dei dicens: Deus in adjutorium meum intende; seu illud Domino * deprecabatur, ut ei donaret fortitudinem, quatenus iniquum hostem superaret. Et, si quando in ipsa visione nocturna, per titillationem carnis inlusionem habuisset, exurgens continuo cum gemitu et lacrymis mergebat se in fluvium; et, cum esset hiemis tempus, in medio glacierum psalmodiam decantabat, et unoquoque *q* expleto usque ad aquas veniam petebat. O quam magnum studium beati Viri, et maximum prælium, quod contra inimicum agebat quotidie! Et Dominus clemens porrexit ei dexteram suam, quia mens ejus ad Jesum jacebat, pedes rigabat lacrymis et crine tergebat, et repugnantem inimicum suum corporis inedia subjugabat.

* dominicum

C

ANNOTATA.

a *Subintellige*, erat, *ut sensus sit: Comitabatur parentes ad negotia, qui sic eum a teneris ad eadem gerenda instituebant.*

b *Hoc nomine non exacturam vectigalium intelligi vult Mabillonius; cum etiam exactor fuisse dicatur S. Ansegisus jam tum monachus et abbas; ut vide in Actis ejus cap.* I *ad diem* XX *hujus mensis; sed vel officium præfecti regalibus ædificiis, ut de Ansegiso dictum; vel forte judicis causarum ad regem delatarum, ut hoc loco idem auctor interpretatur. Adi Commentarium prævium ut supra num.* 16.

c *Waltchiso scilicet patre; matris nomen ignoramus, erat tamen prænobilis, ut in Commentario prævio dictum* § 2.

d *Ignota nunc tamen; quod sane dolendum ob ea maxime, quæ de illa hoc et sequenti numero dicuntur, et repetentur in Vita altera.*

AB AUCTORE COÆVO.

e *Mabillonius legit*: comam capitis deposuit, *quod cum sequentibus congruit, et cum Vita secunda num.* 3, *ubi alia phrasi dicitur*: ipse autem clericatus habitum sumpsit. *Si tamen Labbei textus genuinus esset, dicerem*, coronam, *quæ sponsorum erat insigne*, deponere, *idem esse ac* nuptiis valedicere.

f *Id est, conjuge, seu sponsa.*

g *De* Monte falconis *dixi in Commentario prævio num.* 17.

h *Ex textu vix colligas, quo relativa hæc particula referri debeat; ad ipsumne* S. Wandregisilum, *an ad eum, ad quem hic accessit, quique in secunda Vita Waltfridus dicitur. Eadem tamen Vita secunda illam ad S.* Wandregisilum *referendam indicat num.* 5.

i *Intelligo hominem valde insignem, et qui ore habituque indicium de se manifestum daret intuentibus, quam egregias in animo dotes haberet reconditas.*

k Coronam *intellige* clericalem, *juxta dixta superius.*

l Liliabilem, *id est*, candidam, *ut habet Vita secunda. Non arguo syntaxim auctoris barbaram, quam et hic et alibi passim licet observare; satis habeo, quod ejus sensus percipi utcumque potest.* E

m *Obscuram hanc phrasim sic explicat Vita secunda*: qui omnes facultates ac prædia sua partim monasteriis perpetim possidenda tradidit, partim pretia ex his accipiens indigentibus larga distribuit manu; sicque exutus seculi curis.... nudus cum hoste versuto certare contendebat. *Sensus ergo prioris Vitæ hic esse videtur*: Wandregisilus, *erogatis omnibus facultatibus suis, petiit a Waltfrido, ut sineret se assidere ipsi, sive una cum eo habitare ac vivere* in camino paupertatis, *id est, observando ac profitendo paupertatem: vita namque pauper ac misera caminus dicitur paupertatis, quia per eam homines purgantur ac probantur, ut in camino seu fornace metalla, juxta illud Isaiæ* 48: Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis. *Porro quod hic dicitur erogasse Sanctus* omnes *facultates suas, id accommode accipiendum, ut infra patebit num.* 11.

n *Primum intellige hujus nominis.*

o *De quo vide Commentarium prævium* § 3. F

p *Supple*, fert, *aut quid simile.*

q *Nempe psalmo.*

CAPUT II.

Iter ejus in Bobium, vita sanctissima apud Jurenses; apparitio angelica; susceptio sacrorum Ordinum.

Angelo duce, Bobium petit,

Videns Dominus Militem suum quia fortiter contra adversarium pugnabat, misit angelum suum, qui eum juvaret: et quadam nocte juxta moris consuetudinem in tugurio suo, in cilicio jacebat, et translatus est in spiritu ab angelo sancto, ductusque est in monasterium, quod vocatur Bobius *a*, in regione Longobardorum, quæ dicitur Italia; ostenditque ei omnes habitationes *a*

AB AUCTORE COAEVO.

tiones ejus, quomodo aut qualiter adessent. Qui cum eum reliquisset, cœpit ipse Sanctus Dei intra semetipsum volvere, quid hoc esset : qui memorans in sancto Euangelio mandatum, Christo dicente : Nisi quis reliquerit omnia quæ possidet, non potest meus esse discipulus; et : Qui vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me; adimplens Domini præceptum, surgens reliquit omnia; accipiens secum tres puerulos cum asello, aliis nescientibus, exivit de terra sua et de cognatione sua, et de domo patris sui, et ambulabat, nesciens qua viaticum *b* duceret; sed Dominus per suum angelum demonstrabat ei, qua via pergere deberet, pervenitque ad prædictum locum, ubi ei demonstratum fuerat.

b

unde laudes hominum fugiens in Hiberniam cogitat;

* educto demonstraverat

14 Cum autem introisset et vidisset omnes habitationes monasterii, certissime cognovit, quod antea Dominus in extasi ei dicto demonstrabat *, et conversatus est ibi aliquantum temporis. Qui cognoverunt omnes, quia hic Vir Dei athleta erat, et ejus devotio atque origo omnibus in notitiam advenit, et multas conditiones *c* ei Dominus ibidem revelare dignatus est. Ipse autem semper cupiens habere secretum, ut virtutes ejus non essent manifestatæ hominibus, sed placitæ Domino (quia cavebat illud, quod Dominus dixit ad falsos servos : Vos estis qui justificatis vos coram hominibus, Dominus autem novit corda vestra) congregabat in armarium cordis sui virtutes Dei, atque ei placere cupiebat, qui quotidie eum prospiciebat ex alto; et in remotiore loco volens inhabitare, et arctam et angustam viam præsidere, disposuit in Scotiam ambulare. Ardebat enim ex desiderio Domini, quia charitas Christi diffusa erat in corde ipsius per Spiritum sanctum, qui datus erat ei.

B

c

subsistit tamen apud Jurenses,

d

15 Cum autem pergeret, veniens per monasterium quod est constructum ultra Juranenses partes, cognominatum Romanum *d*, petiit ibidem hospitium. Qui ipse Abbas eum cum summa diligentia recepit : ubi, cum juxta moris consuetudinem mandatum Domini adimplentes, ad lavandum pedes venissent, cognovit ipse Sanctus Dei, quod ibi erat illa via * arta, quam ille per desiderium Christi volebat sectari, et certius per spiritum Domini notum ei fuit, quod ad hoc eum Dominus adduxerat, ut sub religionis habitu conversari deberet; et se in obedientiam ibidem delegavit, et multis diebus ibidem sub institutione regulari habitavit; nempe ipse in virtutum culmina * semper per humilitatem ascendens, et vanam gloriam cavens, mansuetudinem sectans, timens ne, si bonum aliquod videretur facere, per ventum elationis diabolus obreperet, custodiens se multum etiam a minutissimis culpis, id est a sermone otioso, excelsum risum plerumque cavebat, sciens, dictum esse, quia Stultus in risu exaltat vocem suam; sed rectus semper atque hilaris in mandatis Domini erat promptissimus.

* vita

C

* virtutem culminis

ubi exempla præbet virtutum eximia,

* adjunctus

* vultu

* affectu

* umquam

16 His virtutibus, quasi comitibus suis adjutus *, erat ceteris humilior, quietus in sermone, hilaris in cultu *, pius aspectu *, maturus in moribus; detrahere nec volebat, nec plerumque audire; non murmurosus, sed obediens, ea quæ a patris ore numquam * fuissent prolata, quasi divino imperio cum omni velocitate faciebat, tenens * Domini mandatum, et semper in lege ejus meditatio ipsius aderat; ubicumque esset, ruminanda * mandata Dei revolvebat, et meditando custodiebat. Taliter erat studium ejus, quia mortificaverat membra sua, quæ erant super terram : nudus nudam crucem portaverat; atque mortuus jam mundo, vivebat Domino : et Dominus videns, quia multum diligens esset ad exercendum servitium ejus, plures conditiones ibidem per inspectivum oculum patefecit, seu plurimos dormientes in somno inertiæ atque pigros ad opus Domini faciendum per ipsum excitavit, atque ad opus fidei consurgere fecit.

D

* tremens

* ruminando

et ab angelo laudatus, nepotis conversionem discit :

* fulgens

17 Nec illud maximum miraculum præterire audeo, quod factum, ipso Sancto Domini narrante, cognovi. Quadam nocte, cum in oratione devotissime in cella sua perduraret, adstitit angelus Domini ante eum in tam magna claritate fulgente *, ita ut habitaculum illud immensa luce terribiliter resplenderet; et replevit odore suavitatis tugurium illud; et vox facta est ad eum, dicens : Serve Christi in timore Dei promptissime, pax tecum, quia magnus es tu apud Dominum, et magna sunt opera tua, quæ incessabiliter facis : persevera usque in finem; quia Dominus Jesus Christus tibi habet paratam coronam et amœnitatem paradisi reseratam, qualiter cum ipso sine fine exalteris.

E

ipse vero se tanto amplius deprimit.

e

18 Et ipso loco ventura ei prædixit, et ait : Quia nepos tuus Godo *e* secuturus erit te. Hæc audiens Vir sanctus, prosternens se iterum cum gemitu in oratione, magis ac magis incalescens, non extollendo se eo, quod per angelum suum Dominus ei locutus esset, atque opera ejus magnificaverit; sed humilians se, et peccatorem esse se plus fatebatur; quia non esset dignus, ut eum Dominus visitaret. O beata illa virtus et ipse Homo, qui ore Altissimi meruit esse laudatus! O beata mortificatio, quæ filium * Dei facit esse participem *! O beata humilitas, quæ apud homines est vilissima, apud Deum excelsa! Hoc custodiens beatus Wandregisilus habet partem in regno Dei.

* Filio

* participes

S. Audoenum audit et sacris Ordinibus initiatur.

F

f

g

h

19 Veniamus ad illud tempus, in quo jam Dominus Servum suum in universis gentibus demonstrare voluit, atque margarita *f* pretiosa de thesauris suis profecta reserabat, ut per eum multorum salus accresceret, et ei gemina corona multiplicaretur. Veniens Rodomo *g*, in sede beata in diebus Audoëni orthodoxi *h* : qui cum vidisset eum ipse pontifex, cognovit, quia hic Vir Dei magnus cultor esset, et voluit eum ad onus subdiaconatus benedicere; quem inscium, et pene nolentem, ad ipsum gradum instituit : exinde levita : deinde ad sacerdotium per manus domni Audomari *i* conscendere fecit : qui ipse Sanctus Dei post acceptam benedictionem explebat officium suum : erat enim decoratus ad ipsum ministerium exercendum.

i

ANNOTATA.

a *De* Bobio *dictum est in Commentario prævio, et infra latius describitur in Vita secunda num.* 9.

b Via-

A

b Viaticum *pro itinere et itineratione accipi apud inferioris latinitatis auctores ostendit Cangius in Glossario.*

c *Forte* cognitiones, *ut hic in margine observat Mabillonius. Idem infra num.* 16.

d *Nunc S. Claudii dicitur. Adi Commentarium prævium num.* 21.

e *De S. Godone abbate egimus die* XXVI *Maii. Bouchetius in Origine familiæ reg. Franc. parte* 1, *facit eum filium Sigefridi comitis Verodunensis et Bertæ, sororis* S. Wandregisili, *citatque Chronicum Alberici ad annum* 644; *ubi Godonem quidem ait ex sorore* S. Wandregisili *et comite Verodunensi natum esse; sed nec patris ejus nec matris nomen exprimit.*

f Margarita *hic est accusativus pluralis a recto* margaritum.

g *Potius* Rodomum, *id est, Rotomagum : hanc enim urbem* Rodomum *et* Rotmum *olim vocitabant, uti docet Valesius in Notitia Galliarum.*

h S. Audoeni *episcopi Rotomagensis Acta dabuntur* XXIV *Augusti.*

B

i *De S. Audomaro episcopo Taruannensi agetur* IX *Septembris.*

CAPUT III.

Monasterii Fontanellensis erectio et incrementa; Sancti præfectura, et opera apostolica; donum prophetiæ et miraculorum.

Fontanellense cœnobium condit,

Sed quia semper ille fontem humilitatis repetebat (nolebat enim in terrenis actibus occupari;) quærebat locum, ubi ei Dominus demonstraret, qualiter sub sancta regula degeret vitam. Cui Dominus talem dedit locum, ubi plurimum gregis Christi bonus pastor curam gessit; assedit juxta fontem uberrimum, qui vocatur Fontanella, in cremo, quæ dicitur Gemeticus, ex fisco quem assumpsit regali munere *a* : ibi monasterium fundavit atque ex multorum sanctorum animorum pretiosis lapidibus eum instruxit. Ædificavit namque basilicas in honorem sancti Petri, beati Pauli, vel *b* sancti Laurentii, et alia oracula, non multum distantia a monasterio quasi milliario uno, in honorem S. Amantii *c* Rotinensis præsulis, pro amore ipsius * construxit.

C

* ipsius Sancti Dei

21 Erat enim pro sanctitatis studio carus Dadoni *d* pontifici, cujus in parochia *e* est ipsum cœnobium. Non fuit contemptor canonum; sed tantum erat humilis, ut, etiamsi itinere pergere conaretur, Præsulis permissu * susciperet, et sine edicto * ejus non volebat pergere in itinere; quia sciebat scriptum esse : Omnia quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis. Porro voluit sine portione mundi istius esse, ut de proprio sudore ederet panem suum, et fuit sic multis temporibus; et Dominus videns, quia electus suus multiplicabat talenti gratiam, quam ei dederat, plures faciebat concurrere ad ipsum cœnobium sequentes Euangelium ejus, relinquentes patrem et matrem, domum et agros seu reliqua.

S. Audoeno se subdens, et a conversis nihil recipiens;

* permissum

* permissione

AB AUCTORE COÆVO.

22 Quod prospiciens ipse sanctus Dei, qualiter multitudinem sanctorum ibidem Dominus aggregaret, non prævaluit esse sine agris; nisi acciperet de eis, qui illuminati Dei servitio se subjugabant, quatenus eorum necessitates haberet unde procuraret, hoc est tantum victum et vestitum, juxta præcipientem Apostolum : Habentes autem tegumenta et quibus alamur, his contenti simus *. Erat enim verissimus pastor juxta Domini præceptum; quia animam suam ponebat pro ovibus suis. Per suam dulcedinem multorum amaricationes in liquorem vertebat *, per suam humilitatem multi superbi confusi ad humilitatem revertebantur *f*.

quod tamen aliquanto post fecit, cum nimis excrescerent

* sumus

* verterat

23 Per suam doctrinam multos aggregavit in regno Dei. Erat enim doctus scriba proferens de thesauro suo nova et vetera; dubios confortabat, imbecilles corroborabat, infirmis auxilium præbebat, atque contra diabolum pro eis fortissimo * prælio dimicabat : plurimas prædas de ore leonis rugientis abstulit atque ad ovile Dominicum, ut bonus pastor, reduxit, seu vulneratum * verbi gratia curavit; et instruebat filios suos, qualiter potuissent resistere satanæ insidiis fluctuosis, et qui posuerant manum in opus Domini, non respicerent retro; et adnunciabat eis dicens :

qui ad institutionem ejus convolabant;

* fortissimis

E

* vulneratam

24 Retrorsum respicere, fili, nihil aliud est, quam in eo pœnitere, quod cœperas exercere, et iterum mundanis desideriis te obligare, carissime. Semper debet homo paratus esse ad humilitatem et ad altiora conscendere : non debemus computare annos, quos in cœnobio degimus, sed quod sine querela in mandatis Domini viximus. Etsi nos aliqua elatio non inflat, eo quod non furamur cum furibus, et non jungimur cum homicidis seu perjuris, recogitemus intra conscientias nostras, quales sint actus: si odium contra quemlibet non habemus; si detractionem cum omni velocitate eradicemus; si vos * non inflat superbia; si non debilitat * ambitio; si luxuria non coinquinat; si ira non exasperat; si vana gloria non præoccupat; si risus immoderatus non rugat; si otiosus sermo non præpedit; si charitatem, pacem, gaudium, benignitatem cum omni aviditate custodiamus,

quosque ad humilitatem imprimis hortabatur,

* nos

* delectat

F

25 Hoc nobis est necessarium, ut omni hora Dominus paratos ad opus suum inveniat *; gaudeat, et coronet: diabolus ut decidat, et lugeat; quia maximum mœrorem habet, quando quemquam viderit promptissimum in mandatis Domidi custodiendis. Filioli, custodite vos ab omni inquinamento mundi. Hodie vivimus, in crastinum quid nobis * contingat, nescimus; revolvatur ad nostram sedulitatem memoria, qualiter nos, qui aliquando fuimus filii tenebrarum, modo misericordiam Domini consecuti, facti sumus filii lucis. Itaque abjiciamus opus tenebrarum, et per Christi præcepta, tamquam per lucem, ambulemus.

ac perseverantiam,

* Dominus ut

* nos

26 Videte, ut vos * diabolus per zeli livorem in muscipula sua non obliget, sed ligati charitate invicem in timore Domini servite; et si hoc vester adversarius conspexerit, longe fugabitur a

vobis;

et mutuam caritatem,

* vobis

AB AUCTORE COÆVO.

vobis; quia ad illum, quem in prælio ei inimicus unanimem viderit, appropinquare ad eum minime potest: quia charitas Dei conglutinat, hostem teterrimum prostratum habent unanimes. Hoc erat studium, vel labor ejus, quo contra diabolum dimicabat; quia filios suos, quos verbo Dei, tamquam * lacte, enutriens * ad bellum contra eum docebat, atque venenatas sagittas ejus, de qua parte pervenire poterant, demonstrabat.

* tantum
* enutrierat

g suos etiam labore manuum sustentans.

27 Qui ipsas oves Dominicas *g* in prædicto sancto cœnobio usque in finem vitæ suæ sine querela (ut puto) præcelsior super omnibus Pastor sollicitudinem in omnibus gessit. Tanta ei aderat verissima humilitas, ut propter filiorum educationem, in senectute *h*, in labore manuum incipere * renitebatur *. O quam magnum atque præclarum Satellitem Christi! ut qui per contemplationis aciem cor suum in supernis elevabat, pro fraternis dilectionibus detentus, in terrestribus multis modis servitute subjiciens *, ut adinstar Apostoli, omnibus omnia erat factus *, ut omnes lucrum faceret, qui per ipsam multiplicem gratiam, quam ei Dominus dederat, irrigabat terram gentilium, et torrentem spinarum, et mare mortuum dulcorabat. Sicque in Viro sancto in longinquis spatiis terræ felix opinio peragravit; ac, si quis eum oculis corporeis non vidisset, fiduciam magnam habebat, ut per ejus intercessionem, sicut erat, clementiam Domini haberet esse propitiatam.

h
* insistere
* nitebatur
* subjacens
* fieret.

B

Accolas multos convertit ad pietatem.
* sævis

28 In hoc maxima parte sua prædicatio claruit, ut, cum in terra cum brutis vel servis * hominibus habitabat, in modicum tempus per ejus deprecationem sunt conversi; ut qui ante direptores fuerant, postea sua propria largiebantur. Quid dicam amplius, ut in tam feroci vel immani barbara gente, nuper Christiana, more monachili se cum vellet leniter increpari, prosternebat se usque ad terram, veniam petebat *i*. Nempe ipse Sanctus Dei inter oves suas seu Dominicum agrum verbi prædicatione exarabat, et dicebat: Non nobis, Domine, sed sancto nomini tuo da gloriam. Et deprecatio ejus fiebat quotidie pro ipsis, ut in tam novella plantatione Dominus Jesus Christus radicem charitatis figeret, et fundamentum stabilitatis firmaret: cui non tantum pro filiis suis oratio assidua erat, sed etiam pro omni gente tam justorum quam et peccatorum, quorum carnes rex Assyrius *k* in olla fornicationis incendio bulliebat.

i

C

k

Occultata novit et futura:
* habuisse
* et lurido corde
* His

29 Mirum est valde atque stupendum cogitare, si in hujusmodi Viro Dei prophetiæ spiritum habitasse * non credamus, qui sæpius aderat; ut dum quisquam reatum suum minime innotesceret, diceret ipse Famulus Dei: Frater, quid tibi est, ut tam torvo aspectu, corde * contristatus, incedas? Nonne tibi sunt aliqua cordis machinamenta? Festinus sis ad confessionem: noli dimittere reatum tuum in corde quiescere, quia modicæ scintillæ adjectio magnum ignem congenerat. Surge, frater; sta super pedes tuos, et noli prostratus jacere; ne sis cum diabolo, sed surge cum Christo. Porro et ego absque dubitatione loquor, eum audiisse ventura pronuntiantem, quod oculi mei postea apertissime viderunt, Hæc * minime patitur brevitas hujus texti diutius immorari. Sed, in quantum divina juvatus fuero misericordia, perstringere nobis hoc convenit; ne, ut superius, longo proscribente stylo, fastidium debeam generare; et hoc mihi sic credo quod fas sit ad inquirendum, quanta Dominus per ipsum Sanctum Dei, venerabilemque Patrem nostrum, operari dignatus est miraculorum certamina. D

plurima patravit miracula:
* miserrimo seculo

30 Nec hoc potest inopia mea adprehendere, sed soli Deo agnitum est: liquet hoc, quod humanis obtutibus apparet, inquirendum putavi, quia de ipso Sancto Dei pauca perstrinxi. Nam certissime sciamus, quod per eum Dominus leprosos mundavit, claudos liberis gressibus ambulare fecit, et interioris cordis tenebras, et mortuos jam pene sepultos resuscitavit. Qui de hujus miseriis seculi * ereptus, in cœlestibus sedibus hodie cum Christo, et suis sanctis angelis militat, et erit gloria ejus Christus, et finem numquam erit habiturus, gaudens amœnitate paradisi.

ANNOTATA.

E

a *Adi Vitam secundam num.* 14, *et Commentarium prævium supra num.* 23.

b Vel *hic ponitur pro*, etc. *Additur etiam quarta basilica S. Pancratii in Vita secunda num.* 15.

c *De quo agendum erit* IV *Novembris;* Ruteni *autem, sive* Rotina *civitas est episcopalis in Gallia Aquitanica, sub archiepiscopatu Bituricensi, olim Segodunum, nunc vulgo* Rodez *nuncupata.*

d Dadoui, *id est*, *S. Audoeno*, *qui et Dado dictus.*

e Parochia *sumitur hic pro diœcesi Rotomagensi, in qua Fontanella sita.*

f *Mabillonius tantum habet:* Per suam humilitatem multi revertebantur.

g *Constructio, ut aliæ multæ, vitiosa, pro* de ipsis ovibus

h *Mabillonius:* Jam in ævo et luculenta seu decorabili senectute.

i *Mabillonius sic legit:* Ut tam feroces vel immanes barbaras gentes, nuper Christianas more monachili cum vellet leviter increpare, prosternebat se, *etc.* F

k *Intellige diabolum.*

CAPUT IV.

Ultimus morbus ejus, et monita morientis; depulsio dæmonis; apparitio Sanctorum. Parænesis auctoris.

Morbo corripitur, et ecstasi triduana,
* Dominum

Veniamus ad illum locum, in quo Dominus Inclytum suum de laboribus hujus mundi in cœlesti quiete perducere voluit. Quadam et ipse ætate longa defectus, canebat sæpissime dicens: Heu mihi! quia peregrinatio mea prolongata est; habitavi cum habitantibus obscuritates, multum peregrinata est anima mea. Et deprecans Domino * dicebat: O Jesu bone, libera me,

A me, quia multum desidero videre te. Qui ipse exaudiens vocem * Famuli sui, immisit ei modicam ægritudinem, qualiter animam sanctam reciperet de corpore. Qui ipse Vir Dei fuit tribus diebus et tribus noctibus non loquens cum hominibus, sed in extasi eductus contemplabatur gloriam Domini, et per pauca aperiebat oculos suos, et prospiciebat in cœlo hilari vultu.

* precem

lamentantibus discipulis,

32 Quod cognoscentes discipuli, qui ante eum adstabant, eo quod mens ejus translata erat in gloriam Domini; videntes autem Fratres, eo quod jam volebat Dominus eum recipere, contristati sunt valde, dicentes : Quid facturi sumus? Cur nos tam cito relinquis, Pater? Verba tua audire vellemus, adsueta admonitione tua omnes desideramus corrigi. Et prostraverunt se cum gemitu et lacrymis in oratione, Dominum deprecantes, ut non permitteret eum de corpore recedere, antequam eis confortationis gratia famularetur. Porro Dominus videns contritionem maximam, quam oves suæ patiebantur pro Pastore eorum, eo quod jam minime * eis loqueretur, permisit ipsum Sanctum Dei, ut multa prædicationis verba eis prædicaret.

* obierit, et minime

B

quibus extrema dat monita :

33 Qui convocatis discipulis suis, plurima mysteria, secreta, et absconsa, tam de se, quam et de reliquis eis reseravit. Tunc interrogaverunt eum monachi juxta moris consuetudinem, quid post suum discessum facere deberent? At ille aperiens os suum, respondit eis : Certius cognoscatis, quod, si permanseritis in sermonibus meis, et custodieritis quod ego prædixi vobis, ut in unitate atque charitate, seu et humilitate fundati sitis, ut inter vos nulla sit dissensio, conditio vestra manere habet in perpetuo recte, et Dominus vobiscum erit omnibus diebus, et vester consolator atque auxiliator in omnibus necessitatibus aderit. Pauca eis verba in breve * expressit, eo quod jam prope erat advocatur ille, qui eum recipiebat in sinum requiei suæ.

* brevi

fugat dæmonem, sibi apparentem,

34 Cum autem conspiceret diabolus, quod per merita ipsius Sancti Dei eum Dominus ad beatam vitam de his tenebris vocaret, maxima invidia in eum ductus, eo quod semper adversus eum fortissimus dimicator fuerat, et non tantum semetipsum *, sed etiam plurimas oves de ore ejus abstraxerat, atque ad vitam æternam pius ducator * exstiterat, volebat eum per suas nigredines teterrimas * pavores animæ generare ; sed Dominus clemens Justum suum numquam deseruit, sed semper in eo habitans percussit diabolum, et fugavit eum. Etiam discipuli prædicti Patris, qui ante eum aderant, audierunt eum dicentem : In Spiritu sancto baptizavit me Dominus in fonte lavacri, et occurrit mihi dæmon teterrimus, et percussit eum Dominus in fronte, et fugavit eum.

C

* pro semetipso

* ductor

* teterrimos

cui succedit chorus Sanctorum.

35 Prospiciens iste Sanctus Dei, multitudinem agminis Sanctorum, quos ibidem ad ejus exitum Dominus miserat, ante eum adstare, vocavit aliquem Sanctum, cujus vitam et mores ipse beatus Vir sciebat, dicens : Agathon, Agathon, cum hilari vultu; et per ipsam suam vocationem certiores fuerunt Fratres, quod multitudo ibidem esset aggregata Sanctorum ; et ego ipse ab aliquo Fratre in monasterio narrante cognovi, cum esset in cella sua, audivit choros excellentissime psallere. Exurgens autem Frater ille in pavimento, et currens, festinus ad ecclesiam accessit, cogitavitque intra se, ut Fratres jam decantarent ad exitum beati Viri Dei; qui veniens in ecclesiam, et nihil in ea inveniens, regressus cum terrore * venit ad locum, ubi venerabilis Pater erat, interrogavitque circumstantes, si aliquam rem audissent. Respondentes autem Fratres, dixerunt ei, quia neminem audierant. Et ipse sanctus Vir ad illos Fratres, qui eum curabant, interrogavit, dicens : Potestis decantare cum istis, qui hic psallunt? Dixerunt ei : Domine, quinam sint, nescimus; tu scis. Ille autem splendida facie lætabatur in Domino, et cum ipsis corde psallebat.

AB AUCTORE COÆVO.

* calore

Moritur exultantibus angelis, monachis flentibus.

36 Ad ultimum vero exitus sui congregata est omnis multitudo monachorum, et ipsa sanctissima anima egressa est de corpore, et receperunt eum agmina angelorum, qui ad ejus exitum psallebant, et Dominus Jesus Christus, cui ipse in hac vita devotissime servivit, reseravit ei amœnitatem paradisi. Tunc multitudo ad ejus obitum decantabat cum magno planctu : illi fundunt lacrymas pro separatione carnis ; angeli exultant pro inventione * : illorum animus mœstus est pastorem obiisse ; angeli gaudent propter quod jam * Sanctum Dei recepissent *a*. Exultant senes, lætantur juvenes, gaudent adolescentes, alacres sunt monachi, quia sanctum Wandregisilum recipiunt sedes beatæ et æternæ ; et post labores multos, quos propter Dominum grantanti animo in præsenti vita sustinuit, in perpetuo coronam maximam recipiet.

E

* junctione animæ

* tam

a

Parænesis auctoris.

37 Sectemur hunc, Fratres, communi studio, si volumus cum eo gaudere in perpetuo. Humiliemus nos propter Dominum, sicut ille fecit, ut cum eo exsultare mereamur. Mortificemus membra nostra, ut spiritus floreat; concordes simus, ut diabolus fugiat; mites, ut angeli gaudeant. Videat ille multiplicare semen Dei, quod exsparsit * in cordibus nostris, et lætetur Pater in filiis, et filii in Patre, ut in illo terribili examine venturi judicii repræsentare nos ante oculos Dei valeat, dicens : Hæ sunt oves, quas commendasti mihi, Domine; nemo periit ex eis, custodientes mandata tua, quæ annuntiavi eis. Et dignetur vobis * dicere Rex æternus : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum cum dilecto vestro, inclyto meo Wandregisilo, quod vobis paratum est ab origine mundi, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui Confessorem suum in præsenti vita protexit, et post funus in Sanctorum gaudio copulavit, qui cum æterno Patre vivit et regnat Deus in Trinitate perfecta in secula seculorum. Amen.

* diffundatur

* nobis

F

Nosse qui volet ejusdem Beatissimi obitum, XI Kalendas Augustas, cum opere perfecto consummatum recepit eum Dominus.

ANNOTATA.

a *Hinc incipit parænesis auctoris apud Mabillonium ; itaque legit :* Exsultent senes, lætentur juvenes, *etc.*

VITA

EX MS. VALCELLENSI.

VITA ALTERA

AUCTORE COÆVO MONACHO FONTANELLENSI, SED INTERPOLATA.

Ex codice nostro Ms. Valcellensi, collato cum Ms. Thosano et cum Vita excusa apud Mabillonium.

PROLOGUS.

Ad S. Lantbertum archiepiscopum Lugdunensem a.

Incipit prologus in Vitam S. Wandregisili confessoris.

Scripturus vitam beatissimi patris Wandregisili Spiritum sanctum toto virium nisu peto adjutorem; quatinus ipse mihi scientiam eloquendi textum Vitæ illius misericorditer tribuat, qui fervore suæ charitatis multiformiter cor Sancti inflammare disposuit, ac suæ habitationi dignissimum reddidit. Nam tam præclaro operi pauper succumbit ingenium, nisi divinum affuerit præsto suffragium. Etenim in operibus eximii Viri multiplex materia reperitur dicendi; et si me huic negotio aliquatenus judicassem idoneum, olim almi Patris gesta scripturus aggrederer. Confido tamen in illo, qui dixit: Aperi os tuum, et ego adimplebo illud. Non erit ergo mirum, si inerudito Omnipotens præbeat vera dicendi intellectum; qui, quando voluit, asellæ brutæ tribuit eloquium. Intercedente ergo ipso venerando Patre, conabor jam virtute, qua valuero, e pluribus pauca revolvere. Inseremus ergo illa, quæ veris assertionibus experti sumus fuisse patrata: nonnulla enim a memetipso visa, pleraque etiam venerabilium monachorum ejus, qui ei per prolixa adhæserunt tempora, assertione verissima probata cognovi: qui non tantum audita, verum etiam ipsis coram positis acta fideliter narrant. Quæ si minus compte edita fuerint, aut decore facundiæ funditus caruerint, mi reverentissime pontificum Lantberte, vestris facundissimis * omni melle dulcioribus eloquiis decorentur, ut legentibus apta fiant. Noverint tamen legentes, non hac me stoliditate desipere, ut velim doctorum gressibus coæquari: cum sim iners, insipiens, somno desidiæ torpens *b*.

* *Mabillonius* a viris facundis.

ANNOTATA.

a *Vide Commentarium prævium num.* 4.

b *Observa, hunc prologum in Mss. codicibus passim occurrere; non alium illum, quem dat hic Surius.*

CAPUT I.

S. Wandregisili natales, munia, nuptiæ, monachatus in Monte Falconis; apparitio et obsequium angelicum.

De nativitate B. Viri.

Præclarus igitur atque gloriosus vir Domini Wandregisilus, cognomento Wando, ortum inclytæ nativitatis in Veredunensi regione ex nobilibus atque religiosis parentibus, tempore quo sceptra regni Francorum fortis rex Dagobertus honeste gubernabat *a*, habuisse dignoscitur. Denique genitor ejus, Waltchisus nomine, ex nobilissima prosapia ortus, consobrinus exstiterat Pipini excellentissimi principis Francorum. Et ut ejusdem sancti Viri claram originem altius promam, cum esset a nobilissimis ac ditissimis parentibus editus, non minus nobilem splendidæ vitæ moribus ac piæ conversationis exemplis assidue se præbuit.

De militia regali, et administratione ejus et vita honesta.

2 Cumque adolescentiæ polleret ætas in annis, sub præfato rege Dagoberto militaribus gestis ac aulicis disciplinis, quippe ut nobilissimus nobiliter educatus est. Et crescentibus sanctæ vitæ moribus, cunctisque mundanarum rerum disciplinis imbutus, a præfato rege Dagoberto comes constituitur palatii. Quo gradu paulULUM administrato, ardore parentum honoribus plurimis (ut sese habet secularis rei dignitas) valde sublimatus, etiam dispositioni rerum plurimarum non multo post mancipatur. Suscipiensque hoc officium, exercebat cum pietatis studio administrationem sibi commissam. Mente semper cœlestia tractans, optima principum jussa magnifice adimplebat, reddens quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. Eratque liber ad arguendum eos, humilis ad obediendum: regi apostolico jussu subjectus, Christo devotus. Erat enim in fide firmus, in bonis operibus promptus, in sermone verissimus, in judicio justus, in consilio providus, in bonitate conspicuus, in charitate præclarus. Arguebatque subjectos clementer, tolerabat patienter. Eratque in eo mira in cunctis operibus discretio, et mirabilis erga omnes dilectio.

Quod quamquam sibi invitus desponedit puellam, et mox dissocialem illi tradit libellum.

3 Evoluto autem tempore, parentum hortatu, licet invitus, quamdam sibi despondit puellam, nobilissimis natalibus procreatam; solennique more castas celebrans nuptias, virginei floris immaculatum adeptus est torum. Denique suadebat suæ conjugi virginitatem integram custodire castitatisque munere angelicarum virtutum promereri consortium. Hoc prudenti monitu roborata, ac superno illustrata lumine, talia infit: Quæso, virorum nobilissime, ut quæ ore promis, explere properes actu, et temetipsum a seculi curis exuas, meque famulam tuam castris committas Regis perpetui. At ille exultans ejus laudabili devotione, gratiarum actiones bonorum omnium inspiratori gaudenter profudit. Fit quoque ex utraque parte, magnifice Christo donante, saluberrimus castitatis consensus. Ipse enim clericatus

A ricatus habitum sumpsit, ac conjugem suam velo piæ religionis opertam, sanctimonialium monasterio illico tradidit sociandam. In quo viriliter, suimet custos, callem imitabilis vitæ peragens, triumphum Domino reportavit; talisque enituit ejus conversatio, ut ad declaranda ipsius merita, plurimæ a Domino per eam patratæ dicantur virtutes. His ita se habentibus, ad sancti Viri opera et virtutes enarrandas stylum vertamus.

De vulgo contra virum Dei surgente divinitus correpto.

4 Cum adhuc in laico habitu degens, iter carperet stipatus obsequiis suorum, divertit in locum quemdam suo itineri congruum: ubi seditiosum vulgus in injuriam sancti Viri totius furoris stimulis exarsit. Nam stoliditate et barbarica rabie excitati, et intellectu belluis similes, super Virum Dei cum turba irruunt suorum: ubi non minimum humani fusum fuisset sanguinis, nisi intercessio ipsius et virtus Christi misericorditer adesset. Ipse enim ab illo poposcit auxilium, cui dicitur: Tu es refugium meum a tribulatione? Orationem pro gladio sumens, clypeum divinæ misericordiæ postulavit. Nec defuit divi-
B num, ubi humanum deerat, auxilium. Denique turba pravorum ita stetit immobilis, ut propius accedere non valeret, Christi scilicet retenta virtute. Statimque ipsa lis in admirationem intuentibus vertitur, et ita, ut oratione Viri Dei solverentur pariter et salvarentur; ac pacati abscederent, qui seditiosi advenerant. Nec mirum esse debet, quia filius pacis intererat, si litigantes Omnipotens pro eo ad concordiam converteret. Exinde cœpit magis magisque divino igne succendi, atque contemplativæ vitæ alta rimari, Deumque glorificare simul et laudare, dicens, illum super omnia toto nisu diligendum, qui ubicumque juste fuerit invocatus, præsens est exauditor, secundum illius prophetæ dictum: Cum quæsieritis me in toto corde vestro, inveniar a vobis. Quique ita seipsum propria disciplina co-
b ercebat intonsus *b*, quasi futuram speciem pastoris olim suis præsignaret in gestis; ut irreprehensibilis in templo Christi præpararetur sacerdos. O perfectissimum laicum, cujus imitatores ipsi esse desiderabant sacerdotes! O mens omnibus prædicanda, cui non fuit aliud vivere, nisi
C Christum cum dilectione timere, et cum timore diligere!

De loco nuncupato Monte Falconis ubi clericatus habitum sumpsit.

5 Postquam autem, ut superius indicatum est, ipse Vir sanctus mundi hujus oblectamenta descruit, optabat in sancto cœnobio divinæ insistere philosophiæ, ac monasticæ regulæ venerabilem animum tradere informandum. Ac primum in loco, qui dicitur Mons Falconis, cum
c viro sancto, nomine Baltfrido *c*, non multum temporis habitavit: cujus actus et vitam in gestis de eo scriptis, si qui noscere velint, facile reperient. Erat autem isdem vir Domini Wandregisilus, statura mediocris, quæ honestam non excederet formam, oculis vigilantibus, facie candida, manibus prolixis, omnique corporis forma decorus pariter ac jocundus. Qui omnes facultates ac prædia sua partim monasteriis perpetim possidenda tradidit, partim pretia ex his accipiens, indigentibus larga distribuit manu. Sicque exutus seculi curis atque impedimentis, liber et nudus cum hoste versuto certare contenderat. Denique hostis invidus, ejus insuperabilem conspiciens devotionem, nitebatur omnimodis impedire pios illius actus et studia. Ac primum regis animum et procerum illius adversus eum commovet, scilicet ut avulsus a sancto loco, habitum compelleretur recipere secularem. Sed ipse indesinenter precibus insistens, divinis armis inimici evacuabat molimina.

EX MS. VALCELLENSI.

De inclyto rege Dagoberto ad palatium eum vocante et euangelio obsequio sibi præstito.

6 His temporibus rex inclytus Dagobertus, amator videlicet Dei, ac sanctarum ecclesiarum atque monasteriorum venerabilium strenuus fautor * pariter ac fundator, ac proprii regni fortissimus defensor et propagator invictus, sceptra Francorum gubernabat honeste, hostibus undique suæ ditioni subjectis. Et quia præfatus Vir Domini in ejus aula nutritus, et suis fuerat olim ministeriis ascitus, nitebatur ei consultu suorum molestiam inferre, pro eo quod sine ejus permissu habitum mutasset ac monasticæ se religioni mancipasset *d*. Quem accersiri ac regiam quan- *d*
tocius jussit migrare in aulam. Ipse autem auxilio Domini fisus, qui ei semper præsens opitulari solebat, reminiscens etiam illius Apostoli Petri: E
Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi, quasi præcellenti, licet nolens quidem, in palatio sese exhibuit obtutibus regis. Cum autem jussus regias, licet animo reluctante, properaret ad ædes, ante fores palatii quemdam pauperculum subito offendit cum vehiculo, quod ei sola erat domus, luto dimersum. Cumque omnes miserum præterirent, aut etiam aliqui comprimerent, intellexit Vir sanctus, mercedem sibi ex hoc reservari, si indigenti atque humi depresso misericordiam exhiberet. Cernens etiam crudelitatem, quam operabantur tumidi, de equo, cui sedebat, cum gravitate descendit, et pauperi manum porrigens, simul cum plaustro eum de luto levavit. Tunc quidam stolidorum prospicientes, qualiter de sublevatione jacentis lutosum gestaret amictum, vanæ gloriæ et temeritati, more invidorum Pharisæorum, deputabant. Ipse vero soli Deo placere desiderans, de vituperatione nihil curabat iniquorum; sed humilis humilem magistrum imitabatur, qui in Euangelio inquit: Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Cum vero illatum sibi ex pietate opprobrium suo patienter ample- F
xaretur in corde, extemplo cœlitus niveo indutus amictu adest angelus, qui vestem illius diligenter emundans, candidiorem, quam antea fuerat, reddidit. Postea autem perveniens in domum regiam, stabat in conspectu regis et procerum illius, quasi agnus in medio belluarum. Et Dominus custos et rector omnium placentium sibi, ab hostium læsione hunc tutum atque munitum ubique reddebat: omnibusque liquido patefactum est, ipsum fidelissimum Dei famulum esse, qui cunctam hujus mundi gloriam pro exspectatione calcasset futurorum. Et præcepit rex, ut nemo illi inquietus existeret; sed pro voto animi sui divinis serviret mandatis, et propositi sui observantiam, nullo resistente, servaret. Sicque regia auctoritate securus, de reliquo ad dilectæ habitationis locum reversus est.

* Mabill. factor

ANNOTATA.

EX MS. VALCELLENSI.

ANNOTATA.

a *Imo ante regnum Dagoberti, ut in Commentario prævio docuimus* § 2; *quem hic etiam consule de parentibus et consanguineis Sancti.*

b *Id est, nondum clerici aut monachi habitu, cujus propria est depositio comæ sive attonsio, indutus.*

c *Adi Commentarium prævium num.* 17 *et* 18.

d *Permissio enim regis ad hoc olim requisita fuit in Gallia; ut colligitur ex Formulis Marculfi lib.* 1, *cap.* 19 *apud Baluzium tom.* 2 *Capitularium col.* 386; *et ex notis Bignonii ibidem col.* 901.

CAPUT II.

B

Monasterium ab eo conditum in Elisangio; crebra ipsius ibidem et gravia cum dæmone certamina; revelatio angelica; iter Romanum; commoratio et vita sancta apud Jurenses monachos; alia rursus angelica visitatio.

Quod in Elisgaugio territorio in propria possessione monasterium construxerit et de multimodo certamine ejus.

Quo non multo post occasione quadam loco relicto, in Elisgaugium territorium *a* commigravit, ubi et monasterium construxit pro temporis opportunitate in possessione propria. Ibi namque beatus Ursicinus requiescit venerabiliter humatus. Monstratur namque in eo loco usque hodie ejusdem viri Dei Wandregisili grabatum, ubi quieti membra dare post prolixam instantiam vigiliarum ac afflictionum solitus erat. Illic namque jejuniis, vigiliis et orationibus frequenter insistens, cœlestis ut tyro, fortissimus efficitur miles. Nam si quando divinis vacantem laudibus somnus vehemens Dei compresserat Hominem, nudis pedibus et simplici veste tantum contentus, super humum stare, ac poplitibus flexis orare solitus erat. Tali namque laboris afflictione detentus, ita attenuatus exstiterat, ut vix membra hujusmodi exercitiis tenuata valeret erigere. Cernens denique hostis antiquus insuperabilem Viri Dei constantiam, ad tentamenta fortiora illico se contulit excitanda, plurimasque ei inquietudines et visibiliter, et per soporem sæpius ingerebat: ita ut in effigies bestiarum, aut volucrum, sive serpentium se illudendo transformaret, et ejus aspectibus terribilem se præsentaret. Vir quoque Domini intelligens illius multimoda nocendi argumenta, seu suggestiones letiferas, per sanctæ crucis vexillum, et omnimodam rigoris abstinentiam ac jugem orationem, divino per cuncta fultus solatio, viriliter ejus irritos efficiebat conatus. C

De tentatore repulso, et afflictione multimoda.

8 Sed cum isdem anguis lubricus se conspiceret ab ipso Viro Dei undique superari, adhuc majora perquirit et addit artium suarum letifera tentamenta. E contra quoque in Viro Dei tantus fidei fervor inerat, et insatiabilis circa cultum Dei ardor, ut quo plus corpori calliditatis solitæ intulisset molestias, plus sibi cuperet inferri. Sed cum quadam nocte ultra solitum somno indulsisset, illico adfuit hostis, et illudens, ait: Vigilantior tui *b* hac exstiti nocte. Tunc Vir Dei: Non dubito, inquit, ad ruinam aliorum et cumulum tuæ damnationis pervigilem te ubique fore. Nam domabitur caro, quæ me ad hanc impulit torporis inertiam. Exurgens vero a desidia somni, accipiebat armaturam Dei, taliaque promebat, dicens: Tu quidem semper est custos tuorum, non dormitans in ævum, indigno tuo famulo miserator adesto. Cumque tunc temporis hiemis asperitas esset, sub divo * in medio nivium et glacierum, Davidicam cœlestemque musicam, flens et longa trahens suspiria, Domino devotissime decantabat melodiam. Sed et ita jejuniis incumbebat, ut in tota hebdomada exceptis prima et quinta sabbati, escam minime sumeret. O quam magnificum et laudatissimum bellum, quod indesinenter probatissimus Domini Miles gerebat adversus hostem antiquum! Vere dignissimum, in quo Dominus habitaret, templum, jejuniis mundum, orationibus comptum, puritate refectum *, vigiliis exornatum. Cujus quidem in mente virtutum omnium decorem collocavit, et valde sobrium sapientia domicilium. D b E

* Mabillonius sub dio

* Mabillonius refertum

Quod primo in viso, angelico ductu, et demum humano comitatu Bobium adierit cœnobium.

9 Quadam nocte juxta morem cilicio obvolutus, in cella sua dum ad refocillandum quieti membra dedisset, in excessum mentis subito rapitur, ductuque angelico in monasterium, quod vocatur Bobium, situm in Italia, perducitur, ostensæque sunt ei ejusdem loci habitationes. Expergefactus autem a somno, intellexit hoc oraculum divinitus agi, seque ad hoc commoneri, ut ob gratiam vitæ contemplativæ atque arctioris continentiæ semitam explorandam talia inviseret loca. Memor namque Dominici præcepti, quo ait: Nisi quis reliquerit omnia, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: surgens reliquit omnia, quæ oneri sibi videbantur *c*, quatenus exutus ab omnibus, mandatorum Dei tutius curreret viam. Adunatoque fratrum omnium cœtu, oravit ut imminenti itineri, eorum intercedentibus precibus, juvamen Cunctipotens clementer tribueret. Sicque valedicens eis, cum tribus pueris et asello dispositum arripuit iter: ovansque peregrinationem optati laboris aggressus, Alpium juga transgreditur, atque Italiam ingrediens, ad Bobiense cœnobium, veluti revelatione didicerat, accedit: quod beatus pater Columbanus *d* Scotici generis, laudabilibus gestis florens, cum a rege Theoderico Gallia expulsus esset *e*, atque ab Agilulpho Longobardorum rege Italia magnifice susceptus, ejus permissu ædificaverat. Quem locum veterum traditione Bovium *f* nuncupabant, ob rivum in eo loco hoc nomine Triveam, super quem olim Annibal hiemans, hominum, equorum, elephantorum damna non minima sensit. Hunc ergo locum beatus pater Wandregisilus adiens, qui a discipulis præfati Columbani tunc temporis incolebatur, aliquantisper inibi commoratus est. Cum autem vidisset cuncta ipsius loci habitacula, apertissime intellexit, antea sibi a Domino divinitus hæc fuisse demonstrata. Cognoveruntque habitatores loci, probatissimum Christi esse Militem, et ejus fructuosa c F d e f

EX MS. VALCELLENSI

A ctuosa devotio atque nobilissimæ stirpis origo cunctis patefacta est subito ; multaque præsagia futurorum ei Dominus ibidem monstrare dignatus est, posteris intimanda.

Quod Romam perrexit.

10 Morante autem illo præfato in loco, incidit ei sancta cogitatio, ut ad limina Apostolorum Romam proficisci deberet : Christoque duce, quod pie tractavit, devote complevit. Denique cœpto itinere sancta lustrando loca, ad eamdem convolavit celeberrimam urbem, votaque sua omnipotenti Deo ejusque beatissimis Apostolis devote obtulit, dicens cum Psalmista : In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam, laudationes tibi. Sicque in visu admonitus, ut Galliarum repeteret rura, iter convertit ad Alpes. Remotior enim volebat conversari, et peregrinam pro Christo ducere vitam non mediocriter anhelabat, si Dominus Deus suis annueret votis. Disposuerat namque in Hiberniam insulam navigare ; sed divina pietas hoc magnificum munus, ob multorum instructionem, Galliarum reservavit populis.

De Romani monasterio et sancta conversatione ejus. * *alias* Romanis

B 11 Cum autem non modico sudore, tamen delectabili, Alpibus transcensis, arva jam tereret Gallica, causa hospitii monasterium petiit, cujus est vocabulum Romani *, situm ultra saltum Jurensem. Pater ergo loci venerabiliter et monastice eum suscepit, ac debitum præbuit obsequium, ut hujus vitæ dictat prædicabilis norma. Cognovitque Vir Domini, religionem monasticam inibi pollere, deditque operam, ut monachorum necteretur societati, et se in obedientia ibidem delegavit, ac per decem ferme annorum curricula sub institutione regulari, felici devotione Domino militavit. Ibi solis jejuniis et orationibus, multorum excedens metas hominum, vacare cœpit, et jugum Christi, quod ferentibus leve est, super se ferre, semetipsum sibi abnegando, ac crucem suam tollendo, Christum sequi toto studebat adnisu ; in virtutum videlicet culmina per humilitatem ascendens, mansuetudinem sectans, modestiam, atque sobrietatem, et lenitatem æque in omnibus servans. Execrabatur denique Vir, præcipuus religionis amator, discordiæ vitium, arrogantiæ ac elationis supercilium. Erat
C enim cunctis humilior, caritatis obsequio præveniens cunctos ; tardus ad loquendum, et velox ad audiendum, custos scilicet oris sui ; hilaris vultu, maturus moribus. Obedientia quoque ac subjectione ita promptus fuerat, ut jussionem patris, quasi divinitus sibi imperatam, cum omni sinceritate perficeret concite ; semperque meditatio ejus in lege Christi erat toto nisu defixa : ubicumque enim esset, mandata Dei scrutabatur attente, et perficiebat instanter. Tale erat beati Viri studium, talisque in eo florebat religio ; quia mortificabat membra sua, quæ erant super terram. Nudus nuditatem crucis portabat, atque mortuus jam mundo, advena terris, vivebat Deo. Cujus exemplis salubribus plurimi negligentes ac tepidi provocati, arduum illius arripiunt iter, atque ad opus sublimium virtutum, ipso Sancto opitulante, æternæ vitæ soliciti consurgunt.

De angelico alloquio divinitus sibi dato.

12 Eo ergo Viro Dei in loco commoranti cœlestis adest visitatio. Nam cum quadam nocte attentissime precibus insisteret divinis auribus offerendis, in cellula sibi constituta, talique negotio apta, incomparabilis suavitatis odore simul et claritate locus ille cœlitus repletur, voxque ad eum hujusmodi perlata est : Serve Christi, in timore Domini devotissime, pax tibi semper multiplicetur. Certa bonum certamen, et his semper insiste operibus, quæ per me gerulum quotidie offeruntur Domino. Quia non otio torpentibus, sed in fide currentibus et pervigili instantia attentissime Christo militantibus vitæ janua patet æternæ, quæ jam tibi a Domino reserata est, qualiter cum justorum collegiis, gaudiis æternaliter fruaris mansuris. Nepos quoque tuus Godo, pro quo creberrimis precibus aures Domini solicitas, vestigia imitabitur tua, cunctisque hujus mundi vanis derelictis, ut strenuus miles, ad castra Christi devotissime convolabit. Hoc audiens Vir Domini, humi prostratus, arctissime orationi incubuit, non se in corde suo extollendo eo quod visitatione deifica visitari meruisset ; sed humilians se, fragilem ac peccatorem fatebatur, et quia non esset dignus, peccatorum nævis fœdatus, ut cœlesti oraculo magnificaretur. Hæc de Viro Domini revelatio ostensa fuerat cuidam servo Dei, in ipso loco E degenti, qui et nobis narrare solitus erat. O quantis præconiis sublimanda tanta dignatio virtutis est, quantisque laudibus honorandus Homo ille, qui sic a Christo meruit mirificari ! O felix mortificatio servorum Christi, quæ dum sponte agitur in membris corporis, concives efficit angelorum ! O amplectenda omnimodis arcta et angusta via, per quam vir Domini Wandregisilus ingressus, cœlestis aulæ habitator effectus est !

ANNOTATA.

a *Territorium hoc codex noster appellat* Elisgaugium ; *Thosanus vero* Elisgaudium ; *Mabillonius legit* Elisangium ; *in Annalibus autem ab annum* 629, *num.* 13 : Elizangii territorii nomine, *inquit*, Elisatium, sive Alesaticum pagum interpretor, cui hæc cella adhærebat. *Plura dixi in Commentario prævio num.* 19 *et* 20.

b Vigilantior tui *Hellenismus est ; Mabillonius habet* Vigilantior te. F

c *Hinc patet, accommode intelligenda esse, quæ de distributis omnibus ante facultatibus dicebantur paulo superius num.* 5.

d *De S. Columbano Bobiensis cœnobii fundatore agetur* XXI *Novembris.*

e *Expulsionem hanc lege fusius apud Fredegarium cap.* 36, *ad annum Theodorici decimum quartum, Christi* 609.

f *Adi Fredegarii Chronicum ibidem in fine capitis, uti et notas Ruinartii in editione Parisiensi anni* 1699, *col.* 615 *et seq.*

CAPUT

EX MS. VALCELLENSI.

CAPUT III.

Sancti sacerdotium ; institutio Fontanellæ, et principum in eam liberalitas; aliæ item ecclesiæ ab eo ædificatæ, et Sanctorum ditatæ reliquiis.

De adventu ejus in territorium Rotomagense.

His porro diebus gloriosus confessor Domini Audoënus, anno tertio Clodovei regis *a*, filii Dagoberti, sedem urbis Rotomagensis adeptus, a verbum salutiferæ prædicationis suis civibus administrans, fidei catholicæ fautor pariterque præceptor, barbaricas atque indomabiles eorum mentes nectare euangelicæ doctrinæ debriabat b *b*, atque docibilem subjectamque, ad credendum B quondam asperam, gentem docebat, sedulisque exhortationibus Christum Dominum Deum esse colendum, innumeris assertionibus demonstrabat. Cujus cognita ab omnibus vita, atque laudabili devotione comperta, admonitus etiam in visu ut occidentalia Galliæ loca reviseret, de præfato Romani monasterio cum licentia patris egressus, iter carpere cœpit, quod ad Belgicam deducit Galliam, atque prænominatam celebrem Rotomagensem devenit ad urbem, summaque cum reverentia a præfato venerabili antistite susceptus est. Qui memor prioris conjunctionis et societatis, nobilissimæque ejus originis, sed et piæ ac Deo dignæ illius religionis, secumque aliquamdiu eum in urbe tenuit, et secundi ordinis honore ampliavit, Subdiaconii gradu adeo reluctantem decoravit ; indeque processu temporis Levitici ministerii onus imposuit. Quo feliciter administrato, non multo post ad sacerdotium, licet renuens, jussu ejusdem beatissimi præsulis Audoëni, a venerabili Audomaro pontifice urbis Taruennæ consecratus est. Denique post acce- C ptum sacræ benedictionis munus, studiose explebat ministerium sibi impositum, humilitatis tramitem in omnibus tenens. Erat namque non minimum idoneus et aptus huic sacrosancto ministerio. Quamobrem præfatus gloriosus præsul in urbe secum perpetim retinendum censuit, quia mellito ipsius delectabatur alloquio, quo eum crebro recreabat, et gravitate fovebat. At vero ipse egregius Dei Cultor districtiorem desiderans ducere vitam, eremi secreta plurimum ambiens, mundanos toto uisu fugiebat semper honores, ut cum Christo posset mereri cœlestes. Locumque omni conatu opportunum quærebat tanto negotio : ut si id forte vetante mundi turbine, votis non occurreret suis, saltem sub Christi jugo et onere ejus placido, regularem exequeretur promptissimus vitam, ut per eum multorum, Christo prævio, accresceret salus.

De situ Fontanellæ cœnobii, et largitione Erchinoldi præfecti.

14 Dum talia volveret animo, contigit, ut largiente Erchinoldo præfecto *c*, non modicam soli partem exciperet, quo Fontanellæ cœnobium, una cum venerando nepote suo Godone, ut rudis c habitator construeret. Quem veterum traditio, ob copiam fontium in eo loco fluentium, hoc nomine vocitabat. D Monstrabantur namque in eodem loco vestigia, immo ruinæ ædificiorum, priscorum accolarum industria olim patrata, sed externorum hostium feritate belluina funditus solo coæquata : in quo magis lustra ferarum, quam habitatio videbatur tunc temporis hominum. Hunc locum vir Domini Wandregisilus, ac præfatus ipsius nepos venerabilis Godo, a prædicto patricio *d* sibi indultum, studuerunt cum nonnul- d lis sibi faventibus, inutilia quæque evellendo, projicere *; demumque fundamenta cœnobii jacere, ut juxta prophetiam Esaiæ, in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, oriretur viror calami et junci : videlicet fructus bonorum operum nascerentur, ubi prius bestiæ commorari et habitare solebant. Cœptum est autem hoc opus ab anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo quadragesimo quinto *e*, sub die Kalendarum e Martiarum, Indictione tertia, qui erat annus præfati regis Hlodovei undecimus, pontificante Sedem Romanæ Ecclesiæ, anno septimo, beatissimo Papa Martino. Quod tam solerti studio, E summaque industria perfectum est, ut pene in illo tempore venerabilibus æquaretur cœnobiis. Est autem hoc cœnobium situm in territorio Rotomagensi, distans a memorata urbe millibus ferme decem et octo : porro a fluvio magno Sequana, spatio passuum circiter octingentorum. Sed quia mentionem fecimus Erchinoldi præfecti, libet de eo aliquid dignum scribere. Is enim post transitum bonæ recordationis præfati Dagoberti regis, præfecturæ ordinem ac curam maximam regni Francorum, etiam cum filio ejus Hlodoveo et Baltbilde regina, nobiliter administravit. Erat namque insignis bonitate ac eleemosynarum largissimus *f*, atque ex materna origine consangui- f neus beati Viri.

* *Mabillonius* mundare

De S. Balthilde regina, et ejus filiis, eorumque donis.

15 Postquam autem vita decessit beatus Hlodoveus rex, remansit Balthildis regina cum tribus filiis, Hlotario videlicet, Hilderico et Theodorico. Ex quibus Hlotarius, qui et major natu erat, fastigium adeptus est regni, rexitque populum Occidentalium Francorum *g* annos quatuor- g decim : et quod pater ejus inchoaverat, prædictum locum piis largitionibus ac privilegiis suæ auctoritatis devote studit ampliare. Terminos F etiam ipsius loci, prout voluntas venerandi patris Wandregisili erat, devotissime auxit. Ibique residens Vir Domini, cœnobium, multorum solatio fretus, construere cœpit *h*. Ad cujus famam ple- h bes undique concurrere, et cultui religionis dicare curabant prædia plurima, ut plurima monachorum multitudo adunata, trecentorum esset numerus eorum. Illuc nobilium liberi undique concurrere nitebantur ; ut, spretis oblectamentis seculi, et præsentium pompam facultatum contemnentes, æterna cuperent cum tanto Patre consequi præmia. Ædificavit namque in ipso loco præfatus Vir Domini basilicas egregio cultu, numero quatuor, in honore videlicet Apostolorum principis Petri, simulque doctoris gentium Pauli, sanctique Laurentii, ac Pancratii martyrum Christi *i*. Misit autem isdem Vir Domini, i dum huic operi insisteret, antefatum nepotem suum ad urbem Romam, propter pignora beatorum Apostolorum ac Martyrum Christi ; ut ædificatis

A ficatis basilicis, in promptu haberet reliquias Sanctorum, quorum nomini et reverentiæ dicare disposuerat. Qui votis pii Patris libentissime parens, Romam adiit, Vitaliano Papa pontificante eodem tempore Sedem ejusdem Ecclesiæ *k* : atque ab eo suscepta plurima Apostolorum et Martyrum Christi pignora, una cum benedictione Apostolica rediens, secum detulit, codicumque sacrorum copiam non minimam : prosperoque cursu itinere acto, ovans revertitur ad Virum Dei : cunctaque, quæ detulerat, isdem Vir Domini venerabiliter suscepit. Accersito etiam sanctæ recordationis Audoëno præsule, præfatas, quas ædificaverat, ecclesias ut consecraret, simulque pignora, quæ præfatus Godo cum ejus auctoritate Romæ impetraverat, Christi imponeret aris, supplex exorat. Quod ita a prædicto præsule extemplo impletum fuisse constat. Locus autem ipsius cœnobii tam fertilis, tamque jucundus existit, ut cum quis illuc advenerit, inter pomorum nemora et hortorum amœnitates virentium, in hæc protinus libeat ei prorumpere B verba : Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua Israël! ut valles nemorosæ, ut paradisi juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi credi propter aquas !

De Waningo viro illustri.

16 Adjutor præterea hujus operis et cooperator insignis, Waningus *l* vir illustris exstiterat, qui Viro Domini plurima prædia felici munere ad usus servorum Christi devote contulerat, filiumque suum, Desideratum *m* nomine, sub regimine prædicti Patris in eodem loco monasticæ disciplinæ et Christi militiæ sponte tradiderat obsequendum *. Erat enim isdem Waningus ditissimus, qui multimoda cœnobiorum habitacula in possessionibus propriis construxit. Ex quibus unum est, quod vocatur Fiscamnum. Quo in loco dum moraretur, in excessum mentis subito rapitur, ostensæque sunt ei pœnæ damnatorum, et felicitates justorum, auditque, oraculo cœlesti datione ostenso, viginti annorum per spatia se victurum fore, et hoc impetrasse a Domino sanctam Christi martyrem Eulaliam, cujus precibus se sedulis commendare solitus erat. Sed et ipsa Christi martyr ei apparens, commonuit, ut in C prædicto prædio, quo morabatur, monasterium construeret, et de sua stirpe nulli ad regendum committeret. Qua reversa ad superos, virum Dei Wandregisilum accersivit, et ordinem ei visionis exposuit ; simulque a febre, qua premebatur, ejus precibus curatus, optatam recepit sospitatem, præfatumque cœnobium, ut admonitus erat, illico construere cœpit.

* Mabillonius obsecuturum

De sancta Hildemarcha virgine, et sancto viro Sindardo.

17 Erat enim tunc temporis apud Burdegalim urbem virgo Christi nomine Hildemarcha *n*, in quodam monasterio sanctimonialium sanctissima gubernatrix : ad quam quidam vir Dei, monachus et diaconus, nomine Sindardus, cum propter utilitatem servorum Dei in illas partes mitteretur, causa hospitii declinare solitus erat. Cui illa intimavit, in visu se esse commonitam, ut tellurem adiret Rotomagensem, virumque Domini Wandregisilum inviseret, atque sub illius regimine divinis pareret edictis. Quæ, sicut scribitur in ejus gestis, ad Christi Famulum perveniens, ad præfatum illustrissimum virum Waningum perduxit * ; prædictumque cœnobium Fiscamnum per testamenta beato Wandregisilo isdem Waningus tradens, ejus consultu eidem religiosissimæ virgini tradidit ad regendum. Cujus vitam ac laudabilem conversationem libellus, qui de ejus scribitur actibus, liquido narrat. Quod idcirco adscribendum putavi, ut posteris intimaretur, sub jure et regimine præfati Patris prædictum cœnobium nuperrime *o* fuisse. Prædictus autem Christi famulus Sindardus, reliquias sancti Saturnini, Tolosæ urbis episcopi et martyris *p*, Viro Dei detulit, sed et sancti confessoris Amantii Rotonensis præsulis *q* ; in quorum honore duas condidit basilicas : quarum una, quæ in veneratione martyris exstat, est sita in vertice ardui montis vinearum quondam fertilis ; altera vero, quæ in nomine confessoris est condita, distat ab ipso principali cœnobio passus mille sexcentos *r*. Monstrabantur in destina *s* ipsius basilicæ grabata et sedes, ubi pontifex beatus Audoënus et sanctus confessor Christi Philibertus *t*, dum Virum Dei inviserent, requiescere ac consedere soliti erant. Quorum denique oratio non alia erat, quam de regno Christi, et de paradisi deliciis, et gehennæ suppliciis ; de E justitia quoque, et fide et charitate, ac patriæ salute, simulque illecebris respuendis, et pace omnibus prædicanda. In quibus cellulis prædictus Vir Domini monachos constituit, qui divinis insisterent servitiis : quia unius cœnobii septa tantam conversantium cohortem continere non facile fuerat.

EX MS. VALCELLENSI.

* Mabillonius perducta est

ANNOTATA.

a *Anno Christi* 640, *ut in Commentario prævio num.* 22 *diximus.*

b *Id est*, inebriabat, *sed ebrietate sancta, qualis Apostolorum fuit post acceptum Spiritum sanctum.*

c Præfectum palatii *intellige, seu Majorem-domus ; quo in munere sub Chlodoveo II Erchinoaldus successit Ægæ defuncto, anno Chlodovei tertio, Christi* 640, *uti tradit Fredegarius cap.* 83 *et seq. Quod vero hic, et in priori Vita, imo et in Chronico Fontanellensi cap.* 1, *num.* 4, *dicatur locum Fontanellæ accepisse Sanctus noster* largiente Erchinoaldo; *id ita videtur accipiendum, ut emptio* F *simul ac pretium aliquod intercesserit, ut ex ipso illo Chronico ibidem patet num.* 5 *et* 8.

d Patricii dignitas in Francia etiam obtinuit, eodem fere, quo apud Byzantinos, gradu; cum post regem proxima fuerit, *inquit Cangius in Glossario; ubi observat etiam, Patricii titulum Erchinoaldo huic attributum fuisse a Beda lib.* 3 *Historiæ cap.* 19, *et in Chronico Fontanellensi cap.* 1, *ex quo multa in hanc Vitam intrusa sunt.*

e *Imo anno Christi* 648; *ut in Commentario prævio dictum a num.* 23, *quem consule.*

f *Laudatur etiam a Fredegario plurimum cap.* 84.

g *Pagius in Criticis ad Baronium anno Christi* 656, *num.* 20 *contendit, Clotarium III annis quatuor non tantum Occidentalium Francorum sive Neustriæ, sed etiam Austrasiæ regem fuisse, donec Austrasiæ regnum Childerico ejus fratri cessit.*

h *Aut potius ampliare cœpit et perficere.*

i Ex quibus basilicis, *inquit hic Mabillonius,* supersunt S. Petri ecclesia principalis, quæ S. Wandregisili dicitur ; et ecclesia S. Pauli, Eleemosynaris

EX MS. VALCELLENSI.

mosynaris dicta. *Non eædem illæ nunc sunt tamen; quas olim Sanctus ædificavit : (exustæ enim illæ sunt, a Normannis, ut narratur in Chronici Fontanellensis appendice, cap. 2;) sed aliæ, earum loco multis post annis erectæ : et basilica quidem S. Petri iterum antea deflagraverat, ut habes in Commentario prævio num.* 35.

k *Vide Commentarium prævium.*

l *De S. Waningo actum est die* IX *Januarii.*

m *Idem de hoc* Desiderato *narratur in Actis S. Waningi; notat autem hic Mabillonius, in vetusto Breviario, jussu Claudii de Pictavia abbatis Fontanellensis edito,* Desiderati monachi commemorationem XX Kalend. Januarii *inscribi.*

n *S. Hildemarcha colitur* XXV *Octobris, uti dictum est in prætermissis ad diem* XIX *Junii. Ejus Acta interciderunt.*

o Nuperrime *hic positum videtur pro* jam pridem.

p *Colitur S. Saturninus hic* XXIX *Novembris.*

q *De S. Amantio agendum* IV *Novembris.*

r *Exstat hodie quoque utrumque hoc oratorium,* B *inquit hic Mabillonius : primum colli ad Borealem monasterii partem impositum; aliud in vico Govilla ad Sequanam. In priori secessum coluit Hardninus ille, de quo Chronicum Fontanellense. cap.* 16.

s Destina, *penultima brevi legitur, estque vox apud Patres usitata, ut fulcrum aut sustentaculum significent, uti diximus tom.* 1 *Aprilis ad Acta S. Isidori episcopi Hispalensis in annotatis pag.* 353. *Sic S. Augustinus lib.* 2 *de anima et ejus origine cap.* 4 *refert hæc verba Vincentii Victoris :* Quid autem putamus inquilinum quemquam suæ habitationi prospicere? Nonne si eam senserit aut tecto tremere, aut nutare pariete, aut labare fundamine, DESTINAS quærit, strues congerit, quibus imminentem possit ruinam sedulo diligenterque fulcire? *Sic Arnobius lib.* 2 *adversus Gentes Atlantem appellat* gestatorem, bajulum, ac destinam cœli. *Sic S. Fulgentius epistola* I *de conjugali debito et voto continentiæ :* At apostolica satagens caritate, tamquam parieti inclinato et maceriæ impulsæ non neglexit doctor egregius consolationis destinam. Christo in se loquente, supponere. *Beda quoque lib.* 3 *Ecclesiasticæ historiæ* C *gentis Anglorum cap.* 17 *:* Unde factum est, ut acclivis destinæ, quæ extrinsecus ecclesiæ pro munimine erat apposita, spiritum vitæ exhalaret ultimum. *Mabillonius tamen hoc loco* destinam *interpretatur privatum conclave, in quo ecclesiastica supellex asservabatur. Ego malim intelligere quasi sacellum quoddam, qualia sæpe formari solent extra magnas ecclesias tecto et obsepto spatio, quod inter exstantia murorum fulcra interjacet ; et favet locus Bedæ citatus, in quo verbis modo adductis hæc immediate præponuntur :* Tetenderunt ei *(Aidano)* ægrotanti tentorium ad Occidentalem ecclesiæ partem; ita ut ipsum tentorium parieti hæreret ecclesiæ. Unde factum, *etc. Sicut enim ibi velo oppanso hospitium; sic alibi interjecto tecto, appositisque cancellis aut etiam pariete, sacrarum imaginum, ac rerum ejusmodi piarum receptacula struuntur, etiam plura nonnumquam circum eamdem ecclesiam; ut hic plura fuisse colligitur ex Chronico Fontanellensi cap,* 1, *num.* 7.

t *De* S. Philiberto *abbate ac fundatore cœnobii Gemeticensis agendum erit* XX *Augusti.*

D

CAPUT IV.

Invasor Sancti ab ipso sanatus ; erectum Deiparæ templum ; mira Dei in ejus necessitate providentia; prædia Sancto collata ; Monasteriolum ab eo conditum ; prædictiones ejus.

De Bettone custode saltuum dæmone liberato.

Patratum post hæc miraculum per ipsum Dei Virum, referre gratum duxi ad gloriam posse dantis et operantis honorem. Anno quarto regiminis ejusdem Viri Dei, qui erat Hlodovei præfati regis quintus decimus *a*, dum ipse una cum fratrum cohorte operi manuum insisteret in valle præfata a plaga Orientali, ubi fontes exoriuntur præfati amnis Fontenellæ, quidam homo, nomine Betto, custos videlicet regii saltus, quem E prædicti fratres de loco, quo operabantur, migrare compulerant, vitam ducere cupientes solitariam, livoris peste corruptus, simulque dæmone plenus, Viro Dei occurrit, lanceaque eum trajicere voluit ; sed malevolam animam ultio divina mox prævenit. Nam dextera, quam adversus Dei levaverat Virum, torpente, lancea ante suos pedes humo defixa stetit ; ipse vero a dæmone correptus, ante Viri Dei vestigia ruit. Quem cernens Famulus Christi debita ultione percussum, die illa nocteque sequenti penes se tenuit. Cumque sequens rursum dies illuxisset, ad se accersivit, Deoque favente, Patris orationibus a peste curatus, ad propria remeavit. In eodem ergo loco basilica a Viro Dei in honore sanctissimæ Matris Christi condita est *b*, ubi interventu ejusdem plurima quotidie, Domino jubente, fiunt miracula.

De S. Balthilde regina in visu admonita.

19 In prædicto namque cœnobio Viro Dei cum suis commoranti cum nulla alimentorum solamina essent, Baltfridus cellerarius eidem F patefecit. Cui ille : Potest, inquit, conditor rerum suis in deserto famulis parare mensam, qui multiplicatione quinque panum satiavit hominum quinque millia. Itaque juxta condictum Viri Dei evenisse contigit : monuit namque per visum Balthildem reginam pietas divina, ut Famulo Christi intra vastitatem eremi consistenti necessaria ministraret. Quæ expergefacta, onerata vehicula Servo Dei dirigit. At ille gratias bonorum omnium largitori rependit, qui ope solita suis servis semper præsens adforet consolator. Sicque accepta benedictione, qui hæc attulerant alimenta *c* calle, quo venerant, repedarunt. His diebus, id est, anno septimo tertii regis Hlotarii, qui erat regiminis prædicti Patris annus quintus decimus, isdem Vir Domini ad eumdem regem accessit, et privilegium regiæ confirmationis super area præfati cœnobii liberalissima datione suscepit : celebrataque erat in territorio Castrinse *d* in eo palatio, quod diminutivo vocabulo censetur Palatiolum *e*.

20 Nam et si quando iter imitandus Pater agere disponeret, non in equo vehi jam poterat.

videlicet

EX MS. VALCELLENSI.

A videlicet in ultimo jam positus ævo; sed vehiculo portabatur, quod aut muli, aut equi trahebant. In prædicto namque territorio dum moraretur quidam vir illustris, nomine Hartbainus filius scilicet illustris Herimberti, ad conversionem veniens, tribuit eidem glorioso Patri prædium aliquod, nomine Butionem *f*, in quo ecclesiam ædificavit, habitacula servorum Dei instituit, et famulantes divinæ clementiæ monachos inibi collocavit. Præfatus autem Christi famulus Hartbainus in magnæ religionis observantia vitam, auctore Christo, terminavit, plurimaque prædia eidem venerabili Patri devote contradidit.

De illustri Hartbaino prædium sancto Viro donante.

f

21 Hujus denique genitor præfatus Herimbertus, dum magnis febrium anxietatibus positus teneretur, precibus sanctissimi Viri sospitati pristinæ redditus est, ipsoque in tempore prædium aliquod, nomine Virtlaicum, situm in pago Tellau super amnem Euram *g*, eidem venerando Patri devote contradidit, imprecans in largitione sub damnatione æterna invasores hujus rei perpetim esse puniendos. Gaudebat enim isdem benignissimus vir bona sua largiri Christo, faciens

De Herimberto nobili et ejus rebus Viro Dei traditis.

g

B eum terrestrium rerum participem, ut et ipse illum faceret cœlestium coheredem bonorum; sciens, quod patrimonium Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec aliqua calumnia forensis evertit; pariter intelligens esse scriptum, quod ea hereditas bene reconditur, quæ Deo custode servatur. Sed his omissis, quæ numerositate sui excedunt relatoris scientiam, ad Viri Dei virtutum opera revertamur. Et quia locorum ab eo ædificatorum mentionem fecimus, libet unum in medium proferre.

22 Denique ex largitione illustris Warantonis super amne Wintlana *h*, in honore principis Apostolorum oratorium construxit, cui diminutivo vocabulo Monasterioli eidem nomen indidit. Ubi et monachorum Deo militantium cohortem adunavit. Redundabat enim doctrina ejus in discipulis; quia quod sermone docebat, actibus explebat. Nullus juxta eum vel mœrore tenebatur, vel nimia extollebatur lætitia. Erat enim gratus in omnibus, singularis fervoris, specialis alacritatis, unicæ caritatis in pauperibus, in peregrinis.

De cœnobio Monasteriolo a Viro Dei fundato.

h

C Noverat et superbis resistere, et humilibus subditus esse: parcere subjectis, et debellare superbos: sapientibus condigna rependere, et simplicibus mystica reserare. Fortis in adversis, sobrius in prosperis, temperatus in omnibus, discretus in cunctis. Hoc erat studium laborque illius sine defectu, ut per tramitem recti itineris subditi incederent: quia ex provectu filiorum, laus et merces cumulabatur Patris. Nonagesimum namque ætatis præclare annum excedens *i*, ita virilis exstabat, ut in labore manuum præire juvenibus videretur. O virum prærogativa meritorum dignissimum! qui per contemplationis aciem celebs effectus, pro educatione tamen atque exemplo filiorum multimodæ se servituti placide subdebat, imitans Apostolum, qui inquit: Omnibus omnia factus sum, et reliqua. Sicque per Occidentalia Galliæ loca ejus laudatissima pervolavit fama, ut quasi cerneres Apostolorum affore tempora; ita ut perituri seculi spretis deliciis, nobilium multitudo virorum communia cum omnibus possideret omnia. Si quispiam proprium aliquid usurpare tentasset, ceterorum remotus consortio, pœnitudinis ultione illico plectebatur. Sed et omnes Caletorum populi, ita bruti et belluis similes ante adventum, illius in hac regione fuerant, ut præter Christianæ fidei nomen, virtus religionis pene abolita in illis locis haberetur. Agebat namque Vir venerandus studio indefesso, ut quæcumque peragraret loca, verbis euangelicis condiret universa. Et ita per ejus monita et prædicationem conversi sunt, ut qui antea diripiebant aliena, postea largirentur propria, ac idolorum confringerent statuas, quas dudum ritu profano venerabantur; pieque se sponte subderent Christi disciplinæ, qui ante rebelles non dignabantur audire. Tantusque honor ac devotionis affectus excreverat circa sacerdotes ac monachos, ut si contigisset alicui ex ordine plebeio eos obvios habere, quamvis potens persona, Christum in eis adoraret ac veneraretur. Spiritum quoque prophetiæ divinitus illi collatum non dubitamus, ita ut quæ ventura essent, plurimis innotesceret. Profecto notum est, illum crebro prædixisse ventura, quæ postea constant fuisse completa.

i

E 23 Balthildi namque reginæ, relictæ Hlodovei regis, obitus triarcharum filiorum ac successiones insinuavit. E quibus Hlotarius, qui major erat natu, quartum decimum regni agens annum, consortiis subito caruit humanis. Deinde Hildericus temere ab insidiatoribus interemptus, a præsenti sublatus est vita. Tertius quoque Theodericus, superstes matris, regni suscepit gubernacula; sicque juxta Viri Dei prophetiam evenisse manifestum est. Hæc quidem exigua miraculorum insignia cum venia audientium in præsenti sufficiant, brevi incomptoque relata sermone. Veniendum est, favente Christo, ad ea, quæ ubertim cunctipotens virtus, spiritu ipsius Patroni sublato ad cœlum, apud ossa sanctissima gesta referuntur * in terris. Denique indubitanter retinemus, meritis ipsius, ut frequentius inculcatum est, animæ languores in pluribus esse curatos, ad laudem et gloriam nominis illius, qui dixit: Sine me nihil potestis facere.

Quod obitus filiorum sanctæ Balthildi reginæ prædixerit.

* *Mabillonius* operatur

F

ANNOTATA.

a *Concurrit annus quartus regiminis* S. Wandregisili *cum anno regni Chlodovei decimo quinto a* XVIII *Januarii usque ad* I *Martii anno Christi* 652: *quare intra tempus illud hoc factum fuisse oportuit.*

b *Istud oratorium hactenus superest, notre Dame de Caillouville appellatum, teste hic Mabillonio, situm uno lapide supra monasterium ad Orientem, eo loco, ubi fontes de Caillouville dicti scaturiunt. Notat idem (sicut et Prevotius nobis descripserat) in vetusto Breviario Fontanellensi celebrari* Nonis Decembris dedicationem S. Mariæ de Caillouvilla; *additque:* Guilielmus Folet sacrista anno 1339 eam reædificasse, et alter Guilielmus de Tonquilla, anno 1386 denatus, fornice decorasse leguntur in quodam Chronico Ms.

c *Confluunt annus* Wandregisili *decimus quintus cum anno Clotarii III Regis septimo a Novembri*

EX MS. VALCELLENSI.

vembri anni Christi 662 *usque ad Martium anni Christi* 663.

d Castrum *oppidulum est Galliæ in provincia Insulæ Franciæ.*

e *Vulgo* Palaizeau, *ut notat Mabillonius.*

f *Exstat non longe ab oppido Castro in finibus agri Parisiaci vicus* Boissy *appellatus, quod nomen* Butioni *respondere videtur, inquit hic idem Mabillonius.*

g De pago, *seu territorio,* Tellau *pluribus agit Valesius in Notitia Galliarum, observatque ab Orderico modo* Tallogium, *modo* Talogiensem, *modo* Talou *nuncupari :* Euram *autem fluvium esse inter Deppam et Aucum flumina in Caletis medium, quem Ordericus appellet* Earam, *quique apud Criolium in Oceanum effundatur.* Virtlaicum *vero idem post alios nomine vernaculo appellat* Virlay.

h *Alii* Witlanam : *neutro nomine mihi notus hic annis est, nisi forte* Vicinonia *est in Britannia minori, quem ibi vocitant* Vilaine.

i *Imo annum ætatis nonagesimum numquam attigit, ut ostendimus in Commentario prævio.*

B

CAPUT V.

Postremus morbus ; ecstasis triduana, successores ab eo designati ; exhortatio ad suos ; fuga dæmonis ; Sanctorum apparitio et cantus ; piissimus obitus, sepultura, translatio.

De ætate ejus et ægritudine.

His ita se habentibus, vertantur articuli ad ea retexenda, qualiter Beatus ille meruit de ærumnis exilii præsentis eripi, atque ad cœlestem dispositione divina transferri felicitatis gloriam. In ultimo namque senio constitutus, utpote nonagesimum sextum agens annum *a*, Domino sæpissime supplicans, aiebat : Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est! Addebatque : Jesu benigne, Verbum patris æternum, de hac valle plorationis eripe me, et tuis fac quantocyus dignum apparere conspectibus. Exaudiensque Dominus dignas ejus preces, immisit illi ultimam, imo salutiferam ægritudinem, qualiter camino præsentis et perituri ævi, velut mundissimum examinatus aurum, dignissimus cœli fieret heres. Tribus namque diebus totidemque noctibus in excessum mentis rapto, janua cœli ei aperta monstratur. Denique jucundo aspectu frequenter oculos aperiens, cœlum intuebatur. Cernentes quoque discipuli, Patris sanctissimi beatissimam dissolutionem, lætabantur quidem de ejus Deo digna remuneratione, sed tristabantur plurimum de absentia corporali ; atque inter mœsta suspiria et fluentes lacrymas, querulosis aiebant vocibus : Quid facturi erimus, quod nos tam cito deseris, Pater? Verbum immortalitatis a te audire cupimus, et assueta admonitione tua corrigi optamus. Prostratique humo fundunt uberes fletus, orantque Dominum, ut, antequam viam ingrederetur justorum, suum perciperent alloquium. Sicque omnipotens Deus ad suorum preces famulorum, videns mœrorem

C

maximum, quem pro recessu sui patiebantur Pastoris, pietatis suæ accommodabat aures ; permisitque, ut isdem inclytus Miles tirones et emeritos dulcibus foveret alloquiis, atque plurima ventura eis intimaret ; ut experimento quædam ex iis patuerunt. D

De successoribus suis fratribus præsentialiter prædictis.

25 Percunctantibusque abhinc monachis, post suum felicissimum obitum, quem sibi præficerent, tale fertur dedisse responsum : Æternus, inquit, rerum conditor, qui vobis locum concessit opportunum, quo sibi suæ famularentur in secula plebes, ipse vobis, carissimi filii, post meæ parvitatis recessum, dignum ac devotum misericorditer tribuet rectorem. Duo sunt tamen in præsentia vestri clarissimi mei filii, qui vicissim post meæ fragilitatis recessum in regiminis succedent locum. Erat namque unus, vocabulo Lantbertus *b*, vir eximiæ religionis et generis, ortus territorio Taruennico, qui post beatum Genesium *c* præsulatum ecclesiæ Lugdunensis susceperat ; alter vir Domini Ansbertus *d*, qui beato Audoeno in pontificatu successerat ecclesiæ Rotomagensis. Quorum vitam atque virtutes libellus, qui de eorum scribitur actibus, liquido narrat. Hi successores exstiterunt in ordine regiminis prædicto sanctissimo Viro. E

De viris sanctis in præfato cœnobio tumulatis.

26 Sub horum regimine sanctissimi patres, videlicet beatus Vulframnus *e* præsul Senonum et prædicator gentis Frisionum, necnon et vir Deo dilectus Erimbertus *f* Tolosæ urbis pontifex, et sanctus anachoreta et presbyter Condedus *g*, Britannia insula ortus, monachicum amplectentes habitum, ad castra Christi fulgida devotissime convolarunt. Reliquiæ quoque eorum in eodem loco, debito servantur honore : ubi et gloria virtutum pollent, sicut in eorum plenissime scribitur gestis. Inter reliqua autem prædictus Vir Domini, exhortationis et confortationis verba, discipulis sibi adstantibus valedicens, hæc intulit ; ut cœptum non relinquerent iter, sed melioribus quotidie actibus perseverando se confirmarent, attentiusque sua monita retinerent, et opere perficerent : ut videlicet unanimitas, charitas atque humilitas in eorum radiarent cordibus, nullaque dissensionis aut livoris pestis eorum umquam carperet mentes ; sicque status illorum, jura, et religionis claritudo per cunctas perpetim durarent æternitates. F

De obitu suo et dormitione ejus in Christo.

27 Hac brevi ultimaque coram eis oratione celebrata, quia gloriosum beatæ consummationis tempus instabat, ut terrena corporis sarcina terris commendaretur, et cœlestis spiritus celsa conscenderet, Viatico percepto, post paululum conticuit, annorum circiter nonaginta sex, et regiminis sui anno nono decimo, mense quarto, dieque uno et viginti ; qui erat annus Dominicæ Incarnationis sexcentesimus sexagesimus quintus, Indictio octava : porro tertii Hlotharii regis annus undecimus vitæ ipsius, Pontificatum agente Romanæ Ecclesiæ anno nono Papa Vitaliano *h*. Cumque hostis conspiceret invidus, remunerationis ejus instare horam, propter eum cruentus astans, pavores illi multiformes ingerere nitebatur. Quem in tali constitutum agone audierunt in spiritu sanctæ translationis circumstantes fratres dicentem, se in Christo fonte lavacri tinctum, dæmonemque se impedientem divinitus effu-

A effugatum. Vocavit etiam tertio nominatim quemdam virum justum, nomine Agathonem, cujus olim laudabilem vitam ac conversationem notam habuerat. Ex qua et subsequenti revelatione liquido colligitur, multitudinem in ejus transitu affuisse Sanctorum. Nam et a quodam discipulorum ejus, viro magnæ religionis, eadem hora suavissima audita fuerat cœlestis cantilena: qui etiam percontabatur fratres, utrum ille suavissimus sonus eorum penetrasset aures. Sed et ipse Vir Domini astantibus sibi imperat, ut cum psallentibus junctis psallerent vocibus. Quinam, inquiunt, illi sint, nos nescimus; tu vero, cui olim, ut creditur, janua vitæ patet æternæ, omnimodis nosti. Ipse autem jocundo adspectu lætabatur in Domino, gratias Deo agens, quia cœli sibi januam reserasset. O virum omnimoda laude dignissimum, in cujus transitu cœlestis exultat chorus, omniumque virtutum supernarum gratulatur exercitus, cui janua cœli patescit et Abrahæ sinus lætantem excipit! Multitudo proinde monachorum, quorum erat numerus ferme tre-
B centorum, in tanti Patris transitu divinas laudes decantaturus aderat: hilares adeo pro gloria, quam, spreta etiam Ægyptia servitute olim, adibat promissam; sed plurima dejecti mœstitia, quod præclaro destituebantur patrono. Hac discipulorum caterva vallatus, salutiferæ Crucis signo se muniens, undecimo Kalendarum Augustarum die nexibus terrenæ corruptionis absolutus, animam cœlo reddidit, consortiis justorum sociandam, et æternæ felicitatis gloriam possi-
i dendam *i*. Illic nunc choris interest angelorum; hic fulget claritate virtutum. Illic interpellat pro famulis voce supplici; hic eos tuetur virtute sublimi. Illic petit; hic præstat. Illic vota fundit; hic votis respondet. Interfuit autem in hoc ejus sancto transitu inclytus ecclesiæ Rotomagensis pontifex Audoenus. Sepultusque erat in ecclesia sancti Apostoli Pauli annis quadraginta; sanctus vero præsul Ansbertus annis undecim; inclytusque pontifex Wlfrannus annis
k ferme novem *k*.

De translatione ejus cum aliis Sanctis.

28 Translati quoque sunt inde in ecclesiam sancti Apostoli Petri a sancto Baino, episcopo
C urbis Taruennæ et rectore hujus cœnobii sub anno sui regiminis quinto, qui erat annus ab Incarnatione Domini sexcentesimus octogesimus
l quartus *l*. Qui ita integri ab omni corruptione cum vestimentis, quibus induti fuerant, reperti sunt, quasi eodem fuissent die sepulturæ traditi. Dies ergo translationis sacræ constituta est pridie Kalendas Apriles. Hæc ergo dies cunctorum præstolata advenerat votis. Sacerdotes, monachi, omnisque clericorum chorus una cum fidelibus aderant plebibus. Tum cum hymnorum laudibus tumuli aperiuntur; de quibus tantus ineffabilis fragrantiæ odor prodiit, ut mira dulcedine non solum in ecclesia circumstantem populum, verum etiam in atriis sitam repleret plebem. Illati sunt autem in ecclesiam sancti Apostoli Petri, et positi sunt in Orientali ejus parte; ubi signis et miraculis coruscant, præsule Christo, cui est cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria per cuncta secula seculorum. Amen.

EX MS. VALCELLENSI

ANNOTATA.

a *Patet falsitas ex Commentario nostro prævio.*
b *Egimus de S. Lantberto ad diem* XIV *Aprilis.*
c *De quo facta mentio in prætermissis die* XIV *Aprilis; ubi ejus Acta differuntur ad* I *vel* IV *Novembris.*
d *Cujus Acta dedimus* I *Februarii.*
e *De S. Wlfranno quoque actum est* XX *Martii.*
f *Vide Acta S. Eremberti* XIV *Maii.*
g *Dicetur de S. Condedo* XXI *Octobris.*
h *Adi Commentarium nostrum prævium* § 4, *ubi dicimus, illum obiisse anno Christi* 667.
i *Intellige* possessuram.
k *Vide super hoc Commentarium prævium num.* 30, *et sequentibus.*
l *Imo annus Christi* 704, *ut ostendi in Commentario prævio a num.* 32.

E

MIRACULA

S. WANDREGISILI

AUCTORE ANONYMO, MONACHO FONTANELLENSI.

Ex codice membraneo Valcellensi, collato cum Mss. Thosano et Aquicinctino atque editis Mabillonii.

PREFATIO AUCTORIS.

Causa scribendi hæc miracula.

Multa quidem et valde stupenda miraculorum signa commodaque relatu omnipotens Deus per beatum Wandregisilum, optimum confesso- F rem, præteritis ac nostris dignatus est patrare temporibus, quæ ob inertiam atque incuriam sunt scriptorum omissa tectaque silentio; quæ si scripta fuissent, ad salutem plurimum prodesse poterant animarum: quoniam, cum prædicantur in populis virtutum signa magisque excitant ad amorem Dei corda torpentia, atque ad suffragia Sanctorum amplius ac crebrius deposcenda, reddunt accensa. De his vero, quæ nostris acta sunt temporibus, hæc pauca, largiente divina gratia, licet inerudito sermone, amore tamen prædicti sancti patris Wandregisili, ac jussione prælatorum cœnobii Fontanellensis scribenda censuimus.

EX MS. VALCELLENSI.

CAPUT I.

Miracula S. Wandregisili usque ad annum Christi DCCCLVIII, *cum translatæ sunt ejus reliquiæ Fontanella in Bladulfi villam.*

MIRACULUM I. *Mulier festum Sancti violans punitur; at resipiscens liberatur.*

Igitur cum quædam mulier in festivitate ejusdem præcipui Confessoris in pago Caletensi *a* ac villa Campania *b* textrinum ageret opus, prohibita multum a vicinis ac Deum timentibus, ne in tanti Patroni solennitate quotidiano insisteret operi ; quin potius ecclesiam adiret ac divinis vacaret laudibus, sicuti alii illius terræ populi ; nihiloque præfato mulier de objurgatione curaret eorum ; imo tumido corde pro nihilo duceret, illico manus illius, qua tramam ausu temerario per telam ducebat, obriguit, tramaque in medio palmæ inhæsit ; ita ut articulorum ungulæ in medio figerentur ejus palmæ, neque avelli ullatenus possent. Ipsa autem hac meritorum Sancti virtute correpta, poposcit se flebili cum voce ad sanctæ Mariæ basilicam *c*, quæ vicina erat Fontanellæ cœnobio ejusque ditionis, perduci. Cumque in eundo carperet iter, et aspexisset basilicam, in qua sanctissima confessoris Christi Wandregisili membra debito, pro modulo hominum, requiescunt cum honore *d*, ejusque pia deposceret suffragia, trama ab ejus cecidit manu ; sicque Deum pro sui liberatione collaudans, reversa est ad propria.

II *Aliud miraculum haud multum absimile;*

2 Alio *e* quoque tempore, dum in ipsius Confessoris Christi festivitatis vigilia alia mulier improba messem falcicula præcideret, lævæ ejus manui manipulus messis, dextræque ejus falcicula, quam gestabat, strictim inhæsit. Quæ cursu celeri ad præfatam basilicam perrexit, ibique cum diu in precibus persisteret, interventu pii Confessoris ab hæc meruit incommoditate liberari.

III *tertium simile prioribus.*

3 Quidam quoque ex familia prædicti Confessoris famulus, nomine Aderoldus, die Dominica baculum manu gestatorium incaute præcidens, atque dolando decorare nitens, manus sinistræ, qua baculum tenebat, articuli ita palmæ infixi sunt, ut ipsum lignum in media manu strictum remaneret ; dextræ vero manui culter inhæreret. Qui suum agnoscens facinus, ad ecclesiam Sancti illico ire deliberavit, ubi sacerdotis Christi Wandregisili cum suis sociis felicia quiescunt membra ; ibique aliquod tempus commorans, meritis dicti Patris culter una cum ligno in eadem basilica ab ejus ceciderunt manibus in terram : exemplumque terroris cunctis audientibus factum hoc fuit, ne quis Christi in Resurrectione Sanctorumque festis servile agepræsumeret opus *f*.

IV *Miles ab imminenti capitis supplicio*

4 Illud autem quod in Germania et Saxonum, tunc gentilium, populi terra gestum est, dum magnus rex Carolus eorum terras bellando domaret *g*, silentio præterire non debemus. Quidam namque præfati monasterii Fontanellæ miles, nomine Sigenandus, dum vastando cum aliis militibus diriperet eorumdem gentilium opes, comprehensus est ab eis, nonnullique alii ; cumque duceretur ad locum, quo decollandus erat, suffragium sancti protectoris Wandregisili crebrius deposcebat, ut ejus piis precibus imminens mereretur evadere periculum mortis, sæpiusque ipsius præcipui Patroni in prece dum peteret auxilium, quidam ex ipso Saxonum populo, cui nomen erat Abbo, diligenter exquirere cœpit, cur tam creberrime Wandregisilum nominaret. Respondebat ille : Quia in veritate ejus sum famulus ; et credo, me ejus interventu sanctitatis, Deo propitio, a periculo præsentis liberari discriminis.

per apparitionem Sancti liberatur.

5 Et ille : Hac, inquit, nocte mihi astitit Wandregisilus monens, ut nihil tibi mali inferrem, sed potius cum pace ad tuos redire permitterem ; quod si aliter fecissem, audacter contra meam patrarem salutem : idcirco illæsum te abire permitto. Absolutumque vinculis et indutum vestibus armisque munitum ad castra remisit Christianorum. Prædictus autem Abbo Saxonici generis, regi postea obses datus, et ad Fontanellam perductus, credensque in sanctæ Trinitatis nomine, baptizatus verusque Christianus effectus est ; ex cujus ore quidam fratres nostri, qui adhuc supersunt, narrando hæc referunt ; ipsique nobis, quæ ab illo didicerunt, postea veraciter narraverunt *h*.

V *Lignum ad ædificandam Sancti basilicam, mire inventum.*

6 Nec illud silenter præterire debemus, quod in reædificatione templi, quo sanctum prædicti Confessoris corpus requiescit, gestum fuit miraculum *i*. Nam cum totius fere templi fabrica sumptu eximio consummata esset, et turris in media basilica sublimiori ædificaretur opere quærebatur trabes, quæ in altitudine erigenda erat, in qua omne pyramidis pondus et totius culmen operis cum tignis inniti posset suis ; diuque in vicinis saltibus hujusmodi arbor quæsita, nec inventa huic operi congrua : cum prælatorum ac ædificantium corda mœsta ex hoc facto remanerent, mane facto, quidam piscatores alveum ingressi Sequanæ, vident arborem platani miræ magnitudinis ac enormis ponderis per medium natando ire fluminis ; qua inventa, prælatis nuntiare curant cœnobii, qui ovantes ad fluvium accedunt, abstractamque *k* ab ipso, cunctipotenti Deo grates non modicas rependebant, atque ejusdem venerandi Patris præconia collaudabant, cujus intercessione actum est pia, ut hujusmodi lignum divinitus datum et Dei fano aptum in flumine inveniretur. Sed et illud mirabile fuit, quoniam istius generis lignum in his regionibus nullatenus antea visum fuerat. Dolatumque ac perfectum arte fabrili præfati templi turri imponunt ad totius operis onus sustentandum. Sic cunctipotens Deus in Sanctis suis, qua vult, miraculorum varietate radiat.

VI *Geroaldus abbas tempestatem, * alias Geroaldo*

7 Aliud quoque, quod in Giraldo * *l*, hujus cœnobii patre, gestum est, narretur miraculum. Is autem Abba jussu Caroli augusti quadam legatione fungebatur in insula, cui nomen est Angia *m*, quam Britonum gens incolit, et est adjacens pago Constantino, cui tempore illo præfuit dux, vocabulo Anowarith ; prospereque gestis, et pro quibus directus fuerat, impetratis, flante vento secundo, Oceanum in redeundo ingressus,

A sus, ita subito ventus zephyrus validissime flare cœpit, fragorque Oceani terribilis exortus est, ut undarum globi, molesque, immensi proceritatem magnarum transcendere viderentur arborum.

osculo reliquiarum S. Wandregisili sedat.

8 Cumque omnes, qui cum eo erant in navi, in desperatione essent suprema, nullaque esset spes evadendi, omniumque vultus similes forent effigiei mortis, tandem prædictus venerabilis reminiscens abba, quas penes se habebat, sancti Wandregisili reliquiarum, amplectitur ac deosculatur; ceterique comites ac nautæ navis, creberrimis precibus flentes, Christi implorant clementiam ac præfati Patroni preces, votaque cunctipotenti Deo et ipsi beato vovent Confessori, optantes reddere, si a tanto discrimine, ejus suffragantibus meritis, mererentur liberari. Protinusque meritis et intercessione ejusdem sanctissimi Patris sæva pericula imperata sunt divinitus cessare, et tranquillitas mira extemplo est reddita discusso turbine maris; prosperoque cursu Deum collaudantes, et pro sui ereptio-
B ne grates omnimodas omnipotenti Deo, sanctoque Wandregisilo referentes, optatum perveniunt ad portum. Sic cunctipotens Deus, qui quondam afflictum audivit Jonam de ventre cæti, prædictum venerabilem patrem una cum sociis interventu egregii Confessoris de periculo eruit maris. Unde cuncti, qui illic aderant, et ad quos factum hoc pervenire potuit, Christum Dei filium laudaverunt, qui meritis famuli sui Wandregisili tale peregit miraculum.

Transit auctor ad recentiora miracula.

9 Ea vero stupenda miracula, quæ noviter cunctarum rerum conditor per eumdem sanctissimum virum Wandregisilum est operari dignatus, juvante Domino, et meritis ejusdem præcipui Confessoris suffragantibus, veraci ac fideli sermone conscriptionis placuit stylo tradere.

Corpora SS. Wandregisili et Ansberti deferuntur ad Bladulfi villam.

10 Temporibus igitur, quo gravissima Danorum piratarum lues, Deo permittente, flagitiisque exigentibus nostris, Oceani littus infestum haberet, Galliarumque quaquaversum, maxime adjacentes, et contiguas fluvio Sequanæ, misera cæde vastaret provincias, quod retroactis temporibus, quando misericors Deus illius præcepta
C servante suo fuit cum populo, nequaquam factum audivimus, sed neque relegimus; anno videlicet irruptionis suæ in prædictum magnum fluvium Sequanæ decimo octavo; ex quo vero Oceanum ingressi piraticam exercere aggressi fuerant, quinquagesimo octavo; Regis autem præcellen-
n tissimi Caroli septimo decimo *n*, sanctissima ossa piique cineres præfati egregii confessoris Christi Wandregisili ac sancti præsulis Ansberti, ob metum et conculcationem horum nefandorum gentilium, de Fontanellæ monasterio propriis effossa sepulcris, ad ipsorum Sanctorum præ-
o dium, quod dicitur Bladulfi villa *o*, deportata sunt. Cumque jam eidem cum ipsis sanctissimis propinquaretur corporibus, venerunt eis obviam
p custodes ecclesiæ ac aliqua pars fratrum *p*, et reliquus populus omnis, quibus elapsis adjectione
q prædictorum posse fuit *q*; susceperuntque illa cum gloria Deique laudibus in loco, qui dicitur
r Mittispons super fluvium Alteiæ *r*. Ipso autem fluvii ponte beatissimis cum corporibus transito, in loco, ubi pausaverant, crux lignea a fidelibus populis ponitur.

EX MS. VALCELLENSI

VII

Mulier febri quartana liberatur in via.

11 Sed illud miraculum, quod ibidem cunctipotens Deus per merita prædictorum Confessorum est patrare dignatus, ut a futuris populis non ignoretur, optimum fore putavimus si narretur. Quædam namque mulier in eodem loco erat, longo jam ævo a typo fatigata quartano; ex cujus violentia ita fessa exstiterat, ut vix jam pedibus incedere valeret. Quæ postea cum fide recta ad eumdem pergens locum, suffragia deposcebat Sanctorum; atque ita meritis et intercessione eorumdem extemplo ab eadem est curata infirmitate, ut nullam ulterius molestiam neque læsionem corporis pateretur; sed et febris, quæ antea solita erat ipsius membra graviter fatigare, ita ab ea pulsa recessit, quatenus ipsam deinceps contingere non auderet. Omnes enim, qui audierant et viderant quod factum erat, Christum Dei filium laudaverunt, qui meritis Famulorum suorum tale peregit miraculum.

ANNOTATA.

E

a *Vulgo* le païs de Caux *in Normannia, qui Oceano, Sequana et Picardia concluditur.*

b La campaigne, *in mappis notatur prope Pontem Arcnensem juxta Sequanam.*

c *Eam, ni fallor, quam ipse Sanctus ædificaverat, ut in Actis secundis narratum est cap.* 4.

d *Nempe Basilicam S. Petri, quæ nunc* S. Wandregisili *dicitur.*

e *Hoc, et sequens miraculum omittit Mabillonius.*

f *Ex tribus his miraculis patet, quam solennis fuerit cultus apud Caletes Sancti nostri, ante translationem ejus secundam et invasiones Normannorum.*

g *Bella illa Saxonica ab anno Christi circiter* 772 *usque ad* 804 *tenuerunt, multumque exercuerunt Carolum magnum imperatorem.*

h *Collige hinc etiam scriptoris ætatem.*

i *Adi Commentarium prævium, num.* 35.

k *Pro* abstractaque *(scilicet arbore)* ab ipso *(nempe fluvio)* cunctipotenti, *etc.*

l *De Geroaldo hoc, sive Gervoldo, consule Chronicum Fontanellense toto capite* 16; *in quo Fontanellæ præfuisse dicitur ab anno Christi* 787 *usque ad* 806; *ac* super regni negotia procurator constitutus fuisse per multos annos; unde Offæ, regi Anglorum sive Merciorum potentissimo, in amicitiis valde fuerit adjunctus; *ita ut* multis vicibus ipse per se jussione invictissimi regis Caroli *(magni)* ad præfatum regem Offam legationibus functus sit. F

m *Mabillonius legit* Anglia; *et ita legendum videtur: neque enim invenio Angiam uspiam ullam; deinde solebat in Angliam legatus mitti Geroaldus; prætcrea trajecisse videtur Oceanum, ut ex contextu narrationis patet; denique si alia hic insula significaretur, esset insula Cæsarea, vulgo* Jarsey *seu* Gearsey, *quæ a Gregorio Turonensi vocatur* Insula maris quod Constantiæ civitati adjacet; *et a Papirio Massono* Insula Constantini, *uti testatur Camdenus in sua Britannia pag.* 854. *At enim insula hæc nec* Angia, *quod sciam, unquam appellata est, nec per ea tempora a Britonum gente incolebatur; quandoquidem ad Normanniam pertinuit, atque adeo ad regnum Galliæ, ut idem auctor ibidem*

affirmat

EX MS. VALCELLENSI.

affirmat, non secus atque aliæ vicinæ; donec sub Henrico primo Angliæ rege una cum Normannia ad Anglos transiere seculo duodecimo. Potest autem ipsa Anglia dici adjacere Pago Constantino, *quia territorium illud Normanniæ, vulgo* le Coutentin, *longo tractu versus Angliam in Oceani fauces excurrit.*

n *Nempe anno Christi* 858 *ex mente auctoris infra num.* 12 : *unde corrigendus auctor Appendicis ad Chronicum Fontanellense, qui hæc refert ad annum* 862, *ut in Commentario prævio monuimus num.* 35. *Ex hoc loco irruptiones Normannorum in Gallias suis temporibus restituit Pagius in Criticis Baronii ad annum* 800, *num.* 2.

o *Prædium hoc Rotomagensi ex agro Bononiensem adeuntibus trans Altheiam fluvium fuit, eique vicinum, ut apparet ex adjunctis.*

p *Scilicet Fontanellensium, qui a monasterio ac Normannorum vexatione profugi, in suo illo prædio commorabantur.*

q *Locus enimvero obscurus, quem ego quidem sic interpretor : Venerunt obviam Sanctorum corporibus ex ecclesia Bladulfi villæ fratres, qui elapsi nuper* B *Normannorum manibus, ad prædium sui cœnobii, nempe Bladulfi villam, confugerant ac substiterant; volentes autem id facere cum debita pompa et honesto numerosoque psallentium ac supplicantium comitatu, id per se non satis poterant utpote pauci, et apparatu ecclesiastico in illo suo exilio non satis instructi; potuerunt id tamen* (*sive* posse *illis* fuit) *id exequi* adjectione prædictorum; *nempe* custodum ecclesiæ *et* reliqui populi omnis, *hoc est custodibus ecclesiæ et reliquo omni populo se paucis illis fratribus adjungente ad ornandam utcumque suscipiendarum reliquiarum solennitatem ; et sic illas cum gloria susceperunt, etc.*

r Alteia, *vulgo* Autie, *fluvius est Picardiæ, qua proxime jungitur Artesiæ.*

CAPUT II.

Translatio reliquiarum ad S. Petri prope Quentavicum; et alia deinde ad S. Quintini prope Bononiam; ac miracula utrovis loco facta anno Christi DCCCLVIII.

C

Reliquiæ ex Bladulfi villa feruntur ad S. Petri prope Quentavicum;

Alia quoque insignia miraculorum, quæ omnipotens Deus per eosdem Famulos suos, quando ex eadem villa venerabilia eorum corpora in territorio Bononiense deferebantur, est agere dignatus, manifestare ac prædicare placet in populis. Nam cum ex prædicta villa tantorum Sacerdotum Christi beatissima membra ad ecclesiam sancti Petri, quæ vicina est emporio Quentavico *a*, et ex ditione eorumdem Sanctorum, a monachis cum hymnis et laudibus deportarentur in ipsa vigilia Ascensionis Christi, quando rogationum tertia dies a populis Christianis devote celebratur, venerunt eis obviam plebes innumeræ clericorum sive laicorum cum sacris Euangeliis crucibusque ac cereis seu cum reliquo apparatu ecclesiarum ; qui ad terram sese projicientes, gaudioque præ nimio flentes, exceperunt illa beatissima corpora cum laudibus hymnorum; cœperuntque ante illa ire psallendo, donec præfatam introeuntes ecclesiam, a senioribus hujus congregationis fratribus, qui ipsa beatissima Sanctorum membra propriis humeris gestabant, super altare sancti Apostoli Petri ponerentur. Facta sunt hoc omnia v Idus Maii *b*. D

ubi diebus quinque manent non sine miraculis.

13 His ita gestis, libet modo ea miraculorum ovando subnectere signa, [et] quæ infra dies quinque, quibus prædictorum Sanctorum beatissima corpora ibi manserunt, cœli ac terræ Dominus per eorum merita præclara ad laudem et gloriam sui nominis est agere dignatus, pandere luce clarius. Positis enim eisdem ossibus Sanctorum eodem in loco, maxima mox multitudo fidelium ad præsidia ipsorum cum votis diversis confluere cœpit, ob veniam suorum scilicet impetrandam facinorum, simulque conservandam ac restaurandam corporum incolumitatem.

VIII *Anus contracta sanatur subito apud Quentavicum.*

14 Igitur erat quædam anus in eodem portu, quæ gestatoria sella ad ipsorum Sanctorum suffragia aliorum manibus advecta est, cujus extrema corporis membra per multorum annorum curricula ita arida ac contracta exstiterant, ut incedendi officium funditus amisisset : eadem E quippe die, qua prædictorum Sacerdotum Christi sancta membra illuc sunt deportata, cum a fratribus ipsius congregationis in vigilia Ascensionis Domini vespertinalis synaxis *c* celebraretur, subito meritis ipsorum Sanctorum, absque ullo dolore corporis, contractio atque nodositas nervorum ejus resoluta est et in pristinum reducta statum, moxque surgens a terra, qua debilis atque contracta antea jacuerat, gratias omnipotenti Deo referebat, propriisque cœpit ire vestigiis, atque tam diu ante altare ejusdem basilicæ, quo Sanctorum requiescebant membra, stetit, donec vespertinorum solennitas finiretur. Sicque pristinæ reddita incolumitati, quæ aliorum solatio adducta fuerat, aspicientibus Christianorum populis, pedibus propriis suum rediit ad diversorium.

IX *Puer mutus loquelam ibidem accipit,*

15 Aliud quoque miraculum, quod ibidem per merita eorumdem Confessorum cunctipotens Deus dignatus est ostendere, silentio minime tegendum reor. Quidam namque puer de patrimonio F Luceio *d* parentum solicitudine ac fide non modica ad præfatam basilicam, ubi sanctissima Confessorum Christi membra posita erant, deportatus est : cuique propria natura fandi negarat officium, ad Justorum merita declaranda, interno arbitro largiente, meritis et intercessione præfatorum Justorum, solutis linguæ retinaculis, proprio uti cœpit officio fandi; ac primum sermonem hunc prompsit, dicens : Ubi est, inquit, meus pater? Factumque est, Deo propitio, ut antequam Missarum solennia in ipsa sacratissima Ascensione Dominica celebrarentur, ac ad eamdem basilicam passim populi confluerent, hujusmodi miraculum virtus divina dignaretur ostendere. Cumque omnibus qui in eadem basilica ob tam præcipuam festivitatem ac suffragia Sanctorum deposcenda congregati erant, notum esset, quod gestum fuerat, Deo gratias totis viscerum præcordiis rependerunt, qui tanta ac talia in terris propter jam prædictorum suorum Famulorum

A mulorum merita tale est dignatus monstrare miraculum.

X *Alia contracta ibidem sanata.*

16 Quædam autem mulier erat in prædicto emporio junior ætate superiori, sed par fide; quæ ita per multorum annorum curricula exstiterat contracta, ut, nisi aliorum manibus esset devecta, nequaquam de loco ad locum propriis valeret incedere plantis, ut in superiori diximus. Cumque ad præfatam basilicam delata esset, ubi Sanctorum corpora servabantur, in prædicta sacratissimæ Dominicæ Ascensionis die, atque pro recuperatione suæ sospitatis propriisque intenta exoraret mente delictis, cum Missarum solennia celebrata essent, a terra, qua infirma et debilis paulo ante jacuerat, coram oculis universarum plebium illic astantium, ita subito sana atque incolumis surrexit, ut nullam molestiam corporis Deo miserante, ac præfatorum Sanctorum meritis, ulterius pateretur. Et non solum ipsa pro sibi reddita sanitate, sed etiam omnes, qui viderunt et cognoverunt quod factum fuerat, gratias cunctipotenti Deo non modicas reddiderunt.

B XI *Mulier ibidem blasphema fit muta, et sanatur.*

17 Illud quoque, quod tunc in Quentovico portu per merita eorumdem Sanctorum suorum cunctipotens Deus est operari dignatus, operæ pretium fore credimus si narretur miraculum. Erat namque in eodem oppido quædam muliercula improba, quæ cum fidelium choris, beatissima Sanctorum membra prosequentibus, non solum [non] est dignata prosequi, verum etiam in blasphemiæ vocem est elata; non se sequi tunc posse, quos nesciebat, et proprium relinquere, cui insistebat operi. Necdumque ex ejus ore verba nefanda fuerant egressa, cum os illius ita retinaculis linguæ est ligatum, ut per octo dierum spatium nullum promeret eloquium, donec reatum propriæ stoliditatis recognosceret, et votum offerret. Factumque est, Deo miserante, opimisque meritis præfatorum Præsulum, ut, impleto dierum octo spatio, cereum ad eorum luminaria dum mitteret, solverentur illius retinacula linguæ, atque in antiquos modos redirent officia vocis. Ita hæc muliercula proprio reatu ligata, per merita prædictorum Sanctorum soluta, fandique libertate recepta, Christo referens grates, totum

C exultans percurrit emporium, tanti miraculi testis et nuntia. Unde cuncti populi, qui audierant et viderant quod factum fuerat, collaudabant Dominum, qui tanta miraculorum virtute semper in suis triumphat, ut patenter detur intelligi, quæ veneratoribus Sanctorum pii laboris maneat remuneratio; quæve blasphemantibus ac otio torpentibus sequatur ultio.

XII *Sanatur paralytica in Walbodegem.*

18 Vertamus nunc, juvante Domino, nostræ conscriptionis stylum ad ea narranda, quæ in territorio Bononiensi et prædio Walbodegem per prædictos suos Famulos Domini pietas est agere dignata miracula. Postquam autem ad eamdem villam venerabilia eorum corpora delata sunt, et posita in basilica sancti martyris Quintini, quæ ex virtutibus prædictorum Sanctorum memoriæ occurrere potuerunt, succincte descripsimus; plurima tamen propter enormitatem sui prætermittentes. Igitur cum quædam mulier de villa Heringen, omnium membrorum officio destituta, ex ea infirmitate, quæ Græco eloquio paralysis dicitur, ad præfatam villam, ubi beatissima eorumdem Sanctorum membra posita erant solatio fidelium, cum fide non modica in carpento perducta esset, ita est subito meritis et intercessione eorumdem venerabilium Sanctorum pristinæ reddita sanitati; ut, infirmitate longa depulsa, perditas dudum reciperet vires. Et quæ ad sanctissima pretiosorum Confessorum membra aliorum auxilio devecta fuerat, ovans ac lætabunda propriis cœpit ire plantis, atque a terra, qua jacebat, incolumis surgens, pro reddita sibi sanitate cunctipotenti Deo ac beato Wandregisilo grates non modicas referebat; sicque sanitate simul ac virtute recepta, perfecte curata est. Agamus grates Domino Deo nostro innumeras, qui tanta in terris propter jam dictorum Sacerdotum suorum merita dignatur monstrare miracula. EX MS. VALCELLENSI.

19 Nec illud etiam silenter præterire debemus miraculum, quod in eodem loco ob supra memoratorum Confessorum merita veneranda cœli terræque Dominus est dignatus osteudere. Fuit in eodem territorio virgo quædam de patrimonio Walchone Villare, quæ multo jam tempore a dæmone vexata fuerat, quæ cura parentum cum fide recta ad ecclesiam perducta est, qua sanctissima membra posita erant; ibique cum triduo manerent, cœlorumque ac totius mundi Dominum pro suis intento exorarent corde delictis, opemque atque intercessionem eorumdem Famulorum Christi pro ereptione suæ deposcerent prolis; cum fratres ad referendas Deo laudes Dominica die congregati essent, matutinorumque solennia decantarent, a solo, quo jacebat, eadem surgens dæmoniaca, ante loculum, ubi sancti pontificis Ansberti beatissima erant membra locata, diu attonita stetit, ac divino munere se juvante, meritis et intercessione prædictorum Sanctorum ab hoste sævissimo erepta ac sospitati est reddita; quo facto miraculo, in conspectu fratrum et populi illic astantis sanissima surrexit. Gratesque omnimodas cunctipotenti Deo circumstantes referunt, qui per merita eorumdem Sanctorum tale gessit in terris miraculum. XIII *Dæmoniaca ibidem liberata.* E

20 Alia quoque phrenetica de territorio Suevo et villa Laom, ad suffragia Sanctorum a patre suo cum omni spei ac fidei devotione devecta est. Dumque per aliquot dies in præfata basilica sancti martyris Quintini, qua pretiosa eorum corpora custodiebantur, moraretur, interventu eorumdem, quadam die, cum a fratribus Missarum solemnia celebrarentur, miris repente modis sine aliqua læsionis molestia, Deo juvante, intercessione prædictorum Sanctorum sanitati est restituta; ut quanta eisdem Sanctis gratia curandi ægros a Deo collata esset, etiam in hujus miraculi signo monstraretur. XIV *Sanatur ibidem phrenetica.* F

21 Aliud quoque, quod in eodem loco gestum est, ob ædificationem legentium sive audientium narretur miraculum. Quidam namque adolescens, de prædio Flammis, mutus et surdus, propinquorum solatio ad præfatam basilicam, qua Sanctorum ossa piique cineres servabantur, deductus est. Cumque eamdem introisset basilicam, atque ad orandum coram altari pronus jaceret, ita extemplo precibus ac meritis ipsorum ab omni est corporis incommoditate curatus, ut et loqueretur pariter et audiret. Tunc ipse ad cœlum manus extendens, gratias immensas retulit Deo, XV *Item surdus et mutus ibidem.*

qui

EX MS. VALCELLENSI.

qui cum meritis seu suffragio prædictorum Servorum suorum mirabiliter ab eadem, qua diu detentus fuerat, infirmitate curavit. Omnes enim qui aderant, cernentes quod factum fuerat, cunctipotentem Deum laudaverunt, eumque potentissimum in suis Famulis testati sunt.

XVI

Item alia paralytica ibidem.

22 Erat quoque quædam mulier in prædio Turbodinghem, quæ est possessio almi patris Wandregisili, et adjacens patrimonio Walbodegem, cujus manus plurimos annos paralysi fuerat dissoluta; quæ cum nulla medicorum arte ab eadem juvari posset infirmitate, jamque in suprema posita esset desperatione, præfatam basilicam, ubi Electorum Dei membra collocata erant, petiit; in qua cum diu opificem mundi pro suis abluendis delictis a recuperatione suæ sanitatis instantissime exoraret, ope atque interventu Sanctorum beneficium sensit divinum: nam manus illius, quæ diutina languoris molestia arida exstiterat, ita mox, fugiente dolore ac sanitate subsequente antiquæ est reddita incolumitati; ut nullam deinceps pateretur læsionem corporis. Benedictus
B
Deus, qui ob merita recolenda supradictorum gloriosorum Sacerdotum tale dignatur in terris ostendere miraculum.

ANNOTATA.

a *Nomen accepisse videtur ex eo, quod* vicus *olim fuisset ad* Canciam, *seu* Quentum *fluvium, qua miscetur Oceano, situs ubi nunc Stapulæ, vulgo* Estaples.

b Anno proinde DCCCLVIII, *inquit recte Mabillonius,* quo Pascha in tertium Nonas Aprilis, Ascensio Domini in IV Idus Maias incidebant; dies vero Dominica littera B. prædita erat.

c *Seu Vesperæ cancreutur:* synaxis *enim Officium etiam significat ecclesiasticum; et* vespertina *quidem* synaxis, *juxta Regulam S. Benedicti,* quatuor Psalmis cum Antiphonis terminatur; *Vide Cangium in Glossario.*

d *Mabillonius legit:* Quidam namque puer, nomine Ristouvardus, de patrimonio Diglittis. *Est*
C
autem Diglittis *villa pagi Pontivi, vulgo* le Ponthieu *in Picardia; ut infra patet num.* 30; *sed obscura hujusmodi loca indagare ac describere operæ pretium non est.*

CAPUT III.

Alia miracula tum ad S. Quintini, tum apud Quentavicum, post relatas eo reliquias, patrata usque ad annum Christi DCCCLXVII.

XVII

Surdus et mutus jubetur adire reliquias SS. Wandregisili et Ansberti,

Illud autem stupendum miraculum, quod in ea gestum est ecclesia, minime tegi decet silentio. Nam quidam homo, ex pago Pontivo et villa nomine Hrosam *, nomine Baldradus, annorum
D
circiter XXXV, ab ineunte ætate ita mutus surdusve exstiterat; ut nec loqui nec audire ullatenus valeret. Qui etiam sollicitudine ac cura parentum per multa diu Sanctorum loca advectus fuerat, nec non et ad sancti Medardi cœnobium *a*, quo ejusdem præcipui confessoris et inclyti martyris Sebastiani felicia membra quiescunt. Qui jam a suæ recuperatione incommoditatis desperatus, quadam nocte, cum sopori deditus esset vidit quemdam virum egregiæ formæ candidique vultus coram præsentia consistere sui; cujus pulcritudo non humana putabatur, sed angelica, quem ita consolando allocutus est, dicens: Surge fili, ex proprio, quo decubas, lectulo, ac cum omni spei fiducia perge ad locum, quo sanctorum confessorum Christi Wandregisili atque Ansberti pretiosa pausant membra; illicque scito, te per eorum merita veneranda loquelam percepturum pariter et auditum. Is autem a somno, quo tenebatur oppressus, evigilans, et de superni muneris promissione non dubitans, assumpto secum comite itineris, celerrimo cursu ad eamdem ire deliberavit basilicam in qua Sanctorum posita erant
E
corpora.

* *alias* Brosam.

ubi a S. Wandregisilo sibi apparente sanatur.

24 Cumque ad eam hora vespertina diei pervenisset, et in eadem basilica cum aliis infirmis ea moraretur nocte, cum a fratribus ejusdem congregationis matutinorum solennitas celebraretur, octavo Idus Novembris, die Dominico *b*, antequam ipsum Officium matutinale peractum atque decantatum haberent, cum pronus coram altari, in qua Sanctorum corpora servabantur, jaceret, subito obdormivit. Viditque virum quemdam pulcherrimæ formæ, niveam præferentem canitiem, veluti ipse nobis postea referendo narravit *c*, in sedili sedentem aureo, virgam auream in manu dextra tenentem, de cujus summitate in occipitio capitis præfatum bis tetigit mutum; moxque vis ingentis algoris penetravit cerebrum illius atque usque in os ejus pervenit, pariterque foramina pertransiit aurium; evigilansque confestim, et a terra, qua jacebat, exurgens, coram oculis omnium fratrum et plebium illic astantium et laudes cunctipotenti Deo decantantium, cum celsa voce atque claritate cordis clamare cœpit, dicens:
F
Deo gratias. Ecce adest beatus Wandregisilus, per quem nunc mihi pius Dominus loquelam reddidit et auditum. Unde universæ plebes, quæ ob suffragia Sanctorum deposcenda ad eamdem convenerant basilicam, cernentes quod gestum fuerat, cœli. terræque Dominum laudaverunt magnique apud eum fore meriti beatum Wandregisilum proclamabant.

XVIII

Grippo præfectus naufragio proximus,

25 Non longo post tempore, dum in periculo sibi invocantibus affuit, sequitur clara virtus ac maxima. Illuster namque vir Grippo, præfectus videlicet emporii Quentovici, jussu præcellentissimi regis Caroli *d* quadam legatione functus est in Insula Britannia ad regem gentis Anglorum. Denique strenue impetratis ac peractis pro quibus directus fuerat, dum in revertendo navim ascendisset, Oceanum æquor ingressus, flante vento secundo, fere medium confecerat iter; noctisque spatio fere transacto, antequam roseæ lucis splendor mundum illuminaret, ita subito sæva exorta est procella, ut nulla spes evadendi

præfato

A præfato duci suisque comitibus, qui cum eo erant in navi, remaneret. Cumque a variis ac fortissimis ventorum motibus mare intumesceret, lintrisque huc atque illuc a vi maris pulsaretur, ac vagabunda incederet, nullusque evadendi exitus ullo modo pateret, cum jam sol lucifluos emitteret radios, et propria totum illustraret lampade mundum, aspexit præfatus dux pharum supra littus maris, antiquorum industria ad cursum navigantium olim ibidem ædificatam, contemplatus est quoque et basilicam, in qua pretiosi confessoris Wandregisili summique pontificis Ansberti sanctissima posita erant membra, oppletosque lacrymis oculos, hæc humili cum voce supplicans, aiebat :

invocato S. Wandregisilo,

26 Sacerdos quondam noster, nunc socius angelorum, beatissime Wandregisile, precibus piis succurre nunc afflictis et jam jamque periclitantibus. Te duce, ab hac regione progressus sum ; te duce, externa adii loca. En desertus a te, patriæ inductus jam finibus, gravis periculi mole oppressus, dignas mei meriti pœnas luo. B Noli subtrahere precem ad liberationem famulorum. Jocundior nobis melle dulcedo, ne sinas gaudia nostra supremæ tristitiæ nubilo maculari. Gaudium et exultatio nostra, quos deduxisti sospites, patrio solo redde incolumes. Inter hæc ipse dux ejusque socii vota offerunt, omnimodo nisu reddere cupientes.

discussa procella, ad portum feliciter appellitur.

27 Vix verba præfata finierant, cum subito ope atque intercessione almi Wandregisili pia, serenitas redditur mira, et patronum, quem quærebant absentem, virtute præclara præsentem intelligunt ; lacrymæ denique vertuntur in gaudia, mœror lætitia permutatur. Elevatis namque velis, motu celeri cum magno tripudio lintris cucurrit ad littus, nec subacta inter duras cautes præruptaque et aspera loca contrita est, nec scit pertulisse discrimina, dum gaudet evasisse pericula. Ministeria nempe implevit itineris, relinquens signa virtutis. Ipse autem præfatus dux Grippo in ipsa vigilia Nativitatis Domini alacer et sospes ad eamdem pervenit basilicam, in qua prædictorum Christi Confessorum beatissima posita fuerant membra ; ibique cunctipotenti Deo C pro sua ereptione laudes multimodas cum magnæ humilitatis reverentia retulit, et vota promissa obtulit.

XIX

Mulier paralytica

28 Illud quoque silendo præterire non debemus miraculum, quod in ipso tempore per Sanctorum merita in eadem, qua pretiosa eorum ossa cineresve sacri servabantur, gestum est ecclesia. Fuit quædam mulier, Deodata nomine, de pago Pontivo et villa Agrona, quæ ad suffragia petenda Sanctorum in sacrosanctis quadragesimæ diebus ad præfatam basilicam perducta est. Quæ ita carebat omnium officiis membrorum, paralytico attrita morbo, ut ejus caput omnibus videretur horarum momentis rotando et agitando e suo volvere loco. Manus vero illius ita dissolutæ ac tremulæ exstabant, ut nullo modo cas ad os suum applicare valeret : nam et eam, quam attulerat candelam, nullatenus altaribus quivit imponere sanctis, nisi aliorum fulta ac juta adminiculo : quicumque enim eam aspiciebant, semper putabant, casuram ac subito morituram.

sanatur.

29 Quæ dum tali quateretur molestia ægritudinis, ita meritis et suffragiis prædictorum Sanctorum ab eadem est incommoditate languoris curata ; ut cuncta membrorum officia dudum amissa, post quinque dierum spatium quam ad eamdem pervenerat basilicam, concite recipere mereretur. Nam tanta inest ipsis sanctis Confessoribus gratia depellendi ægritudines ab humanis corporibus a summo opifice donata ; ut plurimi gratia sanandi ad ipsos Sanctos properantes, alii vero revertentes, a variis diversisque morborum generibus, largiente Christo, liberari mereantur.

EX MS. VALCELLENSI.

XX et XXI

Item puer cæcus et claudus, ac mater ejus febricitans sanantur.

30 Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimo sexagesimo sexto, venerunt corpora sanctorum confessorum Wandregisili et Ansberti ad ecclesiam sancti Petri, quæ ex ditione sanctorum præfatorum constat Sacerdotum, et est vicina portui Quentavico; ubi post aliquot dies quidam puer, nomine Bernoldus, de pago Pontivo et villa, quæ Diglitis dicitur; quem mater testabatur octo annorum spatio oculorum officio et gressu ambulandi funditus caruisse. Cum ad præfatam ecclesiam, in qua Sanctorum E corpora posita erant, advenisset, in conspectu omnium, qui aderant, visum, Domino largiente, recepit et gressum. Mater vero prædicti pueri, nomine Hildegardis, quæ a febre quartana, diutissime vexabatur, Domino miserante, in eodem loco sospitatem recepit.

XXII

Contracta restituitur.

31 Eodem *e* quoque tempore quædam Juvencula, nomine Sperta, die prædicto Quentavico portu, quæ ex artetrico *f* morbo manibus contracta diu exstiterat, rectitudinem manuum ac salutem, aspicientibus cunctis, qui aderant, in eadem basilica per suffragia Sanctorum divino munere consecuta est.

ANNOTATA.

a *De S. Medardo episcopo Noviomensi, ejusque monasterio egimus die* VIII *Junii.*

b *Adeoque eodem anno Christi* 858.

c *Observa ætatem scriptoris.*

d *Cognomento Calvi.*

e *Hoc miraculum omittit Mabillonius.* F

f *Id est* arthritico, *sive articulari.*

CAPUT IV.

Miracula ibidem patrata anno Christi DCCCLXVII.

XXIII

Mulier hæmorrhoissa et lunatica convalescit subito.

Anno octingentesimo sexagesimo septimo in ipso quoque tempore quædam mulier, nomine Echitrad, natione gentis Anglorum, supplicandi voto, veluti pœnitentibus moris est, Romam pergebat : quæ erat lunatica, sanguinisque fluxu per plurimos afficiebatur annos. Cumque ad præfatum locum, ubi Sanctorum corpora posita

EX MS. VALCELLENSI.

posita erant, divertisset, atque coram altare ad orandum se postravisset, diu desideratam sanitatem, Domino miserante, decimo Kalend. Octobris per merita Sanctorum suorum recepit: et demum cœptum carpebat iter, quod Romanæ urbis ducit ad arces.

XXIV *Frater ac soror energumeni dæmone liberantur;*

33 Sub idem fere tempus quidam homo, nomine Wandalgarius, et soror sua, nomine Gisleberta, de pago Pontivo et fundo Bladulfi villa, pertinens ad monasterium sancti Mauritii, a spiritu immundo possessi, et ob hoc arctissimis vinculis astricti, in carpento positi, ad præfatam basilicam deducti sunt VII Idus Aprilis. Qui duodecimo, ex quo illuc advenerant, die per virtutem Christi et merita sanctorum Confessorum, cunctis, qui aderant, cernentibus, exacto a se dæmone, sani effecti, ad propria sunt reversi.

XXV *item alius energumenus.*

34 Exin die quinto decimo, id est, XI Kalend. Maii, homo quidam, nomine Amatus, de emporio Quentavico, ita erat a spiritu immundo invasus; ut per os ejus exprobrando loqueretur, Sanctosque nominatim impotentes diceret ad se expel-
B lendum: qui tamen ipso, quo advenerat, die in præfata basilica coram sacris Sanctorum reliquiis per virtutem Christi perfecte curatus, vota promissa reddens, rediit ad propria.

XXVI *Cæcus visum recuperat.*

35 Eodem quoque tempore quædam femina, Airisma nomine, de pago Tellau et prædio cognomento Haismedis, filium suum, nomine Ricolfum, quadriennio cæcum, ad præfatam basilicam pro recuperando lumine amisso adducere curabat; cumque ibi pro calamitate, quam prædictus ejus patiebatur natus, Domini misericordiam et sanctos Confessores invocasset, diu negatum lumen recipere meruit. Factum est autem hoc miraculum Nonis Maii, vigilia Ascensionis Domini.

XXVII *Claudus erigitur.* a

36 Deinde *a* consequenti tempore quidam homo, nomine Fridericus, de pago Pontivo et villa, vocabulo Vertunno, diutino genuum dolore, id est, duorum annorum, valide quatiebatur; qui cum ad prædictum Dei templum adductus fuisset, et ante memorata Sanctorum corpora pro incommoditate sua triduo opem flagitaret divinam, coram omnibus, qui aderant, erectus est, et in integrum corporis sui statum reductus
C est.

XXVIII *Cæca lumen recipit.* b

37 Quædam autem mulier, nomine Tatburch, de pago Taruennensi *b*, quæ quinquennio solem non viderat, ibi se ad orandum in præfata basilica coram altari prostravit. Cum ad Missarum solennia euangelica lectio prælecta fuisset, lumen, quod amiserat, Christo Salvatore omnium largiente, per merita Confessorum extemplo recepit; sed et istud miraculum factum erat XII Kalend. Augusti, in vigilia festivitatis sancti patris nostri Wandregisili.

XXIX *Contracta restituitur.* c

38 Postea *c* vero anus quædam, Ermengardis nomine, de villa, cui vocabulum est Lucus, quæ plurimo annorum tempore, contractis nervorum compagibus, incurvata erat, in præfato loco divinam exorans clementiam, ita perfecte curata est, ac si numquam ullum corporis pateretur incommodum.

XXX *Mente captus fit sanus.*

39 Deinde quidam homo, nomine Rotgarius, de Villarcello, vocabulo Audilegiæ Corte, mente captus, ad præfatum locum a suis deductus est, atque ibi aliquamdiu manens, cunctis, qui aderant, videntibus, coram præfatis Sanctorum corporibus sensu recepto, Deo sibi propitiante, intercessione Sanctorum, in momento temporis curatus est. D

XXXI *Cæcus oculorum usum impetrat.*

40 Quædam autem femina, nomine Itberta, illo venit, ubi Sanctorum corpora condita manent, deferens filium parvulum, nomine Ricardum, qui erat aliquanto tempore cæcus; ibique triduo degens, Christo Domino per merita Sanctorum donante, diu negatum lumen prædictus ejus filius recepit. Istud miraculum factum erat die IV Nonarum Decembris.

XXXII *Claudus gressum recuperat subito.*

41 Succedente deinde aliquanto temporis intervallo, quidam homo, vocabulo Raduinus, ex pago Taruennensi et villa vocabulo Amaniaco, valida nervorum contractione debilitatus, ita claudus exstiterat; ut per annos fere XIII pigra promotione crura pedesque trahens, omni ambulandi careret officio. Qui etiam ante aliquot annos, cum prædictorum Sanctorum corpora in Walbodeghem villa servarentur, adductus fuerat; sed cur curatus non fuerit, dicant qui velint: mihi videtur, quia ob salutem animæ, aut alicujus nodum reatus ejus curatio dilata fuit, non E
penitus negata; neque tunc, sed alio tempore, et alio in loco, Deo largiente, a prædictis Sanctis fieri debuit. Denique ad præfatam basilicam, in qua Sanctorum reliquiæ degunt, in carpento a suis adductus, divinam exorans clementiam, in unius horæ momento integram omnium membrorum sospitatem per Sanctorum merita recepit.

ANNOTATA.

a *Omissum et hoc miraculum a Mabillonio.*

b Taruanna, *Morinorum olim caput, nunc pridem deleta funditus.*

c *Sequentia duo miracula prætermittit Mabillonius.*

CAPUT V.

F

Cetera miracula exinde visa tum prope Quentavicum; tum apud Carnotenses, cum ad eos delatæ essent reliquiæ; tum denique Bononiæ.

XXXIII *Mulier item clauda erigitur.* a

Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo sexagesimo octavo quædam virgo, nomine Berchildis, de pago Suessonum *a*, et prædio, vocabulo Bergiaca, ex nervorum contractione debilitata, et per duodena annorum curricula inutilis facta, cum ad prædictum locum genibus et manibus reptando potius, quam ambulando, pervenisset, in eadem basilica consistenti vir quidam in candido habitu sibi apparuit, monens, ut in eodem loco maneret, quoadusque optatæ sanitatis, Deo jubente, per merita sancti Wandregisili susciperet opem. Quarto Idus Junii ostensa ei fuerat hæc visio. Exin die tertia, id est

A est II Idus Junii, cum matutinorum solennia a fratribus essent decantata, cœpit clamando Sanctorum nominatim auxilia, deposcere; atque in hoc clamore, extentis subito nervorum vinculis, illæsa * se crigens in pedes constitit. Sed et ista, in hunc modum curata, pedum gressibus ad propria rediit, quæ, ut prædiximus, nitendo potius, quam incedendo ad Confessorum limina pervenerat.

* Mabillonius in incessum

b XXXIV Dæmoniacus liberatur.

43 Prædium *b* est in pago Pontivo, vocabulo Agrona, de quo quædam femina, a spiritu erratico nimium possessa, ad monasterium sancti Judoci *c* a propinquis suis curanda perducta est. Cumque per aliquot dies ibidem moraretur, et ejus differretur curatio, visum est illis, qui eam illo perduxerant, ad basilicam sancti Petri, ubi sanctorum Confessorum corpora servabantur, deduci; quod factum constat esse die octavo Iduum Juliarum. Quæ, cum ibidem per septem moraretur dies, voces confusas ac terribiles emittebat, et per os ejus multa nefanda spiritus nequam promebat; ut nulli dubium esset, quin B is ipse per eam loqueretur, qui et invasam tenebat. Octavo autem die postquam illo advenerat, id est, Idibus Julii, largiente Christo, per merita Confessorum expulso dæmone, et recepta sospitate, pro collata sibi sanitate nomen Domini glorificans, perfecte curata ad propria est reversa.

Translatio reliquiarum ad Carnotenses.

44 Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo octogesimo quinto *d*, Indictione tertia, sub die undecimo * Kalendarum Decembrium venerunt corpora sanctorum Wandregisili et Ansberti confessorum, ad Carnotenam urbem, et jubente Domino, suscepta sunt a venerabili Haimone episcopo *e* præfatæ urbis, et domino Haimerico abbate monasterii sancti Carauni martyris *f*, et collocata in ecclesia, in qua isdem Christi martyr requiescit; ubi non minimam humanitatem monachis sancti Wandregisili, qui metu gentilium hæc attulerant, exhibuit, et hospitalitatem condignam hilariter tribuit. Ibique usque quartodecimo Kalend. Martii pacifice mansimus; videlicet per menses tres, exceptis tribus diebus. Deinde XIV Kalendas Martii metu gentilium suadente, et cooperatore præfato Haimerico * venerabili aliisque Sanctorum veneratoribus; annuente etiam ejusdem urbis venerabili clero et plebe Deo devota, cum laudibus et honore prædictorum corpora Sanctorum intra muros præfatæ urbis venerabiliter suscepta sunt, atque in capellam, quam olim venerandus præsul Gislebertus *g* infra domum suam construxerat, digne collocata sunt, in qua omnipotens Deus Sanctos suos, ut voluit, mirabiliter mirificavit, et miraculorum attestationibus multiformiter honoravit, quorum insignia miracula, jubente Domino, mirabiliter refulgent.

* Mabillonius et Thosanus codex duodecimo

C

* Thosanus codex Haimone

XXXV *Dæmoniacus liberatur.*

45 Ea siquidem tempestate quidam homo, Haimericus nomine, a spiritu immundo invasus, de villa vinctus, atque demum in carpentum elatus, ad prædictam basilicam, ubi Sanctorum custodiebantur corpora, perductus est; qui ita vexabatur ab erratico spiritu, ut omnes assistentes dentium laceratione appetere vellet, ac multa nefanda nec dicenda, hortatu dæmonis, ore proferret; ibique per aliquot dies manens, Domino miserante, opimis Sanctorum meritis perfecte curatus, sanus et incolumis pedibus propriis habitacula repedavit ad sua: erat autem de familia sanctæ Mariæ Cartonensis ecclesiæ. Facta sunt hæc in ultimis mensis Aprilis diebus. EX MS. VALCELLENSI.

46 Deinde in mense Maio quædam femina, nomine Adalgardis, de villa Auriaco, quæ est ex ditione sancti Launomari Corbeiensis *h* monasterii, phrenesim passa, a viro suo ac socero ad præsidia Sanctorum adducta, unius diei spatio transacto, Deo jubente, concitam recepit sospitatem. XXXVI *Phrenetica sanatur.* h

47 Tertium quoque miraculum, opitulante Christo, et Sanctorum intercedentibus meritis, in homine quodam, nomine Adalmanno, completum est. Hic etiam terribiliter vexabatur ab inimico; in clamando videlicet immoderate ac lacerando et in homines procaciter exspuendo. Erat enim de pago Ebroïcino *i* in Carnotis urbe degens, et panes ad vendendum conficiens; et hic a Domino perfecte curatus, sanus recessit, et hoc, mediante mense Maio. XXXVII *Vexatus a dæmone liberatur.* i

48 Quarta quoque virtus Sanctorum in homine, nomine Augelmaro, refulsit, qui captus a dæmone, amisso sensu, inania gerebat voce, linguæ ac membrorum motibus; ibique octo dierum spatio manens, videlicet a nono Kalend. Julii usque ad Kalendas ejusdem, meruit a Domino et Sanctis ejus perfecte curari. Fuerat namque de pago Bononiensi; qui ab incursione paganorum expulsus solo proprio, morabatur tunc temporis in pago Carnoteno et Villa Antilaïco. XXXVIII *Amens sibi restituitur.* E

49 Quintum æque miraculum in femina, nomine Gertrude, Deo donante, contigit. Quæ, sensu amisso dæmonis instinctu, et loquebatur deformiter, et dentibus frendebat, et omnia inhonesta promebat: quæ tamen tertio, postquam ad præfatum pervenerat locum, die meritis Sanctorum ab hac meruit incommoditate liberari. Erat autem de Bodone villa *, quæ sita est in pago Carnoteno. XXXIX *Mulier a dæmone insessa, ad mentem reducitur.*

* Mabillonius et Thosanus codex Odonis villa

50 Sexta quoque virtus in femina, nomine Angelberga, ostensa fuerat, quæ parum loquebatur, sensu amisso proprio; sed alia agebat inhonesta: quæ tamen tertio, postquam advenerat, die precibus Sanctorum sana et incolumis ad sua concite rediit. Erat autem de pago Matriacensi *k*; et hoc, intrante Julio mense, patratum erat. XL *Item alia mentis compos facta.* F k

51 Illud quoque septimum laude dignum huic paginæ inserendum ratum duximus miraculum, quod cœlorum Compos et orbis in quadam femina per beatum exercuit Wandregisilum, sanctitate celebratissimum. Nam, cum nonnulli per Francorum fines nobilium pauperumque infirmitatum incommoditatibus molestati, gauderent sese ab eo sospitati redditos optabili, placuit cunctorum Modificatori; ut, velut in Germanorum provinciis multorum laudabatur ore; ita gens transmarina præclaris illum vocibus devotaque mente attolleret. Tali itaque actum est occasione, ut nomen beati Viri non tantum in solo patrio, verum etiam beatificaretur in peregrino. Erat quippe in eisdem partibus quædam femina, omni compagine membrorum adeo infirmata; ut nec manibus cibum ori apponere, nec pedibus gressum XLI *Paralytica mulier,*

EX MS. VALCELLENSI.

sum quiret aliquatenus figere : membrorum etiam officio carebat ita ex toto, ut potius se poni in sepulcro, quam alicujus solatii cuperet perfrui adjutorio.

sepulcrum adire jussa S. Wandregisili sanatur,

52 Quadam igitur nocte, cum ejus spiritus intra pene mortuos artus triste anhelaret, audit per visum quemdam dicentem sibi : Si forsitan fuisses transvecta ad memoriam S. Wandregisili
l confessoris Christi, qui in Bononia civitate *l* cum
m præsulibus Ansberto et Wlfranno *m* requiescit almifluis ; profecto recepisses tui pristinam sanitatem corporis. Hac igitur visione animata, rogavit affines atque cognatos, ut ei præberent evectionis adminicula, quibus Sanctorum prædictorum quiret adire limina ob recuperanda pristinæ sanitatis commoda. Cumque illo, auspice pervenisset Christo, multo lacrymarum imbro ante Sanctorum busta effuso, ita surrexit sospes a pavimento, ut nulla infirmitatis vestigia in ejus apparerent corpusculo, multo tempore paralysis infirmitate dissoluto. Quod videntes transmarini, qui cum ea venerant, et multi incola-
B rum, dulcisonis Domino pangebant vocibus odas, gratias illi, sanctoque Wandregisilo reddentes devotas.

XLII

cujus obsequio consecrata, ob inobedientiam punitur;

53 Recepta itaque femina, quæ advenerat, sanitate, devovit, numquam se domum redire; sed omni, quo adviveret, tempore in Sancti famulitio præfati perseverare. Remeantibus ergo collegis suis transmarinam patriam, ipsa, ut devoverat, nusquam abscessit ; sed in obsequio Curatoris sui totam se contulit. Interea audivit in sommis sanctum se monentem Wandregisilum, ne aliquando calefactione ignis uteretur, nec tempore hiemis neque æstatis : quod si fecisset, pro certo sciret, ad se reversuram, quam gaudebat amisisse, infirmitatem. At illa, ut fuerat præmonita, jubentis imperium omni observavit cum diligentia per aliquod temporis spatium. Tempestate itaque quadam, cum vigilia adesset Nativitatis Dominicæ, et sodales suas, sanctimoniales videlicet feminas, multimoda prece rogitaret, ut oblatas, quas oblatura Do-
n mino in crastinum erat *n*, formarent, igneque, quem appropinquare non audebat, decoquerent;
C et minime impetraret; accessit ad ignem, ferroque, quo imprimendæ ac decoquendæ erant oblatæ, arrepto, mox nervi manus ejus dexteræ
o contracti sunt, ac oblatorium *o*, quod sponte susceperat, invita, vi agente divina, retinuit.

XLIII

sed facti pœnitens opem iterum S. Wandregisili sentit.

54 Cum fletu igitur et dolore prævalido tribus diebus strictim deportato, die jam quarto, festivitate beatorum Innocentium, Wandregisilo cum complicibus *p* suis exorante beato, et Au-
p ctore innocentiæ jubente, hora, qua populus stans cum reverentia ad Missam sanctum auscultaret Euangelium, ferrum de vola mulieris decidit, et sonum cadens in pavimento circumstantium auribus incussit. Sonitu ergo ferri atque clamore mulieris omnes, qui aderant, permoti venerunt cum strepitu magno ad eam, et pro tanto tripudiantes miraculo, cunctipotentem Deum magnis præconiorum vocibus clerus laudavit ac populus; qui semper et ubique in omnibus operibus suis exstat benedictus. Aperto post hæc ferro, in quo erat intus oblata impressa, invenerunt eam sanguine tabo mixto cruentatam ;
D pro qua re multam habitatores loci illius deinceps habuere admirationem.

Epilogus Auctoris.

55 *q* Quæ horum gratia Sanctorum in digito tuo peregit maxima virtus tua, quæ scilicet magnalia cum tot sint et tanta, ut numerositatis summam excedant, seu multiplicitate quasi quoddam fastidium quibusdam generent, modum eis statuamus, ne pretium vilescere incipiat tam pretiosissimarum margaritarum. Ducimus autem hæc omnia per Servos suos operatum Christum, saluti animarum providentem magis, quam corporum. Quid enim magni immortali Deo morituræ mox carni ad breve et in modicum quamcumque momentaneam redonare sanitatem? Animabus in perpetuum victuris, ut prædixi, magis proficit invisibilem Deum per hoc glorificari. q

ANNOTATA.

a Pagus, *sive ager*, Suessionensis *est tractus Galliæ in insula Franciæ.* E

b *Præteritum a Mabillonio miraculum hoc.*

c *Haud longe Quentavico. Porro de* S. Judoco *agetur* XIII *Decembris.*

d *Mabillonius et Ms. Thosanum habent*, octingentesimo nonagesimo quinto, Indictione quarta. *Pagius itaque in Criticis Baronii ad annum* 895, *num.* 3, *pro Indictione* quarta *reponi jubet* decimam quartam, *anno* 895 *mense Septembri, inquit, inchoatam. Sed non viderat codicem nostrum Vallensem, in quo annus* 885 *et Indictio tertia sine difficultate conciliantur , cui proinde adhærendum videtur, licet toto decennio a Mabillonii et Thosano exemplari discrepet, hoc loco namque hæc certo corrupta sunt, cum inter se pugnent annus et Indictio.*

e *Vide infra Annotationem ad litteram* g.

f *De S. Caranno ac monasterio ejus apud Carnotenses scripsimus ad diem* XXVIII *Maii.*

g *Episcopus Carnotensis quadragesimus septimus apud Sammarthanos; ubi præfuisse ecclesiæ illi dicitur ab anno circiter* 859 *usque ad* 878 *et ultra; et probatur ex synodis, quibus interfuit. Errant ergo cum ipsi Sammarthani, tum alii, cum* F *Aymonem supra memoratum Gisleberti decessorem faciunt; quando diu post Gislebertum sedit, ut ex auctore nostro patet. Quid, quod inter Gislebertum et Aymonem medius intervenerit Gerardus, seu Geraldus ille, quem Gisleberti successorem Sammarthani faciunt? Vide sis Analecta Mabillonii vetera tom.* 2 *pag.* 552.

h *Lege* Curbionensis monasterii, *de quo diximus, quando de S. Launomaro agendum fuit die* XIX *Januarii.*

i *Sive territorio Ebroïcarum in Normannia, vulgo* le pays d'Evreux.

k *Tractus erat Galliæ, ubi nunc pars est Belsiæ et pars Insulæ Franciæ, de quo plura geographi.*

l *Hinc apparet, translata fuisse Sanctorum nostrorum corpora Bononiam, uti in Commentario prævio dictum num.* 36.

m *Translationem hanc S. Wlfranni vegamus ad diem* XX *Martii pag.* 161, *cum auctore historiæ inventionis ejus in appendice Chronici Fontanellensis*

EX MS.

A *sis cap.* 7. *Imo vero dubium non videtur, quin S. Wlfranni nomen hic ab aliquo recentiori interpolatore intrusum sit; quandoquidem jam dictæ appendicis auctor, qui scripsit seculo undecimo, ad hanc miraculorum SS.* Wandregisili *et Ansberti historiam provocans, ait, in ea* hujus Sancti *(Wlfranni)* nomen vel mentionem nusquam reperiri vel semel insertam.

n *Per* oblatas *hic intellige hostias seu formulas panis ad sacrificium offerendas, quæ præcipue ante Domini Natalem, vel sanctæ Resurrectionis diem fieri solebant; ut ex Udalrico docet Mabillonius in Præfatione ad Acta Sanctorum sui Ordinis tom.* 3, *num.* 55.

o *Id est ferrum quo imprimendæ ac decoquendæ erant oblatæ; quod ibidem describit Mabillonius mox citatus.*

p *Per* complices *hic designari videntur socii* S. Wandregisili, *paulo altius nominati, nempe SS. Ansbertus et Wlfrannus, quorum conjunctæ ibi reliquiæ credebantur.*

q *Epilogum sequentem reperi in solo Ms. Tho-* B *sano.*

HISTORIA

Translationis S. Wandregisili in montem Blandinium, ex Ms. Aimerici Bigotii, collato cum editione Mabillonii, et Officio proprio Blandiniensium Manuscripto.

PRÆFATIUNCULA AUCTORIS.

a C Incipit gloriosus a Deo dispositus adventus in monte, Blandinium rite vocato *a*, Sanctorum b Wandregisili abbatis, Ansberti et Wlfranni *b*, archipræsulum, aliorumque pignerum sanctorum.

ANNOTATA.

a *Blandinii montis descriptionem dabit auctor inferius cap.* 2.

b *Vide, quæ de hac translatione* S. Wlfranni *dicta sunt in Commentario prævio num.* 36; *vel etiam, si placet, Acta Sanctorum Ordinis Benedictini, seculo tertio, parte* I.

CAPUT I.

S. Wandregisili et sociorum ejus merita, ætas, sepultura, incorruptio, elevatio, translationes, miracula.

Dominus noster Jesus Christus, qui ad nos de sinu patris venire, et nos in se dignatus est suscipere, ipse in sanctis et electis suis Wandregisilo et Ansberto atque Wlfranno hodie nos visitare, et nobis in adventu eorum seipsum voluit præsentare. Jure ergo in eis se nobis præsentavit, cum quo illi esse, et per quem semper vivere ambiebant *a*. Jure, inquam, se in eis præsentavit, quia ipsi jugiter ei exstitere regnum, solium, et templum : regnum scilicet, in quo regnavit; solium, in quo sedit; templum, in quo mansit : regnum, quia ipse ait : Regnum Dei intra vos est; solium vero, dicente Scriptura : Anima justi sedes est sapientiæ; templum autem, testante Apostolo, quod corpora Sanctorum templum est Spiritus sancti. Tanta itaque fulti auctoritate, confidenter dicimus, quod Christum in eis hodie suscepimus.

Christus Blandinium invisit in Sanctis suis : a B

2 Suscepto ergo Rege, suscepta quoque cum Rege tam præclara Sanctorum militia, diem tantæ lætitiæ solenniter celebremus, et debito laudum præconio excolamus *. Et quia honor regis est dignum sibi militem laudare, præfatis cœlestis aulæ Militibus ob honorem omnipotentissimi Regis eorum hodiernas laudes exultantibus animis dedicemus. Hi ergo sunt tres columnæ, fidei lucem innitentes Trinitati, et pertingentes usque in altitudinem cœli. Hi Dei Ecclesiam precibus, hi Christianum imperium assiduis sustentant intercessionibus. Hi sunt eximii sacerdotes Dei Wandregisilus et Ansbertus, atque Wlfrannus, ante mundi exordium ad vitam quidem æternam a Deo præordinati, suis autem temporibus mundo cœlitus destinati; quos Deus in sapientia sua providit sibi quidem ad honorem, lucem autem Ecclesiæ ad exaltationem, Christianis autem fidelibus ad utilitatem.

celebrandus est ergo hic dies, et Patroni, *Proprium Blandiniensium extollamus* F

3 Hos igitur Patres angelicos sicut in hac vita sibi Christus in pace ac dilectione univit; ita et in cœlo pariter regnare fecit; et in terra corpora eorum in unum recondi delegit : quos etiam Angelorum concives effecit, et gloriosos in Apostolico senatu illi cœlesti curiæ senatores adscripsit. Quanto autem honori assignetur, cœlestis aulæ senatores effici, Romanæ quondam reipublicæ dignitas manifestat, quæ senatorum, consulum, atque dictatorum gradibus distincta, hoc speciale, et tamquam proprium senatui assignavit fastigium pompæ; ut nihil decretis consulum, nihil ratum foret imperiis dictatorum *b* nisi ejus approbatum sententia et libratum prudentia. Et inde est, quod rumor de victoriosissima Redemptoris nostri resurrectione promulgatus, et ad tribunalia Tiberii cæsaris, Pilato præside referente, delatus, prosperum eo tempore processum

qui tanta pollent auctoritate, b

Ex MS.

sum non haberet; quia auctoritas senatus ab imperatore et vulgo in ejus approbatione præventa est *c*.

in curia cœlesti,

4 Magis autem, ut reor, in Dei sapientia provisum est; ut tantam Regis victoriam potius virtus angelicæ prædicationis, Apostolorum quoque et martyrum pretiosus attestaretur sanguis, quam citius tela aranearum dissolvenda terrenæ argumentationis prudentia. Hæc de pompa mundanæ gloriæ paucis perstrinximus, ut ex hoc detur intelligi (si tamen terrena cœlestibus, caduca mansuris, et momentanea licet componere æternis) quam gloriosum sit Sanctis, quos hodierno die patronos suscepimus, in cœlesti senatu principari, et cum Rege regum causas mortalium tam precibus, quam consilio moderari: ait enim Psalmista, quod Deus glorificetur in consilio Sanctorum *d*.

ad quam hinc migraverunt annis Christi 665, 695, 696; sepulti apud Fontanellam:

5 Ad hanc ergo tantæ felicitatis gloriam, commendata terræ aromatica corporis gleba, felici transitu, beatissime pater Wandregisile, scandere meruisti, peractis cum gloria XIX lustris, anno videlicet Verbi humanati sexcentesimo sexagesimo quinto; sanctus vero Ansbertus anno ejusdem Verbi incarnati sexcentesimo nonagesimo quinto; et inclytus Wlfrannus sexcentesimo nonagesimo sexto *e* eamdem perenniter possessuri gloriam petierunt, ubi Christus pontifex pontificum regnat, et eos pontificali diademate coronat. Locum autem funereæ quietis apud Fontanellam in ecclesia sancti Pauli Apostoli in unum sortiti sunt; ubi beato Wandregisilo, post mortem hoc ad honorem gratia Dei providit, ut illo domum sepulcri sortiretur, ubi præfati archipræsules Christi ad dexteram ejus, et lævam condendi erant *f*. Nec immerito corporeo quoque funere honoratus est ab eis, cujus doctrina et exemplis adepti sunt culmen regni cœlestis.

ubi claruerunt miraculis:

6 Cœperunt autem ad sepulcra eorum signa miraculorum radiare, angelorum et hominum frequentia crebrescere; Christum, cui in carne viventes adhæserunt, defuncti quoque omnipotentem declaraverunt. Quanti essent Altissimo, claritate prodigiorum et terræ innotuit et cœlo. Sed quia de incorruptione membrorum non minima divinæ laudis materies latebat in tumulis (sicut enim Agnum Dei sequuntur immaculati, sic in sepulcris servabantur incorrupti) placuit Altissimo et hoc mortalium revelare charitati. De qua scilicet revelatione, quid digne expediam, domini et fratres mei? Aperiam tamen os in laudem Dei. Nam gloria, quæ ibi in Sanctis claruit, hodiernæ festivitatis gaudio alludit. Quod enim tunc ibi glorificatum est, hic hodie nobis donatum est; et cum idipsum et ibi glorificatum, et hic hodie sit susceptum, dicamus, qualis illa fuerit glorificatio, ut cunctis pateat, quæ et qualis ista sit susceptio.

ut patuit etiam in prima eorum elevatione,

7 Hæc igitur, de qua loqui incipimus, sacratissima revelatio facta est undecimo *g* Kalendas Aprilis, translatis eorumdem Christi Sacerdotum corporibus a memorata ecclesia sancti Pauli Apostoli in basilicam sancti Petri a sancto Baino Taruennensis sedis præsule et Fontanellensis cœnobii rectore. Cui translationi solenniter celebrandæ occurrit pari affectu omnis clerus, omne vulgus, omnis quoque sexus et ætas. Cumque ad exsequias cœlestes tota animi et corporis devotione sese sanctus ingereret episcopus, præmissis, cum thymiamateriis atque lampadibus, comministris, ad memoriam Sanctorum cum laudibus accedunt et hymnis.

quando corpora reperta incorrupta et odorifera,

8 Cunctis adstantibus et in cœlum spe et animo erectis, sacrosancti aperiuntur tumuli. Et, ecce, venerandus pater Wandregisilus; ecce, venerandi præsules Christi Ansbertus atque Wlfrannus, cœlo noti et terræ cogniti in sua gloria, gloriam Dei revelantes cum integerrima carnis suæ substantia, cum incorrupta sacerdotalium infularum materia mortalium obtutibus sese offerunt intuendos. Ecce, inquam, dignissimi angelorum Concives in repositoriis suis, somno soporatis simillimi, tam mirabili suæ incorruptionis prodigio, quanta eorum spiritibus maneat in cœlestibus gloria, ostendentes, tales, natura stupente, sunt reperti, quales olim in sepulcris fuere reconditi. Quid dicam de emanantia inæstimabilis fragrantiæ, suavitatis mirificæ? Sentires odorem, tamquam ex balsamo, et aromatibus fluentem; nam conspicuum erat angelorum adesse frequentiam. O beati oculi, quibus illud spectaculum angelicum videre! o sacræ nares, quibus illud delectamentum cœleste datum est sentire!

translata sunt ex ecclesia S. Pauli ad S. Petri,

9 Ergo omnibus ob tale spectaculum gaudio attonitis, cunctis quoque tam in ecclesiam, quam in atrio ecclesiæ divini nectaris odoramento refectis, quid ibi piarum lacrymarum fusum, quid sancti timoris et piæ exultationis a sancto Spiritu sit suscitatum, quis digne enarrabit? Pontifex autem et cœlestium exsequiarum ministri divino, quod agebatur, Officio conjubilantes, sacra busta, divinarum medelarum plena, piis ulnis levantes, cum magno psallentium choro ab ecclesia S. Pauli in basilicam, ut dictum est, transtulere S. Petri. Quibus in absidam ejusdem basilicæ ad Orientem altaris reconditis, omnis populus dans laudem Deo in altissimis, in sua reversus est, muneribus ditatus divinis. Sic ergo reconditis apud S. Petrum cum incorruptionis gloria pretiosis Sanctorum artubus, quot adhinc annorum curriculis in hoc tam admirabili permanserint prodigio, cum soli omnium inspiratori Deo, tum etiam Sanctis custodientibus eos notum et compertum creditur angelis. Quibus ad honorem Dei hoc digne attolendum commendamus: quia naturæ eorum competit quidquid incorruptioni subjacet, limpidius penetrare.

inde porro Bononiam sæculo nono;

10 Hic nobis, carissimi, hodiernæ festivitatis jubilo sermocinantibus, sermonis ipsius ordo lacrymas in nobis suscitare, et hodierna nititur gaudia perturbare; nam gens barbara circa littus Oceani maris ea tempestate debacchando, magno flumini Sequanæ vicinis multum erat infesta. Unde contigit tumulos Sanctorum proprio despoliari honore, ut in territorio Bononiensi ab hujusmodi declinaretur infestatione. Ergo hujus diei gratia quæque transeamus tristia, quæque adversa; quæ non nobis adversa, sed cuncta genuere læta et prospera. Bononiam igitur ventum est, ut prædictum est. Agebat tunc in sceptris Carolus Calvus, filius Ludovici Pii, annum decimum septimum *h*.

11 Ibi quoque divinitus est revelatum, quanta in

A in conspectu Dei præemineant virtute ; cum circa exanimes exuvias tanta vivens episcopus evangelizaverit potentia *i*. Et ut aliqua divinorum operum magnalia perstringam, ibi, ut sic dicam, catervatim, cæci visum, surdi auditum, muti linguæ officium, claudi gressum, contracti erectionem, paralytici soliditatem, et fluxum sanguinis patientes concitam manantium venarum obturationem, omnes diversis languoribus detenti ex ossibus mortuis cœlestem atque vitalem hausere medelam. Quid de expulsione dæmonum clamabo ? Quicumque amentiam aut phrenesim passi adducebantur, quicumque immundo spiritu vexati, atque legione dæmonum obsessi attrahebantur (laus et honor tibi, Christe!) absque mora imperium sentiebant divinum. Interdum quoque solo linteorum aut palliorum attactu curati sunt. Ergo eruditus animus ex his medelis corporum et exterioribus perpendat miraculis, quam profluis hi Sancti languentibus animabus obvient beneficiis : vere enim meritis eorum turbæ dæmonum a cordibus fidelium fugantur, pestes vitiorum pelluntur, mors peccatorum perimitur, B et vita animarum per Christum suscitatur.

ubi plurima facta sunt miracula cujusvis generis.

ANNOTATA.

a *Hic prologum abrumpit Mabillonius usque ad numerum* 5.

b *Imo vero stante republica, dictatorum imperia ac decreta nequaquam ad senatum referri debebant : dictatoris enim* summum erat liberumque imperium, sub quo mox ceteri magistratus cessabant, exceptis tribunis, *inquit, Polybius Historiarum lib.* 3.

c *Adi de hac re Eusebium in Historia ecclesiastica lib.* 2, *cap.* 2.

d *Sequentia sunt etiam apud Mabillonium qui, ut dictum supra ad litteram* a, *præcedentia omisit.*

e *De his omnibus consule Commentarium nostrum prævium* § 4.

f *Nempe post primam translationem ab ecclesia* C *S. Pauli ad basilicam S. Petri ; ut in Commentario prævio dictum est a num.* 32.

g *Imo* secundo Kalendas Aprilis, *ut habet Mabillonius, seu* pridie Kalendas Aprilis *ut est in Officio proprio Blandiniensi. Itaque Amanuensis error est, qui II, id est, secundo, putavit esse* 11, *id est, undecimo; forte quod secundo Kalendas rarius dici solet, quam pridie Kalendas.*

h *Vide Miracula supra num.* 10.

i *Mabillonius legit* : Cum circa exanimes exuvias tanta vivens spem evigilaverit potentia : *In Officio Blandiniensi* : Cum circa exanimes eorumdem exuvias tanta viventis et immortalis Spiritus enituerit potentia, virtusque divina. *Certe quid sibi velit* episcopus *in apographo nostro, non capio equidem.*

EX MS.

CAPUT II.

Translatio eorumdem Sanctorum tentata in montem Blandinium ; hujus loci descriptio, fundatio, abbates.

Et quoniam ductu sermonis ad hoc jam pervenimus, ut gloriosus eorum adventus fidelium insonet auribus, operæ pretium censuimus aliqua de loco prælibare, quem eorum patrocinio et sacrosanctis meritis Christus Dominus noster elegit nobilitare. De quo loco dicturi fraterna pace et Christiana fide hoc narrare aggredimur, quod posteritati suæ patrum auctoritas, et fidelis commendat vetustas.

Auctor dicturus de alia eorumdem translatione ad montem Blandinium,

13 In pago igitur Gandavo mons surgit aureus, et cunctis in edito positus, claro nomine Blandinium nuncupatur : cujus quidem longitudinis tractus a plaga septemtrionali in meridianam ; latitudinis vero a plaga orientali in occidentalem porrigitur. Et hinc quidem a climate orientali fluvius, Scaldis nomine ; illinc vero ab occidentali alius, Legia dictus, flexuoso mæandro nobilem manationis suæ dirigunt cursum. De quo plura in laudem Dei dicturi, ob merita Sanctorum ibi in cubilibus suis exultantium illud libet Davidicum conclamare : Mons Dei, mons uber ; mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo ; etenim Dominus habitavit in finem. In cujus superno vertice locus magno fulget decore, quem sermone aggredimur. E

orditur a descriptione hujus loci,

14 Hunc ergo locum dilectus Deo et hominibus præsul eximius olim adiens Amandus *a* tempore quo gloriosus rex Dagobertus honeste agebat in sceptris, cœnobium ibi construxit in montis vertice : ubi vetustissimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more gentilium a stulto rusticorum populo Mercurius colebatur. Contrivit ergo idolum, subvertit aram, succidit lucos, atque, ut prælibavimus, ubi fanum destruxit, ibi cœnobium F construxit, cui Blandinium vocabulum indidit, ob quod blanditiis ferocis populi animum delinivit. Cœptum est autem hoc opus ab anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo decimo, sub die Kalendarum Octobrium, Indictione prima, qui erat annus, pontificante Sedem Romanæ Ecclesiæ beatissimo Papa Martino, Aycharii autem episcopi Noviomensis anno septimo *b*. Quod perfectum dedicavit in honorem beati Petri Apostolorum principis primo Kalendarum Maiarum die, insertis ibidem reliquiis ejusdem principis Apostolorum, doctorisque gentium Pauli, sanctorumque Apostolorum Philippi et Jacobi, aliorumque Sanctorum pigneribus, quæ a Martino Papa impetraverat : in quo, et monachorum congregavit catervam, quibus et præfecit abbatem, nomine Florbertum *c*, virtutum ornamentis floridum, tum totius religionis honestate præclarum *d*.

olim a S. Amando decorati cœnobio S. Petri,

15 Et certum tenemus, hoc primum esse omnium cœnobiorum ab eodem sancto patre nostro

Amando

Ex MS. e quod inter alia ab eo condita creditur primum fuisse, Amando ubi ubi fundatorum *e*. Sed, ne quis forte spiritu erroris seductus sermonem nostrum a vero æstimet deviare, sciat, nos orthodoxorum, jamque in cœlis regnantium cum Christo, inniti testimoniis patrum ; quibus derogare nulli fas est Christianorum ; quæ etiam nunc opportune et competenter hic possent inseri, nisi sermo ab ordine suo vitaret deduci. Respondent quoque his magna auctoritate roborata prisca et moderna Romanorum testamenta Pontificum, et Christianorum decreta Augustorum *f*.

f diversum a cœnobio S. Bavonis, quod idem Gandavi condidit. 16 Deo etiam annuente, clericorum monasterium in eodem pago Gandavo constructum est a beato Amando *g* : ubi die noctuque laus a fidelibus decantatur, sub ejusdem sanctissimi patris et abbatis Florberti regimonio. Quo audito, Arnolphus Bavo, præclarus confessor Domini mox futurus, plenissima devotione ante oratorium Domini se prosternens, comam capitis sui abscidi deprecatus est, adeptusque venerandi pontificis manibus clericatus honorem, meruit fieri consors Apostolorum. Sed nunc cœpti sermonis ordinem prosequamur.

B

Utrique præfuit Florbertus, 17 Beatus igitur Amandus, omnibus rite ordinatis, alibi divino flagrans amore migraturus, famulum Domini, virum strenuissimum Florberbertum, ut superius dictum est, monachorum gregi pastorem præfecit atque abbatem. Qui strenue sancti propositi normam incedens, quod subditos verbo docuit, ipse prior exemplo monstravit. Rexit autem idem hoc cœnobium sub beato Amando annis viginti, qui sexcentesimo quadragesimo secundo anno Dominicæ Incarnationis, primo Kalendarum Novembrium die, humanis rebus exemptus, ad superos, ut credimus, est evectus, atque in eodem monasterio tumulatus, attestante etiam marmoris titulo, sculpto litteris tam Græcis quam Latinis hoc modo : HIC EST LOCUS, UBI REQUIESCIT CORPUS FLORBERTI ABBATIS, DISCIPULI ET ORDINATI AMANDI EPISCOPI, CUJUS DEPOSITIO CELEBRATUR KALENDIS NOVEMBRIS *h*.

h cui succedunt alii, i 18 Successit autem ei in regimine vir venerabilis abba Johannes *i*, a beato Amando subrogatus. Qui cum juxta nominis sui significationem divina gratia plenus esset, utpote quem Dominus pastorem gregis proprii elegit, omnibus tam notus, quam carus fuit ; ita ut vulgi ore locus ipse longe per succedentia tempora Johannis monasterium appellaretur. Quo etiam inter intelligibilia *k* deposito , ex discipulis ejusdem patris Baudemundus *l* vocabulo successit. Sicque succedentibus sibi rectoribus *m*, ad tempus, quo usque inter Carolum et Ragenfridum perduellium exortum est *n*, admodum honeste Domino inibi militatum est.

C

atque alii, 19 Qua tempestate tum vices Christi in sacro regimine Cœlestiuus abba ageret, falsa invidorum delatione apud præfatum principem innocenter laceratus, quasi qui partibus Regenfridi favisset, ab eodem et ipse exilio injuria est deportatus, et grex Domini est dispersus *o*. Qui peregrinus obiit, et in monasterio beati Petri, quod Rodnacæ situm est *p*, sepultus quievit. Carolo autem Magno imperante, salus mundum respexit, quæ et hunc locum visitavit. Tetigit enim Dominus cor ejusdem principis, et gratuita pietate inspiravit, ut viro Dei Agenardo *q*, qui ea tempestate insignis est habitus, idem cœnobium traderet regendum a quo mox illustrium clericorum multitudo adunata, sub umbra alarum Apostolicæ protectionis, hic divino munere est collecta. Quorum, sibique succedentium industria idem locus decentissime veneratus, claro sanctæ religionis vigore ubique gentium exstitit floridus.

D

20 Surrexit illis diebus in regno ex fortissima heroum prosapia Balduinus, ob invincibile animi robur et fortia insignia gestorum cognomento Ferreus *r*. Qui accepta Judith, filia Caroli Calvi, universum regnum inter mare Gallicorum et præfatum Scaldem fluvium cum ea, divina gratia, sortitus est : unde et locus, de quo sermo est, ejus quoque ditioni adjunctus est. Quem eodem tempore venerabilis abba, nomine Rotbertus, ecclesiasticis studiis vitæque honestate omnibus notus, divina dispensatione regendum suscepit. *quos inter Rotbertus, qui reliquias invenit S. Amalbergæ virginis.* Cujus laudabilis vitæ merito magnum præbet testimonium, quod piis lacrymis coram Domino fusis, et jugi cordis contritione et carnis maceratione a Domino Jesu Christo obtinere meruit, ut sacratissimum corpus sponsæ et virginis Christi Amalbergæ, cunctis mortalibus diu absconditum, mira sibi revelatione et primitus ostensum, et cœlitus fuerit donatum. Cujus revelationis et adventus tempore tanta meritis ipsius effulsit magnitudo prodigiorum, tanta et animarum et corporum enituit gratia remediorum, ut vix ab ullo mortalium, aut numero comprehendi, aut verbis potuerint enarrari. Nec ulli fidelium incredibile videatur, Christum, ejusdem virginis sponsum, hæc pro ea operatum in terris, quam coram patre suo angelis et ejus pudicitiæ et martyrii coronis glorificat in cœlis. Facta est autem ejusdem corporis translatio sacræ virginis anno Verbi incarnati octingentesimo septuagesimo, Indictione tertia *s*.

E

21 Ut autem ad ordinem redeamus, Judith, inclyta Caroli imperatoris proles, Balduino peperit filium ei æquivocum *t* : cui Eltrudis *, filia regis Anglorum *u* magnum genuit Arnulphum. Hic igitur a sancto Arnulpho, avo *v* scilicet sanctissimi patris Wandregisili, et nomen traxit, et genus a sanguine Romanorum, qui et olim Troianorum *x* ; ornatum quoque virtutum titulis, et æternæ et temporalis vitæ decus. *Translatio reliquiarum in montem Blandinium curante Arnulpho Comite, tentata* ** Mabillonius Elstrudis* Hic igitur ille est Arnulphus, qui beatissimum sacerdotem Domini Wandregisilum, et clarum archipræsulem Ansbertum, hodierna attestante solennitate, huc transtulit : mirabiliter enim et gloriose sanctissimo patri Wandregisilo divinitus provisum est, ut ex ejus stirpe is surgeret, qui ejus se obsequio totum devoveret, locumque, in quo transferendus erat melius ordinaret.

F

22 Tractante autem ea, et consilium super hoc placito a Domino quærente, non est fraudatus a desiderio suo. *et S. Gerardo abbate,* Ecce enim huic aptus negotio inventus est vir vitæ laudabilis, sanctitate clarus et genere, Gerardus *y*, nomine, qui monachus proposito, abbas autem exstitit officio, et apostolicus merito. Huic inclytus Marchisus *z* de ejusdem monasterii ordinatione, et pristinæ monasticæ conversationis restauratione, conceptum in anima sua de Spiritu sancto aperiens desiderium,

consilium

A consilium prudenter utile, atque utiliter prudens adinvenit a quo etiam perductus anno humanati Verbi nongentesimo quadragesimo primo hanc aulam apostolicam, devota monachorum cohorte comitante, ingressus est. Ubi eliminato imprimis clericorum grege, Dominici scholam servitii, a beato olim Amando constitutam, restituit; et normam monasticæ regulæ, ut doctus a Domino, sapienter intendens, curavit, Quamplures vero tanti exemplo magistri excitati, cœperunt voto monasticæ disciplinæ hic confluere, cervicem cordis edomare, jugum Domini suave suscipere. Et contigit in brevi, ut hoc Dominici ovilis cœnobium numero et merito dilatatum, nobilissimis per omnia non ignobilius probaretur cœnobiis.

qui monasticam disciplinam ibidem instauraverat.

23 Nec dubium ulli, beatum scilicet Wandregisilum et socios ejus piis hoc a Domino precibus obtinuisse, ut idonei præmitterentur sanctæ religionis ministri, a quibus in adventu eorum religiose occurreretur, a quibus etiam digne susciperentur, dignissime tractarentur: si enim usui B est mortalibus viantibus diversorii obtentu comites præmittere, hospitium aptum præoccupare, ut venientibus cum gaudio occurratur, ut læta susceptione delectentur; quanto magis tam præclaros superni palatii Aulicos ab omnipotentissimo Rege et Domino hoc credimus impetrasse, ut honorandus cum filiis præmitteretur pater Gerardus, quorum conversatione in adventu eorum locus inveniretur sanctificatus, et habitatione eorum aptissimus?

ANNOTATA.

a *De S. Amando fuse actum est* VI *Februarii; de Blandiniensi monasterio, quod erexit, vide istic Commentarium prævium* § 5.

b *Quot hic asserta, totidem errata sunt chronologia: Dagobertus enim regnare primum in Austrasia cœpit anno Christi* 622: *annus ergo regni ejus decimus quartus respondet anno Christi* 635 *partim, partim sequenti; sed neque Indictio prima congruit* C *anno Christi* 610. *Romanam sedem ascendit Martinus PP. I anno Christi* 649; *Aicharius autem Noviomensi ecclesiæ præfectus est* 621, *ut ex aliis probat Cointius ad annum illum, num.* 2; *obiit vero anno* 639. *Adi ergo de his potius Commentarium prævium assignatum ad Acta S. Amandi. Mabillonio in Annalibus Benedictinis primordia cœnobii Blandiniensis non ante annum Christi* 631 *consignanda videntur.*

c *Mabillonius hic cum Sandero notat præfuisse Florbertum ab anno Christi* 618 *usque ad* 639, *vel* 642; *nescio, an satis memor eorum, quæ annotaverat seculo secundo ad Vitam S. Bavonis pag.* 399, *ubi sic habet:* Florbertus utrique monasterio Gandavensi ab anno DCXL ad DCLX præfuisse videtur: *hoc certe cum hujus cœnobii exordio cohæret melius, uti et cum Annalibus ejusdem auctoris; quando ad annum Christi* 656, *num.* 52 *locato S. Livini martyrio, subdit:* Livino haud diu supervixit Florbertus abbas monasteriorum Blandiniensis et Gandensis, seu S. Bavonis. *Verum hæc discutienda erunt alibi juxta mutatam, post edita S. Amandi Acta, Henschenii in epocha Dagobertina sententiam.* D

d *Itaque pro Sancto colitur, ut probat citatus Mabillonius in Vitam sancti Bavonis ex Martyrologio Benedictino et Gallicano, Kalendis Novembris; quod et infra asserit auctor noster num.* 17. *Apud Blandinienses tamen in Officiis propriis Mss. ejus depositio celebranda notatur ritu duplicis majoris cum Octava, die* III *Novembris. Binas ejus translationes memorat Sanderus Gandavensium rerum lib.* 4: *alteram factam pridie Kalend. Octobris pag.* 301; *alteram posterius Kalend.* XIII *Maii anno* 1049 *pag.* 305: *quarum postremam eo die quotannis celebrant Blandinienses, ut patet ex eorum Officiis propriis.*

e *Priora tamen alia censentur in laudato Commentario prævio ad Acta S. Amandi* § 9.

f *Edidit ea Sanderus Rerum Gandavensium lib.* 4 *a pag.* 247; *diplomata item varia Miræus, quæ assignantur in indice ad calcem tomi secundi operum ejus diplomaticorum editionis, ut præfertur, Lovaniensis anni* 1723; *sed ea ut plurimum conferunt ad celeberrimi hujus cœnobii venerandam antiquitatem splendoremque commendandum; ita ad id, quod hic auctor affirmat, facere omnino nihil videntur.* E

g *Quod deinde monasterium S. Bavonis dici cœpit, de quo plura lege apud Sanderum citatum lib.* 4, *a cap.* 3. *Ejus erectionem, ac mutationes varias breviter habet Miræus in Fastis Belgicis ad diem* I *Octobris, quo colitur S. Bavo.*

h *Nota in hoc epitaphio nullum obitus annum exprimi, quem perperam sane notat hic scriptor fuisse Christi* 642, *ut liquet ex dictis: cum annis viginti sedisse dicatur tam in necrologio abbatum Blandiniensium apud Sanderum, quam in hac ipsa historia. Multo vero magis aberrat Chronicum Sigeberti juxta codicem Lipsianum a Miræo editum, quod non pauci deinde secuti sunt, dum obiisse statuit S. Florbertum anno Christi* 639.

i *De hoc Joanne, S. Florberti successore, dictum est in adducto jam sæpius Commentario prævio ad Acta S. Amandi* § 13; *at multo uberius apud Sanderum a pag.* 278; *cujus tamen chronologia non minus hic, quam in præcedentibus exerrat.*

k *Id est, inter animas corpore per mortem exutas.* F

l *Qui et S. Amandi testamentum et Vitam scripsit, ut in ejus Commentario prævio narratum est* § 15 *et* 18.

m *Nempe Ferreco et Hatta, qui inter Baudemundum et Cœlestinum intercesserunt.*

n *De bello Carolum inter, cognomento Martellum, et Ragenfridum, qui major-domus erat sub rege Chilperico, circa annum Christi* 715, *legi possunt continuatores Fredegarii Parisiis anno* 1699 *editi una cum operibus S. Gregorii episcopi Turonensis, a cap.* 105.

o *Eadem narrat Sanderus, ubi de Cœlestino pag.* 250.

p Rodnaca, *sive* Rothnacum, *et* Rotornacum, *vulgo* Ronsen, *Gallice* Renay *et* Ernay, *oppidum est in veteri Brabanto diœceseos Mechliniensis haud procul Aldenarda et Gerardimontio, ubi monasterium condidit in honorem SS. Apostolorum Petri et Pauli S. Amandus, ut in ejus Commentario prævio dictum est* § 6. *Locum hunc pluribus describit*

EX MS.

scribit Cornelius Gestelius in Historia sua sacra et profana archiepiscopatus Mechliniensis tom. 2 *a pag.* 235.

q *Aliis* Ainardus, *et* Eginhardus, *etc., qui Acta scripsit Caroli Magni, quæ dedimus die* XXVIII *Januarii, qua occasione de illo actum est in Commentario prævio ibidem. Adi Sanderum pag.* 292.

r *Qui primus fuit Flandriæ comes post reconciliationem cum socero suo Carolo Calvo, cujus filiam, volentem illam quidem, sed inscio patre, sibi sponsam abduxerat.*

s *De hac translatione S. Amalbergæ virginis actum est ad diem decimam Julii.*

t *Scilicet Balduinum II, cognomento* calvum.

u *Nempe Elfredi.*

v *Supponit auctor, Waltchisum* S. Wandregisili *patrem, fuisse filium S. Arnulfi Metensis; quod supra explosimus in Commentario prævio.*

x *Vide quæ de hac fabula diximus ad Acta S. Arnulfi episcopi Metensis die* XVIII *Julii. Ceterum recte hic Arnulfus, Flandriæ comes, genus traxisse dicitur a S. Arnulfo Metensi: cum ejus avia fuerit*
B
filia Caroli Calvi, qui certissime ex S. Arnulfi progenie fuit.

y *De hoc S. Gerardo agemus* III *Octobris. Videri interim de illo potest Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini seculo* 5, *a pag.* 248.

z *Sic eumdem Arnulfum Flandriæ comitem appellat.*

CAPUT III.

Cœlestis revelatio de translatione facienda ad Blandinium; calumnia de sublato corpore S. Wlmari; quot et quæ reliquiæ una cum S. Wandregisili et sociorum ejus corporibus translatæ sint.

C
Bononienses translationi obsistunt

Jamque tempus aderat transferendorum huc corporum Sanctorum, sicut dispositum erat in consilio eorumdem Sanctorum: ad quod negotium cum sese ut fidelem ministrum divino spiritu excitatus magnus aptaret Arnulphus, assumpto secum eodem venerando abbate cum magno Christi sacerdotum, monachorum atque clericorum collegio cum instructa quoque fide et spe Christianorum exercituum legione, ad urbem usque properat Bononiensem. Ubi sese cum omnibus humili præsentans devotione Sanctis, quorum illo gratia advenerat, pavimentum solo stratus lacrymis rigabat, quibus se desiderii sui compotem fieri a Domino expostulabat. Vocatus quoque
a adest civitatis episcopus, nomine Wicfredus *a* cum splendido apparatu, et nitidis ecclesiæ officiis. Qui cum in exsequendo nutui divino, et Domino digni Marchisi, decreto, licet invitus, et mentem gravi doloris vulnere saucius, ingereret, ecce, adsunt cum vulgo innumerabili primores loci, zelo insipientiæ armati. Et, mota seditione, dispositioni divinæ moliebantur resistere: cujus seditionis auctor existitit Stephanus Capicelius *. *D*

** Mabillonius Capicerius*

qui tamen mox revelatione quadam placantur:

25 At Christus, pax vera, hoc opus pacis pacifice disponens consummare, surgentis scandali incendium hujusmodi compressit miraculo. Intererat conventui illi reverenda quædam matrona, nomine Torulla, quæ, velut altera Anna, die vel nocte non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens Domino; cui mira divina revelatione ostensum est, qualiter loculi, quibus pretiosa Sanctorum continebantur busta, relictis in quibus tenebantur, sedibus, quasi super alas ventorum per inane levati, abbatis et monachorum insiderent ulnis. Quod cum circumstantibus clara ederet voce, adjecit: Sciatis per hoc, fratres mei, voluntatis esse Altissimi, ut migrent hinc hi sanctissimi Viri. Unde Christiana vos fide suadeo, ut favor vester divino respondeat favori nec tam deifico operi aliqua per vos oriatur occasio scandali. Ad hanc vocem, sicut sudus aer nubem solvit et fumum turbo dispergit; sic placita pax iræ flammas exstinxit, et grata quies horrorem litis perturbavit *.

** Mabillonius proturbavit*

at rursus per calumniam insurgunt,

26 Coluber autem antiquus, victricis pacis telo perfossus, toxicatum rursus discordiæ spiculum instaurat; ipse mox proprio mucrone feriendus. Ecce enim, in nostrates gravis suspicio oritur, gravior seditio suscitatur, dicentes, corpus egregii confessoris Wlmari atque abbatis *b* a nobis esse sublatum, Cujus rei materiem excitabant duo clerici, quorum alter dicebatur Notgerus, alter Helgerus; unus eorum sancti Wlmari præpositus, alterque æditus. Ubi vehementer motus in eos episcopus, sacrilegii eos cœpit arguere, et ignominioso crimine denotare. Gloriosus vero abbas cum hanc nec satisfactione, nec contradictione calumniam valeret delere, ad hoc res perducta est, ut sigillo rupto et loculo fracto, oculata id fide niterentur explorare. *b*

quam brevi veritas ipsa depellit.

27 Videns autem abbas, eos sibi nullo modo acquiescere, neque cœptam pertinaciam deponere, id pro omine imminentis sibi lætitiæ præsagus accepit. Unde et cunctis coram adstantibus dixit: Vere scio, beate Wandregisile, hic tuam vigilare virtutem, pro consociandis tibi collegæ tui Wlmari sacris artubus, famulis tui laborem istum impendere. Quod et factum est. Aperto *F* ergo sacrosancto loculo corporis sancti Wlmari bina membrorum pii confessoris occulto divino beneficio promuerit, et unum episcopali benedictione, gratias agens Domino suscepit. Et satis forsan congrue, ut quod desuper datum est, daretur duplum, quod vero deorsum, subduplum *c*. His ergo reliquiis gratanter susceptis, et junctis præfatorum Christi Sacerdotum sacris exuviis feliciter transiit in effectum, quod præsago abbatis sermone est prædictum. Quid frustra niteris invidia diaboli? Ecce, unde deturbandum sperabas consilium et opus divinum, inde felicius prodit in ruinam tui. Sit illi gloria, qui technas fraudium, quas in electos suos machinaris, per cuncta secula in materiem sui transfert honoris.

Transferuntur ergo jam dicta corpora

28 Igitur litigantibus (quia filii pacis iuterant) in concordiam reductis, monachi, præveniente abbate, ad sancta Sanctorum accedunt et læti, juxta revelationem divinitus ostensam, in ulnis suscipiunt. Et ecce, gaudia coronantur gaudiis:

A diis : cum præfatis Sanctis, sanctæ Trinitati ternario numero junctis, innumerus Sanctorum accrescit exercitus, cum eis ad indignos servulos venire paratus. Ut autem clarius in sole prodeat quod dicimus, placuit imprimis Domino altissimo, dein Sanctis, quos hodie veneramur, ut ipsi non soli, sed cum multitudine Sanctorum locum inviserent, ubi supplices suos piis foverent patrociniis, et fidelibus largis occurrerent beneficiis. De reliquiis supradictorum Sanctorum Wandregisili, Ansberti, atque Wlfranni hæc nobiscum detulimus.

cum aliis reliquiis eorumdem et Christi Domini,

29 De casubula sancti Wandregisili; capellum *d* etiam capitis ejus, unamque ex caligis ejus, subtalares *e*, sportam, partemque illius crociæ *f*, quam alio ligno inseruimus, et auro argentoque decoravimus. Hæc vero sunt quæ de sancti Ansberti habemus reliquiis : tunicam ejus, et partem ipsius casubulæ, marsupium vero et anaphum seu pyxidem, atque cultellos. Ex sancti Wlfranni dalmaticæ pars est apud nos maxima, et cultellus cum vagina. Præterea dignum duximus B patefieri scire volentibus, et alias, quas nobiscum detulimus reliquias. De ligno sanctæ Crucis; de spongia, unde fuit Dominus aceto potatus; de sepulcro Domini coloris albi, atque coloris rubei; de vestimento Domini, et de tunica ejus inconsutili; de ligamento unde fuit ligatus; de loco, ubi crucifixus fuit, coloris varii; de monte Calvario, et de monte Oliveti; de lapide, supra quem stabat Dominus, quando dixit Petro : Tu es Petrus; de manna Domini; de pulvere, in quo Salvator noster pedem posuit, quando de Jordanis alveo in naviculam ascendit; de ligno trans Jordanem plantato; de vase, in quo benedixit Dominus aquam, quam in vinum mutavit; de quinque panibus; de petra, quæ est in Golgotha; de ligno, ubi Zachæus sedit.

ac Deiparæ Virginis, aliorumque

30 De vestimentis sanctæ Mariæ; de terra oritorii *g* sancti Michaelis; de sancto Joanne præcursore Domini, et de spongia ipsius; de pannis Innocentum, aspersis eorum sanguine; de vestimentis eorum. Reliquiæ de sancto Petro, atque de lecto et pallio ipsius. Reliquiæ S. Andreæ Apostoli. Reliquiæ de sepulcro sancti C Joannis Euangelistæ, et de vestimento ejus; de osse sancti Matthæi Apostoli et Euangelistæ. Reliquiæ sancti Simonis Apostoli; de sancto Clemente; de ossibus sancti protomartyris Stephani, et de ejus sanctissimo sanguine, et de uno lapide, cum quo lapidatus fuit. Reliquiæ de sancto Dionysio, et de sancto Eleutherio. Reliquiæ sancti Laurentii martyris; de osse sancti Vincentii diaconi et martyris. Pyxides duæ ex ebore, quas ferunt a sancto Wandregisilo ab urbe Roma delatas; de quibus una retinet partem genu sancti Leonis Papæ *h*, cum balsamo sacrato, et altera, in qua est aliqua pars ossium sanctorum Crispini et Crispiniani, quæ etiam continet aliorum reliquias Sanctorum. Reliquiæ Sanctorum Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii. De sancto Victore.

Sanctorum

31 Reliquiæ sanctorum martyrum Georgii, Saturnini, et Symphoriani. Reliquiæ martyrum Hippolyti, Valeriani, et Proti. Reliquiæ Sanctorum martyrum Christophori, Leodegarii et Solatoris. Reliquiæ sanctorum martyrum Quintini, Marcelli, Danielis, Silvini, Simeonis. Reliquiæ de septem Dormientibus; et sancti Enichiliani *i* pontificis et martyris articulis manuum gaudemus habere nobiscum : quas reliquias Erchengerus comes, et Arnoldus, de Germania Bononiensem civitatem deportaverunt. De sancto Timotheo martyre; de sancto Carouno *k* martyre; de sanctis Lorio, Gemino, et Tadasio senatoribus; de sancto Machabæo, et sancto Marciano; de sancto Marcello, et sancto Maureliano; et sancto Lantberto, Paterno et Desiderio; de casubula sancti Gregorii Papæ, et aliæ de eo reliquiæ, scilicet de cingulo et de cilicio ejus. De membris etiam sanctorum Ermelandi et Eremberti maximam habemus partem. De sanctis confessoribus Martino, Odoeno *, et Verano; de casubula sancti Silvini episcopi; de barba domini Dadonis, qui et Odoeni *; de Villoso *l*, unde tectus est; de linteamine, super quod transivit, et camisia *m* et nastula *n*; de sancto Friciano confessore; de pallio sancti Remigii.

EX MS.

* *Mabillonius* Audoeno

* Audoeni

bene multis.

32 De sanctis confessoribus Germano, Sulpicio, et Samsone; de sanctis confessoribus Mar- E cello, Bertino, et Albino; de sancto Stephano pontifice; de sancto Amatore; de sanctis Fridegerio et Emetorio; de capillis sancti Genardi; de sanctis Gerano et Francoveo; de sanctis Benigno, Maxentio, et Maglione; de sanctis Eligio, Wandone, et Hieronymo. Reliquiæ sanctæ Agathæ virginis; de tunica sanctæ Eugeniæ; de sancta Perpetua; de sanctis Anastasia et Susanna; de capillis sanctæ Radegundis, et aliæ de ea reliquiæ; de sancta Bathilde regina, quæ sancto Wandregisilo multa bona fecit; de sancta Columba; de sancta Margareta; de capillis sanctæ Hildemargæ, ejusque vestibus; de sancta Fide; de sancta Honorina, et de aliis viginti septem Sanctis, quorum reliquiarum breves *o* non potuimus legere. Aliæ quoque reliquiæ nobiscum sunt delatæ, quæ olim in aureis atque argenteis capsis fuerunt inditæ : quarum auri argentique pretio distracto, monachi emerunt ex illis victui necessaria, quando a suo cœnobio paganorum *p* incursu per provincias fuerunt dispersi. His ergo Sanctis, quos etsi incircumcisis labiis nominatim expressimus, ut præcedentia hujus sermonis te- F stantur atque sequentia, hodiernæ diei festivitas honestissime est dedicata. Hinc laus, hinc honor et virtus Domino nostro, decus et imperium Regi nostro per omnia secula seculorum.

ANNOTATA.

a *Quem Sammarthani notant ab anno Christi* 935 *usque ad* 960 *circiter sedem Bononiensem seu Teruanensem obtinuisse.*

b *De quo videri potest* XX *hujus mensis supra.*

c *Tria ergo accepit S. Wlmari ossa : bina* desuper, *seu* occulto divino beneficio; *tertium ab episcopo, seu* deorsum, *id est, humano beneficio : et sic beneficium divinum duplex erat; humanum vero simplex, seu, ut hic dicitur,* subduplum.

d *Id est, pileum, seu galerum.*

e *Calceos.*

f *Baculi*

EX MS.

f *Baculi pastoralis sive abbatialis.*

g *Cangius in appendice Glossarii legi hoc loco jubet* oratorii, *et intelligi oratorium S. Michaelis in monte Gargano.*

h *S. Leonis PP. I: nam secundus* S. Wandregisilo *supervixit.*

i *Mabillonius legit* : Ex sancti enim Kiliani, *et recte, opinor; cum has reliquias dicat auctor de Germania allatas, in qua fuit S. Kilianus martyr episcopus Herbipolensis. Colitur* VIII *Julii.*

k *Mabillonius legit* Caroutio; *sed legendum videtur* Carouno, *de quo actum* XXVIII *Maii.*

l Villosus, *seu* Villosa, *et* Villusus, *accipitur pro panno serico et linteaminibus villosis.*

m Camisia *significat indusium sive interulam; aliquando, etiam indumentum lineum sacerdotis, quam albam dicimus.*

n Nastola, *vel* nastula *et* nastulus *est fibula, qua vestis superne collo adstringitur.*

o *Id est schedas, quibus nomina inscripta erant.*

p *Id est Danorum seu Nortmannorum, quorum infestationibus dispersi dudum fuere monachi Fontanellenses.*

B

CAPUT IV.

Pompa translationis, et varia ex itinere miracula.

Deducente episcopo Taruanensi et clero, Bononia disceditur,

Igitur memoratus piæ memoriæ abbas et comites venerandi, præclaris tantorum Sanctorum ditati patrociniis, et pretiosis exhilarati pigneribus, lætum maturant reditum, lætiorem habituri adventum. Quibus, Christo cum angelis prævio, castra moventibus et migrantibus, hi in magna cordis lætitia, sublatis in cœlum vocibus, Domino gloriam canunt, illi in magna amaritudine flebilibus modis luctum cordis apcriunt; et, ecce, eum episcopo patentibus portis omnis ecclesiæ dignitas, ecce, cum inclyto marchiso tota in honore Sanctorum comitatur civitas; nec deserunt
C Concives suos comitantes angeli, sed præseutem Servis suis regem Christum splendida ambiunt frequentia. Cujus præsentiæ testimonium ad gloriam nominis sui per omnem viam insignia præbuere miracula, e quibus plura prætermittentes, et pauca assumentes, in paradisum ecclesiæ flores spargimus in odorem suavitatis omnibus hujus diei gaudia colentibus.

nec ferentes onere pio gravantur, nisi cum deponunt.

34 Cum enim populorum de cunctis finibus commeantium millia ad Sanctorum confluerent suffragia, et densa per omnes campos sese expliearent examina, tanta impediente multitudine, celerem nequiverant pedibus gressum imperare. Christi autem Militum pretiosa gestantes pignera, cum naturaliter, veluti sarcinis gravati, impeditioris gressus esse debuissent, adeo pii oneris non fatigabantur obsequio, ut eos magis ferri, quam aliquid æstimares ferre. Et cum a senioribus præcedere *, et laborantem juberentur plebem respicere, dixere : Ne turbemini, patres et domini, sed Christum hic in Sanctis operantem admiramini; onera, quæ ferimus, nostros accelerant gressus, quibus onerati nos fatigari D non posse miramur; exonerati vero communi vobiscum labore fatigamur. Quod audientes, divina eos sustentari gratia intellexere. Unde magnalia Dei in Sanctis suis tam mirifica, et beneficia in fidelibus suis admirantes tam proflua, altisona voce dixere : Alleluia. Hæc autem eo acta sunt loco, ubi mons, quem dicunt Woncsberch *a*, radicibus aera petit. Ab hoc ergo loco a pedissequi Sanctorum, qui de vicinis advenerant civitatibus, sanctis eorum se patrociniis commendantes, et intercessionibus devoventes, ad propria magnis fatigati doloribus suut reversi. Rogo, Domine Jesu Christe, gradere mecum, et viam Sanctorum tuorum calamo depingentem dirige.

* *Mabillonius* procedere. *Officium Blandiniensium* tardius procedere

Tempestas oboritur;

35 A præfato igitur loco plebe, ut dictum est, remeante, et sese in sua recipiente, insignis pater Gerardus, sanctique itineris comites in obsequio Sanctorum tanto apparuere devotiores, quanto a remotæ multitudinis strepitu erant remotiores. Ubi cum tam in equis, ad ferenda vivifica Sanctorum busta deputatis, quam in ceteris eommodis diabolus jacturam diversis moliretur E modis, divina protectione, et Sanctorum intercessione, nullo subjacere potuere periculo aut dispendio. Qua in re solitam divinam admirantes clementiam, devota mente ei cecinere gloriam. Sole dein ruente, et consummato diei itinere, in villam, quam dicunt Weretham, diverterunt. Villa autem eadem secus mare sita est. Gratulantibus autem eis, et de inventa hospitalitate, et de proflua vicinorum humanitate, inopino aeris turbine et procellosa pelagi concussione omnis lætitia mœrore absorpta est. Et nisi sublevaret fixa in patrocinio Sanctorum pretiosa fides, totius salutis perturbaretur spes. Mare enim funditus eversum ita se mole fluctuum subrigebat in altum, acsi divino mox imperio terminos proprios egressurum, et superficiem terræ occupaturum.

sed invocato S. Wandregisilo statim sedatur;

36 Quid agerent, nisi in illo, cui canitur, Adjutor in opportunitatibus in tribulatione, spem omnem transferrent? Fusis ergo ad Dominum precibus et lacrymis, cum sacrosancta benignissimi Wandregisili patrocinia fluctuantibus opponerent undis, ecce, sedato aere, omnis ita in se F resedit pontus, acsi valida divina dextra suis imprimeretur finibus. Renovantur hic antiqua ejusdem pii Patris miracula. Jam expressis signorum ejus insignibus, memoriæ occurrit, qualiter primo Geroaldus abbas *b*, secundo autem Grippo *c*, b c præfectus, sævientis pelagi vim perpessi, baratro mortis peue fuerint absorpti, nisi solita clementia pius adesset Wandregisilus, pulsatus eorum et votis, et lacrymis, et precibus. Sic et nobis, mellifluæ dulcedinis Patrone, inter hos mundi turbines peccatorum tempestate naufragantibus, per te cum tabula pietatis occurrat Christus, cujus gratia, aspirante nobis aura Spiritus sancti, portum regni intrare perpetui mereamur.

et diuturni sistuntur imbres.

37 Consideremus adhuc Patronos nostros ita in hujus quoque aeris elemento, sicut et in mari gloriosos. Inundationis flagellum orbem premebat eo tempore universum. Apertæ cataractæ cœli visæ sunt aquis consumere anni subsidium. Et forte placuit Domino hanc diebus illis plagam inducere, ut translatis et deductis per amplos terrarum

A rarum tractus Sanctis, cœli misericordiam eorum distillarent meritis; sicque omnibus revelaretur populis, quantum nobis bonum daretur de excelsis. Quod et factum est: nam et cœli clausi, et hanc jussi sunt legem pati, ut et imbres nimios suspenderent, et aerem jocunditate sereni exhilararent. Sicque contigit, ut, sicut inventus protomartyr Domini Stephanus siccitati remedium fuit *d*; ita beatus Wandregisilus cum sociis præsulum gemmis translatus, Christo eum mirificante, inundationi succurreret. Quod etiam intelligentes agricolæ, Sanctis per omnem viam studuerunt occurrere; et tanta mirabilia confitentes, devote erant Domino gratias agentes.

Dæmonum insidiæ eluduntur in via.

38 Inluxit dies beati Bartholomæi passione festivus *e*: in cujus gloria immolata redemptionis hostia, alveum, quem dicunt Neunam, Sanctorum suorum obsequio transvecti. Et, ecce, gloriosus marchisus ex improviso adest, spiritu turbatus, et vultu mœstissimus. Vagabatur enim spiritus mendacii in ore dicentium: Quia dominus noster Sanctos sedibus suis privavit, ultio B eum jam divina invasit. En, in sedibus, quas Sanctis a se paratas credidit, ipse subsistere non meruit. Hæc vox, vox dæmonum (ut dictum est) videtur fuisse, sentientes enim in Sanctorum glorificatione vires suas conterendas. Nam sicut ad memoriam eorum ab obsessis eum magno rugitu fugabantur corporibus; ita se pellendos præsciebant a fidelium, quas amplius lædere student, animabus; dispositum a Domino adventum eorum aut retardare, aut forte mendaciorum figmentis moliebantur avertere: quas insidias doctus a Domino venerandus intelligens abbas, has ordinata per spiritum sapientiæ eloquentia detexit, atque falsiloquo rumori credulas adhibere aures marchisum prohibuit.

Sanatur infirma apud Ogiam. Alius hostes eludit prope Bergam.

39 Incumbentibus interea tenebris, villam, vocabulo Ogiam *f*, hospitio delegere; ubi intermixta turmis fidelium ad memoriam Sanctorum cum hymnis pernoctantium, quædam infirma, membris omnibus dolori capitis compatientibus, Domino miserante, mox pristinæ sanitati est reddita. Inde ventum est ad castrum, quod dicunt Bergam *g*, cum magno fidelium concursu et oc- C cursu. Et depositis in ecclesia confessoris Christi Winoci debito honore Sanctis, pauper quidam ob insequentem se cum armis hostilem cuneum, ad eorum solida fide confugit patrocinium. Ubi cum in eorum aspectu thura precum incendit, et aurum pretiosæ fidei appendit, mox ejusdem ponderosæ fidei merito, palma ei triumphalis, elusis et retroactis hostibus, arrisit.

Maris accessus coercetur in transitu.

40 Inde quoque post biduum egressi, ad alveum venere, sermone rustico, cognomine Drivlit, quod nos latine trinum fluentum dicere possumus. Cui scilicet alveo, quia ex more mare exæstuans jam inundare cœpit, comes sancti itineris, inclytus scilicet marchisus cum omni exercitu, magno equorum et labore et sudore vix transmeabilem habuit. Venerabilis vero abbas, et fratres obsequio Sanctorum deputati, memores illius Davidici: Hi in equis, et hi in curribus; nos autem in nomine Domini nostri invocabimus; non equis fisi aut curribus, sed sola invocatione nominis Christi, secura alacritate tanto sese commisere periculo. Et viam aggressi lymphaticam, senserunt mare divino nutu miræ dilationis moderamine, suum coercuisse accessum, ut Sanctorum absque difficultate peragerctur transitus, et per hoc in eis glorificaretur Deus. Ecce, quomodo ornat Dominus mundum miraculis Sanctorum. Pro quibus omnibus dicamus cum Psalmista: Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia magna solus. Inter hæc rogo, Domine Jesu Christe, viam, qua gradimur, abbrevia, et adventum Sanctorum tuorum accelera, ut celerius satisfiat desiderio servulorum, post eos in Spiritu sancto suspirantium. EX MS.

Brugas accedentibus occurrit Balduinus cum matre et clero.

41 Igitur ab amne præfato progressis, ecce, Balduinus *h*, magni marchisi proles inclyta; ecce, quoque regia mater ejus, clarissima scilicet Adala *i*, cum omni comitatu et innumeræ plebis multitudine, devota honestate et honesta devotione sese obviam dedere. Apud quos unius tantum noctis spatio Sancti cum suis manentes, et viam diluculo carpentes, in villa, cui nomen Atrecias, hospitio suscipiuntur. Et facto mane, ecce, clerus quamplurimus, ecce, diversæ conditionis populus, duce Leuthone archicapellano, E eum crucibus et lampadibus, cum hymnis quoque occurrit et laudibus. Quorum obsequio sancta Sanctorum inde levata, cum concentu in aures Domini sabaoth reboante, Bruzzias *k* sunt delata, atque celebri honore in basilica sancti Donatiani *l* deposita.

Brugis archidiaconus liberatur febribus;

42 Hic quidam Bernaclius * inter suos nominatissimus, cum febricitante socru Petri a Domino visitatus, ex vivificis Sanctorum morticinis vitam hausit medelæ cœlestis. Qui archidiaconatus functus officio in omni episcopio *m*, cum ardentis febris æstuaret incommodo, ad memoriam Sanctorum pro se rogaturus, ægra vix trahens vestigia, est præsentatus. Ubi cum humi stratus tacitam coram Domino funderet, precem, profluum lacrymarum imbrem et pii cordis contritionem suæ recuperationis certam fecit redemptionem. Unde conjubilans Domino et Sanctis, adstantes Christicolas in vocem suscitat exultationis. F

* Mabillonius Bernadius.

et quidem secundo, cum iis iterum correptus esset.

43 Qui domi reversus, atque ob celebratum in se Dei beneficium, suis gaudium facturus, ejusdem mox febris incommodo, occulto quidem, sed justo Dei est repercussus judicio. Quo languore invalescente, cœlestes per se Medicos, ut optabat, nequibat invisere. In fide tamen se subrigens, a memoria eorum sibi aliquid summopere flagitabat deferri. Deferuntur subtalares sanctissimi patris Wandregisili, et scyphus sancti Ansberti. Subtalares alta reverentia suscepit, osculo et oculis admovit, æstuantibus quoque membris apposuit. Scypho autem aquæ pauxillum libavit. Nec mora, fugata inclementis morbi malitia, in omnibus membris virtutem persensit antidoti cœlestis. Relicto mox doloris lectulo, surgit, ad ecclesiam descendit, pios salutis suæ Auspices adiit, et vota gratiarum devotissime persolvit. Fit celebre miraculum tum ex loci celebritate, tum quoque ex personæ dignitate. En, hic archidiaconus noster, tam merito, quam etiam pretio gloriosæ fidei, mulieri illi euangelicæ, quæ fimbriæ attactu incolumitatem meruit, per omnia æquandus.

44 Ibidem unus diaconorum, hymnis pernox

et

Ex MS. Diacono ibidem ablata cum fœnore restituuntur.

et laudibus in honorem Sanctorum, detestabilis furti fraude, familiaris rei damnum perpessus est. Unde repræsentans se Sanctis, inter flebiles querelas preces fudit et lacrymas. Ergo exauditus est, non solum damno restituto, verum etiam lucro damni indepto. His miraculorum insignibus tota Flandria et maritima regio nobilior reddita est. Ecce, carissimi patres et domini, dum viam sermone levamus, et miraculorum gaudia spargimus, Gandenses fines intramus, et jam aureum montem Blandinii cum gaudio scandimus. Unde gratias agimus tibi, Domine Jesu Christe, quod te duce et comite, viam Electorum tuorum in tua laude peregimus, et ad locum, tua eis promissione præparatum, læti cum eis jam venire meruimus. De quorum adventu diu exspectato, diuque desiderato, nunc autem cœlitus accelerato, quia nos Christus certos reddidit, susceptionis eorum ordinem celebri pompa prosequamur.

B

ANNOTATA.

a *Satis erit, obscurioribus hisce locis prætermissis, si ea notemus, quæ in hoc itinere celebriora occurrerunt; ut viam, quam iustitere sacrorum corporum bajuli, lector intelligat.*

b *Adi superius librum Miraculorum S. Wandregisili num.* 7.

c *De quo item supra in Miraculis num.* 25.

d *Lege hoc apud Surium die* III *Augusti, qua celebratur Inventio S. Stephani.*

e *Nempe* XXV *Augusti.*

f *Vulgo* Oye. *Caletum inter et Gravelingam.*

g Berga S. Winoci *altero circiter lapide Dunekerka distat.*

h *Balduinum III intellige, qui defunctus anno* 961, *patrem reliquit superstitem.*

i Adela *sive* Adelaïs, *filia Heriberti II Veromanduorum comitis, Arnulfo magno nupta anno Christi, ut est in Chronico Frodoardi seu Flodoardi apud Pithœum*, 934.

C

k *Ita* Brugas *appellat auctor, opulentissimum olim Flandriæ emporium, nec a prisca etiamnum ædificiorum majestate commodisque desciscens.*

l *Quæ nunc est ecclesiæ cathedralis.*

m *Tornacensi episcopatui paruerunt Brugæ, antequam episcopum proprium habere cœperunt anno* 1561.

CAPUT V.

Adventus in Blandinium; vernorum in autumno florum stupenda progerminatio; nova Sancto nostro ac sociis ædificata in Blandinio monte ecclesia.

Gandavi reliquiæ excipiuntur perhonorifice, a

Sancti igitur venerando suorum obsequio a castro Bruzziensi devecti, nec prætergresso absque reverentia Dei Genitricis Mariæ monasterio Truncinensi *a*, trans flumen Legiam, plaudentibus dulci modulatione turmis, sunt evecti. D Et, ecce, citeriores ripæ amnis, et omnes plateæ obviam exsilientium excipiuntur agmine Christicolarum. Omnis patria occurrit; quique pagenses honore mortalibus possibili obviam ruunt. Confluit regalis militia et omnis plebs urbana. Horum omnium concentu, vocibus quidem dissono, affectibus autem consono, ad aures Domini sabaoth perveniente, monasterio Principis Apostolorum, de quo diximus, altisona appropinquant modulatione. Et, ecce, prodit quasi de sinu matris religiosus monachorum chorus, ecclesiasticis infulis admodum honeste redimitus, præeunte toto mensis affectu cum gaudio spiritali venerabili Transmaro episcopo *b*, et comitante cum suis glorioso præfato marchiso, super his omnibus singulariter tripudiante, et Domino gratias omnigenas referente. Hac tali et tanta, tam nitida scilicet atque perfulgida fidelium chorea, cum hymnis cœlestibus et organis angelicis, cum thymiamatibus aromaticum vaporem spirantibus, Sancti hinc ambiuntur et inde; his sanctæ Crucis stigmata cum vexillis micantibus, illis cereoferalia, claritatem diei augentia, honorifice gestantibus. E

et locantur in ecclesia S. Petri anno Christi 944.

46 Cum hac ergo speciali honoris prærogativa Sancti in hanc Apostolorum introducti basilicam, in aulam eis scilicet divina ordinatione et præparatione dedicatam, deponuntur juxta virtutiferum paradoxæ virginis Christi Amalbergæ mausoleum, sublata in cœlum voce jocunda, hac dulci modulatione: Sacerdos Dei inclyte Wandregisile, ora pro nobis; ut tuis semper precibus piis protegi mereamur, et quandoque digni apparere aspectui divinæ claritatis. Acta sunt anno incarnati Verbi nongentesimo quadragesimo quarto, Indictione secunda, Marino * Papa vices Apostolicas in Sede Romana agente, Ludovico *c* Francis imperante, Transmaro Noviomensi episcopo præsidente, et domno Gerardo abbate hoc cœnobium regente, tertio Nonarum Septembrium die. O diem celeberrimum et omnimodo laudum præconio dignissime efferendum! O diem festum, nobilioribus anni festis merito connumerandum! In quo Dominus omne regnum per speciales patronos Wandregisilum et Ansbertum * tanta benignitate prospexit; in quo etiam hunc locum ad æternam salvationem digne in eo manentium tam mira clementia visitavit. F

* *Mabillonius* Marino c

* *Mabillonius* atque Wifrannum

Læta auctoris acclamatio. d

47 Lætare ergo, et diem festum age, omne Listrogaugium *d* et universum Gandense patrimonium, sic divina dignatione honoratum! Exulta quoque et lauda, ecclesia Blandiniensis, egregia videlicet mater nostra, et supernæ Jerusalem prædulcis filia! Ecce, adest sponsus caritatis tuæ, transferens in te Filios dilectionis suæ et Patronos miseræ fragilitatis nostræ. Hos tibi hodie consignat, in resurrectione Justorum a te sibi reconsignandos; his quoque te commendat, ut per eos sancta et immaculata ei occurras. Pro his ergo omnibus, omnis ecclesiæ chorus festive jocundus parili psallat contectu mirabilia tua, Domine, dicens: Te benedicat omnis cœtus angelici legio, o Oriens! qui nos visitasti cum Apostolorum senatu et Martyrum exercitu, cum Confessorum collegio, et cum Virginum choro: quorum obtentu tibi, Christe, placeant devotionis nostræ jubila.

48

In Sanctorum adventu terra in flores erupit,

48 Miraculum adhuc referam satis illustre et omnibus seculis sine exemplo prædicabile, quo et Dominus in ipso adventus eorumdem Sanctorum articulo voluit glorificari, et Sancti meruerunt ab ipso mirifice honorari. Autumnalia, ut nostis, sidera tunc exorta, et sol jam in virgine positus, terram, natura auctore, nec flores permisit edere, nec germen aliquod parturire. Et, ecce, totus mons Blandiniensis, mirabile dictu, flores cœpit producere, et hujusmodi honore ob gloriam advenientium Sanctorum sese vestire *e*. Arbores quoque eorumdem florum varietate candescere, viridescere purpurascere quoque cœperunt, et distinctorum varietate colorum merita declarare Sanctorum ; in tantum ut etiam pullulantia fructuum primordia in naturales jam species mirareris formata. Vernalis naturam temporis autummus se suscepisse miratus est.

quod et deinceps eodem anni tempore diu factum est, non sine aliis miraculis ;

49 Et quod multum mirabilius est, eisdem arboribus longis postmodum seculis tamquam legitimum accidit, ut redeunte anni orbita, se eodem florum decore vestirent, et hanc Dei gloriam in testimonium tanti miraculi memoriæ mortalium revocarent. Ipsi enim, qui hæc loquimur, eosdem flores perspeximus, manibus tenuimus, osculis admovimus, honestis quoque personis et amicis longe manentibus ob honorem Dei dereximus ; quosdam etiam eorum tactu et odore ab infirmitatibus suis gratuita Christi bonitate ereptos scimus. Quæ mira Dei magnalia, fidelium relatu ad Orientales perlata ecclesias, cum quidam in ecclesiastica hierarchia pollentium læta perciperet aure, alta hæc perpendens intelligentia infit : O ineffabilem Dei gloriam in tam speciali hujus miraculi prærogativa ! O diem inenarrabilis lætitiæ, merito diei Palmarum consimili officio eo loci recolendum, ubi in adventu Sanctorum tanta divina gloria oculis apparuit mortalium ! Præclare et satis congrue dictum. Qui enim sibi Hierosolymam venienti a pueris Hebræorum cum floribus et palmis occurri voluit, ipse in tam glorioso Sanctorum adventu terram florere imperavit : quatenus hujuscemodi revelaretur prodigio, quod cum angelis coram ipso, sicut lilia, floreant in cœlo.

nec vero etiam immerito, quando ipsi Sancti flores fuerant spirituales ;

50 Merito autem adventum eorum Deus florigero honoravit miraculo : quia ipsi viventes in carne, illorum sese florum decorare studuere, quibus Christi Ecclesia hujusmodi blanditur eloquio : Florete, flores, quasi lilium, date odorem. Quorum rursus capta amœnitate, filiis, quos Christo sponso genuit, lætabunda ait : Fulcite me floribus, stipate me malis ; quia amore langueo. Hi ergo sunt flores, qui numquam marcescunt, numquam a suavitate sui deficiunt, quorum odore convalescunt infirmi ; reviviscunt mortui. Hos igitur flores cum Sancti, quorum florigero gaudemus adventu, ex plenitudine agri, cui benedixit Dominus, sibi deflorarent ; Flos cunctis præeminens floribus se eis obtulit, qui et de virga Aaron processit, et de radice Jesse descendit ; qui etiam in Canticis suis de seipso ait : Ego flos campi et lilium convallium. Quem mox exemplo illius, qui thesaurum in agro, venditis omnibus, emit calcatis et spretis omnibus, mundi deliciis, tota sibi aviditate rapuere, et in eo perennes sibi voluptates cum gaudio Spiritus sancti locavere.

EX MS.

quos et nos oportet imitari.

51 Et nos, fratres carissimi, horum exemplo, ut oliva fructifera in domo Domini, crescamus, ut palma Domini floreamus, ut cedri Libani multiplicemur. Terra hæc, quæ apud nos hodie flores protulit, et melliflua suavitate defluxit, sit nobis exemplum spiritualiter germinandi, fructificandi, odorem vitæ spargendi. Immarcescibilium ergo florum suavitate fragremus, fructus honoris atque honestatis producamus, et hos supernis odoramentis misceamus, ut cum Sanctis, quorum hodie memoriam agimus, acceptabile Deo sacrificium redoleamus, et, juxta illud Apocalypsis, phialas aureas plenas odoramentorum in conspectu Agni offeramus, atque illud canticum novum coram ipso canamus, cui est cum Deo Patre et Spiritu sancto una divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas et nunc et semper et per immortalia secula seculorum.

Blandinii nova ædificatur ecclesia ab Arnulpho comite ;

52 Igitur divæ memoriæ Arnulphus atque marchisus cluentissimus immensam, quam erga memoratum locum, et præfatorum corpora Sanctorum habuit devotionem in mente, demonstravit in opere. Destructa vero basilica sancti Petri ad quam tantorum delata sunt patrocinia Sanctorum, quia tam habitationi monachorum, quam frequentiæ promiscui sexus pro parvitate sui erat incongrua, funditus in quadam majori elegantia reædificavit, perfectamque opibus ditavit ; villas quoque et prædia quamplurima, atque alia utensilia, ecclesiasticis congrua ministeriis in auro et argento, plena contulit animi devotione ; insuper ipsorum corpora Sanctorum honorificentissime inclusit auro et argento.

ubi Sancti nostri cum aliis requiescant.

53 Post autem succedenti tempore transtulit ad eumdem locum corpora sanctorum Gudwali *f* archiepiscopi, at Bertulfi *g* confessoris Christi de Bononia civitate, ubi etiam ad præsens requiescunt cum sacratissima virgine Christi Amalberga : in quo orationibus et meritis ipsorum, ceterorumque Sanctorum ibi requiescentium, larga fidelibus præstantur beneficia, ad laudem et honorem Salvatoris nostri Domini Jesu Christi, cui omnis honor, gloria, regnum et imperium cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per immortalia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Vulgo* Drongene, *olim Canonicorum cœnobium fuit prope Gandavum ; nunc est Præmonstratensium inde a seculo duodecimo.*

b *Noviomensi, ut infra dicitur. Sedit autem, juxta Sammarthanos, ab anno* 937 *ad* 948 *et ultra ; et gratia valebat apud Arnulfum, qui ejus hortatu Blandiniense cœnobium in paucis amavit, ornavitque beneficiis.*

c *Quem* transmarinum *nuncupant.*

d *Eadem vox occurrit in Actis S. Popponis abbatis ad diem* XXV *Januarii, ubi dicitur fuisse locus natalis istius Sancti, et esse regio Flandriæ, quæ* Lisa, *seu* Lætia, *aut* Legia *rigatur. Hic videtur accipi pro ea parte territorii Gandavensis, quam Legia præterfluit, quæque hujus celebritatis gaudio potissimum gavisa olim fuerat, quando Sanctorum nostrorum corpora illac per monasterium Trunchi-*

nense

EX MS.

nense, quod ad Legiam situm est, ad montem Blandinium, qui inter Legiam Scaldimque medius est, allata fuerant. Certe non nisi portionem intelligi agri Gandavensis, colligitur ex ipso, quo scriptor hic utitur, loquendi modo : omni enim Listrogaugio subjungit universum Gandense patrimonium.

e Haud absimile prodigium in relatione corporis S. Patris nostri Benedicti Floriaci evenisse narrat Diedericus in suo libello, quem in seculi superioris *(nempe quarti)* parte secunda, pag. 243 edidimus ; *inquit hic Mabillonius.* D

f *De* S. Gudwalo *ejusque huc translatione egimus* VI *Junii.*

g *De S. Bertulfo, ejusque cum S. Gudwalo translatione in montem Blandinium dictum est* V *Februarii ; de sancta vero Amelberga* X *Julii.*

DE S. MENELEO ABBATE ET CONF.

ORDINIS S. BENEDICTI

J. P.

IN MONASTERIO MENATENSI ARVERNIÆ.

B E

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Loci conspectus, antiquitas; Sancti cultus, elogia, miracula.

ANNO CIRCITER DCCXX.

Monasterii Menatensis situs, cujus antiquitas

A*rvernia, notissima Galliæ provincia, et in duas partes sub eodem nomine, superiorem videlicet atque inferiorem divisa, in hac Septemtrionem ac Borbonensem provinciam versus habet monasterium in diœcesi Claromontana (de cujus patronis sanctis ac protectoribus, uti et de nobilissima ista urbe meminimus die* I *Julii ad Vitam S. Galli, ejusdem urbis episcopi) quod monasterium perantiquum est, et Ordinis S. Benedicti, dicique solet,* Menatum, *antiquitus etiam* Menate, *vulgo* Menat, *inter fluvium, cui adjacet, Sicaulam, Seulum, Seulam (vulgo* Siole *vel* Sioule*) qui biographo nostro* Sivolis *dicitur : et Bubulam vel Bulbulam* (la Bouble) *de quo idem biographus cap.* 3. *At de his vide notitiam Galliarum Adriani Valesii in voce* Sicaula. *Distat porro* Menatum, *Claromonte septem circiter leucis Septemtrionem versus.* C

ex variis

2 *Perantiquum merito dixi, utpote quia jam inde a seculo* VI doctrinæ gratia in monasterium, cui Menate vocabulum est, mittitur *S. Carilefus, post abbas Anisolensis, sicut dicitur in ejus Vita, Die* I *Julii a nobis edita, cap* I. *Perstat porro etiam nunc, teste Mabillonio in Observationibus præviis, postea citandis, hoc monasterium eidem Ordini hactenus addictum. Floruit eodem seculo ineunte S. Avitus, abbas Miciacensis, in cujus Vita, ab auctore ferme coævo conscripta, et a nobis illustrata die* XVII *Junii, cap.* I *narratur ille in laudato monasterio* monasticæ professionis jugum devote suscepisse. *Gregorius Turonensis de Vitis Patrum cap.* 12 *memorat, quod* Bracchio abba... Arvernum regressus... in monasterium Menatense, quod per incuriam abbatis intepuerat, ordinatur, ut scilicet ejus studio congregatio ipsa canonice regeretur. *Idem Gregorius in historia Francorum lib.* 5, transiit, *inquit,* Bracchio, abbas cellulæ Menatensis.

3 *Ex Vita S. Benedicti Anianensis, de qua infra, habemus, duodecim monachos ab isto Sancto illuc directos fuisse, constituto eisdem Andoario abbate ; ubi et de insigni miraculo et arcanorum cordis perspicientia, dum Sanctus hoc monasterium visitaret; additurque, illud ipsi datum fuisse a Ludovico Pio imperatore.* Meneleus *item dicitur ibi* jacere in corpore. *Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum* 801 *a S. Benedicto Anianensi illud reformatum dicit; ad annum* 812 *a Ludovico Pio renovatum. Vide Theganum corepiscopum Trevirensem in Vita ejus apud Chesnium de Scriptoribus Gallicis tomo* 2 *a pag.* 725. *In Capitularibus regum Franciæ apud Baluzium tomo* I, *col.* 591, *inter monasteria, quæ solas orationes debent pro salute imperatoris vel filiorum ejus, et stabilitate imperii, notatur in Aquitania* monasterium Menadinii, *hoccine de quo hic, an aliud ? Ex dictis manifesti erroris convincitur Jacobus Branche, Ordinis S. Augustini, qui in Vitis Sanctorum Arvernensium ac Velaunorum Anicii Gallice excusis anno* 1652, *ubi texit elogium Sancti nostri a pag.* 470, *dicit, ipsum* fuisse primum religiosum *sæpe dictæ* abbatiæ Menatensis. F

monumentis eruitur.

4 *Sanctus vero* Meneleus *de laudato monasterio adeo præclare fuit meritus, adeoque sapienter illud rexit, et in insignem evexit splendorem, ut illud ab ipso conditum et excultum dicatur ; cujus tamen monasterii instaurator potius quam auctor dicendus videtur ; quod jam tum a seculo sexto exstitisse mox vidimus. Vetera Analecta laudati Mabillonii, anno* 1723 *recusa, inter excerpta ex instrumento visitationis, quam instituit Simon archiepiscopus Bituricensis, per provincias Bituricensem et Burdigalensem, ab anno* 1284 *et sequentibus, quod habetur ibidem a pag.* 338, *recensent ad annum* 1287 ; *Aprilis* IV, die Veneris ad Chambarande, prioratum monasterii Menatensis, distantem 2 leucis a S. Gilberto. *Item mense Maio* XIV, die Mercurii apud Celville, prioratum de Menato. *Inter loca autem, quæ laudatus Bituricensis non visitavit in ista*

Sancti erga illud merita, ejusdemque prioratus.

AUCTORE J. P.

A *ista visitatione, notatur* prioratus de la Croisille et Douquart, *qui in indice, istis Analectis subnexo, adscribuntur abbatiæ Menatensi. Denique inter loca tum ab eodem non visitata occurrit* prioratus de la Mongie, abbatiæ Menatensis. *De qua etiam Sammarthani tom.* 4. *Galliæ Christianæ, agunt, asserentes* privilegia *ejusdem*, rescriptis summorum Pontificum Paschalis II, et Alexandri III confirmata esse.

Antiquus Sancti cultus ex sacris Fastis vetustis,

5 *Cultus Sancti valde antiquus est; idque ex eo constat, quod Usuardus nomen ipsius inscripserit suo Martyrologio, ita eum annuntians hac die :* XI Kalend. Augusti, in pago Arvernensi, S. Menelci abbatis ; *in cujus genuino textu retinendus asseritur ex omnium fere codicum consensu, uti habes in Observationibus ad Usuardum a nobis illustratum. In Hagiologio Franco-Galliæ ac præsertim Aquitaniæ, excerpto ex antiquo Martyrologio abbatiæ seu parthenonis S. Laurentii Bituricensis, apud nostrum Labbeum tomo* 2 *novæ Bibliothecæ pag.* 701, *iisdem pene verbis signatur :* In territorio Arvernensi, S. Menelei abbatis. *Ita illum prorsus referunt* B *Wion, in ligno vitæ, aliique hagiologi Benedictini Dorganius, Menardus, Bucelinus; Dorganius tamen omittit locum depositionis.*

ac recentioribus cum Martyrologio Romano.

6 *Aliorum recentiorum Martyrologorum, Galesinii, Maurolyci, ac Felicii, eadem hac die ipsum memorantium, coacervare nihil attinet annuntiationes. Saussayus in suo Martyrologio Gallicano inepte Sanctum honorat titulo* martyris, pietate certaminis gloriosi. *Nec vero mirum accidit, adeo inter hagiologos convenire de die, quem ponunt; is namque fuit dies obitus juxta auctorem Vitæ, quam edimus : nam* animam felicem et beatam reportavit Domino, undecimo Augusti Kalendario ; *quo etiam die inscribi meruit Martyrologio Romano iisdem plane verbis, quibus ipsum retulit supra Martyrologium Bituricense. Addi his potest, quod in ordine divini Officii, cujus ecgraphum habemus, ad usum ecclesiæ cathedralis Claromontensis pro anno, uti adscribitur,* 1656, *notetur* cō. *(commemoratio)* Menelai abb. ; *et in apographo de festis propriis, quod præcedit, ponitur iterum :* Menelai abb. cō. *De basilica in honorem Sancti ædificata in territorii Bituricensis oppido Monte Lucio, cre-* C *brisque miraculis honorata, agetur postea inter Sancti miracula.*

Producitur Sancti elogium e Bucelino,

7 *Non desunt antiqua monumenta sancti nostri Abbatis laudes complexa; quorum ratio haberi poterit inferius ex fragmentis Vitarum aliorum quorumdam Sanctorum. Unicum quamquam recentius hic elogium transcribo ex Bucelino :* Meneleus, regio ortus genere, rigorem deliciis hujus mundi omnibus; disciplinam monachicam principum licentia; paupertatem opibus; humillimum vitæ institutum [ac] juge obedientiæ jugum gloria et auctoritate, sed et imperio omni potiora habuit; cucullumque vile indutus, ex eo longe illustrior, quam ex purpura, auro, gemmis essplenduit. Fundavit autem insigne ad honorem S. Martini in territorio Arvernensi monasterium, Menatense primum, ab eo exinde S. Menelei appellatum.

ubi narratur miraculum;

8 In quo eum disciplinam monachicam ad exactissimum regulæ sensum sanctissime plantasset, suoque exemplo firmissime solidasset, admirandis a Deo miraculis nobilitatus est; adeo ut illorum fama celeberrimus haberetur. Ea inter, mortuum puerum precibus suis ad vitam prodigiosissime revocavit ; dæmonem autem sanctissimi et admirabilis patris, *inquit*, nostri Benedicti exemplo, sola alapæ inflictione ex obsessi corpore potentissime profligavit. Claruit regiæ virtutis ut originis abbas anno Christi DCC. *Ita Bucelinus* ex Vita, *uti addit*, tomo 2 Sanctorum Ordinis; *(quæ an eadem sit cum illa, quam nos sumus daturi, an diversa, non habeo, unde definiam)* Galesinio *item*, Maurolyco, Menardo, Felicio, Baronio, Usuardo, et reliquarum, *inquit*, rerum Galliæ scriptoribus, *etc., plura hic quidem auctorum cumulans nomina, sed adeo recentis auctoritatis, si solum excipias Usuardum, ut numerum per se faciant, non fidem. Ad rerum Gallicarum scriptores quod attinet, oportebat eos nominare, ut dispici posset, an et cujus essent notæ, ætatis, etc.*

cujus occasione de aliis Sancti miraculis, a Mabillonio suppressis,

9 *Miraculum certe de puero Sancti precibus ad vitam prodigiosissime revocato, inter paucula miracula mox a nobis producenda non invenitur. Illud Bucelinus alicubi legerit vel in tomo* 2, *quem citat, Sanctorum Ordinis sui, vel alibi. Neque enim dubium est, quin* S. Meneleus *pluribus miraculis claruerit, si fidem habemus jam dictis occasione basili-* E *cæ ejus num.* 6. *Porro librum de miraculis, qui post Sancti Vitam in codice Menatensi Ms. sequebatur*, male digestum *fuisse, affirmat Mabillonius in sua Observatione prævia eidem Vitæ, Actorum Benedictinorum sec.* 3, *parte* I, *pag.* 404; ex quo *proinde* pauca dumtaxat se selegisse *fatetur; reliqua, uti suspicor, vel ex toto vel maxima saltem parte judicans non satis digna, ut publicam lucem aspicerent.*

hoc loco discritur.

10 *Etenim quod laudatus auctor in narratione miraculorum non sit morose criticus et parcus, argumento est liber de miraculis et translatione S. Bertæ, abbatissæ Blangiacensis, quem integrum exhibet loco mox citato a pag.* 454, *et, quod notatu dignum, non longe post miracula* S. Menelei, *tametsi Sanctæ encomiastes idem anonymus ac miraculorum scriptor, sicut præmiserat pag.* 451, *fuerit ineptus, fabulosus ac mendosus; plus tamen in his, ut qui res ab ætate sua minus remotas narret, ad veritatem accedens, quam in aliis, quæ de Sancta perperam congessit, sicut ibidem indicat Mabillonius. Auctoris istius scriptionem illigat seculo deci-* F *mo ineunti. An autem quæ de isto Mabillonius, eodem fere modo dici possint de nostro circa miracula, non divino, cum totus nos lateat. Utcumque res se habeat, non de nihilo maximam miraculorum partem Mabillonius suppressit, paucissima inde delibans, adhibito etiam, prout par est credere, summo eorum delectu : adeo ut nos, ipsius exemplum secuti, necesse non putemus, in librum istum miraculorum ulterius apud Menatenses inquirere, quem putamus sine ullo Sancti aut eruditorum dispendio, ab Opere nostro excludi posse.*

§ II. Natales a scriptore Vitæ perperam ordinati ; tempus mortis ; scriptor Vitæ, et nostrum de eo judicium.

Quamquam de nobilissimis Sancti natalibus satis constet;

Nunc hallucinationes quædam auctoris Vitæ circa sancti Abbatis natales indicandæ et emendandæ sunt : Origo, *inquit*, B. Menelei claro de fonte mana-

AUCTORE J. P.

manavit. *Et mox idem repetens sic loquitur :* Claris ortus natalibus... antiquam nobilitatis lineam reddidit fulgore meritorum splendidam. *Hactenus recte biographus; quæ confirmantur ex Vita S. Benedicti, abbatis Anianensis et Indensis, a S. Ardone seu Smaragdo, ejus discipulo, seculo nono scripta, et a nobis edita die* XII *Februarii; apud Mabillonium vero auctius excusa sec.* 4 *Act. Benedict., part.* I; *ubi in rem nostram apud nos cap.* 7, *apud illum autem pag.* 209 *dicitur,* S. Meneleus regio de semine ortus. *Atque hæc satis clara et certa sunt. At longe intricatior quæstio est, ad quem* clarum *nobilitatis* fontem, *sive ad quod* regium semen *natales isti reducendi sint, unde Sanctus originem traxerit.*

genealogia tamen ejus

12 Ex magna scilicet, *ait noster biographus,* imperatoris Heraclii prosapia. *Quod sic probare conatur :* Nam Heraclius imperator genuit Chobar et Modestum Jerosolymorum episcopum. Chobar autem Agor. Agor genuit Amanulfum. Amanulfus genuit Meneleum. *At vero quomodo Sanctus atavum habere potuit Heraclium imperatorem? Qui neque Chobar neque Modestum habuit filios; uti liquet ex Zonara lib.* 14 *Annalium, ubi proles ipsius nominatim recenset. An autem Heraclius Africæ ac Lybiæ præfectus, Heraclii imperatoris pater, de quo idem agit Zonaras, intelligi hic queat, viderint illi, quibus plusculum lucis in hisce tenebris affulget. Veriora fortasse sunt, quæ refert paulo post de Sancti avo, nomine Agor, et avia Raganilde, e quibus natus sit Amanulfus Sancti pater; item quæ aliquibus interjectis subdit, inducens ipsum* Meneleum *S. Theofredo narrantem,* quod patria Andegavensi, et villa sit natus Priscinia ; sed et patris nomen Amanulfi, et nomen matris Doculæ, *etc.*

B

perperam a nostro biographo ordinata

13 *Veriora, inquam, fortasse sunt ista; quæ aliunde possunt confirmari. Auctor quippe Vitæ laudati S. Theofredi, abbatis Calmeliacensis, apud Mabillonium loco citato pag.* 480 *(qui auctor, ipso judice, non videtur scripsisse ultra seculum* 10, *ut videsis pag.* 476) *inducit nostrum Sanctum cum Theofredo ita loquentem :* Andegavensis ego, Meneleus nomine dicor, natus Amanulfo patre, vico Passiniaco, et Docula matre, sicut testatur uterque *socius qui ibi aderat una cum ipso. In Vita S. Vincentiani confessoris, ab Herimberto diacono, ejus præceptore scripta, ut asserit Mabillonius pag.* 404, *sibique a Cointio commodata, agitur de* Meneleo, filio Amanulfi, *uti habemus ex fragmento Mabillonii inter annotata pag.* 406. *At quam verum esse potest, quod Sancti nostri pater fuerit Amanulfus, tam manifestissime falsum est, quod noster biographus mox subjungit :* Præfatus, *inquit,* Amanulfus... sub temporibus Brunechildis reginæ, totius suæ parentelæ honestavit numerum, dum... procreavit... Meneleum.

C

castigatur.

14 *Crassa enimvero personarum ac temporum combinatio! Quomodo enim potuit Sanctus nasci sub Brunechilde, et quidem, uti paullo ante dicitur,* in anno secundo, *de quo infra,* sub *ista* regina, *Sigeberti regis Austrasiorum conjuge; cum necdum forte natus esset Heraclius, imperator ab anno* 610 *ad* 641 ; *quem tamen supra volebat* Menelei *atavum exstitisse. Sammarthani supra citati eumdem haud dubie biographum, ducem cæcum cæce secuti, in eamdem pene parachronismi foveam prolapsi fuerunt, dum dicunt Sanctum* vixisse regnante Brunichilde, quæ abbatiam hanc, *sicut addunt,* multis bonis locupletavit, ut fertur in veteri legenda Ms. de miraculis hujus Sancti.

D

Ætas Sancti

15 *Annus mortis Sancti non facile, ætas vero commodius utcumque definiri potest ex personis, ipsi synchronis. Vixit porro cum eo S. Bonitus, episcopus Claromontanus, cujus Acta a nobis illustrata sunt die* XV *Januarii, in quorum Commentario prævio disseritur de ejus ætate; nos autem, biographo ibi non prodente tempus cathedræ aut mortis, illum posuimus initio seculi* 8; *et Mabillonius in Act. Bened. anno circiter* 709 *eum innectit; videsis notam ejus sub calcem Vitæ. Præter hunc occurrunt : S. Theofredus abbas Calmeliacensis, cujus Vitam dedit idem auctor, ad annum* 728, *apud nos autem die* V *Junii; S. Genesius, comes Arvernus : uterque Sancto nostro synchronus*; *cujus ultimi epocha a nobis signatur ante annum* 740.

ex personis

16 *Adde S. Vincentianum (saint Viants, aut Viance) qui* erat familiarissimus beati Viri Menelei in omnibus, *teste nostro biographo, et quem Castellanus in Supplemento ad suum Martyrologium universale ad diem* II *Januarii vocat* discipulum S. Menelei, *signatque versus annum* 730. *Sanctus iste ob defectum notitiæ a nobis tunc haud dubie omissus, locum habere poterit in nova editione ejusdem mensis, ac Vita ejus dari, si obtineri potuerit. Mabillonius, qui illam præ oculis habuit, in notis ad* S. Menelei *Vitam observat, eum supervixisse S. Vincentiano, qui anno, inquit,* XV *Chlotharii regis decessisse fertur; quod, sicut recte observat, stare non potest. Chlotharius, hic designatus, istius nominis tertius, juxta Pagium Clodovæo II, regi Neustriæ et Burgundiæ, qui obiit* 656 *post hebdomadam secundam Novembris, successit; fuitque juxta ipsum rex Austrasiæ, atque adeo totius regni monarcha ab obitu patris usque ad* 660 *post* XXV *Julii, et e vivis excessit sub finem anni* 670. *Juxta hanc itaque rationem temporum a Pagio ordinatam illud stare non potest; quia* oratorium *S.* Boniti, *qui non nisi anno vigesimo post Chlotharii tertii mortem, sicut observat Mabillonius, episcopus fuit, adiisse memoratur.*

E

ei synchronis determinatur,

17 *Consuli tamen possunt annotata nostra ad caput* 11 *Vitæ istius præsulis littera* b, *ubi diximus, difficile esse tempora ejus apte definire. Et vero ipse S. Bonitus monasterium Menatense dedicavit, si* S. Menelei *Vitæ credimus, et Sanctum* clericum, *id est monachum fecit; ut habemus indidem, antequam Vincentianus e vivis discederet. Nos itaque cum Mabillonio* S. Menelei *obitum, dum tempora adeo perturbata sunt, certioraque argumenta non suppetunt, innectimus anno circiter* 720, *ante annos octo, quam S. Theofredus abbas martyrio est affectus; de Vincentiano autem, quem idem Mabillonius alligat anno* 15 *Childeberti regis, videri poterit alias; ne quid hic loco non suo præpropere definiamus.*

F

hallucinante alicubi Branchio.

18 *His ita superius circa S. Genesium, Alverniæ comitem positis, intelligitur hallucinatio laudati Branchii, dum eumdem Genesium inter nostri Sancti brachia ex mutuo pacto exspirasse memorat; adde, quod in Officio ex Breviario capituli Camaleriensis, dicto die* V *Junii a nobis prolato, dicatur,* iste sanctus Comes Mœnati cœnobii reditus munifica liberalitate *(auxisse)* nec minore pietate

S. Me-

A S. Meneleo, ejusdem abbati morienti adfuisse.. *et* a Saviniano... B. Menelei successore, sepulturæ traditus esse.

Scriptor Vitæ ignotus, crebris hallucinationibus usus,

19 *Scriptoris Vitæ Sancti nomen, ætas, institutique professio prorsus incerta sunt, quia nec ab ipso sunt memorata, nec ab aliis ea scimus aliunde eruta. De se quidem ipse mentionem facit cap.* 5, *num.* 47, *sed adeo obscure ac tecte, ut vel sic non minus nos lateat, quam si nullus meminisset. Sic enim dicit :* Quantis autem laudabilioribus virtutum operibus eum honoraverit omnipotens Deus, manentem in officio clericatus... deliberamus.. scribere, ut memoriam SCRIPTORIS SUÆ VITÆ dignetur isdem B. Meneleus conscribere in sui memoriale. *Satis remote ac diu post sancti Abbatis obitum scripserit; quia adeo male cohærentes ac crassos errores commisit circa Sancti originem, et ætatem reginæ Brunechildis, uti vidimus; quam et pluries postea æque inepte in scenam producit, bene magnam suæ scriptionis partem hallucinationibus contaminans; unde fiat, ut tum ea, quæ ibi magno conatu narrat, maxime nugatoria; tum pluro, quæ alibi in decursu,* B *sublestæ fidei ac suspecta; tum denique tota narrationis series adeo magnis incommodis laborans, e numero genuinorum Actorum eliminanda videantur, nisi ubi et quatenus meliorum scriptorum auctoritate stabilitur, quibuscum consentiat.*

ac proinde aliunde stabilienda facta, quæ narrat.

20 *At, ne quis severiorem me, quam par sit, Actorum judicem deputet, juverit aliorum super his crisim depromere. Mabillonius in Observationibus Vitæ præviis, nonnullis eam mendis respersam arguit circa genealogiam ejus, et facta, quæ in ipsa referuntur de Brunichilde regina; recte addens, haud penitus rejiciendam videri, maxime cum in plerisque consentire eam asserat cum Vita S. Vincentiani superius laudata. Idem censet Ludovicus Bulteau in Compendio historiæ Ordinis S. Benedicti, Lutetiæ Parisiorum Gallice edito, anno* 1684, *tomo* 2; *ubi a pag.* 242 *Acta* S. Menelei *breviter recenset. Novus legendista Gallicus traducit ea tamquam plane vitiosa, nihilque habentia auctoritatis, nisi quando concordant cum aliis certioribus et notioribus auctoribus, nimirum B. Ardone Smaragdo in Vita S. Benedicti Anianensis, Herimberto laudato, et biographo S. Theofredi. Et quandoquidem tres istæ Vitæ, non secus ac tres bases sunt,* C *quibus nostra, quanta quanta est, superincumbit; visum est nihil a nostro instituto alienum fore, si fragmenta quædam ex illis corraderem, quibus nostra confirmetur, parum aut nihil se sola auctoritatis merita.*

§ III. Vita auctoritatis indiga aliunde stabilitur; quædam in ea corrigenda notantur.

Aliunde stabiliuntur, quæ noster biographus narrat : de Sancti natalibus,

Clarissimi *natales* S. Menelei, *uti et nomina parentum aliunde jam supra stabilita sunt ex Vita S. Theofredi ; ubi hæc Sanctus noster subjungit de sua pueritia :* Cum vero jam septimum ætatis primæ tetigissem annum, potenti Deo devovi castimonium, quod dum vixero, ipso juvante, non faciam irritum. *Puerilem Sancti ætatem pluribus adornat Vita nostra capite* 1, *in quo satis etiam diserte dicitur vovisse castitatem; nam indicat hoc biographus per τὸ* divino sponsalitio consecratum penetrale; *et infra plus semel. Pergit* Meneleus *in Vita Theofrediana :* Heros, *inquit,* vero quidam Barontus, nimium nobilitatis genere ac divitiis fultus, suadebat mihi legitimos filiæ amplexus, patre quoque meo præbente adsensum. Sed animadvertens, quod devoveram, omissis parentibus et relicta patria, sicut ipse vides, peragro deserta, assidue tamen quærens, qui me litterarum instruat dogmata, ut cum tempus advenerit, divino studio possim vacare. *Hæc ibi; quæ in substantia etiam refert ibidem noster biographus; at recusatas a Sancto nuptias adjunctis quibusdam circumscribens, de quibus ipse viderit. Herimbertus diaconus in Vita S. Vincentiani apud Mabillonium in notis ad Vitam nostram sic habet :* Barontus filiam suam, Sensam nomine, Meneleo filio Amanulfi desponsavit. Cumque dies nuptiarum advenisset, Meneleus pro Deo conjugium respuens, partibus Arvernicis cum duobus domesticis pergens, in Vaveris silva super fluvium Siulo eremum concupivit.

AUCTORE J. P.

de fuga, vitæ instituto,

22 Cui Theofredus, *inquit rursum ista Vita :* E Ipse, et tui socii mecum pergite, quoniam satisfaciam desiderio et petitioni vestræ. *Quibus confirmantur ea, quæ narrantur in Vita num.* 9, *de* Saviniano *et* Constantio, *Sancto nostro in fuga ex patria sociis; in Theofrediana hic tacite quidem, sed paulo post expresse nominatis.* Lætus ergo Meneleus, *subdit eadem Vita Theofrediana,* pro tanto munere efficitur, et virum sanctum ad Calmiliacensis cœnobii patrem Eudonem usque prosequitur ; quem ille, sicut innotuit Theofredus, benigniter suscepit, et perfectioribus viris educandum præbuit; sociis vero suis Saviniano et Constantio per ejusdem monasterii tuguria cibaria præbere jussit. *Quæ satis congruunt in substantia cum Vita nostra num.* 13 *et* 14. *Theofrediana autem sic prosequitur :* Per septem quoque annos B. Meneleus ibidem instruitur, et utraque eruditione, divina et litterali roboratur; *satis denuo conformiter ad Vitam nostram num.* 16.

apparitione angelica una

23 *Audiatur rursum Theofrediana :* Elapso vero prædicti cursu temporis, ultima sub requie cujusdam noctis... æthere lapsus angelus, his eum soporatum in oratorio verbis est aggressus: Cum sodalibus, qui huc tecum advenere, ad locum, F ubi beatissimum Theofredum invenisti, revertere; et ostendam tibi, quid te oporteat agere. Expergefactus itaque Meneleus, B. Theofredum expetiit, et supernos visus ac monitus angelicos fideliter protulit. Quod postquam religiosissimo patri Eudoni innotuit, immensas Deo pro cœlesti visione grates dedit, et convocatis Saviniano et Constantio, supernæ committens eos pietati, in pace abire permisit. *Atque hæc ibi restricte ; quæ pluribus expandit noster biographus, addens aliam insuper angeli apparitionem, monentis Sanctum de ædificanda domo orationis; quæ secunda apparitio iterum confirmatur ex Vita Theofrediana, ubi sic legitur :*

et item altera ;

24 B. Menelei veredarius subito paret ante faciem *(Theofredi)* sanctos ferens apices, et continuam orationem : Suscipe, *inquit,* sanctissime pater, precantis verba filii, et quem divino quondam satiasti ubere, ne differas consolari. Accelera ergo concitus... His dictis, surgit ocius, ac

parans

AUCTORE J. P.

parans omnia, indicto sub itinere est positus. Cumque pervenisset ad Vallem-Vaveris... invenit virum Dei Meneleum, ibidem orationis ædificantem domum. Quo viso, post sanctos amplexus et pacis oscula, percontari cœpit Theofredus prospera et incommoda. At ille referens, quod digressus Calmiliacensi cœnobio abactæ noctis cursu sub medio... ab angelo monitus fuit, ut ibi pararet domum summo rerum Auctori. *Biographus noster mox narrare occipit suis historiam cum septem porcellis, a num.* 19; *an et quam vere, ignoro, quoniam in hac re illum alterius auctoritate scriptoris fulciri, non comperio.*

et aliis quibusdam factis,

25 *Sequitur in historia de matris, sororis ac sponsæ* S. Menelei *adventu in Arvernensem solitudinem, ubi perfectius vitæ institutum amplexæ fuerint. De sponsa quidem hoc videtur indicare Herimbertus diaconus apud Mabillonium in notis citatis, ita loquens :* Postea Sensa, amore spirituali succensa, ipsum est subsecuta. *Proxima est ira Baronti, Sensæ patris; qui hac de re certior factus, Sanctique necem spirans, ac vindicta æstuans,* coadunatis ducentis quadraginta tribus militibus aggreditur... S. Meneleum perquirere. Jamque Exandonensis pagi fines intraverat, *etc. Quæ mitius* Hermenfridus *(imo Herimbertus, ni fallor) in citatis notis sic exponit :* Hæc autem Barontus, audiens, contristatus est valde, et præcepit omnem familiam suam et equos simul in Exandonense territorium egredi. Ipse vero cum Vincentiano nobiliores domesticos adsumens, itinere arrepto, ad ipsum pervenit locum, in quo vir Dei Meneleus in sua morabatur simplicitate.

quæ alibi majore cum simplicitate ac verisimilitudine,

26 *Si autem nostro credimus biographo,* medias catervas, Christi armatus præsidio, fortis Meneleus irrupit, et inter inimicas hostium catervas invincibilis stetit. *Et post alia, quibus narrationem in longum extrahit, Barontum voluisse Sancti caput amputare affirmat, cæcitate ac manuum contractione punitum. Verum illa longe aliter, ac majore rursum cum simplicitate enarrat Herimbertus :* Cum, *inquit,* ad Meneleum venisset Barontus, cupiebat eum revocare, et dicebat : Menelee, accipe filiam meam uxorem. Et ille noluit. Hæc autem Barontus audiens, nimium efficitur tristis. Manu enim extensa voluit illum apprehendere, et secum deducere ; nutu autem Dei actum est, ut manus cum brachio rigesceret, cum qua eum tenere volebat... Menelei oratione completa, Barontus efficitur sanus. *Aliter, inquam, ista narrat Herimbertus, et majore cum simplicitate ac verisimilitudine.*

atque aliter narrantur.

27 *Res autem post sanationem Baronti gestas, ac munera ob hanc causam Sancto oblata memorat noster a num.* 39 ; *quæ Herimbertus alio modo expedit, his verbis suam narrationem prosequens :* Tunc autem Barontus obtulit ei munera... Ipse vero diluculo consurgens, Savinianum secum habens, itinere arrepto, regressus Exandonense, in Avolca curte tunc super ripam Viseræ fluminis ecclesiam ædificari jussit, misitque Genesium sacerdotem ad episcopum Lemovicensem, Rusticum nomine, ut ex sua parte illum rogaret, ut reliquias ex episcopali auctoritate dirigeret, qualiter locus supradictus vel ipsa ecclesia in honore ipsarum reliquiarum dedicanda foret. Barontus, acceptis reliquiis, commendavit eas Vincentiano, præcepitque ei, ut eas Saviniano sacerdoti deferret, et in templo, quod tunc ædificabatur super ripam Visceræ in loco Avolca complantare faceret. Savinianus autem acceptis reliquiis, sub cujus nomine essent, nullatenus interrogavit, *etc. Vincentianus in regressu,* ad oratorium sancti pervenit Boniti, *etc. Nullum apud Sammarthanos inter episcopos Lemovicenses Rusticum invenimus; nullum item* S. Meneleo *synchronum in catalogo satis mendoso Bernardi Guidonis, episcopi Lodovensis, circa annum, sicut prænotatur,* 1320 *composito, ac typis edito apud nostrum Labbeum tomo 2 novæ Bibliothecæ Mss. librorum a pag.* 265. *De reliquiis supra memoratis dicetur paulo post.*

Videtur Sanctus non tantum clericus,

28 *Noster biographus num.* 46, Meneleum, *inquit,* ad clericatus elegerunt officium, et a capite ipsius recidentes capillos, eum enumerarunt inter Dei filios. *Et mox subdit :* Meneleus clericatus suscepit officium. *Atque ex his aliud habemus nihil, quam clericum fuisse Sanctum, sive monachum tantum, qualis supra fuisse indicatur; ubi dicitur, ab Eodone* susceptus... in congregatione fratrum, cœpit exemplar bonorum omnium esse, et nondum recisa cæsarie capitis, præmonstrabat rebus et operibus mortificationem carnis. *Et vero per* clericum *intelligi interdum monachum, habemus ex Glossario Cangii Latino-barbaro; et supra vidimus, a Mabillonio vocem* clericus *in ista significatione Sancto nostro aptatam fuisse. An is ergo ad altiorem gradum non ascendit? Equidem existimo, non monachum tantum, et præterea stricti nominis clericum cum exstitisse, sed etiam sacerdotem; quantum innui videtur in Vita S. Theofredi, abbatis Calmeliacensis laudata, in qua loco citato pag.* 481 *dicitur :* Eusebius supervenit, Arvernensis episcopus, quem S. Theofredus benigna efflagitat oratione, ut Menelei comam consecret ac detondeat; itaque sub genere regali et PONTIFICALI moraliter eum vivere edoceat.

sed etiam sacerdos fuisse.

29 *Et his certe verbis laudatus supra Ludovicus Bulteau in nota marginali ad Vitam Sancti, quam contrahit:* Videtur, *inquit,* indicari, S. Meneleum non tonsuram dumtaxat accepisse, sed sacerdotio initiatum fuisse. *Quamquam vi istorum verborum id certo affirmari posse, nobis non satis clare appareat; præsertim si vera sint, quæ noster biographus refert num.* 54 *de sancto nostro Abbate :* Audoënum ad quemdam honestatis et bonitatis presbyterum, nomine Leopasium... transmisit; cui mandat, ut ad monasterium ejus veniat, eosque Deo et spiritui ejus offerendo sacras hostias, commendare velit... Ad perficiendam igitur mandatæ caritatis obedientiam velocius sacerdos Dei Leopasius suam repræsentat præsentiam. Opus enim divinum peragit, et fratres in omnipotentis Dei servitio ardentiores facit. *Suspicor, Sanctum non jussurum fuisse, ut alius accerseretur sacerdos, qui pro sua familia ad aram faceret; si aut ipsemet sacerdos, aut quisquam e suis id pii officii genus præstare potuisset.*

Biographi parachronismus perstringitur.

30 *En tibi nunc drama satis longum, absurde commentitium et ineptissime fabulosum, quod exhibet noster biographus a num.* 50, *ubi repetita denuo hallucinatione, Brunichildem reginam* S. Meneleo *synchronam facit, varios utrique appingens eventus, qui, super fundamento adeo manifeste ruinoso innixi, non possunt non corruere. Itaque quidquid sub hac*

fictitia

A *fictitia narratione lectori obtruditur, tamquam ἀσύστατον et ἀδιάθετον expungi debet. Parachronismum hunc recte etiam notavit Cointius in Annalibus Francorum ad annum 696, num. 29. Circa ea, quæ noster subnectit de reliquiis, a Baronio petitis et impetratis, jam nonnulla protulimus superius num. 27 ex Herimberto, qui in iis, quæ idem noster biographus narrat num. 61, cum eodem consentire notatur apud Mabillonium in notis pag.* 421.

§ IV. Vitæ exemplaria observationibus illustrata; miracula.

Observanda quædam circa Vitam, quæ a nobis datur;

V*itam hanc, quam damus,* duobus libris descriptam ab auctore anonymo, incertæ ætatis, *primus, quantum scimus, in lucem typis protulit Mabillonius* ex Ms. codice cœnobii Menatensis, *Act. Bened. sec.* 3, *part.* I, *a pag.* 404, *pauculis observatiunculis præviis in eam usus ; in quibus indicat, post dictam Vitam sequi in Ms. codice Me-* B *natensi librum de Miraculis ejusdem Sancti, male digestum, de quo supra diximus. Porro Vita eadem aliquot hiatus habet, notatos in textu per τὸ,* etc. *Ad hæc desideratur libri secundi caput* 8. *Laudatus Vitæ editor eidem adjecit notas, quibus nos in rem nostram et usi sumus jam nunc, et usuri sumus postmodum suis locis. Vitam hanc haud vidit Wion, imo ne quidem eam alicubi exstare novit, ingenue fassus,* res *Sancti* gestas, rationemque temporum *se* ignorare. *Plusculum scivit Menardus, in Observationibus ad suum Martyrologium dicens, inter paucula alia, quæ ibi notat,* ejus Vitam exstare duobus libris conscriptam. *Vitam etiam aliquam novit Bucelinus, quam, ut supra diximus, citat. Præter memoratum Ludovicum Bulteau, qui Vitæ compendium edidit, Vitam quoque collegit ac digessit omnium novissime legendista Gallicus, a pluribus fabulis expurgatam.*

aliudque apographum,

32 *Habemus apographum, continens Vitæ fragmentum,* ex Ms., *prout eidem annotatur,* D. du Chesne, cosmographi regis Christianissimi. *Adscribitur insuper eidem nostro apographo* exstare hæc Vita apud F. Thomam Aquinatem de S. C Joseph, Discalceatum Parisiis. *Cointius loco designato, num.* 27 *et sequentibus gesta quædam* S. Menelei *in compendium contraxit, recte judicans, diversum a Vita, duobus libris conscripta, fragmentum reperisse ac publicasse Labbeum in collectione rerum Aquitanicarum tomo* 2 *Bibliothecæ citatæ pag.* 591 ; *quod cum dicto nostro apographo consentit. Verum historiam istam minime esse integram tum ex primo obtutu patet, tum eruitur ex Savarone in Originibus Claromontanis pag.* 154, *et* 157.

fabulis plenum.

33 *Sive vero hæc ex Vita supra nominata fuerit extracta, sive alterius alicujus sit compendium, eodem crassissimo laborat parachronismo, quod Brunichildem reginam Sancto synchronam faciat. Porro quanta quanta fere est narratio ista (quæ brevis certe est) nihil pene continet præter fabulosam texturam, ex factis et dictis istius reginæ et* S. Menelei, *seu potius ex illius apographi auctoris vel alterius, quem præ oculis habuit, somniis compositam, et paulo ante a nobis in Vita castigatam, tametsi illa res aliter commemoret. Ita porro Ms. nostrum incipit :* Beatus igitur Meneleus relicta uxore sua, Barnuti cujusdam filia, vitam solitariam expetiit. *Sic vero finitur :* In circuitu cellæ nostræ licentiam dedit *(Brunichildis)* ampliandi, quantum nostra necessitas suppetit, et terminos designari, et villam Sigole, quam ad proprios sumptus habebat, nobis largita est, *monachis utique Benedictinis, e quorum numero se fuisse, non obscure scriptor iste hic indicat.*

AUCTORE J. P.

Miracula apud Mabillonium edita quoniam pauca sunt,

34 *Miracula laudata, quæ Mabillonius* ex libro miraculorum S. Menelei *excerpsit, et post Vitam edidit, quia paucula dumtaxat sunt, hic commode transcribentur. Sunt itaque sequentia :* Quidem vir, nomine Robertus, a partibus veniens Turonicis, quem binis pene lustris contraxerat podagrica infirmitas gravis, veniens ad vicum, cui antiquitas nomen indidit Menate, post nocturnalem synaxim, salutem recuperare meruit. Quædam femina lumine oculorum privata ex vico Carcentonio nata erat, in quo sanctæ Dei Genitricis adoratur virtus. Excubans igitur hujus ad aulam diebus noctibusque, cum lumen, quod quærebat, ibi nequiret obtinere, pergit ad aliam basilicam perpetuæ Virginis, nuncupatam ab omnibus Aurea-valle. Deinde venit ad vicum Menate ; ubi E sanitatem diu optatam adepta est. Idem experta est Kerildis nomine, quædam cæca, Parisius civitate nobilissima orta.

hic recensentur,

35 In quodam oppido, sito in Bituricensi territorio, quod Mons-lucio communi vocabulo nuncupatur a tempore prisco, quædam habetur basilica in B. Menelei honore ædificata, crebrisque miraculis ejusdem corusca seu meritis fulta. Referunt ipsius oppidi incolæ ; si quispiam hominum ibi præsumeret juramentum a quolibet vi accipere, egredi haud impune. Et quidem infra hujusce habitaculum ecclesiæ miles quidam, nomine Dagobertus, temere est ingressus, tenens quemdam homunculum violenter captum : nam erat avidus deprædator rerum. Sicque accedens ante venerabilem S. Menelei aram, cœpit compellere prædictum captivum proterve jusjurandum facere sibi supra ejus altare Sancti. Tunc iisdem captivus quamquam vinctus, præstolans talis exactoris obsecundare præceptis, tetendit dexteram adversus prædictum altare ; coactor vero Dagobertus officium omnino amisit linguæ, *etc.* F

cum notis.

36 *Turones, urbs est Galliæ notissima, cujus territorium supra designatur, in qua obiit S. Chlotildis regina ; vide tom.* I *Junii pag.* 297. *Pro* vico Carcentonio, *suspicor scribendum et intelligendum* vicum Carentonium *(Charenton) qui jacet in Borbonensi provincia ad Milmandrum fluvium non procul a fano S. Amandi.* Aureavallis *sub nomine* Orcival *notatur in territorio Claromontano.* Parisius *pro* Parisiis *more antiquitus receptissimo hic ponitur, de qua efformatione obiter dictum inter varias lectiones ad Usuardum illustratum die* III *Januarii.* Mons-lucio *(Montluçon) exhibetur a mappis geographicis in provincia Borbonensi ad Carum fluvium versus ducatus Bituricensis limites, saltem prout illi hodiedum in mappis notantur. Reliquum est, ut nunc subdam Sancti Vitam, eodem prorsus modo, quo ea legitur apud Mabillonium ; nisi quod in nova capita ac titulos more nostro distributa sit. Antiqua etiam capita assignabuntur post prologum, indicato insuper pristino eorumdem loco per numeros Romanos, qui in decursu ad marginem notantur.*

VITA

EX IMPRESSIS.

VITA

AUCTORE ANONYMO, INCERTÆ ÆTATIS

Ex Ms. codice cœnobii Menatensis edita apud Mabillonium inter Acta Sanctorum Ordinis Benedicti seculo tertio, parte I, *a pag.* 404.

PROLOGUS.

a *Exponit auctor claram Sancti genealogiam.* Origo beati Menelei *a* claro de fonte manavit, ex magni scilicet imperatoris Heraclii prosapia *b*. Nam Heraclius imperator genuit Chobar et Modestum, Jerosolymorum episcopum. Chobar

B autem Agor. Agor genuit Amanulfum. Amanulfus genuit Meneleum. Quodam itaque tempore exiit vir religiosus Modestus pontifex ab urbe Jerosolyma, habens comitantes Chobar et Agor secum, Romamque progressi causa orationis, ac ad beati

c Petri basilicam expedierunt occursum *c*. Eadem nocte molestia corporis gravatus Modestus episcopus vitam finivit. Tunc Chobar et Agor perrexerunt cum magno comitatu usque ad urbem Turonensem. Quo cum devenissent in ecclesiam B. Martini, spiritalia petierunt fomenta. Post spatium vero temporis in eundo latrunculi irruentes, mente nefanda injecerunt in eos manus, et gladio exstinxerunt; tantumque Agor a consortio patris et fratrum orbatus solus remansit. Qui prostratus mente cœpit amarissime flere; tamen suffultus præsidio divino, robore accepto, fortis fuit in bello. Tunc consolator supernus, nolens famulum suum nimio cruciari mœrore, misit ei virum Arimundum nomine, qui eum cœpit blandis sermonibus consolari, dixitque ei: Noli contristari nec mœstus esse, sed mecum

C perge in partes Andegavi urbis illustris, daboque filiam meam uxorem nomine Raganildem; ac ditabo divitiis magnis, ut simul fruamini bonis. Itaque Agor in conjugio ducta uxore Raganilde, genuit ex ea filium nomine Amanulfum, qui accepta Docula nomine genuit Meneleum, in quarta feria in primo, in anno autem secundo sub regina

d Brunichilde *d*.

ANNOTATA.

a *Mabillonius Gallice ipsum vocat* S. Menelée; *qui vulgo variis locis dicitur* S. Mauvis *et* S. Manevieu, *teste novo legendista Gallico.*

b *Fabulosam hanc genealogiam castigavimus supra, in Commentario prævio.*

c *Auctor mox ita inepte fabulosus, nullam et hic fidem meretur, uti nec in sequentibus toto hoc pene prologo, uti jam præmonuimus.*

d *Nupsit Sigeberto juxta Pagium anno* 567; *regni regimen ei tribuit noster Daniel citandus, ad annum* 596. *De utrius hic epochæ* anno secundo *est sermo in hoc parachronismo?* D

Antiqua Vitæ divisio.

CAPUT

A

CAPUT I.*

Sancti natales, educatio, progressus in virtute; fuga nuptiarum, colloquium cum S. Theofredo.

LIBER I. CAPUT I.

Illustres Sancti natales

Claris ortus natalibus B. Meneleus antiquam nobilitatis lineam reddidit fulgore meritorum splendidam. Hic ex illius Heraclii imperatoris genealogia descendens, patrem habuit nomine Amanulfum, qui et atavum habuit ipsum Heraclium imperatorem. Hujus itaque B. Menelei prædictus pater Amanulfus genitorem habuit nomine Agor. Is ab Jerosolymis ob amorem Dei B. Martini Turonis expetens suffragia, post aliquantos dies Andegavis pagi propinquos pervenit ad terrarum fines : ubi sicut vir nobilis nobiliter deducens vitam, et nobilem copulans sibi Raga- B nildem in conjugio conjugem, ex ea genuit jam dictum Amanulfum, B. Menelei patrem inclytum. Præfatus autem Amanulfus non degenerans ab inclyta parentum serie, sub temporibus Brunechildis reginæ, totius suæ parentelæ honestavit numerum, dum per misericordiam Dei procreavit verum amicum Jesu Christi Meneleum : qui relinquens patrem et matrem, vovit se Domino serviturum semper.

bona educatione

3 Is igitur B. Meneleus in utero matris suæ spiritu Dei præventus et septemplici meritorum dono adhuc septenni numero annorum munitus, sub disciplina illa se totum constrinxit, de qua dicitur : Beatus vir qui portaverit jugum a juventute sua. Hoc cœlesti magisterio edoctus, infantiæ suæ vias magistravit sibimet institutis senilibus, et ut bona terra centuplicatum fructum reddidit, dum euangelici sermonis auditor et factor promptus exstitit. Nam relinquens patrem et matrem adhuc septennis temporaneus, pius infans pio studio ecclesiarum vicinis adærebat januis. Uno autem dierum, pater ejus Amanulfus audiens quod in tali se studio exerceret atten- C tius, et quod quasi quidam sapiens architectus devovisset velle se serviturum Domino, retrahi eum a tali opere præcepit, virgis quoque vapulari sapientem divinum inscius secretorum divinorum mandavit, indixitque ei, ut ad domum propriam rediens carnalem matrem non relinqueret, donec ipsa ultimum diem communi omnium viventium morte susciperet.

ac virtutum splendore ornati.

4 Post perpessos itaque virgarum ictus, paternæ comminationis auditos minatus B. Meneleus ad matrem rediit, qui in omnibus secundum Deum parentibus et extraneis obediens fuit. Dum autem hoc tale negotium audivit mater, non solum ab ipso pio infante Meneleo, sed etiam ab ipso patre Amanulfo, præfuturos sanctitatis gradus filium divinitus intellexit inquirere, et ad hos consequendos præcordiali filium firmavit benedictione. Multiplicabantur ei laudabilis animi qualitates secundum multiplicatas dierum volubilitates, et quorumdam antiquorum adhuc puerulus transcendebat senium quadam magistrali gravitate morum.

EX IMPRESSIS. II

Voto castitatis obstrictus

5 Cum autem B. Meneleus ad illum pervenisset ætatis terminum, quo transitorio modo conjugii deberet accipere onus laboriosum, plurimi quique nobilium eum expetebant, et ut eis generis pactum conservaret accepta uxore attendebant. Sed illud puritatis, castitatis, et innocentiæ animal cordis sui divino sponsalitio consecratum penetrale pati non potuit, ut morbidi conjugii offuscari in tenebris velit. Inter alios autem quidam aderat nobilitatis magnæ et spatiosæ potestatis, nomine Barontus *a*, qui pro tali negotio perficiendo ad beati Viri patrem Amanulfum Prisciniaca *b* villa venit quantocius. Non sperans etenim erat, ut filiæ suæ despiceretur uxorius amplexus quam nobilitabat et parentum clara speciositas, et ampla divitiarum numerositas.

a patre Amanulfo

6 Beati itaque Menelei pater Amanulfus filio suo suadet, ut super filiæ Baronti conjugium inclinet voluntarium animum et præparatum honorem ne differat, quem sic insperatum arridens fortuna præparat. Super hoc etiam tale negotium voluntas matris inquiritur. At illa, quæ satis bene manebat conscia boni secreti Nati, respondit, E non se sperare, ut umquam esset voluntas Menelei filii se oblectamento carnalis conjugii velle irretiri : quia adhuc dum esset septennis annorum, sic voluntarius invigilabat ad januas sanctæ orationis. Hujus denique sapiens consilium valde reddidit animum Amanulfi turbidum, vel quia ad præoptatam talis conjugii copulam non se posse inclinare filium diffidebat, vel quia hoc prædivinare matrem eam pro certo audiebat. Inflammatus itaque pro responsione matris, eamdem perculit pugno in maxillis, non ad ipsam pertinere susurrans tale negotium, ad quod pensabat posse præparare in proximo tempore Filium.

ad nuptias frustra cogitur :

7 A voluntate deinde patris B. Menelei Barontus ille, cujus filia respuebatur, non discordans, et anulum, quo filia ipsius desponsari eligebatur, pio Meneleo remonstrans infinitis bonorum opibus ditari eum repromittit, et omnium suarum rerum post se primatum posse tenere prædixit. Sed ille, quem zelus stabilitæ perfectionis obdurabat, nec promissionibus, nec persuasionibus aurem perficiendi conjugii accommodare poterat. Unde exasperati cordis valde F amaricatus B. Menelei pater Amanulfus, pium Meneleum baculo percutit ; et superbiens et vana sequens, humilem et stabilita dona tenentem, ne frivola sequatur, comminatur ignaviter. Tandem autem ad satisfaciendum et ad perficiendam voluntatem patris B. Meneleus anulum suscepit de manu Baronti, quasi videretur carnalis maritus fieri velle. Sic igitur ad ultimum subarat S. Meneleus filiam Baronti *c* castus sponsalitio Christi, et castus remanet, et oblativum virginitatis donum firmiter sponsæ retinet.

III

quibus ut se expediat,

8 Septimo jam denique die postquam B. Meneleus tali modo est laudabilis effectus sponsus, pater desponsatæ Barontus initiat nuptiarum diversos sumptus apparare ; ad quos dispiciendos invitatur quamplurimus nobilium conventus, et hunc comitatur utriusque sexus copiosus numerus. Audiens autem vir beatus Meneleus ad tale conventionis opus et præparari copiosam rerum affluentiam, et convenire multorum populorum præsentiam ; nec emolliebatur Christi miles emeritus

EX IMPRESSIS. ritus affluentia copiosæ delectationis, nec frangebatur ab inchoato desiderio supernæ perfectionis. Unde secretos cordis sui thesauros cuidam
d contubernali, nomine Saviniano *d*, reddit manifestos; cui et prædixit, velle se respuere terrenos nuptiarum apparatus, quoniam quidem jam se devoverat Domino serviturum cælibem; et si ibi remaneret, metuebat ne paternæ voluntati amicorumque petitioni non obediens culpam incurreret.

e patria fugit; 9 Magis vero se velle eligere indicat, ut inter montuosos et declivos petrarum scopulos comestum corpus bestiis et avibus tradat, antequam castitatis votum Jesu Christo Domino promissum carnalis conjugii morbido tactu faciat irritum. Super his talibus rebus æstuanti præcordiali Meneleo adfuit ille Auctor totius consolationis in proximo, qui illud antiqui Abrahæ obeditionis dignum memoriale debere sequi Famulo suggerit, ut de terra et de cognatione sua exire velit. Illius itaque Dominici mandati exsecutrix effecta pia deliberatio piissimi Menelei, ab Andega-
B vensi patria primo dierum summo diluculo cum Saviniano et Constantio comitibus suis exiens aufugit. Post longos et asperos viarum amfra-
e ctus in Arvernensi patria, in pago Viciacensi *e*
f inter fluvium Sivolis et Bulbula *f* statuit finem imponere.

IV 10 Sed omnipotentis Dei larga miseratio per-
sed in S. Theofredum incidens, egrinationes Famuli intuitu respexit propitio. Denique dum in eadem patria oberraret B. Meneleus cum prædictis sociis, et necdum firmum statuisset locum habitationis, invenit in loco, qui
g vocatur Vallis Vaveris *g*, quemdam magnæ reli-
h gionis virum Theofredum *h* nomine, qui jugum
i Domini ferens sub Eodone *i*, religioso abbate, non in vanum nec in vacuum studebat laborare.
k Is Calmidiense *k* monasterium regebat, et inibi proficuos religionis fructus quotidie seminabat. Prædictus denique vir Domini Theofredus in prædicta valle sub densa quercu fugabat nimios ardoris æstus, jocundumque refectionis convivium sumebat cum suis secundum tempus opportunum. Initoque B. Meneleus cum Saviniano consilio, ad eum properabat venire cum beneplacito
C animo, perquirere volens ab eo salubre consilium, ei ita futurum tam animæ quam corporis emolumentum. In secretiori autem prædictæ convallis loco positus, vel propter fugiendos pertranseuntes concursus, vel propter effugiendos incendentis solis rimatus; dum insperato beatum virum Meneleum cum suis ad se venire promptissimos videt, aliquid adversitatis per eos sibimet accidere timet.

fugæ suæ causam 11 Sed illum beatissimum Meneleum, cujus mentem, sicut Scriptura dicit, indicabat vultus, inter utrosque socios et pulcritudinis formositate et moderationis gravitate magisterium tenere videns aliquid perfectæ rationis exspectare viros non dubitavit. Unde propius adstantes dulci affamine dulcis alloquitur sanctus Theofredus nomine: Unde, inquit, adventum vestri habemus? Cujus negotii causa per hæc remotioris loci abdita requiritis? An stationes locorum investigatis? An incerti per has solitudinis vias oberratis? Post hos Christianæ collocutionis interrogatus, beatus vir Meneleus præsentes, veridicos et necessarios itineris sui reddidit conventus, atque omnia ne- D
cessaria sancto aperuit Theofredo. Indicat itaque quod patria Andegavensi et villa sit natus Priscinia, sed et nomen patris Amanulfi, et nomen matris Doculæ non reticet, seque Meneleum vocari non piget.

12 Tantarum igitur personarum filium cum *ac perfectioris vitæ*
tanta humilitatis paupertate videns ambulare beatus vir Theofredus, et parentum insinuatam nobilem generositatem multo appretiavit, et insinuatas rationis illius causas credere non dubitavit. Nam post insinuatum nomen patriæ et parentum, illud deliberationis suæ B. Meneleus indicit votum, quo se Domino devoverat serviturum cælibem, cum adhuc esset annorum septem. Ad illud autem ætatis perveniens confinium, quo se posset cohortari ad uxoris deducendum connubium, surrexisse quemdam Barontum nomine, lacrymans replicat, qui ei consentiente patre Amanulfo filiam suam temporaneo conjugio donare deliberat; sed promissionis suæ nolens esse ad Deum immemor, spreta carnalis conjugii copulam, et oblitus patriæ et parentum vadit quærere, ubi omnipotenti Deo libere possit E
servire.

13 Hujus itaque beati viri Menelei laudabile *desiderium ei manifestat; a quo ducitur ad Eodonem abbatem.*
audiens desiderium amator Dei Theofredus, et prudentis viri auditor, laudat affectus, et pervenire in proximo sibi adnuntiat consecutos effectus: Perge, inquiens, nobiscum, sociorumque tuorum non remaneat solatium, hanc talem tui cordis deliberationem domni abbatis Eodonis caritativa manus adducet ad perfectionem. Sic pariter pergens ad prædicti abbatis monasterium, in honore Dei sanctique Petri consecratum, felicis peregrini eidem patri insinuat necessaria, et quod ejus expetat consilium manifestum cum voluntate bona. Audito autem bonæ voluntatis illius desiderio, magno vir Dei repletus est gaudio, eumque ante præsentiam sui venire commendat, ut per eum nuntiata an vera sint audiat.

ANNOTATA.

F

a *In Vita S. Vincentiani, teste Mabillonio hic,* Barontus *dicitur* filius Beraldi ducis Aquitaniæ. *Barontus quidam dux memoratur a Fredegario in Chronico capitibus* 67 *et* 78; *item in libro de Gestis Dagoberti I, capitibus* 25 *et* 36; *hiccine an alius?*

b *Suspicor designari vicum Andegavorum vulgo* Pressigne, *ad Infernum amnem, qui Sartæ fluvio immiscetur.*

c Sensam *nomine, sicut supra diximus; quæ et exprimitur infra.*

d *Fuit hic Sancti intimus amicus in vita, ac post mortem successor. Branchius supra memoratus, lib.* 2 *ei dat titulum Sancti, et coli dicit* XXII *Novembris. Idem nos asseruimus die* V *Junii, pag.* 504, *occasione S. Genesii, comitis Arverni; sed non invenimus ipsum isto die in Fastis Benedictinis.*

e *Loci hujusce situs satis utcumque determinatur ex adjunctis fluviis, inter quos jacere hic dicitur. Territorium hisce intermedium partim ad provinciam Borbonensem spectare, notatur in mappa Arverniæ Blaviana.*

f *De*

A f *De dobus hisce fluviis jam diximus in Commentario prævio, num.* I.

g *In Vita S. Theofredi superius citata fit mentio* Vallis-Vaveris, quæ mox Minarum mutuavit nomen pro regalibus minis : *ubi Theofredus* invenit virum Dei Meneleum, ibidem orationis ædificantem domum, *ut clarum vel exinde sit, ibi positum fuisse monasterium Menatense. Ex Herimberto apud Hadrianum Valesium citatum, in voce* Sicaula *notatur* Vaveris silva , *cujus situs colligitur ex dictis.*

h *De ipso agit Commentarius noster prævius num.* 15 *et* 16.

i *De S. Eudone consule sis Vitam S. Theofredi apud Mabilonium Acta Benedictini seculi* 3, *part.* I, *pag.* 478.

k *Mabillonius ibidem pag.* 476 : Celebre, *inquit*, exstat ad hanc usque diem monasterium S. Theofredi sub Ordine S. Benedicti, primitus Calmeliacense appellatum, sive a Calmelio vico... sive a Calmelio duce, ejus (ut aiunt) conditore. Id situm est in diœcesi Aniciensi (le Puis) apud
B Valaunos (le Velay) ad Ansam (l'Anse) amnem, et radices montis Mesentii, ex quo Ligeris fluvius originem habet. *Plura ibidem prosecutus ex auctore anonymo Chronici Calmeliacensis ex Ms. codice Chesniano, addit*, monasterium vulgo Monastier, ab incolis dici; aliis monasterium S. Theofredi, vernacule de S. Chaffre; abbatem primum habuisse S. Eudonem, Theofredi decessorem ; instauratorem Dalmatium abbatem, Ludovico Pio ferente suppetias : privilegiis *item* gaudere amplissimis, abbate regulari ; pluribusque membris nobilitari : in his prioratu Cameleriensi, qui non longe infra monasterium cernitur : S. Bernardum, abbatem Clarevallensem, de eo agere in epistola 231.

CAPUT II.

Monasticæ vitæ institutum ; apparitio angelica de mutando loco ; pastus miraculosus.

C

V *Monastico cœtui adscriptus*

Cumque ante beati viri Eodonis præsentiam et antedictæ rationis replicasset causas, et voluntatis et deliberationis suæ intimasset curas ; hoc propensis precibus replicabat, ut ipsum commendans Deo et spiritui ejus, sui monasterii corpori adjungat. Hujus itaque precibus aurem accommodans abbas Eodo, congregationi suæ ibi Deo servienti, devotum Meneleum adsociat, et exemplar obedientiæ, quod inibi viderit, tenere commendat, terrenique victus suplementum cum eis alacriter imperat sumere. Sed post redditas quidem suæ privatæ receptionis et suæ solius consolationis gratias, fratrum se comitantium Saviniani et Constantii non est oblitus curas. Dum autem pro ipsis apud eumdem patrem Eodonem abbatem caritativo affectu postulat mercedem, non frustratur precibus : quoniam et ipsi imperio prædicti abbatis ceteris adjunguntur fratribus.

variis virtutibus excellit. 15 Susceptus autem tali modo B. Meneleus in congregatione fratrum, cœpit exemplar bonorum omnium esse, et nondum recisa cæsarie capitis præmonstrabat rebus et operibus mortificationem carnis. In omnibus enim sibi injunctis causis sapiens opponebat studium obedientiæ ; et ut de David dicitur, quia ubicumque mittebatur, se prudenter agebat ; sic et hic B. Meneleus cum astuta prudentia serpentis, et cum dulcedine columbineæ simplicitatis finiebat omne summum sui laboris; et ut apud Deum humiliatum cor reservabat, humilitatis corporis supplementum hominibus præmonstrabat. Nimio enim amoris vinculo quosque sibi devinciebat, cum quibus colloquium alicujus ratiocinationis resolvebat. Sic dilectus Deo et hominibus nimiis jejuniis corpus afficiens, animum pascens, dies destinabat operibus, noctes in orationibus transibat et in lectionibus. EX IMPRESSIS

VI *Monet eum angelus*

16 Iis et innumerabilibus laudem fructibus septennio annorum numero satians beatum Meneleum omnipotens Deus, famam ipsius laudis extendit in multarum terrarum locis, et ne præclara secundum euangelicum dictum sub modio lateret candela, eum super fulgoris candelabrum posuit illa vera et ardens Lucerna, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, ut qui eruditus erat ampla scientiarum Dei via, erudiret imposterum populos salubri institutionis doctrina. Dato autem noctium conticinio dum iisdem beatus vir Meneleus se dedisset sopori congruo, superni nuntii angelus non dormienti neque dormitanti legatus ei adstitit, terque eum proprio nomine vocavit dicens : Menelee, Menelee, Menelee. Angelica autem visitationis triplicatione excitatus, inconsuetos miratus est sonitus, nec tamen perpensari potuit, ut ad tam humiliatæ personæ præsentiam mitteretur angelicus nuntius, qui solos perfectorum demandabat conventus. E

de repetendo loco, quem reliquerat ;

17 Sed insolita vocatione perterritus sanctus Meneleus respondit : Quis es, qui me vocas? Angelus inquit ad eum : Ne timeas, sed dum illustris diei superveniet aurora, jussionis meæ festina perficere mandata. Tui vero laboris solatorem Savinianum ne dimittas, qui tecum inchoatæ bonitatis perfiniat vias. Propera autem ad eum denominati loci terminum vivaciter venire, ubi invenisti virum religionis Theofridum requiescere ; ibique vel quid triplicatæ vocationis meæ requirat arcanum, tibi demonstrabo ; vel quid supernus Artifex pro te velit facere, insinuabo. Post hoc angelicæ admonitionis imperium, et postquam in monasterio Calmidiacensi septem annorum revolvit numerum, repletus septiformi donativo, ad ante dictam Vallem Vaveris dedit retrogradum cum gaudio ; et inibi attendens per aliquod temporis spatium angelicæ præceptionis monitum, in sanctitate et justitia coram Deo omnibus manebat diebus, unde revisitari meruit iterum lætus. F

cumque paruisset, denuo monetur ab angelo, ut ibi locum orationis construat.

18 Quodam enim die fatigatos artus corporis dans quieti, congrue sub frondosæ quercus foliis somno obdormivit amico lassati corporis ; iterumque amicum Meleneum angelus visitat, et promissionis suæ causas inquiens insinuat : Menelee, in loco, in quo dormis, tui laboris studio præpara domum orationis, ubi frequentata angelicæ visitationis sublimitas æternæ consolationis orantibus aperiat januas. Exspectatæ angelicæ promis-

EX IMPRESSIS. promissionis auditas causas indicare studuit socio Saviniano, oblitus spirarum moras. Hujus autem beati Menelei insinuatam visionem animo pertractans Savinianus, credere non dubitavit ad cum posse venire visitationis conventus, qui angelicam vitam in terra positus servans, semper manebat omnipotentem Deum orans ; et dum duplicatos angelicæ visitationis adventus recordatur, quantocius ut acceleret facere jussa hortatur : quoniam quidem talis operis injunctio tali digniter conveniebat nuntio.

VII *Miro modo* 19 Sed ante equidem quam cœlestis jussionis inchoarent opus facere, et intra se de tali perficienda structura tractarent subtili mente, consolatos eos reddidit temporanei victus supplemento ille, qui non dat in æternum fluctuationem justo. a Nam e vicina silva *a* quædam fera sus profusi corporis, dilatatæ crassitudinis exiit, et quasi antiquæ recognitionis domesticum videret, ante beatum virum Meneleum pervenit ; et feritatis deponens excussus, cœpit lingere ejusdem beati Viri pedes blandis lineamentis linguæ. Hujus itaque feræ beluinos motus videns immutatos B beatus Meneleus, perpensabat, quod adveniret sibi pro tali signo aliquid profectus ; sicque comitem Savinianum submonuit, ut ex annona elaborata proprio labore aliquid apportare velit, unde vicinam suem pascere possit. Pasta autem sus hoc tali edulio, a Meneleo caritativæ jucunditatis amico imperatam obedientiam ad perfectionem inducit congruam.

pascit illum Deus. 20 Nam huic Sanctus commendat jocundo imperio, ut subsequenti nocte ad eum revertatur cum alicujus obedientiæ donativo. Nec terminum autem commendatæ noctis transgrediens, nec vacua ad Virum Dei veniens, non extranea apportat dona, sed quæ ea enutrierat, vexerat. Septem namque porcellos secum adducit, quorum multiplicatio per longum non diminorata est annorum spatium ; sed dedit adjutorium in diversis rerum sumptibus vel necessitatibus, quas proprias patienter semper sufferens, misericorditer autem aliorum consolabatur sanctus vir Meneleus.

C

ANNOTATA.

a *Per hanc non videtur intelligi alia, quam* Vaveris silva, *de qua supra in annotatis ad cap.* 1.

CAPUT III.

Matris, sororum ac sponsæ vita solitaria; a Baronto, sponsæ patre, intentata Sancto mors.

VIII *Quærunt et inveniunt S. Meneleum mater, sorores et sponsa;* In eodem interim vallis Vaveris commorantes secretiori loco, et necdum præparatos habentes sumptus aptos operi commendato, uno dierum ab occidentalis regionis parte beatus Savinianus matrem Sancti Doculam, sororem Boculam, et sponsam nomine Sensam, quam adhuc puer Meneleus casto sponsalitio Christi desponderat, vidit venire. D Dulcedo etenim matris, amabilitas sororis, et caritas conjugis ad eum perquirendum illas submoverat ; et ipsis pro zelo invicti amoris licuit illud euangelicum comprobare veridicum esse, quo dicitur : Omnis enim qui petit accipiet, et qui quærit inveniet, et pulsanti aperietur. Mater igitur filium, soror fratrem, solo nomine conjux requirens maritum, post aliquanta dierum curricula in Arvernensi patria invenerunt petitum, quæsitum, pulsatum, verum amicum Dei Meneleum. Has insperato videns venire cum eodem Saviniano beatus Meneleus, substitit timore obstupefactus, vel quia decrepitæ ætatis matrem oblatam esse; vel quia nobilem conjugem solo amore Christi cognitam, speciosam parentum progeniem sui causa videbat postposuisse ; vel quia pro ejus amore, tanti laboris et tanti itineris deliberassent vias accipere.

22 Tandem animi devictus dulcedine, matrem alloquitur filius dulci affabilitate : Cur, inquiens, mater oblita canos nivei capitis, oblita antiquos dies tuæ defractæ senectutis, peregrinaris in ignota patria, solatiata sororis et conjugis præsentia? *matrisque verbis non mollitur, sed propositi arrepti tenacem se ostendit,* Post maternæ dulcedinis extersas lacrymas, audit a matre beatus vir Meneleus causas E peracti itineris. Replicat autem mater inter alia paternos Amanulfi super accipiendam filiam Baronti in conjugio restrictus, et replicat super illud negotium suæ maternæ æstimationis conventus. Hoc tamen numquam se potuisse perpensare indicat, ut timore conjugis invite desponsatæ, filius patrem et matrem, fratrem, sororem, ejus affines homo patriam suam relinquere debeat. Sed divini amoris igne succensus beatus vir Menelcus nec matris emolliebatur ploratibus, nec anteriores se pœnitebat fecisse conventus.

23 Virile denique robur a visu conservans IX sanctus vir Meneleus, ab amico socio Saviniano *easque, angelo locum monstrante,* prudenter investigat, quid super eas, quæ eum secutæ fuerant, facere debeat, non obliviscens illud scriptum inter plenum sapere, quod salus sit ubi multa contigerit consilia regnare. Is autem Savinianus melioris consilii partem elegit, et ut eis ædificetur cellula, ubi æterno sponso possint servire, aperit. F Hoc autem tale consilium qualiter placuerit, non latuit Savinianum in tempore longo ; sed subsequenti nocte dati consilii, apparuit eidem Saviniano angelus Domini, qui demonstravit locum vastæ solitudinis cohærentem fluvio Sivolis, ubi deberet perficere amore matris, sororis et castæ conjugis casti Menelei, sicut consilium dederat, domum orationis.

24 Demonstravit quoque quod eas ad speciale *ad colendam solitariam vitam inducit,* opus suæ virtutis Altissimus expeteret, dum abjecta veteris hominis veste eas vellet hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate, vestire. Angelicæ jussionis visionem beato Meneleo Savinianus vivaciter indicat, et super earum stabilimentum nulla dubietas amplius subintrat. Tunc pariter veri Dei cultores animis lætis insinuati loci vadunt videre situs habiles ; sicque demum præparatis sumptuum copiis, perquisitis artificibus, inchoant fervidi præoptatum opus angelicæ demonstrationis. Quod ad perfectionem talem adduxit omnipotens Deus in numero quadraginta dierum, comprobans

bans

A bans beati Menelei gratiam et meritum, comprobans vota peregrinantium mulierum, domumque illam in honore Dei et in memoria beatæ semper Virginis Mariæ *a* dedicari faciunt, ubi et ipsæ sanctitatis fide et opere collocant fundamentum stabilitum et firmatum in cœlis in perpetuum.

X *Quo facto, revertitur ad pristinam solitudinem;* 25 Is igitur matre, sorore et solo nomine conjuge in apto stationis loco collocatis secundum Dei velle, solita admonitione angelicæ familiaritatis veri Dei amatores Meneleus et Savinianus discunt, ut ad prædictam vallem Vaveris repatriarent, et ibi profuturos in longum posteris labores apponerent. Qnod fervido suscipientes animo, fervidi ipsi exsistunt in labore cœlitus commendato. Nam discussa tepiditate animi et oblita quiete corporis proprii, grandes succidunt silvas; et nunc ferramento, nunc igne supposito hirsuta et aspera convallis Vaveris loca reddunt in proximo planæ perambulationi apta.

XI *sed Barontus sponsæ pater* 26 Cumque multiplicatus inchoati operis fructus non solum Deo placeret, sed etiam hominibus, id ipsum ille mali artifex, callidus depravator recti operis, disturbare tali modo voluit; B sed æternus consolator subdolos illius conatus irritos, vanos et conquassatos reddidit. Namque unus ex servis illius Baronti, superius nominati, ad eumdem dominum suum veniens, diversa beati Menelei opera aperuit ei inquiens : Ille tuus quondam notus desponsator filiæ tuæ Sensæ, Meneleus nomine, matrem et sororem præcantans propriam, ab Andegavensi patria aufugit cum filia tua, et latitat modo in partibus Arvernicæ regionis et in eremi Viciacensis superioribus locis, ibique quodam obtentu præcantationis demulcens plurimos, miraculorum se prædicat facere potentatus altissimos. Auditas et permixtas veritati conjecturas Barontus credens, præsentiæ subtractæ filiæ condoluit gemens, vel quia eam maritali modo sicut desponsaverat puer Meneleus non tenuerit, vel quia insperato utrosque perdiderit.

hoc ægerrime ferens, 27 Hoc variabili concitatus modo, vestimenta, quæ indutus erat, disrumpit tali audito nuntio, et inter singultuum refractus replicat dolores pro perdita præsentia filiæ, et replicat derisus C pro desponsatione ipsius sublatæ filiæ. Tantis denique videns prædictus servus affici dominum suum Barontum tristitiis, repromittit illi quia si sequeretur eum, illius Menelei præsentiam et locum demonstraret ipsius stationis. Malus malo credens, et ut vulgo dicitur, unumquodque animal simile sui diligens, delatorem suum promissionibus multis Barontus dominus obfirmat, et promittit, quod ab eo etiam obnoxiæ servitutis nodum disrumpat, si dictis suæ promissionis facta discordare non faciat.

XII *Sanctum quærit, et mortem ejus spirat:* 28 Præparatis deinceps ad denominatum iter sumptibus, et coadunatis ducentis quadraginta tribus militibus, aggreditur Barontus amaricatus cordis felle S. Meneleum perquirere. Jamque Exandonensis pagi *b* fines intraverat, et ex quodam monasterio, vocabulo Tresfagio *c*, se abstrahere posse necessaria sumptuum confidebat, anhelans cum satellitibus suis Andegavensibus sanctum Virum exstinguere, qui secundum Deum vivens nec dolum fecit, nec umquam facientibus consentire voluit. Huic autem beato Meneleo laboranti in prædicta valle Vaveris jussu angelico manifestatum est plurimorum relatu, adesse inimici sui Baronti præsentiam in proximo loco; hocque beatum Virum non latuit, quod illum expetere ad mortem quærat, quia pensabat quod filiæ ejus præsentiam, quam sibi desponsaverat, a paternis oculis subducere fecisset. EX IMPRESSIS.

sed is imperterritus hostem excipit, 29 Sed nec terroribus nec minis Christi athleta Meneleus frangi potuit, sed indutus lorica justitiæ, et protectus galea salutis æternæ et adsumens scutum fidei et gladium salutis, quod est verbum Dei, simul cum Saviniano, participe sui laboris, festinat occurrere, ubi audivit esse Barontum cum militum turmis. Denique dum jam ad Bulbulæ fluenta propinquassent, et armatum Barontum armis bellicis vidissent, medias catervas Christi armatus præsidio fortis Meneleus irrupit, et inter inimicas hostium catervas invincibilis stetit; eumque tunc non solum nomine, sed etiam digito indice quidam explorator domino suo Baronto demonstrat, et Savinianum cum eo adesse insinuat, qui beati Menelei in omnibus favens præcepto, cum ipso peregrinationem subiit animo intrepido. E

XIII *et ad quæsita ejus* 30 Pro anterioris igitur conventionis pacto et pro præsenti demonstratoris servi signo beatum virum Meneleum recognoscens Barontus, et quodam ipse potentatus vento inflatus, eum ad se venire commendat, et firmæ stabilitatis columnam arundineæ nobilitatis expavescere sibilo cogitat. Si, inquit, Menelee perverse, parentum consanguinitas, si vicinorum familiaritas, si patriæ tibi displicuit vicinitas, paternas et maternas non dimitteres videre januas? An verebaris exprobrari pro tali ejus conjugio, quæ firmabatur et parentum insigni gloria, et pulcritudinis specie decora? His interrogationibus sale sapientiæ nimium jejunis beatus Meneleus, cui vivere Christus fuit et mori lucrum, respondit hilaris :

apposite respondet. 31 Transitorios paternæ et maternæ dulcedinis affectus, et vicinorum amicabiles concursus, et patrios lares pagi Andegavensis relinquere me fecit amor illius Patris, qui promisit fidelibus suis dicens : Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror et mater est. Præsentiam filiæ tuæ, in Christo F conjugis meæ, subtractam paternis et maternis oculis cur conquereris, quæ relinquens hujus mundi postes, adquisivit cælestes sedes et angelicos cives? Terrenam ejus gloriam et ejus pulcritudinem carneam specificat ille, qui clarior sole et sublimior angelis in sua residet sede. Tenuis autem itineris labor nec ullum sapere habuit in initio, nec finem habebit secundum voluntatem tuam, sicut attendisti * in proximo.

* *forte* attendes

ANNOTATA.

a *Haud longe a Menato et Sivola fluvio, teste Mabillonio hic, exstat vicus vocabulo* Nostre Dame de Lisseule; *quo in loco forsitan istud cœnobium quondam situm fuerit.*

b *Vulgo* Issandonois; *cujus caput* Exandonum (Issandon)

EX IMPRESSIS. *(Issandon) modo oppidulum haud procul a Visera fluvio, paullo supra Usercum oppidum. Inde non longe distat vicus in quo sepultus S. Vincentianus,* S. Viance *ab ipso appellatus, uti observat Mabillonius.*

c *De monasterio* Tresfagio *seu* Trisfagio *plura infra, maxime num.* 41, *ubi in honorem S. Saturnini Tolosatium præsulis (de quo cum Martyrologio Romano agendum erit die* XXIX *Novembris) dedicatum fuisse legitur. Locus Mabillonio ignotus, nisi continebatur in pago Exaudonensi, de quo in nota præcedente.*

CAPUT IV.

Baronti pœna ; adepta per Sanctum valetudo ; collata ipsi munera.

B

XIV *Barontus fatalem Sancto ictum intentat, sed a Deo punitur :*

Talibus responsionibus beati viri Menelei exasperatus animus Baronti, gladium, quo accinctus erat, manu discutiens, frivolas et inanes minitationes evomuit inquiens : Quis est qui te eripere posset de manibus meis ? Sed beatus vir Meneleus nec varias gladii districtiones, nec ventosas minarum apparentium timens verbositates, liberatoris sui adesse præsentiam dicit, qui in sui liberatione nihil laborabit. Ad singulas itaque sapientis Menelei responsiones acuens Barontus ille amaricati cordis et denudatæ buccæ dentes, evaginat gladium, sanctique Menelei vult amputare *a* caput angelicum. Sed ante promissi liberatoris præsentia denudatum gladium excussit de Baronti illius dextera, et pro superbia inflati cordis obtexit oculos ipsius nube cæcitatis, et flexibiles digiti manuum senserunt plorabilem incurvatæ contractionis nodum. Talem corporalem afflictionem se suscepisse Barontus indoluit, quia in interfectionem sancti viri Menelei exarsit.

XV C *sed dum suasu S. Vincentiani,*

33 Sed miseratoris et misericordis Domini longanimitas, quæ non in perpetuum reservat iras, nec vindicat bis in idipsum, præparat eidem Baronto salubre consilium. Perterritis itaque ejus cæcati et contracti viri militibus, unusquisque idipsum laboris et doloris ad se timebat venire, quia sequentes senioris voluntatem, statuerant cum eo persequi Menelei deificam simplicitatem. Inter eos autem quidam Vincentianus *b* nomine adfuit, qui sciens verum esse, quod durum sit contra stimulum calcitrare, omnia vincentis humilitatis arma domino suo Baronto suadet, et insinuat ut anterioris veneni tumorem et superbiam evomat. Hoc autem eidem specialiter suggerit, ut corporalis afflictionis acerbitas oblivisci ei non faciat salubres animæ vias ; sed ad virum Dei Meneleum transmittat, cui super ipsius salutis negotium invigilare placeat.

ad ipsum S. Meneleum pro pristina recuperanda sanitate, recurrere statuit,

34 Vincentiani non displicuit Baronto auditum consilium, ipsumque Vincentianum isdem vir cæcatus et contractus submonet, quantocius pro tali mercato ire ad virum Dei Meneleum : cui mandat quod eum honorare multis bonis velit, si in anteriori sanitate, quam perdiderat, eum remittere possit. Jussionis illius verba Vincentianus tanto libentius peragere festinat, quantum id expetere vel esse necesse domino suo Baronto considerat. Bene autem habens sancti viri Menelei familiaritatem cognitam, ad tale consequendum negotium, Saviniani perquirit consilium. Is autem erat familiarissimus beati viri Menelei in omnibus. Cui aperiens domini sui acres dolorum aculeos, quos pro cæcitate oculorum, et pro nodosa chiragra manuum deplorabat quotidianos, illud supplex exposcit, ut secum ad medicum salutis Meneleum venire velit, cui summam Baronti aperiat necessitatem, et apud eum possit deplorare ipsius culpam grandem. D

XVI *adhibito, qui rem Sancto commendet, Saviniano,*

35 Preces itaque Vincentiani vir Dei Savinianus suscipiens, damnati corporis Baronti cæcitatem et contractionem supplex aperuit. Qualiter autem eidem Baronto displiceret præjecta beato Viro tortitudo, non reticet, insinuatque ejusdem vasalli recognitionem, et super præsumptæ præsumptionis casum, quam facere vellet et posset emendationem. Interim tamen misereatur super illius Baronti corporis damnationem, E et pro eo velit aures Domini amicas sibi interpellare, ut ad anterioris sanitatis redire posset valetudinem, et ut recuperata sanitate corporis posset pœnitere neglectum inimicæ vanitatis. Supplicem Vincentiani viri Dei [et] Saviniani legationem beatus Meneleus suspiciens, ad singulas eorum preces caritatis et compassionis coaptavit responsiones, inquiens :

ac fusis pro ea precibus.

36 Corporalis cæcitas et temporalis membrorum contractio Baronti si displicet ad præsens, nimium mihi valde tamen complacet recognitio ipsius vanitatis et deliberatio ipsius emendationis. Restauratio autem sanitatis ejus in illo solo permanet, qui humiliator inflatæ superbiæ et exaltator regnat humilitatis non fictæ. Deprecationis vestræ obaudiens monitum, fratris Baronti paratus sum visitare doloris et infirmitatis lectum ; et si eum adjuvare poterit nostri medicaminis manus, ad hoc me præparatum in omnibus videbit oculus. Deinde pro eodem fundimus ad Deum preces, ut diminorentur ipsius Baronti criminum pestes, et ut pristinæ sanitati restituatur, F et ut tam pro animæ quam corporis alacritate lætatur.

XVII *postquam petiisset a Sancto veniam delicti Barontus.*

37 Post adnunciatas itaque Baronti necessitates, quantocius ad eum vir Dei Meneleus venit, per eum rescire volens, qualiter ipse Vincentiani et Saviniani attendere vellet legationem. Audiens autem prædictus Barontus propius se adstare beatum virum Meneleum, corruit in faciem suam et ingemuit dicens : Peccavi coram Domino et coram te, Serve Christi, peto ut indulgeas facinoribus meis propriis, et dissolvas crimina mei reatus orationibus tuis. Hujus namque recognitionem videns et audiens beatus Meneleus, et ferinos prioris vitæ animos recognoscens, in melioris deliberationis magistratus immutatos proclamavit lætus et alacer inquiens : Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Et tanto voluntarius pro eo reddidit orationem Domino Jesu Christo, quanto id expedire ei videbat deploranti cæcitatis et contradictionis damnaticia membra.

38 Ad perquirendam autem sanitatem non

nocuit

A *pristinam vires facultatem recipit,* nocuit anterioris conventionis pactum, quod utrque recognoscebat, dum isdem Barontus filiam suam Sensam nomine eidem puerulo Meneleo terreno conjugio copulare voluerat, eamque isdem casto sponsalitio Christi desponsaverat. Post hanc autem orationem quam spiritu Dei dixit : Dominus Deus aperiat oculos tuos ad cognoscendam viam veritatis; et postquam eum secundo adfirmavit adfirmatione verbi euangelici, Amen Amen, Savinianus ille testis fidelis; statim aperti sunt oculi Baronti, et clare inchoat videre vultum angelicum Menelei. Pro reddendis autem gratiarum actionibus isdem Barontus ad terram corruit, et cum lacrymis dixit : Gratias tibi, Deus, qui facis voluntatem timentium te, et superbis resistis, qui autem te humili diligunt corde exaltas.

XVIII *ac manuum sanitatem :* 39 Recuperato itaque oculorum visu, tanto instantius in recuperatione sanitatis manuum persistebat Barontus, quanto id necessarium sibi esse videbat, et quantum id apud Deum posse impetrare beatum Meneleum confidebat. Videns B autem sanctus Dei Meneleus Barontum emendatioris vitæ vias velle tenere, tale eidem viro dedit responsum : Ego oro pro peccatoribus et persequentibus et calumniantibus nos ; ideoque fiat tibi secundum cor tuum in bonum. Post finem autem orationis quam Domino Jesu Christo fuderat Meneleus filius veræ caritatis, initiant manus Baronti naturam motionis sentire, et dolor cœpit paullatim minui, et venarum nervi solidius firmari.

XIX *culpam deinde expiat,* 40 Restauratum itaque Barontum in perfecta corporis sanitate videns beatus vir Meneleus, ut in profutura animæ sanitate invigilaret submonebat instantius. Gratia vero Dei continuus labor seminatoris Menelei non secus viam, nec super obturatam petram, nec inter spinas seminans divinum semen, ad multiplicati incrementi fructum adduxit suum laborem. Nam ut bona terra tempus serotinum, sic Barontus suscipiens viri Dei Menelei verbum, quemdam bonæ religionis sacerdotem nomine Leopasium ad se venire commendat, cui negligentiarum suarum committit eradicationem, ut abundantem in corde suo pos- C sit habere admonitio patris sui Menelei fructificationem. Is etenim Leopasius vir magnæ compassionis collaudans humiliatum animum Baronti pœnitentis, antiquarum ejus negligentiarum caritativa manu disrupit nodum ; et lætus ad sua sacerdos loca rediit, et lætiorem Barontum tam pro sanitate sui corporis, quam pro salute suæ animæ dimisit.

XX *et Virum sanctum donis cumulat.* 41 Gratia mortificatoris mortis et vivificatoris vitæ in sanitate perfecta corporis Barontus permanens, meliora emendationis vitæ multiplicat opera ; et quantum cœlestis honoris desideraret bonum, demonstrat dispertiendo suum terrenum. Nam eidem beato viro Meneleo multis precibus c suasit, ut quædam munera *c* suæ potestatis susciperet, eaque in suo jure et dominatione retineret. Monasterium namque, nomine Trisfagium, in honore Dei et in memoria sancti martyris Saturnini Tolosensis pontificis consecratum, cum terris, silvis, pratis, servis et ancillis et commansis vestitis quadraginta sex eidem beato Viro contulit.

42 Post autem aliquod spatium temporis ad meliora succensus animus Baronti, secum revolvere cœpit, qualiter prius datum debuisset crescere. Illam autem voluntatem quibusdam primoribus suis aperiens, taliter cum eis sermocinationis habuit initium, inquiens : Terrenæ potestatis honoratus numerositate et spatiosa divitiarum ditatus amplitudine, filiorum progenie video me carere divina prædestinatione, qui terrena patris possint recipere bona, eaque tenere per quædam annorum tempora. Inter primores autem consiliarios Baronti quidam adfuit Helias nomine, qui super brachia suæ deliberationis sapienter accepit, quid conveniebat consilium facere salutis. Vides, inquit, quantum iste homo beatus Meneleus dilectus sit Deo et hominibus, etc. Unde salubre et salutare mihi videtur, ut ipsi plurimorum bonorum tuorum hereditas donari debeat, per quem recognovisti tortitudinis tuæ casum, et per quem redisti ad sanitatis modum, etc. EX IMPRESSIS. XXI *quibus alias deinde possessiones*

43 Donat itaque per consilium Heliæ eidem beato Meneleo has villas, Avolcam et Varicium in Exandonensi pago, cum præfato monasterio, nomine Trisfagio, sub testamento legum et sub testamento chartarum, manuque propria subterfirmavit, idemque cessiunis scriptum ipsi beato Viro tradidit. Præcavens autem isdem beatus vir Meneleus in posterum subdolorum hominum fraudes, et ut sapiens quia longe bene videt, confirmare volens Baronti donationes, ad eumdem virum transmittit quemdam suorum nomine Constantium, cui mandat hortaturque, ut post cessionis chartulam, transmitteretur ei quidam missaticus *d*, qui eum revestiret de donatis rebus. Bonum denique illum consiliarium Heliam ad hoc opus perficiendum transmittit, qui prædictas res Constantio legato sancti viri Menelei tradidit, et illam donationem cum charta illarum villarum et illarum possessionum videre fecit. *adjungit.* E d

ANNOTATA.

a *De hac historia aliter ab Herimberto narrata egimus in Commentario prævio, num.* 26. F

b *Majorem hujus Sancti notitiam suggerit Commentarius noster prævius num.* 16.

c *Quomodo hanc narrationem prosequatur Herimbertus, habes in Commentario prævio, num.* 27.

d *Id est, missus seu legatus. Varia habet Cangius ad vocem* missus.

CAPUT V.

Probata S. Menelei constantia, clericatus, consecrata ecclesia ; multorum ad vitam perfectiorem conversio, accusationes.

Quantum igitur omnipotens Deus beatum virum Meneleum in terris laudare faciebat pro suis virtu- *Combustum monasterium*

EX IMPRESSIS. virtutibus, tantum isdem Vir Dei in omni bonitate se exercebat, et in convenienti structura sui monasterii sedulus invigilabat. Jam autem bene eam ad bene perfectum adduxerat. Sed huic ille mali artifex diabolus invidere inchoat, suamque, permittente Deo, voluntatem ad horam adimplet : quoniam quidem una noctium omne beati Viri ædificium arsum in favillis remanet. Sed Vir Domini, qui in adversitate mundani damni non diminorabat intentionem cœlestis desiderii, ad præfatum monasterium Trisfagium, et ad præfatas villas Constantium transmittit, eique commendat, ut illarum potestatum homines ad reædificandum orsum monasterium venirent. Ad hoc opus injunctum singuli quique bene voluntarii præparant animum, singulisque dividitur partitio operis, quam perficit unusquisque, ne tepidus blasphemetur in operatione sui laboris.

Sanctus restaurari curat;

45 In constructione igitur sui monasterii beatus Meneleus studium apponens laboris pii, non perdebat horarum suarum passus; quia eos adducebat ad multiplicationem bonorum omnipotens Deus. B Illius autem monasterii structuram et sapientis architecti ædificationem congruam plurimi quique veniunt videre, et ad id exemplum sua quæque ædificia possunt meliorare. Unde ad eumdem Virum venit abbas vallis Vaveris *a* uno dierum beatus ille Theofredus, in cœlis semper glorificandus, et in terris venerandus, et qui eumdem sanctum Dei Meneleum ad magnæ religionis Eodonem abbatem adduxit, sicut in superioribus nostro villalinus * calamus descripsit : multoque gaudio gavisus est tam super beati Viri cognitam bonitatem, quam super ejusdem monasterii structuram habilem.

* *forte* villanus, rusticus

dumque clericus

46 Subsequenti deinde die illustris atque magnificus Eusebius *b* Arvernensis episcopus advenit, et hi tres sanctæ Trinitatis veri amatores, post salutationis gaudium, post pii amoris osculum, se satiant divinorum eloquiorum dapibus, et permanere in omni bonitate se confirmant alterius manibus. Sic in amore Dei omnipotentis se alteruter confirmantes, ad id consolidandum tale inter se inierunt consilium, et virum Dei Israëlitam Meneleum ad clericatus elegerunt officium, C et a capite ipsius recidentes capillos, eum enumerarunt inter Dei filios. Hoc tale inventum statuunt peragere, quod infinitum non solum ipsis apportavit gaudere, et pagenses lætificavit alacritate multa, verum innumerabiles externi benedixerunt Deum super audita talia facta.

LIBER II. CAPUT I. *esset factus,*

47 Postquam igitur beatus Meneleus clericatus suscepit officium, in mortificatione sui corporis vivum Christi Jesu se semper faciebat incensum. Quod qualiter cœlesti placuerit divinitati, crebra miraculorum per eum patrata demonstrant opera, quæ laudabilia peregit adhuc in laïcali manens corpore, sicut præcedens libellus simplici resonat serie. Quantis autem laudabilioribus virtutum operibus eum honoraverit omnipotens Deus, manentem in officio clericatus, in sequenti libro deliberamus, qualitercumque possumus, scribere, ut memoriam scriptoris suæ vitæ dignetur isdem beatus Meneleus conscribere in sui memoriale.

48 Secundo itaque die post susceptum clericatus officium, multis precibus admonuit beatus Meneleus domnum Eusebium Arvernensium pontificem, ut domum, quam construebat, ministerio consecrationis suæ domum Dei faceret. Cujus petitionem libenti suscepit animo, eamque novellæ ædificationis domum in honore Dei et in memoriam S. Martini summi pontificis consecrat, ex cujus et ex incomparabilis pretii aliisque reliquiis locum consecratum et benedictum honorificat. Sic eumdem diem insimul læti duxerunt, et bene omnibus compositis rebus, singuli quique læti et alacres ad sua loca repatriaverunt. D

ecclesia consecratur in honorem S. Martini.

49 Dehinc cœpit vir Dei Meneleus in divinæ operationis studium se exercere solicitius, et hinc habiles monasticæ districtioni construere sedes, hinc ædificare advenientium hospitum utiles divisiones. Cumque bonam suæ conversationis famam non solum Arvernica patria, sed etiam quamplurimi remotiores audirent; ad eum venire multi deliberant, et aliqui superfluæ curiositatis mundanas sarcinas dimittere eligunt. Ad hoc itaque confirmandum sicut sapiens aperit vias : et pro bono suæ conversationis exemplo, et pro conditionis suæ magisterio relinquentes plurimi seculum, susceperunt vita et moribus monasticum habitum, E veræ salutis et veri honoris dignum amictum.

Plures ejus exemplo monasticam vitam amplectuntur

50 Sed incrementum constructi monasterii et augmentum boni gregis, qui sub uno caritatis et pacis vinculo se constrinxerant, et regulari tramite proprios usus rerum et voluntatum a se abdicaverant, jam incipit omnium perfectorum hostis diabolus invidere. Unde super beati viri Menelei disturbationem multam malorum ruminat machinationem; et super hanc quemdam eligit principem, qui invidiæ zelo iraque tabescens, laudanda beati Viri opera apud Brunechildem *c* reginam blasphemat, inquiens : Ignotæ parentelæ nec appretiatæ personæ quidam ab incertis partibus terrarum in regno tuo subintroiit, qui dealbatæ sanctitatis simulatione quosdam vanæ rationis homines sibi adsociavit, et despecta potestatis tuæ gloria, magnæ spatiositatis amputare quosdam amplitudinis saltus facit per meliores venationis tuæ silvas.

III invidente

et rem disturbare conante diabolo

51 Post dedecus itaque tantum, magnum videbit sibi tua honorificentia subintroire damnum, et si gravi interminationis damno non fuerit hæc F repressa tortitudo, accrescet in pretiosiori tuarum rerum defensione despectio frequentata et non perterrita sine numerositate. Acutas accusatoris suscipiens Brunechildis accusationes, quæ solita erat apponere iniquitatem super iniquitates *d*, ad sanctum virum Meneleum ilico transmittit, et sine perpensata ratione eum ad se venire præcipit præsumptuose. Ad beatum Virum itaque commendatus missaticus veniens, et iracundæ reginæ venenatos animos celans, ex ipsius parte talia mandata adnuntiat inquiens : Magnificentia Brunechildis reginæ præsentiam tuam non prolongato tempore ad se commendat venire. Adbreviatas subdoli mandati Vir Dei audiens causas, simplicis responsionis nuntio aperuit a se deliberatas vias : Vade, inquit; et quo velocius potero reginæ mandata perficiam bono animo.

IV

52 Reginæ etenim Brunechildis audito beatus Meneleus nuntio, monasterii sui curam committit

beato

A *per reginam Brunichildem, quam placare donis,* beato Saviniano, anterioris laboris participi familiarissimo; Audoenum autem socium sui itineris esse præcipit, ut videat, ad cujus utilitatis finem præceptio reginæ pertrahere velit. Ut autem amicabilius posset adstare reginæ obtutui, pauper terrenarum rerum, dives cœlestium, sanctus vir Meneleus præparabat quædam donaria, vini scilicet, piscium et mellis; et hæc secum apportat, ut meliorem locum receptioni inveniat. Consuetum autem suæ carricationis *e* asellum sibi sterni commendat, ut inspirati itineris cursum vivacius perficiat. Et sic cœpto itinere pervenit ante præsentiam Brunechildis reginæ, quæ tunc temporis in Vinciaca *f* curte ventilabat honoris et potestatis suæ decus mortale. Deportatas igitur secum eulogias *g* blande volens offerre, iracundum nimium sensit animum reginæ; et caritatis illius dona nihil perpendens, iracundæ interrogationis talia verba in eum evomuit, etc.

v *et verbis satagit;* 53 Iracundis itaque interrogationibus reginæ vir Meneleus reddidit responsiones humilitatis magnæ. Nec præsumptionis, inquit, arbitrio, nec pro vanitatis vento in tuæ potestatis silvas, o regina, ædificavimus domos amplas, nec damni alicujus exinde tibi adveniet casus, si digneris audire nostri sermonis recursus. Oberrabam quondam per vastæ Vinciacensis silvæ lucos, et præ tœdio lassati corporis incurri somnos amicos quietis; ibique angelicus nuntius imperat mihi, ut in loco quo dormiebam, ibi divinæ pietati domum orationum facerem, etc.

ANNOTATA.

a *Fuit is quidem abbas Calmeliacensis, de quo supra, sed quo titulo vocetur abbas* Vallis-vaveris, *non equidem satis assequor : nisi forte, quia* S. Meneleus, *patrem et nuptias fugiens, in eum ibi incidit, uti habes num.* 10, *sed hoc est valde improprium.*

b *Alias* Bonitus, *de quo Commentarius prævius.*

c *Parachronismus ante castigatus hic denuo recurrit.*

d *Virtutes et vitia infelicis hujus reginæ passim ex historicis nota sunt. Baronius ad annum* 614 : Risimus, *inquit*, recentiorem auctorem, qui conatus est... Brunichildem excusare. Æthiopem lavans, quæ ab omnibus historicis hujus temporis sacrilega, sanguinaria, et ubique nefaria conclamatur : neque enim Gregorii laudes crimina postea commissa purgant. *Novissime vero noster Gabriel Daniel in historia Franciæ, Parisiis anno* 1713 *tribus tomis edita, tomo* 1, *col.* 294 *mediam hic viam tenendam censet, declinatis utrimque nimiæ excusationis atque exaggerationis extremis. Sed an hæc tam vere quam benigne dicta sint, aliis discutiendum relinquimus.*

e Carricare, *est carro seu curru vehere; item onerare, quasi carro onus imponere, teste Cangio.*

f *Supra scribitur* pagus Viciacensis inter fluvios Sivolam et Bulbulam. *Hic vero paullo post occurrit* Vinciacensis silva : *unde colligi datur, a biographo designari* curtem *seu aulam in territorio Vallis Vaveris, vel saltem eidem contiguam. Cave itaque hanc confundas cum* Vinciaco, *in agro Cameracensi, Caroli Martelli de rege Chilperico ac de præfecto palatii Ragenfredo victoria anno* 717 *relata, notissimo : de quo Hadrianus Valesius in notitia Galliarum.*

g *Varia notatur hujus vocis significatio apud Cangium, quam hic accipi pro munere, satis liquet.*

EX IMPRESSIS.

CAPUT VI.

Cura monasterii, persecutio Brunechildis; ejusdem pœna, liberatio et munificentia; procuratæ a Sancto reliquiæ, visitatio angelica, annuntiatio diei mortis; substitutus ipsi successor; obitus.

E

VI *sed frustra. Ideo, adhibito Leopasio presbytero, consulit suo monasterio;* Tunc Vir sanctus fidei constantia firmatus, a conspectu reginæ egressus est dicens : Ego interfectionem tuam non timeo, et minas tuas pro nihilo duco. Sic ad proprii laboris ministerium redit, et socium sui itineris Audoenum ad quemdam honestatis et bonitatis presbyterum, nomine Leopasium, vivaciter transmisit : cui mandat ut ad monasterium ejus veniat, eosque Deo et spiritui ejus offerendo sacras hostias commendare velit, ne aliquid disturbationis vel adversitatis eis evenire possit. Ad perficiendam igitur mandatæ caritatis obedientiam velocius sacerdos Dei Leopasius suam repræsentat præsentiam. Opus enim divinum peragit, et fratres in omnipotentis Dei servitio ardentiores facit. Et dum eos Deo in præsenti lucrari desiderat, se lucratum spiritali benedictione amat.

qui etiam Leopasius fit monachus. 55 Nam eorumdem fratrum ipse intuens fraternam dilectionem et unanimis conversionis amicabilitatem, pertractare postmodum intra se inchoavit, qualiter amore æterni Dei mundum dimittere possit, qualiter in ejusdem congregationis numero se adjungere possit. Ille autem qui voluntatem timentium se perficit, ad hoc sequendum Leopasio vias aperit. Isdem autem presbyter Leopasius postmodum mundani laboris sarcinas et mordacis curiæ limas cambiare volens, cœlestis delectationis abundantia monasticum habitum suscepit mente integra, et sanctum monasterium multa honorificentia honorificat; itemque sui juris quamdam ecclesiam donat in honore Dei et in memoria S. Gervasii *a* dedicatam.

VII *Frustra iterum cœptum a Meneleo opus Brunichildis conatur evertere;* 56 Imperio interdum Brunechildis reginæ eliguntur quidam ministeriales *b*, qui præcaveant, ne possit sanctus vir Meneleus in prædicto loco Vaveris laborare, et qui penitus opus adnullent, quod sic insperato ad perfectum venire vident. Unde uno dierum eumdem beatum Virum quidam nuntius reginæ cum ceteris fratribus in prædicto loco videns laborare, furibundo occursu eum assallit *c*, et operatorem bonum disturbare voluit, et antedictæ reginæ minas pro nihilo eum ducere accusavit, dum post interminationis ejus man-

EX IMPRESSIS. mandatum in illo loco permanens, mortem subire non timet insaniens.

VIII IX

qui a quibusdam in aula amatur, et a Deo honoratur miraculo,

57 Vir igitur Domini Meneleus divinæ misericordiæ in se videns factum opus, inchoatæ viæ cursus non dimittit, sed ad palatium quo residebat Brunechildis regina, pervenit. Adventum itaque beati Viri in curte quidam boni testimonii viri amabant, et perversitatis cultores invidebant. Omnipotens igitur Deus fidelis sui Menelei meritum et gratiam demonstrare volens, quamdam puellam dæmonico hoste depressam per ejus liberavit orationis precem continuam, etc.

X

Brunichilde maxime ei adversa;

d

58 Duros autem nodos cordis reginæ volens soror ejus nomine Dotiva *d* emollescere, auditæ virtutis signum ei suadet credere non esse frivolum, nec tantum bonum potuisse facere adfirmat Beatum, per aliquod diabolicæ incantationis derisum ; sed beatum Meneleum amare ex vero corde illum omnipotentem Deum proclamat, qui sui virtute superbos conculcans, humiliatos exaltat. Venenatas itaque aurium arterias ad credendum nec per hoc præparat Brunechildis, quæ
B semper amabat discordias ; sed maligna indignatione repleta occidere commendat S. Meneleum sine ulla ratione demandata. Unde adjudicatus morti non deservitæ S. Meneleus, propheticæ interminationis non reticet asperos maledictus : Muta fiant, inquit, labia dolosa, etc.

XI

sed tandem ei favet.

59 Dedit quoque eidem sancto Viro villam nomine Sigolam cum appendiciis suis, et ecclesiam inibi fundatam in honore Dei et in memoria S. Martini summi Pontificis consecratam : dedit etiam jure perpetuo licentiam ampliandi terminos sui monasterii secundum suum velle. Post confirmatum itaque donationis numerum indicat ei sancto viro Meneleo regina Brunechildis, aggreditur viam ad Franciam tendentem, et beatus Meneleus lætus revertitur ad monasterium suum, et lætantes gaudentesque facit fratres propter adventum suum.

XII

Sanctus suis bene habentibus illum favorem significat, et Savinianum monasterio præficit :

e

f

60 Venerabilis itaque vir Dei Meneleus ad monasterium suum reversus, a Saviniano sui laboris participe requirit, qualiter sua congregatio bonæ conversationis stabilimentum hactenus tenuerit. Auditum autem bonum eorum exemplum collaudat, et inde omnipotentem dominum Deum benedicere non tardat. Prosperos deinde sui laboris eventus eis indicat, atque qualiter benevolentia Brunechildis *e* reginæ monasterium suum honoratum habeat. Sic ferventiores in Christi Jesu servitio fratres facit, quia unusquisque eorum bonum non dignoscit. Venerabilem autem Salvinianum ad Exandonensem transmisit pagum, eumque Deo et spiritui ejus commendans, villas et monasterium *f*, quod in eodem pago erat, illius ditioni committit : præcipit quoque, ut fratrem Constantium velocius sibi retransmittat.

XIII

qui reliquias a Baronto obtinet,

g

61 Imperium sancti patris itaque Menelei suscipit Savinianus, et laboribus manuum suarum comparat cœlestis abundantiæ fructus. Uno autem dierum illum notæ amicitiæ videt esse Barontum, superiori libello sæpius nominatum, qui ex villa Nantiniaca *g* ad videndum confratrem Savinianum venerat, et amicabiles cum eo ratiocinationes revolvebat. Inter amicabiles autem confabulationis recursus petit Barontum beatus Savinianus, ut pretiosas aliquot Sanctorum reliquias *h* eidem transmittat, quas poneret in monasterio quod construebat. Justam justi petitionem Barontus recipit, et pretiosas Sanctorum reliquias eidem transmittit. Sed B. Menelei in diversis rerum occupationibus Savinianus intentus, portionem * requirere neglexit quorum Sanctorum apportasset reliquias. Reversus autem isdem portitor ad sua loca, brevi peracto tempore caruit corporis vita. Unde magis doloris cumulus accrevit. D h

* portitorem

cujus essent mirabiliter manifestatas

62 Beato attamen talis anxietatis mœror non displicebat Domino, qui mirabilius certum reddidit Savinianum, ejus comprobans fidem et meritum. Nam vadens beatus Savinianus ubi erat sepultus qui reliquias apportaverat, multiplicum inibi orationum lacrymas disrivat ; et dum super dubictatis suæ conqueritur casus, divina prædestinatione redditur certus. Audiente enim multitudine, quæ inibi aderat, eas esse sanctæ Dei Genitricis Mariæ, nuper qui fuerat mortuus proclamat. Tam admirabile igitur signum audiens beatus Meneleus, nuntium vivaciter ad beatum transmittit Savinianum ; mandans, ut ad se veniat, et super auditum signum virtutis ipsum certum faciat. E Jussionem boni Patris bonus filius obaudit Savinianus, et ad eum vivaciter repatriat, et veras rationes de manifestis reliquiis enarrat.

S. Meneleus visitatur ab angelo, et diem mortis docetur :

63 Super demonstratum itaque meritum fratris Saviniani beatus Meneleus multas gratias reddidit Deo omnipotenti, firmioris adjutorii ab eo attendens solatium, quo non remansit frustratus in fine dierum. Una igitur nocte beatum Meneleum angelus Domini visitat, proprioque nomine eum tertio appellat, et quantam apud omnipotentem Dominum gratiam et meritum habeat insinuare ei non tardat. Vir, inquit, sanctus es, et Sanctorum meruisti consortia, unde cœlestia promerebaris accipere regna. Subsequenti autem nocte angelorum turmam ad te videbis venire, qui pro sanctitatis tuæ innocentia cum claritate et cum modulatione angelica benedictam corporis tui animam introducent in cœlestem gloriam. Beatus igitur Meneleus angelicis congaudens adspectibus dixit : Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. F

substituto sibi Saviniano

64 O virum pacificum, cujus oculi in cœlum, et manus semper respiciebant in bonum ! Vere beatus, qui tam creberrime vultus angelorum meruit prospicere, eorumque frui alloquio, et diem mortis suæ prævidit, et si per ignem, sed ignem perennis gaudii credere potuit. Angelicum denique sermonem conventus, qui in domo erant, audiebant, sed superni decreti missaticum videre non poterant. Obitus vero sui beatus Meneleus non obliviscens, salutarem custodiam cœlesti nuntio requirit, quem super negotium illud dominus Deus eligere velit. Super id studium dignus Savinianus insinuatur, qui vita et moribus comprobatur. Unde eumdem ad se Vir Dei vocare præcipit, et insinuatæ obedientiæ curam aperit, quam susceptam digne adornat, et multiplicis incrementi manipulos per dierum multiplicia curricula aggregat.

65 Terminum itaque sui insinuati obitus videns adesse Vir Dei Meneleus, fratres, quos ipse XIV

Deo

A Deo lucraverat, et quos in uno sacri ovilis gremio aggregaverat, adstare sibi præcipit, et appropinquatum vitæ suæ terminum eis prædicit. Pacis autem et caritatis eos militiam custodire admonet, ut præceptis Saviniani futuri patris obediant suadet. Dum enim super filiorum profectum invigilat, ad eum Genesius *i*, comes Arvernensis religiosus, ex villa Combronita *k* appropinquat, qui beato Viro inter alia donationis munera, castrum montem Maurum *l*, inter fluvium Sivolis et Circiarum *m* amnem, donat voluntate bona. Advenit autem ex partibus Arvernis quidam Romendricus, qui pro quibusdam suæ possessionis terris accepto pretio, eas transfudit in jure et dominatione monasterii dilectoris Dei Menelei.

et monasterio novis possessionibus aucto,

i
k
l
m

inter angelicos concentus e vita migrat.

66 Bene igitur compositis rebus omnibus, promissos angelorum audit sanctus ille Meneleus concentus, qui familiarem amicum visitant, et bonæ actionis sua opera Deo repræsentant. Unde securus jam de percipiendæ mercedis denario, et aggravato infirmitatis stimulo, et post, consummato perfectæ christianitatis obsequio, caritativi amoris poculum delectabile demandat, et post se fratribus offerre commendat. Postquam autem et pater filios, et filii patrem absolvunt, et benedictas patris sui Menelei manus in manibus suis suscipiunt, munitus Salvatoris crucis vexillo, sarcinam carnis suæ reddidit seculo, et animam felicem et beatam reportavit Domino, undecimo Augusti Kalendario *n*.

B

n

ANNOTATA.

a *Observat hic Mabillonius, exstare etiam nunc vicum S. Gervasii altero milliari a cœnobio Menatensi distantem.*

b *Varie vox ista accipitur, ut videri potest apud Cangium. Sive autem per illam hic intellexeris ministros seu officiales mediæ aut infimæ dignitatis aut etiam summæ, parum interest.*

c Assalire *(Gallice* assaillir) *est adoriri, invadere. Vide Cangium in voce* adsalire.

C

d *Noster Mariana de rebus Hispaniæ lib.* 5, *cap.* 9 *refert, Athanagildum, Brunechildis patrem,* genuisse ex uxore Gosuinda filias duas, Galsuindam... et Brunechildim. *Et* Galsuintha ætate senior, quam Brunichildis erat, *teste S. Gregorio Turonensi lib.* 4 *historiæ Francorum, cap.* 28, *ubi de ea plura. De* Dotiva *hac viderit auctor, ne hilum quidem fidei in tota hac historia, quatenus Brunechildem respicit, promeritus ob Cymmerias parachronismi tenebras, in quibus hic rursum palpat.*

e *Antecedentia omnia, quatenus Brunechildem una cum Sancto in scenam producunt, ut iterum dicam, falsissima sunt.*

f *Exstat, teste Mabillonio hic, præpositura quædam prope Exandonum et vicum Avorcam, Usercensi abbatiæ subjecta : quæ an hoc loco designetur, non facile dixerimus. Forsitan ibi erat Tresfagium monasterium, de quo supra.* EX IMPRESSIS.

g *Locus ille adeo nobis incompertus est, ut notitiam ejus malimus discere, quam docere.*

h *De istis reliquiis quædam retulimus in Commentario prævio ex Herimberto; qui in reliqua narratione hic descripta, teste Mabillonio in notis, consentit.*

i » *In Vita S. Præjecti seculo nostro* 2 » *inquit Mabillonius* » *laudatur Genesius comes Arvernen-* » *sis, qui Felicis episcopi successor designatus, cum* » *acquiescere noluisset, S. Præjecto locum fecit;* » *idem fortean Genesius sacerdos, qui a Baronto ad* » *Rusticum, Lemovicensem episcopum, ab obtinen-* » *das reliquias missus dicitur supra ad caput* 20 » *ex ipso vero apud nos in Commentario prævio num.* 27. *Ita quidem conjectat Mabillonius; sed perperam : nam quo minus primus iste Genesius, S. Præjecto synchronus, hic intelligi queat, tempus repugnat, annus videlicet* 675, *qui Præjecto ibi aptatur. Nec fuit alter iste Genesius, quia is sacerdos exstitisse asscritur. Intelligendus itaque hoc loco est tertius aliquis Genesius, comes Arvernius, ætate posterior primo; secundo autem non ætate, sed sacerdotio dispar : de quo in Commentario citato, num.* 15 *et* 18. E

k *In Officio Breviarii capituli Camaleriensis, quod superius in Commentario prævio citatur, de S. Genesio comite Arvernio dicitur :* Ut liberior orationi vacaret, non longe ab arce Combronia, paternis munita propugnaculis... sæpius degebat. *Hanc a Sancti patre munitam post excidium urbis Luciæ, notat Branchius supra memoratus, in Vita S. Genesii, eamque vocat Gallice* Combronde; *quæ* 4 *circiter milliaribus Claromonte versus Septemtrionem distat, hunc inter et Menatum fere media.*

l *Quod per hoc castrum intelligatur S. Genesii* prædium, Aula-Maura ab incolis dictum, supra rivum Trundinem dictum, *uti habes in laudato mox Officio, suspicari utcumque malumus, quam asserere ; nec porro idemne, an diversus locus sit, satis in individuo notum nobis est. Et vero quo presse individuo loco castrum hoc poni debeat, hactenus nos latet : cujus nec nomen, nec situm uspiam deteximus. Fuerit alicubi in Arvernia, quatenus Menatum respicit, ob additum* fluvium Sivolis, *de quo supra, nec non donatoris ac doni adjuncta.* F

m *Amnis iste quamquam non satis cognitus, videtur tamen alicubi locandus in Arvernia ob rationes in nota proxime antecedente assignatas.*

n *Id est* Undecimo Kalendas Augusti, *versus annum* 720, *cum argumenta non suppetant, e quibus eum certo ac determinate figas. Adi Commentarium prævium num.* 17.

DE

A

D

DE S. THEOPHILO JUNIORE MARTYRE

IN CYPRO.

J. P.

Notitia ex Fastis Græcis, ac Martyrologio Romano; elogia, narratio martyrii.

ANNO DCCXC.

Datur Sancti memoria ex Mss.

Dies huic sancto Martyri sacer notatur apud *Græcos* XXX *Januarii, quo ipsum refert nostrum apographum ex Menæis Græcis a Septembri ad Martium, quod habemus, ex monasterio S. Marci PP. Prædicatorum Florentiæ; adde aliud ecgraphum nostrum, cui superscribitur* ex Ambrosiana, *haud dubie bibliotheca Mediolanensi, pluries a nobis citata. Castellanus ad marginem textus sui Martyrologii universalis notat, idem nomen, quod ex et cum Romano hac die* XXII *transcribit, pridie signari in Kalendario Æthiopico; at forte non recte legit : nam in Kalendario istius gentis apud Jobum Ludolphum in historia Æthiopica pag.* 423 *signatur* Theophila. *Menologium Basilii imperatoris ab Ughello ex parte editum tomo* 6 *Italiæ sacræ, col.* 1204 *his verbis Sanctum annuntiat* : Eodem die (XXX *Januarii)* certamen S. Theophili Junioris.

B

et Menæis Græcorum excusis,

2 *Quo etiam die Menæa magna excusa, et eodem plane modo ipsum signant, addito tamen titulo* martyris, *atque his versiculis :*

Ὁ Θεόφιλος τῆν φίλην τιμᾶται κάραν,
Θεοὺς φιλῆσαι μὴ θελήσας βαρβάρων.
Perdit Theophilus ense dilectum caput;
Quia barbarorum diligere non vult deos.

Θεόφιλος *est* Deum diligens, *vel* a Deo dilectus, *ad quod alludit poëta per voces* φίλος, *et* φιλῆσαι, *uti primo intuitu cuilibet patet. Maximus, Cytherorum episcopus, de more Menæa secutus, ipsum etiam signat eodem die. Cognomentum* Junioris *ipsi additum judicamus, ut a martyribus synonymis distinguatur, qui eum tempore præcesserint; inter quos fortasse potuit censeri ille, qui die* II *Octobris in Romano Martyrologio annuntiatur Constantinopoli, et multa passus est sub Leone Isaurico pro defensione sacrarum imaginum, et tandem in exilium ejectus obiit. Nisi forte, quod non adeo tamen videtur verosimile, respexerint ad alium Theophilum martyrem sub Diocletiano, capite item plexum; quem daturi sumus die* XXIII *hujus.*

C

ac Martyrologio Romano.

3 *Idem Martyrologium Romanum hac die* XXII *Julii ipsum nostrum Martyrem memorat his verbis :* In Cypro S. Theophili prætoris, qui ab Arabibus tentus, cum nec donis nec minis flecti posset, ut Christum negaret, gladio cæsus est. *Unde autem ibi ad hunc diem retractus sit, non est nobis certum, imo ne divinatu quidem satis promptum. Enimvero hic eidem non præluxit, sicut alias solet, Menologium a Sirleto versum et a Canisio editum, in quo Sanctum hunc nostrum nec isto die nec alio memoratum reperimus. Atque hæc quidem sunt, quæ ex Fastis sacris qua Græcis, qua Latinis circa Sancti memoriam notanda occurrunt.*

Elogia ejus

4 *Laudatum autem Menologium Basilianum loco citato, sequenti elogio eum prosequitur :* Theophilus Constantinopolitanus, ordinis senatorii, a Constantino et Irene orthodoxis imperatoribus declaratus cum tribus aliis dux adversus Civærrectas, ubi primum Saracenorum classis in conspectu fuit, instruxit se statim ad pugnam, et dubitantibus sociis prælium inire, ipse cum suo dromone, facto in hostilem classem impetu fortissime pugnabat. Cum ceteri duces gloriæ ejus invidentes, arrepta fuga, solum [eum] reliquere. Circumventum itaque Saraceni capiunt, et, parta victoria, domum reversi, carceri includunt. Unde quarto post anno eductus, solicitatusque frustra, ut deserto Christianæ religionis, idolorum cultui sese addiceret, capite multatus occubuit. *Quibus consonat elogium in Menæis magnis excusis; quæ tamen pro tribus,* duos *dumtaxat* alios duces auxiliares Theophilo adjungunt.

E

cum nostris observationibus.

5 *Pro* dux adversus Civerræctas *dicendum erat,* dux in legione Cibyrrhæotarum : *nam in apographo nostro lego* στρατηγὸς.. εἰς τὸ θέμα Κιϐυῤῥαιωτῶν. *Interpretem deceperit præpositio Græca eis, cum accusativo : ubi tamen frequens est enallage* τοῦ εἰς *pro* ἐν, *ut videsis lexica. Quod hic dicitur,* dubitantibus sociis prælium inire, *non invenio in apographo nostro. Neque hic lego* ἀπῆλθε μετὰ στόλου, discessit cum classe *(Theophilus) quod tamen habent Menæa. Porro* dromon *(Græce* δρόμων) *navis est oblonga et velox, seu cursui* (τῷ δρόμῳ) *expedita; de qua consuli potest Cangius in utroque Glossario. Atque hæc obiter notasse sufficiat, ne lector alicubi hæreat. Porro brevis hujus Martyris historia a Græcis narrata, quorum in similibus non raro fides vacillat, solide confirmatur ex Chronographia S. Theophanis, qui tum vixit, et a Constantinopolitanis, aut alibi in Oriente rem gestam fidelissima relatione discere potuit, et haud dubie revera didicit. Ita autem illa ibidem exponitur pag.* 392, *editionis regiæ Pariensis anni* 1655 :

F

Narratio martyrii ex Theophane;

6 Interea Arabum classis in Cyprum expeditionem suscepit; quod cum imperatrix *(Irene)* præsensisset, collectas pariter Romanas omnes naves in eos instruxit. Cum autem ambo duces Myram pervenissent, superato Chelidoniorum promontorio, in Italiæ sinum classem immiserunt. Arabes porro Cypro solventes, tranquillitate in mari exorta oberrabant. Cumque terram prospicere cœpissent, extemplo eos adnavigantes classis præfecti conspexerunt. Quare classe ad prælium instructa, bellum commiserunt. Theophilus autem Cibyrrhæotarum dux, vir robustus et militiæ idoneus, animo nimium confidens, ceteris omnibus retro relictis, hostes aggressus, ab ipsis captus ad Aaronem adductus est. In ejus conspectu positum religionis desertorem et proditorem fieri, terrenisque rebus voluptuose delectari pluribus Aaron hortatus est. Is cum oblata quæque respueret, et magis ac magis

A gis pollicitationibus et minis solicitatus non acquiesceret, tandem gladii pœnam perpessus, martyr evasit.

circa quam nonnulla item observanda proponuntur.

7 Myra, *quod etiam numero plurali efferri solet, urbs est Lyciæ mediterraneæ notissima, de qua agit Strabo in Lycia, aliique geographi, et nos ad diem* xv *Aprilis, pag.* 376. Chelidonium *vero* promontorium *pars est montis Tauri, in mare Pamphylium prominens.* Ataliæ, *seu potius* Attaliæ *sinus in eodem jacet tractu. Quod attinet ad vocem* Κιβιρραιωτῶν, Cibirrhæotarum *(Menæa excusa scribunt* Κυβυρετῶν) *notanda circa illam occurrunt ista.* Cibioretensis classis *meminit Ortelius ex historia Miscella lib.* 22, *addens* in Cypro insula videri. *Eidem auctori signatur* Cibarreotis *ex Porphyrogenneta, et* Κιβαρῆτις *vel* Κυβαρῆτις, *regio quædam Asiæ circa Mæandrum ; uti* Cibyra *duplex, urbs in Asia Minori, quarum una cognomento Magna, sita sit in Phrygia aut Caria, ei vicina, haud procul a dicto Mæandro flumine ; unde Plinio vocata fuerint* Cibyritica juga, Cibyritica præfectura, *et Tacito* Cibyritica civitas. *Alia vero Minor, in Cilicia circa Antiochiam ad Cragum vel non longe a Mela flumine, juxta illum. De Magna agens Strabo (vide ejus*
B *indicem)* Inter maximas, *inquit,* Asiæ præfecturas Cibyratica habetur. *Hanc forte respexit Theophanes, quamquam nonnihil differat in formatione istius vocis* Κυβαρραιωτῶν, Cybarrhæotarum, *quorum* dux *vel præfectus exstiterit* S. Theophilus.

8 *Addit,* animo nimium confidens, *etc. Non itaque dicit, cum invidia proditum, quod indicant Menologium et Menæa supra citata ; de quo ipsa viderint.* Aaron *ille Arabum dux, ad quem deductus dicitur Sanctus, Mosi item Arabi duci ac fratri successit, teste eodem Theophane, inter ea, quæ narrat sub Indictione* IX, *quæ respondet anno Christi* 786. *Et isto quidem anno debuit* Theophilus *fuisse captus et ad Aaronem deductus, si verum esse velis, quod Græci superius narrabant de quadriennali ejus captivitate ; de qua tacet Theophanes, idque ante mensem Octobrem : nam mense Septembri cœpit, et ab ipso notatur fuisse Indictio* X, *et Sancti martyrium ab eodem refertur inter ea, quæ habet sub Indictione* XIII, *ac proinde captivitas anno* 786 *ante Octobrem ; martyrium autem anno* 790 *illigandum est. Unde perperam in notationibus ad Martyrologium Romanum scribitur* martyrii coronam adeptus anno Domini DCCLXXXIV ; *recte tamen additur* Constantino et Irene imperantibus : *nam Theophanes illum tradit solum proclamatum imperatorem sub Indictione* XIV, *quæ cœpit a mense septembri ejusdem anni* 790.

AUCTORE J. P. *et corrigitur annus martyrii in notationibus ad Martyrologium Romanum.*

De palæstra martyrii non constat.

9 *De palæstra martyrii nihil habemus comperti ; annuntiavimus tamen Sanctum in Cypro cum Martyrologio Romano, silentibus de hac aut alia palæstra* E *aliis sacris Fastis ; quæ non incongrue ipsi attribui potest, ut quæ occasionem præbuerit captivitatis ac proinde martyrii, ac mare Pamphylium, quod illam insulam alluit, certe dictæ captivitati atque adeo martyrio initium, si non finem dederit.*

DE S. HIERONYMO EPISCOPO

PAPIÆ IN INSUBRIA.

Ex Monumentis Papiensibus.

J. B. S.

SECULO VIII.

C

Antiquis Fastis ignotus

Quam incertæ sæpius quamque obscuræ sint res ecclesiæ Papiensis seu Ticinensis, ex præsertim quæ ad non paucos vetustiores istius urbis episcopos spectant, utpote sub finem seculi XVI *primum congeri et digeri cœptæ, non semel in Actis hisce nostris notatum ac deploratum invenies ; neque enim scriptores ipsi, recentiores omnes, aut serie, aut numero, aut ætate inter se ipsi conveniunt. Breventanus et Gualla ab ordine chronologico ferme præscindunt ; Antonius Maria Spelta* S. Hieronymum XXVI *numerat, Ughellus* XL, *de Gasparis* XXXIX. *Æque dubia est ætas, quam certis calculis figi non posse, inferius manifeste patebit ; uti nec tempus regiminis, ab aliis ad novem, ab aliis ad tredecim annos extensum. Neque in gestis ejus enarrandis major concordia, nempe quæ ex mera traditione accepta videantur, nullo antiquo vade suffulta. Ceterum scriptores isti omnes Episcopum suum sanctum certatim prædicant, quidquid in omnibus antiquioribus Fastis ignotus sit, unde Castellano exortum crediderim scrupulum, quo minus eum referret ; in indice diserte asserens, eum hoc die a se omissum, tametsi probe sibi notum, sufficienter ostendat.*

2 *Neque vero* S. Hieronymi *Papiensis usquam meminerunt vel ipsius seculi* XVI *Martyrologi Itali Maurolycus, Felicius aut Galesinius (huic enim a Ferrario in Catalogo generali falso tribuitur) ut mirandum plane videatur, sepultam tamdiu fuisse Sancti istius memoriam, quam Ferrarius quodammodo suscitaverit, et post ipsum Constantinus Ghinius in Natalibus Canonicorum regularium. Id vero longe mihi magis mirum visum est, quod ipsum pridem repererim signatum in vetusto codice Usuardino Beneventano, litteris Gothicis scripto, quem Vaticanum appellamus sub num.* 5949, *ubi disertis verbis annuntiatur :* Natale sancti Jeronimi episcopi Ticinensis in S. Sophia. *Impulit me istæc annuntiatio, ut operosius inquirerem, quo tandem modo aut qua occasione Sancti istius Hieronymi cultus, forte apud suos per id tempus neglectus, Papia Beneventum transmigraverit ; cujus rei nec vestigium hactenus occurrit, nec porro occurret, nisi ecclesiæ istius possessores æque accurate Sanctorum suorum aut advenarum cultum recenseant, quam alia enumeraverint quæ in Chronico S. Sophiæ tomo* 8 *Italiæ sacræ vulgavit Ughellus.*

a paucis recentioribus, signatus est,

F

haud dubie ex monumentis Beneventanis.

3 *Ut ut autem hæc habeant, ex isto vel simili codice necesse est,* S. Hieronymum *hausisse Grevenum, ex quo in Molanum atque in Canisii seu Wal-*

AUCTORE J. B. S.

lasseri Germanicum subinde profluxerit, eadem sed breviori phrasi : Papiæ, S. Hieronymi episcopi. *Atque hi sunt soli Martyrologi apud quos sancti istius Episcopi commemorationem invenerim. Magis etiam inducor ut credam annuntiationem Beneventanam in alios quoque, nescio quos codices transiisse ; quod Beneventi meminerint additiones Mss. ad laudatum Grevenum, a nobis citari solitæ sub nomine Cartusiæ Bruxellensis, tametsi exemplar ipsum, cui istæ appositæ sunt, jam in Museo nostro pridem possideamus. Porro ita istic adscriptum legitur :* Benevento in sancta Sophia, sancti Hieronymi episcopi. *Neque dubites, Ticinensem seu Papiensem hic intelligi, cum nullum istius nominis Sanctum in Catalogo suo agnoscat Vipera. Porro ex hisce* S. Hieronymi *cultum satis evinci, puto esse extra controversiam ; utinam Acta superessent ex quibus de ejus virtutibus et miraculis certius edoceremur!*

Elogium

4 *Vidit et legit Ferrarius citatque scriptores præcipuos Papienses Guallam, Breventanum et Speltam ex quibus elogium suum desumpsit ; quod satius* B *est describere, quacumque id demum auctoritate subsistat, quam trium istorum varias phrases connectere. Ex Ferrario suum contraxisse videtur Ghinius, non parum deflectens ab ætate, quam frustra hactenus elucidare conati sumus. Ita habet Ferrarius :* Hieronymus S. Theodoro episcopo ætate jam confectus non sine divino prodigio successit : cum enim S. Theodoro vita functo, Augustinus archidiaconus a clero et populo, prout ambiverat, electus, Romam pro impetranda a summo Pontifice confirmatione profectus, in reditu diem obiisset, (quod illi ante S. Theodorus prædixerat) clerusque una cum populo ad majorem ecclesiam ad postulandum a Deo precibus antistitemconvenisset, vox quasi pueri audita est, ut cuncti sacerdotes advocarentur ; quo facto, vox eadem dum sequenti die omnes orationi pro novi episcopi electione incumbunt, unum ex sacerdotibus deesse auditur.

ex Ferrario,

5 Facta inquisitione, Hieronymum vetulum ecclesiæ S. Mariæ Perticensis æditiuum non adesse compertum est : qui cum mox accersitus adfuisset, illa eadem vox, illum esse, quem Deus ad C munus episcopale elegisset, omnibus manifestavit. Quare de more consecratus, curam agressus est pastoralem. Plurimis vivens miraculis resplenduit, cum vel solo tactu pallii sui infirmos curaret. Cum aliquando pauperibus eleemosynam de more faceret, in illis quemdam multa febre trementem, et nudum propria veste contexit, repenteque ille sanatus est. Cum ad regem vocatus festinus venisset, æstuque ex itinere vexatus, pallium exuisset, illud radio solis (qui sibi pertica videbatur) impositum in aere (mira res) subsistere visum est. Cum ad ædem S. Stephani protomartyris extra urbem pergeret, mulier a dæmonio possessa statim ad sancti Episcopi adventum liberata est. Denique ubi ecclesiæ Ticinensi annos tredecim præfuisset, cessit e vita XI Kal. Augusti, Hadriano I Pontifice maximo, in ecclesia, quæ S. Mariæ de Pertica vocatur, cujus æditiuus fuerat, tumulatus.

qui ejus ætatem æque ac alii ignoravit.

6 *Atque hoc ferme est Breventani et Guallæ elogium, præterita merito grandi indulgentia quam scriptores isti Sancto revelatam aiunt in S. Adriani* D *sacello aliquo, ex usu sui seculi antiquiora non recte metientes, ut alia taceam, quæ Ferrarius rectissime contraxit aut neglexit. Sintne vero satis probata quæ ibi narrantur, miracula, equidem non ausim asserere : quemadmodum enim suspensio illa pallii e solis radio (non semel hoc ipso mense data) aliunde accersita videtur, sic facile etiam alia huc translata sint. Sequitur apta Ferrarii observatio.* Quo præcipue tempore obierit, *inquit,* sciri minime potuit, aliis rege Longobardorum Astulpho adhuc vivo, aliis vero Desiderio ultimo rege regnanto, illum obiisse scribentibus. Quod si Hadriano Pontifice migravit, sub Desiderio excesserit, necessarium est, ex Fastis Panvinii. *Dicamus candide, Breventani et aliorum conjecturas omnes id unum evincere, quod recte ipse fatetur,* nullum scriptorum repertum esse, qui quo tempore fuerit hic Sanctus episcopus annotaverit. *Gualla a definienda ætate prudenter abstinuit ; Spelta vero dum Adriani I tempora appellavit, eaque cum Constantino V connexuit, se æque incerta et inepta venditare, manifeste ostendit.*

Ghinius in pauca contraxit,

7 *Audiamus modo Ghinium ita scribentem :* Papiæ, S. Hieronymi XXVI ejusdem urbis episcopi, tantæ sanctitatis viri, ut solo ejus pallii contactu ægroti curarentur. Fuit erga pauperes adeo E benevolus, ut non solum alimoniam sed et vestes illis suppeditaret ; et dum pauperi infirmo pallium suum tribueret statim sanatus est. Energumenos pariter liberavit ; et dum sedisset annos tredecim evocatus a S. Syro, Missa celebrata et pace data et monitis salutis populo confortato, lætus cœlum petiit. Corpus in ecclesia S. Mariæ Virginis, quam Rheodolinda, uxor Partaris Longobardorum regis, ædificavit delatum, signis illustratur circa annum Domini DCXC. *Hæc alia temporum ratio est ut arbitraria ferme omnia conjicias. Neque Ughello tuto accesseris, dum is rotundo enuntiat :* Præfuit novem annis, requievitque in Domino die XXII mensis Julii anno DCCLXXXVII ; protulit ætatem usque ad annum nonagesimum. *Hæc secutus est Gasparius, tametsi populares omnes ætatem ejus incertissimam fateantur ; Gualla vero et Spelta diserte asserant, annis* tredecim *sedisse, non annis dumtaxat* novem.

at de Gasparis,

8 *Ceterum ut candide et ingenue fatear, hæc ita accipi posse censeo, ut ab alterutra opinione, penes* F *dicerem ab utraque, absque scrupulo liceat dissentire ; quemadmodum et delectus fieri potest inter Ferrarii et Gasparii elogium. Primum jam dedimus ; en alterum :* Hieronymus Ticinensis, adolescens pietatis studio deditus, orationem, quam assidue excolebat, victus frugalitate aluit, et vigiliis. Ab ineunte ætate castitatis amator, et cultor studiosissimus fuit. Aliquando a Longobardorum Rege accersitus, cum properasset ad aulam, de via fessus, et sudore madens se exuit pallio, quod solis radio per fenestræ rimam permeantis (qui sibi pertica videbantur) superpositum, ei omnium adstantium admiratione mirifice hæsit. Deinde aucto cum ætate pietatis ardore, ex æditiuo sanctæ Mariæ ad Perticas, a clero cœlitus monito, episcopus diligitur patriæ : nam de eligendo pontifice eodem clero consultante, et suppliciter Deum orante, triduanis jejuniis, et obsecrationibus, ut sibi aperiretur, quem in Pontificem assumerent ; summis precibus fuit qui Deiparam Virginem assidue deprecabatur, ut aliquo modo significaret in

A in quem pontificium transferri deberet. Cui Virgo apparens, dixit: Clerum admone, ut ad suæ urbis episcopatum meum evehat Cancellarium, nomine Hieronymum, qui religionis inflammatus studio, totus erit in promovendo Dei cultu.

paulo liberalior visus est. 9 Ad episcopatum vero promotus mira dedit sanctitatis argumenta. Dum eleemosynam pauperibus erogaret, intuens inopem algore febris jactatum, commiseratione motus, se pallio spoliavit, induitque inopem, et statim febris recessit. Tunc vir sanctissimus, humilitatis amans, ne illius fama miraculi in publicum promanaret, præcepit, ne cuiquam illud enuntiaret, sed ut cœlorum Reginæ, quæ indigni Famuli ministerio fuerat usa, illud pietatis officium acceptum referret. Par in diabolis, atque in morbis depellendis Hieronymi virtus enituit. In Basilica Protomartyris Stephani mulier quædam ab immundo spiritu diris modis vexata, stridens, ac fremens, misericordia dignum adstantibus præbebat spectaculum. Ubi vero dæmon, obsessæ infestissimus vexator, illuc Hieronymum venire cognovit, exclamans, Hieronymo adventante: Hic amplius esse nequeo, abscessit, et incolumem mulierem reliquit. Cum autem non procul abesset a supremo suæ senectutis die, hanc cœlestem meruit visionem. Divus Syrus, comitante supernarum mentium agmine, se illi ostendens, inquit: Euge frater, lætare, quoniam in cœlestibus tibi paratus est æternæ gloriæ locus, quo perenne nobiscum fruaris. Tunc illico surrexit, atque in orationibus pernoctavit ad auroram. Ubi vero illuxit dies, inter Missarum solennia cœlestem visionem clero nuntiavit, populoque universo, Cohortatus omnes ad mutuam dilectionem, et ad alia Christianæ religionis mandata, sacra manu cunctis impertiens benedictionem, orans Deiparam Virginem Mariam, quam sanctissime coluerat in omni vita; ut cœlestibus gaudiis secum omnes perfrui possent, domum rediit, gravissimoque affectus morbo, humanis exemptus, cœlestia adivit XI Kalendas Augusti anno septingentesimo octogesimo septimo, sui pontificatus nono: et sepultus in S. Mariæ ad Perticas, adhuc veneratione colitur.

AUCTORE J. B. S.

B E

DE S. GUALTERIO CONFESSORE

LAUDE POMPEIA IN INSUBRIA.

Ex Ferrario. J. B. S.

ANNO MCCXXIV.

Alibi ignotus, *Synonymos huic Sanctos jam binos dedimus, alterum* XI *Maii, alterum* IV *Junii; hunc vero Laudensem in nullis usquam sacris Fastis nos reperisse, candide fatemur; ut proinde ex eorum sit numero, quos in sola Ferrarii fide proferre nonnunquam audemus; tum maxime, dum de vero cultu certiores nos reddere non negligit. Hujus Vitam seu Vitæ compendium refert ipse in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem, quo e vivis excessisse testatur, tametsi* ejus natalis, *inquit in annotatione,* ob S. Mariæ Magdalenæ festum in diem XXVII hujus dilatus celebretur, *opinor legitimo cultu ecclesiastico, ut tam diserte asserenti credere me tuto posse existimem, quidquid in hac parte rigidior Castellanus, in indice suo rotunde fateatur, eum sese hoc die omisisse. De eodem agit denuo Ferrarius in Catalogo generali:* Laude Pompeia, S. Gualterii confessoris, *tabulas citans ecclesiæ Laudensis, quas videre mihi non licuit, et Vitam, eam procul dubio, quam ipse in majori Catalogo ediderat, quamque ego hic, omnibus aliis destitutus subjicio.*

C

refertur a Ferrario 2 Gualterius Laude a parentibus sterilibus, precibus a Deo impetratus, iis orbatus, reque familiari pauperibus distributa, apud Placentiam ægrotis in xenodochio ministravit. Idem, post biennum in patriam reversus, in nosocomio S. Bartholomæi extra urbem præstitit; aliudque xenodochium cum sacello prope Laudem in via quæ Mediolanum ducit exstruxit; quod ab Henrico Septara Mediolanensi archiepiscopo auctum, prius Misericordiæ, postea S. Gualterii dictum est. *Septalius cognomento dicitur Henricus iste, apud Ughellum in Italia sacra, multis ibi præclarisque ornatus elogiis, ut mirum prorsus non sit, si Sancti hujus, cui synchronus erat, quemque adeo vel de facie noverat, pia cœpta probaverit, promoveritque. Cetera de eodem argumento, in quibus* S. Gualterius *potissimum excelluit sic prosequitur Ferrarius:*

cum elogio, quod damus. 3 Is exemplo sui multos utriusque sexus ad vitam eremiticam traxit. Nudis pedibus incedebat; parvo cibo vilique vestitu contentus, carnem assiduis jejuniis affligebat; in oratione sæpissime flebat. Multis susceptis peregrinationibus, plura pauperum hospitia construenda curavit quemadmodum apud Vercellas, Derthouam, Cremam, Melegnanum, quæ sæpe solebat invisere, ac confratres, qui ea curarent, præficere. Denique piis hisce laboribus perfunctus, gravi morbo correptus, brevi, annum ætatis XL agens, XI Kalendas Augusti obdormivit in Domino, anno salutis MCCXXIV, multis ægrotis et infirmis ad funus illius mirabiliter sanatis. Cujus corpus cum ex xenodochio Misericordiæ, in quo multos annos jacuit, clam ad ecclesiam S. Blasii, non sine maxima aeris perturbatione delatum fuisset, ubi in proximam S. Pauli ædem deductum fuit, mox tempestas sedata est, statimque in locum pristinum, solenni civitatis pompa, relatum, aliquot a morbis, præsertim podagræ liberatis, tamdiu ibi fuit, donec in ecclesiam cathedralem translatum, in ea honorifice conditum est.

F

VIGESIMA

VIGESIMA TERTIA DIES JULII.

SANCTI QUI X KALENDAS AUGUSTI COLUNTUR.

S. Appolinaris episcopus martyr Ravennæ in Æmilia.

S. Trophimus, S. Theophilus et socii, S. Justus, B S. Matthæus } Martyres apud Græcos.

SS. Martyres VII Chalcedonenses anonymi.

S. Primitiva virgo martyr Romæ.

S. Rasyphus martyr.

S. Apollonius, S. Eugenius, S. Vitalis episcopus, ut volunt, Ravennas } Martyres apud Græcos.

S. Miniseus, S. Tisicus } Martyres Laodiceæ.

S. Ravennus, S. Rasiphus } Martyres Baiocis in Normannia.

S. Liborius Cenomanensis in Gallia episcopus. E

S. Joannes Cassianus abbas, Massiliæ in Gallia.

S. Romula, S. Redempta, S. Hirundo } Virgines Romæ.

SS. Martyres anonymi in Bulgaria

S. Anna virgo, apud Græcos.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Trium Regum Magorum translatio *ad hunc diem a Bollando transmissa est, ubi ex prima sua institutione, primis illis diebus res paulo brevius perstringens, obiter agit de Epiphaniæ solennitate. Ratio ei esse potuit, quod prædicta translatio in nonnullis Usuardi Auctariis hoc die consignetur; at cum in præsenti Operis* C *ordine omnia, sive elevationis, sive translationis, sive canonizationis Sanctorum festivitates concernant, ad præcipuum festum revocare soleamus; sitque postmodum augendus recudendusque mensis iste Januarius; et hanc historiam, et quæ ipsam subsecuta sunt, cum reliquis ad sanctos Reges spectantibus ad proprium istum locum suum illustranda differimus: prælucebunt Inchofert, Martyrologium Mediolanense aliique* vi Januarii.

S. Catellum Stabiliensem episcopum, *nescio quo titulo aut argumento nobis hoc die oggerat Bucelinus, quem tamen ait decessisse* xix *Kalend. Februarii; melius dixisset Sanctum obiisse die quo de ipso pridem actum est* xix Januarii.

S. Apollinarem Hierapolitanum in Phrygia episcopum *hoc die, opinor alterius S. Apollinaris Ravennensis occasione, certe perperam, nulloque præeunte, Martyrologio suo Germanico inseruit Canisius; neque opportunius festivitatem ei elegerat Baronius* viii *Januarii cum aliunde natalis ejus ex antiquioribus codicibus satis notus esset. Vide igitur quæ de jam pridem eo dicta sunt, sub nomine* Claudii Apollinaris, *die quo vere colendus est* vii Februarii.

S. Ezechiel propheta *refertur hodie in Menæis magnis impressis et Maximo Cytherorum episcopo; sicut dictum est inter Prætermissos* xxi *hujus; sed ibi monuimus, de ipso fuisse actum* x Aprilis.

Synaxis S. Joannis Baptistæ *legitur in Menæis magnis excusis; de qua hic sufficit meminisse,* F *cum de iis, quæ ad sanctum Christi Præcursorem pertinent, abunde actum sit die* xxiv Junii.

SS. Naboris et Felicis translatio *Mediolano Coloniam in multis Fastis tribus Regibus Magis conjungitur hoc die; verum nos de ea abunde egimus ad diem ipsis sacrum* xii Julii.

Sancti hieromartyris Phocæ *hodie meminerunt Græci in Menæis magnis excusis cum acrostichide et elogio; quem etiam signant Maximus Cytherorum episcopus, supplementum nostrum ad laudata Menæa ex Ms. synaxario Sirmondi et Ms. Chiffletii (addito epitheto* τοῦ νέου Junioris.) *Adde Basilianum synaxarium ac Menologium ex interpretatione Sirleti, utrobique cum elogio. Nos die* xxii *hujus inter Prætermissos de hoc Sancto egimus, remittentes rem totam, sicut et nunc facimus, ad diem, quo de variis synonymis actum fuit* xiv Julii.

S, Victoris *Massiliensis memoriam hodie agit codex Hagenoyensis, non insolita ibi transpositione, vera Sancti festivitas a nobis celebrata est* xxi Julii.

S. Juliana

A S. Juliana apud Trecas *duplici errore in eodem Hagenoyensi codice, hoc eodem die ponitur. Scribendum fuit* Juliæ, *eaque restituenda diei quo colitur etiam* XXI Julii.

S. Wandregisilus *in aliquo Kalendario male notatur, forte quod ob concurrens festum S. Mariæ Magdalenæ in hunc diem translatus sit : spectat enim ad diem præcedentem* XXII Julii.

Hymeneus Hierosolymorum episcopus *Florarii Sanctorum Ms. ignotus flosculus est, ex nullis Fastis antiquioribus acceptus, a nullis recentioribus adoptatus, nec proinde solius istius codicis auctoritate admittendus. Dies pro mero arbitrio delectus est neque vero annus, quo obierit, definiri hactenus potuit. Si quæ tamen alia cultus indicia occurrant, agi de eo alibi poterit.*

Cavellius et Casifius confessores *apud Maurolycum hoc die, ignotissimi Sancti sunt, nec alibi reperibiles : fallor ego, ni amanuensium socordi ignorantia, ex* Ravenno *et* Rasipho, *iisque Martyribus, distorta fictaque sunt nomina.*

Teclæ virginis apud Ravennam *scripsit hoc die* B *Grevenus, quæ a Canisio longe melius prætcrita est: frustra enim istius nominis virginem apud Ravennam aut hoc aut alio quolibet die quæsiveris. De matrona aliqua nomine Tecla, tribuni conjuge, agitur in Vita S. Apollinaris; ast hanc in virginem perperam transformatam Sanctorumque honoribus inepte donatam, haud dubites.*

Jacobum, *dictum* Gastolium, professione monachum Lerinensem, *elogio inter pios ornat Saussayus in Supplemento pag.* 1150; *neque nos eum locum ei recusamus.*

Barsanuphium *cum duobus sociis martyrem Ægypto hoc die adscribit Castellanus, nescio unde accersitum; nisi forte ex Fastis Æthiopicis apud Ludolfum eum acceperit, ubi tamen legitur* Wersanofa *: ad* XI *Aprilis de vero istius nominis Sancto egimus.*

Rostagnus II, *cognomento* de Capra *Arelatensis archiepiscopus primum mihi innotuit ex Martyrologio universali Castellani, ubi hoc die eum solus ipse sic annuntiat :* Arelate, B. Rostagni, istius nominis II, ejusdem urbis archiepiscopi, humilitate et caritate in pauperes illustris, C *quem die* X *Kalend. Augusti anno* 1303 *ad cœlestem patriam evolasse notant Sammarthani, ei in utraque Galliæ Christianæ editioni titulum* beati *studiose asserentes, quem nec Chenu nec Claudius Robertus noverant. Equidem in hisce necdum sufficientia video cultus ullius ecclesiastici argumenta : nam quod Breviarium Arelatense appellent Sammarthani, nisi distinctius loquantur, probant omnino nihil. Etenim si in Breviario* Rostagni *nomen inveniatur, proprium ecclesiæ istius oportet intelligi; atqui ipsum penes nos est et quidem diversæ editionis, anni nimirum* 1612 *et* 1656, *nec in alterutro vel vestigium est quod ad* Rostagnum *referatur; edisserant nobis igitur Arelatenses ipsi, quale sit istud Breviarium in quo* legatur, ad cœlestem patriam evolasse x Kal. Augusti; *nisi per Breviarium intelligi velint merum necrologium, ex quo certe de cultu nemo facile statuerit. Ne quid vero hic prætcritum dicatur, en id omne quod de* Rostagno *mihi hactenus compertum est ex nuperrima Galliæ Christianæ editione anni* 1716, *tom.* I, *col.* 573; *præter quæ nec verbum habeo,* D *ut ferme perinde sit, sive ea hoc loco, sive alio collocentur. Ita ibi legitur in titulo:* LXIV B. ROSTAGNUS II. *Textus est :* Rostagnus de Capra, in loco Provinciæ dicto Graus natus, ex canonico Arelatensi factus est archiepiscopus anno MCCLXXXVI, sede per Bertrandi mortem vacante, ut docet instrumentum ejus electionis, in archivis capituli asservatum. Anno MCCLXXXVIII concilium provinciale celebravit apud Insulam villam Vindascini comitatus, diœcesis Cavallicensis. Quinto Idus Octobris ejusdem vel superioris anni Bertrandus de Baucio, comes Avellini, homagium ei exhibuit pro castro de Treucatellis, quod idem Rostagnus comparavit anno MCCC, die XIII Augusti. Fuit Rostagnus pietate insignis, cujus tamen electionem minus gratam fuisse Honorio Papæ IV legimus, quamvis postea pallium ei miserit. Bonifacio vero VIII fuit acceptissimus, qui eum legatum misit in Hispaniam citeriorem cum Guilielmo de Mandagoto Ebredunensi archiepiscopo. Ad cœlestem patriam evolavit x Kal. Augusti anni MCCCIII, ut legi- E tur in Breviario Arelatensi ; sepultus est in sacello Laurentiano ecclesiæ S. Trophimi.'

Alfredum *hoc die nominat Ferrarius* ex rege Northumbriæ episcopum Lindisfarnensem, *ex mera confusione quam explicatam habes in Prætermissis ad diem* XIV *Januarii pag.* 993.

S. Ravennum Baiocis in Gallia *solum annuntiat Ferrarius* presbyterum et martyrem, *non ausus, opinor,* Rasiphum *adjungere, ne eum cum* Rasypho *martyre Romano confunderet. Audet tamen Canisium citare et tabulas ecclesiæ Baïocensis; qua fide, intelligi poterit ex iis quæ suo loco de ambobus Sanctis fratribus dicuntur.*

Mathildem comitissam *hac die obiisse memorat Ferrarius ex Annalibus ecclesiasticis Baronii ad annum* 1115; *at si ibi notata legisset, facile advertere poterat, die sequenti eam obiisse.*

Amasium *episcopum non noverat Ughellus, dum tomo* I *Italiæ sacræ, edito anno* 1644, *Spoletanos episcopos recenseret : neque enim ante annum* 1649 *aut* 1650 *repertum fuerat ejus corpus cum hujusmodi epitaphio :* DP. SCI. AMASI EP. CONS. PROBINI V. C. SUB D. KAL. AUG. QUI VIXIT F ANNIS LXXXV. EX QUIB. EP. ANNIS XIII MENS. II., *ut indicetur annus* 395. *Hac inscriptione reperta,* Amasium *istum Sanctis suis Umbriæ continuo inseruit Ludovicus Jacobillus tom.* 3, *pag.* 263, *haud dubitans quin appositæ* SCI *litteræ Sanctum aliquem denotarent, et quidem Spoletanum episcopum, qui a S. Damaso, consequenter ad inscriptionem, creatus fuerit anno* 382. *Campellus contra in sua historia Spoletana lib.* 7, *pag.* 207, 211 *et notanter pag.* 231 *alium eo tempore Spoleti episcopum statuit, qui ab anno* 370 *ad* 402 *eam cathedram tenuerit, S. Speum videlicet seu Speranzum ; neque de Amasio isto, quod sciam, usquam meminit, tametsi historia ejus primum edita sit anno* 1672. *Hæc conciliare non usque adeo pervium est,* Amasium *vero Sanctis annumerare necdum equidem ausim, quod epitaphium qualecumque suspectum mihi sit, vel ex eo capite, quod titulus* SCI, *pro ut modo accipitur, homini recens mortuo adscribi*

non

A *non consueverit. Si apud Spoletanos pro Sancto agnoscatur, per me licet; plura quæ de ipso dicam, non habeo.*

Vodinus *seu* Voadinus, *ut Londinensis seculi* V *episcopus, imo archiepiscopus, omnibus antea Fastis plane incognitus, hoc die primum refertur in Martyrologio Anglicano Wilsoni utriusque editionis, his verbis, quæ a nostro Alfordo ad annum* 456 *num.* 4 *Latine reddita hic describo :* Londini, commemoratio S. Vodini martyris et archiepiscopi Londinensis ; qui eximiæ sanctitatis vir Vortigernum Britanniæ regem redarguit, quod a legitima uxore divertens, infidelem duxisset. Quapropter Hengistus Cantii rex, superinductæ parens, furore incensus, jussit sanctum episcopum una cum multis aliis sacerdotibus, virisque religiosis interfici. *Laudat hæc meritoque extollit Alfordus; neque nos Baptistam alterum laudare non possumus; at* bene Sancti memoriam *in privato eo Martyrologio hoc die* recitari; *id vero est quod probare non audemus, nisi Wilsono auctoritas tribuatur,*
B *populares quoslibet, virtutibus aut passionibus celebres, in Sanctorum numerum referendi, eisque festivitatis diem pro arbitrio seligendi, quod nomini hactenus concessum novimus. Neque vero Ferrarii, Wilsonum exce sequentis suffragium momenti quidquam addidit. Sufficiat, hic compendio retulisse quæ ex citato ad marginem Malmesburiensi, Godwino item et Alfordo nostro de pio, venerabili, præclarissimo, et, si ita vis, sanctissimo Antistite tradita accepimus. Si de cultu antiquiori saltem aliquo edoceamur, poterit* Vodinus *ad calcem Operis inter eos Sanctos referri, quibus nulladum ab Ecclesia festivitas determinata est.*

Iglatium in Anglia monachum *hoc die* beatum *appellavit Menardus, Observationum lib.* 2, *pag.* 613, *indicans quidem unde* singularem *ejus* pietatem *et* devotionem *acceperit, at non item Martyrologia ulla, ne quidem Anglicanum, unde de legitimo cultu doceri potuerit, ut sola ejus auctoritate inter Sanctos* Iglatium *recensere, integrum nobis non putemus.*

Adolius Oliverius Tarsensis, Eliani instituti
C alumnus, in monte Oliveti archimandrita, S. Helenæ imperatrici carissimus, obiit anno CCCXXXVIII. *Ita scriptum invenio in Acie bene ordinata Sanctorum Ordinis Carmelitarum : in qua hoc etiam die additur*

Bartholomæus Fantus Mantuanus Carmelita sanctissimus, ante et post mortem miraculis illustris. Obiit anno MDXX. Beatus passim vocitatur. *Hæc notamus rogatu P. Philippi Visitantini, ejusdem Ordinis olim historiographi, ut toties ante dictum est.*

Beatricem Atestinam, *quæ Andreæ II Hungariæ regis conjux fuerit, postea Gemmulæ sanctimonialis, ut* beatam *hoc die depingit Bucelinus, nescio qua auctoritate : nos aliam ibi sanctam aut beatam Beatricem hactenus non agnoscimus præter ejusdem temporis virginem illam, de qua actum in hoc Opere ad diem* X *Maii. Tu vide ibi, hoc est tomo* II *Maii, aliqualem illius memoriam pag.* 601.

Jacobus *Villariensis conversus,* omnium virtutum genere mirabiliter insignitus, *ac proinde ut* beatus *prædicatur ab Henriquez; solum ut* venerabilis *a Chalemoto. Partium studio liber est Saussayus, qui de ipso hoc die ita loquitur :* D
Fine pio quievit Jacobus conversus Villariensis, solitudinis cultor, virtutumque eximius operarius : quem ascetæ hujus famosi cœnobii inter beatos domus suæ alumnos computant et venerantur.

Jacquelina Flinensis abbatissa *tertio loco ponitur ab Henriquez et Chalemoto, ut* quæ ex illustri familia *(de Lalain) procreata, illustrioribus tamen virtutibus insignita, virgines suæ curæ commissas vigili solicitudine ad perfectionis monasticæ culmen usque perduxerit. Exstat præclarum de ea Buzelini elogium.*

Benedictus Salmonensis, *Ordinis S. Augustini, Perusiæ depositus, titulo* beati *donatur a Jacobillo in Sanctis Umbriæ; at veri cultus nulla hactenus vestigia reperio.*

Joanna, *a loco habitationis* Urbevetana *dicta, Ordinis S. Dominici Tertiaria, titulo* beatæ *ornata est ab iis fere omnibus qui Vitas Sanctorum ac Beatorum Ordinis istius describunt : sufficiat nominasse Joannem a S. Maria Gallice, et* E
Marchesium Italice. Ambrosius Taegius elogium satis longum Latine composuit, atque ex ejus codicibus Mss. transumpsit Papebrochius. Memorantur ibi insignes ejus virtutes, singulares favores eidem cœlitus collati, prophetiæ et miracula; diciturque obiisse X *Kal. Augusti* 1306. *Viderat hæc omnia noster Januingus; verum propius explorare cupiens, num vero in ipsa Veteri urbe cultu atque ut beata honoraretur, eo perrexit anno* 1700, *omnibusque accurate discussis, sic propria manu scriptum reliquit, atque Marchesii elogio attexuit :* Fui ego (C. J.) anno 1700 Urbe-veteri; adivi ecclesiam PP. Prædicatorum, ubi corpus B. Joannæ virginis, tertiæ regulæ S. Dominici, supra altare servatur, diciturque adhuc integrum esse, ac dudum illic servatum fuisse. Habetur passim in illa urbe et vocatur beata ; nullum tamen habere videtur cultum ecclesiasticum; et Prior monasterii ne sciebat quidem diem obitus ejus. *Hæc cum ita se habeant, non video mihi magis licere* Joannam *illam inter Sanctos collocare, quam tot alias et istius et aliorum Ordinum piis-* F
simas virgines, etiam ab egregiis virtutibus et miraculis laudatissimas; ut et alibi notatum invenies. Si cultus ipsi legitime permittatur, poterit de ea agi vel in hujus mensis, vel in totius Operis supplemento.

Martyrium viginti trium sacerdotum *Ruræmondæ in Geldria ab hæreticis hagiomachis crudeliter occisorum, ex quibus fuerunt Cartusiani duodecim (quos inter tamen laici) Franciscani duo, tres canonici regulares, reliqui seculares, ut nuncupant, presbyteri; memorat hoc die Saussayus minori charactere, Miræum, opinor, describens, qui paulo distinctius annum* 1571 *assignat, fontemque ex quo historia desumenda est, nempe Arnoldum Havensium, ex quo Raissius singulorum fere nomina exercitamque in ipsos rabiem recenset; seorsim laudans* Paulum a Waelwyck *qui Ruræmondensi antistiti Lindano a sacris erat :* Bartholomæum Venralensem, *urbis vicepastorem; et* Raynerum a Lintris *ac* Gorgonium

A nium a Maldert *ambos Minoritas, de quibus videndus laudatus Raissius, vel Arturus, vel potius Havensius ipse, qui totam cam carnificinam accurate prosecutus est.*

Brigidam virginem S. Dominici alumnam *in Hollandia subjungit idem Raissius cum titulo* beatæ *ex Hyacintho Choquetio. Multis sane nominibus laudatur, et eo quidem, quod* huic non minus ac sanctissimo Francisco Assisiati, suorum vulnerum stigmata, raro magnoque beneficio concessit Christus. *Et hac et aliis prærogativis a Sponso cœlesti donari potuit; ast altaribus olim admotam fuisse, nusquam legimus. De eadem agit Arturus in Gynæceo, atque ex hoc et aliis Marchesius in Diario.*

Joannes Arragonius *confessor, prope Domum Caleuam in Apulia*
Antonius Pintus, *Cassaliæ in territorio Hispalensi*
Præter Raynerum a Lintris *et* Gergonium a Maldert, *de quibus supra.*
— *Memorantur ab Arturo in Martyrologio Franciscano cum titulo* beati.

B Dominus Surianus, *et* Pacificus Clemerius, *Fulginii in Umbria*
Joannes Suaresius, *Belvisii in territorio Palentino*
Ambrosius Itinerarius, *Lutetiæ Parisiorum*
Benedictus de Hurtas, *in civitate Cuzcana regni Peruani*
Francisca de Hervas, *Cordubæ in Hispania*
Teresia Garzias, *Compostellæ in Galitia*
— *Adduntur a Fortunato Huebero in Menologio Franciscano.*

Richarium *Leodiensem episcopum ordine* XL *signat hoc die Fisen, sed absque ullo sanctitatis titulo.*

S. Christianæ virginis et martyris vigilia *celebratur Panormi, ut testatur noster Octavius Cajetanus. Festum est* XXIV Julii.

S. Valerianum *episcopum Cemeneli (vulgo* Cimeiz) *in Provincia, nullo duce, nullo auctore hoc die consignat Castellanus, elogii vice et ad distinctionem addens, quod* plures homilias scripserit. *Niciensem episcopum* Valerium *invenio apud Wionem ceterosque Monasticos et Ferrarium* XXIV
C *Julii, quem eumdem cum* S. Valeriano *esse existimat Ughellus, de qua re agetur dicta die sequenti* XXIV Julii.

S. Vincentius *aliquis* martyr *hoc die* Romæ *seu* via Tiburtina *signatur in Hieronymianis, ab aliis passim cum moderno Martyrologio Romano differtur ad diem sequentem* XXIV Julii.

S. Panacii, *pro* Pavacii, Cenomanensis episcopi *post Molanum meminit hodie Ferrarius: alii melius eo, quo de ipso agemus, die sequenti* XXIV Julii.

S. Firmini episcopi et confessoris depositio apud Methim anno salutis CCCI *expressis terminis signatur in Florario nostro Sanctorum Ms., falli sæpe et fallere solito, ut unde veniat aut quo vadat, nec palpando quandoque assequi liceat. Ut paucis dicam, non* Firminus *Metensis, sed* Fronimus *seu* Fronimius *dicendus est; qui non quarto sed seculo tertio verosimilius vivere desiit; demum non hoc die colitur, sed* XXVII Julii.

S. Innocentius primus Pontifex Romanus hoc nomine *cur a Camerario in Menologio Scotico hoc die signetur, equidem divinare haud queo. Longe ineptiora sunt quæ ex variis scriptoribus Scotis citantur,* qui omnes eum Scotum fuisse testantur, *inquit. Subjungens, quod* quidam Albanum dixerint, decepti affinitate vocum Albion et Albanus, *etc. Satisne sobrie hæc nobis somnia oggeruntur? Sintne porro refutatione digna, videbitur ad diem quo ab Ecclesia sanctissimus Papa colitur* XXVIII Julii. D

Bernardi, Gratiæ et Mariæ inventionem *exornat hoc die Henriquez in Menologio*, et variis ac celeberrimis miraculis merita martyrum confirmasse Altissimum *disertissime asserit; verum cum cædes seu martyrium incidat in* XXIII *Augusti, eo remittenda sunt omnia, ibidem illustranda, si de legitimo cultu tempestive doceamur; nisi rectius pridie, seu* XXII *Augusti eos signaverit Tamayus, quod certe constantem apud Alzirenses festivitatem non commonstrat. Utut sit, si vel solo eo loco debita Sanctis veneratione honorentur, locum invenient* XXII *vel* XXIII Augusti.

S. Donatum *Bisunticensem seu Vesontionensem episcopum nescio cur huc retraxerit Castellanus, nulla ejus rei assignata ratione: ubi antiquior Ferrarius in Catalogo generali ex tabulis istiusmet ecclesiæ eum pridem retulit* VII *Augusti ipsumque in nominis sui ecclesia celebrari asserunt Sammarthani; ac Majores item nostri in Actorum Mss. indice eodem die collocarunt; id demum disertissime asserit Chiffletius Vesontionis parte* 2, *pag.* 161, *ut proinde remittendus sit ad prædictum diem* VII Augusti. E

S. Apollinaris episcopi XXIX Bituricensis ecclesiæ, qui sedit annos novem, et post laudabilem vitam quievit in pace circiter annum Domini DCXL, *annuntiatio est solius Constantini Ghinii in Natalibus SS. Canonicorum. De Apollinari isto altum alibi silentium, etiam apud Castellanum, diligentissimum cetera Gallicorum Sanctorum refossorem. Fateor equidem in utraque editione Galliæ Christianæ Sammarthanorum.* Sancti *titulum Apollinari isti Bituricensi apponi; verum utrobique asseritur,* memoriam ejus agi pridie Non. Octobris, *ut saltem huc non pertineat. Neque recte a Ghinio dicitur episcopus* XXIX, *cum* XXVI *ordine fuerit; neque de gestis ejus quidquam traditum novimus. Si tamen interim vera aliunde cultus argumenta suggerantur, ejusque Acta ad nos perveniant, de ipso agi et hæc illustrari poterunt ad diem* VI Octobris. F

S. Birgittam *viduam, tota Ecclesia celeberrimam, hoc die in multis Usuardinis auctariis annuntiari, haud sane mirum est, cum eodem ipso ad cœlestem gloriam certo evolaverit anno* 1373. *At cum solennis ejus festivitas legitima auctoritate dilata sit, nos quæ ad ipsam spectant cum Martyrologio Romano illustrabimus* VIII Octobris.

S. Nicasii cum sociis suis translatio *signata est in codice Usuardino Heriniensi, quem, cetera purissimum, auctum diximus propriis Rhemensibus. Nota est illustrissimi Martyris, sororis S. Eutropiæ aliorumque sociorum festivitas ad diem, quo et de translatione una vel pluribus agendum erit nobis, nempe* XIV Decembris.

DE

A

D

DE S. APOLLINARE EPISC. ET MART.

J. P.

RAVENNÆ IN ÆMILIA ITALIÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Ravenna a pluribus laudata; memoria Sancti in Martyrologiis; elogia; patria; tempus ordinationis, sedis ac mortis.

CIRCA ANNUM LXXV.

B

Assignantur varii rerum Ravennatium præcones.

Ravennam, *antiquissimam et præcipuam olim totius Italiæ urbem; ac primo regum Gothorum, deinde veterum exarchorum sedem, hac die illustrat* S. Apollinaris, *primus ipsius episcopus, apostolus ac patronus singularis. Leandrum Albertum in Descriptione Italiæ multa istius civitatis decora recensere, indicavimus tomo* I *Februarii pag.* 83 *in annotatis ad Vitam S. Severi, ejusdem civitatis episcopi; de cujus quoque primordiis, ornatu, vicissitudinibus, præsulum antiquitate ac potentia, templorum structura, Sanctisque ibidem oriundis, etc., agit Ughellus tomo* 2 *Italiæ sacræ a col.* 324. *Hieronymus Rubeus Italicarum et Ravennatium historiarum gesta libris undecim complexus est Latine; Hieronymus Fabri sacra monumenta Ravennæ antiquæ Italice descripsit, ac novissime Benedictinus Bacchinius, abbas S. Mariæ de Lacroma, Ordinis S. Benedicti, congregationis Casinensis, Agnelli sive Andreæ, abbatis S. Mariæ ad Blachernas, et S. Bartholomæi Ravennatis librum pontificalem, sive Vitas Pontificum Ravennatium ex bibliotheca Estensi eruit, dissertationibus atque observationibus, etc., illustravit et auxit, ac serenissimo Raynaldo Estensi Mutinæ, Regii, etc., duci dedicavit, opere tomis duobus super hac re Latine edito anno* 1708.

Sancti memoria notatur in antiquissimis Martyrologiis Latinis;

2 *Inclytissimi nostri Præsulis nomen inscribitur hac die Kalendariis Allatii ac Frontonis, utrobique brevissime. Et in illo quidem :* x Kalend. Augusti, natale S. Apollinaris. *In hoc autem :* Die XXIII mensis Julii, natalis S. Apollinaris. *Nihil invenio in Sacramentariis apud Pamelium et Menardum. Antiquum item Kalendarium, sub initium tomi* 5 *Anecdotorum ab Edmundo Martene editum, ita ipsum refert eadem die :* Natal. S. Apollinaris martyris Ravennæ; *referunt Martyrologi omnes antiqui, apographa Hieronymiana, Beda et Floro auctus, Romanum parvum, Rabanus, Ado, Notkerus, Wandelbertus. In Hieronymiano Lucensi, scribitur* Apollenaris; *in vetustissimo Epternacensi* Apollinaris; *in hoc ultimo hesterna die annuntiatus. Beda sic memorat :* Natale S. Apollinaris episcopi in Ravenna, qui Romæ, *etc. In Romano parvo habetur his verbis :* Ravennæ, Apollinaris episcopi et martyris. *In Rabano autem his :* Depositio S. Apollinaris episcopi in Ravenna. *In Adone :* Apud Ravennam, natale S. Apollinaris episcopi, *sine titulo martyris. In Usuardo :* Natalis B. Apollinaris episcopi, qui ab Apostolo Petro Romæ ordinatus, et Ravennam missus postea pro fide Christi diversas, et multiplices cædes perpessus est . *Porro Wandelbertus sequenti ipsum versiculo prædicat :*

Hinc decimam præclarus Apollinaris honorat.

Græcis uti et Slavo-Russis non ignota.

3 *Memoriam Sancti hujus Græcis quoque tabulis inscribi, notamus hac die inter ea, quæ de SS. Apollonio atque Eugenio martyribus producimus. Vitalem vel Vitalium cum titulo episcopi Ravennatis, ibidem una cum nostro memoratum, tum ibi tum hic expungimus, quem nec apud Ughellum in catalogo istorum præsulum, nec apud Rubeum a pag.* 892, *nec apud Fabrium a pag.* 396, *nec apud Bacchinium reperimus. Menologium Slavo-Russicum Sanctum nostrum ita refert :* S. hieromart. Appollinarii, ep. Ravennatis, qui fuit discipulus Petri Ap., passus sub Claudio, a Messalino locum tenente, et sub Vespasiano ab idololatris gladio dissectus, septimo obiit die, anno LXXVII. *Nihil attinet hic coacervare recentiorum Martyrologorum annuntiationes. Fontes antiquos dedisse sit satis.*

E

Laudatur a S. Petro Chrysologo, B. Petro Damiano,

4 *S. Petrus Chrysologus, dignissimus ejusdem in cathedra Ravennate successor, brevi ipsius laudes sermone* 128 *complexus est seculo quinto; unde paucula ista delibo :* Beatus Appollinaris, *inquit,* primo sacerdotio solus hanc ecclesiam Ravennatem vernaculo atque inclyto martyrii honore decoravit. Merito Appollinaris, quia juxta mandatum Dei sui hic perdidit animam suam, ut eam inveniret in Vitam sempiternam. *(Ratio istius etymi dabitur in annotatis).* Beatus, qui ita cursum consummavit, fidem servavit, ut vere primus a credentibus suo repperiretur in loco. Nec eum quisquam confessoris vocabulo minorem credat esse, quam martyrem, quem Dei nutu quotidianum, et multiplicem reversum conspicit ad agonem... Non ideo persecutus est Martyrem, quia non eliquit * fidem.. Fundebat sæpe Confessor sanguinem suum, *etc. B. Petrus Damianus tribus* S. Apollinarem *sermonibus celebravit (qui sunt* 30, 31 *et* 32, *apud Lipomanum etiam excusi tomo* 8, *a fol.* 246 *verso)* Apostolici martyris *titulo ipsum compellans. Sparsim quoque de ipso meminit sermone* 6, *qui est de S. Eleuchadio, a nostro Præsule ad Christi fidem converso, ac deinde ad regimen cathedræ Ravennatis evecto.*

F

* *forte elicuit pro extorsit.*

atque ab aliis,

5 *Ado præter morem duplici Sanctum nostrum elogio exornat; altero quidem, quod inter Festivitates Apostolorum collocavit, quodque vel ipse ex Beda acceperit, vel ex ipso in Bedam translatum fuerit : tanta est utriusque consonantia. Alterum vero inseruit Martyrologio suo, adeo longam Actorum seriem in eo expandens, ut totam ferme viri Apostolici vitam complectatur; e quibus Usuardus illa paucula delibavit, quæ modo præmisimus. Bedæ elogium transcripsit Rabanus, Notkerus modice phrasim ejusdem immutavit. Quæ omnia, quia idem fere*

sonant,

A sonant, ex eodem videlicet Actorum fonte desumpta, hic non transcribimus, uti nec illa, quæ a recentioribus inter auctaria ad Usuardum hoc die a nobis sunt relata; item quæ in Florario nostro Ms., Rubeo, Ferrario, Fabrio, etc., notantur.

magni etiam habitus a S. Gregorio PP. VII.

6 Huc spectat illud S. Gregorii PP. VII, ex lib. 6, epistola 10, apud Labbeum tomo 10 Conciliorum, col. 203, ad Ravennates data, qui, inquit, beatum Petrum, ejusque filium, sanctum videlicet Apollinarem diligunt. Et ibidem lib. 8, ep. 13, col. 261 : Credimus, inquit, non latere vestram scientiam, Ravennatem ecclesiam Sedi Apostolicæ præ ceteris vicinius hærere solitam fuisse, camque specialiter ab ipsa dilectam, quidquid dignitatis et honoris antiquitus per beatum A... (Apollinarem) tenuit, munere scilicet præfatæ Sedis concessum habuisse. Coronidis loco sit Martyrologium Romanum, quod sequenti elogio utitur : Natalis S. Apollinaris episcopi, qui ab Apostolo Petro Romæ ordinatus et Ravennam missus, pro fide Christi diversas et multiplices pœnas perpessus est : postea in Æmilia Evange-
B lium prædicans, plurimos ab idolorum cultu revocavit. Tandem Ravennam reversus, sub Vespasiano cæsare gloriosum martyrium consummavit. His addi potest breve Sancti elogium ex Vita S. Severi, episcopi Ravennatis tomo 1 Februarii, pag. 82; ut prætercam alind apud Bacchinium parte 2 in appendice, pag. 4. Res item gestas et decora Sancti breviter et apposite perstrinxit ex historia Camaldulensi, Rubeo ac Fabrio noster Antonius Macedo in opere singulari, de Divis tutelaribus orbis Christiani, anno 1687 Ulyssipone Latine edito, a pag. 133.

Disseritur de S. Apollinaris patria; quem non constat fuisse e 72 Christi discipulis.

7 Vita non tam expresse patriam sancti Præsulis nostri signat, sed eam tacite quodammodo subindicat, quando S. Petro Apostolo Antiochia Romam profecto, multos inde Christianos simul comitatos adjungit (quos inter fuerit S. Apollinaris) qui administrantes ei Romam venerunt. Bedæ elogium de patria nihil. Aguellus seu Andreas in Vita Sancti apud laudatum Bacchinium pag. 124 natione Antiochenum ponit; sive id diserte alicubi in Actis offenderit; sive ex profectione, quam diximus, Antiochena id elicuerit. Ado in suo elogio tantum re-
C fert, quod ab Antiochia secutus Apostolum Petrum, etc. Petrus de Natalibus in Vita lib. 6, cap. 128 Antiochenus, inquit, genere. Rubeo ad annum 44 vir Antiochenus; Fabrio pag. 85 et Ughello Italiæ sacræ tomo 2, col. 327 Antiochenus etiam fuit; nobis vero adeo illud non displicet, ut non inviti Sanctum Antiochenis demus ; quamquam plane certo de illa re nobis nondum constet, nec magis exploratum sit, an Sanctus, prout de ipso traditur, exstiterit unus e septuaginta duobus Christi discipulis, juxta ea, quæ die XV hujus dicta de iis sunt.

De tempore ordinationis,

8 Tempus item ordinationis ac sedis exacte determinare, non adeo in promptu est. Ughellus ordinatum statuit circa annum Christi 44. Bacchinius in serie Pontificum Ravennatium, quam texit a pag. 46, ordinatum fuisse affirmat anno L, et quidem (si ipsi credimus) die XIX Junii. Rubeus haud ita multo post annum 44 id contigisse scribit, cum se Romam, ut addit, Petrus... contulisset. Unde sequitur, si ordinatio ista haud ita multo post primum S. Petri ad Urbem adventum, uti placuit Rubeo, peracta est, illum circiter pro ea annum constitui posse. Nec valde reclamant Acta, dum post multum temporis ab isto adventu ordinatum fuisse S. Apollinarem, indicant : unum id, si verum est (et vero falsum esse, unde evinces?) jam consequens est, ut ista ordinatio annis aliquot, anno circiter Christi 40 posterior acciderit. Cui autem determinato anno ea alliganda sit, quis affirmare possit, cum de anno primi in Urbem S. Petri ingressus plane non constet; et, fac de illo constare, manet etiamnum incertum, quam multum temporis illum inter ingressum et ordinationem Sancti nostri interponendum sit; ac proinde manet pariter incertum controversæ hic ordinationis tempus. AUCTORE J. P.

ac regiminis,

9 Neque certiora habemus de tempore, quo sanctissimus Præsul præsedit cathedræ Ravennati. Beda citatus : Rexit, inquit, ecclesiam annis viginti, dies octo. Ita apud nos Ms. Divionense; sed ibidem annotantur alia quatuor, quæ legunt, annis viginti octo et dies quatuor ; Vaticanum mendose annis triginta et octo; Lætiense item vitiose annis decem et octo, et diebus quatuor. Ado in Festivitatibus Apostolorum et in suo Martyrologio cum editis Actis apud Surium numerat annos viginti octo, mensem unum, dies quatuor. Vitæ, quam E prælo damus, apographum habet : annis viginti octo, dies quatuor. Tantundem temporis signatur apud Mombritium. De aliis Mss. ratio habebitur in annotatis. Rubeus ad annum 74, numerat annos 29; quibus Fabrius parte 2, pag. 397 adjungit mensem unum cum diebus quatuor. Bacchinius ei dat annos viginti octo, menses 5, dies 4. Baronius ad annum 65, undetriginta ejus regimini assignat ex B. Petri Damiani sermone de S. Eleucadio, ubi ita loquitur : Apollinaris quanta gloria, quanta sit excellentia, admirari digne non possumus, cujus martyrium per viginti et novem annorum spatium per innumerabilia fuerit tormenta productum. Adde Agnellum, qui ponit annos viginti octo, menses (mensem) I, dies IV. Quanta hic varietas! Quoniam tamen in annis undetriginta ut plurimum inter allatos auctores convenit, nihil prohibet, quin ab illorum parte et nos stemus, Sanctique sedi totidem vel completos vel inchoatos saltem annos attribuamus.

Martyrium sub Vespasiano contigit :

10 Martyrium, Beda nostro teste, consummavit sub Vespasiano cæsare, Demosthene patricio. Consonat Ado utroque loco supra indicato. Vespasianum solum exprimit Vita nostra, Agnellus, uti F et Martyrologium Romanum. Vespasianus anno 69 æræ vulgaris imperator declaratus in Oriente, Romam ingressus est anno 70, obiit 79. Hinc satis apparet, quo circiter tempore martyrium subierit S. Apollinaris, non autem quo determinate anno; quem neque determinare facile est ex Demosthene patricio, aliunde nobis ignoto. Apud Petrum de Natalibus martyrium illud aptatur circa annos Domini LXX. Baronius citatus dicit, Sanctum his temporibus Vespasiani imperatoris martyrio vita functum. Ughellus signat annum 74 cum Fabrio, quem circiter annum (non vero annum 80, sicut ipsi imputat ex libro ejus primo Bacchinius in Observationibus ad Vitam Sancti pag. 134) etiam adoptat Rubeus. Ricciolius noster Chronologiæ reformatæ tomo 2, in Chronico magno et selecto ponit annum 73. In annum ab istis diversum abit Bacchinius, in producto superius serie, martyrio coronatum scribens anno LXXVIII; de qua re agit in Observationibus pag. 135. Sed annus iste non evincitur ex eo, quod uti ibi dicit ex Agnello, post pluri-

AUCTORE J. P.

plurimum tempus *a Petri adventu Romam, Sanctus ordinatus sit episcopus ac Ravennam missus. Nec rursum, quod* pro nimia, *prout tradit ex Agnello*, dierum plenitudine curvus effectus est.

incertum quo anno, qui utcumque hic statuitur.

11 *Nam si affigamus adventum S. Petri in Urbem anno æræ vulgaris* 40, *aut aliquanto serius (vide quæ disputata sunt in Tractatu historico-chronologico ad tomum* IV *Julii præliminari de patriarchis Antiochenis sub initium) ordinatio nostra* post plurimum tempus *facta esse videbitur, si ei demus latitudinem quatuor aut quinque circiter annorum post adventum Petri in Urbem; quod tametsi non absolute, tamen spectatis rerum adjunctis, longum tempus censeri posse videtur. Jam vero quod ex Sancto* pro nimia dierum plenitudine curvo *Bacchinius arguit, nihil hic probat; cum anni duo vel tres, de quibus, ut mox patebit, hic controversia est, non semper æqualiter, nedum ordinarie, inducant vel augeant in senibus curvitatem. Age vero, ut epochas tres prædictas ordinationis, sessionis ac martyrii suis utcumque annis accommodemus. Primam quidem affigamus anno circiter Christi* 46, B post multum *utique* temporis *juxta Acta, ab adventu Apostolorum Principis in Urbem. Addamus annos sessionis* 29 *circiter, jam martyrium concurrere poterit cum anno circiter* 75; non VII Kal. Julii, *sicut notat Bacchinius in serie episcoporum citata, verum hac die* XXIII *Julii, quem omnia Martyrologia antiqua (excepto unico codice, ut diximus) constantissime ipsi deputant cum Actis et Adone in suo elogio. Sed non satis in die martyrii sibi constat Bacchinius : nam citata mox pag.* 135, *annum et diem, supra a nobis ex ipso significatos, pontificatus initio affigit*, servata die, *inquit*, qua natalis ejus in omnibus et antiquissimis Martyrologiis signatur, XXIII Julii. *Quæ quisnam combinet?*

§ II. S. Apollinaris sepulcrum ac corpus; ejusdem apud Classenses continuata possessio; translatio in decentiorem locum.

C

Corpus Martyris extra Classem sepultum,

Sepultus est, *inquit Vita nostra*, foris muros Classis in arca saxea a discipulis suis. *De sepulcro tacet Beda ex Floro auctus, cum Agnello, et Adone in Festivitatibus Apostolorum; sed hic ultimus in suo Martyrologio Actis ita consonat :* Martyr gloriosissimus Apollinaris.. sepultus est foris murum *(urbis Ravennæ)* et clausum in arca saxea sub terra corpus. *Et* conditur extra mœnia Classis, *sicut recte dicit Rubeus ad annum* 74 *citatum. Porro Classis oppidum fuit Æmiliæ, nunc locus Romandiolæ, vix tribus milliaribus a Ravenna in Austrum. Nominis etymon tradit Augustinus Lubin in Notitia abbatiarum Italiæ pag.* 103. *De hoc loco vide sis Rubæi Indicem ad finem laudati operis, Cluverium lib.* 1 *Italiæ antiquæ pag.* 305; *Fabrium parte* 1, *pag.* 92; *et apud nos diem* XXXI *Januarii, pag.* 1100.

indeque in ecclesiæ adyta translatum;

13 Ad dexteram *basilicæ Classensis, auctore atque inspectore Mabillonio in suo Itinere Italio tom.* 1, *pag.* 41, visitur antiquum mausoleum ex marmore albo eleganter factum; atque e proximo apposita est parieti vetustissima inscriptio, qua dicitur S. Apollinaris corpus eo in loco jacuisse, donec per Maximianum archiepiscopum in ecclesiæ adyta translatum est, *notata epocha* VII Iduum Maiarum, Indictione XII, octies post consulatum Basilii junioris. *Istius S. Maximiani Vitam illustravimus ad diem* XXII *Februarii a pag.* 293. *Sive autem is obierit anno* 556, *quem ibidem notavimus; sive* 552, *quem adlegit Bacchinius pag.* 47, *nihil nobis hic incommodat ista diversitas : nam Indictio* XII *incidit in annum* 549; *atque adeo, stante ista inscriptione, corpus ibi mansit ad istum usque annum, donec inde per S. Maximianum in decentiorem locum fuit translatum. Consule ea, quæ ibidem in Vita dicuntur cap.* 3, *num.* 14, *et* 15. D

14 *Rubeus ad annum* 648, *alterius translationis meminit, quæ contigerit sub Mauro, archiepiscopo Ravennate* : D. Apollinaris, *inquit*, sanctum cadaver honestissime in templo medio collocavit, laminis ex argento adjectis, quibus ejus collocationis historia inscripta erat. *Factum quoque referens Fabrius pag.* 94, *addit, corpus illud depositum fuisse sub altari beatæ Virginis, illudque esse idem, quod stat in medio ecclesiæ, magna veneratione dignissimum propter memorabilem visionem, quam ibi habuit S. Romualdus, sicut infra dicetur. Inscriptio autem, quam in substantia paulo ante dabat Mabillonius, propriis terminis ibidem a laudato Fabrio adjungitur, et sic sonat :* In hoc loco stetit arca beati Apollinaris sacerdotis et confessoris, a tempore transitus sui usque dia *; e qua per virum beatum Maximianum episcopum translata est, et introducta in basilica, quam Julianus Argentarius a fundamentis ædificavit, et dedicata ab eodem viro Beatissimo, die VII Iduum Maiarum Ind. duodec. octies P. C. Basili Jun. *Agnellus in Vita istius Mauri, ac de eodem, quantum assequor, apud Bacchinium part.* 2, *pag.* 278 *sic loquitur* : Iste corpus B. Apollinaris, qui * dudum in ardica * ipsius conditum a Maximiano præsule cum Juliano Argentario fuit, exinde tulit, et in medio templi collocavit, et ipsius Martyris historiam laminis argenteis infixit. *Eodem igitur fere loco mansit corpus sex primis seculis.*

probatur;

E

* an hodie?

* quod

* arca

ubi videtur etiamnum asservatum fuisse seculo sexto ex S. Gregorio Magno

15 *S. Gregorius Magnus lib.* 5, *epistola* 33 *apud Labbeum tomo* 5 *Conciliorum a col.* 1231 *scribens Castorio notario de usu pallii secundum morem antiquum Ravennati episcopo restituendum, sic habet :* Veniant ante corpus S. Apollinaris, et tacto ejus sepulcro jurent; quæ consuetudo ante Joannis episcopi *(Ravennatis, hujus nominis III)* tempora fuerat. *Scripta fuit hæc epistola ante annum* 595, *quo apud Rubeum, Ughellum et Bacchinium signatur Joannes obiisse. De disceptatione ista circa pallium, plura Rubeus ad annum* 593. *Sed ad rem nostram. Ex dictis liquet, corpus* S. Apollinaris *seculo sexto exeunte Ravennæ quievisse ; et quid ni diu ante, prout indicare videtur* consuetudo jurandi ante Joannis tempora? *Nam consuetudines hujusmodi longioris temporis spatium indicare solent. Quidquid sit, præsentiam certe dicti corporis Ravennæ tum temporis clare indicat formula juramenti, epistolæ Gregorii subnexa col.* 1232 : Juro ergo * per Patrem, et Filium et Spiritum sanctum... et hoc corpus beati Apollinaris martyris, *etc.* F

* *forte ego*

ac Venantio Fortunato

16 *Venantius Fortunatus, Ravennæ educatus, et ex Italia circa annum* 565 *in Galliam profectus, ibique ineunte seculo sexto creatus Pictaviensis episcopus,*

A *pus, auctor est, inquit Tillemontius tomo 2 Monum. eccl. pag.* 103, *uni e suis amicis, ut Ravennam se conferat, ac prosternat se in ecclesia et ad sepulcrum* S. Apollinaris. *Sed fallitur in isto amico : nam prosopopœia est ad libellum seu libros, quos de Vita S. Martini panxit Fortunatus; ubi sub finem libri* 4 *ita canit, paucis in verbis singulari erga Sanctum venerationis expressione usus :*

Rursus Apollinaris pretiosi limina lambe.
Fusus * humi supplex.

* *Rubeus mendose profusus*

Præmiserat Fortunatus proxime circa locum ista :

Inde Ravennatum placitam pete dulcius urbem,
Pulpita Sanctorum per relligiosa recurrens :

teste utique oculato; adde S. Petrum Chrysologum :

17 *Quibus Sancti nostri* limina, *templum videlicet aut sepulcrum accenset; testis haud dubie oculatus ante profectionem ex Italia, singularis venerationis, qua sacrum sanctissimi Præsulis depositum* B *frequentabatur. Quid, quod integro ante seculo S. Petrus Chrysologus, anno circiter* 450 *mortuus, satis clare testetur in citato sermone, corpus* S. Apollinaris *suo tempore apud Ravennates (non tamen inde inferas in ipsa cathedrali ecclesia, uti videtur Tillemontio) requievisse.* Quid plura, *inquit,* fratres? Egit, egit ecclesia sancta mater, ut nusquam a suo separaretur Antistite. Ecce venit, ecce ut bonus pastor suo medius assistit in grege : nec umquam separatur spiritu, qui corpore præcessit ad tempus : præcessit, dico, habitu. Ceterum ipsa inter nos corporis sui habitatione quiescit.

qui indicant Sanctum Ravennæ tunc quievisse; sed explicantur

18 *Verum tametsi hæc, quæ ex S. Petro Chrysologo, S. Gregorio magno ac Venantio Fortunato dedimus, prima quidem fronte pugnare videntur cum translatione per S. Maximianum facta, conciliari tamen utcumque cum ea possunt, si dicatur, tres istos auctores ita loqui potuisse, quia corpus erat in loco Ravennæ vicino, proximo, et quasi moraliter eodem; ac proinde corpus moraliter præsens dici poterat Ravennæ, quamquam physice esse apud* C *Classenses : nam quæ adeo parum distant, vix distare videntur; et quod alibi obtinet, ita et hic obtineat illud, parum pro nihilo reputatur. Accedit eo, quod Ravenna ab illis exprimi potuerit præ Classe, tamquam locus celebrior, et magis ad* S. Apollinarem *spectans,*

in favorem Classensium

19 *Ast potissimum hic pro nobis urget, quod Ravenna antiquitus Classis nomen habuerit, teste Jornande de rebus Gothicis cap.* 29 *:* Trino, *inquit,* siquidem urbs ipsa vocabulo gloriatur, trigeminaque positione exultat ; id est prima Ravenna, ultima Classis, media, Cæsarea *etc. Quin imo quinque Ravennæ partes, easque nobiles (inter quas Classis) tribuit Rubeus ad annum* 655. *Ortelius tamen in Thesauro geographico ad vocem* Ravenna, *hallucinationis arguit citatum Jornandem, quod* eam trinominem..... *et* ex tribus vicinis unicam faciat : hæc enim, *inquit,* potius ejus suburbia fuere. *Sed esto ; quid pugnat et suburbia fuisse, et suæ tamen urbi fuisse synonyma? Quidquid sit, corpus certe* sancti Apollinaris *minime fuit Ravennæ seculo nono teste Rubeo ad annum* 856. *Rem gestam ex ipso intellige.*

20 Deusdedit, archiepiscopo Ravennatium mortuo, Joannes hujus nominis octavus subrogatur : cujus archiepiscopatu, ob barbarorum, quas diximus, excursiones et latrocinia, plerique cadaver D. Apollinaris Ravennam ex eo templo (S. *Apollinaris Classensis*) importatum ferunt : atque in D. Martini in cœlo aureo collocatum, eamque ob rem deinceps ædem illam D. Apollinaris Novi titulo vocatam. Sed ii falluntur, ut puto, cum ex Pontificiarum tabularum auctoritate, Alexandri præsertim III, anno a partu Virginis MCLXXIII, qui ad rem et controversiam declarandam, tollendamque, Ildebrandum et Theodinum cardinales, Gerardo tunc Ravennatum archiepiscopo, misit; ac ex marmoreis, in ipsa Classensi æde Apollinaria monumentis, secus constet. Ceterum huic errori ac disceptationi occasionem præbuit Joannes hic archiepiscopus, qui Saracenis omnia, ut dictum est, devastantibus, cum vereretur, ne cadaver sanctum D. Apollinaris raperetur, duo sanctorum virorum cadavera, sub Apollinaris nomine ad D. Martini in Cœlo aureo transferenda XVII Kal. Augusti curavit, *anno circiter Christi* 856, *sicut notat Fabrius mox laudandus. In notis ad Spicilegium Ravennatis historiæ postea citandum, pag.* 534 *dicitur Joannes iste Ravennatium antistes alibi appellari septimus, et fortasse ita appellandus. Præterea super ciborium ecclesiæ Classensis, a barbaris confractum, dicuntur legi versus aliquot, qui ibidem producuntur ex Ms. At nos cum Rubeo pergamus.* E

AUCTORE J. P.

Orta inter monachos Classenses et Ravennates controversia

de sacri depositi possessione, auctoritate Apostolica dirimitur,

21 Cujus etiam rei satis argumento esse potest, quod iis, quæ supra, *inquit,* scripsimus, Alexandri III temporibus, D. Apollinaris ossa, una cum tribus laminis ex argento vetustissimis *(de quibus infra in Analectis)* quinto Kal. Novembris reperta, et in sublime elata, ostensa omnibus sunt : cum Ildebrandus presbyter Cardinalis legatus, ac Theodinus item presbyter Cardinalis, Gerardus Ravennas archiepiscopus, episcopi metropolitani jure ipsi subjecti, innumerabilesque præterea sacerdotes et populares adessent. In tertia autem argenti lamina si erat scriptum : " Hic requiescit sacratissimum corpus beatissi- " mi Apollinaris martyris et sacerdotis Christi. " Quod vero hic deest, in hac eadem ecclesia " maxima cautela reconditum est. " Ildebrandus F anathematis pœna iis proposita, qui alibi esse D. Apollinaris sanctum corpus affirmarent, festum ac solemnem agi in perpetuum deinde hujus inventionis diem jussit, pœnamque annui spatii peccatis debitam, templum illud eo die invisentibus, quotannis, indulsit. Quæ sunt omnia ab Alexandro Pontifice probata.

lata in contravenientes excommunicatione;

22 *Silvanus Razzi in Vitis Sanctorum ac Beatorum Camaldulensium, anno* 1606 *Florentiæ idiomate Italico excusis, fol.* 4 *notat hanc inventionem,* quidquid alii dicant, *inquit, eodem anno* 1173. *Habemus fragmentum Ms., quod extractum prænotatur* ex historiarum Camaldulensium parte posteriori per Augustinum *(Fortunium Forentinum, a nobis citatum tomo* III *Martii, pag.* 918) *e qua lib.* 2, *cap.* 19 *varia notantur de corpore* S. Apollinaris : *unde excerpo quædam, a Fabrio partim etiam citata pag.* 96, *ex decreto juridico ac solenni, quod in jam dicta de Sancti corpore controversia ab Ildebrando latum est, et sic sonat :* Nos denique tanto reliquiarum thesauro comperto immensum lætificati, his adnotationibus fidem nostram, et fere

AUCTORE J. P.

fere universorum certissime roborantes, et æmulorum figmenta penitus abnuentes, sicut in mandatis Apostolicis accepimus, eos, qui de cetero alibi, quam in Classensi ecclesia, tanti corporis præsentiam credere, vel frequentare præsumpserint, ex auctoritate Apostolorum Petri et Pauli, perpetuæ excommunicationis vinculis alligamus.....

quæ eadem deinde auctoritate confirmatur.

23 Quibus sic peractis, ipse Alexander III, Pont. Max. sententiam Ildebrandi confirmat. Datum Viterbii XI Kal. Decembris. Et post eum Lucius III, Urbanusque; et Innocentius Kal. Nov. anno 9. Gregorius IX. Datum Perusii Id. Jan. anno 3. Et Innocentius IV. Datum Perusii III Non. Novemb. anno 9. In cujus rei testificationem (nam unum exemplar ex multis adducere sufficit) Urbani III paginæ verba sunt hæc : » Urbanus..... Berardo abbati S. Apollinaris in » Classe, ejusque fratribus..... religiosam vitam » sectantibus Apostolicum convenit adesse præ- » sidium. » Enumeratis deinde et in tutelam receptis omnibus et singulis nominatim possessionibus, sic demum concluditur Bulla : » Ad » hæc sunt, quæ piæ recordationis Ildebrandus » basilicæ XII Apostolorum presbyter Cardinalis, » Apostolicæ Sedis legatus, cui quæstionem, quæ » inter vos et monachos S. Apollinaris Novi de » corpore ipsius Martyris suborta fuerat, felicis » recordationis Alexander prædecessor noster » audiendam commisit, provida deliberatione » statuisse dignoscitur, ut corpus ejusdem Mar- » tyris, quod apud monasterium vestrum inve- » nerat, nullus in alio loco, tamquam ibi sit » præsens, quam in monasterio vestro in Classe, » venerari præsumat. Ita etiam constitutionem » Cardinalis ratam habemus ac firmam, eamque » autoritate Apostolica confirmamus..... Datum » Veronæ Id. Martii, Indictione III Incarnat. » Domin. anno MCLXXXX. » *Stabiliunt solide continuationem celebratissimi ejusdem depositi apud Classenses ea, quæ subdo.*

Idem corpus effoditur, et in decentiorem locum infertur.

24 *Deperdita, teste Fabrio pag.* 96, *citante historiam Camaldulensem part.* 2, *lib.* 4, *cap.* 16, *recenter loci memoria, Urbanus Malombra, abbas Classensis, trecentis et amplius post annis, id est circa annum* 1490, *pavimento excavari jusso, sacrum depositum intra aquam invenit, et honoratiore loco collocavit, Domino non cessante varia beneficia impertiri infirmis, qui ex pio erga Sanctum religionis affectu de hac aqua biberent.* Novissime quoque, *prout refert Rubeus loco supra assignato, et ex illo Fabrius*, anno MDXI quarto Non. Aprilis, cum Julius II, Pont. Max. Ravennæ commoraretur, Franciscus Soderinus, basilicæ duodecim Apostolorum Cardinalis sacerdos, D. Apollinaris ossa, ex subterraneo specu, ubi diu latuerant, educta, in monumento ex marmore, sub angiportu majoris testudinis, ante oculos omnium Ravennatum collocavit, centumque dierum pœnæ peccatis debitæ remissionem indulsit, atque quotannis ejus inventionis translationisque diem agi voluit. *Quæ haud dubie accepit ex historia Camaldulensi, in cujus laudato fragmento rei substantia exponitur.*

§ III. Corpus Ravennam translatum; denuo Classem non sine controversia relatum; arctissima custodia; præsens ejusdem status.

Corpus ob tumultus bellicos Ravennam translatum,

A*nno* 1515 *monachi Classenses post famosam urbis Ravennæ paucis ante annis expugnationem et expilationem, quam graviter et pathetice describit Rubeus ad annum Christi* 1512, *in urbem eamdem digressi sunt. Manebat interea sacrum Martyris corpus loco pristino; adque idcirco veriti, ne non satis consultum esset dignissimo isti deposito, si in loco solitario ac derelicto jacere pergeret, cogitare cœperunt de illo in ipsam urbem transportando, ac in nova S. Romualdi ecclesia collocando. Tandem anno* 1637 *translationis exordia sunt posita, sacra Rituum Congregatione rei directionem committente illustrissimo Ludovico Capponi, ibidem tunc archiepiscopo. Res interea serpsit usque ad annum* 1650; *at sopitis, quæ antea se ingesserant, difficultatibus, resumpta tum fuit, cœptusque disponi necessarius ad ejusdem exsecutionem apparatus die* II *Aprilis. Deinde nova rursus se ingesserunt obstacula circa locum translationis; contendentibus metropolitanæ ecclesiæ canonicis, si corpus levaretur, non alio loco, quam in Ravennate metropolitana reponendum esse. Rationes pro jure istius ecclesiæ productæ legi possunt apud Fabrium pag.* 105, *e quo ista facta narramus, auctore videlicet et actore, uti mox patebit.*

suborta de eo controversia, tantisper in metropolitana ecclesia deponitur:

26 *Porro rationes istæ, sicut ex eodem discimus, sacræ Rituum Congregationi, coram qua pendebat lis, visæ sunt adeo magni ponderis, ut sub die* XIII *Julii anno* 1652, *quando laudatus Fabrius, sicut ipsemet narrat, ad istud negotium nomine capituli promovendum, multo ante tempore Romæ versaretur, decreverit, ut sacrum corpus, quod pendente lite, a monachis occulte deportatum erat ad monasterium S. Romualdi, ex isto loco in metropolitanam deferretur per modum depositi, dum interea decerneretur, ubi illud collocari magis expediret, juxta illud, quod legitur in epistola, ad Cardinalem Joannem Stephanum Donghi hac super re scripta, tunc Romandiolæ legatum : cujus jussu vespere diei* XVII *notati mensis, interveniente capitulo, clero, dictoque Cardinale et magistratu assistentibus, eo transportatum fuerit, et in ara principe, ubi multorum item aliorum episcoporum Ravennatium ossa quiescunt, deportatum. Sed non dudum ibi mansit : nam Sanctus, quasi visus non alibi velle quiescere, post varios tractatus, movit, ut credere par est, animos istorum judicum, ut denuo ad ecclesiam Classensem, unde erat a monachis translatus, reportaretur : id quod factum est die* IV *Junii anno* 1654.

sed decreto Congregationis Rituum Classensibus redonatur,

27 *Porro quibus conditionibus id indulserit sacra Rituum Congregatio, intelliges ex ejus decreto, quod ex Fabrio huc transcribimus :* Alias sub die X Maii MDCLV sac. Rit. congregatio ecclesiæ Classensi extra mœnia civitatis Ravennaten. existenti, corpus et reliquias S. Apollinaris adjudicavit, atque ob id a cathedrali ecclesia ad eamdem ecclesiam reduci jussit, facta tamen a monachis Camaldulensibus obligatione de reaptando ecclesiam, et cultum decentem iisdem sacris ossibus

præ-

A præstando. Ideo ne futuris temporibus a quopiam dubitari contingat, num integre per monachos prædictos hujusmodi obligationis partes impletæ fuerint, quo ipsæ ulterius prolatentur, eadem congregatio mox dimetiri, ac declarare peropportunum existimavit, quod videlicet monachi prædicti templum ipsum a summo vertice diligenter expurgatum dealbent, vitreasque arcendis avibus fenestras reparent; idque, quoties necessitas exigat, haud morose repetant. Arcam, corpus seu reliquias S. Appollinaris continentem, eodem subterraneo in loco, ubi nunc eadem sita est, et cui ara maxima imminet, ita collocari faciant, ut ecclesiam ingredientibus conspicua inter crates ferreas objiciatur.

sub certis conditionibus;

28 Ad eamdem vero sacram arcam cæco illo ac subterraneo tramite numquam aditus pateat, nisi diebus tantum solemnibus ac luce minime dubia. Tum vero semel saltem quotidie sacrificium offerant, ac in festo S. Apollinaris, qualibet prima dominica cujusque mensis, et singulis sextis feriis Martii pro Missa privata Missam solemnem ibidem celebrent; quæ tamen ultra alia onera, in eadem ecclesia præstari debita, si quæ adsint, omnino sub pœnis in prædicta obligatione contentis per eosdem monachos impleri sacra eadem congregatio mandavit die XIX Septembris MDCLIV. Cujus decreti duplicatum expeditum fuit die VII Augusti MDCLV. Joan. episcopus Tusculanus Card. Sacchetus, Franc. Maria Phæbeus S. Rit. congreg. secretarius. *Et quia ex collocata arca in loco, quo sacra Congregatio collocari eam mandarat, corpus sacrum recenter levatum fuit absque interventu aut scientia capituli Ravennatis, teste Fabrio, inde accidit, ut non fuerit amplius in alicujus arbitrio, ullo umquam tempore illud removere sine consensu, scientia et præsentia ejusdem capituli; edito ab eadem decreto, ab Alexandro VII, tum temporis Pontifice, confirmato, quo sanxit, ut imposterum arca clauderetur, tribusque clavibus muniretur, quarum prima consignaretur in manus archiepiscopi, secunda penes capitulum, ac tertia demum clavis ipsos penes monachos esset. En tibi ipsum decretum, prout illud exstat apud Fabrium pag.* 107 :

quæ hic ex authenticis documentis

29 Exposuerunt capitulum et canonici cathedralis Ravennaten., novissime a monachis Classensibus absque ipsorum oratorum scientia et consensu, corpus S. Apollinaris martyris ex antiquo sepulcro ad aliud translatum fuisse. Ob idque Eminentiss. patres, sac. Rit. congregationi præpositi, ne posthac ab ipsis monachis quidquam circa corpus prædictum innovari contingat, nisi cum assensu, scientia, et præsentia archiepiscopi et capituli, jusserunt sub tribus clavibus id corpus detineri, quarum una ab archiepiscopo, altera a capitulo, et tertia a monachis asserventur : quibus prædictorum omnium implementum sac. eadem congregatio stricte præcipit; et ne quid iidem in futurum innovent circa corpus prædictum, absque prædictorum scientia, assensu et præsentia, inhibet die VII Augusti MDCLV. Facta autem Sanctissimo D. de prædictis relatione, Sanctitas sua approbavit, atque exsequi jussit die XIII ejusdem mensis Augusti, eodem anno MDCLV. J. episc. Tusculanus Card. Sacchetus. Franc. M. Phœbeus secr. *Ita decretum ; quod missum fuit ad Eminentissimum Cardinalem Octavium Aquaviva, tunc Romandiolæ legatum, teste Fabrio, sequentis tenoris apud ipsum a pag.* 107 :

AUCTORE J. P.

producuntur,

30 Eminentissime et reverendissime Domine. Capitulum et canonici cathedralis Ravennaten. S. Rit. congregationi novissime exposuerunt, a monachis Classensibus absque ulla ipsorum et oratorum scientia corpus S. Apollinaris martyris ex arca advectum, arcam ipsam ad alium locum translatam, et corpus in ea mox restitutum ac reconditum extitisse. Quare eadem Sacra congregatio, ne posthac a prædictis monachis quidquam circa corpus præfatum innovari contingat, nisi scientibus, assentientibus et præsentibus archiepiscopo, et canonicis oratoribus decrevit, etiam de assensu et mandato sanctissimi Domini, sub tribus clavibus id corpus detineri in posterum; quarum una, *etc.* Quodque ne alias dedita * fraudetur executione, vigili Eminentiæ Vestræ solicitudini, et singulari erga ejusdem Sanctissimi imperata obsequio commendandum duxit; prout ipse hisce litteris impleo, dum E. V. manus reverenter deosculor. Romæ XXVIII Augusti MDCLV. E. V. humillimus et addictissimus servus, Julius Cardinalis Sacchetus. Franc. M. Phœbeus S. Rit. congr. secretarius. E

* debita

monachis Classensibus pro earum mitigatione frustra supplicantibus.

31 *Postquam vero dicti monachi, interposito suo recursu, sicut pergit Fabrius, supplicassent pro rei revocatione, non modo nihil quidquam obtinuerunt; sed nova consecuta est confirmatio, aliis litteris ad eumdem Cardinalem legatum datis, expressa in hæc verba :* Em. et Rev. D. observandissime. Monachi Camaldulenses novissime sac. Rit. congregationi supplicarunt, ut decretum emanatum super asservatione corporis S. Apollinaris sub tribus clavibus moderari dignaretur, ne jus quidquam in ecclesia Classensi capitulum sibi vindicare contingat. At sacra eadem congregatio in decretis a Sanctissimo approbatis manendum esse censuit, idque ita executioni demandari, ut corpus idem crate ferrea perpetuo clausum existat. Desuper vero ligneis assibus obducatur, præfatis tribus aperiendum et recludendum clavibus, quarum primam archiepiscopus, secundam capitulum, monachi alteram detineant. Horum implementum solicitis studiis impensuram Eminentiam vestram non hæsito : cui ipse manus reverenter deosculor. Romæ die XXVII Novembris MDCLV. Em. V. humillimus et addictiss. servus Julius episc. Sabinensis Card. Sacchetus. Franc. M. Phœbeus S. Rit. congr. secret. F

Similes olim circa aliorum Sanctorum copora controversiæ; status corporis S. Apollinaris,

32 *Atque his quidem decretis cautissime prospectum fuit securitati pretiosissimi hujus thesauri, et sapientissime consultum debito æstimatissimi apud Ravennatenses et Classenses Sancti honori ac decori. Nec porro novum est aut insolitum, hujusmodi moveri controversias circa Sanctorum exuvias. Exempla duo affert Fabrius pag.* 108 : *alterum urbis Pictaviensis cum Turonensi pro corpore S. Martini, citans Sulpitii Severi epistolam ad Bassulam, in qua tamen nihil simile invenio ; sed de hac re agere, non huc spectat, sed ad diem* XI *Novembris; alterum autem pro corpore S. Maronis ex Theodoreto, de quo agit in Philotheo cap.* 16; *et nos jam pridem ad diem* XIV *Februarii. pag.* 767. *Hæc obiter. Interim pergamus ad rem nostram. Jacet itaque, sicut prosequitur Fabrius,* S. Apollinaris *corpus in ista ecclesia intra arcam marmoream*

AUCTORE J. P.

ream, tribus dictis clavibus obseratam; in qua item asservantur tres laminæ argenteæ, ibidem positæ ab Archiepiscopo Mauro, quando illud transtulit subter altare in medio ecclesiæ; de qua re supra.

medio seculo 17 et exeunte: paucissimæ alibi ipsius reliquiæ.

33 *Hoc itaque in statu apud Classenses medio seculo* 17 *erat corpus* S. Apollinaris *temporibus Fabrii; in eodemque perseverabat annis* 1685 *et* 1686, *quibus Mabillonius supra allatus iter suum Italicum instituit, quo tempore Ravennam visit, affirmans tomo et pagina indicatis*, nunc subtus majus altare in crypta cerni sepulcrum ejusdem Sancti ex marmore. *Sed ad pleniorem ac necessariam sacri corporis, ejusque partium notitiam, juvat in memoriam revocare dicta superius num.* 21 *in antiqua argenti lamina expressa :* Hic requiescit sanctissimum corpus beatissimi Apollinaris..... Quod vero hic deest, in hac eadem ecclesia maxima cautela reconditum est. *Lamina hæc, cui inarata erant ista verba, una est ex tribus, ibi ex Rubeo memoratis, quæ apposita fuit sacro corpori, seculo* 6 *sub Maximiano, ac deinde seculo* 7 *sub Mauro archiepiscopis Ravennatibus (de qua re consulesis num.* 14*); quæ laminæ juxta ossa Sancti sub Alexandro PP. III, anno* 1173, v *Kal. Novembres repertæ sunt. Adde ea quæ jam relata sunt variis successive temporibus circa pretiosissimas illas exuvias contigisse; et colliges, ex iis reliquiis, quæ sub hodierni Præsulis nomine alibi locorum honorantur, paucissimas admodum esse ipsius : nam* quod hic deest, in hac eadem ecclesia *(Classensi juxta superiores observationes) et* maxima *quidem* cautela reconditum *affirmatur; atque adeo partes, quæ tunc totius corporis composito deerant, peregre non esse devectas, satis manifeste indicatur. Proinde non abs re illud notandum putavimus, quo melius statuamus de Sancti reliquiis, alibi sub ipsius nomine asservatis; de quibus paragrapho proximo dicendum est.*

B

§ IV. Reliquiæ S. Apollinaris falso pluribus locis adscriptæ; aliarum enumeratio; ecclesia sub ipsius nomine dedicata seculo sexto.

C

Sancti corpus nunquam translatum fuit Ticinum,

Jacobus Gualla in Sanctuario Papiæ lib. 3, *cap.* 7 *vult*, sacrum (*hujus nostri Sancti)* corpus per tempora Ticinum delatum, eam in sacram ædem pervetusta crypta fuisse conditum. *Stephanus Breventanus in historia antiquitatis, etc. urbis Ticinensis lib.* 4, *cap.* 2, *idem sentit, pluscculis verbis ita affirmans :* Sacrum corpus pluribus abhinc annis Ticinum delatum, honorifice positum fuit in ista ecclesia extra civitatem a parte orientali, ipsius nomine nuncupata. *Sed translatio ista, præterquam quod nec testimonio authentico, nec epocha ulla temporis apud suos assertores notetur, ex dictis abunde refellitur. Testatur porro Fabrius pag.* 96, *in apertione postrema sacri sepulcri inter alias reliquias repertum fuisse caput in plures partes divisum, et ossa tria brachiorum integra atque unum ruptum. Unde rectissime arguit, non esse Sancti illud caput, quod conservatur in ecclesia* S. Apollinaris *Novi apud Ravennates, et certissime constat ex paragrapho præcedente : quamquam inscriptio, quæ ibi in sacello reliquiarum ponitur, istud affirmet : de qua audiatur Ildebrandus Cardinalis pluries supra memoratus, quid senserit apud laudatum auctorem historiæ Camal. lib.* 2, *cap.* 19 *ex fragmento nostro supra citatis; ubi relata ab ovo occasione controversiæ mox hic sequentis, tradit ista :*

D

35 Ildebrandus Dei gratia S. R. E. presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis legatus, omnibus Christi fidelibus in Domino æternam salutem. Cum de corpore B. Apollinaris martyris inter monachos S. Apollinaris Novi, et dilectos filios nostros de Classe non modica contentio diutius agitata fuisset, præfati monachi de S. Apollinare Novo in sui erroris argumentum, et apud nonnullos conceptæ dubitationis robur, clanculo quamdam, quæ jam in dicta fuerat ecclesia, lapideam arcam, temeritate nimia illecti, ausi sunt nocturno tempore violare; inventas vero ibidem non paucas reliquias, per falsum epitaphium nomine memorati Martyris intitulabant, et ejus sacratissimum corpus se invenisse, publice prædicabant. Nos autem ut falsæ opinionis seminarium removeretur, *etc. Unde conveniet dicere, quemadmodum idem Fabrius recte observat, illud caput, quod in dicta ecclesia* S. Apollinaris *Novi colitur, esse illorum Sanctorum, quos archiepiscopus Joannes sub nomine sancti Martyris eodem detulit, de qua re jam diximus; proinde falsam esse istam inscriptionem :* Sacrum corpus, sacraque ossa S. Apollinaris, primi hujus civitatis Pontificis, hoc in sacello pie coluntur. *Vide Fabrium pag.* 123.

nec ejus caput est Ravennæ;

E

36 *Errat Saussayus, in suo Martyrologio, dum scribit, ejusdem Sancti* caput in Gallias delatum Osonii *(Cisonii, vulgo* Cisoin, *quod est monasterium Canonicorum regularium S. Augustini)* prope Insulam in Flandria, in loci hujus ascetarum æde cœnobitica haberi, et coli frequenti piæ plebis devotione. *Quo errore etiam lapsi sunt et noster Petrus Halloixius illustrium ecclesiæ Orientalis Scriptorum tomo* 2, *pag.* 809, *et Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 153, *et noster Willot in suo Hagiologio. Volunt item Parisiis haberi unum ex brachiis ejus in ecclesiæ S. Martini de Campis, uti observat recens legendista Gallus.* Brachio *item* S. Apollinaris *(non addit cujus) Floreffiense Præmonstratensium cœnobium, prope Namurcum ad Sabim situm, nobilitari, auctor est idem Rayssius pag.* 217. *Carolus Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro Romæ Christianæ et gentilis, asserit in* S. Apollinaris *templo Collegii nostri Germanici*, exponi brachium ejusdem Sancti: *at reponit Fabrius, illud non esse hujus Sancti, de quo hic agimus;* maxime *inquiens, quod*, juxta, id, quod in authentico a nobis viso legitur, eo fuerit portatum ex Germania, quo reliquias ejus umquam fuisse translatas, nescitur. *Videsis analecta post Acta. Bucelinus in sacrario Benedictino, in quo recensentur reliquiæ, quæ in diversis monasteriis S. Benedicti asservantur, pag.* 19, *vult* ejus corporis insignes reliquias haberi in monasterio Fuldensi; reliquias et præcipuas partes in monasteriis sub ejusdem nomine Ravennæ conditis; etsi, *inquit*, Romæ in collegio Germanico notabiliora et nobiliora membra asserventur. *Sed de his erit in dictis analectis dicendi locus.*

nec Cisonii in Flandria; nec aliæ plures reliquiæ

F

37 *Masinius in Bononia perlustrata notat reliquias ad S. Petri, et ad S. Joannis in Monte. Ughellus tomo* 7 *Italiæ sacræ col.* 647 *ait, in sacrario*

pluribus aliis locis,

AUCTORE J. P.

A *crario ecclesiæ Cathedralis urbis Campaniensis* asservari... partem brachii. *Joannes Baptista de Grossis in Catana sacra, pag.* 7, *inter reliquias, quas ibi commemorat,* Apollinaris episcopi et martyris *nomen recenset. Gelenius de Coloniensis urbis magnitudine recenset reliquias sub nomine* S. Apollinaris *pag.* 264 : Apollinaris notabilem partem ; *pag.* 266 : de S. Apollinare ep. et mart. ; *pag.* 378 : de Apollinare, discipulo Domini, ep. et mart. ; *pag.* 310 : de S. Apollinare ep. et mart. partem tibiæ magnitudine digiti in hierotheca argentea majore ; *pag.* 509 : partem *denique* cranii S. Apollinaris martyris. *Post officia ecclesiæ Brundusicusis in-8 pergameno, fol. ultimo ponuntur item reliquiæ* S. Apollinaris ep. et mart. *Habemus historiam Ms. alicujus monachi S. Benigni Divionensis super miraculis, quæ fiebant in ecclesia quadam* S. Apollinaris, *exstructa, prout ibi fertur, a S. Clotilde ; qua in ea posuerat aliquus reliquias istius Sancti, Ravenna allatas, pluribus postea miraculis memorabiles ; de qua re agetur inter analecta, ubi et prædicta historia dabitur. Os brachii* B S. Apollinaris *a Carolo Calvo imperatori datum fuisse abbatiæ Sandionysianæ in Gallia, auctor est Doubletius in historia ejusdem abbatiæ lib.* 1, *cap.* 46 *sub initium. De nonnullis ejusdem, ut volunt, Sancti reliquiis in Germaniam inferiorem allatis, quarum longius est argumentum, quam ut commode hic inseratur, dicemus post Acta inter analecta.*

quarum assertoribus incumbit id probare,

38 *Iis porro, qui insigniores* S. Apollinaris *hodierni reliquias sibi vendicant, solido aliquo testimonio probare incumbit, illas vere hujusmodi esse, et non alterius ipsi synonymi, aut sub isto nomine e cryptis sacris extracti ; nam non leviter ipsis incommodant ea, quæ superius circa omnes pene et singulas sacri compositi integrantes partes, earumque custodiam produximus. Vide jam, quam varii sub eodem nomine Apollinares notentur Sancti. Unum dedimus martyrem ad diem* I *Februarii, pag.* 47 ; *unum in Africa cum Martyrologio Romano etiam martyrem ad* XXI *Junii pag.* 72 ; *martyrem quoque ejusdem nominis ex antiquo Kalendario S. Maximini inter prætermissos ad diem* V *Junii, pag.* 418. *Synonymus item* IV *Kal. Maii in Pannonia passus* C *signatur apud Petrum de Natalibus lib.* II, *capite ultimo inter alios Sanctos ibi relatus num.* 132. *Adde Rhemensem in Gallia ex Martyrologio Romano ad* XXIII *Augusti ; Tergesti in Istria cum titulo subdiaconi et martyris ex Ferrario in Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, die* VI *Decembris ; ac denique homonymum Valentiæ in Gallia, de quo cum Martyrologio Romano erit agendum die* V *Octobris, qui cum martyris quidem titulo a Notkero, sed absque eo relatus est ab Adone, Usuardo ac dicto Romano nec non Petro de Natalibus loco proxime indicato, num.* 272 ; *de qua re tamen dispiciendum erit dicto die.*

cum in tanta Sanctorum nostro homonymorum facile unus cum alio confundi possit.

39 *Wandelbertus an non sui oblitus, quando postquam hac, ut vidimus, die* XXIII *Julii retulerat* S. Apollinarem, *rursum de isto ultimo ad dictum diem* V *Octobris ista panxit, melius ad eumdem* XXIII *remittenda :*

Ternas tum Nonas Apollinaris honorat
Præsul, templa frequens cujus Ravenna coronat.

Certe sicut Valentinum Apollinarem, quamquam non martyrem apud antiquos Martyrologos, confudit is cum Ravennate ; quid miri esset, si in tanto Sanctorum homonymorum et quidem martyrum numero aliæ ab aliis factæ essent confusiones ; tum præsertim quando agitur de insignioribus reliquiis ; quarum possessoribus magnæ antiquitatis, magnique nominis et honoris Sanctos debuccinare adeo commune est, ut probari non debeat. Exemplo sit S. Christina virgo et martyr, cujus corpus, si ejusdem assertoribus credimus, unum idemque locis bene multis asservetur, necesse est ; ut videre erit ad diem XXIV *hujus. Consule etiam, quæ die* XX *ejusdem dicta sunt de lipsanis insignioribus S. Margaritæ virginis et martyris, ne plura hujusmodi exempla congeramus.*

Aliæ Sancti nostri reliquiæ, quæ Ravennæ dicuntur exstare.

40 *At nunc ad nostrum Sanctum redeamus. Inter insignes Sanctorum episcoporum Ravennatium reliquias ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ Ravennæ ponitur a Fabrio pag.* 210 unus e baculis, quibus percussus ac martyrizatus fuit noster S. Apollinaris. Reliquia vere bellissima, et visu digna. *Pag.* 165 *occasione antiquissimæ S. Euphemiæ ecclesiæ, ab ipsomet, si ei credimus,* S. Apollinare E *consecratæ ad usum baptisterii, in quo gentiles ad Christum conversos baptizabat, hodiedum adhuc superesse puteum asserit, (at neutiquam id probat) cujus aqua in sacro isto mysterio utebatur. In ecclesia ibidem S. Romualdi Camaldulensium pag.* 325, *teste eodem auctore, est pedum pastorale ex osse albo et nigro, quod fuisse fertur ejusdem Sancti ; crux item pectoralis ex auro, opere encaustico elaborata ; chirothecæ, annulus cum gemma cærulea, quæ videatur esse saphyrus (sed an satis istis temporibus a primis episcopis usitata?) et mitra ejusdem* S. Apollinaris ; *de quibus ipse viderit. Consuli interim possunt ea, quæ de vestium pontificalium antiquitate ibidem addit laudatus auctor.*

Ecclesia ei a S. Bassiano erecta seculo quinto

41 *In Vita S. Bassiani episcopi Laudensis, ineunte seculo* 5 *mortui, quam ad diem* XIX *Januarii, a pag.* 221 *illustravimus, capite* 2 *circa ecclesiam, ab isto præsule in honorem Sancti nostri erecta, traduntur ista :* Ille autem, *(Ravennam fugiens)* viæ non immemor, gradum, quo tetenderat ipse dirigit ; ubi vicinam B. Apollinaris basilicæ sedem maluit ponere, quatenus remota civium frequentia Deo liberius valeat obtemperare. *Rubeus* F *lib.* 2, *ad annum* 454, Vir, *inquit,* sanctitate ac doctrina insignis.. Regiensis episcopus, Prosper Aquitanicus, prope urbem Regium D. Apollinari... templum dedicavit ; et moriens VII Kal. Junii sepeliri in eo voluit. Christiana autem in dies pietate, et sacrarum ædium amplitudine crescentibus, cum ipsum D. Apollinaris templum, ignobilius jam videretur, Thomæ ejus tum urbis episcopo per quietem jussit templum laxius, et sepulcrum nobilius fieri, *etc.*

§ V. Ædes sacra Classensis ac monasterium; aliæ variis seculis sub Sancti nomine constructæ; Romanæ ornatus.

Ecclesia Classensis priore splendidior,

Inter omnes ecclesias sub S. Apollinaris *nomine consecratas, longe celeberrima est Classensis, insigni quondam monasterio spectabilis, neutiquam confundendo cum Classensi synonymo SS. Joannis et Stephani, prope Ravennam ; de quo Mabillonius Annalium*

AUCTORE J. P.

Annalium Ord. Bened. tom. I, *pag.* 7, *et* 226; *seu SS. Joannis et Pauli pag.* 236. *Hujus, qua de hic nobis sermo est, ecclesiæ Classensis dimensionem ac magnificentiam describit Leander Albertus in descriptione Italiæ, regione* 14. *Rubeus lib.* 3 *ad annum* 545 *ita memorat :* Per idem tempus Ursicinus archiepiscopus Ravennas, Julianum Argentarium in ædificationem augustissimi templi D. Vitalis incumbentem, hortatur, ut ad unius patroni civitatis templum, alterum adjungeret D. Apollinari, et geminata pietate, ambos Ravennatum Divos tutelares honore afficeret. Id cum Justiniano Argentarius significasset, et cæsar fuisset assensus, ad Classem, ubi templum ignobile D. Apollinari exstructum erat, majus ac nobilius templum ædificavit. Quod ad hanc diem exstat, ipsam egregii operis admirabilem antiquitatem præ se ferens.

a quo ædificata,

43 *Juvat audire id quod jam a seculo nono Agnellus in Vita S. Ursicini, inter alias Pontificum Ravennatium Vitas a laudato Bacchinio edita, parte* 2, *a pag.* 66 *ad rem nostram scribit :* Jussitque, *inquit*, et ammonuit hic sanctus Vir *(Ursicinus)* ut ecclesia B. Apollinaris ab Juliano Argentario fundata et consummata fuisset. Qui jussa mox adimplens, Deo volente, structa ab eo sancto est Viro in Lapidibus Italiæ partibus pretiosis. Nulla ecclesia similis isti, eo quod in nocte, ut in die pene scandefiat *. *Constantius Felicius ad hunc diem, hujus operis ædificationem attribuit Narseti præfecto sub Justiniano*; *verum tam ille, quam alii idem sentientes refutantur ex dictis.*

B

* *forte vult dicere* ascensus ad eam fiat.

ac consecrata

44 *Adde Rubeum, loco citato :* Non me latet, *inquit*, hoc ab Narsete ædificatum plerosque scribere ; sed Ricobaldo et aliis, Justiniano per Argentarium, Argentariove ipsi adscribentibus, ego plurimis de causis libentius assentior, accedente ad hæc vetustissimo lapide in ipso templi medio, litteris ejus seculi sculpto : in quo, *ut iterum hoc dicamus*, legitur, Maximinum *, archiepiscopum Ravennatem, templum illud ab Juliano Argentario, mandato Ursicini archiepiscopi ædificatum consecrasse. *Et ad annum* 555 *sic habet :* Soluturus deinde vota *(Narses)* quæ initio belli Deo nuncupaverat, ex manubiis bello partis, et Romæ et Ravennæ, et Venetiis templa dicavit ; atque tunc exædificasse D. Apollinaris in Classe ædem plerique putant, quaterno columnarum ordine, et pretioso marmore incrustatis parietibus magnificam. Sed *quamvis* Narses, *ut ibidem repetit*, non hanc ædificavit, jam exstructæ *tamen* domum egregiam et multa præclara ornamenta adjunxit.

* Maximianum

C

censeri debeat.

45 *Leander Albertus citatus sic scribit :* Conditum a Justiniano, Justini I nepote, DXXXIV post Christum natum anno, regnique Justiniani XXIX, nos in ipsa æde litteris expressum legimus. *Ast inscriptio ista, et merito refutatur ab ipso, et fidem non meretur; quia non modo cum jam dictis, verum etiam secum ipsa pugnat, connectens ineptissime annum Christi* 534 *cum anno Justiniani* 29 ; *qui regnare cœpit anno primum* 527. *Blondus Flavius Italiæ illustratæ regione* 6, *aliquanto post initium, ait hanc basilicam* Theodorici Ostrogothorum I regis opus fuisse. *Sed decade* I *Historiarum, lib.* 7 *sub finem sibi non constans, statuit* exstruxisse Narsetem, et propria ornavisse impensa, in Classensi oppido monasterium *(eatenus ipsum errare putamus, sicut planum fiet paulo post)* basilicamque S. Apollinaris : cui tam operum magnificentia, quam ornatu pares paucissimæ nunc in Italia visuntur. *Leandri* est sententia, utcumque sit, Justiniani temporibus hæc saltem ædificata vel Narsete, vel quovis tandem alio auctore censendum. *Ita ille vacillat.*

D

Paucula notantur circa ejus consecrationem, structuram

46 *De ejusdem templi consecratione, anno* 549 *per S. Maximianum episcopum Ravennatem facta, agitur in Vita ejusdem Sancti, ex Rubeo data, ad diem* XXII *Februarii, pag.* 296. *Gervasius vero iste Ricobaldus Ferrariensis, canonicus Ravennas, circa annum* 1291 *floruit ; uti auctor est idem Rubeus lib.* 6 : *qui et scripta ejus recenset. Porro insignem templi istius structuram et ornamenta post dictum Leandrum Albertum exponit Fabrius pag.* 93. *Jam vero hanc ecclesiam insigni apud omnes antiquitus in veneratione fuisse, tum ex Venantio Fortunato, tum ex juramento, apud corpus Sancti ex præscripto Gregorii Magni PP. præstando, abunde patet.*

ac venerationem a S. Gregorio Magno aliisque ei exhibitam.

47 Pastor *iste* magnus, *inquit Fabrius pag,* 98, *ex historiæ Camaldulensis pag.* 2, *lib.* 1, *cap.* 4, ad templum *Classense* venire voluit; qui nudis pedibus pro reverentia cum per januam, quæ cœnobio incumbit, intraret, pes in limine a subjecto lapide excipitur, quasi a molli cera : ubi craticula ferrea in testimonium ad hanc diem visitur, *indulgentiis etiam ditata, teste eodem Fabrio pag.* 111 ; *qui et illud eadem pag.* 98 *refert, quod* porta, *per quam Sanctus intravit, quæ est ad manum dexteram majoris, in tanti Pontificis reverentiam, ad hodiernum usque diem clausa maneat. Vellemus de facto isto S. Gregorii Magni aliunde ex antiquis documentis nobis constaret. Nihil enimvero tale invenimus in duplici S. Gregorii laudati Vita ad* XII *Martii. Utcumque hæc se habeant, plures certe viri illustres locum hunc præsentia sua honorarunt. De Ludovico imperatore II, seculo nono id discimus ex Rubeo ad annum* 866 : Divertit, *inquit*, Ludovicus ad D. Apollinaris in Classe; ibique cum esset, multa Cassinensi cœnobio, Angelario ejus præposito cœnobii postulante, concessit. *Adde imperatorem Ottonem III, de quo B. Petrus Damianus in Vita S. Romualdi cap.* 7 *sic testatur :* Per totam etiam Quadragesimam in Classensi monasterio B. Apollinaris.. mansit; ubi jejunio et psalmodiæ, prout valebat intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata desuper purpura tegebatur. Lecto insuper fulgentibus palliis strato, ipse in storea, de papyris confecta, tenera delicata corporis membra terebat. *Rem gestam etiam narrat Baronius ad annum* 996 *ex eodem scriptore.*

E

F

Virorum illustrium erga istam ecclesiam munificentia :

48 *Viros item dignitate spectabiles, in hunc locum egregie munificos, quid referam? Narsetem jam dedimus. De Sergio episcopo Ravennate sic loquitur Rubeus ad annum* 768 : Ædificavit etiam in ea parte templi D. Apollinaris Classensis, in qua viri, dum aderant sacris, commorari consueverant, locum, cui Cellæ nomen fuit; multaque illi ad usum sacerdotum, qui rem divinam facerent, prædia est elargitus. *Et de Joanne VI, ejusdem sedis antistite, ad annum* 777 : D. Apollinaris, *inquit*, in Classe aram maximam ex argento atque auro, testudine pyramidis instar ornavit ; cujus cruces metallicas ingentes ei dono dedit. *Suam quoque venerationem ibidem testatam voluit esse Zacharias PP., anno* 752 *e vivis*

sublatus

A *sublatus; de quo Rubeus ad annum* 755 *sub finem interserit sequentia*: Quem *(Zachariam)* ferunt.. ex Gallia revertentem, Ravennæ in D. Apollinaris Classensis sacra fecisse, vestesque sacras, in quibus erat illius nomen inscriptum, pretiosissimas dono dedisse; eamque basilicam ad monachorum cœnobitarum institutionem ac disciplinam, cum prius canonicis sacerdotibus, communitatem vitæ minime servantibus esset addicta, redegisse.

et eadem occasione disseritur, quando exstructum fuerit monasterium Classense.

49 *Sed hæc epocha pugnat cum iis, quæ habet Lubin supra allatus, qui translationi corporis* S. Apollinaris *anni* 549, *addit*, XXVI post annos prope *ecclesiam* monasterium ædificatum: anno.. DCCXXXI per Joannem Raven. ep. celebrem evasisse abbatiam; in quam anno DCCLXXV circiter introducti sunt monachi Benedictini. *Ita ille, multa paucis asserens, at nihil probans. Certiora habemus circa illud saltem monasterium ex S. Gregorio Magno PP. lib.* 5, *epistola* I *ad Marinianum, episcopum Ravennatem, Indictione* XIV *(id est anno Christi* 596*) data; in qua agens de testamento* B *Joannis, qui Marinianum proxime præcesserat, hujus nominis tertius juxta catalogos Rubei et Fabrii (quidquid Mabillonius Annal. Bened. tomo* I, *pag.* 7, quintum *vocet) sic habet in rem nostram*: Quia vero *(Joannes)* dum viveret, sæpius a nobis expetiit, ut ea, quæ IN MONASTERIO ILLO CONTULERAT, QUOD JUXTA ECCLESIAM S. APOLLINARIS IPSE CONSTRUXERAT, nostra debuissemus auctoritate, firmare, *etc. Et lib.* 5, *epistola* 28 *eidem scribens:* Monasterium, *inquit*, quod decessor tuus condidit, *etc. Per quod si aliud quam Classense* S. Apollinaris *intelligi debeat, edoceri id desideramus. Porro Joannes III in utroque dicto catalogo notatur sedisse ab anno* 575; *qui obiit anno* 595 *juxta Rubeum in historia Ravennæ ad istum annum, et Fabrium parte* 2, *pag.* 433.

Ecclesia Classensis a S. Leone PP. III restaurata.

50 *S. Leo PP. III magnifice dictam basilicam decoravit, sicut memoriæ prodidit Anastasius Bibliothecarius in laudato Leone; de quo nos egimus die* XII *Junii.* Basilica, *ait Anastasius novissime Romanis typis editus anno* 1718, *tomo* I, *pag.* 311, B. Apollinaris martyris atque pontificis, quæ C fundata est juxta civitatem Ravennam, cujus trabes præ nimia vetustate de annorum curriculis et olitanis temporibus nimis emarcuerant, jamque pene ruituræ in tempore illo erant, isdem venerabilis pater divinitus inspiratus misit illuc, et per solertissimam ac providam curam suam omnia sarta tecta ipsius ecclesiæ simul cum quadriporticis suis noviter ac firmiter restauravit, et in meliorem reduxit statum. Super altare vero ipsius sacræ basilicæ ob honorem omnipotentis Dei, et B. Petri Apostoli, de cujus donis ac datis fecit vestem sericam rosatam, habentem in medio crucem de chrysoclavo, cum orbiculis, et rotas sericas, habentes historias annuntiationis seu natalis Domini nostri Jesu Christi, atque passionem et resurrectionem, nec non et in cœlis ascensionem, atque pentecosten, ornatas in circuitu simili modo, sicut et vestem de chrysoclavo. Sed et canistrum ex argento purissimo inibi fecit cum catenulis suis pensan. libras quindecim. *De ecclesia ista a dicto Leone restaurata agit item Agnellus supra citatus, parte* 2 *apud Bacchinium pag.* 466.

AUCTORE J. P.

De qua, uti et Camaldulensibus loco Benedictinorum ad monasterium Classense inductis,

51 *Ne longiores hic simus, quam par est; nonnulla in compendio subnectimus. Indulgentias isti ecclesiæ concessas recenset Fabrius pag.* 111; *rapinas vero Saracenorum Rubeus ad annum* 846; *restaurationem in multis per Dominicum archiepiscopum, ibidem ad annum* 897, *adjectis carminibus, quæ illic legi possunt. Benedictinos eo introductos paullo ante diximus; agitque ea de re Fabrius pag.* 102, *uti et de redditibus, privilegiis, splendore et viris illustribus monasterii Classensis, summo in pretio habiti a B. Petro Damiano, prout ex verbis ejus, quæ apud eumdem auctorem citantur pag.* 103, *planum fit. Benedictinis successere Camaldulenses; quod ibidem pag.* 104 *ex historiæ Camaldulensis part.* II *lib.* 2, *cap.* 17; *et part.* I, *lib.* 2, *cap.* 11 *narratur in hæc verba:* Illis diebus, anno videlicet MCXXXVIII, XX Octobris Gualterius, reverendissimus Ravennæ archiepiscopus, fama ac veneratione sacræ eremi pellectus in montana adequitavit, ibique S. Romualdi familiam, institutionem ac sanctimoniam plurimum admiratus, ex usu suæ ecclesiæ summopere esse duxit, coloniam ex eremo ad cœnobium S. Apollinaris Classense E traducere, et *, ubi sanctus pater primordia conversionis sacraverat, illic perpetuam quoque stationem suos discipulos habere, se auctore contingeret.

* ut

plura hic congeruntur; sed Camaldulensibus ob bella Ravennam profugis,

52 Itaque memorabili semper munificentissima largitione cœnobium Classis ad reformationem Azoni priori generali concessit ac confirmavit una cum multis oppidis, cœnobiis, territoriis ac fundis, de quibus in ejus conscriptione habetur. *Quædam ad templum ac monasterium illud spectantia suggerit Rubeus ad annos* 1450, 1454, *et* 1455; cujus demum Camaldulenses monachi, *inquit Rubeus ad annum* 1515, cum in superiori clade *(quæ fuit Ravennæ fatalis, anno* 1512*)* ab exercitu, qui Ravennam diripuerat, maxima incommoda accepissent, ipse Andreas Zecchinus abbas strenue propugnans, et cœnobium defendens, multis confossus vulneribus occubuisset, novum in urbe Ravennæ cœnobium, ad domum Misericordiæ, Paulo Laudensi abbate, inchoant, structuraque eleganti, brevi perficiunt.

locus misere redactus est ad solitudinem.

53 *Et talis quidem fuit status præteritis seculis florentissimæ hujus ecclesiæ, ac celeberrimi olim in Italia monasterii, multum (quæ rerum omnium humanarum vicissitudo est) dispar ab hodierno, de quo Mabillonius loco citato supra num.* 13: Ravenna digressi, *inquit*, perantiquum Classense monasterium, tribus fere passuum millibus ab urbe dissitum, in transcursu non sine gemitu vidimus, miserati monasterii ruinas, et ecclesiæ solitudinem. Nam locus ab uno converso Camaldulensi administratur, monachis in urbem translatis, qui unum e suis quotidie mittunt ad privatum sacrum in Classensi basilica faciendum, *juxta præscriptum nimirum sacræ Rituum congregationis; ut videsis num.* 28.

Varia templa Sancti nomen habentia:

54 *De templo* S. Apollinaris *Novi et ejusdem etymo jam meminimus. Fuit olim abbatia Benedictina; sed eo inductos postmodum Franciscanos Observantes, tradit Rubeus ad annum* 1513; *de qua re et sub finem libri octavi meminerat: quam ecclesiam pluribus describit Fabrius a pag.* 119. *Duabus hisce Ravennæ ecclesiis adde alias duas ibidem loci, et unam quidem* S. Apollinaris *(vulgo* in

AUCTORE J. P.

in Veclo *dictam) ætate antiquam et parochialem, de qua Fabrius pag.* 117; *alteram vero ejusdem nuncupationis, item antiquam* (*quæ vulgo* S. Apollinarini *etiam dicitur) estque oratorium pro laicis; de quo laudatus auctor pag.* 129 : *qui et pag.* 117 *integrum catalogum texit præcipuarum urbium non modo in Italia, sed etiam in Dalmatia, quæ, erectis sub nomine* S. Apollinaris *ecclesiis, non obscuras aut minime dubias voluntatis erga eum suæ dederunt significationes, præsertim, inquit Fabrius, in civitatibus, diœcesibus ac territoriis Bertinoriensi, Cæsenensi, Faventiano, Foroliviensi, Ariminensi, Fanensi, Pisaurensi, Ferrariensi, Rhodigiensi, Bononiensi, Regiensi, Mediolanensi, Ticinensi, Cremonensi, Veneto, Florentino, Polensi, Saderensi.*

inter quæ Romanum a duobus summis Pontificibus ornatum :

55 *Anastasius Bibliothecarius in S. Symmacho PP.* Fecit....., *inquit,* oratorium S. Apollinaris ex argento pens. libr. triginta. *Et in Honorio PP. I :* Fecit, *inquit,* basilicam beati Apollinaris martyris in urbe Roma, in porticu beati Petri Apostoli, quæ appellatur ad Palmata * a solo, ubi dona multa largitus est; et decrevit, ut per omnem hebdomadam sabbato die exeat litania ad B. Apollinarem, et ad B. Petrum apostolum cum hymnis et canticis populus omnis occurrere debeat. *De situ dictæ ecclesiæ paucula notantur tomo* VII *Junii, pag.* 159. *Rubeus ad annum* 772 *aliud item templum Romæ ita memorat :* Adrianus *(PP. I)*.. Romæ in pratis Flaminiis, ubi antea fuit Apollinaris ædes, circumque tum Apollinarem appellabant, uti Livius tradit, templum excitavit D. Apollinari : quod memoriæ prodidit Pandulfus Lateranensis ecclesiæ ostiarius : id autem nulla ratione alia factum Blondo videtur, quam ut celebri in Urbe loco, et loci et ædis Apollinaris appellatio a ritu gentium tractu temporis, in D. Apollinaris antistitis Ravennatis memoriam verteretur.

* *alias* palmaria

B

templi Veneti conditores; duorum aliorum notitia.

56 *Idem scriptor ad annum* 1314, *in fine meminit* Rampanæ familiæ Venetæ, quæ et oriunda Ravenna erat, et ob id Venetiis D. Apollinari templum exstruxerat, ac dedicaverat. *Brixiæ quoque stetisse ecclesiam eidem Sancto sacram, ex eo habemus, quod inde reliquiæ S. Ursicini, ejusdem civitatis episcopi, translatæ dicuntur apud Ughellum tomo* 4 *Italiæ sacræ col.* 729. *Alterius insuper ecclesiæ mentionem facit Masinius in Bononia perlustrata, quæ exstiterit* in aula palatii veteris, communitatis, prætoris seu judicis dicti, quæ ab anno MCCL destructa fuit. *Inter epistolas Innocentii PP. III, a Baluzio tomis duobus editas, tomo* 2, *epistola* 201 *mentio fit* plebanatus ecclesiæ S. Apollinaris de Venetiis.

C

§ VI. Apparitiones, festa, sodalitates, altare, Missæ propriæ.

Sanctus apparet S. Sixto PP. III, monens de S. Petri Chrysologi episcopatu.

Die XXVIII *Martii in Commentario historico S. Sixti PP. III (e vita sublati anno* 440) *paragrapho* 2, *exposita fuit apparitio, quæ contigit eidem isti Pontifici occasione novi episcopi Ravennatis, ab eo confirmandi : nam monitus a SS. Petro et* Apollinare *electionem episcopi istius urbis, jam antea ratam apud Ravennates, irritam facit, substituto in ipsius locum S. Petro Chrysologo, qui divinitus sibi fuerat ostensus. Insignis autem præ aliis omnibus apparitionibus habenda merito est hæc iterata* S. Apollinaris *apparitio, quæ S. Romualdo obtigit sub illud tempus, quo patrata a patre Sergio cæde, cui et ipse interfuerat, nullo licet vulneri inflicto obnoxius, ad cœnobium* S. Apollinaris *Classense secessit, per dies quadraginta pœnitentiæ vacaturus more homicidarum. Rem describit B. Petrus Damianus in ejus Vita cap.* I, *illustrata apud nos die* VII *Februarii. Quia vero ille mensis non omnibus ob suam raritatem hagiophilis æque commode ad manum esse potest, textum ipsum huc transcribere visum est :* Illic, *inquit,* districta se pœnitentia jugiter macerans, cœpit cum quodam converso quotidianum habere colloquium; a quo etiam juxta mediocritatem sensus, bonæ exhortationis audiebat sæpe consilium. D

Apparitio alia S. Romualdo facta

58 Quem cum conversus frequenter admoneret, secularem vitam omnino postponere, et ad sanctæ conversationis ordinem festinare, sed ad hoc mentem ejus humiliare nullatenus posset; aliquando inter cetera velut gratulabundus intulit, dicens : Si tibi ego B. Apollinarem corporali specie, ita ut eum manifeste videre possis, ostendero, quid a te præmii reportabo? Ad hæc Romualdus : Firma, inquit, et inviolabili me obligatione constringo, quia mox ut beatum Martyrem videro, apud seculum ulterius non manebo. Hortatur ergo conversus, ut ipsa nocte Romualdus dormire postponeret, et una secum intra ecclesiam in orationibus vigilaret. Cumque nocturno silentio longanimiter ambo in oratione persisterent; ecce circa gallicinium noctis B. Apollinaris, his duobus manifeste videntibus, exiit de sub altari, quod in medio ecclesiæ ad honorem beatæ Virginis Mariæ cernitur esse constructum. Visus est autem exire ab orientali parte; illinc videlicet, ubi marmor porphyreticum jacet. Confestim vero tantus splendor totam replevit ecclesiam, ac si sol fulgoris sui radios intra ipsos parietes cohiberet. E

prorsus singularis :

59 Tunc beatissimus Martyr sacerdotalibus infulis mirabiliter exornatus, aureum in manu portans thuribulum, cuncta ecclesiæ incensavit altaria; et hoc facto, statim, unde exierat, rediit, et mox omnis ille splendor prosequens apparere cessavit. Cœpit itaque conversus Romualdo, durus nimirum exactor, vehementer insistere, et ut impleret, quod ultra promiserat, anxie postulare. Cumque Romualdus adhuc resisteret, et eamdem visionem cernere denuo flagitaret; alia nocte similiter in oratione persistunt, et beatum Martyrem per omnia, sicut prius, adspiciunt. Unde etiam postmodum, si de corpore prædicti Martyris aliquando quæstio oriretur, Romualdus penitus affirmabat, in ipsa ecclesia esse reconditum ; et quamdiu vir sanctus vixit, hoc proferre testimonium non cessavit. F

et item alia eidem exhibita.

60 *En tibi aliam apparitionem ibidem cap.* 6 *in hæc verba :* Aliquando autem vir sanctus non longe mansit a Catria *(de qua ibi in annotatis.)* Cumque ibi aliquamdiu moraretur, manifeste sibi B. Apollinaris apparuit, et quatenus ad suum monasterium pergeret, ibique potius habitaret, ex magna auctoritate præcepit. Quod Vir sanctus nequaquam negligendum ducens, locum, in quo morabatur, sine cunctatione deseruit, et quo

missus

A missus fuerat, impiger festinavit. *Guido Grandus, Ordinis Camaldulensis, in Dissertationibus suis, Lucæ anno* 1707 *editis, dissertatione* 2, *cap*. 7, *pag*. 81, *apparitionem istam attexit anno* 990 *(quod et repetit in secunda tabula chronologica ad illam dissertationem pag.* 127) *concurrente cum S. Romualdi anno ætatis, sicut addit*, 83.

Festum Sancti honoratissimo ac frequentissimo concursu celebre fuisse constat;

61 *Ad festivum apparatum, quo dies Sancto sacra celebrari consuevit, perveniamus. Adeo solenni ea Ravennæ frequentabatur pompa, ut præter numerosissimum populi concursum, illustris et sacra quædam majestas religiosissimæ festivitati accederet ex interventu episcoporum comprovincialium, qui vi antiquæ consuetudinis tenebantur adesse Ravennæ ista die; omnesque habitu sacro induti, nobilem exhibendo comitatus coronam archiepiscopo pontificalibus vestibus amicto, illuc veniebant ritu supplicationis cum omni clero, ut videre datur apud Fabrium pag.* 100. *S. Gregorius Magnus lib.* 4, *epistola* II, *mense Octobris, Indictione* XIII *(anno Christi* 595) *scribens ad Joannem Ravennatem episcopum de usu* B *pallii; inter dies paucos exceptos, quibus usum hunc ipsi concedit, ponit diem* B. Apollinaris martyris. *Quid, quod eo ipso, quo consecrati erant episcopi suffraganei, juramentum præstabant archiepiscopo Ravennati, veniendi quotannis ad solennitatem* SS. Apollinaris *ac Vitalis, sicut patet ex instrumento obedientiæ, quo Octavianus Bononiensis episcopus Philippo archiepiscopo Ravennati, solenni jurejurando, de more, se obstrinxit mense Maio anni* 1263; *quod producit Rubeus ad istum annum; e quo delibo verba, huc spectantia:*

volucribus symbolam quoque suam eo conferentibus.

62 In festivitate autem sanctorum martyrum Apollinaris et Vitalis, excepta infirmitatis causa, aut certa canonica excusatione, obedienter occurrere promitto, nisi per tuam tuorumque successorum licentiam remaneam. *Clerum item una cum episcopis hanc festivitatem condecorasse, liquet ex formula juramenti apud eumdem Rubeum ad annum* 1299, *quod Antonius episcopus Cerviensis præstitit Opizoni, archiepiscopo Ravennati:* CUM ORDINIBUS ECCLESIÆ MEÆ obedienter occurrere PROMITTO. *Accedit eo, quod* Vigilia S. Apollinaris *notetur* cum jejunio *in Kalendario seu Directorio ecclesiæ Metropolitanæ Ravennatis, edito anno* 1660. C *De circo Ravennatis urbis, tribus insignibus marmoreis columnis condecorato a Venetis, et uni ex illis statua Sancti imposita, meminit Fabrius pag.* 332. *Quid memorem? quod* volucres item cœli.. illius festum colere et celebrare certo quodam modo videantur: singulis enim annis XXIII mensis Julii.. undique Ravennam convolant consertis agminibus corvi, cornices, monedulæ, et id genus aves aliæ ex diversis agris Italiæ, stridulo suo cantu quodammodo festum agentes. Quod adeo certum et constans est, ut obtineat jam pridem consuetudo apponendi semper iis advenis volucribus cadaver equi, quo pascantur. *Ita laudatus Macedo pag.* 135, *ex nostro Silvestro Petrasancta in Opere, quod inscribitur Thaumasia veræ religionis contra perfidiam sectarum, Romæ edito anno* 1646, *tomo seu volumine* 3, *pag*. 135. *Rem quidem istam, prout fertur, narrare placuit; liberum de ea judicium penes lectorem; fides vero sit penes auctorem.*

63 *Fabrius pag.* 126 *agens de alumnis* S. Apollinaris *Novi, refert Sancti festum multa cum solennitate ab eisdem celebrari, capitulo metropolitanæ ecclesiæ ibidem Vesperas decantante, et mane habita supplicatione solenni ac generali totius cleri etiam regularis; idque ex consuetudine, Cardinalis Petri Aldobrandini tempore introducta, et Pauli PP. V Apostolica auctoritate confirmata, Brevi Romæ edito anno* 1610, *juxta id, quod in secunda synodo, inquit Fabrius, istius Cardinalis amplis verbis legitur; apud quem in serie episcoporum Ravennatium, ponitur laudatus Petrus Aldobrandinus sedisse anno* 1604; *fundatorque fuisse piæ domus Conversarum seu pœnitentium, pag* 252. *Sacram pompam præcesserat civilis quædam ac publica lætitia: nam Rubeus ad annum* 1503, *memorat*, pecuniam *novo operi publico destinatam fuisse*, quæ in stragula duo, diebus D. Apollinaris et D. Vitalis festis, cursus præmia, impendi consuesset. *Romæ item* festum *Sancti hodierni* celebratur solenniter cum indulgentiis plenariis: exquisitissima musica in ejus templo collegii Germanici, *sicut tradit Piazza supra citatus. Collegium hoc longe celeberrimum satis sit hic vel nominasse; de quo plura Pancirolus in Thesauris absconditis urbis Romæ, Regione* 6 *Pontis, ecclesia* 3; *et apud nos dici poterit ad Vitam S. Ignatii, illustrandam die* XXXI *hujus.* E

AUCTORE J. P.

Alia item circa eamdem solennitatem.

Sodalitates, altare,

64 *Rubeus lib.* 6 *ad annum* 1213 *occasione antiquarum sodalitatum, de quibus ibi agit, facto descensu ad posteriora tempora, ad nostrum propositum tradit ista:* Cum autem pleræque finem habuissent, duæ sunt potissimum a viris piis, nostra, *ait*, ætate institutæ; *cujus una est* D. Apollinaris. Earum sodales diebus potissimum festis congregati, diluculo, meridie ac vesperi horarias D. Virgini Deiparæ preces recitant, septemque Davidis pœnitentis psalmos, et virtutibus Christianis operam, studiumque navant. *Apud Gelenium de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine lib.* 3, *syntagmate* 44 *inter ea, quæ habet de ecclesia FF. Eremitarum S. Augustini*, § 5, *ubi* fraternitates *enumerantur, ponitur una* S. Apollinaris. *Auctarii loco adjungatur altare ad S. Romualdi Ravennæ erectum; de qua re exstat apud Fabrium pag.* 317 *inscriptio sequens:* D. O. M. Kal. Maiis MDCXXXVII templum hoc D. Romualdo, altare autem majus D. Apollinari mart. solemniter consecravit Aloysius Card. Capponius archiep. *Juverit hic etiam rationem habere Missarum, quæ pro altaribus præscribuntur in Missalibus antiquis.* F

Missæ propriæ ex Missalibus:

65 *In Missali Mediolanensi anni* 1522 *a fol.* 188 *habetur Missa propria.* INGRESSA: Justus non conturbabitur. SUPER POPULUM: Majestatis tuæ clementiam suppliciter deprecamur, omnipotens et misericors Deus, ut sicut unigeniti Filii tui agnitionem, per beatissimi sacerdotis et martyris tui Apollinaris prædicationem, populorum cordibus infudisti, ita ipsius opitulantibus meritis, fidei stabilitate firmentur. Per eumdem. EPISTOLA: Nolumus vos ignorare de tribulatione. VERSUS in alleluia: Venite et audite et enarrabo vobis, omnes, qui timetis Deum, quanta fecerit Dominus animæ meæ. EVANGELIUM: Ego sum pastor. POST EVANGELIUM: Super cæcati oculos B. Apollinaris signum crucis edidit, lumenque ei reddidit. SUPER SYNDONEM: Beati sacerdotis et martyris tui Apollinaris annua festivitate ovantes, clementiam tuam supplices exoramus, omnipotens Deus, ut, sicut ille ob tanti

agonem

AUCTORE J. P.

agonem certaminis, triumphali redimitus exultat corona, ita et nos orationum ejus fulti suffragio, tentationum tela superantes, bravio lætemur æterno. Per Dominum.

Mediolanensi, 66 OFFERTORIUM : B. Petrus Apostolus dixit discipulo suo Apollinari : Surge, perge Ravennam : multitudo populi ibi moratur : prædica eis baptismum pœnitentiæ in nomine Jesu. ℣. Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Jesus. Qui sedes nobiscum ; surge, perge. SUPER OBLATA : Famulatus huic nostri sacrificio, clementissime Deus, quod in commemoratione celeberrimi sacerdotis et martyris tui Apollinaris tripudianter offerimus, tuæ, quæsumus, dignanter præsentiam intersere majestatis, ipsius ut meritis, et tibi sit acceptabile, et nobis prosit ad veniam. Per. PRÆFATIO *constat ex compendio brevi Actorum.* CONFRACTORIUM : Apollinaris martyr per unigenitum Filium Dei, et coronam, quam meruisti, intercede pro nobis. TRANSITORIUM : O martyr Domini Apollinaris præclare, qui beatis precibus lumen reddidisti cæcato, et tribuni conjugi donasti medelam. POSTCOMMUNIO, *coincidit cum collecta Missalis Romani in vigilia SS. Petri et Pauli.* B

Spirensi, 67 *Missale Spirense excusum, ut adscribitur ante annum* 1540, *aliam ponit Missam.* INTROITUS : Sacerdotes Dei, *uti in Romano.* ORATIO : Deus, qui multitudinem populorum B. Apollinaris martyris tui atque pontificis instantia ad agnitionem sancti nominis tui vocare dignatus es : concede propitius, ut cujus solemnia colimus, etiam patrocinia sentiamus. Per. EPISTOLA : Doctrinis variis. GRADUALE : Inveni David, *sicut in Romano.* Alleluya. Beatus vir qui suffert tentationem. EVANGELIUM : Facta est contentio *(prout in Romano) quod Evangelium scripto charactere designatur in dicto Missali, loco alterius* Nemo lucernam, *in eodem prius assignati.* OFFERTORIUM : Veritas mea, *sicut in Romano.* SECRETA : Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et interveniente pro nobis S. Apollinare, martyre tuo, iis sacramentis cœlestibus servientes, ab omni culpa liberos esse concede ; ut purificante nos gratia tua, eisdem, quibus famulamur, mysteriis emundemur. Per. COMMUNIO. Semel juravi. COMPLENDA, *fere ut in communi Doctorum in Missali Romano.* C

Moguntino, ac Tornacensi. 68 *In Missali Moguntino anni* 1493 *notatur pro Sancti commemoratione sequens* COLLECTA : Deus, qui salutarem nobis Apollinaris sacerdotis et martyris tui passione hodierna die dedisti lætitiam ; præsta, quæsumus, ut et conversationis ejus experiamur insignia, et intercessione tibi placita gloriemur. SECRETA. Sacrificium nostrum, quæsumus, Domine, in ipsa sit tibi actione placabile, et beati Apollinaris confessoris tui atque pontificis intercessione ad nostræ salutis augmentum fiat acceptabile. COMPLENDA : Satiati, Domine, sumus muneribus sacris ; quæ tanto nobis credimus profutura, quanto hæc, sanctis meritis B. Apollinaris intervenientibus, nos percepisse confidimus. Per. *Nec vero videtur esse dubium, quin singulare etiam aliquid circa Missam jam pridem habuerit Belgium nostrum : nam in Missali Tornacensi anni* 1498, *ad Missam Sancti hæc præscribitur peculiaris* COLLECTA : Beati sacerdotis et martyris tui Apollinaris, Domine, quæsumus, sua nos intercessione commendet oratio : ut tibi placito fulti suffragio, indulgentiam peccatorum consequi mereamur. SECRETA : Sicut munera Abel, Domine, vultu placido respexisti ; ita, quæsumus, hæc sacrificia sint tibi placabilia, ut beati Apollinaris sacerdotis et martyris tui digne peragamus votiva solennia. Per. POSTCOMMUNIO : Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, sicut dedisti manna in deserto ingratis et electis ; ita precibus B. Apollinaris sacerdotis et martyris tui, tribuas acquisitis cibum sempiternæ salutis. Per. *Huc etiam spectant Officia propria, de quibus nunc tractabimus.* D

§ VII. Officia propria; hymni; memoria in antiquis Litaniis; Sanctus an et quo sensu martyr.

Crevit quidem superioribus seculis sanctissimi nostri Præsulis cultus propagatio in Officiis ecclesiasticis ; in Breviario tamen Romano typis Plantinianis anno 1557 *Antverpiæ excuso, et ad Paulum PP. III a Francisco Quignonio Cardinale antea directo, nihil omnino de ipso invenio præter solum nomen in indice Sanctorum sive Kalendario, quod libro præfigitur. Gavantus in Commentariis ad Rubricas Missalis ac Breviarii Romani sect.* 7, *cap.* 9 : Simplex, *inquit*, in Ms. et MDL. Semiduplex a Pio V eum Homil. propria, *quam una cum tribus lectionibus secundi nocturni, et oratione propria legimus in Breviario item Plantiniano, jussu Pii V edito, anno* 1572. *Antiquissimi tamen saltem in Italia in divino Officio cultus certissimum indicium est, quod in Antiphonario (si vere est, sicut vocari solet) S. Gregorii Magni, ponantur de Sancto, quæ eo spectant. Addit Gavantus ejusdem Pontificis Sacramentarium ; ast in illo, sicut indicavimus num.* 2, *nihil invenimus. Hodiedum in Breviario Romano festum celebratur sub ritu duplici ; quale necdum erat notatum in illo, quod in forma* 4 *prodiit anno* 1673 ; *at tale esse cœpit ex mandato Clementis X, qui tum sedebat ; (ut videre est in Officiis novis) et qui obiit* 1676. *De eodem Sancto pariter meminit auctor Micrologi cap.* 43. *Sancti nomen et Officium in Breviariis* E

70 *In citato Kalendario metropolitanæ Ravennatis notatur* patronus Ravennæ, *ac colendus præscribitur ritu duplicis primæ classis cum Octava. Ad calcem habetur hæc propria de Sancto commemoratio :* ANTIPHONA AD MAGNIFICAT IN UTRISQUE VESPERIS : Sancte Apollinaris, sacerdos et martyr Christi, deprecare pro plebe tua, quam ex gentibus acquisisti ; nos autem populus tuus, et oves gregis tui. Intercede pro nobis, ad Filium Dei. ℣. Ora pro nobis, *etc.* ℟. Ut digni, *etc.* OREMUS : Deus, qui nos per B. Apollinarem martyrem tuum atque pontificem apostolicis voluisti documentis imbuere ; da nobis, quæsumus, et illa recte servare, quæ docuit et ad hoc pertingere, quod promisit. ANTIPHONA AD BENEDICTUS : Surge, accipe Spiritum sanctum, simulque pontificatum, et peregre * ad urbem, quæ vocatur Ravenna. *Versiculus, responsorium et oratio ut supra.* F *ac Kalendario Ravennate.*

* perge

71 *Carmen Sapphicum sub nomine B. Petri Damiani (quod tamen usquam apud ipsum non scimus*

Carmen Sapphicum, sub nomine B. Petri Damiani, de Sancto compositum,

A *mus inveniri) in laudem* S. Apollinaris *compositum exhibet Rubeus sub finem Operis sui. Erunt haud dubie qui illud hic videre desiderent. Sic sonat :*

Consul æterni trabeate regni, Mente devota petimus, labora, Curiam cœli reserare plebi, Apollinaris. Janitor summi pius hoc olympi, Annuat tanti famulis Alumni : Qui tuas gaudent resonare laudes Dulcibus hymnis. Intimis pressam tenebris Ravennam, Dæmonum variis inhiando sacris, Clarus Eoïs veniens ab oris Lucifer intras. Cæcus orbati puer Hirenæi, Te probat dextrum rutilare fidus : Qui patri cordis, soboli que frontis Lumina pandis. Nil potest ægræ medicina Teclæ, Nil profanorum numerus deorum ; Tu cor ad cœlum facis, atque lætum Tollere vultum. Læta Classensis movet ora civis, Viribus sacræ reserata linguæ : Patris æternum reparata Verbum Verba fatentur. Morte defunctam duplici puellam, Reddis utrique, miserando, vitæ : Flatus hinc carnem, Deus inde mentem Protinus implet. Gloriam Patri referamus illi,
B Tanta qui dignis tribuit ministris. Sit decus Nato, Flaminique sancto Omne per ævum.

subjungitur,

72 *Subjungitur ibidem sequens in eumdem Sanctum Rhythmus :*

Chorus exultet Cœlitum, Turba plaudat fidelium, Apollinaris passio, Mundi sit exultatio. Hic in fervore spiritus, Dum prædicat gentilibus, Quæ ejus membra perferunt, Referri lingua nequeunt. Christum in igne positus, Summis testatur vocibus, Alter nimirum coquitur, Et alter est, qui loquitur. Equuleo suspenditur, Torta caro divellitur : Jam pœna pœnam cruciat, Et vulnus plaga vulnerat. Igne jam membra torrida, Elixat aqua fervida : Sic duo sacrificia, Ex una fiunt victima. Tanta Ravennæ gloria, Fertur ab Antiochia : Hæc mittit, illa recipit, Hæc gignit, illa perimit. Sit Trinitati gloria, Quæ sic disponit condita, Ut antiquorum scelera, Nova lucrentur secula. Amen.

C *Sicut dictum carmen, sic Rhythmum usquam inveniri apud Petrum Damianum, incompertum habemus.*

itemque Ode collegii Germanici.

73 *Quando Gregorius PP. XIII collegium Germanicum Romæ ad* S. Apollinaris *instituisset ;* ab eo collegio, ad seminarium, *inquit Rubeus,* nostrum hæc ode missa est ; *quam ipse typis edidit ad calcem suæ historiæ in hæc verba :*

Appollinaris inclyti Lux alma mundo prodiit. Vos de beatis sedibus Huc advenite Cœlites. Apollinaris, dicite, Quam multa gessit fortiter, Dum signa primus ætheris Infert Ravennæ mœnibus. Fustes, catenas, carceres, Et sæva fert incendia, Exulque pontum navigat, Madetque totus sanguine. O quas Ravenna gratias Tanto rependes Præsuli, Qui dæmonum ludibria Tuis fugavit sedibus? Adsis benigno numine Nostro, Deus, concentui : Qui Martyri, qui Præsuli Ex hoste das victoriam. Amen.

Nomen Sancti in antiquis Litaniis, etc.

74 *Epimetri loco his adjungimus, antiquissimi cultus et longe æstimatissimæ erga Sanctum hunc venerationis indicia se prodere in pervetustis Litaniis, quibus nomen ejus inscribitur : cujusmodi sunt illæ imprimis, quas tamquam unas e pluribus, tempore S. Gregorii Magni PP. usitatis apud Ravennates, sed postmodum a Julio Ruverio Cardinale, Ravennæ archiepiscopo (sedisse hic ponitur anno* 1566) *sublatas ponit ibidem laudatus Rubeus cum hoc titulo :* Litaniæ conventus presbyterorum parochialium civitatis Ravennæ, quæ de Græco in Latinum translatæ sunt ; *in quibus post Apostolos et protomartyrem Stephanum ponitur* S. Apollinaris *nomen* ij , *(bis, quod interpretor, pronuntiandum). Item in Tractatu de antiqua Ecclesiæ disciplina de divinis celebrandis Officiis, ab Edmundo Martene Benedictino tomis* 4 *excuso Lugduni anno* 1706, *in Litaniis, quæ ex libello precum, et ex Ms. Floriacensi, annorum, ipso saltem judice, circiter* 900, *dantur tomo* 4, *a pag.* 629, *invocatur etiam* S. Apollinaris ; *ut nihil dicam ipsum inscribi Litaniis aliis, sub nomine ejusdem S. Gregorii Magni apud Wion Ligni vitæ tomo* 2, *pag.* 620 *editis. Bacchinius pluries citatus ad calcem partis* 2 *Pontificum Ravennatium, a pag.* 142 *exhibet Kalendarium ecclesiæ Mutinensis, quod, sicut monet pag.* 141, *ad initia seculi undecimi spectare arbitratur, in quo signatur* S. Apollinaris. E

AUCTORE J. P.

An et quo sensu

75 *Quæres, an* S. Apollinaris *stricti ac veri nominis martyr fuerit, an vero latioris et improprii ? S. Gregorius Magnus supra num.* 15 martyrem *ipsum vocat. Contra S. Petrus Chrysologus apertissime indicat, sicut vidimus num.* 4, *talem eum proprie non fuisse. Antiquissima Martyrologia ibidem in isto signando titulo sibi non constant. Si Actis credimus, propriissimi nominis martyr censeri debet, ac tormentis pro fide perpessis moraliter immortuus : nam* apprehensus, *inquiunt..*; tam diu cæsus est, quamdiu existimatus mortuus relinqueretur. Exinde... septem dies supervixit..; *deinde* defunctus est beatissimus martyr... ac martyrizatus est. *Sed plus apud nos habet momenti auctoritas S. Petri Chrysologi, quam Actorum, quæ tametsi valde antiqua, in pluribus tamen si non vacillant, saltem non ubique sincera esse probantur. Certe si suo tempore alicubi invenisset in Actis idem Sanctus proprie et stricte dicti martyrii indicia, aliter omnino hic loqui debuisset. Recte tamen et vocari potest martyr, et sub isto titulo ab Ecclesia celebrari, sicut sub illo celebratur inclytissimus Felix Nolanus : de quo vide sis Commentarium prævium ad ejus Vitam die* XIV *Januarii, paragrapho* 1. F

martyr dici possit.

76 *Etenim titulus martyrii olim dabatur Sanctis, tormenta pro Christo passis, quamquam eisdem haud immortuis ; qui proinde nomine non uno* S. Apollinari *convenit : ut qui sæpe ac plura pro fide passus sit, sæpe sanguinem fuderit, sæpe cum hoste deprœliatus sit, sæpe martyrii desiderio exarserit ; adeo ut non tam ipse martyrio, quam martyrium ipsi defuisse videatur. Quare gaudeat utroque martyris et confessoris honore :* nec eum quisquam, *prout supra dicebat idem S. Petrus,* confessoris vocabulo minorem credat esse, quam martyrem ; quem Dei nutu quotidianum et multiplicem reversum conspicit ad agonem..... Fundebat sæpe confessor sanguinem suum, *etc. Atque hoc sensu jure meritissimo* martyrem *dixeris ; quo haud dubie respexerit Ado in elogio, quando in eo* passus ultimum martyrium *scribitur.*

§ VIII.

AUCTORE J. P.

§ VIII. S. Apollinaris discipuli; peregrinationes; Acta; Vita brevior; ejusque auctor.

Indicantur discipuli S. Apollinaris.

B. *Petrus Damianus sermone* 3 *de* S. Apollinare, *qui inter alios est* 32, *sic loquitur :* Sancti discipuli B. Apollinaris, Adheritus... et Calocerus, Marcianus et Eleuchadius; *de quibus item Sancti nostri Acta et Agnellus inter Pontifices Ravennates cum observationibus Bacchinii parte* 1, *a pag.* 137. *De S. Adherito, Adhereto vel Aderito erit agendum die* XXVII *Septembris cum Martyrologio Romano. S. Calocerum dedimus die* XI *Februarii; ubi et de discipulatu sub* S. Apollinare, *num.* 1 *et* 2 *Commentarii historici. S. Marcianus colitur die* XXII *Maii, quo de ipso actum est. Denique S. Eleuchadium habes ad diem* XIV *Februarii : qui, sicut alia ipsorum occasione jam pridem indicavimus ex præcitato S. Petro Chrysologo,* licet nequaquam carnificum gladio sint percussi, a martyrii tamen B desiderio nullatenus creduntur fuisse extranei. *Fabrius part.* 1, *pag.* 165 *agens de ecclesia sanctæ Euphemiæ, par esse dicit, credere, quod Sanctus ibidem ordinaverit sacerdotes SS. Aderitum et Calocerum; diaconos vero Marcianum et Eleocadium. Sed hæc facilius affirmari quam recte probari; et credi, quam solide refutari possunt. Dictis hisce* S. Apollinaris *discipulis accenseri poterit* Rufus patricius *juxta nostri Præsulis Passionem cap.* 2, *qualiscumque demum ille Rufus sit; de quo in annotatis ad idem caput littera* c.

Disseritur de peregrinationibus ejus;

78 *Satis, ne dicam nimis, peregrinationum Acta tribuunt* S. Apollinari, *quam ut novas, nec ab antiquis traditas, nec in eisdem Actis agnitas hisce profectiones accenseamus. Fateor tamen fundamento idoneo nos destitui, quo vel unicam ex omnibus iis, quas illa recensent, falsitatis convincamus. Secus statue de peregrinatione in Hispaniam, quam, more suo hic iterum exoticus ac singularis, somniat nugator famosus pseudo-Dexter ad annum Christi* 50, *comitibus, S. Petrum Apostolum in Hispaniam secutis, associans* Apollinarem Ravennatem.

C

inter quas commentitia est Hispanica.

79 *At quo scriptore, quibus tabulis, qua fide? Certe jam pridem norunt cruditi, nosque adeo sexcentis locis id aperte professi sumus, istiusmodi figlinæ quisquilias nihili æstimandas esse : cum aliud nihil sint, quam absurdissima figmenta, a male feriato cerebro procusa, indignationeque potius ac risu, quam relatione, nedum refutatione digna. Si cui id vacat, adire potest laudatum plurius Bacchinium pag.* 128, *ubi tam pseudo-Dextrum ipsum, quam ejus commentatorem Bivarium ad dictum annum* 50 *(non* 1, *ut male Bacchinius) confutatos reperiet. In eamdem erroris foveam incidit Fabrius parte* 1, *pag.* 86, *eumdem larvatum* Lucium Dextrum, chronistam, *ut vult,* antiquissimum, *sed verius recentem impostorem, sub affectata antiquitatis larva latitantem secutus.*

De Actis Mss.

80 *Qui unum Actorum exemplar norit, omnia norit , adeo inter se conveniunt in substantia. Longiora (de brevioribus suo loco dicetur) dabuntur ex nostro Ms., quod olim pertinuit ad collegium nostrum Fuldense. Et hujus quidem manuscripti duplex sub isto nomine habemus exemplar : alterum in codice* D *majoris formæ pergameno ; alterum in charta exceptum, cujus discrepantes lectiones, quando litteræ appositæ aliud non indicabant, putavimus pertinere ad Ms. Puteani, quocum illud collatum fuit. Porro in prædicti apographi chartacei involucro notatum reperio syllabum manuscriptorum variorum, ad quæ illud exemplar collatum scribitur, nimirum S. Maximini et S. Martini Treveris, (unde desumpta sunt ea, quæ uncis* [ ] *in textu nostro includuntur) ac S. Audomari ; adde Ms. vetustissimum V. C. Puteani; item exstare hæc eadem notantur in Ms. Valcellensi, Cæsaris insulæ, ut patet ex catalogo P. Grothaus, et in* 13 *codice Reginæ Sueciæ.*

hujus Sancti,

81 *Exstare item ibi adscribitur Vita in codice Ms. Aquicinctino, Catalogo P. Beatilli num.* 48, *et in C. O. Domini Schenckinck, nec non ad S. Hubertum; ut nihil dicam de Ms. Montis Oliveti Neapoli, ubi Sancti etiam nostri passio habeatur. Atque hæc quidem in dicto involucro indicabantur : neque est, quod nos morentur alia exemplaria, quorum unum apud nos notatur in codice Ms. chartaceo, qui fuit olim Isaaci Vossii,* P. Ms. 6, *alterum insuper in pergameno majoris formæ satis antiquum* Q. Ms. 7. *Breviter Sancti gesta perstringit codex* E *membranaceus* ✠ Ms. 87, *Legendas aliquot Sanctorum continens, qui olim fuit domus S. Albani, monasterii Treveris, Ordinis Cartusiensis. Hæc de Actis Mss.; nunc de excusis.*

ac typo editis,

82 *Edidit ea Mombritius tomo* 1. *Ferrarius compendium illorum exhibet ex Breviario et Surio; quæ ante illum item contraxerat Petrus de Natalibus lib.* 6, *cap.* 128. *Acta insuper excusa sunt post historiam sub nomine Abdiæ, Babyloniæ primi episcopi, Parisiis anno* 1571 *vulgatam, a fol.* 143 *verso. Habentur item in historia Christiana veterum Patrum, anno* 1583 *ibidem loci edita, et a R. Laurentio de la Barre castigata ; quæ etiam Rubeus et Fabrius suis sæpe nominatis libris inseruere : hic quidem parte* 1, *a pag.* 85 : *ille vero lib.* 1, *ad annum* 44. *Quæ hic habet Legenda aurea Claudii de Rota, Ordinis Prædicatorum, anno* 1531 *excusa, consonant cum iis, quæ refert citatus codex Cartusiæ Treverensis. Collectionem historicam habet Tillemontius tomo* 2 *Monumentorum ecclesiasticorum a pag.* 102, *Vitamque suo more compilavit recens Legendista Gallus. Vita denique ex Ms. codice* F *Estensi edita nuper prodiit in Spicilegio Ravennatis historiæ; habeturque tomo* 1, *parte* 2, *Operis de rerum Italicarum Scriptoribus, quod elegantissime Mediolani nuper excudi cœpit, a pag.* 529; *sed Vita illa ad nostrum, quod edimus, exemplar collata, eamdem rerum substantiam continet, quamquam in minutiis levioris momenti variet : quarum alicubi etiam suo loco ratio haberi poterit.*

quæ tametsi sint antiqua, non tamen sunt ubique sincera.

83 *Antiqua esse Acta nemo inficias ierit, qui meminerit ea ab antiquissimis Martyrologis esse adhibita, Adone præsertim seculo nono, qui elogium bene longum ex illis delibavit. Antiqua porro ea esse fatetur ipsemet Tillemontius; plus tamen æquo severus tum hic tum alibi sæpius videtur esse, dum affirmat pluribus eadem scatere, quæ omnem ipsis auctoritatem adimant, ut videre est in notis ejus. Idcirco maluit res ad Sanctum spectantes ex Chrysologo, Gregorio, aliisque colligere. Nec vero locum illis dedit inter sincera et selecta Ruinartius; nec immerito. Item Legendista Gallus, Tillemontium secutus, omnem pene fidem illis adimit in tabula*

critica

A critica auctorum et Actorum tomo 2, ante diem I Julii. *Ego vero in ea non semel oculis animoque intentus, mitius de illis sentiendum judico; quæ, tametsi accenseri non possint Actis proconsularibus, neque ubique sint sincera, et ab omni interpolatione aliena, non tamen propterea tamquam omni prorsus fide carentia traduci debent.*

sed interpolata.

84 *Cum utroque Actorum sincerorum et genuinorum charactere aperte pugnat factum illud, ut alia omittam, num.* 21 : Videntes Christiani tantam impietatem, commoti sunt, et irruentes super paganos, tanta allisio fuit, ut subito amplius quam ducentos homines impiissimos Christiani interfecerint. Sed et Vicarium interimere cogitabant. *Quæ sane a primorum Christianorum mansuetudine, quam* S. Apollinaris *ab Apostolorum Principe aliisque verbo et exemplo edoctus, suos item neophytos docuerat, nimium quantum abhorrent. Ado certe vel illa non legit in suo, quo usus est, exemplari; vel expungenda censuit, cum ne verbo quidem de ista re meminerit. Quid, quod suspicari forte possit aliquis, ea tum temporis abfuisse ab Actis, et postmodum fuisse adjecta.* B *Simili inter alias de causa, in Actis hic expressa, merito a nobis reprobata sunt recentia figmenta Martyrologii Brixiani; ut videre est tomo* II *Aprilis, Propylæi antiquarii parte* 3, *cap.* 4. *Breves dialogismi hinc inde interspersi, indicio esse videntur, auctorem, quando hæc conscripsit, præ oculis habuisse Acta melioris notæ, e quibus sua desumpserit, adjectis fortasse aliis vel proprio morte vel alieno, prout suggerebat ipsi studium res ornandi et amplificandi.*

Agnellus, Vitæ scriptor,

85 *De libro Pontificali sive Vitis pontificum Ravennatium, auctore Agnello sive Andrea conscriptis, earumque erudera tore, illustratore atque editore, Benedicto Bacchinio, sermo alibi incidit per decursum hujus Commentarii prævii. In laudati ibidem operis tomo* 1, *a pag.* 124 *producitur Vita, seu breve potius ejusdem compendium de gestis* S. Apollinaris. *Ne autem ea, quamquam typis jam ab annis aliquot publici juris facta, ab aliquo fortasse hic desideretur, visum fuit illam denuo nunc recudere, tum quia novas quasdam notitias suggerit, in vulgari Passione intactas, tum quia brevis, et antiqua est.* C *Notas illi suæ laudatus editor adjecit, usui nobis futuras. Hanc vero si quis paulo attentius cum vulgaribus Actis contulerit, perspiciet illico eamdem Agnello prælusisse. Parcissime tamen illis usus fuit, coacta in brevissimam synopsin longiore historia, pauculis etiam de suo additis.*

quando floruerit, et quam absurda scripserit.

86 *Porro Agnellus floruit anno circiter* 840; *cujus sermonis barbariem, et incredibilem rerum tum sacrarum tum profanarum, qua laborat, ignorantiam, etc., exponit idem Bacchinius in sua præfatione, tomo* 1 *præmissa, a pag.* 2. Interim tamen, *inquit*, in suorum temporum præsules bile tumet, quorum et Simoniacam labem, et vitia adeo insectatur, ut, qui legit, vix credat tot sceleribus ejus ætatis episcopos infames fuisse, et potius de scribentis fide aliunde in similibus suspecta, dubitet. Se vero data occasione... gloriolæ avidus, nec semel commendat, laboratque insano philautiæ morbo, *etc.* De his.., *inquit*, te *(lector)* monuisse operæ pretium erat, ut.. aliud in primis detestabile Agnelli hujus vitium intelligeres, scíresque quam fidem mereatur hujusmodi scriptor, cum sanctissimos Romanæ Sedis Pontifices insectatur, et ea tradit, quæ primæ Sedis in Ravennates episcopos jura *extenuant, hereditaria jam tum a proavi sui temporibus ad se propagata vindictæ labe infectus; uti narrat Bacchinius pag.* 3, *rei gestæ causam exponens.*

AUCTORE J. P.

contra summos Pontifices,

87 *Unde factum sit, ut fabellas tempore schismatis in populo natas, ovide adoptarit, eam præcipue, quæ circumfertur de Ravennatis metropolis erectione per Valentinianum III, traditoque tum ab initio, tum alias ab Augustis pallio, decantans, et quod his affine est,* αὐτοκεφαλίας *monstrum, in cerebellis hæreticis et schismaticis partum, furiosa deinde in sanctam Sedem, obstetricante vesania, adoptatum et propagatum; quod Bacchinius refutat a pag.* 20, *partem bene magnam eruditæ suæ præfationis instituto isti insumens. Neotericus bibliographus in Commentariis de Scriptoribus et scriptis ecclesiasticis, tomo* 2, *a col.* 156 *de isto auctore tractans, citat Acta eruditorum Lipsiæ anni* 1710, *mense Augusto, pag.* 330 *ad* 336, *quæ* « *accuratum, inquit, et sincerum de hoc auctore judicium* » *ferunt, et injurias atque convicia, quibus illum* » *immerito Benedictus Bacchinius infamavit, con-* E » *futant atque eliminant, ut ab illorum analyseos* » *verbis recedere non ausim.* » *Quam postquam protulisset, corradit alind fragmentum, in quo insulsus quidam et inverecundus gerro contra Sedem Romanam deblaterat. Tales videlicet duces sequi docuit Oudinum sua contra Ecclesiam Romano-Catholicam, quam infamis transfuga, mutoto simul ac deposito pariter cum Romanis sacris religiosæ professionis instituto, turpiter deseruerat, scribillandi prurigo. Notare certe, carpere, arrodere mos istiusmodi erronibus nimium usitatus, quidquid vel in speciem videtur rimam patefacere, qua aditus detur in Romana instituta debacchandi. Sed nos ad Agnellum redeamus.*

eorumque jura;

88 *Cur scriptorem hunc, quem* ineptum non modo, sed impium etiam et sanctissimæ Petri Sedi, ejusque juribus injurium, ac ideo pluribus ex capitibus proscribendum, *asserit ibidem Bacchinius pag.* 5; *cur, inquam, hunc edat, edisserit a pag.* 4 : *nam, uti in rem nostram habet pag.* 13, licet barbarus, rerum et temporum ignarus ac indiligens sit Agnellus, negari tamen nequit, plura ex ejus operæ nancisci licere, quæ sacram F profanamque historiam juvent... Antistitum Ravennatum sanctitatem, eorum præcipue, quos publicis votis catholica veneratur Ecclesia, primus omnium laudavit, effecitque, ut eorum Acta nosceremus, quæ alias periissent : in primis vero SS. Apollinaris et Severi, quos, qui ex posteris encomiis venerati sunt, Agnellum præcentorem habuisse, nullus inficias ibit. *Mitto alia, quæ idem auctor in Agnelli laudem ibidem prosequitur, eo majorem fidem meriti, quo a gestis, quæ posteris tradidit, ac proin a vindicta, temporis intervallo remotior exstitit.*

quibus natalibus ortus, perperam cum aliosynonymo non confundendus.

89 *De duplici ejusdem nomine, patrisque ac matris gente, natalibus, educatione, vitæque instituto meminit Bacchinius in laudata præfatione, a pag.* 15, *recte monens, errare eos, qui hunc cum Agnello archiepiscopo, postremis Justiniani annis florente, confundunt; ac Vossium imprimis corrigens, qui ex Rubeo perperam exsculpsit, Agnellum Ravennæ archiepiscopum temporibus Ludovici Pii, et ordine quidem decimum exstitisse. Consule sis Rubeum lib.* 5 *ad annum* 824, *et indicem archiepiscoporum Ravennatium,*

AUCTORE J. P.

vennatium, operi ejus subjectum. Nunc autem antequam manum de hac tabula tollam, prætermittere non possum, quin significem, tanti meriti librum Agnelli visum esse iis, qui opus elegantissimum de rerum Italicarum Scriptoribus novissime edidere, ut illud e Bacchinii editione recudendum censuerint initio tomi 2 una cum prævia V. C. Ludovici Antonii Muratorii præfatione, ubi de auctore ejusque libro disserit. Superest, ut de versibus indicatæ S. Apollinaris *Vitæ præfixis, quos paullo post daturi sumus, nonnulla præmoneamus.*

§ IX. Versus, Vitæ S. Apollinaris, quam Agnellus conscripsit, præfixi, atque hic ex editis apud Bacchinium recusi.

Observationes quædam,

E*t hosce quidem versus cum Bacchinio minime omittendos putavimus : quos* alienos, *inquit,* ab Agnelli stylo deprehendet, qui tantum leget; ejusdem tamen vel paulo recentioris ætatis ostendunt latinitas corrupta, et mirabilia in syntaxi hyperbata. Illud etiam addendum est, quod Bonifacii Classensis lumen oculorum receptum D. Apollinaris ope recitent, de quo nihil Agnellus ; (*sed Acta longiora num.* 10 *loquelam dumtaxat ipsi restitutam memorant*) Tecla etiam prioribus versibus morbo liberata dicitur; (*de qua et Acta num.* 4) Agnello omissa, qui ejus loco Herenci filium anonymum cæcum illuminatum affirmat, *cum Actis num.* 3.

B

explanationes

91 Quid sibi velit prius septimi hexametri verbum Plamone, obscurum. *Ita Bacchinius : cui lumen affundere conatur Vir clarissimus, sic scribens :* Cum tamen integritati versus syllaba desit, et alias noverimus Lamonem fluvium non longe a civitate Ravennæ fluxisse in Padusam, videtur exscriptori littera P. solitarie ponenda, quæ prius transversa linea signata præpositionem post, pro seculi genio tempus significantem, compendiose exprimeret, ita quod sensus esset, post hæc Lamone, id est, ad Lamonem fluvium D. Apollinarem martyrio coronatum fuisse.

C

ac correctiones,

92 Sequenti versu hexametro, eodem sensu exhibetur eadem particula post. Hinc autem confieeretur ex mente auctoris horum versuum, locum, ubi diem obiit D. Apollinaris, quem alii communiter extra Classem, vicum versus, Leprosorum cognomento dictum, statuunt, ad Lamonem fluvium fuisse. *Sed nos isti poetæ anonymo et incerti temporis tantum non deferimus in hac re, ut Actis prævalere debeat aut possit. Porro sequens versibus præmittitur titulus, eodem, quo est apud Bacchinium tenore, hic recusus :* Incipit versus metri, et pro nomen beati Apollinaris hoc legitur pariter. *Textum vero ita corrigimus : in primo versu ponimus* almus *pro* almis; *in quarto hexametro* ut *pro* et; *in septimo* sit *pro* fit; *in nono* metrum *pro* mertum; *in decimo* prenset *pro* perset; *in ultimo denique pentametro* pace fruatur (*Bacchinius substituit* pace feratur) *pro* pacem servatur.

præmittuntur versibus, qui hic recuduntur.

93 *Denique hac clausula poematiou concluditur :* Finit metrum pentametrum et examctrum; quicumque non capit, convertatur ad prosam. *En tibi nunc ipsos versus :*

D

Almus Apostolus, et solidus princeps aliorum
Quem sanctis monitis discipulum docuit,
Pontificum summam sedem dans cuique, Ravennam,
Et populum misit recte vocare Dei.
Orbatis lumen dedit, Teclamque levavit
Quæque toro membris ægra diu jacuit.
Lætus ut advenit capitolia summa, catervas
Nomine, dœmonicas subruit, in Domini.
Allidens cupidi lethi retinacula, natam
Ad vitam Rufi per Dominum retulit.
Lumen per Deum * munus lingua reparavit
Classensi, nomen cui Bonifacius est.
Plamone coronatus cum martyrio sit,
Ante flagellorum vulnera plura tulit.
Lege poli revocante petit post spiritus ejus
Cœli confessus, angelicosque choros.
Ille nequit quicumque capax chunprendere metrum,
Non id displiceat, suppliciter rogito.
Sed sumens itiner prenset, per devia gressus
Dirigat, et mecum pace fruatur ovans.

* Domini

E

Pro itiner, *quod est in textu, notavit extra illum Bacchinius* iter; *sed obiter notandum, τὸ* itiner *apud antiquos in usu fuisse, quod nescivisse videtur laudatus auctor; alioqui potuisset supersedere sua correctione, neutiquam hic necessaria, nisi forte claritatis causa eam posuerit. Superest, ut nunc Acta ipsa longiora subjiciamus.*

PASSIO

Ex Ms. nostro Fuldensi, ad plura alia collato,

AUCTORE ANONYMO CONSCRIPTA.

CAPUT I.

F

Sanctus ab Apostolorum Principe Ravennam missus, prodigiis claret; plurimos infideles Christo lucratur; male mulctatur.

In diebus Claudii *a* cæsaris veniens Petrus apostolus Jesu Christi Nazareni ab Antiochia in urbem Romam [plurimos ad Dominum convertit] et multi cum eo Christiani administrantes ei, Romam venerunt. Qui statim ad synagogam Hebræorum ascendentes [innotuerunt et] dedit eis notitiam Petrus dicens, quod et ipse Hebræus esset, et a Judæa propter fratrum caritatem advenisset. Cum vero per multos dies sermocinaretur cum Judæis, introducebat de nomine Jesu, quod vere Dei esset filius, qui salvum fecit omne genus humanum, indicans illis, quantas operationes, et virtutes in Israël * fecisset secundum propheticas voces. Multi vero ex Judæis, agentes pœnitentiam pro ignorantia sua, credebant in Jesum,

a Postquam S. Petrus Romam venisset;

* *Ms. S. Martini :* in orbe terrarum *Estense* in Hierusalem

A Jesum, prædicante Petro. Non solum [autem] Judæi, sed etiam Romani, suscipientes verbum, gavisi sunt, quod visitatione visitasset Deus genus humanum, mittens Filium suum, renovare mundum; et credentes in Jesum baptizabantur.

inde Ravennam mittit S. Apollinarem:

2 Post multum vero temporis ait beatus Petrus apostolus Apollinari *b* * discipulo suo: Quid sedes nobiscum? Ecce eruditus es de omnibus, quæ fecit Jesus, surge, et accipe Spiritum sanctum, simulque pontificatum, et perge ad urbem, quæ vocatur Ravennantium *. Multitudo enim populi illic moratur: prædica eis de nomine Jesu, et ne formidaveris; constat enim apud te, quod vere sit Dei filius, qui mortuis vitam reddidit, et ægris intulit verbo medicinam. Et post multa dans orationem beatus Petrus [benedixit eum] et ponens manum super caput ejus, ait ei: Mittat Dominus noster Jesus Christus angelum suum, qui præparet iter tuum, et quæ postulaveris annuat; et osculans eum, emisit a se.

b

* *Ms. S. Audomari ubique* Apollonaris

* *Estense* Ravenna

ubi illuminatum cæcum ad fidem convertit.

3 Cumque pervenisset beatus Apollinaris non longe ab urbe Ravenna, mansit apud quemdam militem Astaticum *, nomine Herenæum *; cui indicans, unde advenisset, aut quid ageret, ait ad eum ille miles: Hospes, filius meus excæcatus est; sed si qua virtus est prædicationis tuæ, adhibe medicinam, ut videat, et sequar * Deum tuum credens in eum. Quem puerum beatus Apollinaris alacriter ad se perduci jussit. Videntes cuncti *, qui aderant, nihil aliud Apollinaris, quam signum Crucis super oculos cæci faciens dixit: Deus, qui non localiter, sed ubique es, tu intromitte cognitionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi in istam civitatem, ut non solum istos oculos corporales illumines, sed etiam interiores oculos gentilium commorantium in loco isto aperias, ut celeriter agnoscentes Jesum Christum filium, suum [Dominum] esse Deum [convertantur, ut] locus mihi prædicationis tribuatur cum magno effectu. Expletis his sermonibus, vidit cæcus, et provolutus pedibus beati Apollinaris una cum parentibus suis, credentes Christo baptizati sunt in fluvio *c* non longe ab urbe Ravenna.

* *Estense* Asiaticum

* *Estense* Irenæum

* *ibidem* sequatur

* *ibidem* Et videntibus cunctis

c

C

Theclam, tribuni uxorem a diuturna infirmitate

4 Matrona vero cujusdam tribuni militum nomine Tecla per annos plurimos gravissima tenebatur infirmitate, quam nullus medicorum poterat erigere. Factum est ut miles Christianus adstaret ante tribunum, et orta fabula, tribunus de conjuge * infirma ait miles: Est apud me quidam peregrinus provecta ætate, qui etiam filium meum absque ullo medicamine inluminavit, si permittis illum videre, mox convalescit *. Ait ei tribuuus: Et hic unde advenit? Qui respondit: Ab urbe Roma. Tribunus dixit: Ergo Romanus genere est? Respondit: Nescio; plus tamen Græcus esse videtur. Dicit ei tribunus: Secrete perduc eum in domum meam, ut cognoscam vera esse, quæ dicis. Cumque ingressus fuisset urbem Ravennam Apollinaris, circumsignans se dixit:

* *Mss. Trevirensia* tribunus commemoravit de conjuge, et

* *Estense* convalescet.

Sanctus sanat;

5 Deus, qui operaris cum Petro magistro meo, operare et mecum, ut clarificetur nomen tuum, et fiat voluntas tua. Et ingressus domum tribuni, est officiosissime susceptus; [et] ait ad eum tribunus: Bene advenisti, medice, et quid dulcius quam æstuanti frigida aqua? Cui beatus Apollinaris respondit: Requiescat in vos pax Domini et Dei nostri Jesu Christi. Tribunus dixit: Quis est de quo dicis? Apollinaris respondit: Filius Dei vivi, qui seculum perditum renovavit: Tribunus ait: Ut video, tu Galilæus es. Apollinaris respondit: Etiam. Tribunus dixit: Nosti curationes? Apollinaris respondit: Nihil sine nomine Jesu. Tribunus ait: Et quæ virtus est in Jesu? Apollinaris respondit: Convoca hic milites tuos, et cunctis videntibus agnosces virtutem Domini mei Jesu Christi, quod ipse sit Deus vivens, et nullus est præter eum alius. Tribunus ait: Veniant principes, ut cognoscamus virtutem Jesu. Cumque adstarent, ait tribunus: Ecce mulier mea lecto tenetur infirma annis plurimis, cui omnis medicina contraria exstitit: si qua enim virtus est in te, operare.

* ex ms.

eosque una cum sua familia baptismo abluit;

6 Cui Apollinaris respondit: Aperiat Deus oculos cordis vestri, ut videntes mirabilia ejus, credatis Jesum Deum. Tunc adprehendens manum mulieris, ait: Surge in nomine Domini et Dei nostri Jesu Christi, et crede in illum, et ne amplius dixeris, quod alius similis sit illi. Statim surgens mulier [surrexit] descendit sana de lectulo, clamans et dicens: Quod non est alius Deus præter Jesum, quem prædicat Apollinaris. Videns vero tribunus et milites, obstupuerunt dicentes: Quia hic est vere Deus, qui talia fecit *. Potens enim est hic, si diligatur, etiam inter bella nobis præstare auxilium. Interea ipse tribunus cum uxore [sua] et filiis, et familia sua credentes in Jesum, baptizati sunt; sed et multi alii ex paganis, qui interfuerunt, perceperunt fidem Jesu Christi.

E

* *Estense* facit

plures item alios Christi aggregat.

7 Habitavit interea in domo tribuni intra urbem Ravennam beatus Apollinaris, et cottidie ad eum veniebant multi ex populo, et docebat eos secrete, dicens: Credite in Jesum; quoniam ipse est Deus cœli et terræ. Et credentes baptizabantur. Multi vero nobiles dabant filios suos beato Apollinari, ut ab eodem sacris litteris erudirentur. His vero qui jam Christo credebant, Missas ejus *, et baptismata in domo tribuni beatus Apollinaris agebat cum discipulis suis. Itaque intra duodecim annos, duos presbyteros Adheretum et Calocerum ordinavit; Marcianum vero nobilissimum virum et Leocadium * philosophum diaconos fecit. Sex enim clericos statuit, cum quibus die noctuque psalmos Domino canebat.

* eis

F

* *alias* Leuchadium

Judici sistitur

8 Cumque cresceret opinio beati Apollinaris de prædicationibus Jesu Christi, et multitudo populi credidissent in fide Christi, jam [que] non poterat latere, nuntiatum est de eo judici * Saturnino; qui producens eum, statuit eum ante pontifices capitolii Ravennatis, et interrogavit eum dux, quid vellet esse. Cui Apollinaris clara voce respondit: Christianus sum. Dux ait: Quis est Christus? Apollinaris respondit: Filius Dei, per quem omnis creatura vivit, quæ [est] in cœlo, et quæ in terra, et quæ in mari est. Cui dux ait: Et ipse te misit ad nos, ut evacues templa deorum nostrorum? An ignoras sacrum nomen Jovis, quia magnus est habitator capitolii *d* hujus civitatis? Cui te oportet humiliari. Beatus Apollinaris respondit: Quis sit habitator ignoro; et quale templum habeat, non novi.

* *Estense* duci

d

et una a paganis male mulctatur.

9 Aiunt pontifices: Veni et vide magnum templum et mire exornatum, ibique cernes simula-

crum

EX MS. crum invictissimi Jovis. Cumque intrasset capitolium beatus Apollinaris, subridens ait pontificibus : Ista tanta ornamenta aurea et argentea melius poterant pauperibus erogari, quam ante conspectum dæmonum appendi. Tunc irruentes pontifices paganorum cum populo super eum, nimia eum cæde mactaverunt; et ejicientes ad mare, semivivum reliquerunt : quem colligentes discipuli ejus absconderunt in domo cujusdam mulieris viduæ Christianæ, adhibentes ei curam.

Puellam liberat a spiritu immundo, *e*

10 Et post menses sex nobilissimus vir, nomine Bonifacius, civis Classis *e* subito obmutuit, cui dum plurimi medicorum nihil prodessent, indicatum est, quod famulus Dei Apollinaris viveret, et apud viduam lateret. Tunc mittens ad eum uxor ejus obsecrabat, ut ad virum ejus visitationem impenderet. Cumque pervenisset ad domum ejus, puella regrediens de ipsa domo, habens spiritum immundum, exclamavit dicens : Recede hinc, Serve Dei vivi : nam facio te pedibus ligatis de hac trahi civitate. Cui ait S. Apollinaris : Obtumesce, diabole, et exi ab ea, et ne B ultra in hominibus loquaris. Qui statim recessit ab ea. Ascendens vero Vir beatissimus domum Bonifacii, vidit eum jacentem mutum et ait :

muto loquelam reddit cum magno fidei incremento.

11 Domine Jesu Christe, qui clausisti os istius hominis, ne amplius invocaret idola in auxilium suum, aperi continuo os ejus, ut tuum nomen, quod est benedictum, invocet, et credat quia tu es Deus vivens in secula seculorum. Cumque a Christianis dictum fuisset : Amen ; eadem hora soluta est lingua ejus, et laudabat Deum dicens : Non est alius Deus præter illum, quem beatissimus prædicat Apollinaris. In eodem [autem] die amplius quam quingenti homines crediderunt in Jesum Christum, agentes gratias Deo et beato Apollinari famulo ejus, per quem inluminati sunt.

ANNOTATA.

a *Imperare cœpit anno Christi* 41, *desiit* 54.

C b *Non lubet nobis de* Apollinaris *etymologia divinare. S. Petrus Chrysologus, citatus in Commentario prævio num.* 4, *tacite allusit ad verbum* ἀπολλύω *vel* ἀπόλλυμι, perdo. *Ferraginem ineptiarum coacervat Legenda aurea in ea, quam comminiscitur, et cujus primam partem adoptat Fabrius parte* 1, *pag.* 91. *Audi nugas :* Apollinaris *dicitur* a pollens *et* ares, *quod est* virtus, *quasi* pollens virtutibus ; *vel dicitur a* pollo, *quod interpretatur* mirabilis, *et* naris, *per quam intelligitur* discretio, quasi mirabilis discretionis vir ; *vel ab* a *quod est* sine *et* polluo *et* ares, *virtus, quasi* virtuosus sine pollutione vitiorum. *Ejusdem farinæ est interpretatio ex Ms. Estensi adjecta Vitæ ex synonymo codice nuperrime excusæ, de qua supra ; sic habet :* Apollinaris, id est probatus, vel apportans legem nationibus rixosis, vel apportans legem nationibus rectæ salutis, vel apparens lux.

c *Strabo lib.* 5 *non longe post initium* Urbium, *inquit,* in paludibus sitarum maxima est Ravenna..... ubi et a fluminibus cenosa omnia cum elevantur, aëris vitio fit medicina. *Porro Ravenna meridiem versus habet fluvium, vulgo dictum* Lame, *qui prope Ravennam in Bedesum influit ; ad* D *septentrionem vero* Montone ; *et de hoc in annotatis ad Vitam breviorem.*

d Ravennæ capitolium, *inquit Bacchinius in observationibus ad Vitam Sancti breviorem*, memoratur ab omnibus, qui S. Apollinaris Acta scripsere ; *ubi et ex Ricquio notat celeberrimis urbibus capitolium tribui.*

e *Pluribus illustratur hic locus in Commentario prævio.*

CAPUT II.

Mortuam resuscitat ; cæditur ; inedia damnatus, ab angelo pascitur; diversa exsul oberrat loca ; leprosum curat.

S. Apollinaris a paganis frustra cæditur,

Non post multos dies inflammati sunt aliqui ex paganis ab spiritu immundo : suam facientes voluntatem, tenuerunt eum, et diutius cæsum E fustibus prohibebant, ne de nomine Jesu mentionem aliquam faceret. Qui jacens in terra clamabat, quod vere ipse est Deus, qui sponte pro omnium salute pati voluit corporaliter. Et non ferentes pagani hoc testimonium, beatissimum Apollinarem nudis pedibus super prunas [ardentes] stare fecerunt. Ipse vero amplius clamabat Christum testificans. Impiissimi autem pagani ab urbe Classe eum projecerunt, dicentes ei : Quamvis curationes facias, urbem nostram noli ingredi, et vives : erat enim beatissimus Apollinaris jacens foras muros, et prædicans de nomine Jesu Christi incessanter.

majores faciens pro Christo progressus.

13 Veniebant autem ad eum multi de civitate timentes Deum, et ministrabant ei : non enim parva erat plebs Christianorum, maxime nobilium. Habebant enim Christiani tugurium non longe a muro, ubi Missas faciebat S. Apollinaris. Baptizabat autem in mari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Post plurimos autem annos beatissimus Apollinaris ad Æmiliam *a* perrexit, docendo secrete populos, quos poterat trahere verbo. Interea Calocerus presbyter guber- F nabat ecclesiam, quæ erat Ravennæ, latenter faciens multas virtutes in nomine Jesu Christi. Non post multum tempus regressus ab urbe Æmilia *b* beatissimus Apollinaris, a Christianis cum omni gaudio susceptus est.

Rufi patricii filiam resuscitat: *c* * *Mss. Trevirensia* proconsul

14 Eodem tempore Rufus *c* patricius et consul * ducatum habebat Ravennæ, cujus unica filia infirmabatur. Indicatum ergo est ei de nomine Apollinaris beatissimi sacerdotis, quem mox jussit ad domum suam venire, et visitare filiam ejus. At ubi ingressus est domum cum clericis suis [Rufus patricius clamabat, dicens] statim defuncta est puella ; cumque lamentationes audiisset beatissimus Apollinaris, cognovit quia transiit. Et descendens increpabat eum Rufus patricius, cum lacrymis dicens : Atque utinam domum meam non introisset ! Dii enim magni indignati sunt, et noluerunt filiam meam salvare; tu vero in quo poteris eam curare? Et omnes qui aderant, flebant cum eo. Cui beatissimus Apollinaris

A ris dixit : Fiducialiter age, patrici, et jura mihi per salutem Cæsaris, quia permittis puellam sequi Salvatorem suum : et modo cognoscis * virtutem Domini nostri Jesu Christi. Rurfus patricius respondit : Scio quia mortua est puella, et non vivit ; tamen si videro eam stantem, et loquentem, laudabo virtutem Dei tui, et non prohibebo eam sequi Salvatorem suum. Omnis vero multitudo flebat amare.

* alias cognosces

eamque uti et alios plurimos baptizat.

15 Ipse vero fiduciam habens in Dominum Jesum, accessit et tetigit puellam, dicens : Domine Jesu Christe, Deus meus ; qui magistro meo Petro, Apostolo tuo dedisti locum impetrandi apud te, quæ desiderat ; tu resuscita hanc puellam, quia tu es creator ; et non est alius Deus præter te. Et respiciens ad puellam ait : Quid jaces ? Surge, confitere Creatorem tuum. Quæ statim surrexit, et loquebatur vociferans, et dicens : Magnus est Deus, quem prædicat Apollinaris, famulus ejus ; et nullus est alius præter eum. Factum est autem in illa hora gaudium magnum coram omnibus Christianis : quia ma-
B gnificatum est nomen Domini Jesu Christi. Baptizata est vero puella cum matre et familia promiscui sexus animæ trecentæ viginti quatuor. Sed et multi alii ex paganis crediderunt Christo.

Ob quæ apud Cæsarem accusatus, sistitur Messalino vicario :

16 Rufus vero patricius timens cæsarem, occulte diligebat beatissimum Apollinarem et ministrabat ei. Filia vero ejus consecrata est Christo et permansit virgo. Nuntiatum est autem hoc cæsari a paganis, quod quidam vir veniens ab Antiochia magicis incantationibus nomen Jesu Christi Hebræi introduxit in urbem Ravennam, et magna multitudo obedit illi, etiam domus Rufi patricii. Cui cæsar mittens successorem, scripsit
d ad vicarium nomine Messalinum *d*, ut præsumptorem hujuscemodi aut diis inclinaret aut longe [eum] in exilio mitteret. Accersivit itaque Messalinus vicarius in prætorium suum Apollinarem beatissimum, et ait ei coram sacerdotibus capitolii : Quis diceris ? Respondit : Apollinaris dicor.
e Messalinus *e* vicarius dixit : Unde huc advenisti ? Beatissimus Apollinaris respondit : Ab Antiochia. Messalinus vicarius dixit : Quam artem agis ? Apollinaris respondit : Christianus sum, et disci-
C pulus Apostolorum Christi.

a quo interrogatur de Christo :

17 Vicarius dixit : Et quis est Christus ? Apollinaris respondit : Filius Dei vivi ; qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt *. Messalinus vicarius dixit : Tu de illo Christo dicis, qui ante paucos annos, dum se filium Dei diceret, a Judæis interfectus est ? Utique si Deus erat, nec poterat mori, nec contumeliis adfligi ; sed superbe agens, injuriatus est, et morti traditus. Hunc tu qua ratione in numero deorum computas, ignoramus. Beatissimus Apollinaris respondit : Hic, de quo loquimur, Jesus erat Deus, et est in æternum ; sed volens genus humanum a servitute dæmonum eripere, exinanivit semetipsum, et incarnatus est de Spiritu sancto ; natus est de Virgine, quæ virum non cognovit umquam. Messalinus vicarius dixit : Auditum est et hoc apud nos ; sed difficile credi potest.

* Estense mare et omnem animam viventem.

sed intrepide respondens,

18 Beatissimus Apollinaris respondit : Audi, judex, quæ dico, viriliter. Deus erat manens in corpore ; mundo faciebat mirabilia insignia ;
D quod * enim a Judæis tentus est, sive crucifixus, caro, quæ ex Virgine sumpta est, patiebatur : Deus enim impassibilis permansit, et immortalis : Qui etiam ipsam carnem tertia die excitavit a mortuis, et apparens multis, ascendit in cœlos, unde descenderat Deus ; tantam vero tribuit in se credentibus virtutem, ut in nomine ejus dæmonia exeant, infirmi convalescant, mortui resurgant. Messalinus vicarius dixit : Tu mihi persuadere non potes, ut ego deos sequar ignotos, qui a senatu recepti non sunt ; sed istis postpositis, accede ad capitolium, et manibus tuis pone thura magno deo Jovi tonanti, ut possis vivere : nam alioquin, per salutem cæsaris, verberatum te diversis pœnis in exilium dirigam.

* Estense qui

Jovique sacrificare nolens, cæditur;

19 Beatissimus autem Apollinaris respondit : Jam me perductum in capitolium existimato, securus esto, quia manibus mei thura non ponam *f*. Sed Domino meo Jesu Christo incensum f
offeram laudis et suavitatis *g*. Exclamantes au- g
tem pontifices dixerunt : Ignoras, judex, quia hic sibi nomen imposuit pontificis, ut sub nomine nostro seducat turbas. Sed tu examina eum de E
præsumptionibus suis. Vicarius dixit ad Officium *h* : Exuite eum, et cædentes dicite : Resi- h
pisce, et immola diis. Cumque cæderetur, clamabat dicens : Christianus sum ; fac quod tibi videtur. Dum hæc autem circa Famulum Dei geruntur, unus de pontificibus dæmonum dixit ad vicarium : Eculeo appendatur, et tortus diutius det honorem diis immortalibus. Beatissimus autem Apollinaris, dum torqueretur, dicebat : Dominum Jesum Christum Deum vivum esse confiteor, et non alium.

et aqua bulliens in plagas immittitur.

20 Deinde comes Messalinus dixit : Dic mihi, pestifer, quæ remuneratio tibi est pro his pœnis ? Beatissimus Apollinaris respondit : Scriptum est, quoniam si quis perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et : Si in Christo mortuus fuerit, vivet ; hæc est remuneratio Christianorum. Tunc universi, qui aderant, audientes hæc, glorificabant Deum cœli, eo quod fortior erat beatissimus Apollinaris, dum pateretur ab his, qui ministrabant ei tormenta. Judex dixit tortoribus : Denuo verberetur, et supra plagas aqua bulliens mittatur ; deinde sub voce præconia * ad navim duca- F
tur vinctus gravi pondere ferri, et in exilio ad partes Illyrici relegetur. Quidam vero, qui sævior fuerat in Famulum Dei, arreptus a dæmonio, subito exspiravit.

* Estense sub præcone

Saxo os contunditur, et inedia vexatur, sed ab angelo pascitur.

21 Cumque levatus fuisset a terra beatissimus Apollinaris, ait vicario : Impiissime, quare non credis in Jesum filium Dei, ut possis evadere æterna supplicia ? Tunc indignatus judex jussit saxo os ejus contundi. Videntes autem Christiani tantam impietatem, commoti sunt ; et irruentes super paganos, tanta allisio fuit, ut subito amplius quam ducentos homines impiissimos Christiani interfecerint. Sed et Vicarium perimere cogitabant *i*. Perturbatus vero judex reclusit se ; i
Apollinarem autem beatissimum cum gravissimo pondere ferri jussit in carcerem horrificum retrudi, et in ligno pedes ejus extendi, et nihil ei ministrare *, ut sic deficeret. Angelus autem Domini nocte veniens ad eum, videntibus custodibus, pavit eum, et confortans abiit. Quarto igitur die cognovit judex quia adhuc viveret : qui secreto cate-

* Estense ministrari

EX MS. catenatum eum in navim imposuit, et in exilium direxit. Secuti sunt autem eum tres viri de clero ejus, qui ei administrabant.

Exsilio mulctatus, diversa oberrat loca: 22 Interea ecclesiam, quæ erat Ravennæ, gubernabant presbyteri et diaconi; crescebat vero numerus Christianorum. Cumque litora Corinthi maris *k* navigarent, subito orta est tempestas, et data navi in siccum, comminuta est, et ejecti sunt in litore. Beatissimus autem Apollinaris cum clericis suis et duobus militibus vivi evaserunt: ceteri vero mortui sunt in mare *l*. Aiunt autem ad beatissimum Apollinarem milites: Domine pater, quo ibimus? Quid faciemus? Quibus ait beatissimus Apollinaris; Baptizamini in nomine Jesu Christi, et vivetis. Qui statim renuntiantes idolis, baptizati sunt in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

leprosum sanat a morbo, et ab infidelitate. 23 Tunc cœperunt pergere de loco in locum, et transierunt Mœsiam *m*, prædicantes ibi verbum, et nemo eos recipiebat. Cujusdam vero primi et magni viri frater leprosus effectus est; cumque vidisset eum beatissimus Apollinaris, dixit ei: Vis fieri sanus? Qui respondens ait: Volo. B Beatissimus Apollinaris dixit ei: Crede in Dominum Jesum Christum [et sanaberis.] At ille ait: Qui me sanum fecerit, ipse est Deus meus. Et invocans beatissimus Apollinaris nomen Domini nostri Jesu Christi, tetigit eum; et statim sanus factus est, qui etiam et ipse renuntians simulacris, credidit in Dominum Jesum Christum, et baptizatus est; et mansit apud eum dies plurimos, et inde pertransiit ad ripas Danubii, et multos sociavit ad Dominum.

ANNOTATA.

a *Via Æmilia, a veteribus memorata, nomen isti tractui Italiæ indidit; quem si accipias quatenus partem Longobardiæ Cispadanæ et Romandiolam late sumptam complectitur, ab Arimino Placentiam usque protensa, et usque ad Apenninum montem: jam patet, Sanctum in Æmilia fuisse, ac proinde* C *in Æmiliam sic non ivisse. Sed si hanc a Flaminia, in qua et Ravenna, et aliæ quinque civitates, Græce Pentapolis dictæ, cum Carolo a S. Paulo in Geographia sacra pag.* 31 *editionis anni* 1704 *distinguas, recte intelliges, e territorio Ravennatium in Æmiliam discessisse Sanctum.*

b *Sunt et alia exemplaria, quæ perperam habent* ab urbe Æmilia.

c *Rufum hunc patritium, ab alio synonymo martyre, qui fertur fuisse consecratus ab Apostolorum Principe episcopus Capuanus, distinguendum pluribus contendit Bacchinius in observationibus citatis. Verum ista controversia opportunius discuti et dirimi poterit ad diem* XXVII *Augusti, quo S. Rufus Capuanus inscribitur Martyrologio Romano.*

d *Ms. S. Maximini* Vicarium præfecti prætorii; *S. Audomari* præfectum prætorium.

e *Ms. S. Maximini ista non habet usque ad* ab Antiochia *inclusive.*

f *Estensis codex*: Thura non ponam dæmoniis. *Ms. S. Martini legit,* mihi non suades diis ponere thura.

g *Ms. S. Maximini*: Offero sacrificium laudis in odorem suavitatis. D

h Officii *nomine hic intellige cum Ruinartio in notis ad Acta SS. Saturnini, Dativi, etc. (quæ habet inter sincera et selecta a pag.* 382, *editionis secundæ) publicos ministros, qui proconsulibus, præsidibus et magistratibus in publicis muniis inserviebant. Hinc* Officiales. *Erudite de hac voce disserit Baronius in notis ad* XXVII *Maii. Exempla congerit Cangius in Glossario ad Scriptores mediæ et infimæ latinitatis.*

i *Locum hunc castigavimus in Commentario prævio: quem brevissime item circa cædem tot gentilium notat Rubeus ad annum* 44; *ac reprobat Bacchinius in Observationibus parte* 1, *pag.* 134.

k *Indicatur hic Corinthiacus sinus, Italis* il Golfo di Lepanto, *inter Achaiam ad Septemtrionem, et Peloponnesum extensus ab Oriente ad Occidentem; ante cujus os ad insulas Echinadas Turcæ a Christianis ingenti clade affecti sunt anno* 1571.

l *Estensis codex rectius*: Et ejecti sunt in littore B. Apollinaris cum clericis suis et duobus militibus; ceteri vero, *etc.*

m *Duplex est Mœsia, nimirum superior et inferior, utraque ad Danubium sita; ultima videtur hic potius intelligenda ex nota proxime sequenti.* E

CAPUT III.

Sancti exsilium; reditus; simulacrum Apollinis eversum; cæco visus redditus; nova supplicia; obitus; sepultura.

Cumque innotuisset paganis beatissimus Apollinaris, quod inimicus esset idolorum, volebant eum occidere; qui fugiens descendit in partes Thraciæ *a*, et mansit ibi dies multos. Erat autem in civitate * templum Serapis *b*; qui in ipsis diebus nullum responsum suis dare voluit; sed dum multa illi offerrent, vix tandem aliquando spiritus dæmonum locutus est, dicens: Nescitis, quia discipulus Petri Apostoli Jesu Christi a Roma huc venit, et ligavit me, prædicans Jesum? Hic si expulsus non fuerit ab his locis, nos vobis responsa dare non possumus. Facta autem inquisitione, inventus est beatissimus Apollinaris, quem discutientes, quid faceret in illis finibus, narravit eis: Quia Christianus sum, et pro Christi nomine ab urbe Ravenna huc in exilio missus sum. *Sanctus a spiritu maligno proditus,* a *alias in vicinitate b F

25 Qui exuentes eum [vestibus,] diutius fustibus cæsum usque ad mare perduci fecerunt. Rogantes autem rectorem provinciæ, ut usu navis currentis ad Italiam Apollinarem beatissimum cum suis omnibus superimponeret, dicentes: Melius est, ut ibi, unde venit, habitet, et subvertat populum; quam hic evacuet culturam deorum nostrorum. Itaque post tertium annum Ravennam civitatem ingreditur; quem suscipientes Christiani gavisi sunt gaudio magno, glorificantes Deum, qui eis suum patrem et doctorem *et mutare sedem coactus, Ravennam redit.*

A ctorem revocavit. Multa enim mirabilia per eum Dominus in litore Dalmatiarum dum regrederetur, ostendit.

Ad templum Apollinis ducitur;

* *alias* Cyrenæi, Cyrinei.

26 Contigit vero post multum tempus, dum apud Christianos Missas teneret, in suburbano Pyrenei * senatoris, subito seditio orta est in civitate a paganis de nomine Apollinaris ; et irruentes populi super eum, ligatum ad forum perduxerunt, cædentes et vulnerantes eum. Quem videntes pontifices capitolii, indignati sunt dicentes : Non est dignus iste præsentari magno deo Jovi, quia frequenter eum illusit; sed ducatur ad templum Apollinis, ibique cognoscat virtutem deorum immortalium. Cumque perductus fuisset, multi nobiles viri tam pagani quam Christiani una cum populo secuti sunt eum. Dicebant ergo pagani : Videamus ergo, si homo iste resipuit. Et dum venisset ad templum, et vidisset simulacrum Apollinis, ait beatissimus Apollinaris adstantibus : Numquid iste deus, in quo auguriatis? Responderunt pagani et dixerunt : Etiam; primus inter deos, et custos ipse est civitatis.

B

ubi simulacrum ejus evertit.

Ms. S. Audomari eo dante; *Estense* dando

27 Beatissimus Apollinaris respondit : Numquam sit huic bene, sed hic cum destructus erit, custos erit Christianorum commorantium in isto loco Dominus Jesus Christus, qui vere est Deus, et dans * orationem simulacrum solutum est, et templum diaboli destructum est. Pagani vero videntes quæ facta sunt, clamabant dicentes : Senex impius interficiatur, per quem omnia diminuta sunt. Christiani vero gratias Deo referebant dicentes : Quod vere ille est Deus, qui talia per hunc patrem nostrum operatur. Et commota pars paganorum tradiderunt eum judici, cui nomen erat Taurus, ut eum interficeret. Qui congregans omnem nobilitatem urbis in prætorium suum, his verbis cœpit, [eum coram] alloqui : Rogamus te, prodere [dignare] nobis, in qua virtute tanta exerces, aut ubi facis congregationem, et signum? Et ut [quid] tanta turba te sequatur.

interrogatur a judice,

28 Beatissimus Apollinaris respondit : Virtus alia non est, quam Domini nostri Jesu Christi : domum enim Dei in cordibus nostris habemus; tamen si fabricam quæris, non est longe ab urbe illic [ubi] Christianis eloquia tradimus divina.

C

Taurus judex dixit : Sunt tibi aliqui adjutores? Beatissimus Apollinaris respondit : Etiam, plurimi. Taurus judex dixit : Et ubi sunt modo? Beatissimus Apollinaris respondit : In hac Ravenna urbe consistunt. Taurus judex dixit : Est in te aliqua virtus divinitatis? Beatus Apollinaris respondit : Jam dixi tibi, est virtus superna Domini nostri Jesu Christi. Taurus judex dixit : Ecce apud me est filius, naturaliter cæcus natus, invocato nomine istius, quem crucifixum a suis asseritis, aperi oculos ejus, et credimus, quia vere Deus ipse est; sin aliter, igni te tradimus ad comburendum pro sceleribus tuis.

ejusque filium a cæcitate sanans, multos ad fidem convertit.

* *Estense* baptismum

29 Beatissimus vero Apollinaris dixit : Veniat ad medium cæcus. Cumque venisset, ait ad eum beatissimus Apollinaris : In nomine Domini Jesu Christi aperi oculos tuos et vide. Qui statim aperiens oculos, recepit lumen *. Stupefactus autem omnis potentatus, qui erant præsentes, dicebant : Quod vere hic est Deus, qui talia operatur. Multi autem ex eis crediderunt in Dominum Jesum Christum. Tunc Taurus judex eruit eum de populo, et misit eum nocte in prædio suo, quasi custodiendum eum ; et mansit ibidem annos quatuor : erat enim ab urbe miliario sexto. Ibi occurrebant ad eum omnes Christiani; et docebantur ab eo : quicumque ad eum æger perductus fuisset, sanus revertebatur, quacumque infirmitate fuisset detentus.

EX MS.

Lato per Vespasianum contra Christianos decreto,

c

* *Estense* relatio

30 Temporibus [autem] Vespasiani *c* augusti tam invidiosa relatio * pontificum capitolii Ravennatis, qui erant super aras trecentas, cucurrit Romæ adversus beatissimum Apollinarem, ut dicerent : Si hunc seductorem Apollinarem non mortificaveritis, qui contraria regno vestro et saluti reipublicæ prædicat, Romanas cerimonias in exterminio tradit : non enim parva multitudo ab eodem seducta cottidie in injuriis deorum immortalium debacchatur. Iste enim magicis artibus templa * destruxit; et necesse est, ut solus Apollinaris incurvata ætate, vita privetur, ut nomen Romanum permaneat. Direxit itaque Vespasianus cæsar talem jussionem *d*, ut [si] diis, quis temerario ore injuriam inferret, pro ipsa patientia deorum aut satisfaciat, aut urbe privetur. Non enim justum est, ut nos deos vindicemus, sed ipsi ab inimicis suis ulcisci se poterunt, si irascuntur. Bene valete.

* *Estense* templum

d

E

comparet S. Apollinaris coram judice.

* *Estense* percurrit.

e

31 Mox enim data jussione præcepit * ad Demonsten *e*, illustrem virum atque patricium, sed omnino paganissimum; qui missa executione, Apollinarem sibi exhibere jubet. Quique [cum] jam incurvatus nimia ætate et ob diversas passiones, adstaret in conspectu judicis jussus ; clamatum est a paganis, nihil ab eo inquiras : omnes scimus, quia Christianus est, et destructor templorum : aut puni eum, aut longius projice ab hac urbe, ne pereamus.

et ab eodem interrogatur.

32 Demonsten patricius dixit : Dic mihi, antique seductor, cujus religionis es? Beatissimus Apollinaris dixit : Non ego gloriæ vestræ [invideo,] sed [verbum] verum dico; Christianus sum, et eruditus a beato Petro Apostolo, et ab ipso in hanc felicissimam urbem directus sum, ut per nomen Jesu Christi salutem consequi mereantur credentes hujus habitatores. Demonsten patricius dixit : Quid multa? Tempus est, ut a vanitate tua recedens satisfacias diis. Beatissimus Apollinaris respondit : Sacrificium meipsum offero pro salute filiorum meorum, quos adquisivi mihi.

F

suppliciisque addicitur,

33 Si quis non recesserit [a diis] et adoraverit Deum cœli, terræque marisque, qui cum Domino Jesu Christo, et Spiritu sancto regnat in æternum, erit consumptus in igne perpetuo; qui autem crediderit et baptizatus fuerit, habebit requiem æternam, et divitias incommutabiles. Tunc judex accensus furore tradidit eum in custodiam cuidam centurioni, qui et ipse jam Christianus erat occulte, cogitans, quibus cruciatibus eum angeret *. Accipiens autem eum centurio, duxit ad Classem *f* in domum suam. Post aliquos vero dies ait centurio Apollinari : Domine pater, noli te tam cito morti tradere : quia vita tua nobis necessaria est; sed egredere noctu, et vade in vicum, quo infirmi habitant, donec furor populi conquiescat. Et medio noctis silentio laxavit eum, ut fugeret.

* *Ms. Vallicellense* interficeret

f

34 Cumque cognitum fuisset a paganis, secuti

sunt

EX MS. *Ceditur usque ad mortem,* * *Ms. S. Maximini* ab urbe.

sunt eum. Qui adprehensus non longe a porta *, tam diu cæsus est, quam diu existimatus mortuus relinqueretur. Exinde ante lucem collectus a discipulis suis perductus est in vico, ubi leprosi morabantur; et ibi inter Christianos jacens, septem dies supervixit, ammonens ecclesiam, ne a fide Christi discederent; annuntians eis, quod multæ futuræ essent persecutiones pro nomine Jesu Christi, et post has plurimas temptationes * etiam principes ad fidem Christi accedere, et omnia nomina * dæmonum evacuari, et libere in toto orbe terrarum hostias a Christianis Deo vivo offerri. Si quis autem permanserit in fide Jesu Christi, vita vivet, et non morietur.

* *Ms. Estense ac Vossius* tempestates. * *Ms. S. Maximini* numina.

deinde moritur, et a discipulis suis sepelitur.

35 His et aliis multis expletis eloquiis, defunctus est beatissimus martyr et episcopus Christi Jesu Apollinaris, et sepultus est foris muros Classis *g* in arca saxea a discipulis suis : quæ arca sub terra missa est propter metum paganorum. Gubernavit autem ecclesiam suam annos viginti octo, dies quatuor *h*. Martyrizatus est autem beatissimus Apollinaris, sacerdos Domini et martyr Christi, in civitate Ravennatis *i* sub Vespasiano augusto, die decimo Kalendarum Augustarum, regnante Domino Deo atque Salvatore nostro Jesu Christo : qui vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen *k*.

ANNOTATA.

a *Thracia Mœsiæ inferiori contermina est; e qua huc Sanctus profugerit.*

b *Serapis, deus Ægyptiorum, sub bovis figura coli solitus, qui et apis dicitur et Osiris. Item deus, qui apud Græcos Pluto.*

c *Regnare cœpit anno Christi* 69, *desiit* 79.

d *Historia Christiana veterum Patrum ab R. Laurentio de la Barre castigata, in Historia* S. Apollinaris; *nec non Historia sub nomine Abdiæ, Babyloniæ primi episcopi mendosissime legunt* : Talemium Sionem, ut si diis, *etc.*

e *Lege cum Adone, Mss. Estensi, Valcellensi, Audomarensi ac Surio* Demosthenem.

f *Hallucinatur Surius, dum* Clusam *notat in margine sui textus, addens* : Alii Classem legunt; sed utrumque, ut suspicor, *inquit*, mendose.

g *In notis ad Spicilegium historiæ Ravennatis, de quo infra, pag.* 533 *ex Ms. anonymo sic notatur :* Idem habemus in Legenda B. Severi in capitulo « Sicut enim narrando audivi » et ibi ex illo textu et isto, *in quem videlicet datur ista nota*, probari potest, quod monasterium Classis non erat in civitate Classis, sed extra; quia locus, ubi fuit sepultus Apollinaris primo, qui vulgariter nunc appellatur l'archivolto de Chiassi, erat extra civitatem Classis... Quod tamen ecclesia Classensis esset in civitate Classis, habemus in historia Theodori Pessimi. *Vide dicta in Commentario prævio* § 2.

h *Consonant codices nostri* Q Ms. 7 *et* P. Ms. 19 : *at Valcellense, Puteani, Cæsaris insulæ, Vossius et codex noster* P Ms. 155 *signant annos* XXIX, mensem unum, dies quatuor ; *Surius* octo et viginti, mensem I, dies 4. *Plura Commentarius prævius num.* 9. *Codex Estensis annis* XXIX, et mense I, et diebus IV.

i *Codex noster Fuldensis membranaceus non habet* in civitate Ravennatis, *quod annotatur ejusdem nominis manuscripto ; sed quo sensu, si ea addas, intelligi debeant, satis erui potest ex proxime antecedentibus; ubi ad mortem usque cæsus esse extra portam Classensem, et in vico leprosorum mortuus refertur. Vide etiam ea, quæ huc utcumque spectant, in Commentario prævio.*

k *Nota, quod textus noster variis locis aptatus sit manuscripto clarissimi Puteani, juxta dicta in Commentario prævio num.* 80.

VITA BREVIOR

Auctore Agnello seu Andrea conscripta, et a Bacchinio edita parte I libri Pontificalis, sive Vitarum Pontificum Ravennatium a pag. 124.

CAPUT I.

S. Apollinaris patria, cultus et ordinatio. Ravennam venit; Christi fidem prædicat, miracula patrat. Rufi patricii conversio, ejusdemque sepulcrum.

S. Apollinaris cum S. Petro apostolo consuetudo miraculis honoratur :

Sanctus Apollinarius, natione Antiochenus, Græcis, et Latinis litteris eruditus, Apostoli Petri discipulus, et cum eo in urbem Romam pervenit. Qui post plurimum tempus eum pontificem ordinavit, atque per impositionem manus Spiritum sanctum tribuit, et osculum illi dedit, et ab urbe Roma quasi terdenos milliarios communiter cum eo venit. In quo *a* situm est monasterium *b* beati Petri, qui vocatur ad Januculum *c*. Ubi Christum Apostolus oravit, et ubi genu posuit, lapis mollis apparuit, ut cera ab igne, et in modum ejus, lapis, genu concavus est *d*. Et ad aliud monasterium ipsius Apostoli, quod vocatur ad Ulmum *e*, in ipsa nocte pariter sopiti sunt, et apparent fossæ in illo lapide, ubi caput, vel terga, atque nates, et crura tenuerunt, usque in hunc diem *f*.

miracula item et opera apostolica exercet S. Apollinaris :

2 Et post Ravennam eum direxit. Et ipse Beatissimus antequam *g* in urbem Ravennam ingrederetur, Herenei filium cæcum illuminavit (Herencus quippe pacificus *h* intelligitur) et forinsecus hujus civitatis plurimas peregit virtutes. Templa deorum subvertit, et simulacra comminuit, presbyteros, et diaconos ordinavit, infirmos sanavit, dæmones effugavit, leprosos mundavit *i*. In Bedente *k* fluvio, et in mare multos baptizavit. In basilica beatæ Euphemiæ *l*, quæ vocatur ad Arietem *m*, primitus baptismum fecit, et ubi pedibus stetit, liquefactus est ille lapis, et vestigia quasi signum impressa sunt *n*.

3 Filiam

A 3 Filiam quoque Rufi *o* patritii mortuam suscitavit, et illius in domo patritii episcopium *p* Bononiensis ecclesiæ usque in præsentem cernimus diem. Sic autem domum illam integram, et incolumem sic, quomodo antiquitus. Et nunc pene annos quinque Theodoricus *q*, Bononiensis antistes, saxeam arcam, ubi Rufus patritius sua cum filia positus fuit, abstulit, et ad suam ecclesiam Bononiensem deportavit, ut postquam defuuctus, ibidem sepultus fuisset. Sed quid ei profuit? Qui alios exinde expulit, et ille non in illa positus est; nam segnius ipse fecit eam stabilire.

mortuam suscitat. o p q

ANNOTATA.

a *Recte observat Bacchinius in hunc locum, notari terminum in hac via, unde Sancti discessere, Janiculum videlicet.*

b *Nomine* monasteriorum, *phrasi auctori familiari, intelligenda oratoria, per prolepsin hic indicata, et postmodum in honorem S. Petri ædificata,* B *notat Bacchinius.*

c *Collis est Romæ, in quo dicitur S. Petrus martyrio coronatus, qui et Vaticanus et Mons aureus, ut vide sis apud Baronium ad annum* 69; *ubi pluribus de situ loci disserit.*

d *Anastasius Bibliothecarius in Vita Pauli PP. I, qui sedit ab anno Christi* 757, *usque ad annum* 767, *ista habet:* Hic fecit noviter ecclesiam infra hanc civitatem Romanam iu Via sacra, juxta templum Romuli, in honore sanctorum Apostolorum Petri et Pauli; ubi ipsi beatissimi Principes Apostolorum, tempore, quo pro Christi nomine martyrio coronati sunt, dum Redemptori nostro funderent preces propria genua flectere visi sunt. In quo loco usque hactenus eorum genua pro testimonio omnis in postremo venturæ generationis in quodam fortissimo silice licet, esse noscuntur designata. *Adde quæ sunt inter analecta SS. Apostolorum Petri et Pauli tomo* v *Junii, pag.* 432.

e *Difficillime, inquit, Bacchinius, stationem ad* Ulmum, *de qua hic, itinerariis tabulisque quis expiscabitur.* C

f *An et ubi id legerit; an ex sola dumtaxat populari traditione id hauserit auctor, non habeo exploratum.*

g *Satis id conformiter ad Acta num.* 3, *contigisse id referentia* non longe ab urbe Ravenna.

h *Græcum* εἰρηναῖος, *pacis studiosum seu pacificum significat.*

i *Credibile est, auctorem paucis multa illa hic perstringere, quæ pluribus exponuntur in Actis longioribus.*

k *Rubeus ad annum* 44: Primum, *inquit*, baptismatis fontem in ea urbis parte constitutum ferunt, quæ ad Arietem dicebatur, a fluvio, cui proxima accedit, nomen sortita: quem nunc fluvium vulgari vocabulo Montonem appellamus, *Fabrius parte* I *inter ea, quæ habet de ecclesia S. Euphemiæ pag.* 165, *suas profert de etymo* Arietis *conjecturas; addens,* Vervecis *etiam nomine eam urbis Ravennæ partem vocatam. Verum significatio Italica* Montonis, *cum Latina* Arietis, *Vervecis ac Bidentis seu Bedentis fere convenit.*

l *De venerabili et antiquissima hac Ravennatium ecclesia agit Fabrius loco proxime citato.* EX IMPRESSIS.

m *De isto loco jam proxime littera* k.

n *Hoc non memini usquam alibi proditum. An et ubi rursum id legerit Agnellus; an ex vulgari sermone potius adoptarit, ignoro. Fides itaque sit penes auctorem.*

o *Jam verbulo indicavimus in annotatis ad caput* 2 *Actorum longiorum, hunc Rufum a Capuano distingui apud Bacchinium. Et vero is præsenti potissimum loco nititur contra Baronium ac Rubeum, qui utrumque confundunt. Qui si locus subsistat, manifesta jam est utriusque diversitas; sed ista tamen expendi poterunt alibi, ut supra dictum.*

p *Domo ista Rufi tamquam episcopio usos fuisse Bononienses episcopos, cum Ravennæ apud suum metropolitam agebant, refert Bacchinius: unde loco huic satis per se obscuro lux aliqua accedit.*

q *Ughellus tomo* 2 *Italiæ sacræ inter episcopos Bononienses notat Martinum, apposito anno* 814; *subjungit illi Christophorum absque anno; quem sequitur Theodorus, notatus anno* 855. *At quoniam Agnellus recentissima memoria hunc nobis antistitem expromit, ab Ughello præteritum, Martinum inter ac Theodorum collocandus erit; ut qui defunctus sit anno Christi circiter* 825, *uti Bacchinius observat.* E

CAPUT II.

S. Apollinaris carcer; exsilium; et post reditum Acta, et martyrium.

Igitur beatissimus Apollinaris cum ingenti pondere ferri in carcerem missus est, non longe ad capitolium *a* istius Ravennæ civitatis. In quo custodibus circumspicientibus angeli victum cœlestem ministrabant ei. Iterumque eum coegerunt, et ab urbe projecerunt non longe ab hac milliario VI, ubi ecclesia beati Demetrii *b* antiqua structa est. Post hæc ad partes Illyricæ captivus ductus est. Deinde per Salonam *c*, Pannoniam quoque per Danubii ripam, Thraciamque, et ibidem, atque in litore Corinthi multa per eum mirabilia intulit Dominus. Reversus post tres Ravennam annos, remeavit, et a fidelibus suis filiis, sacerdotibusque cum magna lætitia susceptus est.

Sanctus carceri inclusus, ab angelo pascitur; exsilium patitur; a b F c

5 Quem sævientes pagani, post diu cæsum, nudis pedibus super prunas stare fecerunt, et alia multa tormenta in eum exercuerunt. Templum Apollinis, quod ante portam, quæ vocatur Aurea *d*, juxta amphitheatrum, suis orationibus demolivit. Cujus tanta beatitudo fuit, et mansuetudo, ut numquam, dum pateretur, alicui injuriam fecisset, aut eum increpasset; nisi dum fortiter torqueretur, ait ad Vicarium: Impiissime, quare non credis in Filium Dei, ut evadas tormenta æterna? Pro nimia dierum plenitudine curvus effectus est. Temporibus Vespasiani cæsaris martyrio coronatus est. Vixit autem in pontificale solio annos XXVIII, menses * I, dies IV.

gesta post illud; martyrium. d

* *forte* mensi

ANNOTATA.

EX IMPRESSIS.

ANNOTATA.

a *Quædam de hac voce notavimus ad caput* I *Actorum vulgarium Sancti littera* d, *in quorum textu is in capitolium ductus narratur; hic vero in carcerem missus non longe a capitolio.*

b *Observat Bacchinius, de hac S. Demetrii ecclesia altum apud scriptores Ravennates esse silentium; quam, Agnelli ævo superstitem, conditam credit pace Ecclesiæ post Constantinum data, eo loco, unde Sanctus noster a gentilibus est deturbatus. Huc forte præ aliis martyribus synonymis spectare possit S. Demetrius, anno circiter 259 martyrio coronatus in Numidia; de quo nos ad diem* XXX *Aprilis.*

c *Urbs fuit metropolis tertia Illyrici occidentalis, ut videre est apud Carolum a S. Paulo pag.* 73, *in Dalmatia ad mare Adriaticum sita.*

B d *Portæ Aureæ inscriptionem cum nomine* Titi Claudii Drusi, *etc., habes apud Carolum a S. Paulo pluries jam citatum, pag.* 41.

ANALECTA

PARS I.

MIRACULA S. APOLLINARIS

Ex pluribus codicibus Mss., quantum scimus, ineditis.

AUCTORE ANONYMO, MONACHO, UT VIDETUR, S. BENIGNI.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

C

Scriptor horum miraculorum videtur fuisse monachus S. Benigni;

Q*uodnam vitæ institutum professus fuerit is, qui sequentem de cultu* S. Apollinaris *apud Divionenses in Burgundia, ejusdemque reliquiis eodem delatis, ac frequentissimo miraculorum numero ibi locupletatis, historiam conscripsit, certius nobis constat, quam quo is tempore vixerit; quando et qua fide sua exararit; a quibus ea acceperit, et cetera, quæ hic quæri possunt, ipseque intacta reliquit adjuncta. Monachum fuisse Divione in monasterio S. Benigni, habemus ex iis, quæ exponuntur inferius num.* 4 *et* 5. *Quamquam enim tum ibi tum in reliquo suæ narrationis decursu expressis terminis hoc non dicit, præbet tamen suspicionem valde probabilem, sibi scriptori accidisse, quæ refert de abbate S. Benigni, ejusque ad Sancti nostri miracula vulganda mandato; adde istius argumenti hoc jussu inchoati, at mox interrupti, ac oblata Scriptori Sancti sibi apparentis visione, iterum resumpti narrationem, prout ibidem legere est; quæ omnia laudati monasterii alumnum videntur indicare, vel hunc eumdem, de quo ista narrantur, vel alium certe, qui de isto eadem narret, tamquam de altera persona: utrum sit verosimilius, non facile dixero.*

D

qui non ante seculum 10 scripsisse

2 *Magnam item nobis facem subtraxit, quæ tempori, quo laudatus scriptor vixerit, determinando præluceat, quando abbatis istius nomen non expressit; quod si fecisset, multo facilius nobis fuisset aliquam saltem temporis epocham figere, subsidio Annalium Benedictinorum apud Mabillonium, qui variis locis ibidem illos recenset, uti liquet ex indicibus ad calcem dictorum Annalium subnexis. Porro hanc historiam miraculorum ab eo non esse scriptam ante seculum decimum, argumento est, quod narrat num.* 7 *de Hungarorum etiamnum gentilium in Gallias irruptione, et de ecclesiæ* S. Apollinaris *Divionensis tentato nequidquam ab iisdem incendio. De invasione Hungarorum in Gallias, agit Flodoardus, canonicus Rhemensis, auctor synchronus, ac proin tempore et loco rei istius præsens spectator, de qua sic loquitur ad annum* 937 : Hungarorum persecutio ab eadem parte *(proxime egerat de castello Theodorici)* per Franciam insecuta est. Qua villæ et agri depopulati, domus basilicæque conflagratæ, captivorum abducta multitudo.

probatur: E

3 Nonnullas tamen ecclesias, ignibus applicitis, non valuere succendere. Ecclesiam S. Macræ *, duabus etiam segetum metis, quæ parietibus pene ipsius adhærebant, exustis, accendere nequiverunt. In ecclesiam B. Basoli cum quidam Hungarorum ascendere super altare nitens, aræ manum applicuisset, ipsa manus ejus altaris adhæsit lapidibus, nec omnino quivit avelli; donec ceteris Hungaris aræ saxum circa ipsam manum incidentibus, partem lapidis, qui manui ejus inhæserat, in admirationem omnium proferre coactus est ethnicus. *Paucula ibidem superaddit, quæ proprie huc non spectant; sed ista transcribere ex ipso placuit, ut et de tempore rei nostræ gestæ ab Hungaris lector statuat, simulque dispiciat, nullam nominatim ab isto scriptore ejusdem fieri mentionem; tametsi generalibus istis terminis* nonnullas.. ecclesias, ignibus applicitis, non valuere succendere, *hanc item* S. Apollinaris *Divionensem comprehendere potuerit. Ceterum de Hungaris, hoc eodem seculo ad Christi fidem conversis, agit Baronius ad annum* 989, *et apud nos ponitur die* XXIII *Aprilis a pag.* 174 *eorum Apostolus S. Adalbertus, episcopus et martyr; ubi de instructis Hungaris in Vita cap.* 4, *pag.* 192, *et inter annotata ad illud caput.* F

* *alias Magræ*

sed de epocha vitæ ejus determinata non constat; in quibusdam quæ narrat,

4 *Atque ex dictis quidem habemus epocham rei gestæ, qua de agit noster anonymus, satis convenientem; at nondum inde conficere possumus, an eodem seculo, an posteriore aliquo vixerit is ac scripserit: verba quippe, quæ habet num.* 9 : Quod ad nostra usque perdurans tempora rei manifestissimæ indicio fuit, *nimis indeterminata sunt, quam ut certam inde epocham chronologicam extundas. Tillemontius inter ea, quæ de* S. Apollinare *collegit tom.* 2 *Monumentorum eccles. a pag.* 102, *nihilo plus de nostro scriptore statuere potuit, hoc unicum affirmans, vixisse ipsum ut primum seculo decimo. Proinde de ipsius in omnibus, quæ hic recenset, fide sponsorem me præstare non ausim; præsertim in iis, quæ refert num.* 8, *ubi leguntur ista* : Tunc nempe convocatis fanorum suorum ministris compulerunt eos, ut suo more immolarent capras Wodan deo ipsorum; rogarentque illum, qualiter daret incendio vires ad comburendam ædem Dei alienæ gentis. Illi quoque statim suas profanas atque ineptas exercentes immolationes, ac

omnes

A omnes unanimiter conclamantes una voce suum Wodan.

non meriti plenam fidem.

5 Dumque diutius in talibus occuparentur, iterum qui fuerat appositus ecclesiæ ignis disperiit. Quod cernentes ipsi Hungariæ principes, irruerunt in fanorum suorum ministros, in eosque cæde gravissima debaccharunt. *Sed numquid ista episodium auctoris redolent? Etenim quisnam, amabo, persuasum habeat, in summa rerum perturbatione, irruptione, ac deprædatione, in quibus nihil sedati, nihil consulti, meditati nihil, sed laxato, effreni ac deproperato impetu misceri omnia, sternique, diripi atque everti assolent, adeo cordi fuisse prædatoribus barbaris tantillum unius ecclesiæ incendium, ut otiose quodammodo et suo etiam more religiose oblatis suo idolo victimis illud ab eodem impetrari somniarint?*

Variæ dantur notitiæ

6 *Apographum, e quo Sancti miracula vulgamus, misit huc noster Petrus Franciscus Chiffletius, sexcentis locis in hoc opere laudatissimus, hoc titulo notatum, quem ipse manu propria adscripsit:* Liber de miraculis S. Apollinaris, Ravennatium episcopi et martyris, prope Divionem actis, auctore B monacho Benigniano, ante annos circiter quingentos conscriptus. Ex codicibus quatuor Mss., nimirum S. Mariæ de Acceyo, Vallis Lucentis, Montis S. Mariæ, et Trecensi, qui a clarissimo et reverendo viro Nicolao Camuzato nobis commodatus est. *Habemus item ecgraphum* ex Ms. codice Trecensi, *prout laudatus Chiffletius eidem adnotavit, idemne cum superiore an diversum? Apographum item nobis reliquit Papebrochius, sua manu transcriptum, addens illud haberi* post Acta *S. Apollinaris* ordinaria in Mss. Cisterciensibus tom. 4, num. 8.

de variis horum miraculorum apographis.

7 *Ubi et quando hoc, quod damus, apographum ex alio correctionis aut lucis aliquid mutuatum fuerit, indicabitur tum in margine editionis, tum in annotatis. Numeri Romani, quos in eodem margine notatos videbis, exstabant in ipso apographo; quod in novos titulos, capita ac numeros dispescuimus more nostro. Quando autem mentio fiet in margine aut annotatis de codice Trecensi, volumus illum intelligi, cujus distinctum apographum apud nos est. Porro præter hæc nihil habemus, quo lectorem moremur;* C *si unicum hoc addiderimus, nos non scire, miracula, quæ hic edimus, ab alio umquam edita fuisse. Ipsa nunc accipe.*

CAPUT I.

Sancti ecclesia in territorio Divionensi; delatæ eo a S. Clothilde ejusdem reliquiæ, prodigiis pluribus claræ.

I *S. Apollinari apud Ravennates venerabili*

Ad magni igitur Conditoris universorum, honorificentiæ et benignitatis immensitatem erga humani generis salutem ubique pernoscendam, memoriæ commendanda sunt, quæ evidentissime fiunt per ipsius Sanctorum merita, pleraque miracula. Si ergo contigit, ut excedant pro sui quantitate studiosi capacitatem cujusque, aliqua saltem retenta de multis, agnitioni mutuæ commodentur; dumque illorum rememorabuntur fidelium studia, ad Domini sibi misericordiam impetrandam, eorumdem attentius deposcant suffragia. Constant interea Christianitatis pene ubique provinciarum, inter ceteros Christi præcones, egregii pontificis et martyris Apollinaris nomine et meritis perplura ecclesiarum oratoria sacrata. Qui scilicet Martyr (ut descripta ejusdem passionis gesta testantur) a sancto Apostolorum Principe Petro consecratus, ac Ravennæ, metropolitanæ Italicarum urbium nobilissimæ, primus archiepiscopus est destinatus. Ibi etiam verbum vitæ prædicans, maximam populi multitudinem sacratissimi fontis baptismate abluit, imbutosque divini dogmate verbi, ad Christi Domini agnitionem convertit. Deinde vero suæ passionis agone completo, in eadem urbe feliciter migravit ad patriam sine fine beatam. In qua etiam (prout condecet) honorifice conditus colitur, gloria et meritis honoratur. EX MS.

II *conditur ecclesia in Burgundia; quo S. Clothildis ejus reliquias*

2 Sed quoniam (ut præmisimus) in ejusdem nominis honore sæpenumero constant in orbe basilicæ; quas videlicet tam frequentia fidelis populi, quam diversorum ægrotantium reddita sanitas, necnon et diversorum beneficiorum consecuta exornat gratia; in Burgundiæ partibus, in E pago Divionense *a*, prædicti Martyris nomini consecrata habetur ecclesia, distans plus minus a prædicto castro *b* milliariis duobus: in eminenti utique colle ejusdem castri, in parte Orientali, in fundo, cognomento Aquiliaco *c*. Fertur namque virorum antiquorum relatione *d*, eadem ecclesia ob victoriam de suis inimicis regi Clodoveo, in eodem loco *e* olim concessam, ab ejus conjuge Christianissima Crotechilde * *f* videlicet regina, primitus inibi fuisse constructa. Insuper quoque ejusdem reginæ industria, ab urbe Ravenna præfati Martyris reliquiarum delata pignora, atque in eadem basilica sunt collocata. Quæ nimirum ecclesia, tam ex regia liberalitate, quamque etiam Langonicæ *g* sedis pontificum largitione, data est monasterio Divionensi *h*, quod ædificatum antiquitus fuisse constat in honore et Salvatoris nostri Jesu Christi, ejusdemque intemeratæ Genitricis Mariæ, ac præcellentissimi ejusdem regionis primi propagatoris divi- F ni verbi, martyris Benigni *i*.

* *Codices Cistercienses* Crothilde

ubi plurima miracula fiunt:

3 In qua videlicet ecclesia, omnipotente Domino meritis pii suffragatoris Apollinaris, procul dubio martyris sui, largiente, tam multiplicia exuberant beneficiorum miracula, ut si undecumque colligi valerent, permaximi corporis volumen *k* extollerent. Sed quoniam id fieri minime contigit, partim oblivione delente, quædam vero plebeia inertia negligente post habita; perpauca licet de pluribus qualicumque stylo inserere in libellum tentabimus, Domino miserante: et tamen hoc non præsumptionis insolentia, quin potius ea, quam in brevi ostensuri sumus, ratione. III Cum vero crebescentibus in prædicta ecclesia pene quotidianis virtutum miraculis, ac circumcirca velox fama instiganter populos permovens, omnis sexus et ætatis multitudinem ad eamdem confluere cogeret; tunc largiflua Dei omnipotentis bonitas, ad sui nominis gloriam et Martyris honorem dedit evidenter apparere in diversis ægrotorum

EX MSS.

grotorum corporibus, non minus nova, quam digna sanitatum spectacula.

quæ scripto mandari jussa,

4 Cum ergo præfatus Martyr in talibus jam olim a multis summa dignosceretur experientia, congeriesque miraculorum inibi patratorum memoriam excederet relatorum; visum est quibusdam Deum pie colentibus, tot et tanta, quæ si nossent, futuris ad exemplum valerent, minime oportuisse latere. Sicque a plurimis suggestum est, qui tum præerat abbati monasterio Divionensi supra taxato, ut ea, quæ tam veraci quam fideli relatione asserebantur a Deo in honore sui martyris Apollinaris patrata miracula, aut ipse manu propria (quod ei perfacile erat) describeret, vel etiam e suis alicui explere imperaret. Quod vero ille (ut erat vir mansuetus, ac sincerissimæ reverentiæ) diutule distulit facere: tandem etenim obsecrantibus, immo potius compellentibus quibusdam fratribus, qui ab ipsa urbe Ravenna ad præscriptum Divionense monasterium, ob sanctæ religionis et disciplinæ monachorum venerabile institutum venerant, quod in
B eodem vigere palam est monasterio, excellentissimo ceterorum [inchoatum fuit].

sed scribi intermissa, a Sancto apparente,

5 Quorum precibus isdem pater compulsus; hoc licet per se humiliter explere distulerit, uni tamen suorum, qualiter expleret, imperare curavit.
IV Ille vero suscepto abbatis imperio, ut oportebat, obtemperare cupiens, in hujus initio descriptiunculæ, dum quinque vel sex commenta *l* peregisset, invasit illum quidam animi torpor, totamque spem incepti operis illi peragendi subripuit: ob id quam maxime, quoniam eorum, quæ scribenda erant, relator minus idoneus inveniri credebatur. Pœnitebat etiam illum, inconsulte cœpisse, quod explere minime posse diffidebat; atque tantillum, quod cœperat, a tabella deplanare mente tractabat. Erat ergo tunc sexta feriarum die solemnitatis Pentecostes *m* *. Post ipsius nempe matutinales diei solemnis, jam cœlo per totum albescente a superveniente luce, paululum recline caput lectulo imposuit, in brevi exsurrecturus: cum ecce subito illi pene vigilanti adstitit, Vir religiosam in habitu clericali gerens speciem, canis ad medium respersus, præferens
C in dextra libellum apertum; cujus siquidem extrema folia exesa, et quadam ærugine corrosa, atque cum ipsius damno scripturæ crebrius perforata cernebantur. Cujus etiam libelli paginæ heus * creberrimis ex minio videbantur esse distinctæ. Desuper quoque in margine purpurei capitulatim numeri ad septem usque terminati. Videbatur nempe isdem Vir illum taliter affari:

m * *Codex Trecensis* Pentecosten

* *Forte* litteris *aut* oris.

conscribi mandantur.

6 Quoniam me, inquiens, dudum vobis cura fuit vestræ jungere societati, peto, ut hoc, quod defero, ex parte damnatum a vobis queat redintegrari. Siquidem nuper decreverant fratres communi consilio, ob devotionis amorem, ut in sua obsecratione Sanctorum letaniæ, nomen hujus Martyris juxta sui patroni nomen conscriberetur Benigni. Quo perorante, excutiens se isdem frater a lectulo, monasterium petiit; atque oratione ex more præmissa, deinde uni ex specialibus senioribus, ex ordine, quod compererat, vel quod intra se cogitaverat, primitus retulit. At ipse audiens alacri animo in hæc verba prorupit: Benedictus, inquiens, ubique Deus in omnipotenti virtute et gloria sua, qui inter cetera per eximium Martyrem suum collata beneficia, tale etiam nobis in præsentiarum per eumdem dignatus est proferre prodigium. D Qui protinus subsecutus adjunxit: Pro certo, inquiens, (mi frater) habeas, quoniam voluntas Dei est, ut hoc, quod communi decreveramus voto, de annotatione videlicet miraculorum sancti martyris sui Apollinaris, quantocius impleatur. Simul quoque in libelli parte, quæ videbatur rosa atque confossa, nec non cum detrimento sculpturæ damnata, totius boni consumptricem et defraudatricem oportet intelligere oblivionem; quæ scilicet quamvis multa meritis ejus patrata, si haberentur, hominibus profutura occuluerit. Nec tamem desistit invicti clementia testis Domini, quin ut in præsentiarum colligi ac reformari debeant, ad futurorum notitiam transmittenda solito crebriora, nunc miraculorum assiduitate demonstrando certificet.

VI

Hungari in Galliam irrumpentes

7 Hoc igitur operæ pretium videtur, mandare memoriæ, quoniam prædicta sæpius beati Apollinaris ecclesia, cum postmodum teges ejusdem aliquoties igne sit cremata, Hungrorum tamen E infestationis tempore igne peruri minime potuit. Cum igitur gens illa ad Galliarum humanas res semel et bis devastandas, de suæ habitationis antro egrediens, ad eamdem perveniret, utpote omni humano famulatu desolatam; ut cetera quæque hominum domicilia, placuit cunctis eam incensum iri. Imposuerunt quoque infra, supraque accensas faculas, et torrium semiusta fragmina, nec non etiam stipularum quæque arentia injecerunt. Deinde impulerunt utcumque flatus crepantibus buccis; pannisque *n* suorum * morosæ agitabantur auræ, ad consumptionem utique quantocius ejusdem basilicæ. Sed nequidquam: jejunus quippe deficiens moriebatur ignis, penes copiosas lignorum escas. Quod cum diu fecissent, et vidissent, se nullo modo prævalere: jam quidem intelligentes barbari, supra humanum esse, quod eis resistebat, stupentesque contabuerunt.

n * *an* sursum

nituntur incendere ecclesiam Sancti, sed frustra;

8 Tunc nempe convocatis fanorum suorum ministris, compulerunt eos, ut suo more immolarent capras Wodan *o* deo ipsorum; rogarentque illum, qualiter daret incendio vires ad comburendam ædem Dei alienæ gentis. F Illi quoque statim suas profanas atque ineptas exercentes immolationes, ac omnes unanimiter una voce conclamantes suum Wodan; dumque diutius in talibus occuparentur, iterum, qui fuerat appositus ecclesiæ, ignis disperiit. Quod cernentes ipsi Hungrorum principes, irruerunt in fanorum suorum ministros, in eosque cæde gravissima debaccharunt. Porro ignem coquinæ ciborum suorum, ad ostium ejusdem ecclesiæ apponentes, diutius, ut arderet, instigarunt. Sed nihil omnino ipsius ostii tabulas læsit, nisi tantum, quod ad notitiam futurorum, divinitas permisit fieri; videlicet rotunditatis foramen quasi terebeli sentim exesit, ac juncturarum rimas paululum fuscavit. Quod ad nostra usque perdurans tempora, rei manifestissimæ indicio fuit. Indeque confusi egredientes barbari, alias recesserunt. Præfata tamen ecclesia, ab eisdem immunis permansit

A sit. Sed licet Dei virtus ad sui Martyris venerationem tunc evidentissime patuisset, hoc tamen multis habetur in admiratione, quod postmodum pacis tempore, fortuitu contigerit cremari ligneam materiem ejusdem ecclesiæ potuisse. Sed talia miranti, certissima procul dubio ratione potest facillime responderi; quoniam illud tunc temporis, tamquam bestialibus, infidelibusque mentibus Dei bonitate prolatum est signum. Istud vero, quod nunc fieri contigit, purgationis culparum, errorumque correptionis, veluti carissimi patris suorum peccantium filiorum certissimum datur indicium.

VII *Sancti reliquiæ prodigiis celeberrimæ.*

9 Beatissimi namque pontificis et martyris Christi Apollinaris antiquitus, ut præmisimus, in præfata ecclesia, reliquiarum pignora habentur recondita: per quæ scilicet innumerabilium signis beneficiorum, quibusque fidelibus ex fide digna poscentibus, creberrime omnipotentis Dei virtus ostenditur manifesta. Nam cujuscumque aliquis infortunii depressus gravamine, seu quarumlibet infirmitatum quispiam ægritudine fessus exstiterit, continuo ut ad sancti martyris B Apollinaris, aut per se veniens, seu aliorum juvamine fultus accessit reliquias, mirifice recognovit ex divina proprii percepisse innovationem corporis. Si autem contigerit aliquoties pro quavis rei causa, quocumque easdem deferre reliquias, non absque miræ Dei virtutis opere, ad sedem propriam eas licuit aliquando referre. Multi denique ægri locellum a longe, quo ferebatur, aspicientes solo cum fidei intuitu, amissam recuperavere salutem. Quamplures etiam professi sunt, dum diversis torquerentur doloribus, audito solo Martyris nomine, se illico sensisse melius habere. Peplo interea, quo ejusdem reliquiæ operiebantur, adtacta multorum debilia membra, ad utillimum reformata sunt tactum.

ANNOTATA.

a Divio, *notissima Galliarum urbs, Burgundiæ ducatus caput, ad Oscarum fluvium.*

b Divionense Castrum, *antiqua hujus urbis de-* C *nominatio est, quam adhibet S. Gregorius Turonensis lib.* I *de Gloria Martyrum cap.* 51.

c *Hujus loci nomen in mappis non invenio. Suspicor eumdem esse, de quo meminit Chronicon S. Benigni Divionensis, a Dacherio editum in suo Spicilegio, tom.* I, *pag.* 413, *ubi inter fundos ad restaurationem istius monasterii concessos a Carolo Calvo, habes* in Aguliaco capellam habentem mansum unum et semis.

d *Fundamentum veritatis satis debile post quatuor secula scribens auctor assignat.*

e *Fallitur auctor, si isto loco relatum velit famosam Clodovei victoriam; quam cur circa partes Argentorato vicinas, non autem Tulpiaci, ut communius traditur, reportatam existimemus, indicatum est die* VI *Februarii in annotatis ad Vitæ S. Vedasti caput* I, *littera* e.

f *De hac Sancta regina egimus ad diem* III *Junii a pag.* 292; *sed nec in Vita ejus, nec in Analectis, in quibus de constructis ab ea monasteriis et ecclesiis habetur mentio, quidquam reperio hic in rem nostram.*

g *Urbs est in Campania Galliæ (vulgo* Langres) *ad confinia Burgundiæ: de cujus episcopis vide Sammarthanos in Gallia Christiana.* EX MS.

h *Instrumenta donationum Sanbenignianis indultarum vulgavit Stephanus Berard in sua collectione monumentorum pro historia Burgundiæ, Parisiis edita anno* 1664: *ubi pag.* 208 *dicitur* ab ecclesia Lingonensi abbatia Divionensis fundata.. et possessionibus dilatata. *Plura in favorem istius loci ab episcopis Lingonensibus Acta, invenies in dicta collectione.*

i *Colitur Kalendis Novembris; quo die illustrabuntur res ejus gestæ. Consuli interim de illo potest S. Gregorius Turonensis loco citato.*

k *Ferit prope* ingens *illud* corporis volumen; *quia Mabillonius, diligens monumentorum Benedictorum collector, in Annalibus istius Ordinis, nullam, quantum ex indicibus eidem operi subnexis colligere licuit, mentionem facit hujus, quam damus, historiæ; nec vero quidquam invenimus in Chronico supra laudato, quod obiter percurrimus; idque mirari par est, cum seculo undecimo, post nostrum hunc scriptorem proxime sequente, ab auctore quidem anonymo, at monacho tamen monasterii S. Benigni Divionensis exaratum sit.* E

l *Ita etiam legit apographum Cisterciense; at Trecense* commata, *quæ fere eodem redeunt: nam* κόμμα *Græcis est incisio, pars, fragmentum, etc. Vult itaque dicere auctor, puncta quædam historica huc spectantia incise seu breviter* (κομματικῶς) *notata fuisse. Vide Cangii Glossarium in voce* commaticus.

m *Invenio ultimam hujus vocis litteram in hoc nostro apographo correctam, haud dubie, quia ibi scriptum fuerit* pentecosten; *at* pentecosten *indeclinabiliter reperies in Glossario Cangii.*

n Pannus *est portio, segmentum, ut videre est apud Cangium in Glossario; ac proinde sensus esse potest, schidiis, assulis, segmentis lignorum aut sarmentis, igni accendendo ac nutriendo accommodatis,* auras morose agitatas *fuisse.*

o Wodan, *deus satis notus, quem populi septemtrionales colebant, reique militari præesse credebant; prout videre est apud Cangium in Glossario Latino; ubi adducit scriptores. Porro* Wodenis dies, *feria sexta Anglis, Wodano deo sacra, sicut apud laudatum Cangium invenies.* F

CAPUT II.

Miracula alia reliquiarum S. Apollinaris virtute patrata.

Commemorantur beneficia.

Sanctorum itaque multiplices conventus, redintegrandæ pacis gratia, per regionis loca, tam ab episcopis, abbatibusque, quam etiam a ceterorum graduum vel dignitatum totius patriæ ordinibus, annuatim in unum collecti celebrabantur; ad quos videlicet ipsæ reliquiæ per sancti martyris Benigni monachorum procurationem deferri consuetæ fuerant. Sed quis referre sufficiat quæ beneficiorum miracula, quæ laudum Christi præconia, quæ omnipotenti Deo gratiarum actiones, tam in ipsius perventionis itinere, quam in ejusdem populi conventu, per easdem a

Domino

EX MS.

Domino patrabantur? Omne namque hominum genus, tam sani quam imbecilles, et quidquid plebis erat utriusque sexus, illarum se comitatui conjungere gratulabantur. Dumque illo perventum fuisset, quo ceterorum Sanctorum pignora delata fuerant, ingens ab undique clamor perstrepebat per ora cunctorum: fiebat concursus densitate intolerabilis, ac omnes una rogitando

VIII

personabant nomen Apollinaris martyris. Plures quoque de energumenis sæpius inclamavere procul positi, a superventurorum pignorum virtute [se] torqueri. Dehinc quippe plurima ægrotantium multitudo relictis ceterorum Sanctorum apophoretis *a*, ad beati Apollinaris reliquias, velut ad peculiarissimum patronum, fecere confugium; requirentes ab eo, ac si ex debita, sanitatis remedium.

per has reliquias

11 Tunc erat audiri voces, cum piorum gemituum ululatibus hujuscemodi personantes: Sancte Apollinaris, vigila; sancte Apollinaris, succurre; sancte Apollinaris, adjuva. Hoc terricrepo * sonitu conclamantes, pugnisque pectora percu- B tientes, ac lacrymosis oculis cœlum respicientes: simul etiam toto mentis ardore, nisu, quo valebant, ad Martyris reliquias pertingere cupientes. Peplis nihilominus deorsum reliquiarum pendentibus oscula mordaces figebant, oculos imprimebant, et membra debilia applicabant: stupenda nempe illico gaudia horrori mixta fiebaut. Cernere erat (in Deo oro, ut credas quisque * ista fideliter legens, vel audiens) nervorum contractione rumpente, crurum, et brachiorum, ac manuum pristinæ rectitudinis speciem, erumpente sanguine, provenire. Nam ungues digitorum, volis diu impressis *, palmas quorumdam transierant: surarum quoque pellibus cum carne diruptis, vulnera patebant prægrandia. Cæcorum nempe oculi, paululum micantibus palpebris, diu optatam resumebant lucem. Ora namque itidem diu stupida, labiorum et linguæ officio mutis reformabaut eloquia. Nec minus interea energumeni, aut lunatici, rabie feritatis amissa, mirabantur quales olim fuerant, et intendebant cum ceteris sanæ mentis hominibus Deum laudare debere iu sui Martyris virtutibus.

* *Codices Cistercienses* reciproco

* *Codex Trecensis* quis-quis

* impressi

C 12 Simul nempe febrium languoribus æstuantes, cum viderent, quæ a Domino per Martyrem fiebant, eis protinus stetere comæ; paventesque, in brevi sui obliti pariter et sanati sunt. Quis etenim dentium doloribus et laterum, oculorum caliginibus, ac serpentium morsibus, tortitudinibus pedum ac manuum, ceterorumque passionibus membrorum explicare valet passim collata medicamiua? Sed, ut dicuntur, oscilla, quædam alicujus dependentia triumphi insignia; omnium pene membrorum redintegratorum, Deo operante, deferebantur ceris expressa, ad gloriam Martyris. Præterea in his omnibus quid existimare convenit, aut venerari, nisi te laudare, magnificare, et benedicere (Jesu Christe, Fili Dei vivi omnipotentis) qui es rex et corona Martyrum, decusque tuorum Sanctorum omnium? Nempe talia decent illos præcipue, qui propter te in mortem sua corpora tradentes, tecum in perpetuum sunt regnaturi. Ista sane laudabilissima, spectanda, amanda, et prædicanda sunt optimæ mentis hominibus, Deumque solummodo pure diligentibus. Ceterum quoque invidorum dementia, malitiosorumque incredulitas dum nequit amando credere, salutaria derogat. D

obtenta;

IX

13 In pago denique Belnensi *b*, in vico Marsolio conventus, ut diximus, Sanctorum factus est reliquiarum, simulque episcoporum, ac ceterorum totius provinciæ primorum. Ad quem utique contigit sancti martyris Apollinaris reliquias deferri: quibus etiam more solito quidquid ægrorum infirmitatis totius conventus inerat, oblatum est. Contigit ergo inibi una noctium, ut fragor nubium ac coruscationes solito horribiliores, ac tonitrua pervalida ita perterrerent quosque mortales, ut ictibus fulgurum proprium præstolarentur interitum. Protinus maxima [multitudo] ejusdem plebis ad reliquias sancti Apollinaris confugium faciens, hortabatur, ut a suo domicilio extraherentur: quoniam fides illorum erat, quod si contra tantas commotiones aeris opponerentur, statim cœli serenitas redderetur. Quod cum factum fuisset, tanta quies aurarum provenit, ut nulli dubium foret, quin eam Dominus meritis sui Martyris contulisset. Dehinc nimirum cœpit in eodem diversorio diebus singulis consurgere manifesta salus per debilium E corpora, ita mirabiliter ac evidentissime, ut multitudo totius plebis, cum clericorum ordinibus per singula miracula concursum faciens, laudem Dei omnipotentis, ac sancti ipsius Apollinaris exclamaret, eisque libens grates humiliter referret.

uti et serenitas auræ in aeris intemperie;

b

14 Tunc vero in tribus viris et duabus mulieribus, divina præcipue virtus pristinam redintegrare dignata est membrorum debilium sanitatem. Unus lumen oculorum, duo gressum eundi receperunt. Mulierum quoque alteri reformatus est auditus cum sanitate manus unius; altera vero, cujus digiti in palma eraut infixi, dum peteret a custode reliquiarum candelam, et ipse ei porrexisset; extensa manu, quam aduncam detulerat, sana et incolumis apparuit dextera. Adfuere tunc etiam nonnulli in eodem conventu de magnatorum præcipuis, qui levitatis et invidentiæ instinctu, sancti Martyris, immo ipsius Dei benificia derogantes, sinistra opiuione deludendo, nequitiam * divulgare machinabantur. Verumtamen contigit illis (ut ait quidam) quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium. Nam dum quæ sibi videbantur utilia, pro libitu proprio F tractare cœpissent, subito in amentiam versi, verbisque ac maledictis invicem lacessiti, ad effusionem usque sanguinis pene debacchantes, ad propria absque pacis effectu remearunt, accensi furiis et ira.

restituta valetudo debilibus, uni lumen oculorum, alius gressus, mulieri auditus.

* *Codices Cistercienses* nequiter; *Trecensis* nequam

15 Interea contigit, ut universæ plebis conventus, jurges *c* * principum caninos deserentes, magnificavere bouorum omnium largitorem Deum, in suorum miraculis, virtutum impendio gestis per merita sancti Apollinaris martyris. Sicque cum plurimorum specialium donorum exeniis *d* atque exultatione totius populi, sancti Martyris reliquiarum pignora, propriæ ecclesiæ sunt restituta. Eodemque tempore, die noctuque tot et tantæ in eadem patratæ sunt virtutes ac sanitatum miracula, ut eorum numerus excedat hominis alicujus memoriæ tenacitatem. Ipsi nihilominus primates, qui nuper mirabilibus per Sanctum patratis derogare cupiverant, eorum assiduitate conterriti, ac plenitudine ducti, di-

Frequentissime rursum miracula patrata.

c

* *Codices Cistercienses* ungues

d

gno

A gno sanctum Martyrem postmodum venerati sunt honore.

X *Fons in ecclesia S. Apollinaris hominibus æque ac frugibus salutaris.*

16 Divinitus interea creditur fuisse procuratum, quod in eadem ecclesia sancti Apollinaris, fons putei antiquitus institutus in parte altaris dextera, qui non minus saluberrimas quam perspicuas continet aquas: ex quibus ad Dei gloriam et Martyris venerationem, tam in hominibus quam in pecoribus, ceterisque hominum necessariis rebus multimode provenire visæ salubritates. Nam si cujuspiam corporis membrum quolibet dolore gravatum, ex eis cum fidei devotione fuit perfusum, cognitum est a multis, in melius reformari. In potum quoque sumptæ, diversarum infirmitatum incolumitatibus plurimum profuere. Nec minus interea frugibus hortorum, agrorumque segetibus, ac pomis arborum, ejusdem fontis aquæ ad tutamen contra imminentes aeris clades, seu diversorum vermium pestes, olim cum fide aspersæ, visæ sunt admodum valuisse.

XI *Martinus quidam in oratione pernoctans,*

17 Erat quidam Martinus de Arnonis cohorte *e* villa cognomine, qui ita habebat omnia sui corporis membra miserabili contractione convulsa, ut nec semetipsum, nec alium quempiam in aliquibus usibus juvare valeret: scabellulis tantum B manualibus (ut hujusmodi homines assolent, quibus innitentes sese præcipitando locatim sua corpora convehunt) pro gressibus utebatur. Taliter etiam ad sancti Apollinaris ecclesiam, Domini poscens clementiam, sæpius venire consueverat seu etiam aliorum evectione deferri. Una etenim dierum isdem Martinus accedens, vigilat pernox, ibidem oraturus in mane usque alterius diei. Tunc vero circa noctis medium, visus est ei adstare quidam religioso in habitu, dicens: Surge, inquit, et sequere me. Ille quoque suæ impossibilitatis memor, solo hærebat stupens. At ipse qui apparuerat, identidem hortabatur: Surge, inquiens, surge, et sequere me. Ille autem nitebatur agere; tentans quod diffidebat facere posse. Paulatim tamen erigendo sese, in directum porrexit statum. At cupiens prosequi, quem viderat, sed illum minime cernens, ignorabat quid ageret.

C *a contractione ope Sancti sibi apparentis sanatur.*

18 In clamorem tamen adorsus, voce qua poterat, aiebat: Sancte Apollinaris, oro, ne me deseras; sancte Apollinaris, obsecro, ne me derelinquas. Tunc protinus qui circumquaque aderant, ejus clamore permoti, concurrentes repererunt illum incolumem, atque in suo statu rectissimum, quem nuperrime noverant continue solo tenus curvum. Sicque omnes in commune laudantes magnificaverunt Deum, ac meritum Martyris passim divulgaverunt. Isdem quoque Martinus, toto corpore sanus effectus, post aliquod temporis spatium, auctoris memor suæ ereptionis pariter et salutis, iter arripiens Ravennam ingressus est. Ad quam cum venisset, ad sancti Apollinaris ecclesiam, in qua sacrum corpus honorifice reconditum habetur, accedens, narravit fratribus ejusdem loci, quod sibi contigerat; totumque per ordinem referens, quid et qualiter Dominus in eo per sui Martyris præsentialiter visitationem operatus fuisset. Illi autem hoc audientes gavisi sunt valde, ac nimium lætanter insultantes * quod in longinqua etiam regione Domini clementia per sui patroni merita operari dignaretur; eumdemque Martinum benigne suscipientes, in suum asciverunt consortium, eumque monachum fecerunt: qui diutius in eodem monasterio vivens deguit, ac multis in exemplum humilitatis et gratiæ fuit.

* lege cum

EX MS *codicibus Trecensi et Cisterciensibus* exultantes

XII *Alius veneratione reliquiarum*

19 Fuit quidam apud castrum Divionem, Eurardus * nomine, cujus pars corporis permaxima ita paralysis dissolutione aruerat, ut quidquid membrorum ejusdem partis sibi inerat, nulli usui aptare valeret. Qui dum diutius ad sancti martyris Benigni sepulcrum creberrimas funderet preces, ut sibi proprii corporis salutem (sicuti tunc temporis inibi multis facere consueverat) almus martyr ab omnipotente Domino impetraret; nocte quadam dum ibi vigiliarum excubias perageret, paululum sopore depressus, vidit sibi quemdam adstare, a quo taliter moneri promeruit: Vade, inquit, absque mora ad sancti (quam nosti non procul constitutam) Apollinaris martyris ecclesiam; ibi fidenter scito, quoniam in proximum recepturus es totius corporis sanitatem. At ille prorsus nihil dubitans horum, quæ monitus fuerat, facto mane, pernici velocitate ad Martyris E memoriam ire perrexit. Ubi dum veniens, Domini misericordiam præstolaretur, voce lacrymabili, fideque plena ad sanctum clamabat Apollinarem, ac si ex debito, sui corporis deposcens a sancto Martyre reformationem; accedensque ad reliquiarum thecam, dulciter oscula peplis illarum hinc inde pendentibus figens, suæ salutis attentius rogitabat emolumentum.

* *Codices Cistercienses* Eucrardus

et aquis putei a paralysi curatur, et in monasterium Divionense admittitur,

20 Dehinc ex ejusdem putei aqua se superfundens, nomen semper Martyris impendio reclamabat. Posthæc juxta altare solo prostratus decubuit. Tunc vero quasi defatigatus, sopore resolutus est. Cumque post paululum expergefactus resideret, toto corpore fervens (velut qui saluberrimo unguine per totum corpus sibi delibutus fuisset) videbatur. Qui protinus surgens, totum sese ex integro sanum reperit. Sicque reversus ad Divionense monasterium, deposcens a fratribus ejusdem loci, ut suscipi mereretur in illorum contubernium. Qui statim caritative illum suscipientes, atque sanctæ religionis habitum eum induentes, suæ congregationi stabiliverunt. Ipse F vero quamdiu in corpore vixit, certatim sese obedientiæ mancipavit, ac devotus usque in finem perseveravit.

XIII *Miles quidam a sicariis ad cædem quæritur;*

21 Gratia igitur superna in dies multiplicius sancti martyris Apollinaris merita illustrante, fiebant in eodem quotidiana, insigniaque miracula. Contigit etiam tunc temporis, ut miles quidam, Adaldus nomine, in atrio ejusdem ecclesiæ, propriæ habitationis contiguum haberet domicilium. Qui insuper (ut ferox rapacitas hominum sæpius meretur) suorum patiebatur insidias inimicorum: quem diutius, ut caperent, seu necarent, callide observantes inquisiverunt. Sed nequidquam. Nocte igitur quadam conspirata * manu in unum conglobati, irruentes fregerunt ostia domus illius; facto impetu, qualiter eum raperent insperato sopore irretitum. Hærebat namque (ut diximus) prædictæ ecclesiæ ipsa domus. Ille autem ut persensit irruentium super se inimicorum strepitum, cognoscens se minus repugnare posse, exiliens nudus et inermis a lectulo, ecclesiæ sancti

* *Codices Cistercienses* comparata

cti

Ex MS.

cti Martyris concitus petiit præsidium ; ac penes altare quiescens, rei considerabat eventum.

sed in ecclesia S. Apollinaris

22 At hostes ubique domum perscrutando discurrentes, inimicum, quem crudeliter appetebant minime repererunt. Qui autem illorum præcipuus habebatur, Wizo * vocabulo, respiciens vidit ostiolum in pariete ejusdem ecclesiæ : Novi enim, infit, quoniam in ecclesia fecit confugium. Revera in eadem latet. Profecto capietur a nobis ibidem. Quod vero dictum, qui aderant utriusque familiæ, audientes, universis stetere comæ, et ad horam vox faucibus hæsit. Tandem memores præteritarum virtutum, imprecando ei terrorem, contradicentes prohibebant, ne ulla hoc audacia facere præsumeret. Insuper etiam addentes asserebant, quod locus ille ausu temerario a nullo umquam hominum violatus fuisset.

* *Codices Cistercienses* Viuzo

incolumis servatur.

23 Tunc ille amariori * felle instigatus, fertur stomachabundus dixisse : Si ipse, inquiens, Apollinaris mala, quæ iste irrogavit, mihi intulisset, non continerem manus, quin ab ecclesia illum per gulam extraherem. Hoc dicens, ecclesiam insiluit. Tunc vertens se hac illacque, exerens manus, illico inimicum arrepturus. Qui continuo amens effectus, quid ageret, penitus ignorabat. Erat enim ibi arca prægrandis, cujus operculum arripiens, aperiendo in altum, brachiis extensis putabat se in illa invenire, quem quærebat. Statim denique ulnis reflexis, operculum, quod sursum porrexerat, caput ipsius infra arcam intercepit, ejusque animam statim crudeli morte extorsit. Ejus denique satellites aforis præstolabantur ipsius reditum. Dumque moram faceret, cœperunt eum ex nomine vocare, ut exiret. Sed nequidquam. Post hæc accedentes cernere, quid ageret, repererunt illum exanimem in arca pendentem. Qui nimio pavore perterriti, fugam arripientes, confusi discesserunt. Quæ res dum comperta fuisset, terrorem incussit universis ; ut ne quis ulterius præsumeret invadere rem quampiam ejusdem Martyris ; locusque isdem deinceps, prout condecet, in ampliori veneratione est habitus.

* *Codices Cistercienses* a majori

B

C

ANNOTATA.

a *Per hanc vocem intellige vasa, feretra, capsulas ad deferendas reliquias Sanctorum. Exempla dat Cangius. Hic vero videtur proprie accipi pro reliquiariis, uti vocamus, seu hierothecis.*

b Belnum *(vulgo Beaune)* castrum Belnum ; rarius Belna *(vide Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum pag.* 81*) nunc est oppidum in Æduorum finibus ac diœcesi Cabillonensi, non procul a fluvio Arari. Hinc* Belnensis pagus *(le Beaunois) qui et* Belnisus *vocatur in Capitulis Caroli Calvi, apud Silvacum editis anno* 853. *Loci hujus notio sub nomine* comitatus *pag.* 426, *et* 457 ; castri *pag.* 440 *et* 449 *invenitur in Chronica S. Benigni Divionensis* ; *pagina vero* 451 *mentio fit de* monachis Belnensis cellæ, *quæ repetitur pag.* 460. Pagi Belnensis *nomen item legitur in Chronico Besuensi, quod post Sanbenignianum in tomo Spicilegii citati habetur paginis* 492 *et* 499 ; *qui etiam notus est in Collectione monumentorum pro Historia Burgundica, in annotatis ad caput præcedens assignata ; ubi pag.* 178 *Robertus Francorum rex (Hugonis Capeti filius et successor, a religiosa pietate commendatissimus) laudat donationes* abbatiæ.... S. Ypoliti...., in pago Belnensi sitæ, *a Gaufredo Cabilonensi episcopo factas ; cujus rei ibidem diploma anni* 1030.

D

c *Ita etiam lego in Trecensi : et forte sic legi debet,* jurges *pro* jurgia *utique barbare.*

d Exenium *vel* xenium *hic est munus, pignus, gratia, Græce* ξένιον. *Plura Cangius.*

e *Ita etiam codices Cistercienses et Trecensis; citatum Chronicon Sanbenignianum pag.* 457 *agens de dotalicio, quod matrona aliqua dederat S. Benigno ;* Conjaceret vero, *inquit,* in his villis ; in Quintiniaco, in Albiniaco, in Sulliaco, in Attegias, in CURTE-ARNONIS. *Et pag.* 460 *inter plures villulas, quæ ibi nominantur, ponitur una sub nomine* Ontearum, * al. Curte-Arnon. *Unde in nostro apographo legendum censeo* Arnoniscurte, *et locum esse in Burgundiæ ducatu.*

E

ANALECTORUM PARS II.

HISTORIA INVENTIONIS

S. APOLLINARIS SECULO XII.

Ex Spicilegio Ravennatis historiæ ad tomi primi partem secundam operis de rerum Italicarum Scriptoribus, editam Mediolani anno MDCCXXV, a pag. 538, auctore anonymo coævo : unde probantur et illustrantur dicta in Commentario nostro prævio § 2, a num. 20.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

F

Datur ratio, unde et cur hic excudatur præsens instrumentum ;

Ludovicus *Antonius Muratorius, V. Cl., in sua ad Spicilegium mox memoratum præfatione dicit, se illa, quæ typis subjicit, eruisse et codice Ms. bibliothecæ Estensis, Rubeumque, pluries supra a nobis laudatum, eadem præ oculis habuisse, atque iis ad sua contexenda, esse usum. Itaque quæ circa possessionem Classensium corporis* S. Apollinaris, *ex hac historia Inventionis in suam ipse Ravennatem paucis transtulit, et nos ex ipso dedimus in nostro Commentario prævio, loco supra citato, plenam ex hac eadem Inventionis historia lucem accipient, longa rerum, quæ huc spectant, adjunctarum serie deducta. Accedunt miracula aliquot, quæ auctor narrationi suæ inseruit, et lectoribus hic subtrahi nequiquam possunt.*

item qua occasione et quando fuerit conscriptum.

2 *Qua occasione auctor scripserit, habes a num.* 41 ; *sed quamvis de se loquatur, nec nomen tamen nec vitæ institutum uspiam exprimit. Rebus autem, quas exponit, coævum se fuisse, satis aperte declarat, quando num.* 1 *ita loquitur :* Quæ auribus nostris audivimus, quæ oculis nostris vidimus, et manus nostræ tractaverunt, de corpore beatissimi Apollinaris, quod apud Ravennam in Classensi monasterio

A sterio NUPER inventum est, et mirabilia ejus quæ fecit, summatim quædam statui stilo qualicumque describere. *Vixerit ergo anonymus iste sub finem seculi* XII, *aut sub initium seculi* XIII ; *cum istam inventionem* nuper *accidisse affirmet , eaque contigerit anno* 1173 *juxta dicta in Commentario eodem prævio, ac dicenda paulo post, ubi de Rodulpho agemus. Anonymus noster suam ætatem clarissime item indicat num.* II *his verbis :* Sed jam tandem ad ea propositionis argumenta properandum est, quibus omnipotens Deus nostris temporibus, *etc. Et num.* 41 *subjungit ista miraculis a se antea narratis :* Postremo, qui scripsit hæc, nonnullas in hujusmodi negotio admirationes comprobavit.

Aliud circa eadem tempora a Rodulpho conscriptum

3 *In laudato Spicilegio inventionem ab anonymo conscriptam proxime præcedit* Tractatus domni Rodulphi, venerabilis Prioris Camaldulensis, doctoris eximii, de inventione corporis beatissimi Apollinaris. *Apud Mabillonium in Annalibus Benedictinis ad annum* 1086, *pag.* 229 *notatur* Rodulphus Camaldulensis eremi Prior, *qui Beatricem primam Priorissam instituerit monasterio* B *S. Petri in municipio Luci, territorio Mucellano, diœcesis Florentinæ. Sed hic, nostro in speciem adeo undequaque similis, noster tamen non est : repugnat enim ætas ; nam si istam inventionem vere exaraverit, sicut in titulo prænotari vidimus, Rodulphus, et versiculi ibidem in fine inserti ejusdem sint, prout esse putamus, auctoris ; consequens erit, ut scripserit postquam jam peracta esset inventio ista, atque adeo vixerit exeunte circiter seculo duodecimo, aut ineunte decimo tertio, quantum ex aliis characteribus, qui illic itidem relucent, colligere licet. Ceterum auctor homiliam conscribit non historiam, desumpto per scriptionis decursum argumento ab igne sacrificii in antiqua lege ; deinde sermone ad populum converso,* qui sacrum corpus beati Apollinaris studuit quærere, quæsitum invenire, inventum venerari ; *illud comparat cum igne sacro holocausti.*

a nobis prætermittitur,

4 *Hortatur insuper ad ejusdem corporis cultum Ravennates, uti et Classenses fratres, ignisque proprietatibus eidem accommodatis, eamdem semper analogiam satis apposite et ascetice ad finem usque sui tractatus decurrit. Itaque quandoquidem ille ad* C *ascetas prorsus, non vero ad historicos spectat, nihilque novæ notitiæ suggerit, qua sacri corporis inventio historice illustrari queat, supervacaneum foret, istum tractatum hic recudere ; si pauculos versus excipias similiter cadentes, seu Leoninos, ut vocant, qui illud seculum sapiunt, et ab eodem, ut putamus, anonymo conditi sunt ; cum dicti tractatus contextui inserantur : quibus mox subditur ista clausula,* præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, *etc. Versibus autem illis et tempus inventionis corporis sacri, et Classensium possessio admodum confirmantur. Sic sonant :*

exceptis quibusdam versibus;

5 Anno milleno centeno septuageno
Terno post gratam Sobolem de Virgine natam
Pastor Alexander quum ternus in orbe micabat,
Schismata quem dira, et quem vera sophia probabat,
Indiciis claris corpus patet Apollenaris.
Lucis in exemplo Classensis supplice templo,
Pluribus et dignis micat hæc patefactio signis,
Quum Simonis festum Judæque micaret honestum,
Festa sacris membris celebrantur quinto Novembris.
Tu plebs Ravennæ jam munus adepta perenne,
Munus conserva cum te comitante caterva,
Quo meritis claris tibi metropolim tuearis,
Ut sis in cœlis proprio cum Præsule felix.

EX IMPRESSIS

qui explicantur.

6 *Sub isto Pontifice celebratum fuit anno* 1179 *Concilium œcumenicum Lateranense tertium, imperante Frederico I, contra Albigenses, item contra schismaticos, a Victore IV antipapa ordinatos. Per* τὸ quinto Novembris *intellige* quinto Kalendas Novembris, *uti tum hic ex festo SS. Simonis et Judæ, quod celebratur* XXVIII *Octobris ; tum ex sequenti instrumento inventionis planum fit ; in quo num.* 23 *sic dicitur :* Statuerunt... hujus mentionis diem per singulos annos celebrari quinto Novembris Kalend. *Instrumento illi prænotatur iste titulus :* Incipit prologus de inventione corporis beati Apollinaris martyris. *Neque ponitur novus titulus nisi ante illa verba :* Quo audito Dominus E Papa Alexander, *etc., num.* 12 ; *quibus præmittitur iste :* De auctoritate Domini Papæ Alexandri et Cardinalium. *En tibi nunc ipsum instrumentum cum annotatis aliquot, pluribus tamen prætermissis, quæ ex Commentario nostro prævio accersi possunt.*

PROLOGUS.

Scriptor de sua tenuitate

Eximiæ pietatis affectu diligentia patrum ea, quæ operatus est Deus in diebus antiquis, futuræ generationi descripsit, nota facere ea filiis suis, ut non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant. Iis enim quasi quibusdam sideribus illustrata fulget Ecclesia, ne velut in hujus seculi nocte profunda tenebrarum, densitate caliginis lædatur ab iis, qui sagittant in obscuro rectos corde. Hoc exemplo, licet simus scientia et ratione pusilli, ex his, quæ auribus nostris audivimus, quæ oculis nostris vidimus, et manus nostræ tractaverunt, de corpore beatissimi Apollinaris, quod apud Ravennam in F Classensi monasterio nuper inventum est, et mirabilia ejus, quæ fecit, summatim quædam statui stilo qualicumque describere, et ad posterorum notitiam demandare, ut cognoscantur hæc in generatione altera, et populus, qui creabitur, laudet Dominum.

nonnulla præfatur.

2 Non erubescimus in domo Domini offerre modica, quia magna non possumus. Scimus enim, quod in constructione tabernaculi Bethsaleel *a* ille peritissimus artifex, inter divitum pretiosa donaria, et pauperum munuscula non despexit ; et de paupérculæ farinula parvulum et subcinericium panem propheta Helias acceptavit. Sed noster Bethsaleel, imo longe plus quam Bethsaleel, qui sub umbra manus suæ nos protegit (siquidem umbra Dei Bethsaleel interpretatur) qui est et verus Helias propheta, potens in opere et sermone, non oblationis censum, sed offerentis affectum pro libamine pensat. De cujus pietate confidimus, quod hydriæ nostræ farinula, modicumque

ex impressis. cumque lecyti oleum tam sufficienter augebitur, quod sub faucibus edentium, non minus quam apud Sareptanam *b* viduam, salutaris esca succrescat, et in tanta materia, opportuna nobis facundia non deficiet.

ANNOTATA.

a *Designatur* Beseleel *(qui et apud Septuaginta interpretes* βεσελεήλ) *filius Uri, divinitus deputatus ad constructionem tabernaculi Exodi cap.* 31, ℣. 2. *Alibi invenio* Bezaleel.

b *De muliere Sareptana agitur lib.* III *Regum, cap.* 17.

CAPUT I.

Auctor possessionem corporis S. Apollinaris vindicat monasterio Classensi.

B

Subortæ inter duo monasteria controversiæ

In civitate Ravenna, quæ inter Italicas urbes nobili prærogativa micat insignis, quoddam monasterium situm est, quod sancti Apollinaris Novi appellatione censetur, ad distinctionem cujusdam antiquioris ecclesiæ, quæ juxta eamdem civitatem sancti Apollinaris Veteris vocabulo nominatur. Ibi monachorum manet congregatio, quæ licet regulari professione polleret, quondam tamen præsumpsit illicita : unde licitis etiam carere deberet, juxta regulam, qua dicitur : Privilegium meretur amittere, qui eoncessa abutitur potestate. Nam per aviditatem plus appetendi, totius debiti summa evacuatur. Cum enim sufficeret ei, quod tanti Patris meritis et vocabulo celebris esset, cœpit tamen gloriari, et per populos rumores spargere, quod sacri corporis ejusdem præsentia locum illum decoraret.

de possessione 4 Asserebat itaque ipsum a piæ memoriæ Johanne archiepiscopo de Classensi cœnobio illuc esse translatum; et quidem non diffitemur, ipsum C patrem aliqua Sanctorum corpora quadam cautissima stropha, sanctaque calliditate transtulisse. Cujus translationis talis causa exstitisse probatur. Istria provincia quædam est in partibus Illyricis, cujus incolas beatus Apollinaris, cum ibi exsularet, ad fidem Christi euangelica prædicatione convertit. Unde in eadem provincia celeberrimus est, et quasi ejus regionis Apostolus summa devotione venerabilis. Nam et Classensis ecclesia in eisdem partibus quondam amplissimas habuit possessiones, et per singulos annos, copiosos exinde reditus percipiebat. Siquidem lapis in eodem monasterio magni ponderis est, ad cujus pensum metalla inde allata trutinari solebant. Solebant etiam ipsius cœnobii officia per monachos et familiares ejusdem provinciæ administrari.

corporis S. Apollinaris, 5 Accidit autem, ut quidam, accepta contumelia, ex eodem loco discessissent. Reversi ergo ad propria, collecta multitudine piratarum, ad suprascriptam ecclesiam nocturni depopulatores accesserunt, et arreptis omnibus, quæ invenerant, etiam ciborium argenteum, quod altari superpositum erat, asportaverunt. Minabantur D etiam repetita infestatione corpus beati Apollinaris se translaturos. Audiens hæc præfatus Johannes archiepiscopus quædam, ut diximus, prudenti consilio corpora transtulit, ut, auditis his, gens illa contra Classense cœnobium sub hac occasione non ultra sæviret; æstimans etiam beati Apollinaris venerabile corpus esse translatum. Sicque factum est, ut ipsa remaneret illusa, dum conaretur illudere, et intra Classensem ecclesiam tam pretiosum thesaurum conservari illæsum.

6 Hac occasione factum est, ut de corpore sancti Apollinaris apud quosdam oriretur dubitatio, quam non de probabili ratione, nec de opinione verisimili, sed de crassa et supina ignorantia, vel, quod deterius est, de artificiosa malitia processisse, manifesta veritate cognoscimus, et multiplici ratione probamus. *causam exponit, et neutiquam probabili ratione opinionem* Jam præfatus archiepiscopus Johannes etiam post ipsam, quam dicunt, translationem, talia dixit, et scripsit, quibus ipsius figmenta falsitatis facile convincuntur. In aurea tabula, quam Classensi cœnobio E contulit, et loco ciborii argentei, quod prædictæ gentis perfidia inde rapuerat, collocavit, talia scripta reliquit :

Ex opibus venerande tuis hæc offero Præsul,
Classensi templo, quo tua membra jacent.

In extremo autem illic corporis sui sepulturam eligens, voluntate hujus certitudinis validum dedit argumentum archiepiscopus more et nomine Honestus *a*, qui tantæ sanctitatis fuisse fertur, ut sibi ad eamdem ecclesiam sæpe nudis pedibus venienti valvæ monasterii nutu divino paterent. Hoc ipsum dictis, et scriptis, suæque sepulturæ postrema ibidem electione, irrefragabili argumento probavit. Idem etiam plurimos ex successoribus scripsisse atque fecisse hodierna monumenta declarant.

7 Sed beatus Gregorius, incomparabilis facundiæ doctor, summusque Sedis Apostolicæ Pontifex, qui hanc ecclesiam possessionibus ampliavit, et honoravit adventu, hujus fidei validum dedit indicium, sicut in ejus, aliorumque sibi succedentium privilegiis evidenter apparet. *subnixam ostendit,* F Prætcrea solennis illa processio, quam Ravennatis ecclesiæ archiepiscopus cum venerabili et gloriosâ episeoporum et Cardinalium caterva, et multigena cleri populique frequentatione, per singulos annos celebrare consuevit, huic argumentationi adstipulatur. Non enim ob aliud in eadem ecclesia tam singularis solennitas ab adjacenti provincia colitur, nisi quod ibidem sacratissimum corpus beati Apollinaris requiescere constat.

8 Postremo beati Romualdi eximii confessoris assertio mirifica id ipsum affirmat, qui pariter *quæ alibi illud asserat quiescere,* cum quodam venerabilis vitæ converso beatum Apollinarem de sub altari, quod est in medio ejusdem ecclesiæ, juxta crucem porphyreticam prodeuntem usque tertio vidit, agnovit, et credidit, et omnipotenti Deo gratias agens, ad frugem melioris studiumque sanctitatis transivit. Et quotiens hujusmodi fieret inquisitio, constantissime asseverabat, sicut beatæ memoriæ Petrus Damianus de ipso testatur, non alibi, quam in

A in ipso Classensi monasterio præfati Patris gloriosum corpus requiescere. Sicque fit, ut non solum humanis testimoniis, sed divinis etiam oraculis, hujus veritatis certitudo probetur, ut non possint objicere calumniantes, quod secularibus tantum adminiculis, vel emendicatis suffragiis ista firmentur.

quam apud Classenses, b

9 In ala Classensis ecclesiæ, beatæ Feliculæ *b* venerabile corpus, jubente sancto Gregorio Papa, collocatum est, in quadam videlicet basilica, brevi quidem, sed decoro ambitu fabricata. Cui etiam prædia non modica deputata sunt. Hanc cum quidam de Cardinalibus Ravennensis ecclesiæ a monasterio suscepisset, unde humiliari debuerat, cœpit intumescere. Nam sub hac occasione ipsum monasterium tyraunica dominatione premebat. Unde factum est, ut per industriam ejusdem abbatis ab hujus dominatu Cardinalis ille cum innumera..... pelleretur. Expulsus itaque vehementer æstuabat, qualiter suum furorem in ruinam ipsius monasterii exstingueret. Studuit igitur per populos rumorem spargere, sacrum corpus Classensi loco translatum esse. B

edito etiam in persona obtrectantis exemplo.

10 Quod mendacium non distulit omnipotens Deus ulcisci, misericorditer adhibens temporalem severitatem, ne juste inferret etiam æternam. Siquidem elefantiæ *c* morbo illico Cardinalis ille percussus est, justo judicio; Dei ut qui de corpore beati Apollinaris falsitatis maculam sparserat, in suo etiam corpore maculosus appareret. Mox vero ad se reversus, suum correxit errorem, ut quod simplici sermone protulerat, juratoria protestatione negaret, asserens se in concilio multorum fuisse mentitum. Factus est ergo prædicator veritatis, qui falsitatis fuerat assertor. Et cum se Deo, et beato Apollinari vovisset, et monasticæ conversationis in Classensi monasterio spopondisset obsequium, continuo liberatus est, et in eadem Classensi ecclesia religiose vixit, et migravit ad Dominum. O mira Dei virtus, mira sapientia! quæ causam fecit luminis de materia cæcitatis; nam unde caligo emerserat erroris, inde veritatis lumen effulsit.

C

ANNOTATA.

a *Fuit hic ex abbate Classensis monasterii ad archiepiscopatum Ravennatem adlectus anno, uti hic notat Muratorius,* 970; *juxta Ughellum vero Italiæ sacræ tom* 2, *col.* 347, *et Rubeum in indice archiepiscoporum Ravennatensium (apud utrumque de Honesto plura) anno* 971.

b *Dedimus nos in primo Actorum semestri tres Feliculas martyres Romanas, videlicet* XIV *Februarii,* V *et* XIII *Junii; atque hoc postremo die, pag.* 667 *indicavimus, unde orta potuerit esse confusio, cur synonymæ Martyres variæ variis locis attributæ sint. Hæc vero quo spectet, incompertum habemus.*

c Ἐλεφαντίασις *vel* ἐλέφας est extuberatio melancholica et contagiosa, totum corpus in speciem elephantis immutans, *sicut dicit Joannes Gorræus in Definitionibus medicis; cujus morbi causas, differentias et effecta pluribus describit.*

CAPUT II.

Possessio ista probatur ex inventione corporis.

Possessio Classensium contra monachos S. Apollinaris Novi

Sed jam tandem ad ea propositionis argumenta properandum est, quibus omnipotens Deus nostris temporibus tam evidenter, tam gloriose id approbavit, nebulamque dubitationis tam patenter abstersit, ut penitus obstruatur os loquentium iniqua, et muta fiant labia dolosa. Nam per argumenta eorum, qui contra veritatem nitebantur, veritatis patuerunt indicia, et de conatu calumniantium certitudinis indago declarata est. Ille igitur ut verus est Dominus, qui etiam malis bene utens, utilia per eos frequenter operatur; ille sapiens est medicus, qui de veneno pravitatis adimplet medicamenta salutis. Cum ergo monachi præfati monasterii sancti Apollinaris Novi E figmenta suæ machinationis vellent pro argumento producere veritatis, ausi sunt locum quemdam infra dictum cœnobium clanculo et quasi furtive infringere, et corpora, quæ illic latebant, quadam temeritate detegere. Et ut facilius possent suæ cupiditatis adimplere propositum, domnum Gerardum *a*, Ravennatum archiepiscopum adeuntes, quæ invenerant, notificare cœperunt, et importunis precibus, atque suasionibus blandis aures illius inclinare. a

atque archiepiscopum Ravennatem probatur ex facto Alexandri PP.

12 Ipse vero quamquam mira sapientia, et honestate præditus esset, citius forte, quam decuerat, se accommodavit, et auditum inclinavit, assensum etiam impendit. Quo id zelo fecerit, nescimus. Unum tamen scimus, quod tunc temporis ecclesiam Classensem obliquo sidere, quamquam non manifesta occasione, respiciebat. Accedens itaque ad monasterium sancti Apollinaris Novi, quod factum erat, publice prædicavit et approbavit in populo, Classensis abbatiæ monachis constantissime prohibentibus, et Apostolicam solenniter appellantibus Sedem, ne de corpore F beati Apollinaris tam nova, tam falsa sententia teneretur. Quo audito Dominus Papa Alexander, cujus virtus et sapientia in camino schismaticæ persecutionis, tamquam aurum in fornace, probata; cujus maturitas et industria huic operi non sine cœlesti providentia servata est, graviter doluit, tum pro enervata Sedis Apostolicæ appositione *, tum pro auctoritate præfati Pontificis, tantæ levitati tam velociter inclinata.

* *an* oppositione?

qui per cardinalem Ildebrandum compescuit obloquentes.

13 Et convocatis Apostolicæ Curiæ senatoribus, factaque deliberatione, auditæ temeritatis cassavit audaciam, reprobavit figmenta, damnavit errores. Scripsit itaque Ravennati archiepiscopo, et de pontificali maturitate minus servata hunc, prout decuit, increpavit, præcepitque, ut præfatis corporibus, in loco proprio reconditis, accensos in populo rumores exstingueret, et de corpore sacro beati Apollinaris non aliter permitteret teneri, quam per millenos annos fuerat approbatum. Sed ne forte contingeret id neglectum iri, scripsit domno Ildebrando Cardinali, lega-

EX IMPRESSIS. ' an eisdem. b

legationis officio in ejusdem ' partibus fungenti, qui cognominatur Crassus, b non tam pro pinguedine corporis, quam pro ubertate honestatis et sapientiæ; ut episcoporum et abbatum, aliorumque fidelium copiosa convocata multitudine, calumniantium illicitos compesceret ausus, et de corpore beati Apollinaris antiquam mutari sententiam sub Apostolica excommunicatione vetaret. Quod si aliter fieri non posset, sacrum corpus in conspectu plebis invenire curaret, inventum publice demonstraret.

Quæsitum Sancti corpus,

14 Accidit autem eodem tempore, ut domnus Theodinus, vir magnificæ virtutis et industriæ, de Gallicanis regionibus, ubi Apostolica vice functus fuerat, reverteretur, qui prædicto patri vere opportunus collega sociatus est. Quod non sine divina constat factum esse providentia, ut dum tantorum patrum geminaretur auctoritas, maturior fieret in eodem facto celebritas. Convenientibus in unum sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatis cum venerabili archiepiscopo Ravennæ apud Classense cœnobium, cum suffraganeis et B Cardinalibus suis, tanta illic multitudo cleri populique subito confluxit, ut incredibile putaretur auditui, nisi oculorum id comprobasset aspectus. Interfuit etiam domnus Ildebrandus Camaldulensis congregationis probabilis vitæ gubernator; ad cujus dispensationem et providentiam idem quoque monasterium spectat, cum venerabili abbatum et monachorum caterva, cum quo et quidam singularis constantiæ monachus et eremita ductus est, nomine Johannes; de cujus sinceritate tantum præsumebatur, ut ei potissimum sacra membra contrectare liceret.

et loco, ubi erat reconditum,

15 Erat enim canitie venerabilis, sobrietate abstemius, innocentia mitis, vultu venerabilis, ut ad ejus aspectum catervatim concurrerent universi. Stabilito igitur consilio requirendi, quæsitum a patribus est, si quis esset, qui hujus secreti aliquam haberet notitiam. Inventi sunt duo bonæ opinionis fratres, qui dicerent, sibi hoc sub juratoria cautione commissum esse arcanum, ut sine Apostolicæ auctoritatis jussione nullis revelaretur. Data ergo a Cardinalibus licentia, quæ ab ipso quoque Apostolico fuerat impetrata, per C Johannem Ravennatem civem, miræ industriæ virum, pretiosum thesaurum sub majori ejusdem ecclesiæ altari præfati fratres declaraverunt esse reconditum. Sed et omnium patrum, qui aderant circa eumdem locum, suspensa erat æstimatio.

a duobus viris indicato.

16 Aderant autem inter agmina fidelium etiam plerique adversantium, qui explorandæ veritati objicere summopere parabant. Exacuerunt enim ut gladium linguas suas, intendentes arcum, rem amaram, ut sagittarent in occultis immaculatos. Iis ergo data est scrutandi licentia, ne qua illis remaneret occasio suspicandi sinistrum. Accedentes igitur ad locum, tanto scrutinio cœperunt exquirere, ut nec aliqua ibi possent reptilia latere. Et cum penitus nihil artificiosæ calliditatis invenissent, defecerunt scrutantes scrutinio: unde obmutescere compulsa sunt ora eorum, et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. Factum est ergo per providentiam Dei, ut non minus livore persequentium, quam diligentium favore declarandæ veritati præstaretur obsequium. Sic nimirum Herodiana persecutio Innocentibus parvulis plus profuit odio, quam prodesse potuisset D obsequio.

inveniuntur corpora SS. Abdon et Sennen martyrum

17 Adscitis itaque fossoribus injuncta est cura fodiendi, sub cautissima videlicet diligentia. Erat enim non parva formido, ne tam venerabile altare, quod a beato Maximiano, aliisque sanctis patribus consecratum fuerat, in cujus anniversaria dedicatione solemnis annorum statuta est indulgentia, contingeret violari; sed per miraculum Dei illæsum permansit. Cum igitur usque biduum foderetur, ventum est ad locum, ubi duo reperta sunt sepulcra. In uno quidem, quod inferius videbatur, non dubium erat, sanctorum martyrum Abdon et Senen c corpora requiescere. In ipso c autem, quod eminebat, spes et fiducia erat, quæsitum inveniendi thesaurum. Accersito itaque Johanne præfato, eremita Camaldulensi, cui hæc licentia concessa erat, hic quum visione præstaret, aperto sepulcro, cœpit introspicere, et sive virtute divina, sive propria trepidatione ita territus est et stupefactus, ut velut in extasi positus videretur.

et S. Apollinaris cum inscriptione.

18 Admonitus autem a venerandis Cardinali- E bus, iterum introspiciens videt, credit, agnoscit mirabilia Dei, tam per eximium candorem sacrati corporis, quam per suavitatem miri odoris, omnium aromatum fragrantiam superantis, qui cunctorum nares ita perfudit, ut omnes renovati, omnesque lætificati apparerent. Et quum extendisset manum ad caput ejus, laminam invenit, argentea quidem materia, sed argento et auro pretiosiora continentem. Siquidem hujusmodi scriptum repræsentabat;

HIC REQUIESCIT CORPUS *d* d
BEATISSIMI APOLLENARIS
PONTIFICIS ET MARTYRIS ET EPI
QUOD HIC DEEST
IN EADEM ECCLESIA
P. MAGNA CAUTELAM OPIFI *e* e
REPOSITUM EST.

His completis et cognitis clamor populi attollitur, signa pulsantur, gaudium cunctorum lacrymis et vocibus declaratur. F

Inventus thesaurus publice annuntiatur cum prohibitione contra dicendi:

19 Mox egregie sapiens Ildebrandus Cardinalis, cui præcipue commissa est ista legatio, tribunal ascendit, et adstanti populo patefactam veritatem prædicavit et docuit; atque sub Apostolico anathemate prohibuit, aliud de cetero credi vel teneri, quam quod in præsentiarum fuerat mirabiliter declaratum. Iterum archiepiscopus Missarum solemnia celebrat, et cum pervenisset ad locum prædicandi, quod inventum fuerat, uberi affabilitate commendat, suamque ignorantiam, pro eo quod aliter prædicarat, eleganter excusat. Nemo etenim tam profundæ sapientiæ, tam circumspectæ cautelæ, qui subreptitiis verbis falli vel fallere non possit.

Fallere vel falli modico discrimine distant.
Quæ duo prudentes simili conamine vitant.

Omnium tamen habere memoriam, et in nullo peccare, non humanitatis, sed divinitatis esse probabitur. Interea calumniatores insibilare cœperunt, dicentes: Unam laminam ad testimonium tantum

A tantum non sufficere, cum in ejus historia tribus laminis ipsius opera scripta legantur.

alia etiam media adhibita ad majorem veritatis confirmationem. 20 Hinc etiam et plebs universa tumultuabatur dicens : se adhuc quodam scrupulo moveri, nisi ostendatur oculis, quod auribus fuerat intimatum. Certior enim in visu habetur notitia, expressius argumentum, experientia verior. Quo audito Pontifices graviter æstuant. Verebantur enim tam sacrata membra contingere, et de loco, ubi tam decenter locata fuerant, atque per tot annorum spatia quieverant, facili occasione levare, præsertim cum populus docendus sit, non sequendus. Qui plura? Non aliud licuit, nisi quod populus Deo inspirante coegit. Inspirasse quidem hæc Deus non immerito creditur, ut per hanc occasionem patefacta veritas validius solidaretur. Nam hujusmodi dubitatio solidandæ fidei certum et incredibile demonstravit argumentum. Sic omnis tarditas Thomæ plus profuit ad fidem Christi, quam discipulorum facilitas ; ita dubietas obstrepentium magis, quam favor obsequentium huic notitiæ adstipulatur.

B

ANNOTATA.

a *Gerardus hic Ravennatensem cathedram ascendisse anno* 1171 *notatur hic a Muratorio; Rubeus citatus ponit annum* 1170 *cum Fabrio; Ughellus autem mox citatus col.* 372 *assignat annum* 1172, *addens, Alexandro PP. III familiarissimum fuisse, cujus constantissime partes difficillimis Christianæ reipublicæ temporibus secutus sit. Lateranensi concilio tertio, anno* 1179 *interfuit, ut videre est tomo* 6, *parte* 2 *Conciliorum, col.* 2058 *collectionis novissimæ, ab Harduino nostro a paucis annis editæ. Notatur obiisse anno* 1182. *Gesta ejus invenies apud Rubeum.*

b *Scribendum, ut puto,* Grassus *: nam e Grassorum gente ille prodiisse notatur apud Ciaconium infra citandum, col.* 1048. Grasso *autem Italice est pinguis, ad quod pingui utcumque Minerva alludit auctor.*

c *Inscribuntur Martyrologio Romano die* XXX

C *hujus, quo de ipsis erit agendum.*

d *Discrepat aliquantulum hæc inscriptio ab ea, quam in Commentario prævio num.* 21 *protulimus ex Rubeo.*

e *An* per magnam cautelam opificum? *Rubeus ibidem dumtaxat ponit* maxima cautela, *alia fortasse omittens, quia non satis clara et obvia. Simili forte ex causa inferius in nostris Analectis scribitur* ob maximam cautelam.

CAPUT III.

Repertæ ad corpus laminæ; ejusdem fragrantia et miracula.

*Corpus S. Apollinaris decentissime collocatur; * forte contingit* Accedens itaque ad locum sæpedictus eremita cunctorum jussione patrum, cum timore et tremore sacra membra contigit *, et in quadam capsula decentissime præparata componit. Cui mox craticula quædam ferrea cancellatis virgulis fabrefacta superponitur, ut exinde sacrum corpus et videri possit, et tangi non possit. Taliter enim hanc diligentiam præparaverat Wilielmus Classensis monasterii abbas, cujus maturitas et industria, cujus liberalitas et sapientia, licet alias evidenter apparuerat, in his tamen operibus evidentius effulsit. Cum igitur hæc agerentur, duæ in eodem sepulcro inveniuntur argenteæ laminæ, quæ pontificibus porrectæ, cum legerentur, ortum, passionem, et transitum beatissimi Apollinaris sub quodam compendio repræsentabant. EX IMPRESSIS.

et ista occasione inveniuntur laminæ, 22 Nam in prima legebantur ista : ORTUS AB ANTIOCHIA BEATUS APOLLENARIS A SUMMO APOSTOLORUM PRINCIPE RAVENNAM MISSUS EST PRÆDICARE BAPTISMUM POENITENTIÆ IN REMISSIONEM PECCATORUM. IBIQUE PER EUM DOMINUS VIRTUTES MULTAS OPERATUS EST. NAM CÆCOS ILLUMINAVIT. PARALYTICOS CURAVIT. MUTOS LOQUI FECIT. DÆMONES FUGAVIT. MORTUOS SUSCITAVIT. LEPROSOS MUNDAVIT. SIMULACRA ET IDOLORUM TEMPLA DISSOLVIT *a*. HIC FUSTIBUS CÆSUS EST. DIUTIUS SUPER PRUNAS STETIT NUDIS PEDIBUS. EQUULEO APPENSUS DENUO VERBERATUS. SUPER PLAGAS AQUAM RECEPIT FERVIDAM. CUM GRAVI PONDERE FERRI IN EXILIUM RELEGATUS ORE SAXO CONTUSO. DEFUNCTUS EST SUB VESPASIANO CÆSARE AUGUSTO X KALENDARUM AUGUSTARUM. REGNANTE DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO CUM PATRE ET SPIRITU SANCTO IN SECULA SECULORUM. AMEN. Quibus auditis, visis et cognitis, fideles unanimiter exultant in Deum vivum, et facta est lætitia magna in populo, tantaque jubilatio sequuta est, ut nec posset ore exprimi, nec corde teneri. *a* E

quibus veritas corporis comprobatur 23 Beatus populus qui scit jubilationem. Nam et qui solebant super iis calumniari et deridere fideles, fidelium tunc congratulationi videntur applaudere, veritati favere, consentire rationi ; et licet numquam nescit tacere iniquitas, etiam cum hanc cogit obmutescere veritas, tamen contra tantam evidentiam non audebat os aperire, et..... gloriam beati Apollinaris, et Classensis ecclesiæ laudes æmulatio calumniantium ferre non potuit, auferre nequivit, sed calumniando fecit gloriosiorem ; cui dum pararet obstaculum, obsequium præstitit. His ita peractis, congregati patres statuerunt hujus mentionis diem per singulos annos celebrari quinto Novembris Kalend., annuam concedentes indulgentiam omnibus circa hunc terminum usque ad quadragesimum diem cum fructu devotionis Classense monasterium visitantibus. F

et propagatur ; 24 Quorum consilio missa est epistola per adjacentium provinciarum ecclesias, et sub auctoritate Apostolica mandatum est fidelibus, ut circa Classensem ecclesiam studeant servare et præstare devotionem, et de corpore beati Apollinaris non aliud credant, quam per tot seculorum spatia fuerat creditum, et in præsentiarum constat evidentissime declaratum. Et qui aliam sententiam tenere præsumpserit, noverit se Apostolici anathematis nexibus innodatum, ut ruinæ suæ dolore prosternatur, quisquis Apostolicis decretis contempserit obedire. Per omnia benedictus Deus ! qui exaltavit filios pauperum, et humiliavit calumniatorem ; qui superbos dispersit, et erexit humiles ; esurientes implevit bonis, et claros dimisit inanes.

EX IMPRESSIS. *patratis etiam miraculis in odore corporis, ac fragantia,* *b*

25 Circa inventionem sacri corporis beati Apollinaris in Classensi ecclesia per misericordiam Dei, et ipsius eximii Patris visitari cœpit locus ipse, coruscare miraculis, illustrari prodigiis, et tantis clarescere signis, ut si cetera probationis deessent indicia, sufficerent testimonia signorum *b*. Horum vero summa et maxima esse probantur, quæ superius prælibata sunt, videlicet miri fragrantia odoris, et admiranda candoris species, quæ in ejus corpore cognita est. Quid enim mirabilius est, quid in hac vita gloriosius, quam inde fragrautiam effluere, unde solet fœtor exhalare; et ibi candidam apparere speciem, ubi miseranda consuevit horrere deformitas? Humana quippe natura post corruptionem corporis, multis repleta miseriis, quid aliud quam putredines, et vermes solet ostendere? Juxta illud : Putredini dixi : patcr meus es; et mater mea, et soror mea, vermibus.

et incorruptione.

26 Siquidem de illa concipimur, ab illa nascimur, cum istis conversamur, et in istis dissolvimur. Quid est homo, nisi putredo, et filius hominis nisi vermis? B

Vermibus esca sumus, misero post corpore fumus.

Sed omnipotens Deus, qui facit mundos de immundo conceptos semine, in corpore gloriosi Martyris naturæ mutavit usum, reparavit originem, alteravit proprietatem, ut pro fœtore fragraret odor, qui omnia vinceret aromata; pro deformitate appareret candor, qui auri et argenti speciem superaret. Quantam putamus esse gloriam sibi in cœlis, qui tam gloriosus micat in terris? Taceamus interim de secretis hujusmodi, quæ non solum loquendi usum, sed etiam facultates cogitandi excedunt, et ad ea, quæ subdenda sunt, festinemus.

Incredulus punitur,

27 Cum ad inveniendum sacrum corpus fodiendi cura impenderetur, erat quidam de factione insidiantium, invidia durus, obstinatione acer, contumacia protervus, qui gravissime deridebat inquirentes, et dum a fidelibus increparetur, sibi taliter est imprecatus : Si hoc, inquit, quod quæritis, vos invenire contigerit, decidam C in hoc loco, ut exire non valeam. Quod dictum mox divina ultio sequitur. Nam illico ad terram tam graviter lapsus est, ut alienis educeretur manibus, qui propria temeritate intraverat, et divino judicio percussus est, qui fideles præsumpserat irridere, ut unius ruina multorum cautela existeret.

apparet cœleste signum; æger, facto voto,

28 Quo præmisso, statim quoddam cœleste apparuit signum, ut exeunte malitia, innocentia subintraret. Nam columba quædam nive candidior apparuit, et usque ad locum Sancti sepulcri tertio volatu processit, tanquam beati Viri corpus patenti monstraret indicio. Merito columbæ monstratur indagine, qui columbina vixerat simplicitate, quia fellea caruit amaritudine; qui Spiritus sancti septiformi charismate fulsit juxta columbinæ naturæ septenarias proprietates. Cum hæc agerentur, abbas sancti Johannis *c* Euangelistæ *c*, meritis et officio venerabilis, tanto languore gravabatur, ut nulla posset remedia invenire, nulla tranquillitate quiescere.

sanatur.

29 Cum audisset, quæ apud Classim gerebantur, votum fecit Deo et beato Apollinari, quod si D de hac molestia per misericordiam ejus convalesceret, ipsius ecclesiam, sanctumque corpus visitaret. Quo proposito, confestim somnus, quo diu caruerat, sequitur, somnumque protinus plena sospitas comitatur. Surgens itaque sanus et incolumis, ad ecclesiam Classensem festinat, sacrati liberatoris corpus honorat, persolvens Deo vota, quæ distinxerunt labia sua. Quod miraculum tam evidens fuit, ut latere non possit. Siquidem amplitudo urbis, personarum celebritas, evidentia signa, quod factum est, occultari non permittit *.

* permittunt.

Alius item ad desperationem infirmus *d*

30 Erat in eadem civitate presbyter quidam, nomine Petrus, qui ecclesiam sanctorum Simonis et Judæ *d* strenue gubernabat. Hic in monasterio Classensi maximam solebat habere fidem plenamque devotionem. Sed cum audisset ea, quæ in monasterio sancti Apollinaris Novi facta fuerant, a priori loco cœpit fidem avertere, stolidaque pœnitentia a pristino fervore tepescere. Qui statim divina increpatione correctus, in lecto decubuit, et tam gravi languore afflictus est, ut de vita desperaret. Audiens autem multitudinem E apud Classem congregatam, ad sacri corporis præsentiam requirendam, cœpit aliquantulum ad pristinam recalescere fidem, et ad priorem devotionem paulatim animum revocare. Mox nimium in modum ad incrementa piæ fidei et devotionis sequebantur etiam augmenta salutis.

sanitati pristinæ restituitur.

31 Cum ergo audisset, sacrum corpus esse inventum, illico factus incolumis, fide ad integrum reparata surrexit, et accedens ad medicinas, ferreum candelabrum cum denis ramusculis emit, totidemque superpositis cereis ad ecclesiam Classensem devotissime properans, tam solemnem, tam publicam oblationem obtulit, non minus affectu, quam censu, Deo et beato Apollinari acceptam. Sicque contigit, quod non ratio sola, sed etiam vexatio intellectum daret auditui.

ANNOTATA.

a *Huc usque sunt verba, primæ laminæ inscripta, uti habes inferius; sequentia vero ad secundam* F *laminam pertinent, prout ibidem notatur.*

b *Miracula ad corpus alicujus Sancti facta, hoc unum probant, quod illud corpus sit Sancti alicujus, cujuscumque demum; non vero quod sit hujus vel istius determinate, qui in loco determinato sub tali nomine invocatur. Vide, quæ diximus ad diem* XXII *hujus, occasione S. Mariæ Magdalenæ pag.* 223; *dicemus die* XXIV *hujus in Commentario prævio S. Christinæ virginis et martyris sub finem* § 3.

c *Puto hic intelligi abbatiam Benedictinam istius nominis, quæ inter abbatias Ravennatenses notatur apud Augustinum Lubin in Notitia abbatiarum Italiæ pag.* 316; *diciturque unita postea fuisse congregationi canonicorum regularium S. Salvatoris, de Bononia nuncupatæ, anno* 1459 *per Pium PP. II, vel ut aliud instrumentum ab ipso citatum dicit, anno* 1488 *per Innocentium PP. VIII. Vide etiam Fabrium pag.* 204.

d Ravennæ divorum Simonis et Thadæi, Fabiani item et Sebastiani ædes sacræ ab Odone, viro religioso ac nobili ædificantur ac vectigalibus ditantur, *teste Rubeo ad annum* 1062.

CAPUT

A

CAPUT IV.

Alia miracula Sancti ope patrata.

Mulier quædam impœnitens occulta vi ab ingressu basilicæ prohibita; at pœnitens eam ingressa:

Mulier quædam, cujusdam civis, nomine Sinicoli, relicta, infamis vitæ, quæ per plurimos annos sine pœnitentiæ remedio steterat, cum vellet sacrum corpus contingere, divino judicio semel et iterum intrare basilicam impediebatur. Quoties enim tentabat ingredi, occulta virtute duro angebatur cruciatu. Quid plura? Monita a circumstantibus, ut revelaret Domino viam suam, cum se, præmissa confessione, per pœnitentiam correxisset, tertio accessit, et ad sacrum corpus cum fidelibus sine difficultate pervenit. O mirum et velocem pœnitentiæ fructum, quæ iram cœlestem sine tarditate placat, sine
B dilatione indulgentiam impetrat, virtutem meretur et præmia!

controversia circa veritatem sacri corporis sublata.

33 Quidam cives apud Ravennam de præsentia sacri corporis graviter contendebant. Unus asserebat, idem apud Classem requiescere, alter inficiabatur: Vade, inquit, qui fideliter ibi certabat, ad cœnobium Classis, et cum redieris, nisi fidem, quam teneo, et tu sponte tenueris, sequar fidem tuam. Ivit, rediit, et tam constanter fidem, quam impugnaverat, tenere cœpit, ut concertatorem suum in fervore hujus fidei superaret. Factus est ergo veritatis assertor, qui fuerat impugnator. O vere mutatio dexteræ Excelsi, quæ meritis beati Apollinaris de infideli fidelem, de persecutore defensorem fecit!

a — *gravissime languens,* — *b*

34 In territorio Populiensi *a* erat quidam nomine Prudentius, qui gravissime languens, cum in extremis laborare videretur, venerabilem illius loci episcopum *b* vocavit, et ab ipso pœnitentiam cum sacrosancta Eucharistia suscepit. Hunc ergo sequenti die præfatus episcopus, cum ad Classense cœnobium pro instanti negotio venisset, apud eumdem locum incolumen reperit,
C et vehementer obstupuit: nam quod non sperabat posse fieri, miratus extimuit factum.

c — *cæcus* — *d* — *a nativitate,*

35 Apud oppidum Cæsenæ *c* quidam illustris erat, qui vocabatur Ugo de Manfredo. Hic quemdam filium habebat a nativitate cæcum, super cujus calamitate graviter amaricabatur. Qui ad ecclesiam Classensem ductus, cum ad sepulcrum beati Apollinaris, et ad corpus illius accederet (res mira et a seculo post Christum inaudita!) illico lumen, quod natura negaverat, gratia recuperavit. Quis enim audierat, quis viderat, ut oculos cæci nati aliquis aperiret, præter illum, quem sputo et luto id egisse Judaica quoque testatur et admiratur invidia *d*? Scriptum quippe legitur:

Quod natura negat, reddere nemo potest. Sed nemo reddit, quia non tantum est homo, qui reddit, imo creator, et Dominus hominis, conditor naturæ, ut ab isto repararetur, quod ab illa subtrahitur. Non enim alligatur legibus naturæ, qui fecit naturam. Nam et temporalium legum conditores leges quidem observant auctoritate impetendi, non necessitate observandi. Unde quidam eorum dicunt: Legibus quippe soluti sumus, sed legibus vivimus.

EX IMPRESSIS.

clinica,

36 In eisdem partibus mulier quædam erat, quæ diutius clinica jacuerat. Hæc cum plena fide ad dictum sanctumque Apollinarem preces et vota fudisset, illico manus dissolutas et genua debilia erexit, et in omni compage corporis pristinam sospitatem recepit,

contracta item et muta,

Præterea alia quædam mulier in villa, quæ dicitur Taybana, cujusdam viri nomine Barotis filia, ultra triennium contracta et muta jacuerat. Cumque pater illius cum eadem puella Deo, et sancto Apollinari et preces, et vota obtulisset, fructumque devotionis Classensi promisisset ecclesiæ, mox loquendi et ambulandi, omniumque membrorum recuperavit officium per merita sanctissimi Patris, illo videlicet auctore, qui erigit elisos, illuminat cæcos, per quem obsoluta * fiunt ora mutorum.

* *forte* soluta

manus arida, — *e*

37 Quidam quoque manum habens aridam de parte Ficolentiæ *e*, ad corporis sacri præsentiam veniens, cum obtulisset imaginem ceream, E
confestim sospitate recuperata debitas grates exsolvit.

cæcus sospitantur. — *f*

De Galiata *f* quoque quidam ad sacrum corpus accessit, vota persolvit; preces et oblationes obtulit, pro eo quod a sui corporis cæcitate, quam longo tempore se passum fuisse testabatur, per misericordiam Dei, sanctique Apollinaris merita liberatus est.

S. Apollinaris alicui apparet.

38 Denique illud prætereundum non est, quod quidam artifex de civitate Ravennæ, ætate senex, sed maturitate senior, frequenter enarrare solebat. Referebat enim beatum Apollinarem sibi aliquando apparuisse, narrantem ei, quæ passus fuerat, cum a beato Petro Ravennam mitteretur. Ostendebat etiam sibi unam de tibiis vulneratam et scissam, quod in ipso itinere sibi acciderat, cum ab obviantibus diutissime cæderetur. Unde factum est, ut cum sacrum corpus fuisset inventum, in ipsius crure fissura eadem reperta est, ut illius assertionis probatio, visionis esset experimentum, quod incredibilibus * visum est, quod simplex et mitis vir ille fuisse referebatur.
F Scimus enim, quia cum simplicibus sermocinatio est Dei et confabulatio Sanctorum.

* *forte* in credibilibus

Curata dysenteria;

39 Quidam de Ravennæ ecclesia clericus, nomine Cornubius, genere comes, et officio Cardinalis, gravem et durissimam patiebatur intestinorum molestiam. Hic igitur sacro corpore jam invento, inter Missarum solennia suo archipræsuli necessitate officii sui assistens, per misericordiam Dei, et beati Apollinaris inclyti patris meritum, ab omni molestia sensit se absolutum, gratias agens Patri misericordiarum et Deo totius consolationis. Quod licet non possit aliorum attestatione probari, tamen auctoritas personæ, celebritas officii, reverentia loci magnum promissionis præstat argumentum.

alter ab equo fere obtritus, servatur.

40 Idem Wilielmus, ejusdem loci venerabilis abbas de cujus industria et maturitate; de cujus sapientia et liberalitate plura dici possent, nisi ejus humilitas recusaret, multas et magnas in hoc negotio expertus est efficacias. Nam, ut de plurimis eligamus unum, cum ad partes Lombardiæ ad præsentiam videlicet Cardinalium,

per

EX IMPRESSIS. per eamdem viam festinaret, accidit, ut in ipso itinere tam graviter caderet, equo desuper ruente, ut totum corpus, præcipue brachium collisum sentiret, et cum nulla sibi surgendi suppeteret virtus, ad misericordiam Dei, sanctique Apollinaris meritum tota fiducia mentem erexit. Mirabile dictu et factu! mirabilis illico cum tanta sospitate surrexit, ut robustior et alacrior solito viam suam perageret. Quanta denique discrimina rerum, quas asperitates temporum, quales in itineribus sæpe difficultates, quantasve insidias calumniantium in virtute Dei et inclyti Martyris auxilio mirabiliter evaserit, quis enarrare sufficiat?

ANNOTATA.

a *Forum Popilii, aliquibus Forum Pompilii, urbs Æmiliæ, olim episcopalis sub archiepiscopo Ravennate, postea a Longobardis diruta anno* 700, B *nunc tantum castrum notatur apud Baudrandum in Geographia;* Forlimpopuli, *ac sæpius* Forli piccolo, *quasi* Forum Livii minus, *dictum notat Cluverius; cujus cognomentum utrum jam inde ab antiquis temporibus corruptum in* populi, *an librariorum vitio id factum, fatetur sibi esse incertum. Porro hoc oppidum non a* populo, *sed a* Pompilio *aliquo Romano denominatum esse, auctor est Leander Albertus in Descriptione Italiæ in Romandiola. Plura dabunt citati auctores. Interim observare juvat,* τὸ Populiensis, *quod auctor noster hic scribit, istis temporibus ibidem in usu fuisse; prout liquet ex diplomate apud Ughellum mox citandum, quod latum scribitur anno* 1214; *et cui subscribunt* Petrus Populiensis... communis Populiensis notarius... Ubertellus Populiensis episcopus, *sicut ibi habes col.* 651.

b *Ughellus Italiæ sacræ tom.* 2, *a col.* 645 *inter episcopos Foropopilienses signat Ausaricum, qui vixerit anno* 1152; *Gregorium* 1177; *Lantfrandum* 1179; *Guelphum* 1203; *Ubertellum anno* 1214, *quem vixisse ponit usque ad annum* 1224. *Juxta notas temporis, quo scriptam supra diximus præ-* C *sentem narrationem, unus ex illis videtur hic tacito nomine designari; sed quisnam determinate sit, nos omnino latet.*

c *A Foro Popilii ad Cæsenam, sex millia passuum numerat Cluverius.*

d *Quemdam a nativitate cæcum ad sepulcrum S. Udalrici, episcopi Augustani, illuminatum habes tomo* II *Julii, pag.* 83; *et ibidem pag.* 413 *sic legitur :* Anno Christi millesimo octogesimo octavo elevatum est corpus S. Godelevæ apud Gestellam.., Filia vero Bertulphi, *mariti ejus,* ex secunda uxore, quum esset CÆCA A NATIVITATE, ex aqua, ubi Sancta Dei fuit submersa, oculos lavans, illuminata est. *Fallitur itaque hujus narrationis scriptor, quando magno conatu ostendere nititur, id miraculi genus ita a Christo esse factum, ut post ipsum a nullo alio Sancto factum sit. Et vero quis neget, pluries id esse factum ab aliis Sanctis post Christum? Qua de re exempla inquirere, supervacaneum putamus.*

e *Putamus hic designari* Ficoclam, *oppidum episcopale, vulgo* Cerviam, *ad millia* 14, *teste Cluverio, ab Ravenna situm; de cujus episcopis agit Ughellus citatus, a col.* 485. D

f *Apud Cluverium in Italia antiqua lib.* 1, *cap.* 28, *pag.* 301 *notatur* Galigata vicus, *qui* hodieque, *inquit,* vulgo appellatur in Apennini radicibus Galeata... Haud procul est fons fluvii, qui supra Æmiliam viam et oppidum Faventiam vulgo Ronco, infra vero Bedeso vocatur. *Nos superius de isto fluvio. Jacet porro* Galeata *aliquot mille passibus a Foro Livii inter Meridiem et Occidentem. Suspicor eumdem, de quo hic agitur, locum indicari in Chronico civitatis Ravennatis, quod desinit in anno Domini* 1346, *et habetur in laudato Spicilegio ; ubi pag.* 579 *sic dicitur :* Anno Domini MCCLXXIX de mense Madii, maximi terræ motus in Romandiola fuerunt : nam monasterium S. Ilarii de Galliata submersum est. *Die* I *Maii pag.* 159 *in Actis S. Aldebrandi, episcopi Foro-Semproniensis, sic dicitur :* S. Aldebrandus natus in quodam castro, quod vocatur Sorbetulo de Boybo, seu de Galiata, de Romandiola prope Cæsenam.

E

CAPUT V.

Refert, auctor, qua occasione ista scripserit, ea concludens laudibus urbis Ravennatis et S. Apollinaris.

Postremo qui scripsit hæc nonnullas in hujusmodi negotio admirationes comprobavit. *Auctor hujus historiæ ad visitandum Cardinalem profectus,* Nam cum ad partes Balnei *a* festinasset, ad visitandum scilicet beatæ memoriæ Rolandum *b* Cardinalem, in extremo tunc laborantem, sperans se in crastinum reversurum, nimia temporum asperitate diutius in partibus illis coactus est remorari. Interim accensum est in animo suo desiderium, Classense monasterium visitandi, ut si vera essent, quæ dicebantur, evidentius ibi agnosceret. Nam usque ad id temporis super iis quadam dubitationis nebula tangebatur, ut in F hac parte neque calidus, neque frigidus esset. Cum igitur hæc conviatori suo retulisset, invenit eum eodem affectu flagrare, quem invitum putaverat : Quiescamus, inquit, usque ad sequentem diem, exspectantes beneplacitum Dei. Et hoc nobis erit signum; ut, si crastina serenitas hodiernam temporis inclementiam subsequatur, firma spes erit, quod prosperum iter facit nobis Deus salutarium nostrorum.

42 Surgens itaque summo diluculo, cum serenitatem vidisset optatam, fidentior factus iter arripuit. *pergit ad Classense monasterium* Et cum plura in itinere formidarentur obstacula, fluviorum videlicet inundatio, viarum asperitas, occursus hostium : omnia pertransivit illæsus. Cumque pervenisset ad locum; plura, quam audierat, vidit, credidit, et agnovit : sicuti reginæ Sabæ de sapientia Salomonis legitur accidisse. Hunc igitur abbas et fratres affectuosius solito suscipientes, optato dicunt advenisse; quoniam ejus præsentiam adscire cupiebant. Celebrantes itaque capitulum, cœperunt ab eo scilicet

A licet abbas et fratres instanter exigere, ut quæ fuerant facta, stilo dictandi narraret.

non sine singulari Dei providentia; et illa occasione scripsit hæc;

43 Quo audito miratus est valde, ipsos tanta instantia id exposcere, quod ipse statuerat spontanea devotione pro reverentia beati Apollinaris offerre. Quis ergo existimet, sine Dei providentia, sanctique Apollinaris merito factum esse, ut tam subita, tamque improvisa fieret tam diversarum voluntatum concordia, tamque dissimilium chordarum in uno concentu harmonia? Quis, inquam, putet, ut sine dispositione divina tanta fieret prosperitas itineris, serenitas aeris, unanimitas voluntatum? Nam in redeundo amplius, quam in eundo subsecuta est optata commoditas. Fiducialiter igitur ad scribendum de misericordia Dei confisus accessit, non tamen solus, quia venerabilium fratrum, abbatum videlicet et aliorum, qui super hoc negotio ceteris interfuerant, est adjutus meritis, roboratus testimoniis, doctrina instructus. Triduo huic operi deputato, exaravit hæc.

omnia concludens

B 44 Iis ita præmissis, libet erga te, o urbs insignis, aliquantulum rhetoricari, non quasi dubia persuadendo, sed quasi certa persuasibiliter insinuando. Eia igitur age, o Ravenna, urbs metropolis, mater civitatum, domina populorum, sedes regni, proceribus gloriosa, mœnibus inclyta, civibus illustris, opibus insignis, situ inexpugnabilis, terra marique fœcunda! Dic, quæso, unde tibi recognoscis hæc omnia? Ista equidem, et alia gloriosa dicta sunt de te, quæ temporaliter prædicantur de te. Sed si attendas ad ea, quæ spiritualia sunt, gloriosiora, et quasi quadam singulari præeminentia inveniuntur in te. Nam in præcedentibus plurimæ urbes tibi vel æquipollent *; in sequentibus vero rara vel nulla æquipollere vel præpollere tibi probatur, scilicet in Sanctorum meritis, in templorum ædificiis, in virtutibus signorum, in electionibus patrum. Quæ nimirum civitas, quæ præter te urbs ab ultima Thule usque ad novissimum sine umbra fluxura sic ne * invenitur?

** forte addendum vel præpollent;*

sic

per apostrophen

45 Apud quam duodecim patres continuis successionibus columbina indagine, non ab homine,

C neque per hominem, sed per Spiritus sancti re-

c velationem sint electi *c*? Non Roma, caput mundi, non Byzantium, sedes imperii, non Antiochiæ ecclesia primitiva; tibi, o Ravenna, hoc dedicatum est privilegium; tibi hæc servata est dignitatis prærogativa. O si servasses, o si non repugnantibus meritis a tam felicissimo degenerasses honore! Adhuc tamen tantarum gemmis dignitatum non es omnino privata. Quædam utique tibi remanserunt de tanta felicitate reliquiæ, quæ te in præsentiarum faciunt celebrem, et in posterum si recognoveris, beata societate perennem. Sed unde tibi hæc obsecrata * gloriosa æstimas emanasse? De quo fonte tantæ fluenta parvitatis effluxisse cognoscis? An de qualitate meritorum tuorum? Hoc nemo vel desipiens putat. Vis audire, de quo fonte profluxit? Hæc inventio salutaris, sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti ejus, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

** an obsecro te, vel obserata?*

ad urbem Ravennam; ejusdem

46 A Christo igitur in Petrum velut in primam barbam; et a Petro in beatum Apollinarem, tamquam in secundam barbam; ab Apollinari in præfatos patres, quasi ad montem Sion, et sic tandem in oram vestimenti, id est usque ad novissima membra Ecclesiæ irrigatio supernæ benedictionis infusa est. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in seculum. Nusquam tamen tanta effusio cœlestis unctionis post primitivam Ecclesiam legitur emanasse, quanta in præfatis patribus effluxisse cognoscitur. O velox magisterium Spiritus sancti! O subita mutatio dexteræ Excelsi! qui ad momentum in ictu oculorum ministravit peritos, roborat infirmos, nobilitat ignobiles, contemptibiles honorat, lanarios exaltat, ut collocet eos cum principibus, et solium gloriæ teneant, et fiat quod scriptum est: Stulta mundi elegit Deus, ut fortia destruat. EX IMPRESSIS.

uti et S. Apollinaris

47 Vides ergo, quod hæc beneficia non tam merito, sed de gratia Salvatoris suscepisti a beato Apollinare, discipulo Christi, assecla Petri, fundatore tuæ fidei, diversarum provinciarum doctore, synchrono Apostolorum, discipulorum symmysta. Hic est prædicator veritatis, doctor E salutaris, pastor et gubernator tuus, o Ravenna, per quem multa portio * sumpsisti dona tua, quam per principes seculi; qui turribus et muris, rerumque opulentia te illustrasse leguntur. Fertur ab antiquis patribus, qui nec fallere nec falli noverunt *d*, istum Pastorem de numero Septuaginta fuisse Discipulorum *e*: et de ipso in Euangelio dictum esse testantur: Est puer unus hic, qui habet quinque panes et duos pisces *f*. Qui ergo tunc de paucis panibus et modico pisce multa hominum millia satiavit, innumeram multitudinem populorum ex adipe frumenti et medulla tritici, ex piscibus illius fluminis, cujus impetus lætificat civitatem Dei postmodum pia administratione refecit.

** an potius?*

laudibus referlam,

48 De hujus ministerio etiam tu, Ravennatum ecclesia, non deficiente, non deficis:

Crescit in ore cibus, ceu virtus crescit edentis.
Sic est esca Dei; sic sunt pia dogmata mentis.

Cur ergo pateris tantum Patrem laniari? Cur de præsentia sui corporis commenta recipis falsitatis? Ut quid sacratissimum suæ passionis, et lo- F cum habitationis gloriæ suæ sustines ab aliquibus contemni? An ignoras, Classensem domum per divinam revelationem constructam, a sanctis patribus consecratam, beati Apollinaris tam corporali præsentia, quam spirituali custodia decoratam? De cujus fundatione, divina dispositione facta, scio te frequenter audisse. Nam patres tui annuntiaverunt tibi, majores tui dixerunt tibi, quæ si non recolis, reddimus tibi quod accepimus a te.

ANNOTATA.

a Balneum, *quod proprie dicitur Balneoregium vel Balneum regis, vulgo Bagnarea, urbs est Thusciæ episcopalis in agro Urbevetano, patria S. Bonaventuræ.*

b *Apud Ciaconium in historia Pontificum et Cardinalium tomo* I, *col.* 1120 *inter Cardinales a Lucio*

EX IMPRESSIS. *Lucio Papa III creatos notatur* Rolandus monachus, natione Gallus, diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu; *ubi de illo plura, diciturque ibidem ultimo defunctus die ante Clementis III electionem : ac proin anno* 1188, *die* 5 *Januarii : nam ponitur iste Pontifex electus isto anno, die* 6 *Januarii; atque adeo ætas laudati Rolandi satis convenit huic narrationi, ut per synonymum in eadem notatum, hunc Rolandum intelligi posse putemus.*

c *Muratorius Spicilegio historiæ Ravennatis loco citato, pag.* 527 *præmittit ista :* Advertas velim. vulgo.. creditum, Spiritum sanctum sub visibili columbæ specie priores duodecim episcopos *Ravennates* indicasse a clero et populo eligendos. Equidem persuasionem hanc iis eripere mihi, *inquit*, non est animus. Attamen suspicari non desino, an invaluisse potuerit hujusmodi opinio ex pictura aliqua veteri male intellecta. Cum enim episcoporum olim electio ab ejusdem cleri et populi votis penderet, atque in ipsam influere et quidem merito putaretur divini Spiritus secreta motio, ac præsertim quoties in Sanctos viros B electio cadebat, pictores illorum episcoporum imaginem efformantes, supra eorum caput Paracletum, sub columbæ specie appingebant, ut sensibile oculis exhiberetur, quod invisibili tantum actione paractum fuerat. Proinde ignarum vulgus subsequentium seculorum accipere facile potuit typum pro historia, et fictionem pictori licitam tamquam rem certam. *Et memoratis hujusmodi erroribus sive opinionibus aliis, male suffultis :* Liceat, *inquit*, Ravennatibus traditionem suam mordicus tueri; sed et mihi licuerit dubitationem meam hoc in loco exerere.

d *Quinam sunt isti sancti patres, hoc qui dicant ? Deinde fac esse, qui hoc dicant : est sane hyberbolica, seu falsa potius locutio, qua ineptissime adstruit auctor patribus et quidem in materia mere historica et neutiquam fundata, auctoritatem; quæ soli Deo, et hominibus, ipso inspirante, locutis debetur.*

e *Quid de hac re sentiamus, habes supra in Commentario prævio* § I.

f *Plus hic affirmat auctor ex patribus, ut vult, quam umquam possit suadere vel tamquam probabile* C *vel verosimile. Similis farinæ sunt ea, quæ habentur apud Cornelium a Lapide in cap.* 18 *Matthæi* ℣. 2. Et advocans Jesus parvulum, *Græce* παιδίον, puellum; *in quæ verba sic scribit :* Putatur puellus hic, ait Jansenius, fuisse S. Martialis, qui postea discipulus S. Petri, *etc.* Sed quia alii S. Martialem constituunt unum ex LXXII Christi discipulis, ideoque jam tunc non puerum, sed natu grandem; non satis certa hæc est traditio. Alii S. Martialem putant fuisse puerum sive juvenem istum, de quo Andreas ait ad Christum : Ecce * puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces. Joannes *cap.* 6, ℣ 9. *In Commentario prævio S. Ignatii martyris die* I *Februarii* § 3 *dictum est, quod, dum Christus ultimo prædicationis suæ anno Apostolos de primatu contendentes doceret, ostenso parvulo; eum S. Ignatium fuisse, ejus tum etiam brachiis gestatum, Græci posteriores doceant, forte annum ætatis sextum aut septimum agentem. Quæ omnia sunt ejusdem plane furfuris, nullo antiquitatis fundamento subnixa. Vide etiam Patriarchas Antiochenos ante tom.* IV *Julii in S. Ignatio.*

* *lege* Est

D

ANALECTORUM PARS III.

Ecclesia Classensis, et corpus Sancti ibidem quiescens, ex eodem Spicilegio, a pag. 545, auctore anonymo : ad Commentarii nostri prævii § 2 et 5.

De *ecclesia, a Juliano Argentario, consentiente Justiniano I, exstructa in honorem* S. Apollinaris, *sermonem habuimus supra in Commentario prævio,* § 5. *Porro in Spicilegio paullo ante laudato a pag.* 545 *occurrit narratio auctoris anonymi, hunc titulum præferens :* Ædificatio ecclesiæ Classensis; *cui quia intermixtæ sunt fabulæ et parerga, nonnulla dumtaxat inde huc ea de causa transcribemus. Videtur autem scripta eo solo fine, ut possessio corporis Sancti apud Classenses, debuccinaretur; et quidem post diremptam famosam controversiam,* E *quæ inter duas religiosas familias ferbuit, id est exeunte seculo circiter* XII, *et post solennem ejusdem sacri depositi inventionem, de qua superius. Auctor itaque sic inceptat suam narrationem :* Cum Justinianus gloriosissimus imperator graves apud Constantinopolim insidias pateretur, fugiens periculum, Ravennam divertit, et apud Julianum præfectum benigne receptus, et diu sustentatus est. Cœpit ergo loca Sanctorum religioso visitare affectu, præsertim ubi B. Apollinarem per martyrii palmam audierat ad cœlum migrasse : nam præsentiam sui corporis nondum agnoverat.

Auctor suam narrationem incipit fabulose,

2 Hic itaque cum frequenter oraret, adstitit ei beatus Apollinaris in vultu angelico, amictu venerabili; qui loco sui sacrati corporis ostenso, taliter hunc monuisse perhibetur : Confortare, inquit, et esto fidelis; in proximo restituetur tibi optata felicitas. Quo adimpleto, curæ sit tibi, talem mihi fabricare basilicam, qua divina digne veneretur majestas, et mei corporis membra decenter aptentur. Post paucos itaque dies in solio suo gloriosissime restitutus, Monitoris et Auxiliatoris sui cœpit non immemor apparere. Præcepit itaque præfato Juliano præfecto, ut de reditibus imperii largisque sumptibus templum Deo et B. Apollinari decentissimum fabricaret, *etc; cujus ornatum ibidem subjungit. Fabulosum hoc exordium multum deterit totius reliqui contextus auctoritati, notante hic recte Muratorio,* sub Justiniano I quidem exstructum est Classense templum S. Apollinaris a Juliano Argentario circiter annum DXLV, ipso probante Augusto. At Justinianus numquam Ravennam divertit. Neque hæc Justiniano Rhinotmeto aptari possunt. Itaque veritati fabulæ huic intermixtæ.

apparitionem Sancti obtrudens nullo fundamento nixam :

F

3 *Notæ quoque non optimæ videntur esse ea,* quæ, *ut subdit anonymus noster,* de gloriosa facie cujusdam iconæ, in medio auratæ tribunæ ipsius ecclesiæ apparentis frequentissime referuntur. Hanc enim, *inquit*, angelica manu depictam fuisse tam antiquorum professio, quam efficacia signorum, et ipsius incomparabilis forma testatur. Si mihi non creditis, operibus et oculis credite, ipsorumque attestationibus, qui de multis terræ marisque periculis, ad ejus memoriam se fuisse liberatos, verbis

cujus modi farinæ videtur esse efformatio iconis per angelicam manum.

A verbis et documentis professi sunt. Perhibent enim, quod quando aurifex tribunam ipsam muvis ornamentis auratis, in ipsius tribunæ loco medioximo, ceteris jam depictis faciem Salvatoris venustius formare decreverat. *Sensus hic est imperfectus.* Cum autem ad horam refectionis descendisset, habens in proposito mox post reversionem, ipsam depingere, hanc iconam longe mirabiliorem, quam sua vel aliorum ingenia pingere valuissent, formatam invenit. *Hæc, inquam, videntur notæ esse non optimæ; donec testimonio ad fidem faciendam magis idoneo suffulciantur; et non unius atque hujusmodi quidem scriptoris, qui fabulas adoptans, in aliis quoque, etiamsi verum diceret, sua solius relatione fidem facere non mereretur. Rei veritatem non leviter etiam infirmat τὸ* perhibent, *et* frequentissime referuntur; *quæ popularem traditionem redolent. Neque beneficia aut miracula ad hanc iconem facta, rem conficiunt. Potuit namque imago ista esse miraculosa; sed tamen non idcirco ex illis probatur miraculosa ejusdem efformatio. Revoca in memoriam quæ supra*
B *diximus ad historiam inventionis in annotatis ad cap. 3 littera* b, *et cum proportione aliqua huc applica.*

Quidam præfracte affirmans corpus S. Apollinaris esse in monasterio Novo, punitur;

4 *Anonymus noster in detractores deinde templi* S. Apollinaris *invectus, Classensis videlicet, cujus contra æmulos patronum agit, ita porro prosequitur:* Fuit enim, *inquit*, in ipso monasterio S. Apollinaris Novi quidam in officio prioratus, qui acriter contendebat, corpus B. Apollinaris ibidem esse reconditum; quam contentionem hujusmodi fine claudebat: Utinam, inquiens, non alibi liceat mihi mori vel sepeliri, nisi ubi corpus illud requiescit! Quid plura? Egressus civitatem pro necessitate sui monasterii, tanta, cum rediret, inclementia temporis est occupatus, ut ad Classis ecclesiam divertere cogeretur. Ibi ergo gravi præventus agritudine, vitam eadem nocte finivit ibidemque sepulturam accepit. *Hæc, siquidem melioris sint notæ quam illa superiora, admodum confuse referuntur. Ast anonymum nostrum subsequamur, ita pergentem:*

quod asservari apud Classenses, probatur ex facto Gualterii,

5 Apud Ferrariam quidam fuit, habens sindonem tam pretiosam, ut nollet illam humanis usibus applicari. Cum ergo quid inde agendum esset, animo hæsitaret, apparuit ei quidam venerando habitu, dicens: In altari B. Apollinaris illam appone. Mox Ravennam veniens, clericis metropolitanæ sedis ea referebat. Ipsi vero, ut plerisque moris est, quæ sua sunt, quærere; monebant illum, ut in eodem altari eamdem imponeret, quod ad S. Apollinarem pertinere dicebant. Audiens hæc beatæ memoriæ Gualterius archiepiscopus, qui Classense cœnobium per Camaldulensium congregationem reformavit: Vade, inquit, ad ecclesiam Classis, ibique verum B. Apollinaris altare invenies, ubi sacrum corpus requiescit; et in eodem juxta præceptum Domini tuæ devotionis vota persolve.

episcopi Ravennatis.

6 *Archiepiscopus iste Ravennas, cujus gesta narrare occipit Rubeus ab anno* 1118, *obiisse ponitur apud ipsum Idibus Februarii* 1144. *Præter ea, quæ in Commentario prævio a num.* 51 *de introductis ab eo in monasterium Classense Camaldulensibus dicta sunt, videri possunt apud Rubeum ad annum* 1138, *quæ circa hanc rem recensentur eidem monasterio jura annexa; ad eumdem itaque annum* 1138 *hanc monachorum transvectionem pertinere, colligitur etiam ex historia Camaldulensi ibidem in Commentario prævio a nobis citata; quamquam Muratorius hic ad anonymi nostri textum notet annum* 1137; *de quo ipse viderit: cum vel ipsum istius anni diem videlicet* XII Kalend. Novembr. *notet Rubeus; qui tamen ex auctore historiæ Camaldulensis apud Fabrium mox e commentario prævio nostro citatum scribitur* XX Octobris, *extrita forte in exemplari, quo usus est, unitate, aut per oscitantiam librariorum omissa; nisi forte apud Rubeum scribi debeat* XIII Kal. Novembris; *utut est, tantillum temporis discrimen, errori utpote obnoxium, morari nos non debet.*

EX IMPRESSIS.

Ex auctoris epilogo eruitur ejus ætas.

7 *Denique anonymus hic noster totus est in possessione corporis* S. Apollinaris *vindicanda ecclesiæ Classensi, acriter perstringens oppositos eidem calumniatores, et sic concludens:* Plura super iis dicenda fuerant contra calumniatores, imo pro calumniatoribus: non enim persecutores, sed ad bonum zelatores eorum sumus. Sed ideo calamum temperavimus, quia non tam invectivarum, quam inventi jam veri executores sumus. *Atque ex his potissimum colligimus, hæc esse scripta eo tempore,* E *quo controversia Classenses inter et Ravennates* S. Apollinaris *Novi cœnobitas jam dirempta fuerat, atque adeo post annum* 1175, *quo corpus Sancti apud Classenses repertum fuisse, ex dictis constat: nam quanto dicit auctor,* inventi jam veri executores sumus, *aliud nihil indicare voluerit, quam detecta jam per inventionem sacrarum apud Classenses exuviarum veritate, pro ea se stare, ac scriptis illam defendere.*

ANALECTORUM PARS IV.

Instrumentum authenticum translationis S. Apollinaris sub Julio PP. II, quo confirmantur et illustrantur ea, quæ dicta sunt in Commentario prævio § 2.

F

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Hujus instrumenti

Instrumentum, quod hic producimus, isto titulo prænotatur: Translatio corporis S. Apollinaris, archiepiscopi et martyris, sub Julio, felicis recordationis Pontifice optimo maximo, facta ab illustrissimo et reverendissimo Cardinale Sotherino, tituli sanctorum duodecim Apostolorum, congregationis Camaldulensis protectore. *Titulum hunc subsequitur præfatiuncula, sive* epistola procœmialis de *dicta* translatione; in qua frater Paulus Orlandinus, abbas S. Michaelis de Muriano, reverendo domino Paulo de Laude, abbati Classensi bene merito S. P. D.; *qui, sicut habes num.* 24, præsens, *inquit*, fui universorum bajulus et minister.... Deum ipsum in testimonium advocans, *etc.*

notitiæ paucula.

2 *Laudati instrumenti apographum transcriptum fuit, prout ad superiorem ejusdem marginem annotavit*

EX MS. *tavit noster Papebrochius*, ex codice Vaticano, num. 5835, id est, parte I scriptorum Joannis Petri Ferretti Ravennatis, episcopi Lavellinatium; *de quo agit Ughellus Italiæ sacræ tomo 7, a col. 1007: ubi notatur ipsius opera usus Hieronymus Rubeus in condenda Ravennatium historia; laudaturque tamquam sedulus venerandæ antiquitatis pervestigator; ut qui reliquerit post se plura sui ingenii monumenta, quæ vidisse se testatur idem Ughellus manuscripta in bibliotheca Vaticana, ubi religiose asservari illa asserit.*

præmittuntur. 3 *Epitaphium ejus legitur apud eumdem tomo 9 in appendice, col.* 1041, *in hæc verba:* D. O. M. Joanni Petro Ferretto Rhaven., I. V. D., Lavellinatium episcopo, poetæ laureato, historico celeberrimo, undecumque doctissimo, magnoque scriptori. Exuperantius Ferrettus, nepos ex fratre Julio doctore eximio, equite clarissimo, sua impensa P. C. MDLXXXIX. V. ann. LXXV. Obiit prid. Non. Maii MDLVII. *Brevis certe panegyris, et perquam magnifica! Nostrum non est, illi quidquam detrahere. Porro rei, quam hic præ manibus habe-* B *mus, in capita et numeros more nostro divisimus argumentum. Ac de his quidem lectorem præmonendum putavimus; cetera, quæ supersunt, dabuntur in annotatis. Præmittitur itaque, de qua mox egimus, laudati Pauli Orlandini*

EPISTOLA PRÆLIMINARIS.

Auctor paucula de Sancti translatione Etsi in negotiis familiaribus impeditus, de alienis rebus, quæ non sint muneris nostri, parumper cogitare queo; de tua tamen abbatia quandoque recogito, ne qua forsan oblivione deleatur, quod et paternitas tua et ego pariter vidimus, et manus nostræ tractaverunt de verbo isto. Ea autem est translatio Apollinaris sanctissimi, ac terque quaterque beati; ubi Martyris ipsius hymnos ipse una cum ceteris solenniter decantabas. Ego vero ejus ossa de limo terræ cernuus depiscabar; eo quippe tempore, quo abbatiæ Classensi præerat venerabilis pater dominus Andreas Sechinus, vir utique integer vitæ, C scelerisque purus; cujus si quidem animus pientissimus indoluerat admodum, quod tam incultus tamque inhonoratus Martyr ille beatissimus permaneret; cui et exstruxit mausoleum novum, in quo nunc corpus ejus sacratissimum requiescit.

præfatus, 5 Neque illud silentio dignum fore censuerim, quod pro cjusmodi honoris sibi delati præmio, eumdem don * Andream ob istius Classensis abbatiæ custodiam sibi per martyrii palmam associavit *a* sanctissimus Christi martyr Apollinaris; eo tempore quidem, quo Galli ipsi feroces Ravennam paulo post ejusmodi translationem *b* ante dictam immaniter depopulati sunt *c*. Quidni et ipse paulo minus lapidatus sui, ubi deinceps magna in populo Ravennæ seditio *d* coorta est; cum sævit illic animis ignobile vulgus, cauteriatam habens conscientiam, et dicens, me expilasse ac alio detulisse patroni sui sancti Apollinaris ossa. Sed et ipse impedivisti penitus coronam meam, dehortatus illos ab ejusmodi insania. At nondum venit hora mea; neque adhuc tali dignabar honore: quapropter evasi illorum manus in nomine D Domini.

* domnum

6 Attamen illud mihi in illa turba impendio magis placuerit, quod colerent eo saltem more indigenæ omnes illic Patronum suum, simul et hunc etiam ipsum pariter attestarentur, quem ego e cœno ad urnam, de limo in marmoream capsam transtulissem. Nunc vero ne translatio hujusmodi obliteretur, sed et ad posterorum quoque notitiam valeat pervenire; eamdem utique animum ad scribendum appuli, quam ipsam transmitto Reverentiæ tuæ, tum lectitandam, tum perficiendam: si quid minus retuleris *, quod in ea conscribendum videretur; poteris enim ipse reminisci, quod mihi excidisset forsan e memoria, dignum profecto quod annotaretur; id ipsum autem lectitando animadvertes. Lege itaque patienter, et divi Apollinaris translationem vide reponendam aliis præ tua charitate; ut filii enim qui nascentur et exsurgent, enarrabunt ea posteris, et nati natorum, et qui nascentur ab illis: quod utique fit commodum maximum ex ipsa lectione. *quam a se factam testatur, scripto mandat, ne memoria excidat.*

* retulerim

E

ANNOTATA.

a *Rem habes ex Rubeo in Commentario prævio num.* 52.

b *Facta est illa translatio die 2 Aprilis anno* 1511, *sicut diximus in Commentario prævio, et notatur infra cap.* 2.

c *Jam paulo ante litteram* a *annum notavimus, etc.*

d *Suspicor hic indicari seditionem, ad annum* 1512 *a Rubeo relatam, ad quam retundendam vigintiquatorviratus delectus fuit.*

CAPUT I.

S. Apollinaris præ aliis Sanctis a Deo honoratus, Camaldulensium annisu transfertur. F

In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit. De viro Sancto id asserit fidelis Cantor; et de heroe quopiam, qualis nimirum exstitit beatissimus Christi servus et martyr Apollinaris; quem Deus elegit ante constitutionem mundi in præscientia fixa et in memoria æterna. Is autem usque adeo in Christi Ecclesia firmus regioque munimine septus, justitiam in omni tempore custodivit: Deum utique summa pietate colens, et proximum omnem in perpetua charitate complectens; seminavit namque bonum semen in agro Domini; calciatus pedes in præparatione Euangelii pacis; et super femur suum accinctus spirituali gladio, quod est verbum Dei, in omni patientia et doctrina. Promiserat autem sequacibus suis quondam auctor noster Jesus antidorum et retributionem centuplam ad ea, quæ pro ipsius nomine discrimina pertulissent discipuli ejus; idque non inter Cœlicolas dumtaxat, sed *Inter Sanctos*

A *a Deo honoratos* sed et passim, ubi degunt terrigenæ, et filii hominum in unum, dives et pauper.

8 Hinc namque mortales ipsi percipiunt, quoquo modo invisibilem Beatorum gloriam, per ea, quæ ab ipsis geruntur in mundo; acsi ex fructu arborem et causam deprehendant ex actu. Quamdiu namque in hac vita sumus, per fidem ambulamus, et non per speciem, umbram habentes futurorum bonorum in speculo et ænigmate, donec ad illam supernorum civium pervenire mereamur patriam; unde huc adducti sumus. Sunt autem creaturæ omnes acsi divinæ bonitatis exemplar: unde nobis effulgeat Sol justitiæ, qui suæ virtutis radios usquequaque diffundit ad illustrandum orbem præ sua majestate. Ea autem præpollet admodum in electis suis; nam mirabilis Deus in Sanctis suis, magnificus in sanctitate: proindeque laudabilis et gloriosus in secula.

potissimum emicat S. Apollinaris: 9 Inter ipsos autem Dei Sanctos et electos omnes velut lucifer inter astra, et sicut inter ignes luna minores, effulget prædictus hic noster, et beatissimus Dei martyr Apollinaris: unus siquidem atque is non exiguus, ut quidam autumant *a*, de Septuaginta duobus Christi discipulis: quos ipse misit binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Hunc vero insignem pietate Virum tot adire labores perpulit in Deum illa, quæ valida est ut mors dilectio: ut per multas et varias tribulationes, postque plurima rerum discrimina intraret in regnum cœlorum: et is enim post Christi ascensionem ad Patrem divino prorsus flamine illustratus est, una cum ceteris, quando factus est de cœlo repente sonus tamquam advenientis Spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes *b*. Subinde autem adhæsit hic summo Apostolorum capiti Petro, idque usque adeo, quod ab ejus latere numquam discederet; et ipsum utique per tela et per hostes, et per inhospita saxa sequutus, Romam usque, ubi collegæ illi Petrus, et Paulus, spiritualis utique duo fulmina belli, et clarissima mundi lumina, Nerone dictante, una die pariter Romæ necati sunt.

B

qui Ravennam a S. Petro missus, ac martyrio functus, ac ibi prope sepultus honorifice, at postea incultus jacuit: 10 Pridem vero ab eodem Apostolo Christi Petro, dimissus beatissimus hic noster Apollinaris, Ravennam accessit, Flaminiæ urbem tum antiquissimam tum clarissimam: ubi post plurimas virtutes editas, post miracula pene infinita, pro fide Christi martyrio coronatus est, sub Vespasiano augusto; sepultus autem extra muros Classensis urbis in arca marmorea a discipulis suis. Eodem vero sub terram missa est propter paganos insectantes illum, sic ejus gloriam extinguere cupientes. Subinde vero in eum subvectus est locum ubi nunc exstat amplissimum templum Classensis abbatiæ, milliario tertio a civitate Ravennæ. Illicque multis requievit annis incultus usque adeo et inhonoratus; judicio nempe Dei, quod occultum quidem dicitur, injustum vero numquam: judicia namque Dei sunt, quasi abyssus multa; vera tamen et justificata in semetipsa.

donec tandem Camaldulensium annisu, 11 Cum vero tandem placuit Altissimo, qui est militum suorum sors et corona, præmium; ut quod occultum erat, in apricum ageretur, eo desuper annuente, consilium fuit prælatorum quorumdam monachorumve complurium venerabilis congregationis sancti Michaelis de Murano *c*, nostri Camaldulensis Ordinis: cujus est abbatia prædicta, non ignobile membrum, ut excoleretur aliquantisper corpus ipsum, quod tegebatur in specu subterraneo quodam, aqua limoque repleto, et sub altari majori abbatiæ Classensis, et in loco decentiori poneretur, eductum e prænotato cœno. Quapropter exstruxerat Classensis abbas, qui tunc erat, domnus Andreas Sechinus Bergomensis, venerabilis pater, sarcophagum quoddam novum, arcamve marmoream, qua corpus ipsum clauderetur, ibidem aliquanto tum altius subter altare majus Classensis templi. His igitur sic pensitatis atque conclusis ut fierent, forte quidem tunc temporis erat Ravennæ Romana Curia una cum sanctissimo ac beatissimo Pontifice Julio, divina providentia Papa II. EX MS. c

12 Sic itaque et illic interfuit opportune admodum reverendissimus dominus basilicæ duodecim Apostolorum presbyter Cardinalis, alio nomine dictus dominus Franciscus Soderinus *d* de Florentia, Cardinalis Ulterranus *e*: qui cum esset in Curia Romana protector nostri Camaldulensis Ordinis, et congregationis ejusdem; eidemque humiliter supplicaverunt prædicti reverendi patres, quoad reverendissima dominatio ejus a summo Pontifice exoraret, fieri translationem corporis venerandi, quam eamdem ipsemet reverendissimus manibus ageret propriis ad honorem Dei et Martyris beatissimi. *Sedisque Apostolicæ indulto* d e E

13 Annuit hujusmodi postulationi beatissimus Pontifex, idque magna cum hilaritate: tum quia semper expetiit Beatitudo sua, ut res Ecclesiæ Catholicæ excolerentur, in quibus hæ possunt dignissime recenseri; tum quoniam pastor idem paucis ante diebus una cum reverendissimis duodecim Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ad ipsam se contulerat abbatiam, ubi et plurimum ac diutissime contemplatus ipsum famosissimum Classis templum, antiquum quidem et omni veneratione dignissimum, applicavit animum suum Classensi cœnobio. Quapropter quam libentissime concessit reverendissimo Cardinali jam dicto, qui translationem ageret ejusmodi corporis beatissimi. *in decentiorem locum translatus est.*

F

ANNOTATA.

a *Recte*, ut quidam antumant; *vide Commentarium prævium num.* 7.

b *Adventui Spiritus sancti in die Pentecostes non interfuisse* S. Apollinarem, *persuadent ea, quæ in Commentario prævio, num. 7 diximus; nec scimus, ullum hactenus auctorem vel somniasse, quod hic videtur asserere noster scriptor.*

c *Per hanc congregationem intelligo cœnobium S. Michaelis, quod Leander Albertus in Descriptione Italiæ sub finem (ubi agit de insulis circum Venetias eademque occasione de quibusdam monasteriis) ponit in septemtrionali urbis latere. Ex iis, quæ habentur in editione ipsius Italica, deducitur posse scribi* Muranum *ac* Murianum. *Nihil porro de illa abbatia invenio apud Augustinum Lubin in abbatiarum Italiæ Notitia: cujus nomen notatum lego apud Guidonem Grandum in Dissertationibus Camaldulensibus dissertatione* 1, *cap.* 3; *et dissertatione* 3, *cap.* 4.

d *Vir*

EX MS.

d *Vir fuit singularibus eruditionis dotibus spectatissimus*; *cujus gesta habentur apud Alphonsum Ciaconium in Vitis Pontificum, anno* 1677 *Romæ editis, tom.* 3. *a col.* 203.

e *Id est* Volaterranus. *Certe a Sixto PP. IV Volaterranus episcopus renuntiatus, ecclesiam illam adeo dilexisse scribitur apud Ciaconium loco mox citato, ut Cardinalis deinde creatus, etsi alias obtinuerit ecclesias, Volaterranus tamen Cardinalis nuncupari semper voluerit.*

CAPUT II.

Translationis hujus historia exponitur.

Describuntur adjuncta temporis,

Prima igitur die mensis Aprilis prænominatus reverendissimus dominus Franciscus Cardinalis Ulterranus, obtenta licentia ut supra, translationis agendæ, significavit reverendo domino Andreæ Sechino, abbati Classensi, se velle indultum ejusmodi Apostolicum exsequi postridie, quæ erat secunda dies mensis ejusdem anno prædicto millesimo quingentesimo undecimo, idque tam propere: quoniam ipse migrare decreverat Bononiam versus die tertia. Et idcirco quasi clanculo facta est ipsa translatio et repente, ideoque non valuit abbas ipse hoc civibus Ravennæ, aut saltem primariis referre; ut moris est in ejusmodi gestis. B

ac personarum,

15 Secunda itaque die prædicti mensis, sanctissimi domini nostri, domini Julii, divina providentia Papæ secundi, pontificatus sui anno octavo *a*, prænominatus reverendissimus Cardinalis Ulterranus ex inclyta civitate Ravennæ se contulit ad prædictum famosissimum Classis templum una cum omnibus, qui secum erant de familia sua in civitate. Illic autem assistente eodem Reverendissimo, de sancto Apollinare martyre Missa est solenniter decantata a vicario *b* congregationis, qui illic aderat, minister in cunctis. Subinde vero Reverendissimus ipse pluviali sericeo indutus, nec non et vicarius ipse, planeta sacerdotali deposita, induit pluvialem; sicque omnes processionaliter incessere prælati scilicet atque monachi, et familiares ipsius Reverendissimi, et Ravennates quidam cum luminaribus et thure (ut moris est) universi pariter concinentes hymnum, qui incipit, Veni creator Spiritus; donec ad locum, ubi jacebat sanctissimum corpus, perventum est. C

nec non modi,

16 In loco autem, ubi latebant sacræ reliquiæ, subterraneo quippe ac valde humido, magna cum reverentia consedit colendissimus ipse, qui et vicario antedicto perbenigne dixit, ut quæ in aqua erant ossa beatissimi Martyris, colligeret, sibique exhiberet eadem, in capsam ibidem appositam reponenda. Hac ergo de causa jussa capessens vicarius, ipse, pluviali deposito, et podere *c* albo dumtaxat et rubea stola præcinctus, accessit ad foveam aquosam cœnosamve; seque devote inclinans, ossa ipsa educebat sigillatim ex eo limo, qui erat in fovea, eademque sistebat in manu Cardinalis; sicque illa pariter ambo in capsam lariceam *d* illic præparatam deponebant. Stabant autem ad latera vicarii diaconus et subdiaconus vestiti solenniter cum luminaribus et incenso; et hi vicarium ipsum, ut poterant, adjuvabant. D

quibus sacræ exuviæ,

17 Ipse enim vicarius super asserem ligneum altero innixus pede, in aquis ferme pendulo, altero se sustinebat in petra. Cum vero se inclinaret ad ossa capienda, ne laberetur in cœnum, capite quidem et humeris ac læva annitebatur superiori muro, quem ipse subibat, cum ad ossa extrahenda se illuc dimisisset. Aqua autem illic jugiter scatebat. Quapropter astabant ministri duo, qui cucumis *e* et lagenis ipsam asportabant, ut illic ossa cuncta per aquam dispersa trahi potuissent, quæ eadem ut a vicario sumebantur, sic exhibebantur pariter Reverendissimo; subinde vero in capsam mittebantur.

ex loco neglectissimo;

18 Ossa autem istæc inordinata admodum atque incomposita habebantur, in luto cœnoque dispersa, et aquis obruta, atque summersa: quatenus piscari propemodum ossa illa vicarius videretur in gurgustio *f*. Ossa autem ipsa reperta sunt super alabastri lapide sita, limoque tali operta, ut cinis ferme madidus esset: quod aqua illa nec inficeret, nec fœteret cœni instar, sed ablueret magis, perinde acsi lixivium esset: alabastrum vero ipsum velut tabula erat longitudine pedum quatuor, latitudine pedis altitudine, duorum digitorum; quod ipsum ubi e cloaca illa eduximus, et aqua eadem continue insurgente abluimus, pulcherrimum apparuit atque perspicuum, ut transpareret hinc inde oppositum lumen, acsi vitreum foret. Inventa est insuper illic et pars alabastri quædam minuscula, veluti appendicium quoddam ad præmissum, pedis unius et semis. Nam pars illa antedicta grandior, non fuerat forsitan longa satis ad ossa retinenda. E

e quo

19 Super ossa autem ipsa et limum aquamque labentem erat catenula quædam in amygdalarum speciem fabrefacta; ænea siquidem et aurata ad sacri corporis ornamentum pariter et tutelam. Hæc vero fracta erat in partes plurimas, et tota pene dispersa per aquam: quam tandem vicarius ipse expiscans eduxit, misitque in prædictam capsam una cum alabastro illo et ossibus conservandam. Sed et super hanc ipsam erat craticula ferrea, laminis latioribus acta, quæ quoniam recens videbatur, neglecta est, minimeque in capsam cum aliis sacratissimis reliquiis posita, sed appensa ad murum capellæ majoris post dies aliquot, ubi et existit usque in præsentem diem. Ut vero meminimus pridem, aqua illa cœnumque cloaceum, quæ illic ossibus admixta erant, nequaquam inficiebant fœdabantque aut fœtebant (utpote * limus efficit, alibi qui videtur) quin imo purgare ea videbantur lixivii more: aqua nempe ipsa subalbida erat, terra autem quasi cinis madidus. F

* sicut

extractæ sunt.

20 Nullus propterea ibi fœtor, qualis utique in locis cœnosis esse solet sub terra: omnia vero illic ita se habebant, ut Reverendissimus ipse una cum ceteris sibi assistentibus, nonnullisque cantantibus hymnos et psalmos, labore, tœdio, fastidioque nullo frangerentur quasi per tres horas et sesqui; quin jucunditate, lætitia gaudioque magno affici ibidem viderentur. Ceterum Reverendissimum ipsum suppudebat pigebatque,

A gebatque, quod tamdiu remansisset incultum corpus Martyris beatissimi. Præcepit autem iterum atque iterum, ut vicarius ipse diligenter et studiose perquireret, ne quid ossiculorum remaneret in cœno : hic vero qua valuit diligentia perquisivit, ac manu propria persæpe revolvit limum sub aqua sursumve; quotquot autem reperit ossium frustula, tot eidem Colendissimo præbuit, et, eo jubente, ea in capsam collocavit.

et summa cum diligentia collectæ, et elevatæ,

21 Cum vero pervestigasset diutius, et terque quaterque cœnum illud hac de causa manu satagente revolvisset, nullumque os amplius inveniret, jubente eodem Reverendissimo vicarius ipse unaque diaconus et subdiaconus antedicti, sustulerunt ipsam reliquiarum capsam, et in lucem de specu prodeuntes, extulere beatissimum corpus, omnibus processionaliter redeuntibus, simulque canentibus Te Deum laudamus. Sicque cuncti pariter pervenerunt ad altare majus, super quod capsam ipsam honorifice posuerunt. Post hæc autem incensata capsa, dictaque interim oratione dominica, Reverendissimus ipse, ut supra, pluB viali indutus, accessit ad divi Apollinaris corpus, ibique Sancti ipsius orationem cecinit, commutans nihilominus nomen festivitatis in translationem.

concessis indulgentiis, et re, quæ erat acta, conscribi jussa.

22 Data vero cunctis benedictione (ut moris est) a pontifice, vicario præcepit Cardinalis ipse, ut suo nomine universis et siugulis indicaret atque indiceret, ut quotannis translationis hujusmodi memoria celebretur hac eadem die secunda mensis Aprilis cum hoc spirituali stipendio, ut centum dierum indulgentia haberetur ab universis et singulis, qui ipsum famosissimum Classis templum hac ipsa die III, hujus translationis memoriam visitarent. Sic itaque et vicarius ipse exposuit alta voce publice coram omnibus de mandato hanc ipsam Cardinalis reverendissimi voluntatem. Postea vero præcepit Colendissimus idem vicario antedicto, qui acta hæc omnia sigillatim distincteque conscriberet, eademque in formam publicam et authenticam ageret ad perpetuam rei memoriam, et ad posteros instruendos : quod ipsum vicarius prædictus excepit acC turus ex obedientia.

Restaurantur antiquæ laminæ, quibus additur nova de hac translatione.

23 Quia vero in laminis quibusdam antiquissimis nonnulla continebantur de Sancto isto, prout patet in ipsis, quæ inter reliquias habentur in abbatia Classensi; ideo jussit Reverendissimus ipse, ut illarum trium laminarum verba rursus celarentur, addita et quarta lamina, in qua de hac ipsa hodierna translatione tractatur : sicque una claudantur omnes in loculo marmoreo, ubi corpus sanctissimum in capsa laricea conclusum est. Quæ quidem omnia vicarius ipse promisit, se esse facturum.

Hujus instrumenti fides juramento firmata.

24 Et propterea vicarius antedictus, qui sum ego frater Paulus Orlandinus de Florentia, in actis superioribus sæpe citatus, quoniam præsens sui, universorum bajulus et minister, ut præscripsimus; has pateutes litteras feci fieri, jurans utique in auimam meam, Deumque ipsum in testimonium advocans, quod suprascripta omnia vera sunt, et, ut scribuntur, gesta fuerunt, in verbo veritatis. In quorum omnium et singulorum fidem has patentes litteras fieri fecimus; et divi Michaelis sigillo roboravimus. Has autem dedimus die decimo mensis Septembris anno Domini millesimo quingentesimo decimo sexto in monasterio sancti Michaelis de Murano; ubi nunc abbatem ago, licet indignus, ex obedientia tamen generalis capituli nostri, ut placuit patribus diffinitoribus de anno præsenti. EX MS.

ANNOTATA.

a *Sedit anno* 1503 *a die* 31 *Octobris usque ad* 21 *Februarii* 1513.

b *Nomen suum, etc. exprimit paulo post, num.* 24; *quod et nos supra.*

c *Est alba, indumentum sacrum, a Græco* ποδήρης, *quia ad pedes usque protenditur. Vide Hierolexicum a Dominico et Carolo Macris editum.*

d Lariceus *derivatum a larix, quæ est arboris genus, cognatum abieti et pino, etc. Vide Plinii Historiam naturalem lib.* 16, *cap.* 20; *quæ, sicut ibidem habet,* nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi consumitur, quam lapides. *Ad hæc, nullam quantumvis longa senecta cariem sentire dicitur : nam teste Plinio ibidem cap.* 18: Larix.. materies præstantior longe, incorrupta vis humori contumax. *Cito hic Plinium, elegantissimis ac nitidissimis typis editum Venetiis, et in pergameno quidem, anno* 1469; *de cujus editionis laudibus uti et illius, qui librum nobis donavit, diximus in præfatione ad Usuardum a paucis annis illustratum, pag.* XLII. *Porro arbor ista* abundat circa Padi ripas *(sicut est apud Ambrosium Calepinum in Dictionario octolingui, anno* 1647 *Lugduni edito, ad vocem larix)* et maris Adriatici littora; vix alibi nota. E

e Cucuma *quid sit, habes in hoc tomo supra in annotatis pag.* 252 *littera* f.

f *Vox illa Latinis usitata et sumpta pro parva casa, hic transfertur metaphorice, ut significet parvam casam seu receptaculum piscium. Consule Cangium.*

CAPUT III. F

Tribus laminis ad Sancti corpus jam pridem conseplultis additur quarta de præsenti translatione. Peroratio ad faciendam fidem.

Laminæ antea ad Sancti corpus consepultæ : quarum prima. a

Nota. Verba trium laminarum argentearum subscriptarum, quæ fuerunt a Christianis consepultæ in testimonium Martyris beatissimi, hæc sunt *a*. Prima lamina : « Ortus ab Antiochia beatus Apollinaris, a summo Apostolorum Principe missus est Ravennam prædicare baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; ibique per eum Dominus virtutes multas operatus est : uam cæcos illuminavit, paralyticos curavit, mutos loqui fecit, dæmones fugavit, mortuos suscitavit, leprosos mundavit; simulacra et idolorum templa dissolvit. »

Ex ms. secundæ

26 Secunda lamina : « Hic fustibus cæsus est « diutius ; super prunas stetit nudis pedibus ; « eculeo appensus denuo verberatus ; super pla- « gas aquam suscepit fervidam : cum gravi pon- « dere ferri in exilio relegatus, ore saxo con- « tuso. Defunctus est sub Vespasiano augusto, « decimo Kalendas Augusti, regnante Domino « nostro Jesu Christo cum Patre et Spiritu san- « cto in secula seculorum. Amen. »

ac tertiæ verba proferuntur ;

27 Tertia lamina : « Hic requiescit sanctissi- « mum corpus beatissimi Apollinaris, sacerdotis « et martyris Christi : quod vero hic deest, in « hac eadem ecclesia ob maximam cautelam re- « conditum est. » Has autem laminas, ut diximus, cum corpore sacratissimo conditas, invenit olim ad ossa beatissimi Apollinaris Ildebrandus, reverendissimus sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis et legatus Apostolicæ Sedis ; qui accessit quondam ad prædictum famosissimum Classis templum, inquisiturus an illic haberetur corpus hujus sanctissimi Martyris : quo quidem ibidem reperto una cum laminis istis in ecclesia

B

antedicta Apostolica auctoritate edixit et publicavit, quod in hoc eodem templo corpus istud sanctissimum esset ; silentiumque indixit omnibus aliter sentientibus.

uti et quartæ, quæ occasione hujus translationis prioribus tribus adjecta fuit.

28 Pro hac autem translatione nunc nuperrime, ut superius scribitur, celebrata, additur quarta lamina, cujus siquidem verba sunt hæc : « Reverendissimus dominus Franciscus Sotheri- « nus de Florentia, basilicæ duodecim Apostolo- « rum presbyter Cardinalis, accepta auctoritate « ab Apostolica Sede, accessit ad hoc Classense « cœnobium ; et sanctissimi Apollinaris ossa per- « multa hinc a subterraneo specu ac ex aqua li- « moque eduxit ad sublime in capsam ligneam, « quam eamdem in arcam hanc marmoream re- « condi mandavit : præcipiens ut translatio hæc « quotannis celebraretur a posteris ; sub stipen- « dio dierum centum de indulgentia. » Actum anno Domini millesimo quingentesimo undecimo, Aprilis die secundo.

Conclusio a fide instrumenti.

29 Peroratio. Hæc vero omnia complevi et manu infrascripti cancellarii nostri transcribi feci in verbo veritatis Ego idem frater Paulus

C

Orlandinus de Florentia ; qui tunc temporis vicarium congregationis agebam, nunc vero abbatem sancti Michaelis de Murano de Venetiis, Camaldulensis Ordinis, Torcellanæ diœcesis, de anno Domini millesimo quingentesimo decimo sexto, die decima mensis Septembris..... Et ego domnus Joannes Franciscus de Balneo reverendissimi domini Petri Delphini generalis Camaldulensium cubicularius, et reverendi domini Pauli Orlandini abbatis ad hoc cancellarius de mandato, etc.

ANNOTATA.

a *De tribus hisce laminis obiter egimus in Commentario prævio, num.* 21 : *quæ et videri possunt apud Fabrium sæpissime jam citatum : discrimen vero, prout verba ibi referuntur, cum hoc textu collata, adeo exiguum est, ut observari non mereatur. Conferri etiam hic potest cum eo, quem paullo ante dedimus in historia inventionis.*

D

ANALECTORUM PARS V.

Sintne S. Apollinaris hodierni exuviæ sacræ ad quædam loca Germaniæ ac Belgii translatæ?

DISSERTATIO PRÆVIA.

§ I. Notitia istarum translationum, ac nostrum de iis judicium.

Plures translationes S. Apollinari hodierno adscriptæ,

V*olunt Remagenses, territorii Coloniensis incolæ, corpus* S. Apollinaris, *episcopi Ravennatis, ad se Ravenna delatum fuisse eo modo, qui in dandis paulo post documentis exponitur. Verum ex iis, quæ diximus in Commentario prævio,* § 2, 3 *et* 4,

E

possessionem hujus sacri depositi stare penes Classenses, adeo solidis testimoniis evincitur, ut non videam, quid vel in speciem contra afferri queat, quod illam infirmet, nedum evertat. Consulat ea lector, et, seposito partium studio, mature expendat ; fallor, si quidquam amplius desiderare possit, ut prudenter et secure, fideque historice probabilissima pro Classensibus pronuntiet. Interim ne quidquam in præsenti argumento præteritum aut dissimulatum videatur, juvat proponere, quo Remagenses fundamento nitantur.

sed debili auctoritate nixæ

2 *Eorum patronum agit noster Hermannus Crombach historiæ Trium Regum Magorum tomo* 3, *lib.* 2, *capite* 40, *solis potissimum testimoniis nixus, quæ ex narratione Theodorici Pauli, infra subjungenda, transcribit. Quidquid itaque translationem Remagensem spectat, unice fundatur in auctoritate prædicti Theodorici. Idem statue de Dusseldorpiensi, Sibergensi ac Gorcomiensi : quarum omnium narrationem ipse contexit. Habemus illam manu transcriptam ex editione Coloniensi Petri Quentelii, anno* 1526 *impressa : ex quo apographo dabuntur ea, quæ per decursum ex isto auctore pro-*

F

ducemus. In prologo itaque suo ita ille loquitur : Quæ quidem ego Theodoricus Pauli, presbyter minimus, et licet indignus, vicedecanus tamen ecclesiæ SS. Martini et Vincentii in... oppido de Gorinchen *(Gorcomiensi)* Trajectensis diœcesis, in quibusdam libris, munimine sigilli venerabilis patris et domini, domini Joannis de Arckel, episcopi Trajectensium postea Leodiensium ecclesiarum roborata, legendo reperi.

rejiciuntur

3 *Atque hæc spectant ad translationem brachii* S. Apollinaris *ad Gorcomienses. De aliis vero scribens,* quæ corporaliter visitando reliquias ipsius in Remagen et in Sibergh, Coloniæ, et in Dusseldorp legi, *inquit,* et a venerabilibus personis fide dignis audivi, et in veritate comperi. *Sed quo auctore, quo tempore, qua fide erant illa scripta, quæ legit? Novane, an antiqua ; genuina an spuria? An agebant de solis miraculis, per has reliquias patratis, an de modo etiam ac serie, qua illæ, ut volunt, translatæ sint? Plusculum certe auctoritatis opus erat, ut lectori non nimium credulo*

AUCTORE J. P.

A dulo credibile fieret hoc factum, quo non parva aliqua corporis pars, sed vel totum corpus, vel pars saltem ejusdem maxima Ravenna Mediolanum, et inde ad Remagenses ac Sibergenses avecta esse asseritur, contra tam antiquam ac variis successive seculis probe stabilitam Classensium possessionem.

Miracula tamen subsistere possunt, etiamsi per reliquias Sancti alterius patrata sint.

4 *Si vero ea, quæ* legisse *se, et* a venerabilibus personis, fide dignis audivisse, et in veritate comperisse *Theodoricus affirmat, intelligenda sint de miraculis; neutiquam ipsi in eo refragabimur: nam facile admiserimus, sacra ista pignora vere esse vel alicujus Sancti synonymi, vel anonymi e cryptis sacris extracti, cui illud nomen deinde impositum fuerit: qua in re sæpe agunt partes suas affectatio Sancti præ reliquis celebrioris et antiquioris. Videri interim possunt ea, quæ jam pridem dicta sunt circa corpus S. Bobonis ad diem* XXII *Maii, pag.* 189; *ubi de præsenti etiam controversia agitur. Ac ne longius abeamus, consulesis Commentarium prævium S. Margaretæ virginis et martyris* XX *hujus,* § 3, *et appendicem post Acta; item ad diem Commentarium prævium ad Acta S. Chri-* B *stinæ virginis et martyris die* XXIV *hujus,* § 3, *uti et translationes, quæ post illa dantur.*

Falsitatis arguitur fundamentum istarum translationum tam ex silentio aliorum,

5 *Deinde edisserant nobis, qui hanc translationis narrationem tamquam veram et sinceram credi volunt, quisnam auctor idoneus tradat,* S. Eustorgium, archiepiscopum Mediolanensem.. transtulisse.. a Ravenna maximam partem corporis S. Apollinaris, primi illius loci archiepiscopi et in ecclesia Ambrosiana.. collocasse, *prout Theodoricus narrat. Ego certe, in rebus ad Sancti nostri translationes attinentibus non segniter occupatus, nullum hactenus offendi, cui illud affirmare in mentem venit. Quod si locus ille, quo primo transvectum, et unde ad Remagenses avectum fertur istud corpus, nullo modo suaderi queat; sequitur, ut fundamentum totum vacillet istius translationis, neque dici commode possit, unde et a quo eadem peracta fuerit. Adde, quod tota ista historia aliis laboret incommodis, uti planum fiet ex annotatis. Nec vero multum ejusdem fidem commendat exigua auctoritas Theodorici, qui rem gestam litteris prodidit.*

quam ex charactere auctoris, qui eas tradit.

6 *Brevissime de eo meminerunt Valerius Andreas in sua Bibliotheca Belgica, et Vossius in historicis Latinis. Floruit autem medio circiter seculo* C XV. *Ad Vitam S. Barbaræ virginis et martyris apud Surium die* IV *Decembris ponitur miraculum, ab isto auctore, qui interfuerit præsens, conscriptum; quod miraculum contigisse ibidem scribitur anno Christi* 1448. *Servamus duo ejus volumina Mss. Chronici universalis, in quibus mole vastissimam, rerumque varietate locupletissimam farraginem coacervavit: unde colligitur vir fuisse magni laboris, multæ lectionis, ac scientiæ, ad varia hominum, locorum, argumentorumque gesta diffusæ atque extensæ: at sive nimium fuerit simplex ac credulus, sive nimium avidus, quam caute circumspectus rerum, quas collegit, coacervator; cerne sine sufficienti indagatione ac delectu non pauca adoptavit, majorem utique laudem meriturus, si non tam de vasta plurium rerum mole, quam de contracta pauciorum accuratione laborasset. Id exemplis confirmare supersedemus. Historia certe præsentis translationis crisi non modica indiget, ubi auctor gesta recenset tot seculis a sua ætate distantia. Aliud statue de rebus, quibus vel tempore vicinior fuit, vel quas vidisse se asserit, vel præsentem se iis interfuisse testatur, (cujusmodi infra non paucæ occurrunt) plenam ibi fidem meritus.*

Verosimilior est translatio Gorcomiensis, suis tamen non carens difficultatibus.

7 *Sunt tamen in translatione brachii* S. Apollinaris *ad Gorcomienses, tametsi uno tantum seculo ab auctoris nostri ætate distante, nonnulla, quæ sine alio teste vix nobis persuaderi possint; ut puta quæ refert de apparitione Sancti, quæ Joanni de Arckel, episcopo Trajectensi, in Italia degenti, contigerit, ut videre est inferius num.* 28. *Adde quod non exprimat, an brachium integrum, an magna pars, an frustulum dumtaxat ad Gorcomienses pervenerit. Si velit brachium integrum, aut maximam ejusdem partem; non continuo nobis suadetur, illud esse hodierni* S. Apollinaris, *sed vel alterius synonymi, vel aliunde extracti, et sub isto nomine assumpti, ob ea quæ loco supra designato de corpore Sancti, ejusque partibus integrantibus, ac brachiis potissimum disputata sunt, et porro dicentur paullo post de translatione Mediolanensi, quæ merum est figmentum. Quidquid infra num.* 21 *Fortanerius, brachii istius donator,* sub charactere sui sigilli E eas tales veras esse reliquias cunctis roborasse et affirmasse dicatur.

§ II. Alia circa hasce translationes expediuntur.

Difficultates sibi objicit Crombachius, non solvit.

A*tque hæc quidem circa venerandas hodierni, ut volunt, Ravennatis Præsulis exuvias consideranda proponimus, solo veritatis, non partium studio ducti. Responsio ad difficultates, quas ex Rubeo sibi objicit Crombachius loco citato, pag.* 665, *peti potest ex Commentarii nostri prævi* §§ 2 *ac* 3. *Objicit sibi insuper Mediolanenses, qui negaturi sint, veteres annales translationis Ravenna Mediolanum* S. Apollinaris *meminisse. At non satis apposite sic respondet:* Quia constat, nihil istarum reliquiarum ibi superesse, posteriores id neglexisse videri. *Paucula, quæ superaddit, adeo debilia sunt, ut referre illa, operæ pretium non sit. Postquam vero frequentissimum populi concursum ad* S. Apollinarem *subjunxisset ex Theodorico:* Nostro vero, *inquit,* tempore octo, duodecim, quandoque sex- F decim hominum millia confluunt; nec adnotari præ multitudine prodigia possunt.

Quid sit dicendum circa tibiam Sancti,

9 *Sed in eo nulla est difficultas. De magna parte corporis e monte S. Martini, nunc* S. Apollinaris, *apud Remagenses tempore Wilhelmi Juliacensium ducis ad ecclesiam collegiatam Dusseldorpiensem translata, ut putatur, anno* 1383, *videri potest idem Crombachius pag.* 665. *De tibia una Romam ad collegium Germanicum a Dusseldorpiensibus missa, scribit ex dictæ ecclesiæ collegiatæ libro Ms. his verbis:* In capsa, quæ est desuper rubea, reservatur corpus S. Apollinaris, episcopi et martyris sine capite; anno autem Domini MDLXXXIX, die VI Martii, ad multas preces clarissimi viri Theodori Horstii, satrapæ hujus loci, et collegii nostri singularis fautoris, capsam S. Apollinaris præsentibus decano et capitularibus aperuimus, inque ea sericis involutas, in hoc catalogo descriptas reliquias invenimus; sed præcipuam partem ossium S. Apollinaris, non tamen omnia, in ea contineri

AUCTORE J. P.

contineri vidimus. Præterea ut Romæ sanctissimi hujus Martyris memoria in collegio Germanico, S. Apollinari consecrato, cum majore veneratione colatur; alteram tibiarum cum consensu summi Pontificis, et illustrissimi principis, justo ad hoc documento dato, per filium prædicti Horstii, canonicum Trevirensem, Romam misimus. *At satis patet, quo loco Classenses, tam solidis et antiquis circa possessionem sacrarum* S. Apollinaris *hodierni exuviarum documentis instructi, illam adeo ingentem reliquiarum massam habituri sint.*

aliosque reliquias ejusdem, ut volunt, Romam missas.

10 *Duo postea sibi Roma esse submissa ex illo ipso collegio documenta, testatur idem Crombachius pag.* 666, *quorum alterum erat sequentis tenoris :* Sunt prætcrea ossa quinque S. Apollinaris ex Germania ad collegium transmissa cum publica fide partim ab archiepiscopo et electore Coloniensi, partim a capitulo et decano ecclesiæ B. Mariæ Virginis Aquisgranensis; partim ab abbatissa monasterii S. Joannis Baptistæ Porcetensis, diœcesis Coloniensis ; partim denique a monasterio virginum Clarembergensium in comitatu Montensi. Adservantur autem in capsulis partim in ligneis quidem, sed elegantissime auro et argento elaboratis, et in brachio argenteo. *Alterum documentum hæc continebat :* Anno Domini MDLXXXVI, die III Junii nobilissimus et clarissimus D. Jacobus Curtius, S. Cæsareæ Majestatis intimus cubicularius, a Rodulpho cæsare ad Sixtum V legatus, consignavit R. Patri Michaëli Lauretano rectori V. collegii Germanici et Hungarici sacras reliquias brachii S. Apollinaris. Legato autem prædictæ reliquiæ traditæ sunt a P. Joanne Vivario Aquensi, regente collegii Societatis Jesu convictorum Pragensium. Prædicto patri traditæ fuerant a N. et R. D. Francisco Joss. legato misso ad Rodulphum cæsarem Pragam religionis causa ab illustrissimo duce Clivensi. *Verum quid de tanta reliquiarum sancti, uti volunt, nostri* Apollinaris *coacervatione sentiendum sit, abunde liquet ex dictis.*

Solemnis Sancti veneratio

11 *Ad notitias circa Sancti lipsana, ab amplissimo domino Thoma Wendelen, decano capituli Dusseldorpiensis, anno* 1667 *submissas, sequentia spectant, eodem, nisi fallor, tempore et ab eodem decano subministrata :* Anno MCCCXCII dum prælibata Dusseld. ecclesia ex parochiali simul in collegiatam auctoritate Apostolica erigeretur, et per ducem Montensem Wilhelmum, et Annam Bavaricam conjuges, præpositura decanatus, scholasteria, thesauraria, et cantoria præter sex alios decem canonicatibus, etc. augeretur et fundaretur; in ipsis litteris, et instrumento fundationis nostræ, per præfatum ducem erectis, auctoritate Apostolica, et a Friderico archiepiscopo Coloniensi, anno MCCCXCII confirmatis, sancitum est et ordinatum, ut ipso die festo S. Apollinaris tumba venerationi publicæ exponenda, solenniter in processione per totam urbem deportaretur.

apud Dusseldorpienses.

12 Quod ab illo tempore in hodiernam usque diem magna populi devotione, ex vicinis civitatibus concursu, comitante universo clero et religiosis, quotannis observatur. Loculus autem et sarcophagus dicti Sancti in choro canonicorum super altare majus in omnium oculis visendus et colendus semper patescit. Est autem gloriosus martyr et episcopus Apollinaris asylum, ad quod hujates incolæ in omnibus publicis privatisque necessitatibus et periculis securissime confugiunt, uti elapso anno MDCLXVI, et anno MDCXXXV, grassante undique peste, cum urbis nostræ conservatione compertum fuit. *Verum ad paulo ante dicta iterum regrediamur.*

Tibia Sancti prædicta honorifice Romæ asservatur :

13 *Tibia ista altera a Dusseldorpiensibus Romam ad collegium Germanicum missa (de qua num.* 9) *ibidem notatur,* esse illa, quam dein eminentissimus ac serenissimus princeps ac DD. Franciscus S. R. E. Cardinalis, episcopus Ratisponensis et Osnabrugensis, etc. argenteæ statuæ ; quæ reliquis aliarum ecclesiarum meo tempore *(inquit idem, ni fallor, decanus supra citatus)* anno MDCXLVII Romæ in magnitudine eminebat, includi fecit, dedicavitque in honorem Patroni sui : cujus olim in eodem collegio alumnus exstitit etc. *Atque hæc pauca ex supradictis notitiis delibare placuit : nam quod in eisdem dicitur,* pacata persecutione Christianorum, præsertim tempore Constantini M., ejusque successorum, famam miraculorum S. Apollinaris longe lateque divulgatam, et instantissimam petitionem episcopi Ravennensis Damasum PP. (*post medium seculi* IV) permovisse, ut Salustianum archiepiscopum et N. Roma Ravennam amandaret :

cujus rei documento quædam apocrypha inserta sunt.

14 Qui una cum ejusdem urbis episcopo et clero prope Clusam loculum ligneum D. Apollinaris aperuit, et SS. reliquias eburneo sarcophago inclusas, in cathedralem ecclesiam urbis Ravennensis maximo devoti populi applausu transtulit. Miracula, quæ in translatione sancti Præsulis acciderunt enumerat Damasus PP. lib. 10 in fine. *Quod, inquam, hic refertur nullius auctoritate suffultum, tam nos approbare non audemus, quam scripta, quæ sub Damasi nomine circumferuntur (de quibus bibliographi.) Quæ, si pauca fortasse carmina excipias, tamquam apocrypha habentur ab eruditis.*

§ III. Translatio Ravenna, ut volunt, Mediolanum, quæ aliarum hic sit fundamentum; auctoris hallucinationes; e cujus narratione fragmenta quædam dantur.

Nonnulla in textu hic omissa, quæ alias convulsa sunt,

Titulum De translationibus reliquiarum corporis S. Apollinaris a Ravenna in Gorinchem, et in aliis diversis locis, oppidis et monasteriis, *in Ms. nostro notatum, subsequitur Prologus ; quem hinc amandamus, una cum subjecta ei narratione, qua vult Theodoricus Pauli, sanctorum Trium regum Magorum corpora, Constantinopoli per S. Eustorgium, episcopum Mediolanensem, avecta esse Mediolanum : quæ res præterquam quod huc loci minime spectet, jam pridem tamquam fabulosa a nobis rejecta est in Exegesi de episcopis Mediolanensibus ante tomum* VII *Maii, pag.* LX. *Commentum illud iterum reprobatur die* VI *Junii, pag.* 644. *Quæ satis est in præsentia vel obiter indicasse : tota namque ista controversia alias fortasse iterum expendi poterit; vide, quæ dicta sunt, hac die* XXIII *Julii*

A *Julii in Prætermissis. Quædam interim ex dicto auctore delibemus puncta, non satis recte cohærentia; e quibus planum fiat, quam debili fundamento nitantur omnes, de quibus hic tractamus, translationes; quando uni isti Mediolanensi inniti intelliguntur.*

Auctoris hallucinationes,

16 *Pessime imprimis Theodoricus Pauli affirmat, S. Eustorgium, fuisse* legatum Manuelis imperatoris Romanorum et Constantinopolitanorum sive Græcorum. *Etenim Manuel I, non Romanorum sed Constantinopolitanorum imperator, ad seculum* XII; *secundus vero ad seculum* XIV *spectat. Numquid igitur belle utervis eorum cohæret cum S. Eustorgio sive primo sive secundo; quorum ille floruit seculo* IV, *hic autem seculo* VI, *ut videre est locis paulo ante assignatis? Qualem ergo fidem meretur hujusmodi auctor? quando mox ad* S. Apollinarem *digressus, asserit, quod* idem S. Eustorgius archiepiscopus Mediolanensis..... collectis multis reliquiis Sanctorum..... transtulerit..... a Ravenna maximam partem corporis S. Apollinaris, primi loci illius archiepiscopi et martyris, et in ecclesia Ambrosiana cum jubilo et ineffabili gaudio totius populi B utriusque sexus decenter collocaverit.

plurima comminiscentis,

17 *Deinde autem exponit modum, quo intercepta a Frederico imperatore I urbe Mediolanensi, Reinoldus, Coloniensis archiepiscopus, transtulerit inde Coloniam Agrippinam anno* 1164 *corpora Sanctorum trium Regum cum corpore* S. Apollinaris *nostri, ac corporibus SS. Felicis et Naboris martyrum. De Tribus Regibus satis id hodie in confesso est. Sanctus autem noster perperam hisce est adjectus. De SS. Nabore et Felice spinosa Colonienses inter et Mediolanenses est controversia : quorum utrimque proferuntur argumenta ad diem* XII *Julii, a pag.* 272. *Si vero alicui, cui editio Quenteliana citata ad manum non est, placuerit legere textum Theodorici, cujus synopsin hic dedimus, adeat Crombachium loco citato pag.* 664. *Paucula addimus ex eodem Theodorico in compendium contracta, quæ integra idem exhibet Crombachius :* Cumque idem... archiepiscopus eadem gloriosa corpora..... per Rhenum Coloniam transferre disposuerat, et navis in profesto S. Apollinaris... in diœcesi Coloniensi apud Remagen in medio Rheni fluctuaret... C ecce navis in medio Rheni immobilis quasi in arido stetit fixa... Cum idem archiepiscopus vovisset Deo, quod si in eadem navi essent reliquiæ aliquæ, quas Christus ad illum locum destinasset, libentissime illic sese [eas] esse relicturum : protinus navis..... applicuit, in eodem loco fixa permanens.

quæ nullam fidem merentur.

18 Portatis itaque extra navim corporibus... navis semper immobilis perstitit. Tandem exponunt corpus S. Apollinaris littori, aliis... in navim reportatis, statimque navis per se movebatur. Itaque intelligentes apostolicum Martyrem ibidem velle honorari, apponentes manum, ut ipsum in eamdem capellam portare vellent, statim campana angelico ministerio per se sonuit tamdiu, quoadusque sacratissimum corpus [in] eadem ecclesiola deportatum devote foret. Quod cum humili devotione super summum altare decenter et reverenter cum capsula locavissent *, relictis ibidem duobus honestis sacerdotibus ad custodiendum corpus sanctum, et ad divulgandum, atque ad certificandum veras esse reliquias. *Quæ omnia solidiore niti fundamento deberent, quam sola boni Theodorici Pauli auctoritate; tum illud etiam, quod addit,* statuisse eumdem archiepiscopum... festum S. Apollinaris, tum propter miraculum in Remagen factum; tum propter translationem corporum trium Regum, velut summum festum a cunctis Christi fidelibus in ipsa eadem diœcesi jugiter celebrari.

* locaverunt,

Alia quædam ex eodem de concursu ad Sanctum

19 Dum igitur, *pergit idem auctor,* cognitum ubique foret, quatenus S. Apollinaris ibidem in monte S. Martini quiescere seu pausare, et a Christi fidelibus frequentari vellet, veniebat de die in diem tantus concursus fidelium, ut capella eos capere non posset. Claruit denique et claret quotidie in eodem monte infinitis miraculis. Caduci enim voventes sese ibidem visitaturos reliquias sancti Martyris, statim sanantur. Insuper matronæ imprægnatæ sive partui vicinæ, voventes se cum oblationibus Deo et S. Apollinari prolem parturiendam offerre velle, statim incolumes pariunt. Et ideo omni anno in festo S. Apollinaris demptis viris et mulieribus peregere veniunt ultra quinque millia puerorum ad ecclesiam S. E Apollinaris in oblationibus.

ac miraculis;

20 Istis denique ubique divulgatis, scilicet quot tot ibidem integram sanitatem obtinerent, protinus adjutorio peregrinorum et præcipue domini de Lanscroen ibidem in eodem monte, sed in alio loco, priori contiguo circa publicam stratam sive regiam viam et latam ædificaverunt ecclesiam in honorem S. Apollinaris : et ex tunc et deinceps mons ille cum ecclesia dicebatur et appellatur per totam illam regionem mons sive ecclesia S. Apollinaris. Insuper ante summum altare extraxerunt pulchram lapideam tumbam sive archam; in quam cum magna solennitate venerabilis Bruno III de Dassale natus, quadragesimus episcopus Coloniensis, tempore Henrici V Romanorum imperatoris; et abbas Sibergensis decenter et honorifice atque cum magna devotione reliquias S. Apollinaris collocarunt.

ubi rursum nonnulla perperam combinat.

21 *Cratepolius in Electorum ecclesiasticorum catalogo pag.* 65 *ponit Brunonem III sedere cœpisse anno Domini* 1111, *qui est ibidem uti et apud Bucelinum in Germania sacra part.* 1, *pag.* 26, *numero quadragesimus sextus. Henricus imperator V notatur apud Labbeum coronatus dicto anno* 1111, *mortuus* 1125. *Somniat itaque hic Theodoricus, quando* F *personas in scenam profert, quæ annum* 1164, *cui translationem corporis pluries dictam innectit, vivendo numquam attigerunt; malus rerum, temporum ac personarum combinator.*

Conclusio nostra.

22 *Atque id causæ est, cur nullam sibi fidem facere possit historia tot erroribus respersa, idque nobis fecerit reliquum, ut ex tota ejus male consuta congerie paucula ista facta admittantur.* 1. *Corpus aliquod sanctum in territorio Coloniensi honoratum jam pridem fuisse sub nomine* S. Apollinaris *nostri.* 2. *Non nostri Ravennatensis, sed alterius illud Sancti esse.* 3. *Unde, quando, aut quo pacto illud eo devenerit, non constare.* 4. *Quasdam ex eo partes alio translatus fuisse.* 5. *Crebra denique ejusdem virtute patrata fuisse miracula. Præter hæc, quid de istis reliquiis satis tuto ac vere affirmari queat, hactenus non videmus. Si plura velint (et volent certe) earum patroni; incumbit ipsis suam, ut volunt, possessionem melioribus documentis comprobare, quæ tanti sint roboris, ut*

AUCTORE J. P.

ut eam, quam Classenses sibi adscribunt, valeant evertere. Quamquam vero ea, quæ Theodoricus nobis hic exponit de istis translationibus, quatenus narrat eas fuisse translationes reliquiarum S. *Apollinaris, qui hodie colitur, transcribi huc non deberent; tamen cum sint translationes alicujus saltem Sancti exuviarum, etiam miraculis honoratarum, et religiosissimo pariter ac numerosissimo populi concursu frequentatarum; neque alibi usquam aptius apud nos agi de iis posse videatur, quam hodierna die; textum ipsius hic producimus, rem in capita divisuri, annotatis etiam explanandam; eritque sequens textus prosecutio fragmenti præcedentis, quod habes superius et finitur num.* 20.

CAPUT I.

Translatio ac relatio, quas contigisse volunt in territorio Coloniensi.

Caput Sancti occultatum in Lanscroen a

Interea dum sanctissimum caput S. Apollinaris in castro de Lanscroen *a* occultatum fuerat, honorifice in capella ejusdem castri locatum, omnia prospere et ad libitum suum nobili Gerardo Domino de uno monte et de Lanscroen successerunt. Et quia mitra *b* S. Apollinaris attrita propter vetustatem et tenuitatem substantiæ fuerat: nam ut affirmabatur ibidem, erat eadem mitra cum superhumerali *c*, et nacto *d*, quam sibi S. Apostolus Petrus, ipsum Ravennam dirigendo, contulerat. Ideoque præfatus Gerardus, dominus de Lanscroen, cum nobili conjuge sua obtulit massam auri cum perlis *e* et aliquibus gemmis et serico, ceterisque ad mitram requisitis: ex quibus propriis expensis fieri procuravit novam bonam mitram super vetustam mitram, ut liquet adhuc intuenti.

ac deinde ad Remagenses relatum:

2 Et reportatum fuit honorifice et reverenter ad propriam suam ecclesiam supra montem cum aliis suis reliquiis per monachos sublatis ut dictum est. Itaque cum fama percrebuisset ubique, B. Apollinarem per prædictum ducem translatum a monte et ecclesia S. Apollinaris prope Remagen *f* in Dusseldorp *g*, idem abbas e contrario impetravit per totam civitatem Coloniensem, in Nuyssia *h*, in Bonna *i*, et in Remagen contrarium prædicari [superesse videlicet] unicuique venerandum caput ipsius, residuasque reliquias S. Apollinaris, sed hoc solummodo in monte ejus cum magna custodia propter metum præfati principis.

item reliquiæ ad monasterium Sibergense transvectæ:

3 Nempe dum contentio et guerra *k* prædictorum dominorum aliquo tempore continuata foret, et idem dux *l* quia sine auctoritate ecclesiæ temerario et sacrilego more reliquias S. Apollinaris transtulit pro parte, et adhuc residuas transferre satagebat; ecce illustris dominus Adolphus primogenitus suus cum cœpit, et sub custodia vivere cœpit contra jus naturæ. Quare Wilhelmus dux necessitate coactus, postponens reliquias transferre, pacem fecit cum præfato abbate. Quibus pacatis, cum adhuc idem abbas residuas reliquias S. Apollinaris auderet in sæpedicto monte dimittere, consensu venerabilis domini Frederici de Zarwerden *m*, sexagesimi *n* archiepiscopi Coloniensis transtulit de cella Remagensi sive monte S. Apollinaris ad monasterium Sibergense *o* cum magna solennitate, præsentibus Godefrido Winter, monasterii Sibergensis priore, Joanne de Mesdorp subpriore, et Rutgero thesaurario prædicti monasterii atque oppidi Sibergensis, anno Domini scilicet MCCCXCIV, Indictione tertia *p*, die Jovis, mensis Decembris tertia, hora meridiei vel quasi.

ubi una cum aliorum Sanctorum lipsanis decenter reclusæ sunt.

4 Deinde anno Domini MCCCCLX dominus Wilhelmus, abbas Sibergensis, pia intentione ductus, propriis expensis novam et pretiosam capsam, valentem ultra tria millia florenorum Rhenensium *q* exstrui ex argento et auro fecit: quam et inter capsam S. Annonis tricesimi secundi archiepiscopi Coloniensis *r*, sanctique Benigni *s*, ac S. Winboldi *t* confessoris, locari supra summum altare procuravit. Et ut amplius et condecentius venerentur reliquiæ S. Apollinaris, imposuit eidem capsæ os brachii S. Alexii *u* confessoris, cum quibusdam pluribus ossibus de eodem, propriis titulis ac notitiis insignitis, nec non aliorum plurimorum Sanctorum sine titulis prædictæ capsæ imposuit et condecenter reclusit: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui et honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Miracula apud Remagenses, a scriptore comperta.

5 Certe et vere valde gloriosum est mirabilia Domini nostri Jesu Christi enarrare, quæ per electos suos clementer operatur; quæ etiam animas eorum post mortem carnis cum ipso vivere, et æternaliter in cœlo regnare attestantur. Ideoque pauca de infinitis, quæ omnipotens Deus per sanctissimum suum martyrem Apollinarem in monte prope Remagen operari dignatus est, ad posteritatis memoriam describere decrevi. Quæ quidem ego præfatus Theodoricus Pauli presbyter anno Domini MCCCCLXIII, undecima die mensis Martii, in eodem monte S. Apollinaris legi, audivi et in veritate comperi.

Mulier quædam vineam depascens

6 Erat quædam mulier in oppido Remagen, Gertrudis nomine, procax ad maledicendum et multis ad nocendum, quæ multotiens intrans vineta præposituræ prope montem S. Apollinaris, multa damna uvas scindendo lignoque ferendo intulit eidem, nec per custodes vineæ coerceri quovis modo a vinea potuit. Tandem anno Domini MCDLIX in festo S. Ruffi martyris, dudum discipuli S. Apollinaris, rediens, ut prius, cepit uvas etiam invitis custodibus vineæ. Quod cum notificatum fuerat Cæsareo præposito montis S. Apollinaris; eidem occurrens primo eam benigne admonuit, ut desisteret a tali subtractione, et damna vineæ Sancti inferendo, ne vindictam Dei et S. Apollinaris in se provocaret. Quæ parvi pendens verba præpositi nihil curavit, sed semper magis in præsentia præpositi uvas scindendo ipsum derisui habuit.

punitur:

7 Sed cum præpositus eam dure increpando, ut desisteret, redarguisset, nec vellet, sed verbis scurrilibus præpositum malediceret, et blasphemaret, volens ergo præpositus eam violenter a vinea eliminare, cepit lapidem, volens e contrario projicere et percutere præpositum: mox ultio divina subsecuta est. Nam cum reclinaret se ad accipiendum lapidem, statim cecidit in terram, et correpta morbo caduco dire torquebatur. Ad se itaque reversa, compuncta imploravit omni modo

devotis-

A devotissime auxilium divinum, vovens Deo et S. Apollinari, quod de cetero numquam ad nocendum, proprietatem et possessionem intraret; et sic a suis peregre ducta, in ecclesia S. Apollinaris offerre arbitrabantur eam cum oblationibus Deo et sancto suo Martyri. Sed dum appropinquaret tumbæ S. Apollinaris, statim iterum arrepta morbo caduco cecidit. Et deinceps omni tempore, quanto amplius vexabatur. Quod audientes multi valde metuebant S. Apollinarem, non audentes aliqua damna proprietati ipsius inferre.

puer submersus resuscitatur: x

8 Anno Domini MCDLXI in festo S. Petri ad Vincula, fuit in oppido Syns *x* Coloniensis diœcesis, mulier S. Apollinari valde devota: quæ dum in partu prolem parturiendam, Deo et S. Apollinari vovisset peregre cum oblationibus offerre, ut consuetudinis est honestis matronis illius regionis, accidit, ut, dum puer erat sex annorum, iret lusum ad littus aquæ apud Syns; et cadens in aquam, absente matre, submergebatur. Quod cum matri post duas horas certificatum dolorose fuisset, femineo dolore mora valde ingemuit, sed divino nutu ad se reversa, spem et B fiduciam magnam habens in S. Apollinare, multum audientibus et gementibus, properans ad littus vovit, omni anno eum offerre S. Apollinari, quamdiu ipsa incolumis vivens, si eum meritis et intercessionibus suis vivum reciperet. Quo expleto, statim juvenis supernatare cœpit totus madidus, ac littori applicari. Quem vicini astantes cum gemitu et gaudio extrahentes elevaverunt, vivum matri suæ assignantes eum, ac Deo et S. Apollinari magnas gratiarum actiones persolventes.

paralytica, y

9 Eodem anno erat mulier quædam de villa Unckel *y*, per annum et amplius paralytica; quæ dum sibi humanam spem prodesse non videret, et dire torqueretur, petiit a suis, ut veheretur ad S. Apollinarem. Quæ dum circuiret tumbam ejusdem Sancti, videntibus multis et mirantibus, statim sanata repedavit gaudens et hilaris ad domum suam, Deo et S. Apollinari gratias agens indefessas.

item alia febricitans, z

10 Eodem anno erat quædam mulier de Lonsdorp *z*, per annum cum dimidio febricitans: quæ dum humano subsidio caruit, ad divinum accesC sit, vovitque peregre tumbam S. Apollinaris visitare. Quæ dum circuiret tumbam Sancti, peregrinatione cum oblatione facta, videbatur sibi, quod lotione aquæ frigidæ perfusa mundaretur; et statim sanata domum suam repedavit *aa*, et deinceps reliquit eam febris. Et omnibus diebus vitæ suæ S. Apollinarem valde honoravit.

vir leprosus, bb

11 Anno Domini MCDLXII leprosus quidam de Ryndorp *bb*, Joannes nomine, dum peregre visitaret in monte tumbam S. Apollinaris, et oscularetur sanctissimum caput S. Apollinaris, statim mundatus et sanatus remeavit gaudenter ad suos, Deo et sancto dilecto Martyri gratias agens.

et alter eodem morbo laborans sanantur. cc

12 Vir quidam dives et habitans in Verona *cc*, quæ nunc vocatur Bonna, Coloniensis diœcesis, Henricus Gratel, qui elephantino percussus morbo, demum a communi hominum habitatione sequestratus morabatur: qui audiens de miraculis S. Apollinaris, peregre illic devote migravit, ibique dum mente devota S. Apollinaris expectisset auxilium, omnimodum lepræ suæ meruit obtinere remedium. Nam osculando humiliter et devote caput S. Apollinaris, statim ab omni lepræ contagione mundatus fuit. Factaque post gratiarum actiones oblatione, hilaris et gaudens ad sua propria remeavit. Istud accidit anno Domini MCDLXII, sexta die Aprilis.

EX MS.

Vir quidam dd

13 Fuit in oppido Lyns *dd* vir quidam dives et bonus, consul et scabinus ejusdem oppidi. Qui cum quadam die cum suis conscabinis in prætorio ejusdem oppidi sederet ad habendum consilium invicem pro republica, permissione divina cadens cœpit horribiliter morbo caduco laborare; ceteri vero scabini sibi condolentes tractaverunt et custodierunt ipsum honeste et pie. Cessante infirmitate, ducebatur pudice et dolorose ad domum habitationis suæ. Sed quia persæpe infirmabatur eodem incommodo, ceteri scabini formidantes, nolebant sibi conversari, quamquam dilexerunt ipsum. Mansit igitur domi solitarius cum sua familia. Tandem consilio amicorum suorum accessit ad tumbam S. Apollinaris supra montem, faciens secrete suam peregrinationem, E sperans liberari a plaga præfata. Sed rediens domum, iterum ac iterum persæpe laborabat incommodo prædicto.

morbo caduco vexatus,

14 Amici vero sui hæc videntes perrexerunt ad Cæsareum præpositum montis S. Apollinaris prope Remagen, sciscitantes ab eo, cum multi caduci peregre visitantes ecclesiam et reliquias S. Apollinaris liberabantur ab illo incommodo, et sanabantur, et amicus eorum Joannes Guntel adimplevit peregrinationem suam cum oblationibus; attamen nullatenus liberatus fuit ab infirmitate sua. Cui præpositus: Complevit peregrinationem suam debite et humiliter sicuti alii peregrini faciunt; qui post peregrinationem faciunt se librari in statera *ee*? Responderunt: Ignoramus. Redeuntes ergo, cum didicerunt quod non fuit libratus in statera, dimisissetque hoc pro verecundia; mox altera die quidam canonicorum ipsum rursum duxerunt ad ecclesiam S. Apollinaris. Completaque sua peregrinatione cum oblatione et libratione, cum tertio circuiret tumbam S. Apollinaris, in quo olim reliquiæ sacrosancti corporis ejus fuerunt; nunc F vero caput ejus cum aliquibus costarum sancti corporis, protinus corruens in terram, cæcus effectus fuit.

a Sancto, qui ei apparebat,

15 Quod sui cernentes, condolentes sibi ingemuerunt. Et licet omnes humilibus precibus Deum et S. Apollinarem pro sanitate ipsius invocabant, nihil sibi profuit. Circa crepusculum dolenter ipsum ad oppidum Lyns reduxerunt. Mansit autem sic infirmus et cæcus duobus diebus ac noctibus sine somno, paucissimis utens verbis. Tertia vero die circa auroram somno pressus valde sudavit, invocavit tamen semper S. Apollinarem pro gratia sanitatis impetranda a Deo; cui sanctus Apollinaris, indutus pontificalibus, præsentibus multis amicorum suorum, exitum rei lugubriter præstolantibus [apparuit]. Qui S. Apollinaris oculos suos benedicens, tangensque cetera membra sua, acsi linisset ea; quo facto, cepit ipsum cum dextera sua manu, acsi voluisset eum Deo commendare recedens. Statim omnibus in camera videntibus, æger soporans,

extendit

EX MS. extendit brachium nudum cum manu, ut iterum manum suam sibi porrigeret; et statim, disparente S. Apollinare, æger a cœlesti medico sanatus, quasi a somno evigilans, lætus clamabat: Deo gratias, Deo gratias, et dilecto suo martyri sancto Apollinari. Sciscitantibus amicis causam tautæ improvisæ lætitiæ, respondit: S. Apollinaris me visitavit et sanavit totaliter, addens qualiter benedixit ipsum, tangens eum mauu sua.

sospitatur. 16 Adhuc eo loquente, ceciderant ab oculis ejus quasi squamæ parvorum pisciculorum, statimque clare vidit, et sanatus permansit. In signum et testimonium veritatis miraculi illius, collegit in præsentia astantium omues illas squamulas, repouens illas in parva capsula, cum quibus, et familia sua, et multis amicorum suorum lætus et devotus peregre perrexit ad S. Apollinarem supra montem prope Remagen, implens cum solennibus oblationibus suam peregrinationem in gratiarum actiones. Et squamulas cum capsula obtulit super summum altare S. Apollinaris, ubi magna in reverentia reservantur. Et B deinceps numquam passus fuit illam infirmitatem. Servivitque omnibus diebus vitæ suæ Deo et S. Apollinari, pergens peregre omni anno semel ad sanctum Apollinarem, laudans Deum et regratians S. Apollinari de adepta meritis et precibus ipsius pristina sanitate. Multa quidem et alia quasi innumerabilia miracula dietim fiunt ibidem, quæ ne fastidium lectoribus generarent, prætermitto.

ANNOTATA.

a *Locus iste jacet fere in vicinia pagi Remagensis; unde ex hujus situ mox indicando, illius topographia intelligitur.*

b *Totus ille pontificius apparatus, quatenus Sancto hodierno aptatur, nullam veritatis speciem præfert; majorem fortasse habet iste, quem apud Ravennates servari retulimus ex Fabrio* § 4 *Commentarii prævii, de quo tamen ipse viderit.*

c *Superhumerale est indumentum episcopale, vul-* C *go pallium, aliquando stola. Vide Hierolexicon a Macris editum.*

d *Cangius in Glossario Latino observat, hac voce significari stragulum, quo totius equus insternitur. Hic autem metaphorice videtur accipi pro stragulo seu casula, totum corpus pontificis aut sacerdotis ambiente.*

e Perla *barbarum (Gallice* perle*) pro unione.*

f *In mappa topographica archiepiscopatus Coloniensis Blaviana scribitur* Rimmagen, *quod situm est ad Rhenum, fere ubi fluvium Aaram excipit, non procul ab oppido et castro Lintz. Gelenius de Coloniæ Agrippinensis Magnitudine lib.* 4 *in Fastis ad* XXI *Julii,* hodie, *inquit,* in ecclesia patrum Ordinis S. Augustini, primo diluculo confluunt peregrinaturi ad S. Apollinarem prope Regiomagum, ad quos ante portam S. Severini in colliculo agri Judaici, vulgo Alhm Juddenbuchel fit exhortatio brevis.

g *Urbs est Germaniæ ad Rhenum, primaria ducatus Montensis, et ordinaria nuper electoris Palatini sedes, satis nota.*

h *Rectius vocatur Novesium, estque oppidum Ubiorum in Germania ad fluvium Erpiam, ferme e* D *regione Dusseldorpii.*

i *Urbs item apud Ubios supra Coloniam Agrippinam Confluentes versus et Moguntiam, vulgo haud ignota.*

k *Vox illa barbare accipitur pro bello, Gallice* guerre.

l *Wilhelmus is fuit, de quo superius; qui apud Rittershusium in tabula expansa ducum Juliacensium, Bergensium ac Clivensium, notatur fuisse primus dux Bergensis anno* 1383; *ubi et de ejus conjuge, et duplici captivitate.*

p *Apud Cratepolium supra citatum ponitur inauguratus anno* 1372, *mortuus anno* 1414, *die* IX *Aprilis: ubi de eo plura.*

n *Cratepolio est* LXV.

o Siburg, *Sigberg et Sigeberg oppidum et abbatia Benedictina in territorio Coloniensi ad Sieg fluvium, erecta a S. Annone archiepiscopo Coloniensi, mox laudando: adi Baronium ad annum Christi* 1062.

p *Fuit anno* 1394 *Indictio secunda Romana, si* E *ea jam tunc in usu fuerit, non tertia; reliqua cohærent sub littera Dominicali* D.

q *Unus florenus Rhenanus nunc reducitur ad valorem* 24 *assium nostratium cambialis monetæ seu monetæ argenteæ, quæ vulgo dicitur medius pataco; et sic pretium istius capsæ pertingeret ultra* 1500 *patacones, si vere et non per auxesim hæc dicuntur.*

r *Apud Cratepolium ponitur fuisse* XXIV; *de quo cum Martyrologio Romano agi poterit die* IV *Decembris. Vide notationes ad idem Martyrologium isto die. Sedere cœpit, teste Baronio in Annalibus ecclesiasticis, anno* 1055; *de quo ibidem plura in decursu usque ad annum* 1075, *quo obiisse ibidem scribitur. Vita ipsius est apud Surium ad prædictum diem.*

s *Vita S. Annonis mox designata agit de translatione S. Benigni in hunc locum, et quidem martyris Divionensis, uti ibidem dicitur; sed ne quid hic præmature definiamus, dispici de hac re poterit, vel Kalendas Novembris, quibus annuum Sancti hujus festum notatur in Martyrologio Romano, vel ad dictum diem* IV *Decembris.* F

t *Suspicor hic indicari S. Wunibaldum seu Wunebaldum abbatem, S. Willibaldi, episcopi Eystettensis, ac S. Walburgis fratrem: de qua die* XXV *Februarii; de illo autem die* VII *Julii; de S. Wunebaldo agi poterit die* XVIII *Decembris, quo refertur a Ferrario in Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt. Vita ejus ad eumdem diem datur apud Surium.*

u *De S. Alexio, ejusque lipsanis, sub ipsius nomine asservatis, videsis diem* XVII *hujus.*

x *Locum hunc hactenus non detexi; nisi forte sit* Zons, *de quo infra.*

y Unckel *exhibet mappa Blaviana fere e regione Rimmagen, sed ex altera Rheni parte.*

z *Fortasse voluit dicere* Lubsdorff, *non procul a Rimmagen, ex altera parte fluvii Aaræ.*

aa *Id est* redivit, *sicut tum hic ex sensu, tum vulgo notum est.*

bb Rhindorp *invenio in mappa ad Rhenum non procul Bonna.*

cc *Urbem hanc etiam* Veronam *dictam, habemus*

A *mus ex Vita S. Annonis supra laudati, apud Surium die* IV *Decembris, num.* 21.

dd *Puto hic designari* Lyn *ad Rhenum ultra Dusseldorpium et Cæsaris Insulam (vulgo Keyserswert) prope Ordingam.*

ee *Intellige hic frumenti, vinive aut olei, etc., quantitatem, quæ in libra posita una cum ipso homine, eique æquiponderans, offeratur Sancto; qui mos etiamnum hodiedum pluribus in locis perseverat. Exempla hujusmodi librationis habes tomo* II *Junii inter miracula S. Cuneræ virginis et martyris pag.* 566 *et* 570.

CAPUT II.

Brachium Sancti, ut putatur, ad Gorcomienses delatum.

Nicolaus Poker, pastor Gorcomiensis,

Anno Dominicæ incarnationis MCCCLV, præsidente in Apostolica Sede Clemente sexto *a*, et orthodoxæ fidei Ecclesiam feliciter gubernante, illustrissimo Carolo *b* imperante, in dominio de Arckel principante illustri Otthone domino de Arkel *c*, etc., Trajectensis diœcesis *d*, fuit quidam sacerdos Deo devotus, pastor ecclesiæ de Gorinchen *e* ac incola præfati oppidi, dominii de Arkel, nomine Nicolaus Poker, qui ut in cœlestem Hierusalem lætanter perveniret, ubi felices illius civitatis cives participes sunt in idipsum, limina sanctorum Apostolorum Petri et Pauli causa devotionis in remissionem suorum peccaminum peregre visitaturus, Romam ivit, sperans summe in Domino, precibus vel servitiis quorumdam Sanctorum impetrare reliquias, quibus ecclesiam Gorinchemensem specialiter decoraret, ut incolæ oppidi illius, patrociniis eorum adjuti a peccatis liberarentur.

ab archiepiscopo Ravennate

18 Fuerunt itaque tum temporis in civitate Ravenna reconditæ maximæ dignitatis, reverentiæ et pretiositatis reliquiæ, videlicet: de ligno sanctæ Crucis domini nostri Jesu Christi, brachium S. Apollinaris, discipuli Christi, et ejusdem urbis primi archiepiscopi et martyris, particula capitis S. Joannis Baptistæ, de cranio sancti Andreæ Apostoli, et de vestimentis sanctæ Cæciliæ virginis et martyris, aliorumque Sanctorum: quas reverendissimus pater et dominus Fortinerius *f*, divina providentia patriarcha Gradensis, ac ecclesiæ Ravennensis administrator et archiepiscopus, presbyter Cardinalis, in sua custodia honorabiliter conservabat, diversis ibidem coruscantibus miraculis. Cui præfatus sacerdos, superna sic disponente gratia, adminiculo felicis servitutis humiliter serviendo se junxit, conferendo multotiens in corde suo sollicite apud semetipsum, quoniam et qualiter adipisceretur easdem reliquias; atque per septennium sic ei serviens multum familiaris sibi efficitur.

petit brachium S. Apollinaris,

19 Quibus evolutis, contigit venerabilem patrem dominum Fortinerium Cardinalem præfatum viam intrare universæ carnis. In cujus ægritudine sacerdos præfatus ab ipso easdem reliquias, arcano cordis sui sæpe optatas, loco præmii sui sibi dari cum devota instantia humiliter postulavit, spondens eas solenniter ac honorabiliter in sua ecclesia parochiali Gorinchen locare, ut decenter a clero et ab omni populo potioribus venerarentur laudibus et honoribus. Cardinalis vero pii sacerdotis audiens postulationem, potius cœlica quam terrena petentis, attonitus, gaudens mirabatur, cum omnes quæ sua sunt quærunt, et raro quæ sunt Jesu Christi; et habita intra se deliberatione, sibi tamquam simplici sacerdoti tam pretiosas reliquias committere non audebat. EX MS.

et non impetrat;

20 Nota: eodem tempore venerabilis pater et dominus D. Joannes de Arckel, episcopus Trajectensis supra dictus, dum in Italia illo tempore fuerat, et repatriare proponeret, ecce apparuit ei in pontificalibus S. Apollinaris cum immenso lumine, præcipiens, ut quantocius iret ad Fortinerium Cardinalem, et intimaret ei ex parte omnipotentis Dei et sui, quatenus capellano suo reliquias suas petenti non negaret, addens sibi certum signum. Interea sacerdos non desistens a proposito inchoato, multum enixius humiliusque precabatur, vovens sub excommunicationis sententia et pœna anathematis easdem sibi non reservare, sed honorifice locare eas in prædicta ecclesia de Gorinchen, ut gloriosa passio tam magnifici Martyris et Præsulis illic prorsus incognita, et præsentia reliquiarum prædicanda cunctis manifestaretur. E

tandem voti fit compos.

21 Dum itaque hæc multotiens postulasset, et eas minime impetrasset; ecce superveniebat præfatus episcopus Trajectensis, intimans sibi mandatum S. Apollinaris. Quod audiens prædictus Cardinalis, cum omni solennitatis devotione annuit petitionem petenti, atque sub charactere sui sigilli eas tales veras esse reliquias cunctis roborabat et affirmabat. Hinc post expletis celebribus divi *g* Cardinalis exequiis, sacerdos voti compos tantorum ac talium clenodiorum sentiens se munere dotatum, spiritali gaudio non modico perfusus, præparatis sibi necessariis, exultavit ut gigas ad currendam viam suam, ut eo citius, quemadmodum pollicitus fuit, eas in præfata conderet ecclesia; quod et fecit.

De reliquiis istis male loquutus Nicolaus quidam,

22 Anno igitur Domini MCCCLXII perveniens cum eisdem reliquiis prælibatus sacerdos Gorinchen, quo dudum presbyterii officio functus fuit, benigne et gaudenter a domino de Arckel, et ab omnibus, præcipue a suis consanguineis salutatus recipitur. Qui exponens ipsis suæ peregrinationis textum, exposuit et coram ipsis, quoniam tantas pretiosas reliquias S. Apollinaris, aliorumque Sanctorum, a sæpe nominato Cardinale impetratas, secum detulisset, exponens palmam martyrii gloriosissimi Apollinaris martyris et pontificis. Rumore siquidem ejus circumquaque per oppidum diffuso, veridico in odore spiritualium unguentorum devoti et boni currebant, Deo gratias reddentes. Alii vero calice Babylonis inebriati, sacerdotem derisui habentes, easdem non dicebant reliquias Sanctorum, sed ossa animalium brutorum. F

easque ludibrio habens

23 Inter quos fuit unus, dictus Nicolaus de Ema, maritus sororis ejusdem venerabilis patris. Qui consimiliter blasphemando in præsentia reliquiarum atque in conspectu sacerdotis, dixit ipsum

EX MS. ipsum hæc ossa ex maritimis et aliis locis silvestribus collegisse, nomenque eis Apollinaris imposuisse. Quem sacerdos præstantissimus protinus super hoc dure redarguens, veraciter esse reliquias Sanctorum, et brachium S. Apollinaris, discipuli S. Petri Apostoli, multis rationibus et munimine sigilli prætacti Cardinalis affirmabat. Sed (pro dolor!) Nicolaus honorabilis sacerdotis non consentiens verbis, semper peramplius deridendo blasphemabat, parvi pendens, quod Deus, qui est mirabilis splendor omnium Sanctorum, ubique adest bonis per gratiam, malis vero per vindictam. Hinc itaque ipsius vindicta, qui non vult in Sanctis suis blasphemari sed laudari, ipsum horribiliter in loco, præsente conjuge sua, prostravit atque percussit: nam subtractis capitis nervis et venis, os suum, quo tot profana et execrabilia, protulit in opprobrium Dei et S. Apollinaris, stringebatur miro modo sub aure dextra, ita ut nec sonare, nec loqui posset.

a Deo punitur,

24 Excitata itaque conjuge sua dolore et cruciatu ipsius, accenso lumine et convocata familia B domus, omnes mirantes horrebant inspicere faciem suam, dicentes alterutrum, ipsum increpando pie ex vindicta et plaga Dei, et S. Apollinaris, hoc sibi contigisse. Permansit vero per illam noctem in magno cruciatu dolens. Altera vero die in festo sancti Apollinaris vicini et noti hoc audientes, et admirandum intuentes spectaculum, stupefacti magnificabant nomen Dei et S. Apollinaris, devote flagitantes, ut idem pristinæ sanitati restitueretur, videntes ipsum diversis cruciatibus circumdatum. Sed et Nicolaus vindictam Dei pro blasphemia, dilecto suo martyri sancto Apollinari illata, in se sentiens, confusus publice, confessus est signis et nutibus coram omnibus se peccasse, et ex vindicta S. Apollinaris sibi contigisse. Misericordia tamen Dei confisus atque toto corde ad Christum conversus, largiter flens, variis signis et orationibus invocavit merita Sanctorum suorum, et præcipue S. Apollinaris, ut priorem adipisci posset sanitatem.

ac primo ad reliquias non sanatur;

25 Cum igitur eodem die solenniter reliquiæ cum vexillis et laudibus et canticis portarentur ad ecclesiam, petiit scripto suo a pastore, socero suo *h*, quatenus prius portarentur ad lectum C suum, ut eas osculari et honorare posset devote. Quod et factum est. Et quamvis gemebundus oscularetur devote reliquias, nullam tamen salutem sanitatis impetravit. Quare honorabiles sacerdotes, laudantes reliquias, ad ecclesiam eas decreverunt reverenter portare. Nicolaus itaque nutu Dei perpendens quia publice blasphemaverat, in occulto non debere sanari, surrexit, nudusque in lineis sequebatur processionem in spiritu humilitatis et animo contrito, ferens manibus suis cereum ardentem. Et quamvis in eum omnes potius intuerentur, quam in reliquias propter monstrosam deformitatem faciei ipsius, tamen ipse humiliatus a Deo devotissime in orationibus sequebatur processionem.

at rursum religiose casdem venerans

26 Benedictione itaque cum reliquiis S. Apollinaris data populo; ecce petiit denuo reosculari reliquias S. Apollinaris, et ecce dum coram omnibus publice et flexis genibus cum lacrymis nudum os brachii S. Apollinaris ore suo oscularetur et tangeret, illico os suum dislocatum et subtractum, extensis nervis, et venis, meritis et patrociniis S. Apollinaris, ad priorem et naturalem locum, omnibus cernentibus, dirigebatur D atque membrorum retinacula laxabantur, et ad officium sui penitus excitabantur. Nam membra oris sui in usum movendi roborabantur atque lingua ad loquendi officium distinguebatur. Verumtamen in testimonium tanti celebris miraculi, quamdiu vixit, dum loqueretur aut rideret, os suum semper se paulisper divertebat ad priorem retractionem.

pristinæ redditur sanitati.

27 Vere valde magnificatum fuit illo die nomen Domini et sui sacratissimi martyris Apollinaris ab omnibus prædicta audientibus et videntibus. Nicolaus itaque sæpe nominatus, sanitate votive adepta, præ gaudio tanta irrepsit lætitia, ut omnes pene juncturæ aut membra sua interna discutiebantur. Nec immemor beneficiorum, quæ erga se Dei clementia per merita sui gloriosi Martyris operata est, oculos in cœlum extollendo, Deum, qui in Sanctis suis semper est mirabilis, collaudabat, et oblatis magnis muneribus, quibus eædem fulcirentur reliquiæ, devotissimus omni tempore, quoad vixit, Deo et S. Apollinari E fuit et permansit. Datis insuper ab omnibus diversis oblationibus, in argenteis deauratis capsulis eas reverenter collocaverunt; ubi extemplo variis miraculis Deo propitio claruerunt.

ANNOTATA.

a *Sedit tunc Innocentius VI, ab anno* 1352 *usque ad* 1362, *ut habet Labbeus.*

b *Carolus IV imperavit ab anno* 1346 *usque ad* 1376; *sicut notat laudatus Labbeus.*

c *Joannem VIII de Arkel seculo* XIII *exordia dedisse oppido Gorichemensi, notatur in Chronico Joannis a Leidis Carmelitani lib.* 22 *cap.* II.

d *Diœcesis hujus episcopos recenset Chronicon Joannis de Beka, canonici Ultrajectini, cui appendicem adjecit Suffridus Petri usque ad Fredericum Schenck, primum et ultimum archiepiscopum: uti solide ostendit Ampl. ac R. admodum D. Cornelius Paulus Hoynck a Papendrecht, ecclesiæ metropolitanæ S. Rumoldi Mechliniæ canonicus, ac Vicarius* F *generalis, in sua historia, recentissime edita, ecclesiæ Ultrajectinæ a tempore mutatæ religionis in fœderato Belgio: in qua ostenditur, ordinaria sedis archiepiscopalis et capituli jura intercedisse, contra male feriatam quorumdam Sedi Apostolicæ rebellium colluviem, eadem sibi sacrilege arrogantium.*

e Gorinchem, Gornichen, *nunc* Gorcomium, *vulgo* Gorkum *describitur in historia Martyrum Gorcomiensium tomo* II *Julii pag.* 754.

f *Apud Rubeum sæpius supra citatum vocatur* Fortanerius, *ut videre est lib.* 6, *ad annum* 1361, *quo etiam* ipse, ut obediret Pontifici *(Innocentio VI)* Avenionem proficiscens, de illius manu sacrum galerum accepturus, in itinere Patavii obiisse *ponitur.*

g *Titulum hunc Theodoricus Pauli satis liberaliter isti archiepiscopo attribuit. Ast huc facit id, quod in nostro auctore notavimus in Tractatu præliminari historico-chronologico patriarcharum Antiochenorum, qui tomo* IV *Julii præfigitur, pag.* II.

h *Erat illi sororius, ut liquet ex num.* 23.

CAPUT

A

CAPUT III.

Institutum Goreomii cum festum indulgentiis; miraculum.

Festum Gorcomii institutum; a

His omnibus rite patratis, sacerdos præfatus secessit ad memoratum patrem et dominum D. Joannem de Arkel *a*, episcopum Trajectensem. Cui S. Apollinaris in Italia apparuit, ut supra dictum est. Cui omnia in Goriuchen gesta per S. Apollinarem fideliter intimavit. Episcopus itaque valde gavisus, ipsum cum honore suscipiens, post aliquot dies remisit eum ad oves suas cum talibus litteris : » Joannes Dei gratia, » episcopus Trajectensis, universis Christi fide- » libus præsentes litteras inspecturis salutem et » sinceram in Domino charitatem. Deum habere » propitium credimus, si Sanctos ejus, qui in » cœlestibus habitant, devote honorare procure- » mus in terris, et fideles invitamus ad subsidia » pietatis. B

cujus diploma

29 » Cum itaque, sicut ex veridica relatione » accepimus, reliquiæ Sanctorum, videlicet bra- » chium S. Apollinaris martyris et pontificis, » particula capitis S. Joannis Baptistæ, de cra- » nio S. Andreæ Apostoli, de ligno Crucis Do- » mini, et de vestimentis S. Cæciliæ virginis, » aliorumque Sanctorum, quas dudum reveren- » dissimus pater dominus noster Fortinerius, » patriarcha Gradensis, ac ecclesiæ Ravennen- » sis administrator sive archiepiscopus, quon- » dam presbyter Cardinalis, bonæ memoriæ in » civitate Ravenna in sua custodia honorabiliter » reservabat, ibidem diversis miraculis coru- » scantibus frequenter, post ipsius Cardinalis » decessum per quemdam suum familiarem, di- » vina gratia favente, in munitione de Gorin- » chen delatæ sunt, et in ecclesia parochiali de » Gorinchen honorabiliter conservantur ;

datur,

30 » Nos igitur cupientes ut memoratæ reli- » quiæ Christi fidelibus jugiter venerentur, ac » congruis honoribus devotius frequententur, » omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus, » contritis et confessis, qui ob reverentiam di- » ctorum Sanctorum ac reliquiarum earumdem, » ad ecclesiam de Gorinchen in quacumque die » causa devotionis, orationis aut peregrinatio- » nis accesserint, et ibidem in honorem prædi- » ctorum Sanctorum ante reliquias eorumdem » orationes suas devote legerint, aut alia chari- » tativa opera fecerint, vel ad feretra, in quibus » prædictæ reliquiæ imponuntur, ornamenta, » vel quævis alia ad hujusmodi necessaria in » suis testamentis vel extra donaverint, legave- » rint, donari vel legari procuraverint, manus- » que porrexerint adjutrices : ubicumque præ- » missorum pie et devote fecerint, de omnipo- » tentis Dei misericordia, et beatæ Mariæ sem- » per Virginis gloriosæ, ac beatorum Apostolo- » rum Petri ac Pauli, et beatissimi Martini, pa- » troni nostri gloriosi, confisi suffragiis, qua- » draginta dies indulgentiarum de injunctis eis » pœnitentiis semel dumtaxat in die, his præ- » sentibus misericorditer indulgemus. C

ex ms. cui annectuntur indulgentiæ.

31 » Statuimus etiam ob reverentiam S. A- » pollinaris memorati, et volumus, ut singulis » annis diem ejusdem sancti Apollinaris infra » parochiam de Gorinchen dumtaxat, sicuti dies » dominica in perpetuum solenniter celebretur. » In cujus testimonium sigillum nostrum ad » perpetuam rei memoriam duximus præsenti- » bus apponendum. Datum ante castrum de » Voerst anno Domini MCCCLXII. Secundo ipso » die undecim millium virginum ».

Tinctor quidam Gorcomii illud profanans,

32 Cum itaque anno sequenti prædictus sacerdos subditis suis festum sancti Apollinaris celebrandum indiceret juxta tenorem mandati litteræ præscriptæ, erat quidam tinctor in eodem oppido, qui nullatenus festum S. Apollinaris colere dignabatur. Tandem in festo ejusdem, cunctis juxta mandatum almiflui præsulis præfati celebrantibus, ipse celebrare recusans præparatis omnibus, sibi tincturæ necessariis, more solito tingere volebat. Post Missarum ergo solennia in die festo S. Apollinaris, dum sacrum Dominici corporis cum reliquiis S. Apollinaris aliorumque Sanctorum devote et solenniter per plateas processionaliter cum canticis laudis et lætitiæ spiritualiter portaretur, et ante domum suam usque perveniret, exivit parumper ante ostium domus suæ ob reverentiam Christi, festum celebrare S. Apollinaris noviter divulgatum despectui et derisui habens. E

miraculose punitur;

33 Et finita oratione sua, dum domum reintraret, omnis tinctura diversorum colorum, familia cernente, in limpidissimam mutata est aquam. Hinc tinctor in se reversus magnalia Dei, et virtutem sui pretiosi Martyris per præsens miraculum intuens, confusus et attonitus amare gemiscebat, tum propter vindictam Dei et S. Apollinaris, tum propter magnum damnum sui ipsius, tum propter scandalum et confusionem suorum cooppidanorum. Sed audito miraculo, quatenus Nicolaus de Ema plagatus et sanatus fuerat, ipse post paululum temporis præmissis devotis precibus, dum coram multis palam vovisset Deo et B. Apollinari semper quamdiu viveret passionem et festum, ipsius celebriter sabbatizare *b*, eadem aqua multis, quibus præsens miraculum patuit, intuentibus rediit, et remutata est in pristinos colores, ita ut nullum damnum eidem inde proveniret. *b* F

sed postea indemnis redditur, optime erga Sanctum affectus.

34 Quare obstupefactus, hæc perpendens idem tinctor, magno gaudio gavisus, Deo et S. Apollinari indefessas gratias agendo votive referens, postmodum, quamdiu supervixit, cum omni familia semper solenniter solennizavit, pandens cum devotione multis suorum amicorum miraculum prædictum, exhortando feliciter ipsos, ut similiter et ipsi passionem S. Apollinaris celebre festivarent.. Postmodum vero plurimis miraculis claruit per eum, qui venturus est judicare seculum per ignem. Amen.

ANNOTATA.

a *De eo agit laudatus Suffridus Petri, qui refert, anno* 1364 *per Urbanum PP. V Trajecto Leodium translatum, ac die* 14 *Aprilis Leodium migrasse, eoque intrasse penultima die Julii sequentis ;*

EX MS. *tis; obiisse demum anno* 1378, *die* 1 *Julii. Videri etiam possunt, quæ de illo habentur apud Chapeavillum inter Gesta Pontificum Leodiensium tomo* 3, *a pag.* 15.

b *Id est, festum ipsius colere, cessando ab operibus servilibus.*

CAPUT IV.

Festum de novo celebrari præceptum; punita transgressio; pusillanimitas ad fiduciam excitata.

Invento diplomate de institutione festi, Tandem anno Domini MCDXLV erat in Gorinchen quidam magister fabricæ ecclesiæ Gorinchemensis, dictus Joannes Bonaert, vir probus et valde solicitus pro exaltatione ecclesiæ Gorinchemensis, qui audiens a veteranis viris,
B qualiter festum S. Apollinaris pristinis annis festive celebratur per totum diem, et quod claruit multis miraculis, valde laborabat pro exaltatione sanctarum reliquiarum. Et non inveniens, qua auctoritate festum ejus institutum fuit, doluit. Erat autem eodem tempore in sanctuario præfatæ ecclesiæ una longa cista, quæ in multis annis a nullo aperta fuerat. Quam cum præfatus magister fabricæ a quodam fabro in præsentia spectabilis viri, et domini magistri Henrici de Eethen decani et multorum canonicorum et aliorum magistrorum fabricæ, et me Theodorico Pauli, canonico ejusdem ecclesiæ præsente, aperiri fecit.

illud iterum celebrandum præscribitur. 36 Qua aperta, jacuerunt in ea duæ Apostolicæ bullæ cum plumbeis sigillis, et aliæ diversæ litteræ multorum Cardinalium et episcoporum. Et præcipue littera venerabilis patris Fortinerii, patriarchæ prædicti, de certificatione reliquiarum: quas cum levare putaret ad perlegendum, statim litteræ redactæ fuerunt in cineres;
a quia locus valde reumaticus *a* fuit, in quo supra terram cista stabat, de quibus omnes doluerunt.
C Sed præfata cista habuit superius repositorium sive absconsile, in quo reposita erat in parva clausa capsa littera reverendi patris domini Joannis de Arkel, episcopi Trajectensis, in qua præceperat festum S. Apollinaris per totam parochiam et per totum diem celebrari. Qua perlecta, præfatus decanus præcepit in ambone *b*
b juxta mandatum ejusdem, per totum diem festive celebrari. Et sic deinceps devote celebraverunt festum ejus per totum diem.

Transgressor ejusdem 37 Anno eodem prædicto fuit quidam oppidanus Gorinchemensis, dictus Joannes Haver, filius Henrici Haver, quadraginta annorum et ultra, vir probus, sed mediocris facultatis, vivens laboribus manuum suarum. Qui cum audivisset festum S. Apollinaris per totum diem celebre indici a decano capituli, detraxit sacerdotibus et S. Apollinari, nolens celebrare; insuper consocium suum et collaboratorem, Petrum Wilhelmi nomine, ad hoc informavit, ut pariter illo die irent messum. Cum ergo meterent, mox Joannes Haver messorium sive falcem percussit in pede suo valide, et sic necessitate coactus celebravit. D
Ipse vero sanatus diffortuuio asscribens, et non Deo neque Sancto ejus. Igitur cum sequenti anno rursus cum præfato socio suo dedignabatur celebrare, sed [vellet] metere, cum esset in campo, et dirigeret falcem ad metendum (ecce falx retrogrado modo se curvans) volens metere, percussit se per manum, vulnerans se maxime.

38 Cumque ipse cum socio suo sibi condolente Gorinchen dolenter iret; et denuo necessitate compulsus, celebrare oportebat; et cum a socio in via pie concreparetur, admonens *, ut amodo desisteret laborare, sed celebraret eo in die festum S. Apollinaris, ne vindicta Dei et S. Apollinaris desæviret in eum, quia jam in eodem festo bis plagatus fuit. *miro modo punitur.* * admonente
Audiens hoc idem Joannes, commotus ex impatientia, iterum detraxit S. Apollinari dicens: quod accidisset sibi ex incuria sua, et improvise casualiter. Cumque sic in via ad invicem fabularentur, cogebantur ambo saltare per unum parvum siccum fere fossatum; Joannes vero cum saltaret, diga *c* sua sive E
magnus cultellus suus, quem vix violenter manu c
prius extrahere potuit, saliendo extra vaginam vulneravit ipsum in femore multum profunde. Statim gemens et ad cor rediens, compunctus de commissis in Sanctum Dei, vovit largiter flens Deo et S. Apollinari solenniter celebrare semper festum ipsius.

39 Perductus itaque in Gorinchem cum per chirurgicum vulnera sua fuerant circumligata, *et sanatur;* venit cum socio suo prædicto ad ecclesiam, ostendens vulnera manus et femoris decano publice et quibusdam canonicorum in ecclesia existentium, et præfato Joanni Bonaert magistro, Gerardo van den Oever, Yewano Muyl, filio Godefridi, magistris fabricæ ecclesiæ, affirmans sub fide sua, quatenus anno præterito in eodem festo seipsum vulnerasset in pede suo, ostendens cicatricem pedis sui. Idipsum certo juramento confirmavit præfatus socius suus Petrus Wilhelmi, probus et honestus, faciensque oblationem cum reliquis vovit palam semper celebrare festum S. Apollinaris. Rediens itaque post diutinam orationem mœstus ad domum, paucis F
diebus meritis S. Apollinaris sanatus fuit.

40 Celebravit igitur festum S. Apollinaris solenniter quamdiu vixit, increpans benigne cunctos, festum S. Apollinaris celebrare respuentes, *festum Sancti deinceps solenni honore prosecutus.* ostendens eis cicatrices vulnerum suorum, quæ sibi accidissent a Deo, qui festum ipsius dedignabatur celebrare. Postea vero supervenerunt quam plurimi, quorum quidam cruciabantur dolore dentium; alii fervore febrium; quidam naufragio; quidam paralytici; qui postquam vovissent peregre visitare reliquias ipsius cum oblationibus, statim ab omni incommodo liberabantur, meritis et intercessionibus S. Apollinaris: qui corporaliter ista in ecclesia Gorinchemensi coram multis affirmabant.

41 Anno Domini MCDLXXVIII mulier quædam habitans in oppido Gorinchemensi in platea dicta **die gastestraet**, Elisabeth de Canden dicta, officio obstetrix, uxor honesti viri Jacobi Arnoldi; *Mulier irreverens festi, dat pœnas; sed iterum pristino statui restituitur.* qui, completis Missarum solenniis, in festo S. Apollinaris præcepit ancillæ suæ statim post pran-

A prandium lavare et abluere lineas vestes domus. Et quia ancilla propter mandatum et præceptum non audebat bene facere, ipsa capiens vestes, cœpit intingere et abluere. Mox virtus divina ultrix affuit : nam manus sua dextera cum brachio ita arefacta et permortua effecta fuit, quod nullatenus manum poterat movere sursum vel alibi; nisi adminiculo alterius manus. Præterea magnum cruciatum in toto brachio passa fuit. Tandem in se reversa, vovit peregre in ecclesia ipsum visitare, et semper solenniter festum ipsius celebrare. Quo voto emisso, aliquibus vicinis astantibus et videntibus, manus cum brachio statim pristinæ restituta est sanitati. Et ipsa læta surgens, peregre cum oblationibus et luminaribus, reliquias ipsius devote visitavit ; quod miraculum ubique per oppidum Gorinchemense multis patefecit.

Monialis quædam scrupulosa

42 Fuit quædam nobilis, dives, et potens domina, relicta *d* cujusdam militis de civitate Argentinensi *e*, quæ nuncupata est Catharina de Westhusen. Hæc dum manebat in seculo, et in B civitate prædicta, ubi multæ devote Deo militant viduæ, earumdem omnium specialiter mater et matrona extitit, sed in animo valde scrupulosa fuit. Cum autem in Columbaria *f*, monasterium sororum de Subtilia Ordinis S. Dominici sive Prædicatorum reformaretur ; relicto seculo ibidem sanctæ conversationis habitu induta est et professa. Et quia una ut puta ex fortibus mulieribus fuit, de quibus proverbio ultimo Salomon scribit, idcirco quibusdam interjectis annis priorissæ et subpriorissæ gerebat officium successive in omni charitate, et dilectione ; nec feminæ aliquid deesse videbatur perfectionis, nisi quod plena fuit scrupulis, adeo ut cum illuc in causis Ordinis veniret venerabilis pater magister Joannes Nyder *g*, sacræ Theologiæ professor eximius, Ordinis Fratrum Prædicatorum, cum sola hac sorore se plurimum occupare opus fuit, ut pusillanimitatem ejus compesceret. Hoc enim bonum præter alia in se habuit, ut, audito superioris sui, vel alterius, et fama bona et sapientis viri judicio in aliqua sibi dubia materia, statim eidem acquievit. EX MS.

ad piam spem erecta.

43 Timuit ipsa, timuerunt etiam ipsi qui noverant confessores, quod si infirmata propinquaret morti, aliquando in his scrupulis præsertim de iteratione a se bene confessarum rerum, in periculo pusillanimitatis amplius poneretur quam antea. Sed divina ex misericordia, quæ feminæ opera inspexit, actum est per omnia contrarium. Nam uno die satis inopinate, licet quinquaginta annos vix ultra non accederet, infirmata est, et dietim cœpit deficere : et pro tunc omnis scrupulus et inordinatus timor ab ea penitus abcessit ; dixitque ad Joannem Wolffardi, quem utpote devotum virum in confessione specialem elegerat : Ecce, pater, scitis, quam erronea fui et timida in conscientia nimium ; sed Dei gratia, ne timeatis, totum abscessit de peccatis a me confessis et commissis : remissionis gratiam pie et fidenter spero et credo. Et ita invocans B. Petrum Apostolum, ipsiusque discipulum S. Apollinarem, quos peculiarissime in vita, corde, ore et opere E dilexit, tandem eadem ægritudine, præmunita ecclesiæ Sacramentis, vita devote functa est.

ANNOTATA.

a Rheumaticus *proprie est, fluxionibus obnoxius, Græce ῥευματικὸς; hic vero ponitur pro* humidus.

b *Id est* e suggestu.

c *Videtur vox ista barbara formata a Flandrico* **degen** *ensis.*

d *Vox ista significat viduam. Vide Cangium.*

e **Strasburg** *vulgo, latine etiam vocatur Argentoratum, urbs notissima, Alsatiæ caput.*

f *De isto Dominicanorum conventu mentio fit in Bibliotheca istius Ordinis, nuper edita tomo* I, *pag.* 792.

g *Ea, quæ virum hunc ejusque scripta spectant, habentur in dicta Bibliotheca.*

C

F

DE SANCTIS MARTYRIBUS

TROPHIMO, THEOPHILO AC SOCIIS.

ITEM DE SS. JUSTO ET MATTHÆO MARTYRIBUS

Ex tabulis Græcis ac Martyrologio Romano.

J. P.

SUB DIOCLETIANO.

Variant horum Martyrum annuntiationes, quæ hic dantur

Tabulæ Græcæ in hisce duobus primis sanctis Martyribus annuntiandis non conveniunt : Horologium enim Græcum anni 1601 *solum habet* Trophimum M. ; *quod sequitur Kalendarium Ruthenorum apud Possevinum tomo* 2 *Apparatus sacri. Idem signatur in Ephemeridibus Græco-Moscis, ante tomum primum Maii editis : pro quo in alio Horologio Græco anni* 1607 *mendose scribitur* Τροφίνμου : *ubi tamen non solus ponitur. Kalendarium Syriacum seu Chaldaicum anno* 1624 *Romæ editum, et a D. Josepho collegii Maronitici dictatum Latine Majoribus nostris, sic refert :* Trophimi et sociorum ejus. *Kalendarium Græcorum a Genebrardo vulgatum legit ista :* Theophanus, Theophilus, et socii MM. *At Martyrologium Arabico-Ægyptium, a Gratia Simonio Maronita Latine versum, hæc habet :* Certamen S. Eutrophimi, Theophili, et tredecim cum eis. *Socios item tredecim adjungit ecgraphum nostrum ex Menæis bibliothecæ Ambrosianæ Mediolanensis excerptum ; adde Menæum Chiffletii, sed illud die* XXII *hujus. Menologium Slavo-Russicum perperam determinat tempus martyrii :* SS. martyrum Trophimi et Theophili, et sociorum passi anno CCLXXXII sub Diocletiano. *Synaxarium Sirmondi (at illud sub die* XXI *hujus) Synaxarium Ruthenorum peculiare diœcesis*

AUCTORE J. P.

cesis Kiovensis, quod notatur continere etiam Sanctos Peczerienses et proprios Ruthenorum, interprete nostro Georgio David missionario Moscuæ residente anno 1688; *Typicum S. Sabæ, Menologium a Sirleto versum et a Canisio editum ambos memorant cum sociis, at numero eorum non expresso. Menæa magna excusa adjungunt istis duobus nominatis* Justum *et* Matthæum, *sequente Maximo Cytheræo, utrobique* XXI *hujus, de quibus dicam infra.*

una cum elogio,

2 *Martyrologium Romanum de sociis non meminit; Sanctos vero exhibet in hæc verba:* Eodem die (XXIII *Julii*) natalis sanctorum martyrum Trophimi et Theophili, qui sub Diocletiano imperatore lapidibus cæsi, et igne incensi, demum gladio percussi, martyrio coronantur. *Laudata Menæa Ambrosiana parvo elogio sanctos Martyres prosequuntur; Menologium a Sirleto versum paulo longiore. Utroque prolixius habetur in Synaxario Basiliano, quod ex Græco ad calcem tomi primi Julii sic interpretor:* Certamen sancti martyris Trophimi, et sociorum ejus. Trophimus et Theophilus, martyres Christi, cum sancta sua societate secundum Dei indulgentiam, regnante impiissimo et crudelissimo tyranno Diocletiano, Christum confitebantur, eos, qui in nomine ipsius ad se accedebant, docentes et baptizantes. Cumque innotuissent ac comprehensi essent, adstiterunt coram ipso vincti; Christumque negare, et idolis sacrificare compulsi, sed non persuasi; graviter cæsi, in lignis suspensi ac rasi, deinde lapidati; et post hæc e lignis demissi, in magnum caminum ignis injecti sunt. Sed Dei gratia e camino liberati, et sine læsione egressi, adeo ut nec capillum quidem eorum tetigisset ignis, tyrannum perculerunt; ac demum inclinantes colla, sanctis suis capitibus truncati sunt.

ac versiculis,

3 *Menologium a Sirleto versum narrat* fractis cruribus *in ignem injectos. Synaxarium Chiffletii ita* S. Theophilo *accinit:*

> Ὁ Θεόφιλος τέμνεται τὸν αὐχένα,
> Ὑπὲρ Χριστοῦ φιλοῦντος ἀνθρώπων γένος.
> Theophilus ensi colla pro Christo dedit,
> Amans amantem pariter humanum genus

Patet allusio in nomine proprio Sancti et participio φιλοῦντος, *quæ linguæ Græcæ vel levissime peritis notissima sunt. De* S. Trophimo *sequitur ibidem hoc distichon; unde arguo numerum* ἑτέρων τριάκοντα, aliorum triginta, *ei in Ms. nostro præfixum, debere mutari in* tredecim:

> Τρεῖς καὶ δέκα Τρόφιμος ἄνδρας συντρόφους
> Ἔχων συνάθλους τέμνεται τούτοις ἅμα.
> Simul educatos ac coronatos habens
> Tres ac decem Trophimus viros, simul occidit.

Respexit poeta ad proprium Τρόφιμος, nutritus *vel* nutritor, *et ad adjectivum* σύντροφος, *id est* simul nutritus, *vel* connutritus.

Locus mortis et annus ex Baronio.

4 *Locum ac tempus mortis notat Baronius, quæ alicubi fortase expressa invenerit, quando ad annum* 305, *num.* 17 *scribit:* Item in Lycia certamen obierunt egregii martyres Trophimus et Theophilus, qui lapidus cæsi, *etc. Illos non invenio apud Tillemontium Monument. eccl. tomo* 5 *inter Martyres sub persecutione Diocletiani passos. Epocha hic a Baronio assignata multum differt a superiore Menologii Slavo-Russici; sed quod Baroniana sit verior, liquet ex eo, quod ista alia duobus annis imperium Diocletiani antevertat.*

Quæ SS. Justum ac Matthæum spectant,

5 Justus et Matthæus, *quod supra dicebamus duobus prioribus adjungi in Menæis magnis excusis, et apud Maximum Cytheræum die* XXI *hujus (quibus adde Mss. Mediolanensia bibliothecæ Ambrosianæ) huc retracti sunt, sicut indicavimus in Prætermissis ad istum diem; sive simul fuerint passi cum istis duobus, et sub nomine sociorum contenti in aliis Græcorum Fastis, sive ab illis sint distincti, ac passi diverso tempore: sub una saltem annuntiatione in istis Menæis ponuntur, cum duobus aliis, quos produximus ex Romano, quam ob causam licitum nobis esse duximus hoc die de ipsis agere. Menæum Chiffletii a duobus aliis, die, ut diximus,* XXII *apud ipsum relatis, nostros hosce sejungit, notans die* XXI Ἰοῦστος καὶ Ματαῖος (Ματθαῖος) μμ. Justus et Matthæus martyres. *Ad quem diem in supplemento nostro Ms. ad Menæa Græca excusa ex Mss. Sirmondo-Chiffletianis occurrunt ista:* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ οἱ ἅγιοι Ἰοῦστος καὶ Ματθαῖος ξίφει τελ. Eodem die sancti Justus et Matthæus gladio perimuntur. *Sequitur hoc distichon:*

> Ξίφει τραχήλους ἄνδρες ἐκδόντες δύο,
> Κοινοῦ τέλους λάβωσι κοινὰ τὰ στέφη.
> Ferienda colla dum Viri præbent duo,
> Communia ferant serta communis necis.

Allusio exigui salis; cum de nullo non Martyrum pari eadem prædicari possint.

hic dantur.

6 *Martyrologium Arabico-Ægyptium a Gratia Simonio Maronita Latine redditum, utriusque certamen annuntians, socios innominatos adjungit eodem die* XXI *hujus; qui etiam eodem modo annectuntur in laudatis Mss. Mediolanensibus, præter quatuor, quos, ut vidimus, nomine exprimunt; at die* XXIII *rursum ponunt* Trophimi, Theophili, et XIII sociorum martyrum *nomina: quos miror tam exiguo dierum ejusdem mensis intervallo rursum tunc repeti; cum ne vel per umbram quidem quidquam cogat suspicari, eos a prioribus esse diversos.*

DE MARTYRIBUS VII CHALCEDONENSIBUS ANONYMIS.

J. P.

Cultus apud Græcos.

XXIII JULII.

N*otantur septem isti Martyres anonymi in Menæis magnis excusis, sequente, ut solet, Maximo Cytheræo; quos etiam refert ecgraphum nostrum ex Mss. Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ, cui adscriptum reperio Taurinense utrumque. Alicubi exarati fuerint septem Martyres* ἐν χαλδία, *qui ectypo nostro dictorum Menæorum manu adscribuntur; iidemne cum præcedentibus, an diversi, non plane constat. Malim tamen credere, mendose ibi scribi locum palæstræ, quam septem anonymos Martyres, et eodem quidem die hic duplicari. Jam vero an a Martyribus* XLIX *Chalcedonensibus, in Martyrologio Romano relatis die* XXIV *Septembris, differant; an potius ex eorum classe huc sint extracti, nos latet, uti et quæ nomina, genus aut tempus mortis eorum circumstant.*

DE

A D

DE S. PRIMITIVA VIRG. ET MARTYRE

ROMÆ.

Ex Martyrologiis. J. B. S.

XXIII JULII.

Virgo satis celebris,

De S. Primitiva *aliqua meminit Martyrologium Romanum ad* XXIV *Februarii, sic tamen ut satis dubium ostenderint Majores nostri, utrum non de* Primitivo *potius agatur quam de* Primitiva. *Synonyma alia, ut S. Anastasii Cornicularii filia, refertur* XI *Maii; at nulla illustrior ea quæ hoc die prædicatur saltem in Martyrologiis : ut ferme incredibile sit, Virginem tam celebrem solo dumtaxat nomine notam esse, cum nihil usquam de ejus patria, ætate, gestis aut martyrii genere memoriæ proditum sit. Ab Hieronymianis eam accepit Notkerus, ex quo verosimillime transiit in omnes auctiores codices Usuardinos, quos* B *longa serie in nostra editione enumeratos invenies. Ab ipso Usuardo præteritam, mirum iis non videbitur, qui meminerint in ejus solitis fontibus Romano parvo, Beda seu potius Floro, et Adone repertam non fuisse. Communis omnium Usuardinorum codicum annuntiatio est :* Romæ, sanctæ Primitivæ; *vel :* Romæ, natale sanctæ Primitivæ, *adjuncto in nonnullo titulo* virginis.

sed cujus verus depositionis locus,

2 *De Hieronymianorum annuntiatione recurrenteque inter codices discrepantia disputat Florentinius, cum alicubi legatur* Primitiæ, *alibi* Privatæ, *in vetustissimo Epternacensi autem omissus sit locus martyrii, junctaque Sancta extraneo martyri; verum hæc satis ordinaria sunt. Alia apud ipsum quæstio, quid sibi velit codicum suorum* Via Acula *vel* Accula; *quæ tandem in interrogationem resolvitur;* An via Acula sit nunc Aquapendente? *Non existimo, cum ut martyr Romana certatim prædicetur; Aquapendente vero ab Urbe nimio remota sit, medio ferme itinere Senas versus. Fateamur ingenue, sive is verus locus sit, sive vox aliunde corrupta,* Aculam *hactenus incognitam esse, uti et determinatum locum ubi sacrum* S. Primitivæ *corpus aut olim depositum fuerit aut modo usquam servetur : de cujus reliquiis inter pios cultores, quod alibi toties deplorare cogimur, nulla, saltem quod sciamus, aut Romæ aut alibi contentio.*

3 *Superest breve Ferrarii elogium, quod pro materiæ penuria sic paucis concinnavit :* Primitiva virgo, et ipsa Romæ martyrio coronata, in Martyrologio Romano et aliis refertur. Tempus vero et Acta ejusdem desiderantur; illam haud Romanam fuisse conjicimus, quod de ea in libro de Virginibus Romanis Antonii Gallonii nulla prorsus habetur mentio : tametsi ab eo auctore fortassis omissa est, quia quod de illo scriberet, nihil habebat. *Hoc equidem verissimum existimo, sed quod idem Ferrarius in annotatione observat, commiseratione dignum est, a pueris nostris grammaticis, quos Ciceronis epistolæ Romanas Kalendas edocent, omnino explodendum.* Baronius, *inquit*, in annotatione ad Martyrologium, Petrum in Catalogo lib. II, cap. 200 citat; sed Petrus ibi Primitivam virginem tantum memorat, quæ X Kal. Augusti quievit. *Nisi particulam tantum referre velis non ad* X *Kal.; sed ad* virginem, *ut distinguatur a nostra, quia hæc etiam martyr dicitur.*

et gesta ignorantur.

E

C

DE S. RASYPHO MARTYRE

F

Ex Martyrologio Romano. J. B. S.

XXIII JULII.

A Galesinio signatus.

En *alterum Sanctum, antiquioribus Fastis incognitum, a Baronio insertum Martyrologio Romano, ductore, ut sæpius accidit, Galesinio, hac die, post annuntiatam Romæ Primitivam, sic subjungente :* Sancti item Rasyphi martyris; *in notationibus vero audacter asserente, accepta hæc* ex Martyrologio Romano perveteri, *quale unquam exstitisse (præter Parvum a nobis illustratum) jam totis ferme centum annis Majores nostri omnia diligentissime scrutati necdum repererunt. Non nihil dixisset Galesinius, si codicem aliquem Usuardinum citasset : nam in aliquo id genus apographo non multum absimile nomen adjectum invenimus, scilicet in codice Florentino Strozziano, sed absque loci expressione :* Eodem die, sancti Rasipi martyris; *quemadmodum etiam scripsit Belinus, qui forte pro perveteri Romano Martyrologio citatus a Galesinio fuerit. Porro idemne hic sit, et quidem* Romæ *passus, non est unde satis certo conjicias. Ceterum cum Amanuensium vitio tot olim corrupta fuerint nomina, nil sane mirum, si et hic oscitantiæ aliquid intercesserit.*

ab altero distinguendus est.

2 *Baronius in notis suis satis habuit adjicere,* de quo vet. manuscript. ex quibus et alii recentiores. *Unum adduxit Galesinius, Belinum, opinor, diu ante jam editum; quæ alia Mss. ista fuerint ignoramus. Ad* recentiores *quod attinet, scripsere* Rasipi martyris *Maurolycus et Felicius, at qui* Rasyphi *meminerit, præter solum Galesinium, hactenus novi neminem. Etenim si Grevenum forte huc adducere voluit Baronius, longissime dissita conjunxit;* Rasyphus *enim de quo ipse agit, S. Ravenni socius fuit, in Normannia Galliæ martyrio coronatus, ut mox pluribus declarabitur. Quid Molanus voluerit dum solius* Rasipi *in priore editione, in aliis* Rasiphi *meminit, incertum est. Alia quæstio moveri posset, sitne* Rasyphus *iste idem cum* S. Rasio, *Anastasii socio, in nostra ad mensem*

Maium

AUCTORE J. B. S.

Maium appendice tomo VII *pag.* 763, *de quo id solum habetur, quod ejus sacrum corpus repertum sit in ecclesia S. Mariæ ad Martyres; ubi Pancirolus, eamdem ecclesiam, seu Rotundam describens, pag.* 421 *a quoquam definiendo recte abstinet. Cur autem ad* XIII *Maii referantur, ex eo intelliges, quod eo die solennior olim ejusdem ecclesiæ festivitas fuerit, ut ibi explicatum invenies.*

An non sit Rasius?

3 *At quid si* Rasyphus *idem confundatur cum illo* Rasio *seu* Raso *episcopo de quo agunt Hieronymiana ad* XII *Martii, quique ibi Innocentio alicui subjungitur; Romæ certe dissertissime adscriptus? In eam opinionem inclinavit olim Janningus noster, quod scriptum testatum reliquit : ego me fateor, perpensis omnibus, cum Pancirolo sentire, nihil huc usque tuto definiri posse. Æque frigide* Rasyphum *hoc die recensuit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ :* Ignotæ patriæ Romæ passus est, *inquit,* sed quo tempore, quove supplicii genere omnino ignoratur..... Romanum autem illum non fuisse, sed exterum, nomen ipsum satis indicare videtur.... Corpus in basilica S. M. Rotundæ quiescit, ut inscriptio indicare videtur, licet pro Rasyphi, Rasii legatur. *In annotatione fatetur, nullam se hujus Sancti memoriam reperisse præterquam in Martyrologio Romano, Molano et Galesinio : alios enim non viderat. Dubites, an sui satis memor fuerit, dum hæc verba adjecit :* Nec corpus, quod sciatur, alicubi exstat; *nempe opinor, si* Rasyphus *a* Rasio *distinguatur.* D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

B

APOLLONIO, EUGENIO, ET VITALE

E

RAVENNATE (ut volunt) EPISCOPO.

J. P.

Cultus ex Græcis Fastis, et Martyrologio Romano.

DIE XXIII JULII.

Præter cultum horum Martyrum ex Græcis ac Martyrologio Romano,

Q*uatuor Martyres simul hoc die enuntiat Menologium ex interpretatione Cardinalis Sirleti a Canisio editum :* Natalis beatorum martyrum Apollinarii, Vitalis episcopi Ravennatis, Apollonii Romani, et sancti martyris Eugenii. *Menæa magna cum Maximo Cytheræo tres dumtaxat ex iis ita memorant :* Sanctorum martyrum Apollinarii, et Vitalis episcoporum Ravennæ, et Apollonii Romæ, *omisso* Eugenio, *qui in nostro eorumdem Menæorum exemplari manu adscriptus est. In indice nostro Ms. ad Menæa prædicta,* Apollonius *ex Mazariniano cum* tredecim sociis *innominatis ab Henschenio notatur. Die* XXII *hunc Martyrem lego in apographo nostro Synaxarii Divionensis seu Petri Francisci Chiffletii nostri his verbis :* Ὁ ἅγιος Ἀπολλώνιος, ἐπίσκοπος Ῥώμης, εἰς πῦρ βληθεὶς καὶ τοξευθεὶς τελ. S. Apollonius, episcopus Romæ, in ignem injectus, et sagittis ictus occumbit. *Sequitur hoc distichon :* C

Ἀπολλωνίῳ διπλόμαχος ἡ πάλη
Μοχθοῦντι πρὸς πῦρ καὶ τὰ τῶν τόξων βέλη.
Luctæ genus duplex tulit Apollonius,
Perpessus ignes et sagittas arcuum.

quædam circa illos notantur.

2 *De S. Apollinare tractavimus seorsim hoc die. Sanctum autem Vitalem Ravennatem, et Valeriam ejus conjugem martyres dedimus die* XXVIII *Aprilis. Vitalem episcopum nullum novimus Ravennatem; nec talem habet Ughellus in catalogo, quem de Ravennatibus archiepiscopis contexuit. Plura in Commentario prævio ad Vitam S. Apollinaris paragrapho primo. Titulum* episcopi Romæ, S. Apollonio *adjectum; at in Romano Martyrologio rectius omissum, pariter expungendum censemus.* S. Eugenius *ad unum aliquem e datis dandisve synonymis Martyribus fortasse revocandus; de quo mox plura. Utut res se habeat; satis est, si præter Græcos, pro cultu utriusque istius Sancti proferamus Martyrologium Romanum, quod simpliciter annuntiat :* Sanctorum martyrum Apollonii et Eugenii. *Eorum ætas, palæstra, ac gesta nos latent. Hinc corrigi potest annuntiatio in ecgraphis nostris ex Menæis Mss. Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ O n.* 148, *sic expressa :* Ἄθλησις τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἀπολλιναρίου καὶ Βιταλίου, ἐπισκόπων Ῥαβέννης, καὶ Ἀπολλονίου ἐπισκόπου Ῥώμης, καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Εὐγενίου. Certamen sanctorum martyrum Apollinarii et Vitalii, episcoporum Ravennæ, et Apollonii episcopi Romæ, et sancti martyris Eugenii.

Versiculi de S. Eugenio

3 *Porro* S. Eugenius, *refertur in Synaxario Divionensi laudato, die* XXI *hujus, in quo lego sequentia :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος μάρτυρ Εὐγένιος ξίφει τελ. Eodem die (XXI *Julii)* sanctus martyr Eugenius gladio occiditur. *Versiculorum, quos subdo, allusio per se patet.*

F

Γενναιότητος ευγε τῆς Εὐγενίου,
Ὃς γενῶς στὰς πλήττεται κατ' αὐχένος.
Euge generoso pectore, Eugeni; necem,
Generosa qui dans colla, gladio ictus, subis.

In Menæo vel Synaxario Ms. membranaceo conventus S. Ludovici PP. Prædicatorum Parisiis, memoratur S. Eugenius M. *die* XXIII, *ut supra : quo etiam notatur in Mazariniano tertio, ut in ecgrapho nostro adscribitur, antiquissimo, per totum annum solas memorias Sanctorum continente.*

Perperam a pseudo-Juliano in Hispaniam trahitur S. Apollonius.

4 *In* S. Apollonium, *nulli certo loco in Martyrologio Romano affixum, tamquam in rem adespotam et derelictam grassatus more suo est larvatus Julianus, eum et quidem (si Superis placet) cum* sociis *putide et violente in Hispaniam trahendo, his verbis in Chronico, num.* 39 *:* In Bethica Marchenię, quæ Marcia Polonia* dicitur, S. Apollonius cum Sociis pro Christi Domini persecutione perimuntur. *Hujus harpagatoris nugas hic adoptat noster Antonius de Quintanaduenas in opusculo, quod Hispanice edidit, de Sanctis Hispalensibus, a pag.* 287; *non item eruditissimus Nicolaus Antonius,*

* colonia.

sanctorum

A *Sanctorum ficte in Hispaniam attractorum eliminator; qui in Mss. suis ineditis, Matriti anno exeunte 1721 nobiscum a proximo ejus consanguineo communicatis, has impugnat. Unum cum eo notasse suffecerit*, Marchcniæ *vocabulum Juliani novitatem prodere. Qui deinde ea, quæ hic observat, concludens, hæc jam de Sanctis Hispalensibus adversus mox citatum de Quintanaduenas, notasse affirmat D. Martinum de Anaïa Maldonado in libello quodam, non satis omnibus obvio. Ceteris rapaciorne dicam an audacior, non solo* Apollonio *contentus*, Eugenium *etiam Hispaniæ adscripsit Tamayus.*

AUCTORE J. P.

DE SANCTIS MARTYRIBUS LAODICENSIBUS

MINISEO ET TISICO

Ex Hieronymianis. J. B. S.

XXIII JULII.

Hieronymianorum codicum laterculus hoc die desumendus est ex Lucensi et Corbeiensi, quorum ille legit:* In Laudicea Frigiæ, natalis S. Menisei, Tysici; *alter paulo purius:* In Laodicea Phrigiæ, natalis SS. Minisei, Tisici. *In Epternacensi corrupta nomina,* Mœnisi et Sicci; *in reliquis confusio, dum Primitiva et Apollinaris, cum repetito* Tisico *connectuntur. Textum confirmant codices contracti, non absque aliqua mutatione; Richenoviensis enim habet:* Et in Laodicea, Minisei, Tisiciæ, *ubi abradenda sola ultima littera. Labbeanus ipsissima nomina refert, male ipsis adnectens* Primitivum. *In Rhinoviensi deest* Tisicus, *quem Notkerus in* Isichium *transformavit. Vera est, opinor, saltem verosimillima lectio nostra, dum nihil subsidii aliunde suppetit.*

B E

DE S. RAVENNO ET RASIPHO MART.

BAJOCI IN NORMANNIA GALLIÆ.

Ex Officiis Bajocensibus. J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus, patria, Reliquiarum translatio et profanatio.

C

XXIII JULII.

Solemni cultu Bajocis honorati

Si tam nota explorataque essent horum duorum Sanctorum fratrum gesta, quam sit celebris ipsorum apud Bajocenses in Normannia cultus, non multi illustriores Sancti in Ecclesia invenirentur: siquidem aliqualia eorum Acta ex Officiis ecclesiasticis Bajocensibus accepta præferunt, solennissimo istic festo hoc die recoli, duplici videlicet primæ classis majoris, et quidem cum Octava duplici, uti loquimur, idque ob sacra corpora Maciaco prope Sagium eo translata seculo* XI, *sedente Hugone II, ut ex historia inferius danda etiam testantur Sammarthani. Liber Ms. prædictæ Bajocensis ecclesiæ, ex quo lectiones desumptæ sunt, præfert quidem annum* 1552; *ipsæ vero ad Majores nostros transmissæ sunt anno* 1665 *a P. Nicolao Nau, testante, se plura vidisse exemplaria earumdem et forte aliarum, quales et apud nos exstant, quæ prius ad nos missæ fuerant a laudato sæpe nostro Frederico Floueto* XXV *Martii* 1644; *tum et aliud Vitæ compendium penes nos est a P. Joanne Gamans Colonia destinatum anno* 1638.

2 *At priusquam de istis agimus, ea commemoranda sunt, quæ de præfatis Sanctis in Martyrologiis recentioribus referuntur, tacentibus classicis omnibus, saltem quæ nobis nota sunt, ut diu sepulta fuisse videatur Sanctorum istorum memoria, usque adeo postmodum illustrata iis seculis et occasionibus quæ satis obscure in Officio commemorantur, Hermantio Maltoti parocho in Historia Diœcesis Bajocensis anno* 1705 *edita permodicum lucis afferente, ubi a pag.* 24 *ad* 28 *ea ferme gallice reddit quæ in lectionibus nostris continentur. Præcipua ejus annotatio eo potissimum dirigitur, ut contra Saussayum ostendat, non in Armorica seu minori Britannia Galliæ natos fuisse Sanctos, sed ex majori Britannia in Normanniam commigrasse, ubi pro* Ravenni *nomine in Anglia olim usitato, adducit Monasticum Anglicanum et id genus alia, quæ pro fratre et socio* Rasipho *non æqualiter probant, verum quæ in controversiam revocare hic non lubet. Castellanus omnia paucis expedit Sanctos perperam referens die sequenti. En Martyrologiorum textus.*

antiquis Martyrologiis incogniti sunt,

F

3 *Jam dixi, in vetustioribus Sanctos ipsos omnino prætermissos, ut antiquissimus, nobis hactenus notus, sit auctor Florarii Ms., quem medio seculo* XV *scripsisse, non uno loco jam diximus. Sic habet ipse hoc die:* Item sanctorum martyrum Ravenni et Rasiphi fratrum, *omissa positione seu cultus loco; quem nec Grevenus expressit, de* S. Ravenno *solum adjiciens quod presbyter fuerit:* Eodem die, Ravenni presbyteri et Rasiphi fratrum; *quibus superaddidit Canisius, quod* in Bajocensi ecclesia quiescant. *De solo* Rasipo *et in alteris editionibus* Rasipho *loquitur*

a recentioribus laudati,

AUCTORE J. B. S.

loquitur Molanus, ut supra dictum est, dubium relinquens quem Rasiphum *indicet, Romanumne, de quo jam egimus, an Britannum, Bajoci tam solenni cultu celebrem. Ferrarius in Catalogo generali, citans* Canisium et tabulas Bajocenses, *solius* Ravenni *meminit, non satis fideliter: timuerit fortasse, ne* Rasiphum, *quem martyrem Romanum arbitrabatur, in Normanniam transferre videretur. Malim ego geminos synonymos admittere, alterumque Romæ tribuere, in fide allegatorum supra qualiumcumque monumentorum, alterum vero Normannis vindicare, apud quos nimirum tam insignia apparent venerationis argumenta.*

maxime a Saussayo.

4 *Nunc Saussayum audiamus de Sanctis nostris in Supplemento ita prædicantem:* In Sagiorum agro, qui est in districtu metropolis secundæ Lugdunensis, natalis sanctorum Ravenui et Rasiphi martyrum, qui germani fratres ex minori Britannia oriundi, Christi Domini cum doctrinam suos gentiles edocerent, patria pulsi, desertum quemdam locum, cui Mathiacus nomen, prope Sagiorum urbem, ad divinis rebus quiete insistendum petierunt: ubi dum ferinis tecti pellibus, herbarum radicibus victitantes, orationibusque et vigiliis incumbentes, gratiæ lumina spargerent, incolarum ad se concursum excitaruut; quos Ravennus, medicinæ non rudis, divino superveniente auxilio, ægritudinibus sublevabat; simulque cum Rasipho fratre, cœlesti medela mentes eorum recreabat: donec fremente satana, judex loci hac fama exulceratus, emissarios misit, qui sine examine Servos Dei impetentes, Christi a præconio quod non cessarent, immani feritate trucidarunt. Quorum beatorum Athletarum memoria, non modo ubi occubuere, clara illa vicit *, sed etiam ad Bajocenses dilatata est, ubi pretiosa eorum spolia patrociuii titulo fuerunt transvecta.

* *voluit dicere, opinor,* inclaruit

Quæritur ipsorum patria.

5 *Habes ipsissima Saussayi verba, nempe* ex minori Britannia oriundi, *quemadmodum etiam loqui fatetur Hermantius hodiernas Breviarii Bajocensis lectiones, quas æque ac Saussayum valide impugnaret ipse, si satis constaret (uti supponit, non probat) ad seculum Christi quartum revocandam esse Sanctorum cædem seu martyrium, utpote quo seculo necdum in Gallia auditum fuerit nomen* minoris Britanniæ, *sequenti primum, jam adulto inditum, dum veri Britanni, Saxones grassatores fugere compulsi, in eam provinciam se receperunt quæ tum temporis constanter diceretur,* Gallia armorica, *a novis istis Britannicis incolis novam appellationem adepta. Si itaque Sancti vel ad Juliani apostatæ tempora pertinere censeantur, vincit sane Hermantius; at quo solido argumento id adstruere possit, equidem non perspicio: tam enim obscura sunt Sanctorum istorum brevissima Acta, seu meræ lectiones, ut de ipsorum ætate nihil facile statuendum sit.* Herembertus *autem* presbyter, *num.* 5 *laudatus,* *Francici aliquid sonat, quod Juliani temporibus in Gallia non ausis admittere*; *nec* constructio ecclesiæ *in iis partibus seculum* IV *redolere videtur; ut mirum prorsus non sit, si Britannia minor tunc nota fuerit, ex qua barbarus aliquis, qui in Actis qualibuscumque ubique idem est, Sanctos ad mortem usque persecutus sit.*

De ultima translatione,

6 *In rebus versamur maxime incertis et dubiis, munere nostro abunde functi, si historiæ substantiam sartam tectam tueamur. Facilius subscribimus Hermantii opinioni, qua historiam translationis, lectionibus subjunctam, explicans, censet, Maciacenses seu Mathiacenses, dum dicuntur sacras suas reliquias* propter metum gentilium, ne ab impiis contaminarentur, ad S. Vedastum deportasse, *id verosimillime facere aggressos dum Normanni seu Dani seculo* IX *Gallias misere depopularentur; relictis in sua S. Albani ecclesia tenuibus sepulcrorum vestigiis, quæ hodiedum in honore esse Bajocensis historicus testatur pag.* 25. *Porro revelationis et alterius translationis historiam seculo* XII *scriptam oportet, cum Hugo II et Odo Bajocenses episcopi memorentur, quos seculo* XI *floruisse constat; Bernardus vero iste rei totius narrator, omnia sibi* adolescentulo devote retulisse *asserat* Odonem de S. Sampsone, sicut ab his qui viderant et interfuerant didicerat, eum esset idem vir prædicti nobilissimi Odonis amantissimus nepos; *ut tota ultimæ istius translationis series satis tuto admitti posse videatur. Utinam Bajocensibus adeo felicibus esse licuisset, ut hoc etiam tempore pretiosissimo suo thesauro fruerentur!*

et reliquiarum dissipatione per Calvinistas.

7 *Subiit is, teste laudato Hermantio pag.* 27, *communem illam et luctuosam sortem, qua per tot alias Galliæ ecclesias impiorum Calvinistarum prædatorum rabies in sacra Sanctorum lipsana fœde grassata est anno* 1562, *dum in Cadomensem arcem deportatus, cum multis aliis profanatus est, pretiosis lipsanothecis libidini et avaritiei sceleratissimorum militum relictis. Addit autem, ecclesiam collegiatam castri Grancei in Burgundia, seu potius Campaniæ finibus, etiam hodie non modica sacrorum istorum pignorum parte gaudere, quam nempe in ea templorum Bajocensium exspoliatione collegerit is qui postea sub Mareschalli Fervaquii nomine seculo* XVI *satis notus fuit. Utrum vero eædem istæ ibidem hodiedum conserventur honorenturque, exploratum non habeo. Superest modo ut lectiones ipsas Bajocenses, quales ad Majores nostros olim transmissas diximus, cum ipsa translationis historia subjungamus, prætermisso breviori compendio, ex codice Cartusiæ Coloniensis, Gamansii opera accepto; cum nihil contineat, quod non paulo fusius in ipsis lectionibus enarretur. Solam collectam subjicio, quæ est hujusmodi:* Propitiare, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis, per sanctorum martyrum tuorum Ravenni et Rasiphi merita gloriosa, ut eorum pia intercessione, ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum, *etc.*

VITA

Seu lectiones in festo duplici solenni primæ classis majoris cum octava.

Ex libro Ms. ecclesiæ Bajocensis anni 1552.

Fidei prædicandæ intenti fratres

Sicut priusquam terras splendidior solis illustret radius, auroræ matutinæ præcedit diluculum; sicque sensim, cæcitate detersa caliginum, præclarius postmodum solis splendore perfruimur: ita etiam tenebris nostræ ignorantiæ apostolica sunt apposita dogmata, quibus dicitur

A dicitur a Domino : Vos estis lux mundi, ut competentius deinceps totius orbis ambitus, resolutis primo paulatim tenebris delictorum, veri solis justitiæ Christi Domini, de quo scribitur : Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ, fidei susceptione potiri mereatur. Ex horum igitur electorum Dei sacrosancto collegio, duo feruntur insignes viri, Ravennus scilicet et Rasiphus, quos occiduis partibus progenitos, Britannia scilicet editos, genere germanos, fidei etiam et morum germanitate consocios præsignata relatione cognovimus; genere quidem illo nobiles, sed fidei merito clariores. Qui Ravennus dum plurimis ornatus virtutibus, secundi ordinis, ob vitæ sanctæ meritum, sacerdotii scilicet suscepisset officium; ut bonus miles Christi, verbo pariter et exemplo, incolarum algentia pectora calore sanctæ fidei rigida, hortamentis et institutis salutaribus informabat assidue docens fidem, unius Dei solummodo culturam, a dæmonum superstitionibus esse declinandum, et ad fontem sanctæ regenerationis, sine quo non vivitur, esse currendum.

B

a barbaro principe pelluntur :

2 Cum igitur his aliisque documentis populos ad cœleste regnum invitare, terrena quoque et transitoria postponere, et æterna solummodo moneret diligere : inimicus generis humani, hostis et invidus totius boni, ne vasa quæ sibi captivando subdiderat, perderet; dolos suæ malitiæ contra sanctos Domini Ravennum scilicet et Rasiphum, qui uno eodemque instantiæ studio, contra diabolica tela dimicando, certabant, instanter ostendere nititur, ac primo principem ejusdem regionis contra Sanctos Dei inflammare conatur : cujus quidem nomen idcirco divinitus, ut credimus, nesciri permittitur, aut quia scilicet est barbarum, et ideo antiquorum stylo incognitum, vel etiam sicut cœlesti memoriæ indignum, ita est scripturis ecclesiasticis alienum. Hujus igitur dira et immanissima persecutione Electi Dei a solo patrio submoti, urbis Sagiorum vicinia sunt advecti; loco qui nunc Matiacus, tunc autem vasta solitudo, et inhabitabilis eremus habebatur. Hi ergo cum ad prædictum accessissent locum, et essent humanis aspectibus

C invisi, nullo modo tamen cœlesti solatio destituti, strenue in Dei laudibus vacabant, et jugi orationum instautia profuuda ipsius solitudinis occupabant.

sed cum apud Sagium multos converterent,

3 Sed non multo tempore superna clementia Servorum suorum certamina latere permisit ; neque lucernam sub modio positam abscondi diutius passa est, quin ad multorum notitiam perducere, et per eosdem beatos Viros incolas regionis ejusdem doctrinam salutis æternæ percipere larga pietate concessit. Denique sacerdos Dei Ravennus, medicinalibus studiis educatus, debilibus non modicam curationis gratiam afferebat; et quos fovebat corpore, virtute etiam animabat salutis æteruæ. Rasiphus interea qualibet ætate junior, non dissimili actuum operatione cooperabatur germano : quorum unum idemque erat studium, opem pro viribus ferre mœrentibus, infirmis succurrere, omnes ad Christi gratiam convocare, cunctisque cœlestis verbi pabula ministrare. Cum inter hæc fama Sanctorum non ignobilis vulgi celebraretur officio, et per multorum ora devolitans per innumera loca decurreret; fertur ad præsignati principis notitiam tantæ sanctitatis opinio convolasse : qui EX MS.
præmeditati furoris in Servos Dei spicula patrare pertractans, illico apparitores deputat, et ad locum quo Servos Dei fama inesse retulerat, destinare maturat : subjungens sui præcepti edicto, ut repertis beatissimis Viris, funestas manus in eorum neces injicerent, nec quemquam eorum deinceps mortali luce perfrui sinerent.

a submissis sicariis tantum non necantur.

4 Venientes autem carnifices, Electos Dei solito sanctis actibus loco ante fato, fonte quodam irriguo, vacantes conspiciunt : sicque jussis parere festinant ; adeo ut Ravenni corporis brachio dextro exempto, mortem, ut creditur, se intulisse putarent ; Rasiphum autem omuibus pene membris decerperent, sicque tyranno, quæ sibi imperata sunt, expresse nunciarent. Præsenti igitur vita functo Rasipho, adhuc Ravenno superstite, sed de fraterno solatio suspirante, cœleste sanctis Viris contigit suffragium adventasse. Jugi enim orationum instantia Ravenno supplicante, anima fratris, redivivo reassumpto cadavere, et mœstitiam abstulit fratri, et gratulabundæ exultatiouis lætitiam utrisque contulit

E

Sanctis. Post aliquanta autem consolationis alloquia, feruntur de ipsius fontis irriguo herbas suis sumptibus jam dicti Viri sumpsisse; quibus panis solummodo, et aqua cum herbarum radicibus, lignorumque corticibus, omni eremi tempore refectionis esuriem dicitur amovisse : intonsi semper et illoti absque ulla mutatione vestium conversantes; cilicio et pellibus pecudum vilibusque tegumentis obtecti. Trium igitur hebdomadarum spatio a tempore illo certatim se in Dei laudibus exercentes, jejuniis, vigiliis, et orationibus pariter insistentes, ad coronam immarcescibilis gloriæ invitati, ut egregii milites Christi Rasiphus decimo Kalendarum Augusti; Ravennus die sequenti, nono scilicet ejusdem mensis, hoste debellato sævissimo, percepto cœlestis militiæ trophæo, felici cursu corpora humo, animas cœlo beatissimas reddidere; opitulante gratia Domini nostri Jesu Christi. Cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Constructa ecclesia, et eorum miracula.

5 Quæ autem hæc divina virtus horum Sanctorum interventu, operata sit, breviter referam ; et ad sequentium uotitiam quod præsentibus claret, perducere charitate cogente curabo.

F

In eisdem diebus nocte sabbati designatum est Herimberto, ejusdem eremi presbytero, ut planarentur valles ad constructionem ecclesiæ, in loco quo nunc subsistit; et cum alicubi jam esset pars ædificii usque pene summa tegminum constructa, ipsa divinitus ruente, quæ nunc visa est, perficitur. Nec multo post, in eo loco quo erant scilicet corpora tumulata, membris omnibus debilis Emeltrudis, ejusdem regionis accola, omni virtute corporis, sensu quoque loquelæ restituitur, quo per quinquenuium caruerat, omni circumstante populo die solemni. Similiter et alia Elberta dicta Luxoviensis duodennis ægrota, reformata est virtute divina; quæ aliorum ulnis devecta, stabili gressu repedavit ad sua. Interea Otarius amentiam passus, cujusdam sanctæ religionis feminæ famulus, ad præfata Sanctorum corpora convolans, integritatem sensus, auriumque recepit, sicque oblatione ejusdem matronæ, eorumdem Sanctorum servitio perpetuo mancipatur obsequio. Plures etiam tertiani, quartani, nec non et quotidiani typi vexatioue solvuntur. Tres

EX MS. Tres etiam optato cæcati lumine, pietate divina sunt restituti post translationem sanctorum corporum. Quædam dæmonio vexata, Edelberga de Nonanto, ejusdem provinciæ villa, carpento devecta, vinculisque constricta, pristinæ redditur sanitati. Bajocassinus quidam puer, Benignus dictus, membrorum vexationem perpessus, bis ad Sanctorum recurrit præsidia, et optatæ quietis recepit suffragia. In Andovilla, puella erat paralytica, quæ diebus sanctarum Rogationum, fidelium manibus delata ad loca Sanctorum, cœlestis medicinæ persensit virtutem.

HISTORIA TRANSLATIONIS.

Metu impiorum gentilium,

Dilectis fratribus suis et amicis, cunctis Bajocensibus canonicis et omni clero, frater Bernardus Dei servus, fidelium munus precum, et
B devotum servitium. Ad honorem summæ Trinitatis, quæ Deus unus et verus est, sanctitati vestræ notum, fratres charissimi, facimus, licet dilectio vestra id ipsum melius noverit, qualiter beatorum et præclarissimorum martyrum Ravenni et Rasiphi pretiosa corpora ad locum, ubi nunc divina dispositione et sua electione venerabiliter sunt translata, adorantur. Cum post ipsorum Martyrum beatissimam passionem, a fidelibus sepulturæ tam pretiosus thesaurus non satis digne reconditus esset, multis revolutis annorum curriculis, propter metum gentilium, ne ab impiis contaminarentur, per signa micantia cœlitus ostensa, ad quemdam locum, qui in hac ipsa provincia hodieque ad sanctum Vedastum dicitur, deportatus est. Cum itaque de Mathiaco (sic enim locus ille ubi prius fratres piissimi sepulti sunt vocitatur) ab incolis [auferretur]; qui locus a Sagiensi urbe uno fere milliario distat, ubi nunc eorum sepulcra habentur in ecclesia ipsorum nomine et honore condita et conservata, tale miraculum majestas divina demonstrare dignata est. Cervino scilicet corio ossa tam beata et tam pii
C cineres cum linteaminibus obvoluta et super lecticam composita, duobus equis onus tam suave trahentibus, ad locum quemdam, qui Traciacus dicitur, cum venissent, ita immobiles equi illi effecti sunt, ut nec flagellis cæsi, nec calcaribus cruentati moveri potuissent.

atio translata sacra corpora,

2 Quod cernentes viri, qui hujus viæ ductores erant, a quodam viro ditissimo, qui illius loci temporalis dominus erat, et multis animalium agrestium gregibus abundabat, duos equos, qui onus istud et cœlestem thesaurum levius deferrent, misericorditer petierunt. Quibus ille : En, inquit, equarum agrestium, quæ omnes mei juris sunt, innumeram fere multitudinem consideratis ; ex his duas accipite si potestis, ut videamus et cognoscamus, si divina virtus refulgeat in Martyribus istis. Quod cum fecissent, miro modo agrestes equæ ita se quietas et indomitas inclinaverunt, ut sacra Fratrum corpora nihil recalcitrantes usque ad prædictum locum, qui sancti Vedasti cognomine dicitur, mansuetissime deferrent. Quo in loco ecclesiola extra villam ob eorum amorem et honorem condita est, in qua sub altari in arca saxea multo tempore quieverunt. Tempore autem illo quo sanctam Bajocensem ecclesiam Hugo D
venerabilis episcopus decenter regebat, in eadem villa sanctimonialis quædam, per multos annos omni sanctitate et pudicitia Domino serviens, dum nocte quadam jejuniis et orationibus fessa in lectulo suo quiesceret, astare sibi conspexit duos præclarissimos Viros, alterum in habitu sacerdotis, alterum in habitu medici, talia sibi divinitus præcepta ferentes : Vade, inquiunt, ad civitatem summo diluculo, et dic Hugoni, qui est in ea episcopus pius et bonus : Accelera, pater sancte, et quorumdam Martyrum corpora, qui in ecclesiola tali quiescunt, transferens, celebri in loco constitue. His autem auditis, patenti cœlo recepti sunt.

seculo XI sanctimoniali revelantur,

3 Mulier autem illa, anus sancta, suavi de somno evigilans et probare volens spiritus si ex Deo sunt; jejuniis et orationibus. jejunia et orationes augmentavit, usque ad secundam revelationem. Post dies autem octo, cum nocte quiesceret, assunt denuo piissimi Fratres, eadem quæ et supra monita deferentes. At illa : Qui enim estis, domini? Et quæ sunt nomina vestra? At ille qui major natu videbatur : Ego, inquit, Ra- E
vennus dicor, frater vero meus iste, Rasiphus. Surge cito, et refer episcopo omnia quæ tibi revelata sunt. Quod si non feceris, ira Dei super te veniet. Inveniuntur autem nostræ reliquiæ sub altari illo ad viginti pedes in corde terræ repositæ. Denique cum supra memorata mulier evigilasset, usque ad octo nihilominus dies Dei clementiam exspectabat, memorans illud Davidicum : Universi qui te exspectant non confundentur Domine. Factum est autem cum ad tertiam revelationem ventum fuisset, astiterunt ei prædicti sanctissimi Fratres comminantes et fremebundi. Quare, inquiunt, non annuntiasti, cum opera Dei nuntiare etiam regibus honorificum sit, quæ tibi divinitus imperata sunt? Quibus illa : Cras, inquit, orationibus et auxilio vestro munita, tam episcopo, quam omni clero, omnia quæ præcipere dignati estis, cum gaudio et lætitia divulgabo. Statimque Viri illi vultus habentes angelicos, et cœlesti splendore micantes, beatitudinis suæ palatio feliciter restituti sunt. F

a qua monitus episcopus Bajocensis,

4 Mane autem facto, Deo digna muliercula illa ad urbem properans, licet cum difficultate ingressa, venerando præsuli omnia supradicta sicut viderat et a beatis Martyribus edocta fuerat, suppliciter enarravit. Quibus auditis, venerandus heros, convocato omni clero et multitudine populi non modica, totus in lacrymas resolutus, et Deo gratias referens, ad locum prædictum properare non distulit ; et licet longo confectus senio, nudis tamen cum ceteris, pedibus incedebat. Intrantes autem in ecclesiam illam cum laudibus et hymnis cœlestibus et devotis orationibus ; sicut beati Martyres dixerunt, altare illud vetustissimum suaviter et cum magna reverentia deposuerunt. Fodientes vero usque ad viginti pedes, arcam saxeam, et in arca beata Fratrum corpora, odore cœlesti fragrantia, et ipsorum beatos cineres, sicut prædiximus cervino corio et pannis involuta invenerunt. Et gratias agentes summi creatoris et recreatoris nostri magnæ clementiæ, quasi in paradisi amœnitate se esse positos æstimantes, cum magnis laudum præconiis gaudentes, et exultantes ad urbem regressi, pretiosas vere cœlestes margaritas omnique seculo

A culo profuturas lætissime detulerunt: tantusque suavitatis odor per totam viam, per totam quoque provinciam illam hac ipsa die efferbuit, ut plusquam viginti, vel etiam triginta utriusque sexus homines a diversis infirmitatibus liberari meruerunt; Domini Salvatoris clementiam et beatorum Martyrum merita prædicantes.

in cathedrali sua ea honorifice recondit.

5 Et quoniam, eodem tempore, ab eodem episcopo basilica, quæ nunc usque superest, in honore beatissimæ Dei Genitricis construebatur, altare cujus ceteris altaribus digne præfertur, altare quod secundum est, in honore et nomine horum Fratrum et martyrum condidit, et super illud has pretiosas reliquias in capsa auro et argento, pro temporis opportunitate ornata et præparata decenter composuit. Quo in loco tantis miraculorum et sanitatum beneficiis coruscant, ut si omnia scriberentur, vix totus mundus tot et tanta mirabilia posset comprehendere. Pontificante vero magno et sublimi viro Domno Odone hanc matrem nostram, sanctam videlicet ecclesiam Bajocensem, tam digniter quam sublimiter, majoris dignitatis et honoris præcipui pretiosam et B mirabiliter auro obrizo et gemmis micantibus dignissimam aliam, in qua materiam opus superare videtur, sibi per divina et præclara miracula adquisierunt, quoniam nobis et omni fere populo satis notum est, non est meæ parvitatis revolvere. Hæc omnia cum adhuc adolescentulus essem, vir piissimus et devotissimus jam monachus, Odo de sancto Samsone, sicut ab his qui viderant et interfuerant didicerat, cum esset idem vir prædicti nobilissimi præsulis Odonis amantissimus nepos, mihi devote retulit. Ego vero licet imperitus et scientia, et gratia sermonis, quoniam hæc a multis ignorantur; ingrato silentio contegi nolui metuens iram Dei, si generationi venturæ tanta Dei magnalia non patefacerem. Per omnia benedictus Deus, qui superbos humiliat et exaltat humiles.

C

APPENDIX

Ex hodierno Bajocensi Breviario.

Acceptæ Bajoco lectiones hodierni Officii

Dum iis, quæ hactenus data sunt, disquirendis digerendisque occuparer, nihil antiquius habui, quam ut more Majorum, ex fonte, seu ex loco ipso, ubi Sancti coluntur, subsidia quærerem; si forte ex novis Officiis aut aliunde quidquam suggeri posset, quo res tota paulo magis illustraretur. Solitus recursus fuit ad officiosum juxta ac solertem auxiliatorem nostrum in Gallia P. Stephanum Chamillart, litteratis notissimum, cujus opera cum Breviarium integrum nancisci non possem, id certe obtinui, ut inde describerentur quæcumque de SS. Ravenno et Rasipho ibi hodiedum recepta sunt. Præstitit id Chamillartii rogatu non segniter noster item P. du Tertre, qui manu sua ex eo Breviario, anno 1665 *auctoritate Francisci de Nesmond, tunc ecclesiæ Bajocensis antistitis edito, propria omnia per totam solennem octavam ad verbum descripsit. Præmittitur oratio superius data, ordinanturque omnia per dies singulos, sic tamen ut Officium de Sanctis proprium solum fiat primo et ultimo die.*

AUCTORE J. B. S.

inferius dantur.

2 *Illo igitur, seu* XXIII *Julii, in secundo nocturno lectiones* IV, V *et* VI *ea compendio recitant, quæ modo paulo fusius ex vetustiori Officio dedimus, in eo tolerabiliores, quod quæ ibi gravius offendunt, in his prudenter rescissa sint.* XXIV, *seu secunda die infra octavam in lectionibus nihil sanctis Fratribus proprium occurrit;* XXV *fit de S. Jacobo;* XXVI *de S. Anna;* XXVII *est quinta dies infra Octavam, sed nec ibi quidquam proprii;* XXVIII *Julii festum S. Pantaleonis;* XXIX *S. Marthæ;* XXX *demum Octava dies ultima est, quando in secundo nocturno lectiones* IV, V *et* VI *translationes etiam paulo brevius narrant, ut mox clarius perspicies. Quid Sabbato et Dominica infra octavam præscribatur, nihil attinet hic observare; id solum volumus, manifeste pateat, quæ modo sit Bajocensium de sanctis suis Ravenno et Rasipho constans et perpetua traditio. En modo lectiones tres in ipsa solenniori festivitate.*

IN SECUNDO FESTIVITATIS NOCTURNO.

E

Lectio iv. Ravennus et Rasiphus germani fratres, in Britannia minore nati, virtutum splendore longe nobiliores fuerunt. Quorum quidem natu major Ravennus, cum esset ad sacros ordines ob insignem pietatem promotus, sacerdotis apostolici partes ex animo suscepit. Assumpto igitur in partem laboris fratre Rasipho, dum regionis incolas, idololatriæ tenebris involutos, fidei præceptis imbuunt, ambo a provinciæ præfecto patria pulsi, Neustriam petunt, et in desertum locum, Sagiorum urbi vicinum, qui nunc Mathiacus dicitur, se conferunt, vigiliis, jejuniis, et orationibus majorem operam daturi. Tu autem, Domine, *etc.*

Lectio v. In hoc deserto cum herbarum tantum radicibus vitam sustentarent, revelante tandem Deo, sanctitas ipsorum manifestari omnibus. et ingens populi concursus ad eos fieri cœpit. Ravennus enim dum adjuvante fratre Rasipho, ægrorum corpora ope medicinæ sublevaret, mentes interim cœlestis pabuli alimento reficiebat. Auditis tot curationum miraculis, ira æstuans Neustriæ F præfectus, stimulante dæmone, sicarios mittit, qui nefarias in eos manus injicerent. Tu autem, *etc.*

Lectio vi. Properant impii sicarii, inventosque Dei Servos divini verbi præconio, ægrorumque curationi incumbentes, multis vulneribus afficiunt. Ravenno dextrum brachium amputatur: totum Rasiphi corpus repetitis ictibus comminuitur; tot denique plagis ambo confodiuntur, ut suo purpurati sanguine in cœlum migrarint, immortalis coronæ præmium recepturi. Horum corpora a Christianis in deserto sepulta diu delituerunt, donec manifestata divinitus ipsorum gloria, super eorum sepulcrum ecclesia ædificata est, in qua multi variis affecti languoribus gratiam sanitatis sanctorum Martyrum intercessione a Deo recipere meruerunt. Tu autem, *etc.*

IN DIE OCTAVA.

Lectio iv. Cum per multos annos SS. marty-

EX MS. rum Ravenni et Rasiphi corpora in ecclesia Mathiaci quievissent; ne ab impiis contaminarentur, non sine miraculis ad sancti Vedasti locum agri Bajocensis translata sunt : ubi in ecclesia sub eorum invocatione constructa, subter altare, diu in arca saxea condita fuerunt. Quo tempore autem venerabilis præsul Hugo secundus Bajocensem regebat ecclesiam, mulier quædam sanctimonialis in eadem villa commorans, ter diversis diebus, duos viros astantes in somnis sibi videre visa est, a quibus juberetur episcopum adire, eumque monere, ut Sauctorum corpora alio transferret. Tu autem, *etc.*

Lectio v. Paret jussis mulier, Hugonem adit, narratque ex ordine quæcumque viderat; qui ubi compertum habuit, revelationem esse a Deo, gratias Deo egit, statimque sanctorum Martyrum corpora in ecclesiam Bajocensem, quam tunc construebat, transferre decrevit. Convocatis igitur clero et populo, licet jam longo senio confectus, nudis tamen pedibus cum ceteris, prædictum sancti locum Vedasti petiit. Ecclesiam ingressi, altare, sub quo jacebant corpora, destru- B xerunt, effossaque terra usque ad viginti pedes, D arcam saxeam invenerunt : qua reserata, sublatisque pannis, suavissimus emanavit odor, et ossa Sanctorum cervino corio involuta apparuerunt. Tu autem, *etc.*

Lectio vi Tum sacerdotes magna reverentia sacras reliquias tollunt, eosque pretiosis involvunt pannis; impositasque humeris, clero psalmos concinente, plaudentibusque populis, Bajocas deferunt; et in majori basilica, capsula auro argentoque ornata inclusas, super altare, in ipsorum honorem erectum collocant. Innumeris miraculis sauctorum Martyrum gloriam, tum ipso translationis die, tum postea in ecclesia Bajocensi Deus manifestavit. Quibus permotus Odo primus, Hugonis successor, cum eamdem ecclesiam absolvisset, et eximio opere decorasset, SS. Fratrum corpora, in altera capsa, partim ex auro obrizo confecta inclusit, in qua per aliquot secula pretiosæ Martyrum exuviæ cultu condigno servatæ sunt, donec anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Calvinistæ eas cum multis aliis Sanctorum reliquiis igni tradiderunt. Tu autem. E

DE S. LIBORIO CONFESSORE

EPISCOPO CENOMANENSI IN GALLIA, PATRONO PADERBORNENSI IN WESTFALIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

Joannis Bollandi e Societate Jesu.

C

PRÆFATIO.

Tria mihi breviter monendus es, pie et benevole lector : cujus consilio et auctoritate inductus hunc scripserim libellum; qua methodo; quem ad finem.

Illustrissimus D. Peregrinus Carlenus, abbas S. Mariæ, Amerinus, dum Monasterii, Westfaliæ primaria urbe, agitatæ plures per annos pacificationis causa versatur, ad nephriticos, quibus cruciabatur, dolores leniendos, præsentem *S. Liborii*, Cenomanorum in Gallia episcopi, ac Paderbornensium patroni, opem expertus, aliquas ejus reliquias a canonicis Paderborneusibus obtinuit : quæ Ameriam deportatæ, solenni pompa ab episcopo ejus urbis Gaudentio Polo, magna populi universi gratulatione, exceptæ, sparsa celeriter per Umbriam vicinasque provincias fama, multis et pietatis incitamentum, et remedium istiusmodi ægritudinum exstiterunt. Dein edoctus idem Carlenus, collectas a me plurimorum Sanctorum res gestas, earumque jam partem publicatam, rogavit, ut *S. Liborii* Acta sibi transmitterem. Quod eodem fere tempore me quoque poposcit excellentissimus D. Franciscus Nerlius, Valderii comes, summi Mantuæ magistratus præses, ducissæ Mariæ viduæ regenti a F consiliis interioribus, serenissimi ducis Mantuani ad eosdem tractatus pacis uuiversalis legatus plenipotentiarius. Utrique ut obtemperarem, examinare *S. Liborii* Acta cœpi. Cumque ex illustrissimo episcopo Neritonensi Fabio Chisio, ad eumdem Monasteriensem conventum Pontificis nuntio, didicissem, magnam recens in Italia adversus Sanctum hunc excitatam pietatem; statui, ut pluribus gratificarer, eodem hortante atque omnem operam conferente Carleno, Vitam hanc seorsim vulgare, quæ ad XXIII Julii inserenda majori nostro Operi erit.

Hæc occasio scriptionis; methodus vero, quæ in editis a nobis antehac voluminibus. Præmitto dissertationem in novem distributam paragraphos, e qua constet, quo is seculo vixerit, quo decesserit die, quo ejus agatur in ecclesiasticis Officiis memoria; Vita a quo, quando scripta, unde edita a nobis; quando, reliquiæ Paderbornam, per quos, quave pompa allatæ, quam infelici omine ab hæreticis illinc absportatæ, mox recupe-

AUCTORE J. B.

A recuperatæ, novoque ornatu decoratæ, pars Carleno abbati donata. Tunc Vitam ejus quadruplicem, ac geminam translationis historiam subjicio, primigenio veterum auctorum stylo ; in capita tamen, lectorum commodo, divisa est, si quæ prolixior erat narratio. Addidi breves annotationes, quibus vel variantes in manu exaratis codicibus lectiones indicantur, si quæ alicujus momenti sunt, præsertim in propriis locorum hominumque nominibus; vel alia obscuriora illustrantur. Vitæ ac translationi, narrationem subnecto reductionis reliquiarum, a viro nobili descriptam, qui eam curavit. Tum tabulas monasterii confectas, ecclesiæque Amerinæ Acta recito, e quibus constet, veras *S. Liborii* reliquias abbati Carleno legitime a Paderbornensibus canonicis donatas, et pie honorificeque exceptas Ameriæ. Post hæc recens beneficium Romulo Cerighello Amerino centurioni a *S. Liborio* præstitum, ex ipsiusmet Romuli ad Carlenum abbatem epistola, breviter commemoro ; simile item aliud Joanni Clementino Amerino turmæ equestris ductori collatum. Ad extremum hymnos aliquot veteres subnecto, ad *S. Liborii* laudem scriptos, canique solitos ; oden Sapphicam ante annos CXX compositam, ac quina epigrammata, quæ quidam e Societate nostra in *S. Liborii* honorem cecinit, cum Ameria trausiret Laurctum proficiscens, deque illius ad nephriticorum dolorum allevamentum efficaci patrocinio cognovisset.

B

Illud porro specto præcipue, ut Dei, qui in Sanctis suis honoratur, gloriam amplificetur, ac plurimi auxilium *S. Liborii* experiantur, in ea præsertim, quam dixi, ægritudine. Ad cujus curationem adeo multa, paucis annis, quibus ea tentari cœpi, suggesta mihi remedia sunt, ut, si describere breviter omnia velim, non exiguum confecturus mihi videar volumen. Ad hos enim et consimiles morbos quivis fere medicum se profitetur, veteri Babyloniorum more, quem narrat in Clio Herodotus. Neque possum inficiari, nonnulla ad eos saltem leniendos prodesse ; sed nullum lenius certiusve divina ope, Sanctorum patrocinio conciliata. Quod pluribus firmare testimoniis exemplisque nil attinet. Plurima hoc in genere feruntur S. Drogonis, qui in Seburgo Hannoniæ vico, haud longe ab urbe Valencenis, XIV Junii colitur, miracula. S. Benedictus quoque, uti Leo Ostiensis lib. 2. Chronici Casin. cap. 44 auctor est, S. Henrico imperatori, acribus tunc doloribus vexato, apparuit, edixitque fore, ut primo mane tres simul emitteret grandiusculos, lapides, et ex tunc dolore numquam ultra detineretur. Responditque nocturno viso eventus; quo ille motus, unaque Pelegrinus sanctissimus Coloniæ Agrippinæ archiepiscopus plurimis opulentissimisque donariis Casinense cœnobium ornarunt : quæ Leo idem, et in elogiis abbatum Casinensium commemorat Marcus Antonius Scipio Placentinus.

C

Celeberrimum porro, quod ad istas calculi curationes attinet, *S. Liborii* nomen. Neque frustra illius, mihi crede, quicumque huic obuoxius es malo, auxilium implorabis. Quibus autem potissimum actionibus virtutum tibi eum fas sit conciliare, tua tibi pietas dictabit. Audeo polliceri, si vel orationem Dominicam ac Salutationem Angelicam ad ejus honorem quotidie recitaveris, cum ea, quam § 5 damus, veteri precatione, non cariturum te fructu præsentaneo tantillæ devotionis. Vale lector, et pro me quoque Divum precare.

§ I. S. Liborii natalis, ætas.

CIRCA FINEM SECULI IV.

S. Libori natalis IX Junii,

Quartus *Cenomanorum in Gallia antistes fuit* S. Liborius, *quem gesta ejus, quæ infra ex veteri Ms. Cenomanensi dabimus, obiisse tradunt* V Idus Junii : *quo die Vitam illius refert Renatus Benedictus, licet Vita a Joanne Morello canonico Cenomanensi collecta (quam Gallice Renatus edidit) habeat*, quarto Idus Junii *in pace quievisse : quod incuria fortasse librarii factum. Andreas Saussayus in supplemento Martyrologii Gallicani*, V *Idus, sive die* IX *Junii, ita illius meminit :* Hoc ipso die Cenomanis S. Liborii episcopi, cujus consecrata perpetuæ venerationi memoria sacris in Fastis locum habet die XXIII Julii, qua die dictum est de eo, post mortem in Germaniam ad Paderbornensem civitatem, tutelæ gratia, translato. *Eodem die. Philippus Ferrarius in generali catalogo Sanctorum :* Cenomanis in Gallia, S. Liborii episcopi ejusdem urbis. *Idem alibi quoque* Liberium *appellat, uti et Galesinius, Felicius, Mss. quædam ; at Claudius Robertus in Gallia Christiana*, Liberium *et* Liborium.

E

celebritas XXIII Julii,

2 *Prolixior Vita, sub Bisone episcopo Paderbornensi scripta, atque ea quæ in secunda parte Legendæ anno* 1483 *excusa exstat, asserunt obiisse* X Kalend. Augusti, *sive* XXIII Julii. *Quo die de eo ita habet Romanum Martyrologium, cui et alia congruunt :* Cenomanis in Gallia, S. Liborii episcopi et confessoris. *Constantius Felicius :* Liborii episcopi in Cenomanis. *Appendix ad Martyrologium Adonis :* Eodem die S. Liborii episcopi civitatis Cenomanensis et confessoris. *Vetus Ms. Martyrologium monasterii S. Martini Treviris :* Padereburnæ Liborii episcopi et confess. *Ms. Florarium, vetus Martyrologium Coloniæ anno* 1490 *editum, et alia Mss. Usuardi nomine insignita :* Apud Cenomannicam civitatem depositio S. Liborii episcopi et confessoris. Hic quinquagesimo ordinationis suæ anno, ad Patrem et patriam transiit feliciter ex hoc mundo. *Cartusiani Colonienses in Additionibus ad Usuardum :* Cenomannis S. Liborii episcopi et confessoris, multæ sanctitatis viri, quem episcopatus sui anno quinquagesimo defunctum B. Martinus Turonensis sepelivit. *Galesinius autem :* Apud Cenomanos S. Liberii episcopi et confessoris qui B. Martini episcopi Turonensis æqualis, divini cultus propagator egregius exstitit, veræque in Christo religionis doctor ac magister, quamplurimos ab erroribus maleque agendi consuetudine avocavit. *Canisius denique :* Item Cenomannis, S. Liborii episcopi et confessoris, qui magnæ vir sanctitatis, multos ab errore et peccatis convertit, Deique honorem ac cultum late propagavit. Cum episcopatum quinquaginta annis laudabiliter administrasset, obdormivit in pace, atque a S. Martino episcopo Turonensi sepultus est. Quiescit nunc Pader-

F

AUCTORE J. B.

Paderbornæ. *In prima editione, aliquanto brevius, eadem fere perstringit.*

non XXI;

3 *Ferrarius* XXI *Julii eum refert, ac Molanum citat, qui ejus ad illum diem non meminit, sed* XXIII *Julii ita habet :* Cenomanis depositio SS. Pavacii et Liborii episcoporum et confessorum. *At S. Pavacius* XXIV *Julii colitur.*

vixit seculo quarto,

4 *Quo seculo vixerit* S. Liborius *perspicuum est, ut qui sit a S. Martino episcopo Turonensi mandatus sepulturæ : hunc autem constat, Cæsario et Attico Consulibus, sive juxta æram vulgarem, anno Christi* 397 *obiisse, licet alii dissentiant, absque solido argumento. Quo vero anno decesserit* Liborius, *non est diserte expressum. Si, quod in Vita e Joannis Morelli codice descripta traditur, inque titulo secundæ Vitæ, id vere ab antiquioribus acceptum est,* vixisse temporibus Constantini et Valentiniani imperatorum ; *etsi* 49 *annis ecclesiæ dicatur præfuisse, non potest ultra annum* 385, *superstes exstitisse ; aut saltem* 389, *si Constantino juniore regnante ad episcopale solium evectus est. Sed fortassis non* Constantini *legendum censebit quispiam, sed* Constantii, *qui anno* 361 *decessit.* B

quando ejus decessores ?

5 *Porro si, quod in hujus Vita dicitur, immediate successit S. Pavacio, atque hic, quod in ipsius quoque Vita traditur, S. Juliano, primo Cenomanorum antistiti, comes adjutorque datus a Romano Pontifice ; consequens est, S. Julianum non esse a S. Clemente missum in Gallias, nedum a S. Petro : sed vel Decio et Grato Consulibus uti* XXVII *Januarii Letaldus monachus ad ejus Vitam in epistola ad Avesgaudum episcopum scribit, S. Gregorii Turonensis sententiam secutus, vel fortasse paucis annis ante sub Philippo Augusto, aut etiam (quod Antonio Corvasserio in Historia episcoporum Cenomanensium placuit) sub Gordiano. Nam si non est in Tabulis episcoporum Cenomanensium error, etsi numquam sedes vacarit, collocato S. Juliani exordio circiter consulatum Decii et Grati, annum videlicet Christi* 250 : *si inde numerentur sedis S. Juliani anni* 47, *menses* 3, *dies* 10, *S. Turibii anni* 5, *mensis* 1, *dies* 11, *S. Pavacii anni* 43, S. Liborii 49, *perveniemus ad annum* 395; *et fatendum erit, hunc neque Magni, neque junioris Constantini temporibus episcopum fuisse. Verum illud haud satis credibile, S. Pavacium, S. Juliano adjutorem datum, atque cum eo ad prædicandum in archidiaconatus officio directum, postea in Galliis annos* 95, *et quod excurrit, supervixisse. Sed de S. Pavacio, quem quidam Panatium appellant, die* XXIV *Julii : de S. Turibio agemus* XVI *Aprilis. De ætate* S. Liborii *ac sedis tempore Baronius in Notationibus ad Martyrologium Romanum* XXIII *Julii :* Sedit annos XLIX temporibus Valentiniani, Gratiani et Theodosii augustorum. *Verum ab anno* 364, *quo imperare cœpit Valentinianus, ad* 395, *quo Theodosius decessit, conficiuntur anni solum* 31. *Et prius decessisse* S. Liborium *inde liquet, quod S. Martinus S. Victorem, vel Victurium II, eo tempore, quo mortuus est* S. Liborius, *decem solum annos natum, deinceps educarit, adultumque sacerdotio ipse initiarit, minimum* 14 *post annis : unde consequens videtur anno* 383, *aut etiam ante, decessisse* S. Liborium. C

videtur circa annum 383 *obiisse.*

D

§ II. S. Liborii Vita.

Tres ejus breves Vitæ,

Ternas S. Liborii *Vitas damus, perbreves, e Mss. codicibus ecclesiæ Cenomanensis, beneficio Ludovici Cellotii nostri acceptas. Citantur eæ, ni fallor, a majoris Vitæ scriptore, his verbis cap.* 1, *num.* 5 : Non tamen desunt etiam certa de ejus meritis apicum monimenta. Habentur etiam Gesta Pontificum ejusdem, cui præfuit, ecclesiæ Cenomanicæ, simplici eloquio, et absque omni nævo figmenti, fideli narratione contexta : in quibus non plena alicujus eorum vitæ series replicatur, sed quis cui successerit, cujus meriti fuerit, quot annis ecclesiam rexerit, breviter etiam annotatum. Hujus vero sacri ac pretiosissimi viri Liborii etiam transitus, ex hac valle lacrymarum ad societatem semper vere beateque gaudentium civium supernorum, quo contingerit ordine, latius indicatur. Exstant et aliæ de ejus ortu et vita litteræ strictim exaratæ. *De his iterum cap.* 5, *num.* 18 : Tradunt quoque litteræ superius memoratæ, multa quidem S. Liborium in hac vita fecisse miracula, sed multo plura postmodum ad sepulcrum ejus fuisse divinitus ostensa, licet ob multitudinem suam nominatim expressa non sint. E

ex Mss. hic edita ;

7 *Primo igitur loco Vitam brevem damus ex veteri Ms. Legendario ecclesiæ Cenomanensis. Deinde aliam ex vetusto item Ms. de Vitis episcoporum Cenomanensium, in thesauro ejusdem ecclesiæ recondito, cui Vitæ hic est titulus :* Gesta Domni Liborii Cenomanicæ urbis episcopi, qui fuit temporibus Constantini et Valentiniani imperatorum. *Tertia descripta est e libro manu exarato Joannis Morellii canonici Cenomanensis, in quem Vitas episcoporum Cenomanensium anno* 1572 *retulit. Ea ex prioribus duabus contexta ; ab ipsone Morello, an potius ab antiquiore alio, haud nobis compertum. Hanc certe, a Petro Viello Gallice versam, edidit Renatus Benedictus, ut jam monuimus.*

alia major,

8 *Dein subjiciemus prolixiorem aliam Vitam graviter et bona fide conscriptam, ut censet, qui primus eam edidit, Surius, Molanus quoque et Galesinius. Auctor Saxonem, id est, Westfalum, se fatetur lib.* 2, *cap.* 2, *num.* 7. De gente nostra, hoc est, Saxonica, *inquit. Et cap.* 8, *num.* 37, et maxime Saxones nostri. *Ex lib.* 1, *cap.* 5, *num.* 18, *conjicere licet, canonicum fortassis ecclesiæ Paderbornensis fuisse :* Quod nos facile, *inquit,* credimus, ex his quæ oculis nostris videre meruimus, postquam ad nos sacrum translatum est corpus. *Quando autem eam scripserit Vitam ac translationem, inde est manifestum, quod Bisoni, quarto Paderbornensi episcopo, eam dicarit, ut patet lib.* 2, *cap.* 1, *num.* 1. *Biso autem quando sederit, ita statui potest. B. Hathumarus obiit anno* 815, *aut* 816, *ut infra patebit : Baduradus sedisse dicitur annis* 48. *Et ergo anno* 863, *vel sequenti successit Luitharius, qui anno* 865, *ut* III *Februarii ex Vita S. Anscharii, et* IV, *ex S. Remberti perspicere est, ipsum S. Rembertum archiepiscopum consecravit. Luithario annos* 26 *tribuunt Gobelinus Persona Auctor Vitæ S. Meinwerci* V *Junii, aliique. Verum ii B. Hathumarum mortuum ponunt anno* 804 *mendose.* F

a Saxone quopiam

ante annum 750 *scripta,*

Luitha-

A *Luithario Biso successit, cui Vitadicata, tempore Arnulphi imperatoris, qui anno Christi* 900, *imperii* 13 *obiit. Auctorem hunc ita citat, ejusque ætatem indicat Gobelinus cap.* 38. Ad hunc locum *(Paderbornam)* Carolus sæpe divertit; quoniam, ut scribit quidam, qui postea in eodem loco, tempore Arnulphi regis vitam duxit religiosam, hic locus viris omni nobilitate generis animique semper insignibus abundabat. *Aliaque subdit, quæ hic Auctor habet lib.* 2, *cap.* 2, *num.* 4. *Unde vero, quæ litteris mandavit, ipse acceperit, indicat lib.* 2, *cap.* 3, *num.* 10. Clericorum vero, quibus id negotii commendatum est, præcipuus erat quidam presbyter, Ido cognomine, qui omnem suæ profectionis historiam, et signa, quæ in ea divinitus ostensa perspexerat, partim viva voce intimata, partim litteris breviter annotata, ad nostram fecit venire notitiam. *Hunc anonymi Auctoris insignem commentarium accepimus ex Ms. codice monasterii Corsendoncani Canonicorum regularium in Brabantia, contulimusque cum Surii et alia posterius adornata Paderbornæ nuper, ad alterius codicis fidem, editione.*

Paderboniæ :

B

aliæ alibi Vitæ.

9 *Ex hac breviatam* S. Liborii *Vitam e Bodecensis in Westfalia cœnobii manu exarato Passionali nobis descripsit Joannes Gamansius noster : quæ eadem, una cum translatione exstat in secunda parte Legendæ anno* 1483 *Coloniæ, deinde* 1485 *Lovanii excusa. Succincte* S. Liborii *Vitam e Surio expressere Franciscus Haræus, et Zacharias Lippelous, atque in Gallicano Martyrologio ad* XXIII *Julii Andreas Saussayus. Fusius de eo agit in Gallica episcoporum Cenomanensium Historia, Antonius Corvasserius Curtellius Cenomanus, insigni vir eruditione et judicio.*

§ III. S. Liborii Translatio.

Translatio reliquiarum ejus anno 836 facta,

Doctor *Gobelinus Persona, decanus Bilfeldensis et officialis Paderbornensis, qui ante* 240 *annos scribebat, in Cosmodromio, ætate* 6, *cap.* 41 *de* S. Liborii *translatione ista habet :* Anno imperii Ludewici XXIV, translatus est S. Liborius de civitate Cenomanica Galliæ, in qua quondam ipse fuerat episcopus, ad Paderbornam Westphaliæ; Aldrico Cenomanensem et Badurado Paderbornensem regentibus ecclesias. Hic Aldricus fuit accusatus apud Gregorium Papam IV, ut habetur 2 quæst. 6. *Decreto nostro :* Et quidam clericus ecclesiæ Paderbornensis, Ido nomine, conscripsit miracula, quæ vidit in translatione S. Liborii, et habentur scripta in ecclesia Paderbornensi supradicta. Et Erconradus diaconus ecclesiæ Cenomanensis scribit eadem miracula, prout ea se vidisse testatur ; et ipse scribit, quod legati episcopi Baduradi, pro reliquiarum sanctarum receptione missi Cenomannicam, principales fuerunt : Folodagus advocatus episcopi Baduradi, Meinulphus archidiaconus, Adelbertus presbyter, Aldricus diaconus, et Drudwinus subdiaconus ; et quod Meinulphus in ecclesia S. Vincentii Cenomanensi vovit monasterium sanctimonialium fundare in honorem B. Mariæ S. Liborii, in loco, qui dicitur Bodicon.

C

ab oculatis testibus descripta,

per legatos curata,

11 *Eadem tradit Krantzius, Metropolis lib.* I, *cap.* 28, *qui Folodigium vocat, quem Gobelinus Folodagum ; Erconredum, quem hic Erconradum. Addit Baduradum, quod mira devotione in sanctum Dei Liborium ferveret, ejus reliquias petiisse ; Aldricum, sive quod meritis esset præventus a Badurado, sive quod minoris eas fieri in provincia cerneret, protinus annuisse, quas causas neque ex Gobelino, neque ex historia translationis a coætaneo scripta, accepit Krantzius. Postremo hæc adjicit :* Celebris est memoria ejus usque hodie in ecclesia Paderburnensi ; quod crebra in populum beneficia contestantur ac merentur. *Ideo autem S. Meinulphum votum ait fundandi monasterii nuncupasse, ut prosperare dignaretur Deus legationem eorum. In Vita S. Meinulphi, quam* V *Octobris dabimus, nulla hujus voti ab eo apud Cenomanos nuncupati mentio fit, ut vel inde conjicere liceat, eam Vitam a Gobelino Persona non esse conscriptam, quod tamen Surius in manuscripto codice se reperisse scribit.*

AUCTORE J. B. miraculis illustrata :

12 *Consignata est non uno die in Martyrologiis hujus translationis memoria. Nam* XXVIII *Aprilis ita habet vetus Kalendarium ecclesiæ Paderbornensis :* Inventio corporis S. Liborii. *Antiquum item breviarium typis excusum :* Translatio S. Liborii. Plenum officium. *Ms. Florarium :* Floriani martyris translatio, et Liborii episcopi et confessoris in Paderbornam. *At Cartusiani Colonienses in Additionibus ad Usuardum :* Apud Paderbornam translatio S. Liborii episcopi Cenomanensis et conf. *Canisius denique :* Item Paderbornæ elevatio S. Liborii episcopi Cenomanensis in Gallia, et confessoris, de quo plenius XXIII Julii. *Eo igitur die levati de mausoleo sacri artus, ut loquitur coætaneus scriptor. Nam ad urbem Cenomanicam quinto Kalendarum Maiarum die venere legati Paderbornensis antistitis, ut habet Ms. Corsendocanum ; non quarto, ut libri editi. Sequenti die facta elevatio est. Kalendis vero Maii ab urbe Cenomanica profecti sunt.*

ex elevatæ 28 Aprilis,

E

Cenomanis evectæ 1 Maii,

13 *Tandem die quinto Kalendarum Juniarum, quo tunc sacra Pentecostes solemnitas agebatur, ad desideratam diu Paderbornensem ecclesiam pervenerunt. Consentiunt invicem hi chronologici characteres : annus Christi* 836, *Indictio* XIV, *dies Pentecostes* XXVIII *Maii, cum Pascha fuisset* XVI *Aprilis. Annus vero Ludovici Pii Imperatoris* 24, *non a morte Caroli Magni patris, quæ contigit anno* 814, *duci debet, sed ab anno præcedenti, quo augustus est, jubente patre, proclamatus, licet major Vita, annum Ludovici ponat* 23, *nimirum a morte patris. Ad diem vero* XXVIII *Maii, sive* V *Kalend. Junii Cartusiani Colonienses in Additionibus ad Usuardum ista habent :* Apud Paderbornam translatio S. Liborii episcopi Cenomanensis et confessoris. *Consentiunt Molanus, et Florarium ; at paullo aliter Martyrologium Coloniense :* In Paderborna adventus S. Liborii episc. et confess. *Canisius eodem die :* Item Paderbornæ translatio S. Liborii episcopi Cenomanensis et confessoris : quæ translatio magnis miraculis divinitus illustrata, et certis eximiæ sanctitatis argumentis, cum corpus ejus ejus ab Cenomanorum urbe Paderbornam devectum est a secundo Paderbornensi episcopo Badurano. De eo pluribus XXIII Julii. *Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ita scribit :* Eodem die translatio S. Liborii episcopi Cenomanensis,

Paderbornam allatæ 28 Maii.

F

AUCTORE J. B.

nensis, quando sacrum ejus corpus Paderbornam delatum est : in qua avectione multa signa, quæ refulsere, sanctitatis ejus et gloriæ certissima argumenta exhibuere.

Historia translationis per scriptorem Saxonem, non tamen Idonem;

14 *Translationis Historiam, et miracula in ea facta, Ido presbyter partim viva voce intimata, partim litteris breviter annotata, ad viri religiosi, qui Vitam* S. Liborii, *ut dictum ante, conscripsit, fecit notitiam pervenire. Non arbitramur, scriptum illud Idonis exstare ; nedum illud ipsum esse, quod hic damus : id Baronium existimasse, perperam asseruit, qui tertiam Surii editionem adornavit. Diserte Ita scribit Baronius ad annum* 836, *num.* 12. Ab eo *(Idone)* qui accepit, sive scriptis, sive viva voce tradita, simul jungens, in dicto de ejus translatione libello contexuit.

et per Cenomanum, non Erconradum.

15 *An exstet, quam Erconradus Cenomanensis diaconus conscripsisse translationis historiam traditur, cum miraculis a se visis, haud scimus. Breviorem nacti sumus ex veteri Legendario ecclesiæ Cenomanensis, quam fere sequitur Corvasserius. Ea tamen non videtur ab oculato teste scripta, cum ipsum Baduradum (quem Baduratum vocat) Cenomanos ea causa profectum tradat, quod alter scriptor plane exactissimus negat. Ideo hallucinatus fortasse est auctor ille, quod cum audisset elevationi reliquiarum duos adfuisse episcopos, crediderit, alterum fuisse Baduradum, qui David erat S. Aldrici coepiscopus. Neque is Baduradi legatorum nomina prodit, ab Erconrado tamen olim expressa, si Gobelino Krantzioque fides.*

B

Reliquiæ una allatæ SS. Pavacii, Thuribii, Gundanisoli episcoporum

16 *Meminit hujus translationis Wernerus Rolevinckius lib.* 3, *de situ et moribus Westfalorum cap.* 8, *his verbis :* Benedictus quoque Badueradus, secundus episcopus Paderbornensis, divina revelatione confortatus, solenniter transtulit corpora SS. Liborii, Panacii, Turibii, Gundanisoli, episcoporum Cenomanicæ civitatis, ad suam ecclesiam cum multa gloria miraculorum. *Et sane brevior translationis historia num.* 5, *multas aliorum Sanctorum reliquias, una cum* S. Liborii *corpore, Paderbornensibus a S. Aldrico datas tradit. Ac vero, ut alter auctor cap.* 4, *num* 12 *testatur :* Erant in eodem loco aliorum quoque membra Sanctorum, in sarcophagis honeste reconditorum, maxime episcoporum civitatis illius. *Ex iis fortasse particulas sanctus antistes legatis donavit : nam si corpora integra, non id siluissent scriptores. Die* XXV *Julii Cenomanis S. Juliani translatio celebratur ; at trium illorum consignata pridie in Martyrologiis memoria. Ita enim habent Cartusiani Colonienses in Additionibus ad Usuardum et vetus Martyrologium Coloniæ editum anno* 1490 : Cenomannis depositio S. Pavacii, Turribii, et Gundanisoli, episcoporum præfatæ urbis et confessorum. *At Ms. Florarium Sanctorum :* In Paderborna depositio sanctorum episcoporum et confessorum Cenomannensium, Panarii, Turibii et Gundanisoli. *Agitur S. Thuribii natalis* XVI *Aprilis, S. Pavacii* XXIV *Julii, ubi fusius de eorum rebus gestis. At Gundanisolus in catalogis episcoporum Cenomanensium apud Claudium Robertum, Joannem Chenu, Antonium Corvasserium, notus non est, neque in Saussayi Martyrologio Gallicano.*

C

et S. Valerini.

17 *Idem, qui supra citatus, Gobelinus in Chronica Paderbornensis diœcesis cap.* 9, *iisdem fere verbis quibus in Cosmodromio, hujus translationis meminit ; sed S. Valerinum addit, alibi plane ignotum :* Anno, *inquit,* Ludovici Pii XXIII, translatus est S. Liborius, et S. Valerinus de civitate Cenomannica Galliæ, *etc.*

D

§ IV. Fraternitas ecclesiarum Cenomanicæ et Paderbornensis.

Fraternitas inter canonicos Paderbornenses,

Spectat illud quoque ad S. Liborii *honorem, quod inter ecclesias Paderbornensem ac Cenomanensem sacrum fœdus ictum est perennis amicitiæ, sub communis Patroni tutela, auspicioque, ut utrimque publicarum precum, atque efficaciæ ad divina dona promerenda, quæ in omni inest virtutum Christianarum exercitatione, communio esset. Eam tunc a S. Aldrico sancitam societatem, sive, ut vulgo appellant, fraternitatem, ita Paderbornensis historicus indicat cap.* 5, *num.* 24 : Dehinc inter utriusque ecclesiæ, Cenomanicæ videlicet et præfatæ Paderbornensis, congregationes, firmata caritate perpetuæ fraternitatis, ad patriam eis redeundi licentiam dedit. *Qualis ab exordio per quatuor secula, et ultra, congregatio Paderbornensis exstiterit, conjici ex Gobelini verbis potest, qui cap.* 64, *de Bernardo IV episcopo* XXI, *qui circa annum* 1227, *episcopatum adeptus,* 28 *annis tenuit, ita scribit :* Sub isto Bernardo in ecclesia Paderbornensi adhuc observantia regularis inter canonicos ejusdem ecclesiæ viguit ; et sub eo immutatio facta videtur de regulari observantia ad statum canonicorum secularium. *Idem habet in Chronica Ms. ecclesiæ Paderbornensis ; ubi Bernardum tradit solum* 18 *annis sedisse. De eadem fraternitate scriptor Cenomanicus hæc tradit :* Sanctæ fraternitatis fœdus invicem percutiunt, et sub sacro osculo suarum orationum suffragia communicant.

E

tunc regulares,

et Cenomanenses,

renovata anno 1205.

19 *Sub Bernardo III episcopo (qui Ottonis IV imperatoris anno* 6, *Christi* 1203, *aut* 1204 *Bernardo II successit, rexitque eam ecclesiam annis* 19, *uti idem Gobelinus tradit) canonici Paderbornenses Cenomanos rogarunt, ut fœdus illud fraternitatis secum olim initum confirmarent, missa iis historia Translationis* S. Liborii, *et commemoratis ecclesiæ suæ initiis, quæ allato isthuc sancti Præsulis corpore constabilita fuerint. Ipsorum epistolam non vidimus ; vulgatum nuper, cum* S. Liborii *Vita, Cenomanorum responsum, hic visum est dare. Ex eo fit manifestum, quibus in rebus sita illa fraternitas esset : nimirum* ut fervor mutuæ caritatis de igne sancti Spiritus olim accensus, quotidie convalesceret, flagraret ardentius et ignesceret ; ut servantes mutuo unitatem spiritus in vinculo pacis et fraternæ dilectionis, unam sanctam communionem, prout fieri posset, et rempublicam haberent, consilii, auxilii, substantiæ, voluntatis. *Epistola Cenomanensium ita habet :*

F

De ea Cenomanensium epistola,

20 Reverendis in Christo dominis, suis carissimis fratribus et amicis, Dei gratia, præposito et decano et capitulo majoris ecclesiæ Paderbornensis, N. decanus indignus, et capitulum Cenoman. salutem in Domino, et sinceram cum devotis orationibus et obsequiis caritatem. Summo Patri Deo, et ejus Unigenito cum Spiritu principali, honor et gloria et gratiarum actio plenius refe-

A

monens, Deo tribuenda incrementa Ecclesiæ;

referatur, cujus Unigenitus plenus gratiæ et veritatis, apparuit matri nostræ ecclesiæ primitivæ et de plenitudine ejus, quam fons vitæ in plurimas derivavit areolas, qui fueramus prius steriles, fœcundati simul nunc tam loco quam animo fideles, accepimus universi. Hoc certe nascentis Ecclesiæ rudimenta poscebant, ut granum sinapis in arborem magnam surgeret; et fermentum mulieris in tribus farinæ satis absconditum novam conspersionem altius elevaret. Sic granum frumenti mortuum fœneravit. Sic Joseph Ægyptum nobili Israelitarum semine augmentavit. Quando Sapientia Dei humanitus corporata radificavit in populo honorificato, et in electis populis Christianis mittens radices, vineam suam novis agricolis tradidit, et non jam labruscas a patricidis, sed botros Cypri a fidelibus accepit custodibus, et ex eis bibit vinum dignum dilecto, labiis et dentibus ruminandum. Ex tunc vere vineæ florentes dederunt odorem suum. Sed quæ est ista speciosa inter alias, spirans ad nos odorem suavitatis? Ecce odor ejus, sicut odor agri

B

pleni, quem benedixit Dominus. Quænam, inquam, est ista tam prudens inter filias, suo tam humilis, nostro tam sublimis judicio? Quomodo tam prudenter primordia sua meminit, et singula recolit incrementa! Etiam quando erat parvula et ubera nondum habens, et cum stillarent montes dulcedinem, et colles fluerent lac et mel, tam diu lactabatur, donec vidit sterilem habitare in domo matrem filiorum lætantem. Sic carissima soror nostra, a primis exorsa cunabulis, ordine progreditur; et primo unitas cordis et animæ in multitudine credentium, et rerum omnium communitas recensetur, quando sub Apostolico duodenario, septenario Levitico ministrante, illa prior Christiana fraternitas lingua et manu, alternis panibus, pascebatur. Cujus siquidem de medio caritatis fulgur egrediens, et scintillæ quasi æris candentis, simili zelo plurimas ecclesias accenderunt; et sic est inter eas insolubilis germanitas confirmata, ut unanimes passionum et consolationum participes permanerent, sive locali confinio contiguæ, sive spatiosis terrarum tractibus separatæ.

C

indicansque Canonicos Paderbornenses, patriæ suæ conversione humiliter commemorata,

21 Sic prudentissima soror nostra Paderbornensis ecclesia, stylo altiloquo et continuato sermone, matris suæ primitivæ ecclesiæ statum feliciorem commemorat, ut sororem commoneat, ut corda patrum in filios convertat; ut, quod consuevit facere, ipsa doceat, quasi utens voce

Joan. 1, 9.

et vice veræ lucis, quæ illuminat omnem homi-

Luc. 12, 49.

nem, dicat: Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat? Est revera sororis nostræ humilitas multis laudibus prosequenda, quæ suos ita dissimulat titulos, ita a se excelsa abstulit, quæ præconia sua alienis adscribat; et aliena incommoda suis excusat commodis et ob-

Prov. 27, 2.

nubit, ut illud sibi competeret: Laudet te alie-

Eccli. 5, 18.

nus et non os tuum; et alterum non deesset: Justifica magnum similiter et pusillum. Vos revera, Patres Paderbornenses, magni estis uno et eodem pignore, nos pusilli. Vos honore nostro divinitas dignata est, quo forsitan fuimus nos in-

pro corpore S. Liborii

digni. Nostro vos estis deaurati thesauro, nos vero, transmigrante ad vos glorioso confessore nostro et episcopo Liborio, quasi luce antea, sumus forsitan obscurati. Verumtamen per divinam gratiam nostræ Cenomanensi ecclesiæ id solaminis est relictum, ut inclytum confessorem Liborium et nostrum prædicare semper debeamus et vestrum. In nobis cœpit, sed vos ipse perfecit. Nos sanctificavit in terris, vobis cœlestis jam præsidet. Nobis ad tempus est datus, vobis sine tempore destinatus. Nos corporali præsentia destituit; sed utrisque numquam deerit dono beneficii spiritalis. Quid igitur faciemus sorori

a Cenomonensibus accepto,

nostræ die isto, quando alloquenda est? Summum Patrem, a quo cœpimus, cum timore et reverentia filiali pariter collaudemus in B. Liborii meritis gloriosis, cujus sacratissimum corpus, Cenomanensi ecclesia concedente, posteaquam

ad stabilimentum fidei,

Paderbornensis soror nostra carissima sibi meruit, spiritalis effecta est, et Saxonica circa id locorum durities emollita. Hiems infidelitatis transiit: imber persecutionis abiit et recessit: flores virtutum et miraculorum apparuerunt, et vox turturis audita est in terra illa: maxime quando virtus mirifica eximii Confessoris astruxit, quidquid fides Christiani dogmatis allegavit.

E

Vobis igitur, Paderbornenses, honor iste præcipuus, et peculiaris gloria consecratur, qui Patrem nostrum tanto celebratis honore, studio colitis,

Cant. 3, 4.

affectu intimo complectimini, ut dicatis: Inveni, quem desiderabat anima mea; tenui illum, nec dimittam. Cedit etiam ad cumulum laudis vestræ,

gratias egisse,

quod pro pignore tanto, cum vobis plurimas debeamus humiles gratias, nobis solvitis affectum, propensius exhibetis et offertis obsequium; nec verbis ostendi, sed rei executione flagitatis aliquando exhiberi.

22 Epistolaris continentia deinceps, quod nos valde audire delectat, annexuit, prospere permanere, nec fuisse translatam sedem vestræ cathedralis ecclesiæ, de quo rumor levis nobis quæstionem moverat et conquestum. Quo jam vestra assertione destructo, auditui nostro dedistis gaudium et lætitiam in laudibus Salvatoris. Ad extremum vero quasi fimbriis aureis vestræ epistolæ jam ponendis, acceptabiles et honestæ petitiones vestræ quod sint apud Dominum innotescunt. Nihil enim aliud quam quod animarum

ac petiisse confirmari fœdus fraternitatis,

saluti, et honori divino inserviat, postulant: intendunt ut fervor mutuæ caritatis, de igne sancti Spiritus olim accensus, quotidie convalescat,

F

flagret ardentius et ignescat: ut servantes mutuo unitatem Spiritus in vinculo pacis et fraternæ dilectionis, unam sanctam communionem, prout fieri poterit, et rempublicam habeamus, consilii,

ac missa historia Translationis S. Liborii,

auxilii, substantiæ, voluntatis. Insuper et epistolam vestram, cui sicut magistræ et dominæ hæc nostra humilis ancillatur, et librum vestrum de Translatione eximii Liborii, in nostris memo-

petiisse, ut eum celebrarent:

riter reponamus archivis. Tertio et ultimo instantius et obnixius supplicatis: ut natalitium diem magni patris nostri Liborii et patroni solenni cantu et cultu celebriter illustremus.

quod gratiis vicissim actis,

23 Quibus siquidem postulatis gratissimo et libentissimo concurrentes assensu, gratias etiam vobis subjicimus pleniores, devotissimo vobis animo respondentes, quod aquæ nullæ nostram erga vos poterunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent eam, quam Deus verus stabiliat supra petram. Vestram vero epistolam, vel sanctissimi

AUCTORE J. B.

spondent se facturos,

ctissimi libellum Liborii nulla delebit oblivio, nec oblitterabit antiquitas; sed in domo Domini, et apud nostros posteros permanebunt. Et justus Liborius, qui apud nos floruit, Domino largiente, cultu ampliore florebit, et multiplicabitur in domo Domini beatissimi apostoli Juliani. Cui scilicet quartus gloriosus successit Liborius, duobus aliis, viris quoque apostolicis, intermediis, Thuribio archipresbytero, et Pavacio archidiacono, Cenomanensi cathedræ per ordinem præstitutis. Hic enim Julianus primus Cenomanorum apostolus, velut Abraham patriarcha, pater sequentium præsulum et Cenomanensium gentium in Christo, quadam functus auctoritate apostolica, usque in hodiernum diem exstitit et existit missus, comitantibus illis, a B. Clemente Petri Apostoli successore. Unde fraternitati vestræ humiliter supplicat Cenomanensis ecclesia, soror vestra;

mittuntque Vitam S. Juliani,

quatenus librum de Vita ipsius eleganter exaratum, reverenter et memoriter apud vos in perpetuum habeatis; et apostoli nostri beatissimi

et rogant, ut Paderbornenses cum publice venerentur,

Juliani natalitium diem, sexto Kalendas Februarii, solenniter celebretis: ut qui clarus signis et miraculis regno Franciæ suffragatur, suæ quodammodo Paderbornensi ecclesiæ et populis Saxoniæ (sicut per ipsum et propter ipsum facere magna potens est Dominus) abundantius suffragetur. Nosque et vos, suffulti tantis intercessoribus utrique ecclesiæ combinatis, divino munere geminato eorum suffragio, utramque stolam possimus facilius a Domino consequi in tempore retributionis, Amen. Valete in Domino, et manete in dilectione nostra. Data anno Domini millesimo ducentesimo quinto, pridie Kalendas Octobris.

B

recens miraculis illustratum;

24 *Hactenus epistola. Regebat tunc Cenomanicam ecclesiam Hamelinus episcopus, qui imminentis belli ac direptionis metu, anno* 1201, *corpus S. Juliani episcopi Castellum-dunum transtulit, validam urbem et operibus et situ edito, ut nomen ipsum indicat: nam (ut ad* I *Februarii monuimus, antea a Duchesnio, Catellio aliisque observatum) quarumcumque urbium nominibus* dunum *vox addita; quod montem sonat aut collem, ex alto loco positæ fuerunt. Hamelinus porro biennio post, sopitis jam tumultibus, Cenomanos venerabile depositum revexit solenni pompa, multis miraculis decorata, uti auctor est Antonius Corvasserius. Ideo fortassis canonici Cenomanenses biennio post, recenti adhuc memoria, illius publicam venerationem suasere Paderbornensibus.*

C

cujus postea iis misere reliquias:

25 *Excitati hac adhortatione, fraternitatisque fiducia Paderbornenses, post annos octo et triginta ipsius quoque S. Juliani reliquias petere ausi; aliis sæpe negatas, a B. Gaufredo II episcopo (de quo* III *Augusti agemus) et capitulo Cenomanensi obtinuere, propter eam quam diximus, fraternitatem, ita testantibus Cenomanis in epistola, quam* XXVII *Januarii ad Vitam S. Juliani publicavimus:* Nec tamen, *inquiunt,* alienari ducimus, quod per venerabilem virum, dominum videlicet Suederum canonicum vestrum et fratrem nostrum, de supradictis reliquiis vestræ mittimus ecclesiæ, quam propriam reputamus. *Meminere in eadem epistola sæpius illius antiquæ fraternitatis:* Eo quod vos, *inquiunt,* societatis nostræ non immemores nos per litteras et nuntium visitastis; *ac deinde:* Vestræ namque et nostræ ecclesiæ fraternitatis unitatem, quam devotis brachiis amplexamur, desiderio desideramus perpetuo, mutuoque ac irrefragabiliter observari.

D

similem ineunt societatem cum Andegavensibus anno 1256,

26 *Ejusdem societatis meminit vetus Registrum ecclesiæ Cenomanensis, in quo hæc habentur:* Initum est fœdus, seu societas, inter Cenomanensem et Andegavensem ecclesias, Theobaldo Luxemburgio episcopo Cenomanensi, Sixto IV Pontifice Maximo, Frederico III Austrio imperatore Romano, et Ludovico XI Francorum rege: ut patet ex litteris de die decima tertia mensis Aprilis post Pascha, anno Domini millesimo quadringentesimo secundo. Quæ quidem societas inter easdem ecclesias jam ante inita fuerat, ut videre est in antiquis diplomatibus, quæ habentur in libro albo, anno scilicet Domini MCCLVI. Similis societas est cum ecclesia Patrobrunensi in Saxonia, quam inierunt DD. Aldricus Cenomanensis et Baduradus Patrobrunensis episcopi anno Domini DCCCXXXVI Ludovico Pio imperatore.

ac renovant anno 1472.

27 *Hæc ibi. Apographum ad nos missum habebat, litteras de ea cum Andegavensibus societate exaratas fuisse anno millesimo quadringentesimo secundo quod cum ceteris non congruit: restituendum millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo. Nam Sixtus IV anno* 1471, IX *Augusti Pontifex creatus est, anno Friderici III,* 32. *Ludovici XI Galliæ regis* 11. *Theobaldus anno circiter* 1468, *factus episcopus, obiit Kalendis Septembris anno* 1477. *Erat tunc Andegavensis episcopus, cum illa renovata societas est, Joannes de Bella valle, ut videre est apud Claudium Robertum. Cum vero primum facta fuit anno* 1256, *ecclesiam Cenomanensem post B. Gaufredum gubernabat Guilielmus Rolandus; Michael Avis Andegavensem.*

E

§ V. S. Liborius calculo laborantium patronus.

Miracula Paderbornæ facta,

Qua religione atque alacritate populorum invectus Paderbornam Liborius *est, eadem deinceps palam ac privatim honoratus, vocatusque in vota. Neque spem devotæ sibi gentis, accolarumque pietatem destituit, quin Numini ea sibique probari frequentibus miraculis testaretur. Fidem facit auctor antiquus, qui Vitæ illius lib.* 1, *cap.* 5, *num.* 18, *cum multa Cenomanis ad ejus sepulcrum edita dici prodigia retulisset, ista adjicit:* Quod nos facile credimus, ex his quæ oculis nostris videre meruimus, postquam ad nos translatum est corpus. *At lib.* 2, *cap.* 9, *num.* 40: Cum tali honore, *inquit,* sacratissimum corpus in ecclesiam delatum et in loco in quo hactenus requiescit, collocatum est. Ubi quantis postmodum miraculis effulserit, quanta sanitatum dona præstiterit, alibi dicenda reservamus.

F

deperdita.

29 *An ea alio deinde libello sit complexus, aliusve post ipsum, nobis haud constat. Sed cum civitas Paderbornensis, ut in Vita S. Meinwerci episcopi* V *Junii memoratur, anno Christi* 1000, *Ottonis III,* XVII, *Indictione* XIII, *incendio vastata sit, quo et* nobile principalis ecclesiæ monasterium, præcipui operis et decoris, a Carolo Magno fundatum, a beatæ vero memoriæ Badurado episcopo consummatum,

A tum, et XIV Kalendas Novembris dedicatum, cum libris, privilegiis plenariis, aliisque ecclesiæ ornamentis conflagravit; *facile evenire potuit, ut ea quoque miracula, si mandata litteris erant perirent. Quæ vero postea contigere, vel omnino scripta non sunt, vel perdita; vel uspiam ignorabilibus scriniis abdita. Nam Albertus Krantzius decanus Hamburgensis, qui* 600 *post scriptorem illum annis vixit, Metropolis lib.* 1. *cap.* 28, *uti supra* § 3. *num.* 11 *diximus, testatur celebrem ejus ad sua usque tempora memoriam exstitisse,* quod crebra in populum beneficia contestantur, *inquit,* ac merentur.

Miracula recentiora.

S. Liborii frequens ibi nomen:

30 *Hinc clarum eo tractu sancti Liborii nomen, quod quamplurimi gerunt, appellanturque Teutonice* **Borris**, *aut ad blanditias, præsertim cum adhuc parvuli sunt, forma diminutiva,* **Borrisken**. *Neque enim S. Borrissus, Wlodomiri Magni Russorum regis filius in iis regionibus notus. Dicatum ejus nomini in collegio Societatis Jesu Paderbornæ oratorium, sive sacellum est; atque sub cathedralis basilicæ turri altare. Ad venerandas ejus reliquias magna hominum confluit Paderbornam multitudo, tum*

altaria ei dicata:

B *alias per annum, tum præsertim quibus diebus ea per urbem circumferuntur, ac solennes habentur supplicationes. In his vero supplicationibus ante feretrum, cui ejus reliquiarum theca imposita est, cauda pavonis ab sacerdotum aliquo gestatur. Cujus ritus, haud alibi (quod quidem meminerimus) observati, assequi adhuc causam non potuimus: specie quadam magnificentiæ, a majoribus usurpatum conjectant sagaciores quidam; alii a quopiam eventu manasse. Neque causa est, cur illud sive avitæ simplicitatis, sive celebris olim facti, eatenus jam oblitterati, monumentum abrogetur. Fuere porro reliquiæ* S. Liborii *antea inclusæ intra capsam ex ære affabre factam, tumbæ fere specie, atque inauratam, ornatamque circum duodecim Apostolorum argenteis statuis. Eam in supplicatione consules aliique primarii e senatu (uti hic Antverpiæ statuam Deiparæ) gestare consueverunt. Verum nuper Lutherana disciplina depravati, id onus, velut indecorum aut superstitiosum, excussere; quibusdam viris piis mala, quæ his annis plurima urbi evenere, palam ominantibus. Ea*

reliquiæ circumlatæ,

ritu singulari,

in eleganti capsa,

a consulibus gestata.

C *autem tumba a Christiano Brunswicensi ablata ac lacerata, ut infra dicemus, alia ex argento, pretiosa et elegans restituta. Reliquiæ ejus aliquæ jam olim collegio S. Castoris apud Confluentes donatæ, ut ex Christophori Broweri nostri libro* XV *Annalium Trevirensium patet; ubi anno* MCCVIII *factam ejus basilicæ dedicationem refert, inque reliquiarum quæ in majori altari continentur, catalogo, ista habet:* De Sudario S. Thomæ episcopi et martyris Cantuariensis, et S. Liborii episcopi, et aliorum multorum Sanctorum.

Reliquiæ Confluentiæ.

31 *Nephriticis potissimum doloribus remedium,* S. Liborii *patrocinio, quæritur. Quam ad rem S. Benedicti opem alii implorant, qui S. Henrico imperatori in somnis calculi dolores, quibus cruciabatur in perpetuum abstulit; alii S. Drogonis, cujus in Seburgo vico juxta Valencenas corpus asservatur. Celeberrimum, in hujus curatione morbi, est* S. Liborii *nomen, ut infra pluribus patebit. Eam ob causam ita illius effingunt imaginem, ut pedum dextra teneat, læva librum, cui aliquot calculi superpositi. At hoc pendet a pictorum vel sculptorum arbitrio (hæc non Bollandi sed mea verba sunt) cum interdum læva pedum et dextra librum præferat, ut apparet ex sequenti imagine, quæ libello Bollandi præ-*

Patrocinium S. Liborii contra calculi dolores;

id indicans imago.

fixa fuit. Hanc autem lectorum oculis objiciendam æri quam melius incidi curavimus. AUCTORE J. B.



E

Oratio contra calculum.

Christi Præsul egregius	Morbo vexemur calculi.
Pro nobis hic LIBORIVS	Succurrant nobis Angeli,
Oret Deum altissimum;	Et post vitæ certamina
Ne pro culpâ peccaminum,	Ducant ad vera gaudia.

℣. Ora pro nobis, pie Pater LIBORI.
℟. Vt a calculi mereamur doloribus liberari.

Oremus.

Deus, qui B. LIBORIVM Pontificem tuum, alijs innumeris gloriosum miraculis, speciali in medendis arenarum et calculi passionibus priuilegio decorasti; præsta, quæsumus, vt ipsius meritis et intercessione, his alijsque malis eruti, gaudiis perfrui mereamur æternis, Per Christum Dominum nostrum.

32 *Præsens* S. Liborii *auxilium expertus olim Wernerus archiepiscopus Moguntinus, qui, ut scribit Serarius noster, ab anno* 1260 *ad annum* 1284, *sedit, atque auctor Germanis principibus, Rudolphi Hasburgici ad imperium evehendi fuit. De eo ista habet Gobelinus cap.* 67: Eo tempore Wernerus archiepiscopus Maguntinus visitans reliquias S. Liborii in Paderborn, meritis ejusdem Sancti, ibidem a calculo liberatus est. Unde contulit, manus porrigentibus adjutrices ad reformationem ipsius ecclesiæ Paderbornensis, de provincia Maguntina existentibus, XL dies indulgentiarum, anno MCCLXXVII. *Cœperitne primum eo tempore contra calculi molestias invocari* S. Liborius, *quia eum veneratus levamen senserat Wernerus; an quia jam ante subvenire ea ægritudine laborantibus soleret, ad illum deprecandum is accesserit, haud temere decernimus.*

Wernerus archiepiscopus Moguntinus sanatus;

F

33 *Antiphona exstat et precatio in vetustissimis rituum sacrorum Breviariis, qua* S. Liborii *adversus hæc mala auxilium exoratur. Eam censent Paderbornenses ex Gallia cum omni ecclesiastico, quo is colitur, officio, allatam; ut istic antea nephriticorum dolorum curatione celebrem extitisse oporteat: cujus rei nulla apud Corvasserium mentio. Antiphona porro in antiquis tum manu exaratis tum excusis libellis precum, ita refertur:*

vetus ad eam rem oratio.

Ad S. Liborium Episcopum, a calculosis specialiter honorandum, ORATIO:

Christi Præsul egregius
Pro nobis hic Liborius
Oret Deum altissimum;
Ne pro culpa peccaminum,

 Morbo

AUCTORE J. B.

Morbo vexemur calculi:
Succurrant nobis angeli,
Et post vita certamina
Ducant ad vera gaudia.
℣. Ora pro nobis, pie pater Libori.
℟. Ut a calculi mereamur doloribus liberari.

Collecta. Deus, qui B. Liborium, pontificem tuum, alias innumeris gloriosum miraculis, speciali in medendis arenarum et calculi passionibus privilegio decorasti; præsta, quæsumus, ut ipsius meritis et intercessione, his aliisque malis eruti, gaudiis perfrui mereamur æternis. Per Christum Dominum nostrum. *Variat nonnihil, quæ nuper cum ejus imagine cusa est oratio: nam Responsorium ita habet:* Ut a calculi doloribus mereamur erui; *Collecta vero:* Deus, qui B. Liborium pontificem aliis innumeris clarum miraculis, speciali in medendis urinarum et calculi doloribus privilegio decorasti; tribue, quæsumus, ut ejus meritis et intercessione, ita ab iis et aliis malis eruamur, ut gaudiis perfrui mereamur æternis. Per
B Christum Dominum nostrum, Amen.

Brevior aliquanto Collecta, e vetusto Breviario Trevirensi, inferius recitatur in Historia secundæ Translationis, per Joannem Carolum Erlewinium descripta.

§ VI. Capta a Christiano Brunswicensi Paderborna, ablatæ Sancti reliquiæ.

Christianus Brunswicensis pro Palatino exule movet arma:

Nemo Germanorum hæreticorum pro Frederici comitis Palatini, et regno Bohemiæ, quod injuste occuparat, et mox propriis ditionibus exturbati, fensione, arma sumpsit turbulentiore, simulque infeliciore conatu, quam Christianus Frederici Ulrici Ducis Brunswicensis frater, episcopatus Halberstadiensis administrator. Erat huic magnanima indoles, tam excelso digna genere; verum eadem nimis facilis, aptaque circumveniri, præsertim cum apud Batavos, sub quibus militaris artis tirocinium posuerat, alte Calvinianorum præceptiones, et religionum ac juris despicientiam imbibisset, ut jam tum apud hæreticam plebem, dicteriis assuetam, furiosus episcopus
C *audiret; quod agnomen illi deinceps apud Belgas Germanosque adhæsit.*

terras Moguntini invadit:

35 *Hic ergo anno Christi* MDCXXI, *equitum ac peditum non exiguas copias in Westfalia ac vicinis locis collegit: salutatoque Mauritio principe Arausicano, fœderatarum Belgii provinciarum gubernatore et consiliis ab eo (ut creditum fuit) acceptis; Octobri mense per Hassiam versus Palatinatum contendit, Mansfeldio copiarum Palatini ductori opem laturus. In archiepiscopi Moguntini ditiones primum irrupit captoque per fraudem Amœnoburgo oppido, late cædes colonis, pagis ignes, vastitatem agris intulit; ut erat ipse temerarius, miles ejus crudelis, et omnis ignarus disciplinæ.*

repulsus, Westfaliam vastat:

36 *Verum adventante cum valida manu Anholtio comite, inde profugere coactus, retro in Westfaliam flexit: ubi Lipstadium, prodentibus Hispanicum præsidium civibus, cepit; mox et Susatum. Tum per diœcesim Paderbornensem ac Monasteriensem late rapinis ac cædibus grassatus, minora alia oppida et arces, ipsamque tandem Paderbornam occupavit, die* XXIX *Januarii, anno* MDCXXII; *tra-*
D *dentibus eam civium primoribus hæreticis. Hic ille Judæorum primum bonis publicatis, civium etiam (quæ merces esse proditionum solet) a quibus in urbem erat admissus adscitusque, ædes expilare a milite sivit. Tum in cathedralem basilicam ingressus, majorum pretiosa donaria et ornamenta diripuit, ipsamque, cui* S. Liborii *inclusa ossa erant, capsam, de qua supra egimus. Hanc ille complexus (an ut præsentem Divum irrideret, quemadmodum nonnulli tunc interpretabantur, an juveniliter fortunæ suæ applaudens, non quæro) fertur certe quidem salutasse, et quod se tanto tempore expectasset, gratias egisse: eam deinde confregit, et nummos ex materia cudi jussit. Gaspar Ens aliique scriptores, statuam* S. Liborii *ex solido auro direptam ab eo tradidere: quam Julius Bellus in Laurea Austriaca, et Joannes Petrus Lotichius Rerum Germanicarum lib.* XI *pondo* LXXX *pependisse asserunt: et hic quidem addit, Brunswicensem statuæ humero avulso, truncum reliquum curasse in monetam conflari. Quæ, Paderbornensibus ignorata, unde illi acceperint, haud scio.*

Paderborna capta, ecclesiam expilat: S. Liborii capsam confringit, non statuam.

37 *Ita Halberstadius, aut potius, qui ejus facilitate abutebantur, nefarii ejus commilitones, in res* E *sacras; nec mitius in rerum sacrarum curatores defensoresque, ecclesiastici ordinis viros, furorem exercuerunt. Et canonici quidem ingenti pecunia multati. Adversus patres Societatis Jesu (quam hæretici, quippe ad ipsorum retegendas fraudes, ac flagitia reprimenda, datam a Deo militiam, præcipue persequuntur) crudelitatem illi suam acuerant: quam ne totam effunderent, ipse fortassis potissimum* S. Liborius *urbis patronus, cœleste certe auxilium, intercessit. Hermannus Bavingius, collegii atque academiæ, illic a Theodorico Furstenbergio episcopo constitutæ, Rector, (qui etiamnum, dum hæc scribimus, in vivis est, optimus senex) gnarus, qui hæreticorum furor, quam ferale in sacros homines eorum odium esset, theologiæ philosophiæque auditores et professores, aliquot diebus ante, ad alia Societatis domicilia, variis portis viisque dimiserat, ægre quidem elapsos e civium manibus, urbis portas custodientium, et hanc duci prædam reservare cupientium, benevoli in illum animi pignus. Ipsemet deinde Rector, suorum consilio coactus, cum aliquot sociis, urbe quoque excessit. At non evasit prædonum, quos fugiebat, manus: nam Saltzuffelæ, amico oppido, in comitatu Lippiensi, a Godscalco Heiwinckelio Halberstadii centurione captus, et connivente hæretico senatu, grandi lytro multatus; eo dein per amicos præstito, per varia pericula, demum Monasterium pervenit.*

Patrum Societatis Jesu, aliqui antea urbe egressi, in via male multati;

38 *Haud paullo graviora perpetienda fuere iis, qui Paderbornæ in collegio remanserant, apud ipsum* S. Liborii *corpus: nam hoc ceteraque ecclesiæ majoris et aliarum spolia, in collegium nostrum convehi Halberstadius jusserat. Erant istic sacerdotes aliquot senio doctrinaque conspicui; ac fratrum coadjutorum, qui externa opera obeunt, unus artis culinariæ, pinsendique unice peritus, quod ei collegioque saluti fuit: siquidem Halberstadius ejus opera ingenioque delectatus, collegium ei (si fas est) donavit. Ceteri catenis vincti, Lipstadium abrepti ad dirum carcerem, uno dimisso cum publici commeatus litteris, ut multorum millium summam, vitæ captivorum sociorum servandæ, flammisque a collegio, scholis, templo arcendis conquireret. Et corro-*

alii domi reperti, coquo excepto, carceri mancipati,

AUCTORE J. B.

A *corrogavit ille quidem religiosa simplicitate daleros mille : quibus Lipstadium allatis, irritata potius illarum harpyjarum, quam sedata est fames. Iterum ergo emissus, non sine præsenti vitæ discrimine, Monasterium venit : ubi variis frustra tentatis, jussus est tandem a Rectore sub istic subsistere, quidquid in captivos ac domum hostibus permittere visum Deo esset.*

ærumnisque macerati in castris :

39 *Et domus quidem excussis fenestris, direptoque omni domestico instrumento, præter bibliothecam, quæ in cistas compacta adventu Catholici militis abripi non potuit, servata est. Illi cum* S. Liborii *corpore per varia circumducti, tandem ad Hochstum oppidum, profligato Halberstadii exercitu, cum præda ducis in Cæsareanorum venerunt potestatem, fame, nuditate, squallore confecti, ac vermibus undique obsiti, et Moguntiam dimissi sunt : cum prius victores lytri, quod ab iis exigebatur, jus in se solenniter transtulissent, ad actionem hostium, si quæ aliquando intentaretur, elidendam ; ac deiu id ipsis lytrum condonassent. Sed hæc quadrimestri post gesta. Nunc ad ducem revertamur.*

insolens cusa tunc moneta.

B 40 *Halberstadiani eo, quem diximus, successu elati, quæ jam in religiosos homines ac sacra per Westfaliam perpetrarant, publico symbolo illustrare, atque orbi, quo ea animo fecissent, patefacere voluere. Nummos enim cuderunt ex auro argentoque, insolenti plane et execrata forma : nam facie una manus expressa erat, velut protensa e nubibus, strictum gladium vibrans, circum* Christiani *adscripto nomine ; in aversa parte feralis epigraphe inerat :* Dei amicus, mystarum hostis.

§ VII. Christianus Brunswicensis aliique sacrilegi puniti : recuperatæ S. Liborii reliquiæ.

V*indicem superba crudelitas dexteram Numinis provocabat, quæ duci paucis post mensibus manum brachiumque abstulit, mox et vitam, ingenti aliquoties suorum clade, ut resipisceret, admonito. Nam cum majorem quam ante exercitum conflasset, non magis auro emptum, quam spe prædæ ac rapinarum illectum, in quo etiam nobilitas Anglicana ad* 300 *capitum numerum reperta est ; Ferdinandus Bavarus elector Coloniensis, idemque Paderbornensis et Monasteriensis episcopus ; ut prædonem e suis ditionibus mature excuteret, Anholtium e Palatinatu cum expedita milite evocavit, cui et copias suas aliquas junxit. Eo quoque ab Isabella Clara Eugenia, Catholici regis amita, Belgicarum provinciarum gubernatrice, missus cum delecto exercitu Henricus Bergius. Sed hunc ut domum revocaret Mauritius, ne is vel Halberstadium fortassis opprimeret, vel præcipites ejus conatus moraretur, Henricum Fredericum fratrem suum jussit cum aliquot equitum ac peditum millibus, Diliu amne Lovanium inter ac Mechliniam urbem trajecto, prædas per Brabantiam agere, ipsique adeo Bruxellæ terrorem ostentare. Et processit utcumque consilium : nam cum plures pagos Nassovius incendisset, suos agresti præda onustos, quarto die Bredam reduxit; quod et copias aliunde e præsidiis Spinola, qui Bruxellæ tunc erat, et ipsum e Westfalia Bergium revocarat. Illius tamen metu Gisekenæ obsidionem jam deseruerat Halberstadius ; ac*

C *Christianus Brunswicensis fugatus ab Anholtio et Bergio*

e Westfalia discedit :

tunc Visurgi ad Hoxariam oppidum transmisso, minacibus ad Herbipolensem episcopum exaratis litteris, in Eichsfeldiam Moguntino subditam movit, eamque dirum in modum populatus, in Fuldensis quoque abbatis irrupit ditionem, e qua ingentem pecuniæ summam exegit : inde ad Mœnum, clade, quam supra indicavimus, nobilitandum pervenit.

reliquias S. Liborii secum aufert.

42 S. Liborii *reliquias (quod mirum) secum perpetuo hactenus circumvexit : an ut de iis veluti triumpharet homo sacrilegus ; an Westfaliæ inferiorisque Saxoniæ odia veritus, si uspiam abjecisset, quod ipsorum majores ante octingentos annos una cum Christianæ religione susceperant a Gallis pignus ; an ut cuipiam Catholico principi, quod fecit, eas, gratiam sibi illius conciliaturus, donaret ; an etiam, ut potius reor, quia aliqua adhuc tangeretur religione, dubitatum a multis memini. Hochsto oppido, ad dexteram Mœni amnis ripam sita, potitus cum esset, solita crudelitate in civium cæde bacchari militem passus est, ac circumjacentes Moguntinæ ditionis pagos et oppida pleraque flammis absumere. At dum Mœno pontem imponit, superveniunt Tillius et Gonsalvus Corduba, junctis Boicis et Hispanicis copiis, quibus non multo ante Durlachii marchionis exercitum profligarant. Ausus, vel potius coactus, improviso cum iis concurrere Halberstadius; victus, et castris oppidoque exutus, vix cum paucis millibus, quæ de tanto exercitu superfuerant, ceteris vel hostili ferro, vel flumine haustis, ad Mansfeldium evasit, qui ei ad Darmstadium obviam venit. Eo quoque* S. Liborii *reliquias, cum aliqua argentea supellectile, secum traxit. Substitere Hochsti Paderbornenses captivi, qui, ut supra diximus, immeritis vinculis exempti sunt, Moguntiamque dimissi a Corduba ac Tillio.*

vincitur a Corduba et Tillio : E

cum Mansfeldio Lotharingiam transit,

43 *Mansfeldius dein et Halberstadius, cum defendi Palatinatum suis copiis posse desperarent, in Alsatiam profecti sunt, vias incendiis et malefactis notantes. Ex Alsatia per Lotharingiam, neque tam celeriter quam caverat dux, neque innoxie, deduxere Sedanum copias ; territis Gallis, et raptim contrahentibus, quas poterant copias, ne, rege alibi adversus hæreticos bellum gerente, impressionem in ejus provincias facerent, quod suadere dux Bullonius, Sedani princeps Calvinianus, credebatur. Verum ab Arausicano principe invitati, in Belgium descendere ; ut eorum ope Berga ad Somam, quam Spinola obsidebat, liberaretur. Hannoniam celerrime pertransivere, ne concurrere ad arma provinciales possent, eorumque iter morari : eadem causa, aut certe Isabellæ Eugeniæ gubernatricis reverentia, nusquam incendia miscuerunt, ac nihil prope uspium maleficii intulerunt : ne diripuerunt quidem pictas tabulas, quæ Mariæmontii in palatio regia erant. Quæ humanitas Mansfeldii potius quam Halberstadii fuisse tum ferebatur.*

F *dein Hannoniam innoxie :*

ad Flerufvium vicum

44 *Tandem* XXVIII *Augusti ad Fleruvium pagum, non procul Gemblaco oppida (quod veteribus Geminiacum erat) consedere. Nec longe ab iis Corduba, et ipse maximis itineribus, ubi constitit, eas Belgium petere, per Luxemburgiam insecutus. Postera die, qui sacer erat decollationi S. Joannis Baptistæ ambo exercitus prima luce prælium iniere, quod ad plures horas infestis utrimque animis protractum. Regium equitatum, ac legionem Hispanicam, quam improbante Balthasare Santandera, Cordubæ legata, nimium chiliarcha suus Franciscus Ivara promoverat, perculit nonnihil hostilis equita-*

tus

AUCTORE J. B.

iterum prælio vincitur a Corduba,

tus, ipso Ivara interfecto. Ad extremum, aliquot millibus suorum desideratis, fugam eapessunt, servatis tamen utcumque ordinibus. Missus, qui prælio non interfuerat, Gaucherius equitum levis armaturæ tribunus, qui recedentibus instaret. Credebatur Henricus Bergius, si obviam e Gelria venisset, potuisse illius exercitus reliquias conficere. Corduba, non incruenta parta victoria, aliquot dierum indulsit militi suo quietem, inde eum ad castra Spinolæ adduxit. Miror Joannem Petrum Lotichium Rerum Germanicarum lib. 12 *cap.* 4 § 4, *scribere*, Brunswicensem victoria potitum, magnam porro, sub fuga Hispauorum, stragem edidisse, impedimentis, tormentisque bellicis, magnaque pecuniarum vi, spoliisque insuper Palatinatus in potestatem redactis, Bredamque delatis. *Tota fere ejus ac Mansfeldii victoria fuit, effugere. Plurimi eorum milites ab rusticis deinde, dum ignari viarum, præcipue per ditionem Leodiensem, diffugiunt, trucidati sunt. Qui saucii, quique ægri in regiorum manus venerunt, plerique curati in nosocomiis, ubi convaluere gratis dimissi.*

B

manu trajecta,

45 *Halberstadius, qui* S. Liborii *corpus in Lotharingia illustri viro, ut post dicetur, donarat, in hoc prælio ultorem expertus est Deum. Etenim ei manus quam in numismate adversus Sanctos exeruerat, glande plumbea trajecta, vix labore ac jactatione male curata, gangrænam contraxit, ut brachium quoque recidi oportuerit. Neque vero ut Hollandico exercitui hic adjunctus est miles, absque mora Bergæ obsidionem dissolvit Spinola, ut idem asserit scriptor ; sed quarto demum die Octobris, eum evocatus cum suis copiis Bergius, uti ducum nonnemo prædixerat, tardius adventaret; relicta urbe, Mauritio obviam progressus, aciem in latissime patentibus campis explicuit. At satis Mauritio cum esset urbem servasse, prælium declinavit.*

atque idcirco reciso brachio :

rursus conflato exercitu,

46 *Anno insequenti rursus numerosissimum exercitum conflavit in inferioris Saxoniæ provinciis Halberstadius. Idcirco in eas quoque oras Tillius movit : quem ille opperiri minime ausus in Westfaliam, ac Rhenum versus, celeriter discessit. Pari celeritate secutus fugientem Tillius, sæpius extremum agmen carpsit. Instruxit ille non semel aciem ; quod cum et Tillius fecisset, illico elabebatur. Verum coactus tandem, assidue a tergo urgenti Tillio præbere pugnæ copiam, die* VI *Augusti* MDCXXIII *maxime memorabili clade, ad Stadlodam Westfaliæ vicum, profligatus est. Tillius vix centum quinquaginta suorum amisit, fassus ne ad Pragam quidem anno* MDCXX *die* VIII *Novembris, tantam fuisse hostium cædem, ipseque suis, cum jam dux cum aliquot expeditiorum equitum turmis elapsus esset, ferro ut parcerent, edixit. Peditum, qui ad viginti millia censebantur, pars maxima interempta ; ceteri capti, ad quinque millia ; sed mox plerique dimissi, exuti armis, et nisi ad portas Monasterienses a civibus, ac religiosis præsertim, cibo potuque recreati essent, ipsos quoque fames aliæque miseriæ confecissent. Equitatus plusquam dimidia pars evasit. Cæsareis cessere signa plurima equitum peditumque, tormenta omnia, ac commeatus vis ingens. Tanta illius victoriæ lætitia in Belgio fuit, ut in multis urbibus sit festivis ignibus ad plures dies triumphatum.*

C

iterum vincitur a Tillio :

47 *Halberstadius eum Embricam ad Arausicanum venisset, post dies aliquot collegium, quod in ea urbe a Cliviæ ducibus fundatum habet Societas Jesu, invisit cum multo nobilium comitatu, ac nostros humaniter consalutavit. Cumque de nupero prælio sermo incidisset, ingenue fassus est, clades eas sibi evenisse ob* sancti Liborii *contemptum, ablatasque Paderborna ejus reliquias :* Si bonum illum senem, *inquiebat*, suo loco quiescere sivissemus, felicius pugnassemus. *Non ideo tamen pristinam omnem ferociam exuit, quin identidem bellum renovaret, donec tandem anno Christi* MDCXXVI, *di* XVI *Junii febri exstinctus est, cum quatriduo ante vermem e corpore ejecisset quatuor cubitos longum, latum digitos duos. Dissecto a medicis cadavere, cor exile et contractum repertum, fel magnum, cetera illæsa.*

D

agnoscit Dei vindictam ob S. Liborii injuriam :

moritur ;

48 *Hic Halberstadii exitus fuit. Neque ceteri ejus impietatis hortatores atque administri cælestem vindictam evasere. Nam, ut omittam militum ejus sæpius iteratam internecionem, coactis, qui superfuere, ab eorum, quos ad necem depoposcerant, misericordia tolerandæ vitæ præsidium emendicare : proditionis suæ odiique in Catholicos luculentam mercedem tulerunt Paderbornenses hæretici, ab iis ipsis, quos in urbem suam admiserant, suorum errorum sociis, spoliati et exhausti, et Catholico dein exercitui nudi objecti ad ultionem. Saltzuffelenses vero restituta re Catholica, trecentos daleros, quos ipsorum conniventia, violato hospitii jure, Halberstadiani a Patribus Societatis extorserant, referre ad collegium Paderbornense coacti sunt ; sibi gratulantes, quod eorumdem Patrum intercessione, nihil gravius, uti commeriti erant, in eos esset constitutum.*

puniuntur ejus milites,

Paderbornenses,

E

Saltzuffelenses.

49 *Godscalcus autem ille, qui eos contra jus gentium in captivitatem traxerat, et eorum obventuræ de cælo vindictæ minas risu facetiisque contempserat, multiplicibus infortuniis a Deo multatus, et incurabili percussus languore, ex militia reportari domum debuit, ut Saltzuffelensibus civibus suis egregium divinæ vindictæ spectaculum daret. Inde ille a Rectore Paderbornensi, jam in collegium suum restituto, incendiis, quæ patiebatur, restinguendis cervisiam petitum misit, sperans, se illa sublevari posse. Misit ei Rector, injurias hoc beneficio munerans, vasculum octodecim circiter amphorarum. Quod ad* S. Liborium *proprie pertinet, qui primus in basilicam cathedralem, capta Paderborna, equo ingressus erat miles, is sub exitum anni* MDCXXIV *Neuhusii ad Paderæ Lupiæque confluentes, captus, atque ob id aliaque crimina, supplicio affectus est. Visit captivum sacerdos e Societate, et ferocem ac barbarum hominem induxit, ut fidem Catholicam amplecteretur, ac magno sensu pietatis mortem lubens pro scelerum suorum expiatione oppeteret, alte in animum demisso æternorum suppliciorum metu, ex tormentorum inter fidiculas toleratorum memoria, nostro identidem illa efficaciter inculcante.*

Godscalcus centurio,

impius eques,

F

sed ante mortem conversus.

50 *At Paderbornenses canonici de sancti Patroni sui corpore, ubi terrarum illud abjectum relictumve ab Halberstadio esset, inquirebant, una cum serenissimo antistite suo, ac plurimos in varias plagas nuntios, reliquias pervestigatum, dimiserant. Primus ubi ex attinerentur, electori indicavit vir nobilis, Joannes Carolus Erlewinius, Ordingæ oppidi, castrique Linnensis in diœcesi Coloniensi prætor; quem ad eas ab Ottone Philippo Ringravio ejusque conjuge repetendas elector allegavit. Idem postea summa fide et brevitate, quo pacto eas Ringravius*

S. Liborii Reliquiæ quæsitæ,

inventæ ac relatæ ab Erlewinio ;

A *gravius acceperit, ac honorifice habuerit, ipseque ab eo obtinuerit, ad electorem Germanice scripsit. Quem ejus commentarium, vel epistolam, Latine vertit, ac nobiscum communicavit Joannes Grothusius noster.*

(qui historiam scripsit,

51 *Idem porro Erlewinius* S. Liborii *Vitam ac gloriam in aliquot digestam capita, opposuit infami ac sacrilego scripto, quod hæretici eodem tempore in* S. Liborii *opprobrium, ediderant, typis Hollandicis ac sculptura elaboratum. Digesta erat Erlewini Liboriana gloria in capita omnino decem : prioribus quinque vita omnis ac sepultura* S. Liborii *continebatur ; sexto ac septimo elevatio et translatio ; octavo Paderbornæ expilatio, ablatæ reliquiæ, Halberstadii insolens moneta, clades ; nono in arce Neovillariensi impensus honos reliquiis a Ringravii familia et accolis, quorum multis collata divinitus beneficia sanitatis, aliaque : decimo tandem e ædem per Erlewinium recuperatæ, ecclesiæ suæ restitutæ, intra pretiosam conditæ ex auro atque argento thecam, quam pretio octo millium aureorum, fieri curarat Wilhelmus a Westfalen, illustri genere vir ac dignitate, archisatrapa diœcesis Paderbornensis, ac legionis unius in Catholico principum exercitu tribunus.*

et S. Liborii gloriam defendit)

pretiosæ thecæ inclusæ.

B

52 *Isthæc porro cœpta anno* MDCXXII, *cum e Palatinatu abiisset in Belgium cum Mansfeldio Halberstadius, atque hic brachio, ut retulimus, esset truncatus : peracta demum anno* MDCXXIII, *post procerum Imperii conventum, Ratisponæ habitum, in quo Maximilianus dux Bavariæ elector a Cæsare renuntiatus, abdicato Palatino. Et quidem, ut infra ex ipsius Erlewinii epistola patebit, die* XV *Junii in fines Ubiorum reportatæ reliquiæ sunt. Verum ecclesiæ Paderbornensi non nisi quatuor post mensibus restitutæ. Consignata rei memoria in recenti Kalendario ad diem* XXVIII *Octobris, his verbis :* Reductio reliquiarum S. Liborii.

Reductionis anniversaria memoria 28 Octobris.

§ VIII. S. Liborii reliquiæ Ameriam deportatæ.

Ameria urbs est Umbriæ, longe ante urbem Romam condita, nec vana ostentans argumenta vetustatis, murorum partem, ac fundamenta ædificiorum ; ceterum ipsa in colle sita, opimo circum agro, ad Tiberis ripam utramque diffuso, olei, vini, ac tritici ferace. Sed major ab ipsis civibus gloria. Testatur Leander Albertus, præclara ingenia tam multa nomen Ameriæ nobilitasse, ut omnium commemoratio longissima foret. *Ut enim omittam prudentiæ, pietatis atque eruditionis opinione clarissimos nuper antistites, Marianum Victorinum, Bartholomæum Ferratinum Cardinalem, ejusque patruum Baldum Ferratinum ; non uno loco laudatus a nobis in nostro de Sanctorum Actis Opere est Antonius Maria Gratianus e Burgo Sancti sepulcri, episcopus Amerinus, qui inter alia doctrinæ suæ monumenta, res gestas illustravit S. Secundi martyris, qui* I *Junii colitur ; S. Hymerii episcopi, qui* XVIII, *S. Firminæ virginis Romanæ* XXIV *Novembris coronatæ martyrio una cum Ursicino lictore, atque Olympiade præfecto, cujus memoria agitur* I *Decembris. Horum ille Deique in illis, gloriam amplificare studuit, eruditione, prudentia, religione clarissimus præsul.*

C

Ameriam ; urbem antiquam,

et præclaris alumnis celebrem,

54 *Illius sive institutione formatus, sive provocatus exemplo, Peregrinus Carlenus, Amerinus abbas S. Mariæ, numerum nuper ac gloriam augere patriæ suæ tutelarium Divorum conatus est. Nam quia Monasterium, Westfaliæ urbem, regum Hispaniæ ac Galliæ, Cæsarisque et aliorum principum feciales de universæ Christianæ reipublicæ pace deliberaturi, conciliantibus Pontificis Maximi ac Venetorum legatis, convenerant, ipse quoque eo, cujuspiam acturus principis causam, se contulit. Neque vero itineris ac laboris pretio frustatus est, etsi reliqui conventus ejusmodi exitus futurus videatur, quem non creditura facile sit posteritas. Sed tamen quodcumque aspernantium pacem jus ac fortuna erit, fructum operæ Carlenus magnum tulit, in patriæ suæ salutem, Divorum honores, redundaturum. Nam dum Monasterii agit, a canonicis ecclesiæ Paderbornensis, annuente quoque ipso electore Coloniensi, eorum antistite, die* IX *Junii anno* MDCXLVI *aliquas* S. Liborii *(cujus et ipse et frater ejus Augustinus Carlenus, canonicus Amerinus, præsentem opem in nephriticis leniendis doloribus erant experti) reliquias impetravit : duas nimirum e sacro illius corpore particulas, tibiæ alteram, indicis longitudine ; alteram cranii, pollicis fere diametrum æquantem.*

AUCTORE J. B.

a Peregrino Carleno abbate

S. Liborii reliquiæ a Paderbornensibus obtenta,

E

55 *Has ille reliquias in Italiam per virum religiosum e Patrum Capucinorum Ordine F. Bonaventuram misit, in cathedrali ecclesia Ameriæ locandas. Qua occasione, ut ex illustrissimo episcopo Neritonensi Fabio Chisio, Innocentii X Pontificis Maximi ad eum, quem dixi conventum, legato didici, magna erga* S. Liborium *Italorum existere pietas cœpit ; ut ingens turba populorum, atque e sacro quoque Cardinalium collegio nonnulli, et alii principes ad eum venerandum Ameriam ventitent. Curavit idem abbas Carlenus, capituli Amerini rogatu, ejusdem Divi imaginem, uti Paderbornæ pingi solet, in æs incidi, et Gaudentio Polo de Cascia, Amerino antistiti dicavit : cujus imaginis undique per Italiam exempla expetuntur, certis identidem hominibus, qui ea impetrent ac deferant, Ameriam allegatis.*

missæ anno 1646,

magna pietate honoratæ :

sculpta ejus imago :

56 *Vir idem religiosissimus, suo me potissimum hortatu permovit, ut* S. Liborii *res gestas, miracula, translationes, quas non nisi ad* XXIII *Julii in Opere de Sanctorum Actis statueram in lucem proferre, recognoscerem ac seorsim ederem.*

Vitam seorsim edita :

F

57 *Publicum instrumentum, qua donatas a Paderborneusibus eas reliquias fuisse constet, Monasterii legitime confectum, cum Actis ecclesiæ Amerinæ dabimus.*

donationis instrumentum,

§ IX. Solennitas, qua S. Liborii reliquiæ ab ecclesia Amerina exceptæ.

Allatis Ameriam S. Liborii *reliquiis, solemni supplicationi, qua in basilicam cathedralem deportarentur, destinata dies* XII *Maii, quæ eo anno, a Christi ortu* MDCXLVII *Dominica erat, tertia post Pascha, qua et celebritas agebatur S. Mariæ de Foce ; eo consilio delecta ab Gaudentio Polo, ejus urbis antistite, ut qui sacrum illum locum pietatis ergo visissent exteri, iis deinde in urbem venire, et supplicationi, quæ hora* XXI *inchoanda erat, interesse fas esset.*

S. Liborii reliquiæ, anno 1647, XII Maii

59 *Pridie secunda noctis hora, in futuræ solennitatis indicium, compulsatæ sunt templorum omnium*

ac

AUCTORE J. B.

invitato populo,

ac cœnobiorum urbis totius campanæ, ut religioso eo sonitu plebis permoverentur ad pietatem animi, sensumque ex eo secuturi triumphi præciperent. Sacrarum ædium valvis, locisque aliis publicis affixum erat programma, quo episcopus religiosos populumque invitabat ac hortabatur, ut frequentes adessent, oblatumque sibi cœlestem thesaurum, prompta devotione, reddendis Deo gratiis, ipsius Divi imploranda ope, cohonestarent.

post Vesperas

60 *Dominica vero cantatæ sub horam* XVIII *præclaro symphoniacorum concentu Vesperæ sunt. Aderant cum episcopo anciani (ita* IV *viri qui supremum magistratum gerunt, quasi seniores, appellati, alibi priores, aut consules) urbisque gubernator. Confertum populo templum erat, omnis sexus, ordinis et ætatis : convenerunt quotquot inscripti sodalitiis, sive fraternitatibus, ut vocant, prælato proprio cujusque labaro, saccis de more induti : ornabant solennitatem ejus urbis religiosi omnes, pars in templum ingressi, pars coacti foris subsistere.*

instituta supplicatione,

B

ad templum S. Francisci,

61 *Peractis Vesperis, ordinata supplicatio est, multitudine omni in locos suos ac procedendi seriem distributa. Antea jam tabernaculo pretioso inclusæ reliquiæ, a P. Bonaventura Capucino ad S. Francisci ædem tacite erant deportatæ : nam inde eas supplicantes ut ad cathedrale templum transferrent, statutum fuerat.*

præcedentibus sodalitiis civium,

62 *Prima processit sanctissimi Sacramenti sodalitas, quæ trecenta circiter censebat capita, albo sodalium inscripta. Eam sodalitas mortis sequebatur, hanc SS. Joannis et Pauli, tum S. Rochi, S. Sebastiani, Misericordiæ, S. Augustini, S. Firminæ : singulis præter proprium labarum, Crucifixi effigies, aliaque publici decoris insignia præferebantur.*

religiosis,

63 *Inde religiosorum cœtus : Capucini patres omnino* XVIII, *Augustiani excalceati, Augustiniani Antiqui ; Franciscani Reformati, qui nostratibus appellantur* Recollecti ; *ac postremo Conventuales Ordinis ejusdem.*

clero seculari.

canonicis ;

C

64 *Sequebatur basilicæ cathedralis capitulum, cruce prælata : anteibant* XII *adolescentes e seminario Patrum Somascorum : deinde clerus omnis, presbyteri ac pastores totius urbis : tum canonici, quos episcopi vicarius sequebatur inter duos utrimque canonicos medius : ipseque tandem episcopus, pontificali cappa indutus, claudentibus ei de more latera duobus, qui dignitatem gerere in capitulo dicuntur. Post hos illustrissimi DD.* IV *viri anciani, ac gubernator, illorumque tabelliones, et qui ex Officio quique e familia singulos assectari solent :*

sequente nobilitate et populo.

postremo multitudo prope innumerabilis nobilium, civium, opificum, tum qui in urbe degebant, tum quos aliunde sua pietas publicaque devotio exciverat.

65 *Ut ad S. Francisci ædem supplicatio pervenit ; ad episcopale solium, isthic jam paratum, antistes accessit, cappaque deposita, pluviale et mitram sumpsit : postea ante principem aram, de manibus*

Ibi ab episcopo in altari collocatæ,

P. Bonaventuræ tabernaculum, intra quod conditæ reliquiæ erant, accepit pieque exosculatus, supra aram collocavit, insigni apparatu ornatam, accensis in ea viginti prægrandibus cereis. Dein a gemino musicorum choro, egregia symphonia, decantata est in S. Liborii *laudem antiphona.*

tum plerisque albas faces gerentibus

66 *Ea finita, processere supplicantes versus templum cathedrale, eodem quo advenerant ordine. Ad valvas Franciscanæ ædis collocarat Augustinus Carlenus canonicus sacerdotes duos, qui singulis supradictorum sodalitiorum confratribus, ut vulgo se appellant, ac religiosis, et plerisque nobilibus, advenis æque ac urbanis, faculam e cera virgine traderent. Canonicis vero ac præsidibus religiosarum congregationum, nec non ancianis et gubernatori, fax trilibris est data, ut et duodecim adolescentibus nobilium liberis, qui angelico cultu ornati, eleganti ordine sacras reliquias præcedebant, quas prædictus Gaudentius Polo antistes sub magnifica umbella, tabernaculo inclusas gestabat.*

D

ab eodem deportatæ,

67 *Milites præsidiarii, ex occasione hibernorum hoc anno ibi collocati, omnes in aream, quæ ante eam ædem sita est educti, pulcherrimo ordine dispositi, simul atque in conspectum venerunt reliquiæ, edito a centurionibus signo, eas festiva sclopetorum displosione consalutarunt.*

militariter salutatæ,

68 *Ducta supplicatio est ad omnes Amerinæ urbis ecclesias ac cœnobia sanctimonialium. Ac primum S. Elisabethæ Ordinis S. Claræ adita ædes, exquisito apparatu ornata, altaribus omnibus cereorum ac facum multiplici splendore collucentibus. Hic in summo altari positum ab episcopo reliquiarum tabernaculum, dum a religiosis ac musicis, consonante organo, antiphona de* S. Liborio *cantatur. Dein sublatis in altum ductisque in crucem reliquiis, populo episcopus benedixit. Tum ad S. Monicæ cœnobium sanctimonialium virginum instituti Augustiniani itum ; quibus ea quoque cæremonia bene precatus est antistes.*

per religiosarum templa circumlatæ,

E

69 *Locuplete ornatu convestitum Patrum Augustinianorum templum erat, ac domus : e qua prætereuntes reliquiæ egregio musicorum concentu salutatæ sunt. Idem a cœnobiis S. Magni, ac S. Stephani, utroque monachorum Ordinis Benedictini, factum : quibus benedictio, ut ante aliis, impertita. Ventum deinde ad monasterium SS. Catharinæ ac Joannis Evangelistæ, quod feminæ religiosæ Ordinis S. Benedicti incolunt : quæ ad reliquum templi, sane prædivitem, ornatum, varia scloporum majorum displosione honorari sancti Præsulis exuvias curarunt.*

musica honoratæ,

et displosione bombardarum,

70 *Quæ ante basilicam cathedralem jacet area, varii tenebant cunei militum, jucundo ad speciem situ : a quibus tum sclopi majores displosi, tum alia bellica instrumenta ad Divi honorem adhibita. Erat ipsa basilica splendidissime ornata. Ad honestandas quippe reliquias, nullis expensis antistes ipse ac capitulum civitasque pepercerant.*

ad templum cathedrale allatæ,

F

71 *Positum itidem in summo altari tabernaculum ab episcopo est, cantataque a musicis antiphona, dum interea in templum areamque omnis convenit supplicantium turba : cui ut bene precatus episcopus est, reliquiæ ad sacellum sanctissimi Rosarii delatæ, intraque armarium conditæ sunt, ad eam rem præparatum, ternis dein clavibus occlusum : quarum una penes episcopum asservatur ; altera penes capitulum ; tertiam habet canonicus Carlenus : donec ejus, fratrisque abbatis sumptu, novum construatur sacellum,* S. Liborii *honori dicandum : cujus hic reliquias ad patriæ ornamentum ac præsidium, ab ecclesia Paderbornensi obtinuit : quæ tanto totius Umbriæ plausu acceptæ sunt, ut per omnem late Italiam ejus rei sparsa sit fama, et inflammati hominum animi eximia erga novum hunc Tutelarem, et contra nephriticos dolores patronum, pietate.*

data benedictione,

reconditæ,

dum paratur sacellum.

Insperata eo die serenitas.

72 *Et vero jam nunc haud pauca memorantur ejus patrocinio obtenta divinitus beneficia. Illud cum*

primis

A *primis prodigii simile habitum, quod cum maxima esset auræ intemperies imbresque assidui, eo præsertim die, in quem solemnis indicta erat reliquiarum translatio, simul inchoata supplicationis est pompa, subita exstiterit planeque insperata serenitas.*

VITA ANTIQUA

Auctore anonymo.

E veteri Ms. Legendario ecclesiæ Cenomanicæ eruta a Ludovico Cellotio Societatis Jesu.

S. Liborius, Dei providentia, eligitur episcopus, B Benedictus Dominus, qui non derelinquit sperantes in se, nec deest iis qui eum diligunt in veritate: quibus ne aliquando desit misericordia Salvatoris, adversitatibus sæpe consulitur, sæpe prosperitates blandiuntur, sæpe etiam sacratissimorum præsulum providentia subvenitur: pastor quippe optimus suis ovibus providere minime dedignatur, qui ovem perditam, et quærere dignatus est, et inventam ad ovile propriis humeris reportare. Unde post felices S. Pavacii transitus ad regnum cœlorum, ne oves sine pastore procul a vitæ pascuis vagarentur, S. Liborius a Domino Cenomanicæ urbi pontifex extitit subrogatus. In cujus electione populus nequaquam ab altiori consilio declinavit, cum nihil videretur in eo, quod *vir sanctus* vel homo reprehenderet, vel oculis summi Judicis displiceret. Nec est facile dicere, qualem aut quantum se exhibuit episcopum, qui ante susceptam dignitatem se totum fecerat totius Christianæ religionis exemplum.

et doctus, 2 Hic itaque vir beatus, natione Gallus, liberalibus disciplinis eruditus, sed eruditior moribus, tanto suis subditis gratiori præfuit regimine quanto majori desiderio æstuabat æternorum dilectione. *præclare regit:* Nam vultus ejus grata modestia profundam humilitatem prætendebat: Psalmorum autem modulatio devotionem maximam testabatur: C frequenter enim pauperum angustias suspirabat, et angustiis pauperum consulere non cessabat, qui impensiori studio et divini cultus zelo permaximo decem et septem ecclesias in sua diœcesi, *ecclesias ædificat:* suis propriis sumptibus, Dei et quorumdam principum fultus auxilio, ædificari præcepit: quorum quidem census permaximos ad luminaria sanctæ matris ecclesiæ solvendos annis singulis destinavit.

claret miraculis, 3 De meritis autem beatissimi patris nostri Liborii ne mundus tamquam nescius dubitaret, per ejus intercessionem et meritum Dominus cæcis tribuit visum, surdis auditum, ab obsessis corporibus expellit dæmonia, ceterosque variis debiles incommodis optatæ restituit sanitati. Et quod veræ religioni non parumper alludebat, beatissimo Martino Turonorum archiepiscopo eousque familiaris semper et carus exstitit, *S. Martino familiaris;* ut ejus alloquio frequenter perfrui mereretur; et tamquam eximiarum virtutum ejusdem perfectissimus imitator, illius sacris adesse consiliis, ac ejus jugi benedictione meruit confirmari.

4 Appropinquans autem venerabilis ille pater noster Liborius ad terminos universæ carnis, *AUCTORE ANONYMO.* felici jam senio candidatus, et sacra militia consummata fessos artus et naturam fragilem profitentes cilicio et cineri commendavit. Priusquam tamen locupletem virtutibus animam suo transmitteret Creatori, ab illo unico visitatore pauperum Christi, beatissimo Martino, meruit visitari: *a quo æger visitur* qui angelica revelatione venit ad Pontificis exequias, comitantibus scilicet suis sanctissimis discipulis; in quorum comparatione sanctior magister elucebat. Et ingressus domum invenit eum jam totum in cœlis inhiantem, jam futuram et æternam mercedem suspirantem, jam lecto humili solis artubus strato cilicio recubantem. *in cilicio cubans.* Cui cum supremum et primum vitæ consilium tribuisset, et sacratissima benedictione confirmasset, inter venerabiles manus sancti pontificis spiritum beatis sequrum meritis ad Superos destinavit. Nec tamen illud singulare donum in terris illudque unicum decus Ecclesiæ beatissimus Martinus dereliquit, *ac mortuus sepelitur,* priusquam felicibus membris sepulturæ debitum diligenter impenderet, et in *a* ecclesia beatissimorum Petri et Pauli apostolorum supra *b* Sartham fluvium constituta, obsequio quo decuit, magna cum reverentia collocaret: E ubi inter sacratissimos prædecessores suos gloriosus ille Pastor excellenter humatus, beneficia quæ copiose contulerat in seculo vivens, copiosius contulit in sarcophago requiescens. *miraculis post obitum clarus.* Præfuit autem ecclesiæ Cenomanensi annis quinquaginta, uno minus; et præsentis miseriæ cursu feliciter consummato, quinto Idus Junii requievit in Domino Jesu Christo, cui laus est et gloria per omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Eam ecclesiam sitam fuisse scribit Antonius Corvasserius, circa locum ubi nunc cœnobium S. Juliani de Prato, sanctimonialium Ordinis S. Benedicti.*

b *Sarta fluvius alluit Alancionem, sive Alenconium; deinde metropolim Cenomanorum adit, Ptolemæo (ut putant)* Οὐίνδινον, *Vindinum, vel Windinum, vulgo nunc* Le Mans *dictam: infra quam Huinæ, sive Huini fluvio miscetur; uterque postea Meduanæ.* F

ALIA VITA

AUCTORE ITEM ANONYMO.

Ex ejusdem ecclesiæ veteri Ms.

Sive, Gesta Domini Liborii, Cenomanicæ urbis episcopi, qui fuit temporibus Constantini et Valentiniani imperatorum.

Liborius natione Gallus successorque B. Pavacii Cenomanicæ urbis pontificis; qui et post *S. Liborius struit 17 ecclesias,* ejus

AUCTORE ANONYMO.

ejus obitum electus a populo et sacratus est episcopus. Studuit enim in rebus ecclesiasticis, prout melius potuit, oppido Deo vulgo placere. Qui et remunerationem ex hoc magnam, et coronam gloriæ percipere meruit. Hic fecit ecclesias per diversa loca in ipsa parochia XVII. Ex quibus census ad matrem ecclesiam civitatis, cui præerat, censuit solvere ad luminaria in ipsa ecclesia continuanda, tam ceræ quam et olei, sive custodibus trientes; id est, de *a* Colinno ceræ lib. I olei II. Item. I. Item de Silviaco, ceræ lib. I olei II. Item I de *b* Rodacio ceræ lib. I olei II. Item I, de *c* Campo Genestoso ceræ lib. I olei II. Item I de Conedaco ceræ lib. I olei II. Item I de Aciaco ceræ lib. II olei III. Item I de *d* Aluncionno ceræ lib. IV olei VI. Item I de Saugonna *e* ceræ lib. II olei III. Item I de *f* Sabonarias ceræ lib. I olei II. Item I de Bona ceræ lib. I olei II. Item I de Luciaco ceræ lib. I olei II. Item I de *g* Ludua ceræ lib. I olei II. Item I de Marsone ceræ lib. I olei II. Item I de *h* Poliaco ceræ lib. I olei II. Item I de *i* Maguro ceræ lib. I olei II. Item I de Noviliaco ceræ lib. I olei II. Item I de Comnis ceræ lib. I olei II. Item I.

a quibus ceram oleumque matrici ecclesiæ pendit jubet :

B

sacros Ordines confert :

2 Fecit quoque jam dictus Pontifex Ordinationes XCVI, in quibus sacravit presbyteros per diversa loca CCXVII, diaconos CLXXXVI, subdiaconos XCIII, et reliquos ministros, quantum necesse fuit. Hic ergo in pace obiit V Idus Junii. Et sepultus a beato ac sancto Martino Turonensis ecclesiæ archiepiscopo, et a discipulis suis honorifice ultra fluvium Sarthæ in ecclesia Apostolorum, quam domnus et sanctus Julianus dudum construxerat atque sacraverat: in qua et S. Pavacius antecessor ejus, et S. Turibius antecessor S. Pavacii corporaliter requiescunt.

sepelitur a S. Martino :

3 Sedit in prædicta sede jam dictus S. Liborius annos undequinquaginta, qui totis nisibus Domino dulciter in omnibus famulari studuit. Cujus post obitum, tribuente Domino, in ejus nomine et in prædicta ecclesia juxta ejus sepulchrum innumerabilia ejus dignis meritis claruerunt signa: cæcos videlicet innumerabiles illuminando, claudos restituendo, dæmonia ejiciendo, leprosos curando, infirmos sanando, surdis auditum præbendo, et aliis multis atque innumerabilibus sanitatem largiendo. Nomina vero prædictorum debilium et infirmantium propter prolixitatem hic non descripsimus; tamen tanta visa ejus meritis sunt signa, quanta, ut reor, tres aut quatuor quaterniones non possunt capere. Petimus quoque, ut ejus assiduis deprecationibus ab omnibus adversitatibus fluctuantis seculi, sive a cunctis sceleribus nostris nos liberare dignetur Dominus. Amen. Sua ergo in vita ostensa multa sunt suis meritis miracula, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria per omnia secula seculorum. Amen.

post mortem clarescit miraculis.

C

ANNOTATA.

a *Corvasserius in Historia episcoporum Cenomanensium ita hæc effert:* Fecit in diœcesi parochias decem et septem, ex quibus censuit solvere ad luminaria matris ecclesiæ certam ceræ et olei quantitatem, custodibus vero certos æris trientes, de Colinno, de Silviaco, etc. *Quædam vicorum nomina in majori Vita cap. 4 num. 12 aliter paullo exprimuntur.*

D

b *Corvasserius* de Raudatio.

c *Corvasserius* Campogenestoso.

d *Idem*, Aloncionno.

e *Addit idem*, sive Sagomio.

f *Idem*, de Sabonariis.

g *Idem*, de Ludina.

h *Idem*, de Pauliaco.

i *Idem*, de Magnacio.

ALIA VITA

Ex Ms. Joannis Morelli canonici Cenomanensis.

Beatus Liborius, natione Gallus, quartus urbis Cenomanicæ pontifex, S. Pavacii successor, a populo et clero unanimiter electus in matre ecclesia urbis prædictæ consecratus fuit episcopus: in cujus electione populus ne latum quidem unguem, ut aiunt, ab altiori consilio declinasse visus est; cum nihil in eo esse videretur, quod vel homo reprehenderet, vel oculis summi Judicis displiceret. Studuit enim semper in rebus ecclesiasticis, prout melius potuit, apprime *a* dominis et vulgo placere, seque totum ante susceptam dignitatem totius Christianæ religionis exhibuit exemplum. Cujus vultus et grata modestia profundam humilitatem prætendebant, psalmorum quoque modulatio devotionem maximam testabatur. Ipse vero liberalibus disciplinis eruditus, sed moribus eruditor, frequenter ad pauperum angustias suspirabat, quorum angustiis consulere ac subvenire non cessabat: qui impensiori et divini cultus zelo permaximo decem et septem ecclesias in sua diœcesi, suis propriis sumptibus, Dei et quorumdam principum fultus auxilio, ædificari præcepit. Quarum quidem census permaximos ad luminaria continuanda in ipsa matre ecclesia, cui præerat, tam ceræ quam olei, sive custodibus ipsius ecclesiæ trientes solvendos annis singulis destinavit.

S. Liborius virtute et eruditione clarus, E

ecclesias ædificat F

2 Fecit etiam in sua diœcesi nonaginta sex ordinationes, in quibus sacravit presbyteros per diversa loca, diaconos et subdiaconos, et reliquos ministros, quantum necesse fuit. De cujus meritis ne mundus tamquam nescius dubitaret, per ejus intercessionem et meritum Dominus cæcis tribuit visum, surdis auditum, ab obsessis corporibus expellit dæmonia, ceterosque variis debiles incommodis optatæ sanitati restituit. Et quia pares paribus gaudent, beatissimo Martino Turonorum archiepiscopo fuit maxime familiaris: cujus frequenter conversatione et alloquiis perfovebatur, et crebro ejus benedictione confirmabatur, et salubri consilio utebatur.

Ordines confert : miracula patrat: S. Martino familiaris.

3 Appropinquans autem Vir ille sanctus ad terminos universæ carnis felici jam senio candidatus, et sacra militia consummata fessos artus, naturam fragilem profitentes, cilicio et cineri commendavit. Priusquam tamen locupletem virtutibus animam suo Creatori transmitteret, ab illo

ab eo æger visitur,

A *Angeli monitu;* illo unico visitatore pauperum Christi, beatissimo Martino, meruit visitari. Qui angelica revelatione, venit ad sancti Pontificis exsequias, comitantibus suis disciplis; et ingressus domum, invenit eum jam totum in cœlis inhiantem, jam æternam mercedem suspirantem, jam lecto humili solis artubus strato cilicio recubantem. Cui cum supremum et primum vitæ consilium tribuisset et sacratissima benedictione confirmasset, inter manus beatissimi Martini spiritum beatis securum meritis ad Superos destinavit. Vixit autem temporibus *b* Constantini et Valentiniani imperatorum; et præfuit ecclesiæ Cenomanicæ annos undequinquaginta: et præsentis miseriæ cursu feliciter consummato, *c* quarto Idus Junii, in pace quievit: et a divo Martino Turonensi archiepiscopo, et a suis discipulis, obsequio quo decuit, et magna cum reverentia, sepultus est ultra fluvium Sarthæ, in ecclesia beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, quam B. Julianus dudum construxerat et sacraverat: in qua B. Pavacius ejus antecessor, et S. Turibius S. Pavacii antecessor, corporaliter requiescunt. Ubi Vir sanctus beneficia, quæ contulerat copiosa in seculo vivens, copiosus contulit in sarcophago requiescens; cæcos illuminando, claudos restituendo, dæmonia ejiciendo, leprosos curando, surdis auditum præbendo, et infinitis aliis sanitatem largiendo. Quorum infirmorum nomina, ad vitandam prolixitatem, non sunt hic descripta. Ejus precibus nos commendemus, ut cum Christo in æternum vivamus, cujus regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

mortuus sepelitur:

B *novis miraculis a morte illustratur,*

ANNOTATA.

a *Aliter paullo secunda Vita*: oppido Deo vulgo placere.

b *De* S. Liborii *ætate egimus Commentarii historici* § I *num.* 4.

c *Ibidem num.* I *ostendimus* quinto *legendum.*

C

ALIA VITA

Auctore Saxone anonymo.

Ex Mss. monasteriorum Corsendoncano et Bodecensi.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

S. Liborii gesta unde Auctor acceperit.

Doctores et Episcopi a Deo dati,

Quamvis multifariam modisque ineffabilibus supernæ bonitatis erga salutem humani generis pia dispensatio cognoscatur; in hoc tamen maximis videtur clarescere indiciis, quod Ecclesiæ suæ, in hac mortali conversione pro æternæ vitæ præmio laboranti, tales eruditores defensoresque providit, quorum doctrinis et exemplis informari, quorum meritis et intercessionibus possit in perpetuum adjuvari. Omnibus enim, qui in procinctu fidei positi, agone militiæ Christianæ contra spiritales nequitias jugiter colluctantur, quid utilius esse credatur, quam illorum imitandas præ oculis habere virtutes, qui in eodem agone legitime certantes, perpetuam adepti sunt victoriæ coronam? Quid felicius, quam eorum precibus muniri, quibus cuncta, quæ petierint, præstanda veritas ipsa promittit? De his enim loquimur, qui vere in Christo manentes, ejusque in se verba manere facientes, illud consequuti sunt præmium, quod ipse promisit dicens: Quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.

EX MSS.

Ecclesiam juvant verbo, exemplo, patrocinio;

Joan. 14, 13.

Joan. 15, 7.

2 Hoc equidem licet ad Apostolos specialiter dictum sit, pertinet tamen nihilominus etiam ad alios quosque excellentia sanctitatis insignes; illos præcipue, qui Apostolorum tam meriti quam officii successione sublimati, perenni refulgent gratia sacri præsulatus. Ii namque tanto facilius a Deo quælibet impetrant, quanto ei et per puritatem conversationis, et per sublimitatem sacri ordinis appropinquant. Nec dubium quin plurimum illorum preces apud Dominum valeant, quorum ipse potestatem tantum in cœlo terraque valere coucessit, ut quidquid hic ligarent, maneret ibi ligatum; quidquid hic solverent, esset protinus ibi solutum. Præterea illorum officii dignitatem ipse inhabitator et consecrator eorum Spiritus sanctus ostendit, qui per prophetam Malachiam loquitur, dicens: Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est. Hinc in Apocalypsi Joannis, ecclesiarum præsules non nisi angeli vocantur, signati per septem stellas, in Christi dextera demonstratas. Sunt enim stellæ, quia virtutibus radiant; angeli, quia mandata divinæ jussionis annuntiant. Constat igitur, eos non parum transcendere modum infirmitatis humanæ, quos toties Scriptura sancta non dubitat angelos appellare.

E

Malac. 2, 7.

Apoc. 1, 20. *angeli et stella dicti*

F

3 *a* Ipsorum vero in Ecclesia principes et primi propagatores, Apostoli fuere, qui post gloriosam Domini nostri Jesu Christi ad cœlos ascensionem, juxta promissionem ipsius, sancti Spiritus infusione roborati, et scientia omnis veritatis instructi, in diversas mundi totius pene profecti sunt regiones, verbum salutis annuntiantes ubique, et tam miraculorum signis, quam prædicationum hortamentis, id in brevi efficientes, ut, quemadmodum egregius olim Propheta præcinuit: In omnem terram exiret sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Ex eorum igitur salutaribus cœlestibusque doctrinis, quas ab ipso fonte veritatis largiter hauserant, ecclesiasticorum ordinum regula, divini cultus institutio, et tota Catholicæ religionis observatio sumpsit exordium. Post quos multi per orbem ecclesiarum præsules, illorum in omnibus vestigia sequuti, et eorum non minus virtutum gratiam, quam ordinis dignitatem adepti, eamdem tenuerunt in fide sinceritatem, in moribus sanctitatem, in

a Apostolorum successores,

Psal. 18, 50.

EX MSS.

iu doctrinæ studio vigilantiam : qua et fidelium mores corrigerent, et fidelium mentes ab errore converterent. In quo plures eorum tantum Domino placuisse noscuntur, ut clarissimis usque hodie miraculis coruscare videantur.

S. Liborii Vita fideliter scripta ;

4 Ex quorum glorioso collegio vir magnificus et incomparabilis exstitit sanctitatis Liborius, ecclesiæ Cenomanicæ præsul, cujus modo proposuimus vitam et transitum breviter commemorare ; utile ac fructuosum fore legentibus arbitrati, ejus vitam actusque cognoscere, quem sequendo, possit in divina servitute proficere. Ejus etenim vita nihil aliud erat, nisi quoddam cœlestis conversationis indicium, Christianæ religionis exemplum, virtutis ac fidei documentum. Uude quoniam ipse Dominicum illud implevit præceptum : Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est ; nobis in vitæ mortalis errore degentibus cnitendum valde solerti imitatione videtur, ut qui vitiorum et ignorantiæ tenebris obfuscamur, lucifluis bonorum ejus operum radiis illustremur. Nec nos quisquam existimet in ejus laudibus a veritatis aut moderationis tramite deviare, cum nulla, nisi a veracibus scriptis seu relationibus comperta, proferamus ; nec eum digne a mortali lingua posse laudari, ipse, cum quo nunc immortaliter regnat, Deus visibili palam ostensione declaret. Testatur namque, cunctis eum virtutibus atque omni vitæ merito acceptum sibi fuisse viventem, dum defuncti reliquias evidentissimis miraculorum signis frequenter glorificare non desinit.

Matt. 5, 16.

B

miracula post mortem,

5 Ex quo datur intelligi, hac eum gratia nequaquam in præsenti vita caruisse, quamvis inde specialia litterarum indicia qualibet ex causa non habeantur. Sive enim, quod familiaris Sanctis omnibus semper humilitas persuadet, ut ea quæ sibi ante humanos oculos laudi et gloriæ videri valent, celari abscondique desiderent, hoc ipse præ ceteris obtinuerit ; sive gesta signorum virtutumque illius descripta quidem plenius, sed casu quolibet posterorum notitiæ subtracta fuerint ; sive aliud quid causæ fuerit ignorantes ; liquido tamen credimus, ejusdem sancti Spiritus gratiam, qui toties ante ejus sacrosancta piguora præclarum sui charismatis donum, operationem scilicet virtutum, ad ipsius demoustrauda merita exhibere dignatur, eidem quoque in carne posito minime defuisse. Non tamen desunt etiam certa de ejus meritis apicum monimenta. Habentur etiam gesta pontificum ejusdem, cui præfuit, ecclesiæ Cenomanicæ, simplici eloquio, et absque omni nævo figmenti, fideli narratione contexta : in quibus non plena alicujus eorum Vitæ series replicatur ; sed quis, cui successerit, cujus meriti fuerit, quot annis ecclesiam rexerit, breviter est annotatum. Hujus vero sacri ac pretiosissimi viri Liborii etiam transitus ex hac valle lacrymarum ad societatem semper vere beateque gaudentium civium supernorum, quo contigerit ordine, latius iudicatur. Extant et aliæ de ejus ortu et vita litteræ strictim exaratæ, de quibus omnibus utilissimis quibusque et veracissimis narrationibus defloratis, hic eas, prout divinitus facultas datur, paucis explicare conamur.

quæ in Vita vel non scripta, vel deperdita :

C

hæc unde accepta.

D

ANNOTATA.

a *In Ms. monasterii Bodecensis Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, e quo variantes lectiones nobis Joannes Gamansius noster communicavit, hic prologi finis, Vitæ exordium erat.*

CAPUT II.

S. Liborii a prima ætate sanctitas; episcopatus.

S. Liborius Gallus, nobilis, a puero gravis,

Hic igitur in Galliis originem ducens, et parentum nou ignobili ortus prosapia, clarissimam *a* patriam suorum claritudine meritorum amplius illustravit. Namque ab ætate primæva, maturum iu bonis actibus cor gerebat, neque illecebris voluptatum carnalium, ut ætati lubricæ moris est, animo cedens, neque vitio levitatis indulgens. Adeo vero sese humilem et quietum et trementem sermones Domini exhibebat, ut merito super illum sancti Spiritus gratia requievisse credatur, quæ illum ad sacerdotii dignitatem, ac dispensationem sacramentorum Dei, ad regimen fidelis populi nutriebat. Hæc etiam illius animo flagrantissimum discendi studium inspiraverat, quatenus cœlestium fluentis arcanorum, quæ multis erat quandoque largiter ructaturus, ipsius primum præcordiorum iutima salubriter implerentur. Neque umquam perverso quorumdam more prius voluit dicere, quam discere ; sed tamquam futurum se doctorem præsaga mente adverteret, cunctarum fere sibi utilium scientiam scripturarum satagebat intentus auditor acquirere, quas postmodum, quibus opus esset, valeret facundus præceptor ingerere. Nec deerat sagacis ingenii vigor, largam bono studio efficaciam subministrans ; magnamque in teneris adhuc annis præclaræ indolis flores spem suavissimorum fructuum præbuere, quos abundanter constat postea provenisse. Denique simul cum processu temporis, probitatis ac sophiæ proficiens incrementis, ita in brevi maturitatem virilis ornabat ætatis, ut acceptus apud omnes, et tam honore, quam amore, dignus haberetur. Nec mirum : quippe quem nulli elatio protervum, uulli asperum livor, nulli contemptibilem fecit ignavia ; sed humilitas etiam infimis coaptaret, caritas cunctis exhiberet affabilem et conformem, industria demonstraret eum esse vas utile in domo Domini, ad omne opus bonum paratum.

a

E

discendi avidus,

F

omnibus carus.

Clericus factus sanctissime vivit;

7 Postquam autem tam vitam, quam habitum secularem, cœlestium præmiorum intuitu, dereliquit, et vere a Domino in suam electus sortem, clero associatus, ac officiis est functus ecclesiasticis, amplius totum se divino cultui visus est maucipare. Studebat namque, quantum fragili carnis sarcina circumdatus potuit, cunctos actus cogitatusque suos ad rationis normam dirigere, circumspectus ac providus, docilisque et cautus existere, adversa vel prospera æquauimiter ferre,

auimam

A animam supra temporalis periculi metum fortiter agere, nihilque nisi quod esset ante superi Examinatoris oculos fœdum, peccati scilicet maculas formidare : habere de Dei bonitate fiduciam, securitatem, constantiam, tolerantiam, firmitatem: præterea nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, sub jugo rationis cupiditatem moderari vel domare. Hinc modestus et abstinens, castus et honestus, parcus et sobrius ante Deum et homines permanebat. Jam vero in illo propositum æquitatis justitiæque servandæ, quis umquam digne valeat explicare ? Quis ejus circa innocentiam, humanitatem et concordiam studium, quis erga pietatem et religionem enarret affectum? Omnis ejus animi meditatio, a rebus vanis et caducis remota, circa salutem animæ ac statum vitæ perpetuæ versabatur.

eligitur Cenomanensis episcopus,

8 Proinde quia tantus in eo cœlestis jubaris splendor celari diu non potuit, sanctitatis ejus ita rumor excrevit, ut totius inclytæ civitatis Cenomanicæ populi ad hunc sibimet eligendum B pontificem, unanimiter corda converterent. Nec dubium, quin se beatos fore arbitrarentur, qui talem habere pastorem ac præsulem mererentur : cui ad docendum suppeteret linguæ disertitudo, ad doctrinam exemplis firmandam vitæ rectitudo, ad exorandum pro subditis Deum meriti magnitudo. Unde cum memoratæ urbis populum antistitis sui Pavacii viri sanctissimi obitus ingenti, *post S. Pavacium.* ut par erat, mœrore afficeret; consolabatur tamen hujus concorditer electi probitas, et firmata de illo apud omnes fiduciæ certitudo, quod nemine sacerdotum Christi esset inferior. Quinimo antiquam Israeliticæ gentis gratiam sibi præstitam gratulabantur : quia sicut illis quondam, ablato et ad cœlum rapto Elia propheta sanctissimo, Elisæus duplici ejus spiritu repletus successit; ita spiritales B. Pavacii virtutes, in successore Liborio repræsentandas, aut etiam duplicandas fore sciebant. Quapropter gaudentibus cuuctis, ecclesiæ Christi regimen, ad quod olim erat divinitus præordinatus, juxta morem canonicum assumpsit, regulariter poutifex ordinatus.

C

ANNOTATA.

a *Legendæ pars secunda :* patrum suorum lineam.

CAPUT III.

S. Liborii mores in episcopatu, prædicatio.

Præclare munus illud gerit,

Suscepto vero sacerdotio, nihil ex studio sanctitatis, quam prius exercuerat, dereliquit ; sed tamquam lucerna super caudelabrum posita, ita ille divina luce repletus, quo in eminentiore constitutus est loco, eo latius in domo Dei collatæ sibi gratiæ notitia refulgebat. Neque illum tantæ dignitatis honores solitæ religionis mutare fecerunt mores, nec ecclesiasticorum occupationes negotiorum quidquam ex quotidiana divinæ laudis et placationis servitute prætermittere coegerunt. Quinimo tanto eam instantius adaugere curavit, quanto jam non suæ solius, sed multarum animarum salutis causa recte se vivere debere sciebat : quibus frustra videbatur præesse, si non studeret etiam monitis exemplisque prodesse. Ob hoc igitur, nullius momenti spatium otiose transigere volens, semper erat utilibus intentus actibus : nunc lectioni divinarum Scripturarum operam impendens, nunc orationi prolixius incumbens ; interdum etiam rerum exteriorum dispositioni, prout suo conveniebat officio, prudenter consulens atque prospiciens. *Ex MSS. numquam otiosus,*

assuide prædicans

10 Assidue vero vigiliis et jejuniis castigabat corpus suum, et in servitutem redigebat, ne aliis prædicans ipse reprobus inveniretur. Erat enim prædicationis studio valde intentus, et tamquam se nosset gerere officium Apostoli, dicentis : Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare; atque ab eodem audiret : Prædica verbum, insta opportune, importune; ita ipse quotidie modis omnibus auditores suos ad vitæ rectitudinem provocabat. Cujus præcepta et monita id maxime populo grata et amabilia faciebat, quod ejus vitam in nullo doctrinæ contrariam deprehendebant ; sed quod illis sectandum asserebat, evidentissime in ejus moribus agnoscebant. Verbi gratia : qui elationem velut initium omnis peccati cavendam penitus ab illo sæpe didicerant, nullum ejus indicium in illius actibus, in habitu, in vultu, in gestu corporis, in sermonis usu sentire potuerunt. Audiebant ab eo : Non efficiamur inanis gloriæ cupidi ; videbant eum vere pauperem spiritu, numquam nisi in Domino gloriari. Audiebant ab eo, quod : Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, et : Putredo ossium, invidia ; videbant cum affectu benevolentiæ gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus; aliorum prospera vel adversa, sua æstimare. Audiebant ab eo : Ira enim viri, justitiam Dei non operatur ; videbant eum, omnem ostendentem mansuetudinem ad omnes homines. Audiebant ab eo : Seculi tristitia mortem operatur ; videbant eum esse hilarem datorem, quem diligit Deus. Audiebant ab eo, avarum esse idolorum servitorem ; videbant eum rerum suarum erogatione largiflua thesaurizare sibi thesaurum in cœlo. Deinde si quis ejus parsimoniam, strenuitatem, castitatemque attenderet, non aliis ad fugiendam vitiorum corporalium labem admonitionibus indigeret. *I Cor. 1, 17. II Tim. 4, 2. E et eadem agens, Galat. 5, 26. Sap. 2, 24. Prov. 14, 30. Jacob. 1, 20. II Cor. 7, 10. Ephes. 5, 5. F*

multos convertit,

11 Ita pius gregis Dominici pastor, commissis sibi ovibus, adhibita cura duplici, exhortationibus scilicet et exemplis, iter ad æternæ vitæ pabula quærenda, et spiritualium morborum dira contagia vitanda, demonstrans, tantum ex eis lucrum acquisivit, ut, quod voce Dominica per Malachiam dicitur, de illo convenienter valeat dici : Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus. In pace et in æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. Vere enim multos ab iniquitate convertens, et rectitudini vitæ fideique restituens, inter sanctos Ecclesiæ Christi doctores præclarum obtinet locum : quorum multimodam gratiam, et infinitam meriti excellentiam, ipse verus ejusdem Ecclesiæ sponsus, in Canticis Canticorum multiplici laude prosequitur : nunc eos ipsius *Malach. 2, 6. dignus encomiis quibus doctores ornat Scriptura,*

sponsæ

EX MSS. sponsæ collum, monilibus assimilatum, vocans; nunc tigna cedrina et laquearia cypressina cognominans; interdum labia, vittæ coccineæ, propter prædicationem Passionis Christi, similia, seu favum dulcedinis verbi Dei stillantia; nonnumquam turrim David, ob constantiæ firmitatem, eos appellans. Aliquando vero ibidem, ob nutrimentum parvulorum, quibus lacte opus est, mammæ dicuntur. Aliquando favo simul et vino; aliquando decori turris eburneæ comparantur. Plerumque portæ Ecclesiæ nuncupantur; et propter variam utilitatem, firmitatem, providentiam, contemplationem, dentium et oculorum nomine designantur. Præterea ipsi sunt sexaginta fortes, Salomonis lectulum ambientes; ipsi columnæ argenteæ, sacri eloquii nitore fulgentes. Quarum omnium similitudinum si quis mysteria perscrutetur, profecto inenarrabilem hujus sanctæ Ecclesiæ doctoris et ejus similium gratiam dignitatemque reperiet, cum satis indicent hæc pauca, de pluribus ex illo cœlesti epithalamio sumpta, quod nihil his illustrius, nihil
B pulchrius, in sponsæ laudibus decantandum Spiritus sanctus invenit. Qui etiam de eisdem per
Dan. 12, 3 Danielem ita loquitur: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sed quoniam hujus clarissimæ stellæ in erudiendis subditis fervorem pariter et splendorem ostendimus, quibus virtutum radiis in aliis quoque rebus effulserit, monstrare curemus.

CAPUT IV.

Sacrarum rerum in S. Liborio cura.

Cultum divinum promovet: Habuit Vir sanctus hoc præ ceteris tum temporis pontificibus, religionis et Dei amoris indicium speciale, quod omnia, quæ ad ejus laudem jugiter celebrandam et ecclesiastici cultus officium pertinent, totis nisibus amplificare, prove-
C here, atque adornare contendit: et exceptis his, quæ sibi suisque ad quotidiani victus et vestitus necessaria, quibus solis contentus erat, vix sufficere poterant, nec non et his, quæ ad egentium et inopum sustentationem larga manu solebat expendere, reliquos omnes reditus episcopalium possessionum, omnes quarumlibet rerum census, qui sibi ex omni sua diœcesi debebantur, vel si quid ex fidelium donationibus conferebatur, ad
templa ornat; exhibendum ecclesiis congruentem ornatum, et nova quoque oratoria in locis, quæ ad hoc opportuna videbantur, construenda deputavit. Quorum constructionem primum divinæ servitutis multiplicandæ intuitu aggrediebatur; dehinc etiam plebium commoditati pariter et saluti prospicere pie meditabatur, ut ad ecclesias cum suis sacerdotibus prope positas facile confluere, orationum studiis assuescere, regenerationis gratiam consequi, documenta sacræ legis audire, cœlestium sacramentorum celebrationibus interesse, atque omnia Christianæ religionis jura discere et exercere valerent; nec quemquam ullius molestiæ seu occupationis impedimentum exinde revoca- D
ret, quo universos ad salutem animarum quærendam ipsa loci opportunitas invitaret. Hac igitur intentione præter illas, quæ a suis prædecessoribus fabricatæ fuerant, decem et septem sacris ædibus noviter constructis et dedicatis, suam *17 nova ædificat:*
parochiam ita omnem illustravit, ut in qualibet ejus parte populo degenti aliquam orationis domum vicinam esse constaret. Locorum vero, in quibus eas construxit, hic nomina ponere dignum ducimus, quo religiosi operis memoria firmior, et fides certior habeatur: unam itaque ædificavit in Colinno, alteram in Silviaco, tertiam in Raudatio, quartam in Campogenesto, quintam in Conedaco, sextam in Aciaco, septimam in Aloncianno, octavam in Sangunno, nonam in Sabonario, decimam in Bona, undecimam in Lucia, duodecimam in Lugduna, tertiam decimam in *a* Marsone, quartamdecimam in Paliaco, quintamdecimam in Magitto, sextamdecimam in Noviliaco, septimamdecimam in Comnis. a

13 Quibus rite perfectis et decenter adornatis, ac sacerdotum et inferioris ordinis clericorum jugi providentiæ commendatis, observandum omnino censuit, ne qua ibidem legitimis *sacra officia assidue in iis fieri jubet,* E
horis die noctuque sacrorum intermissio fieret officiorum, quibus sanctæ et individuæ Trinitati debitæ gratiarum actiones et laudes referrentur. Deinde ut unitati et concordiæ totius populi commissi consuleret, atque omnia illius diœceseos loca Deo dicata, cum universis ad se pertinentibus, antiquæ et principali suæ sedis ecclesiæ, velut uni capiti et matri omnium, subdita monstraret esse debere, decrevit ut illuc ex reliquis omnibus ecclesiis per annos singulos census persolveretur, certus scilicet numerus librarum ceræ atque olei, prout illis offerendi facultatem suppetere sciebat. Æquum tamen omnibus eisdem locis debitum imposuit; hoc est, ut ex unoquoque redderetur una ceræ libra, et olei duæ, præter id, quod custodibus præfatæ principalis ecclesiæ dari constituit. Ex quo vere sancta et religiosa intentio beati Viri satis apparet, quod non sibi aurum vel argentum, seu quodlibet earum rerum, quæ mundum amantibus pretiosa, ipsi vero, velut cœlestia desideranti, omnino erant contemptibilia, coacervavit; sed ea magis F
ecclesiæ dari constituit, quæ ad luminaria jugiter in ea concinnanda copiam darent. Nam quoniam ipse fuit templum veri luminis, hoc est, Spiritus sancti, etiam corporalis lucis ornatum manufactæ domui Dei noluit umquam deesse. *et ab iis censum pendit ad luminaria cathedralis ecclesiæ:*

14 Mansit autem in episcopatu annos quadraginta et novem, in quibus fecisse legitur ordinationes nonaginta et sex; ordinasse vero presbyteros ducentos decem et septem, diaconos centum septuaginta et sex, subdiaconos nonaginta tres; reliquorum quoque graduum ministros, quantum sacris officiis congruum et sufficiens esse videbat. Præterea habuit bonum testimonium etiam ab his, qui foris sunt: ita ut hoc quoque specialiter de illo præfata referant scripta, quod studuerit Deo in omnibus dulciter famulari, et in rebus ecclesiasticis Deo et hominibus bonis oppido placere. Unde liquido patet, sic eum religionis constantiam ante Deum servasse, ut tamen proximorum oculos non offenderet: sic *sacros ministros ordinat:* *etiam laicis se probat:*

humano

A humano foris placuisse judicio, ut divinis obtutibus non displiceret in occulto. Ita per omnia verus Dei Cultor illi merito pontifici comparatur, quem sine querela Domino serviisse Euangelica laudat historia : nisi quod hic tanto præstantioris fuerit sacerdotii Præsul, quanto figuram veritas, quanto legem veterem nova Christi gratia transcendit. Illo denique præsulatu functi, animalium cruores immolabant ; hujus sacerdotii primus auctor et Pontifex, per proprium sanguinem introivit semel in sancta. Et tamen in officio dispari fuere pontifices isti, sanctitate pares, ambo euangelica laude digni, ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.

Luc. 1, 6

Heb. 9, 12

ANNOTATA.

a *Ms. Corsendoncanum* Marsano. *Nonnulla horum vicorum aut oppidorum nomina aliter paullo in secunda Vita expressa.*

B

CAPUT V.

S. Liborii obitus, sepultura, miracula.

Morbo correptum

Cum autem divinæ Majestati complacuit, post tam diuturna tot annorum certamina, victorem hostis antiqui, Militem suum æterno præmio glorificare, anno quinquagesimo episcopatus sui, corporis eum molestia ita fatigari permisit, ut adesse sibi diem exitus sui non dubitaret. Qui annus illi verus exstitit Jubilæus, quem in eodem numero annum remissionis appellans, unumquemque in eo redire ad familiam, et ad possessionem suam lex divina præcipit. Nam et ipse quo minus se dubitaret ad requiem tendere, post septem septimanas annorum, ex quo constitutus est super familiam Domini, adhuc in terris positam, ad eam, quæ in cœlis est, lætus vocari meruit, ut possideret terram, quam mansuetis et mitibus Veritas repromisit.

Levit. 25, 10

Matth. 5, 4

C

S. Martinus angelica monitu, visit :

16 Eodem tempore, S. Martinus episcopus Turonensem regebat ecclesiam, vir apostolicis clarus omnino virtutibus : cui inter illa, quibus assidue frui solebat, angelicæ collocutionis mysteria, etiam hoc ex divina revelatione præceptum est, ut ad urbem Cenomanicam pergeret, atque ibidem in infirmitate positum Dominum visitaret. Unde animadvertens, hanc Domini infirmitatem de aliquo membrorum suorum intelligendam, de quibus ipse dicturus est in judicio : Infirmus fui, et visitastis me ; cœpit illico festinus ad memoratam pergere civitatem. Cui cum jam appropinquans, juxta vincam quamdam iter ageret, vidit eminus in ea stantem clericum gradu subdiaconum *a*, Victurium nomine, operi quidem *b*, quodcumque ibi agendum erat, studiosius insudantem, sed nihilominus frequentatione psalmodiæ laudes Domini decantantem. Hic erat discipulus S. Liborii, atque in ipsa suæ continentiæ mentisque et habitus humilitate, bonæ institutionis magistri optimi clarum præbebat indicium. Quem intuens

Matth. 25, 36

a b

S. Victurium illi successurum prædicit;

S. Martinus, revelante sibi Spiritu sancto, hunc esse futurum ibi episcopum, his eum verbis salutavit, dicens : Ave, noster pontifex. Dehinc illi baculum suum dedit, atque ita concito gradu, in urbem properavit. In qua inveniens sanctum et vere Deo dilectum Præsulem jam in extremis positum, et cœlesti tantum gaudio, quo iturus erat intentum, cum ineffabili ab eodem lætitia susceptus est. Hic vero necesse est, ut noster sermo deficiat : quia neminem digne constat posse referre, quam divina, quam spiritualia, quam cœlestia fuerint eorum colloquia, cum qua se exultatione mutuo viderint, quo mentis affectu suam ad tempus separationem ferre potuerint. Erant enim ambo Christi militum excellentissimi duces ambo crebris de diabolo triumphis gloriosi. Sed alteri jam reddendum erat præmium sempiternum, alteri aliquamdiu differendum, et adhuc pro castris Dei fuerat decertandum.

EX MSS

piis colloquis S. Liborium animat,

17 Igitur B. Liborius, præsente sibi tanto consolatore, suarumque exsequiarum provisore *c*, decimo Kalendarum Augustarum die lætus migravit ad Dominum. Cujus venerabile corpus S. Martinus cum honore congruo ad ecclesiam extra urbem positam duci, et in ea sepeliri fecit : quam primus ejusdem sedis antistes, Julianus nomine, construxit, et in honore *d* duodecim Apostolorum dedicavit. Decebat enim, ut qui Apostolorum in terra successor, et in cœlis esse meruit consors, in eorum quoque ecclesia communi cum illis memoria coleretur. Sequenti vero die vir Dei Martinus populum omnem, qui ad tanti Viri exsequias copiosus nimis et innumerabilis convenerat, et internum amorem erga Pastorem suum largissimis lacrymarum fontibus testabatur, in ecclesiam convocans sanctæ admonitionibus doctrinæ consolabatur, eisque præfatum Victurium ordinavit episcopum.

et sancte mortuum sepelit.

c

E

d

18 Tradunt quoque litteræ superius memoratæ, multum quidem S. Liborium in hac vita fecisse miracula, sed multo plura postmodum ad sepulcrum ejus fuisse divinitus ostensa, licet ob multitudinem suam nominatim expressa non sint. Quod nos facile credimus ex his, quæ oculis nostris videre meruimus, postquam ad nos sacrum translatum est corpus, sicut, adjuvante Domino, sequens hujus operis textus enarrabit. Nam quoniam ipse vere fuit organum Spiritus sancti, per ipsius nunc operationem ante ejus reverenda pignora virtutum signa sæpius ostenduntur ; curationes scilicet debilium, salutes languentium, expulsiones immundorum spirituum ; præstante ipsius gratia, qui est fons et origo bonorum omnium, Deus et Dominus noster, qui in Trinitate inseparabili vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.

S. Liborius post mortem miraculis illustratur.

F

ANNOTATA.

a *Alii* Victorem, Victurum, Victorium *vocant. Colitur* XXV *Augusti, uti testatur Corvasserius ; at* I *Septembris alter* Victorius, *ejus filius.*

b *Ms. Bodecense addit*, vincarum. *Non satis eam interpolationem patiuntur sequentia verba :* quodcumque ibi agendum erat ; *etsi ex S. Victorii Vita*

EX MSS. *Vita constet, eum operantem in vinea repertum a S. Martino.*

c *Dissentiunt alia ejus Acta, ut supra S. Commentarii historici paragrapho primo diximus; colitur saltem hoc die.*

d *Vita primo loco relata, solum habet* Petri et Pauli, *nulla de aliis Apostolis facta mentione.*

LIBER SECUNDUS.

TRANSLATIO S. LIBORII.

CAPUT I.

Scriptionis causa. Episcopatus primi in Saxonia.

B

Bisonis episcopi jussu scripta hæc historia, Descriptis superiori libello vita et transitu pretiosissimo confessoris Christi atque pontificis Liborii, nunc secundum tuam *a*, Biso, præsul egregie, jussionem, ad exponendam seriem translationis ejus sacratissimi corporis, et ostensa per ejus merita virtutum *b* insignia, pro concessa divinitus facultate, stylum mentemque convertimus; excitante studium nostrum pensatione solicita, qualiter vobis obtemperare, quantum deferre debeamus, maxime cum eorum officii dignitate sublimatos, quibus divina voce dicitur: Qui vos spernit, me spernit, non dubitetur, vos minime sine Dei contemptu posse contemni. (Luc. 10, 6) Proinde ad retexendas cum laude debita virtutum operationes, per quas sancti Spiritus gratia solet electorum merita declarare, eo, quo te præcipiente huic operi insistere debuimus, nullum opportunius tempus occurrit: appropiuquante videlicet sacra solennitate adventus ejusdem Spiritus Paracleti, qui B. Liborii in hac vita manentis inhabitator apparuit, et nunc ipsius sanctitatis per miracula index et glorificator existit. (*circa Pentecosten inchoata.*) C Cujus nos ad susceptum opus auxilium haudquaquam inefficacibus votis invocaturos speramus, præsertim cum non aliud, quam quod ipse adveniens, mentibus, quas replevit, ad proferendum inspiravit, Dei scilicet magnalia loqui, et ipsum mirabilem in Sanctis suis monstrare conemur. Sed antequam ad rei gestæ ordinem veniamus, causam translationis memoratæ, atque exordium constructionis ecclesiæ, quæ tanto cœlitus illustrari meruit thesauro, referre breviter congruum arbitramur.

Carolus Magnus. Saxonia domita, 2 Igitur ubi primum gloriosæ memoriæ Carolus imperator, concertatione longissima, et variis præliorum eventibus, cum gente Saxonum exactis, illos ferro edomitos Christi fidem suscipere fecit, suoque addidit imperio, clarum illico dedit indicium, qua fretus intentione, tam diuturnum laborem infatigabilis ferre potuerit. Siquidem, ut in *c* libello Vitæ ipsius legitur, triginta et tribus continuis annis bellum cum eadem gente gessit. Qua tandem partim armis, partim liberalitate, per quam maxime Primorum ejus animos sibi devinxerat, superata, totum exinde suum ad hoc contulit studium, ut pro tantarum salvatione animarum populi, post tot secula cultum dæmonum relinquentis, fructum sui laboris ex Dei remuneratione consequeretur. D Et ut se magis Christianæ religionis, quam regni sui dilatandi causa, tantæ rei difficultatem aggressum ostenderet, ecclesias per omnem regionem illam, ad quas rudis in fide populus confluere doceretur, et sacramentis cœlestibus initiari consuesceret, sub quanta potuit celeritate construi fecit: (*templa multa exstruit:*) atque parochias diligenti ratione suis quasque terminis servandas designans, quia *d* civitates, in quibus more antiquo sedes episcopales constituerentur, illi penitus provinciæ deerant; loca tamen ad hoc, quæ et naturali quadam excellentia et populi frequentia præ ceteris opportuna videbantur, elegit.

3 Tum vero vix reperiebantur, qui barbaræ et semipaganæ nationi præsules ordinarentur. (*et quia urbes non erant, in pagis episcopatus erigit,*) Cujus interdum ad perfidiam relabentis cohabitatio, nulli clericorum tuta videbatur: cui ecclesiasticum officium, et quidquid ad rerum divinarum pertinet cultum, non solum decrat, verum ignotum omnimodis erat. E Quocirca unamquamque prædictarum pontificalium sedium cum sua diœcesi singulis aliarum regni sui ecclesiarum præsulibus commendavit, qui et ipsi, quoties sibi vacaret, ad instituendam confirmandamque in sacra religione plebem, eo pergerent, et ex clero suo personas probabiles cujuscumque ordinis, cum diverso rerum ecclesiasticarum apparatu, ibidem mansuros jugiter destinarent. (*quos aliarum sedium episcopis committit*) Et hoc tamdiu, donec annuente Domino, salutaris illic fidei doctrina convalesceret, et ita divini usus ministerii proveheretur, ut proprii quoque in singulis parochiis digne et fiducialiter possent manere pontifices.

ANNOTATA.

a *Biso quando sederit, supra indicavimus Commentario prævio* § 2, *tempore nimirum Joannis VIII Papæ, ut scribit Gobelinus Persona, Cosmodromii ætate* 6 *cap.* 45. *Sedit vero Joannes a* 14 *Decembris anno* 872 *ad* 15 *Decembris* 882. (*Biso episcopus quartus Paderbornensis.*) F Biso *autem* rexit ipsam ecclesiam Paderfontanam, *inquit idem*, annis XXIII. *Hic a Carolo Crasso imperatore ut refertur in Vita S. Meinwerci episcopi Paderbornensi quam* V *Junii dedimus*, *anno* 885, electionem episcoporum inter ejusdem et ab ejusdem ecclesiæ filiis faciendam impetravit. *Idem corpus S. Meinulphi, ut dicemus ad ejus Vitam* V *Octobris transtulit temporibus Arnulphi imperatoris, qui rerum potitus est a fine anni* 887, *ad annum* 900.

b *Ms. Corsendocanum* signa.

c *Dedimus* XXVIII *Januarii S. Caroli Magni Vitam per Eginardum. Tomo* 2 *Scriptorum Francicorum Andreæ Duchesnii in variis Annalibus Francorum plenius referuntur ejus res gestæ.*

d *Gobelinus cap.* 38 *ætate* 6: In tota patria illa non erat locus muris cinctus; paucis castris exceptis.

CAPUT

A

CAPUT II.

Primus Paderbornensis episcopus B. Hathumarus.

Carolus Magnus Paderbornæ, sitæ amœno loco, a

Inter omnia vero loca, constituendis principalibus ecclesiis in hac, de qua loquimur, provincia designata *a* Paderbornensis sedes speciali quadam dignitate præcellit, habens amplissimam circumquaque planitiem, nemorum tamen frequenti et varia diversitate sufficienter ornatam, agros uberes, et frugum omnium feracissimos. Cui adjacet a læva in ipso mœnium prospectu silva, multis passuum millibus in longum latumque diffusa, adeo pecorum et armentorum pascuis, apiumque servandarum usui opportuna; ut illi non dissimilis videatur regioni, quam sacræ Litteræ vocant Terram lacte et melle manentem. *fertili,* B Accedit ad ornamentum loci saluberrimorum fontium, intra ipsum oppidum in unum pariter alveum confluentium, incomparabilis tam species, quam numerositas; in tantum, ut eorum *b* latitudini et amœnitati similes esse alibi minime compertum habeamus. *b* Nec desunt hinc inde et alia flumina, utililatum, quæ ab his petuntur, largissima. *salubri,* Aër ibidem et aura placidior, et, licet in frigido terrarum tractu, naturali gratia temperatior, citius quam in aliis illarum regionum partibus, maturitatem cunctorum fructuum afferre consuevit. Præterea pagus ipse, ut et nostra memoria, et veterum relatio testatur, viris omni nobilitate generis animique semper insignibus abundabat: ut non esset dubium, quin patria civibus, et cives patriæ congruerent, ac sibi utraque vicissim ornamento forent. Et hæc quidem pauca de pluribus, hinc a nobis non ex superfluo dicta animadvertet, qui Christianissimi principis ex hoc quoque in Deum devotionem comprobabit, quod ea, quæ ex tanta locorum amœnitate jure belli acquisita, sub sua potuit tenere ditione, divino magis servitio, quam suis deputaverit usibus. C Tamen interdum, pro variis gentis ejusdem utilitatibus generale *c* placitum habiturus, illic populi conventum fieri jussit, et hac ibidem causa aliquamdiu solebat immorari. *c conventum habet:*

S. Leonem III Papam ibi excipit, d

5 Nam et vir sanctissimus et vere apostolicus Papa Sedis Romanæ *d*, Leo nomine, injusta civium odia perpessus, illic eum adiit, pro sedandis contra se ortis simultatibus, imperialem opem quæsiturus. A quo cum ingenti, ut par erat, honore susceptus, religiosum ejus ac salutare Christianitatis dilatandæ studium nobiliter inchoatum, apostolica auctoritate firmavit, atque in ecclesia tunc ibidem noviter constructa *e* quoddam altare consecrans, adorandas in eo reliquias protomartyris Stephani, quas secum Roma detulerat, collocavit; *e a quo ara dicata, collocatæ reliquiæ* fiducialiter id principi promittens, quod oratorium illud, tanti martyris patrocinio muuitum, non ulterius passurum foret injuriam, quam, ipso referente, prius ei contigisse cognovit; ut videlicet ob incolarum loci perfidiam et odium in religionem Christianam, aliquoties *f* igni traderetur. *ad fidei securitatem: f* Et ob hanc maxime causam easdem reliquias ibi rogatu imperatoris recondidit, non sine affectu congruo fiduciæ sponsionisque suæ, cum nihil tale postmodum illic perpetratum esse certissimum sit. EX MSS.

6 Hoc igitur ordine Paderbornensis ecclesiæ sedes episcopalis tam imperatoria sanctione, quam apostolicæ benedictionis auctoritate primitus constituta, ob causam superius memoratam commendata fuit aliquamdiu tuitioni præsulum cujusdam castelli orientalis *g* Franciæ, quod sermone barbaro Wirtziburg appellatur. *cum episcopatum Wirtzeburgensis præsul regit; g* Sub quorum regimine status rerum ipsius parum proficere potuit: quippe cum loca ipsa longa inter se terrarum intercapedine distarent, et præfatos præsules raro hanc novellam ecclesiam invisere, vel occupatio permitteret, vel commoditas suaderet. Neque enim ibi deerant negotia, quibus procurandis insisterent, neque huc pergendi laborem parvum faciebat itineris longitudo. Ibi res necessariæ sufficientes erant et ordinatæ; hic et tenues, et cum difficultate noviter ordinandæ.

7 Quocirca merito utilius visum est, hanc sedem suum per se habere antistitem, qui non alibi occupatus, hic tantum agendis rebus præsens insudaret. *deinde Hathumarus, Saxo, olim obses datus Carolo,* E Erat tunc temporis in clero Wirtziburgensi vir magnæ humilitatis atque modestiæ *i*, Hathumarus nomine, de gente nostra, hoc est, Saxonica, oriundus: *i* qui cum adhuc puer esset, belli tempore Carolo imperatori obses datus, illic servari jussus est. Ubi postea tonsuratus, ac studiis litterarum traditus, in virum perfectum moribus et eruditione profecit. Hic ex præcepto principis primus est Paderbornensis ecclesiæ ordinatus episcopus. Post cujus ordinationem paucis annis transactis *k*, idem gloriosissimus princeps ab hac luce migravit. *k* Cujus incomparabilem in omni virtutum gloria præstantiam, licet libellus de Vita ejus conscriptus plenissime referat, nos tamen hic aliquid de eo vel breviter dicere, ipsius in nos beneficii magnitudo suadet. Quem arbitror nostrum jure apostolum nominari: quibus ut januam fidei aperiret, ferrea quodammodo lingua prædicavit. *vere apostolo Saxoniæ:* Qui cum toties victoria potitus, quoties in procinctu positus, multas sibi gentes, multa regna subjecit; constat tamen eum gloriosissime etiam de diabolo triumphasse, cui tot animarum millia, prius sub ejus tyrannide captiva, in conversione nostræ gentis eripuit, et Christo Domino acquisivit. F A quo illum recipere præmium et confidimus, et optamus, ut fruatur in cœlis Apostolorum consortio, quorum functus est in terris officio.

ANNOTATA.

Paderbornæ nomen varie expressum:

a *Ms. Corsendoncanum*, Paderburnensis. *Varie hujus urbis nomen affertur ab antiquis scriptoribus:* Patresbruna *atque* Patresbrunnas *appellatur in Joannis Tilii annalibus minoribus*, *in auctioribus* Patresbrunna *et* Patrisbrunno; *in fragmento annalium Alexandri Patavii*, Padresbrunnon *et* Padresburnon; *in annalibus Loiselii* Paderbrunnen *(uti et in aliis quibusdam) et* Padabrunno; *in Vita Caroli Magni per incertum*, Paderburnen *et* Paderburnum; *in ejusdem Vita per monachum Engolismensem*,

EX MSS. *golismensem*, Paderbrunnem *et* Padabruno ; *in poeta Saxone*, Pathalbrunnon ; *apud Eginhardum*, Padabruna ; *in Vita Ludovici Pii*, Patrisbruna ; *in historia constructionis novæ Corbeiæ*, Patherbruna ; *in Annalibus Fuldensibus*, Padrabrunno *et* Padraprunno ; *in historia Translationis S. Viti*, Patherbronna. *Gobelinus cap.* 38 *nominis etymon exponit. Oritur enim istic fluvius, qui* Pader *dicitur ex tribus fontibus, quorum singuli* Pader *appellantur.* *ductum a fonte* *Quare idem Gobelinus supra* Ecclesiam Paderfontanam *dixit.* **Born** *namque aut* **brunn**, *sive* **borne**, *et* **brunne** *Teutonice fontem significat. Quidam fluvio huic nomen indidisse Carolum Magnum aiunt a* Pado *Italiæ fluvio, ex tribus itidem fontibus, in unum coeuntibus alveum, orto. Refellitur id ex S. Ludgero, qui in Vita S. Swiberti* I *Martii, inter Saxones Werdense monasterium anno* 778 *populatos recenset nefarium quemdam* Ogellum Oosterbach de Paderborne ; *atque ex poeta Saxone infra citando, qui vetustum fuisse urbis nomen significat, ergo et fluvii a quo urbi nomen. Alii a Romanis, cum iis in locis castra haberent, factum* B *volunt, ob eamdem* Padi *similitudinem. Quod, ut absque veteri auctore affirmare mihi non est animus; ita consentaneum rationi usuique non inficior, et accolarum traditione celebratum. Vix quindecim stadia progressus* Pader, *ad Niehuis arcem a Theodorico Furstenbergio episcopo constructam et oppidulum, Lippæ miscetur, sat tenui rivo, alterique, ac deinceps* Lippæ, *sive* Lippiæ, *aut* Lupiæ, *seu* Luppiæ *retinet nomen, donec in Rhenum sese ad Wesaliam oppidum exoneret. Locum in quo* Lippa *ac* Pader *coeunt, vel ipsam (ut tunc erat) Paderbornam, ita describit auctor carminis de Leonis III Papæ ad Carolum adventu :*

Patræ, sive Padi fluvii

Est locus insignis, quo Patra et Lippa fluentant,
Altus et in nudo campo jacet, undique largo
Vestitus spatio ; celso de colle videri
Namque potest legio omnis et hinc exercitus omnis,
Castra ducum, et comitum, radiantiaque arma virorum.

C *Qui hic* Patra, *in Vita S. Adelardi per S. Paschasium Ratbertum* II *Januarii cap.* 16, *num.* 66, Pater *appellatur, ita enim describitur Corbeiæ Saxonicæ situs :* Est autem locus, pergentibus ad ortum solis de fonte Patris, situs supra littus Wisiræ, *etc. Franciscus Irenicus lib.* 12 *Germanicæ exegeseos* Padam *vocat.*

eoque multiplice. b *Tres præcipui* Padæ, *sive* Padi, *aut* Padulæ, *fontes, qui e rupe omnes prorumpunt intra ipsam urbem ; intra quam in unum alveum coeunt, ac fluvium profundum latumque conficiunt, qui æstate frigidissimus, hieme utcumque calidus est. Trium horum fontium unus ita profundus est, Gobelino teste, ut ab aquæ superficie ad fundum pedes esse* 98, *testati sint, qui explorarant. Alii præterea fontes in eadem ipsa urbe orti, aquis suis* Padum *augent : ex unius, qui maxime australis, aqua præstans coquitur cerevisia, quæ etiam vim medicam habere contra calculum creditur.*

Fontes eo tractu aciduli ; *Extra urbem alii fontes ac rivi, sane memorandi : nam præter tres circa Driburgum, aliumque prope Ludam oppidum, acidulos ac medicatos fontes, a Matthæo Meriano in Topographia Westfaliæ relatos, maxime mirabilis qui* Bolderborna, *sive* Bulterborna *appellatur, juxta Aldenbekam pagum.* D *Hic æstum quemdam marino similem patitur : nam* XXIV *Bulderborna fons resorbetur,* *horarum spatio bis aquas suas resorbet, ac post sex horas denuo eructat ingenti cum strepitu, unde et nomen accepit :* **Bolderen** *enim, sive* **bulderen**, *Teutonice, cum strepitu blaterare aut detonare dicimus. Tam copiosum tamen* Bolderborna *rivum profundit, ut is longe a sua scaturigine ternas molarum* *uti et rivus ex eo ortus,* *rotas circumagat. Sed aliquanto spatio progressus in terram penitus subsidit. Idem aliis duobus rivis eodem tractu accidit : quorum alter Swaneium pagum præterfluit, haud procul Paderborna, ac paullo post terra se condit ; alter inter oppidum Lechtenaviam, ac pagum Steinen. Retulit mihi Joannes Grothusius noster, se, cum isthac iter faceret, animadvertissetque mergi fluvium illum, propius accessisse,* *et alii duo.* *et silicibus glareaque submotis, nullum perspexisse, quo absorberetur, foramen ; sed aure ad terram admota, una cum socio, audisse ingentem strepitum ac collisionem velut in cellam delabentium aquarum. An hi amnes Paderbornæ, aut alibi, denuo prorumpant, ut tradi ab aliquibus scribit Merianus,* E *frustra quæram, quod latere voluit Auctor naturæ.*

Placitum, sive conventus, Francorum ad Paderbornam, annis 777, c Placitum *passim pro conventu judiciali, sive conventus loco, usurpatur in mediæ ætatis scriptoribus. Exempla plura reperies in Glossario Friderici Lindenbrogii ad codicem legum antiquarum. De conventu ad Paderbornam, quod huc facit, ita scribit poëta Saxo lib.* I *annalium, ad annum* 777 :

..... Conventum placiti generalis habere
Cum ducibus se velle suis denuntiat illic.
Tanto concilio locus est electus agendo,
Quem Pathalbrunnon vocitant, quo non habet ipsa
Gens alium naturali plus nobilitate
Insignem, qui præcipue redimitus abundat
Fontibus, et nitidis et pluribus, et trahit inde
Barbaricæ nomen linguæ sermone vetustum.

Meminere magni placiti *istic eo anno habiti annales Tiliani, quod Loiseliani et monachus Engolismensis* synodum publicam *appellant ; Vita Caroli Magni per incertum,* synodum et concilium publicum ; *Eginardus* generalem populi conventum. F
785, *Iterum anno* 785, placitum habuit ad Padresbrunnon cum Francis et Saxonibus, *ut habet Fragmentum annalium Alexandri Petavii ; sive, ut Loiseliani,* synodum publicam celebravit ; *aut, ut Vita ejus per incertum,* concilium publicum tenuit. *De secundo hoc conventu agunt cum Eginardo ceteri scriptores. De tertio, anno* 799, *mox dicemus.* 799, *Ibidem Ludovicus Pius anno* 815, *conventum habuit,* 815, *uti idem Eginardus auctor est, et alii infra. Pii quoque filius Ludovicus rex Germanniæ, ut habent annales Fuldenses, anno* 845, in Saxonia apud Pa- 845. draprunno generale placitum habuit.

S. Leo III Papa d *Leo III is fuit, de quo ad* XII *Junii. Exstat de ejus ad Carolum adventu poëma elegans tom.* 2 *Francorum scriptorum. Qua de re ceteri quoque agunt annales, qui et memorant sanctissimo Pontifici manus a populo Romano injectas in publica supplicatione, oculos erutos, linguamque excisam ; sed virtute divina et hanc et illos ei restitutos.*

indulgentias concedit Paderbornæ. e *Gobelinus addit :* Visitantibus eamdem capellam in anniversario dedicationis ipsius, qui est VIII Decembris, de benignitate Sedis Apostolicæ

A licæ magnas indulgentias concessit. *Exstat etiamnum in crypta illud altare S. Stephani. De eo Vita S. Meinwerci episcopi Paderbornensis* v *Junii cap.* I, in crypta ibidem noviter constructa, quoddam altare consecrans, *Leo Papa*, adorandas in eo protomartyris Stephani reliquias, quas Roma secum attulerat, in privilegium Apostolicæ consecrationis collocavit.

Paderborna combusta anno 1000, f *Non plane ab omni incendio immunem fore Paderbornensem ecclesiam vaticinatur sanctus pontifex, sed quod incolarum loci perfidia, odiumque in religionem Christianam, excitasset. Alioquin, ut in citata S. Meinwerci Vita dicitur, et supra* § 2 *retulimus*, anno Dominicæ Incarnationis millesimo, ordinationis Rethardi ep. nonodecimo, regni Ottonis III decimoseptimo, imperii quarto, Indictione XIII civitas Patherbrunnensis primum incendio vastatur, nobileque principalis ecclesiæ monasterium, præcipui operis et decoris, a Carolo Magno fundatum, a beatæ vero memoriæ Badurado episcopo consummatum, et XIV Kalendas Novembris dedicatum, cum libris, privilegiis B plenariis, aliisque ecclesiæ ornamentis propemodum conflagravit. *Ex iis quæ ibidem subjiciuntur, patet, vel omissum aliquid esse, vel vocem* propemodum, *pro* penitus *accipiendam : quare a Gobelino, qui cap.* 50, *ætatis* 6, *idem incendium iisdem fere verbis commemorat, omissa est ; uti et a Krantzio*
et anno 1131. *Metropolis lib.* 3, *cap.* 40. *Iterum conflagravit civitas cum ecclesia anno* 1131, *uti refert Krantzius lib.* 6, *cap.* 10 *et Gobelinus cap.* 58, *qui cap. sequenti tradit a Bernardo episcopo restauratam, et duodecimo post anno, Christi* 1143 *dedicatam.*

g *Franconia nunc vulgo dicitur, Teutonice,* Franckenlandt, *id est, Francorum regio.*

h *Ita et Annales Fuldenses ad annum* 746. *Eginardus anno* 793 : Celebravit *Carolus* Natalem Domini apud S. Kilianum in Wirtziburgo juxta Mœnum fluvium. *Monachus Engolismensis ad eumdem annum* Wirtinburg *vocat ; Ms. Bodecense* Wirzeburg. *Posteriores Herbipolim dixere, parum*
Herbipolis unde dicta. *idonea interpretatione, ex Latina Græcaque, voce nomen conflantes, unde Gunterus lib.* 5 *Ligurini :*

> Conveniunt, urbemque petunt, cui nomen ab
C herbis
> Esse putant, linguæ vulgaris origine tractum.

Burg *quidem castrum, sive urbem munitam significat ; sed* Wirtz, *sive* Wurtz, *non herbam, sed radicem ; unde Jacobus Spigeleus in scholiis ad Ligurinum, fatetur* satis dure *Herbipolim dici, pro* Wirtzburgo. *Plura de ejus etymologia Irenicus lib.* 11 *Germaniæ exegeseos ; sed quod ait a Ptolomæo* Arctanum *dici, nescio ubi legerit : nam in Ptolomæo nusquam id nomen habetur.*

i *Quia sæpius obsides a Saxonibus accepit Carolus, sciri certo non potest, quo anno traditus ei sit, B. Hatbumarus, quem Cratepolius aliique S. Hadumarium appellant ; Krantzius et alii Harimarium. Constat sub S. Burchordo, primo episcopo Herbipolensi, litteris et pietate eruditum.*

k *Cum obierit Carolus* XXVIII *Januarii anno* 814, *manifestum est errasse eos, qui anno Christi* 795 *ordinatum Hathumarum,* 804 *mortuum scripsere, ut ad sequens caput notabimus.*

EX MS.

CAPUT III.

Episcopus II Baduradus. Reliquiæ petitæ Cenomanis.

Ut vero ad propositum redeamus ; defuncto Carolo *a*, Hathumaro quoque episcopo non longo post tempore ab hac mortalitate ad perennem, ut credimus, vitam assumpto, successit ei vir egregius, nomine Baduradus, qui et ipse ex hac regione nobili ortus prosapia, ex ejusdem ecclesiæ clero *b* electus est. Qui præclaræ morum nobilitatis, magnanimitatis et industriæ merito, familiaritatem regiam *c* intime consecutus, tantæ dignitatis locum promeruit, ut ei non minor facultas, quam voluntas amplificandæ, provehendæ, atque adornandæ ecclesiæ sibi commissæ, suppetere videretur. Tunc vero, tamquam ad hoc sibi datam divinitus excellentiam animadverteret, nihil sui laboris studiique subtraxit ab acquirendis ac procurandis omnibus, quæ ibidem ad divinæ laudis augmentum, ad utilitatem Christiani populi noverat pertinere. Hæc illi cura prima imminebat, ecclesias per omnem parochiam suam sub celeritate construere : principalem vero basilicam ingenti decore et grandi opere extollere, res omnes ad eam pertinentes modis variis adornare, augmentare clerum, disciplinam monasterialem instituere, pueros tam nobiles, quam inferioris conditionis, in scholam congregatos, in divinæ legis eruditione nutrire. Quod ejus laudabile studium ita felix profectus comitabatur, ut vere illum ad hoc a Deo præsignatum, et rudimentis, ejus loci cœlitus concessum dicere valeamus.

Secundus episcopus Baduradus, nobilis, egregius : a b c
is templa struit et ornat ; E
clerum auget :
pueros instrui curat :

9 Quia vero rudis adhuc in fide populus, et maxime plebeium vulgus, difficile poterat ab errore gentili perfecte divelli, latenter ad avitas quasdam superstitiones colendas sese convertens ; intellixit vir magnæ prudentiæ, quod si præcipui alicujus Sancti illic corpus allatum, miraculorum, ut fieri solet, ostensione et gratia sanitatum suadente, multitudo plebis inciperet venerari, et ad F ejus patrocinia confluere consuesceret, nulla re eam facilius ab infidelitate posse revocari ; præsertim cum verbis doctorum de divina virtute non credentes, tamen his, quæ oculis viderent, quæ beneficiorum utilitate sentirent, fidem derogare non possent ; præterea cunctis fidelibus ibidem manentibus, vel eo convenientibus magnæ hoc apud Deum intercessionis solatium, maximam eidem loco tuitionem et gloriam collaturum fore non dubitans, ad id obtinendum sedulæ cogitationis curam intendebat. Et quoniam a Deo, qui est fons bonitatis, quidquid optatur boni, et maxime rem tantam noverat expetendam, indicto jejunio, et celebrata supplicatione publica, cum omnibus sibi commissis, ab ejus clementia demonstrari sibimet postulavit, quoniam ordine pro adipiscenda re desiderata deberet insistere.

reliquias SS. procurandas censet :

10 Unde fidem ejus benigne respiciens, dignatus est ei revelare, quod ad Cenomanicam urbem Galliæ rem diu optatam petitum ab episcopo loci mittere deberet : ibi dandum votis ejus effectum pro-

divinitus monetur, ut eas Cenomanis petat :

EX MSS. prosperum fore. Ex hac revelatione indubia spe animatus, accelerare negotium studuit. Episcopus, qui præfatam urbem eo regebat tempore *d*, Aldricus nomine fuit. Ad hunc ergo cum consensu et præcepto cæsaris Ludovici, nuntios destinandos elegit, ex clero quidem suo probabiles personas, et in sacris ordinibus religiosam vitam ducentes : necnon et quosdam laicos nobiles, quorum fidem et industriam ad tale opus idoneam noverat. Clericorum vero, quibus id negotii commendatum est, præcipuus erat quidam presbyter, Ido cognomine, qui omnem suæ profectionis, historiam, et signa, quæ in ea divinitus ostensa perspexerat, partim viva voce intimata, partim litteris breviter annotata, ad nostram fecit notitiam pervenire.

probante Ludovico Pio Imperatore, eo legatos mittit.

ANNOTATA.

B. Hathumarus quando mortuus,

a *Vivebat B. Hothumorus adhuc anno* 815, *quo anno Adelardus, S. Adelardi Abbatis Corbeiensis tunc exulantis vicarius, Ludovicum Pium, qui tunc* habebat placitum in Saxonia, in loco qui dicitur Patherbrunna, *rogavit, ut monasterium in ea provincia construi juberet.* Quod cum piissimus princeps benigne suscepisset, placuit accersere episcopum, nomine Hathumarum, ad cujus diœcesim pertinebat locus, ubi construendum erat monasterium, ut cum ejus fieret imperio et voluntate. *Ita libellus de constructione novæ Corbeiæ, atque historia Translationis S. Viti, quam* XV *Junii dedimus. Fallitur ergo scriptor Vitæ S. Meinwerci, qui B. Hathumorum anno Christi* 804, *sui episcopatus* 9 *decessisse asserit. Quem temere sequuntur Gobelinus cap.* 38 *et* 40. *Krantzius Metropolis lib.* 1, *cap.* 11 *et* 16, *Cratepolius de SS. Germoniæ, Bruschius in Catalogo episcoporum.*

Baduradus II episcopus Paderbornensis,

b *Hunc quoque, ut decessorem, inter obsides Herbipolim translatum, ait Krantzius lib.* 1 *Metropolis cap.* 16, *ac Bruschius. Alii* Baderatum *et* Baduratum *vocant, alii* Badaradum, *Conisius* Baduranum, *Rolevinckius* Badueradum, *Cratepolius* Balduinum. *Hic esse videtur, quem Theganus* Baradadum, episcopum Saxonicum *appellat, aitque cum aliis principibus a Ludovico ad Lotharium filium anno* 834 *missum,* præcepisse ei sub edicto omnipotentis Dei et Sanctorum ejus, ut alienaret se a societate impiorum seductorum ejus, *etc. Idem indubie est, qui in concilio ad Theodonis-villam anno* 835, *habito pro depositione Ebbonis, et Ludovici Imperatoris reconciliatione, Badaradus appellatur.*

vir egregius

d *Colitur S. Aldricus Cenomanensis episcopus* VII *Januarii : ad quem diem illius Vitam dedimus ex Gallica Petri Vielli Latine redditam. Pleniorem nuper, sed Gallice quoque, edidit Antonius Corvasserius.*

CAPUT IV.

Miracula facta dum elevatur S. Liborii corpus.

Igitur anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo sexto, Indictione XIIII, cum præfatus Ludovicus tertium et vigesimum *a* in imperio annum ageret, legati Paderbornenses, de Saxonia profecti, ad urbem Cenomanicam *b* quinto Kalendarum Maiarum die venere ; insinuantesque episcopo causam, pro qua missi fuerant, benigne ab eo suscepti, Dei nutu, ut credimus, sine mora petita impetraverunt. Sequenti namque die convocans omnem clerum, præsente suo quoque coepiscopo, David nomine, tractare cum eis diligenter cœpit, qualiter Missorum, de tam longinqua regione venientium, religiosis precibus decenter in hoc posset annuere, ut Sancti alicujus integros, ut petebant, artus accipere mererentur. Erat ibidem sanctorum corporum magna copia : inter quæ S. Liborii, quondam præsulis ejusdem urbis, præcipue glorificatum miraculis habebatur insigne. Quod cum episcopus præfatis nuntiis dare disponeret, reniti primo cœpere plurimi, dicentes se illis pignoribus pretiosius nihil habere.

S. Aldricus episcopus Cenomanensis addicit corpus S. Liborii :

12 Tandem vix omnium impetrato consensu, assumptis secum sacerdotibus et cujuscumque gradus clericis, sacri ministerii vestibus ornatis, Missos quoque, qui sanctos artus accepturi erant, adesse præcipiens, processit ex urbe ad ecclesiam, in qua sacratissimum B. Liborii corpus digno cum honore conditum habebatur. Erat autem eadem ecclesia juxta civitatem posita, et in honore *c* duodecim Apostolorum dedicata, quam primus ejusdem sedis præsul, nomine *d* Julianus, condidisse fertur. Ad hanc itaque memoratus episcopus, denuntiato prius jejunio, cum sacro illo comitatu humiliter ac devote, ut ad tale opus decebat, perrexit, vicissim psalmos, litanias, hymnosque decantans. In quam cum ipse et plures secum, sacros artus de mausoleis levaturi, convenissent, (mirum dictu !) sensere cuncti inæstimabilis odoris suavitate totam domum repente completam. Qui dissimilis odoramentis omnibus, quæ in terris vel natura vel arte fiunt, clarum cœlestis cujusdam præsentiæ dedit indicium. Ita enim omnium, qui aderant, mentes magis quam corpora ineffabili jucunditate immutaverat, ut velut in ecstasi positi, et aliarum rerum obliti, tantum ibi manendi delectatione tenerentur. Nec dubium, quin ipse tunc fuerit in medio multorum fidelium, in suo nomine congregatorum, qui paucis quondam discipulis tantam suæ visionis dulcedinem præbuit, ut primus eorum diceret : Domine, bonum est nos hic esse. Nec erat incongruum, ut eorum meritis odoris fragrantia testimonium daret, cum quibus Apostolus dicit : Christi enim bonus odor sumus Deo. Erant autem in eodem loco aliorum quoque membra Sanctorum, in sarcophagis honeste reconditorum, maxime episcoporum civitatis illius. Ex quibus tunc simul, cum B. Liborii membra de tumba levata, in feretro locanda componebantur, prædictus odor numquam defuit : quo minus dubitaretur illi operi ministerium præbuisse, quo cœpto, inchoavit ; quo finito, non diutius mansit.

jejunio ad ecclesiam conveniunt.

suavis odor divinitus aspirat,

Matth 17. 4

II Cor. 2. 15

dum S. Liborii reliquiæ elevantur ;

13 Dum hæc in templo agerentur, foris quoque aliud signum eadem contigit hora. Nam mulier quædam ab annis plurimis cæca, in conspectu populi, qui satis frequens pro foribus stabat, interventu ipsius, cujus corpus interius ad efferendum parabatur, lumen recepit. Et quoniam ejus tam prioris ærumnæ, quam novæ sanitatis omnes

cæca visum recipit,

A omnes fere, qui aderant, testes aderant, adeo multitudinis animos res gesta commovit, ut omnes simul in laudem Dei, elata in excelsum voce, prorumperent. Quod audientes qui cum episcopo erant intra clausas oratorii januas, statimque miraculo quolibet populum in tantæ gratulationis clamorem excitatum intelligentes, et ipsi pro viribus divinæ pietati gratias agere, ac præ gaudio flere cœperunt. *omnibus Deum laudantibus:* Cumque suas utrimque voces, qui intus et foris erant, recognoscerent; uno omnes affectu mirabiliter inspirati, in tantum erupere planctum, ut vix quisquam continere lacrymas posset. Sed episcopus videns cantum divinæ laudis fletu exigente intermissum, cœpit rursum antiphonas et psalmos Sanctorum gloriæ congruos cum clero psallere; atque ita confusæ multitudinis clamorem compescuit.

energumenus liberatur: 14 In ipso vero momento, priusquam illud sacratissimum corpus de ecclesia, in qua sumptum est, efferretur, etiam tertio signo ejus declarata sunt merita. Denique vir quidam horribiliter longo tempore vexatus a dæmonio, et B multis jam fama tantæ miseriæ factus notissimus; quippe qui per multas ecclesias et monasteria ductus, nusquam suæ remedium calamitatis accepit; tandem cum matre propria veniens ad ecclesiam, in qua sacer ille thesaurus adhuc inter sacerdotum manus habebatur, confestim ita purgatus est, ut ne signum quidem ultra talis pertulerit passionis.

defertur corpus S. Liborii ad basilicam cathedralem: 15 Tum vero antistes, ne quam nuntiis memoratis moram faceret, eodem die venerandum illud corpus cum omni reverentia suis et sacerdotum manibus deportari fecit in urbem, ad principalem suæ sedis *e* ecclesiam, ut hoc ibi coram populo his, qui accepturi erant, honorifice commendaret. Comitabantur vero, nec usquam deerant, velut præsentis Dei virtutis, Sanctum suum mirificantis, indicia. Nam ubi primum ecclesiæ, quam diximus, illatum est, ingressus *claudo gressus restituitur,* pariter quidam claudus utroque pede; et multis in hac debilitate detentus annis, mox ut caput ad orandum inclinavit, recepit integram sanitatem.

muto loquela, 16 Transacto deinde parvo diei spatio, mutus C quidam, diuturno inutilis linguæ damnatus silentio, subito sibi vocis organa sentiens restaurata, omnipotentis Dei misericordiam, ejusque confessoris et pontificis Liborii patrocinium plano coram omnibus sermone laudabat.

contracto subita integritas, 17 Sed cum ita coruscantibus supernæ gratiæ beneficiis celeberrimus ageretur dies, postremo majori quoque miraculo novum fidelibus gaudium, nova data est materia gratulandi. Licet enim omnia Deo sint æque facilia, magis tamen solemus mirari, cum dantur nova et numquam habita, quam cum amissa restaurantur. Hic eadem rursus fiunt, quæ naturali ordine prius facta fuerant: ibi mira Dei virtus tribuit, quod natura negavit. Vir quidam ab ortu nativitatis in tantum a genibus deorsum debilitatus, ut tibiæ cum pedibus arefactæ, graciles et contortæ, omnem ambulandi usum penitus denegarent, in prædicta ecclesia ante veneranda S. Liborii pignora deportatus est; atque illico vivaci vigore nervis venisque infuso, et dissolutis ante compagibus solidatis, recto gressu cœpit incedere. Quo cognito, fit ingens admirantis atque gratulantis populi circa eum concursus. Certatim omnibus videre cupientibus, quod paullo ante numquam se visuros arbitrabantur. Neque enim velut infirmis aut titubantibus vestigiis gradiebatur, sed coram omnibus, qui eum numquam antea sanis terram plantis tetigisse noverant, celeri motu currens et exsiliens, Christo Domino ejusque sancto Confessori gratias referebat. Agebat hoc nimirum ipse per successorem Apostolorum, qui per ipsos quondam Apostolos eodem modo claudum a nativitate, simili gratia sanari concessit. *Act. 3, 8.* *EX MSS*

cæco nato visus, 18 His ita gestis, cum inclinata jam die, Dominicæ noctis appropinquaret exordium, præcepit episcopus clerum omnem ad vigiliarum solemnia maturius convenire, ut his statim peractis, primo diluculo præfatis nuntiis optatum munus accipientibus, redeundi ad patriam opportunitas optata daretur. Convenit autem pariter laicorum grandis numerus, quos ostensa priori die miracula ad quærenda sanctorum pignorum patrocinia ingenti delectatione invitaverant. Cumque prope finito matutinæ laudis officio, auroræ ortus illucesseret, lux lucis et fons luminis illuminavit civem urbis ejusdem, qui cæcus genitus, usque in diem illum coævam sibi eam miseriam tolerabat. Sed qui in Euangelio legitur per semetipsum hominem a pœna simili liberasse, hunc quoque per electum membrum suum a tenebris diuturnæ noctis eripiens, ignotam prius lucem videre concessit. E *Joan. 9, 1.*

energumeno libertas. 19 Eadem hora eodemque in loco, id est, in ecclesia coram clero divina carmina concinente, multisque aliis fidelibus aspicientibus, arreptus quidam a dæmonio, vexari miserrime cœpit. Diu namque ab eo torqueri ante solebat; sed tum interventu ejusdem Confessoris, expulso hoste nequissimo, sospitatem mentis recepit, nec deinde ullum in se larvalis phantasmatis sensit horrorem.

ANNOTATA.

F

a *Ostendimus superius, recte invicem congruere characteres chronologicos hic expressos; annumque Christi 836 fuisse Ludovici Pii 23, a morte Caroli patris, et 24, ex quo* imperiali eum diademate, *ut in Vita ejus dicitur, coronaverat pater, medio fere ante mortem suam anno.*

b *Ita Mss. Corsendoncanum, et Bodecense; editi vero habebant* quarto, *perperam, ut supra ostendimus.*

c *Vita prima ac tertia solum habet,* Beatissimorum Petri ac Pauli Apostolorum; *Vita secunda,* in ecclesia Apostolorum, *et congruit brevior translationis historia, quam mox dabimus.*

d *De S. Juliano supra egimus, et plenius* XXVII *Januarii.*

e *Ea primum S. Mariæ dedicata, postea S. Juliano, cum sub idem fere tempus hujus reliquiæ in eam essent a S. Aldrico deportatæ.*

CAPUT

EX MSS.

CAPUT V.

Corpus S. Liborii e cathedrali ad S. Vincentii ædem transfertur.

Solenni supplicatione (cujus hic ritus exponitur) effertur sacrum corpus e basilica majore ;

Ita illius diei exordio geminata lætitia cœlitus illustrato, infinitam populi multitudinem sexus utriusque atque omnis conditionis et ætatis, tam ex ea regione, quam ex vicinis urbibus, tantorum signorum late circumvolans fama contraxit. Celebratis vero Missarum solenniis, accelerabat episcopus sanctum illud corpus his, qui ad patriam secum delaturi erant, commendare; ipsumque cum honore debito ex urbe deducere, antequam adveniens turbarum immensitas, eorum iter impediret. Ornatur itaque clerus omnis sacerdotalibus et ecclesiasticis indumentis, elevatoque B feretro sanctorum pignorum in humeros sacerdotum, sonantibus quoque signis omnium per urbem ecclesiarum, ac præeuntibus, qui sanctæ ac vivificæ Crucis vexilla sanctorumque Euangeliorum libros ac sacras reliquias in aureis argenteisque reconditoriis cum aromatibus præferebant, deducitur cum ingenti cunctorum veneratione cum psalmis, hymnis et antiphonis in oratorium *a* S. Vincentii, situm juxta portam urbis, per quam egressuri erant.

plebem ob jacturam reliquiarum tumultuantem,

21 Prosequebatur autem maxima multitudo plebis ; sed non minor ibidem obviavit, quæ signorum rumore audito, undique confluebat. Tum vero non levis oritur contra præsulem populi querimonia, clamantibus plurimis, magni se patrocinii tuitione privari, ablato a se corpore tanti Confessoris, cujus intercessione solerent ab omni adversitate muniri. Hoc suæ regionis unicum post Deum fuisse tutamen, hunc honorem maximum, hanc gloriam singularem. Timere se merito posse, ne translatis ejus venerandis artubus pariter nominis ejus in brevi veneratio memoriaque neglecta, indignos eos ipsius interventu apud C Dominum faceret. Arbitrari sese, pastoris potius officio convenire, Sanctorum pignora ad munimentum gregis sibi commissi undecumque adquirere, quam eorum, quæ haberent, pretiosissima quæque in alias mittere nationes.

apta oratione placat S. Aldricus episcopus;

22 Commotus aliquantum his vocibus antistes, et maxime lamentantis turbæ acclamatione, tandem facto silentio, populum in eadem ecclesia S. Vincentii ita breviter allocutus est : Non est, inquiens, æquum, fratres, quemquam vestrum putare, me in tantum aut commissæ mihi solicitudinis, aut vestræ simul meæque salutis oblitum, ut hæc nostri perpetualis Patroni pignora sine certa ratione ex hoc loco transferri permitterem. Si enim, cum apud nos Sanctorum corpora Deo miserante satis abundent, illi populo, qui nuper ad fidem vocatus, et eorum aut parum, aut nihil penitus habens, a nobis hujus suæ necessitatis solatium humiliter postulat, omnino assensum præbere dedignamur; fatendum est, nos euangelici apostolicique præcepti contemptores, contra jus caritatis fraternæ, claudere a fratribus viscera nostra. Absit vero hic error pro- D cul a cordibus vestris, ut putetis electos Dei jam cum ipso regnantes, ibi tantum ubi corporaliter eorum habentur reliquiæ, intercessionis suæ præstare beneficium posse. Quin potius credendum, ejus patrocinium in hac ecclesia, quam in carne positus fideliter rexit, et in qua finem vitæ mortalis accepit, omnibus pie quærentibus in perpetuum non defuturum. In illo enim populo, noviter ad Deum converso, novos sibi servitores et veneratores acquiret, ad quos corporali præsentia suorum pignorum accedet : sed a vobis spiritalis ejus protectio numquam recedet. Sciendum quoque, quod serenissimus imperator idipsum fieri præcepit. Cujus quicumque potestati resistit, Rom. 13, 2 Dei nimirum ordinationi resistit. Præterea luce clarius ostensum est, Dei pariter, et hujus ipsius sancti Patroni nostri Liborii placere voluntati, ut ad illam, in qua cum summo cunctorum desiderio expectatur, regionem adveniat. Quod si non ita esset, ab inchoato heri istius translationis exordio, usque ad hanc horam tanta nequaquam miracula coruscarent. Cum enim placatus potius, E quam iratus, Deus dona cœlestia largiatur, quisnam existimare potest, quod si hoc opere offenderetur, tantis illud signorum beneficiis illustrasset? Quocirca, fratres, ab hac intentione desistite, ne divinæ dispositioni comprobemini palam resistere voluisse.

dein recensitis miraculis,

23 Cum his et multis aliis admonitionibus, et maxime Dei nutu, sedata plebis commotio quievisset, præcepit pontifex eos, qui per totum biduum a variis debilitatibus, seu ab immundis spiritibus, liberati fuerant, in unum congregatos, ad conspectum multitudinis noviter advenientis adduci : ut eorum omnem et pristinæ calamitatis, et novæ reparationis historiam pandens, divinam clementiam faceret ab omnibus unanimiter collaudari. Ubi primum vero populus coadunatum illud recens sanatorum agmen adspexit, et quos nudiustertius diversis passionibus affectos, jam tunc sanissimos esse cognovit, subito ex omni parte infinitæ multitudinis vox magnæ gratulationis exoritur. Nec datur ullus episcopum loquentem audiendi locus ; sed nemine tacente, nemine alium exspectante, pro se quisque, qua F poterat, Deum voce laudabat. Cumque etiam clerus, episcopo incipiente, hymnum Te Deum laudamus, et quædam alia tantæ lætitiæ convenientia decantaret, immensæ illius jubilationis sonus, inexplebili supernæ laudis delectatione, iu longum diei spatium protelatus est.

cum ceteris Deo palam gratias agit.

ANNOTATA.

a *Hoc oratorium, ut ex alia translationis historia patet, erat ecclesia cœnobii S. Vincentii a S. Domnolo episcopo Cenomanensi (cujus natalis dies agitur* I *Decembris, translationis* XVI *Maii) ædificata; dedicata a S. Germano episcopo Parisiensi. qui* XXVIII *Maii colitur, restaurata a S. Aldrico, uti scribit Corvasserius.*

CAPUT

A

CAPUT VI.

Miracula facta in itinere Carnotum versus.

Dat legatis corpus, jubetque reverenter haberi;

Quo tandem finito, advocatis Baduradi sæpe memoratis episcopi missis, beatæ memoriæ Aldricus antistes pretiosissima illa, quæ supra diximus, pignora coram omni clero et populo commendavit sub obtestatione gravissima, ut cum digno semper honore tractarentur, nec eis umquam omnis reverentia cultus ecclesiastici a quolibet episcopo Paderbornensi, et clero suo, quolibet tempore subtraheretur. Dehinc inter utriusque ecclesiæ, Cenomanicæ videlicet et præfatæ Paderbornensis congregationis, firmata caritate perpetuæ *a* fraternitatis, ad patriam eis redeundi licentiam dedit. Quos tamen una cum multitudine extra civitatem aliquamdiu prosecutus, cum paucis suorum rediit : quoniam a tam glorioso comitatu vix quisquam nisi invitus separabatur.

init cum iis fraternitatem: a

B

illi Cenomanis 1 Maii læti discedunt.

25 Et illi quidem, annuente perspicua Dei clementia, voti sui se compotes effectos summopere gratulantes, Kalendis Maii ab urbe Cenomanica profecti, cum omni studio ad patriam festinare contendunt. Cujus itineris gloriam ac lætitiam quis digne valeat enarrare? Opportunum tamen credimus, viam omnem celeri stylo percurrere, annotatis tantum locis, in quibus præcipua sunt, eademque certissima, gesta miracula: nam omnia, quæ sacrum illud iter cœlesti quodam lumine illustrarunt, ne illorum quidem aliquis, qui præsentes fuerunt, dicere aut memoria potuit retinere.

Sancti ope curati, surdus ac mutus Pontleuvæ, b

26 Illis itaque proficiscentibus, prædicta die juxta locum, vulgo *b* Pontleuva nominatum, secutus eo quidam ex familia, pertinente ad servitium ecclesiæ ipsius S. Liborii, quem et sensum audiendi, et sermonis usum numquam habuisse magna pars populi noverat, Dominum suum, ut sui misereretur, quia voce non poterat, gemitu et lacrymis precabatur. Cumque crebro caput inclinatum, expansæ manus, levati modo ad cœlum, modo ad sacrum feretrum oculi, satis internum ejus affectum indicarent, nec jam præ lassitudine sequi longius posset, tandem a pœna secum genita relaxatus, eo primum die cœpit et audiri loquens, et loquentes audire.

C

infirma,

27 Inde cœpto itinere properantes, cum ad ecclesiam quamdam, S. Medardi memoria celebrem, propinquarent, ibi in via quædam mulier a longa infirmitate curata est, quam per omne tempus vitæ suæ prius tolerasse ferebatur. De qua id, quamvis incredibile, multorum tamen relatione asserebatur, quod nullum alimenti genus umquam gustare potuerit; sed cochlearum more, suo victitans succo, noxio tantum aleretur humore. Quod nequaquam affirmantes, id tantum dicimus, quod verum novimus, eam ad S. Liborii patrocinium et venisse languidam, et redisse incolumem.

c energumena,

28 Hinc ad basilicam S. Symphorii *c* advenientes, ibidem sunt recepti hospitio, ubi noctem illam splendor pietatis divinæ clare fecit illuscescere. Nam femina quædam, diu malignorum spirituum se vexantium miserabile receptaculum facta, ad sæpe memorati confessoris implorandum pro ea suffragium, in ecclesiam adducta est. Finitis vero matutinis ex more vigiliis, cum facto jam silentio plebs egressura esset, cœpit subito horrorem diræ vocis emittere, ululare, mugire, sibilare ac per omnia belluinos imitari sonos : ut nisi præsens videretur, nihil minus quam mulier putaretur. Terrore cuncti, qui aderant, simul et miseratione permoti, teneri eam, et ad Sanctorum feretrum propius invitam trahi fecerunt. Deinde unanimes pro illa preces fundentes, cito exaudiri meruerunt. Denique statim a dæmonum violentia liberata, sobria mente ac voce gratias et laudes Deo referens, euntes eos inde diu cum populo sequebatur.

EX MSS.

contractus :

29 Exinde festinato cursu monasterio S. Sulpitii appropinquantes, vident eminus adduci mendicum quemdam in vehiculo, qui miserabiliter toto pene contractus corpore fuit. Nam et pollices utriusque manus erant in medium palmæ incurvati, et reliqui digiti supra ipsos pollices extensi, ita eos stringebant, ut ungues radicibus palmarum hærerent infixi. Reliquum corpus adeo velut in sphæram rotundatum videres, ut genua pectori, summitates pedum renibus jungerentur. Sed quanto ejus fuerat miserabilior pœna, tanto secuta est mirabilior medicina. Intervenientibus namque B. Liborii meritis, cujus opem integra fide implorabat, erectis in momento ac sanatis omnibus simul membris, prosiliit de parvo illo, quo vehebatur, curriculo, et celeriter ad loculum sacri corporis currens, ibidem se in terram prostravit cum ingenti affectu, corde simul et ore, gratias agens. Mirari populus, Deumque sublatis in cœlum vocibus collaudare, quod non videretur circa viventem hominem amplioris virtutis opus sub cœlo fieri potuisse.

E

energumenus.

30 Pergentes vero ad ecclesiam quamdam, in honorem S. Petri Apostoli dedicatam, subito dæmoniacum, qui eos aliquamdiu sequebatur, conspiciunt in via media cecidisse. Ad quem erigendum cum aliqui ex plebe cucurrissent, jacuit omnino sine motu aliquo, ut ab omnibus esse mortuus non dubitaretur. Post paululum tamen erectus ad sedendum, cœpit sensim quasi reviviscere ; et sequenti die coram populo laudes Salvatori suo rependens, sanus apparuit, acsi numquam a maligno fuisset hoste vexatus.

F

ANNOTATA.

a *De ea fraternitate egimus supra.*

b *Vulgo* Pontlieve *in Vita S. Hadoindi episcopi* XX *Januarii cap.* 1, *num.* 3. Pontilema *appellatur (forsan vitiose pro* Pontileuca, *aut, ut hic,* Pontileuva) *atque* Pontilemalense xenodochium; *forte* Pontileuvalense. Dominus Bertichrannus ejusdem urbis episcopus, *ut ibi dicitur,* ipsum xenodochium in Pontilema in honore S. Martini fecerat, ut omnes adventantes, tam divites quam et pauperes, ibi receptiones haberent, et alimenta et onera necessaria abundanter inibi acciperent. *Colitur S. Bertichrannus* VI *Junii.*

Pontileuvense xenodochium etiam pro divitibus.

c Sym-

EX MSS. e Symphoriani *legendum, ut patet ex breviori historia infra num. 7. Celebris in Gallia S. Symphorianus martyr Augustodunensis* XXII *Augusti; Symphorium nusquam legi.*

CAPUT VII.

Carnoti et Parisiis gesta.

Occurrit obviam S. Liborii reliquiis cum clero episcopus Carnotensis, *a*

Proinde cum tantis divinorum beneficiorum donis, velut cœlestibus radiis, micantem viam læti carperent, quæ plus quotidie gaudii, quam fatigationis offerret; contigit, ut ad civitatem Carnotensem, satis amplam et populosam, devenirent. Cujus urbis episcopus *a*, Bernuinus nomine, jam tum ætate simul et moribus valde maturus, collectis ex more presbyteris, eo tempore synodum in urbe celebrabat. Cui cum nunciatum esset, qualiter et quo ordine assumptum Cenomanis corpus præfati Confessoris, suæ jam urbi B appropinquaret, statim eum omni illo sacro sacerdotum collegio, totoque clero suo et populo, processit in ejus occursum, atque cum hymnis et canticis spiritalibus illud devotissime extra urbem longe progressus excepit, jussitque ut deferretur per viam, quæ ducit foras muros civitatis ad oratorium, in quo S. *b* Carauni membra requiescunt. Cumque catervatim sequente grandi multitudine ad memoratum locum honorifice duceretur, sonantibus signis per totam urbem, et populo excelsa ad Deum voce proclamante, ut tantam sibi gratam esse devotionem Dominus declararet, multa ibidem per B. Liborium fieri signa concessit. Ex quibus unum præcipuum hoc loco memorare decrevimus, reliqua, vitandæ prolixitatis causa, intermittentes.

sonantibus campanis.

Facta ibi miracula :

imprimis contracta sanata.

32 Puella, quæ ab exordio miserandæ nativitatis, membris fere omnibus curva, et velut in globum contorta, numquam vel mentum a genibus levare, vel plantas pedum a femoribus removere valebat, ante loculum sanctorum cinerum deportata, singulorum officia membrorum cum integerrima sanitate suscepit. Sed quoniam brevis illa vestis, qua contractum prius corpusculum facile tegebatur, jam erecte stanti non C sufficiebat, quin ex parte nuda videretur; citissime fideles quique (nam in ecclesia coram clero et populo res gesta est) raptis feminarum facitergulis eam contexere, donec allatis sibi congruis indumentis vestiretur. Ibi ergo cum spiritali lætitia nocte illam transigentes, primo mane optatum iter arripuere.

Excipiuntur Parisiis honorifice : *c* *d* *e*

33 Appropinquantes vero Parisiensi civitati, quam fluentis Sequanæ cinctam *c*, Julius Cæsar condidisse, et ob similitudinem insulæ maris *d*, Isius nominatæ, Parisius fertur appellasse; simili modo ab episcopo loci illius *e* Ercanrado nomine, omnique populo, ultra pontem stratum super memoratum fluvium occurrente, suscepti, et in principalem ejusdem urbis ecclesiam deducti sunt. Erat autem dies Dominica. Cumque Missarum ibidem solennia celebrarentur, deducebatur in medium femina quædam de vicinia ejusdem loci orienda, quæ cum pœna gravissima nata, in eadem præteritum vitæ suæ tempus exegerat. Muta enim a nativitate et surda, tertio insuper tormento subjacebat, quod videlicet mente capta, spiritu agitabatur immundo. Hæc in D conspectu omnium ad Missas circumstantium vehementer anxiari cœpit et sudare, postremo in pavimentum ruit. Post celebrationem mysteriorum, ad mansionem deportata est, et ad vesperum rursus in ecclesiam delata, ibi cum multis aliis pernoctabat. Statimque ut, albescente polo, roseum auroræ jubar illuxit, lux magnæ misericordiæ Dei, effugatis ab ea tenebrosis tortoribus, et auditus illi et vocis facultatem condonavit. Obstupuere magnopere cuncti, qui aderant, videntes eam in uno momento ita immutatam, ut et vacua esset a dæmone, quo plena erat, et plenum haberet membrorum officium, quo vacua fuerat.

ubi muta, surda, stulta, energumena sanantur :

alius mutus et surdus. *f* *g*

34 Euntibus autem illis juxta *f* montem martyrum, eum essent jam a dextro latere insignis *g* monasterii S. Dionysii, occurrit ibidem servulus quidam de familia ejusdem martyris, quem et sacerdotes et cujuscumque gradus clerici, necnon et plures laici, contestati sunt, ab exordio nativitatis suæ auditus pariter et loquelæ usu penitus E caruisse. Qui appropinquans sacris pignoribus, ubi vidit plures e populo pro sua quemque facultate in honorem S. Liborii, ad ejus loculum jactare munuscula, et ipse quoque satis devote aliquid de vestimentis propriis illuc offerre nitebatur. Cujus extemplo adjutus intercessione, apertis auribus et soluto vinculo linguæ, in eadem hora Dei laudes canentem populum audivit, et ipse simul cum gaudio decantavit.

ANNOTATA.

a *Claudius Robertus* Hieronymum, *et* Berninum *appellat; alii autem* Geruinum, *uti Corvasserius refert.*

b S. Carauni, *sive* Karauni, *Carnutum apostoli, Gallice* S. Cherou, *natalis agitur* XVI *Maii.*

c *Neque Parisiorum urbem Cæsar condidit, neque ea fortassis sic nuncupata illius ævo ; sed civitas universa, sive gens ipsa* Parisii *dicta ; urbs præcipua Lutetia, non ab ipso primum sic appellata,* F *sed antea (ut lib. 7 de bello Gallico patet) eo nomine nota, eodem fere etymo, uti reor, quo in Eburonibus* Leoticus, *sive* Leodicus vicus, *etiam tempore Caroli Magni dictus, quæ nunc urbs magna* Leodium. *Idem enim sunt* Leodes, Leudes, Luidi, Liudi, Luiti; *et forte* Læti, *ac* Leti : *Teutonice,* luden, luyden, lieden. *populi, et nonnumquam clientes, sive homines, aut vasalli. Eadem notione Leodienses Gallice urbem suam* Lige *vocant, quod villa ligia, sive lætica, id est,* militum *aut* hominum ligiorum, *seu vasallorum olim fuerit, cum in propinquo* Jupilia *esset palatium regium, sed hæc alibi indicata. Quod quidam* Lutetiam *a luto dictam volunt aut quasi* λευκετίαν *a candore, erudito nulli probabunt : unde Latina Græcave vocabula, apud interiorem Galliam, Celtica tunc lingua utentem ?*

Lutetia et Leodium unde ?

d *Nota Ortelio et antiquis Isidis insula, portus, templum, oppidum, regio: diversa omnia ; at nusquam nobis Isius insula lecta. Parisii potius videri possunt ab Isia, sive Æsia amne, qui nonnullis etiam Isara, appellati : ab ejus enim læva ripa colebant ad Matronam ac Sequanam amnes, inter*

Unde Parisii ?

Bello-

A *Bellovacos ac Meldas. Ipsa Lutetia olim posita erat in insula fluminis Sequana, in qua nunc quoque templum cathedrale, prolatis utrimque longissime pomœriis.*

e *Claudius Robertus duos ejus nominis statuit Parisiorum episcopos, quorum prior interfuerit anno* 829 *Parisiensi concilio, (in quo tamen illius nomen non exprimitur) alter electioni Hincmari Remensis archiepiscopi anno* 845, *et Parisiensi concilio anno* 846. *Medios locat Ermanfredum, de quo nihil memorat, et Inchadum, quem interfuisse ait restitutioni Ludovici Pii anno* 835, *obiisse* 839. *At concilio ad Theodonis-villam, in quo reconciliatus Ludovicus, Ebbo archiepiscopus Remensis depositus, Inchadus nullus, sed Erchanradus episcopus subscriptus. Anno vero* 836, *a concilio Aquisgranensi II, ad Pippinum Aquitaniæ regem missi Aldricus Cenomanicæ urbis et Herchinradus Parisiorum episcopi. Atque ex hoc ipso coætaneo scriptore patet, Ercanradum tunc episcopum fuisse, non Inchadum. In Parisiensi concilio anno* 846 *Ercheuradus appellatur; apud Flodoardum lib.* 3, *cap.* I. Ercamradus.

Ercanradus episcopus Parisiensis unicus.

B

f *Gallice* Mont-martre, *in eo cæsus capite S. Dionysius Parisiorum apostolus, cum SS. Rustico et Eleutherio, de quibus agemus* IX *Octobris. Distabat is locus ab urbe Lutetia mille circiter passus, celebratus in annalibus nostris, quod isthic in æde Deiparæ Virginis S. Ignatius Loyola cum sociis aliquot, votis Deo nuncupatis, prima posuit conflandæ Societatis Jesu fundamenta.*

Mons Martyrum,

g *Sepultus fuit S. Dionysius in fundo Catulliaco, a Catulla pia muliere : ubi dein vicus coaluit, qui in Vita S. Genovefæ* III *Januarii cap.* 4, *num.* 16. Catholiacensis *appellatur, sive* Catholacensis, *et in secunda Vita num.* 14, Catholicensis, *diciturque* in sexto a Parisius milliario situs. *Dagobertus rex sumptuosissimam isthic ecclesiam et monasterium ædificavit, quod variis deinde privilegiis, reliquiis, regum mausoleis ac donariis ornatum.*

S. Dionysii monasterium.

CAPUT VIII.

C

Iter per Belgium ad Rhenum usque.

In flumen, fracto ponte, labuntur, vado transire abnuentes ne madefierent; a

Interim festinantes cum summa alacritate iter suum peragere, devenerunt ad villam, quæ *a* Gebaloha nominatur. Ubi, sicut antea multorum fides et devotio remunerata, sic etiam quorumdam contumacia digna est correptione castigata. Contigit namque ibidem, ut fluviolum quemdam transire deberent. Quo cum proximarent, hi qui sanctum feretrum portabant, quatuor, qui posteriora ejus tenebant cornua, recto tramite per vadum aquæ incedere volebant. Totidem autem reliqui, priorem ejus partem gestantes in humeris, pontem magis, per quem transirent, quærere, se velle asserebant, in tam præclaro Sanctorum obsequio calceamenta sua madefacere dedignantes. Qui cum ad pontem quemdam venissent, et venerabilem thesaurum secum portantes, super eum transirent, repente rupto sub pedibus eorum instrumento lignorum, omnes illi, qui in vado vel pedes intingere aspernabantur, ex alto cadentes, in profundo flumine submersi sunt; meritis tamen sanctorum artuum, quos ferebant, illæsi evasere; illud vero sacratissimum feretrum ab ea parte, qua ab illis, antequam caderent, tenebatur, (mirum dictu) nemine contingente, in aëre pendebat immobile, donec accurrere possent, qui illud accipientes, ad vadum reveherent: atque ita demum cœpto itinere perrexerunt.

EX MSS. *feretro et ceteris illæsis :*

36 Ex quo loco non longum iter emensi, consuetum virtutis Dei testimonium ad comprobanda merita Electi sui videre meruerunt. Idipsum tamen, quod factum est, quo appelletur nomine, non satis occurrit. Eventum fuisse dixerim? sed non solet res talis casu evenire. Miraculum nominem? sed id non magnopere quisquam eorum admirabatur. Quis enim velut novum miretur, quod sæpius intuetur? Mulier a dæmonio liberata est. Magna Dei pietas, magnum Confessoris ejus meritum, rem alibi raram, in illo itinere fecit esse usitatam. Quæ tamen mulier tunc a valde diuturna vexatione salvata, (nam quindecim annis ea laboraverat) haudquaquam ingrata suo exstitit Salvatori. Cum enim esset de castello, quod *b* Bavaca nominatur, non infimis orta natalibus, relicta patria et parentibus, Deo et S. Liborio se, dum viveret, servituram devovit: secutaque sancta pignora usque ad locum, in quo hactenus requiescunt, in eorum servitio reliquum vitæ suæ spatium transegit. Circa hæc eadem loca et alia plurima sunt in via ostensa miracula: sed nobis festinantes illos ad patriam stylo prosequentibus non vacat in singulis immorari.

energumena Bavacensis curata,

b

Sancti servitio se devovet;

alia miracula :

37 Cum ad Rhenum fluvium pervenissent, erant in sancto illo comitatu provinciarum occidentalium populi infinitæ multitudinis, qui de longinquis locis illuc secuti, jam necessario reverti ad propria debuerunt. Occurrit vero non minor mortalium numerus ex nationibus orientalem ejusdem fluminis ripam incolentibus; et maxime Saxones nostri, quorum confinia non longe ab amne memorato distant. Ipsi enim nuper ad fidem vocati, audita tantorum fama signorum gregatim ex suis undique locis eo confluxere. Stabant igitur in utroque littore turbæ innumerabiles, diverso nimis affectu sese invicem contemplantes. Siquidem suscepturis pretiosum illum thesaurum, quantum gratulationis et gaudii, dimissuris vero quantum mœroris et gemitus hora illa attulerit, quis umquam exprimere poterit? Denique statim ut sancti corporis bajuli navem introierunt, universa plebs, quæ diutius sequi non valebat, unanimiter sese in terram prosternens, cum ingenti gemitu et intenta supplicatione B. Liborii se patrocinio commendabat, testes quodammodo affectus sui largos lacrymarum imbres effundens. Pari modo et hi, qui in citeriore littore exspectabant, terræ advoluti, sacra pignora cum omni, quo poterant, honore suscipientes, et gratias agentes Deo, læti cum laudibus deduxere.

plurimi pie comitantur,

F

donec Rhenum trajiciant.

ANNOTATA.

a *Ms Bodecense* Gebalhoha.

b Bavacum, *hic* Bavaca, *oppidum est Hannoniæ antiquissimum, ac præcipua Romanorum in Nerviis statio,* Βάγακον *Ptolomæo, forte* Βαούακον, Bagacum Nerviorum *Antonino, uti* XV *Januarii diximus,*

Bavacum vetus oppidum.

EX MSS. *diximus, cum de translatione reliquiorum S. Mauri Abbatis ogeremus ; pro quo est in tabulo Pentingeriana* Baca Conervio, *pro* Bacaco Nervio. *Isthic circi ruinæ visuntur, ingentium ædificiorum fundamenta, nec procul inde aquæ ductuum vestigia, aliaque monumenta antiquitatis, atque illud fere præcipuum, quod septem viæ militares Romanorum inde ad varios urbes ducunt : quarum quæ celeberrima, quod per pagum* Brunehault *ducta (restauratom quidam non ineruditi a* Brunechilde *regina autumant, quo argumento, ipsi viderint) vulgo* la chaussée de Brunault *oppellatur, et Coloniom usque tendit, uti in Itinerario Antonini itur*, Bagaco, Vodgoriacum, Germiniacum, Perniciacum *(melius* Perviciacum) Advacam Tungrorum, Coriovallum, Juliacum, Coloniam : *quorum locorum hæc nunc nomina sunt, quotnor Gallica, totidem Tentonica :* Bavay, Woudray, Gemblours, Perwez ; Tongeren, Alt-Falckenborg, Gulich, Colen.

B

CAPUT IX.

S. Liborii corpus Paderbornam deportatum.

Occurunt catervatim Westfali :

Igitur ingressi Saxoniam, præ nimia sibi obviante turba vix gradum movere poterant. Totis tamen nisibus iter accelerantes, tandem die tertio, id est, quinto Kalendarum Juniarum, quo tunc sacra Pentecostes solennitas agebatur, ad desideratam diu Paderbornensem ecclesiam pervenerunt. A qua cum adhuc tribus distarent millibus, juxta fluvium quemdam *a* Hedraha vocatum, ob immensam multitudinem, quæ usque ad memoratum locum sequi non poterat, in medio campo Missarum celebravere solennia. Quæ antequam finirentur, in eodem loco quinque pariter homines a variis debilitatibus liberati, causam immensæ admirationis et lætitiæ tantam Dei virtutem videnti populo præbuere.

infirmi 5 sanati ;

39 Insuper eadem hora in sæpe memorata Paderbornensis monasterii ecclesia, cui talis gloriæ decus per tanta terrarum spatia afferebatur, contigit quoddam clarum valde miraculum, velut insigni præconio B. Liborii adventum annuncians. Nam puer quidam de eadem oriundus parochia, qui a die nativitatis suæ surdus erat et mutus, ibidem auditum pariter percipere meruit et loquelam. Agebat hoc nimirum divina dispensatio, ut in die adventus ipsius tot signa coruscantia indicio essent, eumdem locum ad hoc fuisse cœlitus electum, ut tanti Confessoris corpore illustraretur.

puero vox auditusque divinitus confertur : C

40 Quod cum innumeris undique stipatum turbis, monasterio paulatim appropinquare cœpisset, episcopus quidem nequibat occurrere, (nam apud palatium tunc morabatur) sed tamen clerus omnis cum universis ecclesiastici cultus ornamentis processit obviam, sequente populo, qui vel de longinquis venerat, vel ex eodem oppido et vicinis locis illuc ad audienda Missarum solennia in tanta festivitate fuerat congregatus. Cumque sibi non parvo ab oppido intervallo uterque populus, sequentium videlicet venerabile corpus atque excipientium, obviasset, ii qui occurrerant, ter cuncti simul solo prostrati, summa illud cum veneratione susceperunt. Cumque clerus in hymnis et confessionibus Deum benediceret, et spiritualium carminum melodiam, Sanctorum laudi congruam, concineret, populus vero Kyrie eleison ingeminaret, cum ineffabili jubilo erectis ad Deum mentibus singulorum, nihil ejus laude dulcius videbatur : ita ut in hujus vitæ exilio similitudinem quamdam beatitudinis, quæ in patria speratur, prægustasse viderentur, de qua dicitur : Beati qui habitant in domo tua, Domine ; in secula seculorum laudabunt te. Quem illis tantum divinæ laudis amorem, ejus meritis credimus inspiratum, in cujus tunc exsequiarum honorem fuerant congregati : quoniam et ipsius sola in cœlis beatitudo, vita et gloria, non nisi laus Dei est, in cujus caritate perfecta ad tantum ipse sanctitatis culmen ascendit. Itaque cum sensim magis ac magis in altum sublatæ populi voces attollerentur, etiam circumquaque gaudentium, psallentium, Deo gratias agentium et jubilantium, illi in voce exultationis per totam viciniam sonitus intonarent, cum tali honore sacratissimum corpus in ecclesiam delatum, et in loco, in quo hactenus requiescit, collocatum est. Ubi quantis postmodum miraculis effulserit, quanta sanitatum dona præstiterit, alibi dicenda reservamus, hic præsenti libello terminum imponentes.

magna omnium ordinum acclamatione et pietate

D — Psal. 83, 5 — *defertur Paderbornam sacrum corpus :* — E — *multa fiunt miracula.*

41 Hæc denique secundum tuum, præsul venerande, præceptum, nostrumque propositum, de iis quæ in translatione ejus gesta sunt, non quidem, ut voluimus, et tantæ rei conveniebat, sed ut potuimus, et scientia suppetebat, describere curavimus : non magnipendentes in sermonum qualitate reprehendi, dum tantum integræ veritatis fide servata divinæ operationis insignia silentio tegi nequaquam permitteremus. Nostri enim propositi necessitas admonet, ut in hujusmodi operibus nobis injunctis id omnimodis elaboremus, ut si nos imperitia facit ineloquentes, devotio tamen ostendat obedientes. Nec infructuoso nos sudore laborasse confidimus, si alicujus lectoris hæc in manus sumere dignantis, vel cujuscumque audientis animus in laudem Largitoris tantarum virtutum fuerit excitatus. Merito namque laudes illi et grates toto corde referimus, qui nos inter tot ærumnas seculi laborantes, tantorum patronorum suffragiis tueri dignatur. Qui per visibiles corporum curationes ad internam nos animarum salutem quærendam provocantes, spem tribuant per eorum exempla et intercessiones illuc perveniendi ex hac valle lacrymarum, ubi absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum. Quo qui jam sanctum suum Liborium feliciter perduxit, nos quoque licet indignos, ejus interventu, venire concedat, qui in Trinitate perfecta unus et verus vivit et gloriatur Deus per infinita secula seculorum. Amen.

Epilogus auctoris. — F

ANNOTATA.

a Serena *vocatur in minori historia. Videtur is esse fluvius, qui* Salcottena *defluit juxta arcem et pagum* Werne. *Sane Joannes Gigas, sive Rise, in Prodromo Geographico, viam regiam a Rheno Paderbornam ita describit :* Duisburgo, Brock, Mollem, Effendiam, Boeckum, Tremoniam, Unnam, Gese-

A Gesekenam, Saltkottenam, Paderbornam; *in qua via is quem dixi fluvius occurrit, congruente dimensione, quæ in historia assignatur. Neque nomen fluvii* Serena, *a* Verne *aut* Werne, *arcis ac pagi nomine multum abludit.* Verena *fortassis, aut* Werena, *scriptum olim fuit.*

EJUSDEM TRANSLATIONIS

HISTORIA.

Ex veteri Legendario ecclesiæ Cenomanensis.

Badurudus episcopus divino monitu it Cenomanos reliquias petiturus,

B

a

Tempore quo Cenomanica ecclesia B. Aldrico pontifice gloriabatur, et Gallia sub Ludovico Pio rege et imperatore florebat; Baderato venerabili Patroburnensi, Saxoniæ regionis, episcopo, unde *a* B. Aldricus oriundus erat, divina injunctum est revelatione, ad urbem Cenomanicam proficisci, sacrarum reliquiarum perdivitem, et inde aliquem ibi quiescentium deferre Sanctorum, toti Saxoniæ, de novo ad fidem Christi conversæ, sacris meritis profuturum. Qui nihil cunctatus divinis obedire præceptis, adhibitis sibi reverentioribus suæ ecclesiæ personis, eo proficisci decrevit. Sed ut sacræ petitioni regia quoque subveniret auctoritas, ad Ludovicum eo tempore gloriosum regem Francorum paululum declinavit; et acceptis ab eo ad vota sua epistolis, ad Cenomanicam, quo intenderat, urbem feliciter *b* pervenit.

litteris a Ludovico Pio imperatore acceptis:

b

a S. Aldrico episcopo obtinet corpus S. Liborii,

2 Qui a B. Aldrico benigne et honorifice susceptus, adventus sui causas exposuit, regias epistolas recitans; et ne aliquam pati posset repulsam, ad divinum sæpius recurrit oraculum et angelicam revelationem. Exaudiuntur a B. Aldrico sine mora ejus vota; et assumptis in processionem ecclesiasticis ornamentis, uterque pontifex Aldricus et Baderatus, una cum clero ad reclinatorium Sanctorum proficiscuntur. Erat autem *c* in suburbio prædictæ civitatis, supra fluvium Sarthæ, in honore Apostolorum fabricata ecclesia, quæ cum se reliquiis multorum Sanctorum jactitaret, præcipue super pretiosis BB. Liborii atque Victurii corporibus gloriabatur. Ad quam, velut ad promptuarium gemmarum Domini pontifices accedentes, deflexis in orationem poplitibus, sacræ suæ præsumptionis facilem et felicem meruerunt effectum. Quippe quibus hoc etiam merita B. Liborii contulerunt, ut nec loci ignorantia fallerentur, nec aliqua superveniente molestia sacrum opus impediretur.

C

c

quod facile effoditur:

suavis odor divinitus ædem replet;

3 Et ne quisquam de meritis hæsitaret confessoris sancti Liborii, dum beata membra pia curiositate defodiuntur, et in vase cum debita reverentia componuntur, tam festivus odor adstantem populum afflavit, ut adesse putaretur omnium commixtura aromatum; et cujus orationes fuerant sicut incensum in conspectu Domini, ejus ossa non immerito odorem spiraverunt incensi. Jam beati artus quasi quoddam futuræ gloriæ pignus acceperant, qui illud futuræ gloriæ mirificum nectar adstanti populo propinabant. Mirata est turba insolitam generalis beneficii refectionem; sed unde in majorem suspenderet stuporem, plures ibi salutem consecuti sunt specialem. Quædam enim mulier cæca dum ad defossos artus et sacras divi Liborii reliquias propius accessisset, torpentium oculorum tenebras evasit, et ad propria remeavit. Huic successit et aliud non minus stupendum miraculum: nam antiquus hostis et vafer animorum auceps diabolus invaserat quemdam ecclesiæ filium, quem mente et carne torquebat assidue, qui a matre ad sanctas attractus reliquias, expulso dæmone, et turbatæ mentis memoriam et afflictæ carnis recepit tranquillitatem.

EX MS.

fiunt alia miracula,

sic restituuntur: cæcæ visus

puero (pulso dæmone) usus rationis,

dein claudo gressus, vox muto,

4 Compositis interea reverendis artubus in vasculo, impositum est sacrum onus piis humeris sacerdotum, et ad matrem ecclesiam honorifice deportatum. Ubi duo viri in ipsius matris ecclesiæ sinu, quorum alter claudus, alter fuerat mutus, incommodi sui remedium consequuntur: nam alter usum linguæ recepit, alter vitiosum incessum amisit. Alius etiam monstrum magis quam hominem exprimens, ad propria sanus revertitur. Flet populus præ gaudio et lætatur, et discessuro Pastori reverenter famulatur, rogans, ne Pastor ovium obliviscatur. Interea cæcus natus illuminatur, energumenus, fugato dæmone, sanatur.

E

alteri membrorum incolumitas, cæco visus,

energumeno libertas.

Paderbornenses inita cum Cenomanis fraternitate,

5 Mane autem facto sancti pontifices sanctæ fraternitatis fœdus invicem percutiunt, et sub sacro osculo suarum orationum suffragia communicant. Certant filii Dei divinis se prævenire obsequiis. Experiuntur Saxones non infructuosam Cenomanorum benignitatem, a quibus et largos sumptus ad viam, et intercessorem suscipiunt ad gloriam, nempe B. Liborii corpus cum multis *d* aliorum Sanctorum reliquiis illis tribuitur. Gratulantur Saxones pretiosas secum delaturi margaritas, quæ et illos illustrarent in terris, et inter angelos coruscarent in cœlis.

sumptibus itineris donati

d

et aliis reliquiis,

6 Eos autem cum illo locuplete thesauro Salvatoris ecclesia egressos, S. Vincentii monasterium pio recepit affectu, ubi quidam eorum populum circumstantem sic affatus est: Gratias vobis, filii Dei et cohæredes Jesu Christi. Certum quippe sacræ dilectionis argumentum posteris reliquistis, cum nobis ex studio humanitatis necessaria corporum hilariter effudistis, et ex reverentia divinæ receptionis patronum tribuistis animarum. Unde gratias Deo agentes, vestris nos orationibus commendamus, numquam tantis ingrati beneficiis, numquam vestræ benignitatis immemores, numquam studiosissimæ pietatis satis abunde futuri prædicatores.

F

gratias agunt;

Ad Pontem Yvriacum mutus et surdus sanatur,

e

f

alii in via,

7 Iis peroratis, et dicto vale, Saxones discedunt, et sacro suffarcinati thesauro, ad *e* pontem Yvriacum, duobus ab urbe distantem milliaribus, felici proficiscuntur eventu: ubi sanatus est mutus et surdus. Inde profecti ad ecclesiam *f* S. Medardi perveniunt. Ubi ejus fama miraculorum circumquaque divulgata est; et accurrentes undique vicini infirmos suos offerebant, incolumitatem eorum deprecantes; quibus sancti Confessoris intercessione et sanitas conceditur, et devotio fidelium augetur. Sequenti die ad vicum cano-

EX MS

g ad Concdiarum energumena;

canonicorum, nomine *g* Concdiarum, accedunt : ibique deposito in basilica S. Symphoriani sancto corpore, pernoctant : ubi spectabilis femina, miris modis a dæmone vexata, ad Sancti reliquias accedens, fugato dæmone, liberata est. Et ut mirandis miranda succederint, alii

et alii 70

quoque septuaginta infirmi redditi sunt sanitati, et unus præter ceteros usque ad portentum gibbosus et paralyticus.

excipiuntur magnifice ab episcopo Carnotensi,

8 Hinc Carnotum proficiscuntur, cui tunc præerat Bernuinus venerandæ sanctitatis antistes; qui audiens adventum sancti confessoris Liborii, sumptis secum suæ diœcesis sacerdotibus, qui illic sacrum concilium celebraturi convenerant, festivo apparatu obvius ei procedit, pio veneratur affectu, ac speciali devotione suscipit. Resultat ubique vicinia cymbalorum sonitu, reboat psallentium voce clericorum, qui sacrum corpus, humeris impositum pontificis, usque ad

(ubi ægra sanatur)

ecclesiam S. Carauni, prope civitatis muros constructam, devotiori reverentia comitantur et reducunt. Ubi puella monstro persimilis, sa-

B

nata est.

et ab episcopo Parisiensi; h

9 Inde Saxones profecti brevi Parisios allabuntur, qui a B. Ercanrado *h* Parisiensi episcopo gloria qua decuit suscepti sunt : ubi in matre ecclesia corpus beati confessoris Liborii biduo

ibi dæmoniaca,

requievit; per cujus intercessionem dæmoniaca, muta et surda sanitati est restituta. Egressi inde dum juxta Montem martyrum proficiscentes, ad ecclesiam B. Dionysio sacram accederent, obviam

surdus et mutus curantur :

quemdam surdum a natura et mutum habuerunt; qui more aliorum ante sacras reliquias sua vestimenta substernens, accessit ad feretrum, et osculatus est, et sic S. Liborii interventu, quod totis votis postulabat, est assecutus.

Comitantur Galli sacras reliquias usque ad Rhenum :

10 Comitatur maxima Gallorum multitudo venerabiles reliquias, et usque ad Rhenum fluvium devotius prosequitur, tanto patientius angustias itineris toleratura, quanto sæpius collata miraculorum beneficia illis blandiebantur. Imposito tandem navi corpore, discedunt Galli, nil ulterius de meritis illius dubitaturi, quæ tot cæcorum illuminationibus, tot curationibus debilium, tot re-

C

pulsis dæmonum, fuerant experti.

occurrunt Saxones :

11 Stabat ex altera parte Rheni devota Saxonum multitudo, quæ jam discurrentium miraculorum fama perculsa venientem Patronum festivo cursu suscipere decertabant. Suscipitur locuples ille thesaurus, suscipitur, inquam, desideratus Patronus, et ad urbem tanto intercessore gavisuram gloria qua debuit defertur.

mutus adventare reliquias prædicit :

12 Cujus adventum quidam mutus prædixit : dum enim adhuc procul esset, et in matre ecclesia Patrobrunensi Missarum solennia celebrarentur, aperto ore et attentis auribus, ille boni nuntii præco, dixit, haud procul esse expectati Intercessoris corpus. Cui credidit clerus, et novum suscepturus Patronum cum sacro apparatu

quæ deducuntur Paderbornam, non sine miraculis.

obviam clero procedit. Interim vero beati funeris portitores juxta fluvium Serenam, tribus ab urbe distantem millibus, parumper substiterunt; ubi multa claruerunt miracula : ibique prædictæ civitatis populus et clerus, ad fidem recenter conversi, ad beatos artus accedentes, ter in humum prostrati, gratias Deo egerunt, et diu promissum, diu expectatum, diu cum lacrymis quæsitum Pa-

D

tronum suum B. Liborium susceperunt. Quem pio honore deferentes in matrem ecclesiam Patrobrunensis regionis, in ejus honore postea consecratam, honorifice in sacro die Pentecostes collocaverunt, sacris meritis toti Saxoniæ profuturum. Hunc etiam precemur, ut in æternum cum Christo vivamus, cui cum Patre et sancto Spiritu sit laus et gloria in sempiterna secula. Amen.

ANNOTATA.

a *In Vita S. Aldrici, quam dedimus* VII *Januarii, dicitur pater ejus* Syonius in Gallia ortus, Gerilda mater ex Germanis genus duxisse. *Corvasserius scribit, patrem Sionium Saxonem fuisse, matrem Verildam e Bavaria oriundam, utrumque e regio genere.*

b *Prior historia ex Idonis Presbyteri, unius e legatis Baduradi, relatione, a coætaneo conscripta, non ipsum Baduradum, sed solum ejus legatos ivisse in Galliam tradit.*

E

S. Juliani episcopi Cenomanensis translatio XXV Julii,

c *Non ergo, quod scribit Corvasserius, jam anno* 834, *translata erant SS. Juliani, Thuribii, Pavacii, Liborii, Romani, Trenestinæ, Adrechildis atque Hadoindi corpora ; sed fortassis eodem anno* 836, *postquam in Saxoniam avectum erat* S. Liborii *corpus, S. Aldricus, miraculis jam patratis motus, reliquorum quoque ad basilicam cathedralem transferri corpora curavit. Corvasserius ait translationem contigisse die* XXV *Julii, quo die anniversaria circum urbem instituitur supplicatio. Meminerunt translationis S. Juliani episcopi eo die quædam Martyrologia.*

d *Diximus supra ex Rolevinckio et Gobelino, Sanctorum aliorum reliquias una cum* S. Liborii *copore allatas.*

e *Corvasserius locum hunc* Yvrè *appellat.*

f *Corvasserius locum ait situm ultra Huinam amnem, vulgoque dici* S. Mars de la Briere.

g *Idem* Conneray.

h *De eo egimus supra. Corvasserius* Eucaradum *vocat. Nusquam alibi legimus, eum Beatis accenseri, etsi laudatissimus antistes fuerit.*

F

HISTORIA

REDUCTIONIS RELIQUIARUM S. LIBORII.

AUCTORE JOANNE CAROLO ERLEWEIN.

Reverendissime ac serenissime princeps, clementissime domine,

ANNO MDCXXVII.

SERENITATIS VESTRÆ mandatum Broilæ anno MDCXXVII, die XXVII Novembris, una cum litteris admodum reverendorum et prænobilium DD.

EX MS.

A DD. decani ac capituli Paderbornensis ecclesiæ, ad me perlatum est XIII Decembris, eaque omnia debita cum reverentia recepi; ac perlectis rite omnibus, quæ in iis continebantur, confestim me ad obsequentissimi animi officium contuli, et cœpi in memoriam revocare præterita tempora et servitia mea humillima; nimirum quod anno MDCXXII serenissimæ clementiæ suæ consensu impetrato, sub serenissimo Lotharingiæ duce Henrico, nullis licet meritis meis exigentibus, signiferi equestris honorem in militia consecutus, stipendia meruerim, bello quod adversus Mansfeldium tunc gestum fuisse constat. Cum autem post missionem honestam, VII Julii ejusdem anni, quando regis Galliarum exercitus ad Sermese lustrabatur, altera stipendia eques cœpissem mereri, auspiciis illustrissimi Ottonis Philippi comitis Silvestris ac Rheni, adversus eumdem Mansfeldium, pro obsequio regis Galliarum militantis; preclara mihi, Dei munere, obvenit sors, S. Liborio, suæque serenitati una serviendi.

Auctor militat Lotharingo anno 1622.

dein Gallo sub Ringravio:

B 2 Siquidem anno eodem MDCXXII, die XVIII Septembris, cum illustrissimus Otto Philippus comes Silvæ ac Rheni, Vaucolerio Galliæ urbe, in qua ipsius equestris legio stativa habebat, profecturus esset, ab ejus gratiosa generositate impetravi potestatem Coloniam proficiscendi, ea conditione, ut sex hebdomadum evoluto curriculo me ipsius gratioso obsequio restituerem: quod etiam pro viribus annisus sum præstare. Cum autem jam itineri me darem, idem gratioso suo imperio id mihi negotii dedit, ut apud serenissimam clementiam vestram, præter humillimam obsequendi promptitudinem, etiam indicarem, qua ratione reliquias S. Liborii, a Christiano Brunswici duce acceptas, asservaret, et honori Paderbornensis ecclesiæ non invitus daret, ut ea Patroni sui thesaurum sacrum recuperaret, et Sanctus in locum pristinæ quietis, ac honoris sui gradum, restitueretur. Et quandoquidem sua serenissima clementia etiam Paderbornensi ecclesiæ, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, præsideret, se libenter venire in partem curæ, quam sua serenissima clementia pro ejusdem ecclesiæ sacris habere dignosceretur.

ab hoc jubetur electori Coloniam offerre restitutionem reliquiarum S. Liborii;

C 3 Feci itaque quod mihi imperatum erat sancte et ordine; ac III die Octobris ejusdem anni coram sua serenissima clementia mandata illustrissimi comitis exposui. Nimirum, non multo ante eam diem ducem Brunswici Christianum, cum civitatem Paderbornensem impetu belli sui occupatam, expilasset, sacras S. Liborii episcopi reliquias ex summa æde abstraxisse, secumque e Westfalia in Hassiam ad Mœnum flumen usque conduxisse; conditorium vero Sancti pretiosum confregisse, et ex illius aliaque materia imperialibus nummis similem procudi fecisse monetam; demum [cum] post ambigua itinera trium fere horarum itinere supra Metensem in Mosellæ ripis sitam urbem consedisset; eoque loci prædictus illustrissimus comes Rheni, eumdem ducem cum quinque vel sex virorum comitatu familiariter invisisset, inter varios super mensa sermones, uti fit, etiam de reliquiis S. Liborii sermonem esse subortum. Cumque illustrissimus comes confidenter inquisisset, quonam eæ reliquiæ devenissent inter tot itinera ducis, ipsum ducem excepisse, dixisseque, eas adhuc apud secretarium suum asservari, ac mox jussisse ex abaco supellectilis argenteæ exemptas afferri. Quod cum illico factum fuisset, illustrissimo comiti esse ostensas super mensa, involutas obscuræ et ingloriæ mappæ, seu linteo, attamen consuto et sigillis ducis ipsius munito. Cumque propius eædem reliquiæ inspectæ fuissent, et vehementer comminutæ apparuissent, ac comes, veluti dubitans, amplius inquisisset, num eæ vere essent reliquiæ, quas in S. Liborii conditorio reperisset; ibi ducem respondisse, esse ipsissimas tam vere quam ipse sit Brunswici ducum sanguine natus, et præsens vere coram assideret. Interrogante autem comite, quanam igitur ratione adeo essent commolitæ, ducem respondisse, eo quod abaco argenteæ supellectilis inclusæ, cumque ea per itinera et hospitia sæpius contusæ fuissent.

quas Paderborna ablatas,

et circumvectas,

linteo involutas, et signatas,

sed successione confractas,

4 Tum demum comitem cœpisse instare, petiisseque, ut eas sibi dux gratiose clementerque cederet, cum ei per religionem suam, a Sanctorum reliquiis alienam, nihil admodum possent proficere, et comes ipse vicissim alio ipsi commodiore munere posset honorare cognatum ducem, nimirum generosiore equo et pilei honestamento præclaro. Ad quæ cum ipse dux retulisset, se ad eas reliquias neque dimittendas neque retinendas sat consilii habere, et esse perplexum *a*, tandem tamen variis modis precibusque adhibitis ducem Christianum, sine ullo pacto muneris alicujus, illustrissimo comiti Ottoni Philippo reliquias easdem liberaliter esse largitum. Atque hæc vix XIV diebus ante cladem duci in finibus Brabantiæ XXIX Augusti MDCXXII (in qua ei brachium confractum fuit) illatam, prædicto modo accidisse. At comitem sæpe memoratum, lætum munere sacro, easdem acceptas obsignatasque statim principi de Croy conjugi suæ in arcem Neuviller, quæ fere septem leucis supra Nanceium visitur, transmisisse: quæ illas pari gaudio reverentiaque exceperit et (ut erant) sigillatas in sacello arcis per sacerdotem domesticum supra sacelli altare reponi curaverit, ibidemque honorari.

sibi Halberstadius donarat. E a

ipse in arce sua asservabat.

5 His compendio ad serenissimæ clementiæ suæ notitiam allatis apud Bonnam die tertia Octobris anni MDCXXII, quoniam sequenti die eadem serenissima clementia sua erat iter ingressura, quo comitiis imperii Ratisbonæ agendis adesset, jussus sum, per reverendissimum ac illustrissimum Franciscum Wilhelmum Osnabrugensem episcopum, iter suæ serenitatis prosequi, ac Confluentiæ responsi opportunitatem opperiri. Quæ cum ne eo quidem loco, ob plurimorum negotiorum molem undique incumbentem affulsisset, Haunoniam usque sum prosecutus; ibique VIII Octobris serenitatis suæ litteras, de fide ac legatione mihi a sua serenissima clementia demandata, impetravi, et cum his ad serenissimum Lotharingiæ ducem, atque illustrissimum comitem Rheni citato itinere sum profectus. Cum autem, Deo iter secundante, incolumis VII Novembris ejusdem anni MDCXXII, in arcem Neuviller pervenissem, et illustrissimum comitem, eodem, quo sua serenissima clementia contenderat, iter instituisse comperissem, litteras principi de Croy, piissimæ comitis conjugi, tradendas duxi, ac debita

Auctor pro iis mittitur in Lotharingiam ab Electore: F

sed aberat Ringravius

EX MS.

bita cum observantia porrexi. Quæ se reliquias petitas, etiam sua serenissima clementia omnibus modis colenda postulante, sine consilio et consensu comitis conjugis, tradere posse prorsus negavit. Itaque infecto negotio tunc mihi quidem discedendum fuit : sed per litteras utrimque submissas, serenissimæ clementiæ suæ ac illustrissimo comiti ampla coram de reliquiarum recuperatione occasio data est Ratisbonæ in ipsis comitiis imperii tractandi : qua factum est ut ultro citroque habitis colloquiis illustrissimus comes reliquiarum S. Liborii restitutionem ratam habere voluerit, et addixerit : quæ etiam consecuta est, ut sequentibus dicetur.

qui Ratisbonæ eas Electori spopondit :

mittitur denuo anno 1623;

6 Nam comitiorum apud Ratisbonam peracto tempore, cum anno MDCXXIII, ad XXIX Maii sua serenissima clementia ad Bonnense castrum salva, gratulante patria universa, rediisset ; iterum cum litteris fidei, et negotii ejusdem apud illustrissimum comitem Rheni conficiendi gratia, missus sum in Lotharingiam, ad castrum Neuviller, adjuncto mihi comite itineris admodum

B

reverendo et doctissimo domino D. Joanne de Blier canonico SS. Cassii et Florentii in collegiata Bonnæ ecclesia, nec non aulico sacellano : cumque eo, rheda ad iter clementer data, iter ingressus sum, deducente nos serenissimæ clementiæ suæ caduceatore. Iter nobis fuit Bonna egressis per Eifliæ juga et valles, Adenaviam, Merrimum, Vitelliacum, Trevirorum Augustam, Ricciacum sive Sirick, Theodonis villam, Metas, Mussi-pontem, Nanceium.

benigne exceptus,

7 Cum autem ad Neuvillerium castrum pervenissemus, neque illustrissimum comitem, neque principem conjugem reperimus : sed comitem quidem ad curiam regiam Parisios profectum esse, principem vero ipsam in Baudouiller concessisse comperimus. Ea causa fuit, cur Neuvillerio castro duodecim leucas processerim, itinere facto per Rambervillariam et Aultrey, interjecta loca Neuvilleriensi castro et Baudouillerio. Ibi principis Neuvillerium rediturae præsentiam nactus, oblatis litteris, aliisque mihi clementissime mandatis, postero die cum principis aula Neuvillerium rediimus, et VI Junii in castrum perve-

C

nimus. In quo cum pro serenitatis suæ observantia, nos missos ejusdem gratiose recepisset, atque in octavum Junii diem detinuisset, ex consilio et consensu illustrissimi comitis Rheni, mariti sui, suoque gratificandi studio, magno sensu pietatis ac reverentiæ, reliquias S. Liborii, præsentibus aliquot sacerdotibus, per sacelli aulici rectorem nobis cum ipsa, cui involutæ fuerant, mappa, seu linteo mensæ usibus olim destinato, offerri et tradi jussit. Quæ traditæ per sacerdotes confestim apertæ, non sine insigni odoris fragrantia exspirante, positæquo sunt in capsella, quæ statim inclusa est cærulei coloris panno, consutaque, circumducto sæpius ejusdem coloris serico redimiculo, quod variis in locis ipsius principis, in rubra cera infixis sigillis communitum fuit, nobisque concreditum.

reliquias accipit a Ringravii uxore,

suavem odorem exspirantes,

denuo obsignatas :

osse isthic retento

8 Verumtamen eadem piissima princeps mappam, in qua antea reliquiæ S. Liborii requieverant, in partes scissam, gratiose inter præsentes distribuit, qui magno animi gaudio reverentiaque suas quisque partes amplexi fuerunt. Ad hæc etiam partem ossis de S. Liborio suo sacello ser-

D

vavit, eamque in lignea, arte singulari efformata, et vivis coloribus delibuta herma, seu statua episcopalis habitus, pectore tenus producta, recondi curavit, ut sancti Hospitis memoria ex ejus loci incolarum animis numquam deleretur, sed præsentia aliquanta corporis sui ipse locum sanctificaret, in sui ac Dei optimi maximi obsequium. Cui spei optimæ sane hactenus non defuit pius effectus in animis circumpositorum populorum, qui locum illum supplices, votis etiam anathematis, frequentare non desistunt.

ob vicinorum pietatem,

quod iis solenniter in supplicatione ambarvali circumlatis,

9 Huic religioni causam non levem dedit id quod per legationis meæ tempus ex ipsa principe accepi. Cum enim illa, acceptis nuper sanctis reliquiis, consideraret reliquias S. Liborii e solio honoris et loco diuturnæ quietis suæ, ecclesia scilicet Paderbornensi, violenter et contumeliose abstractas, et huc illucque cum impio exercitu sine honore et reverentia ipsi congruente, circumactas fuisse, electa princeps pium et decorum animo facinus concepit, nempe honore aliquo sancti Hospitis sui lipsana celebrare, populoque vicino commendare. Itaque tam in memoratæ

E

arcis parochia, per sacelli rectorem, quam in vicinis circumcirca parochiis, etiam in civitate *b* Bajonensi, præconia voce edictum fuit, quod reliquiæ S. Liborii episcopi per Christianum ducem Brunswici Paderborna violenter ablatæ, et cum exercitu circumductæ, demum in illustrissimi comitis Rheni, etc. domini sui, potestatem devenissent, et modo in arcis Neuviller sacello ad cultum debitum essent repositæ ; et ideo certus dies esset statutus, quo supplex circumcirca populus ex utroque sexu collectus, sancti Hospitis venerandi gratia, cum ipso Sancto sit processurus in publicum, succollantibus sacro oneri duobus ecclesiastici ordinis viris ; ipsaque principe cum aula ac populo universo prosequentibus per magnum agri circumjecti tractum, populo in hymnis et canticis Dominum Sanctorum collaudante, donec reliquiæ in sacellum et altare relatæ suo fruerentur honore.

b

contractus sanatus esset;

10 Accidit eo die aliquod non leve sanitatis beneficium, uni, vel potius duabus personis in uno, collatum. Nimirum femina probæ famæ,

F

magno fidei et pietatis sensu, filium octennem, ab utero matris contractum, adeo ut genua ad pectus ejus contorta rigerent, magno nihilominus labore in prædicta procendentium turba circumtulit, orans Deum, ut meritis S. Liborii episcopi ipsam et filium exaudire dignaretur ; et, si tam ipsi quam filio salutare foret, puerum ab infirmitate sua absolveret. Res mira ! cum mater, processione peracta, fessa et genibus nixa puerum ante se deposuisset, et ante reliquias S. Liborii super altari repositas ferventius in medio templi oraret, ecce puer volutari occepit, et mox in pedes erigi, et erectus ambulare, timide tamen et nutando, uti solent qui primos gressus figere discunt, atque ita confestim ad altare pergens, ibi Deo et S. Liborio gratias agit. Mater pueri, videns virtutem Dei in filio, et ceteri qui aderant, puerumque noverant, ingenti gaudio perfusi, lacrymas præ teneritudine cordis admirantis non tenebant, sed Deo et S. Liborio pro tam manifesto signo sanitatis laudem dicebant. Factum est

hoc

EX MSS.

A hoc signum in ipso arcis Neuviller sacello, ubi reliquiæ sacræ in conspectu piissimæ principis erant collocatæ : et ego, cum isthuc legatus adveni, avide eumdem puerum sum contemplatus, una cum socio itineris mei, ipsumque locum, in quo acciderat, non sine gaudio inspexi. Quin etiam fidelissimas de hoc miraculo litteras testes, Latino ac Francico sermone scriptas, princeps de Croy ad serenissimam clementiam suam transmisit, una cum reliquiis S. Liborii.

multi febribus liberati.

11 Referebat etiam eadem piissima princeps plura sanitatis signa in ægris, maxime febri correptis, Dominum operari dignatum, ad honorem servi sui S. Liborii ; sed exactam notitiam singulorum, quæ in principis animo multa erat, mihi comparare tam brevi tempore supersedi, cum festinarem citissimo reditu serenissimæ clementiæ suæ mandatis satisfacere.

S. Liborii reliquias auctor defert Treviros,

12 Itaque summo mane circa tertiam itineri nos dedimus cum reliquiis in rhedam impositis. Quod cum non lateret plebem vicinam, ex hac plures personæ ad rhedam accedentes, eam supplices venerari, S. Liborii a se avehendi suffragia B postulare, et in discessu ex arce lacrymari cœperunt. Nos autem Camponidem, Mussi-pontem, S. Julianum, Ricciacum, denique Treviros pervenimus : et sub urbis muris in S. Maximini abbatiam religiosissimam cum sacris pignoribus divertimus. Ibi indicio sacrorum pignorum cum abbate communicato, ipse insigni gaudio ex eorum præsentia affectus, sequenti die, qui fuit XII Junii, eodem in loco magna cum devotione Sacrum musice in honorem S. Liborii per religiosos decantari, et capsam, in qua S. Liborii reliquiæ recondebantur, in summo altari reponi curavit. Inter Sacrorum mysteria, collecta vetus ex Trevirensi pervetusto Breviario opportune reperta, decantata fuit. » COLLECTA de S. Liborio episcopo » XXIII Julii. Deus qui B. Liborium, pium ponti- » ficem, speciali privilegio in medendis urinarum » et calculi passionibus, ad salutem fidelium, » decorasti : tribue, quæsumus, ut ita ipsius me- » ritis et intercessione ab eis malis eruamur, ut » æternis gaudiis perfruamur. Per Dominum. » Absoluto Sacro, reverendissimus abbas cum C sanctis reliquiis, omnibus qui aderant, benedictionem impertivit, et omnes eamdem capsam pie osculati sunt. Atque ita XIII Junii ex abbatia S. Maximini in pagum Sweigh, Vitelliacum, Merrim, Adenau, Aldenar, Mariæ-Forestum XV Junii salvi, Deo protegente, pervenimus, meritis S. Liborii ex periculis diversis erepti.

ubi publice honoratæ;

dein Bonnam versus,

per eas e periculis ereplus :

ex jussu Electoris visitantur.

13 Ex eo loco, qui institutis S. Brigidæ sacer est, serenissimæ clementiæ suæ significatum fuit, reliquias S. Liborii appulisse. Idcirco eadem serenissima clementia sua altero die, qui erat XVI Junii, in prædictum locum duos ablegavit ex aula viros, nimirum R. P. Georgium Schrotelium, Societatis Jesu sacerdotem, confessarium suum, et nobilem ac strenuum dominum D. Benedictum Schweindell camerarium; qui præsente P. Priore monasterii Mariæ-Forestani, jussu serenissimæ clementiæ suæ, cistam continentem reliquias S. Liborii, reseratis sigillis, aperuerunt, inspexerunt, et cognitione terminata, rursum sigillis, pro suæ serenitatis parte communierunt ; mandantes, vestræ serenissimæ clementiæ jussu, reliquias easdem in sacrario Mariæ Forestano intactas seponi oportere. Quibus rite constitutis, nos scripta, attestationes miraculi, Latino ac Francico idiomate exaratas, nec non litteras principis de Croy ad serenissimam clementiam vestram datas, prædictis viris delegatis porreximus, ad eamdem clementiam perferendas. Hæc summatim gesta sunt in negotio relationis reliquiarum S. Liborii, eo tempore quo serenissima clementia sua opera mea paratissima uti dignata est : quam ut semper pluribusque in causis impendere serenissimæ clementiæ suæ servitio liceat, Deum precor, qui eamdem clementiam suam patriæ diutissime incolumem præstare dignetur. Ita precor, et ad posteritatem testor, in castro et oppido serenitatis vestræ Cæsaris-Insulano anno MDCXXVII, E XXIII Decembris.

SERENISSIMÆ CLEMENTIÆ SUÆ

humillimus cliens

JOANNES CAROLUS ERLENWEIN

Prætor Lynnensis et Urdingensis.

ANNOTATA.

a *Erat is, ut supra annotavimus, asseclarum magis suorum, quam proprio vitio malus. Testatus nobis est vir clarissimus Bertoldus Nihusius (qui Helmstadii una cum ipso Christiano, anno* 1615 *studiis operam dedit, ac postea litterarum scientia in aula erudiit Saxoniæ Ducem Vinariensem Bernardum, præclari dein nominis militem, si pro meliori causa arma gessisset) is, inquam, cum jam prior pars hujus commentationis excusa esset, testatus est nobis, Christianum ducem eo tempore indolis fuisse* F *optimæ ; sed postquam episcopatui Halberstadiensi auctus est, alios plane mores induisse, fraude (ut omnium opinio erat) Billerfeldii chirurgi, hominis impiissimi, qui aliquamdiu Constantinopoli atque in Perside versatus, in hujus deinde improvidi adolescentis sese familiaritatem insinuavit, eique pharmacum miscuit, quo fieret ex homine (ut aiebat) nimium scholastico generosus ac vegetus : verum ea potio insanum cum quodammodo reddidisse visa est. Hæc tunc per Saxoniam fuit fama. Pessime ipse quoque postea periit Billerfeldius, ab rustico homine, cujus uxori afferre stuprum moliebatur, trucidatus. Quanti interest, quibus magistris formanda committatur principum adolescentia !*

b *Non hæc Aquitaniæ, ad Cantabrorum confinia, urbs est Baiona ; sed Lotharingiæ oppidum ad Mosellam flumen, non longe ab Neuvillari arce.*

ACTA

EX MS.

ACTA

ECCLESIÆ PADERBORNENSIS

De reliquiis S. Liborii episcopi peregrino Carleno abbati, pro ecclesia Amerina, donatis.

Acta notarialia Monasterii confecta 9 Junii 1646.

In nomine Domini, Amen. Tenore præsentis publici instrumenti, cunctis pateat evidenter et sit notum, quod anno post Christum natum millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, indictione decima quarta, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini D. Innocentii, ejus nominis decimi Papæ, anno secundo, sabbathi nona mensis Junii, inter septimam et octavam ante meridiem, coram me notario apostolico, in infra nominatorum testium præsentia, personaliter constituti fuerint illustrissimi et reverendissimi domini: Theodorus Adolphus a Recke præpositus, Casparus Philippus a Ketteler decanus, Joannes Guillielmus Baro de Syntzigh cantor, et cellerarius, Adolphus Henricus Droste præpositus cathedralis Monasteriensis, Arnoldus de Vitinghoff condictus Schelle, præpositus ad S. Mauritium Monasterii, Adolphus Henricus Droste junior, omnes ecclesiæ cathedralis Paderbornensis canonici; prout et illustrissimus et reverendissimus dominus Peregrinus Carlenus abbas S. Mariæ, plenipotentiarius ducis Geldriæ et Juliæ, comitis Egmundæ et Zutphaniæ ad tractatus pacis universalis; me notarium et testes adhibitos requirentes, ut una cum iisdem dominationibus, vigore eum in finem porrectæ singularis requisitionis schedulæ, certo cuidam ab iis celebrando et dictæ schedulæ inserto actui interesse, eumdemque sic peractum ad protocollum meum redigere, necnon desuper, erga condignum meum salarium, unum vel plura conficere vellem, instrumentum et instrumenta. Actum Monasterii Westphaliæ in aula habitationis reverendissimi et illustrissimi domini Bernardi a Westerholt cathedralis ecclesiæ ibidem canonici, anno, indictione, papatu, mense, die, et horis, quibus supra; præsentibus circumspectis dominis: Michaele Sitthorff notario et registratore cancellariæ Paderbornensis, et Joanne a Versen secretario ante memorati illustrissimi et reverendissimi domini abbatis Carleni, uti fide dignis, ad id specialiter requisitis et adhibitis testibus.

Tenor præfatæ singularis requisitionis schedulæ erat subsequentis tenoris:

S. Liborii efficaci contra calculi dolores patrocinio,

2 Ad majorem omnipotentis Dei gloriam. Nos Theodorus Adolphus a Recke, præpositus, Casparus Philippus a Ketteler decanus, ceterique seniores et capitulares cathedralis ecclesiæ Paderbornensis, vobis domino et testibus ad hoc specialiter requisitis, pro rei dignitate, et meritis S. Liborii patroni nostri, exponendum duximus; Quandoquidem magnus Dominus et laudabilis nimis, etiam laudandus in Sanctis suis, propter quorum merita et preces, multa nobis, eaque non levia, subinde largitur beneficia, etiam illis ad feliciorem vitam sublatis, ut existentes in cœlis, etiam nunc honorificentur in terris, ubi fideliter Domino suo ministraverunt; hic inquam, miserator et misericors Deus, ut annuntietur inter gentes gloria ejus, in omnibus populis mirabilia ejus; sicuti honorem sancti Prophetæ Elisæi jam vita functi, per suscitationem mortui ad contactum, reliquiarum ejus, toti mundo voluit esse contestatum, sic etiam servi tui, Liborii, patroni nostri, nomen non modo apud Cenomanos in Gallia (unde Dominicæ Incarnationis anno DCCCXXXVI quinta Kalend. Junii, sanctæ ejus reliquiæ, Paderbornam delatæ, multis in via miraculis honoratæ claruerunt) et Paderbornæ in Westphalia; sed et in aliis diversis ac dissitis locis, regnis et provinciis, diversorum morborum, ac præcipue calculi curatione voluit esse celebre et honoratum.

intellecto, et pie invocato, iis doloribus liberatus Peregrinus Carlenus, tali et frater ejus dysuria, et alii in Umbria)

3 Qua quidem miraculorum experientia permotus illustrissimus et reverendissimus Peregrinus Carlenus, patria Amerinus, dignitate abbas beatæ Mariæ, functione comitis Egmundæ, ducis Geldriæ, ad tractatus pacis universalis Monasterii Westphaliæ plenipotentiarius, scriptis ad nos litteris, non modo divinæ bonitati quas potuit gratias egit, sed et reliquias nostri sancti Liborii miris encomiis, magno affectu et singulari devotione commendavit: Quod ipse imprimis Monasterii magnis et insolitis calculi doloribus fatigatus, et tantum non exhaustus ac oppressus, intellecta a venerando admodum Patre F. Bonaventura de Rutheno prædicatore Capucino, tunc suo confessario, mira S. Liborii devotione, ejusdemque ad calculi malum curandum singulari virtute; pro sua a calculo liberatione, aut saltem dolorum ipsius mitigatione, oblatam sibi a dicto patre antiphonam et orationem de S. Liborio, ad ipsum Sanctum, sæpius magna fide multisque cum gemitibus, ac tandem de ipso Sancto Sacrum a dicto suo confessario celebrari curans, celerem sub eodem Sacro expertus divinæ bonitatis gratiam, ab acerbissimi calculi puncturis, et ab ipso (ut speraret) calculo miraculose fuerit sanatus: Deinde quod frater ejus Augustinus Carlenus, Ameriæ cathedralis ecclesiæ canonicus, de hoc ab eo certior factus, cum dudum urinandi difficultate, et consequenter calculo, laborasset, per eamdem transmissam sibi antiphonam et orationem, memorati Sancti intercessionem pro recuperanda sanitate efflagitans, illico ab isto malo liberatus sit: Demum quod plures in Umbriæ partibus per ejusdem antiphonæ et orationis devotam recitationem magna a divina misericordia beneficia obtinuerint. Id quod intercessioni hujus sancti Patroni nostri S. Liborii tribuens, pro patria sua, Ameria in Umbria, tam evidenti miraculo in devotionem erga hunc Sanctum et reliquias ejus rapta, earumdem sanctarum reliquiarum, apud nos existentium, particulam, tam per litteras quam per suum confessarium, magno affectu a nobis petiit ac postulavit. Non potuimus quidem non commendare pium hoc desiderium tum illustrissimi et reverendissimi

partem reliquiarum ejus petit, ut Ameriam, mittat:

A simi domini abbatis, tum capituli et populi Amerini; verum quia in potestate nostra non erat, sine consensu et expressa concessione serenissimi principis nostri Ferdinandi, electoris Coloniensis et episcopi Paderbornensis, utriusque Bavariæ ducis, thesaurum hunc vel aperire, vel minuere; ideo re et postulatione tam ad ipsius serenitatem humiliter delata, quandoquidem gratiam et mandatum aliquam sanctarum reliquiarum partem communicandi clero et populo tam devote expetenti, statim obtinuimus, prout suæ serenitatis litteræ hisce insertæ fusius declarant.

4 Copia litterarum serenissimi electoris Coloniensis, episcopi Paderbornensis, ad capitulum cathedralis ecclesiæ Paderbornensis; quibus conceditur, ut dentur reliquiæ S. Liborii Cenomanensis episcopi, Paderbornensium Patroni, illustrissimo et reverendissimo abbati Peregrino Carleno pro Ameria.

assentiente electore Coloniensi 2 Januarii 1645,

Ferdinandus Dei gratia archiepiscopus Coloniensis, princeps elector, episcopus Paderbornensis, Monasteriensis et Leodiensis, administrator Hildesiensis, Berchtesgadensis et Stabulensis, comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ, Westphaliæ, Angariæ et Bullionis Dux, Marchio Franchimontanus.

B

Venerabiles et honesti, dilecti devoti, ex vestris ad nos XII Decembris, hujus jam ad finem currentis anni, datis litteris, earumque adjunctis, didicimus quo pio fervore S. Liborii, diœcesis nostræ Paderbornensis patroni, nomen in peregrinis ac dissitis provinciis veneretur: et qualiter particula sacrarum ejusdem reliquiarum, ad majorem devotionem excitandam, et ad Dei honorem augendum expetatur: quodque vos ad elargiendum illam, gratiosissimum nostrum consensum submisse exquiratis. Quemadmodum igitur nobis pergratum fuit intelligere, quod dicti sancti Episcopi veneratio, et ad illam subsecuta intercessio, tam mirabiles effectus ad exteras nationes produxerit; et minime dubitandum sit, quin elargitio reliquiarum ejusdem majorem in plebe devotionem excitabit, ita libenter concedimus, ut expetenti ac postulanti abbati Carleno (quamvis ipsæ reliquiæ, cum ab hostibus circumveherentur, multum comminutæ fuerint) aliqua earum particula, sine notabili tamen remanentium diminutione, donetur et tradatur. De hoc vicissim monere vos voluimus, quibus benevolentes, gratiam nostram offerimus. Datum Bonnæ in civitate nostra secundo Januarii, anno MDCXLV.

C

FERDINANDUS
Joan. Stam. secr.

eam illi donant canonici Paderbornenses 9 Junii 1645,

5 Idcirco nos Theodorus Adolphus a Recke, præpositus, serenissimi electoris Coloniensis, episcopi Paderbornensis et Monasteriensis, consiliarius intimus, et ad tractatus pacis universalis legatus, et Joannes Gulielmus Baro de Syntzigh, cantor et cellerarius, a reverendissimo capitulo Paderbornensi ad hoc negotium specialiter deputati, anno MDCXLV, die nona Junii, mane inter septimam et octavam, in cathedrali ecclesia Monasteriensi, sacrarum reliquiarum, pro temporum tunc statu, asylo, ad tumbam sanctarum reliquiarum conservatricem devote accedentes, duas particulas, unam cranii, alteram tibiæ, ex eadem sublatas, hac intentione, ut Ameriam in Umbria, ad augendam populi illius devotionem, et majorem divinæ bonitatis gratiam ipsi conciliandam, in ovali et varii coloris capsula reposuimus: eamque præsentibus tunc et astantibus: admodum venerando patre F. Bonaventura de Rutheno, prædicatore Capucino cum suo socio, cathedralis ecclesiæ Monasteriensis thesaurario, Petro Buschman Jurium doctore, electoris Coloniensis, episcopi Paderbornensis, intimo consiliario, cancellario, et ad tractatus pacis universalis Monasterii Westphaliæ legato, aliisque ex Clero et populo ejusdem civitatis, publice tradidimus illustrissimo et reverendissimo abbati Carleno, transferendas ad desiderantem clerum populumque Amerinum. EX MS.

sed demum anno 1646, 9 Junii,

6 Cum vero fataliter acciderit, quod ob varia bellorum pericula et impedimenta Monasterii denuo convenire non potuerimus, ad consignandum debite ipsas reliquias, et conficiendum in forma attestationis instrumentum, atque inde ipsæ reliquiæ ad destinatum locum translatæ non fuerint; tandem tamen anno elapso integro, Deo sic disponente, eodem die nono Junii, eademque hora inter septimam et octavam, Monasterii Westphaliæ, in aula habitationis reverendissimi et illustris domini Bernardi a Westerholt, cathedralis ecclesiæ ibidem canonici, præter opinionem convenerimus: Theodorus Adolphus a Recke præpositus, Casparus Philippus a Ketteler decanus, Joannes Guilielmus Baro de Syntzigh cantor et cellerarius, Adolphus Henricus Droste præpositus Monasteriensis cathedralis ecclesiæ, Arnoldus de Vittinghoff condictus Schelle, præpositus ad S. Mauritium monasterii, Adolphus Henricus Droste junior, omnes Paderbornensis cathedralis ecclesiæ canonici; deinde illustrissimus et reverendissimus dominus Peregrinus Carlenus, abbas B. Mariæ et P. Bonaventura Capucinus prædicator cum socio, atque sæpe dictas sacras reliquias ex prædicta ovali capsula extractas, commodiori rotundæ, argenteo, aureo, viridi ac rubro colore variegatæ, et vitta subrubicunda quater ita circumligatæ, ut octo in locis contineatur, reverenter inclusimus, eamque consignatam illustrissimo et reverendissimo abbati Carleno retradidimus, secure transmittendam Ameriam; expressa tamen hac lege, ut non solum ea qua decet, solenni devotione deferatur, verum etiam ut a capitulo et clero, a magistratu populoque Amerino in habitu decenti, secundum status differentiam processionaliter obviante, et devote solenniterque acceptante, cum hymnis et canticis ad cathedralem ecclesiam, quæ est Ameriæ, honorifice deducatur: ibidemque, et non ante, ab illustrissimo et reverendissimo loci episcopo, præsente capitulo et magistratu Amerino, tandem hæc capsula aperiatur, et productus inde sanctarum reliquiarum thesaurus palam exhibeatur, dignisque encomiis clero populoque commendatus, loco celebri et honorato in eadem cathedrali ecclesia reponatur: imo et S. Liborii hujus patroni nostri, officium de confessore pontifice, quotannis dicatur; ejusque festus dies vigesima tertia mensis Julii, convocato ad hoc populo, et sanctis reliquiis solenniter expositis, more nostro Paderbornensi, in organis celebretur: et sit hic sanctarum

E

in alia capsula positam, legitime signatam, et tradunt;

F

ea lege ut honorifice Ameriæ excipiatur,

et anniversario sacro celebretur:

EX MS. etarum reliquiarum thesaurus, veluti vinculum et tessera fraternitatis mutui amoris, et symbolum piæ confœderationis inter Amerinum et Paderbornense capitulum.

Actis de hac donatione confectis,

7 In cujus rei fidem, hunc reliquiarum S. Liborii confessoris pontificis, patroni nostri, thesaurum inæstimabilem, sigillo serenissimo Ferdinandi electoris Coloniensis, episcopi Paderbornensis, in rubea cera superius; Paderbornensis capituli majori, in viridi cera inferius; minori vero S. Liborii, in rubra cera Hispanica ad latus; præsentium autem reverendissimorum ac illustrium dominorum, necnon illustrissimi et reverendissimi abbatis Carleni, annulis signatoriis, circumcirca in rubra cera Hispanica super vittam subrubicundam consignari curavimus et communiri; atque sic consignatum illustrissimo et reverendissimo domino abbati Carleno eumdem tradidimus, et hoc ipso retradidimus, fideliter transferendum : vos notarium requirentes, ut super hac serenissimi electoris episcopi nostri Paderbornensis gratiosa concessione, suæ sere-
B nitatis litteris contestata, nostroque consensu et insuper secuta consignatione et traditione, instrumentum et instrumenta in meliori forma nobis conficere, et pro debito salario communicare dignetur. Aetum Monasterii Westphaliæ, ubi hæ sanctissimæ reliquiæ, ob sævientis belli pericula, nunc asservantur, nono die mensis Junii, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto.

per publicum notarium,

8 Et quia ego Henricus Uphaus civis Monasteriensis Westphalus, sacra apostolica auctoritate publicus et approbatus notarius, præinserto celebrato, inclusionis sacrarum reliquiarum, consignationis et traditionis actui, una cum ante memoratis dominis requirentibus et testibus, interfui, omniaque alia et singula sic fieri vidi, audivi, et in notam sumpsi; idcirco præsens publicum desuper confeci instrumentum, manuque propria illud ipsum conscripsi, nec non nomine et cognomine, signoque notariatus mei solito subappositis communivi, ad hoc specialiter requisitus. Henricus Uphaus, qui supra, notarius Apostolicus m. p.

attestante senatu Monasteriensi.

C Nos consules, proconsules, ac senatus civitatis et reipublicæ Monasteriensis partium Westphaliæ, notum facimus et attestamur, quod supra nominatus Henricus Uphaus concivis noster, qui præsens instrumentum expedivit, illudque manu sua propria nobis abunde cognita subscripsit, et signo suo notariatus munivit, sit publicus et legalis notarius, cujus documentis, et instrumentis in et extra judicium publica ubique fides adhibetur. In cujus rei testimonium sigillum civitatis nostræ secretum hisce appendi, et secretarii nostri jurati subscriptione roborari jussimus. Actum anno salutis millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, die XVII mensis Julii. Loco ✠ signi. Henricus Holland, civitatis ac reipublicæ Monasteriensis, partium Westphaliæ, secretarius, juratus judicii imperialis cameræ notarius immatriculatus in fidem manu propria subscripsi.

D

ACTA

ECCLESIÆ AMERINÆ,

De reliquiarum S. Liborii receptione.

Coram episcopo et canonicis Amerinis 15 Martii 1647,

In nomine Domini, Amen. Præsenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, et notum sit; quod anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, Indictione XV, die vero XV mensis Martii; pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Innocentii divina providentia Papæ decimi, anno ejus tertio, coram illustrissimo et reverendissimo domino Gaudentio Polo, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopo Amerino, ac perillustri et reverendissimo domino Delio E
Vectio protonotario Apostolico, ejusdem illustrissimi et reverendissimi domini episcopi vicario generali; necnon perillustribus et admodum RR. DD. Nicolao Racano priore, Julio Geraldino archidiacono, Joanne Vincentio Mandosio præposito, Augustino Carleno, Claudio Picioto, Petro Carleno, Hieronymo Roscio, Curtio Mandosio, Fabiano Zucchante, Petro Venturello, Joanne Baptista Sandro, Josepho Venturello, et Petro Francisco Racano, canonicis venerabilis cathedralis ecclesiæ S. Firminæ de Ameria; meque notario, et testibus infrascriptis, ad hæc specialiter vocatis atque rogatis; in infrascripto loco, præsens et personaliter constitutus fuerit R. P. Frater Bonaventura de Rutheno, prædicator Capucinus provinciæ Rhenanæ cum suo socio, et extraxerit ex coloris cinericei sacculo stamineo illatam pyxidem : eamque ex utraque parte aperiens, inde aliam produxerit; inde aliam capsulam rotundam argenteo, aureo, viridi, rubro colore variegatam, vitta subrubicunda quater ita circumligatam, ut octo in locis contineretur, si- F
gnatam serenissimi Ferdinandi, electoris Coloniensis, episcopi Paderbornensis, cum rubra cera, superius Paderbornensis capituli ex viridi cera, inferius circumcirca super vittam S. Liborii, Theodorici Recke Paderbornensis cathedralis præpositi, Gasparis Philippi a Ketteler Decani, Joannis Guilielmi baronis de Syntzigh cantoris et cellerarii, Adolphi Henrici Droste præpositi Monasteriensis cathedralis, Arnoldi de Vittinghoff condicti Schelle præpositi ad S. Mauritium, Adolphi Henrici Droste Junioris, Canonicorum Paderbornensis cathedralis, et abbatis Carleni *a* in rubra cera Hispanica sigillis : deinde a
explicato in pergameno donationis, et attestationis instrumento, dicto illustrissimo et reverendissimo episcopo, capitulo, et canonicis Amerinis, in optima forma legerit; et ostendens omnia dicta sigilla iutegra et in nullo violata, ex ipso instrumento abundanter docuerit, dictam capsulam vere, et eam ipsam esse, quæ et ab illustrissimis et reverendissimis cathedralis Paderbornensis

exposita est capsula reliquiarum S. Liborii,

rite signata a canonicis Paderbornensibus,

A nensis prælatis et canonicis, anno MDCXLVI nono die mensis Junii, Monasterii Westphaliæ, in aula habitationis reverendissimi et illustrissimi D. Bernardi Westerholt cathedralis ibidem canonici, tradita fuit fideliter Ameriam transferenda : quod demum dictam capsulam in dicta pyxide, et hanc cum illa in dicto sacculo reposuerit, huic illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus Amerinus quatuor chartas in modum stellæ sic superposuit, ut octo radios constituant : in medio vero ubi sese contingunt, posuit capitulum in quatuor radiis suum, dictus autem P. Bonaventura in aliis quatuor radiis suum sigillum rubra cera Hispanica. Ita his peractis, sic sigillatam pyxidem cum capsula deposuit idem illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus Amerinus reverenter in armario, in dicta sacristia, quod respondet januæ ducenti in ecclesiam :
B et clausum fuit duabus clavibus, quarum unam retinuit idem illustrissimus et reverendissimus dominus episcopus, alteram dedit perillustri et admodum reverendo D. Augustino Carleno custodiendam. Super quibus omnibus et singulis præmissis, petitum fuit a me notario et cancellario publico infrascripto, ut unum, vel plura, publicum seu publica, conficerem atque traderem instrumentum et instrumenta, prout opus fuerit, et requisitus ero.

denuo obsignata;

inque armario clausa :

2 Actum Ameriæ in dicta venerabili sacristia dictæ venerabilis cathedralis ecclesiæ S. Firminæ, præsentibus ibidem audientibus et intelligentibus admodum RR. DD. Julio Ghiringhello magistro cæremoniarum, et Christophoro Varatio capellano ejusdem cathedralis ecclesiæ, Amerinis, testibus ad prædicta habitis, vocatis et rogatis.

Acta conscripta.

Tenor autem donationis et attestationis instrumenti, de quo supra fit mentio, talis est, videlicet : *Hic inserta erant integra Acta Monasteriensia, quæ jam ante e tabulis Monasterio acceptis retulimus* ; *et quæ rursus in fine num.* 11 *recitantur in schedula descripta.*

Actis Monasteriensibus prælectis,

3 Eisdem anno, Indictione et Pontificatu, quibus supra; die vero VIII mensis Maii admodum R. P. Bonaventura de Rutheno prædicator
C Capucinus provinciæ Rhenanæ, una cum admodum venerabili P. Josepho Maria Perusino prædicatore socio Romano, reversus Ameriam, egit cum illustrissimo et reverendissimo ejusdem episcopo, de modo, diebus, et horis resignationis sanctarum Reliquiarum S. Liborii episcopi Cenomanensis, Patroni Paderbornensis, et institutione processionis cum eisdem; conventumque inter ipsos fuerit, dictas reliquias undecimo Maii resignare, et processionem cum eisdem sequenti die duodecima Maii.

VIII Maii 1647 deliberatur de translatione,

4 Undecima igitur dicti mensis die post vesperas prædictus pater cum suo socio ad episcopalem aulam civitatis Ameriæ se contulit : ex qua paulo post prodiit illustrissimus et reverendissimus dominus Gaudentius Polus, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Amerinus, rochetto indutus, comitatus a perillustri et reverendissimo domino Delio Vectio, protonotario Apostolico, et vicario generali, nec non ab illustrissimis DD. Carolo Mandosio, Martio Boccarino, Campeggio Carleno, et Jacobo Moricono, ancianis illustrissimæ civitatis Ameriæ, et antedicto P. Bonaventura cum suo socio Capucinis, multisque aliis Amerinis, ad cathedralem ecclesiam S. Firminæ, exspectatus in ea a perillustribus et admodum RR. DD. capitularibus et canonicis ejusdem, videlicet : Nicolao Racano priore, Joanne Vincentio Mandosio præposito, Augustino Carleno, Claudio Picioto, Petro Carleno, Hieronymo Roscio, Curtio Mandosio, Fabiano Zucchante, Petro Venturello, Joanne Baptista Sandro, Josepho Venturello, Petro Francisco Racano, et Dominico Petruccio, superpelliceis indutis. In ecclesiæ ingressu porrectum fuit a præfato priore illustrissimo et reverendissimo domino episcopo aspergillum cum aqua lustrali, qua se primum, deinde dominos canonicos, ancianos, Capucinos, aliosque Amerinos aspersit ; statimque ad altare Venerabilis accessit, et facta aliquantisper flexis poplitibus oratione, cum comitatu, et exspectantibus sacrarium intravit, in cujus medio ampla mensa stabat pro paramentis celebrantium ; ad latus vero ante armarium, in quo decimoquinto die Martii currentis anni sigillata pyxis cum sacris reliquiis S. Liborii deposita fuerat; necnon existentibus sex candelabris, totidemque candidis ardentibus cereis, ad illam ductis omnibus in gyro. datisque patri Bonaventuræ Capucino clavibus duabus dicti armarii ; detulit et admodum reverendus dominus Julius Ghiringhellus cæremoniarum magister stolas duas, primam illustrissimo et reverendissimo D. episcopo, alteram P. Bonaventuræ, quibus collo appensis, hic duo candelabra cum suis cereis ex minori mensa sublata, in ampla ante illum deposuit, statimque se ad præfatum armarium convertit, ad cujus latus oratio ad S. Liborium contra morbum calculi affixa erat : illud clavibus ipsis aperuit, et inde sacrarum reliquiarum custodiam ablatam, in ampla mensa inter duo illa candelabra ac illustrissimum et reverendissimum D. episcopum, in sacculo coloris cinericei, novem sigillis ex rubra cera Hispanica, decimoquinto Martii consignato, reverenter reposuit : lectoque eodem die confecto depositionis instrumento, ostendit omnia illa sigilla adhuc integra, quæ illustrissimus et reverendissimus D. episcopus mox aperuit, et P. Bonaventura Capucinus, detracto illo sacculo stamineo, illico pyxidem ex utraque parte aperiens extraxit, variegatam, rotundam, vitta coccinea circumligata, capsulam, signatam sigillis decem, superius in rubra cera serenissimi electoris Coloniensis, episcopi Paderbornensis; inferius viridi cera Hispanica S. Liborii, Theodori a Recke Paderbornensis cathedralis præpositi, Gasparis Philippi a Ketteler decani, Joannis Guilielmi Baronis a Zyntfigh cantoris et cellerarii, Adolphi Henrici Droste præpositi Monasteriensis cathedralis, Arnoldi de Vittinghoff condicti Schelle, præpositi ad S. Mauritium, Adolphi Henrici Droste junioris, canonicorum Paderbornensis Cathedralis, abbatis Carleni : eamque illustrissimo et reverendissimo D. episcopo aperiendam in manus tradidit. Qui relictis illis decem sigillis integris octo in locis, partim forficibus, partim cultello incidit, F. Bonaventuræ Capucino adproducendas inde reliquias reddidit. Qui ablato operculo

XI Maii in solenni conventu canonicorum et magistratuum Amerinorum,

EX MS.

E

F

aperta ab episcopo capsula :

EX MS

operculo inde extraxit : primum, tres S. Liborii imagines chartæ impressas ; secundo, schedulam, ex qua clare legitur, contentas in illa capsula reliquias, esse vere S. Liborii, sibi anno MDCXLVI, die nona Junii Monasterii Westphaliæ traditas, fideliter Ameriam transferendas ; tertio, supra rubrum pannum sericeum explicatum ostendit duas sacrarum reliquiarum partes, unam cranii, alteram tibiæ, quas illustrissimus et reverendissimus D. episcopus, canonici, anciani, Capucini, aliique præsentes, in genua provoluti, et pectora tundentes, debito honore affecerunt ; levatis vero sursum omnibus, illustrissimus et reverendissimus D. episcopus exosculatus fuit. Moxque reliquiarium ex nigro ebeno in modum altaris affabre factum, cum pede, quo stare possit, latum vero et altum duobus cum dimidio pedibus, ornatum duabus columnis marmoreis, cruce deaurata superius ac aliis ex argenteo, et ex deaurato ornamentis, a parte posteriore aperiens, eduxit inde capsulam, duo ovalia cava continentem, quorum fundus erat rubro ex serico aureo B intertexto; his sanctas reliquias imposuit, partem cranii superiori, tibiæ inferiori glutine ad id parato agglutinans, ne devadant.

prolatæ reliquiæ,

mox reliquiario novo inclusæ,

dataque præsentibus benedictione,

5 Hoc facto sacras reliquias pluribus S. Liborii imaginibus, plurimisque rosariis tetigit : deinde plurium, genibus flexis id petentium, capitibus imposuit, dicens : Per intercessionem S. Liborii liberet te Deus a malo. Demum reliquiario imposuit vitrum, et capsulam cum reliquiis, sicque tabella conglutinata occlusit, ut deinceps aperiri non possit. His ita peractis, et in circumstantes ducentis et quinquaginta S. Liborii distributis imaginibus, quæ ejusdem reliquias tetigerant sacras, P. Bonaventura Capucinus supradictam pyxidem, cum decem sigillis signata illa capsula attestationis, donationis, concessionis, traditionis instrumento et schedula, capitulo et canonicis tradidit in perpetuam rei memoriam conservanda, reliquiasque traditas, in loco decenti collocandas ac debito honore commendavit, quas tandem ab illustrissimo et reverendissimo D. episcopo in facta ad id cistella cum reliquia- C rio depositas acceptavit memoratus Prior, et ex sacrario per ecclesiam, præcedentibus duabus ardentibus facibus cereis, totidemque, sequentibus vero illustrissimo et reverendissimo D. episcopo, canonicis, ancianis, Capucinis, ceterisque præsentibus Amerinis, ad sacellum sanctissimi rosarii delatas, in armario a sinistris ejusdem reposuit : quod ipsemet illustrissimus et reverendissimus D. episcopus tribus clavibus clausit, easque P. Bonaventuræ Capucino in crastinum custodiendas concredidit, qui ipsum comitantibus ceteris ad aulam suam conduxit, et accepta benedictione cum suo socio abivit.

et imaginibus,

in armario depositæ :

XII Maii ad PP. Conventualium ecclesiam delatæ :

6 Sed postera die, quæ erat XII Maii, et Dominica tertia post Pascha, rursum ante Vesperas tam ipse pater Bonaventura cum suo socio, quam DD. canonici cum pluribus presbyteris, clericis, religiosis, personatis angelis, gubernatore, ancianis, nobilibus civibus Amerinis, et externis, in episcopali aula comparebant : cumque inde illustrissimum et reverendissimum D. episcopum ad cathedralem ecclesiam sequerentur, Vesperas aut decantaturi aut audituri ; ipse accepta ab eodem benedictione, sese una cum D socio, et admodum RR. DD. Ægidio Delphino, et Petro Leonino, ad supradictum sacelli armarium conferens, eo aperto inde sublatam cistellam cum reliquiario ac reliquiis ad ecclesiam S. Francisci conventualem deferebat.

post vesperas eo instituta supplicatio ;

7 Finitis interim Vesperis, et congregatis in cathedrali illustrissimo et reverendissimo D. episcopo, canonicis, presbyteris, clericis, religiosis, gubernatore, ancianis, nobilibus, confraternitatibus, utriusque sexus hominibus, solennis processio ex eadem ad S. Francisci conventualem hoc ordine instituta fuit : præcedebant in sacris cum vexillis et crucibus confraternitatis, societas venerabilis Sacramenti, mortis, Sanctorum Joannis et Pauli, decollationis S. Joannis Baptistæ sub titulo misericordiæ, S. Sebastiani, S. Rochi, S. Augustini, S. Francisci, S. Firminæ. Sequebantur primo religiosi cum crucibus et vexillis RR. PP. Capucini, Eremitæ S. Augustini Discalceati, Observantes de familia, Observantes reformati, Eremitæ S. Augustini Calceati, Minoritæ conventuales, Somaschi, deinde E clerici, presbyteri, musici et canonici, postremo illustrissimus et reverendissimus D. episcopus, quem præcedebant duodecim personati angeli, admodum RR. DD. Julius Ghiringhellus magister cæremoniarum, et Hieronymus Douarellus, induti superpelliceis, comitabantur Joannes Vincentius Mandosius præpositus cum dalmatica, et Claudius Piciotus canonicus cum tunicella : sequebantur Dominicus Studiosus, Nicolaus Santes illustrissimi et reverendissimi D. episcopi capellanus ipsius, illustrissimus D. Gubernator Josephus Brianza, anciani, nobiles, cives et utriusque sexus innumeri fideles.

indeque solenniter,

8 Ubi ad ecclesiam Conventualium perventum erat, et illustrissimus et reverendissimus D. episcopus sacristiam se vestiturus intravit ; illico P. Bonaventura Capucinus stola indutus, reliquiarium cum sacris reliquiis, præcedentibus duabus ardentibus facibus candidis, inde efferens, in medio summi altaris deponebat : quo illustrissimus et reverendissimus D. episcopus paulo post in pontificalibus sequens, sacris reliquiis debitos thuris honores solvebat, et ante illas ge- F nibus flexis orabat, donec a musicis : CHRISTI PRÆSUL EGREGIUS, ter ad finem usque decantatum esset. Interim præter allatas a piis fidelibus, aliæ plures faces, et plurimi cerei candidi inter clerum, angelos, religiosos et primarios distribuebantur : quibus accensis, et data ab illustrissimo et reverendissimo D. episcopo benedictione cum sacris reliquiis, processum fuit ex hac ecclesia eo ordine, quo ad eam deventum, per septem alias : S. Elisabethæ, S. Monicæ, S. Augustini, S. Magni, S. Stephani, S. Catharinæ, S. Joannis Evangelistæ, ad novam cathedralem S. Firminæ. In singulis illis ecclesiis illustrissimus et reverendissimus D. episcopus sacras reliquias, solus eas circumferens, in summo altari depositas adolevit ; et decantato a musicis : CHRISTI PRÆSUL EGREGIUS, benedictionem cum iisdem dedit. Per plateas musici sacris reliquiis continuo : CHRISTI PRÆSUL EGREGIUS, præibant. Summi pontificis præsidiarii milites easdem sæpius diversis in locis, bombardarum explosione, consa-

per varias ecclesias,

ad cathedralem ;

A *cœlo insperate serenato:* consalutabant: et triste cœlum, quod antequam processionem inchoabant, imbres depluebat, jam effectum lætius, sic omnes continuit, quod nulla gutta processionem turbaverit.

ibi iterum reconditæ: 9 Cum processio ad cathedralem reversa fuisset, illustrissimus et reverendissimus D. episcopus, facta incensatione sacris reliquiis, eas in summo altari reliquit, abiit. Tunc pater Bonaventura Capucinus accedens, innumeris rosariis reliquiarium tetigit: illud tandem in capsellam suam supposuit, et postquam illam plurimorum utriusque sexus devotorum capitibus imposuisset, ad armarium suum, in sacello sanctissimi Rosarii, præcedentibus luminaribus, retulit: eoque clauso, unam clavem illustrissimo et reverendissimo D. episcopo, alteram archidiacono, tertiam Augustino Carleno custodiendam reliquit.

Acta utriusque diei. 10 Acta sunt die decima in ecclesia S. Firminæ, ejusque sacristia, præsentibus, audientibus et intelligentibus perillustribus DD. abbate Paulo Sandro, Mario Archilegio V. I. D., Marco Aurelio Mandosio V. I. D., capitaneo Romulo Cerichello, Nicolao Archilegio, et Carolo Morello; B et die duodecima præsentibus Julio Ghiringhello magistro cæremoniarum, et Hieronymo Douarello Amerinis testibus.

Testimonium capsulæ inclusum. 11 Tenor autem supradictæ schedulæ de qua fit mentio supra, talis est, videlicet: In nomine Domini ad honorem sui Sancti: hæ sunt veræ duæ partes, una cranii, altera tibiæ, sacrarum reliquiarum gloriosi S. Liborii episcopi Cenomanensis, patroni Paderbornensis, quas ad instantiam venerabilis P. F. Bonaventuræ de Rutheno prædicatoris Capucini, et de licentia serenissimi electoris Coloniensis, episcopi Paderbornensis, dederunt et tradiderunt, una cum attestationis instrumento, reverendissimi DD. Capitulares cathedralis ecclesiæ Paderbornensis, illustrissimo et reverendissimo D. Peregrino Carleno Amerino, abbati B. Mariæ, ex ipsa tumba dicti Sancti ad altare summum in cathedrali ecclesia Monasterii Westphaliæ, præsente dicto patre, ubi ob bellorum pericula conservantur, transferendæ per eumdem patrem Ameriam in Umbria pro cathedrali ibidem ecclesia anno Domini MDCXLV, C die nona Junii.

Notarii attestatio. 12 Ego Benedictus Flametta de Ameria, publicus Dei gratia, apostolica auctoritate notarius, et pro archivio Romanæ curiæ descriptus; et ad præsens curiæ episcopalis Amerinæ notarius et cancellarius de præmissis rogatus fui, et in fidem hic me subscripsi, et publicavi, ac solito meo signo requisitus signavi.

ANNOTATA.

a *Is est Peregrinus Carlenus abbas B. Mariæ Amerinæ de quo sæpius supra, cujus imprimis rogatu, uti in Præfatione Commentarii historici præmonuimus, Acta S. Liborii seorsim et ante diem ipsi sacrum, typis vulgamus.*

EX MS.

DOLOR CALCULI

Ope sancti Liborii sedatus.

Ameriæ annis MDCXLVII et MDCXLIIX.

Romulus Cerichellus gravi et diuturno calculi dolore, Geminum lubet attexere S. Liborii *beneficium, ipsorum, qui id percepere, narratione testatum; alterius etiam, quod me penes est, chirographo. Est hic Romulus Cerichellus, centurio Amerinus, vir genere clarus cumprimis et honoratus. Is ad abbatem Carlenum, veterem amicum et consanguineum suum, Ameria* XXV *Aprilis* MDCXLVIII, *ita scribit:* Octo annis gravi et assiduo vesicæ conflictatus sum morbo, ut postremis quatuor numquam nisi ardente intra cubiculum lucerna somnum ceperim. Urina sæpe cruenta, fœda semper, itaque mordens, ut expellere eam, quamvis creberrime cieretur, nequirem, quin tota corpore E sudor manaret. Jam nec equo vehi, nec laborem ferre ullum, exercitationemque corporis poteram. Nulla cibi erat appetentia, virium imbecillitas summa: neque hæc quiete relevari satis poterat, cum eam identidem urinæ cupiditas difficultasque excuteret. Illud tandem sedit animo consilium, ut exscindi mihi calculum, qui indubitata horum dolorum origo esset, curarem Romamque ea causa eram ante biennium profectus. Sed absterruerunt isthic amici, negantes ei remedio opportunam adeo jam provectam ætatem meam videri.

2 Dum his discrucior doloribus curisque, allatus Ameriam est cœlestis ille thesaurus, abs te, *per S. Liborii reliquias, liberatur;* ad patriæ nostræ salutem, peregre obtentus, S. Liborii venerabiles reliquiæ. Has mihi admovit episcopus noster; et pii quidam homines pro mea incolumitate preces votaque concepere. Post solennem supplicationem Maio superiore institutam, qua sacræ translatæ reliquiæ sunt, quando S. Liborii opem quanto potui sensu pietatis imploravi, nihil ad hanc usque diem pristini doloris F expertus sum, ac modo percommoda utor valetudine: ob quam immensas Deo laudes, sanctoque ejus confessori Liborio debeo; tibique grates, illustrissime domine, cujus studio hunc adepti thesaurum sumus. *Ista Romulus: qui deinde authenticas tabulas, publici tabellionis opera confici curavit* V *Junii* 1648, *suo ac Caroli Boccarini, Joannis Caroli Cerichelli, Claudii Delphini, Jacobi Moriconi chirographo, ancianorumque Amerinorum auctoritate firmatas.*

3 *Joannes Clementinus, et ipse nobilis Amerinus, inque militia pontificia turmæ equitum ductor,* *et Joannes Clementinus,* *cum hoc anno* 1648, *sub initium veris, acutissimis calculi doloribus urgeretur, humanis omnibus remediis frustra tentatis, ad cœlestia animum vertit, ac ferventer* S. Liborium *precatus, ad Augustinum Carlenum, summæ ædis canonicum, e domesticis quempiam allegat, qui ad se mitti oret ejus Divi imaginem, impressam in rubra bysso, qua involutæ reliquiæ fuerant, cum Monasterio Ameriam apportarentur. Hanc ad se allatam effigiem summa reverentia*

EX MS. per imaginem, sacratam reliquiarum contactu.

verentia et pietate accepit ; vixque tantillo elapso spatio, quo bis posset psalmus Miserere percurri, duos ejicit prægrandes calculos, absque ullo plane doloris sensu. Mox e lecto surrexit sanus ac hilaris, templum adiit, vulgavit ipsemet tota urbe miraculum, ita enim acceptum cœlitus beneficium vocat.

Protestatio auctoris.

4 *Eventum hoc utrumque, quia necdum mihi constat, an sit ecclesiæ auctoritate probatum, non aliter hic recito, quam ut duorum nobilium et gravium virorum testimonium, qui se ægritudinis allevamentum et suppliciter petiisse a* S. Liborio, *et impetrasse profitentur : neutiquam, quod Urbani VIII Pontificis Maximi decretis vetitum est, ut verum miraculum, prædico donec ita fuerit, re discussa, ab iis quorum id munus est, pronuntiatum. Quæ cautio in ceteris quoque ut valeat, postulo, si quæ hoc libello tradantur nova, nec adhuc legitime examinata et approbata,* S. Liborii *beneficia ; ut tantisper nonnisi humanæ historiæ fidem pondusque obtineant.. At neque dum aliena profero scripta, si cuipiam dignationis honorisve titulus tribuitur, qui censeatur haud convenire, id mihi imputari* B *æquum est. Quod enim ipse nulla ratione affirmo, ejus in me derivari, si qua erit, invidia non debet.*

HYMNI ANTIQUI AD S. LIBORIUM.

I

In membrana descriptus, affixa tabellæ appensæ in choro cathedralis ecclesiæ Paderbornensis, juxta summum altare, in sedibus ad cornu epistolæ.

S. Liborii labores,

O Libori, confessor Christi, sobrie sancteque vixisti :
Tu in humanis cum egisti, vitam bonam assumpsisti :
Una harum erat activa, reliqua contemplativa ;
C Unde hæc virtus contentiva, in corde tuo durativa,
A te fecit operarium, fidelemque carpentarium,
Ac nobile vas vinarium. Quare diurnum denarium
Tu in vinea acceptasti Dei, quem sincere amasti :
Horas undecim laborasti, frigus æstusque portasti.
Talentum tibi destinatum per Verbum Dei incarnatum
Non tenuisti occultatum, sed reddidisti duplicatum ;
In verbo Dei proferendo, tuosque subditos docendo,
Viam veritatis tenendo, et ab ea non avertendo,
Sua peccata propalare, et de cetero non amare,
In factis bonis insudare, fratrem suum numquam turbare.
Ecclesiarum servitores, habentes probatos mores,
Quosdam ad ordines minores, magis dignos ad altiores
D Ex tunc dedicasti promotos ; insufficientes ignotos,
Et conscientia non lotos, a te sprevisti ut amotos.
Lux tua palam sic lucebat, ac in hominibus pollebat,
Cur eis merito licebat, Patrem de cœlis, qui regebat
Opus tuum, glorificari : nam studuisti coarctari
Lumbos tuos, nec inquinari, sed stricto cingulo ligari
Continuæ continentiæ. Sic spiritu sapientiæ, *virtutes ;*
Timoris et patientiæ vixisti, et innocentiæ.
Deinde ad secularia tuæ domus necessaria,
Summa et particularia complesti opera varia.
Post ab omnipotenti Deo, pro vero anno jubilæo,
Assignato tibi ab eo, quod et statuit Lex Judæo,
Qui quinquagesimus fuerat, episcopatus duraverat
Tuus, sic Christus impleverat vitam tuam quam amaverat.
Tunc ab hac luce te amovit, fidelissimumque cognovit,
Ad miracula tibi vovit, per te facienda promovit.
Attamen prius visitatus, ac post egressum tui flatus E
A Martino es humatus *a*, de tua morte tribulatus. *a*
Corpore tuo sublevato, suavissimo odore dato, *sepultura,*
Dæmoniaco liberato, de corpore obsesso fugato,
Legati qui missi fuerunt, Cenomanicos petiverunt :
Qui eumdem assensum dederunt, et tuum corpus obtulerunt,
Ut ad ecclesiam portarent, in Paderborna præsentarent, *translatio,*
Honorifice collocarent, ac fidelissime amarent.
In via tu Dei amator, bonorum meorum inspirator,
Fuisti *b* trium suscitator mortuorum, ac liberator *b*
Paralyticis, guttosis, mutis, surdis ac calculosis, *in hac miracula.*
Maniacis atque leprosis, claudis, cæcis, et scabiosis :
Hisque omnibus sic ægrotis, Christo atque tibi devotis
Subvenisti. Fide promotis Catholica, nobis tibi votis, F
O Libori, dignare tamen tuum verum dare solamen,
Nostrumque fieri tutamen, quod præstet nobis Christus. Amen.
℣. Ora pro nobis, S. Libori.
℟. Ut digni efficiamur, *etc.*

Oratio. Adesto, Domine, precibus nostris, quas in sancti Confessoris tui atque pontificis Liborii commemoratione deferimus ; ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus et meritis adjuvemur.

ANNOTATA.

a *Vel deest aliquid, vel hæc male dispuncta.*

b *Idem ode quinta confirmat. Mirum id ab auctore Saxone, qui Vitam et translationem ante* 750 *annos scripsit, non tradi : nisi post illius ævum acciderit.*

II

A

II

Ex eadem tabula.

S. Liborius clarus miraculis,

Felix Præsul, o Libori,
Stirpe natus meliori,
Luxus mundi refutasti,
Genus tuum adornasti
Ubertate ad virtutum
Claruisti Christi nutum :
Visus inopum amator,
Et Sanctorum imitator,
Castus, largus, et benignus,
Omni laude mundi dignus,
Ob hoc Deus dedit tibi
Dona sacra hic et ibi :
Multa mira per te fecit,
Ab obsessis sordes jecit,
Mutos, surdos tu curasti,
B Cæcis visum reformasti,
Colicæ tu sanas curas,
Aufers calculi torturas.
præsertim curatione calculi, ad pium statum juvat :
Qui et prece fortunatus
Promoves piorum status,
Hos ad sancta convocando
Vales consequi precando.
Hinc in bonum meum statum
Aptes ipsum Deum gratum :
Me virtutum claritate
Frui fac, et sospitate ;
Ut procedat hinc laus Deo,
Ac profectus mihi reo.
Quod sum, tuum in exemplum,
Da me fore Dei templum :
Sua servem ut mandata,
Vitem mortis et peccata.
Precor supplex te, Libori,
Me dispone sancte mori :
Ut post istum finem ita
Queam in cœlesti vita
Deum verum collaudare,
Gaudiis et abundare. Amen.

C ℣. Ora pro nobis, S. Libori.
℟. Ut digni efficiamur, *etc.*

Deus, qui populo tuo æternæ salutis B. Liborium ministrum tribuisti : quæsumus, ut quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem semper mereamur habere in cœlis. Per Dominum.

III

Ex eadem tabula.

mysticis pontificum insignibus ornatus :

Devota præsens concio
Pio plaudat Liborio,
Sacro cum tripudio :
Sacer Clerus cum populo,
Una sexu fœmineo
Exultet devotio.
Flos surgit nobilissimus,
Sacris plenus virtutibus
Primas Cenomanicus ;
Unctus oleo Spiritus
Suis præ participibus,
Pontifex Liborius.
In caput ejus cidaris, *Ex MS.*
Corpusque ornat poderis,
Dum cœlica dat jura.
Pedes sacri sandaliis
Astricti, femora lineis,
Sub mystica figura.
Ingressus tabernaculum,
Conciliavit populum
Summo cœlorum Regi.
In sermone verbi sacri
Factus pastor populi,
Lumen quod dedit legi.
Hinc conviva factus Christi,
Azyma vetus projecisti
Paschalibus epulis.
Jocundare, Sancte Dei :
Miserere tuo gregi
Tuis in deliciis.
Nutantes mente erige,
Adversantes tuis preme,
Et da tempus placidum.
Reatus nostros dilue,
Iram divinam remove, E
Da felicem transitum.
Juva vota humilium,
Terge fletus fidelium,
Da cunctis solatium.
Jesu Rex regum omnium,
Fac nos post hoc exilium
Habere Liborium. Amen.

℣. Amavit eum Dominum et ornavit eum.
℟. Stolam gloriæ, *etc.*

Benedic, Domine, populum tuum tua dextera supplicantem, et beati Liborii confessoris tui atque pontificis suffragantibus meritis, ab omni adversitate defende. Per Dominum.

IV.

Ex veteri Breviario Moguntino.

Eia jubilemus Deo, *nobilis,*
Cum concentu jubilæo,
Cum affectu cordium.
Delectetur laus in eo,
Qui mirifico tropæo F
Donavit Liborium.
Stirps elongans et præclara,
Mundo grata, Deo cara,
Protulit hunc seculo.
Sed excessit genus clarum,
Tamquam sol jubar stellarum,
Fide, morum speculo ;
Nil ultra potens natura *sanctus,*
Transcendit creandi jura,
Talem creans puerum.
Ætas in quo tenera
Vilipendit scelera,
Contemplatrix operum.
Mundo placens adolescens,
Flos virtutum, fructus crescens,
Dedit philosophicis
Disciplinis operam ; *discendi avidus,*
Nec mens egit perperam,
Imbuta magnificis.
Lux honestæ claritatis,
Sedis gemma sanctitatis
Addit pontificio.

Non

EX MS.

Non remissus, non elatus,
Deifice præsulatus
Præsedit officio.
Non sunt linguæ tam facundæ,
Quæ depromerent abunde
Ejus beneficia.
clarus miraculis in vitu, et in translatione,
Nam quantorum meritorum
Sit, crebra miraculorum
Declarant indicia.
Annis postquam quadragenis
Præsul vixit et novenis
Ubi Cenomanicæ,
A Martino visitatus,
Est humatus, æternatus
Hierarchiæ cœlicæ
O Pontificem beatum!
Cujus corpus elevatum
De concluso tumulo
Passim diffundit odorem
Aromatis suaviorem,
Circumfuso populo.
Hinc locandus dum purgatur,
Dæmoniacus curatur :
B
Mulier erigitur
Incurvata per naturam :
Surdus atque mutus curam
Puer adipiscitur :
Virgo tribus pœnis data,
Per dæmonium vexata,
Surda, muta, tot curata
Gaudet doloribus.
Cæca lumen oculorum
Sumit curam languidorum,
Quique multis afflictorum
Corpora languoribus.
ac postea,
Præter tot et plurimorum
Ostenta miraculorum,
Temporibus modernorum
Signis evidentibus
præsertim curatione calculi :
Claret per morborum curas :
Aufert calculi torturas,
Infortunia, pressuras,
Sibi se voventibus.
Sis Libori tu patrone,
Salutaris, fide, bone,
C
Sta pro tua cautione,
Nos in gratiam dispone,
Cassa quæque noxia,
Hostium seda furores,
Corporum sana languores,
Animabus da nitores,
Posce mundi post mœrores
Cœli nobis gaudia.

V.

ODE SAPPHICA

F. M. de Giessun. a *ex eadem tabula Paderbornensi.*

Purpura sacræ decorantur aræ
Cerei flammas nutriunt perennes,
Divitum fulgent pretiosa sacro
Munera templo
Hostias mecum tenues egenus
Luc. 21, 2
Affero, et donum viduæ celebris
Infero ad sacram exiguum Libori
Præsulis aram.

Sapphicis laudes patriæ Patrono D
Versibus dicam, referamque digno,
Impari quamvis, celebrem piumque
Carmine Patrem.
Quis tuis æquos meritis honores,
Quis tuæ dicet veneranda vitæ
Laudibus dignis opera et labores,
Sancte Libori ?
Lac puer primum sophiæ imbibisti : *Liborius studet :*
Post vigil sacros legis et pererras
Codices, jungens gelidæ diebus
Tempora noctis.
Stirpe de clara satus, impudicos
Reprimis motus scelerum : superbas *sancte et caste vivit :*
Seculi pompas, genus, arva, et omnes
Spernis honores.
Conjugis spernis thalamos : orexin
Edomas ventris rabidam : labore
Atteris carnem nimio, rebellem
Ne patiaris.
Te sacro hæc virtus tua præsulatu *fit episcopus :*
Fecerat dignum : populus se habenas
Præsulis digno tibi Cenomanus E
Credere gaudet.
Inde nil sueti minuens rigoris,
Acrius carnem maceras : superni
Pervigil pulsas prece crebriori
Judicis aures.
Pontifex verbo populos salubri *prædicat :*
Dæmonis vitare mones cruenti
Noxias fraudes : iter ad superna
Gaudia pandis.
Quinquies denum ingrediens Decembrem
Pontifex, morbo moriturus acri
Carperis : diræ Lachesis sorores *moritur*
Stamina rumpunt.
Liberum a culpis, meritis opimum
Spiritum, lapsi tenues per auras
Angeli, dulces modulos canentes,
Æthere sistunt.
Sacra thesaurus tua gloriosus *transfertur :*
Ossa ut ad externam ierant ferenda
Saxonum gentem, Paderæ propinqua
Quæ tenet arva ;
Mira per sacros cineres peregit,
Plurimum ut monstret Deus esse dignum F
Te, suam cui Westphali salutem
Credere possent. *multa facit miracula :*
Dæmones aulæ stygiæ superbi
Principes, membris hominum manentes,
Horrida mentem furia moventes,
Ejiciuntur.
Qui sibi lumen doluere ademptum,
Lucidos solis radios videre,
Impotes, te dum rogitant, receptant
Luminis usum.
Clamat, et laudes Domino sonoras
Reddit, et voces super astra tollit,
Ægra cui natura prius ligarat
Organa vocis.
Tibiæ arentes superinduuntur
Carne vivaci, saliuntque claudi,
Membra contractis proprios ad usus
Restituuntur.
Impium fati imperium potentis *mortuum suscitat :*
Flectitur, cæco revocatur umbra
Carcere, et vitæ gelidum cadaver
Munere donat.

Surdus

A

Surdus insuetas hominum loquelas
Audit, ut fida prece sospitatem
Postulat sancti gemitu silenti ad
Præsulis aram.

tempestatem sedat :

Ossa præcelso veneranda postquam
Condidit templo populus, deesse
Artubus numquam voluit sacratis
Cœlica virtus.

b

b Nauta disjectus pelagi per undas,
Expavens mortis faciem cruentæ,
Dum tuam deposcit opem, resedit
Sæva procella.

captivos liberat :

Ferreæ strinxere alios catenæ,
Compedes torsere alios, periclo,
Te duce, elapsi, hoc sua collocarunt
c Vincula templo.

c

curat calculum.

Calculi dirum et colicæ dolorem
Lenis : infirmus prece si fideli
Postulet, cunctos potis es nocentes
Pellere morbos.

Ante sol condet roseas quadrigas
Æquore, et noctis tenebræ redibunt ;
B
Mira quam possint, quibus es coruscans,
Cuncta referri.

Auctor eum invocat.

Ergo te cleri veneranda turba
Supplici devota rogat precatu,
Prospero pergat, duce te, ad superna
Gaudia cursu.

Te patres cani, tremulæque matres,
Conjuges castæ, pueri et puellæ,
Poplite in terram posito, Libori
Sancte, precantur.

Nos ab excelso aspiciens Olympo,
Corporis morbos, animæque pestes,
Et famem avertas subitamque mortem et
Bella precamur.

Da probos mores teneræ juventæ,
Da senectuti placida quiete
Perfrui, et nos post sera fata, cœli
Transfer ad arcem.

Tu Paderbornis nimium beata,
Dum tuis servas veneranda templis
Sacra, dum justo cumulas honore
Ossa Libori,
C
Gloria vincis bimarem Corinthum,
Niniven grandem superas honore :
Reblatha insignis tibi cedit, ultro
Regia Memphis.

Paderbornenses monet.

Improbis iras superum potentes
Actibus noli cumulare demens ;
Ne flagellari mage quam juvari
Digna proberis.

ANNOTATA.

a *Quando is vixerit, patet ex sequenti epigrammate, ubi Kersenbrockii Buschiique meminit.*

b *Pendet etiamnum e medio templi fornice navis et cetus, ab iis qui naufragium evaserant, posita anathemata : quæ quod ante Virginis Dolorosæ (ut vocant) statuam sint, illi a quibusdam tribuuntur.*

c *Aliqua adhuc in choro appensa visuntur : plura fuere ante Christiani Brunswicensis irruptionem.*

EX MS.

Ad Lectorem malevolum.

Desine verba malis in nos armata venenis
Fundere, nec telis carmina nostra pete.
Nos tenues humili canimus sermone camœnas :
Non sunt *a* Tedigenæ aut *b* Buschia plectra mihi *a b*
Scripta *c* Palatino tua si Jove digna putaris, *c*
Nostra Liborina carmina laude beo.
Doctus si undosum potis es navare per æquor,
In modico ludat nostra carina vado.

ANNOTATA.

a *Hermannus Kersenbrock, aliis Kersenbergh dictus, Monasterii superiore seculo ludimagister, historiam Anabaptisticam, sive bellum Monasteriense, eleganter et accurate descripsit.* Tedigenam *vocat Giessunus, quia cognomen ejus* Kersenbroeck, *quasi* candelæ paludem *sonat, vel* Kersenbergh, candelæ montem. *Rectius forte* Cerasorum palus, monsve *verteretur : Kerse enim Teutonice cerasum significat, Keersse candelam.* E

b *Hermannus Buschius Pasiphilus, Dulmaniensis ex diœcesi Monasteriensi, multa carmine scripsit ac soluta oratione, et Catholicus, et postquam ab ecclesia defecit ; quæ recenset Gesnerus.*

c *Alludit, opinor, ad Buschii* Hypanticon, *Georgio Spirensi episcopo, Philippi electoris Palatini filio, dicatum, quo solennem ejus in Spiram urbem introitum celebrat. Exstinctus est Georgius sudore Anglico, ut tunc insolitus plane morbus appellabatur,* 27 *Septembris anno Christi* 1529, *cum episcopatum administrasset annos* 16, *uti Eysengreinius in Chronico Spirensi testatur.*

VI.

Epigrammata quinque de S. Liborio calculi dolores curante, ab N. N. S. J. composita.

I.

Præsens laudis argumentum. F

Angitur horrificis pressus cruciatibus æger,
Cui læsa inclusus calculus exta premit.
Pharmaca mille bibit ; sunt pharmaca mille dolores :
Nulla datur requies : mors erit una quies.
Ast imploranti extemplo Liborius adstat :
Excutiturque dolor, discutiturque lapis.
Est tua jam virtus albo signanda lapillo,
Quem tibi tam mira laudibus arte paras.

II.

Ornamenta omnium nobilissima.

Lux alios tumulos pretiosi marmoris ornet,
Et tessellatum conficiatur opus :
Mille lapillorum fœcunda corona nitescat,
Contegat ex auro lamina utrumque latus.
Nam tua, Libori, fastigia sacra sepulcri
Condecorat pretio nobiliore lapis.
Scilicet illa maris genuere et viscera terræ
Dona, sed hæc homines parturiere tibi.

III.

EX MS.

III.

Morbis vis elusa.

Libori, primos hominum libabis honores,
Tam prona lacrymis si capis aure preces.
Quidnam in saxa juvat diras concrescere arenas,
Si nutu in laticem saxa liquata fluunt?
Postmodo mi liceat lapidescere, et exta rigere:
Liborii imperio desinet esse lapis.

IV.

Virtus cœlestis moræ impatiens.

Marmora in ignivomis candent liquefacta caminis:
Cuncta diuturno nam vorat ignis edax.
At subito hic cerno lapides marcescere fibris;
Arbor ut in cineres fulmine tacta cadit.
Ignea (quid mirum?) Libori, jussa parasti:
B Terrenus dio vincitur igne focus.

V.

Bene repensa virtus.

Pervigil antistes, quo cultu reddat honorem,
Excitat impense plurima templa Deo.
Mille ferunt animos dictis domuisse feroces,
Atque orco ereptos restituisse polo.
Multa tulit pietate Pater, sudavit et alsit,
Ut revocata solo sisteret una fides.
Qui duros vitiis mores emolliit ergo,
Hic bene duritiem perdere saxa jubet.

G. C.

ANALECTA

Ex instrumentis, quæ post præcedentem Bollandi commentarium historicum, anno 1648 editum, ad notitiam nostram pervenerunt.

C

§ I. Diversa opinio de anno, quo Sanctus obiit, et amica societas inter ecclesiam Cenomanicam et Paderbornensem.

Redditur ratio analectorum de S. Liborio,

Postquam Bollandus noster pleraque ad S. Liborium *spectantia operose collegisset, eaque ob causas in illius præfatione dictas separatim ante diem ipsi sacrum typis vulgasset, excitata est pia curiositas vel curiosa pietas quorumdam, qui novam de Sancto scribendi materiem suppeditarunt: aliqui enim hac occasione antiqua sancti Præsulis monumenta diligentius investigarunt, atque etiam pauca e tenebris eruerunt; alii vero illius cultum, antea multis locis fere ignotum, per plures Italiæ ac Belgii urbes propagarunt. Hinc prodierunt quædam opuscula, tum Belgice tum Italice conscripta, quæ posthumam Sancti gloriam non parvum illustrarunt. Cum tamen Operis nostri conditor Bollandus præcipua rerum gestarum capita ediderit, nolui eruditam ejus lucubrationem mutare, sed ea tantum addere volui, quæ postea accesserunt.* D

et proponitur varia opinio de anno, quo Sanctus obierit.

2 *Bollandus* § I *sui Commentarii historici juxta monumenta, quæ tunc habebat, satis probabiliter de morte* S. Liborii *disseruit, eamque non ultra annum* 383 *differendam putavit. At postea Mabillonius tomo* 3 *Analectorum edidit catalogum et gesta Cenomanensium episcoporum, quæ seculo* IX *collecta videntur. Hinc Papebrochius noster tomo* III *Junii a pag.* 856 *chronologicam eorumdem præsulum seriem ordinavit, et pag.* 859 *post explicatam trium antecessorum chronotaxin de* S. Liborii *ætate ita scribit:* Sanctus Liborius ordinatus CCCXLVII, VII Junii; sedit annos XLIX; obiit CCCXCVI, IX Junii; et colitur die translationis XXIII Julii. Vacavit sedes m. VII, d. IV. *Sed hoc systema Papebrochianum non caret suis difficultatibus, et ipsa instrumenta Cenomanensia scatent parachronismis, ut Papebrochius ibidem pag.* 858 *fatetur. Quare de hac diversa opinione lectorem tantummodo monendum censui, ejusque arbitrio relinquendum, ut post expensas utrimque rationes amplectatur sententiam, quæ verosimilior apparebit.*

E

Exhibetur epistola, hactenus desiderata,

3 *Deinde Bollandus* § IV *exhibuit responsoriam Cenomanorum epistolam*, anno Domini millesimo ducentesimo quinto, pridie Kalendas Octobris *ad Paderbornenses datam; at ibidem num.* 19 *fatetur, se non vidisse priorem Paderbornensium ad Cenomanos epistolam, quam Corvaserius quæstor primum anno* 1649 *ad ipsum transmisit. Ea autem desumpta est ex Ms. codice Cenomanico, qui vulgo vocatur* liber albus, *ubi a fol.* 41 *leguntur sequentia:* Reverendis et dilectis in Christo dominis fratribus et amicis, decano et capitulo Cenomanensi L. Dei gratia decanus et capitulum majoris ecclesiæ Paderburnensis perpetuam in Domino salutem, sinceram dilectionem, fidele obsequium, et devotas orationes. Si ad memoriam reducantur Ecclesiæ nascentis exordia, sicut inter credentes erat unitas in fide, in spiritu, in baptismo, sic etiam, facultatibus in unum contributis, unum erat omnium votum relevare pauperum indigentias, oppressis et injuste gravatis subvenire, alienas injurias proprias reputare.

qua capitulum Paderbornense,

4 Postmodum vero dum Deus in domibus civitatis regis magni, quæ fundata est exultatione universæ terræ, cœpit agnosci, plures ecclesiæ sic in unius corporis compage sunt unitæ, ut idem credant, idem sentiant, idem sperent, idem diligant, sociæ sint passionum et consolationum, et unius ecclesiæ desolatio in communem omnium ecclesiarum gemitum deducatur, sicut unius membri læsione membra corporis omnia quodam compassionis participio molestantur. Postquam vero vinea Domini extendit palmites ultra mare, et populus ignotus servire cœpit et obedire, ecclesiæ Galliæ et Germaniæ non ultima pars tunicæ Domini, quæ scissa non est, prædictam unitatem gratanter amplectentes, fraternæ et mutuæ charitatis sincera sese invicem obligarunt devotione: scilicet exemplo eorum, qui annuunt sociis de alia navi ut venirent et adjuvarent eos, illæ arctius et forte firmius quodam spiritalitatis fœdere sunt connexæ, quæ ob viciniam loci præsentia frequentius se possunt revisere, et sibi mutuo in necessitatibus, fideli consilio et opera diligenti subvenire, quin etiam mutuo se adhortari, et utrimque pro se possent pertinenter allegare: Diligamus nos non verbo F

neque

AUCTORE G. C.

A neque lingua, sed opere et veritate. Frequenter etenim amicitiæ vinculum subito rumpitur aut paulatim dissolvitur, dum quod ore promittimus, opere non exhibemus; quia non sufficit voluntas, ubi suppetit facultas, scriptum quippe est : Qui viderit fratrem suum necessitatem patientem, et clauserit viscera misericordiæ suæ ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ?

ob receptas olim S. Liborii reliquias,

5 Hæc omnia prudenter prævidens et solerter præcavens reverenda domina et charissima soror nostra Cenomanensis ecclesia, dum humilitatem nostram in catalogo fratrum suorum adscribere curavit, officia fraternitatis, quæ omni tempore seculi per multas vices nobis exhibere debuit, sed in alio regno constituta, impedientibus longis terrarum spatiis, minime potuit, una die large et liberaliter omnia simul exsolvit. Dum iis, quæ, Spiritu sancto revelante, Baduradus noster episcopus, inclytæ recordationis, cum interventu Ludovici imperatoris fiducialiter postulavit, beatus Aldricus cum tota Cenomania, eodem Spiritu persuadente, suum acclinavit assensum, B et pretiosum illum thesaurum, sacrosanctum videlicet inclyti et gloriosi sancti Liborii corpus, pio amore amplectendum, omnique cultu ecclesiastico et divinæ laudis officio semper honorandum, anno Domini octingentesimo trigesimo sexto nobis transmisit. Quo siquidem honorifice (sicut hodie intuentibus patet) in ecclesia nostra collocato, magnum et duplex beneficium collocatum est : nam curationes exterioris hominis, sanitatem interioris perfecerunt : fidelis enim Dominus in verbis suis pacta, quæ levi susurro suæ revelationis interposuit, immobili veritate servavit. Populus enim barbarus nuper ad fidem conversus frequentia signorum, quæ ad sacrosancta beati Liborii pignora ostensa sunt, sermone prædicatorum confirmante, non amplius ad idolorum culturam est relapsus, non ad patrios recidivavit errores, nec Paderburna postea insultus sustinuit paganorum. Ipsa siquidem Patroni sui meritis et precibus læta et gloriosa, quasi navis de boni gubernatoris arte secura, etsi in mari turbulento, intra scilicet Saxonicas et gentes durissimas, validum gravis persecutio- C nis ventum quandoque timuit et turbata nutavit, periculum tamen evasit et usque ad nos, qui heu ! merita patronorum nostrorum adæquare non possumus, et orationibus vestris adjuvari indigemus, subsidii temporalis et religionis augmentis profecit.

cum capitulo Cenomanensi

6 Pro hoc ergo tam incomparabili thesauro, pro tam glorioso eximiæ charitatis vestræ munere non quantas debemus, sed quantas possumus, gratias vobis agimus epistolæ præsentis alloquio, et semper agemus devoto interioris hominis obsequio. Verum et hoc, teste Deo, vobis dicimus quod si quando se præberet occasio, corpora et res mandato voluntatis vestræ exponendi, tam evidens, vobis nostræ devotionis argumentum faceremus, ut potius nobis competere diceretis illud Salomonis : Omni tempore diligit, qui amicus est; quam illud : Est amicus secundum tempus suum, et non permanet in die necessitatis. Insuper recens antiquæ sed non antiquatæ gratiæ vestræ indicium, quod inter ubera nostra commorabitur, speciali prosequimur gratiarum actione, gratissimum habentes, quod vos, sicut a bajulo litterarum vestrarum intelleximus, cathedram a nobis translatam cum intimo dolore cordis et magna amaritudine animæ vestræ audivistis, et ad hoc ipsum perquirendum, eum ad nos destinatis. Ad hoc universitati nostræ gaudii specialis materiam et æterna memoria dignam vestra sollicitudo ministrat, quæ incerta utrum vitam et translationem sancti Liborii haberemus eam nobis cum epistola sua transmisit, timens ne si litteræ signa rerum deessent, res gesta in oblivionem veniret, et nos ex oblivione ingrati, ex ingratitudine Deo et hominibus odibiles efficeremur. Verum ne ultra hujusmodi vos perturbet anxietas, cathedram apud nos in pristino honore esse vobis innotescimus, ita et vos epistolam et librum transmissum fideliter et cauti reservetis, et hoc, quod modo memoriæ vestræ recenter imprimitur, teneatis, et filios vestros, ut memoriter teneant, docere et admonere curetis, quatenus specialis et perpetua nostri memoria in orationibus vestris habeatur, quia non festivitas natalis Domini, non Paschæ, non Pentecostes, nec etiam solemnitas beati Li- E borii, non supensio, nec interdictum sive excommunicatio, nullus umquam casus impedire potest, quin specialem et nominativam vestri memoriam faciamus.

perpetuam amicitiam contrahere cupit,

7 Insuper stipendia nostra volumus invicem vobis esse communia, sicut a patribus nostris non dubitamus institutum ; ea tamen cautela (ne ecclesia nostra per quamlibet erroneum et vagum gravetur) adhibita, quod si de nostris vobis notus ad vos, vel de vestris nobis notus ad nos accesserit, stipendium percipiat. Ignotus vero, nisi cum litteris ecclesiæ suæ munitus accedat, injuriam sibi fieri non reputet vel contemptum, si fraterne et honeste non pertractetur. De cetero, quæ ultimo dicimus, carius vobis imprimi cupimus et optamus, sincera devotione et toto cordis affectu suppliciter postulantes, ut Patroni nostri, et gloriosi illius luminis ecclesiæ vestræ, solennem in officio nocturno et diurno in ipsius natalitio memoriam faciatis; cui siquidem petitioni grato concurrere debetis assensu, quia si Cenomania beati Juliani meritis in regno Franciæ gloriosa prædicatur, ipsa procul dubio in Sa- F xonia ex translatione, meritis, et miraculis beati Liborii non minus celebris habetur et insignis. Valete in Domino semper. Datum anno Domini millesimo ducentesimo quarto, decimo octavo Kalendas Septembris.

quæ usque ad medium seculi decimi septimi perseveravit,

8 *Amica illa societas inter utramque ecclesiam adhuc circa medium seculi* XVII *vigebat, quando Cenomani Paderbornensi ecclesiæ, ab hostibus afflictæ, sua apud regem Galliæ intercessione succurrerunt, ut patet ex variis epistolis, tunc ultro citroque scriptis, quas idem Corvaserius anno* 1650 *ad Bollandum misit, præfixa hac dilationis excusatione :* Omnes, quas tibi, reverende pater, jam dudum promiseram, mutui inter Cenomanense et Paderbornense capitulum fœderis testes litteras ad te mitto, quas ad vitam S. Liborii quasi appendices jam nunc adjungere poteris. Citius autem promissa explere per otium non licuit : non quod in illis recuperandis describendisque multum temporis mihi impendendum fuerit; sed quia tum rei familiaris tum publici muneris officia me totum habent

AUCTORE G. C.

habent et impendunt, atque omnimodi generis curis et negotiis ita ingenium obruunt, ut non sinant illud aliis rebus distrahi et detineri.

ut patet ex Paderbornensium litteris,

9 *Sufficiet hic ultimam proferre epistolam, istius constantis amicitiæ indicem, qua Paderbornenses Cenomanensi capitulo ob fraternum affectum et præstitum sibi auxilium sic gratias agunt :* Admodum reverendi, prænobiles domini. Accepimus fraterni affectus, imo regii favoris testes dominationum vestrarum litteras. Et quis sperare potuit, post tot secula tam optatum et copiosum fœderis nostri proventum ? Sanctus nempe Liborius noster veluti pretiosum frumenti granum olim in agro Paderbornensi seminatum, et tot afflictorum et innocentium lacrymis hactenus rigatum, germinat etiam nunc fructum salutis. Is postquam sensit in cœlis vota nostra, excitavit corda vestra ad ferendam opem periclitanti ecclesiæ suæ. Præstitistis id, honoratissimi fratres, præter omne meritum, supra spem nostram, inflectendo pientissimi regis clementiam precibus, opponendo potentiam hostibus nostris. Ita testatur regii pa-
B trocinii tutelare diploma, vestra erga nos charitate, et in rebus agendis solertia, omnibus adnitentibus, obtentum.

quibus Cenomanensi capitulo,

10 Exhibitum id uobis est optatissimo tempore, quando Suedici exercitus formido post reparatas ad Visurgim vires nihil tutum nec in patria nec urbe nobis reliquerat. Tum subito e cœlo vestro oritur nobis lux nova, pietas antiqua Christianissimi regis, et miseris succurrere assueta. Quam laudem cum omnes monarchæ asserunt et propriam vestri regis, clementia præ omnibus facit eam sibi hac tempestate eximiam. Cujus etiam tanto sublimior est gloria, quod favoris dignationem afflictorum solatio, auctoritatem ecclesiarum defensioni impendendo, utramque Deo consecrat. Erunt proinde, qui regis vestri hoc tempore trophæa et benefactorum symbola æri, argento, auro insculpant, gemmisque incisa per Europam circumferant. Nos meliori ea metallo et sanctioris membranæ tabulis devoti cordis et sacris ecclesiæ nostræ fastis inseremus ; ut dum quotidie ad aram immaculatam litamus hostiam, Ludovici Christianissimi regis,
C protectoris nostri, gloriosam memoriam, augustissimæ matris et eminentissimi Cardinalis, sancti Liborii, aliorumque divorum comitatu circumfusam, numini sospitandam commendemus.

ob præstitum sibi auxilium gratias agunt.

11 Agitur nunc ut obtenta ab utraque hostili parte immunitate militaris præsidii faciliorem viam regiæ protectioni sternamus : in quo excellentissimorum legatorum consilio et auctoritate, atque erga religionem zelo, nostro multorumque Catholicorum solatio utimur. Quod reliquum est, honoratissimi et desideratissimi fratres in Christo, vestri beneficii dignum pretium cum desit in terris, rogamus Patrem misericordiarum, ut sit is vestra merces magna nimis. Pergite diligere fraternam ecclesiam vestram opere et veritate sicut hactenus, et nos ad omne obsequium obligatos habete. Si forte tardius hæ submitti videantur, causa est, quod ab invicem nuper divulsi ob itinerum pericula, ad propria convenire citius non licuit, quibus honoratissimos fratres divinæ protectioni fidelissimi commendamus. Dabantur Paderbornæ XXV Martii, anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo. D
Admodum reverendarum ac prænobilium dominationum vestrarum officiosissimi : præpositus, decanus, seniores et capitulum cathedralis ecclesiæ Paderbornensis.

Joannes Sampleda.

§ II. Instrumenta authentica, quibus ostenditur, easdem reliquias Paderbornensibus restitui, quas Christianus Brunswicensis abstulerat.

Uxor principis Salmensis remittit principi Paderbornensi reliquias S. Liborii,

B*ollandus* § 6 *et* 7 *Commentarii historici narravit, quamodo Paderbornenses* sancti Liborii *reliquiæ a Christiano Brunswicensi ablatæ ac postea redditæ fuerint. Qamvis autem de identitate istarum reliquiarum ex supra relata Caroli Erleweini historia satis constet, tamen majoris confirmationis gratia hic subjungo quasdam litteras, ab uxore principis Salmensis scriptas, quarum autographa Gallica in Nibusano palatio asservantur, unde per alia testimonia eadem reliquiarum* E
identitas comprobatur. Papebrochius noster anno 1680 *has litteras, ex idiomate Gallico Latine redditas, exscripsit ordine sequenti :* Perquam felicem me credidi, quod in manus meas venerint venerandæ reliquiæ S. Liborii ; et nunc honori maximo mihi duco, quod easdem possim reponere in manus celsitudinis vestræ. Reddo ergo illa sincero affectu : tum quia celsitudinem vestram plurimum revereor ; tum quia obedire debeo domino et conjugi meo principi Salmensi id jubenti. Fatebor equidem, haud sine quodam animi repugnantis sensu id a me fieri, propter devotionem, qua erga magnum illum Servum non solum afficior ego, sed et subditi nostri omnes universaque vicinia ; adeo enim fervens illa est, ut hisce Pentecostalibus festis visus sit undique accurrere populus, Deusque se ostenderit in suo Sancto dupliciter admirabilem, dum ex sacrilego reliquiarum ejus raptu majorem ipsius gloriam elicuit, nomenque miraculis illustravit, quorum relationem mitto celsitudini tuæ, testium fide
F dignorum affirmatione, primi quoque medici celsitudinis suæ Lotharingicæ approbatione et notarii apostolici subsignatione munitam. Ad conservandam porro ejusmodi devotionem signis tam evidentibus roboratam, particulam aliquam sanctarum istarum reliquiarum mihi reservavi, quam cum bona venia celsitudinis tuæ reverenter asservabo, humiliter supplicans, ut cetera sacri corporis ossa, quæ tibi mitto, recipere digneris, tamquam ab ea, quæ erit semper celsitudinis tuæ humillima et obedientissima famula

Christina de Croy.

et testimonium medici ac chirurgi,

13 Infrascriptus consiliarius et medicus ordinarius celsitudinis suæ, ad hoc rogatus, vidi puerum quemdam sexennem, nomine Desiderium, filium Marci l'Huillier et Helwigis uxoris ejus commorantium Neovillarii ; post quæ etiam variis vicibus attente consideravi crura et tibias prædicti infantis, atque tam ex relatu matris quam ex attestatione plurium honestarum et probarum mulierum intellexi, quod numquam potuerit pedibus suis insistere, imo quod annis abhinc

A abhinc tribus crura ac tibiæ vehementer fuerint deformata atque introrsum miserabiliter incurvata: quodque nihilominus Dominica quadam die XXI Maii præteriti delatus hic infans a matre sua ad processionem, honori S. Liborii institutam in capella castri Neovillariensis, ubi requiescunt reliquiæ magni istius Servi Dei, atque in reditu dictæ processionis a prænominata matre sua in quodam cubiculo ipsi capellæ contiguo erectus in pedes, iis se sustinuerit et passus aliquot firmaverit cum magna admiratione, qui eum ante cognoverant atque imprimis pauperculæ matris suæ præ gaudio lacrymantis. Denique quod exinde incrementum sumens quotidianum, viresque resumens visus sit perquam visibiliter proficere ad rectam ac naturalem partium offensarum conformationem. Quibus omnibus sic ut supra depositis, et viva voce tot testium affirmatis, idem qui supra matura deliberatione præmissa, victus evidentia rationum conclusi, quod tam prompta tamque inopinata curatio, tam etiam extraordinaria et viribus artis pariter et naturæ superior,
B non poterat absque injuria divinitatis, quæ volebat remunerari merita Sancti sui, alteri quam ipsiusmet divinitatis virtuti adscribi, volentis per effectum omnipotentiæ suæ signanter testari veritatem harum sanctarum reliquiarum, de quibus alias potuerat dubitari. Actum Neovillarii, die VII Junii MDCXXIII.

Signatum Chacet consiliarius et medicus ordinarius celsitudinis suæ de Lotharingia.

Subscriptus chirurgus ordinarius suæ celsitudinis de Lotharingia, assistens medico tam visitatione pueri, quam in relatione desuper facta a multis personis fide dignis attestatur atque affirmat, quod in ea de qua agitur, curatione nihil agnoverit, quod non transcendat naturæ limites; ideoque se credit obligatum, soli Deo gloriam dare. Actum Neovillarii anno et die præscriptis

N. du Mesuil.

Copia hæc ab originali desumpta cum eodem in omnibus et per omnia concordat. Ita attestor eodem anno et die, apostolicus notarius VII Junii MDCXXIII

C J. Thibault, notarius apostolicus.

nec non notarii et curati.

14 In nomine Domini amen. Nos subsignati notarius et curatus certificamus per præsentes, quod cum reliquiæ S. Liborii donatæ fuissent excellentissimæ dominæ principissæ Rheni et Salmo a duce Brunswicensi, raptæ ab illo ex ecclesia Paderbornensi et translatæ ad castrum Neovillariense diœcesis Tullensis, dicta excellentia pro sua peculiari erga præfatas reliquias devotione institui mandavit processionem generalem die Dominica, XXI mensis Maii præteriti, in qua circumlatæ sunt prædictæ reliquiæ multo cum populi affluxu; interque alios interfuit mulier quædam Neovillariensis, nomine Helwigis, attulitque filium quemdam suum, nomine Desiderium, annos sex natum, qui secundum relationem dictæ suæ matris, pluriumque aliarum honestarum personarum ac fide dignarum numquam pedibus ambulaverat, nec erat apparentia ulla, quod umquam id posset naturaliter facere, eo quod haberet tibias jam inde a trienno carne privatas cruraque contorta intrinsecus cum deformitate ejusmodi quæ compassionem movebat, quin imo horrorem intuentibus. Ipsa vero mater cum in dicta processione devote orasset et invocasset opem S. Liborii pro sanatione dicti filii sui, cum eo ipso sequens præfatas reliquias, quando eo die ab ecclesia parochiali referebantur ad castellum, mox ut illuc advenerunt, cœpit ipse puer ambulare et præsenti tempore ambulat: in quo apparet evidenter curationem ejusmodi esse miraculosam. Atque in horum fidem signavimus præsens testimonium hac VII die mensis Junii MDCXXIII

AUCTORE G. C.

J. Thibault notarius publicus de auctoritate apostolica. N. Marlier curatus Novo-villariensis.

Memoria quorumdam miraculorum in hoc loco Novivillaris factorum per merita S. Liborii.

E

De miraculis per reliquias S. Liborii in Novovillaris castro recenter patratis.

Die festo sanctissimi Sacramenti hujus præsentis anni MDCXXIII die Dominica cum Thouvenellus de Castello super Mosellam venisset duobus furcillis subaxillaribus se sustentans, ipso die melius habere cœpit, et in festo S. Joannis Baptistæ taliter sanatus fuit, ut absque furcis libere ambularet.

Die XIV Junii MDCXXIII Nicolaus Bon-Jean de Mesnil recuperaverit visum, quem ab anno amiserat.

Die II Julii MDCXXIII Margarita, filia majoris Claudon de S. Germano, recuperavit visum unius oculi in capella castri Novo-villariensis sub Missæ sacrificio sentiens tunc in ipso dicto suo oculo dolorem.

Dominica infra Octavam Venerabilis Sacramenti vidua Desiderii Couteau de Haussonvilla, ab annis quinque cæca, videndi recepit facultatem.

Aliæ plures personæ invenerunt levamen in suis infirmitatibus, quas speciatim non exprimo, quia discesserunt a nobis, non indicatis nominibus suis. In quorum fidem ego N. Marlier curatus Neovillariensis præsentem memoriam signo meo manuali signavi F

N. Marlier curatus Neovillariensis.

Uxor principis Salmensis petit Paderbornensis episcopi intercessionem,

16 Domine mi, per reditum eleemosynarii celsitudinis tuæ misi ipsi attestationem primi miraculi hoc in loco facti per intercessionem S. Liborii: et quia tunc promisi alia quoque, si contingerent, me missuram, ut fidem meam liberem vosque impertiar gaudio, quod inde recepturam scio celsitudinem tuam, submitto memoriam aliquot aliorum, quæ facta sunt post discessum eleemosynarii vestri, et ad nostram pervenerunt notitiam, interim dum expectantur alia majori numero in forma requisita. Hoc autem facio ex mandato domini mei principis Salmensis, qui mihi præscripsit, ut ea mitterem: ut si forte aliquod tibi restet dubium, utrum eæ sint veræ reliquiæ, non dubites amplius. Incredibile enim est quanta sit devotio erga bonum istum Sanctum: tantaque est affluentia populi, ut exprimi verbis nequeat, paucæque accedant personæ, quæ

AUCTORE G. C.

quæ non referant ab iis solatium. Cum igitur, domine mi, successor sis magni istius Sancti, causam ejus ad te pertinere existimo, ideoque accedo ad celsitudinem tuam repræsentando eidem, quomodo propter affluentium peregrinorum opem S. Liborii invocantium coacta fuerim ponere sanctam istam reliquiam in ecclesia ipsius pagi, quæ est Prioratus, fundatus per dominos prædecessores nostros ad ibi collocandum religiosos Ordinis S. Benedicti, quemadmodum et collocaverunt, privantes etiam sese capella quadam, quam habebant spectantem ad castellum hujus loci, eo fine ut ibidem die noctuque celebrarentur per religiosos prædictos horæ Canonicæ; eisdem quoque attribuerunt decimas dominiorum suorum, quæ antea fuerant prædictæ capellæ incorporatæ.

ut in prioratu quodam monachos Benedictinos possit constituere,

17 Prioratus est bonus et reditus ejus annui sustentare possunt duodecim religiosos, pro eo quo nunc post suam reformationem vivunt modo. Est ibi impræsentiarum nemo præter unum Priorem secularem, qui valde male ministrat : B nullum enim amplius ibi fit canonicum officium, sicuti nec religiosi ibi sunt ulli, cum locus sit in commendam datus, prædecessoribus nostris, utpote hæreticis, parum id curantibus, solumque habetur hic vicarius unus, qui semel aut bis per hebdomadam dicit Missam in magnum præjudicium subditorum nostrorum et contra intentionem dominorum fundatorum ac domini mei principis Salmensis ac meam; qui tamquam boni Catholici cupimus omnia ad veterem normam reducta pro conversatione divini servitii, [ad] necessitatesque spirituales et instructionem liberorum nostrorum; tum etiam quia locus iste occasione boni S. Liborii nunc magis frequentatur quam alia ulla hujus regionis peregrinatio. Quapropter magis quam umquam necessarium videtur dare religiosos dicto prioratui, sicut olim ibi habebantur tum, ut adjuvent miseras animas illuc advenientium pro obtinenda sanitate, audiendo eorum confessiones. Et sane præterquam quod ita satisfieret intentioni fundatorum, facerent illi istic incomparabilem fructum ad Dei et sui sancti gloriam : quorum nomine obtestor humiliter celsitudinem tuam, C ut digneris super eo negotio scribere Sanctitati suæ, ut auctoritate Apostolica mandet locum prædictum restitui in statum pristinum, ipseque consignetur in manus patrum Benedictinorum, ad satisfaciendum intentioni dominorum fundatorum, qui numquam voluerunt donare locum adeo pulchrum ad alendum solum hominem, quia fere numquam venit ad explendum munus suum.

et ad majorem S. Liborii honorem apud eos collocare reliquias a se retentas,

18 Carissimus dominus meus princeps Salmensis super ea re sæpius scripsit Sanctitati suæ : quin imo est Romæ, agens quidam celsitudinis suæ archiducis Leopoldi, dictus Dominus Wil, qui expeditionem solicitat, sed quoniam ea in longum protrahitur, et Sanctitas sua commisit causam episcopo nostro, quem, quoniam amicus est consanguineorum dicti prioris, supplicavimus eo non adhiberi; et nihilominus sua Sanctitas absolute id mandat, attenta æquitate rationis illi a nobis propositæ, humillime deprecor celsitudinem tuam, ut gratiam istam nobis obtineas. Scripsi hac de causa ad dominum Cardinalem Salernitanum, quem scio, quandocumque ei D scripseris, omnia facturum, quæ tibi placuerint, subnixum tua auctoritate. Equidem polliceor mihi successum optimum : videntur enim cuncta eo concurrere et Deus id velle. Atque hoc eo firmius mihi persuadeo, quod alia nulla ratio adducat dominum principem Salmensem et me ad tantum ejus rei desiderium quam sola gloria Dei et nunc etiam S. Liborii, ut hic ei serviatur, devoteque invocetur, quemadmodum facere obligamur. Certa sum, quod celsitudo sua non possit facere actionem aliquam magis gratam Domino et Sancto ejus, quam procurando quam promptissime augmentum illius cultus ; idque iterum cum omni humilitate oro celsitudinem tuam, quia non possum absque verecundia videre ecclesiam nostram adeo male administratam et ornatam, ut minimi cujusque pagi ecclesia illam superet. Denique unicam hanc compensationem peto a vobis pro obsequio, quod præstitimus retrahendo hanc sanctam reliquiam de manibus Hugenottorum : omnis autem cupiditas mea eo tendit, ut bene ipsi serviatur in hac regione, quandoquidem in E ea operatur tot mirabilia; optans ut sis successor sanctitatis ejus, utque tibi impetret omnem in hac et futura vita felicitatem, quam tibi ex animo vovet, mi domine, humillima famula tua.

Neovillarii XXV Julii MDCXXIII

Christina de Croy.

quas ex ipso Christiani Brunswicensis testimonio veras esse probat.

19 *Hic sequitur ipsum testimonium Christiani Brunsvicensis, qui reliquias abstulerat :* Nos Christianus Dei gratia dux Brunswicensis et Luneburgicus, etc., certum facimus, quod ossa, quæ remittimus et donamus dominæ comitissæ Rhingraviæ, sint ipsamet ossa S. Liborii, quæ fuerunt inventa in ecclesia cathedrali civitatis Paderbornensis. In cujus rei fidem præsentes signavimus nostro consueto signo manuali, et sigillavimus sigillo armorum nostrorum. Actum Sedani, die XII Augusti MDCXXII

Transcripsit N. Chanbert.

§ III. Reliquiæ Sancti Liborii variis ecclesiis communicatæ.

F

Etsi Cenomanenses aliquas S. Liborii reliquias retinuerint,

Dum quis § 3 *Commentarii historici Bollandiani legit, anno Ludovici Pii* 24 *sive Christi* 836 S. Liborium *Cenomanis Paderbornam translatum esse, ne existimet, illud de toto istius Sancti corpore intelligi : nam inter gesta Aldrici Cenomanensis episcopi, a discipulis ejus conscripta, et a Baluzio lib.* 3 *Miscellaneorum edita, pag.* 111 *habentur sequentia :* Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXL, Indictione III, anno vero imperii Hludovici piissimi Augusti XXVII, et anno VIII Aldrici hujus parochiæ episcopi, atque hujus cœnobii fundatoris, VII videlicet Iduum Juliarum die, solenniter translatum est a prescripto episcopo et ab aliis episcopis et sacerdotibus et reliquis sacris ordinibus corpus sancti Pavacii, et brachium dextrum sancti Liborii in hanc sancti Salvatoris ecclesiam, hucque in nobilissima urna decenter a præfixis episcopis et sacerdotibus, subsequentibus signis, humatum, quorum precibus ab omnibus petimus liberari malis, et

cunctis

A cunctis frui æternaliter bonis, ipso auxiliante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. *Patet igitur, Cenomanos aliquam sacri corporis partem sibi retinuisse. De iis autem reliquiis, quæ servantur in Castro Renardi, agitur die sequenti.*

tamen tantam earum copiam Paderbornensibus dederunt, ut eas variis Italiæ urbibus communicarint.

21 *Attamen reliquiæ* S. Liborii, *Paderbornensibus concessæ, adeo copiosæ fuerunt, ut eas aliis civitatibus liberaliter communicarint, et sancti sui Patroni cultum per diversas provincias hac pia munificentia propagarint. Hujus venerationis testis est Ameria, antiqua Umbriæ civitas, quæ exuvias hujus sancti Præsulis summo plausu et honore excepit, uti Bollandus* § 8 *et* 9 *fusius retulit. Testis est Genua, notissima Liguriæ urbs, quæ ejusdem reliquias veneratur, ut colligitur ex quodam scripto, quod Joannes Antonius Mariconus pro insigni collegiata B. Maria de Vincis contra admodum RR. parochos anno* 1683 *Genuæ vulgavit. In eo enim pag.* 4 *hæc leguntur :* Fuit concessa dictæ ecclesiæ reliquia S. Liborii a serenissimo principe et archiepiscopo Monasteriensi et Paderbornensi ad instantiam B D. Joannis Michaëlis Casoni, pro eo intercedente tunc D. comite Laurentio Casono in comitiis pacis Noviomagi pro sede Apostolica interveniente, et nunc a secretis sanctissimi Domini nostri Papæ Innocentii XI cum humanissima et valde æstimabili epistola responsiva dicto capitulo directa præfatæ serenissimæ Altitudinis, qui piissimus princeps noluit dictam reliquiam impartiri, nisi prævia attestatione sibi transmissa reverendissimi vicarii generalis, insignitatem dictæ collegiatæ comprobante. *Testis denique est ipsa Roma, quæ sacra istius Præsulis lipsana ardentissime expetiit ac obtinuit. Porro qua occasione id factum sit, juvat paucis exponere.*

Exponitur, quomodo cultus S. Liborii Romæ cœperit,

22 *Dominicus Buoncompagni Romanus post diuturnum nephritidis dolorem, et tentata nequidquam medicorum auxilia, anno* 1648 *ita eodem morbo oppressus fuit, ut de ejus sanitate omnino desperaretur. Cum miserias suas amicis exponeret, D. Valentinus Pelegrini Amerinus ipsi suasit, ut invocaret* S. Liborium, *cujus reliquiæ a paucis annis per PP. Capucinos Ameriam delatæ fuerant, deditque ei sancti Præsulis imaginem cum hymno et oratione,* C *ut sese ejus patrocinio commendaret. Buoncompagnus amici consilium secutus est, adjunxitque votum celebrandi quotannis festum Sancti in quadam Romanæ urbis ecclesia, quoad viveret. Brevi expertus est sancti Patroni opem : nam statim sensit tantum inveterati morbi lenimen, ut eodem anno* 1648 *in ecclesia collegiata SS. Celsi et Juliani magnam Sancti effigiem collocari jusserit, ibidemque die* XXIII *Julii annuam* S. Liborii *festivitatem celebraverit, distributis etiam multis sancti Præsulis imaginibus una cum hymno et oratione. Multi videntes, Buoncompagnum gravissimo morbo liberatum, ad ejusdem Sancti opem confugiebant, appensis ad ejus effigiem in prædicta ecclesia imaginibus; et in suis doloribus solatium experiebantur. Ita Romæ devotio erga* S. Liborium *orta est.*

et ejus reliquiæ ad eam urbem pervenerint;

23 *Buoncompagnus diu postea sanus vixit, et post ejus mortem eadem Romanorum pietas erga* S. Liborium *perseveravit; imo incrementum cœpit, quando eminentissimus Petrus Ludovicus Caraffa, qui fuerat nuntius Coloniensis, a serenissimo Electore Coloniensi notabiles* S. Liborii *reliquias obtinuit, quas in prædicta SS. Celsi et Juliani ecclesia honorifice collocari jussit. Est autem os brachii, quod præfatæ ecclesiæ canonici summa cum reverentia susceperunt et argenteæ capsæ incluserunt. Postmodum in ejusdem Sancti honorem construxerunt altare, in quo non raro eminentissimi Cardinales aliique prælati Missam celebrant. Dum annua Sancti festivitas recurrit, reliquiæ supra altare exponuntur, distribuuntur imagines et hymni, et ex indulto sacræ rituum Congregationis in prædicta ecclesia quotannis sub ritu semiduplicis officium Sancti recitatur. Hæc omnia didici ex narratione Italica, quam Alexander Pietra-santa, quondam sub Urbano VIII præfatæ ecclesiæ canonicus, ad Majores nostros misit. Nunc subjungo authentica instrumenta, quibus Romanarum reliquiarum veritas et identitas probatur, et earum legitima donatio explicatur.*

AUCTORE G. C.

in quem finem afferuntur authentica instrumenta,

24 In nomine Domini Amen. Tenore præsentis publici instrumenti pateat evidenter et notum sit, quod anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi MDCLI, Indictione quarta, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Innocentii divina providentia Papæ decimi anno E septimo, decima die Augusti inter horam sextam et septimam pomeridianam, coram me notario publico, et infra nominandorum testium præsentia personaliter constituti fuerunt Paderbornæ in aula episcopali, quam cancellariam vocant, reverendissimus et illustrissimus princeps, ac Dominus D. Theodorus Adolphus episcopus Paderbornensis, comes Pyrmontensis, etc., et reverendissimi ac perillustres Domini Gasparus Philippus a Ketteler, cathedralis ecclesiæ Paderbornensis decanus, Joannes Alardus ab Imbsen camerarius,...... Joannes Guillelmus Baro de Sintzigh cantor, et cellerarius, Otto Guillelmus ab Oyenhausen scholasticus, et admodum venerandi patres, Bonaventura Ruthenus prædicator, et Theodosius Monasteriensis sacerdos, Capucini, me notarium et testes adhibitos requirentes, et una cum ipsis, vigore singularis requisitionis, certo cuidam ibidem ab eis celebrando actui interesse, eumdemque diligenter inspicere, notare, et peractum ad protocollum meum redigere, nec non desuper erga condignum meum salarium, unum vel plura conficere vellem instrumentum, F et instrumenta.

quibus narratur,

25 Singularis autem requisitio subsequentis erat tenoris : Ad majorem omnipotentis Dei gloriam, nos Theodorus Adolphus episcopus Paderbornensis, etc., et Gasparus Philippus a Ketteler decanus, ceterique seniores, et capitulares cathedralis ecclesiæ Paderbornensis vobis dominis notario, et testibus ad hoc specialiter requisitis pro rei dignitate, et meritis S. Liborii patroni nostri exponendum duximus ; quandoquidem magnus Dominus, et laudabilis nimis, etiam laudandus in Sanctis suis, propter quorum merita et preces, multa nobis, eaque non levia, subinde largitur beneficia, etiam illis ad feliciorem vitam sublatis, ut existentes in cœlis, etiam nunc honorificentur in terris, ubi fideliter Domino suo ministraverunt ; sic, inquam, miserator et misericors Deus, ut annuntietur inter gentes gloria ejus, in omnibus populis mirabilia ejus, sicuti honorem S. Prophetæ Elizæi jam vita functi per suscitationem mortui ad contactum reliquiarum ejus,

AUCTORE G. C.

ejus, toti mundo voluit esse contestatum, ita etiam sacri sui Liborii, patroni nostri, nomen non solum apud Cenomanos in Gallia, et Paderbornæ in Westphalia, quo anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo trigesimo sexto, quinto Kalendas Junii, sacrum ejus corpus delatum, multis in via miraculis honoratum claruit, et Ameriæ in Umbria, quo anno MDCXLVI nona die mensis Junii duas partes reliquiarum, cjus cathedralis ecclesiæ canonicis efflagitantibus, misimus, et Monachii in Bavaria, quo anno MDCLI, die decima tertia Junii, unam partem reliquiarum cjus electori Maximiliano expetenti transmisimus, et Monasterii Westphalorum, quo similiter eodem hoc anno, sed die decima octava Julii, reliquiarum partem, episcopo, et ecclesiæ cathedralis prælatis postulantibus, transtulimus, sed etiam in diversis aliis ac dissitis locis, regnis, et provinciis, diversorum membrorum, ac præcipue calculi, et arenarum, herniæ, et urinarum curatione, voluit esse celebrem et honoratum, ut multis, iisque gravibus gravissimorum virorum B scriptis et exemplis confirmatum est, et continuo comprobatur, dum efficax S. Liborii patrocinium in arenarum, et calculi curatione, in urbe Roma, et per totam Italiam celeberrimum esse testantur.

quomodo episcopus Paderbornensis,

26 Unde etiam eminentissimus dominus Petrus Aloysius Caraffa S. R. E. Cardinalis ad majorem Divi hujus honorem, afflictorumque Romæ devotionem, ac consolationem, iteratis litteris a serenissimo Bavariæ duce Ferdinando electore Coloniensi, et episcopo Paderbornensi, aliquam sacrarum reliquiarum cjus particulam pro aliqua in urbe ecclesia petiit, ut ipse elector trigesima die Decembris anno MDCXLVIII decano, et capitulo cathedralis basilicæ Paderbornensis Germanice Bonna scripsit, et sic latinitate redditum est: Ferdinandus Dei gratia archiepiscopus Paderbornensis, Monasteriensis, Leodiensis et Hildesiensis, administrator Berchasgadensis, et Stabulensis, comes Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ, Westphaliæ, Augariæ, et Bullionis dux, marchio Franchimontanus, etc. Venerabiles et honesti dilecti, devoti, notum vobis hisce noC stris facimus, quod apud nos ex Urbe institerit Cardinalis Petrus Aloysius Caraffa, ut sibi daretur particula reliquiarum S. Liborii, cujus patrocinium, istis in partibus in arenarum, et calculi curatione, celeberrimum esse testatur. Cum igitur in hoc suo momento ponderata sit hujus sancti Patroni vestri veneratio, quippe quæ per id latius fundetur, ac magis evulgabitur; hinc licet ex parte nostra non inveniamus, qua ratione prænominato Cardinali id possit denegari; hactenus tamen noluimus nos absque consilio vestro declarare, neque quidquam in eo sine vestra sententia statuere. Ad vos itaque totum negotium referentes, vobis committimus, ut animos vestros in id intendatis, quomodo ipsius Cardinalis desiderio morem geratis, quod ipsum gratiose a vobis exspectamus, quibus gratia nostra addicti manemus. Datum Bonnæ in civitate nostra, trigesima Decembris anno MDCXLVIII.

de consensu capituli,

27 Quemadmodum nunc hæ litteræ, et nuncia allata de beneficiis, quæ omnipotens Deus meritis et intercessione S. Liborii conferre dignatus est, magna nos lætitia affecerunt, ita merito ad D majorem Patroni nostri honorem, et afflictorum consolationem citius supplicantium animos optata responsione reficere debuissemus; verum cum nemo extra capitulum generale similes preces ratas efficere queat, ex capitulo generali responsio danda erat; magnis autem furentis belli tempestatibus jactati ad capitulum generale convenire non potuimus, nisi conciliata anno MDCXLIX, universali pace Germaniæ. Tunc hac re in capitulo generali mature deliberata, omnium dominorum capitularium sententiæ eo inclinaverunt, ut pro memorati Cardinalis postulatis aliquam de inæstimabili nostro sacrarum reliquiarum thesauro partem elargiendo omnino satisfaceremus. Interea temporis solvit serenissimus elector Coloniensis episcopus noster naturæ debitum et novi antistis consensus requirebatur; quo anno MDCL, tertia die Novembris electo, adhuc ejusdem confirmatio Roma exspectanda fuit.

partem reliquiarum

28 Hac igitur illiusque consensu obtentis, nunc ad negotium specialiter a capitulo nostro deputati huc convenimus, ut sacrarum reliquia- E rum partem, quam decima tertia die Junii in cathedralis nostræ ecclesiæ choro ex illarum conservatrice tumba sublatam atque argenteæ pyxidi inclusam consignavimus, alii ligneæ pyxidi includamus, consignemus, et eminentissimo Cardinali Caraffæ Romam transmittamus, ad augendam ipsius, Romanorumque devotionem, et majorem divinæ bonitatis gratiam ipsi, Romanisque conciliandam; hac tamen expresse lege, ut non solum ea qua decet devotione deferatur, sed etiam speciali solemnitate acceptetur, in supplicatione circumferatur, palam exhibeatur, dignisque encomiis populo commendata in ecclesia aliqua loco honorato reponatur, ut quotannis die XXIII Julii, qua festum S. Liborii cadit, solemniter exponi, et ipsius Sancti commemoratio celebrari possit. In cujus rei fidem, sublatam de pyxide reliquiarum partem mox pyxidi includemus, et sigillis nostris consignabimus. Vos notarium requirentes, ut super hoc nostro consensu, et insuper secutura sublatione, inclusione, consignatione, traditione, et donatione instrumentum et instrumenta, in meliori forma nobis F conficere, et pro debito salario communicare dignemini.

pyxidi incluserit,

29 Ad hæc illustrissimus et reverendissimus princeps argenteam et inauratam pyxidem, quæ suo sigillo munita erat, aperuit. Inde bonam partem ossis de corpore S. Liborii reverenter extraxit, extractam circumstantibus ostendit, et statim rubræ bysso involvit, et oblongæ ac variegatæ pyxidi imposuit, quæ mox argenteo, et albi coloris redimiculo in crucis modum circumligata, et superius ac inferius ipsius principis, circumcirca præsentium dominorum sigillis super ipso redimiculo in rubra cera infixis, communita fuit, et ingenuo, ac erudito D. Joanni Guillelmo Warnesio Paderbornensi, et philosophiæ magistro, Romam profecturo tradita secure Romam deferenda, ut schedula, quæ cum ipsis reliquiis ipsi pyxidi hujus tenoris inclusa fuit, indicabit:

In nomine Domini. Amen. Hæ sunt veræ reliquiæ sancti Liborii episcopi Cenomanensis, Paderbornensium patroni, quas illustrissimus et reve-

AUCTORE G. C.

A reverendissimus princeps, præsentibus cathedralis ecclesiæ prælatis, anno MDCLI, die X mensis Augusti in cancellaria tradidit Joanni Guillelmo Warnesio Romam transferendas, et eminentissimo S. R. E. Cardinali Petro Aloysio Caraffæ tradendas. Actum Paderbornæ, anno, indictione, Papatu, mense, die, hora, et loco quibus supra, præsentibus ibidem, videntibus, audientibus, et intelligentibus : perillustri viro ac domino D. Joanne Guillelmo a Reck, excellentissimo cancellario, et clarissimo D. Martino Streichez secretario, testibus ad prædicta habitis, vocatis atque rogatis.

coram notario et testibus,

30 Et quia ego Joannes Brabeck civis Paderbornensis Westphalus, notarius publicus approbatus et cathedralis capituli Paderbornensis secretarius, consistoriique ecclesiastici actuarius, et scriba juratus præinserto sublationis, inclusionis, consignationis, atque traditionis sacrarum S. Liborii reliquiarum actui, una cum ante memoratis dominis requirentibus, et requisitis testibus interfui, omniaque alia sic fieri vidi, audivi, B et in notam sumpsi, ideo præsens publicum desuper confeci instrumentum, manuque propria, licet aliena conscriptum, illud ipsum subscripsi, nec non nomine, et cognomine notariatusque mei signo solito subappositis communivi ad hoc specialiter requisitus. Loco sigilli ✠ Joannes Brabeck qui supra notarius manu propria.

31 Nos Bernardus Frick, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Cardicensis, per civitates, et diœceses Paderbornensem, et Hildesiensem in pontificalibus, et spiritualibus vicarius generalis, sacrosanctæ theologiæ doctor, ecclesiæ collegiatæ sanctorum Apostolorum Petri, et Andreæ in Bustorpff decanus et canonicus, notum facimus, et attestamur, quod supra nominatus Joannes Brabeck civis Paderbornensis, qui præsens instrumentum expedivit, illudque manu sua, nobis abunde cognita, subscripsit, et signo sui notarius munivit, sit publicus et legalis notarius, cujus documentis, et instrumentis in et extra judicium publica, et indubia semper et ubique fides adhibita fuit, et de præsenti adhibetur. In cujus rei testimonium has manus nostræ subscri- C ptione, et sigilli nostri appensione munivimus. Actum Paderbornæ anno MDCLI, die duodecima mensis Augusti. Loco sigilli ✠ Bernardus Frick episcopus Cardicensis, qui supra.

eamque ad urbem Romanam transmiserit.

32 Nos Dei gratia Theodorus Adolphus electus, et confirmatus episcopus Paderbornensis, sacri Romani imperii princeps, comes Pyrmontanus ; et nos decanus, seniores, et capitulum cathedralis ecclesiæ ibidem, notum facimus et attestamur in his scriptis : Quandoquidem nuper eminentissimus S. R. E. Cardinalis Caraffa zelo pietatis, et honoris erga patronum nostrum sanctum Liborium, ductus, unam particulam de reliquiis ejusdem in hac Paderbornensi ecclesia hactenus conservatis sibi concedi rogavit, et obtinuit, ut re bene considerata et exploratis prius omnium suffragiis, advocatis ad certum diem senioribus de capitulo, notariisque et testibus adhibitis ad satisfaciendum tam pio Cardinalis desiderio, et sancti Patroni nomen, et honorem magis, magisque per orbem dilatandum, desiderata hæc particula cum debita solemnitate ex sacra tumba levaretur, prout levata est, et latius in instrumento desuper erecto continetur, quod eamdem hanc sacram particulam holoserico prius, deinde ligneæ inclusam capsulæ mei Theodori Adolphi episcopi, Gaspari Philippi a Ketteler decani, Joannis Alardi ab Imsen senioris, et camerarii, Willelmi Baronis de Sintzig cantoris, Ottonis Willelmi ab Oyenhausen scholastici sigillis obsignatæ, fideli nostro Joanni Willelmo Warnesio clerico Paderbornensi ad limina Apostolorum, et collegium Germanicum, quod est Romæ, tunc festinanti tradiderimus deferendam, hac sub conditione, siquidem inventurus sit reverendum ac prænobilem D. hic Paderbornæ canonicum, concapitularem nostrum Matthiam a Reck adhuc (quod putamus) Romæ commorantem, eidem hunc secum delatum reliquiarum thesaurum ad manus Cardinalis debita cum reverentia præsentandum tradat, et præsentanti assistens, postea omnium officia, et promptissimam ad obsequia voluntatem animitus faciat commendari ; sin hic concapitularis noster, relicta Roma, alibi forte degat, vel sit in reditu ad hanc ecclesiam suam, tunc ad reverendissimum patrem Goswinum Nic- E kel Societatis Jesu, nunc vicarium generalem ; suum habeat regressum, quem, et nos rogamus, ut hoc officium in se recipere, et sanctas reliquias jam antedicto, vel quo alio meliori modo, una cum deferente velit præsentare. In cujus rei fidem hæc propriis manibus subscripsimus et sigillis nostris episcopali, et gentilitiis fecimus corroborari. Sic actum Paderbornæ X Augusti MDCLI.

Loco Sigilli ✠ Theodorus Adolphus ; et infra signati Joannes Willelmus baro de Sintzig cantor, Gasparus Philippus a Ketteler decanus, Joannes Alardus ab Imsen camerarius.

§ IV. *Quomodo Paderbornenses S. Liborii reliquiæ Romæ recognitæ et publicæ venerationi expositæ fuerint.*

Ex legitimis instrumentis demonstratur.

In nomine Domini. Amen. Præsenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, et sit notum, quod anno a nativitate Domini nostri F Jesu Christi MDCLI, indictione prima, die vero XXIX Septembris, pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Innocentii divina providentia Papæ decimi anno ejus octavo, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum præsentia præsens et personaliter existens eminentissimus et reverendissimus D. Petrus Aloysius tituli SS. Silvestri et Martini ad Montes S. R. E. presbyter Cardinalis Caraffa, cui nuper, ut asseruit, per illustrissimum et reverendissimum D. principem Theodorum Adolphum episcopum Paderbornensem fuerunt transmissæ reliquiæ, desumptæ ex corpore S. Liborii, olim Cenomanensium episcopi, et Paderbornensium patroni, in dicta civitate Paderbornensi existente, prout late indicant publicum instrumentum, et litteræ testimoniales per dictum illustrissimum et reverendissimum D. principem Paderbornensem episcopum, ad eumdem eminentissimum D. Cardinalem super hoc transmissæ : quorum alterum

AUCTORE G. C.

rum, videlicet instrumentum, est carta pergamena, sumptum, et publicatum per D. Joannem Brabeck civem, et notarium publicum Paderbornensem ac cathedralis ecclesiæ Paderbornensis secretarium cum legalitate, et sigillo appenso in capsula lignea cera rubra impresso ; alterum vero, videlicet instrumentum, et litteræ testimoniales in papyro, seu charta bombicina propria manu, et sigillis dicti illustrissimi et reverendissimi D. principis episcopi Paderbornensis, ac decani, camerarii, et cantoris dictæ cathedralis ecclesiæ munita, etc., quæ quidem instrumentum et testimonialia, dictus eminentissimus et reverendissimus D. Cardinalis Caraffa præ manibus tenens, eadem mihi notario tradidit, eadem per me, etc., coram eminentia sua, et testibus infrascriptis, et aliis compluribus astantibus, alia et intelligibili voce legi voluit, et mandavit.

quomodo reliquiæ S. Liborii,

34 Ego notarius dicti eminentissimi Cardinalis mandatis, dictum instrumentum, et testimonialia coram eminentia sua, et aliis, quibus supra, alta et intelligibili voce distincte, exacte, et accurate perlegi, eademque postea penes me retinui ad effectum habendi ex illis copiam collationatam, eamdemque in præsenti instrumento inserendi tenoris, etc. Quorum lectura per me completa, cum in dictis instrumentis et testimonialibus respective asseratur, transmissas esse ad eumdem eminentissimum partem ossis de corpore sancti Liborii desumptam, rubra bysso involutam, et in variegata pyxide inclusam una cum schedula tenoris infrascripti, videlicet : In nomine Domini. Amen. Hæ sunt veræ reliquiæ S. Liborii episcopi Cenomanensis, Paderbornensium patroni, quas illustrissimus D. princeps præsentibus cathedralis ecclesiæ prælatis, anno MDCLI, die decima Augusti in cancellaria tradidit Joanni Guillelmo Warnesio Romam transferendas, ac eminentissimo et reverendissimo domino S. R. E. Cardinali Petro Aloysio Caraffæ tradendas. Quæ variegata pyxis asseritur etiam circumligata argenteo, et albi coloris redimiculo in crucis modum, et superius, ac inferius ipsius principis episcopi, et circumcirca præsentium DD. de capitulo Paderbornensi sigillis super ipso redimiculo rubra cera fixis communita.

quas episcopus Paderbornensis Romam miserat,

35 Volens propterea dictus eminentissimus ad dictarum reliquiarum visionem et recognitionem [procedere], habens in manibus quamdam ligneam pyxidem clausam, et funiculo seu filo canapino undequaque circumligatam, ac pluribus sigillis rubra cera impressis obsignatam, eam dictus eminentissimus D. coram me, et testibus aliis astantibus, perillustri ac reverendissimo P. D. Jacobo Antonio Serperio ibidem præsenti, et in testem ad hunc actum, et sequentia adhibito pariter, et vocato tradidit, ac per eumdem prædictam pyxidem aperiri voluit, et mandavit; qui eamdem pyxidem e manibus dicti eminentissimi reverenter accepit, parendo mandatis eminentiæ suæ, recisis prædictis funiculis, seu canapinis filis dictam pyxidem, me notario, aliisque testibus, et astantibus omnibus, videntibus, et spectantibus aperuit, eamdemque sic apertam dicto eminentissimo obtulit, et præsentavit : ex qua quidem pyxide dictus eminentissimus D. Cardinalis aliam minorem pyxidem variegatam redimiculo argenteo, et albi coloris in crucis modum circumligatam ac superius et inferius dicti illustrissimi et reverendissimi D. principis episcopi Paderbornensis ac aliorum DD. de capitulo sigillis cera rubra infixis communitam extraxit, quam sic extractam publice omnibus ostendit, et recognitis per eumdem eminentissimum, et reverendissimum D. Cardinalem aliosque astantes dictis sigillis, redimiculo, et pyxide, et repertis illa esse eademmet expressa in instrumento et testimonialibus litteris, de quibus supra ; mandavit per eumdem D. Serperium, hanc secundam pyxidem aperiri.

ab eminentissimo cardinale Aloysio Caraffa

36 Qui, eadem pyxide, ea qua decet reverentia, recepta coram omnibus, quibus supra, funiculis, redimiculo prædicto circumcirca reciso, formis tamen suis locis remanentibus et sigillis, pyxidem aperuit, eamque sic apertam dicto eminentissimo D. obtulit, et præsentavit ; qui eminentissimus primo loco ex dicta pyxide extraxit schedulam conscriptam, quam incontinenti mihi notario consignavit, ad effectum eamdem alta et intelligibili voce etiam legendi coram omnibus, quibus supra, præsentibus, prout per me fuit dicta schedula clare alta voce, et accurate lecta, cujus tenor talis est, videlicet : In nomine Domini. Amen. Hæ sunt veræ reliquiæ S. Liborii episcopi Cenomanensis, Paderbornensis patroni, quas illustrissimus et reverendissimus D. princeps, præsentibus cathedralis ecclesiæ prælatis, anno MDCLI die decima mensis Augusti in cancellaria tradidit Joanni Guillelmo Warnesio Romam transferendas, et eminentissimo S. R. E. Cardinali Petro Aloysio Caraffæ tradendas, etc. Quæ schedula fuit pariter omnino in omnibus et per omnia reperta conformis schedulæ in jam dicto instrumento transmisso, expressæ, et enuntiatæ.

recognitæ fuerint;

37 Quo facto, dictus eminentissimus genuflexus prius cum omnibus astantibus ex eadem pyxide parvum involucrum ex rubra bysso complicatum extraxit, eoque omnibus præsentibus ostenso, ita genuflexus aperuit, et in eo partem ossis in instrumentis expressam, et, ut in ipso dicitur, rubra bysso involutam invenit ex corpore S. Liborii desumptam, quam partem ossis omnibus ostendit, et debita reverentia osculatus fuit, et veneratus est, ex eaque postea, etiam me notario ac testibus, etc., aliisque omnibus astantibus, quadam particula separata, et penes se retenta, reliquum reliquiarum prædictarum in eadem bysso rubra, in qua prius erat, involvit albo velo superposito, iterumque in eadem variegata pyxide reperta, sigillis redimiculo eisdem in ea remanentibus, reposuit, eamdemque variegatam pyxidem clausam in alia priori lignea pyxide collocavit, quam ligneam pyxidem denuo per dictum eminentissimum clausam papyro alba, involutam canapeo funiculo, seu filo circumligatam, sigillo eminentiæ suæ cera rubra infixo, propriis manibus clausit, et communivit.

et canonicis ecclesiæ SS. Celsi et Juliani concessæ;

38 Postea vero volens dictus eminentissimus voluntati ejusdem principis episcopi Paderbornensis, in instrumento transmissionis reliquiarum expressæ, satisfacere ; quæ est, ut in illo instrumento expressis verbis legitur, ut reliquiæ hujusmodi non solum debita reverentia recipiantur, verum etiam speciali solennitate acceptentur

tur

A tur, in supplicatione circumferantur, palam exhibeantur, dignisque encomiis modo, quo supra, populo commendatæ, in ecclesia aliqua reponantur; prædictasque sacras reliquias modo, quo supra, inclusas, et sigillo eminentiæ suæ communitas venerabili capitulo et canonicis collegiatæ ecclesiæ SS. Celsi, et Juliani de Urbe, in qua jam altare in honorem S. Liborii instructum reperitur, ad augendam Romani populi erga prædictum Sanctum devotionem, ut in eo perpetuo maneant, ac debita veneratione retineantur, et conserventur, donare decrevit; prout ex nunc dictus eminentissimus eisdem venerabili capitulo, et canonicis licet absentibus, perillustribus, et admodum RR. DD. Jacobo Bonavento, Vincencentio Langerio, Matthæo Calvario, et Joanni Lagnello, dictæ collegiatæ ecclesiæ canonicis, qui a principio hujus actus interfuerunt, præsentibus, meque notario, pro aliis legitime stipulantibus et acceptantibus, idem eminentissimus D. cardinalis prædictas sacras reliquias dictæ pyxidi, ut supra inclusas, et sigillatas dedit, consi-
B gnavit. donavit, et effectualiter tradidit ad laudem et gloriam omnipotentis Dei : hac tamen lege eisdem injuncta, ut ejusdem reliquias incontinenti, ac nulla interposita mora, ad collegium Germanicum S. Apollinaris de Urbe deferant, et in manibus admodum R. P. Pauli Oliva ejusdem collegii rectoris deponant, ibidem permaneant usque ad diem, quo debito cum honore reliquiæ prædictæ ad collegiatam ecclesiam prædictam SS. Celsi et Juliani publice, palam, et processionaliter deferantur; quod erit repositum in dicti capituli et canonicorum arbitrio, ut ibidem postea remaneant, ut futuris temporibus, tam die vigesima tertia Julii, qua cadit prædicti S. Liborii festum, quam aliis futuris temporibus, ad majorem Dei gloriam, et servi ejus S. Liborii gloriam et honorem a piis Christi fidelibus devote venerari possint.

quæ interim

39 Qui quidem illustres et admodum RR. domini canonici, qui supra, præsentes, et quo supra nomine, easdem sacras reliquias modo supra clausas, et obsignatas debita cum reverentia et devotione recipientes, eidem eminentissimo Cardinali immortales, et quas potuerunt gratias
C reddiderunt, eidem a Deo semper felicia precantes, easdemque sacras reliquias secum asportarunt non solum, etc.; sed omni, etc. Super quibus, etc. Actum Romæ in regione Columnæ in palatio solitæ residentiæ dicti eminentissimi D. Cardinalis, præsentibus admodum R. P. Fabio Albergato Societatis Jesu nobili Bononiensi, ac perillustri et admodum R. D. Jacobo Antonio Serperio filio, bonæ memoriæ D. Marci Romano, testibus adhibitis ac rogatis.

in collegio Germanico S. Appollinaris

40 Eisdem anno, Indictione, die, mense, et præsentibus quibus supra, successive, et incontinenti supradicti perillustres et admodum RR. DD. Jacobus Beneventus, Vincentius Langerius, Matthæus Calvarius et Joannes Lagnellus canonici prædictæ collegiatæ ecclesiæ sanctorum Celsi et Juliani, una mecum notario a palatio dicto eminentissimi D. Cardinalis Caraffæ recedentes parendo mandatis ejusdem, recto tramite, et nulla interposita mora, ad collegium Germanicum S. Apollinaris de Urbe, existens in regione Campi Martii, prope ecclesiam S. Augustini et plateam Agonis, viisque publicis undequaque confirmatum pervenimus, ibique perventi admodum R. P. Joannem Paulum Olivam rectorem requisivimus. Quo adveniente, exposito illi per me, et canonicos prædictos mandato prædicti eminentissimi D. Cardinalis, pyxidem cum reliquiis in ea existentibus clausam et sigillo dicti eminentissimi obsignatam, prout per dictum eminentissimum canonicis prædictis tradita fuerat, eidem R. P. Olivæ tradiderunt, et in manibus ejusdem deposuerunt, et reliquerunt per eum conservandam usque ad diem, quo publice et processionaliter, ad ecclesiam collegiatam prædictam SS. Celsi, et Juliani, deferenda erit: qui quidem R. P. Oliva, præfatus rector, offerens se promptum dicti eminentissimi D. Cardinalis Caraffæ parere mandatis, dictam pyxidem eo modo clausam, et obsignatam debita cum reverentia recepit, et in depositum a dictis canonicis retinere dixit, et declaravit eisdem consignandam ad omnem liberam eorum voluntatem, ad formam, et mandatum dicti eminentissimi, et reverendissimi D. Cardinalis, et die per dictum E capitulum et canonicos ad dictam venerabilem ecclesiam SS. Celsi et Juliani deferenda erit, et sic promisit, etc.; non solum, etc.; sed omni, etc. Super quibus, etc. Actum Romæ in venerabili collegio Germanico S. Apollinaris Urbis, præsentibus RR. PP. Paulo Segneri et Guillelmo Jubari Societatis Jesu testibus rogatis, etc.

conservatæ sunt,

41 Eisdem anno, Indictione, et pontificatu, quibus supra, die vero trigesima prima mensis Octobris, coram illustrissimo et reverendissimo D. Ascanio Vinaldo patricio Romano, utriusque signaturæ sanctissimi domini nostri Papæ referendario, et eminentissimi et reverendissimi D. almæ Urbis Cardinalis vicarii vicesgerente, meque, etc, ac testibus, etc. comparentibus, etc., infrascripto loco [comparuit] perillustris et admodum R. D. Matthæus Calvarius, unus ex canonicis prædictæ insignis, et collegiatæ ecclesiæ, eidem reverendissimo D. vicesgerenti expositis prius et enarratis omnibus in suprascripto instrumento recognitis donationis, et consignationis suprascriptæ sacræ reliquiæ S. Liborii episcopi Cenomanensis, eminentissimo et reverendis- F simo domino S. R. E. cardinali Aloysio Caraffæ præfato e civitate Paderbornæ transmissæ, et per eumdem eminentissimum D. Cardinalem [concessæ] venerabili ecclesiæ et capitulo SS. Celsi et Juliani. Factum in actis mei et supra rogatorum [præsentia], sub die vigesima nona Septembris proximi. Etiam depositio ejusdem sacræ reliquiæ reconditæ in eisdem capsulis, in quibus fuit transmissa, et sigillo ejusdem eminentissimi D. cardinalis Caraffæ sigillatis per ipsum, cum supradictis aliis canonicis de ordine eminentissimi D. Cardinalis successive et incontinenti facta in manibus admodum R. P. Joannis Pauli Olivæ, venerabilis collegii S. Apollinaris Urbis rectoris, ad effectum exinde ad dictam ejus venerabilem ecclesiam SS. Celsi et Juliani processionaliter, et solenniter transportandi, eidemque reverendissimo D. vicesgerenti ostensis suprascriptis instrumentis, et litteris testimonialibus authenticationis et donationis ejusdem sacræ re-

AUCTORE G. C.

liquiæ, petiit, et institit per dictum R. P. Olivam, dictam capsulam, sic ut supra sibi consignatam, dicto reverendissimo D. vicesgerenti consignari : qui R. P. Oliva dictam capsulam sic, ut supra, clausam et sigillatam, in manibus dicti reverendissimi D. vicesgerentis tradidit.

donec reverendissimus almæ Urbis vicarii vicesgerens,

42 Qua consignatione secuta, idem R. D. Matthæus petiit et institit dictam capsulam recognosci, aperiri dictam sacram reliquiam, in infrascripto reliquiario collocari; et impertiri licentiam, illam ad dictam venerabilem ecclesiam transportandi, et ibi publice tam in dicto festo S. Liborii, quam aliis quibuscumque temporibus exponendi. Qui illustrissimus et reverendissimus D. vicesgerens, visis et perlectis instrumentis et litteris testimonialibus transmissionis, donationis, recognitionis et consignationis respective dictæ sacræ reliquiæ, visaque et recognita dicta capsula, illaque integra, sic, ut supra, sigillata omni prorsus vitio carente reperta, eodemmet [sigillo sublato], quo fuit consignata, dictam capsulam coram me notario publico ac testibus infrascriptis aperuit, et intus dictam aliam capsulam variegatam invenit, in qua dictam sacram reliquiam S. Liborii eodem modo, ac forma, quibus intus recondita fuit.

B

eas honorificæ lipsanothecæ inclusas,

43 Quasacra reliquia præ manibus reverenter accepta, veneratus eamdem fuit, et postea eamdem sacram reliquiam in quoddam reliquiarium, seu vas argenteum ad formam custodiæ, et figuræ rotundæ constructum cum capsula, et cruce in superiori parte altitudinis fere duorum palmorum cum suo crystallo collocavit, et recondidit; et apposito duobus in locis cera Hispanica impresso in pede dictæ sacræ reliquiæ ejus solito sigillo, ac etiam recondita intus quadam schedula pecudinea, ejus propria manu scripta ac subscripta sequentis tenoris videlicet : Reliquia S. Liborii episcopi Cenomanensis e civitate Paderbornæ transmissa, in hoc vase reposita per me Alcanium Rivaldum sanctissimi D. N. Papæ Innocentii decimi, ejusque Cardinalis vicarii vicesgerentem, pridie Kalend. Novembris anno Domini MDCLI. A. Rivaldus. Vicesgerens idem reliquiarium claudi fecit, prout clausum fuit, etiam statim et incontinenti illud in manibus dicti R. D. Matthæi, ut supra, præsentis consignavit, et licentiam et facultatem de illud asportando ad dictam venerabilem ecclesiam SS. Celsi et Juliani pro nunc privatæ, reservata tamen facultate processionem et solemnitatem prædictam faciendi arbitrio sanctissimi D. N. Papæ, et in dicta venerabili ecclesia publicæ fidelium venerationi [tam] in dicto festo S. Liborii, quod cadit sub die XXIII Julii, quam aliis quibuscumque temporibus exponendi, in Domino concessit, et impertitus fuit.

C

in ecclesia SS. Celsi et Juliani publice exponi permisit,

44 Quod reliquiarium cum dicta sacra reliquia sicut supra clausum dictus R. D. Matthæus, ea qua decet reverentia et devotione, quo supra nomine, ad se recepit, et secum asportavit ad effectum prædictum non solum, etc. Super quibus omnibus et singulis præmissis petitum fuit a me notario publico infrascripto, unum vel plura publicum seu publica conficerem atque traderem instrumentum, et instrumenta, prout opus fuit. Actum Romæ in venerabili collegio præfato S. Apollinaris, præsentibus ibidem, audientibus, et intelligentibus his videlicet : illustrissimo D. Carolo Montecatino nobili Ferrariensi sacræ consistorialis aulæ advocato, et perillustri admodum excellente D. Jacobo Antonio Serperio filio bonæ memoriæ D. Marci Romani, eminentissimi et reverendissimi D. cardinalis Sfortiæ, auditore, testibus ad præmissa omnia, et singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis, A. Rivaldus vicesgerens..... Idem Leonardus N., etc.

D

ut ex authenticatis notarii actis constat.

45 Ego Leonardus de Leonardis civis Romanus, cum eminentissimi et reverendissimi domini almæ Urbis cardinalis, S. D. N. Papæ vicarii generalis, notarius publicus de præmissis rogatus [fui,] præsens instrumentum subscripsi, et publicavi requisitus in fidem.

Nos Marius miseratione divina tituli S. Petri ad Vincula S. R. E. cardinalis Ginettus nuncupatus sanctissimi D. N. Papæ vicarius generalis, et judex ordinarius, universis fidem facimus, et attestamur, supradictum D. Leonardum de Leonardis de præmissis rogatum, esse notarium publicum, et talem, qualem se fecit, suisque scripturis publicis et similibus semper adhibitam fuisse, et de præsenti plenam adhiberi fidem in judicio et extra. In quorum fidem, etc. Datum Romæ ex ædibus nostris hac die quinta Novembris MDCLI. Pro D. Sebastiano Cesio notario Antonius Perunis fidem, etc. Loco ✠ sigilli. Et inferius est capsula lignea.

E

§ V. Sancti Liborii reliquiæ Bruxellenses, confraternitas ibidem in ejus honorem instituta, et indulgentiæ huic concessæ.

Archiepiscopus Mechliniensis S. Liborii reliquias publice exponi permittit,

In urbe Bruxellensi sacellum S. Laurentio dicatum est, in quo publicæ venerationi exponuntur S. Liborii *reliquiæ, quas prænobilis D. Philippus vanden Wouwere eidem sacello donavit; is autem eas acceperat a nobilissimo D. Arnoldo Wolfgango comite d'Huyn, Gheleen, et Amstenraed, ut constat ex litteris, die* XII *Maii anno* 1667 *hac de re datis, quarum meminit R. P. Franciscus vanden Werve Minorita in Emblematibus seraphicis, anno* 1678 *ad* S. Liborii *honorem Flandrice impressis. Ad comitem Arnoldum Wolfgangum suspicor eas transiisse ex familia Christinæ de Croy, principis Salmensis, a cujus pia munificentia variæ* S. Liborii *reliquiæ in Belgium pervenerunt. Unde vero illas obtinuerit illustrissima princeps, ex paragrapho secundo horum Analectorum satis patet, ubi sese eas ex ipsis sacris exuviis, a Christiano Brunswicensi restitutis, decerpsisse testatur.*

F

atque eas visitantibus indulgentias concedit.

47 *Reverendissimus ac illustrissimus archiepiscopus Mechliniensis has reliquias Bruxellis publice exponi permisit, et earum venerationem concessis indulgentiis promovit, ut liquet ex sequentibus ejus litteris :* Alphonsus de Berghes Dei et Apostolicæ Sedis gratia archiepiscopus Mechliniensis omnibus has visuris salutem in Domino sempiternam. Subditorum nostrorum desideriis tanto libentius annuimus, quanto magis per ea cultum Sanctorum et populi erga illos devotionem promoveri speramus. Hinc cum sicut permisimus reliquias

sancti

A sanctì Liborii, singularis patroni contra calculi dolores, in capella sancti Laurentii Bruxellis exponendas fidelium venerationi, nos ut ejus Sancti cultus et pia ejusmodi opera majori studio et fructu promoveantur, dominì Philippi vanden Wouwere, domini de Haeren, hujus urbis scabinì et dictæ capellæ sancti Laurentii præpositi perpetui, precibus desuper nobis porrectis paterne inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui præfatam capellam in die festo sanctì Liborii et per ejus Octavam visitaverint, atque singulis mensibus prima feria quarta in honorem illius Sancti sacro decantando devote interfuerint, quadraginta dierum indulgentias misericorditer concedimus et elargimur. Datum Bruxellis die XXVII Februarii MDCLXXI.

Postea in honorem ejusdem Sancti

48 *Præterea in eadem urbe ad majorem* S. Liborii *honorem instituta est congregatio, quam Clemens X Pontifex magno favore persecutus est, ut manifestum fit ex illius Brevi, quod admodum R. D. Joannes Baptista Hamelinx, canonicus sanctorum Michaelis et Gudulæ, et ejusdem congregationis præpositus, mihi perhumaniter describi curavit, et* B *cujus apographi concordantiam cum originali ipsemet, tamquam protonotarius apostolicus, propria manu testatur. Breve autem Pontificis sic sonat :* Clemens PP. X ad perpetuam rei memoriam. Cum, sicut accepimus, in ecclesia sancti Laurentii oppidi Bruxellensis, Mechliniensis diœcesis, una pia et devota utriusque sexus Christi fidelium confraternitas sub invocatione sancti Liborii episcopi Cenomanensis, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice erecta seu erigenda existat, cujus confratres et consorores quamplurima pietatis et caritatis opera exercere consueverunt :

institua est confraternitas,

49 Nos ut confraternitas hujusmodi majora indies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate coufisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, quì dictam confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes et confessi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, plenariam ac eisdem tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta confraternitate confratribus et C consororibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere pœnitentes et confessi ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam plenariam ; ac eisdem nunc et pro tempore existentibus dictæ confraternitatis confratribus et consororibus etiam vere pœnitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui præfatæ confraternitatis ecclesiam seu capellam vel oratorium die festo principali dictæ confraternitatis, per confratres semel tantum eligendo et ab Ordinario approbando, a primis vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, et sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

50 Insuper dictis confratribus et consororibus etiam vere pœnitentibus et confessis ac sacra Communione refectis ecclesiam seu capellam vel oratorium hujusmodi in aliis quatuor anni feriatis vel non feriatis seu Dominicis diebus per dictos confratres etiam semel tantum eligendis, et ab eodem Ordinario approbandis, ut supra, visitantibus et ibidem orantibus, quo die præfatorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas ; quoties vero Missis et aliis divinis officiis in ecclesia seu capella vel oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis ejusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, vel etiam qui corpora defunctorum tam confratrum et consororum hujusmodi quam aliorum sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiæ sacramentum, tam in processionibus quam cum ad infirmos aut alias ubicumque et quomodocumque pro tempore deferatur, comitati fueriut, aut si impediti, campanæ ad id signo dato, semel orationem Dominicam et E salutationem angelicam dixerint, aut quinquies orationem ac salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum hujusmodi recitaverint, aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes præcepta Dei, et ea quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis confratribus et consororibus præmissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, præsentes nullæ sint, utque si dicta confraternitas alicui archiconfraternitati aggregata jam sit vel imposterum aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, aut etiam quomodolibet instituatur, priores et quævis aliæ litteræ Apostolicæ illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullæ sint. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die XXI Augusti MDCLXXI, Pontificatus nostri anno secundo. Subsignatum J. G. Slusius. F

AUCTORE G. C.

quam Clemens X Pontifex

spiritualibus donis locupletavit,

51 *Idem Pontifex defunctis confratribus et consororibus succurrere volens eodem tempore dedit sequens Breve :* Clemens Papa X ad futuram rei memoriam. Omnium saluti paterna caritate intenti sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animæ Domini nostri Jesu Christi ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi et illis adjutæ ex purgatorii pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur ecclesiam sancti Laurentii oppidi Bruxellensis, Mechliniensis diœcesis, in qua confraternitas sancti Liborii episcopi Cenomanensis canonice instituta existit, et [si] in ea sit altare majus, ad præsens privilegio minime decoratum, hoc speciali dono illustrare, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos

AUCTORE G. C.

dos aliquis secularis vel cujusvis Ordinis regularis Missam defunctorum in die commemorationis defunctorum, et singulis diebus infra illius Octavam, ac feria quarta cujuslibet hebdomadæ pro anima cujuscumque confratris vel consororis dictæ confraternitatis, quæ Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini nostri Jesu Christi ac beatæ Mariæ virginis Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, e purgatorii pœnis liberetur concedimus et indulgemus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, præsentibus ad septennium tantum valituris. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die XXI Augusti MDCLXXI, Pontificatus nostri anno secundo. Signatum J. G. Slusius.

et cui archiepiscopus indulgentiarum dies assignavit.

52 *Porro de iis, quæ arbitrio Ordinarii relicta fuerant, illustrissimus archiepiscopus ista statuit :* Alphonsus de Berghes Dei et Apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Mechliniensis omnibus has vi-

B

suris salutem in Domino. Piis subditorum nostrorum desideriis tanto lubentius annuimus, quanto magis per ea cultum Sanctorum et populi erga illos devotionem promoveri conspicimus. Hinc est, quod cum nobis exhibitæ sint litteræ sanctissimi domini nostri divina providentia Clementis Papæ decimi in forma Brevis sub annulo Piscatoris, quibus præsentes nostræ transfiguntur, et pro parte plurium devotorum fidelium supplicatum fuerit, ut in ecclesia seu capella sancti Laurentii in hac urbe regia Bruxellensi nostræ diœcesis, confraternitatem sub invocatione et titulo sancti Liborii confessoris pontificis in nephriticis doloribus summi patroni canonice et juxta præfatarum litterarum Apostolicarum tenorem erigere vellemus et dignaremur : nos attendentes, quam multa et insignia ex causa ejusmodi confraternitatis opera pietatis caritatisque officia per confratres et consorores exerceri consueverunt, ac animarum saluti augendæ, quantum in nobis est, paterna solicitudine intenti, ad instantiam præfatorum fidelium devotorum dictam confraternitatem in dicta ecclesia seu capella sancti Lauren-

C

tii sub invocatione et in honorem ejusdem sancti Liborii erigendam duximus, et per præsentes auctoritate nostra ordinaria erigimus sub regulis, conditionibus, gratiis et indulgentiis in supradicto Brevi Apostolico comprehensis, eamque sic a nobis erectam debite publicari permittimus, assignantes Dominicam primam Januarii, Dominicam Lætare, Dominicam primam Junii, et festum ejusdem sancti Liborii Confessoris Pontificis, et Dominicam infra Octavam, quibus confratres et consorores indulgentias, in eodem Brevi certo modo declaratas et insertas, poterunt perpetuis futuris temporibus promereri.

ac regulas,

53 *Deinde illustrissimus præsul confraternitati præscribit sequentes regulas :* 1. Omnes Christi fideles utriusque sexus cujuscumque status et conditionis, qui huic confraternitati suum nomen dare voluerint, dabunt tres stuferos pro inscriptione, et singulis annis unum stuferum ad opus confraternitatis. 2. Singulis annis postridie festi sancti Liborii fiat sacrum solenne pro defunctis confratribus ; commendatur autem singulis con- D

fratribus et consororibus, qui media habent, ut relinquant parvum legatum pro celebrandis sacris ; qui autem media non habent, celebrabitur ex parte confraternitatis statim post mortem unum sacrum. 3. Item omnes confratres et sorores dictam confraternitatem intrantes, qui vere confessi et sacra Communione refecti, similiter qui in articulo mortis devote et animo contrito corde vel ore pronuntiabunt nomen Jesu, indulgentiam plenariam lucrabuntur. 4. Item omnes confratres et sorores, qui ipso festo S. Liborii pariter confessi et sacra Eucharistia refecti visitabunt ecclesiam sancti Laurentii, et ibidem juxta fines et intentionem sanctæ matris Ecclesiæ quinquies Pater et Ave aut alias preces fuderint, indulgentiam plenariam consequentur ; et Domiuica prima Jauuarii, Dominica Lætare, Dominica prima Junii, et Dominica infra Octavam ejusdem sancti Liborii indulgentiam septem annorum et totidem quadraginta dierum, et alias, prout in litteris Apostolicis. 5. Qui huic confraternitati adscribentur, si quem habeant consuetudinem juran- E

di, turpia et scandalosa proferendi, aut in alio genere peccandi, studeant illam superare, et delinquentem proximum in mansuetudine corripiant.

et gubernationis modum præscripsit

54 *Denique illustrissimus Alphonsus litteras suas ita concludit :* Hæc confraternitas regetur a quatuor confratribus, ex præcipuis ejusdem confraternitatis, singulis bienniis ab eadem confraternitate eligendis, inter quos erunt duo præpositi et duo assistentes, qui recipient et colligent eleemosynas, et tenebuntur quotannis reddere rationem receptorum et expensorum coram commissario a nobis deputando, et præpositis officio suo eodem anno defunctis ; et si quid circa prædicta addendum, corrigendum, interpretandum aut demendum, hoc nobis reservamus. In quorum fidem præsentes dedimus sub nostris signatura et sigillo die decimo Octobris, anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo primo. Signatum : Alphonsus archiepiscopus Mechliniensis ; et erat appensum sigillum impressum ceræ rubræ. *Quamvis præpositi et assistens singulis bienniis mutandi sint, tamen prænobilis D. Philippus vanden Wouwere, toparcha de Haeren, qui reliquias* S. Liborii *sacello Laurentiano donaverat, meruit hoc beneficio archipræpositus perpetuus eligi, ut patet ex Flan-* F

drico Emblematum seraphicorum libello, qui anno 1678 *ipsi dedicatus fuit.*

§ VI. Antverpienses S. Liborii reliquiæ, confraternitas et indulgentiæ.

Reliquiæ S. Liborii, quas princeps Salmensis D. Sebastiano Pangaert,

Bruxellensium devotionem erga S. Liborium *non diu post imitati sunt Antverpienses, quando a prænobili D. Francisco Paulino de Brouckhoven obtinuerunt quasdam ejusdem sancti Præsulis reliquias, quæ venia illustrissimi episcopi Antverpiensis in sacello Mariano plateæ Cæsareæ ad publicam venerationem expositæ fuerunt, et quarum primum fontem ac legitimam traditionem deteges ex sequentibus instrumentis, quæ per consules et scabinos Antver-*

A *Antverpienses anno* 1676 *authentice recognita sunt. Sic autem sonant :* Carolus Theodorus Ottho, Dei gratia princeps Salmensis et sacri imperii comes Silvestris, Rheni, Haun, Kirbourg et Stain ; baro de Fenestrange, Ansolt, Bar et Latum, toparcha de Puligny, Bajon, Noien, Oengewiller et Mederich, vexillifer hereditarius ducatus Gelriæ et comitatus Zutphaniæ, colonellus equestris unius legionis ad servitium suæ majestatis Catholicæ secundum ritum Alemannorum, etc. ; certificamus attestamurque per præsentem, quod douaverimus D. Sebastiano Pangaert, advocato in consilio supremo Brabantiæ et consiliario nostro domestico duas particulas ex cranio S. Liborii episcopi..... et patroni Paberbornensis : quas particulas cranii certificamus in fide honesti equitis separatas esse a cranio prædicti S. Liborii, quasque avia mea Christina de Croy, nata ducissa Areschoti, etc. sibi reservavit, quando reddidit reliquias S. Liborii, ad instantiam Ferdinandi Bavari electoris Coloniensis, qui eas repeti fecerat, tamquam patroni sui episcopatus Paderbornensis, quemadmodum in adjunctis attestationibus apparet. In B cujus rei fidem hanc chartam signavimus, eique apponi fecimus insignia nostra ; ipsasque particulas signavimus, eique apponi fecimus insignia nostra : ipsasque particulas signavimus nostro sigillo intra pyxidem exiguam serico rubeo obvolutam. Actum Bruxellæ XII Martii MDCLXXI

✠ Locus sigilli. Carolus Theodorus Otto.

et is D. Francisco Paulino de Brouckhoven tradiderat,

56 Amatus Coriache presbyter canonicus archidiaconus in Metropolitana S. Rumoldi ecclesia Mechliniæ, nec non illustrissimi ac reverendissimi D. archiepiscopi Mechliniensis vicarius generalis, notum facimus, nos adhibitis viris eruditione ac rerum agendarum usu excultis, ac alias juxta formam a sacrosancta synodo Tridentina præscriptam lustrasse multiplicia documenta seu attestationes personarum speciali nota dignarum, et quidem particulariter litteras donationis, quas sub suis signaturis ac sigillo D. Carolus Theodorus Otto, per Dei gratiam princeps de Salm et C sacri imperii, etc. expedivit Bruxellæ, die XII Martii MDCLXXI, declarans se duas particulas de cranio S. Liborii episcopi, quas olim D. Christina de Croy avia sua (cum prædicti sancti Episcopi reliquias, e cathedrali Paderbornensi in antea hostiliter ablatas, ad instantiam serenissimi D. Ferdinandi Bavari electoris Coloniensis, etc. restituendas curaret prædictæ cathedrali) apud se religiose retinuerat, D. Sebastiano Pangaert jurisconsulto Antverpiensi, consiliario suo domestico, inclusas parvulæ capsulæ, sigillo suo munitæ, donasse. Quam quidem capsulam accurate conclusam et dicto sigillo super rubeo serico diversis in locis munitam, aperuimus ; et ante memoratas duas particulas cranii in ea deprehendimus : quarum una ejus est magnitudinis et formæ, *(quantitas in margine expressa articulum digiti circiter adæquabat)* uti in margine exprimitur ; altera vero ferme ad medietatem est minor. Quam quidem majorem particulam in prædicta capsula reliquimus, ipsam tam sacram reliquiam quam capsulam minore nostro sigillo hic infra apparente in cera Hispanica signavimus, et ad ante fatum D. Sebastianum jurisconsultum remisimus declarando ipsam pro vera et indubitata reliquia S. Liborii habendam esse, et pro tali publicæ Christi fidelium venerationi in hac diœcesi et alibi posse exponi. Minorem vero particulam, quam similiter pro vera et indubitata reliquia habendam et publicæ fidelium venerationi exhibendam decernimus, dimisimus ad nobilem virum D. Franciscum Paulinum de Brouckhoven, dictæ civitatis scabinum, cui sæpefatus D. Sebastianus jurisconsultus eam donavit, juxta patentes ipsius litteras, desuper expeditas Bruxellæ, VI Julii anno MDCLXXIV, signatas Sebast. Pangaert. In quorum fidem, etc.... Mechliniæ die XVIII Julii anno Domini MDCLXXVI.

AUCTORE G. C.

legitime recognitæ,

57 Vicarii generales episcopatus Antverpiensis sede vacante omnibus has visuris salutem in Domino. Fidem facimus et attestamur, nos die datæ harum ad petitionem D. Sebastiani Pangaert jurisconsulti, aperuisse capsulam sigillis integram, in qua remanserat particula major cranii S. Liborii episcopi, de qua supra in litteris E approbationis, illamque divisisse in duas partes fere æquales : quarum alteram reservavit sibi antedictus D. Pangaert ; alteram vero liberalis animi candore dedit nobili ac generoso viro D. Francisco Paulino van Brouckhoven, huic urbi sæpius a senatu, grato animo acceptanti, et pio osculo veneranti. Utramque vero particulam seorsim inclusimus duabus pyxidibus argenteis, singulis a parte superiori crystallo perlucida ornatis, et a parte posteriori vitta serica coloris rubei clausis, et sigillo nostro vicariatus in cera Hispanica impresso munitis. Cum autem de earumdem legalitate suprascriptis litteris authentice constet, illas et quamlibet earum publicæ fidelium venerationi pro genuinis S. Liborii episcopi reliquiis exponi permisimus. In quorum fidem hasce sub sigillo nostri vicariatus expeditas, secretarii signatura corroborari mandavimus. Antverpiæ die XXVI Februarii MDCLXXVII.

P. de Bisthoven secret.

et Antverpiæ in sacello Mariano publice expositæ fuerunt:

58 Vicarii qui supra. Quoniam qui Sanctis deferuntur honores in Dei omnipotens gloriam et F totius Ecclesiæ redundant utilitatem ; in illis, quæ eorumdem cultui amplificando conducunt, officia nostra lubenter impendimus. Cum itaque nobilis ac generosus D. Franciscus Paulinus de Brouckhoven, hujus civitatis per plures annos senator, particulam quamdam ex cranio S. Liborii episcopi ab illustrissimo ac reverendissimo D. Ambrosio Capello piæ memoriæ, Antverpiensi episcopo, antehac pro legali approbatam dono dedisset sacello Mariano, in Platea Cæsarea in hac civitate, ac nobis humiliter supplicasset, quatenus aliam priori majorem de eodem cranio particulam, quamque (prout et priorem ante dictam) liberali dono acceperat a consultissimo D. Sebastiano Pangaert J. U. L. juxta tenorem donationis, ejusdem donatoris manu et signatura firmatæ in capsula lignea inclusam et sigillo reverendi admodum D. Amati Coriache, ecclesiæ metropolitanæ Mechliniensis canonici et archidiaconi et illustrissimi ac reverendissimi D. archiepiscopi vicarii

AUCTORE G. C.

vicarii generalis obsignatam, in duas partes dividere et ad dictum finem dictam capsulam aperire vellemus et dignaremur: nos tam piæ devotionis affectui favorabiliter inclinati, dictam capsulam aperuimus, in eaque reperimus particulam de cranio S. Liborii episcopi quantitatis prout hic in margine et ipsæ litteræ approbationis..... præferebant; illamque in duas partes fere æquales divisimus utramque separatim includentes duabus pyxidibus argenteis, etc., ut supra, die XXVI Februarii MDCLXXVII.

ubi etiam in honorem istius Sancti confraternitas instituta est.

59 *Deinde etiam ad exemplum Bruxellensium Antverpienses instituerunt confraternitatem* S. Liborii, *cui Clemens XI Pontifex anno* 1711 *per Breve perpetuo duraturum concessit easdem indulgentias, quibus Clemens X congregationem Bruxellensem donaverat. Cum autem utrobique ferme sit idem tenor harum Apostolicarum litterarum, ut inter legendum observavi, superfluum foret eas hic transcribere. Regulæ seu statuta confraternitatis Antverpiensis nonnihil ab iis differunt, quæ paragrapho præcedenti dedimus. Diversi etiam sunt quidam dies, qui ad lucrandas indulgentias assignantur. Sed hæc omnia ad usum confratrum et consororum in libello Flandrico Antverpiæ impressa sunt, et ad institutum nostrum proprie non pertinent. Jam huic paragrapho finem impono, postquam curioso lectori indicavero, nos Antverpiensibus* S. Liborii *reliquiis annumerare eas, quas serenissimus archidux Leopoldus, Belgii gubernator, Majoribus nostris post mortem suam dari curavit, quasque in ara, Museo nostro vicina, pretiosæ lipsanothecæ inclusas reverenter conservamus.*

§ VII. Miracula ex duobus Mss. Italicis Latine reddita.

Referuntur varia beneficia,

Bollandus noster ad calcem duplicis miraculi, a se relati, protestatur, sese in his non exigere nisi historicam fidem narrantis, donec ea legitime examinata et probata fuerint. Idem ego hic præmoneo de beneficiis, intercessione S. Liborii *præstitis, quæ jam pleraque ex Italico Ms. Latina faciam. Ea vero sic habent:* Cum Joannes Franciscus Eugubinus prædicator ex Ordine Capucinorum anno MDCXLVI Fontibus Clusinis calculo laboraret, ab illustrissimo episcopo Amerino, qui ibi tunc aderat, accepit antiphonam et orationem S. Liborii; quas cum quotidie recitaret, a præfato morbo liberatus est. Dum idem pater mense Maio anni sequentis cum aliis patribus Tifernum tendit ad capitulum, quidam Guardianus in via gravissimo renum dolore torquebatur. Suadet igitur ei Joannes Franciscus, ut opem S. Liborii imploret, et antiphona ac oratione recitatis, adeo perfecte sanatus est, ut in itinere alios præcederet. Idem Joannes Franciscus anno MDCXLVII existens Guardianus Narniensis mense Augusto perrexit Assisium ad lucrandas indulgentias, et in via divertit ad hospitium Caroli Mediolanensis benefactoris Capucinorum, cui erat filiolus jam moribundus ob retentionem urinæ, quam spatio viginti dierum non emiserat, exceptis paucis guttulis. Prædictus pater imaginem S. Liborii puero applicuit, ac recitavit orationem. At ecce antequam e domo illa discederet, ostensa fuit illi magna urinæ copia, quam infans emiserat.

quæ S. Liborius

61 Baptista Miretti Amerinus quinque annis calculo afflictus, ita ut sine sanguine et summo dolore numquam vesicam exoneraret, contulit sese in clientelam S. Liborii, et anno MDCXLVII comitatus est illius reliquias, quæ in supplicatione circumferebantur, Ab eo tempore emisit plurimos lapillos albos tantæ magnitudininis, ut medici judicarent, eos naturaliter per tam angustum meatum transire non potuisse.

Alexander Pitti Narniensis, retentione urinæ vehementer oppressus, plurima remedia incassum adhibuit. Tandem mense Septembri anni MDXLVII, audita fama S. Liborii, Ameriam se contulit ad visitandas Sancti reliquias, et ex eo tempore sensim ad meliorem statum reductus est.

Quando Bernardinus Bianconi Narniensis mense Septembri anni MDCXLVII calculo vexatus non poterat urinam reddere, devote accepit imaginem S. Liborii, et a filio suo antiphonam et orationem legi jussit. Postea cubitum concedens obdormivit et expergefactus magnam urinæ copiam una cum lapide emisit, quem in sanitatis testimonium Ameriam misit.

calculo laborantibus,

62 Cum Ludovicus de Mugnano, sacerdos ex Ordine sancti Francisci de Observantia, anno MDCXLVIII in conventu S. Joannis Ameriæ maximis renum doloribus per quinque dies et noctes cruciaretur, obtinuit ab Augustino Carleno imaginem S. Liborii expressam in rubra bysso, cui involutæ fuerant sacræ reliquiæ, quando Ameriam deferebantur. Tum ille eam sibi applicans, summa cum devotione se sancto Præsuli commendavit, subitoque fugatis doloribus, paululum quievit. Sed dum postea iidem dolores redirent, iterum magna fiducia ad Sancti patrocinium confugit, et paulo post, emisso cum urina calculo, se a cruciatu liberum sensit.

Ludovicus Oddi sacerdos Tudertinus, per septem annos et medium continua urinæ distillatione vexatus, multum pecuniæ in medicos erogaverat. Dum remedia nihil sibi prodesse cernit, opem S. Liborii implorat, incipiens antiphonam cum oratione in illius honorem quotidie recitare. Quarto die, quo hoc cœperat, auxilium sensit, et I Julii anno MDCXLVIII pristinæ sanitati restitutus coram eminentissimo cardinale Altieri, episcopo Tudertino, beneficii veritatem legitime probavit.

Cum anno MDCXLIX Taurinum ad illustrissimum D. Crescentium nuntium apostolicum missæ fuissent S. Liborii imagines, marchio Pallavicinus, pædagogus serenissimi ducis, primam expertus est Sancti intercessionem, quæ vere mirabilis fuit: nam simulatque se Sancto commendaverat, ejecit aliquot lapillos, qui cum vehementi cruciatu illum ad pessimum statum redegerant.

aut simili morbo afflictis

63 Ego frater Seraphinus Tifernas prædicator Capucinus testor, quod anno MDCXLIX conciones instituens Varalli inviserim D. Bianchi prætorem dicti loci, qui ex gravissimo renum dolore periculose ægrotabat, ac ipsi dederim imaginem S. Liborii cum antiphona et oratione. Is igitur auxilium Sancti implorans subito emisit calcu-

A calculum, qui ipsum tantopere vexabat, et pristinam sanitatem recuperavit. In quorum fidem scripsi præsentem chartam, et sigillo loci munivi die XXVII Julii anno MDCXLIX.

Frater Felix Salta, Augustinianus Matilicensis, Romæ acerrimum calculi dolorem passus, oravit S. Liborium, ut hoc morbo liberaretur. Brevi igitur tempore ejecit octodecim lapillos, et grati animi causa venit Ameriam, ibidemque anno MDCXLIX ad altare sancti Liborii Missam celebravit.

Anno MDCLV, die III Novembris, dominus Accorsinus Cingulensis calculo laborans sese S. Liborio commendavit, ac liberatus est eo dolore, quem per plures annos passus fuerat.

Antonius Maestrini Perusinus post plurimos renum dolores toleratos, fecit votum S. Liborio, et illius auxilium sensit, ut constat ex fide publica.

et opem suam implorantibus,

64 Anno MDCLIV, die XI Junii Justinianus Miratelli, ex civitate Plebis, vehementibus calculi doloribus opprimebatur, quia duo lapilli, quorum B unus erat crassus sicut oliva, alter longus et sinuosus instar serpentis, obturaverant orificium vesicæ, ita ut per tres dies nullam urinam faceret. Post frustranea medicamina et balnea eo redactus est, ut urina syringe elicienda esset. Denique extremis Ecclesiæ sacramentis munitus accepit a Guardiano dicti loci imaginem S. Liborii, et Sancto se commendans morbum evasit, lapillis foras erumpentibus, ut patet ex examine, quod illustrissimus episcopus instituit.

Anno MDCLVII Dominicus Veliternus concionator ex Ordine Prædicatorum nephriticis doloribus ita obruebatur, ut finem vitæ sibi instare crederet. Vovit itaque S. Liborio, se curaturum, ut Ameriæ in ipsius altari Missa celebraretur. Voto facto, calculus, quem in renibus sentiebat, descendit in vesicam, ubi ita se continet, ut eum ab omni molestia liberum sinat.

præstitit.

65 Joannes Baptista Presutti, archipresbyter in diœcesi Reatina, acerrimo renum dolore per plures annos afflictus, ex præscripto medici oleum scorpionum afferri jusserat. Famulus, qui illud ferebat, ob alia negotia adiit palatium gu- C bernatoris Reatini, et interrogatus est, quid in ea laguncula contineretur. Cum vero respondisset, esse oleum scorpionum pro archipresbytero ad leniendum calculi morbum, dixit quidam, se orationem S. Liborii missurum. Archipresbyter, sepositis omnibus medicamentis, cœpit eam orationem recitare, et sensit magnum doloris lenimen, exspectans intercessione Sancti perfectam sanitatem.

Joannem Andream Craccoli Amerinum Priorem conventus S. Augustini retentio urinæ in summum vitæ discrimen adduxerat. Post adhibita incassa multa remedia confugiens ad opem S. Liborii, jussit in ipsius honorem Missam celebrari. Hoc facto, sine ullo dolore vesicam exoneravit, et ejecit lapillum adinstar pisi, ac deinceps ab eo morbo liber exstitit.

Nos ex duplici Ms. Italico

66 *Hactenus primum Ms. Italicum, quod difficillimo charactere exaratum est, ita ut hinc inde aliqua vix legere potuerim. Jam subjungo alterum Ms., majori ex parte Italicum, quod Ameria nobis jam pridem missum est, et recenset beneficia alia, modo sequenti :* Dominus Joannes Bellati anno millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, cœpit urinæ difficultatem pati, quæ illo et sequenti anno duravit, ita ut urinam retinere non posset, eamque cum summo cruciatu singulis fere momentis emittere cogeretur. Mense Januario et Februario anno MDCXLIX malum ita auctum est, ut quadrante horæ aliquando sexagesies cum acerrimo dolore paucas urinæ guttulas redderet. Cum nulla medicamina prodessent, initio quadragesimæ ejusdem anni patronum elegit S. Liborium, cui se viva fide commendans quotidie orationem illius recitavit. Tandem die XXIII Julii, quo festum Sancti celebratur, sanitatem adeptus est, uti ipsemet, interposito juramento, testatus est, et legitime probavit.

AUCTORE G. C.

Latine reddimus ea miracula,

67 Mense Novembri anni MDCL frater Felix laicus Capucinus Amerinus per viginti annos duplici hernia laboraverat, quæ eo tempore ita ingravescebat, ut jam nullo cingulo contineri posset, et singulis fere momentis eam manu intromittere cogeretur. Suasione Joannis Baptistæ Amerini, sacerdotis ex eodem Ordine, commendavit sese S. Liborio, et statim aliquod mali lenimen expertus est. Attamen prædicto Joanni E Baptistæ dixit, se nondum omnino sanatum esse, quamvis malum magna ex parte fuisset diminutum. Joannes Baptista respondit, sanationem non fuisse perfectam, quia non habuerat magnam et vivam fidem. Quare majori cum fervore rursus Sanctum invocavit, et ante ejus imaginem, quam in cella sua habebat, genua flexit, ibique omnimodam sanitatem obtinuit, ita ut nullum herniæ indicium relinqueretur. Itaque ad gratum animum ostendendum detulit cingulum, herniam continere solitum, ad altare S. Liborii, ac postea in publico examine hæc omnia juratus affirmavit.

quæ Ameriæ in Umbria

68 Marcus Antonius Zampa Amantricensis, habitans Ameriæ, ejusque uxor, Margarita Joannis, jurejurando asserunt, ut constat ex examine episcopali die XVII Aprilis anno MDCLI, Joannem filiolum suum quinquennem maxima urinæ difficultate afflictum fuisse, ita ut sæpius eam emittere volens misere exclamaret. Crescente indies morbo, intolerabiles patiebatur dolores, quia la- F pillus in mediam virgam descenderat. Cum vocatus chirurgus nihil auxilii adferre posset, matrona quædam Amerina suasit parentibus, ut puerum deducerent ad D. Augustinum Carlenum, qui habebat imaginem S. Liborii, expressam in bysso, cui Sancti reliquiæ fuerant involutæ. Consilium secuti parentes adeunt D. Carlenum, qui puero imaginem Sancti imposuit. Illi interim filiolum suum sancto Præsuli commendantes desideratam gratiam obtinuerunt : nam paulo post puer emisit lapillum, qui pisi magnitudinem habebat; quo apud D. Carlenum relicto, puer sanus abiit, nec deinceps ejusmodi infirmitatem sensit.

aut aliis Italiæ locis

69 Dominus Vincentius Vignarello Urbinas anno MDCLI a prima die Septembris post cœnam acutissimo renum dolore fuit oppressus per sex continuos dies, ita ut in lecto immobilis jaceret, ac minimus motus ei intolerabilem cruciatum afferret. In hoc misero statu imploravit auxilium S. Liborii, cujus imaginem, antiphonam et orationem

AUCTORE G. C.

tionem Romæ excudi una cum fratre suo curaverat, vovitque Missam a PP. Capucinis celebrandam. Vix finitis precibus, obdormivit, et paulo post evigilans, se ab omni dolore liberatum sensit. Quare e lecto surgens magnam arenosæ urinæ copiam reddidit, et sine ullo impedimento votum completurus exivit. Ita ipsemet coram notario publico juratus affirmavit die XVII Novembris anno MDCLI.

Dominus Jacobus Honorius de Rocca Sinibalda per novem circiter annos dolore renum afflictus, frustra omnem medicorum industriam adhibuerat. Demum a D. Bernardo Pucci Amerino accepit effigiem S. Liborii, quam, solito cruciatu ingruente, in lecto suo collocari jussit, et sese Sancti patrocinio commendavit. Post quatuor dies quarta Maii anno MDCXLVIII expulsi sunt tres lapilli, quos post legitimam beneficii probationem ad Sancti altare deferri jussit.

contigerunt,

70 Leander sacerdos Urbevetanus per septem aut octo menses continuos duplici hernia laborans, consilio quorumdam gestavit cingulum

B herniæ continendæ aptum; sed post aliquod tempus illud præ dolore amplius ferre non valens, et imaginem S. Liborii penes se inveniens, se totum in Sancti clientelam contulit, atque ita convaluit, ut nullum postea dolorem senserit. In grati animi signum vovit, se visitaturum reliquias sancti Benefactoris, uti etiam anno MDCLII fecit.

Matthæus Lancia Amerinus, etiam ex duplici parte herniosus, continuo cingulum ferre cogebatur. Anno MDCLIV cœperunt intestina descendere in scrotum, ita ut miser ille nullo modo posset incedere. Crescente autem morbo, Ignatius Veterani chirurgus civitatis Amerinæ multis modis frustra eum curare conatus est. Venit ergo ipsi in mentem, quam potens esset intercessio S. Liborii, promisitque, se quotannis festo sancti Præsulis Eucharistiam sumpturum, ac curaturum, ut eo die Missa celebraretur. Facta hac promissione, statim intestina ad locum suum redierunt, et numquam postea simili morbo laboravit. In recepti beneficii signum, ad altare Sancti tabulam appendi jussit.

C Frater Bonaventura prædicator Capucinus invisit D. Ludovicum Perletti, in Austria superiore ex assiduis renum doloribus ferme moribundum, deditque ei orationem S. Liborii, quam Ludovicus magna cum devotione recitavit. Post mediam noctem quasi in somno monitus, ut in honorem S. Liborii orationem Dominicam et salutationem angelicam diceret, mane sese invenit sanum, et egit gratias, ac Missam celebrari jussit. Hac occasione oratio S. Liborii Latine et Germanice recusa est, atque per Bohemiam, Moraviam, Silesiam, et utramque Austriam dispersa.

et Latinum medici Amerini testimonium addimus.

71 *Coronidis loco hic subjungo testimonium Latinum medici Amerini, quod anno* 1649 *dedit his verbis :* Ego infrascriptus Amerinæ civitatis quinto jam anno medicus physicus ordinarius, solius veritatis vi et amore motus, indubiam fidem facio et absque ulla formidine attestor, antea quam S. Liborii episcopi Cenomauensis ad illam deferrentur reliquiæ, nephritidem et lithiasim morbos ita in ea sæviisse, ut perpauci essent, qui eorum tormina et cruciatus sustinere non solitarent, a quibus ob devotas civium ad novum Patronum preces, et hujus efficaci apud Deum intercessione ita nunc immunes omnes esse, ut singulares (si qui raro adsint) qui horum dolorum sentiant præludia, petitum auxilium statim implorent, et se amplius non torqueri gaudeant. Quod ita esse, sicut evidenti certitudine mihi constat, ut omnes sanctissimi pontificis Liborii in cœlis merita cognoscant, et indigentes levamen petendo etiam sibi comparent, hanc pagellam, [ut] vera me asserere sciant, publico jurejurando libens lubens et gaudens confirmavi, mea manu scripsi et subscripsi, ac meo solito sigillo obsignavi. Ameriæ quiuto Idus Decembris MDCXLIX. D

Ego Hieronymus Lampanus theologus, philosophus et medicus manu propria.

§ VIII. Alia Beneficia intercessione S. Liborii præstita.

E

Cellotius noster S. Liborium invocat,

Nescio an inter beneficia, paragrapho præcedenti relata, numerare debeam illud, quod Ludovicus Cellotius noster sibi præstitum testatur in litteris, anno 1649 *ad Bollandum datis, hoc modo :* Accepi Liborium tuum, R. P. et magna cum animi mei lætitia totum evolvi. Nihil hoc in genere copiosius, nihil exquisitius optari potest, sed nec mihi opportunius. Nam paucis postquam advenit diebus, nescio quomodo, ex diducta vena mihi sanguis erupit : ἀναστόμωσιν vocant medici, rem plane insolitam, et hactenus inexpertam. Continuo ad venæ sectionem, cujus oppido liberales sunt Galeni nostri, ad omnem animi corporisque requiem, ad valetudinarium damnatus, morbum et tempus lectitando Liborio fefelli. Dum sequor, dum regusto, dum frequentiam miraculorum edisco, impetum capio patronum morbo præsenti advocandi. Voveo perpetuam clientelam, lucubrationis nonnihil ad encomium, cultum aliquem extraordinarium annis singulis in ejus natali die, quot hebdomadis commemorationem in privatis precibus ; dies Veneris ad eam electus, in quem hoc anno festum ejus incidet XXIII Julii. F

et ejus opem expertus

73 Tum vero derepente oborta mihi certa in incerto et occulto morbo sanitatis fiducia, et sensim convalui, seu Liborii precibus factum est, seu medicorum artem peculiari providentia Deus rexit. Miraculorum superstitiosa credulitas tibi displicet æque et mihi. Subita salus veniat, an tardior, parum interest, ubi Dei beneficium sentitur. Itaque quod reliquum valetudinarii fuit, extra fratrum curam, et visentium allocutiones, laudando per oden Liborio datum. Hoc tibi reddo munus amœbæum, qui largo fœnore opellam meam in comparanda brevi ejus historia compensasti. Ridebis ægram, vietam, sexagenaria majorem musam, de Hippocrenes luto ingratos versiculos seniliter garrientem. Non est opus istud artis poeticæ, sed animi beneficiorum memoris, et mnemosynes filiæ musæ sunt. Hoc saltem consequar, ut juniores vestros olores, aliquid supra epigrammata, pro celebrando Liborio

A borio aggredi, horter exemplo; dum tu gaudebis in sinu novum clientem magno Thaumaturgo peperisse. Vale, mi Bollande, et apud Deum nostri memor esse dignare. Parisiis XVIII Februarii MDCXLIX.

in signum grati animi hanc oden composuit.

74 *Tunc eruditissimus vir, antea in studiis poeticis cum laude versatus, in honorem* S. Liborii *subdit elegantem oden, quam in signum grati animi ita composuerat :*

Quo te, Libori, per vada, per juga,
Lugente Sarta, Saxo pie impius
Asportat, ignotisque raptum
Indigetem superaddit aris?
Aldrice, tanto Præsule Galliam,
Orbare tali præsidio potes?
Nec te laborantum medela,
Nec populi lacrymæ morantur?
Sic astra volvunt : et facilis suas
Relinquit arces ipse Liborius;
Qualis, fugata nocte, flavos
Explicuit rediviva terris
B Aurora crines. I, bone Cœlitum,
Circumfer artus, et Borealibus
Adsuesce votis. Este morbi,
Corporeæ procul este pestes;
Seu dirus ardor viscera pascitur,
Seu lingua voces reddere nescia
Susurrat intus, vel retorto
Membra rigent sinuata nexu;
Seu coctus humor in lapidem coit
Per cæca renum tormina! tormina!
Vivaxque de nobis arena
Per laceros agitur meatus.
Adsunt, propinquant : Eia capacibus
Admitte portis magna Lutetia,
Sacrasque dextra prende thensas;
Hospitio venit æqua merces.
Nam funus anteit nobile sanitas.
Jam noctis atræ filia subsidet
Nubes pruinarum, et Libori
Vis nitidos jubet ire soles,
Quo vasta tractu planicies sinum
Expandit urbi; culmina Martyrum
B Qua fronte surgunt; quaque valle
Cecropides colitur patronus.
Nec fluxa virtus : imprimit æthere
Salubris auræ dona, perennibus
Mansura seclis, ne vapores,
Ne stygiæ noceant mephites.
Tum si qua laxum per penetralia
Pulmone læso, vena dabit latus :
Vitæque succum tussiente
De stomacho pituita ducet,
Lethale vulnus! continuo excitus
Ad nostra curret vota Liborius,
Suoque stagnantem canali
Restituet medicus liquorem.
Fac, dive Præsul! Sic tibi nectare
Stet sempiterno sancta beatitas :
Sic fama vulgatum per orbem
Nomen alexicaci frequentet;
Circumque ad aras mille anathemata
Gemente de testudine pendeant.
Nec vena Celloti, cruentis
Semiaperta notis, silebit
Mundo parantem magna Liborium,
Desideratæ pacis adoream :
Francumque Ibero fœderatum,
Liligeros Aquilis maniplos
Bellum per oras spargere Thracias,
Renata Turcæ frangere cornua.
Sic est furendum, Christiani :
Hoc metitur pia palma campo.

AUCTORE G. C.

Simile Sancti auxilium sensit Bartholdus Nihusius,

75 *Nescio etiam, an hic referre debeam aliud beneficium, quod Bartholdus Nihusius intercessione* S. Liborii *sibi collatum asserit in epistola, anno* 1655 *ad Bollandum et Henschenium data his verbis :* Admodum reverendi patres in Christo. Ad reverentiam vestram, P. Henscheni, scripsi recentissime; sed obliviscebar, addere, ex quo S. Liborium colere cœpi in patronis (quod factum, cum illustrissimus nuntius Chisius dono misisset mihi de Sancto isto librum reverentiæ vestræ, P. Bollande) licet excernam, circa solstitia præsertim, exiguorum calculillorum quid, nihil tamen doloris inde sentire me hactenus, verum perinde esse, acsi pronus ad malum istud non forem, ut eram antea, cum cruciarer Amstelædami subinde vehementissime. Benedictus est Deus tum hoc nomine, tum ideo quod septima hujus Aprilis e Cardinali Chisio nostro illo factus Alexander Papa VII. Hoc, si forsan hauddum resciveritis, nuntiandum censui, et quidem e litteris ad eminentissimum Electorem nostrum a Cardinali quodam Roma datis. Valete. Moguntiæ XXVIII Aprilis MDCLV. E

et haud dubie alii, ut ex Paderbornensibus anathematibus colligitur.

76 *Quidquid sit de duplici hoc beneficio,* Liborii *clientibus præstito, nolo illud numerare inter prodigiosas sanationes, quas aliis contigisse jam vidimus. Vix dubito, quin Paderbornæ ad Sancti reliquias plurima miracula patrata fuerint : nam illic plura anathemata ad illius altare appensa esse colligo ex carminibus celsissimi et reverendissimi principis Ferdinandi de Furstenberg, episcopi Paderbornensis, qui inter votiva epigrammata, Divis tutelaribus oblata, in* S. Liborii *honorem ita canit :* F

Salvete, o sacri cineres; salvete Libori
Prodigiis celebres grandibus exuviæ.
Gallia vos olim Cenomanis misit ab oris,
Nunc columen Paderæ præsidiumque meæ,
Vos ego, vos supplex veneror : tu, quæ damus urnæ
Oscula, tu nostras accipe, Dive, preces.
Sic erit, ut numquam morbo me tentet acuto
Calculus, aut renes urat arena meos.
His te namque malis mira virtute mederi,
Multa docet sacris fixa tabella tholis.
Sic mea musa tuos late celebrabit honores
Supplicibus facilem sæpe ferentis opem;
Sic mihi semper erunt niveis signanda lapillis
Tempora; sic aliis candida semper erunt.

A D

DE S. JOANNE CASSIANO ABBATE

G. C.

MASSILIÆ IN GALLIA.

SYLLOGE HISTORICA.

§ I. Cultus apud Latinos et Græcos, reliquiæ, miracula, et Acta.

ANTE MEDIUM SECULI V.

M*assilia notissima Galliæ civitas in Provincia, de qua in Commentario prævio ad Acta S. Victoris martyris die* XXI *Julii iterum egimus, hac die* S. Joannem Cassianum, *suum olim incolam, Officio proprio cum Octava solenniter veneratur. Eodem die ecclesia Regiensis in Gallia Officium commune confessoris non pontificis præscribit* in festo S. Cassiani abbatis, patroni ecclesiæ parochialis de Tabernis, *ut in Rubricis legitur. Guesnæus noster in suo Cassiano illustrato a pag.* 294 *plura enumerat Breviaria, in quibus istius Sancti memoria celebratur. Non facile dictu est, quo tempore cultus ille inceperit ; videtur tamen esse valde antiquus, cum Gregorius Magnus* Cassianum *titulo* sancti *honoret : nam* mense Novembri, Indictione XV, *id est anno Christi* 597, *ad Respectam abbatissam Massiliensem scribens, quædam privilegia concedit ejus* monasterio, quod in honorem sancti Cassiani est consecratum. *Neque refert, quod impudens fidei et Ordinis sui apostata, qui nuper Commentarium de scriptoribus ecclesiasticis edidit, tomo* I *col.* 1163 *putet, pro* sancti Cassiani *legendum esse* sancti Salvatoris, *quia nempe hoc virginum cœnobium nomine sancti Salvatoris appellari solet. Frivolum sane hominis hæretici argumentum, ut in Gregorii Magni epistolam mendum irrepsisse credamus! Quasi vero istud monasterium appellationem amittere aut mutare non potuerit, ut in novissima Galliæ Christianæ editione tomo* I, *col,* 695 *ostendit Dionysius Sammarthanus, qui columna sequenti varias illius cœnobii vicissitudines recensens ibidem hæc habet :* Postquam autem monasterium illud cum Victorino dirutum est, non quidem a Wandalis, sed potius a Normannis incerto anno, fortasse DCCCLXVII, virgines illæ in urbem migrarunt, ibique S. Salvatoris monasterium sibi condiderunt. *Hinc patet fraus apostatæ, qui Gennadium ita citat, acsi is parthenonem illum S. Salvatoris nomine compellaret.*

B *Vindicatur Cassiano titulus sancti,*

C

quem jam a multis seculis

2 *Andreas Saussayus in suo Martyrologio Gallicano tomo* 2 *a pag.* 1247 *ex vetusto Ms. membranaceo, quod a quingentis annis exaratum asserit, Martyrologium quoddam edidit, in quo ad diem* XXIII *Julii diserte legitur :* Apud Massiliam civitatem, natale sancti Cassiani abbatis. *Unde miror, quod Saussayus præter morem adeo scrupulosus fuerit, ut* Cassianum *in suo Martyrologio omiserit, et in supplemento pag.* 1149 *cum minori charactere ita timide annuntiarit :* Apud Massiliam, depositio venerabilis Joannis Cassiani, multorum monachorum patris, et insignium opusculorum auctoris, doctrina et sanctimonia præclari. *Deinde texit Actorum compendium, in quo aliqua incerta referuntur, et in cujus fine tamen de ipsius cultu sic testatur :* Colitur hic Pater multis in locis pleno honore sanctitatis, et passim quidem in Massiliensi tractu, maxime autem in percelebri monasterio sancti Victoris, ubi sacris fastis adscriptus, hodie natalem anniversarium habet. *Nescio, cur Saussayus* Cassiano *non dederit titulum* sancti, *cum illum a quingentis annis ita appellari, ac hodiedum multis locis ita coli novisset. An ipsum absterruit Semi-Pelagiana* Cassiani *doctrina? At in longo illius elogio de doctrinæ heterodoxia nullum facit verbum, de qua nos postmodum nonnulla dicemus. Præterea scire poterat,* Cassianum *a Rabano (aliqui abbati Smaragdo hoc opusculum adscribunt) cap.* 38 *ad regulam S. Benedicti titulo* beati *insigniri.*

E

3 *Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 7, *cap.* 59 *elogio* Cassiani *hunc præfigit titulum :* De sancto Cassiano presbytero et confessore. *Etiam in Bulla Urbani V Pontificis, quam Dionysius Sammarthanus inter instrumenta ad tomum* I *Galliæ Christianæ spectantia refert, pag.* 118 *expresse* sanctus *nominatur. Denique Henricus Norisius, qui in exornandis* Cassiani *laudibus minime suspectus esse potest, in historia Pelagiana lib,* 2, *cap.* 12 *circa finem de illius cultu et sanctitate tradit sequentia :* Urbanus V caput Cassiani argentea theca inclusum, hac epigraphe ornandum jussit : CAPUT SANCTI CASSIANI. Ejusdem memoria colitur Massiliæ die XXIII Julii, eique precum officia solenni ritu persolvuntur, et ante ejus sepulcrum exstat die noctuque ardens lucerna propter reverentiam erga ejusdem sanctitatem. Vir fuit doctissimus, et si in quibusdam a S. Augustini doctrina recessit, id eo tempore egit, quando pro utraque parte illis in rebus disputare licebat. Ejusdem Collationes sanctissimi ac sapientissimi viri eximie commendarunt; hos inter fuisse S. Fulgentium ex cap. 12 Vitæ illius constat ; cui tamen, uti et ceteris, doctrina de gratia, Collatione 13 asserta, minime probata fuit, quam etiam postea Apostolica sedes proscripsit. *Hæc sufficere arbitror ad probandum* S. Cassiani *cultum, præsertim cum quotannis festivitas illius publice celebretur, spectante orbe Christiano, et non tantum tacente Roma, sed etiam per Pontifices suos ipsi sanctitatis titulum tribuente, ut jam vidimus. Hinc collige, turpiter errasse hagiographum seu potius hagiomachum Gallum, qui in hypercritica sua Sanctorum Legenda ad diem* XXIII *Julii tomo* 2, *col.* 378 *andacter asserit, cultum* Cassiani *in Occidente dumtaxat circa finem seculi* XVI *cœpisse. Qui plura desiderat antiquæ venerationis testimonia, consulat Guesnæum nostrum lib.* 2

apud Latinos obtinuit.

F

A 2 *Cassiani illustrati cap.* 15, *ubi diversa hujus rei instrumenta adducit.*

Græci S. Cassianum mense Februario colunt,

4 *Græci quoque ab immemorabili tempore eumdem Sanctum die ultima Februarii coluerunt : nam in Typico S. Sabæ ad diem* κθ', *id est* XXIX *mensis Februarii ita annuntiatur* : Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Κασσιανοῦ τοῦ Ῥωμαίου. Sancti patris nostri Cassiani Romani. *Eadem habet Horologium, anno* 1607 *Græce excusum. Menæa impressa in Officio doctrinam et virtutes* S. Cassiani *mirifice extollunt, præmissa in Rubricis hac monitione :* Oportet scire, quod, quando est annus bissextilis, canatur hoc Officium ad diem XXIX; si vero non sit bissextilis, canitur die XXVIII. *Porro a curioso lectore observari hic velim, quod Græci (quia apud eos non est usus Kalendarum) anno bissextili sub finem Februarii adjiciant unum diem, quem Latini post diem* XXIII *istius mensis interserunt; unde annus a Latinis tunc vocatur bissextilis, eo quod bis dicatur* sexto Kalendas Martii *nimirum* XXIV *et* XXV *Februarii. Hinc etiam Mosci, qui ritum Græcum sequuntur, in Menologio suo Slavo-Russico,* B *quod prænobilis Baro de Sparwenfeld nobis Latine vertit, die* XXIX *Februarii ita loquuntur :* Beatissimi patris nostri Cassiani Romani. Vixit anno CDXXXI. Hujus memoria celebratur quovis quarto anno tantum, quando excursus fit : annus enim habet dies CCCLXV, et VI horas, quæ diem quarto anno constituunt. Tunc canimus Cassiani sequelam : annus enim habet tunc dies trecentos sexaginta sex, et horas octies mille septingentas sexaginta. *Errat hic computator Moscus aut interpres, quandoquidem annus continet horas* 8784, *quando habet dies* 366, *ut numerum* 366 *per* 24 *multiplicanti patebit.*

et in suis Menæis illum versiculis

5 *Sed redeamus ad Menæa, in quibus Sanctus noster ita memoratur :* Τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Κασσιανοῦ τοῦ Ῥωμαίου. Sancti patris nostri et confessoris Cassiani Romani. *Ubique apud Græcos a patria vocatur Romanus, quod postea fusius discutietur. Deinde in Menæis sequuntur hi duo versiculi :*

Θείους με παστὰς Κασσιανὸς πρὸς νόας,
Θείας νοητῶς κασσίας ἀποπνέει.
C Mihi Cassianus est velut thalamus, sacro
Odore casiæ qui pias mentes replet.

Satis longe accersita est metaphora vocis παστὰς, *quæ thalamum vel etiam locum convivii significat, et qua poeta Græcus, ni fallor, fragranti thalamo comparare voluit doctrinam, in* Cassiani *scriptis traditam, quæ legentibus cælestem sanctimoniæ odorem inspirat. Magis manifesta est allusio inter nomen* Κασσιανὸς *et vocem* κασσία, *quæ denotat fruticem odoriferum, quem Latini casiam appellant. Sanctus Petrus Damiani in exordio sermonis de* S. Cassiano *martyre, cujus festum die* XIII *Augusti colitur, ad eamdem nominum affinitatem ita alludit :* Cassianus..... juxta nominis sui præsagium cum in passionis pila persecutorum manibus pinsi cœpit et atteri, mox fragrantiam odoriferæ suavitatis, quæ in se latebat, aspersit. Cassia siquidem species est aromatica, quæ integra quidem nullius esse videtur odoris ; trita autem naturalis vim suavitatis emittit.

AUCTORE G. C. et elogio ornant.

6 *Post hos versiculos in iisdem Menæis sequitur elogium seu Actorum compendium, quod jam e Græco Latinum facio, in qua versione malo fidelis, quam elegans esse. Sic ergo ibi legitur :* Iste erat ex urbe Roma, clarorum et illustrium parentum filius. Initio vitæ suæ studia litterarum multum amavit. Diligentia igitur et ingenii acumine omnem Græcam eruditionem prosequens, philosophiam et astronomiam profunde scrutatus est. Sacram vero Scripturam perdiscens, et ad summam illius cognitionem evadens, simul castitate et puritate vitam exornavit. Relicta patria, in Scetin descendens monasticam vitam amplexus est, et tradens seipsum monasterio, omnemque obedientiam exercens, totam rigidæ disciplinæ formam perdidicit. Cum autem assuevisset disciplinæ, et ad summum discretionis fastigium ab infima obedientia ascendisset, ad solitudinem progressus est ; cumque plurimos annos in ea transegisset, ac vitam asperam duxisset, ad majus experimentum ac exercitium transiit. Relinquens ergo solitudinem obiit omnia monasteria Ægypti et Thebaïdos, montem Nitriæ, Asiam, Pontum, Cappadociam, totumque Orientem. Omnium vero instituta, exempla, et vivendi modos ita in se E expressit, ut formæ in cera non sic digitis exprimi possint. Id ostendunt exaratæ ab eo institutiones, omni accuratione, sapientia et utilitate plenæ, aliaque documenta ab ipso scripta et ordinata, quæ si quis inspicere et mature pervolvere voluerit, magnum ex illis emolumentum capiet, et scriptoris vitam ac mores noscet. Cum sic itaque vixisset divinus ille Vir, sicque conversatus esset, hinc ad cœlestes mansiones transivit. *Idem elogium Græce legitur in Anthologio, quod Antonius Arcudius Romæ anno* 1598 *edidit. Hactenus dicta abunde demonstrant, huic* Cassiano *jam dudum a Latinis Græcisque consuetum Sanctorum honorem deferri.*

Massiliæ conservantur ipsius reliquiæ;

7 *Nunc de sacris ejus reliquiis pauca subjungamus, quæ in Chronicis et manuscriptis codicibus monasterii S. Victoris Massiliensis, apud Guesnæum nostrum in Cassiano Illustrato pag.* 3 *relatis, leguntur hoc modo :* Corpus autem sancti Cassiani nostri monasterii diversis in locis servatur totum et integrum magno equidem honore et cultu : F caput enim ejus auro et argento elaboratum et adornatum est, forma et structura percelebri, subtus ejus collum videtur et legitur hujusmodi inscriptio magno charactere : CAPUT SANCTI CASSIANI. Super illius caput reperitur mitra auro, argento, ac lapidibus pretiosis in magna quantitate honestata et ditata. Exstat etiam brachium ejus dextrum oblongum et magnum, longitudine circiter trium palmorum, eodem plane modo, quo caput, elaboratum et honestatum. Observa autem quod tam caput quam brachium erecta sunt, ac in tali honore posita, labore, studio, pietate atque sumptibus Urbani V summi Pontificis, hujuscemodi monasterii abbatis. Hac de causa insignia ejus multis in partibus deprehenduntur et in capite et in brachio. Quoad reliquum ejus corpus, jacet in sepulcro marmoreo, supra quatuor columnas posito, in ecclesia inferiori ; sed ante hujusmodi sepulcrum exstat lucerna semper ardens diu noctuque propter reverentiam et sanctitatem reliquiarum ejus illic quiescentium ; ac proinde constat, nullas corporis illius

AUCTORE G. C.

illius portiones locis aliis exstare. *En omnia, quæ de sacris sancti Viri lipsanis comperi.*

sed miraculorum,

8 *Si fortassis curiosus quispiam interroget, an ad has sacras exuvias fiant aut facta fuerint miracula, respondeo verbis ejusdem chronici Massiliensis, quod post textum proxime citatum ita pergit :* De miraculis ejusdem sancti Cassiani nulla nobis viget memoria, quia cum hoc monasterium a Wandalis et barbaris multoties destructum et eversum fuerit, consequenter scripta nostra et documenta vetera monasterii crepta et surrepta fuere. *Nihilominus Guesnæus noster lib. 2 Cassiani Illustrati cap.* 16, *num.* 4 *asserit, in quodam Grassensis diœcesis sacello, quod* S. Cassiano *dedicatum est, mirabilia quædam invocatione illius beneficia præstari ; idque probat ex litteris rite obsignatis, et parochi Grassensis manu subscriptis, quas ita citat :* 'Magna, inquit, undequaque quotannis eo loci, nempe ad prædictum Taveronense, sacellum coït populi frequentia ; sed eorum præcipue, qui aut claudi sunt aut arthritico morbo male affecti. Accepi ego, ad sacelli parietes appensa alias B fuisse septingenta circiter subalaria fulcra ab iis, quos aut podagra laborantes, aut membris mutilos, aut eorum usu plane destitutos integræ saluti ac primæ incolumitati restituerat Deus ; adeoque accepi ex hoc Gratiæ pago accolas fuisse nonnullos, quos ita graviter exerceret articularis morbus, vix [ut essent] equi patientes ; qui ubi territorium, in quo stat sacra ædes, attingebant, levamenti sentirent et a suis cruciatibus laxamenti non parum. Unde fiebat, ut ex equo exscensionem tentarent, et sæpenumero sanitati pristinæ redderentur necdum sacrum sancto Cassiano sacellum ingressi. Ac licet nulla restent ad hanc usque diem tot insignium miraculorum vestigia, eo credo factum, quod a paucissimis ejusmodi locus habitetur, planeque desertus sit ; non desunt tamen, qui eo loci recurrentibus quot annis, magna et intimo cum pietatis sensu, bonaque morborum suorum parte subleventur. *Aliqui opinantur, homonymum hujus sacelli patronum a nostro* Cassiano *diversum esse, ut refert Guesnæus in memorato opere pag.* 301, *ideoque non pauci sacerdotes ibidem in illius honorem de communi confes-* C *soris pontificis Missam celebrant, quos Guesnæus hallucinari contendit. Sed parum nostra interest, sive unius sive alterius Sancti homonymi intercessione hæc miracula patrentur, cum ea ad sanctitatis famam nostro* Cassiano *vindicandam necessario non requirantur. Jam de Actis nonnulla prænotanda occurrunt.*

et Actorum nulla aut exigua superest memoria,

9 *Mirum profecto est, præclara hujus celeberrimi Viri gesta non fuisse copiosius distinctiusque conscripta. Forte quispiam reponet, ampliora ipsius Acta, sicuti et antiqua miracula, frequenti barbarorum incursione et monasterii Massiliensis vastatione periisse. Quidquid sit de hac re, auctor prædicti Chronici apud Guesnæum pag.* 3 *ita fatetur :* Vita Cassiani nulla est apud nos, præter id quod in ejus festo legitur in Officio ; quod quidem festum celebratur solenniter die XXIII mensis Julii cum Octava etiam solenni, non solum in nostro monasterio et locis ab eodem dependentibus, sed etiam in ecclesia cathedrali Massiliensi, et in tota fere diœcesi Massiliæ. *Vides ergo, nihil præter ecclesiasticas Officii lectiones nobis superesse. Habemus nos quidem Sancti illius Acta, nescio ex* D *quo codice Ms. desumpta, et a nostro Silvestro Petra-sancta olim ad Bollandum transmissa ; sed cum ea a Lectionibus vix differant, malo in illis referendis sequi* Breviarium secundum usum monasterii sancti Victoris Massiliensis, *anno* 1508 *Lugduni impressum, ex quo Petrus Possinus noster octo sequentes Lectiones descripsit.*

præterquam in Lectionibus propriis,

10 Lectio i Cassianus vir sanctissimus atque doctor præclarissimus apud Athenas natus, omnis illic philosophiæ studiis edoctus, ac primum Apostolorum imitatus canonicam functionem, multos ibidem suo instituit exemplo, et informavit studiis. Lectio ii. Inde peragrans omnium Christianorum instituta, usque Hierosolymam tendit. Apud Bethleem quorumdam præsidio sodalium instituit monasterium, quod non longe fuit a spelunca, in qua Dominus noster Jesus Christus ex sacra Virgine natus, infantiæ suscipere incrementa dignatus est, ejusque adhuc in religionem teneram ac lactentem infantiam sua gratia confirmavit. Lectio iii. In quo cœnobio, quod in Syra erat constitutum, dum constaret Cassianus, et post fidei rudimenta majorem per- E fectionis gratiam desiderare cœpisset, statuit confestim Ægyptum petere, ac remotissima Thebaides eremo penetrata, Sanctorum plurimos agnoscendi studio una cum sancto Germano abbate invisere. Lectio iv. Cum prædicto igitur Germano ab ipso sibi tirocinio ac rudimentis militiæ spiritualis ita individuum contubernium tam in cœnobio quam in eremo fuit, ut cuncti ad significandam sodalitatis ac propositi parilitatem pronuntiarent, unam mentem atque animam in duobus esse corporibus. Lectio v. Ubi ergo plurimam turbam cœnobii disciplina constrictam, et optimo monachorum ordine, qui primus est, institutam mirifice videns, alium quoque ordinem, qui excellentior habetur, id est anachoritarum, cunctorum præconiis instigatus sagacissimo corde videre properavit. Inde progrediens Athenas remeavit.

quæ inter se differunt.

11 Lectio vi. Cum vero Constantinopoli esset a Joanne Magno episcopo diaconus ordinatus, Romam adiit, ibique ad presbyteratus gradum est evectus ; indeque profectus, prospero usus vehiculo Massiliam est appulsus, ubi secundum F ea, quæ compererat a patribus vel proprio addidicerat studio, congregatis ibidem fratribus, monasterium instituit, in quo usque ad quinque millium monachorum pater exstitit. Lectio vii. Ibi etiam libros duodecim in uno volumine, quod Speculum monachorum dicitur, composuit, atque ad Castorem episcopum Aptensis urbis transmisit : in quo omne studium et disciplinam habitus et victus monachorum brevi et luculento sermone exaravit. Aliud quoque egregium volumen composuit post Castoris excessum ad Leontium et Illadium patres, quod Collationes Patrum prætitulavit. Lectio viii. Ad extremum rogatus a Leone archidiacono, postea urbis Romæ episcopo, scripsit adversus Nestorem * de Incarnatione Domini libros septem. Tandem longo confectus senio, expletis videlicet nonaginta septem annis, athleta Christi in pace quievit x Kal. Augusti. Sepultus est in monasterio sancti Petri et sancti Victoris, quod est juxta Massiliam, et ipse construxit,

* *id est Nestorium*

AUCTORE G. C.

A struxit, multis claris virtutibus et insigni sapientia decoratus, Theodosio et Valentiniano regnantibus. *Hæc eadem Acta postmodum in tres lectiones distincta, et paululum correctius breviusque in supplemento ad Officia propria ecclesiæ S. Victoris Massiliensis impressa sunt. Verum ab utrisque hisce lectionibus multum differunt tres aliæ lectiones, quæ inter Officia propria Massiliensis ecclesiæ anno* 1662 *Massiliæ typis excusæ sunt, ut paragraphis sequentibus interdum observabimus. Ceterum quæ in his lectionibus omissa sunt aut obscura, ex ipsis* S. Cassiani *scriptis, quantum fieri poterit, per decursum eruere atque illustrare conabor. Porro ut in hac Vita historice ac critice contexenda securius procederem, omnia* S. Cassiani *opera a capite ad calcem pervolvi. Quare si quid prætermissum fuerit, non id negligentiæ, sed memoriæ meæ imbecillitati adscribatur.*

§ II. Controversa sancti Cassiani patria.

B *Cassianus a Gennadio dicitur natione Scytha,*

Quot olim civitates Græciæ de Homeri natalibus certarunt, tot propemodum mundi regiones de S. Cassiani *patria hodiedum contendunt. Gennadius presbyter Massiliensis in libro de scriptoribus ecclesiasticis apud Miræum cap.* 61 *affirmat, quod fuerit* natione Scytha. *Haud dubie hic auctor, qui* Cassiano *suppar Massiliæ vixit, in ea re magnam fidem mereretur, si de certa ipsius sententia constaret. Sed ab Honorio Augustodunensi, qui Gennadium contrahere solet, et ex eo istud* Cassiani *elogium verbotenus exscripsit, apud eumdem Miræum cap.* 60 Cassianus *vocatur* natione Afer. *Quare suspicor, manuscripta Gennadii exemplaria multum inter se diversa esse. Suspicionem meam auget membranaceus Gennadii libellus, qui in Museo nostro servatur, et in quo cap.* 59 *clare legitur :* Cassianus natus Constantinopoli, *etc. Præterea Mabillonius tomo* 2 *veterum Analectorum pag.* 44 *testatur, prædictum Gennadii opusculum, in codice Corbeiensi ab annis nongentis charactere Longobardico scriptum, ab editis plurimum differre. Joannes Martianæus, monachus Benedictinus, qui ineunte hoc*
C *seculo Opera S. Hieronymi Parisiis edidit, Gennadianum virorum illustrium Catalogum, ex isto pervetusto codice Corbeiensi desumptum, quinto eorumdem Operum tomo inseruit, ubi col.* 39 Cassianus *etiam dicitur* natione Scytha. *Huic lectioni favet Ado, qui Honorio Augustodunensi et codice nostro membranaceo antiquior est, eumque in suo Chronico ad annum Christi* 425 *diserte Scytham appellat. Probabilius itaque est, Scythicam* Cassiani *patriam a Gennadio fuisse traditam.*

in Breviario Massiliensi Athenis natus,

13 *Breviaria Massiliensia in lectionibus propriis* Cassianum *passim* apud Athenas *natum volunt, ut supra vidimus. At non intelligo, quomodo in hymnis eorumdem Officiorum dicatur* natione Scythicus, *et in lectionibus* apud Athenas natus, *nisi forte Officii proprii auctores putaverint, urbem Atheniensium in Scythia sitam esse. Guesnæus noster alio modo conatus est hanc discrepantiam componere : nam lib.* I *Cassiani illustrati cap.* I *dicit, quod pater* Cassiani, *ex præcipua Scythiæ civitate Athenas studiorum causa missus, nobilem ibidem adolescentulam adamarit, cum ea Christiano more matrimonium contraxerit, ac postea genuerit* Cassianum *nostrum, qui Athenis natus est patre Scytha, matre indigena. Hoc pacto quidem patet,* Cassianum *nativitate Atheniensem, et gen. re aut origine Scytham dici posse ; sed Norisius lib.* 2 *historiæ Pelagianæ cap.* I *acriter in Guesnæum invehitur, quod hæc et similia ex cerebro suo finxerit, et sine ullis testibus aut tabulis asseruerit. Nolo ego in hac re defendere Guesnæum, cujus propugnationem Bruno Neusser in Prodromo velitari part* 2, *cap.* 3 *non segniter suscepit. Ceterum non censeo, laboriosum virum tam severa reprehensione dignum, eo quod pia simplicitate systema quoddam excogitarit, quo Officium proprium Massiliense secum, et cum Gennadio conciliaret. Attamen nos istarum lectionum auctoritatem tanti non facimus, ut eam testimonio Gennadii præferamus. Quare multo prudentius egisse videntur, qui anno* 1662 *Officia propria Sanctorum Massiliensis ecclesiæ recognita et emendata imprimi curarunt, in quibus nulla sit Atheniensis patriæ mentio, sed initio lectionis* IV *ita legitur :* Beatus Joannes Cassianus, cognomento Collator, Scythia ortus est.

E *ab alio perperam putatur Scythopolitanus in Palæstina,*

14 *Ludovicus Bulteau e Congregatione S. Mauri, qui Parisiis anno* 1687 *historiam monasticam Orientis Gallice edidisse dicitur, lib.* I, *cap.* 10, *num.* I *referens varias de* Cassiani *patria opiniones dicit, dubitari posse, an non fuerit natus Scythopoli in Palæstina, eo quod a pueritia in quodam Palæstinæ monasterio educatus fuerit. Verum conjectura illa, plane gratis excogitata, manifestæ falsitatis convincitur : auctor namque istius historiæ monasticæ lib.* 2, *cap.* 3 *et sequentibus ostendit, tempore* Cassiani *plurimos in Palæstina fuisse monachos ; cum tamen ipse* Cassianus *Collatione* 24, *cap.* 18 *testetur, se sociumque suum Germanum tentatos fuisse ad repetendam patriam, quia in Ægypto interdum a supervenientibus fratribus interpellabantur* ; quod sine dubio, *inquit,* nullatenus in nostra provincia credimus eventurum, in qua aut nullum, aut certe ratissimum professionis hujus virum inveniri possibile est. *Ergo Palæstina, cœnobiis et monachis frequens, non potuit fuisse* Cassiano *patria, in qua nulli aut rarissimi hujus professionis viri inveniebantur. Æque temeraria est conjectura eorum, qui suspicantur,* Cassianum *vocari Scytham, quia*
F *aliquo tempore commoratus est in solitudine, quæ* Scitis *vel* Scetis *appellatur, et de qua in Commentario prævio ad Vitam S. Arsenii tomo* IV *Julii pag.* 602 *plura dicta sunt : si enim ibi tantum aliquamdiu habitaverit, quomodo Gennadius eum* natione Scytham *dixit ? Quis autem prudens ob levem suspicionem aut quamdam vocis affinitatem crassi erroris arguet Gennadium, quasi is Scythiam cum Sciti vel Sceti confuderit ?*

ab aliis denique Gallus,

15 *Lucas Holstenius, aut quisquis est auctor præfationis ad codicem Regularum, cap.* 3 *dictæ præfationis contendit,* Cassianum *in Gallia Narbonensi natum fuisse. Norisius lib.* 2, *historiæ Pelagianæ, cap.* I *hanc Holstenii opinionem, ambabus, ut aiunt, ulnis amplectitur, eamque probare nititur quibusdam conjecturis, quas Bruno Neusser loco proxime citato tam solide refutavit, ut æquum hujus controversiæ arbitrum, expensis utrimque argumentis, plane ad Neusseri partes accessurum existimem. Antonius Pagius in Critica* 404 *a num.* 22 *sententiam Holstenii Norisiique sequitur, et rejicit opinionem*

AUCTORE G. C.

nem Lambecii, qui Cassiano *Romam assignat patriam, ut paulo post videbimus.*

quorum argumentis

16 *Primum sententiæ suæ fundamentum desumunt ex verbis ipsius* Cassiani, *qui Collatione* 24, *cap.* I *sic scribit:* Igitur ad hunc Abraham cogitationum nostrarum impugnationem anxia confessione detulimus, quia ad repetendam provinciam nostram, atque ad revisendos parentes quotidianis animi æstibus urgebamur. *Putant, hic palam designari Provinciam, quæ amplam Galliæ Narbonensis partem constituit, et quam incolæ vulgo* la Provence *appellant.* Sed provincia, *ut respondet Neusserus,* nomen quoddam genericum est; et idem prorsus est, repetere provinciam suam et patriam suam : unde dicit PROVINCIAM NOSTRAM, non vero PROVINCIAM simpliciter. *Hisce addo, quod Cassianus in præfatione de institutis cœnobiorum ad Castorem Aptensem episcopum scribens, per* provinciam *videatur* diœcesin *significare; sic enim ibi loquitur :* In provincia siquidem tua, cœnobiorum experte, orientalium maximeque Ægyptiorum volens instituta fundari..... ut aliquid ad
B explementum tui desiderii de inopia sensus mei conferam, poscis. *Si* Cassianus *hic Provinciam vulgo* Provence *intellexisset, et ipse in ea natus fuisset, cur non dixisset* in provincia siquidem nostra, *etc.? Imo in hac ipsa præfatione sanctus Scriptor non obscure innuit, sese alienigenam esse : cum enim proposuisset exemplum Salomonis, qui in ædificando magnifico templo* nequaquam pauperis atque alienigenæ viri consilium dedignatur, *comparationem instituere pergit:* Recte etiam tu his eruditus exemplis, beatissime papa Castor, verum ac rationabile Deo templum, non lapidibus insensibilibus, sed sanctorum virorum congregatione, nec temporale et corruptibile, sed æternum atque inexpugnabile, ædificare disponens..... egenum me, omnique ex parte pauperrimum ad communionem tanti operis dignaris adsciscere. In provincia siquidem tua, *etc. Tillemontius tomo* 14 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 739 *alio modo istud Holstenii Norisiique fundamentum evertit, miraturque, viros illos eruditissimos tam levi ratione ad hanc sententiam defendendam adductos fuisse.*

respondetur.

17 *Majorem difficultatis speciem habet id, quod*
C *Norisius objicit ex lib.* I *de Instit. cap.* 6, *ubi Cassianus describens habitum monachorum Ægyptiorum ait :* Gestant etiam resticulas duplices laneo plexas subtegmine, quas Græci ἀναβολὰς, nos vero succinctoria seu redimicula vel proprie rebrachiatoria possumus appellare. *Ex eo textu formari potest hoc ratiocinium : Si* Cassianus *fuisset natione Scytha aut Græcus, numquam se a Græcis distinxisset, aut sese Latinis annumerasset, sicuti hoc loco facit. Probabilius itaque est, patriam ipsi fuisse Galliam, cum aliæ Latinorum regiones eum tanta verisimilitudine sibi vindicare non possint. At præterquam quod hic textus non magis ostendat,* Cassianum *fuisse Gallum, quam Romanum aut Afrum, respondeo, ipsum inter Latinos et pro Latinis Latine scribentem ita potuisse loqui, etiamsi natione Scytha aut Græcus esset : nihil quippe hac phrasi aliud significat, quam resticulas, quas Græci* ἀναβολὰς *vocant, Latine per vocem* rebrachiatoria *proprie exprimi posse. Idem igitur est, acsi diceret:* Gestant etiam resticulas duplices laneo plexas subtegmine, quas Græci ἀναβολὰς, nos vero, *qui Latine scribimus, et eam vocem Græcam interpretari debemus,* succinctoria seu redimicula vel pro- D
prie rebrachiatoria possumus appellare. *Hic autem loquendi modus Scythicæ aut Græcæ* Cassiani *origini nihil officit. Reliquas Norisii objectiones vide solutas apud Neusserum, qui part.* 2 *Prodromi velitaris cap.* 3 *num.* I *ita concludit :* Præmissæ igitur ratiunculæ penitus evanescunt ad disertum et luculentum Gennadii Massiliensis testimonium, CASSIANUS NATIONE SCYTHA : cui enim Cassiani patria magis comperta esse potuit, quam Gennadio, qui vix quinquagiuta annis Cassiano minor fuit, isque Cassiano addictissimus, quem non mediocriter laudavit? Hic certe hominem, quem tanti faciebat, inter populares et Massilienses suos numerari posse maximæ gloriæ vertisset; illum tamen natione Scytham esse dixit.

Passim a Græcis vocatur Romanus

18 *Photius in Bibliotheca cod.* 197 *natalem illius locum indicat his verbis :* Ἀνεγνώσθη βιβλιδάριον, ἐν ᾧ Κασσιανοῦ μοναχοῦ, Ῥώμην λαχόντος πατρίδα, περιῆσαν λόγοι δύο. *Id est :* Lectus est libellus, in quo continebantur libri duo Cassiani monachi, qui Romam habuit patriam. *Petrus Lambecius in Commentariis Bibliothecæ Cæsareæ lib.* 4, *pag.* 166 *et* 167 *citat duos codices Mss., in quibus aliqua* E
S. Cassiani *Opera in Græcum compendium redacta sunt. In utroque autem* Cassianus *vocatur* ὁ Ῥωμαῖος. *Ex his aliisque Lambecius concludit,* Cassianum *Romæ in Italia natum esse, contenditque, Gennadium errare, dum illum natione Scytham nominat. At præterquam quod ipse* Cassianus *lib.* 3 *Instit. cap.* 10 *de Roma instar peregrini meminerit, et ejusdem libri cap.* 6, *ac denique lib.* 5 *Instit. cap.* 39 *de Italia, tamquam regione aliena, loquatur, Constantinopolitanos per affectum patriæ cives appellat, ut mox ex illius verbis ostendemus. Quæstio itaque institui potest, utrum Græci illi scriptores Romam veterem, an Romam novam seu Constantinopolim intelligant. Non equidem ignoro, Græcos sæpius epitheton distinctivum addere Romæ dum Constantinopolim designare volunt, ut in Commentario prævio ad Acta Latina S. Alexii* § 1, *tomo* IV *Julii pag.* 239 *ostensum est. At rotunde nego, id semper ab illis fieri. Sic in Actis Græcis S. Joannis Calybitæ, quæ Cardinalis Sirletus e Ms. Græco Cryptæ Ferratæ Latine vertit, et Majores nostri ad diem* XV *Januarii ediderunt, dicitur is Sanctus simpliciter* in urbe Roma *natus, cum tamen ex* § 2 F
Commentarii prævii constet, illum fuisse Constantinopolitanum. Hinc etiam Molanus in Annotationibus ad Usuardum num. 7 *de eodem Sancto sic loquitur :* Joannes, qui calybam sive tugurium inhabitavit, patria fuit Romanus, hoc est, ut arbitror, Constantinopolitanus. *Quod autem vox* Ῥωμαῖος *apud Græcos scriptores non raro Thracem, aut Constantinopolitanum, aliumve Græcum significet, quibusdam exemplis jam conabor ostendere.*

qua voce Græcus,

19 *Imprimis geographi consentiunt, Thraciam a metropoli sua, quæ jussu Constantini Magni* Roma nova *vel* Roma secunda *dicta est, nomen* Romaniæ *accepisse. Imo Cangius in Glossario ad vocem* Romania, *multis veterum testimoniis probat, imperium Byzantinum aliasque Orientis partes hoc nomine appellatas fuisse. Quidquid sit, etiamnum Græculi nomen Romanorum sibi ambitiose vindicant, ut Jacobus Sponius tom* 2 *Itinerarii sui pag.* 59 *testatur. Hinc quoque R. P. Alexius de Somavera Capucinus in Thesauro linguæ Græcæ vulgaris, qui anno* 1709 *Parisiis Græco-Italice et Italico-*

A *co-Græce editus est, voces* Ῥομαῖος, Ῥομηὸς, Ῥωμιὸς *per vocem Italicam* Greco *interpretatur. Henricus Spondanus in continuatione Annalium Cardinalis Baronii ad annum Christi* 1205 *agens de Calo-Joanne Bulgarorum rege, etiam in rem nostram hæc habet num* 5 : De eodem vero Joanne Georgius ait, eum ob gravissima mala Romanis (hoc est Græcis, quos ipsi Romanos appellare consueverunt) illata, et quod Romanum sanguinem in deliciis haberet, ROMANICIDAM vocatum fuisse. *Auctor, quem Spondanus hic citat, est Georgius Acropolita, qui in historia sua, anno* 1651 *Parisiis Græco-Latine edita, num.* 13 *pag.* 13 *narrat, hunc Calo-Joannem tanto in Græcos odio flagrasse, ut se* Ῥωμαιοκτόνον *id est* Romanorum occisorem *nominaret. Apud Nicetam Choniatam aliosque scriptores Græcos plura occurrunt exempla, in quibus Romani pro Græcis accipiuntur; sed ea brevitatis causa hic omitto.*

vel Constantinopolitanus significari potest.

20 *Hierolexicon utriusque Marci ad vocem* Romanus *latiorem hujus nominis significationem ita restringit :* Romanus apud Græcos scriptores B significat Constantinopolitanum : nam quem nos Romanum dicimus, illi Latinum vocant. *Strictiori hujus vocis acceptioni favet inscriptio Græca, quam Anselmus Bandurus tomo* 1 *Imperii Orientalie pag.* 182, *seu potius parte* 3 *Antiquitatum Constantinopolitanarum lib.* 7, *num.* 525, *in tertia turri Constantinopolitana legi tradit hoc modo :*

ΠΑCΙ ΡΩΜΑΙΟΙC ΜΕΓΑC ΔΕCΠΟΤΗC ΕΓΕΙΡΕ
ΡΩΜΑΝΟC ΝΕΟΝ ΠΑΜΕΓΙCΤΟΝ ΤΟΝΔΕ ΠΥΡΓΟΝ ΕΚ ΒΑΘΡΩΝ.
OMNIBUS ROMANIS MAGNUS DOMINUS ROMANUS
HANC NOVAM ET MAXIMAM TURRIM EREXIT A FUNDAMENTIS.

Jacobus Sponius tom. 2 *Itinerarii sui pag.* 58 *asserit, sese in muris Constantinopolitanis eamdem inscriptionem legisse, ibidemque eam refert nonnihil mutatam. Addit autem, se per vocem* ΡΩΜΑΙΟΙC *intelligere Græcos, qui etiamnum idiomate suo Græco-barbaro dicere affectant :* Μιλῶ Ῥωμαΐκα *id est,* C loquor Græce; Εἶμαι Ῥωμαῖος, sum Græcus, *etc. Sed nihil vetat nomen Romanorum in hac inscriptione restringi ad solos Constantinopolitanos, qui ab urbe sua Roma nova per excellentiam Romani appellabantur : quibus enim Græcis imperator hanc turrim potissimum exstruxit, nisi civibus Constantinopolitanis, ut ea nempe urbem ipsorum ornaret vel muniret?*

Cum Cassianus Constantinopolitanos appellaverit cives suos,

21 *At quorsum, inquies, de Romani nominis significatione hic tam fuse disputatur? Dicam, quod res est. Pluribus hanc rem discutere volui, ne Photio, Typico S. Sabæ, aliisque Græcorum Menologiis contradicere videar, si* Cassianum *Constantinopoli aut saltem in Romania seu Thracia natum dixero. Porro ipsemet satis clare indicat, hanc esse suam patriam, dum lib.* 7 *de Incarnatione Domini cap.* 31 *contra Nestorium inter alia sic scribit :* Unde obsecro ac deprecor omnes vos, qui intra Constantinopolitanæ urbis ambitum siti, et per affectum patriæ cives mei, et per unitatem fidei fratres mei estis, ut separetis vos ab illo, ut scriptum est, lupo rapaci, qui devorat Dei populum, sicut cibum panis. *Neque hic cum Tillemontio tomo* 14 *Monument. eccles. pag.* 739 *effugium quæras, quasi forte* Cassianus *nomine civium suorum compellasset Constantinopolitanos, eo quod a sancto Joanne Chrysostomo inter clerum adscitus apud eos habitaverit : nam ut alia non urgeam, cur non ita etiam appellat Syros, Ægyptios, Italos, Gallosque inter quos aliquamdiu vixit? Imo cur ad Castorem Aptensem episcopum scribens innuit, se alienigenam esse, ut supra num.* 16 *vidimus? Si igitur* Cassianus *patriam habuerit Thraciam, quæ etiam Romania dicitur, cum jam memorato ipsius testimonio conveniunt Photius, aliique scriptores Græci, a quibus* Ῥωμαῖος *vocatur.*

AUCTORE G. C.

explicatur quo modo ipse in Thracia natus,

22 *Sed adhuc solvendus est nodus, isque satis intricatus : quæret enim aliquis, quomodo hæc Romana* S. Cassiani *patria cohæreat cum testimonio* Gennadii, *qui illum natione Scytham appellavit. Primum respondeo, de certa Gennadii lectione non omnino constare, cum apud nos in manuscripto illius catalogo clare legatur* Cassianus natus Constantinopoli, *quemadmodum initio hujus paragraphi monui. Cedam tamen antiquitati codicis Corbeiensis, in quo legitur* natione Scytha, *eamque lectionem,* E *tamquam longe probabiliorem, admittam. Tunc autem respondeo, eum posse vocari Scytham et Romanum vel Thracem, quia Scythia Pontica partem Thraciæ constituit. Ne vero id temere asseruisse videar, aliquot geographorum testimonia profero. Imprimis Stephanus Byzantius in opere alphabetico de Urbibus, quod Thomas de Pinedo et Lucas Holstenius notis illustrarunt, de Scythis hæc habet :* Σκύθαι ἔθνος Θράκιον, *id est,* Scythæ gens Thraciæ. *Scio equidem, hanc expressionem displicere Thomæ de Pinedo, sed eam apud Holstenium confirmat Eustathius ad Dionysium pag.* 97 *dicens :* Ἦσαν δὲ Σκύθαι καὶ Θράκιον ἔθνος, οἱ καὶ Νομαῖοι ἐλέγοντο. Erant autem Scythæ gens Thraciæ, qui etiam Nomæi dicebantur. *Zozimus historicus Græcus, qui seculo* V *floruit, utrique consentit lib.* 4 *his verbis :* Πόλις ἐστὶν ἐν τῇ κατὰ Θράκην Σκυθίᾳ, Τομεῖς ὀνομαζομένη. Est oppidum in ea Scythia, quæ Thracia continetur, quod Tomos vocant. *Rursus lib.* 5 *historiæ suæ eumdem Scythiæ situm indicat hoc modo :* Ἦν δὲ Ἀβουνδάντιος ἀπὸ τῆς ἐν τῇ Θράκῃ Σκυθίας. Erat autem Abundantius oriundus e Scythia, Thraciæ parte. *Antiquos sequuntur recentiores, inter quos Michael Antonius Baudrand in sua Geographia tomo* 2, *pag.* 217 *affirmat,* F *Scythiam Ponticam fuisse provinciam imperii Constantinopolitani, Scythasque illos collocat in Orientali Bulgariæ parte, in quo tractu etiamnum Tartari Dobricienses et Bialogrodenses degunt. Videri etiam potest Christophorus Cellarius in Notitia orbis antiqui lib.* 2, *cap.* 8, *part.* 1, *pag.* 375 *et sequenti.*

vere a Gennadio vocari potuerit natione Scytha.

23 *His positis, Gennadium cum* Cassiano *concilio, idque vulgari exemplo declaro. Fingamus, Parisiis hæresim quamdam grassari, quam Petrus aliquis, in Normannia natus, ac tunc temporis in Hispania degens, refutandam susceperit. Deinde supponamus, quod Petrus iste hanc Galliæ metropolim adversus errores præmunire volens scripto libro hæreticam doctrinam refellat, et urbis illius incolas moneat, ut sese ab hæreseos auctore separent. Nonne Petrus Parisienses per affectum patriæ appellare poterit cives suos aut populares, cum ipse etiam in Galliæ provincia natus fuerit? Quod si eos hoc nomine in scriptis suis compellaverit, nonne lectores recte colligent, auctorem libri fuisse patria Parisiensem*

AUCTORE G. C.

siensem aut saltem Gallum? Nonne is Gallicis scriptoribus annumerabitur? Nonne communiter Gallus audiet, quamvis sit ortus ex gente septemtrionali, quæ ab aliquot seculis in Gallia sedem fixit? Jam ulterius statuamus, a scriptore quodam Toletano (in ea Hispaniæ civitate Petrum aliquamdiu vixisse, et a quinquaginta annis ibidem obiisse supponimus) componi catalogum virorum illustrium, qui hæreses oppugnarunt, atque inter alios Catholicæ fidei defensores hunc Petrum recenseri. Si Toletanus ille juxta distinctiorem Galliæ notitiam Petrum natione Normannum appellaverit, an contradicet aliis scriptoribus, qui Petrum Gallum dixerint? An repugnabit ipsi Petro, qui Parisienses per affectum patriæ cives suos nominaverat? Qui singula hujus comparationis adjuncta præsenti questioni applicuerit, facile intelliget, quomodo S. Cassianus *a Græcis Romanus et a Gennadio Scytha dici potuerit. Si tamen alicui hæc explicatio non placeat, suspicabor, a Gennadio nomen Scytharum fuisse latius acceptum, siculi jam Thraces, Macedones, Thessalos, Bulgaros, aliosque imperii Turcici populos* B *communi Turcarum nomine vulgo appellamus. Imo tunc suspicioni meæ favebit Jornandes, qui seculo* VI *de rebus Geticis scribens, cap.* 5 *fines Scythiæ longe lateque extendit.*

§ III. Sancti nativitas, nomen et cognomen, parentes vel consanguinei, studia litterarum, et vitæ monasticæ professio.

Certus nativitatis annus frustra quæritur,

N*on possumus nativitati* S. Cassiani *determinatum tempus assignare, eum non certo sciamus, quam diu viverit, et quo anno mortuus fuerit. Tradunt quidem Lectiones Massilienses, quas supra num.* 11 *retulimus, ipsum senio confectum obiisse,* expletis videlicet nonaginta septem annis; *sed de tanta senectute nullum verbum faciunt, qui Officia propria ecclesiæ Massiliensis emendarunt, et anno* 1662 *auctoritate episcopali munita ediderunt. Si de tam senili* S. Cassiani *ætate constitisset, cur eam correctores illi omisissent? Quare suspicor, ab aliquo* C *hunc annorum numerum pro libitu fuisse excogitatum, sicut Guesnæus noster lib.* 2, *cap.* 2 *gratis determinavit annum* 448, *quo istius sancti Senis mortem collocat. Fateor tamen, hanc hypothesim, in qua* Cassianus *anno* 351 *natus esset, non esse omnino improbabilem: nam videtur Sanctus noster ante annum* 385 *Bethlehemo in Ægyptum profectus esse, quia nusquam dicit, visum a se fuisse S. Hieronymum, qui anno* 385 *Bethlehemum incolere cœpit. Præterea abbas Nesteros Collatione* 14, *cap.* 9 Joannem Cassianum *cum socio suo Germano ita ad silentium hortatur:* Observate igitur in primis, et maxime tu, Joannes, cui magis ad custodienda hæc, quæ dicturus sum, ætas adhuc adolescentior suffragatur, ne studium lectionis ac desiderii tui labor vana elatione cassetur, ut indicas summum ori tuo silentium. *Non existimo, quod ætas adolescentior vigesimum quintum aut trigesimum annum excedat. Videtur itaque* Cassianus *post annum* 350 *natus esse, cum ante annum* 385 *abbas Nesteros illum tamquam juvenem alloquatur. Hæc est conjectura nostra de nativitatis tempore, quam ob verosimiliorem libenter deseremus.*

25 *Satis certum est,* Cassiano *fuisse prænomen* D Joannis: *Prosper enim in Chronico, quod inter alia ejus opera anno* 1711 *Parisiis editum est, col.* 745 Theodosio XIV et Maximo coss. *id est ad annum Christi* 433 *ita scribit:* Joannes monachus, cognomento Cassianus, Massiliæ insignis et facundus scriptor habetur. *Non omnino constat, hæc esse Prosperi verba, cum ea in quibusdam codicibus desint, sicut novissimus editor ibidem in notis monet. Saltem in codice nostro membranaceo majoris formæ, qui non magnam characterum antiquitatem præfert, sub Prosperi nomine ad annum Christi* 434 *ita legitur:* Cassianus compertas in Ægypto vitas patrum, doctrinasque et regulas, libris ad plurimos datis, exponit. *Haud dubie simile Ms. præ oculis habuit Pithæus, ex quo Canisius tomo* 1 *Antiquæ lectionis Chronicon Prosperi tironis Aquitani recudit, ubi pag.* 170 *hæc eadem ultima verba referuntur. Quidquid sit de genuino Prosperi chronico, abbas Nesteros eum vocat* Joannem, *ut ex numero præcedenti apparet. Iterum lib.* 5 *Instit. cap.* 35 *a sene quodam Theodoro* Joannes *appellatur. Alii ipsum passim* Cassianum *nominant, inter quos est* E *Castor Aptensis episcopus, qui epistolam suam, a Gazæo operibus* Cassiani *præfixam, ita exorditur:* Domno sanctitatis speciali gloria decorato, atque per omnia memorando; sed et scientiarum decore pollenti, patri scilicet Cassiano, Castor in mundo degentium peripsema, quæ possumus servitutis humillima. *Prosper autem in editione mox citata col.* 307, *tacens alia ejus nomina, in titulo libri, quem de gratia et libero arbitrio contra* Cassianum *scripsit, illum dumtaxat* Collatorem *vocat, nempe a Collationibus patrum, quas* Cassianus *vulgaverat. Guesnæus noster lib.* 1, *cap.* 1 *et* 2 *de illius nomine et cognomine satis facunde disserit; sed hæc et similia istius scriptoris ratiocinia, potius rhetorice exornata, quam historice probata censeri possunt.*

sed facilius inveniuntur Sancti prænomen et cognomen,

26 *Eminentissimus Baronius ex hac cognominis similitudine conjecit, Isidorum Pelusiotam litteras ad* Cassianum *nostrum dedisse: nam in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 404 *num.* 78 *ita scribit:* Exstat Isidori Pelusiotæ ad Cassianum epistola, cum aggressus esset vitam monasticam profiteri, qua eum in primis sibi coercendam esse linguam admonuit. *At non videtur ad* Cassianum F *nostrum hæc spectare epistola, quæ lib.* 1, *epist.* 309 *sic incipit:* Te caducam et corruptioni obnoxiam *(Græce φθαρτὸν quæ vox aliquando* corruptam *vel* sceleratam *significat)* vitam fugisse, atque ad monasticum studium cursu contendisse audio; atque interim tamen procacem ac petulantem linguam habere, ac temere loqui. Quod quidem nihil aliud est, quam murum firmum atque hostibus inaccessum exstruere, ipsisque portam ad ingressum relinquere. *Hæc morum corruptio non convenit* Cassiano *nostro, qui a pueritia inter monachos vixerat, et haud dubie in cœnobio Bethlehemitico jam linguam frænare didicerat. Quod si quis contendat, per vocem φθαρτὸν designari dumtaxat vitam secularem, quæ pericula corruptionis obnoxia est, respondebo,* Cassianum *nostrum Isidoro Pelusiotæ Ægyptum incolenti verosimillime non fuisse notum, quando a teneris annis eam vitam deseruit, et institutum monasticum Bethlehemi amplexus est. Denique Isidorus lib.* 3, *epist.* 402 *et lib.* 4, *epist.* 121 *scribit Cassiano diacono, qua dignitate* Cassianus

cujus posterioris similitudine deceptus videtur Baronius.

AUCTORE G. C.

A nus *noster nondum ornatus erat, dum in Ægypto versabatur. Unde concludo, plures hoc nomine insignitos fuisse, et Isidorum Pelusiotam probabilius ad nostrum* Cassianum *non scripsisse.*

Cassianus indicat statum suorum parentum

27 *Ipse Sanctus noster declarat, quam pios parentes habuerit, dum Collatione* 24, *cap.* 1 *una cum socio suo Germano tentationem redeundi in patriam abbati Abrahæ ita exponit :* Igitur ad hunc Abraham cogitationum nostrarum impugnationem anxia confessione detulimus, quia ad repetendam provinciam, atque ad revisendos parentes quotidianis animi æstibus urgebamur. Hinc etenim nobis maxima desideriorum nascebatur occasio, quod tanta religione atque pietate parentes nostros præditos recordabamur, ut eis nequaquam nostrum propositum præponeremus, hoc jugiter mente volventes, quod profectum magis ex illorum essemus assiduitate capturi, nullaque nos corporalium rerum solicitudine, nullisque prospiciendi victus distentationibus occupandos, illis affatim omnem cum gaudio præbitionem nostræ necessitatis explentibus. Insuper etiam ipse inaB nium gaudiorum animum pascebamus, credentes fructum nos maximum percepturos de conversione multorum, qui velut nostro essent ad viam salutis exemplo ac monitis dirigendi ; tum prætera ipsorum locorum situs, in quibus erat majoribus nostris habita * possessio, ipsarumque amœnitas regionum jocunda ante oculos pingebatur, quam gratæ et congruæ solitudinis spatiis tenderetur, ita ut non solum delectare monachum possint secreta silvarum, sed etiam magna victus præbere compendia. *Norisius ex his postremis verbis cum Holstenio contra Scythicam* S. Cassiani *patriam frustra infert, hanc amœnæ regionis descriptionem* Scythicorum desertorum squallori ac Caucaseis rigoribus minime convenire : *nam Scythia Pontica, ex qua* Cassianum *putamus oriundum, longe a Caucaso remota est, suasque habet delicias, et magna præbet victus compendia.*

* avita

vel consanguineorum,

28 *Dubitari potest, utrum* Cassianus *per parentes hic intelligat patrem et matrem. Ratio dubitandi est, quod eo tempore consanguinei et affines nomine parentum sæpe exprimerentur, uti testatur* C *S. Hieronymus initio libri* 2 *contra Ruffinum, ubi in novissima editione Parisiensi tomo* 4, *part.* 2, *pag.* 389 *adversarium ita exagitat :* Illud vero ridiculum, quod post triginta annos ad parentes se reversum esse jactat homo, qui nec patrem habet, nec matrem ; et quos viventes juvenis dereliquit, mortuos senex desiderat : nisi forte parentes militari vulgarique sermone cognatos et affines nominat. *Sic etiam Venantius Fortunatus in libellis singularibus de excidio Thuringiæ apud Browerum nostrum pag.* 341 *hæc habet :*

Tunc pater ac genitrix, et avunculus, atque parentes,
Quos flerem in tumulo reddidit iste dolor.

Cangius in Glossario ad vocem parentes *plura hujus significationis exempla adducit. Cum igitur hic forte etiam ea vox ita accipiatur nihil definio, sed dumtaxat addo, fuisse* Cassiano *sororem de qua lib.* II, *Instit. cap.* 17 *meminit hoc modo :* Quapropter hæc est antiquitus patrum permanens nunc usque sententia, quam proferre sine mea confusione non potero, qui nec germanam vitare potui, nec episcopi evadere manus, omnimodis monachum fugere debere mulieres et episcopos : neuter enim sinit eum, quem suæ familiaritati devinxit, vel quieti cellulæ ulterius operam dare, vel divinæ theoriæ per sanctarum rerum intuitum purissimis oculis inhærere.

inter quos Tillemontius gratis numerat Germanum individuum Cassiani comitem.

29 *Suspicari forte quis posset, fratrem* Cassiano *fuisse abbatem Germanum*, cum quo mihi, *inquit Sanctus noster Collatione* 1, *cap.* 1, ab ipso tirocinio ac rudimentis militiæ spiritalis ita individuum deinceps contubernium tam in cœnobio quam in eremo fuit, ut cuncti ad significandam sodalitatis ac propositi nostri parilitatem pronuntiarent, unam mentem atque animam duobus inesse corporibus. *Verum ipse* Cassianus *hanc suspicionem omnino tollit: nam collatione* 16, *cap.* 1 *abbati Josepho interroganti, an essent fratres, responsum est,* quod non carnali, *inquit*, sed spiritali essemus fraternitate devincti, nosque ab exordio renuntiationis nostræ tam in peregrinatione, quæ ab utroque nostrum fuerat obtentu militiæ spiritalis arrepta, quam in cœnobii studio individua semper conjunctione sociatos fuisse. *Tillemontius tomo* 14 *Monument. eccles. pag.* 160 *conjicit, Germanum istum proxima consanguinitate* S. Cassiano E *junctum fuisse, quia Collatione* 24, *cap.* 1 *utrique eadem regionis amœnitas, avita majorum possessia, aliaque divitis familiæ commoda adscribuntur, ut colligi potest ex iis, quæ num.* 27 *adduximus. Non nego, hanc conjecturam utcumque verosimilem esse; facile tamen fieri potuit, ut ambo habuerint eamdem patriam, in qua essent vicinæ parentum suorum possessiones, et distinctæ utrinsque familiæ opes, quamvis ipsi nullo sanguinis vinculo inter se fuerint connexi. Hæc omnia, inquam, de duobus popularibus et vicinis explicari possunt, etiamsi non sint consanguinei, ut consideranti patebit. Unde hanc incertam conjecturam, ut talem, relinquimus.*

Sanctus probabiliter litteris humanioribus instructus fuerat,

30 *Non satis etiam clarum est, quo loco* Cassianus *litteras humaniores didicerit : quamvis enim a pueritia, ut ipsemet in præfatione ad Castorem Aptensem testatur, inter monachos vixerit, tamen pueritia quamdam latitudinem patitur, et communiter usque ad annum decimum quintum extenditur; ita ut domi aut alibi profana studia delibare potuerit, antequam se ad monasterium Bethlehemiticum conferret. Lectiones* § 1 *citatæ asserunt, eum Athenis prius philosophiæ studuisse. Officia propria anni* 1662 *de studiorum palæstra silent. Guesnæus noster illum septennem pro libitu ex monasterio* F *Athenas mittit, ac post finita studia iterum Athenis ad monasterium reducit. Ut ut est, ipse* Cassianus *(hoc perperam sub Germani nomine editum est, uti Tillemontius tomo* 14 *Monument. eccles. pag.* 159 *recte observavit) satis aperte indicat, se profanis litteris operam dedisse, quando ab abbate Nesterote ad vitandas mentis evagationes excitatus sic scribit Collatione* 14, *cap.* 12: Ad hæc ego occulta primum compunctione permotus, ac deinde graviter ingemiscens, hæc, inquam, omnia quæ copiosissime digessisti, majora mihi intulerunt desperationis augmenta, quam hactenus sustinebam : quippe cui præter illas generales animæ captivitates, quibus non dubito infirmos pulsari extrinsecus, speciale impedimentum salutis accedit, pro illa, quam tenuiter videor attigisse, notitia litterarum, in qua me ita vel instantia pædagogi vel continuæ lectionis maceravit intentio, ut nunc mens mea poëticis velut iufecta

AUCTORE G. C.

cta carminibus illas fabularum nugas historiasque bellorum, quibus a parvulo primis studiorum imbuta est rudimentis, orationis etiam tempore meditetur, psallentique, vel pro peccatorum indulgentia supplicanti aut impudens poëmatum memoria suggeratur, aut quasi bellantium heroum ante oculos imago versetur, taliumque me phantasmatum imaginatio semper eludens, ita mentem meam ad supernos intuitus aspirare non possit expelli. *Non est verosimile, has poeticas fabulas a monachis Bethlehemeticis* Cassiano *fuisse traditas, cum ipse tantum meminerit de spirituali doctrina, quam in hæc cœnobio hausit, ut mox infra videbimus.*

antequam ingrederetur monasterium Bethlehemiticum,

31 *Nescio, qua occasione* Cassianus *imbutus fuerit spiritualibus* Bethlehemitici cœnobii rudimentis, *ut Collatione* 11, *cap.* 5 *loquitur; nisi forte hoc monasticæ vitæ genus amplexus fuerit, quando invisebat Terram sanctam, ad quam circa illa tempora ex toto terrarum orbe tantus fiebat Christianorum concursus, ut S. Hieronymus in epistola* 86 *ad Eustochium sic interroget :* Cujus enim B gentis homines ad sancta loca non veniunt? *Imo idem sanctus doctor in epistola* 48 *ad Desiderium dicit :* Adorasse ubi steterunt pedes Domini, pars fidei est; et quasi recentia nativitatis et crucis ac passionis vidisse vestigia. *Non est itaque improbabile,* Cassianum *pietatis causa ad loca sancta peregrinatum esse, atque ea occasione institutum Bethlehemitici cœnobii arripuisse. Cum tamen id nullibi legerim, nihil affirmo. Illud unum constat, ipsum in eo monasterio prima vitæ monasticæ fundamenta jecisse, uti manifeste indicat, dum Collatione* 17, *cap.* 7 *socium suum Germanum de monachis Bethlehemiticis ita utriusque nomine loquentem inducit :* Quamvis etiam illorum doctrinæ summas grates rependere debeamus, qui nos docuerunt a parvulis magna conari, et dato boni sui gustu, egregiam perfectionis sitim nostris visceribus indiderunt. *Sæpe etiam alibi mentionem facit de primis fidei ac spiritualis doctrinæ rudimentis, quæ in eo monasterio acceperat; at nusquam innuit, se ibi etiam profanas disciplinas didicisse, quod opinionem nostram, numero præcedenti* C *expositam, non parum confirmat.*

quod a monasterio S. Hieronymi diversum est,

32 *Indicat* Cassianus *lib.* 4 *Instit. cap.* 31 *situm sui monasterii,* quod non longe fuit a spelæo, *inquit,* in quo Dominus noster Jesus Christus ex Virgine nasci dignatus est. *Jam antea lib.* 3 *Instit. cap.* 4 *de eodem hæc scripserat :* Sciendum tamen, hanc Matutinam *(intelligitur Prima Officii ecclesiastici)* quæ nunc observatur in occiduis vel maxime regionibus, canonicam functionem nostro tempore in nostro quoque monasterio primitus institutam, ubi Dominus noster Jesus Christus natus ex Virgine, humanæ infantiæ suscipere incrementa dignatus, nostram quoque adhuc in religione teneram et lactentem infantiam sua gratia confirmavit. *Gazæus in notis ad hunc postremum* Cassiani *textum putat, hic designari monasterium Bethlehemiticum, quod Paula Romana construxit, et S. Hieronymus gubernavit. Sed haud dubie hallucinatur : nam hoc monasterium a Paula Romana anno* 389 *ædificatum est, sicut Tillemontius tomo* 12 *Monument. eccles. pag.* 122 *ostendit. Ratio autem temporis non permittit, ut spirituale* Cassiani *tirocinium tamdiu differamus, quemadmodum secutura historiæ series demonstrabit. Præterea ipse* Cassianus *satis declarat, vetustius fuisse monasterium, in quo vixit, cum ibidem asserat, se in eo invenisse horas refectioni corporum* D a majoribus *deputatas. Guesnæus noster lib.* I *Cassiani illustrati cap.* 9 *istam Gazæi aliorumque opinionem erroris convincit, qui utinam alias historiæ suæ partes tam solide probasset! Consuli etiam potest Tillemontius, qui tomo* 14 *Monumentorum eccles. pag.* 158 *eamdem sententiam pluribus argumentis impugnat. Gravius errat auctor Lectionum propriarum, quas supra num.* 10 *exhibuimus, dum* Cassianum *istius monasterii fundatorem facit dicens :* Apud Bethlehem quorumdam præsidio sodalium instituit monasterium.

et quod varii Ordinis religiosi sibi vindicant.

33 *Ex hac sola ædificati monasterii Hieronymiani chronologia (nolo hic alia tangere) corruit assertio Josephi de Siguenza, qui in historia Hispanica Ordinis S. Hieronymi part.* 2, *lib.* I, *cap.* 1 Cassianum *religioni Hieronymianæ adscribit. Neque firmiori fundamento nititur Joannes Baptista de Lezana, quando in Annalibus Carmelitarum ad annum Christi* 404 *num.* 2 *Ordini suo eumdem ita vindicat :* Illud non prætermittendum, abs re sane et fere sine fundamento aliquo Basiliani E instituti historicos Cassianum sibi adjudicare voluisse : si enim, quæ scripsit, inspiciantur, clare habebitur, ipsum Eliani et Esseni instituti, quod in Ægypto et Palæstina florere conspexerat, sectatorem esse. *Fateor, me talpa cæciorem esse, si in* Cassiani *scriptis clare contineatur, ipsum Carmelitam fuisse. Nihilominus Marcus Antonius Alegre de Casanate in Paradiso Carmelitico pag.* 204 *ad annum Christi* 435 *ita confidenter pronuntiat :* Sanctus Joannes Cassianus, Scytha natione, sancti Joannis Chrysostomi discipulus et diaconus, et eodem cum Chrysostomo conventu professor Helianus. *Hermenegildus a sancto Paulo in Origine et continuatione religionis Hieronymianæ Tract.* 5, *cap.* 16 *Hispanice contra Marcum Antonium Alegre multa ratiocinia congerit, et* Cassianum *suis Hieronymitis annumerat. Eruditis nugari videbor, si hanc ridiculam istorum scriptorum contentionem componere aut fusius discutere voluero. Quare ad magis seria progredior.*

§ IV. Prima profectio in Egyptum. F

Cassianus cum socio Germano ex cœnobio Bethlehemitico,

Postquam S. Cassianus *aliquod tempus in monasterio Bethlehemitico transegerat, majoris perfectionis acquirendæ gratia simul cum fideli suo Achate Germano, ad celeberrimos Ægypti monachos et anachoretas proficisci decrevit, ut ipse Collatione* II, *cap.* I *diserte significat his verbis :* Cum in cœnobio Syriæ consistentes, post prima fidei rudimenta succedentibus aliquatenus incrementis, majorem perfectionis desiderare gratiam cœpissemus, statuimus confestim Ægyptum petere, ac remotissima etiam Thebaïdos eremo penetrata, sanctorum plurimos, quorum gloriam fama per universa diffuderat, si non æmulandi, saltem agnoscendi studio invisere. *Quanto autem temporis spatio ante illam peregrinationem in isto cœnobio vixerint, patet ex Collatione* 19, *cap.* 2, *ubi Sanctus noster ex magna animi demissione ita loquitur :* Unde non mirum est, nec ad illorum sublimitatem nos posse conscendere, qui non dicam usque ad senectam sub cœnobii permanere non possumus disciplina, sed vix biennio subjectionis jugum

AUCTORE G. C

A jugum sustinere contenti, ad præsumptionem noxiæ libertatis protinus evolamus, cum tamen ipso illo parvo tempore non secundum illam districtionis regulam, sed pro nostri arbitrii libertate utcumque senioris subjiciamur imperio, ut non patientiæ fructum ediscere, sed tempus adipiscendæ licentiæ exspectare videamur. *Inde etiam Germanus cap.* II *ejusdem Collationis abbatem Joannem sic interrogat :* Quo ergo vel nobis vel ceteris, qui ejusdem fragilitatis atque miseriæ sunt, remedio poterit subveniri, qui cœnobialibus disciplinis tenuiter instituti, ante expulsionem omnium vitiorum, habitationem solitudinis cœpimus affectare? Vel quo pacto imperturbatæ mentis constantiam et immobilem patientiæ poterimus apprehendere firmitatem, qui ipsas quodammodo scholas et exercitationis hujus palæstram, in qua ad plenum erudiri ac perfici principia nostra debuerant, intempestive intermissa cœnobii conversatione, dereliquimus? *Ex his aliisque colligo*, S. Cassianum *valde juvenem fuisse, dum in Ægyptum discessit, quandoquidem* a
B pueritia *cœnobiticam vitam amplexus est. Id ipsum confirmat Germanus, qui post aliquot annos in Ægypto transactos Collatione* 21, *cap.* 21 *Theonæ dicit, quod sibi sit* viridior ætas. *Constat autem ex Collatione* 14, *cap.* 9, Cassianum *Germano juniorem fuisse, ut supra num.* 24 *ostendimus.*

prius facta promissione prompti reditus,

35 *Quando Bethlehemitici cœnobitæ fervens horum tironum desiderium intellexerant, ipsis hoc arduum iter dissuadere eosque apud se retinere cupiebant, sive quod forsitan hoc austerum vivendi genus teneræ ipsorum ætati haud satis convenire judicarent, sive quod nollent amittere eximia virtutum exempla, quibus ambos eluxisse arbitror : nam abbas Pynusius, qui aliquamdiu in eodem monasterio Bethlehemitico latuerat, et conversationem illorum observaverat, pia utriusque opera Collatione* 20, *cap.* 4 *egregie laudat. At quamcumque ob causam cœnobitæ generoso eorum desiderio obstiterint, saltem illis abeundi licentiam concedere noluerunt, nisi prius solenniter promitterent, sese quamprimum, ex Ægypto ad monasterium suum reversuros. Hinc Germanus Collatione* 17, *cap.* 2 *solicitus est* de sponsionis fide, quam senioribus nostris velocissimum reditum
C pollicentes, *inquit*, dedisse nos novimus, ut vel cursim liceret nobis hujus provinciæ sanctos ac monasteria circumire..... Retinentium precibus alias non potuissemus obsistere, nisi, maturissimo reditu repromisso, huc venissemus. *Deinde cap.* 5 *ejusdem Collationis anxios conscientiæ suæ stimulos ita rursus exponit :* Ex utroque ergo nunc latere coarctamur. Si enim promissioni, quam, seniorum caritate nos compellente, deprompsimus, et quam coram cunctis fratribus in spelæo, in quo Dominus noster ex aula uteri virginalis effulsit, ipso teste, deprompsimus, satisfacere voluerimus, summum spiritalis vitæ incurrimus detrimentum; sin autem sponsionis immemores, et in his regionibus residentes, utilitati perfectionis nostræ illam voluerimus postponere pactionem, abrupta mendacii non impletæ promissionis pericula formidamus.

proficiscitur in Ægyptum,

36 *Cum igitur sub ea conditione veniam discedendi impetrassent, alacri animo arripuerunt optatum iter, cujus narrationem nunc ex ipsis* S. Cassiani *scriptis contexam, qui Collatione* 11, *cap.* 1 *et sequentibus peregrinationem suam sic describit :* Igitur ad oppidum Ægypti, cui Thennesus nomen est, emensa navigatione pervenimus; cujus accolæ ita vel mari vel stagnis falsis undique circumluuntur, ut solis (quia terra deest) negotiationibus dediti, opes atque substantiam navali commercio parent, ita ut ædificiis cum voluerint exstruendis terra non suppetat, nisi de longinquo navigiis apportetur. Ubi cum advenientibus nobis, favens desideriis nostris divinitas beatissimi atque præcipui viri Archebii episcopi præstitisset adventum, qui raptus de anachoretarum cœtu, et episcopus Panephysi oppido datus, tanta districtione omni ævo suo propositum solitudinis custodivit, ut nihil de præteritæ humilitatis tenore laxaverit, aut de adjecto sibi honore blanditus sit. (Non enim tamquam idoneum se ad istud officium testabatur adscitum, sed velut indignum ab illa anachoreseos disciplina querebatur expulsum, eo quod triginta septem annis in eadem commoratus, ad puritatem tantæ professionis nequaquam pervenire potuisset) hic igitur cum in supradicta Thenneso, quo eum eligendi illic episcopi causa perduxerat, pie nos atque humanissime suscepisset, agnito desiderio nostro, quo E
sanctos patres etiam in ulterioribus Ægypti partibus inquirere desiderabamus : Venite, inquit, et videte interim senes, haud longe a nostro monasterio consistentes, quorum ita et antiquitas in corporibus jam curvatis, et sanctitas in ipso etiam fulget aspectu, ut vel sola contemplatio eorum magnam intuentibus possit conferre doctrinam, a quibus id, quod ego amissum doleo, quodque tradere jam perditum nequeo, non tam verbis, quam ipso sanctæ vitæ discatis exemplo. Credo autem, inopiam meam hoc studio aliquatenus sublevandam, si inquirentibus vobis illam euangelicam margaritam, quam ipse non habeo, saltem providero, ubi eam commodius comparetis.

quod adveniens

37 Sumpto itaque baculo et pera, ut illic cunctis viam ingredientibus monachis moris est, ad civitatem nos suam, id est Panephysim, itineris dux ipse perduxit : cujus terras, imo etiam contiguæ regionis plurimam partem quondam opulentissimam (siquidem ex ea cunctæ, ut fama est, regioni cibus subministrabatur) repentino terræ motu excussum mare transgressis limitibus occupavit, atque ita collapsis ferme omnibus vicis, opimas olim terras salsis paludibus supertexit, ut illud quod in psalmo spiritaliter decantatur : F
Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem a malitia inhabitantium in ea; secundum litteram de illa putent regione prædictum. In his igitur locis multa in hunc modum oppida, eminentioribus tumulis collocata, fugatis habitatoribus, eluvies illa velut insulas fecit, quæ desideratam secedentibus sanctis solitudinem præbent, in quibus tres senes, id est Chæremon, Nesteros et Joseph, anachoretæ antiquissimi consistebant.

deducitur ad Chæremonem abbatem,

38 Itaque beatus Archebius primum nos perducere ad Chæremonem maluit, qui et monasterio ejus propior, et duobus aliis provectior esset ætate. Nam cum centenarium vitæ annum spiritu tantum alacer excessisset, ita dorsum ejus temporis fuerat vetustate atque orationum jugitate curvatum, ut quasi in primævam redactus infantiam submissis ac protentis terratenus manibus progrederetur. Hujus igitur et vultum mirabilem et incessum pariter intuentes (siquidem

defectis

AUCTORE G. C.

defectis mortificatisque jam omnibus membris, nequaquam censuram prætcritæ districtionis amiserat) cum sermonem atque doctrinam suppliciter posceremus, ac desiderium tantum spiritualium institutionum causam fuisse adventus nostri protestaremur, graviter ille suspirans : Quid vobis, ait, possum conferre doctrinæ, cum imbecillitas senectutis, ut rigorem pristinum relaxavit, ita loquendi quoque ademit fiduciam? Quemadmodum enim docere præsumam, quod ipse non facio; aut alium in eo instruam, quod me jam minus vel tepidius exercere cognosco? Ob quam rem nullum juniorem mihi in hanc usque ætatem cohabitare permisi, ne exemplo meo alterius districtio laxaretur. Numquam enim erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.

quocum,

39 Ad hæc nos non mediocri confusione compuncti ita respondimus : Licet sufficere nobis ad omnem instructionem debeat vel loci istius difficultas, vel ipsa etiam solitaria adhuc vita, quam juventus quoque robusta vix posset tolerare, quæ B nos etiam, te tacente, satis abundeque instruunt atque compungunt, rogamus tamen, ut, taciturnitate paululum prætermissa, ea nobis potius dignanter infundas, per quæ hanc, quam videmus in te, virtutem non tam imitatione complecti, quam admiratione possimus. Nam etiamsi revelatus tibi tepor noster impetrare id, quod expetimus, non meretur, debet hoc saltem labor tanti itineris obtinere, quod huc de Bethlehemitici cœnobii rudimentis institutionis vestræ desiderio, et profectus nostri amore properavimus. *His motus Chæremon reliquis istius Collationis capitibus* de perfectione *disseruit. Deinde* Cassianus *ejusque comes cum eodem sene duas sequentes Collationes habuerunt, in quarum una* de castitate, *in altera* de protectione Dei, *disputatum est. Tres itaque Collationes, nempe undecima, duodecima et decima tertia, huic Chæremoni tribuuntur, in quarum postrema quædam sanæ doctrinæ repugnant, ut postmodum dicemus.*

uti et cum Nesterote per interpretem colloquitur;

40 *Percepta Chæremonis instructione, adierunt abbatem Nesterotem, ut audirent spiritualem doctrinam hujus* præclari in omnibus summæque scienC tiæ viri, *quemadmodum* Cassianus *Collatione* 14, *cap.* 1 *eum appellat. Gazæus in notis ad initium istius Collationis duo refert exempla, quæ huic Nesteroti adscribenda existimat. Primum in Vitis Patrum apud Rosweydum nostrum in secunda editione pag.* 593 *ita legitur :* Abbas Nesteron major ambulabat in eremo cum aliquo fratre, et videntes draconem fugerunt. Dicit ei frater : Et tu times, pater? Respondit senex : Non timeo, fili; sed expedit, quia draconem videns fugi, quoniam non habui effugere spiritum vanæ gloriæ. *Alterum in eadem editione pag.* 624 *refertur hoc modo :* Post hæc autem interrogabat senex fratrem illum, dicens : Abba Nestero, quomodo acquisisti virtutem hanc, ut quando emersit tribulatio aliqua in monasterio, non loquaris neque tædium facias? Et cum multum cogeretur frater a sene, dicit ei : Ignosce mihi, abba; quando intravi in initio in congregatione, dixi animo meo : Tu et asinus unum estote. Sicut enim asinus vapulat, et non loquitur, injuriam patitur, et non respondet; sic et tu, quemadmodum et in psalmo legitur : Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. *Non video aliam rationem applicandi hæc apophthegmata huic Nesteroti, præter* D *quamdam nominis affinitatem, quæ nec ipsa ubique æqualis est, cum semel* Nisteron, *alias* Nestero, *vocetur. Ludovicus Bulteau in historia monastica Orientis, superius laudata, lib.* I, *cap,* 10 *suspicatur, illum Nesterotem, de quo agimus, fuisse amicum sancti Antonii, quia in iisdem Vitis Patrum apud Rosweydum pag.* 562 *hæc legerat :* Interrogavit unus patrum abbatem Nisteronem magnum, qui erat amicus abbatis Antonii. *Nesteros quidem, quem* Cassianus *consuluit, Collatione* 14, *cap.* 4 *affirmat, beatum Antonium suis temporibus vixisse; sed mihi adhuc superest scrupulus, quia Vitæ patrum hunc Antonii amicum appellant* Nisteronem magnum : *videtur enim epitheto* magnus *vel, ut supra legitur,* major, *distingui ab eo, qui simpliciter* Nestero *vel* Nesteros *nominatur. At quisquis demum iste fuerit, cum Nesterote* Cassianus *instituit duas Collationes; scilicet decimam quartam* de spiritali scientia, *et decimam quintam* de charismatibus divinis.

at cum Josepho Græce spirituales collationes habuit;

41 *Cum duobus præcedentibus vitæ spiritualis magistris ob mutui idiomatis ignorantiam per interpretem loqui debuerant; sed cum tertio, linguæ Græcæ perito, ipsi per se disputarunt, uti* Cassia- E nus *Collatione* 16, *cap.* 1 *affirmat his verbis :* Beatus Joseph, cujus nunc instituta ac præcepta pandenda sunt, unus ex tribus, quorum in prima Collatione fecimus mentionem, claræ admodum familiæ ac primarius civitatis suæ intra Ægyptum fuit, quæ appellatur Thmuis, et ita non solum Ægyptia, sed etiam Græca facundia diligenter edoctus, ut vel nobis, vel his, qui eloquentiam Ægyptiam penitus ignorabant, non ut ceteri per interpretem, sed per semetipsum elegantissime disputaret. Qui cum institutionem suam nos desiderare sensisset, percunctatus primum, utrumnam essemus germani fratres, audiensque a nobis, quod non carnali, sed spiritali essemus fraternitate devincti, nosque ab exordio renuntiationis nostræ, tam in peregrinatione, quæ ab utroque nostrum fuerat obtentu militiæ spiritalis arrepta, quam in cœnobii studio individua semper conjunctione sociatos, tali usus est sermonis exordio. *Joseph itaque occasione hujus individuæ conjunctionis in Collatione decima sexta longam* de F amicitia *dissertationem habuit. Cum vero Germanus ob promissum velocissimum reditum stimulis conscientiæ angeretur, eosque socio suo indicasset, ambo consilii causa hanc animi sui perturbationem abbati Josepho exposuerunt, qui illis persuadere conatus est, istam definitionem seu promissionem non esse tenendam; unde* Cassianus *Collationi decimæ septimæ, in qua quæstio illa agitata fuerat, titulum* de definiendo *præfixit. Vide, si placet, in hanc Collationem eruditissimas annotationes, quas Henricus Cuyckius, postea illustrissimus Ruræmundensium episcopus, operibus* Cassiani *subjunxit, quasque Gazæus in eorumdem operum editione anno* 1628 *a pag.* 927 *recudit.*

et ubique magna caritate receptus est.

42 *Hunc paragraphum concludo referendo hospitalem caritatem, qua duo illi peregrini a monachis Ægyptiis excepti sunt, quamque Sanctus noster lib.* 5, *Instit. cap.* 24 *ita describit :* Cum de Syriæ partibus seniorum scita discere cupientes Ægypti provinciam petissemus, ibique tanta cordis alacritate nos suscipi miraremur, ut nulla prorsus, sicut fueramus in Palæstinæ monasteriis instituti, usque ad præstitutam jejunii horam, refectionis

A ctionis regula servaretur; sed absque legitimis quartæ sextæque feriis, quocumque pergebamus, quotidiana statio solveretur. Quidam seniorum percunctantibus nobis, cur ita indifferenter apud eos præterirentur quotidiana jejunia, respondit: Jejunium semper est mecum; vos autem continuo dimissurus mecum jugiter tenere non potero. Et jejunium quidem, licet utile sit ac jugiter necessarium, tamen voluntarii muneris est oblatio: opus autem caritatis impleri exigit præcepti necessitas. Itaque suscipiens in vobis Christum, reficere eum debeo. Deducens autem vos, humanitatem ejus obtentu præbitam, districtiore jejunio in memetipso potero compensare. Non enim possunt filii sponsi jejunare, donec cum illis est sponsus; cum autem discesserit, tunc licite jejunabunt. *Capite sequenti alterum piæ ac benevolæ hospitalitatis exemplum ita subdit:* Quidam seniorum cum reficientem me, ut adhuc paululum quid ederem, hortaretur; jamque me dixissem non posse, respondit: Ego jam sexies diversis advenientibus fratribus mensam posui, B hortansque singulos cum omnibus cibum sumpsi, et adhuc esurio; et tu primitus nunc reficiens, jam te dicis non posse.

§ V. Commoratio in solitudine Diolcensi.

Sanctus cum socio adit Diolcum,

Temporis ordine piam S. Cassiani peregrinationem prosequimur, quam ipse Collatione 18, cap. 1 sic pergit exponere:* Post conspectum atque colloquium trium illorum senum, quorum Collationes, sancto fratre nostro Eucherio compellente, utcumque digessimus; cum etiam ulterioris Ægypti partes, in quibus amplior atque perfectior sanctorum numerus commeabat, majore flagrantia desideraremus expetere, ad vicum *(alibi oppidum vocat)* cui nomen est Diolcos, uni ex septem Nili fluminis ostiis imminentem, non tam itineris necessitate, quam desiderio sanctorum illic commorantium compellente, pervenimus: cum enim velut cupidissimi mercatores plurima illic celeberrimaque cœnobia ab antiquis audivissemus C patribus instituta, continuo quasi navigationem inquisitionis incertæ, spe majoris lucri persuadente, suscepimus. Ubi cum diutissime fluctuantes ad illos virtutum sublimitate conspicuos montes undique oculos tenderemus, abbatem Piammonem, omnium anachoretarum illic inhabitantium seniorem, eorumdemque presbyterum, velut quamdam sublimissimam Pharum, primus circumspectantium notavit intuitus..... Cum itaque beatus Piammon summa gratulatione susceptos humanitate etiam congrua refecisset, intelligens nos non ejusdem esse regionis, primum unde et cur Ægyptum petissemus solicite percunctatus, ac de cœnobio Syriæ ob desiderium perfectionis nos illo advenisse cognoscens, ita exorsus est. *Tunc exhibet decimam octavam Collationem, in qua Piammon* de tribus generibus monachorum *fuse agit.*

quem locum describit,

44 *Alia, quæ in eodem loco viderat, lib. 5, Instit. cap. 36 ita narrat:* Itaque cum de Palæstinæ monasteriis ad oppidum Ægypti, quod Diolcos appellatur, rudes admodum venissemus, ibique plurimam turbam cœnobii disciplina constrictam, et optimo ordine monachorum, qui etiam primus est, institutam mirifice videremus, alium quoque ordinem, qui excellentior habetur, id est anachoretarum, cunctorum præconiis instigati, sagacissimo corde videre properavimus. Hi namque in cœnobiis primum diutissime commorantes, omnique patientiæ ac discretionis regula diligenter edocti, et humilitatis pariter ac nuditatis virtute possessa, atque ad purum vitiorum universitate consumpta, durissimis dæmonum præliis congressuri, penetrant eremi profunda secreta. Hujus igitur propositi viros comperientes circa Nili fluminis alveum commorari in loco, qui uno latere eodem flumine, alio maris vastitate circumdatus, insulam reddit, nullis aliis quam monachis secreta expetentibus habitabilem: nec enim cuiquam culturæ aptam esse eam salsitas soli ac sterilitas patitur arenarum. Ad hos, inquam, summo desiderio festinantes, ultra modum sumus labores eorum, quos contemplatione virtutum et amore solitudinis tolerant, admirati: nam ipsius aquæ tanta penuria constringuntur, ut tali eam diligentia scrupuloque dispensent, quali nemo frugalissimorum speciem speciosissimi vini conservat et parcit: E tribus namque milliaribus vel eo amplius eam de prædicti fluminis alveo necessariis usibus advehunt, quod tantum intervallum arenosis divisum montibus, laboris difficultate gravissima duplicatur.

AUCTORE G. C.

et invisit quoddam cœnobium,

45 *In eodem, ni fallor, tractu situm erat cœnobium abbatis Pauli, ad quod* Cassianus *cum Germano semel aut iterum excurrisse videtur, ut colligo ex Collatione* 19, *quæ ita incipit:* Post dies admodum paucos, majoris doctrinæ desiderio pertrahente, rursus ad abbatis Pauli cœnobium summa spiritus alacritate perreximus; ubi licet plus quam ducentorum fratrum numerus moraretur, in honorem tamen solennitatis, quæ id temporis agebatur, infinita quoque de aliis cœnobiis monachorum turba confluxerat: nam prioris abbatis, qui eidem cœnobio præfuerat, anniversaria depositio solenniter celebrabatur. Cujus conventus idcirco facimus mentionem, ut patientiam cujusdam fratris, quæ sub præsentia totius congregationis hujus immobili ejus claruit lenitate, breviter perstringamus. Nam licet alio F hujus operis tendat intentio, ut scilicet abbatis Joannis, qui, derelicta eremo, illi se cœnobio summa humilitatis virtute subdiderat, proferamus eloquia; nequaquam tamen putamus absurdum, si, absque ulla circuitione verborum, magna, ut credimus, studiosis quibusque virtutum ædificatio conferatur.

in quo memorandum patientiæ exemplum vidit,

46 *Tunc immediate subjungit memorabile patientiæ exemplum, quod ibi eo tempore vidit:* In ingenti itaque atrio subdivali, *ait*, illa monachorum multitudine per duodenarium numerum distinctis ordinibus considente, cum quidam fratrum susceptum ferculum paulo tardius intulisset, sub occasione istius tarditatis prædictus abbas Paulus, qui inter turbas ministrantium fratrum solicite discurrebat, exerta manu, palma eum sub omnium percussit intuitu, ita ut sonitus etiam adversorum vel longius considentium auribus resultaret. Hoc autem idcirco ab eo factum est, ut cunctis, qui aderant, juvenis patientiam patefaceret, et omnes, qui interfuissent tali spectaculo modestiæ, erudirentur exemplo. Quam maturo autem id senior fecerit consilio, res probavit: nam

AUCTORE G. C.

nam memorabilis patientiæ juvenis tanta id animi lenitate suscepit, ut non modo nullus fuerit ex ejus ore sermo prolapsus, vel tenuissimum murmur tacita labiorum agitatione signatum; sed ne ipsa quidem oris modestia atque tranquillitas, aut color saltem quantulumcumque mutatus. Quod factum non solum nobis, qui nuper de Syriæ monasterio venientes patientiæ hujus virtutem tam evidentibus perceperamus exemplis, sed etiam cunctis, qui expertes talium non erant studiorum, ita mirum fuit, ut etiam summis viris præcipua per hoc factum conferretur instructio; quod scilicet etiamsi patientiam, ejus correptio paterna non moverat, ne spectaculum quidem tantæ multitudinis ullo vultum ejus ruboris tinxisset indicio.

et cum quodam sene spirituale colloquium instituit.

47 *In eodem Pauli cœnobio invenit* Cassianus *quemdam senem, nomine Joannem, de quo Collatione* 19. *cap.* 2 *hæc narrat:* Hunc igitur senem cum in abbatis Pauli cœnobio vidissemus, ætatem primum et gratiam viri, qua erat præditus, admirati, demisso in terram vultu, precari cœ-B pimus, ut nobis pandere dignaretur, quam ob causam, relicta eremi libertate et illa professione sublimi, qua cum præ ceteris ejusdem vitæ viris ama celebraverat, subire jugum cœnobii maluisset. Ille velut imparem se anachoreticæ disciplinæ, et sublimitate tantæ perfectionis indignum, ad juniorum scholas revertisse dicebat, si tamen vel ipsorum instituta secundum professionis meritum posset implere. Cujus responsionis humilitatem cum refragatio nostræ deprecationis excluderet, ad extremum ita exorsus est. *Hic Joannes sermonem habet* de fine cœnobitæ et eremitæ, *qui decimam nonam Collationem constituit, in qua vitam cœnobiticam videtur eremiticæ præferre. Sed neque hujus senis exemplum neque ratiocinium exstinguere potuit ardentem anachoreticæ professionis ardorem, quem Piammonis in Diolco exhortatio antea in eorum animis accenderat, uti* Cassianus *Collatione* 18, *cap.* 17 *fatetur hoc modo:* Hac beatus Piammon disputatione desiderium nostrum, quo de primis cœnobii scholis ad secundum anachorescos gradum tendere cœperamus, ardentius inflammavit: nam primordia solitariæ com-C morationis, cujus scientiam postea sumus in Scythi plenius assecuti, ipso primum imbuente, percepimus.

Cassianus Diolcum reversus, hortante quodam Archebio,

48 *Itaque* S. Cassianus *cum socio suo Diolcum rediit, et ambo ad eremiticam vitam inchoandam inducti sunt pia quadam fraude, quæ lib.* 5 *Instit. cap.* 37 *sic exponitur:* His igitur visis, cum imitationis eorum nos ardor accenderet, prædictusque Archebius *(de eo antea cap.* 35 *ejusdem libri meminerat)* probatissimus inter eos, humanitatis gratia nos ad suam cellulam pertraxisset, explorato desiderio nostro, confinxit, se de eodem loco velle discedere, ac nobis cellulam suam velut exinde migraturus offerre, sese id facturum, etiamsi minime adfuissemus, affirmans. Quam rem nos et desiderio commorationis accensi, et assertionibus tanti viri indubitatam accommodantes fidem, libenter amplexi, cellulam cum omni supellectile utensilibusque suscepimus. Itaque religiosa potius circumventione, paucis diebus, quibus construendæ cellæ pararet impendia, de loco discedens, reversus post hæc aliam sibi summo labore construxit: quam rursum non longo post tempore aliis supervenienti-D bus fratribus, codemque desiderio cupientibus ibidem commorari, simili caritatis mendacio circumventis, cum universis tradidit instrumentis. Ipse vero erga opus caritatis infatigabilis perseverans, tertiam sibi cellulam, in qua commaneret, exstruxit. *Gazæus in notis ad hunc locum satis examinavit ea, quæ hic de* caritatis mendacio *dicuntur, ita ut non sit opus huic quæstioni diutius inhærere.*

qui ab alio homonymo distinguendus est,

49 *Porro cave hunc Archebium confundas cum homonymo Panephysis episcopo, de quo num.* 36 *et sequentibus plura diximus.* Hic namque *(verba sunt* Cassiani *lib.* 5, *Instit. cap.* 38) non ignobili oriundus familia, ad monasterium, quod a prædicto oppido, *nempe Diolco,* ferme quatuor millibus distat, mundi hujus ac parentum affectione contempta, a puerilibus annis aufugit; ubi ita vitæ suæ omnem exegit ætatem, ut numquam prorsus per totos quinquaginta annos non solum vicum, ex quo egressus est, nec fuerit ingressus, nec viderit, sed nec cujusquam quidem feminæ vel ipsius matris suæ conspexerit vultum. *Alter autem, ut loquitur* Cassianus *Collatione* 11, *cap.* 2, raptus de anachoretarum cœtu, et episcopus Panephysi oppido datus.... non tamquam idoneum se ad istud officium testabatur ascitum, sed velut indignum ab illa anachoreseos disciplina querebatur expulsum, eo quod triginta septem annis in eadem commoratus, ad puritatem tantæ professionis nequaquam pervenire potuisset. *Ergo præter alias discrepantiæ circumstantias, quæ hic notari possent, Archebius ille Diolcensis adhuc in anachoretica pofessione perseverabat, quando Archebius Panephysiensis jam dudum ex eremo ad episcopatum fuerat assumptus. Quare concludo, eos inter se diversos esse, et errare Gazæum, quando in notis ad lib.* 5 *Instit. cap.* 37 *hos duos in unum conflavit.* E

vitæ anachoreticæ fundamenta ponit,

50 *Cum in solitudine Diolcensi vitam anachoreticam hi duo tirones instituerunt, verosimiliter tentationem redeundi in patriam, de qua num.* 27 *aliqua diximus, abbati Abrahamo ibidem manifestarunt, et occasione illa cum ipso* de mortificatione *habuerunt sermonem, qui vigesimam quartam Collationem efficit: nam illic in magna rerum penuria viventes aquam in loco, tribus milliaribus distante, quærere cogebantur, quem laborem anachoretis Diolcensibus subeundum esse* Cassianus *supra num.* 44 *narravit.* F *Sed jam audiamus Germanum, qui Collatione* 24, *cap.* 10 *præter alia paupertatis incommoda, quæ cum socio suo patiebatur, similem aquæ distantiam recenset:* Certi sumus, *inquit,* tam præsentis hujus habitus, quam quotidiana hæc nudipedalia in illorum *(videlicet parentum)* vicinia nullatenus exercere nos posse; sed ne labore quidem illic simili ea, quæ sunt ad victum necessaria, provisuros; sicut hic etiam aquam cervicibus nostris ex tribus millibus exhibere compellimur: nec nostra enim, nec illorum verecundia hæc nos coram illis agere omnino patietur. *Præterea ex cap.* 4 *ejusdem Collationis constat, squallidum fuisse locum, in quo degebant, eumque ab eremo Calami, Porphyrionis, et Scithis diversum esse. Ex his colligo,* S. Cassianum *cum Germano istam austeram vivendi rationem in Diolco tenuisse, eosque ibi fuisse ante annum* 394, *quandoquidem Abraham Collatione* 24, *cap.* 26 *cum ipsis loquitur de S. Joanne Lycopolitano, tamquam adhuc vivente, qui anno* 394 *obiit, ut dic* XXVII *Martii in Commentario prævio*

A *vio ad hujus Sancti Vitam numero* 3 *Majores nostri ostenderunt.*

et adit abbatem Pynusium, sibi olim notum

51 *Forte etiam in Diolco intellexerunt, abbatem Pynusium, qui quondam apud ipsos in monasterio Bethlehemitico latuerat, rediisse ad suum cœnobium,* quod est in Ægypto non longe a Panephysi civitate, *ut lib.* 4 *Instit. cap.* 30 *dicitur : facile namque in solitudine Diolcensi, quæ a Panephysi non admodum remota est, hujus viri famam et habitationem cognoscere potuerunt. At quocumque demum loco illam notitiam acquisiverint, ipsum inviserunt, ut asserit* Cassianus *lib.* 4, *Instit. cap.* 32 *his verbis :* Hunc igitur senem pro illa, quæ nobis fuerat apud ipsum in monasterio nostro ; familiaritas, cum post hæc in Ægypto studiosissime requisissemus, exhortationem, quam dedit fratri, quem sub nostra præsentia in cœnobio suo recipiebat, quia puto ex hac posse aliquid instructionis accedere, animus est opusculo huic intexere. *Collatione* 20 *cap.* 2 Cassianus *indicat, quanta hospitalitate ab eo excepti fuerint :* Cum igitur post non longum tempus nos quoque Ægyptum petere B sanctæ institutionis desiderium compulisset summo eum affectu ac desiderio perquirentes, tanta ejus sumus gratia atque humanitate suscepti, ut nos tamquam pristinos syncellitas etiam cellulæ suæ, quam in extrema horti parte construxerat, honoraret hospitio.

qui cum eo de pœnitentia et satisfactione disseruit.

52 *Quando Pynusium ardua summæ perfectionis præcepta fratri cuidam tradentem audiverant, ita animis ceciderunt, ut putarent, se numquam ad tantam spiritualis sublimitatis fastigium perventuros, quemadmodum* Cassianus *loco proxime citato fatetur :* Tam incomprehensibilia nobis, *inquit*, tamque mirifica veræ abrenuntiationis culmina videbantur, ut nullo modo illuc humilitatem nostram crederemus posse conscendere. Igitur desperatione dejecti, et ipso etiam vultu intimam cogitationum amaritudinem non celantes, ad beatum senem anxia mente recurrimus. *Post hæc cap.* 3 *ejusdem Collationis causam tristitiæ, ac pusilli animi perturbationem ipsi candide et humiliter exponunt. Quare pius abbas cap.* 4 *dejectos eorum animos erigere cupiens ita virtutem utriusque a se olim in monasterio Bethlehemitico visam laudare* C *incipit :* Delector quidem admodum copiosis humilitatis vestræ fructibus, quos etiam cellulæ illius quodam habitatione susceptus non incuriosa æstimatione perspexi, valdeque congaudeo, quia id quod a nobis omnium Christianorum infimis sola forsitan verborum libertate præcipitur, tanta admiratione suscepistis, ut ea (si non fallor) haud segnius, quam a nobis dicta sunt, impleatis. Cumque (sicut memini) labore operis vestri pene dictorum nostrorum exæquetur industria, ita meritum vestræ virtutis occultatis, tamquam si nulla ad vos eorum, quæ quotidie exercetis, aura pervenerit. Sed quia id ipsum summa laude dignissimum est, quod velut adhuc rudes incognita vobis esse ista sanctorum instituta testamini, id quod a nobis sedulo postulatis breviter, ut possumus, complectamur : necesse est enim, ut ultra possibilitatem nostram atque virtutem, antiquæ familiaritatis vestræ pareamus imperio. *Tunc Pynusius* de pœnitentiæ fine et satisfactione *habuit exhortationem, quæ Collationem ordine vigesimam constituit, in cujus fine* Cassianus *ita scribit :* Hucusque abbas Pynusius de satisfactionis indicio ac pœnitentiæ fine disseruit : qui licet, ut in ejus cœnobio residere mallemus, solicito deprecaretur affectu, tamen fama Scythioticæ solitudinis invitatos, cum retinere non posset, emisit. *Si [quis singulare humilitatis exemplum, quod abbas Pynusius bis fugiendo exhibuit, legere cupit, adeat lib.* 4 *Instit. capitibus* 30 *et* 31, *ac Collationem* 20, *cap.* 1. *Nos interim cum Sancto nostro ad aliam eremum transimus.*

AUCTORE G. C.

§ VI. Commoratio in eremo Scethica.

Discedit S. Cassianus in solitudinem Scethicam,

Cum Cassianus *solitariam vivendi rationem, cujus fundamenta in Diolco jecerat, in Scethi vellet perficere, celeberrimos istius eremi anachoretas adiit, ut perfectioribus vitæ spiritualis documentis imbueretur. Primo illic invisit abbatem Moysen, de quo Collat.* 1, *cap.* 1 *hæc tradit :* Cum in eremo Scythi, ubi monachorum probatissimi patres, et omnium sanctorum morabatur perfectio, abbatem Moysen, qui suavius inter illos egregios flores non solum actuali verum etiam theorica virtute flagrabat *, institutione ejus fundari cupiens expetissem una cum sancto abbate Germano....... pariterque ab eodem abbate ædificationis sermonem fusis lacrymis posceremus (quippe cujus hunc animi rigorem manifestissime noveramus, ut nisi fideliter desiderantibus et cum omni cordis contritione quærentibus nequaquam acquiesceret januam perfectionis aperire, ne scilicet, si passim vel nolentibus eam vel tepide sitientibus exhiberet, res necessarias et quæ solis perfectionem cupientibus debent esse compertæ, indignis et fastidiose suscipientibus pandens, aut jactantiæ vitium aut proditionis crimen videretur incurrere) tandem fatigatus precibus nostris, ita exorsus est. *Moyses tota hac prima Collatione* de monachi intentione ac fine *disserit ; in sequenti autem* de discretione *disputat.* E

* *forte* fragrabat.

ubi collocutus est cum abbate Moyse

54 *Ex Collatione* 1, *cap.* 21 *colligo,* Cassianum *ante annum* 394 *in solitudine Scethica fuisse : nam Moyses ille de S. Joanne Lycopolitano, quem supra anno* 394 *obiisse dixi, ibidem ita loquitur :* In quo etiam abbatem nuper Joannem, qui Lyci commoratur, cognovimus fuisse illusum. *Ex altera vero Collatione apparet, quanta cibi parsimonia hi novi hospites ibi corpus suum macerarent. Cum enim Moyses Collatione* 2, *cap.* 19 *illos instrueret de sumptione quotidiani cibi a majoribus usitata, post alia sic dicit :* Præposuere cunctis illis refectionem solius panis, cujus æquissimum modum in duobus paximaciis statuerunt, quos parvulos panes vix libræ unius pondus habere certissimum est. F *At illi majorem panis parsimoniam a se servari indicant cap.* 20 *his verbis :* Quod nos gratanter amplexi respondimus, hunc modum nos minime pro continentia reputare : quippe qui integrum eum nequaquam possemus insumere. *Ex hac responsione sequi videtur, quod singuli tantum quotidie unum paximacium comederent. Dubitari posset, quanti ponderis sit paximacium, quia ambigua est abbatis Moysis locutio, qua significari potest, singulos, vel binos istos parvulos panes unius libræ pondus habuisse. Sed Gazæus in notis ad hunc locum recte probat, singula paximacia fuisse panes sex unciarum.*

AUCTORE G. C.

qui diversus videtur a Moyse, qui ex latronum duce factus est eremita.

55 *Suspicor*, Cassianum *de eodem Moyse loqui, dum lib.* 10 *Instit. cap.* 25 *memorat utile remedium, quod sub initio vitæ anachoreticæ contra acediam ab abbate Moyse acceperat :* Cum incipiens in eremo commorari, *inquit,* abbati Moysi omnium Sanctorum summo dixissem, me ægritudine acediæ hesterno die gravissime fuisse confectum, nec ab ea potuisse alias liberari, nisi ad abbatem Paulum protinus cucurrissem ; Ille : Non te, ait, ab ea liberasti ; sed magis ei te deditum ac subditum præbuisti : gravius enim te, ut desertorem ac fugitivum, deinceps adversarius impugnabit, quem de conflictu superatum protinus aufugisse conspexit ; nisi de cetero commissa congressione, non desertione cellæ, vel somni torpore ingruentes æstus ejus ad horam evaporare malueris, sed tolerantia potius et conflictu didiceris triumphare. Unde experimento probatum est, acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam. *Tillemontius tomo* 10 *Monument. eccles. pag.* 728 *contra Gazæum contendit, Moysen illum, quocum* B Cassianus *duas Collationes habuit, famosum istum latronum ducem fuisse. At certe hallucinatur, cum hic Moyses Collatione* 2, *cap.* 2 *de se ipso ita loquatur :* Memini igitur quondam in annis adhuc pueritiæ constitutus in partibus Thebaïdis, ubi beatus Antonius morabatur, seniores ad eum perfectionis inquirendæ gratia convenisse. *Hæc non conveniunt Moysi latronum duci, de quo ipse Tillemontius tomo proxime citato a pag.* 63 *plane diversa tradit. Sed cum eo tempore plures fuerint hujus nominis anachoretæ, non est promptum definire, quis hic Moyses fuerit.*

Cassianus perfectionis cupidus

56 *Non diu post videntur adiisse abbatem Paphnutium, quem* Cassianus *Collatione* 3, *cap.* 1 *sic laudat :* In illo choro Sanctorum, qui velut astra purissima in nocte mundi istius refulgebant, vidimus sanctum Paphnutium vice luminaris magni claritate scientiæ coruscantem. Hic namque presbyter congregationis nostræ, id est, illius, quæ in eremo Scythi morabatur, fuit ; in qua ita usque ad extremam duravit ætatem, ut numquam e cella, quam junior cœperat habitare, quæque ab ecclesia millibus quinque distabat, C saltem ad viciniora migraverit : nec fessus annis tanti itineris spatio die sabbati vel Dominico venturus ad ecclesiam vexaretur ; sed nec vacuus quidem reverti exinde contentus, vas aquæ, quam per totam erat hebdomadam sumpturus, cervicibus suis supponens reportabat ad cellam. Cumque nonagenariam excessisset ætatem, numquam passus est, eam juniorum sibi labore deferri. *Deinde totam hujus Paphnutii presbyteri vitæ synopsin et alias illius virtutes referre pergit, quas brevitatis causa hic non exscribo.*

a Paphnutio presbytero,

57 Hujus igitur magisterio institui cupientes, *inquit sanctus noster cap.* 2 *ejusdem Collationis*, cogitationum etiam stimulis agitati ad cellam ejus jam die advesperascente pervenimus. Qui habito aliquantisper silentio, cum propositum nostrum prædicare cœpisset, quod scilicet patriam relinquentes, tot provinciis pro amore Domini perlustratis, egestatem eremi tolerare et imitari rigorem conversationis illorum tantopere niteremur, quem vix ipsi, qui in eadem necessitate atque inopia nati educatique sunt, sustinerent : respondimus, nos ob id ad doctrinam ac magisterium tetendisse, ut imbui aliquatenus institutionibus D ac perfectione tanti viri possemus, quam innumeris documentis inesse eidem senseramus : non, ut illius, quæ tamen in nobis non essent, laudibus gravaremur, aut in elatione animi, qua in nostris quoque cellulis nonnumquam suggestione titillabamur inimici, ipsius quoque sermonibus inflaremur. Quamobrem illa nobis potius precabamur infundi, quibus compungi vel humiliari, non quibus nobismetipsis blandiri extollique possemus. *Tunc Paphnutius tota hac Collatione, quæ ordine tertia est, agere incipit* de tribus abrenuntiationibus, *et tradit adeo sublimem doctrinam, ut* Cassianus *in fine cap.* 22 *fateatur sequentia :* His nos sermonibus eruditos abbas Paphnutius e sua cella non tam alacres quam compunctos corde ante medium noctis emisit : hoc nobis præcipuum sua Collatione conferens, ut cum per abrenuntiationis primæ consummationem, quam toto virtutis nisu studebamus implere, attingenda nobis perfectionis culmina crederemus ; inciperemus agnoscere, necdum nos cœpisse monachorum fastigia somniare : quippe qui de secunda abrenuntiatione Patrum in cœnobiis eruditi, tertiam, in qua E omnis perfectio continetur, quæque illas inferiores duas multis modis præcedit, ne auditu quidem nos antea percepisse nossemus

et aliis eremitis varia spiritualis vitæ documenta accepit.

58 *Videtur ad idem tempus spectare Collatio quarta, quam* de concupiscentia carnis et spiritus *Neo-anachoretæ nostri habuerunt cum abbate Daniele, quem* Cassianus *Collatione* 4, *cap.* 1 *his laudibus extollit :* Inter ceteros Christianæ philosophiæ viros, abbatem quoque vidimus Danielem æqualem quidem in omni virtutum genere his, qui in eremo Scythi commanebant, sed peculiarius gratia humilitatis ornatum, qui merito puritatis ac mansuetudinis suæ ac beato Paphnutio solitudinis ejusdem presbytero, et quidem cum multis junior esset ætate, ad diaconii est prælatus officium : in tantum enim beatus Paphnutius virtutibus ipsius adgaudebat, ut quem vitæ meritis sibi et gratia parem noverat, coæquare sibi etiam sacerdotii ordine festinaret, *etc. Sequitur Collatio quinta quæ cum abbate Serapione* de octo principalibus vitiis *instituta est, et quam* S. Cassianus *cap.* 27 *humiliter de se sentiens ita concludit :* Huc F usque abbas Serapion de natura octo principalium vitiorum disserens, latentium in corde nostro passionum genera, quarum causas atque affinitates, cum ab ipsis quotidie vastaremur, nec cognoscere penitus antea nec discernere poteramus, ita lucide reseravit, ut eas quodammodo ante oculos positas, intueri nobis velut in speculo videremur.

Collatio abbatis Theodori.

59 *Nescio, an ad primam vel secundam in Scethi commorationem pertineat Collatio sexta, quam Theodorus abbas* de nece Sanctorum *instituit occasione quorumdam monachorum, qui in Palæstina a Saracenis interfecti fuerant. Si sit hic idem Theodorus, de quo* Cassianus *lib.* 5, *Instit. cap.* 33 *et sequentibus meminit, videtur ea Collatio priori commorationi adscribenda quia* Cassianus *lib.* 5, *Instit. cap.* 35 *satis innuit, se eo tempore adhuc rudem fuisse in vita anachoretica, ut apparet ex hac ejus narratione :* Hic idem Theodorus cum inopinatus ad meam cellulam intempesta nocte venisset, quidnam rudis adhuc anachoreta solus agerem, paterna curiositate latenter explorans, meque illico finita vespertina solennitate incipientem fessum

AUCTORE G. C.

A sum corpus jam reficere et incubantem psiathio reperisset, protrahens imo corde suspiria, meoque me vocitans nomine : Quanti, inquit, o Joannes, hora hac Deo colloquuntur, eumque in semetipsis amplectuntur ac retinent, et tu fraudaris tanto lumine, inerti sopore resolutus ! *At sive hæc Collatio sexta ad primam sive ad secundam in Scethi habitationem referatur, solvenda manet difficultas chronologica, ut ex sequentibus apparebit.*

quæ occasione monachorum in Palæstina ab Arabibus occisorum,

60 *Sanctus noster Collatione* 6, *cap.* I *refert sequentia* : In Palæstinæ partibus juxta Thecue vicum, qui Amos prophetam meruit procreare, solitudo vastissima est usque ad Arabiam ac mare mortuum, quo ingressa deficiunt fluenta Jordanis et cineres Sodomorum, amplissima extensione porrecta. In hac summæ vitæ ac sanctitatis monachi diutissime commorantes repente sunt a discurrentibus Saracenorum latrunculis interempti. Quorum corpora licet sciremus tam a pontificibus regionis illius, quam ab universa plebe Arabum, tanta veneratione præerepta et inter reliquias Martyrum condita, ut innumeri B populi e duobus oppidis concurrentes gravissimum sibi certamen indixerint, et usque ad gladiorum conflictum pro sancta rapina sit eorum progressa contentio, dum pia inter se devotione decertant, quinam justius eorum sepulturam ac reliquias possiderent; aliis scilicet de vicinia commorationis ipsorum, aliis de originis propinquitate gloriantibus, *etc.*

habita est,

61 *Tunc eodem capite exponit, quomodo occasione hujus cædis habuerit cum abbate Theodoro sextam Collationem, cui etiam idcirco titulum* de Nece Sanctorum *præfixit*. Mœsti ad sanctum Theodorum, *inquit*, singularem in conversatione actuali perreximus virum. Hic namque morabatur in Cellis *(de hujus loci etymologia vide Sozomenum lib.* 6 *historiæ cap.* 31) qui locus inter Nitriam et Scythin situs, et a monasteriis quidem Nitriæ quinque millibus distans, octoginta millium solitudine ab eremo Scythi, in qua commorabamur, interveniente discernitur. Cui cum de prædictorum virorum nece querimoniam fudissemus, admirantes tantam Dei patientiam, quod C viros scilicet illius meriti taliter perimi permisisset, ut qui alios quoque suæ sanctitatis pondere de hujusmodi liberare tentatione debuerint, ne se ipsos quidem præripuerint de manibus impiorum, aut cur Deus admitti in servos suos tantum facinus concessisset, *etc. Porro* Cassianus *declarat, quam plene a Theodoro fuerit satisfactum dubitationi suæ, dum caput* 17 *istius Collationis sic finit* : His itaque compertis, infinitam spiritalis cibi percepimus voluptatem, ita ut ex hac Collatione majore animi gaudio repleremur, quam ante tristitiæ super nece Sanctorum fueramus affecti. Non solum enim, de quibus hæsitabamus, edocti sumus; verum etiam illa, quæ pro tenuitate sensus nostri inquirere non noveramus, sub illius quæstionis interrogatione cognovimus.

continet quamdam difficultatem chronologicam,

62 *Cardinalis Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 410, *num.* 58 *recte probat, hoc anno aut sequentis exordio in Palæstinam irrupisse barbaros, quorum manus S. Hieronymus vix evadere potuerit. At non placet, quod eminentissimus Annalista numero sequenti addit, nempe* Cassianum *de hac ipsa barbarorum irruptione meminisse. Quomodo enim occasione hujus irruptionis abbatem Theodorum de cæde Sanctorum consulere potuit* Cassianus, *qui jam antea ex Ægypto discesserat, et in causa S. Chrysostomi ad Innocentium Romanum Pontificem legatione functus fuerat, ut ipse Baronius ad annum Christi* 404 *num.* 78 *affirmat? Quod si cum eminentissimo viro dicas*, Cassianum *post hanc legationem profectum esse in Ægyptum, ibique monasticam vitam excolere cœpisse, totam Actorum ipsius chronotaxin invertis ac perturbas, ut ex hactenus dictis facile colligitur, et ex iis, quæ deinceps examinanda sunt, manifestius patebit.*

quæ utcumque hic solvitur.

63 *Huc accedit, quod* Cassianus *de tam sera in Ægyptum profectione nullum verbum fecerit, cum tamen alias suas peregrinationes indicare soleat. Imo in Præfatione ad libros de Institutis cœnobiorum ita scribit* : Ea, quæ a pueritia nostra inter eosdem *(scilicet monachos Syros et Egyptios, de quibus hic agit)* constituti, atque ipsorum incitati quotidianis adhortationibus et exemplis vel agere tentavimus vel didicimus, vel visu percepimus, minime jam possumus ad integrum retinere, tot E annorum circulis ab eorum consortio et imitatione conversationis abstracti. *Ex his aliisque antea dictis concludo*, Cassianum *fuisse juniorem, quando in Ægypto versatus est, qualis minimo putandus est, quando pro S. Chrysostomo ad Innocentium Papam legatione fungebatur. Adde quod significet, se* tot annorum circulis *a monachorum illorum conversatione abstractum esse, ut ea, quæ viderat, vix posset memoria tenere. Non igitur video, quomodo hæc barbarorum irruptio et monachorum cædes cum commoratione* Cassiani *in Ægypto componi possit, nisi dicamus, barbaros sæpius in Palæstinam irrupisse, pluriesque ab ipsis monachos fuisse interfectos, quod non est improbabile. Certe si Henschenio nostro Vita* Cassiani *chronologice ex professo discutienda fuisset ad diem* XXVIII *Maii, qua istorum monachorum martyrium cum Martyrologio Romano retulit, maluisset haud dubie iteratam aliquoties barbarorum incursionem admittere, quam cum Cardinali Baronio chronologicam istius vitæ seriem evertere.*

Cassianus vidit lapsus quorumdam eremitarum in Scethi.

64 *Dum* Cassianus *prima vice in solitudine Scethica habitabat, non tantum vidit plurimos anachoretas ad summum perfectionis apicem evectos, sed etiam quosdam fraudibus dæmonis misere deceptos, ut patet ex Collatione* 2, *cap.* 5, *ubi abbas Moyses narrat terribile exemplum Heronis, qui post solitariam quinquaginta annorum vitam sese in puteum præcipitavit.* Recolite id, *inquit*, quod nuper F gestum oculorum vestrorum vidistis obtutibus ; senem videlicet Heronem ante paucos admodum dies illusione diabolica a summis ad ima dejectum. *Deinde cap.* 24 *ejusdem Collationis idem Moyses* Cassianum *cum socio sic alloquitur :* Quod nuper Benjamin civem vestrum pertinaciter tenuisse cognoscitis ; qui, ne quotidie paximacia duo percipiens, æquali castigatione continuam parcitatem jugiter retentaret, maluit biduana jejunia semper continuare, dummodo ad refectionem veniens duplicata mensura repleret ventris ingluviem, id est quatuor paximacia comedens, desiderata saturitate gauderet, et expletionem ventris sui biduano jejunio quodammodo compararet : qui obstinatione et pertinacia mentis suæ defi-

AUCTORE G. C.

definitionibus potius propriis, quam seniorum traditionibus acquiescens, quali fine suum propositum terminarit, procul dubio meministis.

§ VII. Excursio ad monasterium Bethlehemiticum, et reditus ad eremum Scethicam.

Sanctus excurrit ad monasterium Bethlehemiticum,

Q*uamvis* Cassianus *cum socio suo Germano juxta consilium abbatis Josephi in Ægypto manere statuisset, ambo tamen ad cœnobium Bethlehemiticum post septem annos reversi sunt, sive quod ad hoc crebris istorum cœnobitarum litteris monerentur, sive quod sperarent, se facile obtenturos licentiam redeundi ad Scethicam solitudinem, uti re ipsa factum est. Hæc omnia referuntur in Collatione* 17, *cap.* 31 *his verbis :* Hac beatissimi Joseph institutione atque doctrina, velut divino oraculo confirmati, in Ægypto residere maluimus. Sed licet parum deinceps de nostra essemus promissione soliciti, tamen expleto septem annorum numero, sponsionem nostram gratanter implevimus. Excurrentes namque ad cœnobium nostrum illo jam tempore, quo de impetrando ad eremum reditu fiduciam gerebamus, primum senioribus nostris honorem debitum solvimus; deinde animis eorum, qui pro caritatis ardore creberrimis litterarum nostrarum satisfactionibus nequaquam fuerant deliniti, pristinam redintegravimus caritatem, tandemque ad plenum aculeo nostræ sponsionis avulso, his quoque cum gaudio prosequentibus, ad Scythioticæ solitudinis secreta remeavimus. *Non videntur autem tunc diu in monasterio Bethlehemitico hæsisse, cum* Cassianus *hunc reditum excursionis nomine appellet.*

B

et ad solitudinem Scethicam reversus,

66 *Ad tempus secundæ in Scethi commorationis refero Collationem septimam et octavam, quas cum abbate Sereno instituit, quia* Cassianus *Collatione* 7, *cap.* 3, *satis innuit, se jam diu in solitudine habitasse, dum abbati Sereno illic ita respondet :* Supputatio temporum ac solitudinis habitatio, cujus contemplatione conjicis, interioris hominis perfectionem nos consequi debuisse, hoc solummodo contulit nobis, ut disceremus, quid esse nequeamus; non tamen fecit esse, quod esse contendimus : nec enim aut desideratæ puritatis fixam stabilitatem, aut robur aliquod firmitatis nos ac scientiæ novimus assecutos, sed tantummodo confusionis ac pudoris augmenta. Etenim cum omnium disciplinarum meditatio ad hoc quotidianis studiis exerceatur, atque perficiatur, ut a tepidis rudimentis ad peritiam certam stabilemque perveniens, incipiat nosse, quæ primitus vel ambigue vel penitus ignorabat, et firmo (ut ita dixerim) gradu illius disciplinæ qualitate procedens, perfecte in ea ac sine ulla jam difficultate versetur; e contrario me in hujus puritatis studio laborantem id solummodo profecisse reperio, ut sciam, quid esse non possim : ex quo nihil mihi aliud sentio, quam luctum tanta cordis contritione conferri, ut numquam scilicet desit materia lacrymarum, nec tamen esse desinam, quod esse non debeo. *Hac responsione Sanctus noster etiam non vulgarem animi sui demissionem prodit.*

C

67 *Præter eximias hujus abbatis Sereni dotes ac virtutes, quas* Cassianus *Collatione* 7, *cap.* 1 *et* 2 *exponit, magna ipsius in victu frugalitas apparet ex Collatione* 8, *cap.* 1, *ubi narrantur sequentia :* Consummatis, quæ diei solennitas exigebat, et ecclesiæ congregatione dimissa, reversi ad cellam senis, refecti primum lautissime sumus : nam pro muria, quæ superjecta olei gutta quotidianæ refectioni solebat apponi, modicum liquaminis miscuit, et olei quiddam solito propensius superfudit. Nam illam olei guttam ob hoc unusquisque quotidie refecturus instillat, non ut ejus ex hoc gutturis quamdam percipiat suavitatem (quippe cujus tantus est modus, ut vix ipsius gutturis fauciumque meatus non dicam linire sed pertransire sufficiat;) sed ut hoc usu jactantiam cordis, quæ pro abstinentia districtiore blande solet ac latenter irrepere, et stimulos elationis obtundat : quia quanto abstinentia ipsa occultius exercetur, nulloque hominum teste perficitur, tanto subtilius occultatorem suum tentare non desinit. Deinde apposuit salem frictum, olivas ternas, quibus post hæc superintulit canistrum habens cicer frictum, quod illi trogalia vocant, ex quibus quina tantum sumpsimus grana, mixaria bina, caricas singulas : hunc enim numerum in illa eremo quemquam excessisse culpabile est. *Hæc eo adduxi, ut ex hoc paupere convivio colligas temperantiam* S. Cassiani, *qui se* lautissime *refectum affirmat. Obscuriora vocabula, quæ in his ferculis enumerandis occurrunt, a Gazæo in notis ad hunc locum explanantur.*

D

iterum eum spiritualis vitæ magistris,

varias instituit Collationes,

68 *Videntur etiam ad hoc tempus referendæ tres Collationes, nempe vigesima prima et duæ sequentes, quas cum Theona Scethicæ solitudinis æconomo* Cassianus *habuit. Postquam enim Collatione* 21 *narraverat, quomodo iste Theonas, relicta uxore, ad monasterium confugerit, in fine cap.* 9 *hæc addit :* Confestim omni mundana facultate nudatus ad monasterium pervolavit, ubi in brevi tanto splendore sanctitatis et humilitatis enituit, ut beatæ memoriæ Joanne ad Dominum ex hac luce migrante, sancto quoque Helia, viro, qui haud minor decessore suo fuit, similiter decedente, tertius Theonas universorum præelectus judicio, in diaconiæ ejus dispensatione successerit. *Tillemontius tomo* 10 *Monument. eccles. pag.* 59 *et* 439 *dicit, Joannem anno* 386 *factum esse œconomum Scethicum, atque huic Heliam, et Heliæ Theonam successisse. Unde tomo* 14 *ejusdem operis pag.* 172 *conjicit, has tres Collationes secundæ* Cassiani *in Ægyptum profectioni adscribendas esse, quamvis hoc posteriori loco sibi contradicat, et Heliam Joanni præponens stabilitum a se antea successionis ordinem evertat, ut utrumque locum inter se conferre volenti manifestum fiet.*

F

quarum tempus prætereà colligitur ex turbis,

69 *Quidquid sit de tempore harum trium Collationum, certe nona et decima cum abbate Isaaco habitæ ad secundam* Cassiani *commorationem in Scethi pertinent, ut eruitur ex litteris Theophili patriarchæ Alexandrini, quas Tillemontius tomo* 11, *pag.* 461 *circa annum* 399 *scriptas esse existimat. Ipse autem* Cassianus *Collatione* 10, *cap.* 2 *de hac Theophili epistola et turbis eam consecutis ita meminit :* Intra Ægypti regionem mos iste antiqua traditione servatur, ut peracto Epiphaniorum die, (quem provinciæ illus sacerdotes vel * Dominici * pro et

baptismi

AUCTORE G. C.

A baptismi vel * secundum carnem nativitatis esse definiunt, et idcirco utriusque sacramenti solennitatem non bifarie, ut in occiduis provinciis, sed sub una diei hujus festivitate concelebrant) epistolæ pontificis Alexandrini per universas dirigantur Ægypti ecclesias, quibus et initium Quadragesimæ et dies Paschæ non solum per civitates omnes, sed etiam per universa monasteria designentur. Secundum hunc igitur morem post dies admodum paucos, quam superior cum abbate Isaac fuerat agitata Collatio, Theophili prædictæ urbis episcopi solennes epistolæ commearunt, quibus cum denuntiatione Paschali contra incptam quoque Anthropomorphitarum hæresim longa disputatione disseruit, eamque copioso sermone destruxit.

quas Anthropomorphitæ contra Theophilum Alexandrinum ciebant.

70 Quod tanta est amaritudine ab universo propemodum genere monachorum, qui per totam provinciam Ægypti morabantur, pro simplicitatis errore susceptum, ut e contrario memoratum pontificem, velut hæresi gravissima depravatum pars maxima seniorum ab universo fraternitatis B corpore decerneret detestandum, quod scilicet impugnare Scripturæ sanctæ sententiam videretur, negans omnipotentem Deum humanæ figuræ compositione formatum, cum ad ejus imaginem creatum Adam Scriptura manifestissime testaretur. Denique et ab his, qui erant in eremo Scythi commorantes, quique perfectione ac scientia omnibus, qui erant in Ægypti monasteriis, præeminebant, ita est hac epistola refutata, ut præter abbatem Paphnutium, nostræ congregationis presbyterum, nullus eam ceterorum presbyterorum, qui in eadem eremo aliis tribus ecclesiis præsidebant, nec legi quidem, aut recitari in suis conventibus prorsus admitterent. *Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 400 *num.* 53 *has Anthropomorphitarum turbas refert. Sed sive anno* 399 *sive* 400 *hæ contigerint, nihil nostra interest, cum ex iis saltem constet, duas Collationes Isaaci abbatis ad secundam* Cassiani *habitationem in Scethi spectare.*

Videtur Sanctus ex eremo Scethica ad alias solitudines,

71 *Non est dubium, quin* Cassianus *interdum ex Scethi ad alias eremos excurrerit : nam lib.* 5 *Instit. cap.* 29 *testatur, quod viderit* senem, Machetem nomine, a turbis fratrum eminus commo- C rantem. *Perrexit etiam ad abbatem Theodorum, qui* octoginta millium solitudine ab eremo Scythi *distabat, ut supra num.* 61 *notavimus. Forte etiam adiit anachoretam Paulum, de quo lib.* 10, *cap.* 24 *narrat sequentia :* Denique abbas Paulus probatissimus patrum, cum in eremo vastiore consistens, quæ Porphyrio nuncupatur, palmorum fructibus et horto modico securus, haberet sufficientem alimoniæ suæ victusque substantiam, nec posset aliquid aliud, unde sustentaretur, operis exercere, eo quod ab oppidis et habitabili terra septem mansionibus *(id est itinere septem dierum)* vel eo amplius deserti illius separaretur habitatio plusque expeteretur pro mercede vecturæ, quam valere posset pretium operis desudati ; collectis palmarum foliis, quotidianum pensum, veluti exinde sustentandus, a semetipso jugiter exigebat. Cumque opere totius anni antrum ejus fuisset impletum, id quod solicita cura laboraverat, singulis annis supposito igne concremabat : in tantum probans, sine opere manuum nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere. *Lib.* 5 *Instit. cap.* 23 *et sequentibus meminit plurium anachoretarum, quibuscum egit ; sed non assignat locum, in quo habitabant.*

et nominatim ad Thebaidem excurrisse ;

72 *Præterea certum est, quod* S. Cassianus *proposuerit remotam Thebaidos eremum penetrare, ut ipse Collatione* 11, *cap.* 1 *asserit. Videtur autem istud propositum executioni mandasse, cum lib.* 2 *Instit. cap.* 3 *loquatur hoc modo :* Itaque per universam Ægyptum et Thebaidem, ubi monasteria non pro uniuscujusque renuntiantis instituuntur arbitrio, sed per successiones et traditiones majorum usque in hodiernum diem vel permanent vel permansura fundantur, legitimum orationum modum in vespertinis conventibus seu nocturnis vigiliis VIDIMUS retentari. *Deinde lib.* 4 *Instit. cap.* 1 *memorat regulas Tabennensiotarum,* quorum in Thebaide est cœnobium, *eosque a monachis Ægyptiis distinguit. Denique Castor Aptensis episcopus in epistola ad* Cassianum *hæc habet :* Te quidem potissimum orientalium cœnobiorum doctrina expertum tenemus, maximeque Ægyptiorum et apud Thebaidem fundatorum. *Menæa impressa,* E *ex quibus supra num.* 6 *elogium Sancti nostri exhibuimus, alias peregrinationes per Pontum et Cappadociam aliasque regiones ipsi attribuunt ; at non constat,* Cassianum *eas omnes instituisse, quamvis lib.* 4 *Instit. cap.* 19 *de cœnobiis variarum regionum ita meminerit :* Per cunctam namque Mesopotamiam, Palæstinam et Cappadociam, ac totum Orientem singulis hebdomadibus vicissim fratres ad hæc officia sibi reddenda succedunt. *Certe potuit istarum regionum mores ab aliis audire. Nescio, an* Cassianus *Thebaidem aliasque eremos tempore primæ vel secundæ commorationis in Scethi visitaverit.*

sed nescitur quot annis secunda vice in Scethi manserit.

73 *Etiam ignoro, quot annis secunda vice* Cassianus *in solitudine Scethica manserit. Solummodo ex memorata Theophili Alexandrini epistola colligitur, quod circa annum 400 adhuc in ea vixerit, et aliunde certum est, quod anno* 404 *Constantinopoli fuerit. Quare ex hactenus dictis systema quoddam chronologicum conficio, quod erudito lectori examinandum corrigendumque propono. Primo juxta ea, quæ supra num.* 24 *diximus, verosimile est, quod* Cassianus *ante annum* 385 *Bethlehemo in Ægyptum discesserit. Dein post septem annos in ea regione* F *transactos ad cœnobium Bethlehemiticum rediit, et paulo post iterum Ægyptum repetiit, quam forte circa annum* 401 *ob turbas inter monachos Ægyptios et patriarcham Alexandrinum exortas deseruit. Inde venit cum Germano Constantinopolim, ubi a Joanne Chrysostomo diaconus ordinatus causam istius strenue defendit, et ob eam rationem anno* 405 *Romam profectus est, quæ omnia sequenti paragrapho testimoniis veterum scriptorum confirmabimus.*

§ VIII. Discessus Constantinopolim, diaconatus, iter Romanum, sacerdotium et alia.

Cassianus Constantinopoli ordinatur diaconus a S. Joanne Chrysostomo.

S*uspicor,* Cassianum *cum Germano non diu post annum* 400 *Constantinopolim venisse, et ambos a sancto Chrysostomo, tunc urbis illius archiepiscopo, sacris Ordinibus fuisse initiatos ; sed haud dubie jam aliquo temporis spatio illic vixerant, antequam* Cassianus

AUCTORE G. C.

Cassianus *ad diaconatum et Germanus ad sacerdotium promoverentur. Quidquid sit de ordinationis anno, quæ certe ante legationem Romanam anni* 405 *facta est,* Cassianus *lib.* 7 *de Incarnatione cap.* 31 *gloriatur, quod Joannem Chrysostomum habuerit magistrum, et sese ob illo inter sacros ecclesiæ Constantinopolitanæ ministros adscitum fuisse testatur his verbis :* Unde ego quoque ipse humilis atque obscurus nomine, sicut merito, licet mihi inter eximios Constantinopolitanæ urbis antistites locum magistri usurpare non possim, studium tamen discipuli affectumque præsumo ; adoptatus enim a beatissimæ memoriæ Joanne episcopo in ministerium sacrum, atque oblatus Deo, etsi corpore absum, affectu illic sum, et illi dilectissimo mihi ac venerandissimo Dei populo, etsi nunc præsentia non admisceor, tamen mente conjungor. Et hinc est quod condolens ei atque compatiens, in vocem nunc tristitiæ communis ac doloris erupi, et quod unum potui, per opusculorum nostrorum flebilem querimoniam, quasi pro membrorum atque artuum meorum infirmitate clamavi. B Etenim si juxta Apostolum, dolente quidem minore corporis parte, condolet major atque compatitur ; quanto magis, dolente majore, minorem compati oportet ? Inhumanissimum quippe est, ut in uno atque eodem corpore majorum infirmitatem minora non sentiant, cum minorum majora patiantur.

quem summopere laudat :

75 *Deinde cives Constantinopolitanos hortatur ad fugiendam Nestorii hæresim, tenendamque Catholicam veterum doctorum doctrinam, et ea occasione in S. Joannis Chrysostomi laudes ita excurrit :* Unde obsecro ac deprecor omnes vos, qui intra Constantinopolitanæ urbis ambitum siti, et per affectum patriæ cives mei, et per unitatem fidei fratres mei estis, ut separetis vos ab illo, ut scriptum est, lupo rapaci, qui devorat Dei populum, sicut cibum panis. Ne tetigeritis quidquam illius, quia sunt omnia in interitum. Exite de medio ejus, ac separamini, et immundum ne tetigeritis. Mementote magistrorum veterum, sacerdotumque vestrorum : Gregorii nobilis per orbem, Nectarii sanctimonia insignis, Joannis fide ac puri- C tate mirabilis : Joannis, inquam, Joannis illius, qui vere ad similitudinem Joannis Euangelistæ, et discipulus Jesu et apostolus, quasi super pectus Domini semper affectumque discubuit. Illius, inquam, mementote, illum sequimini, illius puritatem, illius fidem, illius doctrinam ac sanctimoniam cogitate. Illius mementote semper doctoris vestri ac nutritoris, in cujus quasi gremio quodammodo amplexuque crevistis : qui communis mihi ac vobis magister fuit; cujus discipuli atque institutio sumus. Illius scripta legite, illius informationem tenete, illius fidem ac meritum amplexamini. Quod etsi assequi grande est ac difficile, sequi tamen pulcrum atque sublime : quoniam in summa rerum non adeptio tantum, sed etiam imitatio ipsa laudanda est : quia numquam fere aliquis ejus rei portione ad plenum caret, ad quam scandere ac pervenire contenderit. Ille ergo vobis in sensu semper et quasi in couspectu sit ; ille in animo atque in cogitatione versetur. Ille denique ipse vobis etiam hæc, quæ a me sunt scripta, commendet : quia hæc, quæ ego scripsi, ille me docuit ; ac per hoc non tam mea hæc, quam illius, esse credite : quia rivus ex fonte constat, et quidquid putatur esse discipuli, totum ad honorem referri convenit magistri. D

unde ruit fabella, quæ ipsum a ... Chrysostomo ejectum tradit.

76 *Ex hoc elogio corruit quædam fabula, nescio quo tempore primum nata, quam Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad annum Christi* 427 *ita tradit :* Cassianus de ecclesia Constantinopolitana a Joanne Chrysostomo ejectus, et in Massilia Galliæ presbyter ordinatus, multa scripsit, inter quæ etiam compertas in Ægypto Vitas patrum, doctrinasque et regulas, datis ad plurimos libris, exponit. *Trithemius in opere de scriptoribus ecclesiasticis secutus est eumdem errorem, quem eminentissimus Baronius in Annalibus ad annum Christi* 404 *num.* 78 *refutat, ubi simul verosimiliorem hujus fabulæ originem ita detegit :* Hic adverte, errore quidem mea sententia lapsos, qui tradunt, hunc ipsum a Joanne Chrysostomo diaconum ordinatum, atque post aliquot annos ab eodem expulsum, Massiliam profectum, illic ordinatum esse presbyterum. Sed dicant, velim, quando hunc expelli ab eo contigit, qui etiam post ejus exilium in ipsius Joannis obsequio perseverasse cognoscitur, et pro eo functus legatione ad Innocentium? E Sed puto, occasionem errandi inde manasse, ut qui pro Joanne Chrysostomo, sicut alii ejus ecclesiæ clerici, esse reperitur expulsus, eumdem per Joannem ipsum ejectum existimarint : nam non ab ipso, sed ejus causa tunc contigit, cum reliquis extorrem fieri. Ceterum antiquorum nullus hujusmodi notam Cassiano inussisse legitur. Verum ipse Cassianus in libris, quos de Christi Incarnatione conscripsit, erga memoriam ejusdem Joannis Chrysostomi satis videtur esse propensus et gratus, utpote qui sæpe eum laudibus haud vulgaribus celebret, et quod majus videri debet, quidquid ipse sciret, liberaliter eidem acceptum refert. *Nunc ab hac digressione ad historiæ nostræ seriem redeamus.*

Tendit cum Germano Romam, ut Chrysostomum defendat,

77 *Cum Theophilus Alexandrinus anno* 403 *Joannem Chrysostomum in synodo ad Quercum condemnare vellet, misit ad eum sanctus præsul tres episcopos et duos presbyteros, inter quos posteriores erat quidam, nomine Germanus, ut Chrysostomus ipse asserit in epistola ad Innocentium Papam anno* 404 *scripta, quæ in novissima Parisiensi Operum illius editione tomo* 3 *a pag.* 515 *legitur. Germanus autem ille videtur fuisse individuus* Cassiani F *socius : unde concludi posset, illum jam ab anno* 403 *ad sacerdotii dignitatem fuisse evectum. Probabilissime anno* 404, *quo S. Chrysostomus in exsilium pulsus est, et ecclesia cathedralis deflagravit, Germanus et* Cassianus *erant sacrorum vasorum custodes, ut ex mox dicendis intelligetur : cum enim calumniatores Joannis Chrysostomi inter alia sanctum præsulem accusassent, quod pretiosa ecclesiæ vasa sibi retinuisset, Germanus presbyter cum* Cassiano *diacono Romam anno* 405 *missus est, ut coram Innocentio Pontifice archiepiscopum Constantinopolitanum contra adversariorum calumnias defenderet. Tunc autem hi legati præter alia innocentiæ testimonia Romanis judicibus exhibuerunt indicem sacræ supellectilis, quæ in incendio anni præteriti prodigiose conservata fuerat.*

ut ex scriptore coævo

78 *Juvat hanc rerum gestarum seriem audire ex coævo auctore (an is Palladius Helenopolitanus episcopus, an alius fuerit, jam non disputo) qui Vitam S. Chrysostomi per modum dialogi conscripsit, et quem Emericus Bigotius anno* 1680 *Parisiis Græco-latine*

AUCTORE G. C.

A *eo-latine edidit. Ille igitur in editione jam citata pag.* 92 *et* 93 *miram ecclesiastici thesauri inter flammas conservationem ita refert :* In hunc igitur modum ignis circumvolans et inundans tamquam mare violento Austro jactatum, veluti signo dato progrediens, vicinas circumquaque ædes citra discrimen corripuit, et soli ædiculæ, in qua vasorum reposita erat copia, pepercit : aurum non reveritus aut reliquam argenti supellectilem, sed ut ne locum mentiendi calumniatoribus daret adversus justum, quasi ipse pulcherrima quæque sibi vindicasset. Ita ignis agitatus retrorsum se reflectebat, pervestigans invidiam eorum, qui hæc perpetrarant ad revincendam Theophili insaniam, in eo quod ob sacra vasa Joannem ejecisse se comminiscitur.

probatur;

79 *Idem auctor synchronus apud Bigotium pag.* 27 *narrat aliqua ex iis, quæ anno sequenti Romæ in causa Chrysostomi contigerunt :* Post Palladium, *inquit,* advenere Germanus presbyter una cum Cassiano diacono, qui erant e partibus Joannis, viri religiosi, litteras totius cleri Joannis redden- B tes, quibus scribunt ecclesiam ipsorum vim atque tyrannidem perpessam esse, ipsorum episcopo militari manu ejecto atque in exilium acto per factionem Acacii BerϾ episcopi, Theophili Alexandriæ, Antiochi Ptolemaïdos et Severiani Gabalorum. Interea breviculum prædicti ostenderunt, quo pretiosa vasa tradiderant coram judicibus, Studio præfecto urbis, et Eutychiano præfecto prætorii, et Joannne Comite thesaurorum, et Eustathio quæstore, ac tabulariis, in auro, argento et vestibus, calumniam a Joanne episcopo depellentes. *Eorumdem legatio ad sedem Apostolicam confirmatur ex litteris Innocentii Papæ, anno* 405 *ad clerum et populum Constantinopolitanum scriptis, quas Sozomenus lib.* 8 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 26 *refert, et quarum hoc est initium :* Innocentius episcopus presbyteris et diaconis et universo clero ac populo ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ est sub Joanne episcopo, dilectis fratribus salutem. Ex litteris caritatis vestræ, quas per Germanum presbyterum et Cassianum diaconum misistis, scenam malorum, quam ob oculos posuistis, anxia solicitudine cog- C novi, quantisque ærumnis et calamitatibus fides laboret, repetita sæpius lectione perspexi.

sed incertum est, quo post hanc legationem diverterit,

80 *Hactenus chronologicam Actorum seriem utcumque prosecuti sumus; sed jam in Sancti nostri Vita occurrit hiatus, quem vix divinando supplere possumus. Quidam existimant, peracta legatione, ipsum Romæ substitisse usque ad captam ab Alarico Gothorum rege Urbem, atque inde Massiliam navigasse; alii vero suspicantur, eum ad monasterium Bethlehemiticum rediisse, et post monasterii illius devastationem demum anno* 416 *ex Syria in Galliam Narbonensem venisse. Nec desunt, qui velint, illum in Ægyptum remeasse. Maxime miror, illos hanc conjecturam amplexos esse, qui anno* 1662 *Officia propria Massiliensis ecclesiæ ediderunt, correctoresque istos, multis aliis caute rescissis aut mutatis, lectioni quintæ confidenter inseruisse hæc verba :* Mortuo Chrysostomo, in Ægyptum abiit, atque inibi ex solitariorum exemplis et disciplina libros Collationum inclytos collegit. *Hæc conjectura nobis plane improbabilis videtur, quia ipse* Cassianus *in Præfatione ad Castorem significat, sese longo annorum spatio ab Ægyptiis monachis abstractum fuisse, dum Collationes conscriberet, ut supra num.* 63 *indicavimus. Videri etiam possunt, quæ Tillemontius tomo* 14 *Monument. eccles. pag.* 174 *huic assertioni opponit. Alii denique alia excogitarunt. ita ut hic tot sint sententiæ, quot capita. At cum omnes hæ opiniones nullo antiquitatis testimonio nitantur, nullam ex illis eligimus; sed potius ingenue fatemur, nos ignorare, quo* Cassianus *post legationem Romanam diverterit. Ex Gennadio solum constat,* Cassianum *Massiliæ varia gessisse, ibidemque usque ad obitum mansisse, ut paragrapho sequenti singillatim discutiemus.*

et an tunc sacerdotii dignitatem susceperit.

81 *Dubito, an ulterius differre debeam sacerdotium* S. Cassiani, *cum ob varias opiniones non sit certum, quo tempore aut loco illam dignitatem susceperit. Antiquiores lectiones ecclesiæ Massiliensis, quas* § I *dedimus, diserte hæc habent :* Cum vero Constantinopoli esset a Joanne episcopo magno diaconus ordinatus, Romam adiit, ibique ad præsbyteratus gradum est evectus. *Eadem tradit Chronicon Massiliense, quod Guesnæus noster suo Cassiano illustrato immiscuit, et juxta quod lib.* I, *cap.* 39 *asserit, Sanctum nostrum Romæ ab Inno-* E *centio Papa ad sacerdotalem dignitatem promotum fuisse. Tillemontius tomo* 14 *Monumentorum eccles. pag.* 174 *dicit, eum potuisse Romæ aut alicubi in Oriente ordinari presbyterum, si noster sit* Cassianus *iste presbyter, qui Romæ circa annum* 414 *laboravit ad conciliandam unionem inter ecclesiam Romanam et Antiochenam. At Officia propria Massiliensia anni* 1662 *lectionem sextam ita recitandam præscribunt :* Tantis onustus meritis, et tantis ornatus virtutibus, nondum erat sacerdos Cassianus. Multis ergo laboribus, procellisque superatis Massiliam, velut in tranquillum portum, se recipiens, presbyter factus est. *Videtur idem indicare Gennadius, dum dicit, quod fuerit* Constantinopoli a Joanne magno episcopo diaconus ordinatus, apud Massiliam presbyter. *Eidem opinioni favet concilium Romanum, quod anno* 494 *sub Gelasio I Papa celebratum est, ubi apud Labbeum nostrum tomo* 4 *Conciliorum col.* 1265 *vocatur* presbyter Galliarum. *Verum alii hæc ita explicant, acsi tantum inter presbyteros Massilienses cooptatus fuerit, et clero istius ecclesiæ adscriptus, ut habet Guesnæus noster lib.* I *Cassiani* F *illustrati cap.* 50.

§ IX. Gesta, scripta et mors Massiliæ.

Sanctus Massiliæ duo monasteria condidit.

Nescio, quo anno aut qua occasione Sanctus noster Massiliam migraverit. Solum constat, ab ipso illic ædificata fuisse duo monasteria, quæ circa finem seculi V *adhuc subsistebant, ut Gennadius in Catalogo virorum illustrium cap.* 62 *tradit his verbis :* Cassianus, natioue Scytha, Constantinopoli a Joanne Magno episcopo diaconus ordinatus, apud Massiliam presbyter, condidit duo, id est virorum et mulierum, monasteria, quæ usque hodie exstant. *De loco, in quo cœnobium monialium situm fuerit, nonnulla est controversia : nam Guesnæus noster in Cassiano illustrato post amplam istius parthenonis descriptionem, quam lib.* 2, *cap.* 17 *dederat, in eodem opere lib.* 2, *cap.* 25, *pag.* 508 *sic scribit :* Nec omittendum hoc loco parthenium cœnobium nostræ Dominæ de Yvelino, vulgo de Veaune,

AUCTORE G. C.

Veaune, a Cassiano fundatum in oppidano Massiliæ territorio, cui iidem pene natales fuerunt, qui ipsi monasterio S. Victoris. *At Dionysius Sammarthanus in ultima Galliæ Christianæ editione tomo* I, *col.* 695 *Guesnæi opinionem ita rejicit :* Sancti Salvatoris apud Massiliam monasterium feminarum ordinis sancti Benedicti fundatum est a Cassiano, ut legere est in his, quæ præmisimus, agendo de cœnobio Victorino, juxta quod situm erat, non vero in loco, quem ei assignat Guesnæus. *Nos in hac re judicium ferre non possumus : quare ipsis Massiliensibus hanc litem dirimendam relinquimus.*

et quinque monachorum millibus præfuisse dicitur, quod hic aliquo sensu explicatur.

83 *Facilius inter scriptores convenit de monasterio virorum, quod omnes etiamnum hodie abbatiam S. Victoris appellant. In jam sæpe memoratis Lectionibus ecclesiæ Massiliensis dicitur* S. Cassianus *ibidem quinque millibus monachorum præfuisse. Eldebertus Mimatensis episcopus in diplomate, quod anno* 1060 *in favorem monasterii S. Victoris Massiliensis dedit, quodque Dionysius Sammarthanus tomo* I *Galliæ Christianæ inter instru-* B *menta pag.* 23 *edidit, etiam tantum monachorum numerum sic adstruit :* Sicut audivimus et ex parte didicimus, cœnobium illud, cum tantæ antiquitus nobilitatis esset, ut quinque millia monachorum inibi habitantium abbas beatus Cassianus, doctor præclarissimus, in eo nunc corpore requiescens, existeret, sicut in libris reperitur, quos ipse composuit, *etc. Legit equidem epistolam Castoris, a Gazæo typis vulgatam, in qua* Cassianus *vocatur* pater Dei servorum ; *sed ipse Sanctus noster nusquam in Operibus suis meminit tantæ multitudinis, quam tamen Eldebertus in libris ejus reperiri significat. Imo vix adduci possum, ut credam, quinque monachorum millia in uno cœnobio Massiliæ habitasse. Quare potius accedo ad jam sæpe laudatos Breviarii Massiliensis correctores, qui in Officiis propriis anni* 1662 *hoc ita legendum proponunt :* Primus monachos in Galliam introduxisse legitur, et diversorum hinc inde quinque millium pater exstitit et exemplum. *Sic nempe intelligi potest, quomodo* Cassianus *quinque monachorum millibus præfuerit, quia diversa cœnobia regulas ab ipso præscriptas sequebantur, et eum tamquam patrem* C *spiritualem agnoscebant, ut non obscure eruitur ex mox citata Castoris epistola, ac ipsis* Cassiani *lucubrationibus, de quibus jam nonnihil dicendum est.*

Rogatu Castoris episcopi, qui novo suo cœnobio petierat regulas,

84 *Castor, qui ante annum* 419 *Aptensem cathedram ascendisse dicitur, humillimis litteris rogavit* Cassianum, *ut monachis a se recenter congregatis certam vivendi rationem præscriberet, et post alia venerationis suæ indicia sic ipsum alloquitur :* Te ergo, charissime pater, qua possumus charitate prævenimus, quo pia ac inexhausta exuberantia nihil promere sapientibus nobis subvenias, et quibus præemines exercitiis, sub quibus præpollens mens et membra creverunt, nos neophytos et mundialis pompæ accurrationibus illectos excitare non differas. Te quidem potissimum Orientalium cœnobiorum doctrina expertum tenemus, maximeque Ægyptiorum et apud Thebaidem fundatorum : præsertim cum et loca Dominica nativitate insignia, tua sint illustrata præsentia. Quocirca cum sis omnium studiorum catholicorum disciplina refertus, te quoque convenit, nos scientiæ inopes non præterire. Poscimus namque tuam paternitatem, ut instituta monasteriorum, D quæ per Ægyptum et Palæstinam florere ac institui vidisti, et servanda sanxisti, et sicuti ibi a patribus tradita sunt, simplici sermone in nostro rudi monasterio adhibere complanata non abnuas, et eloquiorum tuorum melliflua suavitate exuberantia verba diffundens, nostra diu arentia corda rigare non differas ; ex quo, abjecta sterilitate, fruges justitiæ valeant pullulare. Unde reor, si quid proficere nos possibile fuerit, te quoque potiori merito munerandum, si paterni laboris obedientia inertium mentes qualemcumque reddiderint habilem servitutem. Vale, pater Dei servorum, et memento nostri.

Cassianus designat quoddam opus,

85 *Sanctus noster in præfatione ad libros de Institutis cœnobiorum huic epistolæ quodammodo respondens varias offert rationes, quibus ostendat, sese numquam ejus petitioni consensurum fuisse,* nisi me ad hæc, *inquit,* fiducia tuæ sanctitatis animaret, et sponsio, quod vel tibi hæ nugæ forent acceptæ, qualescumque sint ; vel eas congregationi fratrum in novello tantum monasterio commorantium deputares : qui si quid a nobis minus forsitan caute prolatum fuerit, et pie relegant et cum E venia indulgentiore sustentent, fidem potius mei sermonis, quam venustatem eloquii requirentes. *Deinde scriptionis suæ argumentum ita exponit :* Quapropter, beatissime papa (*ex hoc titulo colligo, Castorem fuisse episcopum, quando* Cassianus *ad eum scribebat)* unum religionis et humilitatis exemplar, tuis precibus animatus, secundum vires ingenii mei opus, quod injungis, aggrediar ; et ea, quæ omnimodis intacta relicta sunt ab anterioribus nostris, utpote qui audita potius quam experta describere tentaverunt, velut rudi monasterio, et veritatem sitientibus intimabo. Nec plane mirabilium Dei signorumque narrationem studebo contexere ; quæ quamvis multa per seniores nostros et incredibilia non solum audierimus, verum etiam sub obtutibus nostris perspexerimus impleta, tamen, his omnibus prætermissis, quæ legentibus præter admirationem nihil amplius ad instructionem perfectæ vitæ conferunt, instituta eorum tantummodo ac monasteriorum regulas, maximeque principalium vitiorum, quæ octo ab eis designantur, origines et causas curationesque secundum traditiones eo- F rum, quantum Domino juvante potuero, fideliter explicare contendam. *Denique præmonet, se quasdam Orientalium monachorum regulas ad Gallicam regionem accommodaturum.*

et conscribit duodecim libros pro cœnobitis :

86 *Hunc igitur in finem* Cassianus *conscripsit ea,* quæ de Institutis cœnobiorum, et de octo principalium vitiorum remediis, duodecim libellis Domino adjuvante, digesta sunt, *ut ipsemet in præfatione ad primam Collationem loquitur. Photius in Bibliotheca cod.* 197 *indicat, sese illa* Cassiani *opuscula, aut saltem eorum compendium Græce legisse ; sed quatuor priores libros ab octo sequentibus, tamquam diversum opus, distinguit ; cum tamen ipse* Cassianus *in præfatione ad Collationem undecimam dicat, se* instituta cœnobiorum duodecim libellis *complexum esse. Videri etiam potest Græcus ejusdem scriptionis titulus apud Lambecium lib.* 4 *Bibliothecæ Cæsareæ pag.* 167. *Gennadius autem in editione Miræi cap.* 61 *hanc lucubrationem ita dividit :* Scripsit, experientia magistrante, litterato sermone, et ut apertius dicam, sensu verba inveniens et actione linguam movens,

A movens, res omnium monachorum professioni necessarias, id est, de habitu monachi et de canonico orationum modo atque psalmorum, qui in monasteriis Ægypti die noctuque tenetur, libros tres; Institutionum librum unum; de origine et qualitate ac remediis octo, singulis scilicet de singulis vitiis expediens. *Malo ipsius* Cassiani *judicio acquiescere, qui in textibus jam allatis et lib.* 5, *cap.* 1 *se idem opus prosequi ita significat :* Quintus nobis, juvante Deo, liber iste proculitur : nam post quatuor libellos, qui super Institutis monasteriorum digesti sunt, nunc arripere colluctationem adversus octo principalia vitia, vestris orationibus Domino confortante, disponimus.

post hos edit decem Collationes,

87 *Hi duodecim libelli tantopere Castori placuerunt, ut etiam a* Cassiano *alia opuscula expeteret, quæ tamen morte præventus videre non potuit, sicut* Cassianus *in præfatione ad decem Collationes patrum exponit hoc modo :* Nunc autem quia derelinquens nos pontifex supradictus *(videlicet Castor, de quo paulo ante locutus fuerat)* migravit ad B Christum, has interim decem Collationes summorum patrum, id est anachoretarum, qui in eremo Scythica morabantur (quas ille incomparabili flagrans studio sanctitatis, simili sibi jusserat sermone conscribi, non perpendens præ multitudine charitatis, quanto infirmas cervices pondere prægravaret) vobis potissimum, o beatissime papa Leonti, et sancte frater Elladi, credidi consecrandas. Alter siquidem vestrum memorato viro et germanitatis affectu et sacerdotii dignitate, et quod his majus, sancti studii fervore conjunctus, hereditario fraternum debitum jure deposcit; alter anachoretarum instituta sublimia, non ut quidam, propria aggressus est præsumptione sectari, sed legitimum doctrinæ tramitem, sancto Spiritu suggerente, pene antequam disceret apprehendens, non tam suis adinventionibus, quam illorum traditionibus maluit erudiri.

ac deinde iterum addit septem,

88 *Sed decem istæ Collationes necdum explere potuerunt desiderium Honorati et Eucherii, qui etiam alias flagitarunt, uti* Cassianus *in præfatione ante Collationem undecimam satis declarat his verbis :* C Proinde quia fidei vestræ atque fervori nec illa Instituta cœnobiorum, quæ duodecim libellis ad beatæ memoriæ episcopum Castorem, quo potuimus sermone conscripsimus, nec decem Collationes in Scythica eremo commorantium patrum, quas præcipientibus sancto Elladio et Leontio episcopis, utcumque digessimus, satisfacere potuerunt, nunc etiam ut itineris nostri ratio et ordo cognoscatur, trium in alia eremo existentium, quos primos vidimus, patrum septem Collationes, pari conscriptas stylo, vobis credidi consecrandas, quibus ea, quæ de perfectione in præteritis nostris opusculis obscurius forsitan comprehensa vel prætermissa sunt, suppleantur. Si vero sanctam studii vestri sitim etiam hæc satiare non quiverint, septem alias Collationes, quæ ad sanctos, qui in Stœchadibus consistunt insulis, emittendæ sunt fratres, desiderium, ut arbitror, vestri ardoris explebunt. *Si Honoratus fuerit celebris iste præsul Arelatensis, ut Tillemontius aliique verosimillimum putant, sequitur, has septem Collationes scriptas esse ante annum* 426, *quo Honoratus Arelatensem cathedram ascendit : nam* Cassianus *in jam dicta Præfatione significat, eum adhuc ingenti fratrum cœnobio præfuisse, cum hæc scriberet, eumque fratris nomine compellat, quo familiari modo episcopum non alloqueretur. Neque diu ante hunc annum* 426 *videntur conscriptæ, cum in Præfatione septem sequentium Collationum, quas jam promiserat, Honoratum titulo episcopi honoret.*

AUCTORE G. C.

quibus denique alias septem adjungit,

89 *Paulo post videtur septem ultimas Collationes conscripsisse : loquitur enim de Honorato episcopo, qui anno* 429 *obiit, tamquam adhuc vivente, cum alibi Castorem mortuum* beatæ memoriæ episcopum *appellet. Dedicavit autem eas monachis incolentibus insulas Stœchadas, quæ nunc vulgo vocantur* les isles d'Hieres, *et de quarum nomine, numero ac situ fuse agit Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum a pag.* 531. *Sic vero ante Collationem decimam octavam præfatur :* Emensis, juvante gratia Christi, decem Collationibus patrum, quæ exigentibus beatissimis episcopis Elladio ac Leontio, utcumque digestæ sunt; septem alias beato episcopo Honorato, sancto quoque famulo Christi Eucherio dedicavi. Totidem et nunc vobis, o sancti fratres Joviniane, Minervi, E Leonti, et Theodore, credidi deputandas. Posterior siquidem vestrum illam cœnobiorum sanctam atque egregiam disciplinam in provinciis Gallicanis antiquarum virtutum districtione fundavit; ceteri vero non solum cœnobialem possessionem apprime monachos expetere, verum etiam anachoreticam sitire sublimitatem vestris institutionibus provocastis. Ea namque Collationes istæ summorum patrum disputatione contextæ sunt, et ita omnibus temperatæ, ut utrique professioni, qua non solum occiduas regiones, verum etiam insulas maximis fratrum catervis fecistis florere, conveniant, id est, ut non solum hi, qui adhuc in congregatione laudabili subjectione perdurant, sed etiam illi, qui haud longe a vestris cœnobiis secedentes anachoretarum sectari gestiunt disciplinam, pro conditione locorum ac status sui mensura plenius instruantur.

quæ omnia opera ascetica Latine exaravit.

90 *Quæri hic posset, quo idiomate* Cassianus *libellos suos conscripserit, cum Trithemius in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum apud me pag.* 52 F *de ipso sic loquatur :* Scripsit experientia magistra plura opuscula, in quibus etiam apud interpretem venustas eloquii conspicitur. *Cur hic de interprete fit mentio, cum* Cassianus *jam memorata opera Latine exaraverit, ut ipsemet manifeste indicat, dum in Præfatione ad decem primas Collationes dicit, a se produci monachos Ægyptios,* quodammodo suis Institutis incorporatos, et quod est majus, Latino disputantes eloquio? *Præterea Collatione* I, *cap.* 5 *hæc habet :* Quod evidentius in Græco ponitur, κατὰ σκόπον διώκω, id est, secundum destinationem prosequor. *Hic satis ostendit auctor, se Latine scribere, dum textum Græcum citat ad illustrandam sententiam Latinam. Passim occurrunt alia, quæ ipsum Latine scripsisse evincant, ut videri potest apud Guesnæum lib.* I *Cassiani illustrati cap.* 59. *At, inquies, quomodo* Cassianus *linguam Latinam didicit, cum a pueritia in monasterio Bethlehemitico vixerit? Respondeo cum Tillemontio, tunc temporis plurimos ex Occidente ad visitanda sacra Palæstinæ loca confluxisse, et quosdam forte in monasterio Bethlehemitico permansisse, a quibus* Cassianus *facile linguam Latinam*

AUCTORE G. C.

nam discere potuit. Adde, quod qualemcumque hujus linguæ notitiam postea Romæ ac Massiliæ perficere potuerit. Facile tamen crediderim, illum Græce contra Nestorium scripsisse, cum ad Constantinopolitanos direxerit illud opus, de quo nunc paucis agendum est.

Denique septem libris contra Nestorium disputavit.

91 *Hactenus enumeravi ascetica* S. Cassiani *opuscula, quibus postea addidit lucubrationem polemicam, nempe septem libros de Incarnatione Christi contra recens exortam Nestorii hæresim, quam oppugnavit jussu Leonis, ut ipsemet in Præfatione testatur. Plerique existimant, hunc fuisse Leonem Magnum, postea Romanæ Ecclesiæ Pontificem. Cardinalis Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 430 *num.* 90 *scriptionis hujus tempus colligit ex concilio Ephesino, quod anno* 431 *habitum est, et recte infert, hos septem libros a* Cassiano *fuisse elucubratos ante synodum Ephesinam et Nestorii depositionem, cum de illis ipse non meminerit. Quidam alia opuscula* Cassiano *perperam adscribunt, quos Guesnæus noster lib.* I *Cassiani illustrati cap.* 58 *refutat.* B *Gennadius satis accuratum scriptorum ejus catalogum texuit, et post enumeratas Institutiones ad Collationes elogium illius ita concludit :* Ad extremum rogatus a Leone archidiacono, postea urbis Romæ episcopo, scripsit adversus Nestorem de Incarnatione Domini libros septem ; et in his scribendi apud Massiliam et vivendi finem fecit, Theodosio et Valentiniano regnantibus. *Cum Theodosius et Valentinianus ab anno* 425 *usque ad annum* 450 *regnaverint, ex hoc testimonio certus mortis annus erui non potest.*

et Massiliæ post annum 432 obiit.

92 *Verumtamen posset quis suspicari ex modo, quo loquitur Gennadius*, Cassianum *paulo post scriptos contra Nestorium libros, id est circa annum* 431, *obiisse. Sed huic suspicioni obstat, quod Prosper anno* 432 *vel* 433 *contra* Cassianum *viventem scripserit, et in libro contra Collatorem cap.* 2 *ita loquatur :* Igitur in libro, cujus prænotatio est DE PROTECTIONE DEI, vir quidam sacerdotalis, qui disputandi usu inter eos, quibuscum degit, excellit, abbatem quemdam introducit de gratia Dei et libero arbitrio disserentem, cujus se per omnia probasse ac suscepisse ostendit sententiam. *Adde quod in aliquibus Prosperi chronicis, quæ supra num.* 25 *citavi, ad annum* 433 C *vel* 434 *de* Cassiano, *tamquam vivente, agatur. Dum igitur Gennadius dicit,* Cassianum in his *(scilicet septem libris de Incarnatione)* scribendi apud Massiliam et vivendi finem *fecisse, tantum significare voluit, nihil postmodum ab ipso scriptum fuisse. Trithemius in Opere de scriptoribus ecclesiasticis obitum* Cassiani *anno* 435 *alligat; Guesnæus vero vitam ejus usque ad annum* 448 *protrahit. Sed cum neuter solidum assertionis suæ argumentum producat, malo fateri, me mortis illius annum ignorare. Nunc de* S. Cassiani *scriptis judicia variorum proferam.*

§ X. Judicium de ejus doctrina.

Cassianus nimium tribuens libero arbitrio,

M*ulti viri sanctitate et eruditione illustres scripta* S. Cassiani *summopere commendarunt, quorum testimonia, Operibus ejus præfixa, passim occurrunt. At S. Prosper in libro contra Collatorem, doctrinam illius de gratia acriter impugnavit. Unde* D *Cassiodorus, qui circa medium seculi* VI *floruit, in libro de Institutione Scripturarum cap.* 29 *monachos Vivarienses ita monet :* Cassianum presbyterum, qui conscripsit de Institutione fidelium monachorum, sedulo legite et libenter audite : qui inter ipsa initia sancti propositi octo principalia vitia dicit esse fugienda. Hic noxios motus animorum ita competenter insinuat, ut excessus suos hominem pene videre faciat, et vitare compellat, quos antea confusione caliginis ignorabat : qui tamen de libero arbitrio, a beato Prospero jure culpatus est ; unde monemus, ut in rebus talibus excedentem sub cautela legere debeatis ; cujus dicta Victor Martyritanus episcopus Afer ita Domino juvante purgavit, et quæ minus erant addidit, ut ei rerum istarum palma merito conferatur, quem inter alios de Africæ partibus cito nobis credimus esse dirigendum. *Ado in chronico ad annum Christi* 425 *de* Cassiano *hæc dicit :* Errores illius Cassiodorus Ravennatium senator purgare volens non ad plenum ex omni parte potuit. *Gennadius quoque in Catalogo* E *virorum illustrium cap.* 63 *apud Miræum asserit, quod Eucherius Lugdunensis aliqua* Cassiani *opuscula in compendium redegerit, quod tempore Petri Damiani adhuc exstitisse videtur, uti Sanctus iste lib.* 5, *epistola* 19 *innuit. Quidquid sit de his compendiis aut correctionibus, quæ nostro tempore non inveniuntur, hodiedum in* Cassiani *Operibus ea legimus, quæ S. Prosper improbavit.*

quibusdam frustra doctrinam ejus benigne interpretantibus,

94 *Nihilominus* Cassianus *nonnullos benignos nactus est doctrinæ suæ interpretes, quos Guesnæus noster lib.* I *Cassiani illustrati cap.* 63 *longo ordine recenset. Præter eos non ita pridem Bruno Neusser Minorita in Prodromo velitari contra Norisium part.* 2, *cap.* 3, *num.* 10 *quasdam* Cassiani *propositiones, a Prospero impugnatas, Catholico sensu explicat. Sed etsi alios doctrinæ illius defensores prætercam, juverit tamen de hac re audire judicium B. Joannis Dominici de Florentia, qui ex sacro Prædicatorum Ordine ad Romanam purpuram assumptus est, et cujus Acta in Opere nostro ad diem* X *Junii illustrata sunt. Porro S. Antoninus Beati istius discipulus part.* 2 *historiarum tit.* 10, *cap.* 10 § 2 *de scriptis* Cassiani *agens, post relatam* F *sancti fundatoris sui de iis æstimationem, etiam beati magistri sui de illis judicium ita refert :* Beatus pater Dominicus, ut in ejus Vita legitur, librum illum, qui Collationes patrum inscribitur, studiose legens ac vigilanter intelligens, salutis in eo rimatus semitas, magnum perfectionis apicem apprehendit. Agit siquidem liber ille de cordis puritate, de vitiis, et omnium perfectione virtutum. Verum dicitur liber ille numerari inter apocryphos Dist. XV SANCTA ROMANA, ibi dum dicitur : OPUSCULA CASSIANI PRESBYTERI GALLIARUM. Quod forte ideo est, quia Prosper, cujus doctrina est approbata ab Ecclesia in dicto Capitulo, et post eum etiam Cassiodorus, arguunt eum, asserentes, eum non Catholice scripsisse de libero arbitrio et gratia, plusque attribuisse libero arbitrio, minusque gratiæ, quam conveniat, in Collatione videlicet prima Moysi, et illa Cheremonis de protectione Dei. In quo tamen aliqui, ut dominus Joannes Dominici in libro, qui intitulatur AMOR CARITATIS, excusant eum dicentes, dicta ejus posse salvari, si sane et mature intel-

AUCTORE G. C.

A intelligantur, et non eo modo, quo Prosper et alii ea exponunt nimis cursive et superficialiter intelligentes.

videtur lapsus in errorem Semipelagianorum,

95 *Ego cum reverentia ab isto B. Joannis Dominici judicio recedo, et sequi malo Suarezium in Opere tripartito de gratia part.* 1, *prolegomeno* 5, *cap.* 5, *num.* 7 ; *et Petavium tomo* 3 *Theologicorum dogmatum, libro de Pelagianorum et Semipelagianorum hæresi cap.* 7, *ac torrentem Theologorum, qui ostendunt,* Cassianum *opinioni Semipelagianorum implicitum fuisse. Error tamen iste nequaquam sanctitati illius officit, cum tunc eum defendit,* quando pro utraque parte illis in rebus disputare licebat, *ut Norisius* § 1 *hujus sylloges num.* 3 *citatus loquitur, et ipse Prosper in fine libri contra Collatorem non obscure indicat. Idem sentiunt illi, qui Vindicias tutelares pro sanctitate* Joannis Cassiani *ediderunt, in quibus ita disserunt :* Quinimo liceat nobis addere ex similitudine nostrorum temporum, errorem illum Massiliensium nondum fuisse ita ab Ecclesia condemnatum, ut eo imbuti extra Ecclesiam Catholicam
B ponerentur ; quare potuisse sine sanctitatis dispendio Cassianum, Faustum, Hilarium, aliosque Galliæ et Africæ doctores a D. Augustino, Prospero, Fulgentio aliisque recte sentientibus dissentire, donec Ecclesia sententiam definitivam interposuisset : neque enim nunc in quæstione de concursu gratiæ et liberi arbitrii aut de immaculata conceptione beatissimæ Deiparæ licet nobis contraria opinantes condemnare, aut a sanctitatis merito alienos judicare, quamvis sine dubio altera pars erret re ipsa; et fieri possit, ut Ecclesia judicio ultimo definiat, quæ pars verum dicat : quod si faciat, non tamen eos, qui interim aliud opinati sunt, et scripserunt, damnabit impietatis, quamvis ipsum errorem deinceps in posteris damnandum pronuntiet. *Qui plura vult hujus rei argumenta, adeat Guesnæum lib.* 1 *Operis mox laudati cap.* 64.

quamvis a Pelagiana hæresi abhorruerit ;

96 *Omnino tamen* Cassianus *abhorruit ab hæresi Pelagianorum, quos lib.* 1 *de Incarnatione Christi cap.* 3 *acriter insectatur, et cap.* 4 *asserit, sese allaborasse, ut Leporius quidam perversam eorum doctrinam desereret :* Leporius, *inquit,* tunc mo-
C nachus, modo presbyter, qui ex Pelagii, ut supra diximus, institutione vel potius pravitate descendens apud Gallias assertor prædictæ hæreseos, aut inter primos aut inter maximos, fuit a nobis admonitus, a Deo emendatus, ita male conceptam persuasionem magnifice condemnavit, ut non minus pene admiranda sit correctio illius quam illæsa multorum fides. *Tillemontius tomo* 14 *Monumentorum eccles. pag.* 185 *tacite* Cassianum *carpit, quasi conversionem Leporii monitis suis adscribat, quam tamen in Africa instructionibus S. Augustini factam esse affirmat. At hic cum umbris luctatur Tillemontius : nihil enim aliud* Cassianus *asserit, quam Leporium a se admonitum et a Deo emendatum fuisse. Imo id in Africa contigisse ipsemet indicat, dum paulo post verba proxime citata sic loquitur :* Is ergo in se reversus non solum in Africa, ubi tunc erat, atque nunc est, tam errorem suum cum dolore quam sine pudore confessus est; sed etiam ad omnes admodum Galliæ civitates flebiles confessionis ac planctus sui litteras dedit. *Nonne facile fieri potuit, ut* Cassianus *Leporium de errore admonuerit, et eum S. Augustinus deinde converterit, aut etiam inchoatam a* Cassiano *conversionem perfecerit? An idcirco accusandus erat* Cassianus, *quasi nimium sibi tribueret? Ceterum de persona Leporii et de tempore ejus conversionis vide intricatam disquisitionem apud Tillemontium tomo* 13 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 1039 *et sequentibus.*

sed Ado perperam illi hæresim Encratitarum impingit,

97 *Tametsi* Cassianum *ab errore Semipelagiano eximere non possim, nihilominus jure merito mihi vindicandus videtur a fatua Encratitarum hæresi, quam Ado in Chronico ad annum Christi* 425 *ita ipsi imputat :* Cassianus quoque Scytha natione, Constantinopoli a Joanne diaconus ordinatus, apud Massiliam urbem presbyter moritur : qui inter alia Institutionum librum scripsit. Opera illius a Catholicis cautissime legenda, maxime de libero arbitrio et gratia ; sed et Encratitarum hæresi incautius favit. *Nescio, quam Cassianus umquam suspicionem hujus hæresis Adoni præbuerit : nam S. Epiphanius, qui hæresi* 27 *alias* 47 *illorum deliria explodit, in editione Græco-Latina Petavii tomo* 1, *pag.* 396 *sic breviter eos depingit :* E
Encratitæ Tatiani quædam velut appendix. Hi nuptias damnant, quas satanæ tribuunt. Ab animatorum omnium usu abstinendum esse sentiunt. *Quid umquam, obsecro, ex his dogmatibus docuit Sanctus noster?*

a qua ex suis scriptis

98 *An forte Encratita dicendus est, quia Collatione* 21, *cap.* 8 *et* 9 *narrat exemplum Theonæ, qui uxorem invitam reliquit et ad monasterium confugit? At ipse* Cassianus *cap.* 10 *ejusdem Collationis omnem hujus hæresis suspicionem ita a se amovet :* Nemo autem existimet, nos hæc ad provocanda conjugiorum divortia texuisse, qui non solum nuptias minime condemnamus, verum etiam apostolicam sequentes sententiam dicimus ; Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus ; sed ut lectori initium conversionis, quo tantus ille vir Deo dicatus est, fideliter panderemus : a quo bona gratia hoc primum deposco, ut sive hoc ei placeat sive displiceat, me quoquo modo a calumnia alienum esse concedens, in suo hoc facto aut laudet aut reprehendat auctorem. Ego autem, qui non meam super hac re sententiam prompsi, sed rei gestæ historiam simplici F
narratione complexus sum, æquum est, ut sicut mihi de eorum, qui hoc factum probant, laude nihil vendico, ita eorum, qui id improbant, non pulser invidia.

vindicatur

99 *Quod vero ad ciborum delectum attinet, ab ea Encratitarum insania se Sanctus noster satis discernit, dum lib.* 5 *Institut. cap.* 22 *sic loquitur :* Noverimus itaque nos idcirco laborem continentiæ corporalis impendere, ut ad puritatem cordis hoc possimus jejunio pervenire. Ceterum labor a nobis impenditur incassum, si hunc quidem contemplatione finis infatigabiliter sustinemus ; finem vero propter quem toleravimus afflictiones tantas, obtinere nequeamus. Meliusque fuit interdictis escis animæ *(videlicet vitiis vel peccatis)* temperare, quam voluntariis minusque noxiis corporaliter jejunasse : in his enim simplex et innoxia creaturæ Dei perceptio est, nihil per semetipsam habens peccati ; in illis vero primitus fratrum perniciosa devoratio, *etc. Reliqui Encratitarum errores, quos Epiphanius in editione* jam

AUCTORE G. C.

jam memorata tomo 1 a pag. 400 latius exponit ac refellit, adeo crassi sunt, ut eorum suspicio in S. Cassianum cadere non possit, sicut consideranti patebit. Igitur non video, quo fundamento Ado dixerit, Sanctum nostrum hæresi Encratitarum incautius favisse.

et Gelasii Pontificis decretum

100 *Coronidis loco hic transcribo, quæ Alardus Gazæus in epistola ad lectorem Operibus* Cassiani *præfixa monet hoc modo :* Ceterum ne hæc, quæ Cassiano ejusque scriptis nonnihil derogare videntur, rudiorum animos offendant, et ab ejus lectitandi et versandi studio avertant, aut segniores reddant, de his lectorem serio monendum duxi. Primum quod ad Gelasii censuram seu decretum attinet, cujus initium SANCTA ROMANA ; non ita illud accipiendum, quasi Cassiani et aliorum omnium, qui ibi nominantur scripta, sive, ut vocat, opuscula penitus damnarit, aut omnino legi vetuerit Pontifex; sed quod nolit ea publice legi in Ecclesia et canonicam habere auctoritatem, ob errores quosdam admixtos vel auctores eorum nonnihil suspectos. Quod tum ex B voce ἀπόκρυφον, quæ non aliud quam occultum, reconditum aut secretum quid significat, manifestum est ; tum ex eodem decreto comprobatur, in quo tres librorum classes seu ordines manifeste distinguit Pontifex. Et in prima quidem classe recenset libros canonicos et authenticos videlicet sacræ Scripturæ et SS. Patrum, quos D Ecclesia Catholica recipit et approbat, et publice in Officiis ecclesiasticis usurpat.

explicatur.

101 In secunda apocryphos, quos vetat quidem publice legi et pronuntiari in ecclesia; privatim tamen seu extra ecclesiam legi nullatenus inhibet : in quo ordine cum aliis multis nominantur Cassiani opuscula. Tertio demum loco statuit libros hæreticorum et schismaticorum penitus ab Ecclesia damnatos et repudiatos. Quis vero Catholicus veterum illorum auctorum, Clementis, Alexandrini, Tertulliani, Arnobii, Lactantii, Victorini, aliorumque scripta, quod eodem decreto in numero apocryphorum referantur, vel legere dubitavit, vel legenda dissuasit? Præsertim cum quid ab eis erratum sit, ac proinde vitandum, jam a multis seculis liquido compertum exploratumque habeatur? Aut qua ratione sanctissimi viri DD. Benedictus, Cassiodorus, Dominicus, Thomas, Dionysius, Ignatius atque alii Cassianum et ipsi tanto studio amplexi ac venerati sunt, et aliis amplectendum, volvendum, lectitandum, tum suo exemplo, tum scriptis, et multis encomiis commendarunt; si non E utilissimum, imo præcipuum vitæ monasticæ speculum, et paucis demptis nævis, corpus ceteroquin pulcherrimum, et modis omnibus commendabile judicassent?

DE SANCTIS VIRGINIBUS ROMANIS

J. B. S.

ROMULA, REDEMPTA ET HERUNDINE

SECULO VI.

Sanctas hasce Virgines primus conjunxit et Martyrologio Romano inseruit Cardinalis Baronius, nullos antiquiores Fastos allegans in quibus eas XXIII *Julii, aut seorsim, aut*

Martyrologio Romano

simul positas reperevit. Hæc ejus annuntiatio est : C Romæ, Sanctarum virginum Romulæ, Redemptæ et Herundinis, de quibus scribit S. Gregorius Papa. *Ad hanc porro ita in notis observat :* Agit de his S. Gregorius Papa lib. 4, Dial. cap. 15, ubi et de ecclesia S. Mariæ, apud quam manebant. Porro earumdem Romulæ et Redemptæ veneranda corpora asservari Romæ in basilica S. Mariæ Majoris, inscriptio musivo opere in apside posita his verbis declarat : IN HAC SACRA BASILICA CORPORA SANCTORUM MATHIÆ APOSTOLI. HIERONYMI DOCTORIS. ROMULÆ ET REDEMPTÆ VIRGINUM RECONDUNTUR. Hæc ibi; licet et Tiburtini eadem sibi vindicent, de iisdemque hac die solennitatem agant. Verum aliquam partem, non ipsa integra corpora eos accepisse putamus.

hoc die a Cardinale Baronio adscriptæ sunt,

2 *De sacrarum reliquiarum depositione cum Baronio non convenit Menardus, qui ipsas Tibnri asservari contendit, at ceteri passim Baronii sententiæ ferme acquiescunt : id forte mirum non nemini videbitur, inversa et retrograda quodammodo serie relatas esse Sanctas, quarum ætate et ordine prima esse debuit* S. Herundo *seu* Erundo, *utpote* S. Redemptæ *institutrix; hæc vero* S. Romulæ *magistra, ut disertissime testatur, qui eas primus celebravit Magnus PP. Gregorius loco jam citato, et iisdem prope verbis hom. 40 sub finem, ubi non nulla inde deduxerat, ad mores efformandos aptissime directa.* F *Neque vero facile intelligitur cur hoc potius die quam quolibet altero referantur aut conjungantur, cum satis certum sit, diversis ipsas diebus obiisse, atque ambas priores* Romulam *ac* Redemptam, *aliis omnino diebus a Molano, quem præ oculis habuit Baronius, consignatas fuisse : nisi velis, antiquiorem fortasse Tiburtinorum* solennitatem *ansam Baronio dedisse, ut eorum exemplo ipsas hoc die collocaret.*

aliis ante diebus celebratæ.

3 *De* S. Redempta *sic ante Baronium habet Molanus in prima Usnardi sui editione ad diem* VII *Martii minori charactere :* Item S. Redemptæ virginis, de qua in homilia B. Gregorius; *nempe, ut in margine notat,* hom. 40 de Epulone. *Cur vero Sanctam istam in posterioribus editionibus omnino prætererierit, disquirere supersedeo. De* S. Romula *porro sic in eadem etiam editione annuntiat* XXIV *Junii :* Eodem die, S. Romulæ virginis, de qua B. Gregorius in hom. et in Dial. lib. 4, cap. 15. *De duabus hisce ad Usnardum additionibus videri possunt indices nostri Prætermissorum dictis jam diebus; atque etiam Usnardi auctaria in editione*

nostra

AUCTORE J. B. S.

A *nostra, ex quibus tametsi lucis nihil hauriri possit, id certe intelligitur, duas saltem priores* Romulam *ac* Redemptam *in Fastis aliquibus notas fuisse, antequam eas Baronius Romano Martyrologio adscriberet, ut sola* Herundinis *memoria ipsi proprie tribuenda videatur.*

In Monasticis Benedictinæ censentur:

4 *Ea auctoritate usi monastici Wion, Dorganius, Menardus, et qui hos secuti sunt, ipsas certatim Martyrologiis suis vindicarunt : quamquam de* S. Redempta *egissent* VII *Martii et de* S. Romula XXIV *Junii. Audi Wionem ad hunc diem :* Romæ, sanctarum virginum Romulæ, Redemptæ et Herundinis, de quibus scribit S. Gregorius Papa. Hæ in monasterio juxta ecclesiam B. Mariæ Virginis commanentes, vitam quidem moribus divitem, sed rebus pauperem ducebant. *Citat ibidem, quos solos citare potuit S. Gregorium et Baronium; nam quod ait, Petrum in Catalogo de iis agere lib.* II, *cap.* 109, *ostendit. Catalogum istum se non consuluisse : nam licet Petrus in indice* Romulam *et quidem solam notaverit, certum est, in assignato lib.* B II, *cap.* 109, *nec verbum de* Romula *aut sociabus reperiri. Dorganius satis habuit, solis nominibus eas compellasse, at Menardus præter cetera de suo addidit:* Quarum corpora ad civitatem Tiburtinam delata sunt, ubi earum memoria hac ipsa die solenniter agitur. *Bucelini prolixius elogium huc adducere supervacaneum esset, cum præter Gregoriana nihil fide dignum ab ipso commemorari potuerit.*

reliquiæ Romæ et Tiburi:

5 *Longiorem ex eodem fonte historiam texuit Ferrarius, hic eadem ratione prætermittendam. Tota ipsa sanctissimi Pontificis narratio a Baronio Annalibus inserta est ad annum non* 593, *ut errat Ferrarius, sed* 592; *haud dubie quod eas per id tempus floruisse aut forte obiisse censuerit, quod facile quivis admiserit, quandoquidem de iis ita loquatur S. Gregorius, ut singulas ferme novisse videatur, anonymam aliquam adjungens,* quam quidem de facie scio, *inquit,* sed nomine nescio. *Atque hæc fortasse, æque ac* Herundo *huic Virginum classi annumerari potuerat. Ipsam eamdem historiam Italice edidit Gallonius in libro de Virginibus Romanis a pag.* 120, *ubi litem super reliquiarum* SS. Romulæ et Redemptæ *depositione ad mentem* C *Baronii sic componit, ut earum partem aliquam Tiburim translatam non diffiteatur. Ughellus de Tiburtinis episcopis agens tom.* I, *pag.* 225 *, *clarius loquitur de harum Sanctarum cum duobus Martyribus depositione in ecclesia Tiburtina. Equidem rem illam aut discutere aut dirimere minime præsumo ; possideant ut possident. De* Herundine *nulla usquam disceptatio, ut ubi sacra ejus lipsana asserventur, explorare hactenus nemo potuerit. Quid? quod cultum ei hoc die neget Castellanus, solam* Romulam *signans ad* XXIV *Junii.*

elogium ex S. Gregorio.

6 *Simili scrupulo laboravit Mabillonius dum in Actis SS. Ordinis S. Benedicti tomo* I, *pag.* 260 *solam* Romulam *nominavit, ut* monialem Romanam *ex cap.* 16, *libri* 4 *Dialogorum, ubi cap.* 15 *appellare debuit. Quam porro S. Gregorii operum editionem secutus sit, nescio; id certum est, descriptum ab eo elogium in nonnullis differre a nostra Gillotiana, ex qua proinde, potius quam ex ipso, narrationem desumendam censui. Martyrologio suo monastico plusculum etiam tribuit, quod sanctam* Romulam *non hoc die, sed* XXIV *Junii consignet, et solam quidem, tametsi in Kalendario, operi præfixo,* Romulam, Redemptam et Erundinem *nominet hac* XXIII *Julii. Quod vero mortem* S. Romulæ *determinate innectat anno* 580, *non video quo fundamento nitatur ; neque mihi satis probatum est hactenus, tres istas Virgines aut earum aliquam Ordini Benedictino asserendam, tacente id S. Gregorio, qui solitarias dumtaxat nobis repræsentat,* juxta B. Mariæ, *forte Majoris,* ecclesiam manentes, *quamquam* in sanctimoniali habitu. *Neque tamen mea tantopere interest, cujus professionis fuerint ; ipsas satis sit huc retulisse auctoritate Martyrologii Romani. Habe modo quæ de eis scribit S. Gregorius.*

ELOGIUM

Ex libro IV *Dialogorum cap.* 15.

E

Trium ipsarum laus.

In eisdem quoque homiliis rem narrasse me recolo, quam Speciosus, compresbyter meus, qui hanc noverat, me narrante, attestatus est. Eo namque tempore, quo monasterium petii, anus quædam, Redempta nomine, in sanctimoniali habitu constituta, in Urbe ac juxta B. Mariæ semper Virginis ecclesiam manebat. Hæc illius Erundinis discipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens, super Prænestinos montes vitam eremiticam duxisse ferebatur. Huic autem Redemptæ duæ in eodem habitu discipulæ fuerant : una nomine Romula, et altera quæ nunc adhuc superest, quam quidem facie scio, sed nomine nescio.

Romulæ patientia in paralysi.

2 Tres itaque hæ in uno habitaculo commanentes, morum quidem divitiis plenam, sed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Hæc autem, quam præfatus sum, Romula aliam quam prædixi condiscipulam suam magnis vitæ meritis anteibat. Erat quippe miræ patientiæ, summæ obedientiæ, custos oris sui ad silentium, studiosa valde ad continuæ orationis usum. Sed quia plerumque hi quos jam homines perfectos æstimant F adhuc in oculis summi Opificis aliquid imperfectionis habent; sicut sæpe imperiti homines necdum perfecte sculpta sigilla conspicimus, et jam quasi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc artifex considerat et limat, laudari jam audit, et tamen ea tendere meliorando non desinit ; hæc quam prædiximus Romula, ea, quam Græco vocabulo medici paralysin vocant, molestia corporali percussa est ; multisque annis in lectulo decubans, pene omni jacebat membrorum officio destituta, nec tamen hæc eadem ejus mentem ad impatientiam flagella perduxerant. Nam ipsa ei detrimenta membrorum facta fuerant incrementa virtutum : quia tanto sollicitius ad usum orationis excreverat, quanto et aliud quodlibet agere nequaquam valebat.

Quid moribundæ acciderit.

3 Nocte igitur quadam eamdem Redemptam, quam præfatus sum, quæ utrasque discipulas suas filiarum loco nutriebat, vocavit, dicens : Mater, veni; Mater, veni. Quæ mox cum alia ejus condiscipula surrexit, sicut utrisque referentibus, et multis res eadem claruit, et ego quoque in

AUCTORE J. B. S.

in eodem tempore agnovi. Cumque noctis medio, lectulo jacentis adsisterent, subito cœlitus lux emissa omne illius cellulæ spatium implevit, et splendor tantæ claritatis emicuit, ut corda assistentium inæstimabili pavore perstringeret, atque (ut post ipsæ referebant) omne in eis corpus obrigesceret, ut et in subito stupore remanerent. Cœpit namque quasi cujusdam magnæ multitudinis ingredientis sonitus audiri, ostiumque cellulæ concuti, acsi ingredientium turba premeretur; atque (ut dicebant) intrantium multitudinem sentiebant, sed nimietate timoris et luminis videre non poterant: quia earum oculos pavor depresserat, et ipsa tanti luminis claritas reverberabat. Quam lucem protinus est miri odoris fragrantia subsecuta, ita ut earum animum, quia lux emissa terruerat, odoris suavitas refoveret.

Viaticum petit, et cœlesti psalmodia honoratur.

4 Sed cum vim claritatis illius ferre non possent, cœpit eadem Romula adsistentem et trementem Redemptam suorum morum magistram, B blanda voce consolari, dicens: Noli timere, mater, non moriar modo. D Cumque hoc crebro diceret, paulatim lux quæ fuerat emissa, subtracta est, sed is qui subsecutus est odor remansit: sicque dies secundus et tertius transiit, ut aspersi odoris fragrantia remaneret. Nocte igitur quarta eamdem magistram suam iterum vocavit: qua veniente, viaticum petiit. Necdum vero eadem Redempta vel illa alia ejus discipula a lectulo jacentis abscesserant, et ecce subito in platea, ante ejusdem cellulæ ostium, duo chori psallentium constiterant: et sicut se dicebant sexus ex vocibus discrevisse, psalmodiæ cantus dicebant viri, et feminæ respondebant. Cumque ante fores cellulæ exhiberentur cœlestes exsequiæ, sancta illa anima carne soluta est: qua ad cœlum ducta, quanto chori psallentium altius ascendebant, tanto cœpit psalmodia lenius audiri, quousque et ejusdem psalmodiæ sonitus, et odoris suavitas elongata finiretur.

Moritur

E

DE SANCTIS MARTYRIBUS ANONYMIS

J. P.

IN BULGARIA.

SYLLOGE HISTORICA.

Cultus; elogium, tempus martyrii.

ANNO DCCCXI.

Horum Martyrum cultus e Synaxariis Græcis, ac Martyrologio Romano

Bene multæ Græcorum tabulæ, tam manu exaratæ, quam typis editæ hosce sanctos Martyres consignant, prout liquet e codice Ms. Medicæo Regis Galliæ, Taurinensi utroque Ducis Sabaudiæ, Mazariniano, Sirmondiano, Chiffletiano (at in Sirmondiano, eos die XXV *hujus referri, observatum reliquit in nostris apographis Mediolanensibus; Henschenius) et in laudatis apographis Mediolanensibus, signatis* Ó *n.* 148. *Adde Menæa magna excusa cum Maximo Cytherorum episcopo, ac Menologium, quod ex interpretatione Cardinalis Sirleti vulgavit Canisius tomo 2 Antiquæ lectionis; e quo transcripti sunt in Martyrologium Romanum, ita illos annuntians:* In Bulgaria, natalis plurimorum Martyrum, quos Nicephorus impius imperator, ecclesias Dei devastans, diverso mortis genere, ense, laqueo, sagittis, diutino carcere, et fame necari fecit. C

stabilitur.

2 *Quæ paulo fusius habentur apud laudatum Canisium his verbis:* Commemoratio eorum, qui sunt apud Vulgariam * interfecti sub Nicephoro imperatore patre Stauratii, nono anno ejus imperii; quorum alii letalibus plagis acceptis, a vita discesserunt; alii viventes capti, cum Christum abnegare non paterentur, multiplici et acerbæ morti subjecti sunt: alii enim ense obtruncati, alii funibus vincti et suspensi, suffocati sunt: alii sagittis vulnerati exspirarunt; alii carceribus et fame consumpti, martyrii corona donati sunt.

* Bulgariam

Apographa Mediolanensia habent eorum elogium;

3 *Elogio aliquantulum longiore ac magis historice deducto rem gestam lego in prædictis apographis Mediolanensibus. Accipe textum Græcum infra Latine versum:* Ἡ ἀνάμνησις τῶν ἐν Βουλγαρίᾳ τελειωθέντων Χριστιανῶν, ἀδελφῶν ἡμῶν ἐπὶ Νικηφόρου τοῦ βασιλέως, ὃς τῷ ἐννάτῳ χρόνῳ τῆς αὐτοῦ βασιλείας κατὰ Βουλγάρων ἐκστρατεύσας, καὶ τούτους προβαλὼν, τὰ μὲν πρῶτα νίκην περιφανεστάτην κατ' αὐτῶν ἤρατο. Τὰ δὲ μετὰ ταῦτα οὐ σιγῆς μόνον, ἀλλὰ θρήνου ἄξια ἐδρῶντο. Μιᾷ γὰρ τῶν νυκτῶν ἄφνω τοῖς Ῥωμαίοις ἐπιπεσόντες στρατεύματι, κτείνουσι τὸν βασιλέα, καὶ πολλοὺς ἄλλους τῶν ἐν τέλει. Καὶ ὅσοι μὲν καιρίας τὰς πληγὰς ἐδέξαντο, αὐτίκα τοῦ βίου μεθίστανται· ὅσοι δὲ μὴ θανασίμους πάνυ, κατὰ τῶν δυσηνόρων ἐχώρουν χωρίων, ὅσοι δὲ ζῶντες ἐλήφθησαν, μυρίαις αἰκίαις καθυπεβλήθησαν. Μὴ F ἀνασχόμενοι γὰρ τὸν Κύριον ἡμῶν Ι. Χ. ἐξομόσασθαι, οἱ μὲν ξίφει τὰς κεφαλὰς ἐτμήθησαν· οἱ δὲ ἀγχόνης τῆς παρούσης ζωῆς ἐξεῤῥάγησαν. Ἄλλοι βέλεσιν καταθρωθέντες πυκνοῖς τῶν πῆδη μετέστησαν, ἕτεροι φρουραῖς λιμῶτε καὶ δίψει καταδικασθέντες οὕτω τῶν βίον κατέλυσαν, τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον ἀναδυσάμενοι.

quod Latine hic redditur;

4 Commemoratio Christianorum, fratrum nostrorum, qui in Bulgaria sub Nicephoro imperatore occisi sunt; qui nono imperii sui anno postquam adversus Bulgaros bellum movisset, eosque fudisset, primo quidem splendidissimam victoriam de ipsis retulit: sed ea quæ postea peracta sunt, silentio non tantum, sed lamentis etiam digna. Nam quadam nocte, in Romanos illapsi cum exercitu, imperatorem occidunt, aliosque multos dignitate conspicuos. Qui vero letales plagas acceperunt, mox e vita discedunt; qui autem non omnino mortiferas, in tristes abscesserunt regiones; qui vero vivi venerunt in hostium manus, innumeris opprobriis affecti sunt.

A sunt. Etenim cum non vellent Dominum nostrum Jesum Christum abjurare : hi quidem gladio caput amputati ; hi ex vita præsenti, laqueo erepti ; alii crebris jaculis transfixi, cœlestis vitæ compotes facti sunt. Alii autem fame et siti mulctati, in custodiis hanc vitam reliquerunt, martyrii corona redimiti.

uti et versiculi ex Ms. Chiffletiano.

5 *In apographo nostro Chiffletiano notatos invenio sub hoc die* XXIII *hos versiculos, quibus eorum martyrio accinitur :*

῎Ανδρας δικαίους καὶ τρόποις οὐ ποικίλους,
῎Ανδρες φονεῖς κτείνουσιν ποικίλοις τρόποις.
Justos viros nec moribus varios, virum
Furor homicidarum enecat variis modis.

Allusio in adjectivo ποικίλους et ποικίλοις ac substantivo τρόποις parum habet leporis, ut quæ quibusvis fere Martyribus applicari possit. Sed non est novum, in hujuscemodi versiculis Græcis obtrudi frigidas et jejunas allusiones, in quibus plusculum salis et saporis merito requiras.

Quædam hic observantur,

B 6 *Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 810, *num.* 3, *de nostrorum Martyrum triumpho agens recte asserit, Græcos in Menologio agere eorum natalem die* XXIII *mensis Julii; productoque indidem ipsorum elogio, adjungit :* De his etiam eadem omnes Latini agunt in Martyrologio : ubi hos a Nicephoro cæsos tradunt, licet Bulgaris alii tribuant. *Tria hic, salva sapientissimi historiæ Ecclesiasticæ conditoris reverentia, censemus emendanda. Primo annus Christi* 810, *nec cum anno nono imperatoris Nicephori, nec cum tempore mortis istorum Martyrum recte cohæret ; sicut planum fiet ex iis, quæ de hac re mox subjiciemus. Nec verbis opus est, quando Baronius ipse se corrigit in notationibus ad Martyrologium Romanum, ubi Martyrum elogio subnectit sequentia :* Facta hæc tradunt anno Christi DCCCIV, Indictione V : sed secundum veriorem supputationem anno Christi DCCCXI. *Sed poterat hic notare Baronius, cum anno* 804 *concurrere Indictionem* XII, *non* V ; *quæ fluxit cum anno* 812.

et corriguntur in Baronio,

7 *Secundo, nimis liberaliter asserit,* de his etiam eadem *(die)* omnes Latinos agere in Martyrolo-
C gio : *nam neque apud antiquos, neque apud modernos Martyrologos ullos, quos ego quidem viderim, apicem vel minimum notatum reperi, si Romanum Martyrologium excipias. At rursum in notatione tacite se ipse corrigit, dum dicit :* Agunt itidem de his Græci in Menologio, *nulla vel unius Martyrologii Latini facta mentione. Tertio, non Nicephoro imperatori, sed Bulgaris imputandam censemus sanctorum Christi Pugilum necem, contra ac statuit Baronius anno supra citato* 810, *num.* 3, *his verbis de ipsis agens :* Quam autem fuerit impius iste sævissimus hostis Christianorum *(Nicephorus)* vel ex hoc disce, quod hoc ipso anno nono ejus imperii, diro supplicio complures necavit Christianos.

qui non satis sibi constitit,

8 *Hoc item ipsi imputat Martyrologium Romanum, ut supra vidimus. At Baronius ipse ad annum* 811, *citato Martyrum elogio ex* Menologio Basilii imperatoris, *die* XXIII *Julii, nescio quo, (in editis quippe apud nos ad calcem tomi* I *Julii nihil horum tunc invenio) errorem Martyrologii Romani hic et suum videtur satis indicasse, tametsi eum mitiget per τὸ* fortasse, *quando sic dicit :* De iisdem agitur D
in Latino Martyrologio, sed mendose FORTASSE per Nicephorum, quod sub Nicephoro factum est, dicitur. *Ex dictis itaque liquet, Baronium non sibi in hoc puncto satis constitisse, sed varia ad annos varios nec inter se satis cohærentia locutum fuisse. Nos itaque omnino illorum sententiæ subscribendum censemus, qui, ut superius recte dicebat Baronius,* Bulgaris *id* tribuant, *consentiente Pagio in Criticis Baronianis ad annum prædictum* 811. *Sed illud pluribus stabiliamus.*

Circa auctorem cædis

9 *Scimus quidem, nefarium istum imperatorem ad hæc ausa plus quam capacem fuisse, cujus scelera et impietatem Baronius perstringit ex Theophane, qui præsens ista spectabat. De ejusdem etiam immani crudelitate meminit Theodorus Studita, ejusdem temporis scriptor, in oratione funebri S. Platonis, quam vide tomo* I *Aprilis, a pag.* 366; *sed quoniam neque Theophanes, neque Miscella historia, neque Cedrenus hanc cædem Nicephoro imputant, cur nos illam ipsi imputabimus? Nam tum temporis Bulgari nondum ad Christum erant conversi; quod primum sub eorum rege Bogori, apud Baronium notatur con-* E
tigisse anno 845 : *quamvis Telericus eorum princeps, Constantinopolim profugus, et sacro ibidem baptismatis lavacro ablutus, futuræ Bulgarorum conversionis jecerit semina; ut videsis apud Baronium ad annum* 777 : *ergo Nicephorus ecclesias devastans in Bulgaria, ut supra referebat Martyrologium Romanum, Christianos Bulgaros non occidit.*

disseritur,

10 *Non etiam videtur occidisse milites Christianos e suo exercitu : etenim suscepta ad Bulgaros expeditio anni* 811, *qua putamus hanc cædem contigisse, nihil minus suadere poterat imperatori quam suorum lanienam ; præsertim cum pauculis diebus post ingressum in Bulgariam fatalis Nicephori clades fuerit subsecuta. Accedit eo, quod, cum superius sit ostensum, perperam a Baronio citari Latina Martyrologia, quæ de Martyribus hisce agant, merito quæri possit a laudato Baronio, quinam sint isti nonnulli, qui a Nicephoro cæsos tradunt Martyres, uti supra, falso videlicet supposito Martyrologiorum nixus, affirmabat. Menæa excusa cum Menologio, quod vulgavit, Canisius, interfectos dicunt* sub Nicephoro, *quod æquivocum est. Censemus itaque standum elogio Synaxarii Mediolanensis,* F
quod diserte Bulgaris eorum mortem adscribit.

ac tempus,

11 *Jam vero, quandoquidem Nicephorus plus semel arma in Bulgaros convertit ; quæres, quo tempore ista cædes contigerit.* Hoc anno, *inquit Theophanes regiis typis Lutetiæ Parisiorum editus Græco-Latine anno* 1655, *pag.* 408 *(qui ex Indictione* XIV, *quam præmittit, debuit esse* 806 *aut* 807) Nicephorus bellum in Bulgaros convertit ; et Adrianopolim profectus, cum ab imperatoriis aulicis et militum ordinibus conspirationem in se motam intellexisset, re prorsus infecta, et, a proposito sibi fine longe sepositus, nisi forte a severitate in contribules exercita, quos verberibus, exiliis, et honorum proscriptionibus ultus est, Constantinopolim remeavit. *Quæ ultima vellem sic melius et clarius verti :* Re prorsus infecta, nihil efficiens, nisi hoc solum, quod in contribulibus vindictam exercuerit, multos ex iis, verberibus, exiliis et bonorum proscriptionibus subjiciens, Constantinopolim remeavit. *Itaque, quia tunc in Bulgaria nihil ab eo actum, martyrium*

sæpe

AUCTORE J. P.

sæpe dictum tunc non contigit, cui etiam supra signatus non quadrat annus. Magis quadrarent illa, quæ narrantur apud Theophanem pag. 410 *gesta ante Pascha, Indictione secunda, currente cum anno* 809 : Hoc etiam anno ante Paschatis solemnia, Crummus, Bulgarorum princeps, expeditione suscepta, et instructo ad Sardicam exercitu, qua dolis, qua pactis, urbem cepit ; et ex Romanis agminibus, promiscua privatorum hominum plebe haud numerata, militum millia sex interfecit ; *inter quos fuerint fortasse nostri Martyres.*

quo ea contigit;

12 *At censeo, eorum necem ulterius differendam, tum ut ei aptetur annus* 811 *cum Theophane ac Baronio ; tum ut salva maneant hujusce necis adjuncta, quæ modo dedimus ex elogio Synaxarii Mediolanensis ; cui in substantia fere consonant ea, quæ de interitu Nicephori pluribus habet Theophanes a pag.* 415, *tametsi clare ac distincte ista occasione de hisce Martyribus non meminit :* Thraso, *inquit*, timidus *(Nicephorus)* mensis Julii die xx Bulgariam ingreditur sub canis perniciosissimum exortum... Post dies vero tres et conflictus primos leviores, cum fortunam in vota conspirantem secum trahere videretur, haud prosperitatis B auctori Deo victoriæ successum adscripsit ; sed Stauracii solius felicitatem ac providentiam laudavit... Bini dies, feria nimirum quinta et sexta, in hæc machinamenta insumpti, *quibus* Crummus, *ut ibidem præmittitur, ob suppliciter petitam, sed a Nicephoro præfracte sibi negatam pacem* exasperatus, regionis aditus et exitus ligneis septis in D muri modum communivit.

13 Nocte vero, quæ Sabbatum præcessit, graves tumultus et armatorum hominum motus circa Nicephorum et ejus milites auditi, cunctorum animos in terrorem et anxietatem conjecerunt. Mox sub crepusculum impetu facto in Nicephori et optimatum ejus tentoria, ipsos miserabiliter obtruncarunt *(quorum nomina exprimit)* CUM INNUMERA MILITUM PLEBE ; adeo ut Christianorum decor omnis et splendor eo die prostratus fuerit, et omnino exstinctus. *Inter innumeram militum plebem colloco nostros Martyres, conformiter ad elogium supra Latine redditum. Rem gestam calculis chronologicis innectit laudatus Theophanes, dum sic pergit :* Contigerunt ista mensis Julii die xxv, Indictione iv, *quæ concurrit cum anno Christi* 811. *Jam vero quia annus mortis Nicephori adeo clare et distincte hic exprimitur, videtur corrigendus Labbe in synopsi chronologica, ubi dicit, eum occubuisse* die Sabbati xxvi Julii ; *qui ejusdem mensis dies* xxvi *etiam non recte signatur apud nos in annotatis ad orationem funebrem S. Platonis, supra laudatam. Cur autem* E *natalis sanctorum martyrum celebretur die* xxiii, *et non potius* xxv *Julii, quo diximus ipsorum martyrium contigisse, divinare non lubet. Interim juverit in memoriam revocasse, illos, uti dicebamus superius num.* 1, *isto die signari in codice Ms. Sirmondiano, teste Henschenio.*

anno nempe 811, die 25 Julii.

DE S. ANNA VIRGINE

IN LEUCATE PROMONTORIO EPIRI AUT BITHYNIÆ.

J. P.

Cultus apud Græcos; elogium; chronotaxis.

CIRCA ANNUM DCCCLXVIII.

D*ie* xviii *Maii, pag.* 184 *occasione S. Anastasonis, egimus de* Leucade *sive* Leucadia, *insula maris Ionii prope Epirum,* C *Acarnaniæ tam prope adjacente, ut eidem ponte jungatur. Strabo inter ea, quæ scribit de Acarnania, etymon loci tradit :* Leucadem, *inquit*, denominaverunt a Leucata, ut puto, saxum enim albo colore ante Leucadem jacet versus altum mare et Cephalleniam, et inde nomen habet. *De eodem loco breviter dictum in annotatis ad Acta S. Nicolai Peregrini Tranensis die* ii *Junii, pag.* 251. *Porro pro* Leucata *etiam* Leucato *legi observatur in notis nostri Caroli Ruæi ad Virgilii Maronis, ab eo editi in usum serenissimi Franciæ Delphini, librum* 13 *Æneidos, vers.* 274. Leucata *oppidum Galliæ Narbonensis huc non spectat ;* Leucatas *vero promontorium Asiæ minoris in Bithynia, quo includitur sinus Astacenus, teste Plinio apud Ortelium, utcumque huc spectare possit ; eaque de causa Sanctam superius annuntiavi in* Leucate *Epiri aut Bithyniæ. Suspicor tamen, hic potius* Leucatem *Epiri designari ; quia ea terminatio videtur magis accedere ad Græcam* ἐν Λευκάτῃ ; *qui locus tamquam proprius ipsi adscribitur apud Græcos.*

Notitia loci, in quo S. Anna annuntiatur apud Græcos :

Versiculi, et elogium

2 *Porro Synaxarium Divionense seu nostri Petri Francisci Chiffletii inter ea, quæ ejusdem eegraphum nostrum habet sub hoc die, sic istam Sanctam memorat :* Μνήμη τῆς ἁγίας καὶ ὁσίας Ἄννης, τῆς ἐν τῷ Λευκάτῃ. Memoria sanctæ ac beatæ Annæ in Leucate. *Sequuntur duo isti versiculi :*

F

Σὸς δέσμιος νοῦς σαρκικὰς ῥίψας πέδας
Εἰργοῦντος, Ἄννα, μηδενὸς, Θεὸν βλέπεις.
Vincta tua mens abjecit, Anna, compedes
Carnis ; Deum nunc, nemine arcente, aspicis.

Elogium, quod subnectitur, sic habet : Αὕτη ὑπῆρχεν ἐπὶ Θεοφίλου τοῦ δυσσεβοῦς, ἐκ γένους λαμπροῦ καὶ περιφανοῦς, καὶ περιουσίαν κεκτημένη πολλήν · ἧς ἡ μήτηρ πᾶσαν ἐπιμέλειαν ἐποιεῖτο εὐλαβῶς καὶ κοσμίως τυποῦσθαίτε αὐτὴν καὶ ἀγάγεσθαι. Συνδιατρίψασα δὲ αὐτῇ χρόνον οὐκ ὀλίγον ἡ μήτηρ · ὁ γὰρ πατὴρ τὸν βίον τὸν τῆδε ὑπεξῆλθεν, καὶ καλῶς τὰ κάλλιστα οἰκοθέντε παρὰ τῇ μητέρι συλλεξαμένη ἡ Παῖς, τὸν ἀνθρώπινον καὶ αὐτὴ ὑπεξίσταται βίον. Ἐγκρατὴς δὲ ἡ Ἁγία ὥσπερ ἀρετῆς, οὕτω δὴ καὶ πλούτου γενομένη, τοῖς πτωχοῖς καὶ ἐνδεέσι τῶν χρειωδῶν μετεδίδου. Ἐν τούτοις τῆς ἀοιδίμου Ἄννης γνωριζομένης, ἀνήρ τις, γένος Ἀγαρηνὸς, καὶ οὐκ ἀγαθὸς ἄρτι, τῇ τῶν Ῥωμαίων προρυεὶς βασιλείᾳ · Βασίλειος δὲ ὁ Μακέδων τότε τὰ σκῆπτρα διηθύνων · ᾐτήσατο ταύτην τῆς Παῖδα πρὸς γάμον δοθῆναι αὐτῷ.

AUCTORE J. P.

A τῷ. Ὁ δὲ βασιλεὺς ἐπέτρεψε τοῦτο γενέσθαι. Ἡ δὲ μὴ ἀνασχομένη τοῦτο ποιῆσαι, πολλαῖς θλίψεσι παρὰ τοῦ μιαροῦ ἐκείνου καθυποβάλλεται· καὶ ὁ μὲν ὅπως λάβῃ ταύτην διϊσχυρίζετο· ἡ δὲ εὐχαῖς καὶ δάκρυσι τὸ θεῖον ἐκλιπαροῦσα, λύσιν ταχεῖαν τῶν πειρασμῶν ᾔτει γενέσθαι. Ἀκούει Θεὸς τὴν Οἰκέτιν, καὶ τὸν βιαστὴν μνηστῆρα τῆς παρούσης στερίσκει ζωῆς, καὶ τὸ θέλημα τῶν φοβουμένων αὐτὸν ἐκπληροῖ.

ex Synaxario Divionensi,

3 Τί τὸ ἐντεῦθεν; Ἀπανίσταται πάμπαν τῶν βιωτικῶν ἡ Μακαρία, καὶ εἴς τινα τῆς Θεοτόκου ναὸν εἰσελθοῦσα, νηστείᾳ καὶ ἀγρυπνίᾳ, καὶ ἐγκρατείᾳ, ἑαυτὴν ἐκδίδωσι· διὰ δύο γὰρ ἡμερῶν νηστεύουσα τροφῆς μικρᾶς μετελάμβανεν. Ἔστι δ' ὅτε καὶ διὰ πάσης ἑβδομάδος ἄσιτος διέμεινε, καὶ λοιπὸν αὐτῆς οὕτως τὸ σῶμα κατεμάρανεν, ὡς τὰς ἁρμονίας πάσας φαίνεσθαι· τῶν σαρκῶν γὰρ αὐτῆς ἀπὸ τῆς ἄγαν σκληραγωγίας κατακεισῶν καὶ σχεδὸν ἀπονεκρωθεισῶν εὐχερῶς. Καὶ ἥνπερ παρὰ τοῦ πλάστου σύνθεσιν καὶ σύνταξιν ἀκριβῶς παρεδείκνυον, τοῦ δέρματος μόνου τούτοις ἐπικειμένου· καὶ διαρκέσασα ἐν τῇ τοιαύτῃ διαγωγῇ ἔτη πεντήκοντα, καὶ μικρὸν νοσήσασα, τὴν μὲν τίμιον αὐτῆς ψυχὴν εἰς χεῖρας Θεοῦ ἐπ-

B ἀφίησι. Τὸ πολύπονον δὲ καὶ σαρκικὸν αὐτῆς σῶμα παρὰ τῶν προσηκόντων αὐτῇ σορῷ κατατίθεται, ἔνθα καὶ πολλοὶ τῶν πρὸς γένους αὐτῇ διαφερόντων κατέκειντο.

seu Chiffletiano,

4 Χρόνος ἐῤῥύει πολὺς, καὶ ὀχλούμενοί τινες ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων ἀνορύξαντες ἐξήνεγκαν τὸ τίμιον καὶ ἅγιον αὐτῆς λείψανον ἄφθαρθον καὶ ἄσπιλον πάσης εὐοδίας θείαστε καὶ ἀνθρωπίνης ἀπόζον, ἔνθέν τι καὶ κατανοῆσαι τῶν θεοθέρων ἔξεστι τῷ βουλομένῳ, ὅτι πολλῶν σωμάτων συγκειμένων αὐτῇ ἐν τῷ τάφῳ, τὰ μὲν τὴν φυσικὴν ὑφέστη διάλυσιν, τὸ δὲ σῶον καὶ ὁλόκληρον διέμεινε. Ἀληθῶς φυλάσσει ὁ Κύριος πάντα τὰ ὀστὰ τῶν Ἁγίων αὐτοῦ, καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ συντριβήσεται· ὅθεν δαίμονες ἐξ ἀνθρώπων ἀπηλάθησαν, τυφλοὶ ἀνέβλεψαν, χωλοὶ περιπάτησαν, καὶ ἁπλῶς πᾶσα νόσος δι' ἣν ἄνθρωποι πάσχουσι, καὶ τότε καὶ νῦν δραπετεύει. Οὕτως οἶδε Θεὸς δοξάζειν τοὺς ἑαυτὸν δοξάσαντας.

latinitate

5 Hæc fuit sub impio Theophilo, claro et illustri genere orta, multisque opibus affluebat: cujus mater omne studium ponebat in eo, ut ad pietatis et honestatis leges illam efformaret et educaret. Postquam autem non exiguo tempore mater cum ipsa degisset (pater namque ejus ex

C hac mortali vita discesserat) et Puella domi a matre collegisset optima quæque; migravit et illa ex hac vita. Sancta vero tam virtute quam divitiis pollens, pauperibus et indigentibus necessaria erogabat. Ex his venerabilis Annæ nomine increbrescente, vir quidam, genere Agarenus, non bonus admodum, ad ipsum Romanorum imperium se proripuit (cujus Basilius Macedo tum sceptra regebat) rogans, sibi ut ista Puella in sponsam daretur. Imperator mandavit, ut hoc fieret; quod illa facere recusans, multis tribulationibus ab impuro isto afficitur. Et ille quidem, ut eam acciperet, contendebat; hæc vero precibus ac lacrymis Deo supplicans petebat, ut cito a tentationibus liberaretur. Audit Deus Famulam suam, et violentum procum præsenti vita privat, voluntatemque timentium se adimplet.

donatum,

6 Quid deinde? Beata omnibus hujus vitæ rebus nuntium remittit, ac quoddam Deiparæ templum ingressa, jejuniis, vigiliis et abstinentia se macerat: nam protracto per biduum jejunio parum cibi sumebat; aliquando etiam per totam hebdomadem sine cibo permanebat. Ceterum adeo corpus ipsius emarcuit, ut compactiones omnes viderentur; carnibus ejus præ duritie subsidentibus, et fere ad mortem usque tantum non extenuatis. Et postquam in hoc vitæ instituto perseverasset annos quinquaginta, parvo contracto morbo, pretiosam suam animam in manus Dei tradidit. Corpus vero ejus ærumnis fractum et carne constans, tumulo imponitur a propinquis; ubi et plures quiescebant, qui generis excellentia cum illa eminebant.

hic proferuntur:

7 Multum effluxerat temporis, quando plures turbabantur a spiritibus immundis: qui, refosso tumulo, extulerunt venerabile ac sanctum corpus ejus, quod nulli corruptioni ac maculæ obnoxium erat, omnique divina et humana fragrantia redolebat. Unde divini aliquid in eo observare potest, si quis velit: nam multa corpora simul cum ea in sepulcro jacentia, naturalis corruptionis debitum solvebant; sed illius corpus salvum atque integrum permansit. Vere custodit Dominus omnia ossa Sanctorum suorum, et unum ex illis non

E conteretur. Unde dæmones ex hominibus expulsi sunt, cæci viderunt, claudi ambularunt; et, ut verbo dicam, morbus omnis, per quem homines patiuntur, et tunc et nunc aufugit. Sic novit Deus glorificare glorificantes se. *Eadem in Sirmondiano haberi, annotat Papebrochius in apographo hujus elogii. Paulo breviora sunt, quæ lego in ecgraphis Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ, fusius relata in Taurinensi β Ducis Sabaudiæ, ut similiter adscribitur apographo eidem Mediolanensi. Atque hæc quidem sunt, quibus cultus* S. Annæ *apud Græcos stabilitur. Ceterum ei aptavi titulum virginis, ex spretis thalamis conjugalibus ipsi, ut videtur, non indebitum, tametsi in annotationibus supra non expressum.*

e cujus notis chronologicis componitur Sanctæ chronotaxis.

8 *Theophilus, Michaelis Balbi filius, patri in imperio successit anno* 829; *obiit* 842 *postquam acerrimum Iconoclastarum defensorem se præbuisset; de cujus tamen sub vitæ exitum pœnitentia; nonnulla producit Baronius ad dictum annum* 842: *sub quo cum vixisse referatur* S. Anna *in laudato elogio, et (sicut ecgrapho Mediolanensi adscripsit*

F *Henschenius) in Taurensi β, jam habemus epocham, ex qua ipsius ætatem præterpropter determinare possimus. Si vera sunt quæ, de Basilio Macedone imperatore tam in elogio, quod damus, quam in eo, quod habemus e codice Mediolanensi, commemorantur circa nuptias Agareni cum Sancta nostra, ejusdem imperatoris jussu præscriptas, regnum auspicati anno* 867; *jam nata fuerit anno circiter* 840; *ætatis vero vigesimo octavo (post matris obitum, quæ sic non exiguo tempore cum ipsa degisse recte intelligitur) Christi* 868, *Basilii Macedonis secundo, fuerit ab Agareno in conjugem petita; quibus si adjicias annos quinquaginta, quos asseritur supra in rigidissimo vivendi instituto traduxisse, jam pervenerit ad annum Christi circiter* 918, *vitæ circiter* 78. *Vellem equidem in elogio pluries nominato distincte notata fuissent patria, locus habitationis ac sepulturæ, una cum aliis adjunctis; de quibus plura nunc non suppetunt, et quæ fortasse in Sanctæ Vita habeantur, siquidem alicubi ea lateat hactenus; hæc utinam occasione, si lateat, in lucem producenda!*

VIGESIMA QUARTA DIES JULII.

SANCTI QUI IX KALENDAS AUGUSTI COLUNTUR.

S. Niceta }
B S. Aquilina } Martyres in Lycia.
S. Cleonicus }
S. Stratonicus } Martyres Leontini in Sicilia.
S. Christina virgo martyr, Tyri apud Vulsinium, ut volunt, in Tuscia.
S. Theozonus,
S. Victor
S. Emerita *seu* Emeritus cum duobus fratribus
S. Statianus
S. Capito
S. Silvanus
S. Stercatius
S. Cariton } Martyres Sebasteni in Armenia.
S. Victor
S. Stercatius
S. Antinogenus } Martyres Emeritæ in Hispania.
S. Victorinus martyr cum aliis LXXXIII anonymis, Amiterni in Vestinis Italiæ.
S. Vincentius martyr, Romæ *vel* Thibure.
S. Hymenæus }
S. Cariton } Martyres apud Græcos.
C S. Pavacius episcopus confessor, Cenomanis in Gallia.
S. Ursicinus episcopus confessor, apud Senones in Gallia.

S. Fantinus confessor, Tauriani in Calabria.
S. Dictinus episcopus confessor, Asturicæ in Hispania. E
S. Valerius *seu* Valerianus, Niceæ in Provincia Galliæ.
S. Wulfadus }
S. Ruffinus } Martyres Stonæ in Anglia.
S. Arnulfus martyr, Mosomi in Gallia.
S. Declamus episcopus confessor Ardmoriæ in Hibernia.
S. Lewinna virgo martyr Angla, Bergis S. Winoci in Belgio.
S. Segolena vidua, Albigæ in Occitania.
S. Christina virgo, cognomento Mirabilis, Trudonopoli in Belgio.
S. Kinga *seu* Cunegundis virgo, Poloniæ ducissa, Ordinis S. Claræ, apud antiquam Sandecz, in palatinatu Cracoviensi.
B. Joannes Taussinianus episcopus confessor ex Ordine Jesuatorum, Ferrariæ.
B. Antonius confessor ex Ordine Eremitarum S. Augustini, Aquilæ in Vestinis Italiæ. F
S. Franciscus Solanus Ordinis Minorum de Observantia, Limæ in Peruvia Americæ.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

SS. Domnonis, et Dominonis ac Eusebiæ virginis inventionem *celebrat hoc die Ferrarius ex Galesinio, ex quo didicit, reperta fuisse sacra corpora Bergomi a Francisco ejusdem civitatis episcopo, anno* 1401. *De duobus primis jam actum est, de tertia loquemur suo tempore :*

coluntur { *Domno* v Januarii. *Domnio* xvi Julii. *Eusebia* xxix Octobris. }

SS. Victorinum et Severinum *fratres hoc die, sed loco non suo, sic annuntiat Rabanus :* Eodem die, natale est S. Victorini, qui cum fratre Severino audiens vocem Dei in Euangelio dicentis ad divitem : Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et reliqua; reliquerunt ambo fratres mundi divitias, et omnia sua dispensantes pauperibus, B eremiticam vitam elegerunt, ibique nobiliter vixerunt; licet Victorinus ad tempus delusus fuisset a diabolo, sed tamen Domini gratia de inimico victor existens nobiliter triumphavit, sicut in Vita illorum pleniter narratur. *Satis patet, hæc a Rabano hoc die perperam collocata : id certum est, desumpta hæc esse ex Actis* S. Severini *episcopi Septempedani, de quo pridem actum est ad* viii *Januarii, ubi tota fratris ejus* Victorini *historia admixta est, ut proinde de utroque ibi dicta sint quæ dici potuere. Ad eamdem historiam alludit Baronius* viii *Junii in longiori notatione ad* S. Victorinum. *Neque tamen adhuc sublata omnino videtur inter Victorinos et Severinos confusio, de qua etiam Castellanus in primo suo Bimestri pag.* 136. *At de hac re agendi alius occurret locus. Tu videsis* viii Januarii.

S. Gertrudis altaris dedicatio Nivellæ *memoratur in additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis. Quæcumque de Sancta ista dici potuere, habes ad diem ipsius natalem* xvii Martii.

B. Margarita de Castello *seu Tifernas, tertii Or-* C *dinis S. Dominici perperam hoc die adjuncta est in additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Colitur, et de ipsa jam pridem actum est ad diem* xiii Aprilis.

S. Thuribius *Cenomanensis episcopus S. Pavacio hoc die conjungitur, ut cum ipso et aliis Paderbornam in Westfaliam translatus. Verum de ipso actum est proprio natali die* xvi Aprilis.

S. Waldum episcopum et confessorem *hoc die collocat Florarium Ms., quem diu frustra alibi quæreres, nisi in indice haberetur* Ubaldus, *neque sic tamen recte positus : spectat enim et de eo actum est ad diem* xvi Maii.

Ymerius confessor *hoc die* S. Waldo *conjungitur : atque hunc quidem in Ubaldum opportune transformare licuit; illum vero nec sub hac inflexione nec sub alia in ipso indice reperio, ut plane persuasum habeam, luxatum nomen esse, qualia in hoc codice plurima recurrunt. Si ad affine aliquod nomen reduci queat prædictus* Ymerius, *confundi fortasse poterit cum S. Hymerio Ameriæ episcopo, de quo actum est* xvii Junii.

SS. Agoardus et Aglibertus *martyres Christolienses prope Parisios, et hoc die et sequenti celebrari dicuntur ; verum et ipsorum et innumerorum, ut volunt, sociorum martyrum natalis est eo die, quo de ipsis pridem actum,* xxiv Junii.

Venerandæ *alicujus virginis martyris Acta pro hoc die descripsit Papebrochius ex Ms. codice sac. eremi Camaldul. fol.* 103, *iis plane similia quorum apud nos ingens supellex est. Doleo vehementer, hujusmodi specimina non incidere in manus magni astius Actorum vindicis Odoacris Ilbachii, ut vera a falsis, dubia a certis, genuina a spuriis aliquando noscat discernere, cui nihil ferme absurdum occurrit in quibuscumque Actis, modo nomen alicujus Martyris præferant. Incipiunt hæc :* Temporibus Marci pii imperatoris *virgo conjugium vitans, fugit in* quoddam monasterium ubi feminæ conversabantur..... post E mortem autem orthodoxi imperatoris Marci elevatus est alius imperator, nomine Diocletianus, vir impius..... qui elevavit contra Christianos persecutionem adversus sanctas ecclesias, maxime vero adversus monachicum ordinem, neque masculis, neque feminis indulgens ; sed cum ira et furore magno volebat totum genus Christianorum delere et Judæorum extollere. *Ex his conjice cetera, quæ qui digerere possit, cum certe oportet Ilbachio non inferiorem esse. Neque tamen, Acta illa qualiacumque impedimento essent, quo minus* Veneranda *ista inter Sanctos locum haberet, si modo in ullis Fastis sacris, Græcis aut Latinis nota esset sub* Olybrio Antiochiæ præside : *quibus deficientibus integrum nobis non est, id genus nomina Sanctis adscribere ; neque vero adeo obvia est* Venerandæ *appellatio ut cum alia confundi possit.*

Timotheus patriarcha *ῥοδισμὸς in Prætermissis ad* ix *Maii, ex variis conjecturis huc remissus est, si forte ageretur de Timotheo Alexandrino, fratre Petri, qui S. Athanasio successit, quique* F *ibi obiisse censetur hoc* xxiv *Julii. Quidquid ejus sit, ex serie Patriarcharum Alexandrinorum ante tomum* i *Junii de vero obitus die satis constat, non item de cultu Catholice umquam ipsi exhibito.*

Julianum *nobilem militem Laudensem et martyrem et socios* mdclxxxvi *larga sane manu hoc die nobis profert Ferrarius in utroque Catalogo, tametsi passos scribat* x Kal. Augusti, ex monumentis ecclesiæ Laudensis Mss. *Addit autem in notatione, alium* S. Julianum *episcopum et confessorem ibidem* celebrari xii Octobris. *Hunc novimus, at quid de aliis istis sit, plane ignoramus. Miram narrat historiam, quam nemo admiserit, nisi aliunde probatam. Coli vero Laude numerosam illam classem non audet asserere ; neque vero sola ejus fides aut auctoritas sufficere videtur, ut ignotissimi alias Sancti tanto numero tam facile admittantur.*

Dominæ nostræ Deiparæ trans *(urbem Constantinopolitanam)* in Pagidio apud novum embolum synaxis *inscribitur supplemento nostro Ms. ex Syn-*

A *Synaxariis Sirmondi ac Chiffletii. Ædem hanc sacram non invenio; at extra urbem Constantinopolitanam trans sinum fuisse, dubitare me non sinit adverbium* πέραν, trans, ultra, *quod est in Græco. Consule Cangium lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ, a pag.* 167.

S. Hermogenes martyr dentes eradicatus occubuisse *notatur hoc die in supplemento nostro Ms. ad Menæa Græcorum excusa ex Mss. Sirmondo-Chiffletianis, addito disticho in hunc sensum, quod* cui immisericorditer eradicati sunt omnes dentes, effugiat dentes dæmonis. *Mentio etiam de eodem, ut puto, fit in utroque Taurinensi Ms.; at die* XXV *hujus. Dati sunt, et porro dabuntur varii Sancti huic Martyri synonymi; quem postquam inter illos quæsivi, fateri cogor, me ignorare, quis fuerit, aut quo spectet.*

Gundanisolus, *tamquam Cenomanensis episcopus, et quidem ut Sanctus jungitur Thuribio et Pavacio, quin et S. Liborio, cum interim in nullis episcoporum Cenomanensium Catalogis usquam* B *reperiatur, ut pridem notavit Bollandus in suo de S. Liborio Commentario num.* 16, *et nos etiam hoc die, ubi de S. Pavacio agimus, verbo observavimus : cultus ejus, imo existentia et sanctitas probanda sunt priusquam in hoc Opere locum habeat.*

Jolenta, vidua Bolcslai pii ducis Calissiensis, *huc remissa est ex* XXIII *Aprilis, ut si de cultu nobis constitisset, agi de ea posset die quo obiit ejus soror B. Kinga, quicum in monasterio S. Claræ Sandeciæ vivit. At nihil ab eo tempore accessisse, quo prædictus cultus probaretur, intelliges ex iis, quæ de B. Kinga seu Cunegunde Poloniæ ducissa inferius dicta sunt.*

Mathildis *in historia ecclesiastica seculi* XI *inter plures synonymas celebratissima, quam huc remisimus, longis passim laudatur encomiis; breve est, sed elegans, quod ei inter pios hoc die composuit Saussayus his verbis :* Eodem die obiit feliciter venerabilis Mathildis marchionissa, conjux Godefridi, cognomine Gibbosi, Lotharingiæ ducis, nepotis Stephani IX Papæ ex fratre Gozelino, marito Beatricis, matris ip- C sius Mathildis, quæ altera sui ævi Judith et Debora impios divinæ legis sacerdotiique evangelici insectatores magna virtute repressit, afflictamque Romanam Ecclesiam insigni solatio recreavit, ditavitque et suffulsit donationibus magnificis. *Paulo plura referunt Molanus et Miræus inter Belgas, Piazza vero in Hemerologio eam proponit extollitque ut perfectissimum speculum principum feminarum. Sufficiet nobis ex eo desumere epitaphium monumento elegantissimo subscriptum, quod sæpius Romæ vidimus legimusque his verbis conceptum :*

URBANUS VIII PONT. MAX.
COMITISSÆ MATHILDI VIRILIS ANIMI FEMINÆ
SEDIS APOSTOLICÆ PROPUGNATRICI,
PIETATE INSIGNI, LIBERALITATE CELEBERRIMÆ,
HUC EX MANTUANO S. BENEDICTI
CŒNOBIO TRANSLATIS OSSIBUS,
GRATUS ÆTERNÆ LAUDIS PROMERITUM
MONUMENTUM POS. ANNO MDCXXXV.

Hescelinus, *ut* bonæ memoriæ *Canonicus, in Ninevensi Flandriæ cœnobio supprior Ordinis Præmonstratensis, hoc die signatur in Natalibus Ordinis, a Joanne Chrysostomo Vander Sterre concinnatis : quod hic indicasse, satis est.* D

Christinæ *alicujus, ejusdem Ordinis sanctimonialis in monasterio Rhetersensi, diœcesis Moguntinæ, Vitam ad nos olim misit strenuus noster adjutor Gamansius, eamque Majores nostri hac* XXIV *Julii reponendam censuerunt ob synonymas Christinas quæ eo die celebrantur. Verum cum incertus sit obitus, et potius mense Novembri quam Julio vita functa sit; aliunde vero de ejus cultu nil quidquam constet, neque de ea in Natalibus vander Sterre jam citatis ulla habeatur memoria; in alium mensem et diem remittenda est, quibus de ipsa agi poterit, si sufficientia cultus monumenta proferantur.*

Gerburgem *abbatissam Gandersheimensem in Saxonia hoc die sic primus annuntiavit Menardus :* In Germania, monasterio Gandersheimensi, sanctæ Gerburgis abbatissæ, *in Observationum lib.* 2, *pag.* 643 *citans solum Trithemium in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 584; *ubi* ipsa virgo sanctissima *dicitur*, quæ multis effulserit in vita, et post mortem clara virtutibus. *Avide isthæc omnia in Gynæceum suum transtulit Arturus, ac pluribus amplificavit Bucelinus in Menologio; quod vero miror vel maxime, non dubitavit Castellanus* Sanctæ *titulum ei hoc die tribuere, postquam præ oculis habuit Seculum quartum SS. Benedictini Ordinis, in quo disertissime prætermittitur, utpote de cujus cultu nusquam, quod sciam, exstitit, neque hodie superest vestigium. In Annalibus Benedictinis tom.* 3, *pag.* 22 *et* 227 *vocatur* Gerberga, *verum nec sub hac, nec sub alia appellatione Sanctis umquam annumerata est.* E

Guilielmum Bibaucium, *ut* venerandum Cartusianorum generalem *ex Bibliotheca Cartusiana Theodori Petrei insigni elogio ornat Raissius in Auctario ad Natales Molani, ut apud Flandros natum ; atque item*

Franciscum a Meerbecch *ex Ordine Minorum ab hæreticis plurima perpessum, qui* cum viginti trium mensium pedorem carceris sustinuisset, *Lovanium perductus, ibi paulo post laborum cursum consummavit. De eo etiam agit Arturus, verum in ejus serie prætermittetur.* F

Cuno conversus in Hemmenrodensi cœnobio *inter beatos Ordinis Cisterciensis recensetur hoc die ab Henriquez et Chalemoto, atque etiam a Bucelino cum longiori elogio. Admitto nobilitatis ejus virtutumque præconia omnia ; at de cultu doceri cupio.*

Bartholomæus Carraucus, Carmeli Majoricensis prior, a piratis Turcis in mari captus et Algezias ductus, multis tormentis præmissis, capite tandem plexus martyr occubuit anno Christi MDLXVI. *Ita legitur in Acie bene ordinata Sanctorum Ordinis Carmelitarum. Ubi etiam hoc die*

Zeno Mechliniensis, nempe qui Mechliniæ in Belgio per Deiparam Virginem donis et revelationibus fuit recreatus. Beatus vocatur in Kalend. Carmel.

Petrus de Capua *cum variis sociis Ordinis S. Dominici, ut* pretiosa morte defunctus *refertur hoc die in Diario Marchesii ; ac præterea*

Maria

A Maria Lanza *in parthenone S. Catharinæ Panormi*

Paulus Bustamanta *ejusdem Ordinis, cum titulo* beati *laudatur in Viridario Spirituali Germanico et in Anno sancto Belgico, ut martyr in Indiis cum pluribus sociis.*

Joannes confessor *Ulyssipone in Lusitania.*
Alphonsus a Spina *Palentiæ.*
Antonius Farinenus *in Gallia.*
Joannes Martinesius *in territorio Toletano.*
Donatus *Urbini.*
Alphonsus Suarez *in territorio Palentino.*
Anna de Angelis *in territorio Saguntino.*
Francisca de Heruas *Cordubæ.*

Cum titulo beati *referuntur ab Arturo in Martyrologio Franciscano, et ultimæ duæ etiam in Gynæceo.*

Antonius *cognomento* abbas *in monte Guiscardi in Occitania.*
Adamus de Marisco *in Italia.*
Guilielmus Bretonius *in Anglia.*
B Alexander Javorensis *Wratislaviæ in Silesia.*
Anonymi triginta *in Russia.*
Franciscus de Podio *cum sociis missus in Tartariam.*
Franciscus de Mazarata *Capucinus Pisauri in Marchia.*
Cæcilia de Nobili *Nuceriæ in Umbria.*
Anna Appolloniæ Nadlerin *Monchii in Bavaria.*

Adduntur in Menologio Franciscano Hueberi, sed absque ullo titulo.

Vigilia S. Jacobi *in multis codicibus signata, hic etiam referri meretur. Notissima est ejus festivitas die sequenti* xxv Julii.

Parasceve virgo et martyr *hoc die inscribitur Kalendario Græcorum a Genebrardo vulgato: eadem refertur a Ferrario in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, et a Castellano inter adjectos ad suum Martyrologium universale, utrobique die* xxvi *hujus. Menæa magna excusa cum Maximo Cythereo nescio cur cum solo titulo* hosiomartyris *eam annuntient; quem etiam editioni suæ secundæ adjecit Molanus, sed hoc die.* C *Verum de ista Sancta videri poterit die, quo a laudatis Menæis, et eorum transcriptore Maximo Cythereo condecoratur elogio longo et scenico* xxvi *hujus, et examinari, an ab homonyma, die* xx *Martii cum Martyrologio Romano data, distinguenda sit. Quidquid igitur huc spectat, remittimus ad eumdem diem* xxvi Julii.

Celsus *a solo Camerario signatus, aliis characteristicis distinguendus est, priusquam in Sanctorum serie collocetur. Ipsum aut synonymum refert Dempsterus* xxvi *Julii: Vereor ne confusio sit cum celebriori Celso de quo cum Nazario agemus die* xxviii Julii.

Eberardi, *seu* Eberhardi monachi solitarii apud Cellam S. Meinradi, in Silva quæ nunc dicitur ad Eremitas *signatur in Kalendario Ms. Sanctorum Ordinis S. Benedicti, uti habet etiam aliud paulo extensius, quod Grollum vocamus: est in utroque male hoc die; nec magis recte a Bucelino die* xxii *Augusti ponitur. Monuit jam pridem Bollandus in Commentario ad Acta S. Meinradi* xxi *Januarii illustrata, de* S. Eberardo *agendum* xiv Augusti. D

S. Erthadum in Scotia episcopum *sic hoc die refert Ferrarius, ut satis pateat, solum Dempsterum præ oculis habuisse, quem denuo sequitur* xxiv *Augusti. Ast ea auctoritas non suffecisset, nisi apud Camerarium alia accessissent ex quibus cultus asseri possit, eaque inter Breviarium Aberdonense, de quo non semel alibi. Ibi vero cum signetur non primo sed secundo loco, de Sancto agemus* xxiv Augusti.

Boryssus *et* Glebus *ut* principes martyres *annuntiantur in Ephemeridibus Græco-Moscis ante tomum primum Maii, quemadmodum et in variis aliis Fastis Ruthenicis, Menologio Sparwenfeldiano Slavo-Russico, nec non Polonicis, unde ipsos verosimiliter eduxit spicilegus Ferrarius, ex quo et in Castellani Martyrologium migrasse videntur, alibi inter Sanctos necdum admissi.* E *Notat Papebrochius fuisse filios Ulodomiri, Christianis vero nominibus* Romanum et David *nuncupari.* Hoc die, *inquit,* videntur a fratre Jaroslao, post victum fratricidam Suatopolcum, contumulati Wissogrodi, cum alias Boryssus xiv Julii, Glebus v Septembris sit obtruncatus. *De patre, nempe Vlodomiro fusius egimus inter Prætermissos* xv *Julii, vota nostra illic exponentes, ut tum de ipsius tum de filiorum Catholico cultu rite edoceamur. Neque omnino fidere audemus* historiæ breviter conscriptæ et collectæ ex monumentis Ruthenicis, una cum aliis similium quorumdam Actis approbatæ a Vilnensis archiepiscopi suffraganeo, Georgio episcopo Metonensi anno MDXXI. *Cum igitur hic dies neque* Boryssi *neque* Glebi *natalis sit, iterum atque iterum Polonos rogamus quod* xv *Julii petiimus, verum et Catholicum cultum nobis demonstrent, tum res gestas, martyrium et miracula, ut de utroque fratre, et forte etiam de parente agere ex professo possimus, die quo alter obtruncatus dicitur* v Septembris. F

S. Rustici episcopi Trevirensis et confessoris *memoriam hoc die agunt additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, solitæ sæpius festa transponere. Hujus Sancti, quo de ipso agemus, natalis est* xiv Octobris.

S. Judocus confessor *reperitur hoc die in Matricula Cartusiæ Ultrajectensis; nos alium istius nominis Sanctum non novimus præter eum, qui colitur* xiii Decembris.

Olympias *hoc die notata in supplemento nostro ad Menæa impressa Sirmondo Chiffletiana, die crastino remittitur ad diem, quo signatur in Martyrologio Romano* xvii Decembris.

A D

DE SS. NICETA ET AQUILINA MART.

J. P.

IN LYCIA.

SYLLOGE HISTORICA.

§ I. Cultus ac narratio martyrii apud Græcos; memoria in Fastis Latinis.

SUB DECIO.

Varia est harum sanctarum Martyrum nomina efformandi ratio, sicut patebit per decursum, Græcis pariter ac Latini Fastis, quamquam diverso die in scriptarum. In Mss. Menæis Divionensibus seu Synaxario Petri Francisci Chiffletii nostri ita signantur: Τῇ αὐτῇ ἡμ. μνήμη τῶν ἁγ. μμ. γυναικῶν, τῶν πιστευσατῶν διὰ τοῦ ἁγ. μ. Χριστοφόρου, αἵτινες σούβλοις ἀπὸ ποδῶν ἕως τῶν ὤμων διαπαρεῖσαι τελεῖουνται· ὤντινων τὰ ὀνόματα Ἀκυλίνα καὶ Καλλινίκη. *Quæ Latine sic sonant:* Eodem die (IX *Maii*) memoria sanctarum Martyrum mulierum, quæ crediderunt per sanctum martyrem Christophorum, ac subulis a pedibus ad humeros usque transfixæ, martyrium consummarunt: quarum nomina Aquilina et Callinica. *Triumpho autem earum accinuntur ibidem duo sequentes versiculi:*

Cultus apud Græcos

B

Ἔχει τράπεζαν σατανᾶς πάλιν νέαν·
Γυναῖα σουβλίζουσιν οἱ πλάνοι δύο.
Scenam recentem denuo satanas habet:
Pungunt Puellas subulis plani duas.

ac Græco-Moscos.

2 Τράπεζαν, *proprie* mensam, *hic* scenam *vertimus: videtur namque per hanc vocem hic indicari locus paulo editior, ut puta, parvus suggestus seu theatrum, mensæ instar, in altum, longum ac latum cum aliqua proportione elevatum; quo pateat facilior circumstantibus prospectus. Simile quid videtur innui apud Julium Pollucem Onomastici Græco-Latini, anno* 1706 *recusi, segmento* II, *lib.* 7, *cap.* 2: Circi, *inquit*, in comœdia dicuntur, ubi mancipia venduntur: fortassis et reliqua, quæ venalia sunt. Sed partem, quam servi conscendentes venduntur, hanc Aristophanes mensam vocat. *Eodem die* IX *Maii inscribitur Menologio Slavo-Russico memoria* S. M. Christophori, passi anno CCCLV sub Constantio cum duabus peccatricibus, quæ sunt cum eo passæ, Hecata et Ancilena. *Item in Menologio apud Canisium narratur S. Christophorus* propter Christi confessionem simul cum Callinice et Aquilia*, quas ad fidem converterat, capite truncatus.

C

*Aquilina

Elogium datur

3 *Menæa magna Græcorum typis edita agunt de nostris hisce Martyribus eodem isto die, sequente, ut solet, Maximo Cythereo, occasione S. Christophori martyris, cujus elogio res quoque earum gestas inseruerunt. Sunt et in Actis ejusdem Sancti Latinis; sed in his modo tam parum verosimili, ne dicam exotico et prorsus fabuloso, ut tota res non facta sed ficta, et ad scenicum apparatum ornata videatur; non melioris utique notæ, quam sint Acta tota S. Christophori, quibus tamquam pars, harum Martyrum gesta immixta sunt. Porro ex versione Latina, quam subdimus, tu de isto Menæorum elogio fer judicium; quæ fere ex interpretatione manuscripta Matthæi Raderi ita sonat:* Imperator, viso Christophoro exanimatus, in tergum concidit, animaque recepta, statuit illum per dolum circumvenire, et blanditiis emollire et flectere, sensimque a Christo avertere; quod aperte illum aggredi non auderet aut consultum judicaret.

4 Submissis ergo duabus procacissimis et forma præstantissimis puellis, atque in omnem venerem projectis, quæ facillime intemperantiam juvenum, et ardentia per se desideria ad lasciviam possent excitare et incendere, (uni autem Callinicæ, alteri vero Aquilinæ nomen erat) imperavit ad Christophorum ingredi, ut illum omnibus machinis aggrederentur, et ad concubitum proritarent, amoreque captum a Christo abalienarent, atque ad sacrificandum idolis propellerent. Sed illæ a Christophoro fidem Christianam edoctæ, idola deseruerunt, Christum palam apud ipsum imperatorem professæ, flagris crudeliter concisæ, aliisque suppliciis superatis, martyrii coronam reportarunt. *Ita fere versio Raderi, quæ quia in re et substantia satis cum Græco textu esset fidelis, nova, utpote minime necessaria, supersedendum nobis esse duximus. Aliud brevius, ac proinde, ut videtur, antiquius ac melius elogium habes infra num.* 14.

ex Menæis impressis.

E

5 *Celeberrimum porro apud Græcos harum Martyrum par, magnam quoque notitiæ celebritatem obtinuit in antiquissimis Martyrologiis Latinis. Nam Usuardus hoc die* XXIV *Julii sic eas annuntiat:* Eodem die natalis sanctarum Nicetæ et Aquilinæ, quæ beati Christophori martyris prædicatione ad Christum conversæ, martyrii palmam capitis abscissione sumpserunt. *Præcesserat suum hunc sequacem Ado eodem die; sed* virginum *titulum eis tribuit, et loco* Aquilinæ *scribit* Aquilæ. *Quod ultimum etiam scribit Wandelbertus, ideo forte, quod nomen ita scriptum, suo metro magis quadraret: utut est, utramque certe Martyrem simul cum hodierna Christina unico isto versiculo comprehendit:*

Earum memoria inscribitur antiquis Martyrologiis,

F

Mox nonam Christina, Aquila, et Niceta sacrarunt.

6 *Martyrologium Romanum fere ad verbum Usuardo consonat, hoc die* XXIV *ita illas memorans:* In Lycia, sanctarum martyrum Nicetæ et Aquilinæ, quæ beati Christophori martyris prædicatione ad Christum conversæ, martyrii palmam capitis obtruncatione sumpserunt. *Indicatum jam pridem a nobis fuit in Prætermissis ad diem* IX *Maii, acturos nos de sanctis hodiernis Martyribus die* XXV *hujus, quo colitur S. Christophorus: sed quamquam hujus Acta adeo cum istarum martyrio connexa sint, ut omnium trium memoria eodem differenda*

ac Martyrologio Romano.

ferenda

AUCTORE J. P.

A *ferenda videretur : tamen cum a classicis, uti diximus, Martyrologis memorentur hoc die* XXIV, *quem ipsum quoque Martyrologium Romanum servat : ideo nunc de iis agendum duximus, hic uti alibi more nostro in signandis Sanctorum locis seu diebus, isti Martyrologio nos conformantes. Nihil attinet producere Florarium nostrum Ms., Maurolycum, Felicium, Galesinium, ac denique Arturum a Monasterio, qui eodem etiam die ipsas commemorant.*

§ II. Acta Latina, et plura alia, ad Sanctas spectantia discutiuntur.

Proferuntur varia harum Martyrum

Nunc Actorum, quæ apud Latinos leguntur, habenda ratio est. In Beda, qui ex Floro auctus, et a nobis editus est, ex Ms. Tornacensi ista notantur occasione S. Christophori die XXV *hujus,* qui jussu Dagni regis in carcere reclusus, Niccam et Aquilinam, quas ipse tyrannus ad seducendum B eum miserat, ita convertit, ut idola Jovis et Apollinis, quæ ante colebant, fide Christi ferventes, zonis suis ligata ad terram prosternerent. Unde præcipiente Dagno, altera est membris disrupta; altera stipiti suspensa, et igni apposita, ac deinde gladio trucidata. *Petrus de Natalibus lib.* 6, *cap.* 131 *paulo pluribus earum martyrium describit :* Niceta et Aquilina sorores martyres, in Lycia, civitate Amon * passæ sunt. Hæ speciosæ puellæ de corporis sui prostitutione viventes, cum beatus Christophorus martyr in eadem civitate a rege Dagno in carcere detineretur, jussu ejusdem regis ad ipsum sanctum Martyrem missæ sunt, promissis eis muneribus, si eum secum peccare facerent, et ad deorum sacrificia provocarent.

* Samon

8 Quas B. Christophorus ad Christum convertit, ut dicetur in Passione ejus ad VIII Kal. Augusti. Quod audiens rex, Puellas comprehendi fecit, quas ad deorum sacrificia invitavit. Quæ dixerunt, ut jussu regis plateæ mundarentur, et omnes populi ad templum congregarentur. Quo facto, cum illæ templum introissent, cingula sol- C ventes, in colla deorum posuerunt, et ad terram trahentes confregerunt. Quapropter rex Dagnus iratus, eas catenis suspendi fecit, et dudum torqueri, et dehinc in ignem copiosum jactari. Quæ cum inde illæsæ egressæ fuissent, jussit rex ambas pariter in Christi confessione gladio cædi : quæ passæ sunt VIII Kal. Augusti.

9 *Similis fere vel non melioris saltem, si non deterioris potius furfuris est Passio apud Vincentium Bellovacensem in Speculo lib.* 13, *cap.* 25, *et S. Antoninum* I *part. historiarum, tit.* 8, *capitulo* I, § 41, *inter Acta S. Christophori. In Missali Mediolanensi anno* 1522 *excuso, in præfatione ad Missam sancti Christophori refertur, quod* Niceam et Aquilinam, publico lupanari, longo tempore sub meretricia sorde famulantes, ad castitatis habitum revocavit, easdemque sub tormentis martyrii, finiti agonis percipere coronam edocuit : *quæ ex S. Christophori Actis desumpta esse, evincitur ex pluribus aliis, quæ indidem accepta sunt, et ex quibus ista præfatio constat; ac proin non merentur plus fidei, quam mereantur Acta ipsa. Porro nostrarum Martyrum gesta Passioni S. Christophori, cras dandæ e Ms. nostro Fuldensi, et illi, quæ est apud Mombritium immixta, adeo in longum extrahuntur, ut partem ejusdem Passionis bene magnam absumant; quæ cum ibi legi possint, et scenice adornata sint, otiosum foret, rursum illa huc transcribere.*

et discutiuntur Acta;

10 *Accipe tamen parvum aliquod specimen, ut cetera prætercam, e quo rei totius valorem æstimare possis :* Ingressæ autem ad *Christophorum*, viderunt faciem ejus tamquam flammam ignis ; et ceciderunt in facies suas ab hora tertia usque ad horam sextam..... Et interrogabat eas, dicens : Quod est artificium vestrum ? Et responderunt : Ora pro nobis, famule Dei, ut dimittat Dominus peccata nostra. Opera autem nostra maritorum * est ; et quod accipiebamus de corpore nostro, pauperibus erogabamus, nudos vestiebamus, captivos redimebamus, esurientes satiabamus. *Quæ quisnam satis cum patientia nedum cum fide legat in dicto mox Ms.? Cui in substantia consonant, quamquam verbis aliquantulum discrepent ea, quæ passio S. Christophori apud Mombritium obtrudit de hoc argumento, ut alia exemplaria non commemorem; de quibus erit sermo opportunitate* E *Actorum ejusdem Sancti nobis die crastino afferenda ; et tunc de illis ratio habebitur cujusnam sint circa istum Sanctum ac proin nostras etiam hasce Sanctas characteris. Interea temporis observa, multo breviora ac tolerabiliora de iis tradi in Passione S. Christophori apud Surium, et in compendio, quod indidem contraxit Franciscus Haræus.*

* meretricum

uti et varia alia,

11 *Atque hæc quidem sunt, quæ de hodiernis hisce Martyribus colligere nobis licuit : finem iis imponemus, postquam paucul̃as observationes subjunxerimus ad pleniorem intelligentiam eorum, quæ toto superiore decursu exposita sunt.* I. *Non mirum imprimis, eas coli apud Græcos* IX *Maii : nam apud eos tunc colitur S. Christophorus. Quod a Martyrologis Latinis hæ memorentur hoc die* XXIV *hujus currentis mensis; ille vero* XXV *ejusdem, mirum magis, nec causam diversitatis assignare promptum.* II. *Singularia sunt Mss. Divionensia in supplicio Martyribus, punctura subularum inflicto : alibi alia, ut vidimus, non tamen ubique eadem recensentur.* III. Niceta, *quam quasi a* νικάω victricem *dicas, voce quidem dissonat a* Callinica, *quæ alibi scribi-* F *tur; sed rei significatione fere consensit : quam* egregiam victricem *recte interpretari possis. Prima nominis efformatio adhibetur a Latinis, secunda a Græcis : utra sit antiqua magis ac genuina, non facile quis dixerit. De* Aquilinæ *notione inferius. Interim de mulieribus hic agi, certum est ; recteque observavit Rosweydus in notis ad S. Pauli eremitæ Vitam pag.* 23, *col.* I, *num.* 23, *Nicetam, cujus istic mentio, ab hæc* Niceta *plane diversam esse.*

ad harum Martyrum notitiam

12 IV. *Vitæ professio non eadem ab omnibus notatur.* Virginum *quippe titulus illis datur ab Adone; quem etiam Rosweydus loco citato tribuit nostræ* Nicetæ, *Adonem haud dubie secutus. Si Actis cum Slavo-Russico, ac præfatione Missalis Mediolanensis credimus, fuerunt meretrices seu peccatrices : alibi ab utroque titulo abstinetur.* V. Sorores *vocat Petrus de Natalibus; quod et indicatur in Actis earum, tacentibus de illa re Hagiologis, quos supra dedimus, Græcis ac Latinis; ac proin valde fit verosimile, quod illud adjunctum illi non legerint in antiquioribus Actis, seu, si mavis, documentis, quæ in annuntianda istarum duarum Martyrum*

AUCTORE J. P.

rum memoriæ sibi præluxere. VI. Non sunt passæ sub Constantio, anno 355, nedum sub Dagno, plane nobis imaginario; at sub Decio, eadem saltem ratione, qua et inferius ille notatur, et qua passionem S. Christophori sub illo imperatore figemus.

spectantia

13 *Videre id pluribus dabitur in Commentario prævio, quem ad ejus Acta prælo jam paratum servamus, et ad quem pro pleniore rerum ad Sanctas nostras martyres spectantium notitia lectorem remittimus.* VII. *Palæstra forte fuerit in Lycia, quam designat annuntiatio Martyrologii Romani, sed a qua Ado, Usuardus ac Wandelbertus determinanda tutius forte abstinent. Dicti tamen Martyrologii exemplo, Lyciam palæstram martyrii nos quoque superius in titulo designavimus : pro qua forte* Samos *aliqua extra Lyciam adoptari possit juxta ea, quæ in dando Commentario disputabimus de loco palæstræ S. Christophori; qui de hoc item argumento consuli poterit.* VIII. *Castellanus innotula marginali ad textum suum Gallicum Martyrologii Romani asserit, Sanctas hasce* incognitas *fuisse* ante Wandelbertum; *sed an vere, et non nimis crude et confuse id asserit?* B *Dicamus itaque, incognitas fuisse ante seculum nonum, eo saltem sensu, quod non sciatur Martyrologus Latinus ante Bedam seu Florum, Adonem, Usuardum ac Wandelbertum superius citatos, qui earum memoriam consignarit : quamquam dubium nobis non sit, quin alibi cognitæ fuerint in iis saltem Fastis seu documentis, e quibus ipsi suas annuntiationes desumpsere, et quæ a Græcis, ut probabilissime putamus, fontibus ad Latinos hagiologos derivata sint.*

proferuntur

14 *Nam præter ea, quæ de palæstra martyrii præmisimus, huic nostræ opinioni favet etymologia nominum Græca. De* Niceta *seu* Nicea, *uti et de* Callinica *jam id ostendimus. Nomen* Aquilina *quamquam prima fronte radicem Latinam præferat, apud Græcos tamen etiam usitatum fuisse, tametsi ab his modicissimo cum discrimine* Ἀκυλίνα *scribatur, liquet ex die* VII *Aprilis, pag.* 662 *et pag.* 663. *Notatu dignissimum est, quod occasione Aquilinæ junioris, de qua ibi agitur, ponatur hujus nostræ* Aquilinæ *elogium ex duplici Ms. codice Menæorum, Taurini in bibliotheca Ducis Sabaudiæ, ubi ista reperta ac descripta fuisse a nobis, ibidem dicuntur :* Et certamen sancti martyris Rufini diaconi, et sanctæ martyris AQUILINÆ, et Sanctorum ducentorum, qui cum illa martyrium compleverunt. Hi ab impio imperatore Decio ad sanctum Christi martyrem Christophorum comprehendendum fuerant missi : sed visis miraculis, quæ Sanctus hic patrabat, crediderunt in Christum, et coram tyranno divinitatem hujus confessi, mandato ejus capite plexi sunt. *Quanta hic brevitas et simplicitas! ut mirum non sit, hæc aut similia vel eorum saltem fontes a Græcis ad Latinos dimanasse. Ceterum de* Niceta *aut* Callinica *hic nihil.* D

atque examinantur.

15 *Aquilina rursum (ne quis illud nomen opinioni nostræ officere existimet) apud Græcos celebratissima, data fuit a nobis die* XIII *Junii a pag.* 672. Aquila *item, nomen proprium virile (Græce* Ἀκύλας*) notatur* XXI *Januarii, pag.* 349; XX *Martii, pag.* 84; *et* VIII *Julii, pag.* 534. *Apud Suidam vero ad nomen* Ἀκύλας *ponitur* Aquila *duplex: et unus quidem philosophus; alter autem grammaticus et musicus. Sive vero illud nomen originem trahat a voce* ἄκυλος, *quæ significat glandem ilicis, sive ab* ἀκυλέης *pro* ἀετὸς, aquila, *sive aliunde; non est, quod illud nomen obstet, quo minus duæ istæ Martyres a Græcis primo cognitæ ac signatæ, ad Latinos deinde hagiologos transierint; atque adeo antea sacris Fastis saltem Græcis inscriptæ, quam a Wandelberto, aut aliis ejusdem ævi Martyrologis cognitæ fuerint.* E

DE SANCTIS MARTYRIBUS LEONTINIS IN SICILIA

CLEONICO ET STRATONICO

J. B. S. C

Ex Actis SS. Alphii, Philadelphi et Cyrini x Maii. F

FORTE SUB VALERIANO.

Ex prædictis Actis accepti sunt,

Ea Acta dum cito, una me dicere memineris quidquid, ad horum Sanctorum ætatem, gesta et martyrium pertinet, cum istic examinata illustrataque pridem omnia sint quæ de SS. Cleonico et Stratonico *referri hic possent. Neque vero noster Octavius Cajetanus tom.* I, *pag.* 75 *alia producit quam quæ ex prædictis Actis accepta sunt, ut plane supervacaneum censeam, bis eadem in eodem Opere repetere. Satis igitur sit sola capita indicare ex quibus ea desumenda sint, nimirum partis primæ cap.* 9, *num.* 59 *et* 60, *pag.* 526; *tum vero partis tertiæ cap.* 2, *num.* 78, *pag.* 532 *: de quibus omnibus quid sentiendum statuendumque sit, habes ibidem in Commentario prævio fusius expositum. De ipsorum cultu dubitandum non video, cum eos tam fidenter ut sanctos Martyres memoret Cajetanus, tum in majori opere, tum in Martyrologio Siculo, ubi ita scribit:* Leontinis, natale sanctorum martyrum Cleonici et Stratonici, persecutione Decii et Valeriani. *Et vero Ferrarius eosdem etiam annuntiat, elogium de suo adjungens, quo eadem historia continetur : illud descripsisse, erit totam Actorum medullam abunde proposuisse. En ipsa ejus verba :*

unde Ferrarii elogium.

2 Cleonicus et Stratonicus cives Leontini Tertulli præsidis crudelitatem declinantes, in prædio S. Teclæ una cum B. Thallelao; qui morte præventus obdormivit, et aliis habitabant latentes. Qui divinitus excitati, omnique timore deposito, cum in urbem redeuntes, apud prætorium idolorum cultores publice arguerent, a Tertulli militibus præsidi sistuntur. Quibus ille : Quis vos tam impudenter ingredi, nosque, deos nostros contemnentes lacessere impulit? Immo illi : Quis te Deum, qui te creavit, contemnere, et servos illius persequi docuit? Quibus præses ad iracundiam concitatus, primum earum dentes lapidibus contundi, deinde illos a quatuor tortoribus nervis bovinis dirissime cædi jubet. Sancti vero Martyres ita orabant : Demitte, Domine, peccata nostra

A nostra, nosque SS. Martyribus dira supplicia perpessis, adnumera. Denique dum carnifices, jubente Tertullo, linguas Martyribus uncinis ferreis crudelissime evellerent, illi sanguine copiosissime profluente, in eo supplicio animas Deo reddiderunt IX Kalendas Augusti. Quorum corpora in puteum projecta S. Neophytus episcopus, cum ex urbe Romæ rediisset, Deo revelante, invenit, et in templo Sanctorum trium fratrum honorifice sepelivit.

EX FERRARIO.

DE S. CHRISTINA VIRG. ET MARTYRE

TYRI APUD LACUM VULSINIUM, UT VOLUNT, IN TUSCIA.

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

PARS I.

§ I. Cultus ex Fastis Græcis ac Latinis; elogia; tempus martyrii.

B

DIE XXIV JULII.

Datur ratio, cur hic Commentarius bifariam sit divisus.

Commentarium hunc in duas præter morem partes dispescimus : nam aliquot ejusdem paragraphis jam ad prælum paratis, delatus ad nos liber, de quo dicetur suo loco, recentissime in Italia excusus, suppeditavit novam nobis materiem, eamque diffusiorem, quam ut commode prioribus istis paragraphis interseri vel attexi posset. Visum itaque est, ordinem eorum, quæ jam ex hoc Commentario confecta erant, non interturbare; at superaddere notitias, quæ nuperrime ad nos pervenerunt. Hæ partem secundam, illa vero partem primam absolvent, utraque, res ad Sanctam pertinentes illustratura quasi mutua atque alterna opera; eritque pars secunda continuatio primæ. De quo hic præmonere lectorem, putavimus esse opportunum. Nunc vero ad ipsum Commentarium progrediamur.

Fasti Græci tam typis editi,

2 *Quo minus eum, uti fieri assolet, incipiamus a notitia loci suprascripti topographica, in causa est, quod cum paucis ea absolvi non possit, videatur futurus infra opportunior ad hoc locus, ubi præmiserimus ea, quæ ad hujus Sanctæ cultum et elogia pertinent.* C *Celeberrima hoc die ipsius memoria agitur in Fastis Græcis tam manuscriptis quam typo editis. Ex editis eam memorant : Typicum S. Sabæ, Menæa magna Græcorum cum Maximo Cytherco, Kalendarium Syriacum seu Chaldaicum, Romæ excusum anno* 1624, *Græcum apud Genebrardum, Horologium anni* 1601, *Synaxarium Basilianum, Menologium ex interpretatione Sirleti a Canisio vulgatum, Ephemerides Græco-Moschæ ante tomum primum Maii; Horologium anni* 1607 *cum titulo* megalomartyris, *quem etiam ei tribuunt laudata Menæa magna; quæ canone seu cantico sacro, de quo dicetur infra, illam prosequuntur, totumque hujus diei Officium ipsi soli impendunt, subnexis annuntiationi ejus secundæ tribus versiculis, qui Latine sic sonant :*

Τὴν Χριστίναν ἥνωσε Χριστῷ νυμφίῳ
Νύμφην ἄμωμον αἷμα τοῦ μαρτυρίου.
Πέλτοις Χριστίνα εἴκαδι ἠδὲ τετάρτῃ βλήθη.
Sponsam alligavit, Christe, Christinam tibi
Intaminatam, quem fudit pro te, cruor.
Bis dena pelta et quarta Christinam ferit.

quam Mss. hanc Sanctam signant;

3 *Ex Fastis Mss. illam referunt : Supplementum Sirmondo-Chiffletianum, Menæa vel Synaxaria Mazariniana, Mediolanense bibliothecæ Ambrosianæ; Menologium item Slavo-Russicum, Martyrologium Arabico-Ægyptium, a Gratia Simonio Maronita Latine redditum : unde liquet, eam, magni apud Græcos ac vulgatissimi nominis Martyrem fuisse.* E *Nec sane minoris fuit apud Latinos, vetustissimis quibusque ac classicis Martyrologiis inscripta, sicut ex eorum annuntiationibus planum fiet.*

uti et antiquissima Martyrologia Latina

4 *Apographa Hieronymiana habent ista :* In Tyro civitate, natalis S. Christinæ virginis. *Romanum parvum :* Circa lacum Vulsinium in Italia, Christinæ virginis. *Beda a Floro auctus :* Natale Christinæ virginis. *Ado :* Apud Italiam in Tyro, quæ est circa lacum Vulsinium, natale S. Christinæ virginis, *addens elogium ex Actis contractum, de quo mox ; unde Usnardus decerpsit ista :* In Italia, civitate Tyro, S. Christinæ virginis, quæ in Christum credens, primo sub duobus judicibus tormenta constanter perferens, novissime per successorem eorum, abscissione linguæ et sagittarum confixione, cursum martyrii sui complevit. *Rabanus annuntiationi Bedæ, quem auxit, aliunde præfixit* Tyro civitate. *Wandelbertus solum Martyris nostræ nomen proferens, eam cum duabus aliis, de quibus supra, conjungit :*

Mox nonam Christina, Aquila et Niceta sacrarunt.

F

cum Romano moderno; ubi Sanctæ elogium.

5 *Atque hæc de Fastis Latinis et Græcis, quibus superaddo Martyrologium Romanum, quod sic habet :* Tyri in Tuscia apud lacum Vulsinium, S. Christinæ virginis et martyris, quæ in Christum credens, cum patris idola aurea et argentea comminuisset, ac pauperibus erogasset, ejus jussu verberibus dilaniata, aliisque suppliciis dirissime cruciata, et cum magno saxi pondere in lacum projecta, sed ab angelo liberata : deinde sub alio judice, patris sui successore, acerbiora tormenta constanter perferens, novissime a Juliano præside post fornacem ardentem, ubi quinque diebus illæsa permansit, post serpentes Christi virtute superatos, abscissione linguæ, et sagittarum infixione, martyrii sui cursum complevit. *Nunc ab hoc ad alia elogia progrediamur.*

Alia Sanctæ elogia Græca

6 *Synaxarium sub nomine Basilii imperatoris a nobis citari solitum, Sanctam prosequitur elogio sequenti, quod ex Græco sic reddo :* Christina, Christi martyr, exstitit ex civitate Tyro. Dum vero patrem (πατέρα *non* παρόντα, *quod mendose excusum*

AUCTORE J. P.

sum fuit) exercitus ducem haberet, in altam ab ipso deducta est turrim, ut a nemine videretur : qui etiam deos suos illuc deferens, in mandatis ei dedit, ut eisdem sacrificaret, et genua flecteret. Sed illa imbecillitatem eorum animadvertens, neutiquam eo adduci potuit : quin imo cœli pulcritudinem per fenestram conspicata, et ex rebus creatis intelligens Creatorem, idola contrivit, et humi dejecit. Postquam vero esset deprehensa atque educta ex turri, omnigenis cruciatibus a suo patre afficitur. In carcerem conclusa, ab angelo pascebatur; et in mare projecta, aquas in baptismum accepit. Cumque e mari egressa esset, rursum carceri includitur. Post mortem patris sui præfecto Dioni ad examen oblata, ac vehementer cæsa, patravit miracula, multosque ad Christi fidem perduxit. Et abscissis mammillis; ad cor spiculis transverberata, martyrium consummavit.

proferuntur

7 *Quamvis vadem me ponere non ausim, omnia et singula, quæ in producto elogio continentur, ita vera et sincera esse, ut omni prorsus adornatione dramatica, Græcis adeo familiari, careant; præplacent tamen præ iis, quæ Mænea magna memorant in suo elogio, quod scenam magis spirat; quamquam in multis quoad substantiam, cum eodem Basiliano conveniat. Differt penes ista, quod patrem Sanctæ* Urbanum *vocet; quod projecta in mare,* a Domino divinum baptisma accipiat; *quod* tria millia virorum *converterit ad fidem; quod tres ibidem inveniantur præfecti vel judices, nempe* Urbanus, *Sanctæ pater; post hunc e vita sublatum* Dion, *et post Dionem quidam* Julianus, *sub quibus Martyr nostra passa fuerit; et sub hoc quidem ultimo* caminum ignis et venenosos serpentes. *Additur* ex abscissis mammillis lac pro sanguine fluxisse : *quod tamen postremum ipsemet elogii auctor vel compilator suspectæ fidei habuisse videtur, addendo,* φασί, dicunt; *quasi tacite significans, a se illud referri ex aliorum fide.*

et expenduntur.

8 *Palmam præ duobus istis elogiis longe refert illud, quod habetur apud Canisium, quia ab ornatu magis recedit. Accipe ejus textum :* S. martyris Christinæ, quæ fuit ex urbe Tyro. Urbani cujusdam ducis exercitus filia, quæ propter Christianæ fidei confessionem, eum patris idola confregisset, et pauperibus distribuisset aurum et argentum, ex quibus idola ipsa confecta erant, variis suppliciis a patre subjicitur, postremo a Juliano quodam præside venenatis serpentibus tradita est, abscissis mammis et lingua : quæ omnia forti et constanti animo perpessa, Deo spiritum commendavit. *Vides hic majorem simplicitatem. Verum quæ elogia spectant, lucem accipient ex observationibus nostris in* S. Christinæ *Acta, e quibus elogia ista deprompta fuerunt. Quæ etiam usui esse poterunt in elogiis Latinis; de quibus ista subjicio.*

In suo elogio multa satis liberaliter adoptavit Ado; non Rabanus et Notkerus.

9 *Ado suum quoque haud dubie desumpserit ex Actis, in quo cruciatus Sanctæ a patre inflictos singulatim, sed breviter, determinat; quæ, crudelissima tolerata corporis laniena,* de carnibus suis, patris in faciem projecit. *Adde* rotam, ignes, et fusum desuper oleum; *cumque* torreretur, erumpentem flammam, *quæ* mille gentilium interfecit; *visitationem angeli in carcere, etc. Mare autem, in quod* cum magno saxi pondere *Sanctam* jactatam *fuisse scribit; et* angelico præsidio liberatam; lacum Vulsinum *interpretatur. Narrat præterea, sub Dione* simulacrum Apollinis, quod adorare jubebatur, in favillam *precibus ejus* subito redactum, *eoque* miraculo tria millia hominum ad fidem Christi conversa. *Sub Juliano habet* fornacem candentem, ubi quinque diebus illæsa permansit; *qui* post serpentes a venefico immissos, sed Christi fide superatos, post abscissionem linguæ, sagittis eam configi præcepit; *in quibus partim convenit, partim discrepat a superioribus elogiis, suum concludens his verbis :* Sicque martyrii cursum consummavit anno ætatis suæ undecimo. *Ubi multa Ado adoptavit satis liberaliter, quæ prudenter prætermisit Rabanus, parvo elogio usus, cum tamen nullus dubitem, quin Acta Sanctæ tam ipsi quam Adoni præluxerint. Cautissime hic se gessit Notkerus, Sanctam notans* In Italia civitate Tyro... juxta quosdam, *sed omni elogio abstinens. Hæc de elogiis plus satis.*

10 *Tempus martyrii nuspiam clare in Actis nostris determinatur. In illis, quæ leguntur apud Petrum de Natalibus lib.* 6, *cap.* 130, *apponitur annus* 287; *apud Mombritium notatur passa sub* imperatore Adriano. *Nullos porro præ se tulisse temporis characterismos Acta, quæ Græcis, ac Latinis præluxerunt in concinnandis suis elogiis, persuasissimum habeo ex eo, quod nullos exprimant, non magis quam Latini Martyrologi classici ac Baronius in notis; qui si in binis Actis, de quibus ibi agit, aut alibi indicia aliqua chronologica martyrii legisset, haud dubie verbulo id indicasset, prout alias sæpius id facere consuevit, vel ibi, vel in textu Martyrologii Romani. Interim Florarium nostrum, circa medium seculi* 15 *manu exaratum, nescio unde ista descripserit :* Cursum sui martyrii complevit anno salutis CCCII sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus, ætatis suæ anno XII; persecutionis vero nonæ anno vigesimo sexto.

Tempus Martyrii

11 *Designatur hic persecutio Aureliani (de qua Pagius videri potest ad annum* 275) *quæ cum brevissimo tempore duraverit, intellige hic annum* 26 *post inchoatam sed non continuatam persecutionem Aureliani; sicque anno circiter* 275 *adjectis annis* 26, *pervenies ad annum circiter Christi* 301, *aut* 302. *Ab hoc anno plurimum recedit Menologium Slavo-Russicum, quod* S. Christinam *vixisse scribit anno* 200, *ac sub Severo passam. Maurolycus, Felicius, ac Ferrarius temporibus Diocletiani eam accommodant, quorum penultimus mortem illius alligat anno* 287. *Galesinius dicit, alios sub Diocletiano, alios sub Adriano martyrium ponere. Quid est palpare in tenebris, si hoc non est? At demus ipsis hanc veniam in tanta antiquitatis obscuritate. Nobis certe ob eamdem causam adeo felicibus esse non licet, ut certi aliquid de isto martyrii tempore determinemus; quidquid Pennatius infra* § 11 *illud anno* 290 *illigare conetur.*

incertum.

§ II. Palæstra martyrii; Sancta hæc cum alia confusa; neque ab aliquibus satis distincta.

De Tyro in Italia, quæ fuerit Sanctæ palæstra martyrii.

Quæritur hic, quænam sit ista Tyrus in Italia apud lacum Vulsinium, vulgo dictum il lago de Bolsena; *de quo inter alios varia collegit Philippus Cluverius tomo* I, *lib.* 2, *a pag.* 559. *Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum de*

AUCTORE J. P.

A *de hac re ita disserit :* Ponitur hæc *(Christina)* passa Tyri apud lacum Vulsinium, qui ab eadem civitate nomen accipiens, dictus est lacus Tyrensis. Sic enim appellatus reperitur in edicto Desiderii regis Longobardorum *(de quo laudatus auctor ad annum* 756, *et pluribus aliis locis :)* Tyri enim S. Christinam passam esse, cum vetera illorum locorum monumenta, et firma certaque a Majoribus accepta traditio, tum etiam veteres manuscripti codices confirmant. Porro Tyrus civitas illic olim posita a lacus excrescentia absumpta est, ut Vulsinienses oppidani, olim illi urbi vicini testautur.

proponuntur

13 *Eumdem locum adoptat Maurolycus ; ubi et Sanctæ natales ponit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ. Officium* S. Christinæ *Neapoli excusum anno* 1591, *lectione quarta :* Christina, *inquit,* nobilibus parentibus orta, de civitate Tyro provinciæ Romanæ, sita prope Viterbium. *Et in lectionibus aliis item typo editis, non addito loco impressionis, dicitur* de Thiro. *Ortelius decreto eodem Desiderii nixus* Tyrensem *vocari dicit a* B *Tirena ibidem urbe. Ferrarius in Lexico geographico* Tyrum *accipit* pro Bisentina insula intra lacum Volsinium, in quo Sanctam passam *refert. Sed nullam antiquitatem affert, citans solum Martyrologium Romanum. Cluverius loco allegato tradit ista :* Cum S. Christinæ corpus hodie Volsinienses apud se venerentur *(in quo multum fallitur)* nec usquam alibi Tyrus urbs monstrari possit; facile ego suspicer, ipsos Volsinios aliquando sic appellatos fuisse. *Baudrand de hac Tyro dicit, ubi fuerit* non constare.

variæ

14 *Castellanus in tabula topographica ad suum Martyrologium universale pag.* 1062 *notat* Tur *in Tuscia eversum. Sed debile est argumentum, quod a recentioribus petitur, quando non proferunt antiquum aliquod monumentum; qui non raro aliena transcribentes, eunt non qua eundum est, sed qua itur. At nihil fortius urget hujus urbis situm vel in Italia, vel ad lacum Vulsinium, quam verba Romani parvi et Adonis, superius relata ; e quibus formatur argumentum, Tyrum hanc seculo octavo et nono tamquam veram et realem a scriptoribus si non cognitam, saltem designatam fuisse. Atque hæc qui-* C *dem pro Tyri existentia ac situ. At contra faciunt ista :*

in utramque partem,

15 *Antiquissima apographa Hieronymiana, cujus primus Martyrologii auctor saltem ad seculum sextum spectat, tantum scribunt* in Tyro civitate, *ut supra vidimus, præscindendo ab ejus situ. Beda autem noster nullum locum posuit, sive nullum invenerit, sive inventum non probarit. Porro Romanum parvum non nomen* Tyri *habet, sed* circa lacum Vulsinium in Italia : *ut mirum sit, Adonem, qui Romanum parvum constanter sequi solet, hic a suo ductore recessisse, apponendo* apud Italiam in Tyro, quæ est circa, *etc. Sed plane judico, ipsum ex Sanctæ Actis* Tyrum *accepisse, iisque quæ invenerat in laudato Romano apposuisse, et sic in unam annuntiationem ea, quæ in duplici legerat, conjunxisse. Neque mihi videtur totam suam annuntiationem ex Actis decerpsisse : nam exemplaria bene multa, de quibus nos postea,* Tyrum *quidem ponunt, sed sine characterismo, qui situm istius loci indicet. Idem fit in Menæis magnis Græcorum, Maximo Cytherorum episcopo, Synaxario Basiliano, ac Menologio apud Canisium. Atque ex his Tyrus ista Tusciæ non parum infirmatur. Usuardus, Adonis sectator, ex parte tantum ejus topographicam annuntiationem mutuatus, habet* in Italia civitate Tyro.

et excutiuntur ;

16 *Edictum vero Desiderii supra a Baronio citatum, quodque in notationibus ad diem* IX *hujus affirmat, Aldum Manutium ex tabulis Viterbiensibus descripsisse ; edictum, inquam, illud falsum atque commentitium esse demonstrat Cluverius a pag.* 563, *cujus initium recitat ; ex situ urbium male cohærente suspicans, illud esse figmentum Joannis Annii, eruditis notissimi, de quo agitur in Bibliotheca scriptorum Ordinis Prædicatorum, anno* 1721 *Lutetiæ Parisiorum edita, tomo* 2, *pag.* 4 *et sequentibus ; ubi producitur elenchus virorum eruditorum, tam eorum qui contra, quam qui pro ipso scripserunt ; auctorque Operis accusationem quæ Joanni Annio imputatur, de saxeis æneisve ab ipso fictis cælatisque prout, libitum erat, monumentis, terræque furtim conditis, indeque postea magna ostentatione erutis, prolatisque seu vetustissimis, traducere conatur tamquam fabellam. Certe postquam Cluverius acriter hunc Joannem Annium depexuisset, sic concludit ad rem nostram :* Quapropter amplissimum incly- E tæ hujus urbis *(Viterbiensis scilicet)* populum fidus monuerim, ne fidem istiusmodi inscriptionibus, quibus hactenus plurimum gaudent, temero habeant.

sed omnibus perpensis,

17 *Florentinius pag.* 680 *edictum quoque illud rejicit, tamquam* purum Amnii *(Annii)* figmentum. *Quæ addit ex Usuardo et Notkero, locum hic controversum non evincunt; multoque minus rem conficit, dum Tyrum profert ex Menologio Græco : etenim ex eo quod illud tradat, Sanctam natam fuise* ex urbe Tyro, *non sequitur Tyrum hic indicari Italam aut Tuscam. Ad* vetera monumenta, *quæ vocabat Baronius supra, respondeo, sciri non posse, cujus ea ætatis, fidei, et auctoritatis sint ; cum ea non proferat.* Firma *vero* certaque a majoribus traditio *vereor ne inter populares censenda sit, quamdiu solidis documentis non probatur. Ad* veteres manuscriptos codices, *repono proferenda fuisse verba, ætatem et alia adjuncta, ut aliquid ex iis solide confici posset. Illustrissimus Franciscus Maria de Aste, archiepiscopus Hydruntinus, in Disceptationibus ad Martyrologium Romanum, hanc Tyrum non reperit ; tandem, ut salvet Marty-* F *rologii istius annuntiationem, eo confugere compulsus, ut proferendum censeat* Tyri vel apud lacum Vulsinium *disjunctive, satis insinuans, utrumque locum copulari non posse.*

longe probabilius censemus eam numquam exstitisse

18 *Interim quamdiu solidioribus argumentis non probatur existentia Tyri in Tuscia circa lacum Vulsinium, putamus longe probabilius, numquam eam ibidem exstitisse (argumenta Pennatii in contrarium expendentur* § 10) *non magis quam Interamnam Tyriam in Italia, de qua actum in Tractatu præliminari ad tomum primum Julii pag.* 7, *num.* 31. *Potuit tamen* S. Christinæ *corpus ex alia Tyro in Oriente, seculo fortasse quarto aut proxime sequentibus eo delatum fuisse, et sic in Hieronymianis* in Tyro civitate, *in Romano autem parvo* circa lacum Vulsinum in Italia *annuntiari, confuso forte ab Adone, ut diximus, et in unum conflato utroque isto loco. Translationes sane hujusmodi plures ex Oriente in Italiam factas esse, notius est, quam ut probari debeat. Quærenda itaque in illa hypothesi esset Tyrus extra Italiam in Oriente,*

AUCTORE J. P.

riente, si vere martyrio perfuncta fuerit Tyri, ut volunt Græca elogia et Acta Sanctæ Latina cum apographis Hieronymianis ; per quam non tam assevero (cum id satis solide probare non possim) quam suppono, intelligi posse Tyrum in Phœnicia.

in rerum natura,

19 *Meminit quidem Eusebius de Martyribus Palæstinæ cap.* 7, Urbani, *præsidis Palæstinæ, sub quo Cæsareæ fuerit passa Theodosia virgo ex urbe Tyro oriunda; et sub quo etiam passus fuerit in urbe Tyro Ulpianus. Sed Urbanus iste differt ab Urbano, quem Acta referunt exstitisse Sanctæ patrem ac judicem, et in palatio officium gessisse magistri militum ; mors utriusque differt ; differunt utriusque successores : qui, si Actis in eo credimus, fuerunt huic nostro Dion et Julianus ; at de suo Eusebius cap.* 8 *affirmat* Firmilianum præsidem Urbano successisse.

Sanctamque in Oriente passam, inde in Italiam transvectam fuisse.

20 *Quid? quod illustrissimæ martyris* Christinæ *nomen nusquam in Eusebio invenire potuerim ; quam puto non omissurum fuisse, si sub isto Urbano martyrium subiisset. Atque hinc argui etiam potest contra tempus martyrii et palæstram Tyrum; eo potissimum, quod Ecclesiasticæ historiæ lib.* 8, *cap.* 7 *agat de iis, qui in Tyro urbe Phœnices passi sunt; et quod cap.* 13 *habeat Tyrannianem, in Phœnice Tyriorum ecclesiæ episcopum. Argumentum tamen illud non adeo concludit, quin opponi possit, ita recensitos esse ab Eusebio illustrioris notæ Martyres, ut facile aliquot omiserit. Fateor interim longe mihi videri verosimillimum,* S. Christinam *in Oriente passam esse : quod puto abunde confici tum ex solennissimo Officio, quo, ut supra dicebam, honoratur in Menæis excusis, tum ex adeo multiplici et constante Græcorum Fastorum in ea annuntianda consensu, præsertim cum Græci Sanctos pure Latinos raro vel numquam suis tabulis inserere soleant ; atque adeo hic præter morem id fecisse, modo præsertim adeo singulari ac solenni, neutiquam præsumi debeant.*

S. Christina cum S. Crispina confusa ; nec satis alicubi distincta.

21 *Molanus cum alia confudit Sanctam nostram, quando notavit, de ea meminisse S. Augustinum in psalm.* 120. *Eodem errore lapsus Galesinius. Baronius in notationibus:* Putarunt, *inquit,* aliqui de hac agere S. Augustinum in psalm. 120. Fefellit fortassis eos mendosus codex : non enim de Christina, sed de Crispina agit, perillustri martyre in Africa ; *de qua plures ejusdem locos citat idem Baronius ad* v *Decembris. In Prætermissis ad diem* x *Maii monuimus* S. Christinam virginem et martyrem *isto die* ob ejus sacras reliquias, Panormum delatas, celebrari a Bellino, Molano et aliis; *inter quos Galesinius, qui eamdem esse illam censet cum ea,* cujus nobile martyrium iv *(vult dicere* vi) Idus Maii expositum est. *Maurolycus videtur utramque distinguere ; non Baronius, traditionem de identitate secutus. Octavius Cajetanus, editor Panormitanæ istius translationis, tomo* 2 *de Vitis Sanctorum Siculorum, Sanctam eamdem esse affirmat. Ferrarius minus affirmate loquitur, sic ad Acta ex Adone notans :* Eadem de Christina virgine Panormitana narrantur : ex quo vel hæc eadem est cum illa; vel Acta unius alteri attributa sunt. *Atque hæc conducent ad ulteriorem notitiam Sanctæ, unius an plurium, de qua re paragrapho proximo.*

§ III. Translationes variæ, unius, ut volunt, S. Christinæ nostræ ad diversa loca.

Sancta dicitur,

Duas *diversas translationes indicat Ferrarius pag.* 455 *his verbis :* Corpus S. Christinæ secundum alios Venetias delatum ; secundum alios Panormum : *neutram alii videntur admittere, dum, sicut addit,* asserunt permansisse in Thuscia. *Noster Octavius Cajetanus loco citato a pag.* 145 *habet translationem ex Vulsiniis ad castrum Sepinum, topographice paulo post a nobis describendum, ex Sepinensis ecclesiæ Actis, in lectiones divinorum Officiorum olim digestis. Rem gestam sic exponit :* Narrant vero *(S. Christinam)* ad Volsinium lacum olim sepultam, ibi celeberrime cultam fuisse eo præsertim prodigio, quod singulis annis in anniversaria mortis die, ejusdem Virginis caput ter, ad horam nonam, tertiam, et vespertinam in eo lacu, in quem vivens a tyrannis demersa olim fuerat, per dimidium fere horæ, spectante hominum multitudine illuc accurrente, enatare videretur. Cum autem duo e Gallia ad sacra loca Hierosolymitana peregrinari decrevissent, in Italiam devenere ; ibi vero celebriores Sanctorum reliquiis urbes ac templa venerabundi lustrabant.

ex Vulsiniis

23 Quare ad Tyriam urbem Volsinio lacui proximam delati, animadverso parum caute ibi S. Christinæ virginis corpus custodiri; de eo surripiendo, et clam in alium locum, ubi honorificentius coleretur, transferendo cogitarunt. Imo eam sibi mentem divinitus injectam credidere : neque enim rem aggressi sunt, nisi præmissis ad Deum et virginem Christinam precibus, quorum honori amplificando et internis jussis inservire voluerunt. Processit facinus, nemine prohibente. Reliquias ergo in culeum ex humero dependentem apte repositas læti tacitique deferunt, et urbe abscedunt ad mare Adriaticum, ut navi solverent Hierosolymam. Cum nullius vero navigii opportunitas se daret, per Apuliam vagabantur : ibant, redibantque Sæpinum; illuc sæpe divino consilio reducti, unde discesserant.

in castrum Sepinum delata,

24 Interim regente Numine eorum linguas, manare cœpit fama sacræ sarcinæ, et Sæpinensem populum illico pervasit. Quare illius concursu mox factum est, ut inter pia vota agnoscerentur S. Christinæ reliquiæ... Mox ad venerationem in pompa ad S. Salvatoris deferuntur a clericis et magistratu ; sed cunctari tunc visæ, et immotæ nulla vi deportari poterant. Hic populus flere, se tanto indignum munere, et Virginem nihilo minus ne Sæpino abire vellet, deprecari. Nuncupato tandem omnium voto de celebrandis festis diebus inventionis, translationis, et passionis ad cultum S. Christinæ, illatum est ejus corpus in sacram ædem. *Ita ille.*

cum mirabilibus, at non mox credentibus adjunctis;

25 *Prodigiosa ista capitis enatatio a nobis probari non potest, donec idoneis documentis ostendatur : hanc* narrant, *inquit Cajetanus ; sed an satis vere ac solide eam narrent, non ausim asserere. Vulsiniensibus incumbit hoc factum stabilire ex antiquis ac fide dignis documentis : nam omnibus, quæ in hujuscemodi lectionibus referuntur, non statim credere,*

AUCTORE J. P.

A *credere, jam pridem nos docuit longa et crebra experientia. De* Tyro, urbe Volsinio lacui proxima, *jam satis disseruimus. Sunt et alia in tota hac narratione, quæ veremur, ut absque aliis certioribus testimoniis mox ab omnibus admittantur. Ego certe id unice desidero, ut tota etiam narratio translationis prædictæ ita ab ipsis, quorum interest, stabiliatur, ut plenam fidem facere possit. De voto Sepinensium inferius alia occasione recurret sermo. Atque hæc de prima corporis translatione.*

unde Panormum migraverit.

26 *Laudatus Cajetanus ibidem pag.* 145 *secundam translationem narrat, qua idem corpus Panormum in Sicilia transvectum sit sub Guilielmo I Siciliæ rege, et Panormitanæ ecclesiæ antistite Hugone, anno circiter* 1160, *rei eventum ita memorans ex lectionibus olim decantatis inter divina Officia apud ecclesiam prædictam :* Cum olim Panormi Hugo Molisinus comes, Regerii * Siciliæ regis gener, idemque Sæpini dominus cum aliis e prima nobilitate viris de sacrorum corporum reliquiis dissereret... se suumque Sæpinum merito felicissimum esse exclamavit comes, *ob sacra lipsana* B *sub nomine Martyris nostræ.* Qua arrepta occasione Hugo Panormitanus archiepiscopus exorat hominem.... ut Panormum tanto velit munere ac thesauro locupletare..... satis ad incolumitatem, satis ad splendorem fore Sæpino, si exigua lipsanorum pars ibi resedisset.... Cum tandem precibus et suasionibus archiepiscopi et primorum, qui aderant, annuisset comes, abductæ Sæpino fuere reliquiæ : mox Panormi, quo par erat cultu ac veneratione exceptæ Nonis Maii... Adeo vero gloriosum sibi existimavit Hugo antistes hanc virginis Christinæ translationem, ut suo sepulcro ita inscribi voluerit : HUGO PRÆSUL PRIMUS S. CHRISTINAM EXALTAVIT.

* Rogerii

Quædam observationes in documenta, huc de istis translationibus citata.

27 *Sepinum* (*Ptolomæo lib.* 3, *pag.* 73 *Sæpinum*) *oppidum est Samnii in regno Neapolitano, situm in provincia vel comitatu Molisino ad Tamari fluvii fontes intra Appenninum, et in provincia Terræ laboris. Guilielmum I Siciliæ regem dicit Rocchus Pirrus pag.* 114, *credi anno* 1150 *coronatum fuisse ab Hugone archiepiscopo laudato ; de quo agit pag.* 110. *Porro Panormitanam translationem paucis perstringens idem Pirrus pag.* 118, *adjungit ista :* C Marmoreo ac porphyretico lapide convestitum in delubrum, regio sumptu affabre ornatum, illatæ sunt reliquiæ.

Sunt, qui ejusdem Sanctæ corpus

28 *Duabus hisce translationibus superaddimus tertiam, qua Venetias Sanctæ corpus translatum fuisse nonnulli volunt : inter quos est Petrus de Natalibus, lib.* 6, *cap.* 130 *ita scribens :* Corpus delatum Venetias, in monasterio monialium S. Marci de Amianis episcopatus Torcelli ab incolis loci nunc quiescere perhibetur. *Torcelli apud moniales S. Antonii, quæ sunt Ordinis S. Benedicti, asservari* corpus S. Christinæ virginis et martyris, *tradit Ferdinandus Ughellus tomo* 5 *Italiæ sacræ col.* 1431 ; *per quam intelligi Sanctam martyrem hodiernam, liquet ex inscriptione ibidem col.* 1447; *quæ Sancta ex laudato S. Marci monasterio illuc translata sit anno* 1431. *Galesinius ad hanc diem* XXIV *Julii :* Corpus, *inquit,* Venetias transfertur quæ translationis celebritas hoc ipso die agitur,

Venetias translatum volunt.

29 *Saussayus in Martyrologio Gallicano ad eamdem hanc diem refert istam translationem Venetam, plura peccans, quando addit Sanctæ* palmam quarto *(imo sexto)* Idus Maii, quo die triumphum egit, ab Ecclesia honorari : *nam et alio die triumphum egisse, contra ipsum, qui quantum scimus, solus hic et singularis est, ab omnibus passim notatur, et alio die ab Ecclesia honoratur. Florentinius in notis de ista translatione loquens, censet vel partem corporis dicendam esse, quæ Venetias translata sit ; vel Sanctam, cujus corpus integrum eo translatum sit, a Tyrensi diversam esse. Cajetanus in Animadversionibus vult vel pro* Venetiis *legendum* Volsiniis, *penes antiquiores, uti putat, libros ; unde manaverit error aliorum ; vel rem ita intelligendam, prout eam retulimus ex Florentinio.*

Illud item Bœvrarienses

30 *Quartam translationem nobis suggerit duplex ecgraphum, quorum unum Rosweydi manu transcriptum, ex Ms. Lectionario prioratus Bœvrariensis* (Beuvry, Bevry, Bœuricres) *apud Bethuniam in Artesia, qui est Vedastinorum Atrebatensium monasterii, Ordinis S. Benedicti. De cellis seu præposituris Haspreusi ac Berelausensi, isti monasterio annexis, agit Miræus in Originibus cœnobiorum Benedictinorum in Belgio cap.* 6 *et* 7 ; *de his item duabus, uti et de Gorrensi ac Bœvrariensi Hippolytus Helyot in historia Ordinum monasticorum,* E *religiosorum ac militarium, non ita pridem Gallice edita, tomo* 6, *cap.* 33, *pag.* 262, *quibus ibidem adjungit alias minoris notæ. Porro de dicta translatione meminerunt Saussayus et Arturus a Monasterio.* S. Christinæ virginis et martyris corpus *illic* asservari, *tradit etiam Bucelinus in Sacrario Benedictino. Ceterum quamnam* S. Christinam *Bœvrarienses intelligant, indicat titulus dicto ecgrapho præfixus :* Translatio S. Christinæ virginis et martyris, ex Tyro Italiæ in Bœvrariam Artesiæ. *Rei narratio nullam auctoris notam præferens, et ideo exiguæ fidei, dispescitur in novem parva capita ; in quorum primo, præmissa brevi præfatiuncula, sic loquitur auctor :* Nunc solum explicandum prædecessorum nostrorum, et etiam scriptorum attestationibus proposuimus, qualiter has exteras terras sanctæ reliquiæ corporis ejus subintraverunt. *Si indicasset quales, cujus fidei, temporis aut ætatis hic prædecessores intelligat ; quales item scriptorum attestationes, aliquantum lucis dedisset, ut et de illis, et de tota narratione statui posset pro merito : jam vero dum nihil simile dicit, non video, quid præ oculis fere habuerit, quam Vitæ vulgaris* F *exemplar, quam in compendium contractam refert cap.* 2 *ac* 3. *Nec magis constat, quam hic vocet Majorum traditionem, novamne an antiquam ? quæ crediderit illud corpus, quod eo fuerit translatum, fuisse* S. Christinæ, *celeberrimæ martyris hodiernæ.*

sibi vendicant ;

31 *Capite* 4 *tradit auctor corporis transvectionem ex Italia in Belgium, simillimo fere modo, quo Sanctæ exuvias Sepino Panormum translatas exhibebat supra Cajetanus. Si vero translatio Panormitanorum subsistat, quomodo subsistet Bœvrariensium, qui non partem dumtaxat corporis, sed* totum corpus B. Christinæ, *et ejusdem quidem, ad se avectum volunt, ut habetur ex eodem ipsorum ecgrapho, citato cap.* 4 ? *Unde etiam habemus, die huic Martyri sacra hanc translationis historiam vel in modum homiliæ auditoribus propositam, vel ab iis, qui tenebantur ad Officium ecclesiasticum, recitandam fuisse. Nam dicit auctor :* Non enim nisi ea, quæ ad diem festum hunc pertinere videntur, et ea potius quæ præclaro adstrui possunt testimonio, scribere deliberavimus. *Capite* 5 *narratur transvectio sacri corporis ad parochiam agri Bethuniani,*

AUCTORE J. P.

niani, nomine Ekam; cap. 6 alia exponitur ad monasterium in monte Ekensi; ac denique cap. 7 subnectitur translatio Bœvrariam; capite autem octavo deferuntur reliquiæ in ecclesiam ad Sanctæ honorem constructam, ubi eadem miraculis claruerit. Hic habes rei schema; ejusdem vero contextus dabitur post Acta. In uno e duobus ecgraphis istius translationis notatur alia translatio exstare apud D. Schenckinck; *quæ qualis sit nescio.*

Leander Albertus Vulsinii ipsum coli affirmat; alius alibi.

32 *Jam vero ea, quæ hactenus diximus, quis combinet cum Leandro Alberto, qui in descriptione Italiæ de Tuscia et Vulsiniis agens pag.* 104 *editionis Latinæ ita enuntiat*: Colit urbs corpus D. Christinæ virginis; cujus etiam vestigia pedum ad hanc usque memoriam ostendit lacus, in quem fidei nostræ causa cum præcipitata fuisset, salva tamen evasit. *De hoc miraculo, quod auctor iste, ni fallor, acceperit ex populari et nimium credula traditione, quid sit sentiendum, facile deduces ex dictis de palæstra martyrii. Florarium nostrum Ms. die* IV *Octobris aliam translationem memorat his verbis:* In Africa apud Coloniam Thebestinam, translatio S. Christinæ virginis et martyris, in civitate Tyro passa: cujus meritis Dominus mira ostendere dignatus est miracula. *Habet hic lector bene multas unius, ut volunt, ejusdemque corporis translationes; adeo ut quot civitates de natalibus Homeri inter se contendisse memorantur, totidem pene hic inter se loca contendere possint de translatione ac possessione corporis* S. Christinæ. *Unam unicam, eamque celeberrimam id nominis Virginem et martyrem, sicut superius innuebam, in Oriente passam, et inde in Italiam translatam existimo, ob rationes ibi tum allegatas. An et ubi hodiedum sacræ ejusdem exuviæ quiescant, sicut defectu documentorum non possum definire, ita nihil in promptu habeo satis firmi ac solidi, quo veram vel creditam singulorum possessionem manifeste evertam. Litem itaque ipsi suam inter se vel dirimant, vel subministrent meliora monumenta, quibus probari possit, penes quos stet potior titulus possessionis. Sed imprimis probandum iis incubit, corpus, quod contendunt se habere, esse hodiernæ Virginis ac martyris, et non alterius homonymæ, cum adventitio nomine e catacumbis extractæ.*

Nostra de istis translationibus

33 *In libello de sanctis Tutelaribus diœcesis Cracoviensis, anno* 1617 *Cracoviæ edito, ponuntur* SS. Sixtus et Christina virgo, martyres Romani, sub Paulo V summo Pontifice Romæ in cœmeterio S. Calixti, anno MDCVI mense Septembri inventi, et patribus Societatis Jesu in Polonia ejusdem anni et mensis die XVIII donati ab illustrissimo Petro Tylicki episcopo Crac., duce Severien., anno MDCXII, mensis Decembris die 2 ad templum Cracovien. S. Barbaræ ritu solemni translati. *Quid si postea quis lapsu temporis, corpus illud, quod certo quidem nunc constat, non esse hodiernæ* Christinæ, *ob homonymiam hodiernæ esse contendat, sequentibus ipsum aliis; et sic paulatim invalescat opinio ista apud vulgus, jam hic orietur nova lis; vel si hoc non vis, fieri sane potuit, ut eodem modo, quo ista* Christina *Romana ad Polonos transiit, sic alia corpora sub eodem nomine alio translata fuerint, quorum possessores voluerint ea esse* S. Christianæ *hodiernæ. Etenim non est novum, Sanctorum exuvias confundere, eorum possessoribus ex nominis homonymia et affectu particulari illos sibi per ideas adjectitias Sanctos vindicantibus, qui celebritate nominis præ aliis magis excellunt, et plus honoris allaturi putantur ædibus sacris et urbibus, in quibus asservari creduntur: unde non levis tum hic supra, tum alibi in Actis nostris tricarum materies, et contentionis apud competitores talium exuviarum causa.*

sententia exponitur.

34 *Ceterum de corporibus Sanctorum diverso loco adscriptis longum hic in re notissima catalogum non texam; pauca suppeditans e multis. Habes corpus S. Benedicti Casini et Floriaci, tom.* 3 *Martii pag.* 299; *S. Monicæ, Romæ et Aroasiæ, tom.* I *Maii, a pag.* 481; *SS. Gervasii et Protasii, Mediolani et Brisaci, tomo* VI *Junii, a pag.* 213; *SS. Artemii, Candidæ uxoris, et Paulinæ filiæ, Romæ, Placentiæ et alibi, tom.* I *Junii, a pag.* 634; *SS. Naboriis et Felicis, Mediolani et Coloniæ, tom.* III *Julii, a pag.* 268. *At nulla Sanctæ nostræ corporum multiplicitate similior Marina, de qua tom.* IV *Julii, pag.* 278. *Videri interim potest V. C. Josephi Antonii Saxii Dissertatio de possessione Sanctorum corporum Gervasii et Protasii martyrum Mediolano vindicata pag.* 211, *num.* 133; *et pag.* 237, *num.* 147. *Jam vero cum e pluribus corporibus integris, sub unius ejusdemque Sancti nomine venerationi publicæ expositis, unum dumtaxat unicum, verum talis Sancti ac legitimum esse possit, nisi dicamus Sanctum bicorporem aut bilocatum fuisse; sequitur, ut unico tantum loco hodiernæ* Christinæ *integrum corpus requiescat; siquidem alicubi illud tamquam hodiernæ requiescere, ullo modo suaderi queat: quod quamquam ex fide dignis monumentis suasum iri diffidam; nil vetat tamen, quo minus omnes illi, qui bona fide ejusdem corpus possidere se putant, pie ac religiose sub isto nomine illud venerari pergant, eaque, magna cum fiducia, exspectent per illius seu alterius Sanctæ intercessionem beneficia, quæ expectarent, si certo constaret, illam ipsam Sanctam apud se requiescere; quæ jam ibi requiescere ab ipsis putatur. Nam, uti est apud S. Gregorium lib.* 2 *Dialogorum, capite ultimo: Sancti* illic majora signa faciunt, ubi minime per semetipsos jacent; *de quo loco vide infra num.* 136. *Idem cum proportione statue de Sanctæ reliquiis, de quibus postea agendum.*

§ IV. Officia Sanctæ propria; festi dies.

Officium

Noster *Antonius Beatillus anno* 1637 *Neapoli huc misit libellum, cui titulus:* Officium S. Christinæ virginis et martyris, ad formam novi Breviarii reductum, *et excusum Neapoli anno* 1591; *in quo sequentia in ejusdem Sanctæ* nativitate, *et per Octavam, quæ ab ea excurrit, demptis, ut videbimus, aliquot diebus, legenda præscribuntur. In primis Vesperis. Antiphona* 1: Qui in splendoribus Sanctorum, Christe, refulges, Christinæ precibus nostri miserere rogamus. *Psalmus:* Dixit Dominus. *Antiphona* 2: Omnia implesti mandata fidelia Christi: fac et agone tuo nos vitam habere perpetuam. *Psalmus:* Confitebor. *Antiphona* 3: Gloriæ et divitiæ tibi sunt, Christina beata: atque Dei summi denique cuncta bona. *Psalmus:* Beatus vir. *Antiphona* 4: Quem pueri laudant, humilem te duxit ad astra: nos inopes morum releva virtute bonorum. *Psalmus:* Laudate, pueri. *Antiphona* 5: Cum populis gentes Dominum laudate decenter, si cupitis Christinæ virginis

A ginis intercessione gaudere. *Psalmus :* Laudate Dominum, omnes gentes.

in natali Sanctæ 36 *Capitulum :* Confitebor tibi, Domine rex, *etc. Hymnus :* Nunc psallat nostra patria Suprema cum lætitia, Christinæ sumat gaudia Cœli tonantis præmia. Hæc virgo sponsa cœlica Multos in sorte bellica Manu stravit angelica, Vox jussit ut prophetica. Cujus adventum corporis Hymnis colamus consonis, Nos ut reorum æstibus Pulsis deponat pestibus. Virgo Christina nobilis, Fide nequaquam mobilis, Nos, nostræ natos sobolis, Gaudere tecum fac polis. Gloria tibi Domine, *etc.* ℣. Ora pro nobis, beata Christina. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. *Ad Magnificat Antiphona:* Ætheris alta petit gaudens Christina beata. Curia cœlestis super eam est exhilarata : martyrii, suæ palmam atque præmia virginitatis accipiendo, choris est consociata beatis. *Oratio :* Deus, qui B. Christinæ virginis et martyris tuæ fidem et constantiam in passione tribuisti : concede propitius, ut sicut illa horrenda vicit tormenta ; sic et nos ejus intercessione B sævissimi hostis vitia vincere valeamus. Per, *etc.*

ac per Octavam, 37 *Ad Matutinum invitatorium :* Regem Virginum Dominum venite adoremus. *Hymnus :* Fontem perennis gratiæ Aperi nobis, Domine In, laudem tantæ Virginis, Jam nunc paratis servulis. Hæc namque, cujus hodie Percolimus solemnia, In isto manens carcere Ut sponsa tibi placuit ; Spernensque pompas seculi, Inter rosarum germina, Gemmis micantem fulgidis Gestat coronam luminis. Vere peractis fructibus, Semen affert centuplum, Cum grato fuso sanguine In almo fulget æthere. Patri superno gloria, Virtus tibi sit Filio, Cum Spiritu paraclito Per seculorum secula. Amen. *In* I *Nocturno. Antiphona* 1 : Virgo sancta Christina, Italiæ gemma, urbis Tyri gloria, nobile Sæpini depositum, Urbani præfecti erat filia. *Psalmus :* Beatus vir. *Antiphona* 2 : Specie corporis ac decore nimis enituit ; sed fide pulchrior sponso superno magis placuit. *Psalmus :* Quare fremuerunt. *Antiphona* 3 : Hæc, jubente patre alapis affligitur, verberibusque dilaniata in carcerem conjicitur. *Psalmus :* Domine quid multiplicati sunt. ℣. Specie tua et pulchritudine tua. C ℟. Intende, prospere procede, et regna. *Lectiones de libro Ecclesiastici :* Confitebor, *ut in communi Virginum et Martyrum 2 loco. In lectione prima in fine pro eo, quod legit Breviarium Romanum,* a lingua injusta, *perperam hic ponitur* a viro injusto. ℟. Digna Deo, virgo meritis Christina beata : pro nobis roga divinam bonitatem. ℣. Ut mereamur tecum astare ante thronum divinæ majestatis. Pro nobis roga.

recitandum 38 *Lectio* II. ℟. Ante Dei faciem mors est pretiosa Christinæ : quæ moriens mundo vivit super æthera Christo. ℣. Martyris est hodie festum ; gaudete fideles : Quæ moriens, *etc. Lectio* III. ℟. Virgo dicata Deo nobis Christina faveto : Sit salus atque quies omnibus ista dies. Plebs tibi devota in tuis laudibus instat. ℣. Poscit in auxilio tuo manere semper. Plebs tua, *etc. In* II *Nocturno Antiphona* 1 : Nobilis atque prudens, virgo Christina, puella, flagrans amore Dei spernit vana gaudia mundi. *Psalmus :* Cum invocarem. *Antiphona* 2 : Martyrium sitiens patris idola confregit, et pauperibus, Christi pio amore confracta distribuit. *Psalmus :* Verba mea. *Antiphona* 3 : Pugnat sexu fragili cœlitus imbuta, sed fit insuperabilis fidei virtute. *Psalmus :* Domine Dominus noster. ℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus non commovebitur. *Lectio* IV, *et reliquiæ tum hujus secundi Nocturni, tum aliorum ejusdem numeri, per octavam occurrentium constant fragmentis, ex Passione Sanctæ desumptis : de quibus fiet mentio, ubi de Actis martyrii agemus.* ℟. Mente satis stabili tulerat tormenta tyranni : ut cœlestem patriam lætanter possit adire. ℣. Rebus abundans nimis cum mundo cuncta reliquit. Ut cœlestem, etc.

AUCTORE J. P.

39 *Lectio* V. ℟. Ad lætitiæ summam per sanguinis venit undam. Martyribus semper fuit ista merces parata. ℣. Gaude, sancta Virgo, tanto cumulata trophæo. Martyribus, *etc. Lectio* VI. ℟. Quam pia, quam sancta, quam felix Christina videris. Est tibi concessum scelerum dissolvere nexus. ℣. Omnibus ergo modis te poscimus, annue votis. Est tibi, *etc. In* III *Nocturno. Antiphona* 1 : Permanet ante Deum confessio Martyris ejus : atque decor carnis, qui nulla labe notatur. *Psalmus :* Cantate 1. *Antiphona* 2 : Lux hodie justis [et] rectis corde refulget ; in qua lætatur summis Christina triumphis. *Psalmus :* E Dominus regnavit. *Antiphona* 3 : Vocibus et psalmis sapienter modo psallamus, ut Salvator noster comites nos faciat esse Christinæ. *Psalmus :* Cantate 2. ℣. Elegit eam Deus et præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam. *Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum :* In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cœlorum decem Virginibus. *Homilia S. Gregorii papæ de communi.* ℟. Judicium verum trepidanti corde timemus : quando Deus, Sanctos * et justos judicat omnes. ℣. Nostri te petimus memorem in fine dierum. Quando Deus, *etc. Lectio* VIII. ℟. Virgo tuis precibus nostros dissolve reatus : ne nos pro culpa perdat lex judicis ulla. ℣. Si poteris veniam, poteris et poscere curam. Ne nos, *etc. Lectio* IX.

et ad normam Breviarii

* *forte* sontes

40 *Ad Laudes et per Horas. Antiphona* 1 : Induerat te Rex cinctus virtute decoram Justitiæ armis nos indue maxima Martyr. *Psalmus :* Dominus regnavit, decorem. *Antiphona* 2 : Rite Deo jubilat læto jam corde Christina, ejus in conspectu, ad quem sic intrare mereamur. *Psalmus :* F Jubilate. *Antiphona* 3 : Ante Deum vigilat felix de luce Christina : in quo quoniam nimium mens ejus sitiverat semper. *Psalmus :* Domine, Dominus noster. *Antiphona* 4 : Quantas tribus pueris rex intendebat tribuere pœnas, tanta tibi miseri tormenta dedere tyranni. *Psalmus :* Benedicite. *Antiphona* 5 : Gloria, Vita, Deus Sanctis est in omnibus ejus, cum quibus est semper vitam sortita perennem. *Psalmus :* Laudate Dominum de cœlis, *etc. Capitulum :* Confitebor. *Hymnus.* Exultet terra laudibus, Resultent corda gaudiis, Virginisque victoriam Omnes canant encomiis. Christina virgo cœlica, Dum pura exstat corpore Cum hoste pugnat fortiter, Ardenter orat spiritu. Carnem mundumque subdidit, Orbisque pompas respuit : Jam enim bene didicit Tormenta cuncta spernere. Ut sponsa Christi fieret, Hinc seque sursum tolleret, Plenus vacat affectibus et Christo se consociat. Dicamus omnes Flamini, Nato, Patrique gloriam, Qui fragili dat sexui Viriliter victoriam. Amen.

concinnatum

AUCTORE J. P.

hic;

41 ℣. Ora pro nobis, beata Christina. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. *Ad Benedictus Antiphona*. Ecce tuum roseis sertis superaddita lilia illustre caput exornant, timor hostilis est tibi nullus. Directa manu nos cerne semper precamur, et a nostris tutos fore fac inimicis. *Ad Tertiam Capitulum :* Confitebor. *Ad Sextam capitulum :* Liberasti. ℣. Adjuvabit. *Ad Nonam capitulum :* Laudabit. ℣. Elegit. *In secundis Vesperis. Antiphonæ :* Qui in splendoribus, *etc.*, *ut in primis. Ad Magnificat Antiphona :* Magnificat Dominum Christinæ spiritus almus ; gaudet, et exultat, nec contristabitur ultra. Hanc humilem ut Christus foris respexit, et intus auxit, et ornavit, ac cœli super astra locavit. *Prima die infra Octavam fit de S. Jacobo Apostolo ; secunda die de S. Anna ; tertia, lectiones* 1 *nocturni de Scriptura occurrente, secundi nocturni ex Passione, tertii ex homilia S. Gregorii papæ ; idem fit die* 4. *Die quinta de SS. Nazario, Celso, et Victore martyribus ; sexta de S. Martha ; septima in* 2 *nocturno ex Passione, in* 3 *ex homilia S. Gregorii papæ. Die octava in* 2 *nocturno ex Passione ; in* 3 *homilia* B *S. Hieronymi, quæ incipit :* Hanc parabolam, id est similitudinem decem Virginum fatuarum, *etc.*

uti et translationis Sepinensis,

42 *Sequitur ibidem Officium de translatione* S. Christinæ Sepinum. *Ad Vesperas Antiphonæ :* In splendoribus Sanctorum, *ut in festo. Ad Magnificat Antiphona.* O quam splendet ista dies glorioso lumine ! Nam de cœlo summa lætitia proditur ex numine : Christus a Magis adoratur, novo duce sydere, noster populus lætatur novo sumpto munere. *Oratio ut in festo. Ad matutinum Hymnus :* Fontem. *In* I *nocturno Antiphona* 1 : Nos veneramur Christinæ translationem : dulcibus ergo modis colamus ejus inventionem. *Psalmus :* Domine Dominus noster. *Antiphona* 2 : Plebs dotata dotis * tabulis est hodie nostra, per quam * in nostris oris fiunt semper maxima monstra. *Psalmus :* Cœli enarrant. *Antiphona* 3 : Hæc dum nollet diis thura dare, mandat pater pœnis dari necis auctor filiæ. *Psalmus :* Domini est terra. *Lectiones* 1 *nocturni :* Confitebor. ℟. 1. Dignis laudibus colatur Virginis inventio, Per quam nostræ plebi datur utraque redemptio. ℣. Celebratur multis modis Christinæ translatio. Per quam. ℟. 2. Plebs C devota sumit dona corde puro, mente bona, currit, ut condatur, quod de cœlis sibi datur. ℣. Plebs anxia donis abjectis omnibus curis. Currit. ℟. 3. Adest virginis Christinæ translatio, quam immensis plebs nostra colit laudibus : ut ejus subsidiis cœli fruamur gaudiis. ℣. Huc propere concurrite, morasque noctis rumpite : mentem manusque tollite, et ipsi cauendo plaudite. Ut ejus.

* *forte* notis *vel* novis
* quas

producitur

43 *In* II *nocturno Antiphona* 1 : Tormentatur hæc in Tyro Christi Virgo more miro, sed tuetur et in gyro Sepinensem populum. *Psalmus :* Eructavit. *Antiphona* 2 : Hujus Virginis adventum celebramus in augmentum : nam pro nobis facit semper centum mirabilia. *Psalmus :* Deus noster, refugium. *Antiphona* 3 : Hic est dies valde lætus, in quo procul omnis metus, jam cernitur hostium. *Psalmus :* Magnus Dominus. *Lectiones* 2 *nocturni constant ex historia, quam supra habes in compendio ex Cajetano : nihil tamen hic lego de annua enatatione prodigiosa capitis, quam supra ex eodem auctore retulimus.* ℟. 1. Quidam Galli voventes sacrum sepulchrum Christi videre, desiderant perficere, quæ promiserunt, opere. ℣. Unde sumpta D pera ac baculo, factoque crucis signaculo. Desiderant. ℟. 2. Dum iter cœptum perficerent, sacrum templum virginis Christinæ intraverunt : de quo sacras reliquias auferentes secum tulerunt. ℣. At illi trementes propere curant inde recedere. De quo sacras reliquias. ℟. 3. Jucunditatur nunc Sæpini populus sacra dona possidens. Sæpe psallant senes, juvenesque sæpius. ℣. Plaudat organo et cythara immensis ornatus muneribus. Sæpe. Gloria. Sæpe. *In* III *nocturno Antiphona* 1 : Campaniæ partes lapsis procurrens habenis huc venit ad nostra [ut] levaret colla catenis. *Psalmus :* Cantate. *Antiphona* 2 : Munere divino populo collato fideli gaudeat omnino mundus de culmine cœli. *Psalmus :* Dominus regnavit, decorem. *Antiphona* 3 : Venit partibus remotis Francus quidam secum portans dignis votis recolenda pignora. *Psalmus :* Cantate. *Lectio sancti Evangelii de decem Virginibus. Homilia sancti Hieronymi.*

cum approbationibus.

44 ℟. 1. Tollentes salutare munus, maria sulcare contemnunt, sed non possunt hoc patrare, non repertis puppibus. ℣. Ter circumvagantes et Apuliam lustrantes, huc coguntur re- E meare, quo vult Virgo repausare. Non repertis. ℟. 2. In hac die celebratur Christinæ translatio, in qua Christus carne natus, et a Magis adoratus novo sumpto munere. ℣. Oriens ab oriente nova stella claruit. Et a Magis. Gloria. Et a Magis. *Ad Laudes Antiphonæ, sicut in festo. Ad Benedictus :* O bone custos, qui numquam lumina claudis, respice psallentes famulos tibi cantica laudis, et nos Christinæ precibus consocia Sanctis. *Per Horas omnia ut in festo. Secundæ Vesperæ, ut primæ. Antiphona ad Magnificat :* O flos campi, et lilium convallium, Jesu Christe, qui es sponsus et amator virginum, quam jucundum est altare tuo semper conspectui : quem laudantes persequuntur virginales cunei : ubi dulcis harmonia resonat perenniter, atque virgo Christina cum his omnibus frequenter ingeminat : Tibi Christe sit laus, et gloria nunc et semper. *Facultatem prædictum hunc libellum imprimendi concessit, qui apponitur* Brutus Farnetus Vic. Gen. Neap., *et paulo infra :* Frater Petrus Robertus a S. Martino Ordinis Minorum de Observ., theologus ar- F chiepiscopatus Neap. vidit, et ad formam novi Breviarii Romani prædictum Officium reduxit. Die XXV Aprilis MDXCI.

Tres olim dies S. Christinæ sacri.

45 *Inventio ac translatio hic supra in uno Officio conjunguntur ; alibi in diversa festa incidisse, patet ex verbis, quæ leguntur in eodem Officio lectione sexta :* Vovet *(qua occasione, vide supra in fine numeri* 24) universus populus, et promittit fideliter pro se, et suis posteris, istos dies in anno celebrare solemniter, primum inventionis, secundum translationis, tertium sacræ passionis ejusdem Virginis gloriosæ *(Christinæ)* et, tactis sacrosanctis Evangeliis, a minimo usque ad maximum jurant his tribus diebus ab operibus servilibus abstinere. *Diversitas isto festorum etiam conficitur ex Animadversionibus Cajetani pag.* 59, *ubi ex Breviario Venetiis edito, anno* MDLXIV, *ad inventionem sequens profertur Oratio :* Deus, qui hodierna die, inventione corporis, martyris tuæ Christinæ Sæpinensem populum sublimasti, *etc. Ad translationem vero ista :* Omnipotens æterne Deus,

A Deus, salutifera semper assuetus largiri, qui Sæpini prævidens sine custode castrum existere, ei cœlitus hodie virginem destinasti Christinam, etc. *Deinde ex lectione nona divini Officii citat hæc :* Non absque divino nutu, triplici solemnitate virgo Christina celebratur, quæ trino sub judice, ter senis pœnis afficitur. *In eamdem quoque diem duo hæc festa recurrisse, probat laudatus auctor ex antiphona ad* 1 *nocturnum, ubi dici asserit :* Nos venerando votis Christinæ translationem, dulcibus ergo modis colamus inventionem. *Et e Lectione* 8 *producit sequentia :* Fiat autem hæc celebritas inventionis et translationis tempore novæ stellæ, cum Christus primitiæ gentium revelatur. *Nonnulla circa Officium Sanctæ habes infra, parte* 2 *hujus Commentarii* § 16.

§ V. Notitia alterius Officii ; orationes propriæ ; nomen Sanctæ in Litaniis ; hymnus e breviario Mozarabico ; ædes sacræ ; gloria posthuma.

B

Aliud Officium incerti loci ac temporis hic describitur, at non datur ;

Aliud prætérea habemus Officium proprium de S. Christina, *typis quidem editum ; at non notatum, ubi, a quo, pro quibus, et quando editum sit ; et ideo illud infra vocabimus anonymum. Panormitonæ fortassis ecclesiæ, aut olteri certe, in qua corpus Sanctæ depositum creditur, præscriptum fuisse, argumento est oratio propria ad Sextam, in qua dicitur :* quæ *(B. Christina)* in præsenti requiescit ecclesia. *Singulare hoc habet inter alia illud idem Officium, quod præter istom orationem, oliom prætérea afferot ad Nonom. Lectiones vero, quæ prima die, die Dominica per Octavom, et in ipsa Octova numerontur quot vicibus octo, in reliquis vero per Octavom occurrentibus diebus solummodo tres, continent Passionem Sanctæ. Alio, quæ in eo singularia occurrunt, non annoto, ne longior sim in re hic minime necessoria.*

orationes variæ

47 *In Missoli secundum institutionem sancti Ambrosii, Mediolani typis edito anno* 1522, *pag.* 189, *sequentes præscribuntur orationes.* SUPER POPULUM : Crescat, Domine, semper in nobis C sanctæ jucunditatis affectus, et B. Christinæ, virginis et martyris tuæ, veneranda festivitas augeatur. Per. SUPER SYNDONEM. Intercessio nos, Domine, quæsumus, S. Christinæ virginis et martyris tuæ semper confoveat, ut ejus sacra natalitia et temporaliter frequentemus, et conspiciamus æterna. Per. SUPER OBLATA. S. Christinæ, virginis et martyris tuæ, Domine festa recolentes, preces offerimus, et hostias immolamus ; præsta, quæsumus, ut eum præsidio temporalis vitæ, præbeat et incrementa perpetuæ. Per. POSTCOMMUNIO. Adjuvent nos, quæsumus, Domine, et hæc sancta mysteria, quæ sumpsimus, et S. Christinæ, virginis et martyris intercessio veneranda, ut ab omnibus tueamur adversis, et ad mansiones perducamur æthereas. Per. *Breviarium Coloniense, anno* 1497 *typis Venetis editum, propriam quoque de Sancta collectam habet ; uti et Breviarium Romanum, excusum, sicut eidem adscribitur, anno* 1522. *Litaniis Anglicanis, quæ habentur inter vetera Analecta Mabillonii, non ita pridem recusa Porisiis, pag.* 168, *quasque probat earum editor pag.* 169 *labente seculo* 7 *in Anglicana ecclesia usitatas fuisse, Sanctæ nomen inseritur ; quod etiam notatur in Litaniis Breviarii Tungrensis excusi fol.* 93 *verso. Pouculа huc spectantia dontur inferius in secunda parte hujus Commentarii* § 16.

AUCTORE J. P.

uti et hymnus proprius,

48 *Ritu annuo* S. Christinam *Mozarabibus in Hispania etiam esse venerabilem, diximus supra ; et quamvis in eorum Breviario (anno* 1502 *Toleti excuso, de quo uti et de aliis ad istam liturgiam pertinentibus, agere ex professo statuimus in tractatu aliquo singulari, quem tomo proxime secuturo præmittemus) quamvis, inquam, in Mozarabum Breviario omnia de nostra Sancta unius virginis ritu dicenda præscribantur, hymnum tamen singularem ipsi condunt, quem a mendis aliquot expurgatum hic exhibemus :* Virginis sacræ triumphum prosequamur laudibus : Quæ viriliter certando hostem vicit improbum : Et servando castitatem meruit præconium. Hæc namque Virgo dum esset parvula temporibus, Concupivit regem Christum adorare Dominum, Et neglectis simulacris thus offerre pudicum. Quæ paterna deridendo flagra vel supplicia, Non attendit prava verba, E cor ad hæc nec posuit : Sed sereno pœnam vultu sustulit viriliter ; Christi nomine beata, quod Christina dicitur Appellari virgo pia ; sed a Christi nomine Derivatum patet suum esse sic vocabulum. Paternam fide probata iram temnens despuit Celso gaudio oblectata divinitus : Gratis tuis * depellebat, ac supernis incumbebat præmiis.

* *forte* Armis suis

e Breviario Mozarabico.

49 Nulla hanc tormenta fregere ; nulla mors perterruit : Sed alacri corde cuncta perferens certamina Irridebat : crucíatur perdita vesania. Cæditur namque suspensa : virgisque pertunditur : Æneumque vas repletum resina, et oleo, Picis simulque torrente : ibi alma mittitur. Undis impressa marinis a Christo eripitur : Serpentium omnigenam depulit sævitiam, Mortem simul ac tormenta reputans pro nihilo. Tribus itaque devictis profanis judicibus, Trinitatem confitendo triumphat feliciter. Sic a seculo vocata migrat ad cœlestia. Tuo namque in honore, Virgo sancta, canimus : Juva cunctos supplicantes ; tege tuos famulos : Funde preces pro delictis Christo regi domino. Et tu Christe, rex immense, audi preces supplicum : Vota accipe ; cunctorum culpas dele scelerum : Hæc in festa hic F orantes esto in subsidium. Gloria et honor Deo usquequo altissimo : Una Patri, Filioque, inclytoque Paraclito : Cui laus [est] et potestas per æterna secula. Amen.

Variæ sub nomine S. Christinæ reliquiæ recensentur in Oriente et Occidente ;

50 *Sacras olim* S. Christinæ *exuvias in Oriente celebratissimas fuisse, habemus e Typico S. Sabæ, quod sic testatur e Græco redditum :* Ad altitudinem cœli requievisti, illustris Christina ; unde tuum gloriosum festum celebramus, cum fide venerantes reliquiarum tuarum thecam, e qua scaturit omnibus divina vere medela animæ et corporis. *Magna reliquiarum congeries honorari asseritur Romæ, teste Carolo Bartholomæo Piazza in Hemerologio socro parte* 2, *pag.* 75 : *nimirum* caput *ad S. Mariam Majorem in capella Paulina ;* pars capitis *ad S. Cæciliam ;* cor *ad S. Apolloniam, illuc translatum e monasterio* delle Muratte, *vulgo dicto, et a Clemente Papæ IX suppresso ; item*

AUCTORE J. P.

item reliquiæ *ad S. Mariam Ægytiacam et S. Susannam; quales etiam ad S. Franciscum et apud monachos Jesu Mariæ asservari, tradit Masinius in Bononia perlustrata pag.* 419. Os S. Christinæ V. et M. *notatur apud Caracciolum Neapolis sacræ pag.* 229. *Varias quoque recenset regium Scorialense S. Laurentii in Hispania monasterium, quod prætendit se habere sequentes, prout notatur in Lipsanologio seu Inventario reliquiarum ibidem asservatarum, e quo ista ex Hispanico translata sunt :* Una costa dextri lateris, quæ longitudinem habet octo digitorum; præterea caput ejus integrum, confixum in tempore sinistro; unum ferrum sagittæ, qua interiit. *Adde sex alias reliquias minores; inter quas verosimiliter numeranda erunt* tria ossa S. Christinæ virginis et martyris, *una cum aliis pluribus sacris lipsanis missa ad Philippum II, Hispaniarum regem, Colonia a PP. Augustinianis; de qua re vide sis Commentarium prævium S. Margaritæ ad diem* XX *hujus, num.* 31 *sub finem.*

inter quas caput apud Scorialenses in Hispania esse fertur;

B 51 *Testimonium, quod de capite isto habetur in dicto Inventario, sic sonat :* In nomine Domini. Amen. Nos Anna Von Gudden priorissa, Joanna Von Erchren suppriorissa, Catharina Von Breitbach procuratrix, Maria Von Orkbeck cellcraria, et Elizabetha Huppe, custos sacrorum, conventus sanctæ Gertrudis, Ordinis sancti Dominici in civitate Coloniensi, testatum facimus universis, nos summa reliquarum sororum nostrarum consensione dono dedisse admodum reverendo domino patri Baltasaro Delgado, invictissimi ac potentissimi regis Catholici commissario (prævio tamen episcopi ordinarii loci indulto) sequentes Sanctorum reliquias, quas ex Majorum nostrorum archiepiscoporum ac fundatorum traditione accepimus, piaque hactenus religione asservavimus ac veneratæ sumus.

cujus rei

52 Videlicet : caput S. Christinæ, virginis et martyris; prout constat vita et martyrium ex litteris incisis argento, quo ipsum sacrum caput, cui affixum apparet sagittæ ferrum, quo martyrium feliciter consummavit, adornatum reperitur. Item alia tria capita ex societate undecim millium Virginum : attento scilicet summo flagrantique C desiderio, quo sua paternitas, ut in Deum ejusque Sanctos, sic et in venerandas eorumdem reliquias, Spiritus sancti electa quondam organa et habitacula, ferebatur pietatis affectu; habita non minima etiam ratione horum patriæ nostræ motuum, quibus pretiosissimo huic ecclesiæ thesauro a profligatæ pietatis hominibus merito metuendum est, et in plerisque patriæ nostræ locis præstantissimas illas opes nefando quodam furore ac sacrilegis manibus a male feriatis et plus quam diabolicis hominibus direptas et turpiter abjectas (heu dolor!) conspeximus.

hic datur testimonium :

53 Confidimus igitur hac via sacras has Sanctorum reliquias a nefariorum hominum manibus, et petulantia non modo magis fore tutas, et quodammodo etiam vindicatas, verum etiam complurimis piis mentibus non mediocrem pietatis accessionem facturas. In quorum omnium fidem et testimonium præsentes litteras manibus propriis subsignavimus, sigilloque nostro conventuali munivimus. Datum in dicto conventu anno MDXCVII, die quarta mensis Septembris. *Subscribuntur :* Anna Von Gudden Priorissa. Joanna Von Erchren suppriorissa. Catharina Von Breitbach procuratrix. Maria Von Orkbeck celleraria. D Elisabetha Huppe custos sacrorum. Georgius Braun ad gradus B. Mariæ Colon. Dec. comiss. Apost. de mandato reverendissimi domini Braunii com. Apost. Rolandus Weierstras notarius publicus. *Testimonium illud, quatenus Sanctam hodiernam spectat, exigui est ponderis, sicut constabit ex dicendis.*

quod caput et alibi putatur asservari. Aliæ reliquiæ.

54 *Sanctæ item* Christinæ virginis et martyris caput *Abulæ attribuitur apud Ægidium Gonçalez Davila in Theatro ecclesiarum Castellæ, tomo* 2, *anno* 1647 *Matriti edito, pag.* 212. *De capite Sanctæ, ut volunt, nostræ, quod translatum fertur ex Italia in Hertzebrock, pagum territorii Osnabrugensis, dicetur post Acta. Interim si allata hactenus de Sanctæ exuviis subsistant, sequitur ut vel ipsa fuerit multiceps, quod admitti non potest; vel ut caput, quod habere volunt, revera neutiquam habere possint omnes, imo ne quidem habere dici possit, ex omnibus aliquis, quamdiu id solidissime non probatur. Litem hanc omnibus, et singulis illis,* E *qui ex possessione se jus habere putant ad verum Sanctæ* Christinæ *hodiernæ caput, derimendam relinquo. Jam pridem dictum fuit tom.* 2 *Januarii, pag.* 612, *sacra lipsana allata fuisse Olyssiponem; in prætermissis autem ad diem* X *Maii mentionem fecimus de* parte costæ ejus, et alterius ossis *apud Pragenses; ad diem vero* XXI *ejusdem mensis, pag.* 10 *in numeroso reliquiarum, monialibus excalceatis Viennensibus ab Eleonora Augusta concessarum Catalogo notatur* S. Christinæ virginis martyris. *Gelenius ad Magnitudine Coloniæ Agrippinæ pag.* 778 brachium *ponit in ecclesia Franciscanorum Conventualium Coloniæ (de quo etiam meminit in indiculo ad sacrarium Agrippinæ, anno* 1607 *editum, Erhardus Winheim Cartusianus Herbipolensis) et pag.* 571 hermam *notat* cum reliquiis S. Christinæ; *sed minus distincte, nostræne Sanctæ, an alterius eas esse putet.*

Ædes sacræ sub nomine hujusce Sanctæ Constantinopoli,

55 *Sacris exuviis, quæ sub nomine Sanctæ nostræ honorantur, subjungo ædes sacras, in quibus peculiarem cultum habuit. Inter quas censendæ imprimis veniunt eæ, quas Constantinopoli exstitisse* F *colligimus ex Supplemento nostro Ms. Sirmondo-Chiffletiano, sæpissime alias citato, in quo leguntur ista :* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῆς σύναξις ἐν τῷ μαρτυρείῳ αὐτῆς, τῷ ὄντι ἐν τῷ νέῳ παλατίῳ, καὶ ἐν νύμφαις ταῖς μεγάλαις, καὶ ἐν τῷ μαρτυρείῳ τοῦ ἁγ. Τρύφωνος πλησίον της ἁγίας Εἰρήνης ἀρχαίας καὶ νέας. Celebratur ipsius *(S. Christinæ)* synaxis in æde sacra, quæ est in novo palatio, et in Nymphis magnis, et in æde sacra S. Tryphonis prope S. Irenen antiquam ac novam. *De novo Palatio agit Cangius Constantinopolis Christianæ lib.* 2, *pag.* 119; *de duplici æde S. Tryphonis lib.* 4, *pag.* 140; *de illa vero item duplici, quæ est S. Irenes, antiqua et nova eodem lib.* 4, *pag.* 147; *apud quem non invenio, uti nec apud Gyllium et Bandurum, qualis proprie locus hic indicetur* in Nymphis magnis. *Inter Epigrammata veterum poetarum apud eumdem Bandurum tomo* 1 *Antiquit. Constantinopolit. lib.* 7, *pag.* 143 *reperio unum eum hoc titulo :* In simulacrum Nympharum, *harumne an aliarum? Varia item loca Romæ, in quibus publica veneratione Sancta martyr honoretur, recenset Piazza*

supra

A *supra num.* 50 *nominatus, videlicet ad S. Mariam Majorem ; ad sanctam Cæciliam ; ad S. Apolloniam ; ad S. Mariam Ægyptiacam.*

et in Italia 56 *Masinius in Bononia perlustrata ad diem* x *Maii signat* S. Christinam virginem et martyrem cum festo in ecclesia ejus parochiali, in via *vulgo* della Fondazza ; ubi sint indulgentiæ plenariæ, per Gregorium XIII *concessæ* die XXV Februarii MDLXXXII ; *addit, jam ab anno* 1225 *eam fuisse possessam a monachis Camaldulensibus ; et ab anno* 1247 *concessam ejusdem Ordinis monialibus, quæ ex territorio Bononiensi huc translatæ, anno* 1602 *eam reædificarint, superstitibus adhuc in præsenti earum monasterio, teste supra dicto auctore, ecclesiæ antiquæ vestigiis ; illasque pag.* 210 *et* 609 moniales S. Christinæ *vocat. Die autem* XXIV *hujus rursus Sanctam recenset, cum* festo in ecclesia ejus parochiali *altera* in Petra lata. *Adde ecclesiam* S. Christinæ *Vulsinii ; ubi contigisse fertur celeberrimum toto orbe miraculum hostiæ consecratæ, sanguine manantis, anno* 1264 ; *propter quod festum venerabilis Sacramenti ab Urbano Papa IV* B *institutum est. Videsis Vitas Pontificum apud Ciaconium tom.* 2. *col.* 148, *et Raynaldum in Annal. eccl. ad dictum annum. S. Antoninus Historiarum parte* 3, *titulo* 20, *capitulo* I, § 1, *ecclesia, in qua istud miraculum contigerit, cujus Sanctæ habuerit nomen, non exprimit* ; *sed* in loco non multum distanti apud Bulsenam in quadam ecclesia illud contigisse scribit.

variis locis ; 57 *Sanctuarium Capuanum, anno* 1630 *Neapoli excusum, pag.* 522 *tradit ista* : Fuit olim ecclesia S. Christinæ cum suo pago in via S. Angeli ad Formam ; tandem diruta, translata est capella in cathedralem ; et est capella canonicorum. *In Vita S. Guilielmi abbatis Divionensis tomo* I *Januarii, pag.* 61, *mentio fit monasterii* S. Christinæ virginis ; *et cœnobium sub eodem nomine in diœcesi Mediolanensi ad Olenam fluvium notatur apud Mabillonium Annal. Benedict. tomo* 4, *pag.* 94 *et* 95 ; *de quo pariter egerat tom.* 2, *pag.* 478, *ubi de antiquitate ejus ac privilegiis, addens* a Gregorio XIII Pontifice, collegio Romano urbis Romæ unitum esse. *Cœnobium sacrarum virginum sub nomine* S. Christinæ *anno* 1190 *exstructum Tarvisii, ac* C *anno* 1357 *destructum, habes tomo* 2 *Junii paginis* 484 *et* 485. *Abbatia seu monasterium extra muros Sutrinæ civitatis, unitum ejusdem civitatis ecclesiæ sub titulo* S. Christinæ *notatur in abbatiarum Italiæ notitia apud Augustinum Lubinum pag.* 379. *Adde quod patrona sit in Udenbrinck, de quo loco post Acta ; ut nihil dicam de ædibus sacris in dicto Hersebrock, et Bœvrariæ, sicut ibidem latius exponetur. Singulari Sanctam venerationis testificatione prosequuntur Panormitani jam tum a tempore, quo sacrum ipsius corpus eo trausvectum putatur : de qua re juverit audire laudatum supra Cajetanum pag.* 145, *qui isti translationi subdit hæc :*

Panormi in Sicilia colitur tamquam Patrona. 58 Jam tum patronam Christinam virginem senatus populusque Panorminatus delegit. Corpus argenteæ inclusit arcæ, quæ deinde ad annum salutis MDLVII in elegantiorem formam redacta est, insculptis ad latera suppliciorum imaginibus, quæ ad Tyrum, patriam urbem, olim constantissime pro Christi fide tuenda subiverat. In sacello vero a regibus olim exstructo, elegantissime culto, intra ferreas crates ad custodiam detinetur. Eeadem ex argento theca annuis prima mensis Maii Dominica die, solemnibus etiam nundinis, ad hominum frequentiam e propinquis oppidis facilius convocandam institutis, per urbem celebri pompa, et confluentis populi pietate circumvehitur : nec innumera desunt beneficentissimæ Patronæ beneficia, in eos præsertim, qui a malo genio male torquentur. Colitur etiam solemniori cultu dies festus S. Christinæ die XXIV Julii, in quem recurrit anniversaria felicissimæ mortis memoria. AUCTORE J. P.

Fama Sanctæ posthuma ex Venantio Fortunato, 59 *Ad famam Sanctæ posthumam potissimum spectant ea, quæ veteres scriptores de illa habent. Venantius Fortunatus, Pictaviensis episcopus in Bibliotheca Patrum editionis secundæ per Margarinum de la Bigne anno* 1589 *Parisiis excusæ tomo* 8, *col.* 923 *inter alias illustres virgines nomen ejus sic refert,* Christina, Euphemia, *etc. In Broweriana tamen editione, pag.* 186 *legitur* Euphemia ; *sed nomen* Christinæ, *ibi adjunctum non invenio. S. Aldelmus ex abbate Malmesburiensi in Anglia, Schireburnensis ibidem episcopus (qui claruit versus finem seculi septimi, et cujus Acta illustravimus ad* E *diem* XXV *Maii, a pag.* 77*) in libro de Laudibus virginitatis prosaïco, qui habetur tomo secundo Orthodoxographiæ a pag.* 1677, *ita excurrit in* S. Christinæ *laudes a pag.* 1707 :

S. Aldelmo 60 Secunda autem *(Christina)* in tantum divinæ charitatis faculis accensa, et jam antequam baptismi rudimenta susciperet, fuisse memoratur, ut statim ab undecimo ætatis anno phanaticæ superstitionis contemptrix, et supernorum decretorum cultrix exstitisse narretur. Cujus pater in palatio magistri militum officio fungens, cum eamdem sobolem suam liberalibus sophismatum disciplinis imbueret, turrem eidem minaci proceritate in edito porrectam, et forte lituræ compagi constructam erexit. In qua cum bis senis puellis juxta ritum indigenarum, mutis diis, ut adoleret et holocausta thurificaret, patre culturis delubrorum dedito inconsulte cogeretur, sed cum se ab unica filia merito spretum comperisset, et deauratas simulachrorum effigies, Jovis scilicet et Apollinis, simulque Veneris stuprorum amatricis minutatim in frusta confracta animadverteret, illico diversa tormentorum genera, eamdem filiam vexatura, cruentus carnifex, et truculentus parricida potius, quam pius pater crudeliter machinatur. F

Schireburnensi in Anglia episcopo, 61 Verumtamen mens Deo dedita nec olidos ergastulorum squalores horrescit : nec scopulum collo connexum, et marinis gurgitibus immersum pavescit ; nec sudibus crudeliter tenerrima membra cædentibus mollescit ; nec vel usti capitis deformatio, quamvis flava cæsaries raderetur, et per publicum decalvata traheretur, statum cordis inclinat ; nec torrida fornacis incendia Chaldaici regnatoris machinas æquiparantia obstupuit ; nec venenatos aspidum rictus, quas Marsi incantationum carminibus irritabant, pavefacta puella pertimescit ; imo hæc omnia, Christo patrocinium præstante, salvo pudoris thesauro feliciter superat. Postremo geminis spicularum vulneribus sauciata, et purpureo perfusa cruore, pro Christo martyrizavit.

et S. Josepho apud Græcos 62 *S. Josephus, qui floruit apud Græcos seculo* 9, *et de quo disseruimus tomo* IV *Julii in Commentario*

AUCTORE J. P.

tario prævio ad Vitam S. Alexii pag. 247, *famam Sanctæ posthumam illustravit canone seu cantico sacro, in ejus honorem condito, ac per odas novem deducto; cujus hæc notatur acrostichis :*

Χριστοῦ σε μέλπω τὴν ἐπώνυμον κόρην. ΙΩΣΗΦ.
Christi Puellam te cano cognominem, JOSEPH.

Circa nomen auctoris hic appositum quædam notavimus loco citato. Porro nil suadet, canonem e Græco huc Latine integrum transcribere, qui a curiosis Græce legi potest in Menæis magnis excusis, et Latine nunc versus est, uti dicetur parte 2, § 16; *sufficiat indicasse, quod ejus auctor modo longe tolerabiliori, minusque adornato et scenico martyrium Sanctæ, quæque ad ipsius res gestas pertinent, obiter perstringat, carptim nonnulla puncta delibans; quam ille qui Acta, prout hodiedum circumferuntur ad posteros transmisit; ut suo loco postea ostendetur. Unum hic observo ex verbis exapostilarii (de quo, quid sit, non satis liquet, sicut dictum est in Dissertatione onomastica ad Acoluthiam Officii* B *Græci ante tomum secundum Junii, pag.* XXXIII; *num.* 35) *unum, inquam, observo,* S. Christinam *infantibus patronam indicari his verbis :* Ἰατὴρ δὲ δαψιλὴς ἀνεδείχθης πρὸς Θεοῦ τοῖς βρέφεσιν τοῖς νηπίοις. *Hoc est :* Alma medicatrix a Deo exhibita es infantulis.

nec non Alphano, archiepiscopo Salernitano.

63 *Seculo undecimo versus aliquot diverso metro de* S. Christina *panxit Alphanus, ex Casinensi monaco ac deinde abbate S. Benedicti Salerni, ibidem archiepiscopus : de quo videsis Petrum Diaconum, laudati Casinensis monasterii monachum, in libello de Viris illustribus Casinensibus, Romæ cum notis Joannis Baptistæ Mari anno* 1655 *edito, cap.* 19. *Prædictos versus habes apud Ferdinandum Ughellum in appendice ad tomum secundum Italiæ sacræ a col.* 1093; *ubi a col.* 1125 *producitur Passio Sanctæ, quam teste eodem Petro, idem auctor* composuit nudo et lucidissimo sermone; *sed an et quousque hoc verum sit, dispiciemus paragrapho sequenti. Certe qualis sit istius Petri auctoritas, notavimus die* XVIII *Julii, pag.* 485. *Interim gloria Sanctæ nostræ posthuma pluribus notitiis illustratur parte* 2 *hujus Commentarii,* § 13. *Nunc ejusdem* C *Acta inspiciamus.*

§ VI. Actorum notitia et observationes.

Majores nostri plurium exemplarium notitiam notarunt;

Majores nostri Bollandus et Henschenius variorum exemplarium Passionis S. Christinæ *notitiam nobis notatam reliquere in schediasmate chartaceo, ad Vitam ejusdem Sanctæ, quam habemus ex Ms. Windbergensi in Germania, collatam cum manuscripto S. Maximini apud Treviros, ac S. Audomari. Ibidem dicitur eadem Vita exstare in Catalogo P. Beatilli ex Passionali num.* 49, *et gemina, sed aliquantum discrepans verbis, in duobus Mss. D. Schenckinck; nec non in Ms. ad S. Hubertum, sed præfigitur,* Temporibus Diocletiani imper. erat, *et finis discrepat; item in Ms. Valcellensi nostro, quod antea fuerat Domini Moreti, ac Ms. num.* 13 *Reginæ Sueciæ, hinc inde variantibus verbis fere cum aliqua correctionum ad prædictam Windbergensem positarum conveniens.*

quæ hic enumerantur,

65 *Exstat præterea Vita ejusdem Sanctæ in codice Aquicinctino fol.* 46. *In Ms. Cardinalis Mazarini hoc notatur exordio :* In illo tempore erat D quædam puella de Tyro, in spe Dei virginitatem custodiens, quæ nondum erat annorum undecim; *in fine convenit cum dicto Ms. nostro Valcellensi. Huc præterea adde Ms. Heinsbergense comitis de Geleen in* 4, *in quo Vita incipit :* Erat quædam sancta et sacra puella ex stirpe regia de Tyro genita, nomine Christina. *Atque hæc ex iis, quæ ibi notarunt illi; quibus nos sequentia superaddimus. Specimen aliquod manuscriptum anno* 1641 *huc misit noster Joannes Gamans, ex Bodecensis cœnobii Canonicorum Regularium S. Augustini, diœcesis Paderbornensis, Passionali pergameno manuscripto insigni, mensis Julii fol.* CXII, *pag.* A. *cujus illud est exordium :*

additis aliis tum manuscriptorum,

66 In diebus sævissimæ persecutionis, cum impleretur illud *evangelicum :* Tradet frater fratrem in mortem, et pater filium vel filiam, fuit apud Italiam juxta lacum Vulsinium quædam sacra virgo, nomine Christina, quæ spem et fiduciam habens in Domino Jesu Christo. *Sanctæ quoque Passionem continet codex noster membranaceus antiquæ notæ, at satis hinc inde in ea mendosus, qui olim spectavit ad collegium Societatis Jesu Molsheimense;* E *item alius noster membranaceus perquam antiquus acephalus anonymus, a fol. verso* CLVII. *Ea, quam nos hic damus, desumpta est ex nostro Passionali Ms., in pergameno antiquis characteribus exarato, qui olim fuit collegii nostri Fuldensis: quamquam parum puto referre, quænam ex dictis exemplaribus potissimum Passio detur; cum persuasum plane habeam tam ex iis, quæ notata protuli jamjam a Majoribus nostris, quam ex iis, quæ observavi ego ipse in exemplarium Mss. lectione, omnes convenire in substantia, quamquam verbis, stylo brevitate aut prolixitate, aliisque adjunctis istiusmodi dissonare possint : ejusdem generis prorsus esse credo Acta bina, quæ citat Baronius in notationibus ad hunc diem.*

tum excusorum exemplis.

67 *Alphanus supra allatus ea conscripsit, et legi possunt apud Ughellum loco supra citato a col.* 1125: *de quibus infra erit dicendum. Petrus de Natalibus Acta fere eadem in substantia ad majorem brevitatem contraxit. Edita quoque leguntur apud Mombritium, et in Lectionibus anonymis aliisque Neapoli excusis; de quibus supra.* F *Vincentius Bellovacensis in Speculo historiarum lib.* 12 *puncta quædam per capita* 86, 87, 88 *ac* 89 *deduxit. S. Antoninus parte* I *historiarum, titulo* 8, *capitulo* I. § 17, *habet compendium. Syllogen historicam dat Tillemontius Monumentorum eccles. tom.* 5, *a pag.* 538. *Legendista Gallus neotericus hanc Vitam collegit, ac suo operi inseruit hoc die, ut prætercam Silvanum Razzi, Ordinis Camaldulensis, qui gesta Sanctæ jam pridem ex variis edidit Italice in Vitis Sanctorum Tusciæ parte* I, *a pag.* 71, *editionis secundæ. Henschenius in schediasmate, quod præ manibus habeo, varias Lectiones ac differentes a Mombritio notavit ex* I *codice monasterii S. Cæciliæ Romæ : at tanti non sunt Acta, ut de minutiis hujusmodi magnopere laboremus.*

Acta exiguæ esse fidei,

68 *Dolendum est Sanctam adeo illustrem non habere Acta melioris notæ, quæ vel inviti compellimur notare pessimo calculo, re ipsa edocti, verissima esse, quæ Papebrochius in Ephemeridibus Græco-Moscis ante tomum primum Maii pag.* XXXIV *jam pridem notaverat his verbis :* Obscura sunt ejus Acta... nec levi examine ac censura indigent, ut plurium

A plurium Sanctorum hujus generis. *Etenim quaquaversum oculos conjicis, occurrunt identidem res novæ ac mirabiles, et mutatio scenæ continua. Nec vero tres judices, sub quibus illa fuerit passa (de quibus etiam meminit collecta Sanctæ in Breviario Tungrensi excuso) nec tormenta; tot, tamque varia, singularia, et horrenda videntur in tantillam Puellæ undecim annorum ætatem cadere. Adde visiones seu apparitiones, dialogismos, orationes ad Deum, et plura alia, ne singula enumerem, quæ cordatis viris merito displiceant. Et vero, si liceat aperte rem ipsam sine ambagibus eloqui, ut plurimum nobis videntur præferre ista Acta puram putam texturam, quæ consarcinata sit ex farragine rerum mirabilium, tales characterismos exprimentium, ut videatur hic quasi in unam, ut ita loquar, massam congestum, quidquid fere in pluribus aliis mirabile, ne dicam incredibile, ab hujusmodi rerum gnaris observari solet.*

nec levi censura indigere

69 *Nec porro scimus, quo tempore, quove auctore Acta ista conscripta sint; et quamquam fere in substantia conveniant, tamen in rerum adjunctis parum sibi constant, ut liquido se prodat varia eorum* B *interpolatio, neque satis credibilia in iis narrentur, aut minimam veritatis speciem præ se ferentia. Res exemplis probetur. Suspecta est num.* I *turris, cui Sanctam includi jusserit ejus pater Urbanus; suspicionem auget lectio* I *Officii in natali Sanctæ, Neapoli excusi; quando hanc facti reddit rationem :* Sperabat enim insanus pater, si *(Christina)* diis virginitatem dicaret, ac in eorum cultu maneret, ipsi gratitudinis memores, admirabili pulcritudine puellam, ut deam venerari præcepissent; ea propter in quadam turri... Christinam cum duodecim puellis clausit.

probatur,

70 *Num.* II *in Actis nostris narratur Sancta in mare projecta, sed ab angelis suscepta, ibidem et petiisse et obtinuisse baptismum : de quo baptismo nihil habet Ado, sive nihil de eo invenerit, sive suppresserit tamquam calamo suo indignum. Id quod per se incredibile, modo longe incredibiliori exponunt Lectiones anonymæ superius memoratæ, in ea quæ præscribitur primo loco die Dominica per Octavam* S. Christinæ, *ubi habentur ista :* Et cum hæc dixisset B. Christina, nocte in medio maris facta C est vox de cœlo dicens : Christina, exaudivit dominus Deus tuam deprecationem. Et statim de cœlo venit nubes candida super caput ejus, et ab angelis sublevata est, et a Christo ibidem sic dicente baptizatur : Baptizo te in Deo Patre meo, et in me Jesu Christo, Filio ejus, et Spiritu sancto; et commisit eam Michaëli archangelo, qui eam ad terram reduxit.

et ostenditur

71 *Petrus de Natalibus eadem brevius :* Christus vero ad eam descendit, et ipsam in eodem loco manibus propriis baptizavit; *crescitque paradoxum, quando addit,* nomenque suum eidem imposuit. *Bævrariense Ms.* In fluctibus eam baptizavit *(Christus)* et sic a Christo Christina nuncupata est. *In apographo Fuldensi num.* 4 *ab Urbano patre, num.* 8 *a matre vocatur* Christina, *quo ultimo loco Sancta dicit, se* habere nomen Salvatoris; *et postea num.* II *narratur ejus baptismus. Si vero in baptismo dumtaxat hoc nomen acceperit, quomodo a parentibus ante baptismum isto nomine nuncupatur? Scio equidem, in rebus hujusmodi recurri posse ad ὕστερον πρότερον, sive ad prolepsin ; sed illa non videntur hic congrue suffragari debere : quia plurima alia adeo inepte et inconcinne cohærent in hisce, de quibus in præsentia agimus, Actis. In Lectionibus propriis Neapoli excusis angelus non Christus illam baptizat. Razzius de baptismo nihil.*

ex variis speciminibus.

72 *Paradoxus ille baptismus merito displicuit S. Antonino, prout colligitur ex verbis ejus, loco supra indicato, ubi sic loquitur :* De baptismo ejus mirandum est, nec tamen incredibile, vel Deo impossibile; quia omnia potest, et supra legem communem homines justificare. *Sed bona sanctissimi Præsulis venia, non illud hic quæritur; sed quo potius fundamento res adeo inusitata et mirabilis stabiliatur, ut ex mirabili fiat credibilis. Sufficiens enimvero fundamentum non sunt Acta, exiguæ utique auctoritatis. Unde ergo* mirandum *illum baptismum censet sapientissimus Antistes non esse* incredibilem? *Ratio ejus, quam petit ab omnipotentia Dei, id unum probat, quod res ista potuerit fieri, non autem quod facta sit, vel quod facta prudenter saltem credi possit, cum destituatur idoneis motivis credibilitatis. Adde, quod argumentum S. Antonini videatur nimium probare : nam si ex eo, quod Deo omnia sint possibilia, velis omnia fieri credibilia,* E *quæ credibilia aliunde non probantur, jam sequitur, ut Actis omnibus etiam ineptissimis et fabulosissimis assentiendum sit, neque utendum discerniculo, ut vera a falsis, genuina a spuriis discriminentur, quo tamen noster potissimum in prosequendo hoc Opere collimat labor. At plura vide in hanc rem parte 2, § 9. Jam nos ad Acta Sanctæ nostra redeamus.*

§ VII. Earumdem observationum continuatio.

Specimina alia

N*um. 6 habes mirabilem ascensum et descensum adminiculo fasciæ; num. 7 lictores produnt duodecim, ut teneram Virgunculam virgis cædant. Quis id credat? Num. 16 duo aspides, in Sanctæ interitum frustra accersiti,* currentes suspenderunt se ad mamillas ejus, velut infantes lactentes ; *de qua re melius tacent Lectiones anonymæ, Mombritius ac Razzius. In codice nostro membranaceo anonymo supra citato referuntur ista :* Exiit idolum ambulans, et stetit in loco, ubi *(Sancta)* F jussit ei stare. *Quod Mombritius ita narrat :* Tibi dico, idolum sine anima, in nomine Domini nostri Jesu Christi exi de templo isto ; et statim idolum ambulavit. *Officium anonymum excusum in Lectione octava diei octavæ rem pluribus extrahit his verbis :* Stabat autem S. Christina in templo ante Apollinem et Dainaum, et magna voce dicebat : Tibi dico, idolum sine anima, in nomine Domini nostri Jesu Christi exi de templo hoc, et ambula per spacium quadraginta pedum, et sta illic in loco, quo præcipio tibi. Exivit idolum, ambulavit, et stetit in loco, ubi ea præcepit Sancta, *etc. Viden' ut gradatim crescat oratio? Quod Passio nostra num. 13 narrat de craticula, Lectiones Neapoli excusæ, consonantibus in re anonymis, sic memorant :*

ex variis textibus

74 Judex jussit cunam æneam fieri, picemque, resinam et oleum in eam mitti, et subtus valde incendi ; miseruntque Virginem milites intus, et quatuor ex eis cunam agitabant. *Credite posteri. Alphanus scenam hic novam adornat, dicens Sanctam sese* in ollam ferventem citissimo cursu

AUCTORE J. P.

cursu projecisse. *At quo teste id dicit? Apud Latinos scribitur sagittis interiisse; ast apud Græcos in Menæis magnis excusis, notatur capite truncata; ut videre ibidem datur hoc die versus finem. In Ms. Bœvrariensi dicitur* in visceribus gladio percussa, cum paululum supervixisset... migrasse ad Christum. *Quis vero nisi excors credat id, quod habet codex noster Molsheimensis, cui fere consonat alius item noster anonymus, de Sanctæ depositione seu sepultura?* Venit autem quidam de genere ejus, qui et ipse crediderat per B. Christinam: fecit martyrium (ejus, *sicut addit anonymus citatus, id est ædem Martyri sacram)* in templo Apollinis, et collocavit eam ibi. *Lectiones Neapoli impressæ ad finem diei octavæ:* Martyrium ejus in templo Apollinis celebravit. *Ms. Bœvrariense rei incredibili aliquam verisimilitudinis speciem appingit his verbis:* Aliqui Christiani... sepelierunt eam diligenter in templo Apollinis, quod ipsa, fusa oratione ad Deum, prostraverat, contriverat, ac funditus destruxerat. *Combina ista, si possis, cum loco, tempore, aliisque adjunctis; cum medios inter gentiles hæc facta fuisse oportuerit.*

B

hic proferuntur.

75 *Alphanus Acta scenicis ornamentis infarsit, ac dialogismis supra modum et fidem interpolavit, magis solicitus, ea ut belle comeret, quam ut vera ac sincera diceret; quo factum est, ut non tam historicum agens quam oratorem, misere rem totam depravarit. En tibi specimen ex descriptione tribunalis:* Erat autem in medio templi tribunal, argenteis parietibus in sublime erectum, cujus fastigia ebore nitidissimo tegebantur, in qua aurea solis imago micantibus e cæsarie radiis coruscabat, quæ quasi stellarum repetendo zodiacum cursu citissimo ferebatur: signa quippe sex a dextris, totidemque a sinistris occidere et exsurgere alternatim bina sibi quæque ex adverso obsistentia videbantur: ibi horæ, ibi dies, ibi menses, ibi anni suis spatiis circumibant. Aureus axis erat, radiorum argenteus ordo per juga chrysoliti fulgebant ordine ducti. *Ecce nos tandem sensim sine sensu in medium, si Superis placet, abductos Parnassum. Tu de ceteris, lector, ex hoc specimine fer judicium; quidquid infra a Peunatio Alphanus defendatur* § 10; *ubi plura dicentur.*

C

Historia Sanctæ in Mediolanensi Breviario correcta;

76 *Deinde Actis* S. Christinæ *vulgaribus non modice officere videtur, quod lectio de hac Sancta, continens compendium historiæ vulgaris, et Breviario Ambrosiano ecclesiæ Mediolanensis, edito anno* 1593, *ad Matutinum die* XXV *hujus inserta, postmodum in nova editione istius Breviarii, quæ accurante Frederico Cardinale Borromæo, ejusdem ecclesiæ archiepiscopo, anno* 1625 *in lucem prodiit, longe aliter referat Passionem; ut merito suspicari liceat, ejusdem fidem circa res in illa prioris Breviarii lectione contentas, postea vacillasse, cum alia deinde ei fuerit substituta; quod haud dubie non contigisset, si prior probatæ fidei habita fuisset, et correctionis non indiga. At quandoquidem de correctione hic incidit sermo, juverit circa hanc sequentia observare.*

at corrigi vix potest; quamquam non omni auctoritate careat, ex S. Aldelmo,

77 *Difficillimum enimvero est, Acta ista ad sanam et historice probabilem revocare correctionem; quia regula in promptu non est, ad quam illa fieri possit. Itaque quantum ex iis factis, quæ vulgo circumferuntur, retinendum sit; quæve et quomodo mutanda, ignorare me profiteor. Pondus aliquod habet compendium supra productum ex S. Aldelmo ob antiquitatem scriptoris: unde arguas, aliqua tum temporis exstitisse, e quibus ille sua delibarit. Acta Græca nec vidimus, nec visa ab aliis novimus: supponere tamen liceat, ea aliquando scripta fuisse, tum ex elogiis supra datis, tum ex singulari veneratione, qua Græci nostram Martyrem prosequuntur. Adde, quod S. Josepho in suo canone videantur aliqua Acta præluxisse, e quibus puncta quædam delegerit; quæ indicent congeriem historiæ multo tolerabiliorem præ ea, quæ hic prælo datur, quæque ad fidem ejusdem canonis aliquo saltem modo videtur posse emendari; prout faciendum monuimus circa historiam S. Alexii, tom.* IV *hujus mensis, a num.* 33 *Commentarii prævii ad istius Sancti Vitam. Josephus itaque* S. Christinæ *ista accinit: Ode* 1: Omnem paternum errorem et impietatem reliquisti. *Ode* 3: Ligno graviter alligata *es* et rasuras perpessa. *Ode* 4: Ludibrio habuisti flagra... pater impiissimus et sævus tormentorum injurias tibi minatur. D

et S. Josepho

78 *Ode* 5: Tamquam angelicam in corpore naturam sis nacta, cibo angelorum te angeli cœlestes paverunt... Te ligarunt inimici, et in aquas projecerunt. *Ode* 6: Genitor cum videret abs te, Martyr, patrem amari cœlestem, barbaricam ostendit mentem, et multimodis pœnis te subjecit: nam impius propriæ naturæ limites ignoravit. *Ode* 7: Tibi cum ardente igne versanti non fuere curæ ardentia membra. Sanguinis tui imbre insani deorum cultus fluenta exsiccasti: nunc vero maria sanitatum pluis. *Ode* 8: Nocivum tentationum et pœnarum mare indemnis pernavigasti divina gubernatione. Serpentem demersisti, o Martyr, in profundo tuorum certaminum. Vivo verbo ad vitam revocasti mortuum ex morsibus... venenosorum serpentium. Terribili serpenti vivacibus tuis certaminibus mortem intulisti, precumque tuarum *quasi* incantationibus sopivisti immites feras, et a damno, quod illæ inferunt, mansisti procul. E

COMMENTARIUS PRÆVIUS

PARS II. F

SEU POTIUS CONTINUATIO PARTIS PRIORIS.

§ VIII. Notitia operis, ad propugnanda Sanctæ Acta, nuperrime in Italia editi.

Datur

D*educto jam huc usque in illustrandis* S. Christinæ *rebus gestis Commentario nostro prævio, submissæ nobis sunt novæ circa idem argumentum notitiæ; uti jam indicavimus: quas ne lectoribus subtrahamus, prioribus paragraphis sequentes duximus superaddendos. Anno* 1725 *Montefalisci edita sunt Italice Vita et martyrium* S. Christinæ, *in sex libros divisa, ac dedicata Eminentissimo S. R. E. Cardinali Petro Otthoboni, Vice-Cancellario. Vitæ istia pag.* 249 *subnectitur idiomate Latino exaratum opusculum, hoc titulo inscriptum:* Engyotheca sacra, tribus distincta partibus, didascalia, propugnaculo

A pugnaculo, et myrotheca. *Sive autem per vocem Engyothecam (Græce ἐγγυοθήκην) intelligas scrinium, in quo veluti in fidejussione deponuntur nummi et pretiosa supellex; sive arcam seu vas, in quo servantur instrumenta vel arma; eodem fere redit, cum constet, in eo tamquam armamentario condere voluisse, quæ ad Acta Sanctæ defendenda ac illustranda maxime conducere judicabat, istius Engyothecæ auctorem, reverendum admodum scilicet atque amplissimum dominum Splendianum Andream Pennatium Surianensem, protonotarium Apostolicum, et vicarium generalem civitatis Urbisveteris. Et vero in Isagoge sua ad Engyothecam sacram pag.* 251 *satis diserte illud indicat, quando ista scribit* : S. Christina in Fastis Latinis et Græcis recensita quantum honoris et gloriæ apud omnes est consecuta; tantum salsuginis et criterii, illius passa sunt Acta, licet digna Argivo clypeo; quæ tamen nullo furfure sunt conspurcata, ex quibus historiam contexìmus.

novi operis, quo S. Christinæ Acta propugnantur;

80 *Quod reipublicæ litterariæ bene vertat! Mira certe sunt, quæ magno adeo hiatu de Actis illis, e quibus historiam contexuit, ille scriptor prædicat. Exposita itaque trium partium, in quas suam En-*
B *gyothecam distribuit, notione, et rerum in eis tractandarum materia* : Quoad Acta Mss. *inquit pag.* 252, quatuor exemplaria nacti sumus, videlicet : Acta ex codice Urbevetano, quæ NOSTRA vocitamus; ex archivo S. Mariæ Majoris, quæ Liberiana; ex bibliotheca S. Mariæ de Vallicella, quæ Vallicellana; et ex archivo cathedralis Castellanæ, quæ Fescennina. *Habemus quidem hic Engyothecam instructam codicibus magni in speciem nominis, velut totidem armis, utinam magnæ rei, et ut ipsius phrasi utamur,* Argivi clypei *vim habentibus, ad propugnanda Sanctæ gesta.* Quo vero, *uti mox pergit,* ad edita; distinximus auctores, qui uberiori stylo, ab illis qui contractiori ediderunt; unde epitomarii possunt appellari. Hi omnes dantur, servata auctorum chronologia, de quibus singillatim agitur, *hoc ordine : de Actis Mombritianis a pag.* 377; *Alphani a pag.* 392; *Vincentii Bellovacensis a pag.* 415; *Jacobi de Voragine a pag.* 423; *S. Antonini a pag.* 427; *Petri de Natalibus a pag.* 432; *Jacobi Philippi Bergomensis a*
C *pag.* 436.

et notitia

81 *Parte autem prima prædictæ Engyothecæ, quam Didascalium vocat; ut quæ contineat documenta varia historiæ, a pag.* 253 *plures notitias suggerit de suis Actis primævis, uti vult, Urbevetanis. Narrat itaque invenisse se in civitate Urbevetana die* XXI *Martii anno* 1722, sacrum, *frustra a se alibi quæsitum,* thesaurum litterarium in duos dispertitum magnos codices seu tomos in folio pergameno maximo augustali, et charactere antiquo cubitalibus litteris circa annum MCC, exaratos.... Hi codices cura et magnis impensis presbyteri Guidonis Valloclensis S. Constantii ecclesiæ parochialis, et SS. Virginis Mariæ ecclesiæ cathedralis capellani, qui vixit anno MCC, fuerunt exarati..... In primo igitur tomo prædictorum codicum fol. CLIV, a col. 2.... exarantur ipsius *(S. Christinæ)* integra Acta.... Quis hæc scripserit Acta, nos latet : fuisse vero sacerdotem, qui S. Christinæ lavacrum sacri baptismatis contulit, conjectura, non asseveratione assequi possumus. Quicumque verumtamen fuerit scriptor, cœlesti sapientia ac phrasi illorum temporum fuisse imbutum, ipsamet Acta docent.

AUCTORE J. P.

Actorum Urbevetanorum,

82 Quod autem fuerit scriptor testis oculatus, ideoque hæc historia sit reponenda in primo gradu, ex ipsis narrationibus videtur posse antumari. Stylus simplex est, ac devotione refertus, si eodem spiritu, quo scripta sunt, legantur..... Nos grandi sumus perfusi gaudio in horum inventione Actorum, ea merito putantes megalographiam, et electro lucidiora; cum in his, licet tenues, non quod pueri in faba, sed cœlestis sapientiæ thesaurum invenerimus. *Non ita tamen hæc Acta laudat eorum inventor et editor, quin fateatur pag.* 255, *ea* in aliquibus partibus intellectu *esse* difficillima : ut videre est, *inquit,* præcipue in orationibus et responsionibus S. Christinæ, et in aliquibus scriptoris narrationibus.... Et quidem ex parte S. Christinæ, orationes et responsiones, difficultates multas et graves involvunt : quia cum anima excelsæ perfectionis esset, et cœlestis sapientiæ splendoribus irradiata ac in actu loqueretur martyrii, dictante Spiritu sancto.... sæpissime symbolis et allegoriis multa velantur mysteria et arcana recondita : eloquium E
enim et lingua Christinæ, lingua angelorum.

quæ eorum editor

83 Ex parte vero scriptoris operosa redduntur, et frequentes difficultates complicant Acta : hic enim sanctitate pariter ac cœlesti lumine imbibitus, multa ex gestis in martyrio, et in Martyre sanctissima, prudenter variis occulit symbolis; ne fidei mysteria ethnicis, quorum manibus teri poterant Acta, innotescerent. *Pagina vero* 256 *sic pergit* : Multæ in his quoque Actibus recensentur angelorum apparitiones, synaxis sanctissimæ administratio, eximia quoque miracula, ipsius Christi apparitio, animarum conversiones, et hujuscemodi alia mirabilia : ex quibus hypercritici quidam, fide parum stabiles, fidem adimunt Actis, eaquo dilacerant tamquam fabulosa, quando Dei omnipotentia, bonitas et providentia esset ipsis extollenda atque laudanda. *Et pag.* 257 : Inter tot Acta hæc nostra, *inquit,* esse primæva, sinceriora, et uberiora, suadet, imo probat lectio ipsa : nam in his nostris multa sunt, quæ in aliis desiderantur, ut inter alia quædam responsiones et apparitiones; dies mar- F
tyrii et sepultura. Si conferas sedulo hæc nostra Acta cum aliis, nobiscum convenies, esse primæva et sinceriora, ut suo loco repetemus.

summis laudibus extollit;

84 Proximitas quoque, *uti censet,* hujus civitatis Urbisveteris loco martyrii, et patriæ S. Christinæ, videlicet Vulsinio, magnum est argumentum veritatis et sinceritatis : cum Sanctorum gesta in proximis locis elucidiora semper appareant. Eadem sunt Acta, quæ reperiuntur in codice civitatis Castellanæ, et a nostris exemplata putamus.... Sunt quoque eadem, quæ nostra, *uti asserit pag.* 258, Acta Vallicellana, a numero videlicet primo usque ad septimum inclusive : nam ab octavo usque ad finem conveniunt Vallicellana cum Liberianis.... Ceterum in his Actis nostris desideratur baptismus a sacerdote S. Christinæ collatus, qui unice refertur in Actis Liberianis; sed in his nostris supponitur uti collatus, ut suo loco probamus. Desiderantur etiam disputationes, et catechismus S. Christinæ, quæ omnia unice pariter habentur in Actis Alphani :

AUCTORE J. P.

phani : omissa vero a nostro scriptore; quia unicam assumpsit provinciam narrandi martyrium, et ea omnia, quæ ipsum respiciebant. *Ita Andreas Pennatius.*

tamquam antiquiora

85 *Porro inter alia, quæ præmittit Actis S. Mariæ Majoris seu Liberianis a se editis, memoratus Pennatius, observat hæc pag.* 351 *:* Videntur posteriora nostris Actis *(Urbevetanis)* quia multa, quæ lato calamo in nostris, *inquit,* narrantur, in his constringuntur per epitomen ; breviarium autem est suo uberiori fonte posterius. *In notis autem ad prædicta Acta Liberiana pag.* 361, *ponit a* numero quinto usque ad numerum decimum finalem concordare hæc Acta cum Vallicellanis a numero octavo usque ad numerum decimum tertium. *Denique, ut compendio utamur, vult Acta Vallicellana esse posteriora Actis suis pag.* 363 ; *Mombritiana item pag.* 378 ; *a Bellovacensi edita, pag.* 416 ; *ubi fatetur,* hæc *quidem apud Bellovacensem* Acta magnam habere affinitatem cum Actis *suis* Urbevetanis.... illorumque esse quoddam breviarium et epitomen : aliquando tamen ab
B his discrepare...., et tunc ab *ejus* Actis deviare ; cum scriptor epitomen agit eorum, quæ diffuse latoque calamo in Actis, *inquit,* nostris *(Urbevetanis)* narrantur.

sint præ aliis

86 Hoc evidens signum, hæc Acta esse nostris posteriora ; *quod eodem imo potiore jure juxta Pennatii principia dicendum erit de aliis Actorum abbreviatoribus ; Jacobo de Voragine, de quo, juxta dicta, agit pag.* 423, *S. Antonino pag.* 427, *Petro de Natalibus pag.* 432, *ac Jacobo Philippo Bergomensi, pag.* 436. *Acta vero sua Urbevetana longissime aliis omnibus antecellere, disertis verbis testatum voluit, quando Engyothecæ parte* 2, *seu in Propugnaculo pag.* 484, *ita eorum auctoritatem ac fidem supra alia omnia commendavit :* Qui ergo Actis S. Christinæ vulnera contra justitiam addiderunt, duplici ex capite sunt decepti : vel quia Acta nostra sincera præ manibus non habuerunt ; vel quia irrationali censura sunt usi. Rara esse Acta S. Christinæ, quæ censura et correctione aliqua non indigeant, aperte fatemur sed non ideo omnia spuria.

ac sinceriora.

87 *Et pag.* 450 *suorum Actorum sinceritatem eo*
C *usque extollit, ut nullam in illa censuræ notam cadere censeat : nam relatis Papebrochii verbis e collectione Ephemeridum Græco-Moscarum, quæ nos supra protulimus, et quibus ille apud Græcos æque ac Latinos* obscura esse *Sanctæ* Acta, nec levi examine ac censura egere, ut plurium Sanctarum hujus generis, *recte observat ; ista reponit Pennatius :* De obscuritate, verum fatetur, ut patet ex notis ad Acta, *ait,* nostra ; et de censura quoque, si de Actis corruptis, non autem de nostris sinceris sermo est. *Habet itaque hic lector Acta* S. Christinæ *summa accuratione, teste eorumdem laudatore atque editore Pennatio, exarata, nec minore omnium ac singularum partium symmetria composita, historice vera, neutiquam sublestæ fidei suspecta, sed pura ubique, ubique sincera narrationis serie constantia ; ut alia omnia Acta, huc tamquam ad lapidem Lydium admovenda ac probanda esse, terminis minime dubiis aut obscuris indicarit Pennatius. An et quam recte, discutiemus paragrapho sequente.*

D

§ IX. Nostrum de isto opere judicium.

Seculum 12, quo exemplar Urbevetanum exaratum sit,

In *discutiendo Opere, quod Pennatius V. Cl. nuperrime in lucem edidit, non pauca nobis se offerunt, diversi quidem ea generis, tametsi ad unum idemque sanctæ Martyris nostræ argumentum spectent. Sed ab Actis Urbevetanis, quibus tamquam fundamento potissimum superstruxit totum ad vindicandam ejusdem Sanctæ historiam propugnaculum, incipiamus. Probat quidem suum codicem, in quo Acta ista continentur, fuisse exaratum seculo* XII ; *id quod nos non inviti, ipsi concedimus ; at edicat nobis, amabo, quid præsidii aut commendationis sperari jure possit ex tantilla antiquitate, respectu Martyris, cujus res gestas codex iste describit, quam laudatus auctor Vitæ Italicæ lib.* 5, *cap.* 8, *num.* 2 *martyrio perfunctam vult anno* 290 ? *Atque adeo inter illam, tunc secundum ipsum mortuam, atque inter ejusdem Acta, post annorum circiter nongentorum intercapedinem exarata, quænam vel per um-* E *bram inveniri potest proportio, satis ad faciendam fidem accommodata, quod istud exemplar sit primævum, genuinum ac sincerum ?*

nihil confert

89 *Enimvero post interjectum tot seculorum prope immensæ durationis chaos, immane quantum furfuris ac sordium Actis primævis adspergi sæpe consueverit, ignorare potest nemo, qui in hujusmodi rebus paullo peritior est ; nos certe illud probe novimus, experientia edocti fere quotidiana, quantum interjectu ætatis Vitæ Sanctorum a primævo suo candore degeneraverint ; quantum posteriorum transcriptorum manus, ad res ornandas prurire visæ, earum sinceritatem detriverint, non tam solicitæ ut vere, quam ut belle et compte scriberent. Et, quæso, unde constat Pennatio, sui exemplaris fontem adeo diu mansisse illæsum, intactum et a sordibus vacuum, ut nihil umquam fæcis ei adspersum fuerit ; cum, vel ipso teste,* rara sint Acta S. Christinæ, quæ censura et correctione aliqua non indigeant ? *Sævitum ergo ab interpolatoribus et corruptoribus in alia fere exemplaria omnia ; ast Urbevetano, si ipsi credimus, unice parcitum. Sed de hac re paullo post Virum eruditum conveniemus :* F *nunc de ætate istius exemplaris, in quo vim bene magnam ponit, quod seculo* XII *exaratum sit, paucula superaddamus.*

ad probandum historiæ hujus sinceritatem ;

90 *At seculum istud* XII *respectu historiæ, quæ seculo, uti editor censet, tertio contigerit, non antiquitas, sed juventus est ; quia novem seculis junior est re antiqua, quam describit ; ac proin nullum ex prætensa ejus antiquitate pro rerum, quas exponit, genuina ac primæva sinceritate desumi potest argumentum, si illa aliunde careat, uti revera caret. Nam ut facta mere historica, adeo ex genere suo mirabilia, fiant credibilia ex sua præcise antiquitate, proportio aliqua accedat necesse est inter rem scriptam, atque ejusdem scriptorem : qui si synchronus fuerit, fidem meretur maximam ; si suppar vel subæqualis, minorem ; si ne vel sic quidem vicinus, iterum minorem ; et sic porro deinceps pro majore vel minore distantia ; quæ quia adeo hic magna est inter eum, qui exemplar Urbevetanum transcripsit ; neque conjectura quidem ulla assequi possumus, quando et a quo scriptum fuerit illud exemplar, quod Urbevetano isti transcriptori præluxit ; sequitur,*

A *tor, ut argumentum valde debile sit, quod antiquitate istius codicis petitur ad conciliandam nedum asserendam primigeniam Actis* sanctæ Christinæ *sinceritatem.*

non magis quam tres nostri codices illo antiquiores;

91 *Jam vero quoniam istorum Actorum propugnator codicem suum seculi* XII *toties et tam magnificis verbis debuccinare non cessat, audire ne gravetur, tres codices penes nos asservari, optimæ notæ et antiquo prorsus charactere exaratos in membrana Fuldensem, Molsheimensem, et alium acephalum anonymum, superius memoratos, ad seculum circiter decimum vel undecimum referendos, certe seculo* XII *antiquiores; in quibus Acta* S. Christinæ *conscripta leguntur. Non videmus itaque cur, ratione ætatis, major codici Urbevetano debeatur sinceritas, quam tribus hisce nostris, in quibus æque atque aliis omnibus in hoc argumento exemplaribus, quorum quidem notitiam nancisci potuimus, primævam omnem sinceritatem desiderari diximus, cum Acta, quantum scimus, omnia quæ vulgo circumferuntur, massa sint ejusdem substantiæ, ex corrupto ac male sibi cohærente materia coagmentata. Sane dum videremus,* B *Acta Urbevetana adeo multis elogiis efferri supra alia omnia exemplaria, a suo editore; cupido nos incessit, incomparabilia ista Acta conferendi cum Fuldensibus, quæ typis destinaveramus: quod et factum est.*

cum Acta, a Pennatio edita cum nostris in substantia conveniant.

92 *Ecce autem, unum exemplar si noris, utrumque noris in substantia: utrumque enim in substantia convenit; rebus utrumque consentit, quamquam ambo circa ea, quæ rebus accidunt, non raro dissentiant. Atque illud imprimis observari volumus, Acta Urbevetana hinc inde Fuldensibus esse diffusiora, atque auctiora; atque adeo, si ex illo capite Fuldensibus non sint deteriora, non ideo saltem ad primævam simplicitatem magis accedentia; quidquid vel ob hanc causam Urbevetana sua aliis, ut vidimus, anteponat eorum editor; cum tam ipsi quam nobis propter Actorum corruptelam, atque incertitudinem inde exortam, regula desit; cujus adminiculo majorem vel minorem a veritate historica circa dicta ac facta Sanctæ, accessum vel recessum tuto ac prudenter dimetiri queamus, vel aliquo saltem probabili indicio de illis conjectare. Consequens itaque est, ut insignes adeo sinceritatis primigeniæ* C *dotes, quas Actis suis attribuit Pennatius, plane ex dictis evanescant; cum illas neutiquam mereantur, donec probetur, Acta ista habere melioris notæ characterismos, quam habeant tot alia superius enumerata: qua in re frustra laborabit Pennatius.*

Plurima incommoda circa dotes,

93 *Itaque ut dicta hactenus circa partem longe præcipuam memorati operis, a clarissimo Pennatio in lucem editi, quam Propugnaculi titulo indigitavit, concludamus, plura puncta, quæ asserit in favorem Actorum suorum, probanda ipsi incumbunt.* 1. *Quod* nullo furfure conspurcata *fuerint illa*, e quibus historiam *suam* contexuit. 2. *Quod* fuerit sacerdos, qui S. Christinæ lavacrum sacri baptismatis contulit, conjectura non asseveratione assequi *se* posse. 3. *Quod Acta Urbevetana sint melioris notæ, quam Liberiana, Vallicellana ac Castellana, aut alia plura, tam ab ipso edita, quam a nobis superius allata.* 4. *Quod* fuerit scriptor *Urbevetanorum*, testis oculatus, ideoque hæc historia sit reponenda in primo gradu, ex ipsis narrationibus, videri posse autumari. 5. *Quod orationes ac responsiones, sanctæ Martyri adscriptæ, non sint purum putum dramaticum ornamentum.* 6. *Quod eodem non sint referendæ* angelorum apparitiones, synaxis sanctissimæ administratio, eximia quoque miracula, ipsius Christi apparitio, animarum conversiones.

AUCTORE J. P.

a quibus Acta sua extollit Pennatius,

94 *Probandum item Pennatio incumbit* 7. *Quod recurrendo ad* Dei omnipotentiam, bonitatem et providentiam, *non nimium probetur; nam sic quælibet fere Acta, etiam aperte fabulosissima, fient optima; imo vero vix ulla omnino dabuntur mala. Deus quidem tam in hac nostra, quam in aliis Sanctis, mirabilia ista, imo etiam plura efficere potuit (quis enim infinitæ omnipotentiæ ejus terminos ponat?) Sed quod Deus ista effecerit re ipsa hic, illud quæritur, et non probatur.* 8. *Quod ideo, quia in Actis Urbevetanis* multa sunt, quæ in aliis desiderantur, ut inter alia quædam responsiones, et apparitiones, dies martyrii et sepultura, *sint potius indicium primævæ sinceritatis, quam posterioris interpolationis.* 9. *Quod* proximitas... civitatis Urbis-veteris loco martyrii, et patriæ S. Christinæ, videlicet Vulsinio, magnum *potius* sit argumentum veritatis et sinceritatis, *quam nova suspicionis non temerariæ occasio, quod ex incertis factis conflata sint tam hæc Acta, quam alia omnia, superius enumerata; cum juxta dicta, de loco natali ac martyrii omnia incerta sint.* E

solvenda proponuntur:

95 *Addit Actorum propugnator, quod* Sanctorum gesta in proximis locis clucidiora semper appareant; *sed bona verba, quæso. Novit quidem, quod Acta Urbevetana seculo* XII *ibidem transcripta sint; sed unde novit, quod exemplar, ex quo transcripta tunc fuerunt, ibidem loci primo scriptum sit? Scimus quidem,* Sanctorum gesta, *ceteris paribus,* in proximis locis clucidiora apparere; *sed quid lucis hic speres, ubi tam loca ipsa, quam alia gesta Cymmeriis tenebris obtecta sunt? Atque hæc quidem sunt, quæ tam amplissimo Pennatio, quam aliis eruditis proponenda censuimus; ne, si forte incidant in opus Pennatianum, severioris, quam par sit, adversus Acta hodierna censuræ nos merito arguant. Magnam quidem laudem meretur Pennatius, quod summo et indefesso labore, diligentia singulari, atque operosa indagatione omnes, ut ita loquar, angulos excusserit, unde aliquid erui poterat, quod ad* S. Christinam *attinebat; sed sine delectu et criterio plurima ex iis, quæ invenit, mox tamquam vera et certa avidissime arripuit, in chartam congessit, ac luce digna censuit; incertis ac mere popularibus traditionibus plus æquo tribuens.* F

qui in pluribus

96 *En pauca tibi specimina. In Vita Italica lib.* 1, *cap.* 4, *pag.* 17 *asserit,* in insula Martana videri, sicut ego, *inquit*, vidi turrim descriptam in Actis nostris S. Christinæ; et habet easdem circumstantias: *nimirum* est alta, imo altissima respectu lacus inferioris. Habet formam turris, *etc. Et post nonnulla, quibus suam inter hanc turrim, et illam, quæ in Actis exprimitur, continuat parallelum, addit inter alia,* remansisse in uno cubiculo, turri contiguo, *picturam, quæ* distingui non possit, qualis sit, inducique *se ait*, ut credat, quod sit cubiculum S. Christinæ, in quo ipsa sese inclusit, quando se vestivit veste candida, a patre sibi transmissa, et ubi apparuit ei angelus, et eam communione impertivit: unde fideles istorum temporum illud depinxerunt, et in veneratione illud habuerunt; et fortasse illud commutarunt in sacellum, ad celebrandam ibi sanctam Missam. *Cap.* 4, *pag.* 114 *vult,* extra civitatem Tyri

AUCTORE J. P.

Tyri fuisse famosum templum Apollinis, et hodiedum adhuc videri; in cujus frontispicio circumcirca portam marmori insculpta erant diversa animalia, quæ hodiedum ex eadem sublata, videntur in frusta *disrupta et* abjecta, in ecclesia seu oratorio antiquo S. Angeli, hodiedum derelicto; et recognoscitur a peritis esse sculptura istorum temporum.

nimium credulus fuisse

97 *Eugyothecæ parte* 1, *cap.* 1, *pag.* 277 *in notis ad sua Acta Urbevetana ceuset,* hanc Virginem *(Christinam)* ante baptismum fuisse a genitoribus appellatam TYRIAM, ex universali et constanti TRADITIONE, quæ Vulsinii adhuc viget; cui profecto, *inquit,* TRADITIONI fides est adjungenda : nam Christinam a Christo derivari, et pueros haud latet; quo nomine parentibus ethnicis exoso fuisse denominatam, nemini est credibile. *Traditiunculæ ac ratiunculæ hæ adeo aperte leves sunt, ut refutatione non egeant. Et ibidem pag.* 296 *in nota ad ista verba Actorum suorum :* Sancta autem Christina conversa est a dextris, et invenit panem positum candidum tamquam lac, et B dulcem super mel et favum, *parum abest, quin huic loco divini verbi auctoritatem attribuat; ut qui, si Pennatio credimus,* recondita nostræ fidei arcana et mysteria altissima redoleat; quæ si quis criticastulus suæ ignorantiæ et cæcitatis trutina expendere voluerit, Acta lacerare... non erubescet. Sed facessat cæcutiens humanus *quisque intellectus in* divinis, *ipsumque* IN OBSEQUIUM FIDEI CAPTIVET, ut instruit S. Paulus.

ostenditur.

98 *Quod, quid est aliud, quam omnem in factis mere historicis discutiendis ac secernendis crisim, omnino sæpius necessariam, e medio tollere; cujus tamen usu post Eminentissimos ac sapientissimos Cardinales, de republica utique litteraria cumulatissime meritos, Baronium ac Bellarminum; ut plures alios, ac nos eorum exempla secutos prætereamus; cujus, inquam, usu id boni in Ecclesiam catholicam invectum fuit, ut, eliminatis anilibus ac mere popularibus næniis, verisque a falso discretis, debitum historicis monumentis pretium, quod hæretici doleant, strenue vindicatum fit, suusque etiam falsitati ab illis designatus sit locus.* Criticastulos *hic non moramur, qui leviusculis nixi suspicionibus,* C *omnia pene facta arrodunt, vellicant, in dubium revocant, et sic* Acta lacerare non erubescunt. *Verum hic, uti et alibi, rei etiam optimæ ex se, et ad publicum bonum conducentissimæ, datur usus et abusus : tolletur hic, manebit ille, si declinato utroque nullius ac nimii criterii extremo, in medio sanæ ac prudentis censuræ spatio sistatur, modusque semper adsit ac certi fines, quos ultra citraque nequit æqua crisis consistere. Atque ex his non obscure liquet, quid de recenti isto opere, quatenus propugnare contendit Acta* sanctæ Christinæ, *sit sentiendum. Nunc porro ad alia progrediamur, quæ ad illud spectant.*

§ X. Aliæ circa nonnulla, in dicto opere contenta, observationes.

Notæ, *quas jam aliquoties citavimus, et quibus Acta sua Urbevetana explananda dilucidandaque censuit Pennatius, adeo magno labore ac molimine sunt undique conquisitæ, ita singulis fere* D *textus vocibus singulæ accommodatæ, ac sæpenumero etiam affectatæ, ut non tam notas quam Commentarium confecisse visus sit, non magno admodum operæ pretio, extensum a pag.* 276 *ad usque paginam* 350, *ac variis lectionibus, sententiis Scripturæ sacræ ac Petrum, nec non inductionibus aliorum Sanctorum, etc. infartum. Erit haud dubie, qui majorem et hic in Pennatio brevitatem ac delectum requirat. Certe quod Melchior Canus, maturi judicii censor, pronuntiabit alia occasione lib.* 11 *de Locis theologicis cap.* 6, *videtur nostri, quo de agimus, auctoris lucubrationibus non incongrue accommodari posse. Sic ergo loquitur Canus :*

Pennatio multa sine sufficienti delectu undequaque conquirenti

100 De Vincentio Belvacensi, et divo Antonio * liberius, *inquit,* judico; quorum uterque non tam dedit operam, ut res veras certasque describeret, quam ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur. Ita ad historiam unamquamque existimandam, momentoque suo ponderandam, non artificum statura, sed ne populari quidem trutina usi sunt. Quamobrem boni licet ac minime fallaces viri, qui tamen nec auctores eos, a quibus suos E exscripsere libros, diligenter examinarunt, nec res justis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud criticos graves atque severos auctoritate carent. Historicus autem, qui theologiæ decreto *(cur non et historiæ criterio?)* probandus erit, nec omnes schedas, lectione etiam indignas excutiet, nec anilibus fabulis accommodabit operam; nec prius lecta, auditaque describet, quam ea prudenti accuratoque judicio expendat ac seligat. *Ita Canus, emunctæ naris criticus, non* criticastulus, *quæ cum proportione aliqua in Pennatium cadere videntur : quem certe dolemus, convenientem rei, quam tractavit, et parem diligentiæ, quam adhibuit, delectum non conjunxisse.*

videtur quadrare locus e Melchiore Cano desumptus;

* Antonino

101 *Nec vero nos latet, istum scriptorem Engyothecæ suæ parte* 1, *cap.* 6 *inter alia, quæ præmittit Actis a Vincentio Bellovacensi scriptis, dicere, quod eum* a Melchioris Cani criteria * egregie vindicat modernus scriptor in sua historia ecclesiastica tom. 5, colloq. 5, pag. 399. *At pluris enimvero hic valet unius Cani judicium, communibus passim eruditorum suffragiis approbatum, quam ut recentioris alicujus, et nullius vel certe non magnæ notæ scriptoris historici vin-* F *diciis elidi queat; qui certe pluris valere nec potest, nec debet, quam valeant rationes, ex accommodata argumento, quod probare is intendit, auctoritate desumptæ.*

cujus judicium pluris æstimandum est.

* criterio

102 *Acta ab Alphano interpolata vindicare conatur Pennatius Engyothecæ parte* 1, *cap.* 5, *pag.* 393, *quasi, ipso judice,* magnæ temeritatis et impudentiæ crimen sit, hunc notare scriptorem eximium de fabulositate, utpote a se de quibusdam adinventis proprio marte, qui.. sanctitate ac sapientia præstitit apud omnes. *Et sic concludit :* Tali ergo et tanto præsuli fides est omnino in omnibus adjungenda, omniaque ab eodem exarata atque narrata non ex ideali propria inventione (hoc enim nefas est de tam celebri viro in Sanctorum gestis cogitare) sed vigili cura atque solertia ex antiquissimis et authenticis manuscriptis desumpsisse ac delibasse, prorsus cuique sano judicio pollenti fatendum est. *Tanti vero facit ista Acta Pennatius in sua Vita Italica concinnanda,*

Acta ab Alphano scripta, perperam vult Pennatius esse sincera:

A *cinnanda, ut illa identidem citet, quasi continuo verum ac sincerum sit, quidquid ille auctor narrat; quod contra nobis superius num.* 75 *visum est; quo lectorem remittimus. Et ne plura consectemur; quod orationem composuerit Alphanus, rhetoricis ornamentis phaleratam, ut alia indicia omittamus, potuisset clarissime perspicere bonus Pennatius, si modo in ejus Acta, quæ edit a pag.* 393, *oculos conjecisset cum attentione, et seposito partium studio.*

quæ nos ostendimus, orationem esse potius.

103 *Ita enim incipit prologus seu orationis exordium :* In claro et exornato triumpho Christinæ virginis dicere existimavimus aliquid, et ex admirandis ejus Actibus posteritatis memoriæ tradere, atque id potissimum prosequi, *etc. Peroratio sic habet :* Cur insensate furis Urbane? Cur Idion æstuas perditissime? Ad quid truculentissime niteris Juliane? Excogitare nova, et prioribus graviora supplicia, multiplicare verbera, accumulare pœnas... Ecce jam speciosissima Virgo post fustes, et vincula : post ignem, et rotam : post torturas, et verbera : post cunam et tonsuras : post truncationes, jacula, *etc.* B *Quæ certe luculentissime demonstrant artem rhetoricam compte figuratam. Audi nunc apostrophen, ad Sanctam creberrimis repetitionibus consarcinatam :* Sed tu, o devotissima sponsa Filii Dei, amica Patris omnipotentis, *etc.*

rhetoricis ornamentis phaleratam.

104 Nunc per amœna convallium purpurei cespitis carpis florentes violas : colligis immarcescibiles rosas : metis nardostaceas spicas. Tu modo secus aquarum decursus, et vitrei fontis marginem sedes... Tu inter virgineos choros... Tu solio Christi assides... Salve perenniter puellare decus, pudor virgineus, virtutis exemplum. Salve perenniter, quæ tuos speciosos artus, *etc.* Salve perenniter, quæ totius libidinis nescia, *etc.* Salve perenniter, quæ amplas porticus, *etc.* Salve perenniter, quæ tanta exaggerata suppliciis, *etc.* Salve perenniter, quæ principum jussa contemnens, *etc.* Salve perenniter, quæ cœli jam sublimata fastigio, *etc. Quanta hic verborum ac sententiarum oratoria luxuries! Quid est Ciceronem perorare in Rostris, si hoc non est? Sed vel Alphanus ipse satis clare indicat in fine, se non tam historiam* C *quam sermonem, homiliam aut orationem condidisse, quando auditores suos ipsa Sanctæ festa luce ita compellat :* Igitur, fratres beatissimi, quia B. Christinæ triumphalem diem celebri solemnitate deferimus, nobis, quod possumus, de ejus virtutibus vindicemus. *Quod itaque hæc oratio inter genuina, uti vult Pennatius, Sanctæ Acta sit reponenda non concipimus.*

Tyrum in Italia olim exstitisse,

105 *Tyrum in Italia ad lacum Vulsinium, frustra superius* § 2 *a nobis quæsitam, invenire conatur Pennatius Engyothecæ suæ lib.* 6, *cap.* 8, *in notis ad Acta Urbevetana, pag.* 280, *sic loquens :* Tyrum fuisse apud lacum Vulsinium, et civitatem quidem... ex Martyrologiis omnibus, et quidem antiquis, sicut et ex Actis omnibus S. Christinæ, certissimum est, et in confesso apud omnes. *De Martyrologiis diximus supra. Acta Sanctæ omnia, quæ saltem novimus, tot titulis merito nobis aliunde suspecta, illud suadere neutiquam nobis possunt. Dispiciamus itaque, an circa loci existentiam hic controversam melius aliquid suggerat laudatus auctor :* Sed quæret quis, *ait,* quando et qua occasione Vulsinium vocitatum Tyrus? Responsum ex duabus traditionibus est referendum. Prima traditio... est... Tyria, nomen nostræ S. Christinæ ante baptismum, ideoque ab illius Martyris tempore vocitatur antiquum Vulsinium Tyrus, in honorem tantæ Martyris. *Auctores alios, ac præcipue Octavium Cajetanum, asserentes a Tyro Tyriam fuisse appellatam, dicit* in hanc ire sententiam, quia latuit ipsos constans et generalis traditio Vulsinii asservata; *sed nos istius qualisqualis ac certe meræ popularis traditionis infirmitatem jam ostendimus. Antiquitatis monumentis probe stabilitis, pro eo ac debemus, plurimum deferimus; non autem judicio popularis opinionis.*

AUCTORE J. P.

adeo infirmis suadere satagit argumentis,

106 *Pergamus itaque cum Pennatio ad secundam traditionem :* Secunda, *ait,* traditio est, Tyrum fuisse quamdam partem seu regionem Vulsinii, civitatis antiquissimæ, ut testabatur et narrabat codex quidam Ms. antiquissimus, e latebris subterranei cuniculi erutus; sed ad præsens in manibus cujusdam vetulæ deperditus : quem tamen vidit et legit adhuc in humanis homo grandævæ ætatis, et fide quidem dignus, ut ipsemet mihi retulit. *A codice in manibus vetulæ deperdito,* E *quid præter aniles nænias exspectes? Tantumdem probat homo ille grandævus ac fide dignus, quamdiu ipse codex non profertur : et vero quis proferri poterit adeo antiquus, ut de traditione, quæ prætenditur, sufficientem fidem facere possit? Ad hæc, quam facile codices antiquos esse credunt illi, qui codices antiquos esse volunt! Alexander Donzellinus, de quo pluribus agit pag.* 465, *quem pro ista traditione allegat pag.* 281, *ac post eum Coronellus nihil probant quidquam. Denique Pennatius tam nihil habens amplius, quod superadderet, quam causæ quodammodo suæ diffidere visus :* Si cui, *inquit,* hæc non arrident; meliora proferat, et assentimur : hujuscemodi enim apinis et tricis criticis... libenter vale dicimus.

ut persuadere id nequiquam possit.

107 *Nos certe nostrum profitemur nomen inter eos, quibus hæc non arrident; et quia meliora proferri posse diffidimus, ideo longe probabilius censemus, Tyrum in Tuscia circa lacum Vulsinium numquam exstitisse. Ceterum quæ ab eadem pagina* 281 *Pennatius profert de situ Vulsinii antiqui; an idem sit cum moderno; et an antiquum ex toto, an ex* F *parte tantum absumptum sit; ad nos adeo prope non spectant, ut pluribus hisce immoremur. Interim suis sese* vidisse oculis *affirmat* viarum vestigia... *et* signasse in *sua* topographia, una cum curruum signis...; exstare *item,* adhuc, licet inter vepreta et nemorosos frutices, amphitheatrum usque ad secundam sedem; aquæductus parietinas plurimas, *etc.;* domicilia *quoque* inferiora et subterranea fornicata; cuniculos, vias civitatis siliceas curruum vertigine consumptas, columnas porphyriticas, numismata Romanorum, *etc., de quibus ipse viderit. Et post pauca concludit,* partem minimam, et, ut *ipsi* videtur, suburbium quoddam antiqui Vulsinii, esse a lacu absorptum, totam civitatem vero excisam; *addens,* multos ex geographis et scriptoribus in varios impegisse errores circa Vulsinium seu, *ut ipse censet,* Tyrum, et insulas lacus, quia ea asserere sunt ausi, quæ propriis oculis non conspexerunt. *Dum vero dicit,* Vulsinium modernum seu recens, ipsimet conterranei Vulsinienses affirmant, fuisse quoddam sub-

AUCTORE J. P.

suburbium antiqui Vulsinii, a piscatoribus præcipue inhabitatum, *traditionibus mere popularibus aut incerta vulgi opinione iterum nititur, ne hilum quidem ad rem facientibus, donec sufficienter probentur.*

Baptismus Sanctæ, ab Alphano narratus,

108 *Verum ne in discutiendo Pennatii opere longiores simus, quam par est, suffecerit, alia quædam summatim ex eo delibasse. Circa baptismum, a Christo, uti volunt, Sanctæ collatum, plura superius a num.* 70 *præmissa fuere. Ex verbis S. Antonini, ibidem num.* 72 *ista occasione citatis, de* baptismo ejus mirandum, *etc.*, *colligit Pennatius pag.* 428, S. Antoninum non legisse Acta Liberiana, in quibus... narratur baptismus collatus S. Christinæ per manum sacerdotis. *Sed cur Actis istis plus fidei dandum, quam aliis; ac proin quid refert, utrum illa legerit vel non legerit sanctus iste Præsul? Cum omnia, sive materiam sive formam spectes, ejusdem sint valoris. Exempla quæ affert de aliis Sanctis a Christo baptizatis, ex Metaphraste, Petro de Natalibus, ac Gobato, parum nos movere debent, etiamsi ex convenientibus documentis stabilirentur.* B *Hoc enim ita stabiliri; nihil faciunt ad rem præsentem : nam pag.* 313 *Pennatius hunc baptismum negat, ex eo quippe quod juxta exemplar Urbevetanum, petat Sancta* signaculum, lavacrum, et illuminationem, *quæ* tria aliquando baptismum indicant; hinc aliquos occasionem sumpsisse asserendi, opinor, *inquit*, S. Christinam expostulasse baptismi sacramentum illudque e manibus Christi accepisse.

et eadem occasione istius auctoris fides discutiuntur.

109 Sed hoc asseverare ausi numquam fuissent, si hæc nostra, aliaque primæva Acta sincera perpendissent, in quibus S. Christina sacramentum baptismatis ante martyrium sumpsisse narratur : et quidem explicite, ut a Liberianis Actis; aut implicite, ut a nostris *Urbevetanis*; in quibus nulla prorsus de posteriori confieto baptismo fit mentio : *quem ut* mantissam seu potius fabellam rejicit, ab imperitis vel heterodoxis, adnitente diabolo, in Acta primæva intrusam, ut inimicus homo illa conspurcaret. *Unde sequitur :* 1. *Ut hinc confirmentur ea, quæ nos supra de isto baptismo diximus.* 2. *Ut Acta, quæ toties debuccinat tamquam sincera, corrupta hic et conspurcata fuisse* C *pateat : si vera hic, cur non etiam alibi, et quidem pluries? Seu potius, si hic eis fidere non potest Pennatius, cur alibi toties eis fidere ausit; imo cur toties eis fidi jubet, quoties ea citat (citat autem sæpissime) facta bene multa ex eorum fide pertexens in sua Vita Italica? Vidit tamen ex oratione seu petitione Sanctæ superiore Actorum Urbevetanorum, clare indicari aliquem baptismum, et salvo eorum textu, hunc negari non posse : illud ergo habuit reliquum, ut, exsufflata baptismo fluminis, confugeret ad baptismum igneum seu flaminis. Idcirco mox ponit illam conclusionem :* S. Christina in lacu non recepit a Christo Domino baptismum aqueum, sed igneum, *rem extrahens per paginas omnino decem et amplius. Sed fixum habemus, ipsum non sequi, ac tempus perdere, quamdiu certius nobis non constat, ulla Acta esse tantæ sinceritatis vel auctoritatis, ut ex eorum verbis veritas talis baptismi ullo modo suaderi queat; quod merum videtur effugium, ad propugnanda hic Acta tamquam sincera : quæ neutiquam nobis ejusmodi probantur.*

D

§ XI. Ratio chronologica, canonizatio, epitaphium, lapis sepulcralis, etc., responsiones item Pennatii ad objectiones contra Acta, expenduntur.

Idoneis neutiquam documentis ad rationem Sanctæ chronologicam

Q*uæ ad rationem Sanctæ chronologicam spectant, omnia prorsus obscura atque incerta sunt, juxta ea, quæ superius* § 1, *num.* 11 *diximus. Sed Pennatius ex fide Actorum suorum Urbevetanorum, in quibus notatur* complevisse... martyrium... quinta feria, *conatur in suis ad illa notis pag.* 350 ex assignatione hujus feriæ, *extundere* annum præcisum martyrii; *de quo uti et de chronologia historiæ pluribus egerat in Vita Italica lib.* 5, *cap.* 8, *martyrium innectens anno* 290 *sub imperatoribus Diocletiano et Maximiano. Sed Pennatius hanc rationem temporis probat potissimum ex verbis S. Antonini. Verum quod ex S. Antonino* (et aliis, *ut vult, sed eos ibi non nominat) subsidii exspectes ad ordinandam etiam dumtaxat conjecturalem, qualem vult Pennatius, historiæ chronologiam; cum iste Sanctus post duodecim primum secula, et quod excurrit, a martyrio* S. Christinæ *scripserit?* E

utitur Pennatius,

111 *Aliam notam temporis ad texendam istam chronologiam assumit ex die festivo, quem solennem habuerit Urbanus, ejusdem pater; et duabus istis epochis superædificat suum systema chronologicum a pag.* 184; *et ita quidem, ut a die* XXII *Junii, anni* 290, *usque ad* XXIV *Julii, ejusdem anni, vitæ ipsius postremi, singulis successive diebus singula Sanctæ gesta accommodata exhibeat. Sed illa nullam prorsus, ne conjecturalis quidem, chronologiæ speciem habent : nam omni prorsus etiam conjecturali fundamento carent, quia Acta, unde ista chronologica rerum a Sancta gestarum series desumpta, et ordine anni, mensium ac dierum deducta est, ne probabilem quidem circa illa conjecturam fundare possunt; cum adeo obscura, dubia, incerta ac corrupta sint; e quorum numero non eximimus Urbevetana, et alia, quibus utitur Pennatius; sed dicimus, ea nobis haberi generis ejusdem, donec aptis documentis probentur esse melioris.* F

et ejusdem, ut vult, canonizationem, epitaphium,

112 *Nec melioris furfuris nobis est* S. Christinæ *canonizatio pag.* 202, *facta, ut censet, a S. Caio PP. anno* 290 ; *de qua item egerat pag.* 155 *contra eos, qui hanc attribuerunt S. Gregorio PP. VII; quorum ineptiæ commiseratione potius, quam refutatione dignæ sunt, atque ex allatis circa antiquum sanctæ Martyris nostræ cultum Martyrologiis solidissime convelluntur. Epitaphium, quod profert et explanat in Vita Italica lib.* 5, *cap.* 10, *a pag.* 191, *et cujus schema repræsentat lib.* 4, *cap.* 5, *tamquam pium symbolum admitti potest; et vero tamquam tale exhiberi Pennatius indicat, quando Sanctam alloquens :* Permitte, *inquit*, ut ad gloriam Dei, et ad tuum honorem nos inscribamus mausoleo tui sepulcri gloriosi istos cordis nostri affectus, *etc. Ast verum, uti vult, ectypum, inscriptionis sepulcralis repræsentat pag.* 152, *et mox pagina proxime sequente dicit, eam* per specialem Dei providentiam hodiedum inveniri apud PP. Conventuales S. Francisci, in conventu Tuscaniæ. Lapis hic, *inquit*, est e marmore rubro, et habet litteras has incisas,

A incisas; ac sine dubio sunt characteres istius seculi.

lapidis sepulcralis ectypum,

113 Copia istius lapidis, cretæ aut argillæ impressa ex suo originali, fuit subministrata a P. magistro Andrea Adami, *tunc* provinciali et Commissario generali Minorum Conventualium..... Dicitur communiter a dictis patribus Conventualibus, quod duo *isti* peregrini, qui furto abstulerunt corpus S. Christinæ, transeuntes Tuscaniam, ibi reliquerint supra dictum lapidem cum aliquot ossibus S. Christinæ, ut liberum haberent transitum. *Sed quia tum furtum duorum istorum, ut voluut, peregrinorum, de quibus supra; tum* filia Urbani de civitate Tyri, *prout inscriptio illa exprimit, nobis plane suspecta sunt; tum denique temporis antiquitas, quæ pro ista inscriptione accersitur, plane nobis non probatur; liceat nobis istum lapidem, adeo debili patrum Conventualium ac plane populari testimonio roboratum, non probare; ac dicere, melius multo Actis Sanctæ consulturum fuisse Pennatium, si hæc et cetera id genus majore aviditate quam discernicul operi suo non inseruisset. Est porro* Tuscania *(vulgo Toscanella) oppidum Italiæ ad Martham fluvium, inter lacum Vulsinium ac mare Thyrrenum fere medium.* B

ac lapidem item, Sanctæ collo appensum, ut facilius submergeretur.

114 *Lapis, qui Sanctæ collo, ut facilius submergeretur, alligatus fertur, quique maris superficiei supernataverit, Virginem ministerio angelorum eidem impositam sustinuerit supra mare, ac prodigiose deposita naturali duritie, mollis factus, impressa ipsius vestigia exceperit; (de qua re Pennatius a pag.* 85; *quemque lapidem Sanctæ vestigiis notatum hodiedum adhuc spectari asserit pag.* 88, *atque in æs incisum exhibet tabula* 4 *ante paginam* 141) *lapis, inquam iste, idoneis antiquitatis testimoniis destitutus, majorem non meretur fidem quam piæ ac popularis traditionis; quo* prodigio adeo sublimi, *ut habes pag.* 89 *(id quod nos, pie credi posse non negamus)* voluerit Christus Jesus similem sibi reddere istam suam dilectissimam sponsam Christinam, et simul prædicare illam gloriosam et admirabilem toti mundo. *Ceterum de vestigiis Domini Jesu in monte Oliveti relictis, agit Baronius ex S. Hieronymo, ad annum* 34. *Verum de his satis. Jam autem ne Pennatio ansam præbeamus conquerendi, quasi visa a nobis non sint, vel certe neglecta, quibus parte secunda suæ Eugyothecæ objectiones, ibi a se propositas, diluere satagit; visum est subjicere sequentia.* C

Juxta responsa,

115 *Porro objectiones illas distribuit in varias classes. Cap.* 3 *respondet objectionibus ex dictis et gestis* S. Christinæ; *cap.* 4 *et* 5 *Acta a fabulositate vindicat; cap.* 6 *dat solutiones ad objectiones a discrepantibus et contrariis; cap.* 7 *agit de aliis quibusdam variis objectionibus; quæ omnia cum apud ipsum videri possint, et non minus spongia indigeant, quam Acta ipsa, quæ auctor defendit, supervacaneum judicamus, ea huc singulatim transcribere Observare tamen ne gravetur Pennatius* 1. *Nulla Acta adeo esse fabulosa, corrupta et absurda, quin id semper caverint quilibet impudentissimæ etiam, dicamus potius nullius frontis, fabricatores eorum vel corruptores, ne chimæris seu somniis, physicam implicantiam involventibus, nugas suas infarcirent; et nisi hoc cavissent, ecquos, amabo, nugarum suarum emptores habuissent?* 2. *Hoc posito, nulla jam Acta etiam fabulosissima et ineptissima dabuntur in rerum natura, quin exponere aliquo saltem sensu et excusare queas et elidere* objectiones omnes, quæ in Acta fieri possunt, *ut Pennatii pag.* 487 *verbis utamur,* tam litterales, quam intellectuales, theologicas, chronologicas, atque historicas, etiam minoris notæ. J. P.

116 *Fac enim illa pugnare cum locis, temporibus ac personis; dicam vel anticipatione usum esse auctorem, vel hæc mendose transcripta, vel ab imperito superaddita esse, ceteris salvis ac sinceris; vel, sicut ait Pennatius pag.* 524, responde quoad annum, non fuisse præcise assignatum ab scriptoribus..... Quoad tyrannum et diem corrigenda sunt Acta Mombritii *(et quid ni sic etiam alia auctorum suspectorum aliorum Acta?)* ex omnibus aliis Actis, et scriptoribus *(ejusdem quamquam omnibus notæ.)* Error est autem et lapsus amanuensis (ut mihi quidem, *ait,* videtur) qui PRO DIOCLETIANO aut MAXIMIANO *(in Actis Sanctæ nostræ, et quid ni sic idem applicetur aliis?)* scripsit AURELIANO; et pro VIIII, scripsit VIII, ut sæpissime contigisse, *asserit Pennatius* aliis Actis vitio scriptoris: *qui item, ad solvendas quasdem particulares objectiones, quas recenset circa Acta Sanctæ: pag.* 506, responde, *inquit,* eum S. Thoma, hoc Dei speciali egisse instinctu; *pag.* 508 has omnes criticorum objectiones et dicteria a fidei defectu suam originem trahere.... ideoque his merito aptari illud Christi Domini: » O stulti » et tardi corde ad credendum »! *Si vero aliquid occurrit, quod* quamquam sapit impossibilitatem *secundum ea quæ Pennatius habet pag.* 509, responde *cum Vita Sanctæ Italica lib.* I, *cap.* 2, *num.* 4, *pag.* 8: *quibus Acta* E

117 Debere nos vehementer dolere, quod inter fideles, tales infideles et increduli inveniantur, insipida sua sapientia inflati, ut de illis, sicut de Hebræis incredulis debeat dici, quod non intellexerint mirabilia opera Dei, *etc. Et ex dicta pag.* 509 insuper adde, impossibilitatem ab adversariis somniatam se tenere ex parte naturæ, non autem ex parte divinæ gratiæ, ad quam primo loco mentis oculos convertere debent hypercritici isti, si fidem retinent. *Pluribus referendis supersedemus, hæc delibasse contenti; quæ eo valent, ut nulla jam (si Superis placet) sint Acta improba adeo et insulsa, ut coassumptis uno aut pluribus istorum principiorum (quidquid pluribus aliunde suspecta characterismis non valeant ut sana ac sincera defendi) defendi tamen sic possint ac debeant. Quod, quid, amabo, est aliud, quam omnem sanam historiæ trutinam è medio tollere, et apertissimam invehendis in Ecclesiam Catholicam fabulis portam reserare, plenis mendaciorum plaustris futuram perviam, non sine dispendio veritatis, et hæreticorum cachinnis. Quidnam igitur boni fecerunt duo lucidissima Ecclesiæ Catholicæ lumina, Eminentissimi Cardinales Baronius ac Bellarminus? Quorsum collimarunt plurium aliorum virorum eruditorum curæ, si hoc consecuti non sunt, ut plura facta mere historica, ad sani criterii regulas exacta, vel approbanda vel reprobanda evicerint?* *S. Christinæ* F

118 *Omnis itaque, ut ad propositum redeamus, objectionum, quas Pennatius adversus Acta* S. Christinæ *format, et solvere conatur, farrago eo tendit, ut ostendat, quod quælibet in speciem secundum ipsum difficultates sana aliquo sensu exponi possint, quodque hoc vel isto modo expositæ nulla censuræ nota perstringi mereantur, cum res sic potuerint* *ab objectionibus vindicare conatur Pennatius; jam Acta quælibet etiam pessima excusabis.*

contin-

AUCTORE J. P.

contingere. Sed quæritur hic, non quid potuerit contingere, sed quid re ipsa contigerit; quod vero ita contigerit, desumi debet ab auctoritate; et hæc a notis, adjunctis, et characterismis scriptoris aut rei scriptæ, quæ sint ejusmodi, ut cum majore vel minore rerum, quas proferunt, exigentia, accommodatam præ se ferant suadam, quæ virum prudentem moveat ad assensum. Id assecutus non est hactenus, nec porro umquam postea assequetur Pennatius circa sua Acta S. Christinæ; *quæ sincera, genuina atque omni prorsus fide digna vult esse, probare tamen id non potuit, uti superius ostendimus. Abundet vir clarissimus in suo sensu, per nos licet; sed nobis fixum sedet, sanioribus, uti putamus, principiis prælucentibus, adeo de Actis magnifice non sentire, donec vel sua Urbevetana, superius rejecta, vel ulla alia sincerioris esse notæ ostenderit.*

§ XII. Alia quædam pro Actis ab eo corrasa argumenta diluuntur.

B

Imbelle etiam argumentum pro suis desumit Actis

Telum, *Pennatii, ut videtur, opinione fatale, quia ultimo loco id sibi reservavit, et quo partem 2 suæ Engyothecæ seu Propugnaculum concludit, contra Actorum impugnatores evibrat, quando pag.* 226 *monet*, singulari esse animadversione expendenda Acta Sanctorum martyrum Aciscli et Victoriæ virginis, relata a Tamayo in suo Martyrologio Hispano XVII Novembris, pag. 204, quæ non solum in tormentis, sed et in ipsis tyranni interrogationibus, et sanctæ Virginis responsionibus, orationibus, animarum conversionibus, Christi et angelorum apparitionibus, sunt adeo Actis S. Christinæ assimilia, ut ab his videantur exemplata, utpote posteriora..... Alia eorumdem sanctorum Martyrum Acta, præcipue a Lippeloo pag. 204 ex Joanne Maldonato relata, tantam similitudinis speciem, *inquit*, non præ se ferunt.

ex Tamayo

120 *Sed telum hoc non adeo esse fatale, sed imbelle potius sine ictu, ratio evincit non una. Acta ista expendenda et discutienda erunt suo tempore. Nunc interim* singulari animadversione expendenda *relinquimus Pennatio hæc paucula I.* Relata *quidem* a Tamayo *citat*, in suo Martyrologio Hispano; *at figlinam sciat id esse, ex ineptiis et fabulis coagmentatam, sicut sexcentis locis alias in nostris Actis probatum est. II. In Actis istis apud Tamayum signatur annus martyrii* 303; *quo judicari possit, quod non sint valde antiqua, juxta id, quod observat Tillemontius monumentorum ecclesiasticorum tom.* 5, *pag.* 59. *Consuli etiam possunt Observationes ad Usuardum, jam ab annis aliquot a nobis illustratum, tomo* VI *Junii pag.* 617.

C

admodum suspecto, ac sæpius refutato.

121 *III. Dat quidem ea Tamayus* ex tribus legendariis Mss., Asturicensi, Segobiensi, et Toletano Montis Sion, nec non ex edito Hispalensi. *At cujus temporis, notæ ac pretii tria ista* legendaria Mss. *fuerunt, ut illi, tot nobis aliunde de causis suspecto, credere tuto possimus,* hæc esse vera et genuina Acta horum sanctorum Martyrum, *prout affirmat pag.* 207? *IV. Ea quæ Pennatius dicit, in* pluribus esse Actis S. Christinæ assimilia, *non probat magis esse sincera ac genuina, quam alia* eorumdem sanctorum Martyrum Acta, *quæ citat,* ac tantam similitudinis speciem non præ se ferunt. *Unde ergo hæc ultima tam ipsi non obsint potius, quam alia ista prosint? V. Cur Actorum apud Tamayum hinc similitudo, inde aliorum dissimilitudo cum Actis* S. Christinæ, *fundatam suspicionem non moveant, Acta ista duo non esse ambo genuina ac sincera, cum sint dissimilia inter se, atque adeo videantur vel addendo vel demendo non mansisse primigenia, sincera, et intacta? Hæc itaque* singulari animadversione expendenda *proponimus Pennatio. Verum ne quid hic præpropere circa illa Sanctorum Acta statuamus; hæc et alia discutienda erunt die* XVIII *Novembris, quo inscribuntur Martyrologio Romano.* D

Frustra etiam

122 *Laudatus auctor in sua appendice pag.* 557 *in patrocinium Actorum* S. Christinæ, *hic controversorum, describit partem præfationis, qua inchoatur martyrium S. Margaritæ, sub nomine Metaphrastis a Surio editum die* XX *hujus mensis; eamque addendam monet ad paginæ* 484 *versum secundum suæ Engyothecæ. Agitur quidem in illa dictæ præfationis parte de non paucis Sanctorum Actis* adulteratis, corruptis, sordidatis, conspurcatis et profanatis; *et in altera ejusdem præfationis parte, in hoc ipso tomo apud nos die* XX *Julii, martyrium S. Margaritæ a se emendandum, promittit ejusdem auctor; verum quamquam juxta promissum pluribus illud a sordibus expurgarit, non paucas tamen ipsum sordes expurgandas in eo reliquisse, ibidem tunc diximus pag.* 31. *Acta item S. Margaritæ alia aliis longe corruptiora sunt, prout ibidem ostendimus; aliqua etiam, quamvis non undequaque bona, minus tamen mala, uti habes pag.* 33; *id quod eodem prorsus modo dici non potest de Actis* S. Christinæ; *cum uniusmodi fere sint in substantia (nisi forte extracta ex Actis proferas compendia) neque conveniant, quidquid differant penes illa, quæ rebus accidunt, secundum dicta* § 6 *hujus nostri Commentarii.* E

subsidium petit Pennatius

123 *Ecquid itaque subsidii ex verbis memoratæ præfationis, ad tutanda* S. Christinæ *Acta habere queat Pennatius, neutiquam concipimus. Sed eo ibit utique, ut reponat, inde haberi, quod Acta martyrii S. Margaritæ corrupta fuerint; lubensque etiam ex supradictis concedet, quædam Acta nostræ hujus Sanctæ corrupta fuisse; sed sua in illorum non esse numero habenda. Sed ad hoc ipsius effugium satis superque supra respondimus, ut necesse non sit plura nunc superaddere: hoc enim aliud nihil est, quam mere asserere, gratisque velle, supra quam vel in speciem probari possit. Quod spectat ad locos Engyothecæ sacræ part. II, cap.* 3, *num.* 1; *et cap.* 5, *num.* 5 *et* 7, *in quibus agitur de responsionibus* S. Christinæ, *de miraculis, ac de multis Christi, et angelorum apparitionibus,* varia, *inquit Pennatius in eadem appendice, pag.* 558, possumus addere egregia exempla ex Actis eximiæ sanctæ virginis et martyris Margaritæ; cujus sacrum corpus Montefalisco magna veneratione servatur, etc. F

ex Actis S. Margaritæ.

124 *Sed addat ista, ac superaddat, quantum voluerit, Pennatius, per nos licet; quidnam hac via promoverit? De exemplis hic nulla est quæstio; neque exempla S. Margaritæ ista, prout vulgo narrantur, tametsi supponantur esse genuina, quæ tamen sunt suspecta, umquam efficient, ut gesta* S. Christinæ, *eisdem similia, vera sint aut falsa, quæ solis stant vel cadunt idoneis documentis. Itaque quæ ibidem addit Pennatius, quod* viderit S. Christina in carcere lucem magnam, et crucem præfulgentem, supra quam columba erat, Spiritum sanctum

A ctum præfigurans, qui et Ave dixit, et beatam Virginem allocutus est, eamque a plagis sanavit, et secundo apparens baptizavit. In ipsius vero pretioso natali, Christus ipse cum angelorum exercitu apparuit; *ista, inquam, neutiquam huc pertinent; et satis superque colligi potest ex Commentario prævio ad illa Acta* § 4 *et* 5; *quidnam circa hæc et similia statuendum sit. Interim ut rem cum Sancta nostra concludamus; neotericus legendista Gallicus, qui asserit,* Ecclesiam Romanam.... videri rejecisse vulgatam historiam martyrii; cum non sufferat, ut vel ultima inde lectio fiat Officii istius diei, *pluribus refutatur a Pennatio Engyothecæ sacræ part.* 2, *cap.* 2, *pag.* 490; *quia a S. Pio V decretum sit, ut in vigiliis tres lectiones legantur de homilia in Evangelium vigiliæ; de festo autem, sub simplici ritu occurente in vigiliis, fiat tantum Commemoratio. Vide rubricas generales Breviarii Romani tit.* VI, *num.* 4; *tit.* IX, *num.* 2; *et tit.* XI, *num.* 10. *Hæc quomodo ignorare potuit dictus legendista?*

Datur ratio, cur hæc diffusius tractata sint.

125 *Atque hæc quidem hactenus deducta, diffusiora videri possunt, quam res ipsa postulabat, quatemus opus Pennatianum spectant; quia tamen illud* B *Sanctæ hodiernæ Acta ita propugnat supra eorum meritum quam longissime, ut lector quilibet, præsertim rerum hujusmodi haud satis peritus, qui in illud opus inciderit, censuræ nos circa ista Acta plus æquo rigidæ ac parum fundatæ condemnare facile possit; visum nobis fuit, non abs re futurum, si paullo productius præsentis controversiæ statum, argumenta, objectiones proponeremus: quo fieret, ut lector quilibet per se, non perfunctorium sed integrum ac maturum de hac controversia judicium ferre posset, qui rationes nostras circa eam, debita cum attentione expenderit.*

§ XIII. Fama posthuma ex eodem opere novis notitiis illustrata, circa ædes sacras, officium divinum, imagines, ecclesiam collegiatam, hospitale, confraternitatem ac miracula.

C

Fama Sanctæ posthuma inclaruit ex ædibus sacris; et imaginibus,

F*ama Sanctæ posthuma potissimum illustratur ædibus sacris in honorem ejus erectis; quas nos ita enumeravimus supra, ut aliæ nobis deinde innotuerint ex Vita Italica amplissimi Pennatii lib.* 6, *cap.* 1, *et* 2; *de quibus ibi consuli potest laudatus auctor. Singulare circa cultum est, quod eodem cap.* 2, *pag.* 209 *refert fieri in ecclesia* S. Christinæ, *quæ est in* Montanso, *hodiedum adhuc dicto* Montarso, *qui est pagus medio milliari dissitus ab oppido* Ficulle *vulgo appellato, in diœcesi Urbevetana. Nam* feria secunda Rogationum, adit dictam ecclesiam S. Christinæ clerus Ficullensis cum consueta processione; et antequam ecclesiam intrent, cantatur Evangelium commune unius Virginis et Martyris cum sua oratione. Deinde intrant ecclesiam, et cantant Missam de Rogationibus; qua finita, a plebano ter cantatur versiculus: S. CHRISTINA, ORA PRO NOBIS. *De aliis supplicationibus infra* § 16. *Missa et Officium ritu duplici primæ classis fit Vulsinii, Panormi ac Sepini, tamquam de patrona principali; Urbeveteri autem ac in ejusdem diœcesi, ritu duplicis minoris, uti tradit Pennatius lib.* 6, *cap.* 3. *Ad famam item Sanctæ posthumam conducunt effigies, statuæ ac picturæ: de quibus agit Pennatius cap.* 3. *Primam et antiquiorem censet esse illam, quam æri incidi curavit, adjecto eidem gloria, per mysterium sanctissimæ Trinitatis expressa, quam invocarit et prædicarit* S. Christina; *et cum aliquot angelis, qui sæpius eidem apparuerint,*

AUCTORE J. P.

quarum hic una

127 *Additur prospectus lacus, turris ac fornaculæ; qua re alluditur ad ejus historiam.* Figura hæc, *ipso teste,* conspicitur depicta in tabula antiquissima artis optimæ et excellentis, tunc temporis; et a Petro Castellucci pictore Urbevetano judicatur esse pictura Petri Cavallini, Romani pictoris, qui floruerit anno MCCCXLIV, sicut scribit Georgius Vasari, *quem citat.* Imago itaque ista sita est in sacello sanctissimi Rosarii in cornu Epistolæ... et vestita est *Sancta* veste candida, quæ ad amussim repræsentet illam, quam induit existens in turri; *juxta prædictam historiam.* Supra hanc alia est vestis cum fundo rubro, in signum sui martyrii; variegata floribus candidis, in signum virginitatis ejus, et aquilis interspersa, in signum, sicut conjici posse *censet,* quod orta fuerit sanguine Romano ac regio. Illæ duæ vestes E ad pulsus arteriæ prope manus, sunt spectabiles; super quas gestat chlamydem quasi viridis coloris, in signum virtutis. Supra pectus sustinet dextra unam sagittam, elevata penna aut ala sursum, ac cuspide deorsum; in signum quod sit victima amoris; sinistra autem stringit librum clausum, symbolum doctrinæ ejus et divinæ sapientiæ Scripturarum. *En tibi nunc imaginis schema, ex ectypo Pennatiano a nobis æri incidi jussum, ad minorem tamen formam contractum, quam in dicto ectypo sit.*



Effigies S. CHRISTINÆ V. et M. ex tabula antiquiss.

128 *Exhibitæ porro imaginis descriptionem prosequitur Pennatius his verbis:* E capite ipsi dependent,

AUCTORE J. P.

pendent duo retorta capillamenta, aliis reclusis et involutis in calantica reticulata, quæ in fronte est ornata filo unionum, in signum, quod sit Virgo electa; sicut margarita est unio paradisi, quam divina gratia sit piscata in mari hujus mundi. Vultum habet bellissimum ac gratiosissimum; prout ad amussim in Actis describitur dotata fuisse venustate maxime singulari. *Habet hic lector mysticam dictæ picturæ explicationem juxta vulgarem Sanctæ historiam*, ex tabula antiquiss., *prout indicat epigraphe Pennatiani ectypi; cum tamen non sit antiquius prototypon seculo decimo quarto circiter medio; ut mirum nobis sit, priorem aliquam et antiquiorem ad ejus notitiam non pervenisse. De aliis picturis, ac statuis Sanctæ agitur ibidem pag.* 214 *et sequentibus. Huc spectant ecclesia collegiata, hospitale ac confraternitas, Vulsinii in honorem* S. Christinæ *erecta; de quibus Pennatius a pag.* 218, *tradit ista, quæ Latine reddita sic sonant :*

Item ex ecclesia collegiata Vulsiniensi,

B

129 Quando contigerit erectio *ecclesiæ collegiatæ cum suo capitulo*, non constat; asserere dumtaxat possumus ex documentis cancellariæ hujusce episcopalis, antiquissimam esse memoriam anno MCXLIX, IDIBUS APRILIS; *ex codice signato littera* B, *fol.* 89, *col.* 1, *num.* 2. *Et* legitur in una donatione : PRIOR SANCTÆ CHRISTINÆ CUM SUIS FRATRIBUS. Anno MCCXI, et annis posterioribus semper legitur : PRÆPOSITUS ECCLESIÆ SANCTÆ CHRISTINÆ, *ex eodem codice fol.* 113, *col.* 1 : sicut etiam leguntur collationes canonicatuum ecclesiæ S. Christinæ.. Præter canonicos leguntur etiam capellani ecclesiæ S. Christinæ, sicut anno MCCCXXX, sub die XXIX Maii; *ex codice signato littera* A, *fol.* 146 b; et in visitatione anni MCCCLVII, sub die XX Novembris; *ex codice signato littera* B, *fol.* 25 a. Legitur etiam capellanus capellæ imaginis S. Christinæ, prout alibi dictum. Ex Brevi Innocentii III, expedito Viterbii XV KAL. OCTOBRIS, PONTIFICATUS NOSTRI ANNO XII, qui fuit annus MCCIX; (creatus *enim* fuit *anno* MCXCVIII, VIII Januarii) constat, canonicos convixisse secundum sanctissimum ritum antiquum in domo canonicali, quæ stabat ad latus dextrum ecclesiæ antiquæ S. Christinæ : ubi in

C

præsentia est capella sanctissimæ Trinitatis, spectans ad D. præpositum Vincentium Brenciaglia; et in hac domo dormiebant et comedebant simul, *etc.*

circa cujus canonicos profertur hic breve Innocentii PP. 3.

130 *En tibi ipsum Breve Innocentii PP. III, quod laudatus Pennatius habet Engyothecæ sacræ part.* 1, *cap.* 15, *a pag.* 481, *quodque a se* extractum *dicit*, e codice pergameno signato littera B. existente in cancellaria episcopali Urbevetana, fol. 91, col. 4. *Sic itaque sonat :* Innocentius Episcopus, servus servorum Dei : Dilectis filiis, præposito et capitulo sanctæ Christinæ, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum inter vos de communi vita ducenda, et in communitate omnibus ecclesiæ vestræ proventibus redigendis quæstio verteretur; Nos ita duximus providendum, ut quemadmodum communiter sub eodem tecto dormitis, et in eodem refectorio manducatis, ac vinum habetis commune; ita panem, et cibos alios habeatis. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes proventus ecclesiæ vestræ in commune redigi facientes, tantum reservetis ex eis, quantum sufficere debeat communi victui juxta ipsius ecclesiæ facultatem; residuum inter vos pro vestibus, et aliis necessariis divisuri. Datum Viterbii XV Kal. Octobris, pontificatus nostri anno XII; *Christi autem* 1210.

D

Hospitale sub titulo S. Christinæ;

131 *De fundatione hospitalis Vulsiniensis sub titulo S. Mariæ et* S. Christinæ, *quæ facta sit anno* 1284, *sub die* XX *Novembris, meminit idem Pennatius ex codice signato littera* A, *fol.* 220 b; *ubi comparet aliquis Benincasa rector confraternitatis S. Mariæ, et* S. Christinæ, *et narratur, quod quidam Audigerius Rossi Vulsiniensis reliquerit suam domum prædictæ confraternitati, ut ad honorem SS. Virginis Mariæ fieret hospitale ad usum pauperum et infirmorum. Ex hac notitia sciri affirmat Pennatius, quod ad majorem* S. Christinæ *venerationem, ejus confraternitatem erexerint, cum titulo S. Mariæ et* S. Christinæ; *de qua confraternitate, ac de prædicto Benincasa fieri etiam addit mentionem in instrumento, quod refertur in codice nigri intrinsecus assumenti* (di fodere, *uti Italice vocat*, negre) *ubi fol.* 147 *legi dicit :* Discretus vir Benencasa rector fraternitatis sanctæ Mariæ, et sanctæ Christinæ de Bulseno, Urbevetanæ diœcesis, sub XXIV Novembris MCCLXXXIV.

E

quæ miraculis fulsit,

132 *Famæ Sanctorum posthumæ splendor maximus accedit ex miraculis, eorum ope patratis. Recensebimus hoc loco illa, quæ apud Pennatium Vitæ Italice lib.* 5, *cap.* 7 *referuntur, et* S. Christinæ *hodiernæ adscribuntur. Ex oratione, excusa in Breviario, uti vult, antiquo, quod existat Romæ in bibliotheca Alexandrina, excerpit ista :* Omnipotens sempiterne Deus, qui B. Christinam virginem et martyrem merito constantiæ, ac miraculorum flore decorasti, *etc. Mox commemorat apparitionem mirabilem festa ejusdem Sanctæ luce, super aquas lacus Vulsiniensis, item quando reliquiæ ipsius a duobus peregrinis transportatæ fuere Sepinum, magnum exstitisse miraculum significat, quod illi inde discedere haud potuerint; eademque occasione alterum huic miraculum accenset, quod thesaurus ille sacer amoveri non potuerit, nisi post emissum votum. Videsis, quæ nos supra ex Cajetano diximus. Sequamur ulterius præeuntem Pennatium. Ex Alexandri Donzellini (de quo pluribus agit Engyothecæ parte* 1, *cap.* 14) *historia sanctissimi corporis Christi, pag.* 61 *juxta relationem Sepino acceptam, indicat, quod ibi resplendeat numerosissimis miraculis.*

F

pestem Panormo fugavit; annonæ caritatem

133 Translatis autem Sepino Sanctæ exuviis Panormum, *sicut pergit Pennatius*, fugavit ex illa.. urbe pestem; *et* prima Dominica Maii, *qua* festa translationis lux *celebratur*, innumera quotannis operatur miracula, præsertim liberando a dæmonibus obsessos : *(adi sis libri* 5 *citati, cap.* 4*) Romæ item continua fieri miracula, per sacrum Sanctæ cor, ad mulieres gravidas delatum, affirmat laudatus auctor; qui mox subjungit notitiam beneficii plane singularis, Panormitanis concessi, ex Roccho Pirro; sed illud nos propriis Pirri verbis tom.* 1 *Notitiarum Siciliensium ecclesiarum ad annum* 1591, *huc transcribendum putamus. Sic ergo habet :* Annonæ caritate laborabat eo anno Panormus; ac ad preces publicas ventum est, ne fame enecti cives perirent. Per antistitem D. Christinæ Tyriæ virginis, sacræ reliquiæ, argentea inclusæ area, solenni inambulatione per urbem circumductæ; ac prope divinitus navis, quæ alio cursum

A sum intenderat, Panornum appulit opportune: cum vix ad alteram diem, quod frumenti in urbe supererat, alendis civibus satis esset.

ibidem mitigavit: cujus rei, publica testis est inscriptio.

134 Rem prodit hæc, quam subdo, inscriptio in S. Mariæ de Catena, *his verbis expressa:* Quod pop. Panor. laborante supplicatio per senatum decreta est, Christinæ sanctæ patronæ capsa ab æde maxima ad Mariæ de Catena per antistitem, ac cæterum sacerdotium pridie Idus Jan. religioso ministerio delata, quasi cœlitus sub XVIII Kal. Febr. onerariam navim, quæ Liburnis Messanam solverat, mutato cursu in nostrum portum suppetias venit subsidio frumenti, quod vix in alterum diem suppetebat: et per id tempus Dom. Henricus Gusman comes Olivarius prorex in Siciliam destinatus Neapoli, instinctu divinitatis annonæ abunde providendum C. P. beneficio accepto memoris, et gratantis animi significatione PP.

Antiquis miraculis

135 *Ad majorem miraculorum ope* S. Christinæ *patratorum, splendorem ac confirmationem, saltem quatenus ea hodiernæ nostræ Sanctæ attribuuntur,* B *intermiscere paucula hic liceat. Ex Officio translationis Sepinensis, de qua superius, habemus, quod* per *eam* in nostris, *inquit,* oris semper fiunt maxima monstra; *id est res supra communem naturæ cursum, seu miracula. Et ibidem habetur paulo post:* Nam pro nobis facit semper centum mirabilia. *At nunc recentissima quædam miracula nos vocant, quæ ex Italico Pennatii Latine vertimus, damusque in fide ipsius, tantum ponderis habitura, quantum eis deferendum suadent testimonia, quæ pro illorum veritate affert; et eodem modo accipi volumus, quo accipienda diximus plura miracula, quæ hodiernæ nostræ Sanctæ adscribuntur, iterum monentes, quod Sancti* illic majora signa faciunt, ubi minime per semetipsos jacent, *apud S. Gregorium Magnum loco citato; cui sanctissimus idem Pontifex mox subdit ista:*

qua hic ratione

136 Ubi in suis corporibus sancti Martyres jacent, dubium non est, quod multa valeant signa demonstrare, sicut et faciunt, et pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, utrumne ad exaudiendum ibi præsentes sint, ubi C constat, quia in suis corporibus non sint; ibi necesse est, eos majora signa ostendere, ubi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa est, tanto majus habet fidei meritum, quanto illic eos novit et non jacere corpore, et tamen non deesse ab exauditione.

subdantur nova.

137 *Quæ cum proportione ad rem nostram applicari, volumus, et eo valent, ut intelligamus, Deum per Sanctos suos, qui magna cum fiducia ac viva fide invocantur; aut quorum reliquiæ singulari pietatis sensu ab hominibus ita honorantur, tamquam hæ vel illi ibi sint, cum tamen ibi non sint; aut sic non sint, sicut optima fide, a piis clientibus ibi putantur esse; vel alii Sancti homonymi, ibi tantum sint: Deum, inquam, non raro ita coronare magnam istorum piorum hominum fidem, ut miracula etiam non deneget, tamquam vere physice ibi sint, quos clientes isti ibi esse firmiter sibi persuadent: adeo ut miracula in tali casu non fiant in confirmationem historiæ popularis Actorum Sancti, aut reliquiarum, sed ob singularem fidem illorum, qui Sanctorum patrocinium implorant. Et hoc sensu, non illo, verissimum est epiphomena, quo paullo inferius utitur Pennatius:* Tantum valet bona, ac vera devotio, ad incredulorum confusionem!

§ XIV. Recentissima miracula indidem desumpta; aliud ibidem relatum, hic examinatur.

Mulier a dæmone liberata

Pennatius Vitæ Italicæ lib. 5, *cap.* 7, *a pag.* 177: Subjungemus, *inquit*, nonnulla e miraculis, Vulsinii a S. Christina patratis, quorum notitiam habere potuimus; aliis omnibus notari neglectis, quæ magno in numero occurrerunt præteritis temporibus. Ista, quæ accepimus, relata sunt ab eo, qui illa vidit; aut narrata ab iis ipsis, qui gratias acceperunt; omnesque sunt personæ fide dignæ, ac suo testantur juramento. Domina Dionysia, conjux D. Francisci Piccioni, longo a dæmonibus tempore obsessa, in multorum aliorum sanctuariorum visitatione numquam liberata; tandem postquam venisset Vulsinium festa die S. Christinæ, XXIV Julii, vi ad E ecclesiam Sanctæ conducta fuit, spiritibus infernalibus, in ingressu portæ vociferantibus: Christina, Christina *(in Italico est* Cristinaccia, Cristinaccia, *per contemptum).*

ad aram S. Christinæ.

139 Postquam pervenisset ad altare antiquum S. Christinæ, præsentibus præposito quondam Joachimo Valeri, et D. cononico Adamo Mariottini, qui totum hoc narrat; ac supplicante, qui accurrerat, populo pro ejus liberatione, prout injunxerat supra dictus præpositus, liberata fuit, relinquentibus ipsam spiritibus hisce malignis, lampadem exstinguentibus ac vociferantibus: Alius, quam tu, potuit nos expellere, Cristinaccia.

Alia plura beneficia

140 Multis abhinc annis Vulsinii vivebat mulier quædam, dicta Lucretia Persiani, erga S. Christinæ fornaculam valde devota, quæ ab eadem sæpenumero erat visitata. Dum ad ætatem annorum 75 pervenisset, luce corporis privata, nolensque suam relinquere devotionem visitandi fornaculam prædictam; eo se conduci curabat F per comitatum cujusdam neptis suæ, nomine Flaminiæ; quo dum pervenisset, faciebat orationem; et post in discessu accipiebat lapillum aliquem ex illo sanctuario pro sua devotione, quem domum delatum reponebat in capsa; et quando male se habebat, fide viva S. Christinam invocando, lapillus serviebat ipsi pro præsenti medicina. Tantum valet bona fides, ac vera devotio ad incredulorum confusionem!

narrantur contigisse ad Sanctæ fornaculam,

141 Dum Paulus Brocchi gravi laboraret infirmitate, conjux ejus Flaminia supra nominata, periclitari de vita eum videns, indusium ipsius accepit, et invisum ivit S. Christinæ fornaculam, prædicto indusio parietes ejusdem tangens; domumque reversa Paulo marito suo illud adhibuit; qui paucis post diebus omni gravitate mali liber permansit.

Clericus Joannes Angelus Piccioni, ecclesiæ S. Christinæ æditiuus, juratus testatur, quod a corrogando tritico redux, iret invisum fornaculam sanctæ Virgunculæ; et quando eidem erat vicinus, senserit se correptum certo quodam timore

AUCTORE J. P.

more et horrore: unde hæserit suspensus, an accedere deberet. Sed sumptis animis, recitavit hymnum. JESU CORONA VIRGINUM, cum oratione Sanctæ, intravit fornaculam, mutato, quantus erat ante, timore in tantam devotionem, affectum et amorem erga sanctam Virgunculam.

suaves odores

142 Octo bonæ animæ, quas inter sacerdos est fide dignissimus, et multæ bonæ virgines, quæ non nominantur, quia vivunt; quando supra dicta fornacula purgabatur, suo cum juramento testantur, quod sub diebus XIX, XX, XXIII Julii anni currentis MDCCXXIV visitantes cum devotione prædictam fornaculam, ibidem perceperint diversos suavissimos odores *(quos breviter enumerat auctor)* et optime cognoscebant, quod exhalaretur *mixtus ille odor* e fornacula supra dicta. Sacerdos, qui olfaciebat odorem nardi suavissimi, dubius an non deciperetur et erraret, quærebat ex adstantibus, num gestarent odores; cumque responsum esset ei datum ab omnibus, quod odores haberet nemo, certior, fiebat, odo- B rem illum exhalari a fornacula.

exhalantem;

143 Una e supradictis virginibus aut puellis, valde timens Deum, accepit unum lapidem ex iis, qui fumo erant tincti in igne, ac posuit in sinu, et continue percipiebat suavissimum odorem incensi, a matutino tempore usque ad vesperum, tam intra quam extra domum; et monita a socia animadvertit, istum odorem exhalari e lapide prædicto, ut, ubi cum naribus admovisset, bene cognovit. Non et mirum, quod in hujusmodi sanctuario, in quo fuit S. Christina cum choris angelorum ad laudandum Deum inter flammas cum tantis miraculis manifestis, percipiantur odores angelici et paradisiaci. Mirum autem est admodum, quod nonnulli increduli, amissa quasi fide, quamvis existant inter fideles, recusent præstare fidem similibus narrationibus. Deus est mirabilis in Sanctis suis; et hoc solum debet sufficere.

cujus etiam aqua

144 In fundo supradictæ fornaculæ scaturit aqua; quæ accepta cum devotione et fide, operata est miracula. Angela Filandri, annorum sexaginta, sentiens oppressum caput gravissima fluxione, ivit visitatum cum devotione fornaculam S. Christinæ, et accepta lagena aquæ, quæ C ibidem assurgit, domum redux, lavans caput dicta aqua, et sanctæ Virgunculæ se commendans, subito sanata, et in capite purgata fuit. Dumque eadem etiam lavisset quamdam suam nepotulam dicta aqua, nomine Hieronymam, mensium septemdecim, quæ nec poterat pedibus subsistere, nec stare sedibus innixa, recepit subito gratiam, ut in suis stabiliretur membris.

Maria q. Angeli, acerbissimo dentium dolore correpta, nec remedii quidquam inveniens post unius mensis spatium in tormento continuo exactum, ad fornaculam S. Christinæ se contulit; et positis ibidem humi genibus, Sanctæ se commendavit; bibit ex supradicta aqua, et partem offensam ea lavit: et eodem tempore sanitatem recuperavit, non sentiens amplius ullum dolorem.

salutifera est.

145 Mathia q. Caroli, magno dolore supra genu sinistrum per duos menses afflicta continuos, ubi tumor etiam apparuerat, dum sine gravi incommodo incedere non posset, jussit sibi dari a Rosa, sua nepte, ex aqua fornaculæ S. Christinæ; lavansque ea partem offensam vespere, invenit se sanam et liberam tempore matutino sequente. D

D. Horatius Pillei, civis Vulsiniensis, febri laborans, malo partis sinistræ correptus, et motu, sensu et loquela privatus fuit: unde judicatum malum immedicabile. Camilla filia ejus, audiens de patris salute conclamatum esse corporali, ivit visitatum saxum vestigiorum S. Christinæ; cui ex animo se commendans, vidit, quod supradictum saxum sudore stillaret in magna abundantia: unde illud sudario abstersit; cumque eo domum reversa, tetigit partem offensam sui patris versus vesperam; et postridie mane perfecte se sanatum invenit, recuperato motu, sensu et loquela.

146 *Atque hæc sunt miracula, quæ ex Vitæ Italicæ libro 5, cap. 7 a Pennatio notata, huc transcribi potuerunt; qui in appendice, Engyothecæ suæ subnexa, pag.* 557 *monet*, præter miracula ibi relata, esse et alia multa, addenda post numerum XIII, pag. 180 *(id est post miraculum ultimo loco a nobis mox prolatum)* quæ, *uti addit*, typis currentibus, vel deinceps a Deo intercessione sanctæ virginis Christinæ sunt patrata; et ad præsens a vigili cura D. præpositi Vincentii Brenciaglia colliguntur. *Collectio ista quousque pervenerit, obsolutane sit et typis edita, an nondum etiam, nos latet; neque Commentarius hic noster proximis hebdomadibus prælo subjiciendus, eam moram temporis, quando hæc scribimus, patitur, ut si jam nunc in lucem prodierit ista miraculorum collectio, eam satis commode ac tempestive ex Italia nobis comparemus. Quare sufficiat nunc, confusam saltem meditati, et forte nunc absoluti istius operis notitiam lectori exhibuisse.* E

Alia miracula dicuntur colligi.

147 *Nunc nobis conveniendus est Pennatius super insigni admodum, patentissimo, ac primæ notæ, modo idoneis antiquitatis documentis probari queat, miraculo; de quo laudatus auctor Vitæ suæ Italicæ lib. 2, cap. 10; apparitione, inquam, annua capitis Sanctæ, miris modis apud ipsum ex Cajetano ibidem relatæ, uti et apud nos superius* § 3 *ex eodem Cajetano. Dicimus,* modo idoneis antiquitatis documentis probari queat, *juxta ea, quæ ibidem a nobis dicta sunt, et quo lectorem remittimus.* Debent, *inquit ibidem Pennatius,* hic redargui critici illi terreni, quibus, prout sibi videntur, oculatis, nauseam creant similes narrationes; qui condemnati sunt, tanquam infideles per simile exemplum, quod legitur in Actis sinceris S. Febroniæ, monachæ, virginis et martyris; quæ quotannis die suæ festivitatis, inchoato a monialibus divino Officio, apparebat in aëre tamquam vivens, omnibus visibilis; et *(si Menæis credimus)* cum ipsismet psallebat. *Sed redargutio ista nihil probat, sed sola verba dat, nihil rei, ac proin nihil ad propositum facit.* F

Miraculum de capite S. Christinæ quotannis apparente,

148 *Oportet enim distinguere inter exotice criticos et exotice simplices et credulos: hi quippe omnia credunt sine ullo discernieulo; illi omnia negant vel arrodunt sine justo discrimine: utrobique abusus; hic quidem per excessum, ibi vero per defectum. Media tenenda est via; adhibenda, inquam, in punctis mere historicis est æquis rerum ponderibus librata censura. Hac si usus fuisset Pennatius, non voluisset rem suam stabilire exemplo S. Febroniæ,*

a Pennatio

A *niæ, de qua in Actis nostris tom.* v *Junii, die* xxv : *nam cum Vita et martyrium istius Sanctæ,* auctore Thomaide, magistra Sanctæ et teste oculata *conscripta sint, exotice criticus sit, et supra modum incredulus, qui Actis illis atque adeo apparitioni, in eisdem narratæ, vel nullis vel leviusculis nixus ratiunculis, tum quod res mira sit, tum quod a femina referatur, fidem historicam deneget : Actis, inquam, illis, quæ solidissime in Commentario eisdem prævio,* § 1 *stabiliuntur his verbis :*

non satis stabiliri.

149 Gloriosa S. Februniæ pro Christo certamina, tanto ubique per Orientales ecclesias celebratiora fuerunt, quanto luculentiori testimonio scripta ea habebantur, fide scilicet oculata Thomaidis sanctimonialis, locum secundum tenentis in eo monasterio, ubi Febronia ab infantia fuerat educata, sub disciplina amitæ suæ Bryenes. Etenim illa, et cum Virgo cruciaretur, præsens sub habitu seculari interfuit... et quæ circa cultum ei institutum reliquiasque *(adde et circa dictam apparitionem)* acciderunt, per decem aut plures annos Martyri superstes, scire certissime potuit B debuitque. *Nihil simile habemus in ecclesiæ Sepinensis Actis, in lectiones divinorum Officiorum olim digestis, quæ pro apparitione* S. Christinæ *proferuntur ; cum incerti sint temporis, antiquitatis, notæ, auctoritatis, ac proin fidei etiam incertæ.*

hic ostenditur.

150 *Pennatius itaque ex* Actis sinceris *sanctæ Februniæ martyris, male arguit alios hic, quasi* condemnati sint tamquam infideles per simile exemplum ; *cum arguendus potius sit ipsemet : nam tametsi* simile *quidem utriusque apparitionis sit* exemplum ; *quia tamen auctoritas unius* exempli *seu apparitionis præ alia toto cœlo dissimillima ac diversissima est (qua tamen auctoritate, ubi cetera desunt, hujusmodi apparitionum veritas et stat et cadit) arguendus, inquam, potius ipsemet Pennatius, quod utramque istam apparitionem similis exempli, at dissimillimæ auctoritatis, simili vel eadem fide admittendam contendat; ita ut proin eruditis atque æquis rerum arbitris si non* nauseam *merito* creent, *saltem suspectæ videantur* similes narrationes, *donec sufficienter probentur. Alia exempla, quæ ibidem profert, nihil moramur : danda quippe ei erat sui facti probatio idonea, quod non* C *fit per aliorum exempla.*

§ XV. Auctarium de Sanctæ reliquiis, et inventione corporis, ut quidam volunt, ex laudato Pennatio; præsens indidem apud Torcellanos corporis status.

Variæ proferuntur

De *variis reliquiis, sub nostræ Sanctæ nomine, apud nationes plures per Europam asservatis, sermo nobis fuit in prima hujus Commentarii parte satis longus ; supersunt jam nonnullæ prioribus illis addendæ ex sæpe laudato Pennatio, ne neglexisse culpemur, quæ diligens iste collector circa præsens argumentum annotavit Vitæ Italicæ lib.* 5, *cap.* 5 ; *ubi imprimis affirmat,* Vulsinii.. in ecclesia PP. Conventualium S. Francisci inveniri partem maxillæ S. Christinæ, quæ non videatur, involuta *videlicet* taffetano, *ut vocat, seu panno tenuissimo* ex serico rubro. *Addit,* sacras hasce exuvias a P. magistro Petro Guicciardi, ministro ac socio Ordinis Minorum Conventualium in omnibus provinciis Ultramontanis, et ministro provinciæ S. Ludovici, donatas fuisse patri magistro Francisco de Monte Varco, ministro Tusciæ, cum pacto et conditione, ut deberet illas consignare conventui S. Francisci PP. Conventualium Vulsiniensium, juxta scriptum sub die.. Julii MDIX.

AUCTORE J. P.

circa reliquias S. Christinæ,

152 Anno autem sequente MDX, sub die XVI Junii idem P. magister Petrus Guicciardus præsens adfuit Vulsinii in prædicto S. Francisci conventu, et recognovit, supradictas sacras reliquias S. Christinæ esse easdem, illasque ipsas, quæ a se donatæ fuerunt ; et de novo ratam fecit donationem, conventui S. Francisci Vulsiniensi PP. Conventualium factam, eo pacto et conditione, ut supra dictæ sanctæ reliquiæ perpetuo retinendæ et venerandæ sint in supra dicto conventu ; et casu quo vellet eas alienare et transferre e dicto conventu, vult et determinat, ut guardianus Montepessulanus.. aut syndicus ejusdem conventus, possit ac debeat repetere et recuperare supradictas sanctas reliquias. Eodem die et E anno facta fuit comparitio, *uti vocat,* contradictoria *reliquiis, at* non subsistens, vicarii foranei Vulsiniensis, tunc temporis Constantini Puri, ac præpositi Ludovici Laurenti.

quæ Vulsinii esse memorantur :

153 Sub die XVII Junii MDX apparet fides ac testimonium, facta a P. magistro Francisco de Monte Varco, ministro Tusciæ, quod supradictæ sanctæ reliquiæ a se absportatæ fuerint Montepessulano, sibi donatæ a prædicto P. magistro Petro Guicciardi, hunc in finem, ut eas collocaret in conventu PP. Conventualium Vulsiniensium. Tota hæc narratio apparet e scriptura authentica, ad nos, *inquit Pennatius,* transmissa a P. magistro Carolo Andrea Adami, Conventualium Minorum provinciali *(cujus documentorum seriem producit laudatus auctor in sua Engyotheca, idiomate Latino expressam, parte* 1, *cap* 15. *a pag.* 476) unde notum fiat, quod supradictæ sanctæ reliquiæ, maxillæ S. Christinæ, sint veræ, et authentice recognitæ. *Quod veræ sint hæ reliquiæ, suadet earum possessio ; quod sint* authentice recognitæ, *persuadent documenta ; quod vero sint reliquiæ* S. Christinæ *hodiernæ, hoc opus hic labor est,* F *aliqua id saltem satis idonea et antiqua testificatione aut ratione probare ; idque potissimum ob illas causas, occasione aliorum, huic nostræ Sanctæ attributarum exuviarum superius parte prima hujus Commentarii a nobis allegatas. Quæ, cur et hic non obtineant, hactenus non videmus.*

et discutitur,

154 *Suspicamur, difficultatem Pennatio hic esse subortam (et vero suboriri ea merito poterat vel debebat) quo modo istæ reliquiæ, a quo, quo tempore, quave occasione Montempessulanum pervenissent ; prout non obscure colligimus ex ejus verbis :* Debemus, *inquit,* nunc indagare, quomodo istæ sanctæ reliquiæ S. Christinæ pervenerint Montempessulanum, præcipuam Occitaniæ inferioris in Francia civitatem. Quando duo devoti peregrini Franci executioni mandarunt Vulsinii sacrum furtum reliquiarum S. Christinæ, quas coacti fuerunt relinquere Sepini, uti narravimus, *ait,* cap. 3 *(et nos superius ex Cajetano)* non debet dubitari, quin peregrini isti aliquam earumdem portionem

AUCTORE J. P. tionem acceperint, quam postea in patriam reduces, ibidem reliquerint. Unde rationabiliter persuadere nobis possumus, quod hoc modo remanserint Montepessulani, quæ et patria fortasse fuerit devotorum peregrinorum. *Omnis itaque ratio, quod maxilla, quæ apud PP. Conventuales S. Francisci Vulsinienses asservatur, Montempessulanum pervenerit, et inde Vulsinium; ac proinde, quod ista maxilla sit vere maxilla hodiernæ* S. Christinæ, *et non sit maxilla alterius cujusdam Sanctæ homonymæ vel anonymæ, a Pennatio refunditur in historiam duorum istorum peregrinorum.*

an et quo modo 155 *Sed contra hanc tum recurrunt hic eædem difficultates, quas attigimus parte* I *hujus Commentarii, tum illæ, quæ allatæ sunt jam mox contra apparitionem annuam Sanctæ super aquas; cum utraque ex eodem hausta sit fonte, non satis a nobis probato. Viderit haud dubie Pennatius istas difficultates omnes vel saltem ex iis aliquas: nam lib.* 5, *cap.* 3 *memoratæ pluries Vitæ, a pag.* 160 *sequentes sibi objicit, et sic solvere conatur :* Quomodo umquam, *ait,* duo peregrini in domo aliena habuerint tam facilem aperturam, complendi B abscondite furtum adeo famosum tam magni thesauri, quem rationabiliter supponere debemus, retentum fuisse cum aliqua zelosa custodia? Sed evanescunt istæ oppositiones criticæ, si serio animadverterimus, quod primis seculis corpora Sanctorum præ timore persecutionum absconderentur, et muris munirentur ; sed dum seculis posterioribus illæ cessarent, cessavit etiam tanta cautela; et scimus *(sed quod scire se dicit, parum hic ad rem facit)* quod nostri antiqui ne quidem sigillarent reliquias, procedendo sancta cum simplicitate.

illuc Monte pessulano 156 Hodieque videtur locus, in quo, per antiquam traditionem, conservabatur corpus S. Christinæ; et quamquam ibi sit aliqua crates ferrea; cognoscitur tamen, non multum esse tuta; et aperta portula, intratur in locum vacuum aut parvum cubiculum retro altare. *Ceteris supersedeo; tum quia præter bonum, pium, simplicem ac popularem discursum nihil magnopere continent; tum quia ex custodia minus cauta, modoque furti, et judiciis Dei occultis, id unicum suaderi* C *potest, nihil obstare, quo minus furtum illud fieri potuerit, illudque spectata rerum, ac adjunctorum, quæ eam circumstant, natura, moraliter fuisse possibile : id demum unicum totus Pennatii discursus probat, quod nemo quisquam umquam negaverit. Frustra itaque adjungit,* casum *hic controversum,* essa extra omnem quæstionem, cum consistat in facto, Sepini, Panormi atque alibi manifesto : *appellat item ad* Mss. antiqua, contra quæ non valeant argumenta negativa cum contemptu venerabilis antiquitatis.

delatæ fuerint. 157 *At quum nimis liberaliter vocet* Mss. antiqua *et* venerabilem antiquitatem, *tam ne vel semel quidem aliqua antiquitatis specie illam probat; in qua tamen probatione omnis rei totius cardo vertitur.* Multi *vero* auctores, qui *furtum* illud referant, sicut citatus Cajetanus, Carrera et alii; *quia neoterici sunt, ne vel tantillam credibilitatis micam superaddere possunt; tanti utique et non pluris valentes, quanti valent testimonia, quæ proferunt. Ut vero rebus a se narratis suadam majorem conciliet Pennatius, exemplis utitur denuo, quibus ostendat, alibi obtinuisse similia furta; sed* D *nihil exempla hunc faciunt, ubi non quæritur, quid alias aut alibi contigerit, atque adeo hic contingere potuerit; sed sola auctoritas, qua factum fuisse probetur, quod factum fuisse asseritur. Exempla quippe potissimum ad concionatores spectant in formandis auditorum suorum moribus, non item ad historicos, quatenus facta expendunt. Sed nunc ad alias cum Pennatio Sanctæ reliquias progrediamur.*

158 Particulam aliquam de ossibus S. Christinæ virginis et martyris *asservari in sua civitate Urbevetana, interque alias reliquias populo ostendi in solennitate Paschæ post Vesperas, refert part.* 168. *Notitia aliarum reliquiarum,* *Quo autem tempore ac modo sacrum hoc pignus Urbemveterem pervenerit, nescire se fatetur, conjecturas dans.* Aliqua fragmenta ossium *honorari Tuscaniæ apud PP. Conventuales, ac servari in lipsanotheca inaurata formæ pyramidalis, ibidem asserit; quæ a duobus istis famosis peregrinis, ex traditione, ut fertur, illic relictæ fuerint. At vide quæ supra diximus de lapide, ut fama est, Sanctæ sepulcrali. His autem, quæ nos supra retulimus de* capite *in sacello Paulino basilicæ S. Mariæ Majoris Romæ, addi potest, quod sacrum illud caput una* E *cum multis aliis sacris reliquiis missum fuerit ad Paulum PP. V ab Antonio Albergati, Vigiliensi episcopo (de quo Ughellus Italiæ sacræ tom.* 7, *col.* 1279*) et Aquisgrano acceptum; saltem juxta probationem, quam Pennatius affert : ita enim legi asserit in litteris ejusdem episcopi ad supra dictum Paulum V, relatis ab abbate de Angelis, quem citat in descriptione supradictæ basilicæ lib.* 11, *cap.* 15. *pag.* 231.

159 *Quomodo autem illud sacrum caput translatum fuerit Aquisgranum, et a quo inde Vigilias,* *quæ variis Italiæ locis* *incompertum habet, et suggerit suam conjecturam. Quæ de* corde *memoravimus, ulterius illustrari possunt e Pennatio pag.* 169, *ubi et hoc sacrum lipsanum, et ejusdem thecam describit, quæ* partem *quoque ossis contineat, cum hac inscriptione :* De corde, et brachio S. Christinæ virginis et martyris *Sepini* os integrum brachii *relictum, quo translatum corpus, et inde Panormum transportatum fertur, in statua Sanctæ asservari, tradit Pennatius pag.* 170 *ex relatione D. Dominici Bini, archipresbyteri cathedralis Sepinensis. De corpore ac reliquiis* S. Chri- F stinæ *hodiernæ suppositis, agit Pennatius toto cap.* 6, *a pag.* 171 *; quo super argumento satis superius a nobis dictum est, ac porro dicetur infra post Acta.*

160 *Cyprianus Manente, et Monaldus Monaldeschi, apud Pennatium pag.* 154 *citati, qui in* *adscribuntur.* *historiis Urbevetanis narrent, anno* 1084 *corpus* S. Christinæ *a comitissa Mathilde inventum fuisse in insulis Vulsiniensibus; auctores, inquam, isti lectorem morari ne vel tantillum quidem debent : nam in eo sunt varii, ipso Pennatio judice,* et discordes, atque adeo suspecti. *Porro de incomparabili illa viragine Mathilde vide Acta S. Gregorii PP. VII apud nos die* XXV *Maii, pag.* 125; *et Chronicon Virdunense Hugonis abbatis Flaviniacensis synchroni, a Labbeo editum tom.* I *Novæ bibliothecæ Mss. librorum, pag.* 228; *ubi honorificentissimum ipsius elogium invenies una cum laudati S. Gregorii epistola, ad ipsam data. Vide etiam, quæ hoc die de illa inter Prætermissos dicuntur pag.* 490.

161 *De corpore Torcelli asservato actum fuit superius parte* I, § 3, *num.* 28; *quibus addi potest*

modernus

A *Præsens corporis apud Torcellanos status.* *modernus ejusdem corporis status ex Pennatio, Vitæ Italicæ lib. 5, cap. 6, pag. 171, juxta notitiam, ab illustrissimo domino Justiniani, episcopo Torcellano acceptam, suam apud hunc præsulem interponente auctoritatem Eminentissimo domino Cardinale Otthoboni; uti liquet ex humanissimis litteris, ab eodem episcopo ad laudatum Cardinalem datis, apud Pennatium loco citato pag. 172; quarum fragmentum ex Italico sic reddo:* Eminentissime ac reverendissime Domine, D. patrone colendissime. Missione quadam perfunctus, quæ Dominica ad vesperam, finem habuit, omnem, quam potui, diligentiam adhibui, ut venerandis Eminentiæ vestræ mandatis morem gererem. Hisce itaque paucas adjungo notitias, quæ circa corpus S. Christinæ V. et M. supersunt; quod totum integrum, et incorruptum hactenus una cum capillis in veneratione habetur hodiedum in ecclesia monialium Benedictinarum S. Antonii Torcelli; illuc translatum ex insula S. Marci de Anianis, *etc.* Transmitto etiam seriem gestorum, depictorum a celebri Paulo Veronensi, et partim ab alio auctore non parvæ æstimationis. B Si benignitas Eminentiæ vestræ recognoscat in me facultatem, ut ei serviam in rebus majoribus... cum sacræ purpuræ osculo ero semper E. V. humillimus, devotissimus, obligatissimus servus Marcus, episcopus Torcellanus. *Et notatur hæc epistola data* Murani XI Septembris MDCCXXIII.

§ XVI. Additamenta de acoluthia Sanctæ apud Græcos; de orationibus, hymnis, Officio et Missa apud Latinos; ac festis diebus cum bina supplicatione apud Vulsinienses.

Exponitur, quid præstiterit Pennatius circa Officium Sanctæ apud Græcos; D*e acrostichide, in honorem Sanctæ nostræ a S. Josepho Græcis modulis seu odis concinnata, ac Menæis Græcis inserta, meminimus parte* I *hujus Commentarii. Quia vero illa magnam acoluthiæ, in dictis Menæis præscriptæ, partem constituit, et* C *hujusmodi acoluthiæ seu Officia sacra passim, et promiscue in Opus nostrum transcribi non solent, nisi aliqua ratio vel nova notitia secus faciendum suadeat; ideo neque ibi data est, nec porro hic dabitur ista acoluthia e Græco versa: adde, quod puncta, quæ ad nostrum propositum facere possint, ex illa delibaverimus ad finem primæ partis hujus Commentarii. Suffecerit itaque indicare, quid in gratiam prædictæ acoluthiæ præstiterit sedulus ac laboriosus rerum ad Sanctam spectantium collector Pennatius. In Engyotheca itaque sacra, cap. 13, pag. 451:* Ex Græcorum Menæis, *inquit,* totam acoluthiam sive Officium in Latinum transtulimus, desumptum ex tertio tomo sub die XXIV Julii pag. 116; et iterum pag. 118, editionis Venetæ apud Nicolaum Dulcem de Joanninis anno MDCLXXI. Interpretatio, quoad fieri potuit, ad verbum Latine est reddita, non sine tamen Latinæ venustatis jactura; sed hoc factum fidelitatis servandæ gratia, *etc.*

163 *Idem auctor in Myrotheca sua cap.* I, *a pag.* 528, *orationum de* S. Christina *collectionem exhibet. Ibidem pag.* 530 *invenies, quod in quodam libro, cui titulus:* Litaniæ omnium Sanctorum cum selectis aliquot hymnis et orationibus, serenissimorum Belgicæ Principum mandato excusæ Antverpiæ ex officina Plantiniana MDCXXI; *quod, inquam, tam in isto libro, die* X *Maii et* XXIV *Julii, inter alios Sancto et Sanctas invocetur* S. Christina; *quam sub* XXIV *Julii in libello, Romæ anno* 1590 *apud Jacobum Tornerium edito, cum hoc titulo:* Nomina Sanctorum omnium, qui habentur in Martyrologio Romano, redacta in formam Litaniarum. *Hisce addit antiquum, uti illud vocat, opusculum, quod inscribitur* Antidotarium animæ; *ubi fol.* 115, *col.* 2 *in Litaniis pro defunctis Sancta invocatur, ut* intercedat pro animabus omnium fidelium defunctorum. *Minutiora quidem hæc esse fatemur, et ejusmodi, ut non tam Sanctæ gloriam multum illustrent, quam commendent collectoris diligentiam plane singularem: apud quem capite* 3 *hymni, cap.* 4 *epigrammata, et ode Sapphica producuntur; quæ vel indicasse, sit satis.* *AUCTORE J. P. orationes, etc. apud Latinos.*

164 *Sequitur caput* 5 *de Officio et Missa* S. Christinæ; *ubi notat Pennatius, penes Sepinenses officium proprium de natali, ac Missam fuisse, uti et de translatione* S. Christinæ; *additque,* Vulsinienses *sibi* esse testificatos, charactere Gothico fuisse exarata: omnia tamen, etsi sedulo perquisita, consueta hominum incuria deperdita; et, ut siquidem, *inquit,* opinamur, occasione reformationis Breviarii, et Missalis Romani, ex quo tempore illorum recitatio in clero fuit omissa. Licet ergo imparibus viribus, jacturam hanc nova Officii atque Missæ structura compensandam existimavimus. *Cujus Officii ac Missæ œconomiam, a se servatam profert; quam pluribus huc transcribere, nihil attinet. Mox vero recte, uti debuit, monet, ea recitari non posse, nisi accedente Congregationis sacrorum rituum calculo; cujus censuræ omnia subjicit. Quidquid sit de* charactere Gothico, *quo Vulsinienses volunt, Officium illud proprium ac Missam de natali ac translatione* exarata fuisse; *observari cupimus, nihil a nobis inveniri in nova ista Officii ac Missæ structura, quod translationem Sepinensem spectet: cujus Officium nos protulimus ex impressis.* *Incognitum* E

165 *Mirum certe, illud Pennatio adeo incognitum fuisse, ad omnes Sanctæ notitias etiam tenuissimas adeo impense intento; præsertim cum in Italia publicis typis excusum fuerit. Fatetur quidem in Appendice pag.* 556, *translationis Sepinensis se* Officii ardore ac studio rapi; sed præviis diligentiis non esse adhuc inventum. *In eadem appendice inveniet lector Officium* S. Christinæ, *idem cum eo, quod nos superius dedimus ex libello, Neapoli anno* 1591 *typis edito, et a nostro Antonio Beatillo postea huc ad nos misso. Notas Pennatii in illud Officium habes a pag.* 577. *Qua vero occasione illud, quamquam justo serius, ad Pennatium pervenerit, exponit his verbis, quibus inchoat suam appendicem.* *ipsi fuit Officium translationis Sepinensis; non aliud,* F

166 His diebus extremis, quibus hoc opus sub typico prælo colophonem manumque supremam absolvit, ad meas, *inquit,* manus transmittitur diu concupitum Officium antiquum S. Christinæ manuscriptum a D. Francisco Horatio Valerii, ab ipso repertum inter patrui sui scripturas Joachimi Valerii, præpositura S. Christinæ superiori *quod tandem accepit,*

AUCTORE J. P.

periori seculo insigniti, viri solertis, et in suam patriam Vulsinium bene meriti. Testatur præfatus D. Canonicus per epistolam [se] quam pluries hoc Officium incassum perquisivisse; die vero Octava S. Christinæ ex miraculo, ut inquit ipse, animo exultanti invenisse.

ac edidit.

167 *Quanti itaque illud fecerit Officium, ejusdem inventor uti et editor, satis pathetice declarant; sed longe supra meritum: nam ejusdem editor Pennatius primo quidem absolute* antiquum *illud vocat; sed mox in eadem appendice antiquitatem illam valde restringens, id traducit* tamquam aliquam sapiens antiquitatem: *sive primo obtutu optima notæ id illi apparuerit; sive æstimatio ista prior postmodum, textu propius inspecto atque discusso, decreverit. Utut est, certe non sibi satis consistit Pennatius. Adde, quod in citatis ad illud notis satis clare indicet, quidnam de illo sentiat, quando dicit ejusdem* lectiones esse interpolatas, et non multum antiquitatis sapere; *idque* patere ex multis, et præcipue ex lectione quarta festi, dum affirmat, Tyrum provinciæ Romanæ prope Viterbium. B *Certe si antiquos saltem Martyrologos legisset Officii compilator, dixisset potius, vel* Tyrum apud lacum Vulsininm, *vel* Tyrum in Italia.

Festum cum supplicationibus apud Vulsinienses,

168 *De duobus diebus festis apud Vulsinienses, tam de illo, qui potissimum die* XXIV *hujus, ob Sanctæ martyrium celebratur, et quo statua ejus in supplicatione circumfertur; quam de alio, qui incidit in diem* X *Maii, dedicationi ecclesiæ ipsius sacrum, ac solenni quoque supplicatione honoratur (in qua ex antiquo usu circumferuntur duæ grandes machinæ, ex floribus artificiose compositis, etc.) tractat Pennatius Vitæ Italicæ lib. 6, cap. 3, pag 212. Singulare est, quod ad illud festum promovendum etiam conspirare voluerit territorium Marthanum, prout ibidem refert, lato decreto, quo quædam solvenda imponuntur vendentibus pisces ac piscantibus, nec non pœna pecuniaria impedientibus piscationem, etc. rebus eidem festo celebrando convenientibus applicanda. Adjuncta istu accipe ex Engyotheca sacra, pag. 480, ubi sic legitur:*

publico statuto promotum.

169 Transumptum publicum capituli lacus Vulsiniensis, statuti a communitatibus et locis C circumjacentibus prædicto lacui, id est, Montisfalisci, Vulsinii, Marthæ, Gradularum, Cryptarum, S. Laurentii, Bisenti, et Capitismontis, cum assistentia sereniss. Farnesii, celebrati in insula Bisentina sub die III Novembris MCDLXIII, extracti a libro capitulorum, existente in cancellaria priorali Marthæ. *Sequitur ibidem pag.* 481 *ipsum statutum Italico sermone conscriptum, cum testimonio Latino notarii publici de fideli ejusdem extractione et transcriptione; et apponitur* datum Marthæ die I Novembris MDCC.

Hujus Commentarii conclusio.

170 *Atque hæc quidem sunt, e quibus utramque hujus Commentarii prævii partem condendam potissimum duximus. Nec longiore circa Acta ipsa annotatorum farragine lectorem morabimur: tum quia eadem Acta adeo parvi sunt meriti, ut longa plurium observationum coacervatione majoris fieri non possint; tum quia superius satis et abunde multa a nobis prævie notata sunt; tum denique quia si quis plus in hoc genere desiderat, inveniet in Actis, tam magno in numero a Pennatio editis, ejusque ad illa notis, unde etsi non ad præsens argumentum semper erudite, pie tamen sese occupare queat. Atque his* D *nunc finem imponimus, cumulatissimas clarissimo Pennatio, pro eo ac debemus, habentes atque agentes gratias, quod magna nobis hic accessio facta sit ex non paucis documentis, quæ solius diligentissimi eruderatoris studio accepta referimus. Quod circa puncta, ipsum inter ac nos controversa, plene, planeque ac libere sensa nostra exposuerimus, hanc nobis veniam dabit; omnia, sicut in votis habemus, accepturus eodem, quo scripta sunt, animo, videlicet in charitate pro veritate, a nobis hic, quantum nobis persuademus, contra ipsum stante: quæ omnia salvo semper in omnibus meliore judicio dicta sunto. Mirum interim esset, si Pennatius non legisset Acta sanctorum Martyrum, novo ac miro modo vindicata, et ab Odoacre Ilbachio Romæ anno 1723 edita; quem paucis convenimus in Prætermissis hoc die, pag. 489. Superest itaque, ut Acta nostra subjiciamus.*

PASSIO

E

Ex Ms. nostro membranaceo antiquo Fuldensi, ad plura alia exemplaria collato,

AUCTORE ANONYMO CONSCRIPTA.

CAPUT I.

S. Christina blanditiis, minis ac cruciatibus frustra a Dei cultu avocatur; idola frangit; ab angelo pascitur.

S. Christina a parentibus solicite custodita,

Fuit quædam sacra virgo a Deo, nomine Christina, spem habens in Domino, benignitatem custodiens, annorum circiter undecim, habens patrem in palatio *a* officium gerens magistri militum; et mater ejus de genere Aniciorum *b* descendebat. Hanc parentes ejus, unicum pignus F viscerum suorum, dulcem susceperant sobolem, quam omni doctrina sapientiæ imbuerunt. Et post hæc pater ejus Urbanus fecit ei turrim altam *c*, et induxit eam illuc, et fecit sibi deos aureos et argenteos, et statuit eam intra turrem cum duodecim ancillis; et præcepit, ut eos adorarent, et a sacrificiis eorum die noctuque non cessarent, et ne in publico facies ejus ab aliquo videretur: pulchra enim erat nimis, et multi eam nobiles sibi petebant, atque in matrimonium accipere volebant. Mater autem ejus dicebat: Nulli dabo filiam meam; multum enim misericordes dii nostri. Sancta autem Christina erat in dilectione Dei firmata; et accipiens thymiama, ut idolis adoleret incensum, posuit illud in fenestra, quæ respiciebat ad Orientem, et stans ibi, respiciebat in cœlum, intuens flebat, et non obtulit idolis incensum diebus septem.

tentatur, ut diis sacrificet a suis ancillis.

2 Dicunt ei ancillæ ejus: Domina nostra es; jam dies septem sunt, ex quo dii sacrificium non acceperunt neque incensum; ne forte irascantur, et

A et pereamus nos. Christina dixit : Ut quid hæc loquimini, animæ pollutæ? Ego enim cæcis lumen non offero, nec a surdis auditum requiro ; sed offero sacrificium veritatis Deo, qui est amator castitatis, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt. Et procidentes ancillæ ad vestigia ejus, dixerunt : Domina nostra, regalem habes potestatem : ut quid erras, ut Deum alienum colas, quem nos non videmus? Quod si hæc audierit dominus noster, pater tuus, perdet nos et genus nostrum, dicens : Vos eam docuistis colere Deum, qui a Pilato flagella sustinuit ; et quo fugiemus a facie ejus? Christina dixit ancillis suis : Ut quid seducimini a diabolo et angelis ejus? Accedite ad Dominum cœlestem, et ad Jesum Christum, Filium ejus, et liberabit vos a diabolo. Et cum hæc loqueretur, introivit ad eam Urbanus, pater ejus, ut adoraret deos suos, et offerret eis sacrificium ; et expectabat filiam suam, ut secundum consuetudinem suam idolis adoleret incensum. Et contemnens eum sancta Christina, venire nolebat, sed aspiciebat in cœ-
B lum, et virtutem Dei intuebatur.

et a patre; 3 Dixerunt autem ancillæ patri ejus : Precamur te, domine, potestatem habes omnium nostrum ; nam domina nostra, filia tua, ecce sunt
d dies novem *d*, ex quo diis omnipotentibus non sacrificavit. Pater autem ejus dixit ad eam : Domina filia mea Christina, quid est hoc, quod tibi placuit; aut quis error mentem tuam invasit, ut colas Deum, qui a Judæis est crucifixus et qui seipsum non potuit adjuvare? Unica filia mea, quia pro te laboro, et misericordes deos pro tua salute adoro, ecce accede, adora deos, qui te fecerunt in hanc ætatem venire, ne forte irati perdant te. Christina dixit ad patrem suum : Noli me vocare filiam tuam, sed ejus me dic filiam, cui me dixisti sacrificium offerre cœlesti Deo ; quoniam ipsum decet, gloriam, et honorem, et magnificentiam habere.

sed frustra. 4 Hæc audiens pater ejus gavisus est, quia putabat eam de diis ejus dicere ; et occurrens ibat osculari eam. Et dixit patri suo : Ne polluas os meum : mundum sacrificium volo offerre cœlesti Deo. Dicit ei pater ejus : Domina mea Christina, noli uni Deo offerre sacrificium, ne alii
B irascantur tibi. Sancta Christina dixit ei : Invitus locutus es veritatem : nam offerro Patri, et Filio, et Spiritui sancto, ut Trinitas glorificetur super omnem terram ; cœli et terræ dominum ipsum benedico, ipsum adoro, ipsum glorifico, ipsi offerro sacrificium atque sanguinem in voce laudis. Urbanus dicit : Christina filia mea, ecce tres adoras. Christina dixit : Ego cupio adorare Deum cœlestem, qui est una divinitas ; quare ergo mihi vim facis, ut adorem Deos alienos? Sed offer * mihi munera immaculata, ut offeram sacrificium sine sanguine Deo cœlesti. Pater autem ejus putabat eam de idolis loqui ; et transmisit ei omnia quæcumque præceperat. Et dixit Christina ministris : Ite, et dicite domino vestro : Transmitte mihi tunicam incontaminatam, ut exspoliem me pollutione coinquinationis, et induam me tunicam sine dolo ; et offeram incensum, et cor mundum Deo cœlesti, et creatori omnium, regi seculorum, qui nos vocat in sacrificium veritatis, ut indulgere dignetur meis peccatis, quia seducta sum ab impiis hominibus in abominatione idolorum *e*. Et induens se tunicam, lavit manus ac faciem, et cœpit cum lacrymis orare et dicere :

Deum invocat : ab angelo visitatur. 5 Domine Jesu Christe, fili Altissimi, Deus qui ab immortali Patre venisti in mundum ; qui ipse fecisti omnia et carne hominem induisti, quem a peccato et morte perpetuali liberasti ; oro et deprecor tuam deitatem, ut indulgeas peccatis meis quæ multum erravi per dementiam vanitatis conscientiæ meæ ; adesto in pœnis, quæ mihi præparatæ sunt, ut timeant omnes nomen tuum per unigenitum Filium tuum. Et cum orasset, angelus Dei stetit ante faciem ejus, et ait : Audivit Dominus orationem tuam ; viriliter age, et confortetur cor tuum : contra [tres] judices pugnas; eos [si] viceris, coronaberis. Christina, dixit ad angelum : Domine meus, da mihi signaculum æternum salvatoris Domini Jesu Christi, ut neminem timeam. Et cum orasset, angelus super caput ejus dedit signaculum crucis. Sancta Christina conversa ad dextram, invenit panem positum nimii candoris, et immensæ suavitatis : et E
accipiens dedit angelo, et dixit : Benedic, domine, et da mihi vitam æternam ; ecce sunt duodecim dies, quibus panem non gustavi.

et pascitur; et idola confringit. 6 Angelus autem accipiens et benedicens panem, fregit, et dedit ei manducare escam immortalitatis ; et accipiens sancta Christina oravit, et invocavit Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et dixit : Domine Jesu Christe, gratias tibi ago, quia dignatus es me accipere panem incorruptionis. Et accipiens gustavit. Vespere autem facto, accepit idola patris sui, Jovis et Apollinis et Veneris; confregit, et deposuit ea per tres scalas, et fasciam suam ligavit in fenestram, et descendit per eam. Et confringens idola dedit pauperibus ; et reversa iterum ascendit per fasciam. Die autem facto, venit pater ejus Urbanus adorare idola sua, et non ea inveniens, vocavit ancillas et dixit : Quid factum est diis? At illæ procidentes ad vestigia ejus, dixerunt : Filia tua, domine, confregit eos, et projecit in plateam.

Dire cæsa lictores fatigat. 7 Hæc cum audisset, furore diabolico armatus, apprehendens eam, jussit alapis cædi ; cui et dixit : Dic mihi, Christina, ubi abscondisti deos? F
Quod si nolueris dicere, per misericordes deos, quia membra tua ferocissimis bestiis dabo. Accede ergo et adora cœlestes deos, ne irascantur tibi et male pereas. Christina dixit : Juste locutus es, ut adorem cœlestem Deum, et Filium ejus Jesum Christum. Tunc iratus jussit eam alligari et plumbatis cædi, et post hæc exspoliatam jussit eam virgis cædi, et mutatis duodecim *f* militibus, super eam nihil prævaluit. Urbanus autem hæc faciebat inscia uxore sua. Ii autem, qui cædebant eam, deficientes cadebant ante vestigia ejus. Sancta Christina dixit ad patrem suum : Urbane, ecce, qui cædunt, deficiunt ; et idola tua non possunt eis dare virtutem. Hæc audiens Urbanus, in magna erat angustia, quia talia audiebat a filia sua, et jussit eam ferro vinctam pertrahi ad carcerem. Veniens Urbanus tristis ad domum suam, noluit manducare neque bibere. Et prostravit se in faciem propter filiam suam.

nec matris alloquio movetur. 8 Hæc audiens autem mater ejus de filia sua, quia talia perpessa fuerat a patre suo, conscidit vesti-

alias affer · EX MS. *c* · *f*

EX MS. vestimenta sua, et sparsit cinerem super caput suum, et abiit in carcerem ad filiam suam, et cecidit ad pedes ejus cum lacrymis et dicebat: Filia mea Christina, miserere mihi matri tuæ, quia propter te morior; quia unicam te habeo, et omnia mea tua sunt; tu es lumen oculorum meorum. Scis quia te ego genui, et meas mamillas suxisti. Quid factum est tibi, ut Deum colas alienum? Aperiens os suum sancta Christina dixit: Quomodo me filiam tuam vocas? Aut quis ex genere vestro Christina vocata est *g*? Mater autem ejus dixit; Nemo, Christina dixit: Quod ergo me dicis, nescis; quia nomen habeo Salvatoris, ipse est qui me amavit, et dedit mihi victoriam ad vincendum eos, qui Deum non agnoscunt. Hæc audiens mater ejus, reversa est ad domum suam, et renuntiavit omnia viro suo. Urbanus ira commotus, dixit ad milites: Ite, adducite Christinam. Ministri vero trahebant eam ad prætorium; et videntes eam mulieres a militibus trahi, voce magna dicebant: Deus, adjuva Christinam ancillam tuam.

Aut novis tormentis.

9 Et cum venisset, jussit eam ante suum tribunal stare. Cui dixit: Miserere tibi, Christina, quia filia mea es; accede et adora deos, ut tibi repropitientur, et liberent te ab errore, quem pateris. Quod si nolueris, variis te faciam suppliciis interire, et non vocaberis filia mea. Christina dixit: Magnam mihi præstitisti gratiam, ut me filiam tuam vocare noluisti: quod ex te natum est, caro est; quia non es pater meus spiritalis. Urbanus hoc audiens, furore repletus jussit tenera membra ejus fustibus dissipare. Cum a duodecim cæderetur hominibus, et carnes ejus ab ossibus solverentur, accipiens de carnibus illis, projecit in faciem patris sui, et dixit: Desiderasti carnes filiæ tuæ manducare in contusione vultus tui. Urbanus dixit: Aut adora deos, aut faciam te variis tormentis interire, et non te eripiet de manibus meis, ille, quem occiderunt Judæi. Christina dixit: Impie et sine Deo, ignoras quia Filius Dei vivi propter nos de cœlo descendit, ut nos a morte liberaret? Propter ipsum has pœnas sustineo, qui prosternere habet tyrannidem tuam sub pedibus meis.

ANNOTATA.

a *Tenebras offundit hic locus, quando non dicit, ubi aut cujus illud palatium fuerit.*

b *In codice Windbergensi pro* Aniciorum *est* ethnicorum. *In Molshciuensi male* ethnicorum. *Lectiones Neapoli excusæ ponunt:* Mater de regali progenie. *In Ms. Bœvraviensi scribitur* fuisse.... de clara imperatorum progenie. *Porro non est insolitum, Sanctis attribuere natales ex Aniciorum stirpe: nam esse qui velint, ex ea descendisse S. Benedictum, et Augustissimam Domum Austriacam cum imperatoribus hodiernis atque Hispaniarum regibus, indicavimus in Commentario prævio ad Vitam istius Sancti die* XXI *Martii, pag.* 267. *Interim videri potest Wion in tractatu singulari ante partem primam Ligni vitæ; Lambecius in Bibliotheca Vindobonensi lib.* I *a pag.* 49. *Porro Passionis nostræ auctor, tot aliunde titulis suspectus, negligi potius hic meretur, quam refutari.*

c *Similem machinam invenies in martyrio S. Barbaræ; quæ discuti poterit die* IV *Decembris.*

d *Paulo ante ponuntur* dies septem.

e *Non videtur ulla veri species inesse his verbis, si attendas rerum adjuncta.*

f *Auxesis, si consideres Sanctæ hic assertam ætatem; quæ erat* annorum circiter undecim, *uti supra dixit auctor. Similis scena importune recurrit paulo post.*

g *Difficultates circa Sanctæ nomen expedimus in Commentario prævio, num.* 71.

CAPUT II.

Novis tormentis cruciatur; idolum conterit; gentiles multos convertit; in igne ambulat; aspides superat; mortuum suscitat; lac fundit pro sanguine; sagittis interimitur.

In oratione et patientia omnia sui fert tormenta.

Pater autem ejus non ferens injuriam, jussit eam extendi in rotam, et igni exuri præcepit. Illa autem adoravit de medio ignis, et dixit: Noli me derelinquere in hoc certamine, Pater domini Jesu Christi, sed extende manum tuam, et angeli ignem hunc extinguant, et non prævaleat in me. Et cum orasset, ignis qui circumdederat eam, comedit in circuitu cultores idolorum quasi animas quingentas *a*; ipsam autem in nullo tetigit ignis. Et convocans eam Urbanus dixit: Unde tantam artem didicisti maleficiorum? Christina dixit: Christus docuit hanc patientiam, qui est lumen cæcorum, vita mortuorum, gaudium tribulantium. In nomine ipsius vinco virtutem patris tui diaboli. Urbanus hoc audiens jussit eam iterum in carcerem recipi; et cum esset ibi, apparuerunt ei tres angeli, et venientes refrigerabant eam, et cibo spirituali refecerunt corpus ejus. Sancta Christina orabat ad Dominum dicens: Domine Deus meus, cœlestis auctor, curator vulnerum secretorum, scio et regnosco, quia memor es mei, et misisti prandium salutis per sanctos angelos tuos, qui me confortaverunt et recreaverunt viscera mea.

In mare projecta ab angelis suscipitur, baptizatur; pater moritur.

11 Per noctem autem misit Urbanus pater ejus quinque pueros, et jussit eam ligari ad saxum, et medio mari dare præcepit. Cumque hoc fieret, saxum disruptum est, et ipsa ab angelis suscepta est, et ita pedibus super aquas maris ferebatur, et oravit dicens: Domine Jesu Christe, ostende tua mirabilia, et jube me accipere signaculum baptismi *b* in hac ora, ut renata per lavacrum sanctificationis, et a sordibus originalibus mundata accipiam spiritum redemptionis. Ex vox facta est ad eam dicens: Christina, exaudivit Dominus orationem tuam; et missa est ei corona de cœlo, et stola purpurea, et induit se. et angeli præcedebant eam, odorem suavitatis reddentes. Et iterum oravit dicens: Domine Jesu Christe, qui es sine macula, qui propter ancillam tuam super has aquas hodie dignatus es majestatem tuam ostendere, ut per lavacrum sanctificationis acciperem peccatorum remissionem, exaudi me, et redde Urbano hac nocte secundum

cundum quæ gessit in me, quia crastina die vult me interire *c*. Et hæc dicens pervenit ad litus maris, et invenerunt eam servi, et reduxerunt eam iterum in carcerem. Pater autem ejus in ea nocte cruciatus et vulneratus reddidit spiritum.

Noris cruciatibus afficitur sub Dione.

12 Sancta autem Christina cum audisset mortuum, ait: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia exaudisti ancillam tuam, et misisti Urbanum ad tartarum inferorum, ubi est stridor dentium et fletus oculorum, et longe factus est a remuneratione Sanctorum. Transacto autem tempore, venit alius judex in locum Urbani, nomine Dion, cultor idolorum et persecutor Christianorum ; et cum ei gesta sanctæ Christinæ ab officio legerentur, cogitare cœpit et dicere : Ecce quanta sustinuit invicta tormenta et imperatorum contempsit præcepta. Ergo quid faciam ei, ut convertam eam ad deos ? Et vocans eam ad se, blando sermone dicebat : Infans Christina, bene nata es, et de genere regali descendens, quis error invasit te, ut derelinquas misericordes deos, et propter culturam unius hominis, qui persecutionem perpessus de civitate in civitatem, et lapidatus * est, velis multa sustinere pericula? Qui nec poterit te adjuvare. Audi me, et adora deos, et propitientur peccatis tuis : quod si nolueris, variis te faciam suppliciis interire, et non eripiet te Deus tuus de manibus meis. Sancta Christina dixit : Immunde et sine Deo, Christus me liberabit de manibus suis, quem non habes ante oculos tuos.

* *forte* colaphizatus

Fustibus cæditur, ignita craticula torretur, at non læditur.

13 Tunc judex ira commotus jussit eam fustibus cædi. Christina dixit : Horribilis vultus, et pravus aspectus, non erubescis talia pœnarum mihi inferre tormenta, ut per Dominum meum Jesum Christum vincam te, sicut fratrem tuum Urbanum. Judex dixit : Adhuc suffero injuriam tuam, si forte convertaris ad deos, et misericordiam consequaris. Christina dixit : Quod nomen est tibi? Judex dixit : Dion. Christina dixit : Idolorum enim et cæcorum nomen *d* habes. Tunc iratus judex jussit afferre craticulam ferream ignitam, et eam supersedere præcepit, ut tenera membra ejus igni consumerentur ; sed et eam non tangebat ignis. Dixit judex : Vides, Christina, hæc omnia ; quomodo sufferunt te dii, ut non te tangat incendium? Christina dixit : Dominus meus Jesus Christus hæc operatur, qui te habet transmittere in tenebras, ubi cruciatur Urbanus frater tuus. Tunc judex jussit eam ablatis crinibus decalvari *e*, et nudam per publica trahi. Hæc videntes mulieres clamabant, dicentes : Injuste judicas et confundis genus mulierum. Sancta Christina respiciens in cœlum, dixit : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui dignam fecisti me in hac die fieri omnibus, ut cognoscant omnes quia sum ancilla tua.

Precibus idolum Apollinis conterit, magna multitudo convertitur, et judex punitur,

14 Iterum judex dixit : Veni mecum, Christina, et adora magnum deum Apollinem ; et venientes in templum, Christina elevans manus in cœlum, oravit dicens : Deus cœlestis, pater domini mei Jesu Christi, qui verbo fecisti omnia, qui super aquas maris descendisti, et me illuminasti per lavacrum sanctificationis ; contere hoc idolum. Et cum hæc diceret, cecidit idolum ante pedes ejus, et factum est pulvis ; et multi ex gentibus videntes crediderunt Deo, et voce magna dicebant : Deus cœli, et hujus Filius Domine Jesu Christe, jube convertere nos ad te, ut possimus ad te venire, et credamus in te, quia multum erravimus a te. Et crediderunt in illa die septem millia virorum *f*. Territus autem judex ex eo quod Apollo periisset, in alienationem mentis effectus emisit spiritum. Tunc adsessor ejus jussit sanctam Christinam in carcerem recludi.

In fornace accensa ambulat,

15 Alio tempore venit alius judex, et ipse impius defensor idolorum, et adversarius Christianorum, nomine Julianus. Cumque gesta sanctæ Christinæ legisset, jussit eam ante suum tribunal adstare, cui et dixit : Audivi, quia multa magica arte gessisti : nunc ergo accede, et adora deos æternos ; quod si nolueris, faciam te interire, et non tibi auxiliabitur ille, qui natus est de Joseph. Sancta Christina dixit : Non me tentabis verbis tuis. Tunc Julianus consilio diaboli armatus jussit incendi fornacem per dies tres, et jussit eam mitti illuc ; et erat sancta Christina in fornace ambulans cum angelo, et glorificabat Dominum ; et vox magna de fornace resonabat. Et cum audirent milites, territi nuntiaverunt Juliano dicentes : Magni terrores et clamores exeunt de fornace. Hæc autem cum audisset, jussit aperire fornacem ; et invenerunt eam tamquam de balneis procedentem ; et adduxerunt eam ante tribunal. Cui Julianus dixit : Dic mihi Christina, quomodo ignium naturam in pœnis per maleficia superasti? Christina dixit : Dominum habeo adjutorem ; ideo non timeo tuos terrores.

aspides superat, qui Sanctæ adblandiuntur, veneficum vero interimunt,

16 Julianus jussit duos Marsos *g* adduci, et misit super eam duos aspides *h*, et dixit ad eam : Numquid et has bestias poteris superare? Christina dixit : Incredule et insensate, quare non agnoscis virtutem Dei? Et credo in Deum meum, quia et nunc adesse dignetur ; et vincet tyrannidem tuam. Et currentes duo serpentes conligaverunt pedes ejus, et lingebant vestigia ejus ; et duo aspides currentes suspenderunt se ad mamillas ejus, velut infantes lactentes *i*; et non nocuerunt eam. Sancta Christina respiciens in cœlum ait : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, lumen meum, qui dignatus es per me diabolum superare. Julianus ad Marsum dixit : Numquid non et tu magus es? Irrita fortiter bestias, ut devorent eam. Marsus irritabat eas incantationibus suis ; illæ autem bestiæ impetum facientes in eum, occiderunt illum, et nemo audebat serpentes abjicere. Christina, oratione facta, dixit serpentibus : In nomine Domini mei Jesu Christi ite unusquisque ad loca sua, et neminem noceatis neque tangatis.

quem ipsa ad vitam revocat ; ex mamillis abscissis fundit lac pro sanguine :

17 Et post hoc oravit : Domine Jesu Christe, qui Lazarum quatriduanum resuscitasti, exaudi me ancillam tuam, et suscita hunc mortuum. Et comprehendit manus ejus, et dixit : Suscita eum nunc, Christe, ut omnes videntes glorificent nomen tuum. Et vox facta est de cœlo dicens : Confide, Christina, et viriliter age ; quidquid petieris a me, dabitur tibi. Et subito mugitum reddidit terra. Tunc beata Christina attigens mortuum clamabat, dicens : Tibi dico surge in nomine domini nostri Jesu Christi. Et statim surrexit

EX MS.

rexit et prostratus pedibus ejus dicebat : Gratias ago Deo tuo *k*. Tunc Julianus ad Christinam dixit : Ostende * mihi maleficia tua ; et * convertere ad deos. Christina dixit : Insensate, et a Dei timore aliene ; quare cæci oculi tui non vident virtutem Dei? Julianus ira commotus jussit mammillas ejus abscindere. Christina dixit : Lapideum cor et abominabile, mammillas meas abscidere jussisti ; respice et vide, quia pro sanguine lac in terram defluxit. Et post hæc jussit eam in carcerem recipi ; et venerunt mulieres, et invenerunt eam sedentem, eloquia Domini meditantem ; et prociderunt ad vestigia ejus ex quibus crediderunt septem matronæ *l*.

alias ostendisti
* *alias* veni, *etc.*

denique sagittis ista martyrium consummat.

18 Mane autem facto, jussit Julianus suis aspectibus repræsentare eam, et dixit : Christina, tempus tuum impletum est ; convertere ad deos. Christina dixit : Amodo tibi requies non est, nec in hoc seculo nec in futuro. Tunc Julianus jussit linguam ejus abscidere. Sancta Christina respiciens in cœlum dixit : Dominus meus, respice super ancillam tuam, et jube me cursum meum in hoc certamine consummare. Et vox de cœlo facta est, dicens : Veni, accipe requiem æternam, et præmium, et coronam confessionis tuæ. Hanc vocem audiens Julianus, ira commotus, jussit abscidere linguam ejus ; et accipiens sancta Christina a carnificibus linguam suam, projecit in faciem Juliani, et percussit oculos ejus, et cæcus effectus est *m*. Et dicit ad eum sancta Christina : Juliane, desiderasti manducare organum corporis mei, unde laudes canebantur Domino meo : ideo veniens in faciem tuam, excæcavit oculos tuos et conscientiam tuam. Tunc iratus Julianus duas sagittas [misit] in eam, unam ad cor ejus, et aliam contra latus ejus, et cum percuteretur, cum gaudio reddidit spiritum. Venit autem quidam de genere ejus, qui et ipse crediderat in Dominum per beatam Christinam, et condivit corpus aromatibus ; et collocavit eam optimo loco XIIII * Kal. Augusti *n*.

* *lege* VIIII

B

ANNOTATA.

C

a *Petrus de Natalibus* : mille et quingentos gentilium. *Lectiones excusæ anonymæ* : ex paganis mille et quadraginta. *Neapoli editæ* : multos circumstantium infidelium.

b *Quæ huc spectant, prænotavimus in Commentario prævio.*

c *Dura Sanctæ adversus patrem oratio! uti et actio gratiarum, quæ proxime hic sequitur.*

d *Ad Venerem, Diones ex Jove filiam*, Dionæam *dictam apud Virgilium lib.* 3 *Æneidos, versu* 19, *respici hic putem ; præsertim cum supra num.* 6 *inter idola a sancta* Christina *confracta ponatur idolum Veneris.*

e *Utriusque sexus Christianos, potissimum vero feminas, ignominiæ causa a ministris dæmonum tonderi consuevisse, invenies apud Antonium Gallonium de Martyrum Cruciatibus cap.* 5 ; *ubi et de forcipibus basilicæ Lateranensis, quibus S. Joannes Evangelista attonsus fuerit. Baronius in notationibus die* XX *Septembris plura huc erudite collegit, occasione S. Faustæ virginis et martyris decalvatæ, et ad turpitudinem rasæ. Videri etiam potest Cajetanus in animadversionibus ad martyrium SS. Alphii, Philadelphi et Cyrini, tom.* 1 *Sanctorum Siculorum pag.* 53.

D

f *Codex Molsheimensis* : tria millia, *cum Lectionibus anonymis excusis. Mombritius* : tria millia homines.

g *Lectiones anonymæ typis editæ* : Julianus... jussit adduci Marsum, qui erat custos serpentum. *In Lectionibus Neapoli impressis, et codice Windbergensi dicitur* serpentarius, *sicut et in codice Molsheimensi, ubi alio loco scribitur male* serpentaneus. *Apud Petrum de Natalibus est* veneficus. *S. Isidorus cap.* 2 *Originum, de Marsis tradit ista* : Marsi, gens Italiæ, dicta a comite Liberi Marsia, qui usum illis vitium ostendit, et ob hoc illi statuam fecerunt, quam postea Romani, victis Marsis, tulerunt. Marsos autem Græci Tuscos vocant, quasi ὀφιούχους, quod multos serpentes habeant, *et* ὄφις serpens dicatur ; illæsos autem esse carminum maleficiis. Inhabitant autem plagam Apennini montis simul cum Umbris. *Cluverius tomo primo, lib.* 2, *cap.* 15 *hoc circa eorum auctorem, S. Isidori placitum fabulis accenset ; neque ego illud probare ausim. De qua re plura ibidem congerit, uti et de eorum oppidis et finibus. Agrum ipsorum Pelignis, Vestinis, Sabinisque conterminum, ad lacum Fucinum, pandit in mappa ad caput* 8 *ejusdem tomi. Porro et alii nomen Marsorum populi gesserunt, ut videsis apud Geographos.* Ὀφιοῦχος *partim componitur ex verbo* ἔχω, habeo. *Eodem nomine dictum sidus cœleste, de quo Cicero lib.* 2 *de Natura deorum* : Anguitenens, quem claro perhibent ὀφιοῦχον nomine Graii. *Similis fere huic occurrit compositio in voce* σκηπτοῦχος, *id est,* sceptriger, *ab Homero adhibita Iliad.* α *vers.* 279.

E

h Duos aspides, duas viperas, et duos colubros *ponit Petrus de Natalibus.*

i *Habes observationem nostram in Commentario prævio.*

k *Sancta hunc* ad Christum convertit, *si credimus Actis apud Petrum de Natalibus.*

l *Scenam exornat hæc mulierum inductio.*

m *Lectiones anonymæ supra dictæ nihil memorant de linguæ abscissione et projectione, uti nec de cæcitate hac. Lectiones Neapoli excusa in octavo die sic habent* : Julianus jussit ejus linguam abscindi ; *et paucis lineis interjectis iterum* : Julianus citius abscindi linguam ejus jussit ; *quo vitio etiam laborat codex Molsheimensis, non vero codex alius noster membranaceus anonymus. Porro virtutis a Deo Sanctis datæ impios excæcandi exempla in promptu sunt. Sic olim S. Paulus Elymam magum excæcavit, uti habes Actuum Apostolorum cap.* 13. *Sic S. Januarius episcopus Beneventanus præsidem Timotheum ; de quo Baronius tom.* 2 *Annalium ad annum* 305, *num.* 5.

F

n *Communis Martyrologorum est sensus, quod Sancta martyrium consummarit die* XXIV *Julii, cum tunc natalem ejus commemorent. Mirum ergo, quid sit, cur Doubletus in Templo Beatorum, anno* 1606 *Gallice edito, pag.* 382, *illud martyrium innectat diei* XXIII *Julii ; præsertim quia compendium extraxit ex Martyrologio Adonis, qui martyrium ejus signat dicta die* XXIV.

TRANS-

A

TRANSLATIO CORPORIS

Ex Tyro, ut volunt, Italiæ Bœvrariam in Artesia, desumpta ex Ms. Leetionario prioratus Bœvrariensis apud Bethuniam, qui est Vedastinorum, auctore anonymo conscripta.

Variæ notitiæ ad rem spectantes aliunde submissæ,

Translationem hanc non obiter attigimus in Commentario prævio a num. 30 ; *circa quam cum puncta se mihi offerrent elucidationis indiga, recurrere visum fuit per litteras ad R. P. Rectorem collegii nostri Bethuniensis, J. B. du Cambge, die* XII *Martii, anno* 1725 *datas; quibus promptissime et humanissime, quamquam sub illud tempus totus esset* B *in laboribus apostolicis, die* XXX *mensis ejusdem respondit primum diem ab operibus charitatis liberum impendens in visitando loco, et ceteris inquirendis, de quibus instrui rogaveram. Quæsieram* 1, *an et quem cultum ibidem haberet* S. Christina? *Respondit, ibidem* coli, et magno concursu undique affluente. *Ad* 2, *an corpus illud ibidem etiamnum sit, vel saltem putetur esse? Respondet,* totum ferme dicitur illic esse, exceptis quibusdam ossibus, quæ abbas S. Vedasti Atrebati voluit in abbatia servari. Ego ipse, *inquit,* vidi duas lipsanothecas argenteas in summo altari dicti prioratus insertas, in quibus ipse Prior asseruit, corpus illud esse contentum, et brachium argenteum in medio altari inter illas lipsanothecas collocatum, in quo ossa brachii S. Christinæ continentur, et mediante vitro osculantur.

hic præmittuntur.

2 *Ad* 3 *de pago Eka, qui infra num.* 8 *nominatur, quemque frustra quæsiveram, respondet,* ipse pagus Eka (scribunt Echa) in monte situs, adjacet prioratui Bœvrariensi, et ex ipso prioratu, qui etiam in monte situs est, vidi templum istius pagi Echa : sola vallis interjacet, in qua haben- C tur adhuc parietes parœciæ S. Petri. Hoc templum pertinet ad pagum Bœvrariensem, et in eodem sepeliebantur parœcii... Notandum, quod Eka et Echa pronuntiantur eodem modo. *Ad* 4, *occasione illius, quod num.* 9 *dicitur de B. Amato ; ad quæstionem, an Eka patronum habeat S. Amatum ? Respondet* ; habuisse, quando parochus istius pagi has reliquias accepit. *Ad* 5, *de monasterio in Eka vel in Ekensi monte, de quo agitur num.* 11, *respondet :* Non audivi, fuisse aliud monasterium, quam in ipsa valle prope templum S. Petri, in quo habitaverunt monachi Carrofenses. In Echa vero altare olim S. Amati *(de quo ibidem proxime)* jam est mutatum in altare. S. Vedasti. *Ex aliis, a laudato collegii Rectore ad me perscriptis, nonnulla conjicientur in annotata sub nomine notitiarum Bethuniensium. Reliquum est ut qualemqualem translationis historiam subdamus, quam in compendium contraxit Rayssius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani fol.* 143. *Antiqua capita hic ad marginem notantur.*

EX MS. CAP. I.

Prologus auctoris,

3 Quia dilectissimi, semper, et ubique gloriam Domini magnificare dignissimum est, ad laudem nominis ipsius, gesta gloriosæ virginis et martyris Christinæ, piæ devotionis affectu, omni ecclesiæ propalare curavimus, ut ipse rex regum et dominus dominantium, Deus noster [dum] pro nobis virgo Christina de diaboli satellitibus, de mundi gloria, de carnis inquietudine, multis afflicta cruciatibus, notabiliter triumphavit, ipse etiam per ejusdem Virginis victoriam semper et ubique glorificetur. Et quia sacrosanctæ passionis ejusdem Virginis superest præclara descriptio non solum hoc explicandum prædecessorum nostrorum, et etiam scriptorum attestationibus proposuimus, qualiter has exteras partes, sanctæ reliquiæ corporis ejus subintraverunt. *Hic sequebatur compendium Passionis, per capita duo deductum, de quo meminimus in Commentario prævio ; verum eo reciso, pergamus ad translationem, et ad caput* 4.

IV

Duo alienigenæ

4 Contigit autem ut duo alienigenæ *a* viri, sicut rei veritas ore multorum attestatur, partes Tyriæ *b* civitatis pertransirent ; et ore paucorum, qui post persecutionem Wandalicam *c* superérant, cognoscentes eximiæ Virginis magnalia, sepulcrum ejus adiro ; et ibidem adorare disposuerunt. Ad sepulcrum ergo venientes, aliquamdiu orarunt ; et videntes vix aliquem superesse *d*, quem timerent, tractaverunt apud se, quod thesaurum ibi reconditum inde secum asportarent. E

tumulum S. Christinæ evacuantes

5 Audaciores autem effecti tumulum evacuant, et invenerunt capsulam nimiæ levitatis, aureo sigillo bullatam, et litteras aureas, contestantes, quod in vasculo illo caput cum membris, id est totum corpus beatæ martyris Christinæ reconderetur. Lætiores ergo effecti accipiunt feretrum, et quam citius possunt, elabuntur a loco, festinanter recedunt cum thesauro, de mora valde pavidi ne periclitentur. Læta quidem, sed non lenta in abeundo, imo prorsus tuta fuit illis progressio, quia præclara virgo et martyr Christina eas in corpore proprio conducebat. De pondere non præjudicant onus, præ nimia levitate, quia eis videbatur, quod sacra Virgo, quæ portabatur, ipsa penitus ad se portandum eos adjuvaret. F

corpus ejus transferunt

6 Recedunt ergo duo aliegenæ viri cum corpore sanctæ martyris Christi Christinæ, quod a proprio ipsius Virginis monumento abstulerant, et festinanter ad sua propria redire moliuntur : quia patriam suam *e* tanto thesauro ditare deliberaverunt. Quos occursus in primo fugæ suæ articulo habuerint, vel quomodo Italicam regionem evaserint, sub silentio prætcrimus *f*, quia ad ea, quæ modernis temporibus contigerunt, festinamus : non enim nisi ea, quæ ad diem festum hunc pertinere videntur, et ea potius, quæ præclaro adstrui possunt testimonio *g*, scribere deliberavimus.

in Flandriæ partes, Virginis, ut creditur, instinctu.

7 Hoc tamen pro certo scimus, quia cum thesauro illo aliter quam Deus, vel ipsa eadem Virgo disposuerant, prosperari minime potuerunt. Etenim si voluntati suæ gratum iter habuissent, jam cum thesauro illo, prospero cursu, patriam suam *h*, sicut deliberaverunt, subintrassent. Sed pia Virgo, quæ ab eis se a proprio auferri per-

misit,

EX MS. misit, ex tunc apud se præfixerat, ubi vellet relocari. Et ideo, prout voluit, eis subsidia viæ præstitit, et, quo placuit, eos divertere fecit. Inde, ut credimus, beatæ Virginis instinctu, sanctæ reliquiæ ipsius ad partes Flandriæ delatæ sunt, et pia Domini nostri Jesu Christi voluntate remanserunt, quod quomodo acciderit, subsequens sermo declarabit.

v

Uno autem ex iis ægritudine præpedito,

8 Duo igitur viri fuerunt, qui beatas præclaræ Virginis reliquias, a proprio locello abstulerunt; sed uno de duobus, retro in itinere magnæ, ut aiunt, ægritudinis causa remanente, alter solus fines Flandriæ cum thesauro suo subintravit, et in pago Bethuniæ *i*, apud quemdam presbyterum, vespera cogente, hospitatus est. Vir igitur ille, qui corpus beatæ virginis et martyris Christinæ, secum ab Italia detulerat, apud quemdam presbyterum in parœcia, quæ ab incolis circummanentibus Eka *k* dicitur, hospitans declinavit.

alter in Flandriam profectus, et in morbum lapsus, corpus Sanctæ clam condit;

B

9 Cum autem ibi cum thesauro suo quiesceret, aliquantula infirmitate depressus est. Inde plurimum perturbatus, ignorabat, quid de thesauro suo facere posset, et exspectans aliquod infirmitatis suæ levamen, nulli secretum suum propalavit. Sperans autem quod post diutinum tempus convalesceret, ingressus oratorium, cui presbyter deserviebat, retro altare B. Amati *l*, in cujus honore locus excolebatur, thesaurum suum, capsula sigillo aureo adhuc bullata, solus diligenter sepelivit, et nec tunc cuiquam revelare voluit.

eoque e vita erepto, presbyter aliquis illud invenit.

10 Post diutinum autem sui languoris tempus, cum se discessui propinquare videret, vocavit presbyterum, hospitem suum, et ei omnia, sicut contigerant, magno cum gemitu denudavit. Facta autem confessione, sicut decebat Christianum, salutaribusque sacramentis suffultus, ab hac vita decessit; et a presbytero, et incolis ibidem cum reverentia sepultus [fuit]. Presbyter itaque de secreto sibi commisso valde solicitus nulli voluit indicare tam cito, quid audierit, sed demum maturius agens, assumptis quibusdam secum boni testimonii viris fidelibus, venit ad locum sibi designatum, et fodiens invenit capsulam sigillo aureo bene communitam, et omnia

C

sicut prædictus hospes suus jam defunctus in vera confessione ei prænuntiaverat. Tenuit autem presbyter secum consilio bonorum capsulam integram, sicut invenerat, aliquantis diebus, nec disrumpere præsumpsit, usquequo dignitas reliquiarum evidentius quolibet signo demonstraretur.

vi

ac transfert ad monasterium in monte Ekensi, ubi claret miraculis.

11 Quia igitur presbyter, cui gloriosæ virginis et martyris Christinæ corpus tali eventu commissum fuerant, in quadrivio super callem publicum habitabat, cum etiam ecclesia ipsius vel mansio nullius esset firmitatis, ne quolibet modo, tanto thesauro defraudaretur, ipsam capsulam, sicut eam invenerat integram, et sigillatam, ad aliud *m* ejusdem parochiæ monasterium, quod in Ekensi monte parietibus lapideis et grandi munitione tunc temporis erat firmatum, consilio bonorum transtulit; et ibi retro altare S. Vedasti *n*, cujus orationes ibidem florebant, sub multorum testimonio *o* diligenter sub terra tumulavit. Ex tunc, et deinceps, locum illum sæpissime suavissimus odor respergebat, et multotiens cantilenæ cœlestes ibi audiebantur, et per noctes aliquotiens, inopinata claritate tumulus ipse resplendebat. Sic ibi per plures annos jacuisse dignoscitur; donec evidentiori miraculo eam glorificavit Deus deorum omnium, rex altissimus. D

Cæca visum recipit:

12 Erat quidem in interiore Flandria quædam bonæ opinionis mulier, quæ lumen amiserat oculorum, et in cæcitate per plures annos pene senuerat. Hæc cum quadam die in conclavi sedens super cæcitate sua in cordis anxietate lamentaretur, quasi in excessu mentis effecta, audivit vocem dicentem sibi : Mulier quid ploras? Et respondit mulier : Quomodo non plorem, quomodo non doleam; quæ in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? Et vox ad mulierem : Si vis, inquit, a cæcitate quantocius liberari, tuum iter accelera, et vade ad villam, quæ vulgariter Eka dicitur; et ibi ad tumulum gloriosæ virginis et martyris Christinæ cum piis precibus, devotas offer supplicationes ; et statim Virginis interventu a cæcitate tua liberaberis. Quod audiens mulier, hilaris effecta statim iter præsignatum arripuit. Cum igitur cæca mulier iter suum arripuisset, ad villam sibi compromissam, Ekam nomine, venit, oratorium intravit, et ad tumulum virginis Christinæ humiliter excubans, preces, et supplicationes indesinenter, cum gemitibus et lacrymis offerre non destitit. E

fama hujus miraculi propagatur.

13 Mox illi divina virtus adfuit, et interventu piissimæ virginis et martyris Christi Christinæ, omni prorsus cæcitate depulsa, lumen integrum recepit oculorum. Quid gaudii, quid lætitiæ tum ibi contigerit, quis potest verbis explicare? Omnes exultabant in Domino; omnes gratias agebant, et præcipue mulier illa, quæ in probatione miraculi omnibus se illuminatam ostendebat. Aliquantisper ibi mulier in miraculi testimonium excubavit. Sed demum immensas, quantum plus potuit, gratias persolvens Deo, et beatæ Virgini, quæ cæca advenerat alieno conductu, gaudens et exultans, recepto plenius oculorum lumine, rediit ad propria. Fama igitur hujus miraculi universam perculit regionem, et maxime nobiles viros, qui viciniores erant de Bœvraria, F qui tunc temporis in opulentia rerum, et in studio disciplinæ militaris, circumquaque præfulgebant.

vii

Bœvrariam translatum corpus ab amplitudine evocatis monachis custoditur:

14 Hi vero bona æmulatione imbuti corpus gloriosæ virginis Christinæ ab Eka virili conamine transtulerunt ad Bœvrariam, et in oratorio B. Petri honorificentius relocaverunt. Postmodum vero nobiles viri ejusdem villæ tantum de possessionibus suis Beatæ manumissione propria in eleemosynam contulerunt, unde tres monachi possent vivere, et inibi Deo, et beatæ Virgini per secula deservirent. Et quia tunc Karafensis * *p* ecclesia bonæ opinionis, et magnæ religionis sibi nomen acquisierat, abinde tres monachos abduxerunt, eisque corpus sacræ virginis Christinæ, cum omnibus beneficiis, quæ Deo et Virgini contulerant, deliberaverunt *q*. Postquam igitur monachi Karafenses venerunt ad Bœvrariam, claustrum et ceteræ monasticæ conversationi congrua sibi juxta B. Petri monasterium *r* ædificia construxerunt, et locum ad serviendum Deo,

* Carrofensis

A Deo. et sanctæ virgini Christinæ quiescebat, sicut monasticus mos exigebat, decentissime præparaverunt.

cujus virtute incendium exstinguitur.

15 Et cum jam per plures annos in exaltatione ecclesiæ suæ plurimum profecissent, invidus omnium bonorum diabolus undequaque grande permovit incendium; quod grandi ventorum impulsu tamquam tempestas valida officinas *s* monachorum, et circummanentia quæque consumere conabatur. Et cum nec aquis extingui posset incendium, fideliores Christiani beatissimæ Martyris Christi reliquias, flammis supra modum sævientibus, prætulerunt, et ceteris S. Christinam cum lacrymis invocantibus, mox mirum in modum prævaluit virtus reliquiarum incendio, et post grande periculum facta est de subita liberatione ingens exultatio. His itaque hujusmodi evidentibus signis, præcedente Christi gratia, usquequaque excrevit gloriosæ Virginis cultus, et reverentia.

XIII

Ecclesiam in ejus honorem ædificant Bœvrarienses: contracta sanatur.

16 Subinde nobiles viri de Bœvraria, quia in cœmeterio B. Petri non nisi in aquis defuncti illorum poterant sepeliri, consilio monachorum et voluntate in summo prope villam construxerunt ecclesiam sanctæ martyris Christinæ, et B cœmeterium ad opus defunctorum, et in ipsa ecclesia beatæ Virginis reliquias reverenter posuerunt; sed et mansiones monachorum ibi restitutæ sunt; nec ibi beata Virgo mansit absque miraculo. Erat quippe in eadem villa mulier miserabiliter contracta, quam tota villæ cognitio, numquam absque scamellis *t* viderat ambulare. Hæc frequenter causa salutis recuperandæ discumbebat ante reliquias martyris S. Christinæ, profundis gemitibus expetens, ut per eam desideratæ diu sospitati redderetur. Quid plura? Venit dies subventionis; et cum omnes surgerent, et egrederentur, et ipsa ope præclaræ Virginis et Martyris resiluit in pedes, et mirabiliter erecta, omnes in laudem et gloriam Dei, et beatæ Virginis provocavit *u*. Hæc et hujusmodi insignia per B. Christinam Jesus Christus, quando vult, operatur. Nunc ipsa pro nobis impetrare dignetur, ut hic sine macula, et in æternum cum C gloria vivamus et gaudeamus, et nunc, et semper, et per omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Si duos illos viros aliquibus adjunctis auctor vestivisset, meliores historici hic munus explevisset: certe individua vaga fidem in historicis vix merentur.*

b Tyrum *haud dubie, ut passim solent scriptores, Italiæ intelligit historicus: quæ si numquam, ut putamus, exstiterit in rerum natura, vide quo redigatur tota hæc narratio.*

c *Varios barbaros sub initia seculi quinti invasisse Romanum imperium, notissimum est:* persecutionem Wandalicam *hic vocat historicus, tametsi Wandali in Gallia atque Hispania potissimum partes suas egerint.*

d Ore paucorum, qui post persecutionem Wandalicam supererant cognovisse eximiæ Virginis magnalia *duos alienigenas, mox asseruerat auctor. Fac superfuisse* paucos *(quod tamen non credo) nonne verisimile est, istos* paucos *non omnino neglexisse, sed loco saltem utcumque securo celeberrimam Sanctam deposuisse, vel ut minus ita occlusisse, ut a quolibet adventante surripi facile non posset?* EX MS.

e *Gallos fuisse narrat historia translationis ad Sepinenses, de qua diximus in Commentario prævio, § 3; quæ multum accedit in substantia ad Bœvrariensem.*

f *Hic auctor videtur hærere; diceres, velle potius tacere, quam inepta loqui: unde mox se expediens, ad alia pergit.*

g *Nec auctor anonymus et incerti temporis verbo suo fidem facit, nec alterius testimonio, quod non profert.*

h *Nec hic nec paulo ante, patriam illam determinat scriptor.*

i Bethunia *est oppidum Belgii in comitatu Artesiæ ad amnem vulgo* la Biette, *octo leucis Atrebato distans.*

k *De hoc loco jam diximus.*

l *Die* XIII *Septembris dari poterit S. Amatus, episcopus Senonensis, seculo septimo apud Gallobelgas clarus: de quo haud dubie hic agitur.* E

m *Per τὸ* aliud *indicare vel supponere videtur auctor, se antea egisse de aliquo monasterio, quod non fecit; vel tunc aliud ibidem fuisse. De Carrofensi paulo post. Vide notitias Bethunia huc missas supra num.* 2.

n *Actum de isto Sancto ad diem* VI *Februarii, a pag.* 782, *qui obiit circa annum* 540.

o *Jactat hic iterum auctor testimonium; at non sufficienti fide nixum.*

p *De Carrofensi S. Salvatoris apud Pictones monasterio, vulgo* Charrou, *sæpe meminit Mabillonius in Annalibus Ordinis S. Benedicti. De monachis istis ad Morinos evocatis agit idem auctor tom.* 5 *Annalium ad annum* 1084; *ubi alterius sacri lipsani furtum, simile fere aliquousque ei, de quo hic paulo ante diximus, recensetur. Quod attinet ad tempus, quo laudati monachi venerunt ad istum prioratum; affirmat Rector collegii nostri Bethuniensis in notitiis inde ad nos missis:* Ut potui conjicere, Benedictini Carrofenses anno MC fuerunt in isto prioratu, sed nihil scitur certo de eorum adventu; *additque,* a centum et quinquaginta annis Vedastinos monachos esse in hoc prioratu. F

q *Id est,* dederunt, *vel* præbuerunt: *Gallicismus est ex* livrer, *vel potius* delivrer.

r *Tenebras rursum offundit auctor, dum illud monasterium non magis determinat.*

s *Hinc collige, alicujus notæ hoc monasterium exstitisse; de quo tamen nihil invenire potui in Annalibus Benedictinis apud Mabillonium.*

t *Vox ista significat scabellum; sed proprie tum hic, tum alibi usurpatur pro iis scabellulis, quibus repentes manibus innituntur. Exempla dat Cangius in Glossario.*

u *De statua Sanctæ, a Bœvrariensibus erecta, indicium quæ sit non novæ piissimi erga eam affectus symbolæ, ita memorat laudatus Rector in notitiis suis Bethuniensibus:* Ego ipse ivi ad locum, in quo situm est... sacellum, quod est adinstar columnæ quadratæ ad altitudinem septem aut octo pedum, ex lateribus confectum. Tres lateres continet in latitudinem: forulus est in suprema parte columnæ, in quo sita est statua S. Christinæ: ducentos circiter passus distat hoc sacellum

EX MS. sacellum a prioratu : est in media via : pedes istius columnæ fons amœnissimus alluit : a multis annis ita minatur ruinam, ut vix concipi possit, quomodo aqua, quæ omnes ferme fundamenti lapides corrosit, et procellæ ingentes, quas illic experti sunt, necdum prostraverint. Paululo tantum a multis annis hanc ruentem columnam fulcicrunt incolæ : putridus licet, et multo debilior, quam ut tantum pondus sustineat, injuriis omnibus resistit.

TRANSLATIO

Capitis S. Christinæ virginis et martyris, ex Tyro, ut putatur, Italiæ in parthenonem Hertzebrochianum diœceseos Osnabrugensis in Westfalia.

B *Notitia instrumenti, quod hic datur.* *In Commentario prævio abunde actum est de variis Sanctæ translationibus : unde quæ huc spectant, desumenda sunt. Misit ad nos instrumentum noster Joannes Gamans, in hæc verba scribens Paderborna die* XIX *Aprilis; annus non additur :* Ab octiduo *absens*, heri reversus *sum*, nec absque fructu sancto : quippe Hersenbrochii in monasterio virginum reperi miraculosam omnino translationem Capitis S. Christinæ, martyris Tyriæ, ex Italia Osnabrugum, et inde factam ad hoc monasterium anno Christi CM per Egilmarum episcopum Osnaburgensem quintum *(imo sextum, saltem juxta annotata inferius danda littera* a) miraculose eodem in monasterio a cæcitate liberatum. *Instrumento translationis adjunctas reperio annotationes quasdam de fundatione istius monasterii cum catalogo abbatissarum Germanice scriptas; cui apponuntur ista :* Hæc descripta sunt ex copia quadam extracta ex litteris fundationis, et episcopo Osnaburgensi antehac transmissa. *Sequuntur annotationes Latine expressæ. Quæ in rem nostram erunt, conjiciemus in annotata. En tibi nunc instru-* C *mentum, ad aliud ejusdem argumenti apographum collatum :*

2 Eggilmarus * *a*, Osnaburgensis episcopus, quondam in Italiam profecturus, divina disponente providentia, pervenit Tyrum *b*, ibique ei cum plurimis aliis reliquiis Caput Sanctæ virginis ac martyris Christinæ dabatur : quod ingenti lætitia et gratiarum actione suscepit. Cum ergo reverteretur Osnaburgam *c*, altare ad Dei beatissimæque virginis Christinæ honorem exstrui fecit, Caput sanctissimum desuper imponens. Cumque transacta nocte (rutilanti solis jubare super terras passim diffuso) repedasset ad templum, Caputque sanctissimum ante aram repperisset, admirabatur, et magna illud reverentia sublevans, altari denuo imposuit. Secundo autem die templum ingressus iterum Caput sanctissimum ante altare invenit. Quod cum tertio sole terris reddito ita invenisset, vehementer expavit.

** alias Egilmarus* — a *Caput hoc Osnabrugam delatum,* b — c

3 Considerato igitur tam grandi miraculo divina commonefactus inspiratione, capsulam, in qua venerandum Caput habebatur, levavit, tergoque indomiti equi imponens, quam potuit firmissimis strinxit funibus, et sic brutum animal absque ullo ductore dimisit; sed ipse episcopus cum suis famulis a longe sequebatur, exploraturus, quo tandem Caput perventurum esset. Manifestissimis enim indiciis alium venerabile Caput requiei suæ locum elegisse, didicerat. At irrationabile animal divino impulsu ac dispositione versus Hertzebrock *d* agebatur, venitque tandem in locum, ubi modo summum habetur altare; in quo id temporis spina erat, silvestres rosas producens, quæ ejusdem altaris muro postea cingebatur. Apud eamdem spinam equus subsistit, ac propius accedens, movendo tergum, onus deponere moliebatur, acsi diceret : Hic est locus, quem Deus prævidit, sanctaque virgo Christina elegit.

miraculose transfertur — D — d

4 Tunc episcopus, famulorum comitante caterva, accessit, capsellam, in qua venerandæ reliquiæ servabantur, de equi indomiti tergo deponebat, inque eamdem rosigeram sentem ponebat. Deinde in eodem loco sacellum in honorem sanctæ Christinæ virginis ædificabatur, in quo scrinium, sancto plenum Capite, magna reverentia firmissime obseratum ponebatur, et semper ibi lumina accendebantur. Et hoc idem monasterium duobus temporibus combustum est, antequam in hoc loco ædificabatur.

in Hertzebrock; — E

5 Postea cum episcopus Eggilmarus sanctas reliquias istum locum elegisse videret, et mirabilia signa atque miracula, quæ Deus per sanctam virginem ac martyrem Christinam operabatur, audiret; venit quodam tempore in Hertzebrock, sanctum Caput videre desiderans. Cui virgines responderunt dicentes; se non libenter ostentare * Caput, nisi in die, qui sanctæ Christinæ sacer est. Quod episcopus ægre ferens, aiebat : Quamvis hæc virgo Christina sancta sit, et apud Deum magna et potens, non tamen est tam sancta et bona quam venerabile Sacramentum Domini nostri Jesu Christi, cujus nobis quotidie videndi datur copia. Cum talia perstaret * memoratis, fixusque maneret, instantissime perseverans in petitione, eique virgines obsistere non anderent, tradebant ei capsam, et clavem, qua claudebatur.

ubi Eggilmarus episcopus Osnabrugensis — ** alias ostendere* — ** alias præstaret.* — F

6 Ille ergo accipiens eam, virginibus consensum non præbentibus, patefecit; et, ecce, quamprimum aperta capsula sanctum Caput intuitus fuisset, utroque privatus est oculo : exuti enim de suis foraminibus, parvis adhuc, instar filorum purpureorum fixi venulis, ad genas usque dependebant. Hoc miraculo viso pavefactus ac stupens, curvatis genibus procidit, implorans sanctam Christinam virginem, ut pro se Dominum nostrum Jesum Christum interpellaret, ut visum reciperet; se eam in veneratione cunctis diebus vitæ suæ habiturum, monasterioque ob ejus amorem et venerationem, prædium aliquod, quod in præsentiarum in possessione habemus *e*, daturum promittens. Postulavit etiam abbatissæ cunctarumque virginum pro se ad Christinam orationes, quas et impetravit, et votum, quod beatæ Christinæ voverat, ingenti lætitia persolvebat.

importuno tempore illud delegens, cæcus redditur. — e

7 Quædam deinde abbatissa hujus monasterii, Siburga *f* nomine, in honorem beatæ Christinæ virginis, deauratum formosis undique iconibus

Præ scrinio ornatiore — f

A nibus elucentibus arte sculptoria fabrefieri faciebat scrinium. Cum ergo sacer festi ejusdem Virginis dies celebraretur, abbatissa cum omni reverentia et devotione venerabiles more solito ostentabat reliquias; postea sanctum Caput in deauratam capsellam reclusit, reservans tamen eam nigellam ipsam capsulam, in qua Caput sanctum ex Italia et Tyro, et super indomiti equi tergum in Hertzebrock asportatum fuit. Venerabilis autem abbatissa deauratam capsam firmiter observavit; et, ecce, revoluto anno cum celeberrimus beatæ Christinæ dies reciproco more rediret, [et] fores pulsaret, abbatissa deauratum scrinium accessit, sanctas ostentatura * reliquias. [Cum autem illud reserasset, sacrasque reliquias] minime invenisset, obstupuit atque vox faucibus hæsit, et ultra modum expavit, præque stupore tam grandis miraculi seipsam non capiens satis admirari nequibat.

* alias ostentura.

placuisse Sanctæ minus ornatum, miraculo declaratur.

8 Tandem nigellum patefaciens scrinium, ingentem istum sanctarum reliquiarum thesaurum in eo reperit. Ex qua re eximiam sanctæ Christinæ humilitatem abbatissa intellexit, et quod
B in nigro scrinio, in quo ad nos allata est * requiescere, neque alium habere requiei locum vellet, consideravit, et in eodem in præsentiarum requiescit; et, mirabile dictu [quod] cum tanta temporum evoluta sint spatia, ex quo ad nos pervenit *g*, integra et ab omni corruptionis macula aliena perduret. Aliud tamen scrinium, reliquiis et ossibus plenum, eodem tempore cum Capite beatæ Christinæ ad nos translatum est, quod ante annos plurimos ruptum et confractum est. Cum monasterium hoc adhuc in alio loco situm esset, abbatissa sanctæ Christinæ virginis Caput ex sacello in templum ferebat, quod mane iterum in sacello invenit. Hoc et tertia vice ei contingebat.

* alias sanctum Caput allatum est.

quæ patrona eligitur monasterii et pagi Hersebrochiani.

9 Deinde abbatissa quædam hic primatum tenuit, Odradis *h* nomine, sub cujus temporibus monasterium hoc, quod tunc situm erat in loco appellato Udenbrinck, igne consumebatur. Hæc cum universis virginibus consilium iniens, sanctas sequi reliquias statuit: apertis enim signis sanctam Virginem hunc locum elegisse, nec in
C ullo alio loco eam esse velle, prospexerat. Monasterium illud tam penitus combustum erat, ut ex integro illud reædificare cogerentur. Prædicta ergo abbatissa suorum amicorum consilio, atque Alberti parochi sui, qui etiam ad hoc multas opes contulit, et ceterorum monasterii præpositorum freta auxilio, in honorem Dei, beatæque ejus Genitricis Mariæ, nec non sanctæ Christinæ virginis, in loco, in quo sacellum ante erat, monasterium ædificare cœpit. Summum denique altare in loco rosigeræ sentis, in quam sonipes sanctum Caput deposuerat, exstruebatur. Per hæc accidit, ut sacra Virgo suprema hujus monasterii, atque totius parochiæ efficeretur patrona. Grates ergo meritas referre Deo, qui nos tanto ditavit clenodio *i*, nequimus. Ideo sanctam ac venerabilem Virginem obsecremus, ut nobis, hic ita vivere impetrare dignetur a Deo, ut ad æternæ felicitatis gaudia mereamur pervenire. Amen.

Salve virgineas inter præfulgida turmas,
Christina, eximiis sancta tuis meritis.

ANNOTATA.

EX MS.

a *Apud Cratepolium in Electorum ecclesiasticorum catalogo scribitur* Egelmarus, *poniturque istius cathedræ ordine sextus, ac annis* 33 *eidem præfuisse; unde etiam colligimus ipsum floruisse versus finem seculi noni, et sub initium decimi.*

b *Quid de hac urbe sentiamus, dictum plus satis.*

c Ossenburgum, Osnaburgum, Osnaburga *et* Osnabruga *urbs est Westfaliæ, a Carolo Magno episcopali cathedra ornata.*

d Walburga vidua, *inquiunt annotationes Latinæ,* statim post octingentesimum annum recuperatæ salutis, et obitum Eckhardi, mariti sui, propriis impendiis incepit ædificare et fundare ecclesiam in Hertzebrock; et Dudam, natam suam, in Liessborn ad Rosteyndam, Caroli Magni germanam ibidem abbatissam, ut in timore Domini, dum monasterium ædificabatur, educaretur, aliquamdiu misit. *Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum* 822 *hoc monasterium vocat* Libomense, E
notatque primam *ejusdem loci* abbatissam, nomine Roschwindem, Pippini regis filiam, Caroli Magni sororem perperam dici. *Apud Cointium in Annal. Franc. ad annum* 768, *num.* 19 *inter liberos Pippini ponitur* Rothaides. *Pergunt prædictæ annotationes:* Post eam revocans, primam omnium abbatissam in Hertzebroch constituit, totum patrimonium ejus una cum ipsa ibidem Deo offerens. Præscripta vidua ab Eckhardo defuncto viro suo duos filios sustulit, videlicet Lutbrandum et Ovonem, qui matris erga hoc cœnobium vestigia pari diligentia secuti sunt: namque Lutbrandus omne patrimonium suum monasterio contulit, et factus est ibidem præbendarius; nihil aliud ad vitæ suæ *sustentationem,* quam victum atque vestitum petens et accipiens. Ovo vero germanus suus, advocatus ibidem fiebat, villam in parochia Eunigerloe * sitam, nomine Bockentorp cum sex modiis avenæ et quinque hordei annuorum redituum nobis conferens. Hæc fundatio completa est, et recte disposita fuit anno DCCCLX, confirmata ab Egberto, quinto episcopo Osnabrugensi, qui tam
F in suam, quam omnium successorum curam et defensionem hoc cœnobium Hertzebroek perpetuo defendendum suscepit. *Litteræ confirmationis ex antiquissimo originali, uti dicitur, descriptæ, ad manum sunt, quarum finis est talis:* Facta est ipsa traditio seu confirmatio illa in eodem loco sub die XII Kal. *(mensis non exprimitur)* Indictione IV, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCLX *: quo fuit Indictio* III, *non* IV *: dissonat etiam epocha Egberti ab ea, quam signat Cratepolius, ponens eum præfuisse annis decem, et e vita migrasse anno* 884.

* Eunigerlo

e *Hinc, et ex sequentibus,* ad nos allata est, *arguo hanc narrationem vel ex traditione vel ex scriptis monialium acceptam fuisse; ab aliquo forte parochorum vel præpositorum monasterii (quales infra memorantur) conscriptam.*

f *In annotationibus Germanicis Mss., de quibus supra, notatur* Sigisburga *cum anno* 976.

g *Non itaque magnæ antiquitatis hoc instrumentum censeri debet, ut clarius patebit ex sequentibus.*

h *Abbatissa hæc* Oderadis *vocatur in annotationibus*

EX MS. *nibus Germanicis; et ponitur undecimo loco: quæ electa anno* 1329, *ibidem dicitur præfuisse annis* 46. *Unde statues de instrumenti hujus non magna antiquitate. Nisi forte hæc, quæ ipsius tempore contigisse, hic narrantur (propterea quod novus titulus et majusculis quidem litteris* ODRADIS ABBATISSÀ UDENBRINCK *illis præfigatur) suspicari quis velit, diu post alia, quæ præcedunt, adjecta fuisse. Quod mihi non satis probatur.* D

i Clenodium *est res quælibet pretiosa; de qua voce, uti et de ejus etymo plura dabit Cangius in Glossario. Ne pluribus lectorem moremur, hic tandem rebus, quæ ad* S. Christinam *spectant, finem imponimus.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS SEBASTENIS

THEOZONO, VICTORE, EMERITA SEU EMERITO, CUM DUOBUS FRATRIBUS, STATIANO, CAPITONE, SILVANO, STERCATIO ET CARITONE.

J. B. S.
B

Ex Hieronymianis.

E

XXIV JULII.

EX *Hieronymianis, inquam; sed quoquomodo restituendis, nam eo signati Martyres in codicibus referuntur, non est qui ordinem, tum in hisce, tum in aliis turbatum, satis commode complanet. Id ut plane perspicias, triæ tibi mecum devorandæ sunt. Audi jam Hieronymianorum apographorum textus, ut a Florentinio relati sunt. Præmitto laterculum vetustissimi Epternacensis:* In Armenia minore, Sebasti, Theogenis..... *Aut ego vehementer fallor, aut* Sebasti *hic non est nomen martyris, sed urbis ipsius* Sebastenæ, *quam codices alii in* Sabatiæ *et* Sabbaiæ *transformarunt, sensu non magis intelligibili. Etenim in Lucensibus sic habetur:* In Armenia civitate, *quod ineptum est,* natalis sanctorum Sabatiæ, Theozoni..... *ubi si quid dicere voluit scriptor, sic constructio ordinanda est, ut sensus sit:* In Armenia civitate Sebastena, natalis sanctorum Theozoni.... *Neque Corbeiensis codex exactior est per:* In Armenia civitate, natalis sanctorum Sabbeiæ, Theozoni..... *Initiis ad eum modum turbatis, sequentia æque implexa apprime respondent; quod ut clarissime perspicias, en reliquum annuntiationis in Epternacensi. Post* Theogenis *sic siquitur:* Victoris et aliorum LXXXIII Romæ Victorini militaris, Aciani, Capitonis, Silvani, Stercati, Athenogeni, Cartonis.

Si Hieronymiana recte componantur,

C

hi decem Martyres

2 *Contorta sunt omnia.* Victor *ad Sebastenos omnino spectat, sed alii* LXXXIII *minime: sintne ii martyres an milliaria, infra dispiciemus.* Romæ, Victorini militaris, *æque quidquam significat;* Victorinus *Amiternum reducendus est; reliqua nomina lævigare et combinare conabimur. Lucenses sic post* Theozoni *pergunt:* Victoris militaris, qui multa tormenta passus est, Emerita cum fratribus II, Statiani, Capitonis, Silvani, Stercati, Athenogine, Caritonis. *Habes hic undecim pugiles, binos anonymos, ceteros novem propriis nominibus expressos. Liceat* Emeritam *pro nomine martyris accipere, et, si ita vis, mutare in* Emeritum *ut ex laterculo diei sequentis magis patet, inveniemus* S. Athenogenem *de quo egimus* XVII *Julii (quique proinde in classe prætitulata omissus est) sociis suis seu discipulis decem admixtum; ipsus fortasse est qui in nostris codicibus Hieronymianis die sequenti notatur sub nomine* Agathenis *sive* Agathoni. *Neque hinc procul aberit Corbeiensis, si interpunctionem dempseris, et τὸ* militaris *cum* Victoris *conjungas. Sic ibi post* Theozoni; Victoris militaris, Emeritæ cum fratribus duobus, Statiani, Capitonis, Silvani, Stercati, Athenoginæ, Caritonis. *Conveniunt nomina, convenit numerus, ut, omnibus rite perpensis, equidem vix dubitem, quin nodus, alias inextricabilis, eo vel non absimili pacto solvendus, aut scindendus sit. Plerique Sancti isti in laterculo diei sequentis iterum signati sunt.*

3 *Rotundius ea nomina, nescio ex quo fonte, collegit Castellanus in notula ad Martyrologium Romanum, diserteque* S. Athenogenis *discipulos appellavit, hoc ordine:* Sebaste, sanctorum Emeriti, Victoris, Melitonis (*pro* Capitonis) Theozoni, duorum fratrum Emeriti, Statiani, Caritonis, Silvani et Stercatii. *Verte citatos Hieronymianorum textus quocumque modo volueris, non nisi hoc vel pari aliquæ ratione sensum extundes aliquatenus tolerabilem. Si quæras, cur hoc die signati fuerint* S. Athenogenis *socii, cum ipso magistro suo eodem die martyrio coronati, eum ipse* XVII *Julii relatus sit; facilis responsio est, quod Græcos secuti, eum diem* S. Athenogenis *martyrio sacrum invenerimus, potius quam* XVIII *Januarii, ubi eum Baronius collocaverat, ut ibi pluribus explicatum invenies. Respondet autem Castellanus, acceptam hic vigesimam quartam mensis Græci (haud dubie Macedonici) Loüs, qui non cum cum* XXIV *mensis nostri Julii, sed cum* XVII *confundi debuit. Verum in hac qualicumque difficultate explananda equidem laboro minime, longe major superest alia, non facile superanda, si ad omnimodum rigorem exigatur.*

ex ipsis educendi sunt.

F

DE

A D

DE SS. MARTYRIBUS EMERITENSIBUS

VICTORE, STERCATIO ET ANTINOGENO

Ex Martyrologio Romano. J. B. S.

XXIV JULII.

Difficultas est in hac annuntiatione.

Tres hosce Martyres cum superiori annuntiatione connectere, hic Rhodus, hic saltus est, quem qui apposite exscindat, neminem facile repertum iri existimo. Hoc ipso die sic in Martyrologio Romano expressissime annuntiatur :* Emeritæ in Hispania, sancti Victoris, viri militaris, qui cum duobus fratribus Stercatio et Antinogene in persecutione Diocletiani per diversa supplicia martyrium consummavit. *Agnosco textum, ejusque genesim et analysim me novisse testari possum. Sic primus scripserat (quod sane pridem miratus sum) auctor Romani parvi :* Apud Emeritam Hispaniæ, Victoris militaris. *His non contentus Ado plusculum adjunxit hoc modo :* Apud Emeritam Hispaniæ civitatem, natalis S. Victoris militaris, qui cum duobus fratribus Stercatio et Antinogeno, diversis examinatus suppliciis, martyrium consummavit. *Ducem perpetuum sequi non dubitavit Usuardus. Hunc vero describens Baronius persecutionem determinavit, et quidem in Annalibus annum se reperisse putavit, quo hi tres pugiles in Hispania martyrium consummaverint, nempe annum* 103, *ut vide ibi num.* 139.

B

2 *Veneror quidem et suspicio auctoritatem Romani parvi (seu veteris ut ipsum vocavit Rosweydus) totiusque ejus progeniei, de qua, dicere liceat, nemo hactenus me melius meritus est; ast una fatebor ingenue, primum hunc non fore errorem, quem in eo codice manifeste deprehendi, quique in Adonem, Usuardum et modernum Romanum usque inobservatus gliscere potuit, etiam hodie ibi notabilis; ut proinde, rebus æqua lance perpensis, præferendos omnino censerem codicos nostros Hieronymianos, siquidem tales hoc die essent ut plena fides eis tuto haberi posset. Quidquid interim de rei veritate sit, rem omnem exacte retuli, quemadmodum in Martyrologiis signatam inveni, nihil solicitus de Actis a Tamayo productis, quem satis est nominasse. En ex eisdem codicibus nostris cum Martyrologio Romano collatis, controversiam alteram.*

cum priori apte connectenda.

E

DE S. VICTORINO MARTYRE

ITEM ALIIS LXXXIII ANONYMIS

AMITERNI IN VESTINIS ITALIÆ.

J. B. S.

C

Ex Martyrologiis.

F

XXIV JULII.

Clarissima est hoc die et nitidissima codicum Lucensium annuntiatio in laterculo Florentinii : In Amiternina civitate, milliario LXXXIII ab urbe Roma, via Salutario *(pro* Salaria) natalis sancti Victorini. *In Epternacensi lucis nihil, quin potius tenebræ, unde confusio suboriri potuit; miscet enim sus deque omnia, ut ex relato superius textu abunde constat. Codex Corbeiensis Lucensibus persimilis est :* In Amiternina civitate, miliario octogesimo tertio ab urbe Roma, via Salaria, natalis sancti Victorini martyris. *Atque hic procul dubio genuinus textus est ex aliis minoribus apographis confirmatus, notanter ex codice contracto Reginæ Sueciæ, ut proinde affatim sudet Florentinius ad hæc cum Romano concilianda, si Martyres isti* LXXXIII *ex Hieronymianis accepti censeantur; quandoquidem ibi et in brevioribus* Armeniæ *tribuantur; aut si cum* Victorino *conjungendi sunt. Dicamus potius, ab Adone nescio unde productos, sic eos descripsisse Usuardum, quo modo hoc die celebrantur a Romano, in quo* S. Victorinus *Amiterninus episcopus ex iisdem suis fontibus ponitur* V *Septembris : idem an alius ab eo qui hoc die in Hieronymianis refertur, usque adeo exploratum non est ; maluimus nos hodiernum* Victorinum, *quisquis is est, loco suo ex citatis codicibus servare, atque una adjungere classem alteram undecumque desumptam, quidquid dubium non nullis sit, an non ex mera jam satis superius indicata confusione proficiscatur.*

A D

DE S. VINCENTIO MARTYRE

ROMÆ VEL TIBURE.

J. B. S. Ex Martyrologiis.

XXIV JULII. *In Martyrologiis notissimus est,*

De hoc sancto Martyre cursim meminimus die præcedenti, cum ex Hieronymianis, in quibus ibi signatur, huc ex aliorum majori numero auctoritate remittentes. Incipimus igitur ab antiquiorum istorum codicum annuntiationibus, quos inter vetustissimus Epternacensis sic eo die legit : Romæ, Vincentii ; *Lucensis :* Romæ via Tyburtina mil. XVIII, natalis S. Vincentii, *quem Notkerus plane secutus est. Corbeiensis habet :* Romæ via Tiburtina, miliario nono decimo, natalis S. Vincentii martyris, *quo modo etiam legit Corbeiensis brevior. Atque hactenus vetustiores isti codices, in eo solum diversi, quod Romam aliqui distinctius enuntient, alii locum remotiorem designent. Inter contractos Rhinoviensis cum Epternacensi convenit, uti et Richenoviensis, Augustanus; Labbeanus et alii, in quo tanta difficultas non est, cum ea Romæ ipsi facile tribuantur, quæ in vicinia gesta sunt. Id miror maxime, a Romano parvo totaque ejus progenie, atque adeo et a Romano hodierno in hunc diem transferri Sanctum, ut ex iis quæ in Observatione ad Usuardum diximus, tomo* VI *Junii pag.* 382, *apertissime constat.*

B

2 *Habes istic annuntiationes laudati Romani parvi, Adonis et Usuardi inter se collatas (Florus enim seu Beda, nec proinde Rabanus, nec etiam Wandelbertus de eo meminerunt) tum vero memoratur, quod de Sancto unicum superest monumentum, nempe* ecclesia *Tiburtina* S. Vincentii, *verosimillime, teste Baronio, de hujus nomine sic appellata, quidquid multi aliter credant; neque eo retrahi posse videtur Vincentius Portuensis, qui* XXIV *Maii colitur; multo minus celeberrimus martyr in Hispania; neque ex tot aliis synonymis Italis aut extraneis aliquis, Tibure tam procul martyrio affectus; neque demum Vincentius alter Romanus, qui cum Eusebio, Pontiano, et Peregrino* XXV *Augusti coronatus est. Recentiorum Martyrologorum annuntiationes huc congerere, operæ pretium non existimavi, ubi fontes patent, ex quibus sua hausisse ceteros certissimum est. Porro an ultra an citra Tiburim passus sit, frustra modo quæsieris, dum Acta ipsa, si quæ umquam exstiterint, plane interciderunt, ut quis Martyr iste fuerit, aut sub quo tyranno palmam consecutus, alta oblivione sepultum, fateri necesse sit.* *verum de gestis nihil superest.*

E

DE SANCTIS MARTYRIBUS

HYMENÆO ET CAPITONE

J. P. Cultus ex Græcis Fastis, et Martyrologio Romano.

F

DIE XXIV JULII. *E. Fastis Græcis, ubi versiculis honorantur,*

Ecgraphum nostrum, excerptum ex Menæis Mss. bibliothecæ Ambrosianæ Mediolani f. O n. 148 a Novembri ad dimidium Augustum, duos hosce Christi Pugiles ita annuntiat :* Ἄθλησις τῶν ἁγίων μαρτύρων Ὑμεναίου καὶ Καπήτονος. Certamen sanctorum martyrum Hymenæi et Capetonis. *Et mox adscribitur manu Henschenii Taurinense utrumque. Plus non habet Synaxarium collegii Claromontani Parisiis seu Sirmondi; quod pro* Καπήτονος *scribit* Καπίτονος. *Plusculum tradit Synaxarium Divionense seu Petri Francisci Chiffletii nostri, mortis genus exhibens his verbis :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ὅσιος Καπίτων ξίφει τελ. Eadem die (XXIV *hujus*) S. Capiton gladio peremptus. *Cui hoc distichon accinitur :*

Ψυχῆς μὲν ὄμμα παντεπόπτῃ Δεσπότῃ
Τείνει Καπίτων, τὸν τράχηλον δὲ ξίφει.
Domino intuenti cuncta tendit Capiton
Mentis oculum, sed ictui gladii caput.

2 *De* S. Hymenæo *ibidem leguntur ista :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος Ὑμεναῖος ξίφει τελ., *ut supra de* S. Capitone, *addito sequenti disticho :* *in Romanum Martyrologium transcripti fuere hi Martyres.*

Ἔχαιρεν Ὑμεναῖος ἥκων πρὸς ξίφος,
Ὥσπερ πρὸς ὑμεναῖον ἥκων νυμφίος.
Lætus Hymenæus ensis ad pœnam venit,
Ut ad hymenæum progredi sponsus solet.

Notissimum est, vocem hymenæus, *in qua hic luditur, significare nuptias. Menologium ex interpretatione Cardinalis Sirleti, a Canisio editum, ambos Martyres hoc die consignat : unde in Martyrologium Romanum transcripti sint; sed utrobique* Menei *nomen, pro* Hymenæo *exaratum legitur. Nihil interea suadet, a nostra lectione recedere, quam alteri isti anteferimus, tamquam sinceram ac genuinam. Ceterim quæ ad ætatem, palæstram, aliaque adjuncta pertinent, incomperta habemus.*

DE

A D

DE S. PAVACIO EPISC. CONFESSORE

CENOMANIS IN GALLIA.

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Ætas, cultus, reliquiarum primæ translationes, et Acta.

Seculo IV.

De primis duobus sanctis episcopis Cenomanensibus Juliano et Thuribio jam pridem actum ad dies ipsorum natales XXVII Januarii et XVI Aprilis; ubi de eorum gestis alia referri non potuere quam quæ suggesserat tenuitas materiæ, nec a Corvasserio nec a Bondoneto, notissimis istius urbis historicis, multum amplificata, nedum illustrata.* Neque post varios Majorum nostrorum motus, ipsorumque eruditorum Cenomanensium conatus, eo perduci res potuit, ut de primis urbis ipsius apostolis fusiora aut solidiora obtinerentur, ad primorum seculorum elucidationem conducentia, quidquid Joannes Morellus Lavallensis, academiæ Parisiensis doctor theologus et Cenomanensis canonicus, in Nomenclatura seu Legenda aurea pontificum Cenomanensium vetustissimos codices allegaverit. Puriorem fontem aperire visus est, sed et ipsum satis sterilem Mabillonius, dum anno* 1682 *Analectis suis inseruit:* Nomina vel tempora vitæ justorum vel injustorum pontificum Cenomanis in urbe degentium, *quorum partem, quæ ad priores episcopos pertinet, dudum Ms. ad nos miserant laudati Cenomanenses, ex qua quæ ad* S. Pavacium *spectant, cum Mabillonii editione contulimus.*

Quæ circa ætatem ambigua erant, B

2 *Historiam istam in suis principiis eatenus satis confusam, ut jam pridem notaverat Henschenius agens de S. Thuribio ad* XVI *Aprilis num.* 5, *et* S. Pavacium *seculo quarto diserte innectens, elucidare aggressus est Papebrochius, occasione S. Innocentis seu Innocentii, octavi Cenomanensium episcopi, ad* XIX *Junii, nempe tomo* III *a pag.* 854, *ubi Commentarium prævium eo dirigit, ut tam ipsius S. Innocentii quam decessorum episcoporum chronologiam ad calculos paulo justiores reducat;* § II *SS. Liborii, Pavacii et Thuribii tempora, ex Severi et Gregorii de primis Galliarum apostolis sententia, sic determinans, ut cum totis jam quinque lustris, quibus ea edita fuerunt, nihil accuratius prodierit, iis quæ ibi stabilita sunt, hactenus inhærendum censeamus, neque proinde hic repetenda sint quæ de* S. Pavacii *gestis, ex jam dicta Mabillonii editione, eo loco Papebrochius abunde discussit, titulos ipsos* de temporibus Maximi et Aureliani imperatorum, *ceteraque* de ordinationibus, de ecclesiarum consecrationibus, de censu luminarium ceræ et olei *ita explicans, ut ea omnia pro insertis hic haberi cupiamus: inde et ætatem accipe, eamque ita fige, ut verosimiliter ordinatus fuerit* S. Pavacius anno CCCIII, XXII Augusti, sederit annis XLIII, obierit XXIV Augusti *(lege* Julii) CCCXLVI. *Cultum modo et Acta qualiacumque prosequamur.*

utcumque in hoc Opere pridem explicata sunt. C

Patet cultus ex Officiis et Martyrologiis.

3 *De Sancti cultu dubium prorsus nullum relinquitur, nam et in vetusto Kalendario Cenomanensi, quod penes nos est, diserte signatur, uti etiam in Martyrologiis atque Officiis ecclesiæ Senonensis, ut videre est in Breviario anni* 1625; *et reliquiæ ejus ad varia loca translatæ, semper venerationi expositæ sunt. Ab Aldrico quidem ritu solenniori, ut habes in instrumento relato* XVI *Aprilis, ubi de S. Thuribio, qui cum decessore S. Juliano et successore* S. Pavacio *in altari senioris ecclesiæ* decenter et rationabiliter collocatus est; *atque ibi notanter exprimitur* corpus S. Pavacii jam dictæ urbis tertii episcopi et prædicatoris optimi. *Etiam alteri sanctum* Pavacium *conjungit Florarium nostrum Sanctorum Ms. dum hoc die ita annuntiat:* In Paderborna, depositio SS. episcoporum Cenomanensium Pavacii, Thuribii et Gundanisoli. *De hac annuntiatione actum est ad dictam diem* XVI *Aprilis, ubi S. Thuribius cum* Pavacio Paderbornæ *adscribi dicitur etiam in Usuardis Coloniensibus, ubi tamen* Cenomanis *tribuuntur. Id verum est, Wernerum Rolevinck lib.* 3 *de situ et moribus Westfalorum cap.* 8, *pag.* 176 *scripsisse, quod Badueradus* solenniter transtulerit corpora SS. Liborii, Pavacii, Turibii, Gundanisoli episcoporum Cenomanicæ civitatis ad suam ecclesiam, cum multa gloria miraculorum. E

in quibus cum S. Liborio,

4 *De S. Liborio die præcedenti explanata res est; non ita de aliis conveniunt Cenomanenses, quidquid in Monumentis, Kalendariis, Breviariis et Sanctuario Paderbornensibus SS. Thuribii,* Pavacii *et Gundanisoli memoria a multis seculis recolatur, idemque de* S. Pavacio *asserat noster Joannes Velde in Fastis Westfalicis Mss., Wernerum sese sequi aperte professus. At qualiscumque fuerit ea translatio, cum ipsa Liboriana conjungenda omnino videtur. Habe hic modo textus ipsos Usuardorum Coloniensium seu Editionis Lubeco-Coloniensis et Greveni. Sic illa:* Cenomanis, depositio sanctorum Pavacii, Turribii et Gundanisoli episcoporum et confessorum; *inserit Grevenus hæc verba,* præfatæ urbis. *Molanus* Pavacium *Liborio conjunxit die præcedenti. Nulla alibi, quod sciam in Fastis paulo antiquioribus* S. Pavacii *memoria. Saussayus elogium adjunxit, sed Sanctum ipsum male* Panacium *appellavit; sic ad hunc diem loquitur:* Ipso die Cenomanis, S. Panacii episcopi et confessoris, qui tertius sedis ejus antistes omnem civitatem hanc ac circumjacentem regionem, adhuc spurcitiis gentilibus magna ex parte inquinatam, prorsus ad Christum convertit; primusque clericos ad communis vitæ rationem sua in diœcesi adduxit; editisque tot miraculis quot sanctissimæ vitæ actibus, glorioso exitu munus episcopale absolvens, stolam gloriæ in cœlis recepit a Domino. F

aliisque translatus dicitur.

5 *Nihil istic de translationibus, quas mirum est Saussayum ignorasse; Westfalicam autem, et si non* adeo

AUCTORE J. B. S.

adeo aperte exprimant Usuardi Colonienses, certe satis insinuare videntur, dum ad Florarii nostri Ms. exemplum tres Sanctos Cenomanenses uno die conjungunt. Quam vero aut quantulam partem ipsorum possideant Paberbornenses, mihi quidem conjicere integrum non est : id certum videtur, translationem istam, ut jam dicebam, cum Liboriana connectendam, ut uno eodemque tempore sacra ea lipsana in Westfaliam deportata fuerint, anno nempe Hludovici pii imperatoris 24, *ex quo Augustus nominatus est: ut sit anno Christi* 837. *Et vero brevior translationis S. Liborii historia, ut olim a Bollando observatum est,* multas aliorum Sanctorum reliquias, una cum S. Liborii corpore Paderbornensibus a S. Aldrico datas, tradidit, *ut vide ibi num.* 16. *Qui aut qua causa factum sit ut Gundanisolus, Cenomanis de cetera ignotus, aliis accesserit, id vero est quod minime hactenus explorare potui, ut neque proinde licuerit reliquis Sanctis eum annumerare, uti in Prætermissis superius dictum est.*

Translatio anni 840 certissima est.

B

6 *Porro quacumque demum sacrarum* S. Pavacii *reliquiarum partem cum S. Liborio Paderbornam translatam dixeris, ex indubitatis monumentis colligitur, longe potissimam corporis ejus partem apud Cenomanos relictam fuisse, quæ corpus ipsum appellari potuerit, utpote quod tribus post annis S. Aldricus ipse in cœnobium S. Salvatoris, a se non procul Cenomanis conditum, solenniter transtulerit, cujus rei instrumentum adduxit Baluzius Miscellaneorum tom.* 3, *pag.* III *in hunc modum :* Anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXL, Indictione III, anno vero imperii Hludovici piissimi Augusti XXVII, et anno VIII Aldrici, hujus parochiæ episcopi atque hujus cœnobii fundatoris, VII videlicet Iduum die, solenniter translatum est a præscripto episcopo et ab aliis episcopis et sacerdotibus, et reliquis sacris ordinibus corpus S. Pavacii et brachium dextrum S. Liborii in hanc S. Salvatoris ecclesiam, hucque in nobilissima urna decenter a præfixis episcopis et sacerdotibus, subsequentibus signis humatum, quorum precibus ab omnibus petimus liberari malis, et cunctis frui æternaliter bonis, ipso auxiliante, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

C

Vita prout eam edidit Boscius.

7 *Et hæc quidem postrema translatio dicenda est, cujus memoria ex monumentis Cenomanensibus hactenus erui potuerit; de posterioribus, magis obscuris, utpote Normannorum grassationibus implicitis, agemus paragrapho sequenti, ubi paucula de vulgatis Sancti Actis hic præmiserimus. In variis ecclesiis ea olim lecta fuisse atque in Officiis ecclesiasticis hodiedum recitari, indubitatum est, in iis præsertim ad quas reliquiæ pervenerunt, aut certe cultus aliquis, quacumque demum de causa stabilitus fuit, quemadmodum me docuit sæpius hic laudandus vir Clar. R. D. Le Beuf canonicus et succentor ecclesiæ Autissiodorensis, de* S. Pavacio *optime meritus, dum ad repetitas instantias meas nonnulla disquisivit, in subjicienda Vitæ appendice commodius discutienda. Ad Acta autem ista, seu potius Vitam quod attinct, testatur ipse, eamdem plane passim ubique in Officiis ecclesiasticis circumferri, nempe meram miraculorum paucorum collectionem, quam ex Amberti cœnobio olim typis edidit Joannes a Bosco monachus Cœlestinus, hic a nobis, cum nusquam alia exstet, de integro recudendam.*

D

mera est miraculorum series.

8 *Quo demum seculo aut a quo Vita ista coagmentata sit, frustra modo quæsiveris; ex toto contextu facillime conjicies, meram esse, ut dixi, miraculorum recensionem, quæ qua satis fide nitatur, æque incertum est. Principium ex populari traditione, receptiorique olim de Galliæ apostolis historia omnino coaluit, cui finis apposite correspondet, testante nescio quo Deodato, Se,* jubente domno Liborio... magna parte descripsisse, *qui nempe Liborius, ejus* patronus ecclesiam prædictam, *Cenomanensem,* sancte ac pie devoteque rexerit a tempore Valeriani usque ad Constantinum Imperatorem, *quæ vulgi opinio est hodie non facile admittenda. Boscianam istam editionem contulit Henschenius noster cum paulo auctiori ejusdem Vitæ exemplo in codice Ms. Reginæ Sueciæ, cujus additamenta præcipua uncis inclusa observabis, nihil magnopere ad historiæ puritatem conferentia. Annotationibus parcendum censui, cum exordium, quod solum ad historiam pertinet, jam a Majoribus nostris restitutum dixerim, cetera vero sic explicata sint, ut majori illustratione minime indigeant. Ad alias translationes progredimur.*

E

§ II. Aliæ reliquiarum translationes; præcipua ad Castrumrainardi.

Unde, quando et quomodo ad Castrumrainardi pervenerint,

Q*uam proxime retulimus sacri* S. Pavacii *corporis seu reliquiarum translationem, mirum plane est, factam eam putasse Tillemontium tom.* 10 *Commentariorum ecclesiasticorum pag.* 308 *Cenomanis ad Castrumrainardi in Vastinium, id enim a sensu relatorum verborum plane alienum est, præterquam quod ridiculum sit asserere, translatas fuisse reliquias ad locum tunc necdum existentem in rerum natura. Etenim castrum illud esse non potuit ante conditorem suum comitem Rainardum, alias Reginardum, a quo indita ipsi appellatio; hic vero scitur non vixisse ante seculum decimum, notissimus in Chronico S. Petri Vivi, auctore Clario, apud Acherium tomo* 2 *Spicilegii a pag.* 726. *Ut certum itaque statuendum est, sacrum* S. Pavacii *corpus ante seculum* X *jam adultum ad Castrumrainardi deferri non potuisse. Unde porro, quo anno, et qua ratione eo pervenerit, id vero ænigma prope est, quod nemo explicuit hactenus, neque mihi promptum esse definire, ultro et libens agnosco : id tamen ad rei elucidationem conferre conabor, quod nec Corvasserius nec Bondonetus scivisse videntur, dicturi procul dubio, si ad eorum notitiam pervenisset.*

F

non docuerunt scriptores Cenomanenses.

10 *Ita primus Cenomanensis historicus Gallice scripsit pag.* 86, *quæ Latine verto :* Corpus ejus primo depositum fuit in ecclesia Pratensi, apud decessores suos; deinde translatum ad S. Juliani tempore Aldrici XXIII episcopi Cenomanensis : demum, sive Deo ita volente, sive ob bella Anglorum et Normannorum, provinciæ templa expilantium, et sacra ac pretiosa quæque profanantium, ad Castrumrainardi, diœcesis Senonensis deductum est, ubi hodiedum summa veneratione a populis frequentatur, ob multiplices gratias ibidem ejus intercessione quotidie impetrari solitas. *Vides hic rem satis implexe delibatam, quam alter intactam reliquit, nihil habens quo explicatiorem redderet, tacita etiam translatione anni*

AUCTORE J. B. S.

A *anni* 840, *ab utroque haud dubie ignorata. Ab Anglis ablatas, aut Angliam deportatas fuisse* S. Pavacii *reliquias, vulgi traditione aliqua superstite, audire aliquando potuerit Corvasserius; quod contigisse oportet Normannis Gallias, sæpe infestantibus sub finem seculi noni aut sub decimi initium : certe ex Anglia, reduces, docet diploma Lotharii regis datum anno* 958 *apud Mabillonium seculo* 5 *Benedictino pag.* 245, *in hæc verba :*

Ex Anglia in Franciam reductas, docet diploma anni 958

11 Lotharius Dei gratia Francorum rex. Notum fieri volumus fidelibus nostris, quod Burchardus miles, filius Alberici ducis, adiit serenitatem nostram obsecrans, ut quoddam monasterium, quod ipse constituerat de consensu Hildegardis uxoris ejus, et de consilio Theobaldi domini de Centumliis fratris ejus, super Sequanam fluvium, prope Briacum in honore Domini Salvatoris, ad collocandum, servandum et colendum corpora sanctorum Paterni martyris et Pavatii confessoris, quod ultimum corpus ex Anglia attulit cum aliquibus religiosis, quos avunculus ejus rex Ædredus ei dederat de cœnobio de Per- B sora, ut stabilirentur et servirent Deo in dicto monasterio sub professione regulæ S. Benedicti, et nos in perpetuum stabile et firmum fore concederemus quæcumque eidem loco largiebatur de bonis suis sine advocatione. Cujus petitioni annuendo, etc. Datum in palatio Laucduni Clavati, apud monasterium S. Joannis x Decembris, anno v, regnante Lothario rege gloriosissimo ; *qui ipsus est annus Christi quem notavimus* 958, *quo jam* S. Pavacii *reliquiæ in Franciam redierant.*

neque istæ alterius quam Cenomanensis episcopi dicendæ.

12 *Hisce plane consonat Clarius pag.* 725. *Hunc autem* Pavacium confessorem *alium esse a Cenomanensi, nihil est quod suadere possit, quidquid Benedictinus aliquis, infra conveniendus, aliter senserit. Fatentur Cenomanenses ipsi, sacrum corpus nec apud se superesse, neque in eo monasterio ad quod a S. Aldrico anno* 840 *translatum est : nulla uspiam ejus mentio facta scitur toto reliquo seculo nono : reviviscit quodammodo ejus memoria in citato diplomate apud Braiacum anno* 958 *: scitur ex cœnobio Braiacensi, violenter ablatum, depositum fuisse in turri Senonica a Rainardo comite ;* C *scitur postea restitutum ex toto aut ex parte : scitur modo celeberrime coli atque ab immemorabili cultum fuisse in Castrorainardi : dubium igitur esse non videtur, quin idem omnino corpus, sive integrum sive pro majori saltem parte in isto castro hodie conservetur, ut ea causa* Pavacius *duplicandus non sit. Quod aiunt monachi Ferrarienses apud Morinum in historia Vastinensi pag.* 788, caput beati Pavacii *ibidem asservari, id etiam verum esse potest, saltem de aliqua ejus portione : quin et Senonis et alibi fortasse partes aliæ reperientur, quemadmodum Paderbornam antea cum S. Liborii corpore, absportatam aliquam diximus. Hæc modo paulo clarius, saltem quoad fieri poterit, exponenda sunt.*

Ad Castrumrainardi deduci non potuere ante seculum decimum,

13 *At primum candide profiteor, magnam, prope dicerem omnem operam hac contulisse laudatum jam a me R. D. canonicum Le Beuf, per litteras non semel consultum, ut e labyrintho isto me extricandi planam aliquam viam commonstraret, exquirendo præcipue ab ipsis Castrorainardensibus, sacrorum pignorum possessoribus eximiisque cultoribus, a quo qua occasione, quove tempore thesaurus iste* S. Pavacii *ad ecclesiam suam delatus fuisset. Verum spe mea frustratus sum : reposuit ipse, post susceptam mei gratia eo excursionem, consultumque Priorem et vicarios, tantam illic istorum ignorationem, ut ab angelis ad se deportatum existiment loci incolæ, qui ad fontem oppido vicinum, qua Autissiodorum itur, consederint; quasi ad Deum in machina recurrendum sit. Id saltem certissimum esse oportet, istuc nec per homines devenisse, priusquam castrum, ut supra dicebam, is, unde nomen sortitum est, condidisset, cum vero ipse anno primum* 999 *e vivis excesserit, evidentissime deducitur, non nisi annis ante aliquot castrum exstruxisse in quod sacra pignora reciperentur.*

cum eo primum seculo ipsum conditum sit.

14 *De Rainardi comitis obitu testem habemus citatum jam non semel Clarii Chronicum sub canonio prædicti anni* 999 *pag.* 737 *ex quo tutum paragraphum describo. Sic ibi habet :* Igitur Rainardus comes vetulus sanctæ Columbæ abbatiam tenens in beneficio, plurima ei abstulit, retinens in usus proprios. Similiter cœnobium sanctæ Faræ virginis, quod in dominio habebat, multis modis adgravavit, nec non et abbatiam sanctæ Mariæ Virginis destruxit quantum potuit ; in E cujus possessione castrum quod Joviniacus dicitur, firmavit. Aliud vero Castrum construxit in terra Ferrariensis cœnobii, QUOD EX SUO NOMINE CASTRUM RAINARDI vocavit. In parte vero quadam ipsius urbis turrim maximam ædificavit ; sicque intentus curis hujus seculi SENEX ET PLENUS DIERUM OBIIT, sepultusque est in basilica sanctæ Columbæ virginis, cui ejus filius Frotmundus successit. *Appellatur infra ab eodem Clario* Frotmundus *iste* comes natus ex mala progenie, *cujus filium Rainardum alterum* nequissime se gessisse *ex subsequentibus manifeste datur intelligi ; quæ ad specimen* Rainardi vetuli, *filii et nepotis dixisse, hic satis sit.*

Quomodo eo pervenerint, rhodus et saltus est.

15 *Id nobis quærendum est potissimum, Rainardusne ille* Vetulus, *an alter nepos,* S. Pavacii *reliquias sibi vindicaverit. Braiacum seu Brayam certo delatas narrat etiam Clarius, ut dixi pag.* 725 *dum ait,* Burchardum et Ildegardim ibi exstruxisse cœnobium monachorum in sua hereditate, in honore Domini Salvatoris, deferentes illic corpora SS. Paterni martyris et Pavacii confessoris. *Id contigise anno* 958 *supra ostensum est, ut* F *ibi aliquod tempus* S. Pavacii *corpus quievisse oporteat. Audi modo Clarium pag.* 726 : In illis diebus erat quidam miles, Boso nomine, raptor fortissimus, versutusque moribus, qui ingressus in munitiunculam domni Burchardi, apud Braiacum, deprædatus est cunctam provinciam, vivente adhuc Ildegarde uxore supradicti Burchardi. Igitur Rainardus comes indignatus super hac re, incendit munitiunculam ipsam, capto Bosone cum basilica nostri Salvatoris, deferens inde reliquias ecclesiæ cum corporibus sanctorum Paterni et Pavacii in turrim Senonicæ civitatis. Postea vero reddidit ea per deprecationem Tetbaldi comitis, sub cujus dominatione idem locus esse videtur.

Id verosimillime Rainardo vetulo adscribendum;

16 *Atque hic ultimus locus est quo de prædictis reliquiis meminerit Clarius, nihil postmodum toto suo reliquo Chronico de ipsis memorans, ut proinde ex eo distincte erui nequeat, a quo demum ex monasterio Braiacensi (siquidem eo integræ relatæ sunt) ad Castrumrainardi fuerint perductæ, quod tamen eo circiter tempore contigisse necesse est. Neque vero ullus rei isti gerendæ aptior videtur jam dicto* vetulo

AUCTORE J. B. S.

lo Rainardo, *quem inter* impios *Clarius non semel connumerat, ut pag.* 729, *ubi Anastasium Senanensem achiepiscopum* multam persecutionem sustinuisse ab impiis tradit; Rainardus namque, *inquit*, comes Vetulus semper contra Deum et contra ipsum contentiosa egit, multas injurias inferens, *etc. Qui hujuscemodi præconiis exornatur, capax sane censendus est, ut corporis* S. Pavacii *potissimam partem sibi reservarit, monachis Braiacensibus ea quæ visa fuerint restituens, vel ipso latronum beneficio fortasse gaudentibus. Hæc mea quidem est et laudati etiam D. Le Beuf conjectura, non omnino repudiandæ, quando in iis tenebris nihil adduci hactenus potuit rei explanandæ opportunius. Nam ad angelorum ministerium identidem confugere, quid est aliud quam supinam ignorantiam fateri?*

ut probant variæ conjecturæ,

17 *Si quis forte contendat, nec a vetulo comite Rainardo procuratam fuisse* S. Pavacii *translationem; quæso et comitem alium Senonensem assignet, et tempora commodiora, ut hujusmodi translatio fingi possit. Præcipuus, imo fere unicus est Chronici Senonensis auctor Clarius, qui de prædictis reliquiis ultro citroque transportatis meminerit, in ipso Chronico autem nullum tempus determinatur cui translatio, quam quærimus, Castrirainardensis innecti queat, tametsi ad finem circiter seculi duodecimi perductum sit; aliunde vero certissime constat,* S. Pavacii *corpus in ipsissimo Rainardi castro conservatum fuisse seculo* XIII, *ut ex appendice Actis subjicienda manifestum erit; verosimillime itaque conjicimus, per sæpe dictum comitem Rainardum vetulum surreptum, forte ab ipsis monachis extorto dono pro magna parte acceptum; certe in eo castro depositum, ibidemque ad hunc diem retentum, summo in honore habitum fuisse, plurimisque claruisse miraculis omnino liquet, quidquid incolarum deploranda socordia eadem annotare neglexerit.*

ex veteri Martyrologio confirmatæ.

18 *Conjecturam nostram non parum confirmat citatum a sedulo meo adjutore Clar. Le Beuf parvum aliquod Martyrologium Romanum, cui Castellani ipsius manu adscriptum legit:* Cenomannis, S. Pavatii, tertii hujus sedis episcopi, de quo titulus exstat parochialis apud S. Salvatorem prope Braium in Bria, ubi et corpus ejus quiescit partim, partim vero apud Castrum Reginardi prope montem Argisum. *Atque hinc refellas auctorem Vitæ S. Paterni anno 1685 editæ, in qua pag. 27 et 29, ut ad me scribit D. Le Beuf, persuaderi sibi omnino sinit, alium esse* S. Pavacium *qui Braiaci, ac per consequens in Castrorainardi colitur, ab Episcopo Cenomanensi; nimirum quod monumenta ecclesiæ cathedralis Cenomanensis, nusquam de translatione Anglicana mentionem faciant: quod si quid evincat, id consequi necesse est, numquam e Cenomanis ablatas fuisse reliquias, cum id etiam nulla memorent vetera monumenta. Quasi vero non sufficiat, fateri Cenomanenses, sacrum corpus apud se a multis seculis non existere, imo diserte assere, ad Castrumrainardi, quacumque demum via vel modo olim perlatum fuisse: aliis certe argumentis opus est, ut* S. Pavacius *geminetur. Qua ratione Sancti corpus ipsum dici possint superstites in Castrorainardi reliquiæ, ex jam dicta appendice Actis subnectenda, utcumque colligi dabitur. En modo ipsa qualiacumque.*

VITA

A Joanne Boscio Cœlestino ex codice cœnobii Amberti edita.

Collata cum Ms. Reginæ Sueciæ.

PROLOGUS.

Licet omnium Sanctorum veneranda a piis animis reverenter ac dulciter gesta legantur et audiantur, ne quisquam possit, seu legendo, seu audiendo Sanctorum magnilia, piger aut fide tepidus remanere, ut non alacer ad exempla eorum infirmitatis suæ mente discussus festinare contendat, quæ laudabilia in divinis operibus, seu imitabilia cernuntur, tacere pavescimus.

CAPUT I.

De S. Pavacii ad Cenomanos adventu, variisque ejus miraculis.

S. Pavacii tertii episcopi Cenomanensis missio.

Tertius Cenomanicæ ecclesiæ fuit episcopus, sanctus Pavacius, Romana nobilitate ortus. Qui disciplinam Apostolorum secutus, ita morum ornamentis florebat, ut cunctis bonis placeret. Erat enim doctrina prudens, nobilitate præclarus, consilio providus, bonitate conspicuus, sermone verax, in commisso fidelis, in interventu strenuus, in universa morum honestate præcipuus; fuit namque prædictus sanctus Pavacius in doctrina Apostolorum sapienter eruditus, et prudenter edoctus a beato Clemente Petri Apostoli tertio successore, sancto Juliano Cenomanicæ urbis primo episcopo et discipulo Apostolorum adjutor datus; atque cum eo ad prædicandum in archi diaconatus officio directus. Qui post decessum prædicti Juliani sancti, et post obitum ejus successoris, sancti videlicet Turibii, in sede Cenomanica episcopus est consecratus. Populus autem Cenomanicus diligebat eum, quasi animam suam, quia prædicationem et actus suos, signa et virtutes præcedebant.

Sanatur Casta matrona;

2 Restituebat ergo suis precibus, in nomine Domini nostri Jesu, cæcis visum, claudis gressum, surdis auditum, mutis loquelæ restaurationem. Spiritus immundos ex obsessis corporibus repellebat, et omnem amaritudinem a corpore humano, per cœlestem gratiam auferebat. Et hæc faciens, laudem hominum fugiebat, et secreta loca petebat. Eo tempore erat quædam matrona nomine Casta in Cenomanico pago valde infirmata, quæ omnem substantiam suam et omnia propria sua, erga medicos expenderat; sed nihil ei profuerat. Cum audisset autem opinionem antedicti sancti Pavacii, et virtutem quam erga infirmos sanandos perficiebat, postulabat ut ejus visi-

EX EDITIONE BOSCII.

A visitatione frui mereretur. Quæ cum semiviva usque ad eum, a parentibus et amicis atque famulis deferretur, fide fisa, ejusque doctrina et virtute explorata, petiit prompto animo, ut ei sanctus Vir sanitatem tribueret. Qui pro ea orans eamque verbis divinis instruens, curavit eam ab infirmitate sua. Ipsa autem sana facta, ac ad pristinam sanitatem restaurata, omnes res proprietatis suæ, ei ecclesiæque sibi commissæ legaliter contradidit, atque deinceps in sancta vita degere studuit. Nominatim autem res quas ei tradidit, in gestis pontificalibus insertæ esse dignoscuntur. Ideo hic non inseruntur.

Item paralyticus,

3 Sequenti autem tempore, cognita Dei virtute, multi infirmi atque debiles, ad eum venientes, ab eo petunt sibi dari sanitatem, inter quos unus paralyticus veniens, omnibus membris stridens, cœpit rogare, ut ejus misereretur, quia omnem facultatem suam in medicos erogaverat, et nullam ab eis medicinam, vel modicam perceperat. Ad cujus miseriam atque gravem infirmitatem, animo et misericordia motus, cœpit rogare Do- B minum ut ei auxilium, pro sua pietate præstaret. Qui et aliquibus diebus juxta sanctum Virum conversans, eumque die noctuque excelsa voce deprecans, prompto animo et fide fisus, postulabat sibi succurrere. Cujus assiduitate sanctus Pavacius motus, cœpit inter reliquas orationes etiam sacrificia Deo offerre, et missarum pro illius infirmitate solemnia celebrare.

quem sapienter instruit.

4 Quadam autem die dum hæc agerentur pro eo, liberatus est Dei nutu, meritis sancti Pavacii, antedictus paralyticus ab infirmitate sua. Ut autem se cognovit liberatum a sua infirmitate, dedit laudem Deo, qui sancto suo Confessori hanc coronam virtutis, et talem atque tantam curationis contulit gratiam. Sciens autem quia a nullo neque a divite neque a paupere aliquid accipiebat, quia secundum Domini jussionem gratis omnibus se petentibus dabat, occulte prædictus infirmus obtulit sancto Pavacio aliquid, non quod cupiditati, sed sanctitati conveniret. Quod cum nollet accipere, volvebat se ad pedes ejus, deprecans atque conjurans, ut parvum ejus suscipere dignaretur munusculum. C Perpendens autem sanctus Pavacius nomen Dei sui, et ex terribilibus sacramentis unde precatus est, suscepit munusculum ejus, ne spernere videretur nomen Dei sui, per quod adjuratus est. Cui et majora dona largitus est, et Domino Jesu Christo diebus vitæ suæ servire præcepit, et qualiter ei servire deberet, sapienter instruxit. Hæc autem nota facta sunt per totum pagum illum, sive per alias regiones, et omnes credentes in fide confirmati sunt, et Deo gratias egerunt.

Immanem draconem,

5 Et illi qui perfecte adhuc non credebant, ad perfectam fidem conversi sunt, et credentes laudabant Dominum ac magnificabant, qui talem potestatem dedit hominibus. Sequente autem tempore, magna pestilentia orta est in prædicto pago Cenomanico; et inter reliqua, infinita mala, quidam draco exoritur, qui homines comedebat, et pecora diversi generis deglutiebat. Cujus timor tantus in populo inolevit, ut nec etiam usque ad quinque milliaria, in locis in quibus insistere solebat, manere, homines, aut conversari auderent. Hinc autem factum est, ut vociferantes viri et mulieres, senes et parvuli, ad sanctum Dei Pavacium confugerent, et flexis poplitibus, vociferantes dicerent: Adjuva nos, Pastor bone, et misertus esto nostri, quia nisi nobis succurreris, peribimus a dracone, qui omnia nostra devorat, et nos ad devorandum insequitur. Quorum precibus et clamoribus, atque ululatibus sanctus Pavacius motus, deprecatus est Dominum Deum suum, ut succurreret populo sibi commisso, ne periret a dracone. Serpens namque prædictus draco magnus erat, et de ore ejus flamma ignis ebulliebat, ita ut arbusta et reliqua in transitu suo combureret.

Cenomanos infestantem.

6 Cinctus ergo fide Vir Domini, cœpit ire quo draconem perdere homines et jumenta cognoverat. Erat enim indutus antedictus sanctus Pavacius lorica justitiæ, et galeam salutis gerebat in capite, et scutum fidei ante se ponens, gladium Spiritus ac verbi divini ferebat in manibus. Et his armis non terrenis, sed spiritalibus ornatus, ad debellandum draconem incedebat. At ubi signo Crucis protectus, obviam ei venit, et flammas de ore ejus exeuntes, illumque præcedentes, E ac arbusta et ramos arborum incendentes prospexit, in viam per quam ad quemdam fontem ire solebat, virtute Dei armatus accessit. Cum autem serpens ille magnus memoratum sanctum Pavacium vidisset, ad devorandum eum citato gressu ire cœpit, cum autem ad illum appropinquaret, et ad devorandum eum se erigeret, nihil timens sanctus Pavacius, accepit stolam suam quam super humeros ritu sacerdotali ferebat, cum qua et Domino ministrabat atque sacrificabat, eamque injiciens in collum draconis, alligavit eum, et adjuratum quasi mortuum, jacere in prædicta via fecit; magnitudinem vero ejus, hic non descripsimus, sed tantum mensuræ æstimationem memoravimus, quia picta erat iu domo episcopali, in nostra urbe constructa.

Sancti precibus terra absorbet.

7 Erat autem longitudo ejus, cubitorum decem, et grossitudo ejus eminens valde. Derelinquens namque sanctus Pavacius ipsum serpentem in prædicta via alligatum, ivit post fratres, et vocavit populum, quos secum primo voluit ducere, ne aliqua calliditate serpentis deviarent vel perirent. F Ut autem cognovit populus jam dictum serpentem ita alligatum, ut nulli jam nocere valeret, Deo gratias agens, currebat post Pontificem, ut Dei magnalia videret. Tunc sanctus Pavacius, recepta stola sua, conjuravit serpentem, ut nulli amplius noceret, sed terram intraret. Cum autem videret populus eum vinculis absolutum, timuit valde, ne super eum irrueret, eumque devoraret, et cœpit paulisper recedere. Quibus sanctus Pavacius aiebat: Nolite, fratres, nolite fugere, non est necesse vobis eum timere, quia licet mea stola ac meis vinculis sit absolutus, vinculis tamen divinis ita est constrictus, ut nulli deinceps nocere valeat. Videns tamen sanctus Pavacius populum trementem ac paventem, oravit Dominum, ut aperiret terra os suum, et deglutiret serpentem. Exauditæ sunt ergo preces ejus, et aperuit terra os suum, et deglutivit serpentem illum magnum, sicut Dathan et Abiron in conspectu populi Dei sunt deglutiti, et amplius serpens nusquam apparuit. Tunc fecit sanctus Pavacius sermonem ad populum, dicens:

Hæc

EX EDITIONE BOSCHI.

Hæc, fratres carissimi, et alia multa quæ patimur, pro peccatis nostris scitote ingruere.

Hinc apposita

8 In ista enim vita, si Dei servitium delectat, divitias terrenas debetis contemnere, et spiritales appetere, dicente [Domino : Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.] Si vere fratres divites esse cupitis, veras divitias amate, et ad cœlestem patriam quantocius properate. Vestras itaque divitias commendate illi, qui vobis eas integras illibatasque in cœlesti regione restituet, in qua vobiscum jugiter manere possint. In ista enim vita, si vos divinum volueritis implere sermonem, quasi hic expensæ, ibi vobis multiplicatæ reddentur. Omnis quippe delectatio futuræ vitæ reservata, non perditur, sed melior efficitur. Si autem ista vita centum tendatur annorum spatiis, in die ultima statim videbitur non fuisse, ac sine memoria, hospitis uno die apud vos manentis, vestigia vix reliquisse. Illa autem vita manet jugiter, perseverat instanter, annis quoque labentibus virescit et pullulat; et inde renovationis sumit initium
B unde finis præsentis accipitur. O vere sancta voluntas et omnium bonorum intentio experta, quæ hujus tam formosæ vitæ amore non capitur! Qui non timet istam vitam tradere morituram, et illam accipere, quæ penitus perire non novit, in qua deliciæ, et delectationes, et divitiæ, et gaudia sic inchoantur, ut terminum nesciant; sic principium capiunt, ut penitus finire non possint. [Qui hujus tam præclaræ vitæ amator esse voluerit, non solum istam perdet sed et illam non inveniet, verum etiam ut jam a perpetua morte capitur et tenebris, in qua est jugis flamma, perseverans tribulatio, et reliqua mala quæ sequuntur.]

ad suos admonitio.

9 Quibus auditis, populus prostratus in terram, oravit eum dicens : Adjuva nos, Pater, ne in hanc incidamus, sed ad cœlestem patriam, una tecum tendamus. Quo audito, lætatum est cor ejus in Domino, et gratias egit Deo, qui salvat credentes, et corda fidelium illuminat. Quibus libentissime respondit sanctus Pavacius dicens : Justum est, fratres, ut lux a mortali mundo discedens, ad nostras mentes immortales acce-
C dat, et mentes in tenebris conversantes illuminet. Amplitudo vero nostræ obedientiæ, et bonæ voluntatis, Dei gratia est, non nostra : qui et illuminat abscondita tenebrarum, et manifestat consilia cordium. Beati estis, fratres omnes, qui obedistis voci Domini Dei dicentis : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego requiescere faciam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris : jugum enim meum suave est, et onus meum leve est; et cetera quæ sequuntur. Talibus et his similibus exhortans fratres sæpissime, multos ad Christum ita convertit, ut omnia sua derelinquerent, eique et ecclesiæ sibi commissæ cuncta sua traderent, et in ea una cum reliquis communem vitam, exemplo Apostolorum eorumque discipulorum ducentibus, sancte et communiter ducerent. O fratres dilectissimi, quam bonum est et quam jucundum habitare fratres in unum, canebat B. Pavacius continuis laudibus!

D

CAPUT II.

De aliis miraculis, obitu et sepultura.

Currente autem tempore, erat quidam vir in prædicta Cenomanica patria, nomine Benedictus, nobilis genere, cui erat uxor ex prosapia et genere principum, nomine Lopa : habebant enim varias et diversas possessiones, repletas omnibus bonis et innumerabilibus divitiis accumulatas. Erantque eis duo gemini filii, forma elegantes, et specie decori, vultu amabiles, et ingenio agiles. Quos prædictus pater et antedicta mater, ita amabant, ut nec adversum quid eis facere, aut dicere vellent. Senescentibus autem illis, et filiis eorum crescentibus, arripuit adolescentes tam gravis infirmitas, ut de vita eorum pater et mater desperantes fierent. Multos enim E
medicos ad sanandos eos invitabant, sed nihil eis proficiebat, et in tantum deterius eis erat, ut et amici, et reliqui medici, et parentes eorum omnes de vita illorum nullam spem haberent. Pater namque et mater illorum, dolore cordis tacti, flentes [in conspectu amicorum et parentum super eos dicebant : Unde nobis decrepitatæ ætatis senescentibus jam partus adveniet, qui ambobus filiis simul orbamur. Taliter ergo cunctis lacrymantibus, pater et mater deprecantur Episcopum] ut consolarentur ab eo.

Adolescentes gemini,

11 Diligebant enim valde eorum Episcopum, sanctum videlicet Pavacium, a quo et dilecti erant. Venit ergo citato gressu nuntius eorum ad januam sancti Pavacii. Et videns eum ostiarius ejus quidam clericus, ostiarii officio consecratus, interrogavit eum quid vellet? Ille autem advolutus genibus ejus rogare cœpit, ut sancto Pavacio episcopo mereretur præsentari. At ille ingressus ad eum dixit : Domine Pater, quidam vir præ foribus stat, et rogat, ut tuæ Beatitudini præsentari mereatur. Ut autem ei hoc nuntiatum est, nutu Dei cognovit quod Benedictus, dilectus F
suus ejusque uxor Lopa dirigerent ad eum, deprecantes pro filiis eorum geminis. Sanctus vero Pavacius consulens Dominum in oratione sua, utrum illuc iret an non, intra se quæsivit. Cui responsum divinitus est, ut iret, et sacerdotali medicamine sanaret eos, quia infirmitas eorum non erat ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificaretur Deus in eis.

a parentibus,

12 Tali vero consultu sanctus Pavacius confortatus ac gaudio repletus, prostravit se Domino in oratione, et cum lacrymis dixit : Domine Jesu Christe, Rex regum et Dominus dominantium, qui mihi ultimo servo servorum tuorum, sanitatem puerorum revelare dignatus es, confirma per me in eis opera misericordiæ tuæ. Et jussit nuntium velociter ad se perduci. Ingressus itaque nuntius, provolvit se ad pedes ejus, rogans et dicens : Domine mi Pater, orat servus tuus dominus meus Benedictus, et ancilla tua domina mea Lopa, ut venias ad eos, quatinus tuo adventu consolentur super filiis suis valde ægrotantibus.

Sancto curandi offeruntur;

A bus, tuumque adventum exspectantibus. Fecit autem sanctus Pavacius ut deprecati fuerant, et veniens ad eos prædicavit illis regnum Dei, inter cetera autem ait illis : Plus amastis filios vestros quam oporteret. Tamen infirmitas hæc, auxiliante Domino, non est ad mortem, sed pro gloria Dei; ut glorificetur Deus in eis.

et postmodum clerici fiunt.

13 Tunc sanctus Pavacius oravit pro eis, et signo crucis facto, et oleo sanctificato unxit eos in nomine Domini : et oratio fidei salvavit infirmos. Hoc autem facto, elevaverunt se pueri, et in pristinam Dei virtute restituti sunt sanitatem. Tunc præ gaudio magno, pater et mater a lacrymis non potuerunt se continere, quæ erumpebant ab oculis eorum. Denique vero, consilio sancti Pavacii, voverunt prædictos pueros pater et mater Domino ; et in ordine Deo servientium petierunt ordinari et, si digni fierent, volvente tempore consecrari. Ad ultimum autem, et se ipsos Domino voverunt, et in manibus jam dicti sancti Pavacii se tradiderunt. Et omnes res et possessiones suas et divitias sancto Pavacio ecclesiæ- B que sibi commissæ legaliter tradiderunt, atque scriptis et stipulationibus et testibus, ut mos est, traditiones suas confirmaverunt. Quæ scripta hactenus in archivo nostro conservata habentur.

Rusticus Andegavensis

14 Talibus autem et iis similibus bonis et traditionibus atque dationibus, nostra mater ecclesia exaltata atque glorificata est ; et Domino adminiculante, quotidie crescit, et oblationibus fidelium ad laudem omnipotentis Dei amplificatur. Pro quibus et assidue oramus, et fratres nostri ac cuncti Dei servi, in ea succedentes Domino orabunt et nunc et semper, et per futura seculorum secula. Interjectis autem quibusdam diebus quidam rusticus in pago Andegavo, egressus est quadam die ad metendum. Et dum post laborem, sumpto cibo, somno se dedisset, et aperto ore dormiret, serpens ingressus est per os in ventrem ejus. Ille autem expergefactus, non statim intellexit quod serpentem haberet in ventre, sed tamen venter ejus valide dolebat atque tumescebat. Cum autem ad cœnam se refecisset et post refectionem lectulo suo se collocaret, et dormire inciperet, cœpit serpens volutare se per C ventrem ejus, eumque valde torquere. Ille autem præ nimio dolore et vexatione serpentis, cœpit evigilare, et voce magna clamare, jam se moriturum. Ad cujus vocem excitati vicini, cucurrerunt ad eum, et interrogaverunt eum, quid haberet?

qui serpentem deglutierat,

15 Quibus ille respondens ait, ventrem meum doleo, quia nimis me contristatur dolor ejus, atque tumescens crepare mihi videtur medius. Vocaverunt itaque medicos ad eum vicini et cognati ejus, ut sanarent eum. Sed nullam ei præstiterunt sanitatem, verum deterius atque in deterius illi omni hora fiebat. Tunc præcepit se duci per ecclesias Deo dedicatas, et loca divino cultui sacrata, frequentare cœpit. Quadam autem nocte, admonitus est in somnis, dum in quadam ecclesia in honore sancti Joannis Baptistæ sacrata infra urbem Andegavensem pernoctaret ; ut ad sanctum Pavacium Cenomanicæ urbis episcopum pergeret : ut ab eo medicinam suæ infirmitatis percipere, Domino auxiliante, mereretur. Ille autem monitis divinis obediens, cœpit ire ad Cenomanicam urbem, ut ad sanctum Pavacium perveniret.

EX EDITIONE BOSCH.

ab eo mirabiliter liberatur.

16 Cumque ad eum perveniret, cœpit rogare eum, ut sibi subveniret. Cumque videret eum sanctus Pavacius, in tanta infirmitate detentum, vocavit eum ad se, et interrogavit eum quid haberet? At ille narravit illi rem gestam per ordinem ; inspiratione autem divina, cognovit sanctus Pavacius, quod per serpentem torqueretur, et tangens ventrem ejus, et signaculo Crucis immisso, præcepit ei ut inclinaret se valde ; et misit digitum suum in os ejus, et signaculum Crucis super ventrem ejus faciens, compulsus serpens virtute Dei, cœpit exire per os ejus, et evomuit eum. Et ita, videntibus cunctis, liberatus est a serpente. Hæc cum vidisset omnis multitudo quæ aderat, laudem dedit Deo Patri et Filio Spirituique sancto : qui omnes salvat et neminem vult perire, sed omnes ad cognitionem veritatis venire, et cum Sanctis Dei, bonis æternalibus potiri. E

Reliquæ Sancti virtutes.

17 [Ceteræ autem virtutes quæ meritis hujus Sancti multæ et innumerabiles claruerunt, in alio libello insertæ habentur, quæ propter prolixitatem et sarcinam legentium atque audientium hic non inseruntur, sed cui eas audire delectat, in archivo nostræ matris ecclesiæ hactenus reperire valebit. Reliqua autem gestorum ejus, et consecrationes episcoporum, presbyterorum, diaconorum, et reliquorum graduum ministrorum, ecclesiarum quoque consecrationes, et ab eo censuum earum statutorum, matrique ecclesiæ debentium, et multarum rerum adquisitiones, multorumque actuum ejus bona quisquis scire voluerit, legat libellum, qui de actibus pontificum, Cenomanica in urbe Deo degentium, conscriptus, atque in archivo prædictæ matris ecclesiæ habetur, et in eo quæ de actibus, et innumerabilibus bonis ejus conscripta habentur, plenius invenire poterit. Requievit denique beatus Pavacius nono Kalendas Augusti, atque ad locum sepulturæ ejus multa et innumerabilia F præstantur beneficia populorum : ibi recipiunt ejus meritis cæci visum, debiles gressum, surdi auditum. Ibi sanantur ægroti, dæmones ejiciuntur, febricitantes, atque variis infirmitatibus oppressi sanantur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per immortalia secula seculorum. Amen.

Finis principio respondens.

18 Deodatus Christi levita Vitam sancti Pavacii ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, jubente domno Liborio patrono meo, magna ex parte descripsi, sed multa propter prolixitatem dimisi ; quæ multi mecum videntes et audientes, adhuc qui in corpore manent, sapientiores meditari possunt, ut honestius et amplius describantur. Sanctus Liborius prædictam sancte, ac pie, devoteque rexit ecclesiam a tempore Valeriani usque ad Constantinum Imperatorem.]

APPENDIX

AUCTORE J. B. S.

APPENDIX

De reliquiis hæreticorum furori feliciter subtractis, anno MDLXII; de iisdem recognitis anno MDCXLIV; deque hodierno ipsarum statu et cultu.

Metu transeuntium Hugonottorum,

Quanti pretiosum suum thesaurum facerent Castrorainardenses, quanta ipsum veneratione prosequerentur, quam zelosa cura in ejus conservationem invigilarent, tum patuit maxime, dum grassantibus per Gallias Calvinianis iconomachis, sacra Sanctorum lipsana fœde et sacrilege profanantibus, comburentibus aut dissipantibus, ut tot funestis exemplis in hoc Opere sæpius demonstratum est; patuit, inquam, dum singulari ipsi tunc solicitudine sacras suas Sanctorum exuvias in tuto collocarunt. Est penes me instrumentum gallicum a D. Le Beuf B *descriptum, quo testibus adhibitis fidelissime narratur, qua ratione die Martis tertia Novembris anni* 1562, *inter nonam et decimam vespertinam, Prior seu curatus ecclesiæ ibidem parochialis R. D. Petrus Prevost, cum vicariis suis, sacrista et æditimis, seu templi provisoribus, aliisque spectabilibus ejusque oppidi viris (quando eodem tempore alibi ardebant omnia) salvandis sacris lipsanis suis diligentissime prospexerit. Instrumenti verba singula, hinc inde extrita non prosequar, medullam ex eo delibasse contentus, quo tota rei series dilucide explicabitur.*

in arcem tempestive deportatæ S. Liborii reliquiæ,

2 *Turbatissima ea tempestate transiturus istac erat Hugonottorum exercitus diebus Mercurii et Jovis,* IV *et* V *ejusdem mensis, quatuordecim circiter aut quindecim millium militum, quorum aliqui Germani, alii Helveti, alii Franci, Catholicis omnes infensissimi, ductore Andelotio hæreticorum antesignano famosissimo. Urgente præsentissima necessitate, collecti mox sacerdotes aliique, ad locum thesauri ecclesiæ admissi sunt, reserataque lipsanotheca, quamquam ab hominum memoria eam umquam reclusam fuisse nemo novisset; summa, qua* C *decuit, reverentia, inde sacculum unum et alterum coloris cinericei, quibus reliquiæ* S. Pavacii *aliorumque Sanctorum erant reconditæ, affixis in membrana debitis inscriptionibus, continuo eduxerunt, atque in arcem satis munitam ut hæreticorum aggressiones non vererentur, deportari curarunt. Octo vero post diebus, dum jam prædictæ copiæ omnes Parisios versus processissent, periculo liberi, de iisdem reliquiis reportandis serio cogitarunt: accensis autem facibus et funalibus adhibitisque pluribus testibus, ipsas ibidem D. Prior visitavit recensuitque.*

dein 21 Decembris solenniter in thecam repositæ sunt.

3 *Relata itaque ex prædicto loco sacra lipsana in arcam tantisper deposita fuerunt, donec* XXI *Decembris ejusdem anni, festo S. Thomæ apostoli, dictus D. Prevost, præsentibus denuo honoratissimis testibus, eadem ossa in novos saccos ad id præparatos decenter reposuit, adhibitisque debitis cæremoniis non sine cantu, thecæ* S. Pavacii *denuo restituit, ipsaque demum in pristinum locum deportata est. Instrumento legitime instituto, subscribunt cum D. Prevost bini ejus vicarii, sacrista, oppidi istius pro duce Aurelianensi locumtenens, æditimi seu provisores ecclesiæ, aliique quorum hæc sunt cognomina:* D Symonnet, Gastelet, Avignon, Audebert, R. Molinet, Voillequin, Renaut, Rouet, Cotaud, Garnier, J. de la Faye. *Porro sic permansere prædictæ sacræ reliquiæ ab anno illo* 1562 *usque ad annum* 1644, *sedente in cathedra Senonensi Octavio de Bellegarde, cujus jussu facta est postrema recognitio; nos ex processu verbali ea etiam excerpemus, quæ ad præsentem earum statum et cultum potissimum conducunt.*

Deputatus archiepiscopi Senonensis

4 *Ad postremam eam visitationem seu recognitionem, flagitantibus id præcipue ecclesiæ ipsius curatoribus, archiepiscopi auctoritate deputatus est R. admodum atque eximius D. Henricus du Hamel doctor Sorbonicus, ad S. Mauricii non procul inde parochus, qui die* XX *Novembris hora quarta post meridiem discedens, circa sextam ad Castrumrainardi pervenerit, ipsomet die imperata peracturus; assumptisque adeo viris nobilibus D. Augustino de Lisle, regio consiliario, prima istic dignitate fungente, ejusque filio Claudio, regio locumtenente et criminali assessore, circa horam nonam vespertinam ad templum perrexerit, advocatisque etiam, uti par erat, venerabilibus DD. presbyteris Carolo Blondeau, Huberto Jollyvet, Stephano Mandart et Jacobo Bardin vicariis domini ac magistri Joannis Coqueley consiliarii regii in Parlamento, et ejusdem ecclesiæ Castrirainardensis prioris, item viro nobili Stephano Bourgoing, procuratore regio, Antonio Bonnet scutifero toparcha de Bessay, Stephano Gallois et Francisco Cornier provisoribus seu æditimis, rem omnem accuratissime peregit, sic ut ad debitam legitimamque inspectionem testes sufficientes et omni exceptione majores minime defuerint.* E

easdem cum testibus visitat,

5 *Ingressus templum cum selecto eo comitatu, præmissis precibus, invocatoque de more S. Spiritus auxilio, superpelliceo et stola redimitus, accensis pluribus facibus seu intorticiis, a DD. provisoribus Gallois et Cornier locum thesauri, ut vocant, in quo reconditæ erant* S. Pavacii *aliorumque reliquiæ, aperiri mandavit, statimque intromissus, suis et D. vicarii Mandart humeris impositam lipsanothecam, holoferico rubro et figuris nonnullis seu imaginibus, vulgatæ historiæ miracula repræsentantibus, eleganter vestitam, mensæ, post aram* F *principem ad id præparatæ, imposuit. Hinc provolutus in genua cum ceteris, a fabro ferrario reserata thecæ fenestella per quam ad eam accessus patebat, saccum inde extraxit longitudinis circiter quindecim pollicum, cui hæc annexa erat vetusta epigraphe:* Corpus beatissimi Pavacii, tertii Cenomanicæ urbis episcopi et confessoris, reconditum venerabiliter hic ab archidiacono Altisiodorensis ecclesiæ Stephano, et matre sua Godeburga, et a plurimis hujus loci fidelibus clericis sive laicis: simulque multorum reliquiæ Sanctorum, quorum nomina nequivimus scribere propter brevium vetustatem: et ipsa sunt scripta in libro vitæ.

singulasque partes recenset,

6 *Stephani istius ætatem ex necrologio anni circiter* 1250 *rectissime collegit D. Le Beuf, ante annum istum obiisse prædictum archidiaconum Autissiodorensem, ut vere in Commentario diximus, seculo* XIII, *et quidem ineunte, ut apertissime liquet ex* brevium vetustate, *in Castro Rainardensi indubitate exstitisse* S. Pavacii *reliquias, ac proinde diu ante eo translatas. Quot vera ossa supersint, atque an ea dici possint corpus integrum, ex ipsorum*

AUCTORE J. B. S.

A rum enumeratione intelliges; ita scribit visitator Hamelius : Os occipitis inferioris cum sex dentibus, quatuor ex latere dextro et duo ex sinistro, quarum una canina, tres lateris dextri molares, lateris sinistri quoque molares. Os omoplata. Particula ossis dodrantalis magnitudinis. Tres vertebræ cum fragmentis costarum. Os femur. Tibia sine perone. Os cubiti. Aliud præterea os cubiti, cum osse cubiti distracto, *postulato, opinor*, ab ipso D. Octavio archiepiscopo et in manus nostras, *inquit idem visitator*, deposito cum duobus fragmentis clavicularum. *Alteri sacco etiam aperto apposita erat inscriptio* : Reliquiæ sanctorum Armageli et Liborii. *Liboriani corporis partem* S. Pavacio *conjunctam fuisse, patet ex Commentario prævio; de Armagilo (vulgo S. Ermel) agetur* XVI *Augusti : satis sit, instrumenti totam substantiam hic fidelissime exhibuisse.*

Eximia Sancti apud Castrirainardenses veneratio :

7 *Porro hodiernam* S. Pavacii *apud Castriraïnardenses incolas venerationem ita describit D. Le Beuf, ut solennior et constantior vix alibi reperiri possit: Festus ipse dies celeberrime agitur, exposita* B *lipsonotheca, qualem modo descripsimus, quæque hodie æque elegans est. Solebat hæc olim deduci Castellionem ad Lupiam usque, oppidum tribus leucis inde dissitum, occurrentibus ex ea parte cum sacro S. Potentianæ deposito Castellionensibus, de quarum thecarum spontanea quasi conjunctione seu agglutinatione mira narrant. Sæpius ostensa dicitur, in augurium non faustum accipi solita, ut contigisse perhibent anno* 1661 *adstantibus intuentibusque plusquam mille et quingentis hominibus. Similia etiam tradit Morinus in historia Vastinensi, addens et aliud miraculum, dum fures qui surreptum* S. Pavacii *loculum auferre meditabantur, deprehensi sunt clamoribus infirmorum, ad Sancti opem implorandam eo confluentium. Ab epilepticis potissimum invocari Sanctum ait idem Morinus ; Le Beuf autem testatur, ad mala quælibet avertenda, morbosque repellendos Sancti patrocinium deposci, opinor ego et impetrari, unde tanta in eum, tota ea regione, fiducia accreverit. Jam supra deploravimus clientium incuriam in Patroni sui favoribus scripto consignandis.*

processiones institui solitæ

8 *Occursus ille lipsanothecarum* SS. Pavacii *et* C *Potentianæ, de quo locuti sumus, non fiebat hac ipsa natali die, sed secunda Pentecostes festivitate, quæ apud Castriraïnardenses solennis erat, præter* XV *Junii qua agebatur olim memoria translationis reliquiarum omnium istic depositarum, quæ subinde remissa est ad Dominicam proxime sequentem, dum ante Missam theca* S. Pavacii, *quæ omnes complectitur, per oppidum processionaliter circumfertur, vocaturque is dies a populo* parva S. Pavacii festivitas ; *altera autem Castellionensis processio ab annis quinque aut sex plane intermissa est. Moris erat olim, sancta pignora in ipso altari collocare, parato ad id loco, adscriptis his sacris verbis :* Custodit Dominus ossa eorum ; *unde non demittebantur, nisi festorum aut urgentis necessitatis gratia. Nescio qui deinde factum sit, ut modo in sacrarium theca referatur, festis solennioribus in ipso curatorum templi sedili venerationi populi exhibenda. Pictoris audaciæ aut saltem nimiæ libertati tribuendum censeo, quod Sanctum in altari effinxerit amictum pallio super casulam : quod vero draconem pedibus substraverit ex Vitæ historia accipi potuit. Ut ut ea se habeant, abunde patet, nihil neglexisse Castriraïnardenses, quo Sancti sui festivitates quam solennissime celebrarent : de circumvicinis locis eadem fere ratio.*

propagatusque ad circumvicinam regionem cultus.

9 *A Senonensibus singulari etiam cultu honora-* E *ri* S. Pavacium, *in Commentario prævio ex eorum proprio Breviario anni* 1625 *ostendimus. Martyrologium Senonense seculi* XII *adducit Le Beuf in quo diserte legitur :* Senones, S. Pavacii confessoris; *neque dubium quin Braiaci et in cœnobio Ferrariensi solennis quoque sit Sancti memoria ; ut Paderbornenses non prætercam ejusdem Sancti vetustissimos cultores. Est et apud Autissiodorenses, maxime in vicinia, receptissima Sancti veneratio, adeo ut istic in ecclesia aliqua municipii d'Appigny, nomine Esbrie, ut patronus habeatur, tametsi nullæ istic sciantur exstare reliquiæ; præterquam quod ad eam ecclesiam peregrinationes ab accolis non infrequentes suscipi solitæ sint : ceteras ecclesias sigillatim non dinumero. Monuit me horum ferme omnium accuratus collector meus, reliquias ab Octavio de Bellegarde archiepiscopo Senonensi ex sacro* S. Pavacii *loculo sibi reservatas, missas esse Autissiodorum ad S. Germani cœnobium, cujus tunc abbas erat commendatarius. Quo in honore ibidem sint, non significat; verum de monachorum populique erga eas veneratione dubitare non sinit Sancti* F *apud Autissiodorenses summa et a seculis receptissima æstimatio.*

DE S. URSICINO EPISC. CONFESSORE

APUD SENONENSES IN GALLIA.

J. B. S.

FORTE SECULO IV.

Signatus in Martyrologio Romano,

De *hoc Senonensi pontifice meminit hoc die Martyrologium Romanum his verbis :* Apud Senonas, S. Ursicini episcopi et confessoris. *An primus eum signarit Baronius, an a Galesinio acceperit, dubium reddit adhibita ab hoc alia hujusmodi phrasis :* Apud Senones, S. Ursicini episcopi et confessoris, divina virtute admirandaque pietate viri. *Id saltem certum est, in antiquioribus Fastis nusquam recoli hujus* S. Ursicini *memoriam ; neque vero Baronius ullum indicavit Martyrologium unde ipsum eduxerit. Nota ejus hodierna est :* Successit hic S. Polycarpo adscribiturque in serie episcoporum Senonensium decimus ordine ; claruit circa annum Domini CCCX, ut apparet ex tabulis Democharis lib. de Sacrificio Missæ ; *adde cap.* 17, *ubi Seriem archiepiscoporum Senonensium modo suo texit, sicque chronologiam digerit acsi tempora omnia ipsi* explo-

AUCTORE J. B. S.

exploratissima fuissent : Polycarpum nono loco inserens quem in aliis melioribus catalogis prorsus non invenias, quin et Polycarpo ea tribuens, quæ nec ipsi, nec Sancto nostro Ursicino *adscribi commode possunt, si, quæ de ipso tradita sunt, ad fidem historicam exigantur.*

a Saussayo elogio ornatur,

2 *Sepositis igitur omnibus, quæ ibi Demochares arbitrarie statuit, iisque etiam quæ ex ipso desumpsit Ghinius, Saussayi qualecumque elogium hic subjicio, qui et pro* Ursicino *male* Ursinum *substituit et alia ornatiora retulit quam probatiora. Ipsum audiamus :* Senonis, sancti Ursini episcopi et confessoris, qui post Severinum Sardicensis ac Agrippinensis conciliorum suffragatorem, ea in metropoli sedens, illam admiranda sanctitatis laude direxit : amplificandæque religionis cupidus monasterium ædificavit sanctorum Gervasii et Prothasii martyrum ; in quo aggregavit copiosum Christi famulorum sodalitium. Hinc ob fidei orthodoxæ studium, quam omni vigore sacerdotali astruebat, ab Arianis Gallias deturpantibus odio gravi habitus, ab iis ex Biterrensi synodo B cum S. Hilario aliisque pietatis Christianæ strenuis pugilibus sede dejectus, et in exsilium pulsus est. At subinde fide in Oriente æque fortiter propugnata, cum ab ejus asseverandæ constantia nullo terrore vel pressura deduci posset gloriosus Athleta Christi, hac ex lucta in Galliam remissus, sedem recepit, magisque quam antea sanctissimæ vitæ exemplis, ac indefessis veritatis Catholicæ prædicationibus emicuit ; sicque omni perfectione consummatus, ad æternæ felicitatis sedes beatificandus pro meritis commigravit. Beatum hunc Præsulem redux quoque ab exsilio sanctus Hilarius Senonis invisit ; eaque in domo ab illo exceptus est, quam deinde populi devotio, ob tanti hospitis charam præclaramque memoriam, in ædem sacram commutavit, quæ etiamnum perstat, titulo S. Hilarii insignis.

non magis sincero aut vero,

3 *Quæ hic narrat et ornat Saussayus equidem asserere aut vindicare nolim, penes ipsum fides sit ; id sane fatendum, ut minimum incerta esse, tum quæ ad primorum episcoporum Senonensium seriem et ætatem spectant, tum quæ de eorum rebus gestis memorantur, ut hic saltem recte pronuntiarit Tille-* C *montius tomo* 10, *pag.* 460, *se* de S. Ursino nihil *reperisse, præter id quod vulgo fertur, ædificatam ab ipso ecclesiam sanctorum Gervasii et Protasii, quod cum ejus ætate difficillime conciliabitur, quandoquidem supponatur floruisse ineunte seculo quarto, sedemque tenuisse ab anno* 310 *ad* 356, *in qua hypothesi prorsus non video quam Sanctorum istorum martyrum Gervasii et Protasii notitiam habere ullo modo potuerit* S. Ursicinus, *cum ante annum* 386 *reperta non fuerint sacra corpora, unde tum primum per universam Ecclesiam eorum cultum propagatum ostendimus ad ipsorum natalem diem* XIX *Junii. Atque hinc a fortiori conjicias, quam inepte ecclesiæ istius ædificationem Polycarpo adscripserit Demochares.*

4 *Polycarpo, inquam, prætenso* S. Ursicini *decessori, quem inter Senonenses præsules, nec Catalogi Mss. qui penes nos sunt, nec probatissimæ editiones recenset : satis nobis sit,* S. Ursicinum *non* D *die sequenti seu* XXV *Julii, ut male notavit Tillemontius, sed hoc suo loco retulisse cum propriis Officii ecclesiastici lectionibus ex ipso Breviario anni* 1625, *quas tamen Senonensibus hodie probari, equidem non ausim asserere. Sunt inter Mss. nostra Vitæ breves, haud multum absimiles, sola longiori verbositate commendabiles, ex quibus nec hilum haurias quod ad veritatem historicam reduci possit, ut hinc etiam de toto Saussayi elogio pronum sit statuere. De monasterio sanctorum Gervasii et Protasii jam diximus. Constantinus male passim adstruitur, cui certo sufficiendus est Constantius. Exsilium in Phrygiam nulla nititur auctoritate, neque vero aptum tempus reperitur, nisi ultra annum* 356 *vita ejus extendatur, quod Senonenses non facile, opinor, admiserint. Quid Jerosolymis, quid cum S. Basilio egerit, tam ambiguum est, quam quod Jovinianus Constantino successerit. Si non fallor, omnia hæc in recentiori Senonensi Breviario correcta sunt, non erit tamen ingratum,* E *eadem hic ex instituto nostro descripsisse.*

quam sint alia quæ de Sancto traduntur,

etiam in lectionibus Breviarii.

5 Lectio i. Tempore illo, quo sedem pontificatus Senonum beatus Ursicinus suscepit, per quædam loca inæstimabilis multitudo paganorum, adhuc invidens Christianis, latitabat, et quos Catholicæ regulæ viros invenire valebat, in occulto trucidabat. Quorum ignaviam stolidæ mentis Vir sanctus evacuavit, orando Deum pro eorum afflictionibus ; et quotquot de eisdem paganis in proprio pontificatu invenire potuit, vitæ perenni baptizando confestim acquisivit. Tu autem, *etc.* Lectio ii. Cum autem posuisset pacem fines suos, unum monasterium in honore sanctorum martyrum Gervasii et Protasii construxit, possessionibusque dotavit, ac ibi monachos aggregavit : qui eosdem fratres visitans, inter eos stabat, quasi unus ex illis. Deinde a Constantino augusto tunc imperante, hæreticorum machinamentis obtemperante, jussus est cum pluribus aliis apud Phrygiam exsilio relegari. Sanctus vero Ursicinus post aliqua laborum itinera Jerosolymam adiit ad sepulcrum sanctæ resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, visitandi gratia. F Tu autem, *etc.* Lectio iii. Cumque parvo tempore apud episcopum Jerosolymorum commoratus fuisset, petiit ab ipso reliquias SS. Innocentium, et recessit. Inde Cæsaream Cappadociæ veniens, a S. Basilio pontifice petiit de reliquiis beati Mamerti martyris. Postea devenit Constantinopolim et iterum venit apud Phrygiam. Mortuo siquidem Constantino, Jovinianus subsequitur in imperio : qui ob amorem Christianæ legis, continuo fecit ipsos Sanctos, exsilio relegatos, revocari ; veniensque beatus Ursicinus Senonas, in sede episcopali susceptus, multos cum pace postea vixit annos, et ivit ad Dominum, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. Tu autem, *etc.*

DE

A D

DE S. FANTINO CONFESSORE

TAURIANI IN CALABRIA.

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sancti Fantini cultus ac patria.

Forte tempore Constantini Magni.

Frustra hunc S. Fantinum *quæsivi apud classicos seu antiquos Martyrologos. Recurrendum itaque ad recentiores, ut ipsius cultus sacer ex eorum annuntiationibus stabiliatur.* D. S. Fantino confessore *agit Petrus de Natalibus lib.* 6, *cap.* 160. *Grevenus ad* XXXI *Julii sic habet* : S. Fantini confessoris. Qui a puero sanctæ conversationis, cum anno ætatis suæ XII patrem Fantium et matrem Deodatam ad fidem convertisset, cum eisdem pro fide Christi tenetur, plumbatis cæditur et in carcerem mittitur. Tandem parentibus capitis abscisione martyrium complentibus, Fantinus ab angelo solutus, miraculis clarens, quievit in pace. *Maurolycus ad dictum diem, et ex eo Molanus in editione secunda, paulo brevius Sanctum annuntiant :* In Calabria, oppido Tabritano *(lege* Tauriano) Fantini confessoris Syracusani ; cujus parentes Fantius ac Deodata Syracusis plumbatis cæsi, cum diis litare nollent, decollati sunt.

Stabilitur S. Fantini cultus ex Martyrologiis,

B

2 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ in annotatione ad elogium* S. Fantini *abbatis eodem die* XXXI *hujus meminit* Fantini Syracusani *ex laudato Petro de Natalibus. Octavius Cajetanus noster in Ideo Operis de Vitis Siculorum Sanctorum hoc die* XXIV *Julii ita memorat :* Syracusis S. Fantini confessoris sub Constantino Magno. *Ex quo Rocchus Pirrus eumdem accepit, et in notitiam secundam ecclesiæ Syracusanæ retulit ad annum* 303. *Pantheon Siculum a nostro Francisco Carrera editum Genuæ anno* 1679 *eadem hoc die* XXIV S. Fantinum confessorem Syracusanum *ponit, longo elogio ex vetusto Ms. codice Syracusano aliisque auctoribus eum prosecutus; quod est Actorum compendium. Cultum Sancti et ab antiquissimis quidem temporibus longe testatissimum facit Petrus episcopus Vitæ et miraculorum Sancti scriptor : qui infra inter miracula num.* 52 *ita loquitur, et cultum docens simul ac determinans cultus diem :*

aliisque documentis,

C

3 Dies festus agebatur S. Fantino, quo frequens de more conveniebat populi multitudo, publicis conventibus magnaque celebritate exornans sancti Viri memoriam, quæ quarto et vigesimo recolitur Julii die. *At vel die non semper eodem, vel potius, quod existimo, die plus uno quotannis Sancti cultus rediit solennis, prout aperte alterutrum indicatur ibidem num.* 46 *in miraculo, quod narratur contigisse* appetente aliquando S. Fantini festo die, sanctoque majoris hebdomadis instante sabbato ; *quæ Græcis* Μεγάλη, *vel* σωθηρίου πάθους, salutiferæ passionis *nuncupatur, ut videsis hæc et plura apud Leonem Allatium in dissertatione de Dominicis et hebdomadibus recentiorum Græcorum, edita post libros ipsius tres de ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione; estque tam Græcis quam Latinis hebdomas illa, quæ Pascha proxime antevertit ; ac proinde festum* S. Fantini *proxime post Pascha celebratum fuisse, ibi indicatur. Vide interim quæ circa versionem loci, ex biographo proxime producti, observamus in annotatis.*

uti et auctore Vitæ; nonnulla item notantur

4 *Utrumque hunc diem, cultui sacrum, vel non observavit, vel observatum notare noluit laudatus Cajetanus, in Animadversionibus ad Vitam primam* S. Fantini, *tomo* I *Vitarum Sanctorum Siculorum pag.* 138 *ita de uno solo loquens :* Petrus episcopus Taurianensis memoriam S. Fantini, festumque diem Tauriani solitum peragi memorat IX Kal. Augusti, idem tradit Hieronymus Policastrensis; *addens, eodem isto* die in ecclesia Syracusana coli. *Inter Officia propria Sanctorum pro regno Siciliæ, Messanæ anno* 1624 *edita, nihil de* S. Fantino *notatum reperio. Cultus insuper Sancti antiquus stabilitur ex hymno Græco postea commemorando, qui tamen nec locum nec diem istius cultus exprimit. Sic itaque ibidem legitur :* Quare tuam sanctam commemorationem celebrantes, *etc.* Memoriam tui percolimus..... Clarissimam commemorationem tuam dignis hodie laudibus in cœlum feram..... Tui memoriam fideliter celebramus. *Ex his verbis, quæ ibidem sequuntur,* EX OCCIDENTE NOBIS ortus es, *videretur utcumque præberi fundamentum suspicandi, venerationem hanc publicam ab Occidente in Orientem propagatam fuisse, nisi in eodem hymno diceretur :* Tuam hodie sacrosanctam memoriam celebramus tuo sepulcro circumfusi ; *quod certe exstitit in Occidente. Huc etiam facit illud :* Tuarumque reliquiarum tumulum amplectimur. *Hæc de cultu, satis etiam olim solenni ; neque enim vulgarem Græci hymnis adeo solennibus, qualis est hic, prosequi solent. Nunc de patria disseramus.*

circa cultus diem.

E

F

5 *Petrus episcopus Taurianensis num.* 17 : Hac, *inquit,* natus est patria, *Tauriano ad Metaurum flumen de quibus fuse disseruerat a num.* 9. *Et num.* 24 *tradit ista idem Petrus Taurianensis episcopus :* Noster est; ex nobis enim ortum trahit. *Num. item* 58 *invocat* S. Fantinum ; quippe, *ait,* nostrum *Contra vero auctor anonymus in Vita prima sic incipit :* Syracusis natus est Fantinus. *Syracusanum quoque eum appellat Cajetanus in Animadversionibus ad istam Vitam pag.* 137, *in locum hunc Vitæ ita commentans :* Codex Madrensianus sic habet, *inquit :* Fantinus fuit filius Fantii, insignis inter proceres et barones de domo Modica civis Syracusani..... Simul pergunt *(Fantius et Fantinus)* ad Deodatam in castro dicto Modica, quod et caput illius baroniæ. *Tum ex Equilino subdit :* Fantius de domo Demadica; Deodatam vero nobilem de Lentino *appellante. Tum Cajetanus notat hallucinationem cujusdam Leontini, nomen non exprimens,*

Controvertitur an Sanctus fuerit Taurianensis,

AUCTORE J. P.

mens, qui illud *(de Lentino)* ad patriam retulit, ac proinde Deodatam inter Divos Leontinos adscripsit.

an Syracusanus:

6 Sed leve, *uti recte pergit Cajetanus,* est argumentum, ex depravatis Actis desumptum. *At codex Syracusanus, qui apud ipsum citatur,* Deodatam nobilem *vocat* feminam, de domo Comonii; *sed Cajetanus optimo jure pronuntiat:* Hæc nugamenta Actis immixta sunt a quopiam otioso : non enim ea ex antiquis moribus. Pro ævo Fantini, imperantibus Diocletiano et Maximiano, haud crediderim Syracusis fuisse familiam Demadicam vel Modicam. *Hieronymus Marasiotus Policastrensis in Chronicis Calabriæ lib.* 1, *cap.* 35 *Taurianensem fuisse affirmat; at neutiquam id probat, errore non uno lapsus, quia e duobus* Fantinis *synonymis alterum pro altero accepit, prout postea dicetur. Res itaque tota jam eo redit, an Taurianensis, an Syracusanus exstiterit Sanctus noster : et Petro quidem episcopo Taurianensi Taurianensis, Cajetano autem Syracusanus fuit; hoc contra illum asserente quod* in Fantini patria scriptor hic falsus sit, *prout videre datur in Animadversionibus ad Vitam* B *Petri episcopi.*

quod ultimum

7 Nam Fantinus, *inquit,* Syracusis in Sicilia natus; ut probatum a me est notis ad superiorem Vitam, *id est primam, jam assignatam. Verum dispiciamus, un et quo pacto id probatum dederit. Profert ibi Equilinum, Maurolycum ac Galesinium, quos et nos paullo ante dedimus. Profert præterea e codicibus Madrensiano et Syracusano ea, quæ superius et nos citavimus; sed quia in codicibus illis partim nonnulla* ex depravatis Actis desumpta, *partim* nugamenta, *ut vocat,* immixta *esse* a quopiam otioso *rotunde fatetur; dabit, ut spero, et æquis lectoribus et nobis hanc veniam, ut codicibus hujusmodi continuo non acquiescamus sine formidine sublestæ fidei, etiam tum, quando alicujus Sancti patriam denotant. Quid ni enim eadem opera, qua intrusa eo videntur nomina imaginaria, ad stabiliendam patriam Sancti Syracusanam, ipsa etiam patria Syracusana intrusa eo forte sit? Tum præsertim quando alia plane diversa ab auctore si non majoris, at æqualis ut minus auctoritatis assignatur; ab illo, inquam, auctore, cujus textus non incusatur alicubi* C *esse suspectæ fidei, prout incusatur textus alterius, qui diversam patriam consignat.*

non videtur

8 *Hinc pergens Cajetanus, quasi evicta re:* Erroris, *inquit,* causa scriptori duplex esse potuit. Prima, quod Fantinus Tauriani demortuus. Quam ob causam Taurianum natalis patria Fantini dici potuit, quod ex ea cœlo natus sit. *Inducitque exemplum Syracusani encomiastis in laudatione, quæ est de S. Marciano, Antiochiæ Syriæ orto, Syracusis autem demortuo; quam laudationem producit tomo citato a pag.* 4, *auctore anonymo sic alloquente istum Sanctum pag.* 6 *in fine:* Gregem tuum abluis et patriam sanctificas. Hanc siquidem decantatissimam, et tua causa celeberrimam Syracusanorum urbem, patriam tuam in terris jure censemus, ubi feretrum ac templum tuum manet, ac perpetuis miraculis illustratur. In cœlis autem patriam te habere, haud ignoramus illam, quam divinus Paulus supernam Hierusalem appellavit. *Ita de hac laudatus Cajetanus; sed et de alia causa conjectat in hunc modum :*

9 Altera erroris causa scriptori esse potuit corrupta in vulgus fama : nam composita est D hæc narratio a Petro episcopo ex iis, quæ per manus tradita adhuc circumsonarent, exstarentque in vulgus, ut ipse idem principio narrationis affirmat. Famam vero interdum errare, satis constat ex iis præsertim, quæ ab origine sui longe absunt, quæque nobis usurpare gloriosum est. *Verum hæ conjecturæ non aliud conficiunt, quam Petrum episcopum errare potuisse; at revera errasse, minime suadent. Jam vero exemplum Encomiastis istius anonymi parum facit ad rem : nam diserte is indicat, agere se de patria cælesti, sumendo istam vocem in sensu anagogico, ut loquuntur interpretes, non in sensu obvio et naturali; Petrus episcopus contra, videtur clare loqui de Sancti patria in sensu proprio, obvio et naturali : nam* hac NATUS est patria, et ex nobis ortum traxit, *nemo, opinor, nisi inepte intellexerit, quod apud Taurianos Sanctus cœlo natus sit. Quæro item ex Cajetano* 1. *Unde ei videatur verosimilius, Petrum episcopum errasse ex* corrupta in vulgus fama, *quam suum biographum anonymum?* 2. *Cur magis hic assentiatur exemplaribus, in quibus, ipsomet fatente, partim nonnulla* ex depravatis Actis desumpta, *partim* nugamenta immixta *sunt* a quopiam otioso, *quam exemplari alteri, quod de hoc vitio non accusat?* E

satis probare Cajetanus;

10 3. Famam *enimvero interdum, adde etiam sæpissime,* errare *pernovimus,* ex iis præsertim, quæ ab origine sui longe absunt. *Sed numquid, non dicam omnino vel fere æqualiter, sed magis remote* ab origine *rerum, quas narrat, distat biographus anonymus ille, quam Petrus Taurianensis episcopus?* 4. *Unde scit, eumdem biographum Syracusanum non fuisse, et non pronuntiasse temere,* quæ *sibi et Syracusanis* usurpare gloriosum est? 5. *An episcopi Equilini, Maurolyci et Molani non nimis recens est auctoritas, tot seculorum intervallo a Sancti* origine *distans, quam ut circa illam originem quidquam probabiliter decidere possit?* 6. *Quid si quis objectet, Cajetanum Syracusanum pro Syracusanis nimis facile hic rem determinasse, et* quæ *sibi suisque* usurpare gloriosum *est, credidisse veriora? Atque hæc quidem argumenta contra Syracusanos proposita, eruditis Syracusanis discutienda et dissolvenda relinquimus, non adeo vel minimo partium* F *studio acti, ut nihil magis nobis sit in votis, quam ut* S. Fantinum, *quem suum esse volunt civem, suum probent civem fuisse contra Taurianenses, a quorum parte stabimus tantisper, donec certiora Syracusani nos doceant.*

ac proin Sanctum Taurianensibus tantisper damus,

§ II. Parentes, nomen, ætas, dies obitus, genus mortis; Sanctus ab alio synonymo distinctus.

Illustrantur ea, quæ ad Sancti parentes spectant; qui fuere Martyres.

B*iographus noster anonymus natum esse* Fantinum *affirmat* Fantio ac Deodata, nobilibus atque in re familiari copiosis parentibus, *quorum mirabilem ab idololatria ad Christum conversionem, atque obitum deinde pro ipso martyrium describit. Cajetanus agit de illis loco citato pag.* 122, *eorum Acta tradens ex Vita* S. Fantini, *a laudato biographo conscripta, de quibus cum Cajetano post alios*

agi

AUCTORE J. P.

A *agi poterit die* XXXI *hujus mensis. At quæ Sancti nostri parentes spectant, in illa Vita adeo multis exposita, et ad pleniorem gestorum ejusdem Sancti notitiam non minus utilia quam accommodata, ne verbulo quidem unico a Petro episcopo tanguntur; quia forte ea nullibi invenerit (nam paucula admodum, prout testatur ipsemet, de eo dicere habuit) homiliam potius condens, quam historiam Vitæ, in iis, quæ profert; si miracula excipias, quæ satis multa collegit. Nomina* Fantii et Deodatæ *in dubium revocare nolumus; tametsi dissimulare non possimus, nonnihil eis officere* depravata Acta, et nugamenta Actis immixta *circa familiam eorum; sicut modo diximus. Cajetanus in Animadversionibus pag.* 137 *de tempore martyrii eorum tradit sequentia :* Censemus, *inquit,* Fantini parentes extrema persecutione sublatos, quæ ab imperatoribus Diocletiano et Maximiano excitata est. *Ast quod ita censet, neutiquam probat.*

Discutitur nominis Fantini

12 *De genuino ac vero* Fantini *nomine satis videtur constare, ab utroque utique antiquo biographo constanter ac signate expresso, atque ab aliis deinde,* B *qui de ipso meminerunt, adoptato. Cujus si etymon spectes, tantumdem significat ac* clarus, splendidus, illustris *a* φαίνω, luceo *quod in tertia persona singularis numeri verbi passivi habet* πέφανται ; *unde abjecto augmento syllabico, prout Græci id vocant, sit* Φαντῖνος. *Sed vocem illam neque in hoc neque in alio significato reperio apud Græcos cognitam esse, nedum usitatam ; quidquid ad eam alludat Vita Græca Petri episcopi, e qua delibo ista :* Οὗτος τοίνυν ὁ ἀοίδιμος τοῦ Θεοῦ θεράπων Φαντῖνος ἔκ τινος προμηθείας οὕτω κληθεὶς · καὶ γὰρ ἔπρεπεν τόν ἐκ κοιλίας μητρὸς πρὸ διαπλάσεως ἐγνωσμένον τῷ Θεῷ, κατὰ τὸν θεῖον Ἱερεμίαν, Φανεινῷ τινι ἐπικεκλῆσθαι ὀνόματι, ἵνα καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς προσηγορίας δῆλον τοῖς πᾶσι ἤει, ὡς θείου φωτὸς μέτοχον εἶναι τὸν φερονύμως τῷ ὀνόματι τούτῳ καλούμενον εὐλαβέστατον ἄνδρα.

etymon.

13 *Quæ interpres Latinus e Græco convertit ab hisce verbis num.* 3 : Igitur celeberrimus hic Dei servus, *etc., usque ad* significatum referre *incluse; notante hic Cajetano satis conformiter ad mentem auctoris istius Græci, atque hæc ejus verba* divinæ lucis participem esse, *videri hic scriptorem nomen derivasse a pronomine, quod inter alia* lucere *significet.* C *Utcumque res se habeat, hæc quidem nominis etymologia non displicet; in hujusmodi quippe argumento liberior solet esse interpretatio, et non raro tam longe petita, ut compulsa et contorta potius quam oblata videatur. Forte quis ad genuinum nominis etymon propius accesserit, si dicat, hoc nomen proprium derivatum postea fuisse ab Italico appellativo* fantino, *quod infantem denotat ; cujus femininum* φαντίνα *habetur in Glossario Græco-barbaro Cangii.*

tempus vitæ,

14 *Tempus, quo* Fantinus *vixit, colligitur ex epocha parentum ejus, modo ea vera sit. Unde concludit Cajetanus pag.* 137, *eum* ad Constantini tempora, quo principe pax Ecclesiæ reddita est, pervenisse. *Verum tam incerta est parentum, quam ea, quæ inde deducitur ratio temporis, cum neutra videatur sufficienter probari, non prodente se utique ullo in ambabus Vitis sufficiente indicio, unde illud tempus elicias. Quamquam non diffitear, rimam aliquam aperiri in Vita anonymi, ubi habentur sequentia num.* 11 : *Sancti tempore* idolis serviebat *Messana; ac post num.* 12, propter gentilium metum fidem arcano pectoris concreditam abscondebat *Sanctus noster. Addi his possunt, quæ eodem num.* 11 *:* Conquiritur a magistratu Mamertino, pœnam suæ fidei daturus. *Quæ videntur utcumque indicare tempora imperatorum gentilium, aut initia circiter Constantini Magni. Atque hæc fortasse indicia satis conjecturæ præbuerunt Martyrologis, quos supra dedimus, uti et Cajetano; illis quidem eum ponendi sub tempora Constantini Magni; huic vero eum signandi anno* 336. *Quod ultra dicam, nihil suppetit. De anno exactæ ætatis certiora refert Vita anonymi, mortuum indicans, dum* in annum ætatis tertium ac trigesimum ingreditur. *Ex hoc aut altero, Petrus de Natalibus facit ipsum annorum* 33.

ac mortis:

15 *Dies apud varios varius notatur. Vita anonymi seu Madrensianus codex:* Postremo, *inquit,* die mensis Julii... prædixit die Dominico, proxime ex hac vita se esse abiturum... et illucescente prædicto ab se die... animam Deo restituit. *Petrus de Natalibus hæc fatur :* Die Dominica in ecclesia... migravit ad Christum pridie Kalend. Augusti. *Si dies obitus idem est, qui est cultus, ex hoc ille confirmari tum poterit, hue reducendo, quæ supra diximus. Plura nos latent, fatente Petro episcopo num.* 18 *:* Quinam autem beati hujus ac celeberrimi Viri exitus, aut qualis vitæ terminus fuerit, haud satis liquet. E *Porro an satis sibi constat laudatus auctor, quando a num.* 19 *recte probans, ex eo quod miraculorum magnitudine excelluerit, non sequi martyrem fuisse, tandem num.* 24. *duplicem ei coronam, miraculorum, uti ego quidem intelligo, et martyrii, ipsi adjudicat. Quando autem sese, inquit,* martyrio libenter non dederit, vocante ipsum Deo?

mortis item modus.

16 *Et vera illa, quæ ibi proxime præmittit* ; quod si præter divinas illas actiones virtutesque, et inauditorum efficaciam miraculorum, athleticaque certamina sanctus Vir, prostrato hoste, proprioque effuso sanguine mortem oppetens, martyris corona cinctus fuerit, id vero minime mirum cuiquam videatur ; *illa, inquam, quorsum alio pertinent, nisi ad martyrium? Altero itaque loco* Viri exitus ac vitæ terminus *incertus; altero autem martyrium asseritur. In quo adversatur anonymo, qui num.* 19 *Sanctum morte naturali defunctum dicit ; sed et a Martyrologis supra non martyr,* F *at confessor vocatur. Enimvero Cajetanus confessorem non martyrem ipsum vocat, uti supra ex ipso vidimus. Mirum itaque, quod in Animadversionibus suis locum hunc Petri episcopi inobservatum reliquerit.*

S. Fantinus hodiernus a Marafioto et Ferrario

17 *Præter* S. Fantinum *hodiernum colitur alius ei synonymus apud Græcos die* XXX *Augusti, quo die etiam notatur in Martyrologio Romano; apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ nescio qua de causa ad diem* XXXI *Julii retractus. Quod huc spectat, hic a nostro prorsus distinguitur parentibus, instituti professione, peregrinationibus, vitæ ætate, dieque ac loco depositionis, sicut fiet perspicuum tum, quando cum Martyrologio Romano eum dabimus. Hieronymus Marafiotus in Chronicis Calabriæ lib.* I, *cap.* 35 *alterum ab altero non distinguit, cum utriusque tam Acta commisceat, quam vitæ institutum, dicens unum eumdemque* Fantinum, *servum, equi curatorem seu moderatorem, deinde monachum ac tandem abbatem exstitisse. Suum item laudatus Ferrarius abbatem et confessorem Taurianensem facit, datoque ejus elogio ex Menologio*

AUCTORE J. P.

nologio Græcorum, notat, diverse Fantini historiam ab aliis narrari, cum duo fuerint, unus Calaber, alter Syracusanus. *Deinde* Acta *inquit,* ipsorum confunduntur.

perperam cum alio confusus;

18 *At dum aliorum confusionem indicat, confusionem commisit ipsemet, cum mox subdat, agi* de ALTERO in Romano Martyrologio ad diem XXX Augusti, *qui ipsissimus est* Fantinus *monachus, quem ipse cum elogio dicto die* XXXI *Julii commemorat; qui an Taurianensis, et abbas fuerit, dispici poterit die* XXX *Augusti. Et vero clarissime mentem suam seu potius hallucinotionem pandit idem Ferrarius in Catalogo Sonctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, die rursum* XXXI *Julii, ad annuntiationem istam* Tauriani in Calabria S. Fantini abbatis; *productisque fontibus, e quibus ipsum dat, nimirum Maurolyco, Golesinio, et Petro in catalogo lib.* 6, *cap.* 160: Hic, *inquit,* diversus esse videtur ab eo, de quo in Martyrologio Romano die XXX Augusti agitur. *Quod, quid est aliud quom semel commissum confusionis errorem recoquere?*

uti et ab alio.

B

19 *Rocchus Pirrus in notitia secunda ecclesiæ Siracusanæ pag.* 125, *agens de* S. Fantino *nostro, dicit, quod Cajetanus in Idea de Vitis Siculorum Sanctorum pag.* 90 *norret, se habere* in S. Fantinum Thaumaturgum carmen genethliacum, translatum ex Græco sermone; *at satis liquet, Cajetanum, hunc a nostro distinguere: nam postquam dicta pagina indicarat:* Vita S. Fantini confessoris Syracusani, *ac* Petri Occidentis episcopi narrationem de Vita et miraculis Sancti *ejusdem, mox subnectit jam dictum in S. Fantinum Thaumaturgum carmen, quo cognomine a Græcis vocatur Fantinus monachus supra laudatus; noster vero, quamquam illum titulum, fuerit meritus, et alicubi, ut videmus is ipsi detur, non tomen eum sic sibi fecit proprium, ut communiter tolis appelletur. Quod quia non apparet satis observasse Pirrus, ideo alium cum alio Sanctum videtur confudisse, ac carmen illud aptasse nostro, quod alteri convenit; et vero utrumque id satis cavit Cajetanus, nuspiam illius carminis memor, quando agit de* Fantino *nostro.*

C

§ III. Fama posthuma ex æde sacra, reliquiis, sepulcro, miraculis, et hymno sacro; Vitæ auctores. Taurianum quandonam eversum?

Habuit Sanctus antiquitus ædem sacram, reliquiis suis celebrem,

Ædem *quondam sacram* S. Fantino *propriam exstitisse una cum monasterio, ejusque socras exuvias publica veneratione necnon frequentissimo populi concursu memorabiles fuisse, intelligi dotur ex antiquis monumentis. Anonymus in editis apud Cajetanum, inter mirocula, quæ Vitæ Sancti nostri subnectit, de Theodoro quodam, cive Tanrianensi agit,* cujus ædes templo erant Fantini contiguæ. *Item* Taurianensium, *inquit,* ecclesiæ archidiaconus... deferri se jussit in ædem S. Fantini. *Petrus episcopus num.* 18 *ita loquitur:* Sacræ ipsius corporis reliquiæ cum apud nos, *ait,* asserventur, *etc.; in quarum deinde laudes egregie excurrit. Idem num.* 47 *sermonem instituit de* puella a parentibus... ad S. Fantini ædem adducta, introductaque ad aram a patre, ubi sanctissimi Viri tumulus erat; *quam acceptam* antistita educavit in cœnobio.

D

21 *De eadem æde agit num.* 48. *Rursum num.* 49 *narratur altare illustratum,* ubi maxime venerabiles asservantur S. Fantini reliquiæ... inde ubi lux evanuit, multo suavique odore.., tota ædes repleta. *Videri etiam de hoc templo ac monialibus potest num.* 44. *Templum itaque hoc apud Taurianenses stetit, et, sicut exponitur num.* 50, in montis descensu positum... Hanc autem ædem S. Fantino construxerant indigenæ, ubi illum, equas dum pasceret, egisse fama erat; ibique etiam Sancti aream esse aiunt, unde locum illum S. Fantini aream hodieque appellant.

cujus situs datur.

Miracula ibidem facta stabiliuntur.

22 *Fama vero Sancti posthuma mirifice inclaruit ex miraculis plurimis, quæ ad ejus sacra lipsana potrata sunt, adeo solida auctoritate stabilitis, ut pervicax sit, qui ea negare aut in dubium vocare ausit. Unde in hymno sacro vocotur* thaumaturgus, *titulus certe, qui magnis dumtaxat et insolitis prodigiorum effectoribus dari consuevit. Atque ex hoc hymno confirmabuntur et illustrabuntur ea, quæ de Sancti post mortem celebritate modo protulimus. Hymnus vero ille certum posteris monumentum est de antiquo* S. Fantini *cultu, uti palam fiet ex tempore, quo is conditus traditur; de cultu item solenni, qui recte colligitur talis fuisse ex hujusmodi instrumentis, accini consuetis in honorem Sanctorum, quorum præ reliquis venerabilis memoria habebotur. Hymnum porro istum dabimus post ambas Vitas; de quarum auctoribus hæc præmonenda occurrunt.*

E

Auctor primæ Vitæ nos latet; cujus textus non satis sincere excusus.

23 *Illius, quam primo loco damus, auctor nos omnino latet, lotuitque etiam Cajetonum: qui tamen ex eo, quod de catenis a Sancto perfractis in illa refertur,* hæ in præsentem usque diem Syracusana in ecclesia demonstrantur, *elicere utcumque conotur tempus, quo Vita eadem scripta sit, nimirum* ante Saracenorum in Sicilia dominatum cum catenæ Sancti demonstrabantur*: nam eorum barbarie cuncta dein pessum iere, seculo utpote nono aliquantum adulto. Soracenorum in Siciliam adventum ex Joanne Curopolate et Cedreno innectit Baronius anno* 827 *contra Leonem Ostiensem, qui anno* 820 *illum ingressum ponit, captumque ab ipsis addit Panormum, ut videsis lib.* I, *cap.* 23 *Chronici Casinensis. Vitam illam edidit Cajetanus,* exscriptam, *uti monet,* ex vetusto libro manu exarato Josephi Madrensis I. Consulti Syracusani, dictione paululum expolita, ac levibus quibusdam recisis, *utrumque non recte; desiderant quippe palæophili similia videre intacta. Et vero illa historia tum ob hanc causam, tum ob dicta superius, tum ob dicenda paulo post, multum nobis displicet.*

F

Quædam in ea carpit Morabitus.

24 *Carolus Morabitus in Annalibus Messanensis ecclesiæ satis immodeste et acriter invehitur in nostrum Petrum Salernum, qui od perficiendas Vitos Sanctorum Siculorum pluries jam laudatos operam contulit; quasi* opera ejus vitiata sint omnia, et studium suum omne contra Messanenses semper impenderit. *Quid ita? Ansam utique expostulandi Morabito hic præbuit codicis istius expolitio, quasi magis poliendo addiderit, prout ipse Salerno imputot, quæ non sint consona: bolum in eo nimirum duriusculum, quod Messana* etiam tum *(id est tempore* S. Fantini) idolis serviebat, *decoquere non potuit, non magis quam istum:* Conquiritur ergo *(Fantinus)* a magistratu Mamertino, pœnam fidei suæ daturus; *quasi vero tum temporis Messana nondum*

AUCTORE J. P.

A *nondum ad Christum fuerit conversa; de qua re breviter dicetur in annotatis. Tædet interea omnia hic recensere, quibus auctor iste Salernum arcessit, nullo operæ pretio hic proponenda : sive enim Equilinus ex Ms. Madrensiano, sive contra Madrensianum Ms. ex Equilino desumptum sit, sive utrumque exemplar seorsim aliunde prodierit, non multum interest, cum ejusdem utrumque sit furfuris in substantia.*

carpendus ipsemet.

25 *Nam, sicut est in notis apud Cajetanum*, eamdem quidem historiam pressius narrat Petrus Equilinus episcopus; *sed nos addamus, corrupte, adeo ut non multum rationis habeat Morabitus, quare vocem verosimillime corruptam* stradichone *laudet in illa Via, quasi antiquitatem conciliet.* Non omittat, *inquit* stratigoti nomen Messanæ supremi juris (quod solius ipsius est in absentia principis) ab antiquo et semper successione temporum non mutatum. Habet enim ille in Vita Sancti, *quam diximus :* Cum a Stradichone capitaneo quæreretur, ut diis, *etc. Sed vel his idem dicit textus, vel vocem corruptam obtrudit :* B *nam addit Morabitus :* Quod nomen quidem non proprium, sed officii est, quo CAPITANEUM, sive militiæ ducem Messanenses appellant. *Audiamus Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* XXXI *Julii de ista Vita quid sentiat :* Loca, *inquit*, depravate nominat, et quædam inverisimilia admiscet; *quod ultimum de Vita nostri anonymi videtur pronuntiaturus fuisse, siquidem eam vidisset, eodem vel potiori jure, quæ pluribus verbis rem eamdem in substantia narrat. Quod addit Ferrarius;* ut videtur, ex duorum Actis unius contexit, *Petrus Equilinus, adeo nobis non videtur, ut Acta nostri* Fantini *toto cœlo differant ab Actis synonymi monachi.*

Auctor secundæ Vitæ videtur fuisse episcopus Taurianensis :

26 *De alterius auctoris*, Petri episcopi, *sicut scribitur apud Cajetanum in titulo ejusdem narrationis, vel, sicut apud eumdem notatur in Animadversionibus pag.* 138, Petri occidentis episcopi, *Vitæ præfatione observantur ista ibidem :* Episcopus fuit ecclesiæ Tauriani in Calabria. Multa *id* persuadent : sermo ipse habitus ad Taurianenses; quorumdam miraculorum non modo oculatum testem fuisse, sed ministrum se dicit; Nicetam C appellat archidiaconum ecclesiæ suæ; ille vero Taurianensis ecclesiæ archidiaconus fuit, ex Actis Syracusanis. Demum plane appellat Taurianum patriam. Ab aliquo Græco dictus est Occidentis episcopus, id est in Occidente : quia forte dubitavit vel nescivit, quænam urbs ei subderetur. *Verum quamquam hæc infulas Taurianenses ita suadent, ut, quod supra tamen ab ipso Cajetano dicitur fieri, non omnino persuadeant, satis tamen fundamenti præbent, ut prudenter id credatur.*

de cujus ætate

27 *Quod ad istius auctoris ætatem attinet, de ea sic ibidem disseritur :* Vixit is scriptor, ut extrema narratione ait, imperante Leone hæretico, ad quem tertio ejus imperii anno legatus cum quibusdam Siculis a prætore Siciliæ missus est. Porro ab anno Christi Domini DCCXVI ad DCCCXIV Leones tres imperium tenuere : Leo Isauricus, Leo Porphyrogenitus, et Leo Armenus, qui omnes hæretici iconoclastæ fuere. Quis horum Leo hæreticus fuit, sub quo Petrus Taurianensis vixit? in ancipiti sum, cum nulla ex narratione lux affulgeat. Sed inclinat animus ad Leonem Porphyrogenitum, cujus imperii annus tertius incidit in annum Christi DCCLXXVIII. Movet me, quod is non nisi anno imperii quinto, qui extremus illi fuit, in scelerum suorum ultionem, occultum animi virus evomuit, et imaginum cultores persequi palam cœpit.

hic

28 Ante hunc annum tutus ad eum accessus fuit; ad Leonem Isauricum et Leonem Armenum accessus haud tutus fuit, qui inito imperio sacris imaginibus bellum indixere. Sed levis est conjectura. Quod certum; vixit Petrus episcopus Taurianensis post occupatam ac possessam a Saracenis Africam, quos Taurianum magna ex parte evertisse, idem Petrus narrat. Saraceni vero Africam penitus occupavere anno Christi DCXCVIII, Cedreno auctore. *Leo Isauricus impium sub dolosa pietatis larva virus et quidem per annos plus quinque occuluit, quod palam tandem contra sacras imagines evomuit, ut videsis apud Baronium ad annos* 716 *et* 723. *Simulavit item Leo Porphyrogenitus, ibidem ad annos* 775 *et* 780; *Leo autem Armenus cum imperio cœpit persecutionem, ibidem anno* 814 : *proinde satis quidem videmus, cum hinc supra ex-* E *cludi a Cajetano; at non satis perspicimus, cur iste Petrus episcopus potius se contulerit ad Leonem Porphyrogenitum, quam ad Leonem Isauricum, cum hæreticus fuerit uterque; uterque orthodoxiam mentitus, et quidem satis diu, ut in annum utriusque tertium Petri iter incidere potuerit.*

disseritur.

29 *Quod si sub Leone Porphyrogenito id contigerit, de quo tamen non constat, sequitur juxta calculum Baronii superiorem, Petrum potuisse instituere suam legationem ab anno* 716, *quo Leonis Isaurici imperatoris initium figit contra Theophanem, quem illud differre in annum proxime sequentem colligitur ex eo, quod illi assignet Indictionem* XV. *Errat itaque Cajetanus, dum putat Leonem Isauricum ab ipso imperii sui exordio bellum sacris imaginibus indixisse; qui error in causa fuit, cur legationem Petri potius aptarit imperio Leonis Porphyrogeniti. De occupata penitus a Saracenis Africa anno* 698, *unde Cajetanus Petri vitæ epocham superius determinavit, meminit Baronius ad istum annum. Hinc sequitur, ut falsum sit, quod tradit Marafiotus in Chronicis et antiquitate Calabriæ lib.* 1, *cap.* 35 *in fine, circa tempus, quo Tauria-* F *num fuit destructum : quod vult contigisse anno Domini* 1075, quantum, *inquit*, ex antiquis scripturis colligimus. *At cujus notæ ac temporis sunt illæ, quas vult*, antiquæ scripturæ?

Taurianum quando eversum.

30 *Eamdem epocham ex ipsius Descriptione Calabriæ lib.* 1, *cap.* 20 *et* 25 *producit Cajetanus in Animadversionibus pag.* 137 *(de ista destructione nihil invenio in Chronicis Calabriæ capitibus mox ab ipso assignatis, adeo ut suspicer, quod aliud Marafioti opus indicare voluerit) recte ex ratione temporis, quo vixit Petrus episcopus, ipsum corrigens his verbis :* Taurianum... a Saracenis Africam tenentibus eversum est ante annum Christi ferme octingentesimum, cum nondum Siciliam occupassent, ut constat ex Petro Tauriani episcopo, eorum temporum scriptore; *ut videsis ipsius narrationem num.* 10. *Quamdiu vero ante istum annum eversio loci facta sit, indeterminatum relinquit : nam* reliquiæ ejus, *inquit*, insigniaque ad nostram usque tempestatem manent, hinc inde ex utraque ipsorum fluminum parte exstantia...

tametsi

AUCTORE J. P.

tametsi nunc inhabitabilis et inculta est altera pars propter eas, quas multis jam annis locus ille passus est eversiones. *At quæ de biographis paulo ante disputata sunt, illustrari poterunt ex dicendis paragrapho proxima, occasione Vitarum, quarum et damus notitiam, et merita.*

§ IV. Vitæ Græcæ notitia; Latinæ crisis; utraque, Græcæ tamen, uti et hymni sola versio Latina hic datur.

Vitæ Græcæ

Vitam, quam secundo loco dabimus, seu elogium, narrationem aut homiliam potius eam dixeris, eodem redit; Vitam, inquam, illam typis vulgavit Latine sæpe laudatus Octavius Cajetanus inter Vitas Sanctorum Siculorum tomo I, *a pag.* 152, *fontem ita indicans in Animadversionibus suis :* Narrationem *(ita enim inscribitur)* hanc exscripsimus B ex Græco codice Ms. monasterii S. Salvatoris apud Messanam. Transtulit in Latinum P. Franc. Raiatus e nostra Societate. *Exemplar ipsum Græcum nos habemus, ex eodem haud dubie codice vel aliquo ejusdem ecgrapho transcriptum; quod, prout isti apographo nostro præmittitur, anno* 1697 *curavit P. Joseph Denti, si recte viri cognomen lego. Ceterum prænotatur hoc titulo :* Διήγησις εἰς τὸν βίον καὶ εἰς τὰ θαύματα τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου θεράποντος τοῦ Χριστοῦ πατρὸς Φαντίνου ἡμῶν. Narratio in Vitam et miracula sancti ac gloriosi servi Christi, patris nostri Fantini. *Titulus ille contractius sic refertur apud Cajetanum :* Petri episcopi narratio de Vita S. Fantini.

ac versionis, 32 *Versionem istam antiquam contulimus cum nostro exemplari Græco, eamdem satis fidelem et textui Græco satis consonam deprehendimus, ut supervacaneum judicaverimus, novam isti substituere : quamquam nonnulla locis variis ad majorem brevitatem contracta sint, quæ pluribus recenset nostrum Ms. Græcum : sive ea ita contraxerit ipsemet interpres, sive ea contracta repererit in exemplari, e qua suam versionem concinnavit : neque enim plane* C *nobis constat, ex eodem exemplari Græca nostrum apographum, et ejus versionem prodiisse. Quidquid id est, res tantilla est illa contractio, et ad rei substantiam parum conducens, proinde intento digito identidem indicari non merita in nostris annotatis; ubi nonnulla tamen, observata invenies, pluribus aliis minutiis prætermissis; de qua re lectorem præmonuisse, plus est quam satis. Rem porro totam in novos titulos ac numeros more nostra dispescuimus; adjectis etiam ad marginem antiquis numeris, qui miraculis præfigebantur in laudato Ms. Græco, non tamen eorum titulis, qui itidem ordine illa præcedebant.*

uti et miraculorum notio datur. 33 *Atque ex his miraculis non gloria solum Sancti posthuma potissimum elucidatur, sed suppletur utcumque penuria, qua, uti fateri cogitur candide ipsemet auctor, in rebus a Sancto gestis recensendis laboravit; ideo laudem hic meritus potissimum, quia ad nonnulla ex istis miraculis summum auctoritatis pondus addit, narrando illa nunc tamquam auritus, nunc tamquam oculatus testis, imo alicubi etiam in propria ipse persona ejusdem Sancti patrocinium expertus. Visum porro nobis est, miracula non separare a narrationis contextu, illis prævio, sed hæc* D *illi subdere, sequendo exemplar nostrum Græcum, et Latinum, quod Cajetanus edidit. Jam vero circa miracula post* S. Fantini *Vitam (de his enim præsens nobis sermo est) paucula quædam alia nobis se offerunt observanda accasione auctoris anonymi, qui Vitam scripsit.*

34 *Miraculum primum, quod agit de syngrapha amissa et reperta, anonymus ille contraxit; sed ex Petro episcopo illud accepit : is namque addit,* a quo et hæc accepimus; *quæ verba anonymus non habet. Hic insuper ex isto contraxit miraculum secundum ; ubi enim Petrus tamquam in propria persona :* Archidiaconus, *inquit,* dum esset nostræ sanctæ ecclesiæ, aliud nobis dignum utique, quod litteris mandetur, miraculum commemoravit; *anonymus illud narrat in aliena. Tum transilit ad miraculum, quod est apud Petrum ordine sextum ; ac deinde rursum resilit ad illud, quod laudatus Petrus refert quinto loco; utrumque denuo anonymus contraxit. Atque hæc quidem ille ex Petro hausit, addente Cajetano,* cetera in libro Ms. desiderari. *Unde perspicimus, quod vel majorem juventutem præ se ferat iste anonymus, quam Petrus* E *episcopus, vel quod post ipsum saltem scripserit, majore enimvero fide dignus, quando cum isto consentit (eumdem, uti suspicor, et in aliis nonnullis ducem secutus, quem sibi prævium habuerit in miraculis) quam dum solus ambulans, non pauca affirmat, quæ alter non habet.* *Utriusque crisis Vitæ*

35 *Et sane videtur affectare rerum inopinatarum ac mirabilium texturam; adeo ubique prodigia, inexspectatos eventus, et apparitiones obtrudit; ad scenam et theatralem apparatum compta potius, uti nobis apparet, et inventa, quam ad sinceram narrationem accommoda, quamdiu nos latet, quo ex fonte ea acceperit, tot seculorum intercapedine a suis temporibus distantia ; præsertim ubi Petrus adeo est jejunus, ne dicam mutus, in Vita ac gestis Sancti enarrandis; paucula quædam circa ea delibasse contentus, cetera omnino ignorans. Jam vero unde, amabo, anonymus iste historiam eventibus adeo mirabilibus infartam derivare potuit; de quibus ne verbum quidem ullum Petrus episcopus? Cui tamen adjuncta nonnulla favere videntur præ isto alio, ut hoc ille instructior accederet ad loquendum, sive* F *tempus consideres, cui utcumque ejus ætas atque adeo scriptio aptari possit; sive locum, in quo gessit episcopatum, qui fuit rerum a* S. Fantino, *dum in vivis degeret, gestarum spectator et testis ; miraculorum vero, dum jam mortale corpus exuerat, ac gloriæ ipsius posthumæ theatrum; sive nomen spectes, quod diserte præfigitur ipsius narrationi.* *auctoritas.*

36 *Nulla autem ex tribus hisce prærogativis suffragatur nostra anonymo; qui tantus quantus est, undecumque nos latet. Memini quidem ex catenis a Sancto perfractis, et usque ad scriptoris tempora asservatis, de qua re diximus superius* § 3, *argumentum a Cajetano desumi, quo figatur ipsius tempus. Verum quandoquidem Vitæ contextus, prout apud Cajetanum editus legitur, non omnino editus est prout jacet, et aliunde ex capite non uno vel ipsi Cajetano videtur esse suspectus, uti liquet ex dictis : cur omni mox suspicione vacet locus ille de catenis? præsertim cum Petrus episcopus de illis non meminerit, fatente Cajetano, nonnulla apud anonymum* ex depravatis Actis desumpta, et nugamenta immixta *eis esse* a quodam otioso. *ac valor*

A *proponitur.*

37 *Non eo tamen illa quisquam a nobis dicta existimet, quasi velimus omnem narrationi ejus fidem detrahere : neque enim ad hoc audendum satis nobis est rationis; sed ut sensum nostrum candide indicemus, quod, sicut gloriosa prorsus Sancto sunt, quæ anonymus ei adscribit, sic paulo solidioris roboris sint indiga, si istarum rerum defensores ac patroni statim credi omnia ab eruditis velint. Erunt fortasse (sint sane optamus) eruditi Siculi aut Calabri, qui tam his quam aliis, siquidem plura de Sancto sperare liceat, plusculum lucis et auctoritatis affundent. Interea temporis quia fieri potuit, ut auctor ille anonymus, cujuscujus ætatis et notæ, alicubi hauserit ex antiquis documentis, quæ Petrus non viderit, facta, quæ refert, si non omnia, saltem non pauca ex illis, ideo Vitam sub ignoto nomine tamquam ab ipso scriptam etiam exhibemus.*

Nonnulla etiam observantur circa hymnum,

38 *Circa hymnum, quem ultimo loco ex impressis apud Cajetanum daturi sumus, observari velimus sequentia.* Is exscriptus est a me, *inquit in Animadversionibus suis,* ex Græco codice Ms. monasterii S. Philippi Fragalatis, juxta oppidum S. B Marci, in diœcesi Messanensi *(quod monasterium est* de familia S. Basilii, *ut videre est apud ipsum in Animadversionibus pag.* 64). Latine redditus est a patre Augustino Florito, nostræ Societatis, *pluribus aliis e Græco in Latinum conversis noto : tam apud nos die* III *Aprilis, pag.* 239 *et* 269 ; *quam apud Cajetanum mox citatum pag.* 35, 37, 64 *et* 67. *Crediderim cum eodem auctore in Animadversionibus, hymnum hunc compositum esse a S. Josepho Hymnographo, cujus Acta illustrata fuere ad diem* III *Aprilis; qui cum obierit in grandæva senectute, seculo nono ad finem vergente; consequens est, ut, quo tempore etiamnum Sancti ac miraculorum præsertim ejus vigebat in animis posterorum memoria, potuerit canonem istum concinnasse in gratiam Calabrorum aut Siculorum, Siculus ipse patria, et secundum quosdam Syracusanus (sed hoc ultimum a nobis rejectum fuit citato die pag.* 267) *sicut canonem seu odas de S. Pancratio in gratiam Tauromeniorum panxit, secundum dicta eodem die* III *Aprilis pag.* 238, *ubi de illo actum fuit, et* XIV *Junii pag.* 788, *occasione S. Marciani, episcopi Syracusani ac martyris. Varia interim,* C *quæ hunc S. Josephum spectant, invenies in Bibliotheca Sicula, auctore Antonino Mongitore, anno* 1708 *Panormi edita, tomo* I, *a pag.* 384.

ejusque auctorem :

39 *Porro sive Josephus iste Hymnographus, sive alius ei homonymus, Thessalonicensium episcopus, S. Theodori Studitæ germanus frater, hujus canonis auctor exstiterit, parum interest : ambo enim floruere seculo nono; et hic quidem sub istius seculi initium, ille vero versus finem. Consuli interim possunt ea, quæ de utroque novissime diximus tomo* IV *Julii, pag.* 247. *Si habuissemus laudati canonis exemplar Græcum, potuissemus, uti opinor, paucula alia circa illum observare : neque enim dubitamus, quam ejusdem conditor, more alias usitato, litteris acrostichis cum innexuerit, in præfixa ei acrostichide metrica expressis, quas suis deinde locis, id est odarum ac stropharum initialibus elementis aptarit. Odas subsecuta forte fuerit accrostichidis istius veluti coronis quædam seu clausula, e litteris nominis auctoris formata; quo indicio paulo certius nobis de ipso constare potuisset. (Adi citatam pag.* 247.) *Verum quia ista subsidia nos hic deficiunt, superest, ut acquiescat lector solis, quas damus, in re incerta conjecturis.* D

qui forte olim fuerit pars Officii Græci.

40 *Denique illud insuper unum superaddendum censemus; valde utique nos induci, ut credamus, quod sicut alii canones, Menæis Græcis excusis interspersi, adhiberi consueverunt in istius gentis Officio ecclesiastico, cujus utpote partem non parvam constituerunt; ita hymnum hunc Siculis Calabrisve Menæis insertum, atque in* S. Fantini *festivitate, majoris solennitatis gratia, quotannis ibidem usurpari consuevisse, tamquam antiquum, sicut supra dicebamus, pristinæ erga eum venerationis argumentum.*

VITA

Ex Ms. Syracusano apud Octavium Cajetanum S. J. edita inter Vitas Sanctorum Siculorum tomo I, a pag. 149. E

AUCTORE ANONYMO.

CAPUT I.

S. Fantini natales; ipsius ac parentum Fantii scilicet et Deodatæ ad Christum conversio; horum cruciatus; illius e carcere liberatio.

S. Fantinus parentibus sterilibus, *a* *b*

Syracusis *a* natus est Fantinus, Fantio ac Deodata *b* nobilibus, atque in re familiari copiosis parentibus. Hi tametsi idolorum erant implicati cultu, tamen in pauperes natura erant propensi, et de suo sublevabant multos. Quod eo etiam liberalius præstabant ac libentius, quod ea ratione in spem veniebant, impetraturos se a diis suis liberos, quibus carebant. Sed dii eis nulli quidem, verus autem Deus, qui neminem vult perire, et lucem veritatis omnibus impertit, neque infrugiferum eleemosynarum esse sementem sinit, liberales precantibus aures dedit, et hoc inter dormiendum utrique visum injecit. F

visis in somno sisti ante tribunal Dei,

2 Videbantur sibi ante tribunal Dei tamquam indicto die sisti, et idololatriæ nomine accusatos, ad extrema supplicia damnari. In magna trepidatione, nec opinatus adfuit patronus miseris Jesus Christus ; cujus erat habitus talis : toto corpore plagis, ac vulneribus distinguebatur, unde sanguis atque horror quidem nullus, splendor plurimus eminebat. Is in conspectu judicis stans, hunc in modum orat : Hi, quas tu pœnas in eos cogitas, meriti quidem sunt, Pater ; sed eas primum mihi, tum eleemosynis eorum condonato : precorque abs te, ut vitam iis, ac liberos concedas.

promittitur nasciturus;

3 Et ad superstites reos conversus : Vobis, inquit,

EX EDITIS APUD CAJETANUM.

quit, filius olim, quem expetitis nascetur, qui duodecimum annum cum attigerit, fidem in me, Patremque meum concipiet; tum hanc vos edocebit, et ad martyrium viam aperiet. Ipsius autem monitis multi in veritatis viam traducentur. Postea Fantio ac Deodatæ potestas est abeundi facta, et nascituro filio, nomen ut Fantino imponant eique ab anno duodecimo, verbo obsequentes sint, imperatum. A somnis evigilantes, mutuo visa cum narrassent, lætitiam simul cum spe capiunt. Tempore susceptus est filius, et, ut jussum nomen huic indunt Fantino.

prodigio non uno natalem ejus comitante.

4 In exortu, atque advocatione [in lucem] duo fuerunt digna, quæ miremur. Unum quod Infantis a parte læva pectus notatum est crucis signo, non subtenui ac parvo, sed alte impresso, et pro corpusculi portione, in ternorum digitorum latitudinem longius producto. Color ejus sanguineo erat similis. Alterum, quod in recentissima ætatula sæpe de lectulo surgebat, et repens per spondam demittebat se humi; sicque recubabat. Ejus rei causam cum sciscitarentur: Militare, inquit, Christo volo. In quo quidem illud est plenum B admirationis; puerum hunc cum Jesu Christi nomen appellabat, ejus nominis memoriam fecisse quod ab alio dictum ipse antea numquam excepisset.

Modo prorsus mirabili

5 Inter hæc Fantino duodecimus appetiit ætatis annus, atque cum ea tempestate venandi studiosus, uno eum comite, feras insectaretur, nactus est cervum proceritate mira, atque ardua, tum novo etiam miraculo spectabilem. Huic multæ inter cornua cruces exstabant; humana autem vox ejus ex ore prodiit, qua se ut sequeretur, hortabatur, et: Tempus, inquit, est, ut et capiaris, et capias; veneris, ac rursus te alius venetur. Ergo postquam per agrum Syracusanum ad duo passuum millia præeuntem cervum prosecuti [essent], propter quamdam se specum vident.

ad eremitam deducitur;

6 Itaque cum descendissent de equis, offenderunt in specu hominem senem atque eremitam. Huic præterita nocte nuntiaverat Jesus Christus, venturum ad se crastina luce adolescentem nobilissimum Fantinum, cum rectam fidem edoceret, deque sua divinitate, atque humanitate instrueret; fore enim, ut hujus opera non pauci salutem C consequantur. At postera quidem lux Fantinum eremitæ in conspectum tulit; quem sibi ad pedes accidentem cum sublevasset, parentum illi de suis natalibus visionem recitat, crucis signum impressum in pectore manifestat. Et: Super hæc magnas enimvero, inquit eremita, Fantine, gratias debes instauratori generis humani Jesu Christo, qui antequam sacro, baptismatis flumine ad vitam transmittereris, sanctissimæ te crucis sigillo notavit.

ab eoque in fide instruitur, apparente in cælo cruce, et simul cum Leontio baptizatur.

7 Hic nudato pectore Adolescens, cum accepta a Christo Domino signa patefecisset, arrepta rursus occasione, in multam noctem senex dixit plura de Servatoris nostri cum in ejus vita, tum post obitum etiam confectis mysteriis. Ac quidem noctis tenebras dispulit admirabilis crux, circumfusa lumine, et in propinquo in cœlo visa. Hoc autem veluti nuntio lucis a Deo accepto Fantinus, atque ejus comes Leontius abluti sacro fonte Christiani facti sunt: et cum noctis reliquum sacris inter se colloquiis, atque ad Deum obsecrationibus transegissent, orto jam sole, ad urbem redeunt. D

Sequuntur Sancti parentes cum familia, excepto uno misero.

8 Cum vero patri Fantinus occurrisset, salutatione eum excepit, qua Jesu Christi mentionem faceret. At novum verborum genus pater demiratus, quamobrem se ea salute donaret, ab Filio quæsivit. Ille Spiritus sancti luce repletus, cum susceptæ paulo ante fidei principia, atque arcana explicasset, simulque in memoriam patri pristina visa revocasset; eo patrem adduxit, ut Christo per baptismum libentissime manus daret. Uterque autem postea Deodatam de suscepta religione docuerunt, et dominos Christianos universa imitata familia est, præter contumacem unum, qui ab teterrimo dæmone in obstinationis supplicium arreptus, sese in flumen præcipitem dedit.

Facultates in pauperes distribuunt, et apud proconsulem accusati, vapulant;

9 Christiani hi cum sunt facti, dictorum etiam Christi: Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus, esse memores, atque etiam obsequentes cœperunt. Itaque divenditis, quæ possidebant, omnibus, magnam ex agris et fortunis suis pecuniam conflant, quam egentium subsidio ac victui largiter E in dies erogabant. Eas ob res defertur eorum nomen ad proconsulem. Is in conspectum adductos interrogat, cujus essent religionis, ac sectæ. Christianos esse, et Christum se crucifixum colere respondent. Ob id jussu proconsulis, vehementissime plumbatis vapulant; tum in vincula, ac custodias conjiciuntur.

sed ab angelo reficiuntur; qui imminere eis martyrium; Fantinum vero ad alia reservari prædicit.

10 Ecce autem cum mox omnia opacasset, angelus Domini devolat in carcerem, et postquam luce locum illuminavit, appositis cibariis, refici custoditos, ac confortari jubet. A mensa prædicit Fantium quidem ac Deodatam mortem pro fide postridie esse obituros; Fantinum ad alia reservari: quamobrem excederet ex eo loco, atque in alias se partes reciperet. Tum arreptas catenas Fantinus facillime perfregit; quippe quas instar ceræ mollissimas virtus divina fecerat c. c Hæ in præsentem usque diem Syracusana in ecclesia demonstrantur. Deinde patefactas sua sponte fores cum offenderet, sensim eum comite angelo egreditur, usque ad portas urbis, quas signo crucis impresso reserat, atque aditum sibi facit. F

ANNOTATA.

a *Urbs est Siciliæ notissima; de qua meminimus die* XIV *Junii, occasione S. Marciani, ejusdem urbis episcopi. Ceterum an hæc urbs Sancto patria obtigerit, supra disputatum est, in Commentario prævio num.* 6 *et sequentibus.*

b *De Martyribus illis agitur ex hac Vita apud Cajetanum tomo* I, *pag.* 122; *signato anno Christi* 304, *die autem* XXXI *Julii.*

c *Hoc miraculum de catenis perfractis nobis esse saltem dubium, cum Petrus episcopus de illis non meminerit, jam diximus in Commentario prævio num.* 36.

CAPUT

A

CAPUT II.

S. Fantini parentes martyrio coronati; iter ejus in Calabriam, cura jumentorum, misericordia erga pauperes miraculo comprobata; heri conversio; Sancti obitus.

Sancti parentes martyres fiunt; ipse, patrato in Sicilia miraculo, Calabriam petit.

Interea illuxit, et producti illi duo, cum recusarent proconsuli obedire, et thura diis adolere; capita iis præcisa sunt. Fantinus Messanam *a* appulit, et exceptus hospitio mulieris cujusdam, filium ei captum oculis luce iterum donavit, quem inter dormiendum nigerrima hominis species violenter exoculaverat. Id causæ fuit, quod Jesu Christo nomen familia universa daret. Ea res famam Fantini Messanæ, quæ etiam tum idolis *b* B serviebat, disseminavit. Conquiritur ergo a magistratu Mamertino *c*, pœnam suæ fidei daturus; sed ille divino monitu, conscensa per noctem navicula, quamquam sine remigio ac velo, tamen cursum freto Rhegium *d* versus, cœlesti ductu, tenebat : neque cum eum armata triremis insequeretur, consequi unquam potuit, quam objecto signo crucis impediverat.

Vinum in aquam convertit Rhegii, suique contemptor

12 Ut est Rhegium deductus, in matronæ se cujusdam domum ab foro subduxit, et frigidam sibi ad potandum datam, vinum merum facit : matrem autem familias victam rei miraculo et procidentem ad pedes, Christianiam facit. Inde longius secessit, et tertio post die oppidum, cui Tauriano *e* nomen, ingreditur, seque Balsamio, locupleti homini, in servitutem locat. Sed cupido despectus sui ac vilitatis pro Deo, contra accidit: eo enim notior universis et carior habebatur. Erat Fantinus ingenio docilis, sermone non inelegans, castitate summa, atque honestate morum præditus, jejuniorum abstinentiæque amantissimus : verum propter gentilium metum, fidem C arcano pectoris concreditam abscondebat.

pascit jumenta, et simul ex illis pauperes, cœlestium meditationi intentus.

13 Itaque pascendis jumentis, amandatur ab Domino suo ruri, quod ille alacriter quidem, fideliterque præstabat, Moysis memor, greges deducentis, et Apostolici ejus dicti: Servi, subditi estote dominis vestris, in omni timore. Æstas summa esse cœperat, quo tempore frumenta in areis congregantur ad trituram. Id occasioni sibi datum existimavit Fantinus ad sublevandos egenos. Ergo partem jumentorum locat ad terendum frumentum : pretium trituræ tribuit in pauperes *f*. Mos Fantino is frequens erat, inter terendam aream, preces post jumenta corde atque ore profundere, Deumque laudare : deinde solutum terendi cura, et pascentibus jumentis, cœlum genuflexo suspicere, cœlestiaque assidue meditari.

Incusatur apud herum, quasi rem ejus male administrans :

14 Interim dæmone instigante, nuntius Balsamio perfertur, male a Fantino jumenta tractari, pascuorum loco commodari terendis aristis : id avaritia fieri, et spe lucri, quod sibi asservaret. Balsamius, quod de probo Adolescente credere nollet, experiri maluit, quam audire, et simul in agrum perrexit, quid rerum fieret odoraturus. Fefellissetque Fantinum, nisi famulo suo pro tempore Deus accurrisset. Nam accedentem ad se Fantinus herum cum prospexit, procidit in genua, et factum suum Christo, cui laborabat, commendavit : inter orandum occupatur somno, et Balsamio propius accedenti, cum jumenta in aream circumirent atque aristas contererent, tamen in uberibus pascuis esse, atque pratum omnino viride atque herbidum visa sunt depascere.

Ex editis apud Cajetanum.

sed irrito primum conatu; deinde irati heri conspectum fugit

15 Quamobrem excitatum Fantinum de sedulitate sua laudat, confortatque, ut commissa fidei ac curæ suæ jumenta bene curet. Inde in urbem lætior redit; sed in incepto suo cum perduraret Fantinus, rursum certior ea de re fama Balsamio per quosdam nuntiatur : cui quamquam principio nullas aures præbebat, et deferentes aversabatur, tamen facere non potuit, quo minus non nihil tandem auditis inclinaret. Itaque perrexit quæsitum, eo animo, ut, si vera offenderet, quæ illi accusarent, Fantinum in vincula conjectum affligeret; si vero secus, eos E omnes invidiæ ac mendacii convictos ab familia sua rejiceret cum infamia, servum innocentem honore ac mercede majore donaret. Adventum heri et cogitationes Fantinus, quamquam absens, divino tamen spiritu providit, et ut iræ concederet, subsidium cœpit in silvam.

insigni miraculo, evaditque ejus manus.

16 Cumque ad Metaurum pervenisset, neque haberet, qua ratione flumen trajiceret, substitit, oculos huc illuc circumferens, ac vestigans aditum. Interea videt iratum dominum appropinquare. Tunc ille Deum, ne se ea hora desereret, etiam atque etiam exoravit, et perfecta oratione, virga aquas percutiens : Metaure, inquit, in Christi nomine paulum de tuo cursu siste. Hoc præcepto, aquæ duas in partes discesserunt, et viam in ulteriorem ripam Fantino fecerunt; eo transvecto rursum coierunt.

Quo viso tam ipse, quam ejus familia

17 Hæc omnia cum vidit Balsamius, illico iracundiam deposuit, et humi stratus Fantinum ex adversa ripa precari extensis manibus cœpit, ne se in tenebris ignorantiæ desertum vellet; scire se, famulum veri Dei esse eum; cupere F ejusdem Dei obsequio ac servitio addici, qui tantam suis potestatem largitur; seque veniam ab ipso petere, et vice versa famulum ejus velle esse, ac dici, ejusque præceptis obtemperare. His est vehementer lætatus Fantinus, et heri promptitudine cognita, Christi Jesu legem ei prædicat, conversumque in fide instruit.

ad Christum convertantur.

18 Non multo post patris familias exemplum uxor Mathildis *g*, eorumque liberi, totaque est domus consecuta. Ea autem exinde Balsamii vita fuit, ut eam civitatem ad veram fidem traduxerit *h*. Ipsum vero multis miraculis Deus ornavit. Fantinus Balsamio segnior non fuit, nam congregata concione, sæpe populum de divinis rebus docebat, pauperes, egentesque comparata ope sustentabat, adeo ut brevissimo tempore idolorum fana, lucosque destrueret; ecclesias vero Deo, ejusque vero Filio Jesu Christo ædificaret. Hæc dum facit, in annum ætatis tertium ac trigesimum ingreditur ; postremo die mensis Julii populum vocari jubet ad concionem.

EX EDITIS APUD CAJETANUM. *Sanctus, prænuntiato mortis die, pie exspirat,* i

19 Cumque vehementissime de divinis rebus peroraret, prædixit, die Dominico *i* proxime ex hac vita se esse abiturum, cum sacerdos rem sacram perfecisset. Paulo post corripitur febri, et illucescente prædicto ab se die, jussit intra chorum templi, in feretro se collocari. Peracto sacro, manibus in cœlum sublatis, cum Christum Jesum ab se corporcis oculis cerni testaretur, atque subinde integraret: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; animam Deo restituit, tam expers doloris in morte, quam fuit criminis ac turpitudinis in vita.

cujus sepulcrum fuit gloriosum.

20 Ejus cadaver tanta luce, ac splendore lustratum est, ut per duas horas ne cerni quidem ab ullo posset. Odor autem, triginta integros dies, ecclesiam suavissimus perfudit: et ex sepulcro cœpit oleum redundare quoddam tantæ virtutis, ut cum omni morborum generi, tum universis etiam animæ tentationibus occurreret.

B

ANNOTATA.

a *Civitas est et emporium Siciliæ celeberrimum, freto Mamertino ab urbe Rhegiensi, de qua inferius, dirempta.*

b *Bolum hunc, uti monebamus in Commentario prævio, digerere haud potuit Morabitus: ad annum* 301 *contendens, Messanam a principio nascentis Ecclesiæ Christo paruisse; pro quo asserto inter alia citat epistolam S. Eutychiani PP. ad Siculos episcopos datam; cujus exemplar protulerat ad annum* 283. *Eadem legitur apud Labbeum tomo* I *Conciliorum a col.* 917. *Epistola hæc si vere S. Eutychiani sit, qualis esse asseritur, facile tum suaderi poterit, diu ante* S. Fantini *tempora Messanam ad Christum conversam fuisse. Verum tam hæc quam alia ad sanctum istum Pontificem attinentia examinari poterunt die* VIII *Decembris, quo is inscribitur Martyrologio Romano.*

c Mamertini *populi olim e Samo insula ejecti, et a Messanensibus hospitio excepti, urbem occupaverunt, ejusque incolas Mamertinos appellarunt.*

C

Vide sis Strabonem, et Cluverium Siciliæ antiquæ lib. I.

d *Civitas est antiquissima Brutiorum in Calabria littorali, nimium nota, quam ut pluribus discribamus situm ejus.*

e *De hoc oppido satis multa in Commentario prævio diximus; plura infra.*

f *Quædam circa hoc factum observabimus in annotatis ad alteram Vitam cap.* 1, *ad litteram k.*

g *Nihil de hac Mathilde Vita sequens; nihil de liberis ad Christum conversis.*

h *Suspecta nobis est ista conversio, donec testimonio majoris fidei roboretur.*

i *Jam diximus in Commentario prævio num.* 15, *nihil certi ex his verbis erui posse circa diem mortis* S. Fantini.

D

VITA ALTERA

SEU NARRATIO DE SANCTI VITA ET MIRACULIS.

Auctore Petro, episcopo Taurianensi; edita apud laudatum Cajetanum inter Vitas Sanctorum Siculorum tomo 1, *a pag.* 152; *interprete Francisco Raiato ejusdem S. J., cum Græcis collata.*

PROLOGUS.

E

Auctor opera Dei celare periculosum, revelare autem honorificum ducens, a

Mysterium regis, uti scriptum legimus, abscondere bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum. Regis quippe mysterium non custodire, ut revera periculosum, sic etiam perniciosum est. Ceterum Dei opera reticere, incredibile est, quantum animo periculum creet *a*. Nos igitur in divinis rebus uti silentio male metuentes, imminensque servo illi periculum suspectum habentes, qui domini sui talentum terra occultavit; cui dictum est: Serve male et piger, oportuit te committere pecuniam meam nummulariis; sacram, animisque perutilem narrationem, haud obscure quidem, sed apertissime circumsonantem, quæque ad nos usque pervenit, non fuit consilium occultare silentio, sed vero eam potius per orationem in vulgus indicare, litterarumque monumentis tradere, ac veluti mensæ apponere, ut audivimus, et cognovimus, et patres nostri narraverunt nobis, ne esset occultata filiis eorum, ut in sacris Litteris didicimus, sed ad nepotes usque tantarum rerum cognitio propagaretur. Neve bona oblitterarentur, aut oblivionis obscurata profundo (id quod etiam Numine afflatus quidam egregie juxta ac præclarissime dixit) intercluderent. F

S. Fantini gesta pandere aggreditur.

2 Turpe nimirum est, vitas quidem impiorum hominum memoriæ proditas esse; contra vero eorum, quos veros Christi servos novimus, virtutes silentio contegi; ita sacro oraculo monente: Aperi os tuum verbo Dei. Et nos etiam, præterquam quod fas erat, ausi, sordidumque et inutile os nostrum reserantes, sic ad narrationem aggredimur. Memoria justorum cum laudibus, quæ fuit sapientissimi Salomonis sententia: Benedictio Domini super caput justi. Ad ipsius enim laudes, populi gestient *b*. Igitur cum anniversaria sancti Viri memoria populo huic lætitiæ sit argumentum, age jam, et nos pro viribus, haud certe laudationum legem secuti, per verborum amplificationem, sed debitum veritati solventes, pedestri quadam, et minime compta oratione hominis facinora exponamus, id ipsum pro laude ponentes, testimonium videlicet rerum ab ipso gestarum, ad legentium atque audientium utilitatem. Nimirum hæc prudentibus vera lætitia, b

quam

A quam utique capiunt, dum justorum usurpatur memoria, inde spiritale quoddam gaudium, inde bonorum æmulationem, imitationemque colligentes; ex iis, quæ rite audiunt incitati.

ANNOTATA.

a *Juxta nostrum apographum*, τὰ δὲ Θεοῦ ἔργα σιωπᾷν παράδοξα ψηχῆς φέρει τὸν κίνδυνον. *Id est :* Dei autem mirabilia reticere opera, animæ affert periculum.

b *Dictum apographum habet :* Μνήμη δικαίων μετ' ἐγκωμίων· ἐγκωμιαζομένου γὰρ δικαίου εὐφρανθήσονται λαοὶ πολλοί, ὁ σοφώτατός φησι Σολομών. Memoria justorum cum laudibus : quando enim laudatur justus, lætabuntur populi multi, sapientissimus ait Salomon. *Vide librum Proverbiorum cap.* 10, ℣ 6 *et* 7. *Caput item* 29, ℣ 2 *ex versione* LXX *Interpretum.*

B

CAPUT I.

Sanctus ab hero, cui servit, pascendis armentis equorum adhibetur; orationem et opera misericordiæ exercet; accusatur.

Qui magnum nomen sortitus, servit cuidam Balsamio,

Igitur celeberrimus hic Dei Servus divino quodam consilio Fantinus est appellatus. Decebat quippe eum, qui priusquam in matris utero formaretur, Deo cognitus fuerat, ut divinus Hieremias ait, illustri aliquo nomine nuncupari, ut vel ex ipsa certe appellatione perspectum omnibus foret, divinæ lucis participem esse piissimum hunc Virum, moribusque nominis sui vim, significatumque referre. Namque is divinitus nomen
a sortitus, Balsamio *a* quidem nescio cui serviebat, tum forte rempublicam gerenti. Sed propter ingenii præclaram indolem, vel potius ob inspiratam illi ab rerum omnium præscio Deo divini
C luminis illustrationem, ad firmitatem quamdam
b summumque disciplinæ amorem *b* pervenit.

omnes integerrimæ vitæ partes explens.

4 Novit enim Dominus celebres reddere suos
c *c*. Quos autem prædestinavit, inquit Apostolus, hos et vocavit conformes imaginis Filii sui. Erat autem clandestinus, at verus Christi cultor, mandata Domini servans, nihilque ab iis umquam declinans, abstinens ab omni opere malo, jejuniis, precibusque indesinenter insistens, purum se a mundi deliciis, integrumque conservans, interdiu, noctuque cum Deo per preces colloquens, omnino ad monasticam normam vitam traducens. Porro sicuti de Mose divinas Litteras accepimus docentes, dum oves pasce-
d ret Jethro soceri sui, in solitudine Madian *d*, dignum effectum, qui Deum ipsum per ignem in rubo apparentem conspiceret, divinaque usum consuetudine, formidanda scilicet edidisse miracula : ita plane et huic contigit.

Pascendis equorum armentis adhibetur; unde occasionem arripit liberius orandi,

5 Cum enim illi a Domino creditum esset equorum armentum ad pascendum, cum iis ipse degebat in montibus, ac solitariis locis. Ita convictum hominum fugiens, solitudinem potius, et quietem elegit; inde uti minime distractus, in divinas sese precationes liberius effunderet. Igitur equas agens, eas nunc e pascuis educebat ad pascua, nunc ex aquis ad aquas, et herbescentes campos, ut pulchras *e*, pingues, lectas *f* suo ipsius hero exhiberet. Itaque hoc munere fideliter, reverenterque *g* fungebatur, divinum Apostolum audiens docentem : Servi, obedite dominis vestris carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo : nou ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes non modo bonis, et modestis, sed etiam dyscolis : sicut Domino, et non hominibus : scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domiuo, sive servus, sive liber, sive gloriosus *h*.

A. Petro episcopo Taurianensi.

et opera misericordiæ exercendi.

6 In his igitur beatus Vir ita se gerens, simulque puritate, ac temperantia præditus, atque in precationibus, abstinentiaque persistens, aliis etiam a Deo muneribus est insignitus. Ad tanta enim, quæ divinitus homini fuerant congesta bona, illud item accedebat, quod et in pauperes E egregie animatus, et valde misericors erat secundum illam Domini vocem : Estote misericordes, sicut et pater vester misericors est. Nimirum is misericordia, vel maxime commovebatur adversus egentes, quibus cum benigne facere statutum haberet, idque vero, quippe servus, haud facile posset, commiseratione victus, cum aliud nihil suppeteret, quod illis erogaret, messis tempore, pauperum mendicorumque manipulos cum iis, quas pascebat, equis triturabat : idque adeo noctu, ne scilicet herum deserere *i*, aut excitare turbam videretur.

Unde apud herum accusatur,

7 Neque enim per noctes vana quadam spe ductus, nefariis operibus, actionibusque distinebatur, sicut in Isaia scriptum est : Qui in nocte, inquit, spes mala; sed contra potius boni in Deum operis spe mentem sustentante, nocte * in egestate laborantium auxilium impendebat *k*. Sed interea dum isthæc Vir sanctus exercet, bonorum hostis dæmon pauperes quiete privare, beatumque Hominem a proposito, ac bene agendi studio avocare studens, cum malevolorum hominum calumniis subjicit : qui ipsius dominum F adeuntes, Fantinum insimulant, quasi vero equas affligeret, dum in amicorum, et consanguineorum gratiam, per noctes earum opera utitur ad triturandum. Quæ cum ille accepisset, furore inflammatus exsurgit; an ita res habeat, inspecturus abit.

* noctes

tamquam male officio suo functus,

8 Sed jam illuc appropinquantem herum suum, ubi beatus Fantinus, Spiritu docente, persensit, manu flagelloque *l* equas diverberat super manipulos : tum vero hos quasi virentem herbam in agro vidisses; illæ autem tamquam subter herbam quiescentes accubabant. At ipse humi recubans dormiebat. Igitur herus cum advenisset, eumque dormientem, equas vero super herbam cubantes vidisset, beatum Virum compellans : Quid, inquit, equæ tuæ, Fantine, quid rerum exercent? Hic ille quasi a somno per herum excitus, consurgens : Ecce, ait, ut vides, here, super herbam interquiescunt. Quibus auditis, oculisque ipsis perspecta re, inde, homine relicto, concedit. Ceterum sanctus, divinusque Vir ab ejus-

ejusmodi opere, quippe bono, neutiquam destitit, sed id usque diligenter exercuit. Rursus igitur sycophantæ illi, quibus honestum odio, obtrectatio contra curæ erat; ad ipsius herum Balsamium accedentes: Quid ita, inquiunt, famulum tuum pateris, equas atterere in alienis laboribus? Ecce enim ejus opera factum est jam, ut et specie turpes, et corpore tenues sint, plane ut inutiles jam nunc sint in posterum ad opus.

Ideo herus rei veritatem cogniturus discedit ad Metaurum fluvium

9 Id ergo cum ille sane quam moleste ferret: Si lubet, adjiciunt improbi, certo rem cognoscere, jam, et vide *m*. Ad hæc surgens, conscenso statim equo abit, quæ dicta jam ab iis fuerunt, plane perspecturus, an dictis veritas concineret.
m Sed Fantinus opus jam confecerat; atque ubi herum jamjam adventantem sensit, consueto equo proficiscitur, equas agens, uti proximum flumen,
n cui nomen Metaurus *n* transmitterent, qui ex alto monte præceps defluit, et decursu velox, et ipso aquarum strepitu terribilis fremit: ejus quippe dilabentes aquæ eo aliquando, præsertim vero hyeme, feruntur impetu, ut retineri vix
B possint. Porro Metaurus appellatus est, ut puto,
o non modo, quia Meteoros *o*, hoc est, sublimis ex alto ruit e saxosis, ac præruptis locis; verum
p etiam quia meta auras *p*, id est una cum aura violenti flatus de monte, unde ipsius aquæ defluunt, impellitur, fluxionemque ex ipso discessu, quasi irritatus efficit vehementiorem, sæpiusque sine pluvia exundat, atque impetu ruit validissimo, plane ut ipsum trajicere haud facile queas.

pluribus hic descriptum.

10 Vel certe quia multa in illum confluunt flumina, ex quibus ingens aquæ vis; ac proinde
q Metaurum dixerit quispiam, quasi Metaphris *q*, hoc est, ut ita dixerim, confluxiones; omnes enim fluviorum in ipsum influentium aquas excipiens, rursusque in mare distribuens, unus ipse Metarrhus appellatur. Nisi certe, et alia quædam sit super hoc nomine conjectura. Etenim
r Taurus *r* quidam exstitit urbis fundator, qui ipsius amore captus, eam pro suo nomine Tau-
s rianum *s* indigitavit, haud certe ignobilem, imo vero quam illustrissimam: cujus reliquiæ, insigniaque ad nostram usque tempestatem manent,
C hinc inde ex utraque ipsorum fluminum parte exstantia, veteremque splendorem, atque ipsius magnificentiam ostendentia: tametsi nunc inhabitabilis et inculta est altera pars, propter eas, quas multis jam annis locus ille passus est, eversiones. Quoniam igitur mediam Tauri urbem flumen interfluit, proin jam tum Metaurus est dictus, idemque in præsenti retinet nomen.

ANNOTATA.

a *In apographo nostro omittitur hic* Balsamius, *et tantum dicitur Sanctus, id est :* οἰκέτης μὲν ὑπῆρχειν famulus quidem exstitisse, *etc., ubi etiam nihil de officio reipublicæ, quod hic in textu immediate sequitur.*

b *Apographum nostrum :* εἰς εὐσέβειαν καὶ ἄκραν φιλοθεΐαν, pietatem et summum Dei amorem.

c *Apographum nostrum :* ἔγνω γὰρ Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ, novit enim Dominus suos.

d *Apographum nostrum :* νέμων τὰ πράγματα (*lege* πρώβατα) Ἰωθὼρ τοῦ πενθεροῦ αὐτοῦ ἱερέως Μαδιὰμ (*juxta textum Scripturæ sacræ Exodi* 3, ꝟ. 1) pascens oves Jethor soceri sui sacerdotis Madian. *Interpres noster vel aliter in suo exemplari legit, vel illud iterum non recte reddidit.* D

e *Apographum nostrum :* καλὰς αὐτὰς τῷ εἴδη (*lege* εἴδει), specie forma *vel* visu pulcras.

f *Apographum nostrum :* ἐκλεκτὰς ταῖς σαρξὶ, electas carnibus.

g *Apographum nostrum :* φόβῳ καὶ πίστει πολλῇ, timore et fide multa.

h *Addit apographum nostrum :* εἴτε ἄδοξος, sive inglorius; *sed tam hoc, quam* sive gloriosus *non legitur in textu sacro ad Ephesios cap.* 6, ꝟ. 8.

i *Interpres legerit* παραλείπειν *vel* παραλιπεῖν, *a verbo* παραλείπω, relinquere; *sed videtur rectius legi cum apographo nostro* παραλυπεῖν, lædere, officere : *ut sensus sit hic aut similis*, ne hero damnum inferre videretur.

k *Actio hæc prout hic et infra describitur, utpote domino Sancti damnosa, excusari non potest a culpa, nisi ex eo, quod Deo inspirante aut ex simplicitate et bona fide posita fuerit; et vero excusandam esse, patet ex sequenti proxime miraculo; et proximum item* Spiritu docente, *videtur hoc suadere.* E

l *Apographum nostrum :* τύψας τῇ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ μάστιγι, postquam verberasset flagello, quod manu tenebat.

m *Substitue ex Apographo nostro* ἔρχου καὶ ἴδε, veni et vide.

n *Metaurus amnis, teste Philippo Cluverio, hodieque antiquo vocabulo, nisi quod depravato, vocatur* Marro fiume. *Alterum ei synonymum in Umbria, Romanorum victoria Asdrubalisque internecione memorabilem, alterum item is Sicilia notat Baudrand in sua Geographia.* Μάταυρος, *inquit Cluverius, habere Stephanum; sed eum is designet* urbem Siciliæ, *uti mox addit,* a Locris conditam, *arguimus, Cluverium ibi non satis discrevisse hanc urbem a fluvio cognomine in Brutiorum agro, de quo agit textus hic noster; quique est fluvius Calabriæ ulterioris satis parvus, atque ex Apennino monte ortus, prope Seminaram castrum labitur, et auctus fluviis minoribus, juxta Metaurum oppidum in mare Thyrrenum se exonerat, uti notat laudatus Baudrand. Consule mappas geographicas. Locum ex Strabone lib.* 5 : ἀπὸ δὲ τοῦ Μεταύρου ποταμοῦ, Μέταυρος ἕτερος... Ab hoc autem Metauro fluvio, Metaurus alter; *sive, ut locus apud ipsum vertitur :* Ceterum iste Metaurus fluvius diversus est ab eo... *partim corruptum, partim mutilatum esse, recte notat Cluverius ex eo, quod duo inter se contermini nominantur Metauri amnes, quorum alter nemini alii scriptori memoratus sit. Deinde locum corruptum conatur restituere.* F

o *Dicuntur* μετέωρα *non a* θεωρεῖν, *quod Albertus credidit, inquit Vossius in Etymologico linguæ Latinæ, sed a* μετὰ *et* ἑώρα, *quod Græci scholiastæ dicunt poni pro* αἰόρα : *hoc vero inter alia* ὕψωσιν *sive* exaltationem *significat, ab* ἀείρω, tollo : *ut* μετέωρα *proprie sint,* quæ in altum sunt sublata, sublimia. *Paulo aliter etymologiam hanc accipit hic auctor noster pro eo, quod* e sublimi *sive* ex alto ruit; *quæ non videtur satis genuina : quamquam quis in similibus verum speret assequi, quæ mere plerumque divinatoria sunt, ac sæpius etiam nugatoria?*

p *Parum*

A

p *Parum habet salis hæc etymologia : nam* αὖρα ventulum *seu* ventum *leniorem proprie significat.*

q *Quidnam sibi velit* Metaphris, *non satis intellexerit interpres, neque nos id satis intelligimus. Ex nostro textus non satis recte expresso elicimus ista :* Καὶ διὰ τοῦτο Μέταυρος, ὡς ἂν εἴποί τις, μεταῤῥοῦν ἀπὸ τοῦ ῥεῖν · τὰ γὰρ πάντα τῶν εἰσρεόντων ἐν αὐτῷ ὕδατα δεχόμενος ποταμῶν, καὶ μεταδιδοὺς εἰς τὴν θάλασσαν, αὐτὸς μόνος λέγεται Μέταυρος. Et ideo Metaurus : dixerit aliquis metarrhum *(meatum, confluxus)* a fluxu. Omues quippe fluviorum, qui in illum influunt, aquas excipiens, ac in mare distribuens, ipse solus dicitur Metaurus.

r Tauri civitas *dicta fuit Taurianum, teste Baudrand in descriptione hujus loci; et* Tauri urbs *vocatur infra. An ab suo, qui hic indicatur conditore, an alia de causa? Nobis certe adeo multis circa loci istius etymologiam auctoris conjecturis, novas superaddere non lubet.*

s *Fuit urbs olim Brutiorum in Calabria ulteriore seu Magna Græcia, in Hipponiatum tractu;* B *et admodum insignis quidem, prout mox fidem facit noster auctor. Prius episcopalem fuisse sub archiepiscopo Rhegino, quam a Saracenis exscinderetur, eique Miletum urbem successisse in dignitate episcopali anno* 1087 *(forte scribendum* 1078) *invenies apud laudatum Baudrand; neutram tamen urbem nos reperimus inter episcopos suffraganeos metropolitæ Rhegiensis apud Ughellum tomo* 9 *Italiæ sacræ, col.* 422; *a cujus jurisdictione Miletum urbem immunem fuisse, asseritur, sicut idem auctor notavit, ad vocem* Miletus, *eoque sedem episcopalem Taurianensem translatam fuisse a Gregorio PP. VII, anno* 1075; *quæ epocha pugnare videtur cum superiore, nisi forte dicta successio seu potius jus successionis episcopalis, et ipsa cathedralis sedis translatio diversis annis contigerint. Utut est, ista sane successio fieri haud potuit anno* 1087 *sub S. Gregorio PP. VII, qui jam tum obierat, mortuus anno* 1085, *die* XXV *Maii, uti habes apud nos ad istum diem. In Collectione Conciliorum, post Labbeum a Joanne Harduino nostro novissime edita, tom.* 3, *col.* 1130, Georgius episcopus... Tauria-C næ ecclesiæ, provinciæ Calabriæ *subscribit in Concilio Constantinopolitano* III, *quod celebratum est anno* 680. *Alii item Taurianenses episcopi aliis ibidem conciliis subscribunt, nempe :* Laurentius *Lateranensi anno* 649, *tom. citato, col.* 929; *Nicæno* II, *anno* 787 Theodorus, *tomo* 4, *col.* 459; Paulus *denique post Leontium episcopum Rhegiensem Constantinopolitano* IV, *anno* 870, *tom.* 5, *col.* 929.

CAPUT II.

Insigne Fantini miraculum; patria ac gesta; sacræ exuviæ miraculis clarissimæ; an inde martyr probetur?

Virga Metauri aquas dividit, ut transeat ipse,

Igitur hunc fluvium cum equis, ut dictum est, trajicere dum cupit Fantinus, eas ut consuetum in locum reduceret; eum valde tum per totam crepidinem redundantem videns, cognoscensque, haud facile se posse illum transmittere; ad hæc herum suum pone insequentem conspicatus, precationis armis accinctus, quasi ille magnus Moses, mentis, ut puto, auribus divinam illam vocem accipiens: Quid clamas ad me? equum agebat leniter, virgamque manu extendens eaque fluminis aquam percutiens, quasi illud animatum esset: Siste, inquit, Metaure; Fantinus enim Dei servus transit. [Et vero] stetere hinc atque inde aquæ : [et] ita Vir sanctus quasi per aridam humum, cum equis trajecit. Ceterum herus, tamquam Pharao, dum a tergo hominem persequitur, miraculum hoc omni dignum admiratione contuitus, magna vocis contentione post illum exclamavit, ac: Mei miserere, inquit, Serve Dei altissimi, meque ad te venire jubeto.

A. Petro episcopo Taurianensi.

deinde etiam herus, rei miraculo compunctus:

12 Neque enim ipsius cor, ut olim Pharaonis obduruerat; tametsi insequebatur: verum novæ, atque inusitatæ rei metu perculsus, repente e vestigio ad Dei cognitionem accessit. Porro autem Fantinus, ubi etiam preces pro illo fuderat, effecit, ut is quasi per aridam, sicco pede transiret, [aquis] interim proprium in locum redeuntibus. Hic miraculo conspecto, Balsamius obstupefactus, atque horrore correptus, ad sancti Viri pedes accidit, veuiam ab eo petens, lacrymansque: Nuuc demum, inquit, vere te Dei Servum esse cognovi. Jam nunc igitur tu mihi dominus eris, tu herus. Atque illud etiam, quod in hoc miraculo contigit, considerandum est. Etenim per virgam, quæ ab sancto Viro gestabatur, haud simplicem quidem, sed pelliceis loris constrictam (siquidem hujusmodi lora gestare, qui equos pascunt consuevere; hæc autem taureas *a* appellant) miraculum editum est maximum. E

quod Vitæ auctor

13 Namque per virgam quidem Mosis *b*, per flagellum vero pelliceum, Eliæ *c* et Elisæi *d* miraculo simile fuit, quod a sancto Viro patratum est faciuus. Ut enim ii, virga quidem alter Erythræum *e* mare, alter ovina pelle Jordanem fluvium percutientes, siccis trajecere vestigiis; haud secus Vir iste plane admirabilis. Neque vero id mirum : et horum siquidem virtutes Beatus expresserat, eoque paribus etiam donis affectus est. Neque enim ei quidquam nocuit servitutis nomen, ut qui Deo mente ipsa serviret, in eoque collocatum haberet animi desiderium, quem etiam imitaretur. Quippe ille, (quæ summa ipsius benignitas est, ac misericordia) servi formam nostra causa suscepit, seque ipse ad nostram omnium salutem ad mortem usque demisit. F

meritis laudibus

14 Nimirum eum, qui recte vivere statutum habeat, nihil impedit, tametsi servitutis jugo pressum circumagi aliquando contigerit. Ita Josephus cum in servitutem venditus, caste tamen, pieque vitam traduxisset, totius Ægypti princeps constitutus est; regni gloriam consecutus atque sortitus. Ita et Onesimus *f* ille (scientes alloquor) qui certe is fuit, ut vel ipsius Apostoli testimonio comprobari meruerit, quasi aptissimum pietatis instrumentum, ad obsequium paratissimus; imo etiam [quasi] liber, et genere ipso nobilis. Hos namque pluris æstimat in gloria Deus ille, qui quæ stulta sunt mundi, et ignobilia, et contemptibilia, et ea, quæ non sunt, elegit : eaque in regno suo cœlesti nobilitat. Non enim est personarum acceptio apud Deum. Siquidem

A Petro Episcopo Taurianensi quidem in Christo Jesu non est, inquit divinus Apostolus, gentilis, et Judæus, circumcisio, et præputium, barbarus, Scytha, servus, liber; neque mas, et femina; sed omnia, et in omnibus Christus.

prosequitur, 15 Etenim cujusque opus in horribili illo die planum fiet, atque unusquisque propriam mercedem accipiet, non secundum dignitatem, nobilitatemque seculi hujus, sed vero prout quisque laboraverit, habita videlicet ratione observationis mandatorum Dei, quemadmodum ea confecerit. Tum vero non divites, non sanguinis claritate præstantes, sed justi fulgebunt, sicut sol, in regno patris sui. Qui habet aures audiendi audiat, dicit Dominus. Ceterum hæc vita est, hoc institutum, hæc supra hominum cogitationem miracula cœlestesque conatus percelebris ac ter beati viri Fantini.

uti et Sanctum ipsum. 16 His virtutum laboribus fortiter constanterque institit, celsoque animo contra obsistentem hostem dimicavit; ac de manu Domini præmium accepit: Euge, serve bone, et fidelis (loquentem Dominum audiit) *g*: quia super pauca
B fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Ingredere jam, atque in cœlo cum cœlestibus mentibus una choros ducito *h*, digna laboribus præmia consecutus. Ac prius quidem rationis expertes pascebas animantes, nunc autem pascito Domini populum *i*. Jam vero de hominis vita, quam in corpore vixit, perorata hactenus narratio est; hinc jam ad majora ipsius miracula convertamus orationem.

Patria ejus indicatur; 17 Egregius hic pietatis Armiger, ac tolerantiæ adamas, hac natus est patria: quamvis enim servili sit conditione prognatus, at certe noster est. Unde majore etiam Hominem amore prosequimur, menteque complectimur; quippe nostrum, domesticumque decus, et ornamentum. Ut enim arbores fructuosæ, quos enutrierunt fructus, nativo solo quasi in cœnam apponunt, ita et is, nostro e solo existens, atque ad supremum gloriæ fastigium in miraculis edendis evectus, et quasi florescens palma, aut cedrus, quæ in Libano est, auctus, ei quæ ipsum et protulerat, et
C aluerat, terræ mercedem retulit pietatis, fructum sui, ad æmulationem, imitationemque vitæ suæ volentes excitans.

latet autem vitæ exitus, sacra tamen lipsana clarescunt. 18 Quinam autem beati hujus ac celeberrimi Viri exitus, aut qualis vitæ terminus fuerit, haud satis liquet. Neque enim auditu percepimus, nisi quod sacræ ipsius corporis reliquiæ, cum apud nos asserventur, morbis, languoribusque omnibus remedio sunt, plurimosque passim revocant ad sanitatem. Proinde quasi operum admirabilium fons propositæ, aut diversarum ægritudinum medicinæ. Non enim uti Mosis, sic et beati hujus Viri sepulchrum, incertum est; verum illius manifesta quidem mors, tumulus vero occultus *k* hominibus est. In hoc sanctissimo Viro contra accidit: Pretiosa namque, de Davidis sententia, facta in conspectu Domini ipsius mors, nos etiamnum latuit; at vero illustris jam, et clara sepultura est, quæ in ipsius templo ad hanc usque ætatem, quasi jugis quidam medicamentorum fons salutares iis emanat aquas, qui fide recti, et desiderio ardentes accurrunt.

19 Unde obstupefacti quidam magnitudine
D rerum, quas supra naturæ vim et ordinem, post mortis quietem is edit, in eam venere sententiam, hunc martyrum loco dignum effectum. *Ex magnitudine miraculorum* Ad ea siquidem miracula respicientes, non levem quamdam arbitrantur fuisse beati hujus, ac celeberrimi Viri actionem, pro collata ipsi gratia, ad tot, tantaque opera patranda. Nisi enim is, aiunt, per certamen obierit diem, quomodo talibus ac tam admirandis operibus divinitus nobilitatus est? Haud sane recte, ut arbitror, sentientes. Quod enim virtutis opus in Mose prius invenimus, quam Deum in rubo vidisset *l*? Quod in Elisæo, ante frequentem ad Eliam accessum; quando duplicem *m* ab eo spiritum cum accepisset, miranda illa edidit miracula?

non sequi, Sanctum fuisse martyrem, 20 Quod vero certamen subierat tum, cum etiam post obitum, ipsius ossium solo contactu, qui mortuus fuerat, in vitam repente est revocatus *n*? Nam et beatum ipsum, ac cœli cursorem Eliam, qui necdum obiit, quas confecisse pugnas ante novimus, quam tot, tantaque patraret miracula? Nihil aliud profecto præcesserat, quam
E certa in Deum fides, egregiaque adversus proximos, egentesque misericordia. Cujus certe rei divinæ Litteræ testes sunt. Quamquam et alia quædam iis inesse speciatim perspiciuntur, et Mosi quidem mansuetudo, ut et Davidi; simplicitas autem Elisæo juxta ac Jacob; Eliæ vero zelus. Patietur quippe oratio illum tametsi indigentem, pietate certe atque intima cum Deo familiaritate eximium, ac primum fuisse. Quæ certe omnia virtutum fastigia, non minus argumenta sunt profusi sanguinis, quam certæ, ut dictum est, inseparabilis atque ignitæ fidei, per quam et tanta conficere virtutis opera potuere.

probat auctor 21 Id enim indicat Domini sermo in Evangeliis, dicentis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis: dicetis monti huic, Transi hinc illuc, et transibit; et nihil impossibile erit vobis. Id quod nimirum et in beato hoc Viro videre est. Quomodo etiam Abraham patriarcha, justus ex una fide reputatus est; sic enim scribitur: Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Hieremias item unus inter Prophetas ad misericordiam sciendam aptissimus, et prius Deo cognitus erat, quam for-
F maretur, et antequam ex utero prodiret in lucem, sanctitate donatus, magnam in gentes regesque potentiam consecutus. Nam caprarium quidem Amos, sed prophetiæ munere donatum, volentes prætermittemus: ut et Davidem prophetam item, ac regem, quo de nunc singillatim dicere non licet.

ab inductione 22 Quæ enim exponi de eo possent, norunt ii, quos sacrarum Litterarum mysteria non latent: quomodo eum Dominus a pascendis ovibus evocavit ad pascendum Jacob servum suum, et Israel hereditatem suam. Sed operæ pretium est, et illud intelligere, nempe non donorum laborumve multitudinem, sed minime dubiam sinceri animi fidem acceptam habere Deum. Etenim ea, cujus in Evangeliis mentio est, vidua, minutis assibus duobus cœleste regnum coemit. At quinque virgines post sudores, susceptosque ad virginitatem custodiendam labores plurimos, propterea quod nulla alieni mali commiseratione, aut humanitate tangerentur, ex illo deturbatæ sunt. Namque hujus-

A hujuscemodi perturbationes ferinum arguunt, impiumque animum. Ita et Joannes Baptista infideles, ingratosque Judæos, quod nulla in alios misericordia moverentur, viperis comparat ; hortaturque, fructus faciant pœnitentia dignos.

plurium! aliorum ; quamquam non mirandum,

23 De duabus item tunicis dent indigenti ; idemque de cibis, ut faciant, præcipit. Quid autem latronem, quamvis e cruce penderet, cœli heredem momento temporis fecit, nisi vera, qua, eadem ipsa hora, collustratus est, Dei cognitio, minimeque hæsitans fides, et probum sincerumque propositum ? Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei : Miserebor enim, inquit, cujus misereor, et misericordiam præstabo, cui miscrebor. Quod si præter divinas illas actiones, virtutesque et inauditorum efficaciam miraculorum, athleticaque certamina, sanctus Vir, prostrato hoste, proprioque effuso sanguine, mortem oppetens, martyris corona cinctus fuerit, id vero minime mirum cuipiam videatur.

si martyr fuisset :

24 Fuit sane servus, haud inficiamur. Quomodo autem sese martyrio libenter non dederit, B vocante ipsum Deo, cum talis, tantusque in virtutibus exstiterit ac sublimitate miraculorum, inhærente sibi sancti Spiritus virtute et gratia corroboratus ? Quare si hæc ita se habent, ut dictum est, duplex hinc nobis venit exultationis gloria : quippe duplex est Athletæ nostri corona. Prætera noster est : ex nobis enim ortum trahit. Quoniam vero et aliorum miraculorum, quæ beatus Vir post depositionem tabernaculi atque ad cœli sedes ascensum edidit, mentionem fecimus : age, producamus et alia quædam ab ipso patrata, uti per hæc, et ea quoque, quæ ante memoravimus, vera esse confirmet oratio.

cujus nonnullorum miraculorum idem qui est scriptor, est et testis oculatus.

25 Non enim aniles fabulas secuti istæc dicimus, scribimusque, sed nonnullorum ex iis oculati testes sumus, ac ministri *o*. Quæ vero ista sint, accipe. Purgatio leprosorum, paralyticorum restitutio, vexatorum a dæmonibus sanitas, ægrotantium curationes, visus cæcis redditus, status claudis erectus ; sed et mortuorum suscitationem si quis adjiceret, haud quidem a recto aberraret. Ad hoc in somnis visa, locutionesque, C rerum conducibilium admonitiones, præceptionesque, et calamitatum solutiones, in marinis periculis apparuisse periclitantibus, qui ipsum nominatim invocarent, opemque illis præstitisse ; atque a periculis erutos, a variis, ut diximus, calamitatibus liberasse. Sed illud miraculorum ejus initium.

ANNOTATA.

a *A voce* ταῦρος, taurus, *est* ταυρέη *vel* ταυρείη, *videlicet* δορὰ, pellis ; *sed tropice accipitur pro scutica et flagello, e corio bubulo confectis. Vide etymologos, et nostri Joannis Ludovici de la Cerda Commentarios in Tertulliani librum Ad Martyres, cap.* 5.

b *De istius Sancti gestis agendum erit cum Martyrologio Romano die* IV *Septembris.*

c *De S. Elia egimus die* XX *hujus ; ubi et de hoc facto habes ex sacris Litteris pag.* 19.

d *S. Elisæum dedimus die* XIV *Junii, a pag.* 784.

e *Id est* rubrum, *Græce* ἐρυθραῖον.

f *S. Onesimum, episcopum Ephesinum ac martyrem ex gentili ac servo Philemonis factum, habes die* XVI *Februarii, a pag.* 855.

g *Apud Cajetanum est* audi ; *sed substituimus* audiit, *juxta nostrum apographum Græcum ubi legitur* ἀκούσαντος.

h *Videntur hæc, incipiendo a* tui, *efferenda affirmative potius quam imperative, saltem juxta nostrum Græcum apographum, quod ex correctione nostra sic sonat :* Εἰσελθόντός τε καὶ σὺν ἀγγέλοις ἐπουρανίοις συγχορεύοντος, ἄξια τῶν πόνων τὰ γέρα κομισαμένου.

i *Ms. nostrum :* τὸν λαὸν περιούσιον, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων, *id est :* populum peculiarem, zelatorem bonorum operum.

k *In libro Deuteronomii cap.* 34, ℣. 5 *et* 6, *sic dicitur :* Mortuusque est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino ; et sepelivit eum in valle Terræ Moab contra Phogor ; et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem.

l *Res gesta longe notissima describitur Exodi* 3. E

m *Qualis fuerit duplex ille spiritus, quem sibi Elisæus postulavit, disquisitum est dicto die* XX *hujus pag.* 19.

n *Factum hoc exponitur lib.* IV *Regum, cap.* 13.

o *Addit ecgraphum nostrum Græcum :* καὶ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, et manus nostræ contrectaverunt.

A. PETRO EPISCOPO TAURIANENSI.

CAPUT III.

Miraculorum ope Sancti patratorum pars prima.

MIRACULUM I *Theodorus quidam soluta pecunia, sed perdita apocha denuo solvere coactus,*

Theodorus quidam, urbanis dignitatibus illustris, cum aurum ab eo, qui tum rerum potiebatur, mutuum petisset accepissetque : eo pro libidine usus est. Inde autem non multo exacto tempore, repetenti aurum principi persolvit debitor, accepta insuper syngrapha, quod nomina F jam expedisset. Rursus autem non multo post, princeps sive oblitus, sive de industria *a* agens, aurum exposcebat, negans redditum sibi a Theodoro ; syngraphamque postulabat, qua pateret, num illud recepisset. Hic repente Theodorus ad sua ipsius scripta currit, cautionem exquirens principis. Ubi multa perscrutatus est, rimatusque invenere illam haudquaquam potuit. Tum lacrymis luctuque conficere se, gemensque ac gravissime suspirans Deo supplicare cœpit, vellet ipsum ab ea calamitate vindicare, sanctique Viri nomen invocans, ait : Ades hic misero mihi, sancte Dei Fantine, meque hoc periculo, ac necessitudine circumventum libera.

videt in somnis S. Fantinum,

27 Inde ubi supervenit nox, somnusque in hominem irrepsit, videt in somnis Fantinum ad sese accedentem, equitis habitum præ se ferentem, sudoreque perfusum ipsius equum, quasi post longum iter, cursumque vehementissimum eo tandem advenisset. Qui sic mœstum alloquitur :

A Petro episcopo Taurianensi.

Cedo mihi, quid habes, quidve tanto, domine, mœrore tabescis? Cui ille : Animi crucior, inquit ; quoniam, quod minime interverti, aurum a me exigitur, maleque metuo, ne cum familia mea universa, pro auri ratione divendar. Hic pavitantem excipiens Fantinus : Novit ait, optime Deus, huc me tua causa tot passuum millia emensum advenisse. Ecce enim equus meus, ut vides, multo sudore manat. Nam quis tandem es tu, Domine? subjecit ille.

qui ipsi epocham ostendit.

28 Vicinus ego tuus sum, respondit Fantinus, Taurianæ urbis accola *b* : nam quod scriptum inquirebas, in isto est tomo, ad finem chartæ. Quibus dictis, abscessit. Pro! rem admirandam! rogatus quippe, quis esset, nomen celavit, ex loco dumtaxat proprium templum manifestans, ubi pretiosæ ejus reliquiæ asservantur. Igitur consurgens Theodorus, chartamque a sancto Viro per quietem indicatam investigans, quam inquirebat, syngrapham in calce conscriptam invenit. Ita profectus, eamque apud judicem proferens, impune abiit, Deum inde rite dilaudans ;

B

divinum enim Hominem, quem invocaverat, eum ipsum esse agnovit, qui jam apparuerat, ipsumque periculo explicarat. Quare jam tum sancti Viri memoriam quotannis recolebat, oleum abunde suppeditans ad fovenda templi lumina : ac sane quam comiter, liberaliterque tractans eos, qui apud ipsum eo die convivio exciperentur *c*. Tanta nimirum erat ipsius in sanctum Hominem fides, et amor ; tam ardens, et immutabile, quo adversus illum tenebatur, desiderium.

II

Scabiosus

29 Porro Nicetas hujus hominis filius *d*, a quo et hæc accepimus, archidiaconus dum esset nostræ sanctæ ecclesiæ, aliud nobis dignum utique, quod litteris mandetur, miraculum commemoravit. Sic autem ille aiebat : Adolescens cum essem, gravem in morbum forte incidi, plane ut corpus mihi præ fera scabie totum scateret ulceribus. Igitur sic affectum domestici equo impositum me ad sanctum Virum adduxere. Noctu autem aliquando video secundum quietem stantem Sanctum, comitesque viros duos episcopali habitu augustos, quos ille nominatim compellabat, hunc quidem Georgium, illum vero Joannem.

C

a Sancto sibi apparente

30 Porro hi sancti episcopi munus obierant in loco sanctæ et catholicæ ecclesiæ, non sine pietatis eximiæ testimonio : quorum etiam in S. Fantini æde reliquiæ servantur. Hos ego quasi e propriis tumulis egressos videbam Sancto adhærere. Is igitur ad me : Surge jam, inquit. Tum ego e vestigio consurgens in pedes steti. Rursus ille : Exuere, ait. Inde dum jussa pavidus exsequor, alterumque indusium exuor, alterum vero corpori adhærescens relinquo, repetit ille : Exuere.

sanatur miro modo.

31 Quod præstare cum erubescerem, acerbius locutus : Exuere, inquit. Igitur eo exspoliatus indusio, nudus constiti totus ulceribus horridus ; sed ille, cum mihi rursus, ut exuerem, imperaret : Quid mihi sic aspere loqueris? inquam. At idem illo repetente, tum ego propriis manibus corporis mei pelle apprehensa, illam ipsam conabar detrahere, quam ubi manibus extendi, totam inde quasi vestem exui, in terramque projeci. Tum Sanctus : Ecce, inquit, convaluisti ; induere jam vestibus tuis, tuasque sedes repete.

D

Adhuc eo loquente excitus, cognovi me, depulso morbo, plane valentem. Cum enim repente purgatus surrexissem, ad ædes meas abii, immortales Deo gratias agens.

III

Quidam pejerandi abusus nomine S. Fantini

32 Cum nummos tres a nescio quo mutuos accepisset quidam, cujus nomen, facinoris horrore commotus, volens prætereo, aliquo autem tempore præterlapso debitum a creditore repeteretur, pernegabat ipse, nihil omnino se ab eo accepisse dictitans. Ille vero negantem ipsum, debitumque reddere minus valentem, neque adeo volentem, ubi animadvertit : Hic, tu mihi, inquit, si jurejurando S. Fantinum testem feceris, debere te mihi omnino nihil, a controversia desisto ; nihil jam tibi de hoc molestus ero. Igitur cum ad ædem Divi uterque concessissent, juravit infelix, per sancti Viri sepulchrum, nihil se illi debere. Inde abscedentes ad sua quisque exiere.

punitur morte violenta.

33 Paucis vero post diebus, operæ pretium fuit, eum, qui pejerarat, proprium quoddam ipsius negotium expediturum proficisci. Profectus igitur, confecta re redire voluit ; ceterum in medio itinere cum esset, parumque de via publica

E

deflexisset, et ex equo desiliens, illum alligasset arbori (cujus truncus cum radice etiamnum exstat, facinoris argumentum) stetit mutus, ac veluti mente captus, multoque horrens ulcere, huc atque illuc circumspectans. Igitur incondita demum emissa voce, sanctique Fantini nomen invocans, quasi ab eo excruciaretur, illisus in arborem, concidit super eam, subitoque animam efflavit miser, exemplum factus pejeraturis.

ANNOTATA.

a *Nonnulla sub initium hujus miraculi aliter exponit noster textus Græcus.*

b *Ex iis, quæ sequuntur in apographo nostro Græco, conficio sequentia, et sic restituo :* πλησίον οἴκων τοῦ δεῖνος πρεσβυτέρου, *id est :* prope ædes cujusdam presbyteri.

c *In Martyrum natalitiis epulum in sacris ædibus olim celebrari solitum ; deinde autem cum mores sanctissimos tempora corrupissent, eam agapen a templis sublatam, observatur hic apud Cajetanum ; ut videsis in Animadversionibus ejus pag.* 139. F

d *Theodori videlicet, de quo facta est mentio in miraculo superiore.*

CAPUT IV.

Miraculorum ope Sancti patratorum pars secunda.

IV

Pedibus laborans curatur.

Alius quidam ex optimatibus civitatis, pedibus æger, vehementique dolore confectus ; neque jam perferre vallens cruciatus vim, ad Sanctum accedit ; eademque ipsa nocte, dum una cum aliis, qui cum ipso erant, dormit, videt in somnis ex ejus pueris quidam, pedes ipsius loris quibusdam adstrictos usque ad crura. Hærere hic

A hic puer, ac secum ipso cogitare, quid tandem hoc esset, quisve heri sui pedes circumligasset. Hæc dum secum ipse volutat, virum quemdam conspicatur terribilem, aspectuque venerabilem, juxta dominum suum adstantem, quem et puer quidam comitabatur. Ad quem is, qui apparuerat: Quis, inquit, iste est qui hic cubat? Cui ille, hominis nomen subjiciens: Talis est, ait; sed pedibus laborat. Inde subsellio quodam cum sedisset is, qui jam se videndum attulerat, augustus Vir: Solve, inquit, ipsius pedes. Extemplo ille utraque manu ex hominis pedibus eximere lora aggreditur; cumque alterum expedisset: Solve, et alterum, ait Sanctus. Paret puer. Tum Sanctus: Dimitte hominem; jam abire licet. Atque hic dictis, evanuit. Igitur cum statim ille mane surrexisset, valens gaudensque abiit in domum suam. Ceterum isthæc nobis ejus familiaris narravit.

V

Parvula quædam dæmonis vi capta visu,

35 Puella quædam, tenella admodum ætate, alterum propemodum agens annum, cum matre dum noctu dormit, aliquando percussa, mediasque id ædes excussa est. Excita parens, puellamque in cubili non inveniens (neque enim quidquam senserat, quemadmodum ea e suo ipsius B sinu sublata esset, id videlicet agente dæmone) festina exsilit, mediisque, uti dictum est, in ædibus sedentem, luminibusque captam videt. Ambigebat porro, quid hoc esset; sed nihil quidquam ejus pater moratus, prehensam filiam ad Sanctum deduxit. Igitur prima nocte dum in æde Divi domirent puellæ pater, avusque, ingentem in foribus templi strepitum sentiunt, quasi impellentis alicujus, aut illas irrumpentis. Hic genitor timore percitus, puellamque complexus, cum ea accubuit. Avus autem animo confidentior, abiit inspecturus, ecquisnam ostium impelleret.

suspitata per Sanctum sibi suisque restituitur.

36 Quod cum reserasset, ac neminem conspexisset, rursus occluso revertit, suoque in lecto recubuit. Extemplo autem collidi iterum mutuo concursu fores cœpere *a*. Agnovit ille, dæmonem esse, quem Sanctus templi aditu prohiberet; ita nihil jam id pensi habuit. Ceterum proxima nocte templi fores commotæ. Tum ab C ancillis, quæ in templum advenerant, profunda nocte, visus dæmon, quasi prægrandis canis extra januam stans. Inde tertia nocte post auroram, die jam illucescente, apertis repente oculis, puella suum patrem agnovit. Eam igitur valentem lætus accipiens pater, domum repetit, laudes Deo gratus persolvens. Porro autem puella hæc cum adolevisset, Deique gratia, vitæ instituto, virginitate non minus atque ætate profecisset, trigesimum fere annum agens, digna judicata est, quæ sacrarum virginum, in Sancti ipsius monasterio, antistita crearetur, nomen autem illi Gregoria.

VI

Ilius ab oculorum dolore, et cæcitatis periculo liberatur,

37 David quidam, scientia medicus, genere Syrus, religione Christianus, cum acri aliquando laboraret oculorum dolore, ut ne parietem quidem præ nimia corporis spissitate, ac crassitudine videre posset; vehementer dolore cruciabatur. Cumque ea, qua pollebat arte, multa expertus esset, sanare certe se ipse non potuit. Quare cum præ diuturna, laboriosaque ægritudine oculis se plane privandum præsentiret, iter maturat ad Sanctum, descendensque ad sepulchrum, quod infra positum erat, quo in loco prius pretiosæ, ac venerabiles sancti Viri reliquiæ servatæ dicebantur, paululum invenit aquæ, e foramine quodam effluentis. (Quippe humidus est locus.) Eam igitur ut accepit *b*, laudesque referens Numini, discessit; ei scilicet haud absimilis, qui in Siloë cum lavisset, cæcitate pulsa, recepto gavisus est lumine.

A. Petro episcopo Taurianensi.

b

VII

uti et alius a gravissimo morbo,

38 Eunuchus quidam, presbyteri dignitate clarus, hæc nobis de se ipse commemorans. Cum nondum ex ephœbis, inquit, excessissem, gravissimum aliquando in morbum cecidi; qui me sex ipsos menses divexavit. Igitur ad S. Fantini ædem a consanguineis adductus, dies ibi non paucos mansi. Morbi autem gravitate pressus, sancto Viro supplicabam, me uti respiceret, ac misereretur. Itaque rogabam: Deo cumprimis carissime sancte Vir, qui multos misertus es, atque servasti, tute nunc et me famulum misertus, benigne servato. Inde nocte quadam, videre mihi videor secundum quietem sanctum Virum, speciem figuramque pulcherrimi adolescentuli præ se gerentem, præcinctum chlamyde, calceatumque. E

a S. Fantino sibi apparente jussus surgere.

39 Porro anteibat illum puer quidam, accensam facem manu gestans. Is ubi e sepulcro ascenderat, festinus ad altare ingreditur, fusisque precibus, accessit ad me. Mox puero facem præferenti: Quis, inquit, iste est? Cui ille: Æger est, Domine. At Sanctus: Nihil illi, ait, mali est. Dumque hæc loquitur, fragrans mihi thus præbet; additque: Surge, jam sanus es. Tum ad januam abiit, quæ occidentem spectat. Hic ego somno excitus, odoratusque sensi e manu mea fragrantissimum afflari odorem, statimque consurgens meas ad ædes, restituta sanitate, concessi, Deum laudans.

VIII

Toto corpore dissolutus convalescit:

40 Alius quidam toto corpore dissolutus ac sindone sublatus a quatuor, ac ne in suo quidem lecto paululum sese alio convertere se ipso valens, adductus tandem a domesticis, in S. Fantini porticu constitutus est; quem et nos misere laborantem conspeximus. Is intra paucos dies recepta sanitate domum propriis pedibus regressus, Deo gratias egit. Inde autem et nos hominem vidimus operantem; ab eoque modum edocti, quo sanitatem obtinuisset, Deo laudes obtulimus, Davidicum illud usurpantes: Mirabilis Deus in Sanctis suis. F

IX

vir illustris de Fantini sanctitate temerarie garriens punitur:

41 Sed illustre quoque illud in illustri viro miraculum. Namque Andreas quidam eximia quidem in urbe dignitate florens, sed elato superboque animo tumens, eo pervenit audaciæ, ut et S. Fantini præclara, quæ passim divulgabantur miracula, parvi pendens, illud etiam temere garriret: Quis tandem iste Fantinus est? Quippe illum et famulum scimus, atque adeo equarum pastorem. Enimvero et ipse, si lubet, parem possum mihi brevi colligere sanctitatis famam. Sic insaniebat miser, in se non minus, atque in cœlum; declarabatque his verbis, minime magnam fuisse gloriam Fantino divinitus datam. Igitur venatum egressus aliquando, justas dedit impiæ temeritatis pœnas: siquidem ex equo forte præcipitans, confracto miserum femore, vehementer affligebatur, sed afflicto graviter corpore,

A. PETRO EPISCOPO TAURIANENSI.

pore, rediit ad sanitatem mens : tetigit namque animum despecta ab se S. Fantini memoria, atque hanc reputabat unam tantæ calamitatis causam.

sed facti pœnitens pristinam consecutus est valetudinem.

42 Errorem igitur, impietatemque cœpit pœnitendo corrigere, ac suam acerbius infidelitatem accusare. Inde ad beatum Virum preces infimas effundere, etiam atque etiam rogare. sibi benignus parceret, contritoque femori mederetur. Adfuit repente exspectatum auxilium. Quidquid erat doloris, morbique, levatum, depulsumque. Ergo ille ubi convaluit, meritas Deo laudes gratus persolvebat ; Fantinumque pro viribus efferens : Vere, aiebat, egregia hujus Viri sanctitas, incredibilis virtus. Neque vero gratus animus in posterum quidquam deferbuit. Namque jam tum sancti Viri memoriam summa deinceps quotannis religione, ac fide colebat, præclarum eo die, lætumque convivium apparans, ingentemque cum familiaribus lætitiam agitans,

X *Puella cacodæmone,* B

43 Puella quædam impubes, atque ætate tenerior, cum ab impuro cacodæmone divexaretur, ad sanctum Virum a matre deducta est, monasteriique antistiti tradita ; quæ cum sancti Viri opem, auxiliumque imploraret, una cum universo sororum cœtu, uti malo dæmone misera liberaretur, candide quidem puellam commiserabatur. Igitur ubi preces effuderat, accepto de exstincta sancti Viri lampade oleo puellam perungentes, brevi sanam, incolumemque accepere *c*. Ceterum ea monesticum induta habitum, cœnobio sese addixit, monasticam in eo vitam cum ceteris degens, puritate ac virginitate laudabilem ; atque in S. Fantini obsequio sedula noctu, diuque persistens.

XI *uti et alius liberantur.*

Alius item nequissimo spiritu correptus, Sancti ædem ingressus, paucosque in ea dies commoratus mox sanitatem consecutus, domum abiit, justum persolvens debitum gratiarum *d*.

ANNOTATA.

C

a *Exemplar nostrum Græcum adjungit :* καὶ διέμειναν οὕτως ἕως ὄρθρου, *id est* : et sic permanserunt usque ad auroram.

b *Locum hunc ita restitue ex apographo nostro Græco :* λαβὼν οὖν καὶ νιψάμενος εὐθέως παραχρῆμα ἀνέβλεψεν ; postquam itaque accepisset et lavisset, statim sine mora visum recepit.

c *Apographum nostrum Græcum rectius rem sic exponit :* καὶ ἡμεῖς εὐχὴν ποιήσαντες. καὶ ἐν τῆς τοῦ Ἁγίου ἀσβέστου κανδήλας χρηματίσαντες ἔτι ἔλαιον ἡγιασμένον, αὐτὴν ἀλείψαντες.., ὑγιῆ ταύτην ἐθεασάμεθα ἀπό τῆς ἡμέρας ἐκείνης τοῦ δαίμονος φυγαδεύοντος ἀπ' αὐτῆς ; et nos postquam precibus vacassemus, et ex lampade, quæ non exstinguitur, sacrum oleum accepissemus, ipsamque inunxissemus.. sanam eam conspeximus, ab isto die dæmone ab ipsa fugato.

d *Notari meretur ex sæpe dicto opographo, quod sanatus ille* ἑξαετίαν ἔχων ὑπὸ τοῦ ἀκαθάρτου δαίμονος βασανιζόμενος, annis sex ab impuro dæmone vexatus *fuerit*.

D

CAPUT V.

Miraculorum ope Sancti patratorum pars tertia.

Theoctistum quemdam appellabant, eunuchum hominem ac monachum *a* ; is mihi narravit, adiisse se aliquando S. Fantinum, precatumque, domum repetivisse. Nocte autem appetente, ubi accubuerat, dormieratque, visum est sibi in Sancti templo se versari, atque una cum sororibus canere consuetas laudes. Inde vero iis concinentibus : Adolescens quidam, ait, æqualis meus adstitit, nigris, crispisque capillis, prorsus eximia specie. Is baculum manu tenens antistitæ adstabat, concinebatque cum illis innixus baculo, in quo inscriptum erat : Exsurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum. Tum in subsellio quodam cum sedisset, canebat. XII *Sanctus in somno cuidam visus,* E

45 Cui antistita : Nobis, inquit, id a patre nostro, Domine, traditum non est. Atqui ego, respondit Adolescens, et id probe novi ; verum apud me ita assolet. Nam unde es? ait antistita. Ad quam ille, protensa ad templum dextera : Hinc ego sum, atque hæc ædes mea est. Igitur consurgens, ad dexteram abiit templi partem, Orientem versus. Tum illa : Ergone abis, Domine ? Abeo jam, inquit, quandoquidem ad ministerium dimissus sum ; quod obiturus jam pergo. Mox autem rediens, vobiscum una morabor. Tum antistita : Propitium nobis, Domine, tuis precibus Deum reddito. Igitur ille couversus, signoque venerandæ crucis illis obsignatis, eam in partem abiit, quæ Orientem spectat. Hic ego, inquit Theoctistus, qui spectator fueram, experrectus, maximopere miratus sum, Deumque laudavi. Quæ cum ego a monacho illo accepissem, annotavi *b*. *canere Dei laudes cum monialibus.* b

46 Appetente aliquando S. Fantini festo die, sanctoque majoris hebdomadis *c* instante sabbato, cum ascetriarum præfecta angeretur animo vehementer, quod nec ad templi lumina, neque ad sororum usum, olei quidpiam esset in cœnobio : ecce tibi sub horam diei sextam, vir nescio quis, vas affert, oleo plenum, sextariorum *d* fere duodecim. Quod cum obtulisset : Sanctissimus, inquit, urbis episcopus, hoc ad S. Fantinum oleum mittit : cum enim in mari periclitaretur, in eoque fluctuans, cum in conspectum Sancti venisset, eum precatus, præsentem opem sensit, atque ex marinis fluctibus evasit. Ea re oleum hoc misit. Igitur oleum accepit antistita, immortales Deo gratias egit, effecitque, consueto uti niteret ecclesia decore, sororumque necessitati satis provisum foret in sancto ac festo Christi reviviscentis die. Hæc nos ubi perspeximus accepimusque, Deum laudavimus inexplicabili providentia universa moderantem. XIII *Succurrit periclitanti in mari,* c F d

47 Puella vero prope quadrima, cum a parentibus aliquando ad S. Fantini ædem adducta esset, introductaque ad aram a patre, ubi sancti Viri tumulus erat, acceptam antistita educavit in XIV *puellæque moriture apparet.*

A in cœnobio, sacrasque litteras edocuit, ac monasticum institutum, sororibusque adjunxit. Cumque aliquod tempus in cœnobio egisset, morbo implicita est, qui et vitæ postremus fuit. Natam igitur parentes accipientes, ut ipsi debita in infirmitate præstarent officia, (neque enim a cœnobio longe aberant) ei ministrabant. Cum autem ea jamjam esset obitura, ad matrem hilari vultu conversa : Mater, inquit, ecce S. Fantinum. Nam ubi, o filia, S. Fantinus est? ait parens. Cui puella : En, ubi stat; ecquid illum non vides? Statimque animam exhalavit. Igitur allatas ipsius reliquias in cœnobium sepulturæ mandarunt. His nos ab ejus parentibus acceptis, divinum Numen extulimus.

XV *Mulierem cum morte luctantem sanat :*

48 Acerbius desæviens morbi vis mulierem quamdam sic afflictaverat, ut jamjam animam exhalatura videretur. Eam ergo familiares ad ædem S. Fantini, sanitatem exoraturi, deducunt; sed minime tamen tum febris decessit; immo vero sic omnes exhauserat corporis vires, ut et omnis pene sensuum usus deperditus videretur. B Nam neque cibi quidquam capessere, neque aquam degustare omnino poterat; sed et auditus illi, aspectusque nullus : omnino cadaver potius dixisses, nisi pertenuis dumtaxat ei spiritus superfuisset. Ita sepulturæ mox mandanda videbatur. Verumenimvero naturæ conditor instauratorque Deus, inusitato quodam modo Fantini sui virtutem explicavit. Cum enim ægram afflictamque mulierem, ne ibi potius moreretur, domum lugentes familiares reportassent; ecce tibi repente valens, incolumisque exsilit; ad venerabilem S. Fantini ædem læta festinat; gratias, quam potest maximas, agit optime de se merito; atque ad sacrum ipsius tumulum anathema suspendit, grati animi monumentum.

XVI *reliquiæ ejus miraculosa luce illustrantur ;*

49 Cum aliquando sacrarum virginum antistita, unaque ipsius cœtus, templum diluculo essent ingressæ, consuetam Deo hymnodiam persolutura eaque peracta jam esset, atque omnes, Christe eleison, ut in absolutione matutina assolet, enuntiassent, derepente visa ex altari quasi lampas ignea, parvaque, quæ paulatim crescens, ut nobis relatum est, totum altare luce complevit, C ubi maxime venerabiles asservantur S. Fantini reliquiæ. Id ubi monachæ conspexere, timore concussæ, plane obmutuere, nihil omnino canere, atque adeo loqui præ ingenti stupore valentes. Inde ubi lux evanuit, multo, suavique odore quasi unguenti plurimi tota ædes repleta est. Extemplo igitur erupere e templo monachæ, pavore non minus, atque ingenti affectæ lætitia : iis quippe timorem ac stuporem injecerat admirabile spectaculum.

XVII *ædes vero ei sacra*

50 Neque porro absimile fuit, quod viro cuidam accidit, nomine Salomoni, quem id commemorantem audivimus. Cum enim is aliquando, ut aiebat, cum amico quodam de monte descenderet; vesperaque appetente, de via declinantes, ad S. Fantini templum in montis descensu positum accessissent, jucundam inibi quietem capturi (hanc autem ædem S. Fantini exstruxerant indigenæ, ubi illum, equas dum pasceret, egisse fama erat; ibique etiam Sancti aream esse aiunt, unde locum illum S. Fantini aream hodieque appellant). Igitur ii, quos ante diximus, templum hoc ad quietem ingressi, vident aperte intempesta nocte per visum, viros quosdam plures albis amictos vestibus, equis insidentes; ex eisque descendentes, templum ingressos : mox ædem conspiciunt larga omnem luce compleri, claraque illos voce cantantes. Porro equi foris stantes hinniebant. A. PETRO EPISCOPO TAURIANENSI.

a cœlestibus civibus honoratur.

51 Ego vero, inquit Salomon, ea perterritus cum aspectarem, stupefactus obmutui, tum ad proximum comitem, qui dormiebat : Audin', inquam? Surge jam, et miraculum vide. Sed cum ille gravi adhuc somno pressus jaceret, iterum manu percutiens hominem, aio : Eia, miser, consurge tandem, ac mysterium intuere. Igitur trium circiter horarum exacto spatio, cantuque ab iis, qui albati apparuerant, viris peracto, templum undique clausum video, nullamque accensam lampadem, visos denique homines evanuisse. Hic ego : Quam terribilis, inquam, est locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei. Inde consurgens illico, conterritus abscessi, Deum laudans. Hæc nobis ille cum lacrymis enarrabat, timorem, ut arbitror, juxta ac gaudium miraculi memoria faciente. Nos autem ubi hæc accepimus, tempus diemque accurate perquisivimus, E itaque plane comperimus, ut ille docuerat.

XVIII *Saracenorum in Christianos frementium jam*

52 Nam id, quod parum abfuit, quin me præteriret, quasi coronidem adjiciam narrationi; quod scilicet hujus urbis indigenæ propemodum omnes in ore habent, atque a majoribus acceptum, tamquam hereditatem quamdam per manus nepotibus tradunt. Id autem est hujusmodi. Quo tempore adversus Christianos, tamquam immanes belluæ, fremebant impii Saraceni, erupere ex Africa aliquando magno cum exercitu omnia depopulaturi Christianorum loca, ac devastaturi, prædamque ipso die facturi spoliorum, ac populorum, qui dies festus agebatur S. Fantino, quo frequens de more conveniebat populi multitudo, publicis conventibus, magnaque celebritate exornans sancti Viri memoriam, quæ quarto et vigesimo recolitur Julii die.

navis Taurianum appulsa, a Sancto apparente incenditur ;

53 Forte igitur in urbem hanc navis impiorum illorum quædam appulit, apparuitque contra S. Fantini templum; ubi derepente commovetur turbine pelagus, magnaque excitata tempestas, tum navis nimborum, undarumque impulsa vi, atque ad scopulos appulsa, subito afflicta, dissolutaque est. F Ceterum ex iis, qui in ea erant, hostibus, alii in imo gurgite periere; alii ab iis, qui eo concurrerant, Christianis comprehensi sunt : quibus et illud memorabant, se cum eo navi applicuissent, virum quemdam in scopulo conspexisse, ætate juniorem, accensam facem manu gestantem, juxtaque purpuratam quamdam mulierem adstantem, cujus nutu, quam manu tenebat facem, cum ille in navim conterminam jaculatus esset, omnes repente combustos.

qua de causa Saraceni, qui capti fuerant, convertuntur ad Christum.

54 Hæc ubi a Saracenis audivire, qui ad festum diem agitandum confluxerant, divinum Numen psalmis, hymnisque et spiritalibus canticis extulere, qui se præter opinionem servasset per S. Fantini patrocinium. Maximo igitur gaudio, lætitiaque triumphantes, festum diem confecere. Qui vero capti fuerant Saraceni, ex eo quod ipsis acciderat, edocti magna esse, ac salutaria Christianorum mysteria, fide illustrati,

sacroque

A. PETRO EPISCOPO TAURIANENSI. *Plurima Sancti miracula ab eorum scriptore prætermissa.*

sacroque abluti baptismate, Christo nomina dedere, neque jam suas repetere sedes voluere.

55 Sed quid ego singula sancti Viri miracula commemorem numeremque? Quippe narrantem me tempus deficiat : multa namque, ac magna et inusitata sanctus ac felicissimus Christi servus Fantinus edidit : quæ quia prope innumerabilia sunt, narrari aut litteris mandari neutiquam possunt. Hæc autem de multis pauca scribimus, hinc uti constet, quam libere, familiariterque cum Deo ageret, propter vitæ puritatem.

ANNOTATA.

a *Ms. nostrum sic do et verto :* *Θεόκτιστός τις, οὕτως προσαγορευόμενος, εὐνοῦχος μονάζων ξενικῶς παρῴκισεν τῷ τόπῳ τούτῳ χρόνον τινά ; id est :* Theoctistus quidam (sic enim vocabatur) eunuchus, monachus peregrinorum more inhabitavit hunc locum aliquo tempore.

B

b *Nempe, uti oddit Ms. nostrum : καὶ τὸν μῆνα, καὶ τὴν ἑβδομάδα, καὶ τὴν ἡμέραν*; mensem, hebdomadem et diem.

c *In Ms. nostro, τοῦ ἁγίου σαββάτου*, sancti sabbati, *non addito* majoris hebdomadis.

d Sextarium *vel* sextarius *est mensura liquidorum et aridorum, de qua voce Cangius breviter in Glossario Latino.*

CAPUT VI.

Miraculorum ope Sancti patratorum pars quarta.

XIX *Horum miraculorum scriptor*

Quæ vero mihi quamlibet humili tenuique homini ex Dei gratia benignitateque, ac S. Fantini deprecatione contigere, silentio involvere, prorsus iniquum duco. Quare quæ tandem ea fuerint, aut quomodo contigerint, paucis explicabo. Quo tempore Leo hæreticus tertio *a* jam anno imperabat, mandatum mihi, atque aliis quibusdam Siculis ab eo, qui id temporis, in Sicilia rei bellicæ ducem agebat, uti ad imperatorem legati adiremus, de quibusdam ad provinciam spectantibus capitibus corrigendis. Itaque navigium nacti, Bizantium profecturi, conscendimus ; solventesque e Sicilia, opportuno perflante vento, ad mare Adriaticum venimus.

a C

horribili maris tempestate jactatus, *b*

57 Ubi contra nos excitatus est ventus turbulentus, qui vocatur Euroclydon *b*, ut in Actis sanctorum Apostolorum scriptum est : quæ certe appellatio vera est; late siquidem hic ventus, violenterque spirans, magnam, ut arbitror, quæque vix sustineri queat, toto mari tempestatem excitat : EURY namque vel EURÉOS, late; CLYDON *c* tempestatem, fluctuationemque significat. Igitur cum tumeret pelagus, undæque vento impellente, nunc attollerentur, atque ad montes ipsos ascenderent, nunc in sola, camposque descenderent : nautæ construxere navigii vela, gubernaculoque intro portato, navigium permiscere pelago jactandum. Tanta igitur dum nos tempestate vexamur, tresque adeo dies, totidemque noctes periclitamur, et cum asperis illis fluctibus una ad ipsum modo cœlum attollimur, modo in ima prope tartara detrudimur, non mediocri sane molestia, animique mœrore afflictabamur. D

c

58 Jam enim ablata erat spes omnis salutis nostræ. Ut enim apud Jonam legimus : Cum navis periclitaretur, timuerunt nautæ, et clamaverunt ad Deum suum; ita et nobis prope idem accidit. Qui enim navigio vehebantur, Deum quisque invocabant, Sanctos item, quos norant, atque adeo et S. Æmilianum *d*, ut navigantibus mos est. Nos autem una cum Deo, nostram quoque Dominam, sanctamque Dei Parentem, ac reliquos Divos, sanctum itidem Fantinum, quippe nostrum, implorabamus. Hæc dum agimus, precesque cum lacrymis effundimus, cubare me nautæ crediderc. Ita gubernator, cui Elias nomen, exclamans ad me : Surge, inquit, domine, ac precare, nobisque a Deo, præsenti periculo depulso, salutem exora. *et salutis ex. spes,* *d*

59 His ego auditis, majore nimirum timore perculsus sum, in me ipse mentem, animumque convertens : quippe ad hæc me haud satis idoneum, nec quidquam posse cognoram. Verum a spe tamen in Deum haudquaquam decedimus, ac tametsi vitiis nos contaminatos agnoscebamus, haud certe quidquam destitimus a supplicando. Ita benignum ac misericordem Deum exorabamus, nostri misereretur, ac per Sanctorum suorum deprecationem, ex ea cunctos necessitate explicaret, multa fessos inedia, graviterque afflictatos. Jam tertio postridie *e*, qui mecum erat diaconus (de quo in ultimo capite) cum paululum cubuisset, videt in quiete Sanctum, eodem plane habitu, figuraque, qua mortalibus apparere consueverat, celeriter ad aquas accurrentem, generoso insidentem equo, tum navigii ad proram astantem, flagello, quod dextera gestabat, ter undas percutere. *S. Fanti patrocinio* E *e*

60 Extemplo igitur excitatus diaconus nobis omnibus visa narravit. Nos autem ubi hæc accepimus, obstupefacti, Deum laudavimus, vocesque gratiarum emittere exsultantes cœpimus, ciboque sumpto vires recreavimus ; et quidquid reliquum erat pavoris, omne depulimus. Igitur eo ipso die, mare, pulsa tempestate, sedatum est; summaque procellam excepit tranquillitas. Inde cursum, belle flante vento, confecimus, Deo gratias, laudesque persolventes, qui nos per S. Fantini patrocinium, auxiliumque de tristi leto liberasset. *ab interitu liberatur;* F

XX *uti et a calamitate per malevoles apud imperatorem Constantinopolitanam ei intentata;*

61 Jam vero unum dumtaxat sancti Viri miraculum si memoravero, finem narrandi faciam. Etenim, ut postremum sit, certe memoria dignum censeo. Id autem Constantinopoli contigit. Cum enim ad imperatorem nos, itemque alii legati essemus, et Constantinopolim appulsi, convivioque ab imperatore excepti, apud eum comedissemus; invidi quidam, lividique, imperatoris animo in nos concitato, res nostras perdere adnitebantur, in primis vero meas, nempe quia causæ auctor essem. Exsilium igitur ac triste supplicium, quantum sane nondum exspectabamus, in nos moliebantur. Equidem hic ego tristari

vehementer

A vehementer, Deoque supplicare cœpi, illam a nostris capitibus calamitatem depelleret, ne publicæ nos ignominiæ, atque infamiæ in alieno solo exponeremur, unde infideles hostes gaudio exultarent.

dum ad Deum et S. Fantini patrocinium confugit,

62 His ego precibus ubi dies aliquot institi, mœstitiaque et curis confectus (siquidem in acie novaculæ positus eram) Deum pro viribus exoraveram, ad sanctum etiam Fantinum preces converti, mihique, ut in ea causa præsto esset, supplicabam, ac me a gravissima, qua circumventus jam eram, calamitate vindicaret. Eum igitur sic ex intimo animi sensu deprecabar : Sancte, Deoque carissime Fantine, siquidem ego te novi vere sanctum esse, exhibe mihi jam virtutem tuam, teque mortalibus auxilio esse posse, cognovero.

præmissa alteri visione,

63 Inde ea nocte ei, qui mecum erat, diacono visum objectum est hujusmodi. In aula degere sibi videbatur, sedentemque imperatorem videre in ea, quæ dicitur Magnaura *f*, irato ac sane quam turbato vultu, meque illi adstantem, eumque mihi acerbe interminantem, dicentemque : Quæ mihi dedisti, jam accipe : nihil omnino tibi B debeo. Mox ubi hæc dixerat, argenteos quosdam e sinu projecisse. Ea dum imperator ageret, virum quemdam diaconus aspicit senem, gloriosi nescio cujus ex nostratibus habitum præ se ferentem.

salvus evadit, et ab imperatore honoratur.

64 Qui cum ad eum accessisset : Abi, inquit, omnem ex animo metum, ac mœrorem evacua, abstine modo : equidem ego pro te imperatorem alloquar, tuaque curabo. Atque his dictis evanuisse. Ibi expergefactus diaconus, illucescente jam die, me convenit, somniumque exponit. Inde ego bonam in spem adductus, ad aulam hilaris, alacrisque contendi, paulatim ac latenter absumi sentiens ex animo mœrorem. Statim igitur una cum comitibus ab imperatore accersitus, multisque ab eo donatus muneribus, auro, vestibus, dimissi ab eo sumus ingenti cum gaudio; Deum laudantes, qui spem in ipso collocantes, conservat incolumes. Cui omnis gloria, honor, et adoratio Patri, Filio, et Spiritui sancto, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

C

ANNOTATA.

a *Exemplar nostrum Græcum habet :* ἐν ἔτει πρώτῳ τῆς βασιλείας Λέοντος τοῦ αἱρετικοῦ, *id est :* in primo anno regni Leonis hæretici.

b *Græce* εὐροκλύδων. Non post multum autem misit se contra ipsam *(navem)* ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. *Act.* 27 ℣. 14. *De quo plura Cornelius a Lapide dat hic.*

c *Duas hasce etymologicas notiones non invenio in nostro Ms. Græco. Mendose apud Cajetanum* eurinamque *pro* eury namque *(Græci* εὐρὺ) vel eureos (εὐρέως) *etc. Porro vocis* εὐροκλύδων *etymon nos derivandum censemus partim a voce* Εὖρος, *qui dictus putatur* ἀπὸ τῆς ἕω ῥέειν ; *aliis vero est* ἀπὸ τοῦ εὖ ῥέειν *apud Vossium in Etymologico linguæ Latinæ ; partim, uti per se patet, a voce* κλύδων, *cujus significatio hic redditur in textu.*

d *Varios hactenus synonymos Sanctos dedimus in Actis; nullum ex iis novimus patronum navigantium. Is forte, uti hic observatur apud Cajetanum, mos eorum temporum ; additurque, isto ævo patronum navigantium esse S. Erasmum. Inter collectanea Mss. nostra, signata* ✠ Ms. 186 a, *de Sanctis patronis opificiorum, morborum ac locorum, invenio varia, a nostro Rosweydo notata et excerpta ex libro quodam Flandrico improbæ notæ in-*8, *anno* 1578 *in lucem dato per L. P.; in quo patronus nautorum ponitur S. Nicolaus; in scheda autem alterius manu exarata, quam inter dicta collectanea asservamus, signatur eorumdem patronus Salvator mundi ; juxta illud, quantum suspicor, Matthæi cap.* 8, ℣. 25 : Domine, salva nos ; perimus. *Proinde nullum videtur dubium, quin electiones istæ patronorum prorsus fuerint arbitrariæ, et pro temporum, locorum ac nationum varietate diversæ Vide interim de S. Æmiliano* XVIII *Julii pag.* 371.

A. PETRO EPISCOPO TAURIANENSI.

e *Græce apud nos :* μετὰ τὴν τρίτην ἡμέραν, post tertium diem.

f *Triclinium seu palatium fuit Constantinopoli ; de cujus conditore, situ atque etymo agit Anselmus Bandurus in Commentariis ad Antiquitates Constantinopolitanas a se editas tomo* 2, *lib.* 1, *pag.* 478.

E

HYMNUS

Forte a S. Josepho hymnographo aut alio synonymo, ipsique synchrono concinnatus.

Ex Ms. Græco codice monasterii S. Philippi Fragalatis editus apud Cajetanum eumdem, qui supra, a pag. 161.

Auctor hujus hymni

Splendidissimo virtutum lumine divinitus corde et animo illustratus, pravarum libidinum tenebras dissipasti, Vir admirande; ac perenni miraculorum gratia ditatus, letales morbos, Fantine, curas. Quare tuam sanctam commemorationem celebrantes, tuum sepulchrum pie veneramur, unanimique voce conclamamus : Impetra a F Christo Domino peccatorum nostrorum condonationem. Beate Fantine, quem divina gratia afflavit, lucem in terris præbuisti, sole ipso clariorem ; virtutum splendoribus, ac miraculorum radiis universos terrarum fines illustrans, dissolvensque densissimam malorum caliginem. Quocirca memoriam tui percolimus, tuarumque reliquiarum tumulum amplectimur.

paucis perstringit

2 Beatissime Fantine, divinitus illustrate, cæcis visum, claudis gressum, languidis sanitatem restituisti : multos a fera maris tempestate incolumes servasti : magnum domui tuæ splendorem attulisti : nova prodigia in terra patravisti. Precare, quæso, Deum ut nos, te cohonestantes, juvet. Fantine undequaque beatissime ac sapientissime, cœlesti cœtui immixtus, ac forte feliciore ineffabiliter Deo adhærens, gaudio, gloriaque incomprehensa auctus, memineris, tuere,

EX EDITIS APUD CAJETANUM

re, serva tuis precationibus ab omni nos miseria, et calamitate. Sancti Spiritus lumine cum præluceas, Fantine, cordis mei tenebras aspelle; mentem, animumque meum, per tuas preces, luce perfundens, uti clarissimam commemorationem tuam dignis hodie laudibus in cœlum feram.

S. Fantini virtutes;

3 Divinus te, Fantine, amor a puero succendit, quo duce, pravas corporis voluptates perfecte domuisti, teque Redemptori tuo vas mundissimum obtulisti. Cum divinis te præceptis dicto audientem præbueris, merito miraculorum gratia a præpotente Deo donatus es, ad procurandos difficiles hominum morbos, et ab obsessis corporibus dæmones expellendos. Ac proinde te beatum prædicamus, ac tui memoriam fideliter celebramus. Instar magni solis, virtutum splendoribus auctus, ex Occidente nobis ortus es : nimirum ut nos, omnes tuo lumine illustrares, qui cum fide tuam memoriam veneramur. Insigni commiseratione permotus ejus, qui te, beate Vir, invocabat; nihil cunctatus es innocentiam ostendere : nam per quietem perspicue et dilucide syngrapham homini ostendisti.

ac miracula non pauca.

B

4 Lucidam immortalitatis vestem indutus, jam ei, qui gravi cum morbo conflictabatur, præclare te videndum obtulisti, jubens omnem morbi saniem veluti saccum exuere. Omnem tartarei hostis fastum, ac superbiam fortiter deposuisti, abjiciens, demittensque te ipsum a summa virtutum tuarum celsitudine. Quod mentis tuæ acies divino lumine esset illustrata, jam diu cæco, divina virtute, videndi usum restituisti. Ad sanandos hominum morbos, pravosque spiritus effugandos sacrosancta reliquiarum tuarum tumba, Fantino, omnibus posita est.

in narratione Petri episcopi

5 Hominem diuturno morbo tabescentem, quæ tua fuit commiseratio, thure accepto, pristinæ incolumitati reddidisti. Commiseratione mirum quantum excelluisti, Fantine : cumque inter homines quasi angelus a materiæ fæce alienus vitam egeris, misericordiam a Deo maxime misericorde hausisti : a quo etiam curationum gratia, veluti quibusdam radiis, munificentissime ditatus es. Haud obscure ei te ostendisti, qui divinam tuam gratiam perjurio conspurcavit, jubens ex hominum cœtu scelestum derepente rapi ac tolli; quo nimirum facto arrogantium hominum fœdissimam pervicaciam reprimeres.

C

pluribus recensita

6 Hominem pedum usu destitutum, gravi morbo laborantem, et multis, quibus cruciabatur doloribus, levas; et ad recte incedendum, valetudinem reddis ea, qua a Spiritu sancto, beatissime Fantine, gratia donatus es. Cum rebus a te præclare gestis, Deum Optimum Maximum honore honestavisses, ab eodem multa miraculorum vi cohonestatus es; quæ ex tuis reliquiis quotidie dimanant. Vir paralysi detentus ad tuas reliquias cum accessisset, ea liberatus est. Quibus etiam vehementer attritus, misericordiam nactus est, qui sacrilego ore in tua dona per blasphemiam fuerat invectus. D

paucis indicat;

7 Despondetur Christo puella, ex qua immundum spiritum ejeceras. Hominique per visum apparens, admiranda mysteria detexisti. Moysis mansuetudinem, Eliæ zelum, Davidis simplicitatem, atque innocentiam, Fantine, imitatus, gratiam ad curandos hominum morbos cœlitus adeptus es. In templo, quod tibi positum est, in noctem lux ingens iis visa, qui Deo laudes decantabant; qua te dilucide agnoverunt. Radiis undequaque circumfusus Agarenis apparens, eos immani excitata tempestate in mare præcipites demersisti, cum tamen regenerationis filios salvos, incolumesque ab eodem periculo liberaveris, Thaumaturge Fantine.

et laudibus meritis

8 Populum Dei Optimi Maximi cultorem, a marinis fluctibus mirifice servavisti, sub specie angelica visus, et mare tempestate inquietum celeriter tranquillans, Fantine, prodigiorum auctor, ac Jesu Christi famule. Pravis animi motibus jactatos, omnimodisque tentationibus, quasi fluctibus, misere divexatos, divina virtute ad salutis portum quotidie adducis, Sanctissime, ac magna cum fiducia, gloriose Fantine, tuam hodie sacrosanctam memoriam celebramus, tuo sepulchro circumfusi, quæque ab eo promanant sanitates pie haurientes. E

ea extollens

9 Domine Jesu, qui famulum tuum omnibus admirabilem reddidisti, ejus, quæso, precibus mirifica in me Christe misericordias tuas, integramque peccatorum da nobis condonationem. Cujusvis morbi curationes effundis, difficilesque animarum ægritudines sedas, ac moderaris, patrans mira prodigia, teque animarum ac corporum præbens medicum peritissimum. Magnus animæ tuæ decor, mira domus pulchritudo et species, ubi conditum tuum corpus venerandum languidos ad salutem revocat, illustrat tenebris obductos, putrescentia vulnera sanat, pellit dolores, morbos curat.

Sanctumque invocans, rem concludit.

10 Jam sancto Prophetarum, Apostolorumque ac Martyrum cœtui adjunctus es in cœlo, qui sacros eorum in terra mores imitatus [es] pugnans fortiter, divinisque jussis te dicto audientem præbens ; ac proinde, Fantine, te egregiis titulis Deus Optimus Maximus insignivit. Sepulchrum vitalem redolet odorem, ac memoria, ut sol terræ, illucescit, piorumque animas mirifice illustrat. Quam rite percolentes, oramus te, o Fantine, ut a Conditore nostro peccatorum veniam digneris impetrare. F

DE

A D

DE S. DICTINO EPISCOPO CONFESSORE

ASTURICÆ IN HISPANIA.

J. B. S.

SECULO V.

Colitur II Junii, a Tamayo hoc die relatus,

De hoc S. Dictino *nihil comperisse Majores nostros, quod ipsum magnopere commendaret, in confesso est: colitur enim in ipsa ecclesia Asturicensi* II *Junii, nulla tamen prorsus in Actis ejus eo die memoria, ne in Prætermissis quidem; suspicor ob deplorandam eam negligentiam, qua necessariis documentis privati, singulis ecclesiis debita reddere, omnino non potuerunt. Neque nobis ejus cultus innotuisset, nisi in Directorio ejusdem ecclesiæ, ab octo circiter annis edito, et ad nos casu transmissa, signatam eo die ipsius reperissemus festivitatem. Eo nos opportune manu duxit, cetera plerumque fallax Tamayus, Sanctum hac* XXIV *Julii referens ; sic tamen ut observet, coli etiam hodie ab Asturicensibus consuevisse die illa* II B *Junii ; se vero diem obitus, eatenus ignotum, reperisse. An satis certo, alii viderint, nobis sane non placet fons lutosus ex quo et annum et diem mortis se invenisse testatur, nempe carmen sepulcrale Avli Hali, rejecti pridem a nobis sive veri sive suppositilii auctoris, quem nemo facile explicabit, nisi qui versus ipsos contorsit, forte Tamayus ipse. En bina disticha ad numeros suos probe revocata :*

Æra CCCCLVIII. Annus CCCCXX.

Ter tria commemorat Sextilis sæpe Kalendæ
Mensis, quo Pastor sidera celsa petit.
Binæ centenæ duplicatis numeris Æra est,
Decies hinc quinque octoque simplicibus.

cujus Legendam prætermisimus.

2 *Neque vero placent Acta ab eodem Tamayo de more exornata. Cum enim Asturicenses ipsi nihil habeant quod de sancto Præsule suo in Officio recitent præter lectiones de Communi Pontificis confessoris, satis patet, opinor, nullam istic exstare historiam* S. Dictini, *quæ fidem ullam promereatur. Mecum haud dubie senties si scaturiginem propius inspicias, unde en profluxere potissimum, quæ de eo nobis orator Martyrologus venditat : Flavium Dextrum scilicet in Chronico ad annum* 388 *num.* 3 *his verbis, quæ Tamayus allegare non veretur :* Aliquot episcopi Priscillianæ factionis ad Ambrosium Mediolanensem episcopum, Hispaniæ episcopis Catholicis fidei ac amicitiæ fœdere conjunctissimum, confugiunt, qui anteactæ vitæ et suorum errorum valde dolentes, confessione, ad gremium Ecclesiæ redire satagunt. In quibus DICTINUS, tunc E presbyter, postea vero episcopus in Gallæcia, et etiam alii complures. Quo loco Bivarius fol. 413 num. 3 plura in hujus rei probationem congerit, *etc. Si cui Legendam ex id genus centonibus contextam evolvere libuerit, adeat laudatum Tamayum, nos ex specimine muneri nostro satisfecisse existimamus. Præcipuum est, quod* S. Dictinum, *olim Asturicæ in Hispania circa seculum* V *episcopum, hic inter Sanctos debito loco restituerimus, sive hoc sive alio die mortalitatem exuerit.*

DE S. VALERIO SEU VALERIANO

EPISCOPO ET CONFESSORE

NICIÆ IN PROVINCIA GALLIÆ.

J. B. S.

C F

SYLLOGE

De cultu, ætate et gestis.

SECULO V.

In monasticis signatus est Valerius;

In *Prætermissis die præcedenti* S. Valerianum *Niciensis, seu mavis veteris Cimeliensis, Cimeneleensis, seu Cimeleonensis urbis, imo utrinsque episcopum, a Claudio Castellano* in finibus Provinciæ et territorii Monœcensis *signatum, soloque ibi* homiliarum *aliquot* scriptarum *titulo notum, huc remisimus, quod opinati fuerimus, magisque etiam modo censeamus, ipsum omnino confundendum esse cum fere synonymo* S. Valerio, *quem in suo Ligno vitæ suggessit hoc die Arnoldus Wion Martyrologorum monasticorum præcursor his verbis :* Nicææ in Provincia, depositio S. Valerii episcopi et confessoris, qui ex monacho Lerinensi ad episcopatum assumptus, bonis pastoris officium implere studuit, et in gaudium Domini sui introductus, audire meruit : Euge serve bone. *Notatio autem est hujusmodi :* De quo tabulæ Lerinenses. Res ejus gestæ hactenus me latent, cum, quod quando floruerit, tabulæ illæ non referant, tum etiam, quod Catalogum episcoporum illius civitatis nondum videre contigerit. *Quas hic Lerinenses tabulas appellat Wion, vellem paulo distinctius explicuisset, quandoquidem Vincentius Barralis in Chronologia Lerinensi nihil habuerit quod proferret, præter recitata modo Wionis ipsius verba.*

ab Ughello recte utrumque nomen Valeriani scilicet et Valerii confusum,

2 *Catalogum porro aliqualem Niciensium episcoporum, quem Arnoldus Wion non viderat, concinnavit Ughellus tomo* 4 *a col.* 1542, *ubi inter alios sic de Sancto nostro, et plane ad mentem nostram loquitur. Sic habet Ughellus :* S. Valerius, vel Valerianus, ex monacho Lerinensi episcopus, insignis sanctitatis vir, cujus dies festus agitur XXV Julii apud Lerinenses ; de quo Ferrarius in Catalogo. Martyrologium Gallicanum Andreæ du Saussay ad hanc diem. Quo tempore floruerit, non tradunt monumenta : fuisse tamen virum doctum, docent ipsius homiliæ, novissime ex bibliotheca monasterii S. Galli in Germania in lucem emis-

AUCTORE J. B. S.

sæ. *Sequantur monastici reliqui, qui de Sancto non* XXIII *aut* XXV, *ut aliqui signant, sed hoc die cum antesighano Wione agendum censuerunt. Brevissime Dorganius:* S. Valerii episcopi et confessoris. *Paulo latius Menardus:* Niciæ in Gallia. S. Valerii episcopi et confessoris, qui ex monacho Lerinensi, *etc., quæ ex Wione ad verbum descripsit. Bucclini longior oratio ex elogiis infra citandis coaluit, solis phrasibus turgens, ac turpi præter cetera errore infecta quod sanctum Præsulem seculi quinti, ad annum* 800 *confidenter retrahat.*

Ferrarii et Saussayi elogia,

3 *Audiantur potius Ferrarius et Saussayus, quidquid et ipsi solas ferme phrases venditent. Sic scribit ille hoc die:* Valerius monasticam vitam in præclaro cœnobio Lerinensi professus, litteris et moribus præditus, cum plures annos in observantiæ disciplinæque regularis exercitatione insumpsisset, in eaque ceteris præstaret, ad Niciensem ecclesiam regendam evocatus, illi sanctissime præfuit; nec tamen de vitæ prioris austeritate aliquid remisit; cum ita vigiliis, orationibus, jejuniis, piis meditationibus et aliis religiosis exercitationibus, ut ante episcopatum, quantum per occupationes pastorales licebat, B operam daret. Cumque aliquot annos eam ecclesiam pie administrasset, tandem plenus meritis migravit in cœlum x Kal. Augusti, miraculis clarus. *Wionem in notis allegat ex monumentis Lerinensibus; verum non satis advertit, quod tamen observare debuit,* XXIV *Julii, quo Sanctum recte collocat, non cum* X *sed cum* XI *Kal. Augusti coincidere, quemadmodum recte scripserat Martyrologus monasticus. At Ferrario non adeo insolitum est, in Romanis Kalendis hallucinari.*

de ætate aut rebus gestis nihil docent.

4 *Saussayi encomium modo accipe:* Niciæ sub Ebredunensi metropoli, sancti Valerii episcopi itidem et confessoris. Hic ex Lerinensi monasterio, in quo se Christi jugo dedicaverat, ob præclara sapientiæ et sanctitatis ornamenta, invite ad eam cathedram sublimatus, sic boni pastoris partes omnes explevit, ut tempora, quibus sub modio delituerat, fidei et pietatis clara lucerna gregi suo dolenda redderet; quibus vero sub candelabro (*an non* supra candelabrum ?) positus huic præluxit, posteris desideranda relinqueret. C Ad cumulum igitur sanctitatis cum pervenisset multis miraculis declaratæ gloria insignis, ad sempiternam transiit beatitudinem. *Ceterum hæc omnia, utut nitide exornata sint, meri loci communes dici possunt, Saussayo æque ac Ferrario satis familiares; ex quibus neque de ætate Sancti, neque de rebus certo gestis vel hilum extuderis, ut proinde nec seculum divines quo* S. Valerius *fuerit in rerum natura. Nec plura eruit Claudius Robertus; verum a Sammarthanis plusculum affusum est lucis, eaque paulo uberius dilatata in postrema aditione synonymi P. Dionysii tomo* 3 *a col.* 1270, *unde quæ ad rei illustrationem spectant, opportune decerpemus.*

In novissima Gallia Christiana,

5 *Titulus præfigitur de* episcopis Niciensibus et Cemeleonensibus, *exclusoque S. Basso, primus numeratur Amantius, secundus* Valerianus *noster, de quo constare asserit, quod* anno CCCCXXXIX adfuerit Reiensi, concilio, in quo de negotio Armentarii actum est. Accepta S. Leonis epistola ad Flavianum cum aliis plurimis ad ipsum scripsit, illam summis laudibus extollens, eique se in omnibus assentiri professus est. Fuit etiam unus ex iis quibus respondit S. Pontifex gratulatus ipsorum orthodoxorum fidem, et Eutychen D ac Discorum in concilio Chalcedonensi damnatos significans. Orta gravi controversia Theodorum Forojuliensem episcopum inter et Faustum abbatem Lerinæ, quæ tunc ab ea diœcesi pendebat, scandaloque maximo ex ea emerso, adeo ut abbatem a sua pace et ab ecclesiæ communione episcopus rescidisse videatur: cumque Valerianus noster et Maximus Reiensis episcopi, partes in eo jurgio, et quidem Lerinensium amplexi fuissent, Ravennius Arelatensis episcopus, tanto malo remedium allaturus, in sua urbe concilium coegit ad XXX Decembris. Adfuere cum eo et Rustico Narbonensi undecim antistites; convenerunt quoque cum Lerinensibus monachis Maximus et Valerianus; non nominantur tamen inter judices, forte quia ut partes aderant. Lis tandem amice composita fuit. Quo præcise anno habitum fuerit hoc concilium incompertum: certe inter annos CCCCXLIX, quo ad episcopatum evectus est Ravennius, et CCCCLXI, quo ad immortalem vitam migravit. Annum assignat CCCCLV Sirmondus, antea Tillemontius. Rivierus Carthusianus notat mentionem fieri anno CCCCLI Valeriani Niciensis episcopi. E

et scriptæ ejus homiliæ

6 Exstant viginti homiliæ cum epistola ad monachos, quas primus edidit Jacobus Sirmondus Soc. Jesu et post ipsum Theophilus Raynaudus ejusdem Societatis, quas Valeriani esse jam apud omnes in confesso est. Certe primam, quæ est De bono disciplinæ, illius esse constat; ceteras vero ex styli argumentique similitudine, prioris illius germanas sorores esse conjicit primus editor; et ejus conjecturam ceteri deinceps admisere. Asserit Sirmondus, eas plenas esse gravi ac splendida, et dignitate succoque referta facundia. Semipelagianismi errorem spirare visæ sunt viris doctis; illarum apologiam suscepit Theophilus Raynaudus, qua non obstante, undecimam ad catholicum sensum detorqueri non posse videtur Tillemontio tom. 15, in Eucherio art. 3, pag. 126. *Sinatur ipse in suo sensu abundare. Pergit auctor:*

et gesta aliqua

7 Heribertus Rosweydus apud Joffredum putat, nostrum hunc antistitem eum esse Valerianum Eucherii Lugdunensis cognatum, illustrissimæ nobilitatis virum, cui sanctus præsul disertam illam paræneticam epistolam scripsit, quæ F incipit: « Bene alligantur vinculo sanguinis, qui « vinculo consociantur amoris. » Sed fallitur, videtur enim adhuc seculo servisse anno CCCCLVI, quo panegyrim Aviti imperatoris ad eum mittit Sidonius Apollinaris. Alias hujusce nostræ assertionis rationes vide apud Antelmum De initio ecclesiæ Forojuliensis pag. 212. Idem esse videtur ac Valerius monachus Lerinensis, qui Niciæ ut episcopus colitur XXIV Julii, quod et opinatur Theophilus Raynaudus, cui concinit Martyrologium monasticum Arnoldi Wionis.

melius ad sua tempora revocantur.

8 Certe Valerianum nostrum fuisse Lerinensem monachum vix negari potest, si is sit, ut esse creditur ab omnibus, qui Synodo tertio Arelatensi interfuit; sic enim in epistola qua invitantur episcopi dicitur: » Ad eos qui ex ipsa insula » sunt; « sic quippe legendum, non vero, » ad eos » qui in ipsa insula sunt: » scribitur enim epistola, non ad monachos, sed ad episcopos; idque innuunt sequentia verba: « Beatitudinem vero » vestram præcipue adesse convenit, quos insula

» ipsa

A „ ipsa velut sinu quodam genitricis fovens, ad „ eam gratiam quæ nunc in vobis est, Domino „ instigante produxit; „ quorum postrema episcopatum aperte significant. Quin et initio causam esse inter Theodorum Forojuliensem ex una parte, et Valerianum ac Maximum episcopos, atque Faustum satis indicat, « causam quæ inter S. „ episcopum Theodorum et S. Valerianum vel „ S. Maximum item episcopos, atque abbatem „ Faustum necnon et reliquos fratres insulæ Le- „ rinensis accidit. „ Id porro si ita est, ex epistola quam scripsit, patet, eum absentem monasterii cujusdam abbatem communibus monachorum votis electum fuisse, iis responsum dedisse, eosque exhortatum fuisse ad pietatem. Circa hæc tempora videtur facta a S. Leone conjunctio cathedrarum Cemelii et Niciæ et utraque diœcesis a Valeriano gubernata.

AUCTORE J. B. S.

DE SS. WULFHADO ET RUFFINO MM.

STONÆ IN ANGLIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B

§ I. Sanctorum cultus et reliquiæ.

XXIV JULII.

Horum Sanctorum cultus ex heterodoxis,

S*tona est* mercatorium oppidum *in comitatu Staffordiæ, ut testatur Camdenus in sua Britannia apud nos pag.* 439, quod Saxonico seculo enatum, nomen a saxis invenit, quæ solenni ritu majores congesserant ad designandum locum, ubi Wolpherus rex Merciorum paganissimus filios Vulfaldum et Rufinum, quod Christo nomina dedissent, immani scelere trucidavit: quo loci cum posteritas in eorum memoriam ecclesiolam sacrasset, oppidum statim succrevit, cui ab illis saxis Stone (stone *Anglice lapidem significat)* nomen inditum fuisse memorat historia Petroburgensis. *Quidquid sit de cæde a Wulfhero patre in filios patrata, quam postea ad examen revocabimus, saltem Camdeno hæretico a Catholicis debentur gratiæ, quod de antiquo horum Martyrum cultu testimonium perhibeat, et templum in eorum memoriam ædificatum fuisse fateatur. Huic adstipulantur heterodoxi editores Monastici Anglicani,* C *qui tomo 2 istius operis a pag.* 127 *typis vulgarunt ex pervetustis Mss. pias donationes huic ecclesiæ factas, in quibus* Wulfhadus *ubique* sancti *titulo ornatur. Quod autem in iis diplomatibus non fiat mentio* S. Ruffini, *id compendii causa factum arbitror, sicut vulgo ecclesiam, duobus aut pluribus sanctis dedicatam, breviter solemus tantum prioris Sancti nomine appellare. Ceterum nemo miretur, quod ad probandum horum Sanctorum cultum heterodoxos testes adduxerim: minime enim in hac re suspectum esse debet testimonium eorum, qui alias antiquam Sanctorum venerationem dissimulare aut obscurare consueverunt. Jam ad scriptores Catholicos progredior.*

et Catholicis scriptoribus

2 *Inter auctaria Usuardina codex Altempsianus, de quo in præfatione Usuardi nostri illustrati pag.* LVI *nonnihil dictum est, solum* Wulfhadum *sic memorat :* In territorio Conventiensi, Stanes monasterio, sancti Wlfadi martyris, qui pro fide Christi a rege Wlfero patre suo gladio interemptus coronam meruit accipere sempiternam, signis se signans vivere manifestis. *Martyrologium Richardi Withfordi, seu Sarisburiense Londini anno* 1526 *Anglice excusum, ambos fratres cum elogio atque ut martyres diserte prædicat, non hoc die, sed* XXXI *Julii, forte quod istic ob peculiarem rationem alio die eorum festivitas celebrata fuerit.* E *Ferrarius in Catalogo Sanctorum die* I *Junii utrumque Sanctum ita annuntiat:* Petroburgii in Anglia SS. Martyrum Rufini et Wlfadæ fratrum. *In notis autem indicat, sese eos ex Martyrologio Anglico accepisse. At nescio, cur istos Sanctos Petroburgi collocet, cum juxta utramque istius Martyrologii editionem Stonæ in Staffordia coli diserte dicantur. Forte viderit Ferrarius, in margine citatas Petroburgenses tabulas, aut alicubi legerit occasione istius martyrii constructum fuisse Petroburgense monasterium, atque inde putaverit, festivitatem eorum Petroburgi celebrari. Utut est, in assignando martyrii aut cultus loco erravit, ut ex dictis dicendisque facile colligetur. Porro in notanda annuæ festivitatis die secutus est Martyrologium, quod anno* 1608 *Anglice editum est. Sed in secunda Martyrologii Anglici editione, quæ anno* 1640 *facta est, rectius ad diem* XXIV *Julii referuntur : nam in ipsis Actis, quæ huic Commentario subjungemus, num.* 26 *clare ita legitur :* Passi sunt autem nono Kalend. Augusti. *Post hæc omnia Castellanus, in suo Martyrologio Universali pag.* 904 *quasi in tenebris palpans, hos duos Martyres inter Sanctos* F *aemeros retulit, ac eos ita obscure recensuit :* Sanctus Vulfadius, qui in Anglia martyrio affectus est cum quodam S. Rufino. *Hæc sunt, quæ apud Martyrologos invenire potui.*

atque ex ipsis Actis probatur.

3 *Probatur etiam immemorabilis istorum Sanctorum cultus est Actis, quæ ex Ms. Petroburgensi habemus, in quibus num.* 28 *leguntur sequentia :* Prudentissima regina.... ad locum martyrii eorum accessit, et corpora colligens illorum in uno saxeo sarcophago simul honorifice sepelivit. Et congrue, Domino disponente, a filia lucis in pace sepulta sunt corpora eorum, quorum animas introduxit Dominus in splendoribus Sanctorum, ut vivant nomina eorum, libro vitæ inscripta, in secula seculorum. Processu vero temporis regina venerabilis venustiori opere de lapidibus ecclesiam ibidem fabricare fecit; in quo loco magnus Dominus Martyrum suorum merita magnificans, quando fides promeretur, miraculis multimodis mirificare consuescit. Ex hinc multitudo debilium diver-

AUCTORE J. B S.

diversisque languoribus laborantium, et aliorum quærentium Dominum, et beneficia beatorum Martyrum deposcentium, consuevit locum illum frequentare, et ad ædificium lapides illuc deportare. Unde et locus ille **stancs** nuncupatur, quod nomen ex Angelico sermone in Latinum versum lapides interpretatur. *Deinde circa finem Actorum hæc habentur*: In illo autem loco, vocabulo **stancs**, ubi sanctorum martyrum Wlfadi et Rufini corpora in pace sepulta sunt, collegium Canonicorum regularium divinis obsequiis mancipatur, ubi signis coruscantibus multa beneficia salutem postulantibus ad laudem Domini nostri Jesu Christi meritis Sanctorum præstantur, cui est gloria et imperium in omnia secula seculorum. Amen.

Vera Martyrum gesta et miracula verosimiliter perierunt.

4 *Hisce Actis in Monastico Anglicano tomo 2, pag.* 125 *annectitur quoddam fragmentum, ex quo facile colligitur, quomodo antiqua horum Martyrum miracula et forte etiam solennior eorum memoria perierint. Auctor anonymus ibidem sic scribit :* Omnipotens Deus irritatus et iratus peccatis Anglorum, Christianam legem prævaricantium, tradidit eos in manus gentium Christum ignorantium. B Danorum dirissima et durissima barbaries multoties in multitudine gravi, et præcipue sub ducibus Inguar et Hubbi, qui martyrizaverunt sanctum Edmundum, totam inundavit Angliam, omni annisu elaborans, ut evacuaret a Christianismo et ab indigenis insulam. Ecclesias namque cum ministris, monasteria cum monachis, mares cum mulieribus, senes cum junioribus flamma, fame destruxerunt, libros in divinæ legis [contemptum], Vitas Sanctorum atque Sanctarum cum miraculis descriptas incendio deleverunt. Duravit hæc perniciosa clades vario rotatu fortunæ, quandoque vincens, aliquando victa, usque ad excellentissimi regis Edgari tempora, quibus nulla umquam feliciora experta est Anglia. *Vetus Chronicon Saxonicum, anno* 1692 *Oxonii Latino-Saxonice editum, hanc Danorum irruptionem anno* 880 *consignat. Inter alia autem monasteria vastatum est cœnobium Petroburgense, de quo Camdenus pag.* 379 *post narratam illius originem, ita loquitur :* Floruit deinceps hoc monasterium magna sanctitatis opinione annos plus minus C ccxiii ad gravissima illa Danicæ devastationis tempora : tunc enim monachi interfecti et monasterium funditus eversum suis ruderibus annos cix quasi inhumatum jacuit. *Nihil igitur mirum, quod post tam longum ruinæ tempus certiora de horum Martyrum gestis ac miraculis testimonia non habeamus.*

De capite S. Wulfhadi.

5 *De sacris istorum Martyrum exuviis hic multa inquirere frustraneum arbitror : nam quis facile dixerit, an et ubi hodiedum, post eliminatam ex Anglia Catholicam religionem, illæ conserventur ? Non possum tamen, quin de capite* S. Vulfhadi *hic subjungam quamdam narratiunculam, quæ in Monastico Anglicano pagina proxime citata refertur his verbis :* Studebant plures religiosa devotione patriæ suæ Sanctos exaltare, pia solicitudine Vitas illorum investigare, summique Pontificis auctoritate ipsos canonizare, illaque de causa nonnulli satagebant Apostolicam sedem visitare. Hujus rei gratia procurator tunc temporis ecclesiæ beatorum martyrum Wlfadi et Rufini Romam adiit, attulitque secum contra voluntatem omnium fere fratrum ibidem Deo servientium caput beati Wlfadi, cujus sanctitate facilius impetrare posset, D quod petere proposuit. Domini autem Papæ præsentiæ se præsentans postulabat attentius, ut ipse vicarius Christi dignaretur Sanctos suos, immo paternos canonizare, ac eorum nomina juberet inscribi Martyrologio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Ne quis vero de Martyrum diffideret seu ambigeret sanctitate, licet miracula de illis scripta paganorum fuissent deleta rabie, ultro se obtulit cum eodem capite rogum ignis pertransire velle, atque ob hanc causam asseruit, se secum illud illuc apportasse. Sanctus Papa, discretionis spiritu pollens, respondit : Illud fieri vetat Dominicum dictum : Non tentabis Dominum Deum tuum. Non enim examinationem ignis vel aquæ, sive cujuslibet generis monomachiam fieri sacri sanxerunt canones, sed illam adinvenerunt superstitiosi homines. Compatiens tamen itineri laborioso, ipsorum justis postulationibus annuit, et Ecclesiæ sedis Apostolicæ Martyrologio Sanctorum illorum nomina inseri, diemque martyrii eorum in terra et ecclesia propria solemnizari statuit. *Cum* S. Wulfhadus *hodie nulli Martyrologio Romano, quod sciam, inscriptus legatur, totam hu-* E *jus narrationis fidem relinquo penes auctorem anonymum, qui ibidem addit sequens miraculum :*

prodigiose in alio loco remanente,

6 Tanto negotio ad votum expleto, *inquit*, in magna mentis lætitia domi * revertentes apud civitatem Biterinum pernoctaverunt, ibique in ecclesia sancti Laurentii martyris illa sola nocte sanctum caput custodiendum commendaverunt. Mane facto, iter maturare attentantes, sacrum illud [caput] resumere, ac repatriare voluerunt ; sed nullo conamine a loco illud amovere valuerunt. Operuit ergo confusio faciem magnaque mœstitia mentem illorum, amisso tanto thesauro, repetentium natale solum. Liquet ergo non esse bene placitum Deo et sancto Wlfado martyri ob probationem sanctitatis de regno ad regnum per varia loca, quasi ad spectaculum, caput ipsius deferri, et etiam, quod pejus est, gratia lucri vel honoris seu favoris adipiscendi. Caput ergo sancti Martyris in illa urbe remansit, crebrisque miraculis coruscantibus, illum cum martyribus in cœlo manere cunctis innotuit.

* lege domum

dubium quoddam proponitur.

7 *Cum hæc legerem, cœpi dubitare, quid auctor* F *per* civitatem Biterinum *vellet significare. Post non levem hujus obscuræ expressionis investigationem, omnibus expensis, verosimiliter videtur intellexisse urbem Bituricensem in Gallia, tum quia ab itinere Anglorum ex Italia in patriam redeuntium non admodum remota est, tum quia in illa invenio ecclesiam S. Laurentii, in qua caput S. Wlphadi depositum fuisse narratur. Didici equidem ex Patriarchio Bituricensi, quod Labbeus noster in Nova Bibliotheca manuscriptorum librorum edidit, in eadem urbe et ecclesia honorifice conservari reliquias cujusdam S. Wlphadi; sed is dicitur fuisse archiepiscopus Bituricensis, ut patet ex verbis anonymi monachi San-sulpitiani, qui cap.* 48 *Patriarchii apud Labbeum tomo* 2. *pag.* 67 *ita scribit :* Quadragesimus octavus præfuit sanctus Wlphadus nobilitate insignis, sanctitate clarus, doctrina præcipuus, diligentia ac solicitudine tum in rebus divinis tum in humanis admiratione dignus. Iste (ut mea quidem fert sententia) apud sanctum Laurentium Bituris in divorum pontificum Davidis et Asclepii conditorio visitur, venerationique ibidem habetur sub appellatione

A pellatione sancti Florentii; idque tum conjectura probabile est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur. Nam cum debeat ipse, ut olim, nominari populari lingua (saint Vulphant) nunc tamen per errorem, ut publica habet loquendi consuetudo, vocatur saint Florent. *An hic forte facta sit aliqua reliquiarum aut nominum confusio, Biturigibus disquirendum relinquo, et temere ex sola* S. Wulfhadi *homonymia ac loci similitudine judicium ferre nolo.*

§ II. Scriptor Actorum et eorum auctoritas.

Camdenus Actorum scriptorem

Ignoro, quis nostrorum Martyrum Acta concinnaverit. Camdenus ea perperam adscribit Roberto Swaffam, monacho Petroburgensi, qui post medium seculi XII *sub Henrico II Anglorum rege floruit, ut Clemens Reynerius in Appendice ad Apostolatum Benedictinorum in Anglia, scriptura* 64, *pag.* 141 B *testatur.* Deinceps, *inquit Camdenus in descriptione Britanniæ pag.* 379, Petriburgus, Petropolis, Peterborow et Burgh dici cœpit, monasteriumque fuit longe celebratissimum. Verum quibus initiis ac fundamentis exstructum fuerit, operæ pretium existimavi e Roberto ille de Swapham auctore satis vetusto paucis perstringere. *Dein sub istius Roberti nomine incautis lectoribus totam sequentem vendit historiam :* Peada, filius Pendæ, qui primus Christianus Merciorum rex, anno salutis DCLVI ad propagandam Christianam religionem fundamenta monasterii ad Medeshamsted in Giruiorum regione jecit, quod malis uxoris artibus sublatus perficere non poterat. Peadæ successit Wolpherus ejus frater, qui cum a Christiana religione aversissimus esset, Wolphaldum et Rufinum filios barbara immanitate trucidavit, eo quod Christo se addixissent; ipse autem paucis post annis Christianam religionem amplexus, ut hanc suam impietatem pio aliquo opere elueret, monasterio a fratre incepto manum admovit, quod ope Etheldredi fratris, Kineburgæ et Kineswithæ sororum C perfectum anno DCXXXIII *(lege* DCLXXIII) sancto Petro consecravit (unde locus Petriburgus dici cœpit) amplissimis proventibus ditavit, Sexwulfumque virum admodum pium, qui præcipuus operis suasor erat, primum abbatem instituit.

perperam assignat.

9 *Cum Camdenus ea tam confidenter asserat, quis non crederet, hæc omnia a Roberto Swaffamo affirmari? Interim Robertus de cæde* Wulfhadi *et* Ruffini, *a patre Wulfhero patrata, nullum facit verbum : imo in manuscripta monasterii Petroburgensis historia, cujus aliqua fragmenta ad diem* XIII *Februarii in Vita S. Ermenildæ* § 3 *dedimus, post mortem Peadæ primi fundatoris sic ait :* Ubi frater Wulfherus regnum adeptus est, bonum opus, quod frater ejus inchoaverat, bene ipse diligere, honorare, terris et aliis rebus ditare, ac per ipsum Saxulphum, virum strenuissimum et religiosissimum, et tam mundanis quam ecclesiasticis rebus doctissimum, cœpit instantissime ædificare, adjuvantibus sibi fratre suo Ethelredo et sacris sororibus Kynelburga atque Kyneswitha. *Hæc non indicant, Wulfherum a Christiana religione aversissimum fuisse, cum pium fratris opus statim continuaverit, ubi regnum adeptus* est. *Scriptor fundationis Petroburgensis (sive is Robertus Swaffam sive alius fuerit) qui in Monastico Anglicano tomo* 1, *pag.* 63 *editus est, nullam etiam de hac barbara Wulfheri regis crudelitate facit mentionem; contra vero dicit, cultum divinum latius propagatum fuisse* sub Christianissimis et beneficis regibus Peada, Oswio, Wlfero atque Ethelredo, qui sibi successerant; *Wulfherumque adeo flagrasse* in Christi cultura, ut non solum patrias gentes, verum etiam subjectos sibi Australium reges et populos regiis muneribus et ampliatis reguis ad veram Dei sectam accenderit. *Ex his concludo, Camdenum lectoribus suis imposuisse, dum Robertum Swaffamum hujus fabulæ auctorem pronuntiavit.*

Auctor est anonymus, qui diu post martyrium ex populari traditione scripsit,

10 *Frustra inquiram, quis primus hanc Martyrum cædem Wulfhero regi affinxerit. Ego quidem suspicor, illam fabellam primo ex populari traditione ortam et etiam litteris mandatam fuisse, postquam Dani Angliam misere devastaverant, et inter alias monasteriorum ruinas vera istorum Martyrum historia perierat, uti ex num.* 4 *colligi potest. Suspicionem meam auget, quod ipsemet Actorum scriptor innuat, totum narrationis suæ fundamentum* E *esse admodum debile ac incertum : nam historiam suam ita exorditur :* Beatos adolescentulos Wlfadum et Ruffinum natura generando germanos edidit; sed eos gratia regenerationis in fide atque sanguinis effusione feliciori germine germaniores reddidit. Dicuntur enim fuisse filii Wlferi regis Merciorum et sanctæ reginæ Erminildis. *Viden', verbo* dicuntur *non obscure indicari, quod auctor post diuturna martyrii tempora ex vulgi fama aut populari traditione hos filios Wulfhero regi Merciorum attribuerit? Eo tamen fundamento tota ipsius historia nititur, quo corruente, præcipuam verbosæ narrationis partem concidere necesse est. Non parum etiam contra hanc recentiorem tragœdiam facit silentium veterum Angliæ historicorum, qui de illis Wulfheri filiis non meminerunt.*

et varia asserit, quæ historiæ Angliæ

11 *Præterea Wilhelmus Malmesburiensis lib.* I *de gestis regum Anglorum cap.* 4 *ita diserte scribit :* Wlpherus, ne spem civium falleret, sedulo satagere, magnis et animi et corporis viribus utilem se principem ostentare. Denique Christianitatem vix in regno suo palpitantem et per F fratrem initiatam favore suo enixissime juvit..... Habuit in matrimonio filiam Ercomberti, regis Cantuariorum Ermenhildam, et ex ea genuit Kinredum atque Werburgam virginem sanctissimam, quæ Cestræ jacet. *Ingulfus abbas Croylandensis initio historiæ suæ eumdem Wulfheri filium agnoscit his verbis :* Successit in regnum Kenredus, filius Wulferi, et hic regnavit quatuor annis, et in quinto anno, regno relicto, Romam peregre profectus est, ibique ad Apostolorum limina vitam finivit. *Utrique adstipulatur Ranulphus Higdenus, inter alios quindecim Angliæ scriptores Oxoniæ anno* 1691 *impressus, qui lib.* 5 *Polychronici in dicta editione pag.* 236 *de Wulfhero agens ait :* Ermenildam filiam Ercomberti regis Cantiæ in conjugem accepit, ex qua Kenredum et Wereburgam progenuit. *Imo auctor Vitæ S. Ermenildæ, quam die* XIII *Februarii exhibuimus, ita habet :* Nata est autem sanctæ Erminildæ proles unica sancta Werburga. *Forte hic* proles unica *significat unicam filiam; quæ phrasis*

sic

AUCTORE G. C.

AUCTORE G. C.

sic accepta masculum non excluderet. Quidquid sit, mirum est, hos aliosque veteres Anglicarum rerum scriptores de his duobus Wulfheri filiis, martyrio illustribus, nullam mentionem fecisse.

ac veræ chronologiæ repugnant,

12 *Henschenius noster ad diem* XIII *Februarii in Vita S. Ermenildæ* §§ 2 *et* 3 *ex variis Bedæ aliorumque veterum auctorum testimoniis erudite ostendit, maximam Actorum partem veræ chronologiæ ac Angliæ historiæ repugnare. Ut alia omittam, venerabilis Beda lib.* 3, *cap.* 24 *testatur, rebellasse* adversus regem Oswium duces gentis Merciorum, levato in regem Wulfhero filio ejusdem Pendan adolescente. *Dedit autem Wulfherus* anno Domini DCLXIIII, *regni sui* VII, *diploma in gratiam monasterii Petroburgensis, quod in Monastico Anglicano tomo* I *a pag.* 63 *integrum exhibetur. Si Wulfherus anno* 657 *adolescens regnum susceperit, quomodo ante annum* 664 *filios, jam venationi aptos, in odium Christianæ fidei interfecit? Quomodo, obsecro, ante annum* 664 *habuit Wereburgam filiam nubilem, ut in Actis num.* 5 *refertur. Sunt et alia argumenta, quibus hæc narratio fictionis convincitur; sed ne actum agam, lectorem ad citatam S. Ermenildæ Vitam remitto, præcipuos fabulæ parachronismos et errores in Annotatis breviter indicaturus.*

B

ut Alfordus noster fatetur.

13 *Non solum de hisce Martyrum Actis ita judicarunt primi Operis nostri conditores Bollandus et Henschenius, verum etiam Alfordus noster in Annalibus ecclesiasticis Angliæ tomo* 2 *ad annum Christi* 669 *num.* 10, *opinioni eorum suum suffragium addit his verbis :* Solet quidem fama, certo fundatis argumento, incerta assuere : quæ si ex antiquorum scriptis, habito rerum et circumstantiarum delectu, discreveris, dubiis vera non vitiasti. Mihi persuasissimum est, regios juvenes Ulfaldum et Ruffinum innocenti morte sublatos esse, orationi reique Christianæ intentos ; atque ita recte inter Sanctos poni, ut ponuntur in nostro Martyrologio ad XXIV Julii. Ceterum quod a Ceadda, Lichfeldensi episcopo, docti aut baptizati fuerint, aut in ejus cella occisi a Wolfero rege pagano circa annum DCLXVIII, ab omni veritate alienum est. Nec enim eo anno Lichfeldiæ sederat sanctus Ceadda, et diu ante eum annum Wolferus Christi fidem acceperat; imo, statim rex factus, Christianam rem promovere, ecclesias et monasteria fundare et ditare cœperat, adeo ut de eo scripserit Malmesburiensis ita : « Wolferus Christianitatem vix in regno suo » palpitantem, et per fratrem initiatam favore » suo enixissime juvit ». Duo igitur in narratione displicent, nec componi possunt : juvenes a Ceadda Lichfeldensi doctos, et a Wolfero pagano rege interfectos anno DCLXVIII. Dicendum itaque baptizatos illos prius ab aliquo Lichfeldensi vel potius Merciorum episcopo, priusquam Wolferus regnare cœpisset, præsertim Pendæ parentis tempore, qui Christianum nomen exstinguere, pluribus exstinctis regibus, laboravit.

C

Rejecta Camdeni opinione,

14 *Alfordus tamen ibidem subjungit, sibi non displicere Camdeni sententiam, qua innuit* SS. Wulfhadum *et* Ruffinum *a Wulfhero pagano ante regni ingressum interemptos fuisse. At neque ea opinio nobis placet : nam præterquam quod a Camdeno pro libitu sit excogitata, supra laudatus Beda asserit, regnum Merciorum a Wulfhero* adolescente *susceptum fuisse. Sed adolescens dici non potest, qui jam filios venationi aptos et religionis Christianæ tenacissimos habebat. Præterea quis credat, regem Ercombertum, qui omnia in regno Cantiorum idola primus destruxit, filiam Ermenildam Wulfhero idololatræ nuptui tradidisse? Haud dubie imitatus fuisset patrem suum Eadbaldum, qui Edwino Northan-Hymbrorum regi necdum Christiano, et Edelburgam uxorem petenti, teste Beda lib.* 2, *cap.* 9 *responderi jussit,* non esse licitum Christianam virginem pagano in conjugem dari, ne fides et sacramenta cœlestis regis consortio profanarentur regis, qui veri Dei cultus prorsus esset ignarus. *Sic etiam Peada sive Penda junior, Wulfheri frater, teste eodem Beda lib.* 3, *cap.* 21, *venit* ad regem Nord-Humbrorum Oswi, postulans filiam ejus Alchfledan sibi conjugem dari; neque aliter, quod petebat, impetrare potuit, nisi fidem Christi ac baptisma cum gente, cui præerat, acciperet. *Quare nullo modo videtur probabile, S. Ermenildam cum Wulfhero adhuc gentili matrimonium contraxisse.*

D

conjectura quædam proponitur,

15 *Potius cum Henschenio conjicio, istos Martyres passos esse, aut olim in antiqua sub Romanis mota persecutione, aut sub Penda, acerrimo Christianorum hoste, de quo Malmesburiensis lib.* I *de gestis regum Anglorum cap.* 4 *ita scribit :* Anno Dominicæ Incarnationis DCXXVI..... Penda quidam..... bellis industrius, idemque phanaticus et impius, apud Mercios regis nomen præsumpsit, cum jam quinquagenarius frequentibus contra finitimos excursionibus nutrisset audaciam. Itaque arrepto regno, æger quiete animus, et qui nesciret, quantum scelus esset sociali vincere bello, urbes proximas quatere, compatriotarum fines regum inquietare, prorsus magno tumultu et terrore agere. Quid enim non auderet, qui lumina Britanniæ Edwinum et Oswaldum reges Northanimbrorum, Sigebertum, Egricum, et Annam reges Orientalium Anglorum, in quibus generis claritas et vitæ sanctitas conquadrabat, temeritate nefaria exstinxit... Jam vero onerosum est dictu, quod omnibus occasionibus cædium inhians, et velut corvus ad nidorem cadaveris advolans ultro Cedwallæ in auxilium accurrerit, et ad recuperandum regimen magno emolumento fuerit. Ita per triginta annos in cognatos grassatus, nihil adversus exteras gentes memorandum commisit. Sed invenit tandem effrænis cupiditas idoneum meritis finem. Siquidem ab Oswio, qui Oswaldo fratri successerat, magis per Dei virtutem, quam per manum militarem cum auxiliis fusus, infernalium numerum animarum auxit. Habuit ex regina Kineswitha filios Wedam *(ab aliis vocatur* Peada) Wlpherum, Ethelredum, Merewaldum, Mercelinum ; filias duas Kineburgam et Kineswitham ambas sancta continentia præcellentes. Ita parens perpetuo in Deum rebellis sanctissimos cœlo fructus effudit. *Si Penda in primo idololatriæ furore (circa finem vitæ erga Christianos placatior fuisse videtur) aliquos ex nepotibus aut consanguineis ob Christianæ religionis professionem interfecerit, facile hoc crimen in Wulfherum Pendæ filium derivari potuit, cum vera martyrii notitia periisset, et post aliquot secula popularis fama crevisset eundo, ut non raro in similibus traditionibus contingit. Nihil tamen ex sola conjectura statuo; sed tantummodo hoc parricidium a*

E

F

A *a Wulfhero, S. Ermenildæ marito, prorsus amovendum esse existimo.*

et de diversis Actorum adjunctis lector præmonetur.

16 *Huic Commentario finem impositurus pauca de diversis. Actorum circumstantiis præmoneo. Guilielmus Camdenus tradit, Wulfherum, a religione Christiana aversissimum, filiis suis necem intulisse, ac paucis post annis fidem Christianam amplexum esse, ut supra num.* 8 *retuli. Nescio, an id ex aliquibus monumentis eruerit, an ex cerebro suo finxerit, ut verisimiliorem redderet historiam. Contra in Actis, quæ ex Ms. Petroburgensi accepimus, et postmodum in Monastico Anglicano tomo* 2 *a pag.* 119 *typis edita sunt, dicitur Wulfherus post susceptum baptismum a fide Christi defecisse, et consiliis impii Werboldi ante altare Wulfhado filio caput amputasse, ac Ruffino fugienti letiferum vulnus inflixisse: posteaque monasterium Petroburgense construxisse, ut crimen suum expiaret. Joannes Spedus in Theatro magnæ Britanniæ lib.* 1, *cap.* 28, *pag.* 55 *nova inventione Wulfherum etiam facit martyrem his verbis :* Wolpherus Merciorum rex amplissimum et magnificentissimum monaste- B rium sancto Petro sacrum inchoavit, scilicet ut expiaret cædem duorum filiorum suorum, quos in Christianismi causa trucidaverat; sed cum ipse eadem de causa, quod Christianam religionem amplecteretur, a matre sua sublatus esset, frater ejus Penda operi incepto manum admovit. *Quot lineæ, tot ferme errores! Peada enim, qui ante Wulfherum regnavit, cœnobium Petroburgense exstruere cœpit; et is juxta Bedam lib.* 3, *cap.* 24 *periit* proditione, ut dicunt, conjugis suæ. *Hæc autem Spedus contra antiquos Angliæ scriptores summa rerum confusione imperite Wulfhero adscribit. His adde errorem chronologicum anni* 546, *quem in margine posuit. Nunc ipsa Acta qualiacumque ex Ms. Petroburgensi hic subjicimus, iisque prologum, qui in Ms. nostro deest, ex Monastico Anglicano præfigimus.*

ACTA

C

Auctore anonymo.

Ex Ms. monasterii Petroburgensis, quod cum editione Monastici Anglicani tomo 2, *a pag.* 120 *collatum est.*

PROLOGUS.

Præfatur auctor,

Si Tullianæ facultatis fœcunda facundia penetrans pectinasset pectus meum, et ad liquidum limasset linguæ plectrum, sederet proposito prædicare ac panegyrico stylo beatorum Wlfadi et Ruffini fratrum, puerorum profecto illustrium, illustrare martyrium : ipsorum namque triumphales titulos ab ipsa sapientia Patris accipimus commendatos, credimus consecratos. Cum enim Salvator noster suos athletas ad agonem armaret ac animaret, multimoda certamina pro nomine suo toleranda præmonens et præmuniens prædixit inter cetera : Trademini a parentibus, cognatis et amicis, et morte afficient ex vobis. Iterum alibi dicit expressius et manifestius, quod istis congruit martyribus : Tradet pater filium in mortem, etc., ut tanto Sanctorum patientia probaretur propensior, ac merces in cœlo copiosior, coronaque celsior, quanto fuisset sanguinis linea proximior persecutor. EX MS.

se ex propria devotione hoc martyrium conscripsisse.

2 Quis enim digne pensare poterit, quos quantosve cruciatus cordis cum corporis tormentis pertulerit proles, dum suum carissimum, cruentum carnificem, et proprium patrem perpetitur sui peremptorem? Quod quidem a Domino prædictum, qualiter in prænominatis Pueris fuerit adimpletum, aggrediatur [oratio] *a*, agresti licet relatu, enodare notitiæ posterorum. Et quidem ad id agendum propria me incitavit devotio. Et ut plurimorum discretio censet, passio præfatorum antiquitus descripta *b* ob stylum incultum et falsam grammaticam, quibus tota scatet, potius contemptui quam lectioni patet. O dolorem indicibilem! o coronam immarcescibilem, quando non trepidat aut tardat martyri mortem inferre. E qui jure naturæ pro illius vita tuenda tenetur mortem sufferre *c*!

ANNOTATA.

a *Hic* oratio, calamus, manus *aut simile quid subintelligendum est; alioqui sensus non est perfectus.*

b *Videtur igitur fuisse aliqua, antiquior martyrii Legenda, quam tamen post Danicam vastationem, conscriptam fuisse suspicor ob ea, quæ in Commentario prævio num.* 4 *dicta sunt.*

c *Hunc prologum, qui in Ms. nostro non erat, ex Monastico Anglicano excerpsi, ut monui in Commentario prævio num.* 16.

CAPUT I.

F

Utriusque Martyris parentes, et prioris conversio ad fidem Christianam.

Wulferus, suscepto baptismo, S. Ermenildam uxorem ducit;

Beatos adolescentulos Wlfadum et Ruffinum natura generando germanos edidit, sed eos gratia generationis in fide atque sanguinis effusione feliciori germine germaniores reddit : dicuntur enim fuisse filii Wlferi *a* regis Merciorum, et sanctæ reginæ Erminildis *b*, qui quarto anno *c* post patris sui Pendæ *d* paganissimi principis internecionem, paternum jure successivo susceperat sceptrum. Is namque baptizatus a Tinano *e* episcopo votum vovit Domino, se delubra dæmonum destructurum et omnia idola de regno suo deleturum, et Christianæ religionis cultum pro posse dilaturum *. Hoc etiam iteravit promissum, quando egregiam Erminildam duxit in matrimonium : hæc enim beatissima, erat præclara genere et specie, sed fide præclarior et sanctitate. Ex Erberto *f* rege Cantuariæ genita ex atavis Francorum illustrissimis regibus descenderat

* latturum

EX MS. g

scenderat atque ex sanctissima regum Orientalium Anglorum stirpe originem duxerat *g*.

sed a fide Christi deficit, instigante quodam impio, h i

4 Et quoniam præfatus Penda, tum dolis tum martii campi casibus alludentibus sibi, plures reges Angliæ tulit de medio, qui postremo ab Oswio *g*, fratre sancti Oswaldi *i*, cæsus cum cunctis pene principibus, satrapis atque satellitibus suis ob illorum vindictam interiit justo Dei judicio, formidavit cor Wlferi filii ejus, ne ob inimicitiam patris pari periret exitio. Prospiciens proinde sibi et suo regno, desponsavit *k* sanctam Erminildam, cunctis regibus extinctis consanguinitate vel affinitate connexam destricto discretoque consilio, ut in tempore iracundiæ gratia ipsa fieret reconciliatio. Wlferus igitur regis nomen nactus et insigne, vota sua, quæ distinxerunt labia ejus, Domino reddere distulit; imo instigante quodam pravo atque perverso, nomine Wercboldi * *l*, qui erat ei a secretis, pene in apostasiam lapsus, a fide retrorsum abiit. Erat idem Werboldus * idololatra, vir Belial, satelles sathanæ, minister immo mali artifex, quod pater ejus Penda perpetraverat, quem sibi auricularium *m* et consiliarium velut alterum Architophel ac rectorem a se secundarium in toto regno suo, sicut Assuerus quondam Aman constituerat. Exstitit corde versutus, ore vafer, opere versipellis, carne lubricus, mente tumidus.

editio Werebod — * *editio Werbodus* — B

qui Wulfheri filiam conjugem petit, matre n

5 Hic in tantam elationem prorupit, ut peteret a rege dari sibi conjugem filiam ejus, ætate adhuc parvulam, Werburgam *n* vocabulo, quam ei regina peperit : æstimabat enim hujusmodi fœdere nuptiarum se in regno regi successurum, et in præsenti non modicam partem regni possessurum. Et quidem rex ipsius petitioni assensum præbuit; sed regina maturius et consultius hoc omnino fieri prohibuit, disposuit despondere illam uni vero, virginem castam exhibere Christo, quod et fecit in tempore opportuno : venerabilis enim Werburga, spretis regii germinis procis, totius mundialis gloriæ pompaticum fastum fastigiumque fastidita, velut viola viroris inviolati vernabat decore, et quasi lilium florens hortum Domini suo virgineo venustabat candore.

et fratribus reluctantibus. C

6 Prænominati Adolescentes, germani virginis Werburgæ, insolentiam hominis, pagani præsertim, indigne tulerunt et ejus præsumptuosæ petitioni ne videlicet auditu digna judicaretur, in faciem restiterunt. Ab illo ergo die versutus ille doli artifex insidiabatur Pueris, factus illis quasi lancea in latere, ac velut sudes in oculis. Illi vero proficiebant ætate et gratia Sancti, dilecti Deo et hominibus; et quamvis nondum regenerati per baptismum in Christo, quemdam tamen sacri lavacri candidatum præferentes placebant bonis operibus et optimis moribus. Erant autem specie clari, sed morum elegantia clariores, gestibus facetis, astuti ingenio, diserti eloquio, supra senes intelligentes, ultra sapientes, erga omnes munifici et liberales. His et aliis similibus adornando artibus in benedictionibus dulcedinis suæ prævenit eos Dominus.

Wulfhadus in venatione cervum insequens,

7 Prior natu Wlfadus, exuta pueritia, jam ad adolescentiæ limen attigerat, et ut decet genus regium, aliquoties aucupio, venatui tamen potissimum indulgebat; sed miro moderamine miserantis Dei, dum feras venari concupiscit et consuescit ad mortem, a Domini venatoribus sagittatur, comprehenditur ad salutem. Quadam namque die, dum venatum pergeret, offendit cervum miræ magnitudinis, quem fugientem diutius solus solum insequebatur. Sociis dispersis, nutu divino fatigatis, cervus opaca silvarum irrumpens ad habitaculum viri Dei Ceddæ infra nemoris condensa supra cujusdam fontis marginem constructum pervenit, seque in eumdem fontem latitando lassitudinem requie refrigerioque recreando projecit. Famulus Christi Cedda misericordiæ visceribus affluens erga creaturas Dei frondibus et foliis arboreis, cervum occultando et refrigerando contexit, quoniam, ut in fine rei claruit, aliquid divinitus actitari per ejus obsequium intellexit : nam collo ejus postmodum funem circumposuit et requie refocillatum ad pabula carpendo in silvas abire præcepit. D

invenit sanctum Ceddam, o

8 Erat sanctissimus Cedda *o*, teste Beda, ecclesiæ Lichefeldensis episcopus, virtutibus et signis præclarus, qui profecto partem meliorem Mariæ sibi eligens, secretius et sacratius dulcedini contemplativæ inhians solitariam vitam ibidem ad tempus ducebat, radicibus herbarum et fructibus arborum silvestrium se sustentabat. E
Venerabilis adolescens Wlfadus diutino * terens vestigia cervi, devenit ad cellam hujus hominis Dei, quem intuens et salutans sciscitabatur ab eo, quo deveuisset cervus, quem tota die cum tanto sudore fuerat insequutus. Cui respondit Sanctus : Numquid custos cervi tui sum ego? Non curo, non custodio feras silvarum, seu pecora campi vel volucres cœli; sed agnovi et suscepi ductorem salutis tuæ ministerio cervi : voluntas enim Domini præparantis cervos revelavit tibi condensa sacramentorum suorum, ut credas in nomine ipsius, et baptizeris in remissionem peccatorum tuorum, perpulchro prænostico * immo indicio certi præsagii portendit, et præostendit tibi cervus, demersus in fontem, salutaris baptismi lavacrum, quatenus ex sententia discere possis illud Davidicum : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei.

* *editio e vicino* — * *id est prognostico*

a quo monitus de fide Christi suscipienda, F

9 Per plura etiam peroravit Sanctus persuadens et docens, qualiter in mysterio irrationalium animalium mysteria sua revelare dignata sit divina sapientia in salutem fidelium. Nempe Noë nuntiavit post suum naufragium mundi reparatricem siccitatem per columbam, et ore subjugalis asinæ Prophetæ cohibuit insipientiam, et obsequio corvi prophani * eximium pavit Heliam. Jure vero Dominus Prophetarum tendens Jerosolymam, ascendere dignatus est asinam et pullum, in conversionis utriusque populi figuram. Narravit nihilominus ei quod de beato Eustachio legitur, qualiter in specie cervi ei apparere Dominus dignabatur; et multa subjunxit, quæ in gestis beatorum Martini, Jeronymi et aliorum sanctorum patrum patrata signa de brutis animalibus inveniuntur.

* *editio prophetam*

post visum miraculum p

10 Venerabilis Wlfadus, vas electionis, respondisse fertur *p* ad verba sancti sacerdotis : Vere venerande Pater, a sanctitate tua prolata testimonia credibilia facta fuissent nimis, et mihi ad credendum, quæ persuades, conducibiliora, si cervus, quem capere conabar, quem in fonte

A fonte occultasti, et fune collo ipsius circumligato in silvam abire jussisti, tuis precibus aut præcepto appareret continuo in nostra præsentia. Sanctus sacerdos protinus se in orationem prostravit; et ecce, cervus memoratus funem in collo gestans, e nemore prorumpens, eorum se conspectui exhibuit. Tunc Sanctus surgens ab oratione ait adolescenti : Intellige vel nunc quia omnia possibilia sunt credenti, et si quis petierit Patrem quidquam in nomine Filii, fiet ei. Audi ergo, fili, et inde inclina aurem tuam ad obedientium Christianæ fidei ad percipiendam gratiam baptismi : Qui enim crediderit et baptizatus fuerit, juxta Salvatoris promissum, salvus erit.

eam amplectitur.

11 Confortatus et corroboratus in fide Wlfadus provolvit se ante pedes viri Dei, postulavitque sibi tribui regenerationem salutaris lavacri. Videns beatus Cedda Juvenem in fide radicatum et fundatum, exultavit in Domino, gratias agens Deo salutari nostro, qui inchoavit in ejus pectore habitationis suæ locum, B impositaque manu cathezizavit * eum benedicens denique fontem in eodem loco baptizavit illum in nomine sanctæ Trinitatis, eidem effectus paternus * et pater spiritualis. Et quoniam advesperascebat et inclinata erat jam dies, pater sanctus secum filiolum pernoctare fecit, et cibo corporalis et spiritualis alimoniæ, prout potuit, illius utrumque hominem refecit. Perpulchrum simul spectaculum ibidem apparebat. Sicut sanctus Cedda cum sancto Wlfado manebat, sic cervus cum jumento, agreste animal cum domito, in omni mansuetudine stabat, accubabat, fœnum carpebat. Mane facto, sanctus sacerdos Missam celebravit, et neophytum suum Dominici corporis et sanguinis participatione communicans eum Ecclesiæ corpori tamquam proprium et perutile membrum associavit. Cervus nihilominus ad jussionem patris Ceddæ nota nemora repetiit, et animus tironis Christi magis in fide ac charitate Dei profecit.

* *lege* catechizavit

* *editio* patrinus

C

ANNOTATA.

a *Nomen hujus regis diversimode scribitur : aliquando enim vocatur* Wolpherus, Wlferus, Wulfherus, Ulferus, *etc. Idem de Wulfhado dictum puta. Quare eorum nomina promiscue scripsi, prout apud auctores inveni, quod semel monuisse sufficiat.*

b *De hac sancta regina egimus ad diem* XIII *Februarii.*

c *Chronicon Latino Saxonicum, quod anno* 1692 *Oxoniæ impressum est, anno* 655 *mortem Pendæ consignat, et anno sequenti post Peadæ mortem Wulfherum regem Merciorum facit. Alii ejus regnum anno* 657 *inchoant.*

d *Vide, quæ de hoc pagano rege diximus in Commentario prævio num.* 15.

e *De hoc sancto episcopo actum est die* XVII *Februarii. Sed ibi ex Beda lib.* 3, *cap.* 21 *tantum fit mentio de baptismo, quem Peadæ, Wulfheri fratri, contulit.*

f *Beda in Historia ecclesiastica gentis Anglorum quæ anno* 1601 *Coloniæ edita est, lib.* 3, *cap.* 8 *hunc regem vocat* Earcombertum, *ubi plura vide de ipsius gestis.* EX MS.

g *De S. Ermenildæ stirpe plura habet Henschenius noster in ejus Vita* § 1.

h *A venerabili Beda lib.* 3, *cap.* 24 *prædictæ historiæ, vocatur Oswi, ubi etiam vide ipsius victoriam de Penda relatam.*

i *De hoc sancto rege, cujus Acta ad diem* V *Augusti examinanda sunt; consule Bedam lib.* 3, *cap.* 8.

k *Auctor hic manifeste indicat, Wulfherum post patris mortem, id est post annum* 655, *Ermenildam uxorem duxisse. Quomodo autem hæc cohærent cum ætate filiorum, et diplomate Wulfheri, ac tota historia Anglica, ut in Commentario prævio* § 2 *observavimus?*

l *Nullam hujus hominis memoriam inveni apud veteres Angliæ scriptores.*

m Auricularius, *inquit Brito apud Cangium*, id est secretarius ab auricula, quia secreta solent dici in aure. *Eadem significatio habetur in sacris Litteris lib.* II *Regum cap.* 23.

n *Acta hujus sanctæ virginis ad diem* III *Februarii illustrata sunt.* E

o *De hoc sancto Cedda vel Ceadda actum est ad diem* II *Martii, ubi tomo* I *istius mensis pag.* 146. *Beda affirmat, cum successisse Jerumanno Merciorum episcopo.* Jerumannus *autem* Merciorum episcopus *in Monastico Anglicano tomo* I, *pag.* 65 *subscriptus legitur privilegio, quod Wulfherus Merciorum rex anno* 664 *concessit monasterio Petroburgensi. Qua ergo verisimilitudinis specie ante illud tempus Ceadda, tamquam Merciorum episcopus, hic in scenam inducitur?*

p *Recte Actorum compilator adhibuit subinde phrases* fertur, ducuntur *et his similes, quia merito judicabat, sibi a posteris in his occultioribus colloquiis aliisque rebus fidem non adhibendam. De hoc modo loquendi aliquid annotavi in Commentario prævio num.* 10.

CAPUT II.

Ruffini conversio ad fidem et utriusque fratris martyrium. F

Wulfhadus in fide confirmatus

Ingressus Wlfadus viam veritatis, de fratris sui salute solicitus, suppliciter sanctum Ceddam deprecabatur, quatenus precibus suis impetrare satageret a Domino, ut fratri suo Rufino perveniendi ad Christianæ fidei religionem affectum et effectum largiretur. Cui sanctus senior ait : Quid postulas a me exiguo præstari, quod impetrare poteris a Domino in instanti? Fides enim tua fratrem tuum salvum faciet, et infra triduum ad agnitionem veritatis perducet : qui enim vos segregavit ex utero matris vestræ, ambos vocabit per gratiam suam ad se, justificabit in se, glorificabit ex se. Post hæc valefaciens Wlfadus viro Dei sanctum osculum illi libavit, benedictioneque ab eo petita et percepta, robustus in fide ad sua remeavit. Cumque appropinquaret castro patris sui, a quo discesserat, quod nunc vocatur Wlferecestria *a*, obviam habuit fratrem suum Rufinum *a*

EX MS.

finum magno mœrore afflictum ex ipsius absentia : suspicabatur illum ab aliqua discerptum bestia, sive ab aliquo adversario peremptum fuisse, vel illi aliquid aliud adversi accidisse.

ad eamdem hortatur fratrem.

13 Hac de causa perplures suorum adunavit, et illum per concava vallium, per condensa nemorum, per lustra ferarum quærere disposuit. Illo vero viso, tristitia vertebatur in gaudium, trepidatio in tripudium, sollicitudo in solatium. Sciscitabatur ab eo, quo demoraretur, vel si recte omnia circa se agerentur. Respondens Wlfadus, prospera cuncta erga se actitari asseruit, secretiusque illum alloquens omnia quæ gesserat, indicans illi, eadem facere attentius admonuit. Rufinus vero, divina præventus gratia, gratias multiplices reddebat Deo, affirmans, se diu desiderasse atque deliberasse pervenire ad fidem, quæ est in Jesu Christo, ex qua verbum vitæ primum
b audierat a sancto Germano *b* Anglorum Orientalium episcopo. Is namque pontifex cum venerabili Erminilda superius memorata ad partes illas advenerat, et aliquanto tempore ibidem degens
B verbum Dei multis euangelizabat.

qui ab eodem cervo,

14 Magnificavit igitur anima Wlfadi Dominum, et exultavit spiritus ejus in Deo cunctorum salutari, quia respexit, et lumen suæ visitationis illustravit mentem fratris sui. Ut igitur maturius manciparetur effectui, quod illorum divinitus inspirabatur affectui, prudenti usi consilio progrediuntur mane cum canibus quasi venatum, ut, dum certam et tritam viam non tenentes pervenirent ad sancti Ceddæ cellam, celaretur ceteris ipsorum propositum. Nondum in silvam longius processerant, et ecce cervus, qui primus beato Wlfado apparuit, fune collum circumplexum habens, illi se repræsentavit et usque ad mansionem viri Dei pervium * præbuit. Rufinus e vestigio præcurrentem sequebatur.

* *editio* prævium

ad sanctum Ceaddam deducitur,

15 Sed Wlfadus, quid bruti animalis præsentia et præcursio prætenderit, intelligens, clamando, et cornu clangendo illum revocare nitebatur, ne forte fera, ferens ferculum salutis, ab ipso sagittaretur. Puer tamen non intelligens neque intendens clamorem aut cornicinium fratris sui, præcurrit citius illo, et venit prior ad
C habitaculum hominis Dei. Cervus vero sicut prius, projecit se in fontem famuli Christi, ut potenter daretur intelligi, quod indicio, quo poterat, Puerum perduceret ad vitalis fluenta baptismi. Referunt plures, sanctissimum Ceddam fontem illum de terra suis precibus produxisse, qui usque in hodiernum diem vocatur fons sancti
c Ceddæ *c;* multisque, variis incommodis laborantibus, præbet salutiferæ haustum medelæ. Animadvertens homo Dei auditu et visu, quæ fiebant, exivit e cella, sub divo infixis oculis ac manibus cœlo pro utriusque hominis salvatione devotas preces profudit Deo vivo.

a quo in religione Christiana instructus,

16 Cumque orationi instantissime antistes astaret, Rufinus appulit : ipsumque beatum Ceddam esse, de quo multa et magna, germano narrante, audierat, in ipso ictu oculi statim animo persuasum habuit ; et cum omni reverentia salutans eum ait : Tune es, Domine pater Cedda, di-
d lectus Deo et hominibus, amicus Annæ, *d* quondam Orientalium Anglorum regis Christianissimi doctor, et ductor ad salutem Wlfadi fratris mei ? Quo respondente : Sum, procidit ad pedes ejus, obsecrans obnixe, ne tardaret se Christianæ fidei regulis initiare impartiendo salutare lavacrum. Admirans et animo amplexans almus antistes devotionem tantam in pectore Pueri, sed sensu cani, fervere, gavisus est gaudio magno valde. Sed et Wlfadus interim adveniens, dum agnoscit fraternum desiderium de ipsius certioratus conversione, impletum est gaudio os ejus et lingua exultatione. D

17 Sanctus Cedda continuo cathezizavit * et baptizavit eum in ipso fonte, Wlfado ipsum ecclesiastico more tenente atque de lavacro suscipiente. Sic qui prima in generatione frater fuerat illius uterinus, in secunda effectus est ei paternus *. Celebravit sacerdos Altissimi postea Missarum solennia, ipsosque agnos novellos effectos de grege tonsos ascendentes de lavacro satiavit Agni immaculati libatione sacrosancta, mente voceque præsaga prævidit, prædixit eos ascensuros ad montem Galaad ; hoc est martyrii fastigia. Denique docebat eos observare mandata Dei, prædicans eis præcepta et legem vitæ et disciplinæ, quia sciebat, quod corrigerent adolescentiores vias suas in custodiendo sermones legis divinæ. Declaratio itaque sermonum Dei tantum intellectum dedit Parvulis suis in Christo, ut neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque aliqua creatura posset eos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu omnium Domino. E

baptizatur,
* *lege* catechizavit
* *editio* patrinus

et cum fratre Wlfhado sæpius ad S. Ceaddam redit.

18 Discessuri electi Dei a præsentia præsulis sancti, et ad sua reversuri, humili quidem et devota precum instantia virum Domini rogabant, ut propius castrum patris sui Wlferecestriam dignaretur habitationem suam construere, quo liberius ad eum convenire divinis mysteriis celebrandis, horisque canendis frequentius interesse ac verbum Dei valerent crebrius audire. Placuit petitio Puerorum in oculis pontificis, cellamque cum oratorio competenti loco ædificans, viciniorem exhibuit illis * copiam sui se visitaturis. Ipsi quotidie ad virum Dei venientes divinis officiis assistebant, aliquando in divinis morabantur, studioque venandi simulato, Christianam religionem, quam susceperant, obumbrabant, ne in eis deprehenderentur. F

* *editio* illic.

Impius Werbodus, deprehensa regiorum filiorum conversione,

19 Verumtamen quia scriptum est : Semper diligit qui est amicus, et econtrario, in tempore suo non absconditur inimicus, Werbodus vir Belial, longe superius memoratus sedebat in insidiis, quasi arcus dolosus, ut sagittaret immaculatos, ut interficeret innocentes Pueros illos. Plerumque pedetentim proditor ille instar pavonis post illos gradiens vespere ac mane ad cellam Sancti euntes, exploravit itinera et actus eorum ; omni autem nisu tempus et occasionem aucupabatur, quo regis animum inflammaret in odium immo perniciem eorum. Cumque indagine certiori explorando didicisset, ipsos Christianissimos effectos divini cultus gratia oratorium illud frequentare, hominemque sic visitare, accedens ad regem, idipsum illi studuit intimare verbis delatoriis, ac malignis circumlocutionibus circumscribens, eum in iræ furorem non cessavit incitare. Erat enim idem rex Wlferus, sicut et Penda pater ejus, naturali conspersione iracundus, et

tempore

A tempore commotionis suæ fera ferocior, fera [magis] furibundus.

de ea regem monet, 20 Nactus igitur tempus opportunum malitiæ ac nequitiæ suæ, inventor et incentor totius mali fertur ad regem in hunc modum prorupisse : Diu, Domine mi rex, est deliberandum, quod semel est statuendum; quoniam ad puerilem levitatem spectat, immo in ignominiam regiæ maturitatis redundat, convellere plantata, ædificata destruere, decreta dissipare, sancita immutare. Placuit proinde prudentiæ sublimitatis vestræ propensioris providentiæ ponderare discreto libramine, utrum Christianorum nova secta debeat eligi, an cultura deorum a temporibus avitis approbata retineri. Sub illa enim pater tuus diu victoriosissimus vixit, feliciter, diis propitiantibus, regnavit, splendide de tyrannis et regibus triumphavit. Si vero illum abjicere atque de regno vestro delere vestræ placuerit majestati cum consilio magnatum vestrorum illud condecet fieri. Nunc autem filii tui Christicolæ effecti animo irreverenti et infrunito vestrum dispositum despi-
B cientes quotidie Christianæ legis fanum frequentare non cessant, quod infra condensa silvarum in regiæ majestatis vestræ contumeliam contumaciter ferri * fecerant. Nisi ergo animadversione districta talis præsumptio punita fuerit, auctoritas vestra quamcitius deperibit, et quilibet quamlibet sectam sibi eliget, quæ oculis suis plus placuerit.

* *forte* fieri

et illum incitat ad eos ab hac religione avocandos, 21 Hæc et his similia rex audiens, ira totus incanduit, seque graviter in illos vindicaturum, si sic se res haberet, juravit : Malignitatis autem ministrum secum nocte illa demorari fecit, in crastino cum ipso solo volens explorando experiri rei veritatem, quam ei detulit. Idcirco illum accusatorem solum secum ducere consultius arbitratur, ut si quid gravius in filios ira dictante perpetraret, ejus solius notitia perceptum imposterum cunctis celaretur. Summo sequentis diei diluculo, cum adhuc tenebræ essent super terram, rex cum filio tenebrarum, accinctus gladio iter arripuit versus locum. Sciens autem, se fore impotem impetum iræ suæ refrenandi, præmisit ante faciem satellitem illum diaboli, qui annun-
C tiaret filiis suis adventum sui, si forte in oratorio illo fuissent reperti, ut sic saltem perterriti se absentarent ab eo, beneficio fugæ atque latibuli.

tantumque mendaciis efficit, 22 Missus minister atque magister sceleris clanculo ad oratorium accedens et per fenestrellam introspiciens illos solotenus prostratos orationi devotissime procumbere perpendit, et nec verbulum aliquod aut sonitum saltem in visitando emittens, sed latenter cum omni silentio recessit, et ad regem reversus ait : Assunt filii tui contumaces et rebelles mandatis vestris in proposito suo pertinaces et obstinati Christum colunt et adorant, et non solum a facie vestra non formidant, sed etiam convicia et improbria * ingerentes mihi multiplicia, vos non regem aut patrem, sed blasphemum et apostatam nominant. Hæc vir Belial omnia mentiens protulit, et regem supra modum motum in sanguinem filiorum suorum ire compulit. Ibat ergo rex cum pestifero illo spirans minarum et cædis in filios suos, jam discipulos Christi, et non verba jactando, sed potius fulminando præ furore appropinquabat septis oratorii. EX MS.

* *editio* improperia

ut pater in furorem actus 23 Beatissimi Adolescentes audientes tonitruum vocis ejus solicitabantur pro patre suo spirituali, timentes ne nimio succensus furore mitteret manum in ipsum sanctissimum Ceddam, christum Domini. Nihil enim aliud patrem illaturum sibi nisi verborum injurias aut plagas virgarum poterant suspicari, cum tamen ipsi promptum paratumque cor haberent pro nomine Jesu contumelias et terrores et quælibet mortis genera pati. Beatus Cedda sciens, quod teste Salomone sicut fremitus leonis sic ira regis, ipsis pueris cogentibus, dans locum iræ a facie regis Wlferi, sicut David a facie Saülis, declinavit et ad interiores ulterioresque partes procedens silvarum se abscondit. Hoc quidem faciens, mortem minime formidavit, quam sibi lucrum deputavit, sed meliorem fructum ex vita ejus adhuc conservata, quam de instanti morte suscepta multis fore proventurum intellexit.

filios in sacello S. Ceaddæ orantes, 24 Rex Wlferus (si tamen rex recte in hoc loco debet nominari, qui se ipsum regere non potuit aut noluit) irrumpens in capellam illam in- E
venit filios ante Salvatoris imaginem orationi attentius expositos, et ait : ad illos : Quid facitis degeneres et contumaces, novas sectas colentes et culturam Christianæ legis in regnum meum absque mei permissione palam inducentes? Si sectæ huic confestim non abrenuncietis, abjuro jura me totius paternitatis ulterius erga vos tenere : quoniam ipsi vosmet privastis mei filiatione, vosque damnabo perpetua carceris intrusione, aut exilii relegatione, seu membrorum mutilatione mulctabo, vel morte.

et in Christi lege constantes, 25 Ad hæc Wlfadus respondit : Non est in conscientia nostra, suscipiendo cultum Christianæ fidei, genus rêgium aliqua degeneri depravasse infamia, sive vobis in aliquo voluisse rebellare, præsertim cum et vos baptismum dudum suscepistis, et per totum regnum vestrum idololatriam penitus delere, legemque Christi, prout putavimus, propalare aut promulgare proposuistis. Noveritis, domine rex reverende, ac pater charissime, quod nullius carceris squalor aut exilii terror seu membrorum abscissio, sive supplicii cujuslibet vel mortis intentatio vel illa- F
tio poterunt nos separare a catholica fide, quam suscepimus in baptismate. Si vero immeriti, ob fidem et dilectionem Christi, affectu vestro paterno privamur, illius filii sumus et erimus effecti, a quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur.

propriis manibus occiderit. 26 Cumque in hunc modum sermones sanctus proferret, Wlferus fera ferocior omni et effrenatior *, naturam exuens, instigante sathana ejusque satellite stimulante, gladio extracto, Wlfadi athletæ Christi caput amputavit, Christoque martyrem, licet invitus vel inscius, consecravit. Rufinus junior hæc videns fugam iniit, quem pater furibundus insequens letiferum illi vulnus inflixit; quo accepto, in terram corruens, post modicum spatium temporis exspiravit, fratri suo commartyr effectus ad cœlestem gloriam demigravit. Sic quos in terra couterinos fecit natura, ipsis junctis * in fide ac charitate cor unum et animam unam in Domino tribuit gratia, utros-
que

* *editio* effeatior

* *editio* unitis

EX MS.

que adunavit et univit in cœlestibus martyrii gloria *. Passi sunt autem nono Kalend. Augusti.

* editio gratia.

ANNOTATA.

a *Id est* castrum *vel* urbs Wulferi, *ni fallor : nam vocabulum* ceaster *(unde* cestria) a Latinorum castro deflexum, *inquit Camdenus in sua Britannia pag.* 235, majoribus nostris civitatem, urbem, sive castrum significavit. *Hinc haud dubie* Dorcestria, Colcestria *et similia Britanniearum urbium nomina oriuntur.*

b Germanus *orientalium Anglorum episcopus alibi ignotus est. Forte est* Jarumannus *Merciorum episcopus, qui in versione Saxonica Bedæ lib.* 3, *cap.* 30 *vocatur* Germanus. *Hujus obitus passim refertur ad annum Christi* 669, *cui tunc successit Ceadda. Imo Beda loco proxime citato narrat, Jaramannum ab ipso Wulfero missum fuisse, ut Sigherum Orientalium Saxonum regem ab apostasia revocaret. Quis hæc omnia cum Actis hisce conciliet?*

B

c *In Actis S. Ceaddæ, quæ ad diem* 2 *Martii ex Beda dedimus, nulla fit mentio de hoc prodigioso fonte, uti nec de aliis quibusdam miraculis, quæ hic auctor satis liberaliter congerit. Facile tamen credam, fontem quemdam S. Ceaddæ nomen retinere, quod nempe Sanctus circa illum habitaverit et ex eo biberit, vel forte eum suo labore construxerit.*

d *De hoc rege Beda lib.* 3, *cap.* 18 *scribit, quod fuerit* vir optimus atque optimæ genitor prolis. *Occisus autem est a Penda Merciorum rege.*

CAPUT III.

Impii consultoris punitio, honorifica Martyrum sepultura, et regis Wulfheri pœnitentia.

C

Cæde revelata, et Werbodo divinitus punito,

Tanto piaculo perpetrato, rex cum sæpius memorato mortis ministro, concito gressu divertit se a loco, parricidii conscio. Ne vero nefarium opus in notitiam deveniret reginæ vel populi, provisum est utriusque consilio, totum habitaculum illud nocturno tempore ab illo filio necis debere destrui, corporaque occisorum in aliquo loco latebroso sepeliri. Sed, teste Salomone, non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum ; quia quod factum est in tenebris, molimine cujuslibet obstare non prævalente, in lumine fuerat * revelandum. Cum enim rex castrum cum illo pessimo, qui ei erat a secretis, introisset, et in sua se recepisset, ante fores domus regiæ in atrio in conspectu multorum simul astantium invasit spiritus malignus machinatorem mortis martyrum germanorum fratrum, velut mancipium et vasculum proprium, manus enim suas et brachia propriis dentibus dilaniabat et quidquid per sui ipsius funestam instigationem in filios pater cruentus commiserat,

* editio fuerit

vociferans in auribus omnium vocibus inconditis divulgabat. Spiritus vero Domini malus illum tamdiu non cessabat vexare, quoadusque compelleret eum spiritum fœtidum exhalare. D

28 Fama facti detestandi, licet perplures gravi cruciatu percusserit, ex quo sanctæ reginæ aures attigerat, tum pro regiæ conscientiæ atque famæ læsione, tum pro natorum suorum interfectione ipsius animum inæstimabilis doloris gladius transverberabat. Quia vero quod factum est, non potest non fieri, prudentissime regina maritum, ut ad pœnitentiæ remedia recurrere deberet, sedulo studuit exhortari. Ipsa vero ad locum martyrii eorum accessit, et corpora colligens illorum in uno saxeo sarcophago simul honorifice sepelivit ; et congrue Domino disponente, a filia lucis in pace sepulta sunt corpora eorum, quorum animas introduxit Dominus in splendoribus Sanctorum, ut vivant nomina eorum libro vitæ inscripta in secula seculorum.

mater filiorum corpora honorifice sepelivit

29 Processu vero temporis regina venerabilis venustiori opere de lapidibus ecclesiam ibidem fabricare fecit : in quo loco magnus Dominus Martyrum suorum merita magnificans, quando fides promeretur, miraculis multimodis mirificare consuescit. Exhinc multi modo debilium diversisque languoribus laborantium et aliorum quærentium Dominum et beneficia beatorum Martyrum deposcentium consuevit locum illum frequentare et ad ædificium lapides illuc deportare : unde et locus ille Stanes *a* nuncupatur, quod nomen ex Anglico sermone in Latinum versum lapides interpretatur. Ab illo autem tempore sancta Ermenilda regina, conjugis consortio carere cupiens, non solum a maritali thoro abstinere, sed etiam a regali throno discedere proposuit, et cum beatissima Werburga virgine filia sua sanctimonialis fieri fixum in corde constituit, sicut et postea fecit.

et postmodum super ea ecclesiam condit.

E

a

30 Rex Wlferus ob necem natorum intolerabili animi angustia confossus, lecto languoris decubuit, ex cujus salute suos omnes desperatio depressit. Amici autem et proximi ejus ad eum appropinquaverunt et steterunt, doloremque cordis quo tactus erat intrinsecus, lenire gestientes, ut venationi vel aucupio insisteret, musicæ melodis instrumentis intenderet, illi suaserunt. Regina vero cum suis monuit eum ante omnia de divina misericordia numquam diffidere, sed potius sanctos episcopos Germanum et Ceddam consulere, corde contrito et humiliato pœnitentiæ formam ab eis suscipiendo satisfacere, ad arbitrium eorum idololatriam de regno suo funditus ejicere, vitamque suam deinceps corrigere. Rex autem hujusmodi consiliis animum accommodabat, et sanctum Ceddam visitare ac quidquid injungeret illi, facere firmiter apud se statuit.

Wulfherus facti pœnitens

F

31 In crastinum cum suis vadens venatum, veniendi ad virum Dei tali occasione spem conceperat, sicut et filios jam martyres actitasse ante audierat. Beatus Cedda pontifex ad priorem mansionem secus fontem statim post interfectionem sanctorum Adolescentium reversus fuerat, ibique solitarie degens secum habitabat. Cum autem rex processisset paululum longius infra condensa silvarum, omnibus suis nutu divino per

ad S. Ceddam se confert,

diversa

A diversa dispersis, solus existens perspexit eminus salientem cervum multoties memoratum, habentem collum fune circumligatum. Qui viso lætus effectus illum sequebatur præambulum, tamquam suæ salutis nuntium ac bajulum, donec perveniret ad servi Dei S. Ceddæ videlicet habitaculum. Pertransiens cervus et transiliens, quasi peracta legatione sua, regem reliquit, seque ob refrigerium vel potus haustum fonti præsulis immersit.

a quo post celebratam prodigiose Missam

32 Desilivit rex confestim de equo, et accedens ad fenestram oratorii vidit virum Dei sacerdotalibus indutum Missam celebrantem altaribus adstare; stansque foras, obstante rata * conscientia, antequam absolutus a pontifice introduceretur, non audebat intrare. Cum autem canonem inchoans sacerdos Domini extolleret manus suas in sancta, tanta lux cœlitus emissa emicuit per parietis foramina, ut sacrifex et sacrificium et circumposita ejus texerentur * fulgore perfusa. Hac intuentis obtutus obtenebrantur, quoniam in hujus Deifici luminis comparatione lux meri-B diana quodammodo nulla vel perexigua putabatur. Et quod mirabile satis fuit, splendor ille nullatenus minuebatur, donec Missæ sacrosanctæ celebratio consummaretur. Expleta vero Missa, lumen illud cœlicum disparuit et sol materialis per fenestras et foramina ingrediens secus altare radios porrexit. Adventus autem regis hæc videntis, divino lumine interius et exterius se illustrante, pontifici sancto innotuit, et quid exspectaret et expeteret agnovit.

* *forte* reatu conscientiæ

* *an non tegerentur?*

humiliter peccatorum veniam postulat,

33 Celebrata Missa, sacris vestibus cum festinatione se exuens, et æstimans, illas super reclinatorium ligneum secus altare ponere, super radium solarem nescius projecit, regemque foras oratorium existentem adiit. Solaris vero radius indumenta sacerdotalia super se posita, ne in terram caderent, sustentavit *b*, manifesto miraculo satis indicans, quod filius ille lucis Soli justitiæ fide atque dilectione firmiter adhæserit. Egressus sanctus invenit regem ante ostium ecclesiæ in terra prostratum, pro peccato suo valde confusum, atque nimio animi languore afflictum. Sanctus antistes elevavit eum infundens C vulneri animæ illius cum vino asperæ increpationis, exemplo boni Samaritani, consolationis oleum, ne in desperationis laberetur vitium. Multotiens, inquit, rogavi clementissimum conditorem omnium, ut transferre dignaretur peccatum tuum, quod in filios commisisti, mortis mancipio te instigante, qui jam effectus est inquilinus infernorum; Dominus autem, ut ostenderet in te divitias bonitatis suæ, dedit tibi precibus meis locum pœnitentiæ, si consiliis meis volueris adquiescere. Respondit rex cum magna humilitate, se per omnia velle illius consiliis obtemperare, et quod impie gessit, ad ejus arbitrium emendare.

et accepta pœnitentia,

34 Injunxit sanctus Cedda regi Wlfero sub clavi pœnitentiæ, quatenus sub omni celeritate in toto regno Merciorum faceret tota delubra dæmonum destrui, radicitus idololatriam evelli, ecclesias exstrui, monasteria fundari, clerum ordinari, Christianæ legis instituta juberet edicto publico firmiter observari: admonuit, ut judicium et justitiam inter virum et virum faceret, orationibus crebris intenderet, operis misericordiæ secundum exhortationem sanctæ Scripturæ peccata redimeret, a pravis actibus omnimodis se contineret, ac conjugali thoro fidem custodiret. Cum hæc et iis similia vir Domini dixisset, divertens parumper a rege, ad orationem se contulit, ipsi etiam regi, ut faciem Domini deprecaretur, indixit. EX MS.

visoque miraculo,

35 Prostravit se rex pœnitens juxta verbum sancti sacerdotis in oratione, levansque oculos vidit vestimenta sacerdotalia super radium solis dependere non absque ingenti admiratione. Surgens ergo protinus accessit, ut videret visionem hanc magnam, suasque chirothecas et baltheum posuit super radium; quæ statim ceciderunt in terram. Intellexit vir altioris ingenii sanctum Ceddam consortem, concivemque decretum esse supernorum civium Solisque justitiæ dilectum, cui adhuc in terra degenti tale sol solvit obsequium. Paulo post pontifici, ab oratione regresso, rex rem recolendam retulit, et necdum animadvertendum insigne suum, indignum occultatione, ad oculum ostendit. Qui statim accedens E vestimenta illa resumpsit, et super altare deponens veræ luci, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, devotas gratias, actionesque exhibuit. Rex ædificatus ac valde... delectatus in Domino sanctum sacerdotem secum adducens, ad sua et suos reversus est, in brevi studens opere complere, quæ Deo coram sancto viro pollicitus est.

ad expiandam filiorum cædem varia pia opera exercet.

36 Beato Cedda commonente, et cooperante sancta Ermenilda, rex infra temporis spatium totum regnum suum ab omni spurcitia idololatriæ purgavit, et quidquid sanæ fidei adversum agnoscere poterat, eliminare curavit. Ecclesias congruis in locis exstruxit aut exstrui fecit: monasteria utriusque sexus plura et præclara ædificavit, amplisque possessionibus locupletavit; inter quæ illud nobile cœnobium in Medeshamstede *c* prædiis et possessionibus ditavit, [et] ob facinus in filios commissum expiandum specialiter fundasse perhibetur, quod hodie Petrisburch, id est civitas sancti Petri nominatur. Ibi enim in ecclesia, in honore Principis Apostolorum dedicata, multos cives Sanctorum in se continet, F et plures ad consortium civium supernorum, beatissimo Petro conducente ac regni januam aperiente, transmittere solet. In illo autem loco vocabulo Stanes, ubi sanctorum martyrum Wlfadi et Ruffini corpora in pace sepulta sunt, collegium Canonicorum regularium *d* divinis obsequiis mancipatur, ubi signis coruscantibus multa beneficia salutem postulantibus ad laudem Domini nostri Jesu Christi meritis Sanctorum præstantur, cui est gloria et imperium in omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Ita etiam legitur in editis. Sed alibi locus ille vocatur* Stone, *quod Anglice lapidem significat.*

b *Simile prodigium in vitis Sanctorum non raro recurrit, quod tamen sine idoneo auctore non facile credimus.*

c *Cam-*

A c *Camdenus in sua Britannia pag.* 378 *scribit Petriburgum situm esse*, ubi in flumine immensæ profunditatis fuisse voraginem Medeswell dictam, appositumque oppidum inde Medeswllhamsted et Medeshamsted appellatum tradunt auctores. D

d *Monasticon Anglicanum tomo* 2 *a pag.* 127 *exhibet varia diplomata, huic Canonicorum collegio seu Prioratui concessa.*

DE S. ARNULFO MARTYRE

MOSOMI IN GALLIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus, reliquiæ, Acta et translatio.

XXIV JULII.

Sanctus colitur die suæ translationis,

Mosomum, *munitum Galliæ oppidum in Campania, quod in confinio ducatus Luxemburgici Mosæ fluvio adjacet,* XXIV *Julii veneratur* S. Arnulfum, *quia sacra* B *ejus ossa eo die non sine miraculis ad Mosomense S. Mariæ monasterium translata sunt. Nescio, cur auctaria Usuardina in posterioribus Molani editionibus, et Castellanus in Martyrologio universali Sanctum quinto Nonas Octobris collocaverint, cum auctor chronici Mosomensis, qui ante medium seculi* XI *videtur scripsisse, in Spicilegio Dacheriano tomo* 7, *pag.* 642 *diserte asserat, eam corporis translationem factam esse* anno nongentesimo primo Dominicæ Incarnationis, indictione quartadecima, mense Julio, nono Kalendas Augusti *Occasione hujus translationis Mosomense beatæ Mariæ cœnobium ab Adalberone archiepiscopo Remensi concessum est monachis Benedictinis, qui etiamnum illud incolunt, et præcedenti seculo a Patribus congregationis S. Vitoni in meliorem statum restituti sunt, ut Mabillonius loco mox citando testatur. Porro qui hujus cœnobii originem, et vicissitudines nosse cupit, adeat Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo* V *a pag.* 355, *et Marlotum in Metropoli Remensi tomo* 2 *a pag.* 3.

ejusque reliquiæ in abbatia Mosomensi

2 *Quamvis iste* S. Arnulfus *plerisque Martyrologis sit ignotus, tamen de antiquo ejus cultu satis constat ex Actis infra dandis et instrumentis monasterii Mosomensis, ex quibus laudatus Marlotus tomo* 2 *Metropolis Remensis pag.* 13 *profert sequentia* : C Bernerus S. Arnulphi martyris corpus e theca lignea, in qua primo delatum fuit e Warco, in argenteam transtulit, quam a Gandavensibus mnemosyni loco acceperat illustris Adalbero... Decessit Bernerus XIV Januarii MLXIX. *De eadem, ni fallor, socri corporis transpositione anonymus chronici Mosomensis continuator, qui usque ad annum* 1212 *pervenit, apud Dacherium tomo* 7, *pag.* 633 *ita scribit :* Anno Dominicæ Incarnationis MLXV, indictione III, regnante Philippo rege Francorum adolescente, anno regni ejus VI, pontificante Gervasio Remorum archiepiscopo, anno sui archiepiscopatus X, Domno abbate Bernero, ceterisque sanctæ Mosomensis ecclesiæ fratribus cum summa devotione facientibus, præsente domno Hugone S. R. E. Cardinali, per manus ejus elevatum est corpus sancti Arnulfi martyris de theca priori, et cum devotis laudibus et hymnis repositum est in aliam sub die IX Kalend. Augusti, præsente ibi ipso repositionis die plurima utriusque sexus et ordinis multitudine altisonis vocibus Christi gloriam collaudante.

honorifice conservantur.

3 *Marlotus ibidem pergit :* Guido majorum vestigiis insistens brachium sancti Arnulfi a reliquo corpore separatum theca argentea decoravit, ut versus sequentes eidem inscripti testantur :

Martyris Arnulfi radiat manus inclyta signo :
Hanc abbas Guido vestivit tegmine digno. E

Reliquias ejusdem Sancti adhuc hodie honorifice ibidem custodiri disco ex Itinere litterario duorum Benedictinorum, non ita pridem Gallice edito, in quo part. 2, *pag.* 150 *tamquam oculati testes affirmant, corpora SS.* Arnulfi *et Victoris ibi hodiedum in pretiosis lipsanothecis conservari. Veneratio autem illa ortum duxit ex frequentia miraculorum, quibus moti accolæ jam a multis seculis ecclesiam construxerunt, in quam istius Thaumaturgi corpus transferrent, ut infra num.* II *refert anonymus chronici Mosomensis scriptor.*

Vitæ tempus aliaque Sancti Acta ignorantur;

4 *Quod ad* S. Arnulfi *vitam et gesta attinet, ea in memorato Chronico breviter et obscure traduntur. Neque id mirum est, cum seculo decimo loci istius accolæ, ab Adalberone archiepiscopo Remensi de sancti stirpe, patria, Actisque interrogati, num.* 23 *ita respondeant :* Genus... et vitam, quam duxit, ignoramus, præterquam, quod locum sepulturæ ejus habemus in proximo; ubi terram terræ contulit, cœloque spiritum reddidit, ubi etiam aliquamdiu jacens et meritis vigens, diversis infirmitatum incommodis, Deo præstante, obtinuit F remedium salutis. *Nec certiora dici possunt de tempore, quo is Sanctus vixit aut obiit : nam in Actis infra dandis num.* 9 *de ejus sepultura hæc referuntur :* Ignotum est, quamdiu jacuit, quousque illum divina virtus revelari voluit. Defuncta namque et e medio viventium sublata omni generatione illa, quæ eum terræ mandaverat, nomen quoque ipsius prorsus jam tacitum et oblivioni traditum erat. *Deinde numero sequenti narratur, quomodo nomen ipsius et sanctitas innotuerint divina revelatione, cuidam ægrotanti facta, in qua ita nuntiatur :* Ibi enim sepultus ex diutino tempore requiescit sanctus martyr Arnulfus, quem generatio illa, quæ tunc eum sepulcro obruit, minus curans oblivioni contradidit. *Si igitur seculo* X *aut* XI *tempus vitæ, mortis, ac sepulturæ ignotum fuerit, frustra ego jam illud indagabo. Ceterum quæ auctor chronici Mosomensis de Actis* S. Arnulfi *tradit, haud dubie ex incolarum traditione acceperit,*

sed de illius translatione certiora memorantur.

5 *De prodigiosa reliquiarum translatione, anno* 971 *Mosomum facta, certius quidpiam memorare possum, utpote quam conscripsit auctor synchronus aut*

A *aut saltem suppar, qui ad annum* 1033 *chronico suo finem imposuit. Exiguum quidem discrimen occurrit circa annum hujus translationis inter primum chronici scriptorem, ejusque continuatorem : hic enim in Appendice apud Acherium tomo* 7 *Spicilegii pag.* 663 *initio quædam repetens ita scribit :* Anno Domini nostri Jesu Christi DCCCCLXIX. Hoc anno ordinatus est Adalbero Remorum archipræsul. In secundo anno ordinationis suæ, id est DCCCCLXX ab Incarnatione Domini venit sanctus Arnulfus ad hanc Mosomensem ecclesiam. *Nos priori, qui eam anno Christi* 971 *discrte consignat, ob antiquitatem potius credimus. Porro utrumque chronici istius auctorem secuti,* S. Arnulfum *in titulo appellavimus* martyrem, *quamvis illud martyrii genus in latiori significatione accipiendum sit, ut in simili casu alias sæpe monuimus. Denique hic* S. Arnulfus *distinguendus est ab altero homonymo martyre, cujus Vitam die* XVIII *Julii illustravimus, et quem tomo* IV *ejusdem mensis pag.* 398 *ab hoc nostro differre probavimus, uti manifestum fiet Acta illa conferenti cum iis, quæ hic jam subjungimus.*

B

ACTA ET TRANSLATIO

AUCTORE ANONYMO

Ex chronico monasterii Mosomensis, quod ab Acherio tomo VII *Spicilegii a pag.* 623 *editum est.*

PROLOGUS.

Auctor dicit, Sanctos honorandos,

Sanctorum solemnia quotiescumque agimus, fideli mente, fratres, pensare possumus, quia cum sit pro humanis laboribus apud Deum jugis omnium Sanctorum deprecatio, de illis hoc pro nobis tantopere fieri, tunc potissimum sperare debemus, quando in Dei laudibus pro illorum gloria attentiores sumus. Ideo nobis pia in- C tentione curandum est, ut quod exterius per speciem significamus, interius in veritate teneamus; et inde foris solidemur in opere, unde intus reformamur in mente. Solemnitas enim Sanctorum, salus est et lætitia fidelium, qui de illa jam gaudent inventione; unde nos per spem hilarescimus in itinere, certi per gratiam Dei ad eorum nos pertinere et perventuros esse consortium, quorum per fidem et operationem imitamur exemplum. Illi fidei firmiter servantes propositum, spei anchoram tenentes per desiderium, imitati sunt Christum in morte sua, et per calicem passionis adepti sunt præmia æternæ felicitatis.

et imitandos esse,

2 Igitur eorum nos in quantum possumus, Deo largiente, vestigia prosequamur; et si eos digne imitari per omnia non valemus, tamen in quantum virtus suppetit, et ex affectu cordis diligamus, et corporis devoto servitio celebremus; ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Nec enim dubitandum est, eos semper esse avidos salutis humanæ, pro qua Deus misericorditer homo fieri dignatus est, et quam nobis suo sanguine Christus comparavit, ipsamque in se assumptam in dexteram Patris in cœlestibus collocavit; ut ubi præeminet in capite, ibi conservetur in corpore. Sed idcirco impensius Sancti salutem nostram apud Dominum efflagitant, et per compassionem..... scientes quia quanto magis nostræ corruptionis labore premimur, tanto magis necesse est, ut divino auxilio sublevemur. Proinde, dilectissimi fratres, Sanctorum memoria fideli semper est cogitatione veneranda, et pia admiratione suscipienda. Qui enim carnis materiam portantes, sed tamquam de carnali corruptibilitate assumpti, præter carnem vixerunt, et per spiritum vivificantem ea, quæ carnis sunt, calcaverunt, dignum valde est, ut et vitæ sanctitate insignes habeantur, et victoriarum suarum titulis coronati, honore et admiratione pariter reverendi laudabiliter prædicentur. EX IMPRESSIS.

et propterea celebrat S. Arnulfi translationem,

3 Unde quia hunc diem pro B. Arnulfi martyris præsenti patrocinio solemnem recolimus, ipsi Domino Deo multiplices gratias referimus, cujus adoranda semper clementia tanti benedictione suffragii, nos in hac die voluit feliciter E prosperari. Hodie namque patribus nostris *a* et prioribus hujus loci, Mosomensis videlicet ecclesiæ, quod minus sperabant, divina bonitas optabile satis contulit donativum, quod et sibi ac posteris suis per succedentia temporum curricula posset esse salutiferum, mœstis et dolentibus consolatorium, fessis et laborantibus tranquilla requies, profligatis et pro peccato mœrentibus præsentissima sedes recreationis. Hodie namque, Deo faciente misericordiam, Mosomensis ecclesia hujus sancti Martyris suscepit pignora, accepit patrocinia, meruit fidissima orationum ejus beneficia. Excepit die ista *b*, lætantibus angelis, exanime corpus, sed quod miraculorum famulante testificatione comitabatur cœlica virtus. Suscepit, inquam, loculum et corpus cum ossibus exstinctis; sed quæ foris abjecta videbantur, intus erant jucunda et vivida meritorum lumine.

quæ non absque miraculis peracta est.

4 Ostendebat nimirum omnipotentia divinæ majestatis, quod latebat oculos nostræ carnis : repræsentabat vivæ virtutis indicium, unde mens F nostra nimis ambigeret, cum eam fidei argumento solidatam veritas ipsa miraculorum ad magis credendum attraheret. Mirum erat, quod cæca mulier visum reciperet et cum virtute miraculi lumen surgebat fidei. Stupendum erat prodigium, quod ignis suarum oblitus virium nequibat præbere inter arida ligna incendium. Prorsus erat mirificum, et antea seculis nostris insolitum, vere novum cœlestis virtutis opificium, navim per fluctus ire sine remige, contra fluminis impetum adlabi placidissime; et dum fluctus deorsum sensim labitur, navim, aquila præsidente, cum solo Sancti corpore gratanter undis invehi *c*. Sed jam ratio postulat, ut causas tantarum rerum series narrationis expediat.

ANNOTATA.

a *Ex hoc modo loquendi satis patet, scriptorem anonymum fuisse monachum Mosomensem.*

b *Crebra illa diei repetitio indicat, eam fuisse anni-*

EX IMPRESSIS. *anniversariam concionem prædicari solitam, quæ huic chronico inserta est.*

c *Miracula ista, hic breviter præmissa, postea fusius narrantur.*

CAPUT I.

Sancti peregrinatio, cædes, mors, sepultura, corporis revelatio ac veneratio.

Arnulfus sanctitate illustris a

Venerabilis igitur Arnulfus, vir vere Deo dignus, Lothariensis *a* terræ fuit accola, atque ut ex miraculis claruit, totius innocentiæ et sanctitatis arripuit tenere vestigia. Quibus insistens, et fideliter Deo in timore et justitia deserviens, magis ac magis in bono proficiens, sicut palma in dies multiplicabat, sicut lilium odorem virtutum coram Deo germinabat, pro quo modo electus et assumptus habitabit in atriis B semper cœlestis vitæ beatus. Hic itaque vere bonorum operum studiis augmentatus, per simplicitatis oculum corpus suum exhibebat lucidum. Sed cum divina gratia sic ejus disposuisset opera, ut lucerna in domo Dei fieret quatenus intrantibus lumen præberet ipse, quod nescientibus rectum et velut obscurum erat in tenebris. Positus super candelabrum bonæ operationis dare cœpit flammas, quibus accensus fuerat, divini amoris.

varia sanctorum sepulcra invisit,

6 Audiens namque quod ait Apostolus : Quamdiu in hoc corpore sumus, peregrinamur a Deo : per fidem enim ambulamus, et non per speciem; itemque illud : Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus; hanc vitam peregrinationem intellexit esse, non patriam, carcerem servitutis pro domo libertatis, exsilium captivitatis pro civitate et regno supernæ inhabitationis. Idcirco corpus castigans servituti subjiciebat; attenuans carnem male illecebris seducentem, et spiritum roborans virtutum plantaria fructificantem. Unde bonus Adolescens, *b* peregrinatione suscepta ad ultra Mosanos *b* ac C Mosellæ *c* sinus, Belgicam *d*, Celticamque Galliam *e* petiit orandi gratia, et Sanctorum, qui in eis sunt, frequentandi suffragia. Quid ibi negotii habuerit, quid commercii cum ipsis, sancta ejus suspiria et piæ lacrymæ in precibus assidue profusæ egerint, non multum est necesse dicere, cum satis sit perspicuum, eum, quæ sancte poposcerat, efficaciter promeruisse, et quæ juste quæsierat, feliciter obtinuisse.

et in Campania a latronibus graviter vulneratus,

7 Itaque lustratis multorum Sanctorum patrociniis, tam in urbibus quam in vicis, mente et corpore sospes repedabat, et alacris ambulabat solicitus cum Deo suo, innocens manibus, et corde mundo, quia non acceperat animam suam in vano, nec in dolo juraverat proximo suo. Et quoniam hæc generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob, accepit benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo, ut ascenderet in montem Domini, et staret in loco sancto ejus. Interim Porciensem * comitivam *f* ingressus, prope jam egrediens perlimitabat eam, cum ecce a latronibus, vitæ vel pecuniis transeuntium insidiantibus, occursu improviso exceptus, in loco qui dicitur..... in D silva, quæ cum toto circumposito sibi montuoso territorio Frigemons *g* appellatur, usque ad mortem verberibus et plagis dirissimis toto corpore *g* dilaniatus, tandem vix ad villam, quam Gruerias *h* appellabant, pervenit, et ducente se via, regio, ut dicunt, Pergio subsistit: quem cum inibi *h* villæ populus diutissime residentem vidisset, nec inde se promoventem, lassum quidem prius credentes, fageto autem et umbra silvæ, quæ dextrorsum præeminet, æstimantes obumbrari; ac deinde, cum nullatenus removeretur, putantes speculatorem, vel alicujus prædæ aut rapinæ exploratorem, vadunt, quisnam sit, percunctari. Nam villa tunc illa et viris habitabatur admodum honestis et divitibus, et populi frequentia, ruralique negotio satis erat composita.

* alias Porcuensem

perceptis Ecclesiæ Sacramentis,

8 Venientes autem, et quam male se ille Vir sanctus haberet invenientes, humana miseratione commoti nuntiaverunt apud villam celerrime causam facti. Quod audientes concives a majore usque ad minorem convenerunt fere omnes dolentes cum dolente, infirmati cum infirmante. Matronæ vero villæ illius, quibus et humanissimus et devotus erat affectus, cupientes eum domibus suis adducere, ut in sancta administratione illius participarent gloriæ remunerationis E ejus, offerebant ei suam christianissime sedulitatem in omnibus, secundum quod immensitatem considerabant dolorum et plagaturæ ipsius. Quibus ille publice loquens : Ego, inquit, jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat, non erit diutissimum sedulitatis hujus ministerium; quia jam fatiscentibus hujus corruptionis artubus, jam sopitis venarum pulsibus, mox deposito carnis onere spiritus, suo pergens itinere, repræsentabitur Dei misericordiæ. Subvenite potius, ut subveniat vobis Deus. Procurate misericordius, quatenus sacerdotum manibus Dominicæ communionis Eucharistiam merear suscipere, ut accepto viatico defensionis contra occursum insidiantium spirituum munimen habeam redemptionis pretium.

pie moritur.

9 Protinus..... accito presbytero, facta oratione, et dicto symbolo, participans vivificis mysteriis, unitus corpori æternæ salvationis : Peregrinum, inquit, me cernitis, peregrinum in hoc F loco et in hac via hujus meæ sepelite peregrinationis. Post hæc facta et dicta, pedes suos colligens, et oculos ac manus in cœlum intendens: Domine, inquit, Jesu Christe, qui hanc fecisti et redemisti animam, tibi eam trado et commendo tuæ redemptionis electis animabus connumerandam. Quo post beata vota in morte resoluto, procuraverunt ei cives illius loci honestum sepulturæ loculum, qui viæ regiæ contiguus in promptu est videri transeuntibus. Ubi positus ignotum est, quamdiu jacuit, quousque illum divina virtus revelari voluit. Defuncta namque et e medio viventium sublata omni generatione illa, quæ eum terræ mandaverat nomen quoque ipsius prorsus jam tacitum et oblivioni traditum erat, præterquam quia fidelis cujusdam peregrini sepultura nota erat et tumulus desuper aggestus ibi præminebat *.

* alias permanebat.

Sanctitas ejus revelatur,

10 Cum autem supernæ providentiæ placuit et nomen et meritum manifestare dilecti Servi sui, accidit, unum e vicinis gravi febrium languore torqueri, et diu vexatum dureque detentum

A tum ad mortem usque affligi : in quo dolorum angustiatus cruciatu vidit ex revelatione divina [et] visione somnii sui quemdam placidi vultus hominem apparentem, sibique dicentem : Gravi detineris dolorum incommodo, pessimæ infirmitatis artaris vinculo : unde et te jam relaxari oportet, et auctorem salutis venerari condecet. Vade propere absque hæsitatione ad locum illum tumuli, secus viam in dextra positi, et, facta oratione tua cum fide, convalesces ocyus ex hac incommoditate. Dicam tibi mysterium, enunciabo veritatis arcanum. Ibi enim sepultus ex diutino tempore requiescit sanctus martyr Arnulfus; quem generatio illa, quæ tunc eum sepulcro obruit, minus curans oblivioni contradidit. Tu ergo ne dubites, quin ipsius meritis salutem, quam desideras, consequaris.

et ædificatur ecclesia, in quam corpus transferri non potuit.

11 Abiit ille, humiliter accessit, precibus fusis paululum dormitavit : excitus a somno, Deo et sancto Martyri gratias et laudes referens, incolumis remeavit. Quod ubi contiguis finibus auditum est, accessit infirmus unus et alter, oraverunt fideliter, redierunt salubriter. Fiebat istud B non paucis diebus, donec infinita multitudine conveniente, et manifesta sentiente remedia, quotquot cum fide veniebant, Dei et sancti Martyris ejus redeuntes prædicabant, quæ experti erant, magnalia. Hinc vicini cum incolis inter se colloquentes consilium habuerunt, ut collatione facta pro viribus præparatis impensis, ecclesiolam facerent, in qua cum sepulcro suo S. Arnulfi corpus transferentes ponerent. Quibus omnibus paratis, ecclesiam ex communi faciunt, tecturam superponunt, ad tumulum ea veniunt intentione, ut quia ibi, utpote in via regia, super eum non quibat fieri ecclesia, ad præparatum loculum ferrent arcam sepulcri lapideam cum corpore. Sed effosso circumquaque tumulo, et egesto terræ aggere, nulla vi hominum, nullo ingenio conquisito artium amoveri potuit inde. Mirum, non sine magna quidem circumstantiam et intuentium admiratione, cum sepulcrum inspicerent quantitatis modicæ et multæ brevitatis, quod etiam quadruplicatum portaret facile tantorum virtus coadunata virorum. Unde cum stupore et timore præsumptionis suæ ab incepto desperantes penitus restitere *, reservantes illud factum, cui Deus annueret generationi posteræ. Ecclesia tamen mansit multo tempore distans a sepulcro Sancti, quantum potest jacere...., cujus adhuc manent vestigia, fruticibus et arbustulis circumsepta, vetustate et umbrium infusione diruta omni maceria.

C

* *forte* destitere

Ager, in quo jacebant Sancti reliquiæ,

12 Erat adhuc eo tempore in eadem villa ex majorum successione, quorum juris fuerat fundus ille, una linearis prosapia, quæ juxta abusivam consuetudinem mundani tumoris arrogabat sibi veterum suorum ventosam defensionem in pretiositatem generosi geminis, et superbi nobilitatem sanguinis. Unde contentione facta ex multiplicatione litis accidit inter eos dissidium. Nam quidam miles nomine Airannus, ex ipsis unus, sed ut videbatur, aliquanto inferioris germinis cetera omnia pro se vir bonus, inter eos sortem habebat hereditatis : in parte tamen illa, ubi corpus requiescebat sancti martyris Arnulfi, quæ viæ vicinior et exitui opportunior (per eam quippe et in silvam erat iter et in pascua) quidquid sati vel graminis habebat inquietudine peculii totius villæ perdebat. Hinc sæpe clamans, sæpe contendens, cum neque legem judicio, neque civili contubernio, quæ sua erant, quiete possidere potuisset, verborum contumeliis et nimietate injuriæ provocatus, arma capit, armis rem suam defendere repromittit : injuria iteratur, damnum cumulatur, homo contemnitur, in facinus properatur. Quid multa? Adeo res processit, ut quidam eorum, Fulcherus nomine, interceptus in damni crimine, confessus truculenter, cum peccato suo moriens spiritum exhalaverit vitæ.

EX IMPRESSIS.

venditur cuidam comiti,

13 Quo facto, post ultionem injuriæ et admissionem piaculi, Airannus in sese rediit, et quia manum propinquorum effusi sanguinis sustinere non posset, secum ipse æstimans reputare cœpit. Unde continuo fugitivus per devia quæque et silvosa, delitescens timore mortis, patronum sibi et tutorem contra potentes potentiorem quærens, facit pactione suæ fidelitatis et manu commendationis cum omnibus quæ erant sui juris.... quemdam virum bellicosum, qui fasque nefasque pensabat æque, famosus opere, potens et viribus, et genere. Hic habitabat in villa sui juris, prædicto fundo satis proxima, quæ appellatur Avia * : frater enim erat comitis Goeranni, qui castellum sui dominii tenebat, quod Cantaranna *i* nomen habebat. Airannus ergo propter compendium auxilii et liberationis, advocatum habebat interim virum hujusce qualitatis. Inde ad altiora tendens, et tutiora perquirens, Otthonem comitem adiit, qui forte tunc in illis partibus commanebat : quia ibi propter defensionem et opportunitatem alodiorum *k* suorum castellum fecerat, quod Warcus *l* nomen habebat. Hunc ita virum tunc Airannus expetiit : de suis fortunis verba facit, causas aperit, susceptionem postulat, fidelitatem servaturum insinuat, spondet, et firmat. Comes Ottho viri fortis et nobilis gerens animum, suscipit hominem, annuit gratiam, præbet necessaria, repromittit adjutorium et defensionem suam sibi non defuturam, si fidem in eo inveniat stabilem et firmam.

E

* *alias* Ania

i

k *l*

qui eas in castri sui sacellum transferri jubet.

14 His factis pactionibus, adeptus familiaritatem gratiæ ejus : Est, inquit, cum coheredibus meis in villa Gruerias alodii non modica mihi portio, quam cum cespite suo nobilitat beati Arnulfi, in tumulo adhuc quiescentis, pretiosa confessio ; qui gloriosus meritis, sacris virtutibus fulget venerabilis. Hunc si tu, domine mi, comparare volueris, leviori pretio, quam aliquis hominum, me vendente et tribuente, sub tuo jure acquirere et possidere poteris. Lætus comes de patrocinio Sancti, quia certa esset tuitio sui castri, secundum commune placitum illi solvit, quæ inter eos convenerat, pecuniæ summam ; ille promissam donat beati corporis glebam. Comes facti commercii non negligens negotiator, properans mature antequam fama vulgaret, accitis peditum et equitum copiis, matutinus venit ad tumulum, et per manus presbyterorum levans in feretro corpus sanctum, cum ingenti gaudio iuspicientibus rusticis, de quorum possessione tollebatur, transtulit Guilledium, et in ecclesia sancti Hilarii Pictaviensis episcopi, cujus ibi memoria veneratur, posuit aliquamdiu custodiendum donec in castello facta capella, cum majori reve-

EX IMPRESSIS. rentia servaret tantum thesaurum. Quo ad nutum ordinato, et capella constructa, transfert ibi pretiosa Sancti pignora cum multa populorum frequentia. Qualiter autem ab illo loco ad hanc Mosomensem ecclesiam gratia Dei Sancti hujus voluerit pervenire præsentiam, quamquam prolixitate orationis digressionem facere videamur, tamen plena fide relationem historiæ texentes explicare aggredimur.

ANNOTATA.

a *Cum Lothariagia seu Lotharii regnum olim varias regiones complecteretur, non facile dictu est, ex qua provincia* S. Arnulfus *fuerit oriundus. Incertitudo illa crescit, eo quod vocetur* Dothariensis terræ accola, *non autem incola, quamvis hic forte idem significet.*

b *Per ultra-Mosanos intelligo populos habitantes* B *ultra Mosam, notissimum fluvium, qui in Campania oritur, et varias provincias præterfluens tandem in Oceanum Germanicum se exonerat.*

c *Mosella est fluvius, qui oritur ex monte Vogeso in Lotharingia, et multis fluminibus auctus, variasque regiones rigans ad Confluentes e regione Hermanstenianæ arcis Rheno miscetur.*

d *Belgica olim dividebatur in primam et secundam, de qua vide Valesium in Notitia Galliarum pag.* 78, *uti et de Belgica, vulgo* Balchusem, *vico inter Marcomagum et Tolbiacum. Quænam hic indicetur, ignoro.*

e *Gallia Celtica, quæ et Lugdunensis a metropoli Lugduno appellata est, olim latissime patuit, ut videri potest apud Cellarium in Notitia orbis antiqui part.* 1, *pag.* 125.

f *Is est comitatus Portianus in Campania, quem Frodoardus in Historia ecclesiæ Remensis et in Chronico non semel* pagum Porcensem *vel* Porticensem *appellat.*

g *Hunc locum, uti et alios plures, frustra quæsivi. Forte a topographis aut in mappis geographicis non exprimuntur, quia nomina sua mutarunt. Saltem videntur esse in Campania, nec a se invicem* C *multum distare, ut ex aliis quibusdam jam enumeratis ac porro enumerandis colligitur.*

h *Suspicor esse locum, qui in mappis geographicis vocatur* Gruyer, *et non procul Maceriis et Warco versus Retelium, agri Retelensis caput, collocatur. Mabillonius seculo* 5 *Benedictino pag.* 355 *in margine notat, Gallice nominari* Gruyeres.

i *Hoc castellum, sicuti villa Avia nuncupata de qua paulo superius, sunt e numero locorum, quos frustra apud topographos et in mappis geographicis quæsivi, ut jam ad litteram g præmonui.*

k Alodium *est fundus, prædium vel hereditas; de qua voce ad majorem intelligentiam, vide plura apud Caugium in Glossario.*

l *Est castellum ad Mosam et Sulmonam flumina situm, quod sequenti capite num.* 18, *occasione ipsius oppugnationis ab Adalberone Remensi archiepiscopo, satis describitur.*

D

CAPUT II.

Orta inter Otthonem comitem et Adalberonem archiepiscopum Remensem discordia, reliquiæ S. Arnulfi mirabiliter in præsulis potestatem rediguntur.

Udalrico archiepiscopo Remensi succedit Adalbero,

Udalricus * *a* sanctæ Remensis ecclesiæ archiepiscopus naturæ concedens legibus, humanis rebus erat exemptus. Francorum rex gloriosus in sceptris agebat domnus Lhotarius; qui audiens vacuam pontifice sanctam sedem Remensis ecclesiæ, Dei permittente gratia, et ordinante clementia, cum totius cleri et populi electione, et assensu procerum occidentalis Franciæ, domnum Adalberonem regali munificentia præfecit et constituit summum antistitem, virum, ut credimus, E Deo dignum, in rebus ecclesiasticis strenuum carne nobilem, genere potentem, consilio prudentem, magnanimitate singularem, fidei virtute invincibilem. Hic sibi commissi ovilis pastor solicitus, ne quando periclitaretur, et urgente mundi pressura a recto deviaret, curis anxius, pia sedulitate infirmos consolabatur cum fortibus. Erat ei sermo doctrinæ congruus ad ædificationem audientium in gratia sale conditus: unde formam virtutum ac disciplinæ daret subditis, unde redarguendo improbos viam eis significaret humilitatis.

* *alias* Odalricus.

a

qui contra varios injustos aggressores jura sua fortiter tuetur,

16 Interea dum pax creditur, dum meliora sperantur, insurgunt contra hunc bonæ spei virum mille insidiarum stimuli, tumultuantur adversus eum quidam proceres regni: Dum enim, sicut ait Euangelium, dormirent homines, venit inimicus homo, et superseminavit zizania. Dum dormit justitia in regum et principum cordibus, dum resolvuntur in suis cupiditatibus, et sicut scriptum est: Quia in diebus illis non erat princeps et propheta et dux in Israel, sed unusquisque, quod sibi videbatur rectum, hoc faciebat, F cœpere se, prout quisque poterat, in majus efferre majores minores suos, ut est hodie malæ consuetudinis, opprimere, potentiores impotentes venari, et quasi prædam sequi, timore Dei abjecto, jure legum seculi spreto, ecclesias affligere, familias ecclesiarum, quas minus gladius et scutum defensionis tueretur, apposita quacumque injuriæ occasione, aut gratuito potius servituti addicere. Quos cum vir prædictus in familiam suæ ecclesiæ nimis grassari cerneret, et, quæ libera esse debuisset, servitutem plangeret, primum quidem verbis et suasionibus suis missionem quærere, inde cum minus proficeret, quia et militiæ sibi erat copia, et sui generis hoc pati indigne perferebat potentia; reclamando aperte minari, et resistendo tuitionis remedium defensionisve subsidium conquirere cœpit manu militari.

et comitis Otthonis

17 Unde factum est, ut et quibusdam adversariorum audendi talia metum incuteret, et ab infe-

A infestatione ecclesiæ alios temperare faceret. Aspernantes autem, et in suæ pravitate feritatis persistentes, promptissimo sæpe aggrediens ausu, victoriarum glorioso superans mutilaret occursu. Inter hos et omnium quidem præcipuus jam nobis superius dictus Ottho erat comes, Otthonum scilicet Romanorum imperatorum, et adhuc tunc tempris sceptra nobilitantium, clarissima et germanissima progenies, sanguis patricius, et, ut ex amplissimi paterni et materni juris ditissimo patrimonio apparet, fundis vir et opibus et dignitate satis præditus. Hic ergo tantus homo graves discordiarum inimicitias cum isto nostro Adalberone susceperat archiepiscopo. Quæ specialis causa tunc exstiterit, nos quidem latet hodie, quia oblivio mater negligentiarum, quæ nimis in partibus nostris viguit, posteris suis hæc et multa alia tacendo invidit, tamquam ea senium vetustatis antiquaverit. Tamen vir iste protervo animo et minaci causa contendens cum episcopo, sese vastaturum ejus ecclesiam, oppressum ire familiam minabatur, et gravibus eumdem B verborum contumeliis exasperabat, et diversis injuriarum modis lacessere ipsum vel inquietare non trepidabat.

castrum oppugnat, 18 Sed ecce tamquam ex improviso noster episcopus paratus ascendere ex adverso, et opponere se murum pro domo Israël, callens ingenio, cautus consilio, fultus parentum et amicorum præsidio, collectis copiis militiæ ecclesiasticæ fortibus auxiliariis, præfati comitis castellum, quod Warchum superius diximus appellari, cum exercitu circumvallat, turmas peditum circumfundit, ballistas et fundibula intendit, negotium, pro quo convenerant, gnaviter peragi et poscit et imperat. Ad certamen venitur, missilibus et jaculis res geritur, foris acriter pugnatur, intus fortiter resistitur. Istis nitentibus pro gloria, illis confligentibus pro vita, fit interdum anceps victoria : locus enim non tam naturali munitione firmus, quam humano labore et opere manuali factus, modo aggere terræ, modo pastophorio *b*, interdum, ubi opportunum fuerat...... roboratus non faciles præbebat accessus. Nam et Mosa fluvius profundissimis inibi gurgitibus, C vel equo vel pede non transmeabilis, parte una castrum ipsum præterfluit, parte vero altera veniens Sulmona, *c* flumen non modicum, gratanter alluit. Hic loci situs tunc erat, modo turrium altitudine et fortissimo murorum ambitu præter ipsa fluviorum fundamina, nisi sors altera fiat, robur habet inexpugnabile.

ad quod junix miro modo viam præmonstrat militibus, 19 Interim nostro archiepiscopo rem variabilem et nimis asperam non æquis oculis aspicienti, subitæ novitatis opus apparuit, quod suo prodigio, et animos bellatorum quam fortiter erexit, mentemque archiepiscopi, quem spes incepti negotii frustrabatur, licet eam quam strenue vultu præferret, ex Dei tamen adjutorio refovens sublevavit. Nam militibus fluminis profunditate viam aggrediendi et manus conserendi inhibente, per media castra junix una transitum habuit, et, videntibus omnibus, vadum, quod penitus ignorabant, sensim legens alveum permeavit, neque ut natura est animalium, enatando vim fluviorum transadiit, sed pedetentim quacumque pervium fuit, passim iter monstrando, ne tantus labor frustra esset, tamquam dux, [et] auctor itineris ulteriores ripas voti compos ascendit. Quo viso, nec stuporem movente, sed quod erat in rem audendi * et faciendi operam prænuntiante, episcopus cum assistentibus: Divina nos, inquit, comitantur beneficia, quibus rem facti per bruta denuntiat animalia. Sequamur, qua nos, non fortuna, sed Deus evocat, qui populo Israëlitico maris rubri arenas ad calcandum dividendo discrevit, et Pharaonem demersit : credo, spero, audenter etiam dico, ipse nobis pecudem præsignatricem misit, ut sicut hoc animal jugo assuetum humanæ vitæ suis laboribus fit accommodum; ita nobis, si vestræ militiæ non pigeat et pudeat, bos ista vincendi et superandi, quidquid putatis arduum, sequendo et experiendo sit argumentum. De laboribus animalis hujus sic Scriptura refert : Ubi plurima seges, ibi manifesta fortitudo boum; acsi dicat: ubi bellantium virtus vivida, ibi victoria sequitur et corona. Quapropter, milites fortissimi, virtute accingimini, nec segnities redarguat, quos bucula lasciviens ad exasperandum informat. Sequimini præostensam viam : nullus labor arduus virtutem vere E amantibus.

EX IMPRESSIS.

* *alias* audiendi.

qui illud occupant ac incendunt. 20 Talibus excitus adhortationibus et junicis vestigiis præeuntibus, Godefridus comes, frater archipræsulis, qui simul aderat, Heynodarios *d* et Ardennenses *e*, quos secum exhibuerat, lituo buccinante aggregat, quo ceteri sequantur, ipse primus, ut decebat, virum fortem insinuat. Qui mox lorica trilici et hamata indutus, galea cristata fulgentique caput, armis accinctus, vultu terribilis, impetu formidabilis, qua bucula præcesserat vadum ingreditur cum suis. Intentis acerrime omnibus prælio, Godefridus ignem jubet sepibus apponi subito, ut et suis audendi fiducia, et illis introrsum fiat inaccessibilis pugna. Ignis interim accensus undecumque perquisitis ambustionibus flammas ad cœlum evomit, dextra lævaque errabundus obvia quæque demetit, urente vento arreptus magis magisque vires accipit, spinis et sepibus, facili quippe materia, celerrime cedentibus, patet amplissimus intrandi aditus. Oppidani, relicta statione pristina, quaquaversum palantes, fugæ præsidio diversa quærunt latibula : milites ocyus conscenso domnione * *f*, F domo scilicet principali et defensiva, rebus suis diffidentes, decernunt inter se pacisci pro vita. Vident enim totum castrum teneri undique ab ignibus, et, si quid ignis nondum attigerat, prædam fieri hostibus, equos scilicet phaleratos cum burdonibus *g* et omnem supellectilem concupiscibilem domus. Ignis ignorans parcere, nesciens mitescere, proprie habens misereri nolle, consumptis omnibus, flammis semper potentioribus ecclesiæ propinquabat foribus.

* *forte Gallice* donjon.

illæso mirabiliter S. Arnulfi corpore. 21 Ecclesia ibi erat lignea, in qua sancti Arnulfi quiescebant pignora : lignea, inquam, quia nec maceriarum adhuc ibidem existebant fundamenta; etenim vorago paludis nulla inibi sinebat fundari pro hiemalibus aquis. Ad hanc ergo ecclesiam cum appropiassent flammæ, ignis resedit repente, et quasi totis Æoli flatibus relisis aversus, continuo recessit retrogradus. Divinum namque quiddam intuens, et mirabile quoddam in ipsa intendens, oblitus naturæ perdebat vires

potentiæ

EX IMPRESSIS. potentiæ suæ; nec erat dubium, si hæc flammis urgeretur, quin statim omnis defensiva domus cum fugitivis et latentibus cremaretur. Sola hæc causa erat, quæ moras victoriæ protrahebat.

ANNOTATA.

a *Iste est prædecessor Adalberonis, cui a variis diversus mortis annus assignatur.*

b Pastophorium *hic videtur significare munimentum, ut ex sensu colligitur. Aliam significationem habet in sacra Scriptura et passim alibi.*

c *Nomen hujus fluvii vel rivi non exprimitur apud Valesium aut Massonum. Sed in mappa geographica circa Warcum signatur rivulus anonymus, qui ibidem in Mosam influit. Unde suspicor, hunc rivum vocari* Sulmonam. *Mabillonius Gallice vocat* Sormonne.

d *Intelligo Hannonios, quos Fulco apud Valesium in Notitia Galliarum pag.* 240 *tradit, olim vocatos esse Nervios, et de quibus lib.* 1 *circa annum* 1100 *ita scribit :* B

Rector Montensis, populus quem nomine prisco
Nervius assequitur, Heinodariusque moderno.

Ab anonymo auctore nostro, qui eodem seculo XI *scripsit, etiam vocantur* Heynodarii. *Unde non adeo certa est Valesii opinio, qua putat pro* Heinodarius *apud Fulconem legendum esse* Heinoarius.

e *Sunt incolæ Arduennæ silvæ, quæ partem Belgii, et Galliæ occupat, et satis nota est.*

f Domnio *Gallice* donjon *est altum propugnaculum, vel editissimus arcis locus.*

g *Aliqui volunt, hac voce significari asinos, alii mulos. Alterutrum hic commode intelligi potest.*

CAPUT III.

C

Mira translatio corporis S. Arnulfi Mosomum.

Archiepiscopus Remensis, viso miraculo,

Episcopus miratus, et novitate facti stupore perculsus : Quid, inquit, hoc novum, quid significat rei hujus miraculum? Vetus tabulatum et arida lignorum materies illæsa inter flammas durat, et ignis, qui etiam ferrum domat, attentare ligna reformidat? Mirum! o viri, mirum! nobis sic ista videri :

Fit res mirifica, nec frustra visio tanta.
Sed vellem scire, quid rei possit inesse;
Hæc sine prodigio non sunt, quæ ludicra cerno.
Si sit divinum, dignum est venerarier ipsum.
Si qui concives estis, qui talia nostis,
Pandite perspicui tuto jam mystica facti.

a Assistentes quidam, qui etiam pagenses *a* erant : Mirum non est, inquiunt, domine, quia opus cernitis virtutis divinæ : Hic meritis sanctus, virtutum luce coruscus, corpore servatur Arnulfus martyr laude dignus, et honore verendus. D

audit, reliquias S. Arnulfi illic conservari,

23 Hactenus nobis propitius fuit, et pietate insignis; nunc aversus, facientibus malis nostris, reliquit in angustiis iniquam gentem cum peccatis suis. Male namque ei serviebatur, nec honor suis meritis congruus referebatur. Monstrat modo, quid possit; ostendit, quid nolit, tuetur suam ab ignibus domunculam, et donec in ea pausaverit, adversus eam ignis nihil poterit. Et quis, inquit episcopus, quo sanguine cretus? Unde domo genitus? Civis an incola? Peregrinus an advena? Genus, aiunt, et vitam, quam duxit, ignoramus, præterquam quod locum sepulturæ ejus habemus in proximo, ubi terram terræ contulit, cœloque spiritum reddidit, ubi etiam aliquamdiu jacens et meritis vigens, diversis infirmitatum incommodis, Deo præstante, obtinuit remedium salutis. Quod Otto comes audiens, et experimento cognoscens, dato pretio incolis, quorum juris erat locus (villam enim illam Gruerias dicunt; auctor autem commercii miles quidam Airannus exstitit, sub cujus possessionis titulo Sanctus quiescebat in tumulo) comes, inquam, Otto, vallatus multo populo, corpus Sancti tulit inde cum honore debito, et in ecclesia antiquissima sancti Hilarii in hac proxime villa Guilledio cognomine (nominatissimus quippe fuerat nundinarum locus) pausavit tempore aliquantulo, donec miraculis crebrescentibus propter frequentiam populorum timens furtim perdere, usus sibi viso consilio transtulit huc novissime. E

easque alio transferri jubet;

24 Cumque hæc et talia audiret patienter episcopus, mente pertractans, et rem quam videbat, quæque satis congruenter dicebantur, sapienter pensans : Ite, inquit suis, qui eum circumstabant, sacerdotibus et clericis : ite intro, et quæque Sanctorum intus invenietis, cum diligentia exhibete hic nobis. Quo facto et expositis omnibus, miro modo et opere stupendo ignis, qui antea timide languens et quasi pene deficiens residebat, vires subito resumens, et sicut ventus vehemens irruens, quidquid prius intactum reliquerat, profunda consumendi voragine, ecclesiam scilicet cum domo majore absorbebat. Unde magis in admirationem ductus episcopus, lætus, quia facti, quod cœperat, compos et victor, existebat. Certus autem quia quæ mira de hoc Sancto audiebat, jam ipse miranda præ oculis habebat, reverentiam erga Sanctum tenens : Causas justitiæ, ait, mihi habens adversus hoc castrum veni; sed ut mihi videre videor, et Deus ex hoc facto ostentat, meritum hujus Sancti, ut venirem, exegit, et ne diutius in hoc malorum et negligentiæ jaceret cœno, promeruit. Paretur, inquit ergo episcopus, jam festinanter cum suis rectoribus una navis, quæ eum cum testimonio et auctoritate nostra perferat Bracas *b*, ubi confessor egregius vita et meritis requiescit archiepiscopus Viventius. Est enim ibi canonia duodecim clericorum Remensis parochiæ, quam, vita comite, auspice Deo, in votis habeo regulari monachorum proposito honestius ordinare. F *b*

sed navis, cui impositæ erant, sine gubernatore,

25 Ad nutum jubentis mox parata navi, cum illa sui exercitus frequentia per se idem episcopus ad feretrum veniens, et manu apposita altrinsecus

A trinsecus tenens cum impositione Antiphonæ, Pretiosa in conspectu Domini, et prosecutione Psalmi, ad navim jussit ferri, et in ea imponi, cum campana una, flammis ecclesiæ subtracta. Interim archiepiscopo a navi regresso, ordinante, qui remiges, quive clericorum et hominum pariter irent comites; Deus, cujus sapientiæ et scientiæ altitudo divitiarum inenarrabilis, cujus viæ sunt investigabiles, qui solummodo mirabilis in altis Dominus, qui dat virtutem et fortitudinem plebi suæ, dignatus est judiciorum suorum ostendere secreta, et operum suorum notificare mirabilia propter hujus Sancti sui merita. Namque cum navis in ripa fluminis, affixa substiteret, * sustinens rectorem qui duceret, nullusque in ea hominum ex voluntate Dei præter corpus Sancti remansisset, aquila desuper advolans, in fronte navis nauta certissimus assedit, et mox navim ipsam a littore in medios fluctus virtute divina emovit, et aquis itinere suo deorsum fluentibus, navis contra fluminis incedebat excursus, angelica, ut credimus, illud ministrante creatura, et virtute, ut patuit, cooperante et regente divina, directoque pergens cursu anteriora sibi semper petens, celerrimo sibi properabat gressu. B

** lege subsisteret*

26 Cujus rei stupendum indicium cum ad episcopi venisset audientiam, plusquam credi possit admirans, et in laudibus Dei attollens animum, divinum adorabat consilium, exsultans in illius misericordia, in cujus gloria sancti Arnulfi lætabatur anima. Prosequantur, ait, aliqui nostræ fidelitatis per crepidinem alvei, navisque * vestigio subsequantur pignora Sancti. Nam mira video, nec minus miranda considero. Ubicumque enim navis * hæc substiterit, absque dubio ibi divini nominis gloria et laudis ejus per successiones fidelium prædicabitur potentia. Hæc avis, quam cernitis, figuras gerit mysticas, multiplices intendens in dicendo sententias : nam per Ezechielem prophetam loquens Dominus ad Israel proponit ænigma sub persona regis Babyloniæ, atque sub specie regis Ægypti, dicens : Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate ; et : Facta est C aquila altera grandis, magnis alis, multisque plumis. Quotiens hujus avis nomen in Proverbiis assumitur, regum potentium figura subintelligitur. Hæc avis inter ceteras quasi regii juris obtinet dominium, avibusque reliquis principans, facti sui gestat mysterium : hæc avis sublimia penetrans et sublimius evolans, speculando inreverberatis solem ardentem contemplatur oculis. Sub qua specie typica Johannes signatur Apostolus et Evangelista, qui omnem supervolans creaturam incarnati Verbi mysterium, et divinitatis ejus ineffabile patefecit arcanum. Quod aptissime convenit remotis ab omni hujus vitæ negotio Deo famulantibus monachis, contemplativæ vitæ insudantibus, et per juge mentis desiderium spiritalia semper et cœlestia pia cogitatione meditantibus, fideli nihilominus intentione, quæ sursum sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens, indefesse quærentibus. Locum ergo, quicumque sit, quem navis ista expetit, monachorum religiose conversantium famulitio et ordine insigniri convenit.

excepta aquila, quæ in puppi sedebat,

** forte navim atque*

** forte avis*

27 Aliis ergo post hæc verba assentientibus, atque aliis multo aliter opinantibus. Si, ut dicitis, inquit episcopus, Guilledio apud sanctum Hilarium, ubi prius aliquamdiu pausavit, consistere voluerit, non est diutina exspectatio. Vix enim uno distat stadio ab hoc, in quo consistimus, loco Si autem apud sanctum Sulpicium in villa, quæ appellatur Pirorum, nec aliud erit diutius attendendum : solum quippe milliarium hoc nobis facit....... Si vero ulterius processerit, nec ad dexteram nec ad sinistram diverterit, sed sicut cœpit intendere, posteriora dimittens in anteriora prodierit : Advertite unum, quod vobis enarro : sicut intelligo divinæ gratiæ arcanum, quia Mosomi nostræ diœcesis loco pausare et venerari habet, annuente Deo. Jam tunc episcopus intendebat animum, hunc locum decussare *c* regulari institutione monachorum; sicut post fecit Remis sancti Theodorici locum *d*, quem de manibus Rotgeri comitis, injuste illum tenentis, vi et sagacitate retraxit ; et remotis duodecim præbendariis, non Deo et Sanctis ejus, sed sibi ipsis et comiti servientibus, abbate ex monasterio sancti Remigii accepto, Airardo nomine, cum monachis E Deo fideliter militantibus religiose restituens ordinavit.

EX IMPRESSIS. adverso flumine

28 Ita etiam ad præsens Braguis * optabat fieri propter amorem et reverentiam sancti Viventii, nisi hujus intercessisset causa miraculi. Sed quia jam antea non suppetebat possibilitas, pro eo quod devenerat in manus externas, promptissima tamen manebat implendi voluntas, operiens opportunitatem, siquando Dei largitas, quam desiderabat, efficeret facultatem. In his et hujuscemodi operibus fere totus erat iste noster episcopus, et simili desiderio mentis flagrare cœpit erga locum ecclesiæ Mosomensis. Insequentibus ergo navim, quibus antea jussum fuerat, jam nullatenus, ut primum cœperat, segnius ibat; regebat namque illam bonitas illius, qui facit angelos suos spiritus. Cum ineundo per villas circumpositas tanti facti rumor exisset, omnibus undique circumvolantibus, absque numero confluebat populus pro merito et gloria Martyris, laudans Deum in operibus suis.

** lege Braccis. ultra defertur*

29 Adhuc laudes erant in ore ipsorum, et virtus Dei recentiori miraculo paravit exhilarare ad credendum mentes eorum. Nam in villa, Torciaco *e* nomine, quædam erat mulier vidua, quæ post viduitatem gravis cæcitatis infirmitate oppressa, ad glorificandum Deum aliquamdiu plus anno integro luminibus manebat orbata ; quæ dolens et viri sui desolationem, et rerum suarum futuram defectionem, magis autem corporis debilitatem (erat enim honestis et liberis parentibus progenita) in angustiis multis et doloribus vivebat : habebat tamen ex legitima nuptiarum viri sui copula unicum admodum parvum filiolum ad augmentum suæ dolorositatis satis macram spem posteritatis. Rumore itaque per populos diffuso pro sancti Arnulfi adventu glorioso, hæc mulier, ubi audivit, salutis avida, cum jam Sanctus per alveum fluminis navi impræsentiarum posita veheretur, unum camisilem *f*, quem optimum habuit, de domo sua secum sumpsit, et gressu conducibili sese eo loci minari fecit. Ubi cum pervenisset, genua flectens cum multis obsecrationibus

Torciacum, ubi muliere cæca

EX IMPRESSIS secrationibus Dei misericordiam et sancti Arnulfi exorabat præsentiam, ut per ipsius meritum sibi redonaret Dominus Deus amissi luminis usum.

visum recuperante, 30 Petiit ergo navim ad littus appelli, ut perficeret oblationem voti sui. Qua appulsa, appropriaus illa cum fide multa, corrigiam sibi in collo posuit *g*, ancillatui Sancti se subdidit, capitaticum suum *h* et se, et posteritatem suam post se daturam, si salutem optatam mereretur, repromisit; camisilem, quem secum detulerat, extulit, super corpus Sancti posuit. Et mox dicto citius salubri facto commercio, videntibus, qui aderant, omnibus, lumen pristinum optatumque recepit. Hinc laudes Deo, hinc gratias referebat Sancto, hinc omnium ora et corda multis ex pietate lacrymis profusis laudabant misericordissima Dei magnalia, et quæ sola venerat cum dolore, cum multis et inter multos lætabunda repedabat cum salute. Quæ quamdiu supervixit, salutem suam ipsa prædicans, semper singulis annis capitis sui censum Sancto persolvit, et post mortem illius, unicus, quem diximus, filius ejus annis, quibus matri supervixit, fideliter donavit.

B

tandem Mosomum appellit. 31 Harum omnium rerum certissimus Mosomum tendens pervenit nuntius, dictitat clero præsenti et populo, quæ fuerit in glorificatione Sancti divina illuminatio, quæ fuerit episcopi votiva transmissio. Indicitur interim et paratur processio; currit Mosomensis populus cum gaudio; excipit sanctum corpus lætantibus animis, gestat suppliciter in humeris, faciunt vota et preces, quibus mereantur fieri ejus intervenientibus meritis æternæ vitæ consortes. Sonantibus ecclesiæ signis, adsunt Clerici cum crucibus et cereis thurificant Sancti glebam *i* odoribus, suscipiunt cum hymnis et dignis psalmorum laudibus: sicque ingredientes ecclesiam principalem, divinam adorant majestatem, supplicantes pietatis ejus dono et B. Mariæ semper Virginis suffragio, istius et omnium simul Sanctorum jugi in perpetuum muniri patrocinio. Sicque dimissa turba et populo, abierunt quique in sua cum exultatione et gaudio, illum magnificantes in gloria, qui vivit et regnat unus in Trinitate Deus per æterna secula, Amen. D

ANNOTATA.

a *Per* pagenses *existimo indicari incolas vicinorum pagorum.*

b *Gallice locus iste vocatur* Braux, *situsque est versus silvam Arduennam non procul a castro Renaldi supra Mosam.*

c Decussare *idem est quod ornare vel honorare, ut plurimis testimoniis probat Cangius. Quomodo autem Adalbero Mosomum ornaverit institutione cœnobii Benedictini, videri potest in prosecutione chronici Mosomensis, et apud Mabillonium et Marlotum locis jam cæpe citatis.*

d *De hujus monasterii institutione vide Marlotum tomo* 2 *Metropolis Remensis a pag.* 17. E

e *Suspicor esse locum, qui in mappis geographicis vocatur vulgo* Torcy, *notaturque in adversa Mosæ ripa e regione Sedani, quæ Campaniæ urbs Mosomo quatuor lucis distat.*

f Camisilis, *sicut etiam* camisia, *varias habet significationes. Videtur hic significare velum aut vestem ex lino vel cannabe factam.*

g *Qui corrigiam sibi in collo ponit, se alterius famulum profitetur, ut pluribus exemplis ostendit Cangius in Glossario ad vocem* corrigia.

h *Id est promisit capitis censum seu tributum, quod singulis annis pensitatur.*

i Gleba *idem est quod corpus, uti jam sæpe alias diximus.*

C

DE S. DECLANO EPISCOPO

F

P. B.

ARDMORIÆ IN HIBERNIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sancti cultus; locus ac tempus vitæ; Acta.

SECULO VI.

S. Declanus episcopus Geminos *Ecclesiæ* Declanos *dedit Hibernia, sive, ut olim vocitari consueverat, Scotia; utrumque Sanctum, utrumque apostolum: sed alterum juniorem, diaconum, S. Virgilii episcopi Salisburgensis socium, ab eoque Frisingam destinatum, ubi et mortuus est versus finem seculi octavi, et adhuc una cum sancto Marino episcopo claret miraculis, coliturque Kalendis Decembribus, teste Radero nostro in Bavaria Sancta tom.* 2, *pag.* 113; *alterum vero tribus circiter seculis antiquiorem, et gentilium suorum, Desiorum, inquam, quos ad agnitionem veritatis adduxerat, episcopum; quem hoc die, quo et vita defunctus esse in Actis dicitur num.* 79, *celebrari apud Hibernos tradunt Henricus Fitz-Simon noster in Catalogo præcipuorum Sanctorum Hiberniæ, primum Duaci edito anno* 1615, *tum recognito auctoque Leodii anno* 1619; *et Joannes Colganus tum alibi sæpius, tum præcipue in Triade thaumaturga, seu tomo secundo Sanctorum Hiberniæ pag.* 613; *idque ex Martyrologiis Hibernicis, quorum tamen ibi textus non citat, præterquam unius Sanctilogii, quod vocat Genealogicum, ceteros reservans ad Acta danda die* XXIV *Julii, ad quæ lectorem remittit, frustra hactenus*

nus

A *nus Acta ultra Martium promissa desiderantem. Cum ergo Martyrologia illa servari scirem Lovanii in conventu FF. Minorum Hibernorum, inde ad stabiliendum* S. Declani *cultum subsidium per litteras expetii, quibus perhumaniter respondit R. P. Franciscus Friell, ejusdem Ordinis et conventus, in hæc verba :*

hoc die celebratur apud Hibernos,

2 Martyrologium Dungallense (*de cujus valore ac merito lege Colganum tom.* I, *pag.* 5) XXIV Julii habet sequentia : Declanus Ardmorensis episcopus et confessor ; qui Roma regrediens, in provincia Tyrolensi vita functus dicitur. Ex oblivione reliquit quamdam campanam, ipsi cœlitus missam, in quodam saxo sito in littore quod appulit. Postea autem idem saxum miraculose comitatum fuit navim quamdam, in qua asportabantur urna et reliquiæ S. Declani in Hiberniam, cum hoc vaticinio, quod nempe ubicumque dictum quiesceret saxum, ibidem in honorem S. Declani ecclesia exstruenda foret. Dicta ecclesia exstat in baronia Desmoniensi in Momonia. *Hæc ibi; ad quæ Friellus :* Notandum, *inquit*, hæc non B adeo antiquo charactere esse scripta ; transumpta tamen fuisse ex antiquissimis monumentis, ostendunt archiepiscopi Hiberniæ, dictum Martyrologium approbantes. *Ut ut est, præferendum non videtur hoc elogium Actis nostris, aliter de loco mortis affirmantibus num.* 79. *Deinde multum fallor, si miraculum hic narratum non sit vitio fugientis memoriæ confictum ab aliquo, qui oscitanter olim legerat vel audierat, quæ de saxo illo, et campana seu cymbalo atque ecclesia* S. Declani *narrantur in Actis infra a num.* 29. *Sed pergamus cum Friello ad aliud melioris notæ Martyrologium :* Item eadem die, *inquit*, S. Ængussius (*qui scripsit Martyrologium metro Hibernico sub finem seculi* VIII, *juxta Waræum et Colganum ibidem pag.* 4) versu valde antiquo, stylo Hibernico composito, habet sequentia, saltem quoad sensum (vix enim apices ob antiquitatem manuscripti legibiles sunt modernis :) O Ibernia, magnæ tibi et indicibiles divitiæ ex patrocinio S. Declani accrescunt ! *Hoc sane testimonium mihi quidem in hac re non parvi ponderis videtur ; additur tamen et aliud :* Marianus eadem die ponit nomen tantum et Sancti epi- C scopi et confessoris titulum. *Floruit B. Marianus hic seculo* XII, *ut citatus Colganus asserit.*

cujus sanctitatem vulgo agnitam

3 *Præter hæc vero venerationis ejus publicæ domestica testimonia, externa alia reperimus nulla (si unum excipias et quidem recentissimum, Castellani; qui nescio cur hujus Sancti natalem referat ad diem* XXV *Julii), quantumvis Martyrologia nostra omnia perscrutati. Sed ut etiam hæc deessent, ne hoc loco tamen* Declanum *prætermitteremus, satis ipsa suaderent Acta tum ipsius Sancti nostri, tum alia, quæ de illo tamquam Sancto meminerunt, uti faciunt Acta S. Kierani apud Colganum tom.* I, *pag.* 459, *num.* 9, *et S. Ailbei apud eumdem tomo* 2, *pag.* 251. *Hæc enim, tametsi fabulis haud raris respersa sunt, nec tam antiqua, quam ea Colganus credidit; antiqua tamen satis esse, ut sanctitatis ejus opinionem ab immemorabili tempore ante Urbani PP. VIII decreta receptam vulgo apud Hibernos ac stabilitam demonstrent, inficiari non possumus; quandoquidem ut vetustatis Hibernicæ instrumenta nobilia citantur non solum a Colgano passim; verum etiam ab Usserio in Britannicarum ecclesiarum primordiis cap.* 16, *et Waræo in Commentario de præsulibus Hiberniæ, ubi de episcopis Imelacensibus pag.* 174.

AUCTORE P. B.

antiqua ipsorum monumenta testantur.

4 *Imo quemcumque demum et cujuscumque ætatis aut fidei auctorem hunc nostrum fuisse statueris, numquam ea certe finxisse in Hibernia credi potest, in quibus nisi vera scripsisset, vel ab infima plebe continuo redargutum iri se sciret. Cum ergo legis num.* 11 : Lapis, super quem S. Declanus natus est, hodie *(cum scilicet hæc Vita scriberetur)* petra Declani vocatur; *et num.* 15: Locus, in quo natus S. Declanus est, Atrium Dobrani prius vocabatur, modo autem Atrium Declani vocatur; *item cum num.* 32 *et* 36 *Ardmora vocatur* civitas S. Declani; *et quod habetur num.* 57 : Tunc S. Declanus benedixit lapidem quemdam ibi *(in campo Femhin ad plagam Australem in Momonia)* qui ab illo die usque hodie Lapis sancti Declani vocatur ; *et num.* 58 : Et construxit ibi (*apud Temoriam in Midia Orientali)* sanctus Declanus monasterium in agro sibi dato canonicorum, quod ex nomine sancti Declani nominatur; *et num.* 70 : Acervus lapidum collectus est in illo loco cum cruce in signum miraculi, qui dicitur..... E Acervus S. Declani; *et cum de cella, quam* S. Declanus *sibi struxerat haud procul Ardmoria, dicitur*, quæ vocatur Desertulum S. Declani : *cum hæc, inquam, legis, dubitare non potes, quin vere talia tunc nomina locis illis, tamquam olim indita, et ad illud usque tempus vulgo usurpata convenerint. Erat ergo tum et vetus et vulgo recepta traditio, non modo exstitisse olim* Declanum *illum, a quo hæc loca nomen acceperant, verum etiam pro Sancto ab omnibus fuisse habitum. Idem formari potest argumentum ex iis, quæ narrat in fine Vitæ;* sepultum *scilicet* esse S. Declanum in sua civitate Ardmor... ubi magna signa et miracula semper per eum fiunt, *etc.*

Locus episcopatus ejus et sepulturæ.

5 *Fuit autem Ardmoria, sive Ardmor Deaglain, (ut Hibernice a Sancti nostri nomine dicitur teste Usserio de Britann. eccles. primordiis cap.* 17, *pag.* 867) *urbecula olim; nunc vero est vicus Hiberniæ in Momonia, et comitatu Waterfordiensi; habetque portum, Dungarvanum inter et Yogalliam positum, huic tamen aliquanto, quam illi propiorem. Adjunctum est illi territoriolum, quod olim occupasse armis familia Desiorum dicitur in Actis infra ; unde* F *et modo vicecomitatus Dessee appellatur. Ardmoriæ primordia debentur monasterio, quod ibi primum condidisse creditur* S. Declanus, *ut ex Actis discere est num.* 37. *Canonicorum regularium S. Augustini illud fuisse cœnobium censet auctor Historiæ monasticæ Hiberniæ, anno* 1690 *Parisiis editæ, pag.* 54; *sed nihil habet, quo opinionem hanc suam confirmet. Colganus de eo agit in Actis Sanctorum Hiberniæ tom.* I, *pag.* 608; *verum iis, quæ traduntur in Actis modo dandis, nihil ausus est addere. Itaque monasterium illud peculiarem* S. Declani *institutionem sectatum potius videtur. An vero id postea ad canonicos regulares devolutum sit: an, ut alia plura apud Hibernos, in parœciam degeneraverit, aut quamdiu substiterit, incertum est; interiisse tamen jam olim verisimilius apparet, quando nihil de illo nec Waræo in Antiquitatibus Hibernicis, nec alii cuiquam, quod sciam, innotuit, præter id quod Acta nostra prodidere. Sedem insuper episcopalem Ardmoriæ locavit Sanctus noster, ut in Actis*

habes

AUCTORE P. B.

habes num. 30, *et alibi. Ea subinde episcopatui Lismoriæ, a qua duodecim tantum passuum millibus distat, annexa est; uti de suo tempore fidem facit Usserius paulo ante assignatus. Quando id contigerit, inveni nuspiam. Anno certe Christi* 1152 *notus amplius non erat episcopatus Ardmoriensis, ut colliges ex Waræo Antiquitatum Hibernicarum cap.* 16.

Tempus, quo sit natus, incertum est,

6 *De tempore, quo vixisse credendus sit Sanctus noster, hoc unum mihi certum videtur, nihil illo quidquam esse incertius : neque enim plura novi utcumque antiqua monumenta, quæ de illo meminerint, quam tria illa, quibus ad ejus chronologiam texendam usi sunt Colganus atque Usserius: Acta scilicet ipsa* S. Declani, *quæ subjiciemus; Vitam deinde S. Ailbei, ac tandem Acta S. Kierani apud Colganum supra citata : in his autem omnibus tam insulse distributa sunt tempora, ut satis mirari nequeam, attendere ad illa viros eruditos potuisse, et sic Sancti nostri natales ad tempora Constantii imperatoris, sive ad medium circiter seculi quarti, reducere; episcopatum vero ad annum Christi* 402, *annis scilicet triginta antequam a Cœlestino Papa* B *S. Patritius in Hiberniam mitteretur. Adisis Usserium de Britann. eccles. primordiis cap.* 16. *Non diffiteor equidem, hæc recte affirmari juxta auctores illos; sed aio, juxta eosdem, id non minus recte negari; ac proinde indignos esse, quos in rationibus chronologicis sequantur eruditi. Rem exemplo demonstratam invenies infra in annotatis ad cap.* 4 *Actorum nostrorum littera* c.

obiit seculo sexto.

7 *Sed eccum aliud insigne ex eodem capite. Romano ex itinere revertens* S. Declanus, *num.* 28, *invisit S. Davidem, episcopum jam tum Menevensem; atque adeo post annum Christi* 516, *quo primum ad infulas S. David evectus est, ut ad diem* I *Martii, quo colitur, ostendimus : nego igitur natum esse* Declanum *anno* 347, *secundum auctorem nostrum; nisi tam ineptum hunc esse velis, ut Senem annorum circiter centum ac septuaginta Romam adire confinxerit. Et vero tam ineptum esse diffiteri nolim; sed vel inde chronotaxim ejus prorsus abjiciendam contendo. Quid enim in ea homini fidas, qui post visitatum a* Declano *S. Davidem episcopum Menevensem, et collocatam Ardmoriæ sedem episcopalem, aliaque, quæ capite quarto et initio* C *quinti narrantur, subjicere potuerit num.* 39 : Interea gloriosissimus archiepiscopus Patritius missus a Cœlestino Papa venit in Hiberniam ; *et quæ sequuntur? Sane qui adventum S. Patritii, quem ad diem* XVII *Martii sub Cœlestino Papa anno Christi* 432 *accidisse docuimus, postponit episcopatui S. Davidis, hoc est anno Christi, ut minimum, quingentesimo ac decimo sexto, is tam supinam prodit ignorantiam temporum, ut ne confutari quidem hic pluribus mereatur. Adiri possunt, quæ ad Acta S. Patritii die* XVII *Martii, S. Kierani die* V *ejusdem mensis, et S. Ibari die* III *Aprilis a Majoribus nostris in hanc rem dicta sunt. Mihi satis est, obitum* S. Declani *referre ad seculum sextum, quo et æqualium ejus SS. Kierani et Ibari illi referendum putarunt, non repugnante Colgano tom.* I, *pag.* 608, *ubi mortem ejus post annum Christi* 548 *vel etiam* 557 *defixit; tametsi non ignoraret, juxta chronologiam suam sic Sancti nostri vitam ad duo circiter integra secula protrahendam esse; de quo me quidem assentientem non habet.*

D *Acta non sunt auctoris Sancto suparis,*

8 *Porro ex dictis patet, procul abesse, ut auctorem Actorum nostrorum tam antiquum esse credamus, quam credidit Colganus tom.* 2, *pag.* 250; *ubi eum* ante circiter mille annos *scripsisse existimat; vel tom.* I, *pag.* 608, *ubi illum* S. Ultano *(qui* S. Declani *discipulus et in præfectura cœnobii Ardmoriensis successor ab ipso constitutus fuisse dicitur)* forte æqualem *fuisse asserit. Nam quis parachronismos tam enormes excidere credat potuisse ei, qui ipsa illa tempora, in quibus tantum exerrat, vivendo scribendoque attigerit? Eruditum Colganum ad ita sentiendum impulerint, credo, quæ habentur num.* 72 : Et ipse Ultanus post obitum sanctissimi Declani secundus abbas et pater mirabilis multorum miraculorum exstitit, cujus vita clara miraculis REFULGET : *hoc enim verbum videtur significare viventem adhuc S. Ultanum, cum scriberet hic auctor ; item illa, quæ leguntur num.* 77 : Et inde fertur nobis ab antiquis ejus *(S. Declani)* discipulis, quod magnus exercitus in comitatu ipsius consuete fuerat. *Sed neutro loco quidquam evincitur : ad primum enim responderi potest, historicis satis esse frequens, ut quæ præterita sunt, tamquam præsentia narrent; deinde* Vitam *sæpe accipi pro historia vitæ; in qua si miracula multa describuntur, dici potest fulgere miraculis etiam post annos mille et amplius, quam Sanctus vixerit. Ad secundum dicendum videtur, per discipulorum* S. Declani *narrationem intelligi hic, non ore coram ac verbis ab eis auctori nostro prolatam, sed litteris posteritati traditam; ita ut sensus sit :* Fertur nobis ab antiquis ejus discipulis *in scriptis veteribus, quæ nobis olim consignarunt, et quæ adhuc supersunt, quando hæc nova ejus Acta conscribimus,* quod, *etc. Qua quidem ratione patet, nihil ex illo textu extundi posse, unde interpolatoris hujus ætatem qualemcumque assequamur. Neque vero temere hoc a me dictum videri debet; quando ipsemet auctor noster antiquioribus scriptis usum se fuisse fatetur num.* 28 : Vulgus dicit, *inquit,* quod S. Declanus multis vicibus Romam visitavit; sed in VETERIBUS SCRIPTIS non invenimus plus quam tribus vicibus.

E

sed seculis aliquot junioris, F

9 *Non eo tamen hæc dicta sunto, ut omnem scriptori huic antiquitatem abrogem : facile enim antiquum haberi patiar, si modo seculis aliquot a* S. Declani *temporibus, quæ prorsus ignoravit, amoveatur ; neque vero eatenus quidquam esse video, quod vel Colgano aut sociis, quas in operis sui præfatione merito laudat, vel Usserio aut Waræo reponi solide possit : quippe qui, cum viri omnes fuerint in antiquitatibus Hibernicis versatissimi, quique hæc Acta in pervetustis codicibus manuscripta legerint, id saltem suo quodam jure exigere videantur, ut quæ ipsi antiqua judicaverunt, ea pro talibus haberi quoque a ceteris debeant, donec vel ratio afferri nulla potest vel auctoritas gravior ex contrario; qualem nobis deesse non diffitemur, ut scriptorem hunc vel seculo decimo juniorem probemus; quidquid aliter senserit Papebrochius, vitioso Actorum nostrorum apographo deceptus, ut infra dicetur in annotatis ad cap.* 6, *littera* c. *Quinimo ad vetustatem, quantam possumus, biographo nostro vindicandam non parum conferre videtur, quod pleraque monasteria, ecclesiæ, ceteraque, de quibus tamquam vulgo notis et adhuc subsistentibus agit, neque Colgano, neque Waræo, neque aliis, quos viderim*

A *derim, nota sint, nisi ex solis hisce, quæ citant.* S. Declani *Actis.*

et respersa fabulis;

10 *De quibus quidem Actis quid senserint Majores nostri, quamque prodigiosis ea fabulis infarta judicaverint, loco non uno significarunt; sed præcipue ubi de S. Patritio est actum die* XVII *Martii pag.* 581. *Fallor, si aliter statuere quisquam poterit, qui voluerit integra pervolvere. Et quæ quidem toto capite primo genealogia texitur, eam ne Waræus quidem Antiquitatum Hibernicarum cap.* 4 *commemoratu dignam censuit, cum de regibus Hiberniæ, ibi, et alibi diversimode enumeratis, ita pronuntiaverit :* Ad prædecessores Lœgarii quod attinet, eos certe consulto omisi; quia pleraque quæ de iis traduntur (ut quod sentio, dicam) vel fabulæ sunt, vel fabulis et anachronismis mire admixta. *Legesis, et crede, si potes (neque enim vacat suis hic singula momentis expendere :) lege, inquam, quod narratur a numero* 4 *usque ad* 6 *de Ænea; quod num.* 10 *de sanctitate* Declani *in utero matris ethnicæ, et adjunctis nativitatis ejus; quod num.* 20, 21 *et* 22 *de Lunano, filio regis Romanorum, et mirabili cymbalo seu campanula; quod* B *num.* 29, 30 *et* 31 *de petra per mare navis instar natante. Certe ignorabat suo tempore hujuscemodi prodigium vir in historia Britanniæ facile princeps Venerabilis Beda; cum illa in Marci Evangelium scriberet, quæ in Officio S. Gregorii Thaumaturgi* XVII *Novembris universa quotannis Ecclesia recitat. Quid memorem alia? Num.* 34 *et* 35, 63, 73 *quam stupenda narrantur, quam parum verisimilia, si tantillum consideres ! Plura sciens prætereo ; non possum tamen, quin lectorem ad numerum* 71 *remittam, hoc est ad nautas* in saxa magna *conversos,* quæ sunt in ora maris non longe a terra, et altiores mari constant. *Credite posteri.*

neque tamen ideo hic omittenda.

11 *Hæc et similia mentem non semel injecerunt mihi, ut hæc* S. Declani *Acta supprimerem; quod tamen subinde faciendum non duxi: primum quidem quia valent saltem ad comprobandam publicam olim in Hibernia sanctitatis ejus opinionem ; deinde quia utcumque antiqua sunt eorum judicio, qui de antiquitatibus Hibernicis non sine laude scripserunt; denique quia nonnullum eorum aliquando inspicien-* C *dorum desiderium excitatum jam pridem est a Waræo, et Usserio, qui ex iis fragmenta non pauca deprompserunt; sed maxime a Colgano, qui ea insuper, ut erant, integra atque illustrata promisit : unde licet conjicere, non fuisse rarissima Vitæ hujus Mss. per Hiberniam exemplaria. Nos eam accepimus pridem a RR. PP. Minoritis Hibernis e conventu Lovaniensi, ubi etiamnum servatur litteris Hibernicis exarata, ut illam ex antiquissimo codice desumpsit, teste Friello supra laudato, Frater ille Michael Clery, cujus est elogium insigne apud Colganum in præfatione tomi primi de Sanctis Hiberniæ. Quoniam vero apographum nostrum et errata multa, et plures habebat lacunas, illud conferri Romæ curavimus cum alio exemplari integro, quod erat in collegio S. Isidori, cum ibi degeret Franciscus Haroldus, jam tum scriptis et meritis clarus, et ipse Hibernus; qui nobis hæc Acta fideliter per se ex suo exemplari emendata ac suppleta restituit anno* 1679, *qualia nunc edimus.*

EX MS.

VITA

Ex Ms. Lovaniensi collato cum Ms. Collegii S. Isidori Romano.

CAPUT I.

Genealogia S. Declani.

Reges Hiberniæ inde a temporibus SS. Petri et Pauli Apostolorum

Beatissimus episcopus Declanus de nobilissimo Hiberniæ regum genere, qui multos temporum cursus regnum totius Hiberniæ in civitate Themoriæ *a* tenuerunt, oriundus fuit; sicut ex sequenti genealogia ejus apparebit. Fuit potentissimus rex, qui fines sui imperii dilatavit, nomine Equitius Fedhlech *b* : hic genuit tres filios, E quorum unus Lecharius *c* genuit Luguidh Sriubhnearg *d*, qui habuit tres circulos roseos Zonarum instar in corpore suo a nativitate, et erat specie formosus, viribus fortis, et in rebus arduis ab infantia tractandis nominatissimus. Hic aviti regni gubernacula suscepit eo anno, quo Cajus Cæsar *e* occisus est, et postquam viginti sex annis in Themoria regnasset, a gente Lageniensium occisus est eo anno, quo Petrus apostolus et Paulus doctor gentium a Nerone morti traditi sunt *f*; et ipse habuit filium, nomine Crimthun niudh nuaruir *g*, qui decem annis tantum regnavit, et obiit.

recensentur,

2 Hic autem reliquit filium nomine Feruduch Finfectnach *h*, qui in Themoria triginta annis regnavit. Iste genuit Fichudh Finnfaluidh *i*, et regnavit tredecim annis, et occisus est in Themoria; genuit autem filium Tuathal Teachmear *k*, qui diversas regiones in magna potestate obtinuit, et regnavit in Themoria viginti tribus annis; tandem occisus est a gente Ultorum *l*, genuit tamen filium Feidlimidh Reachtmear *m*, qui magnas leges in regno suo condidit, et regnavit F novem annis, et genuit tres filios, id est: Conn Cheadcha, Eochaidh Fionn, Fiachu Suighde *n*. Major natu *o* XX annis *p* regnavit, cujus bonitatis, pacis, et fertilitatis fama æterna memoria digna est. Interfectus est a duce Ultorum Tyberiade Cyrech *q* in campo Coba. Hujus nomen in Themoria perpetuo regnat. Equitius Candidus *r*, secundus natu, perrexit ad provinciam Lageniensium, ubi habitant nepotes ejus semper in diversis locis, de quibus comites et viri potentes sunt, qui inter Lagenienses numerantur.

a quibus genus duxere majores S. Declani,

3 Fiachu Suighde, tertius filius prædicti Feidhlimidh, habitavit in regione circa Themoriam, sed sine regno Hiberniæ mortuus est, habens III filios egregios, Rossa, Ængus, Eoghun *, qui erant belligeri et peritissimi in militari disciplina, et præ ceteris Ængus heros intolerabilis iræ et insignis fortitudinis erat. Cum jam Cormac, mac Airt, mac Conn chadchaidhe *s*, avitum regnum suscepisset, quidam nobilis et potens homo,

* *alias* Eogan,

EX MS. mo, qui erat inimicus regis. volens *t* rex pacem eum illo inire, numquam ille voluit, nisi rex Cormacus dedisset ei Ængusum, vel Æneam prædictum cum fratribus suis defensorem incolumitatis corporis sui. In primis hoc noluit rex facere, sed postea concessit; et accipiens illum Æneam cum fratribus in defensionem venit ipse ad regem et concordiam fecit cum illo : sed post aliquot dies Cenllach, filius regis Cormaci, apprehendit illum virum nobilem sine licentia patris sui, regis scilicet, et eruit oculos ejus.

de quibus fabulosa

4 Hoc audiens Æneas, repletus est nimio furore iræ, et illico cucurrit ad Themoriam, ubi ille filius cum patre suo rege erat, ante suos omnes, nemine volente ipsum comitari; et viso multorum armatorum concursu, et maximo viro ante eos ad Themoriam, jussit rex ostia munitionum firmari, dicens : Vere Æneas est ante fratres suos, volens vindicare in nos suam defensionem. Hoc verbo a rege audito, corda omnium tepefacta sunt, cognoscentes *u* et timentes audacissimam illius fortitudinem. Et videns Æneas B ostia munitionum clausa contra se, furore percitus, in fortitudine ac velocitate sua se leviter elevavit in aerem, et stetit supra altitudinem extremæ munitionis; et de munitione ad munitionem transiluit, usque dum fuit in medio Themoriæ cum armis suis, et intravit palatium, in quo erat rex, quærens Cenllach, filium ejus, ut illum sine mora occideret.

narrantur facinora

5 Ille autem, omnibus fugientibus huc atque illuc, stetit coram patre suo rege, volens se et illum defendere; et comes civitatis Themoriæ, vir fortis, et volens ipse regem defendere, venit et stetit inter regem et filium suum ; sed impetum eorum pro nihilo Ængus reputavit : vibrans enim ipse lanceam suam venenatam contra illos, fixit eam in pectore Ceallach *x* filii regis, et per eum exiit in pectore prædicti comitis, et per dorsum ejus in oculum regis Cormaci pervenit ; et filius regis et comes ille illico in terram super lanceam ceciderunt, et, nisi ipsi super lanceam caderent, ipsa per caput regis adhuc cum illis intraret. Et ita Ængus uno ictu Ceallach filium regis, et comitem Themoriæ occidit, et oculum C Cormaci regis fregit. Rursumque regem aggreditur, eum jugulare volens; rex vero advenientem adjuravit per deos et consanguinitatem suam, ut sibi parceret : ipsi enim tunc gentiles erant, colentes deos, imo idola, secundum velle suum. Videns itaque Ængus filium regis cum glorioso comite mortuos, cœpit furor ejus quiescere, et motus consanguinitate pepercit regi, et reversus est a Themoria cum triumpho magno.

iidem ejecti ex Media, ubi reges Hiberniæ residebant,

6 Deinde jam Cormacus rex Hiberniæ erat, qui regnavit quadraginta duobus annis. Dolens autem de filio suo et comite magno et de damno oculi sui perditi, collegit turbas militum non mediocres; et cœpit Ængusum cum suis fratribus a finibus suis, a regione Themoriæ, quæ dicitur Na nDesi *y*, et non solum, sed et de omnibus Aquilonis finibus expellere : timebat enim eos valde; quia regnum ad eos jure erat venturum, et pertinebat ad eos, sicut ad ipsum. Illi autem secundum nobilitatem suam fortiter et animose aliquo tempore resistebant, et septem prælia inter se commiserant, in quibus Ængus cum suis fratribus magnas cædes fecit; sed postremo ipsi superati sunt, cum magno furore, militum damno. Unde ipsi postea non valentes magnis regiis agminibus in diversis Hiberniæ regionibus resistere, reliquerunt suam patriam, regionem Midiæ, et venerunt in provincias Lageniensium, et inde post annum ad Momoniam pervenerunt; sed gens Ossoriæ, quæ est occidentalis Lageniensium plaga juxta Momoniam *z*, fecit eis injuriam in transeundo. D

Momoniæ et Lageniæ confinia occupant,

7 Et pervenientes ad regem Momoniæ Oilill Oluim *, qui habuit uxorem speciosam, regiam et optimam secundum naturæ bonitatem, id est Soidhb, filiam Cuinn cedchathui *aa* patrui eorum, dedit eis condignum honorem, et concessit ut sibi regionem in confinio Momoniæ armis acquirerent; vel, si [vellent,] contra Conachtos, *bb* vel contra Lagenienses, seu contra suam patriam regionem, Mediam, partem de Momonia et partem de aliena regione contenderent : nolebant enim aliam regionem ab ea accipere, nisi si quam in quodam confinio gladiis suis causa liberalitatis arriperent. Et elegerunt bellare contra gentem Ossoriæ, quæ sine caussa injuriam sibi fecit. In confinio jam illo Momoniæ et Lageniensium circa flumen Surium *cc* magnam et optimam vero regionem, quatuor commissis præliis, contenderunt, duobus contra Lagenienses, id est contra gentem Ossoriæ, et duobus contra Momonienses, in quibus Ængus intolerabilis extitit. E

** alias Ailillum Olum*

pulsis indigenis;

8 Fugarunt gentem Ossoriæ a medio campo Femhyn contra Orientem usque ad rivum Cinnan, qui est modo confinium Lageniensium et Momoniensium in illa plaga, dividens terram Na nDesi et Osruighe * : et de medio prædicti campi habitatores regionis, quæ quondam Tyrfene dicebatur, modo autem Firmuighe, usque ad campulum, in quo est civitas Brighdband, per manum validam destruxerunt ; habitatores vero regionis Liuthuin a flumine, quod quondam Nemh vocabatur, modo autem Obhann Mhor, usque ad rivum Kille Cobhtuig, qui est nunc in confinio Na nDesi et Traliathuin, post bellum forte in illis superatum expulerunt. Et post illa quatuor prælia magnam et fructiferam regionem ex terra et aqua apprehenderunt, ab Aquilone F videlicet in Austrum rivo Luase usque ad mare, et ab Occidente in Orientem a supra dicto loco, id est, Cill Cobhtuig, usque ad fretum, quod dividit modo Lagenienses et Momonienses inter ipsam gentem Na nDesi, et gentem Firgulrun. Et illi tres fratres, scilicet Ross, Eogan, Ængus, ipsam regionem in tribus partibus inter se diviserunt cum magna concordia, campos, montes et silvas. Ex eorum nominibus terra adhuc nominatur *dd*.

** id est Ossoriæ.*

quæ regio ab ipsis etiamnum Desiorum appellatur.

9 Nepotes quoque eorum pristino nomine apud Themoriam Na nDesii, duces gentis Na nDesi, de semine Locani, filii Fiuchuidh, filii Fedlimidh Reacht mair, per seculum sunt, ex quo natus est Carbricus Rigreudh, dux potens Na nDesi, qui genuit Conru Cathbhudhach ; Cathbhudhach autem dicebatur, eo quod in bellis erat triumphator. Conru genuit Cranu Comb Readhach, qui non erat æquus in judiciis; ex quo natus est Mesfore; ipse genuit Mosgrui, ex quo Moscorp natus est, qui genuit Ardcorp, ex quo

A quo secundus Eogan natus est, ex quo Briun, ex quo Niut, ex quo Luaghiudh, ex quo Trer, qui genuit Ercum *ee*, patrem sancti Declani. Hi duces sunt gentis Na nDesii, ex tempore quo et ipsi a Themoria venerunt usque ad nativitatem sancti Declani.

ANNOTATA.

a Temoria, *alias* Temrach, *seu* Tamra, *nunc* Taragh, et Terragh, *urbs in Media, seu Midia Orientali, sub Lagenia Hiberniæ provincia, regum olim totius Hiberniæ summorum sedes usque ad seculum sextum ac Dermitium primum, uti dictum ad Vitam S. Rodani die* XV *Aprilis pag*. 385.

b *Ms. S. Isidori habet :* Eochu Feldech, *qui in Sanctilogio genealogico apud Colganum in Actis SS. Hiberniæ tom.* 2, *pag.* 447 *numeratur inter insulæ suæ monarchas vigesimus quartus, et scribitur* Eochodius Fedhleach. Eochodii *autem, seu* B Eachodii *nomen non inepte Latinis* Equitium *verti ab* Ech *Hibernico, quod* equum *significat, idem Colganus ibidem docet pag.* 563.

c *Sanctilogium genealogicum jam citatum, hunc appellat* Bressium Finnium ; *nec regem fuisse significat, sed filium et patrem regis.*

d *In Sanctilogio genealogico scribitur* Lugadius Sriebdearg.

e *Cognomento* Caligula, *qui a conjuratis confossus est anno Christi* 41.

f *Nos SS. Petri et Pauli martyrium alibi retulimus ad annum Christi* 65 ; *Petavius, Labbeus, et alii illud alligant anno* 67, *quorum sententiæ congruunt hic anni* 26 *assignati Lugadio.*

g *In Sanctilogio genealogico, vocatur* Crimthannus Nianair.

h *Sanctilogium genealogicum hunc simpliciter appellat* Feradacium.

i *At juxta Sanctilogium genealogicum nuncupatur* Fiachus Finnfholaidh.

k *Sanctilogium genealogicum habet,* Tuathalium Techtmuir.

l Ultorum gens *ab* Ultonia *dicitur, quæ provin-* C *cia est Hiberniæ Septemtrionalis.*

m *In Sanctilogio genealogico est* Fethlemidius legifer, *quod epitheton idem Latine sonat, quod Hibernice* Reachtmear; *ut notat Colganus in Actis SS. Hiberniæ tom.* 2, *pag.* 563; *ubi et addit,* Fethlimidium *hunc regnare cœpisse anno Christi* 111, *obiisse autem anno regni nono, Christi* 119, *juxta quatuor Magistros (de quibus videri potest præfatio ejus, tomo suo primo præfixa ;) cum tamen secundum Acta hæc nostra et annos in iis supputatos regnum dici debeat adeptus esse primum anno Christi circiter* 141, *defunctus vero anno fere* 150.

n *In Vita quarta S. Brigidæ apud assignatum Colganum pag.* 546 *sic enumerantur hi filii :* Fiacha Suighe, Eochaidh Fionn, Cond Keudchathach, *de quibus vide Annotata Colgani ibidem pag.* 563.

o *Nempe* Cond Keudchathagh, *sive, ut in Sanctilogio genealogico appellatur,* Constantinus Cedchathaig, *qui solus ex tribus regnum Hiberniæ post Fethlemidium tenuisse scribitur ; et juxta auctorem nostrum natu maximus fuit ; non item juxta auctorem Vitæ S. Brigidæ mox citatum; neque juxta alium scriptorem Vitæ S. Itæ sive Midæ apud Colganum tom.* 1, *pag.* 66.

p *Apud Colganum in Actis SS. Hiberniæ tom.* 1, *pag.* 71 *Ketenus et quatuor Magistri scribunt* Constantinum *hunc occisum esse* anno regni 35, Christi 157 : *in quo neque secum Magistri, neque cum auctore nostro conveniunt. Non secum : nam anni* 35 *additi ad annum Christi* 119, *quo obiisse Fethlemidium volunt, excurrunt anno Christi* 154. *Non etiam cum auctore hujus Vitæ conveniunt : quippe qui et Constantino tantum annos* 20 *tribuit et eos ipsos, si computum annorum superius ab eo notatorum ineas, producit usque ad annum Christi* 170.

q *Idem narratur in Vita memorata S. Itæ apud Colganum ; sed ibi interfector Constantini vocatur* rex Ultorum, Tybraide Tireach.

r *Exemplar S. Isidori habet,* Eochidh Fionn ; *quod eodem redit : prius enim nomen recte vertitur Latina voce* Equitius, *ut ante dictum est ;* Fionn *autem Hibernis* Candidum *sonat. Vide Colganum tom.* 2, *pag.* 563.

s *Id est,* Cormacus, filius Arturi, filii Constantini Keudchathach : *in hujus enim avi sui re-* E *gnum post patrem successisse Cormacus fertur. Nota tamen, hæc non sub Cormaco, sed sub Arturo, Cormaci patre, facta narrari in Vita* 4 *S. Brigidæ apud Colganum, tom.* 2, *pag.* 546.

t *Est nominativus pro ablativo absoluto satis in Actis nostris frequens, et infra identidem recurrens.*

u *Solœcismus, ut patet, pro* cognoscentium, *etc.*

x *Ita hic scribitur, cum superius identidem scriptum sit* Cenllach.

y Na nDesi, *id est,* Desiorum: Gens enim illa tunc et hodie vocatur gens Desiorum, *inquit Colganus tom.* 1, *pag.* 71 : *hic tamen pro ipsorum ditione accipitur.*

z Momonia *una est de quatuor, in quas dividitur Hibernia, provinciis, versus Meridiem et Occidentem porrecta.*

aa *Id est,* Constantini Cetchathaig, *de quo superius ad litteram* o.

bb Conachtia *provincia est Hiberniæ Momoniensibus a Septemtrione conjuncta.*

cc *Vulgo* Sewer, *Camdeno* Suirus, *sicuti et appellatur infra non semel, qui in comitatu et portu* F *Waterfordico, qua Momonia Lageniæ jungitur, in mare se exonerat. Ceterum, cum ex hac generali locorum descriptione satis intelligi possit, ubi fere res hic narratæ contigerint, singularia, quæ sequuntur, operæ pretium non est observare ; maxime cum jam plus notarum dederim, quam res quibusdam mereri forte videbitur.*

dd *Appellatur enim etiammum* vicecomitatus *seu* regio Desiorum, et Desia *sub comitatu Waterfordiensi in Momonia.*

ee *In Sanctilogio genealogico* Ercus *legitur ; et sic etiam legit hic Acta nostra Usserius de Britannicarum ecclesiarum primordiis cap.* 16, *pag.* 782; *nostrum tamen exemplar hoc et sequenti numero habet* Ertus; *at num.* 15 *legebatur* Ercus; *sicuti et in exemplari S. Isidori. Notandum vero hanc* S. Declani *genealogiam non parum differre ab illa, quam profert Colganus tom.* 2, *pag* 613 : *quantum autem utrivis tribuendum videatur, satis insinuavimus ad diem* XVII *Martii pag* 518. *num.* 7, *et hic supra in Commentario prævio num.* 10.

CAPUT

EX MS.

CAPUT II.

Sancti natales, institutio, discipuli.

Sancti nativitas prodigiosa : Ercus dux Na nDesii, pater sancti Declani, vocatus venit cum multis ad domum cognati sui, qui dicebatur Dobranus, id est, Dobhran, et uxor ejus, nomine Dcthein Deiefthion vel Dechiden *a* (id cst, Cura) cum eo. Tempus parturiendi advenit : prægnans cnim erat, habens Declanum in utero suo; et peperit sine difficultate illico propter sanctitatem infantis in utero latentis. Matcr vero in parturitione volcns surgcre, clegantcm infantulum edidit, cujus caput forte ante se super lapidem cecidit magnum : et ecce, signa jam et miracula Dei gratia cum Sancto ex vulva matris suæ apparuerunt; sicut scriptum est per prophetam : De vulva sanctificavi te, B et prophetam in gentibus dedi te; propheta jam inspiratus a Deo beatissimus Dcclanus in gentibus apparuit, qui habitatores multorum locorum dc gentilitate ad Christum, sicut audituri estis, convertit. Vertex igitur capitis mollissimi Infantis super lapidem sancti Declani, sicut prædictum cst, cadens durissimum, concavam sccundum capitis formam fossam fecit et nihil capiti nocuit.

editus enim lapidem mollem reddit et salutarem ; 11 Hoc vidcntes miraculum, qui ibi erant, admirabantur valde de Puero. Tunc jam Hybernia gentilitati dedita erat; et eo tempore raro singuli Christiani inveniri solebant, nec poterant ibi esse sine persccutione. Et lapis, super quem sanctus Declanus natus est, hodie Petra Declaui vocatur ; qui est modo foris in atrio, et per aquam, quæ stat super eam de pluvia in vestigio capitis S. Declani, per ejus sanctitatcm operaute divina gratia, morbi et dolores solide repelluntur.

sed globo igneo et angelico concentu honoratur : 12 In nocte siquidem nativitatis sanctissimi Declani aliud magnum apparuit inibi miraculum : globus enim igneus multis vicinis juxta illum lo- C cum habitantibus ardens, dc cacumine domus, in qua sanctus Declanus natus erat, apparuit, extendensque se sursum usquc ad cœlum, et angeli circa globum illum sursum atque dcorsum euntcs, ct harmonicis vocibus psallentes videbantur sccundum similitudinem scalæ, quæ in somnis apparuit sancto Jacobo Patriarchæ. Hæc videntes et audientes gaudcbant dc mysterio sibi viso; illæ autcm gentes nescicbant, quia Deus omnipotcns magni faciebat, a nativitate Sanctum, illico suum famulum futurum, tunc in terra genitum.

baptizatur a S. Colmano. 13 Hominibus hæc narrantibus in conspectu cujusdam Christiani, cujus nomen Colmanus *b* fuit, qui erat religiosus et sanctus presbyter, et postea præclarus episcopus cxstitit, venit cum gaudio magno, repletus spiritu prophetiæ, ad locum, in quo natus crat infans sanctus Declanus, et prædicavit parcntibus illius de fide Christi, qui coram eis in Filio suo gratiam ostendit suam, et prophetavit de gloria et honore Filii corum coram Deo, et prædixit seriem ejus vitæ futuræ in hoc seculo. Illi nutu Dei credentes sancto Colmano sacerdoti, tradiderunt ei Filium D suum, ut baptizaret illum. Tunc sanctus Colmanus baptizavit sanctissimum infantulum, Declanum nomen ei imponens.

14 Et post baptismum ait prophetice coram præsentibus tunc ad Puerum : Tu vere, Fili mi, imo Domine, altus et honorificus coram Deo et hominibus in cœlo et in terra eris, et fama sanctitatis, et charitatis atque bonitatis tuæ per omnia, replebit quatuor plagas Hiberniæ, et nationes Na nDesii de errore diaboli ad Christi viam convertes, et illico, fraternitatem tecum habebo ; et commendo me sanctitati tuæ. Post talia jam dicta et facta beatus Colmanus ad locum suum cum magno gaudio recessit, commendans ut diligenter nutriretur sanctus Infans, et septimo anno ad legendum traderetur, si Christianus litteratus inveniretur. Et apparebat magna in vultu sancti Infantuli hilaritas in præsentia baptizatoris sui; et omnes illi sentiebant, quod ipse intus spiritualiter gaudebat. *futuram ejus sanctitatem et opera prædicente.*

15 Omnia hæc audiens et videns Dobranus, E prædictus cognatus Erci Ducis, patris sancti Declani, rogavit multum parentes sancti Declani, ut sibi tradcrent eum ad nutriendum; in cujus villa sanctus Declanus natus est. Et traditus est ei sanctus Dcclanus, ut nutriret eum. Locus, in quo natus sanctus Declanus est, Atrium Dobrani prius vocabatur ; modo autem Atrium Declani vocatur. Ipse enim Dobranus, nutritor sancti Declani, obtulit ipsum locum sancto Declano ; et movit castrum suum in alio loco, in quo post multum tempus sanctus Declanus cum esset pontifex, cellam Deo ædificavit ; et ipse locus iu Australi plaga Na nDesii cst, in oriente scilicet campi, quem Scoti *c* vocant Magh Sceithi *, id est, campus Scuti, a quo non longe abest clara civitas sancti Carthagi *d*, quæ dicitur Liosmor. Et per septem annos sanctus Declanus cum magna diligentia apud prædictum nutritus est Dobranum, cognatum patris sui, quem sanctus Puer multum diligebat. *Traditur educandus Puer Dobrano,*

* *Usserius legit, Mag Scethih.*

16 Iu quibus videlicet annis in infantia sancti pueri Declani per eum magna ostendit Deus miracula: in quibus quoque ipse sanctus Puer, inspirante in co mirabiliter Christi gratia, abstinuit F se ab omuibus illicitis gentilitatis ritibus, quasi religiosus et expertus Christianus. Completis igitur septem annis ætatis, sanctus Declanus traditus est a parentibus ad legendum et a nutritoribus, sicut beatus Colmanus mandavit, sancto Dymmæ *e* (qui fuit vir religiosus et sapiens, atque probatus in Christi fide, qui nutu Dei nuper illo tempore ad Hiberniam, unde erat ipse natus, venit, factus fidelis Christianus, et cellam in illa regione ædificavit ad litteraturam discendam) sanctus puer Declanus traditus est, et alius puer nomine Carbre, filius Coluim, qui postea sanctus et venerabilis episcopus fuit, simul cum sancto Declano traditus sancto Dymmæ ad lcgendum : et ipsi ambo apud eum sedulo legerunt. *et post septennium erudiendus datur sancto Dymmæ,*

17 Septem viri *f* qui habitabant in isto campo Scuti, viderunt prædictum globum, qui de cœlo apparuit in noctc nativitatis sancti Declani cum ceteris ; sed ipsi gratia Dci præ aliis dotati sunt spiritu prophetiæ ; et hi septem simul venerunt ad *tantumque proficit, ut et ipse discipulos colligat.*

A ad sanctum Declanum; et accipientes eum dominum ac magistrum suum, prædicaverunt coram omnibus, ipsum futurum episcopum suum, et dicebant prophetice: Veniet jam dies, in quo, fili Declane, serve Dei magni, nosmetipsos et loca nostra tibi offeramus. Et sic factum est: ipsi videlicet in Deum credentes, baptismum in nomine S. Trinitatis acceperunt et viri sanctissimi effecti sunt et septem claras construxerunt Deo cellulas in circuiti prædicti campi Scuti. Apud prædictum siquidem sanctum Dymmam beatissimus Declanus multo tempore legit, et dulcia diversarum pocula Scripturarum *g* exhausit, et subtilis ac facundus in illis effectus est. Plures jam scientes nobilitatem sancti Declani, et videntes et audientes sauctitatem, religiositatem, et charitatem ejus per omnia, venerunt ad eum, et sub jugo disciplinæ ejus sponte sua colla posuerunt.

ANNOTATA.

B

a *Usserio pag.* 782, Dethidin.

b *Tot sunt hujus nominis episcopi sancti apud Hibernos, ut nequeam statuere, quis hic designetur; quando neque Colganus tom.* 2, *pag.* 251, *neque Usserius loco mox citato, ubi ex Actis nostris fragmenta recitant, quidquam lucis afferunt.*

c Scoti, *id est* Hiberni, *qui Scoti olim dicebantur, ut sæpe alias monuimus.*

d *De* S. Carthago, *alias* Mochudu *seu* Machudda, *episcopo Lismorensi actum est ad diem* XIV *Maii, eaque occasione de civitate ejus, quæ* Lismora *dicitur, sita in Momoniæ comitatu Waterfordiensi.*

e *Neque sanctus hic* Dymma, *neque qui sequitur,* S. Carboe *seu* Coirbre, *aliunde noti sunt mihi: nam ex SS. Carbreis quatuor, quos recenset Colganus tom.* 1, *pag.* 313, *solummodo primum novimus, qui non potest is esse, de quo hic agitur, cum ad seculum nonum pertineat; ut merito proinde cum Majoribus jam pridem nostris doleam, non vulgari tandem aliquando Acta Sanctorum Hiberniæ, a Colgano olim per tres tantummodo menses* C *typis commissa; cum cetera promissa sint toties, tantoque opere ab ejus magistris per totam Hiberniam conquisita.*

f *Horum nomina habes infra cap.* III, *num.* 25; *et in annotatis ad litteram* k.

g *Usserius pag.* 784 *legit,* scriptarum disciplinarum.

CAPUT III.

Iter ejus Romam, consecratio episcopalis, reditus in Hiberniam, conversio Desiorum, ecclesiarum et monasterii ibidem erectio.

Romam petit cum discipulis aliquot;

Tunc in mentem sancti Declani Romam ire venit, ut ibi mores ecclesiasticos disceret, et gradus acciperet, et licentiam prædicandi a Sede Apostolica haberet, et ordinem et regulas secundum institutionem Romanam adduceret; et ipse quosdam assumens in comitatu discipulos transnavigavit, et perrexit Romam, mansitque ibi multis diebus. Eodem tempore sanctus Albeus *a* erat Romæ multis annis in discipulatu sancti Hilarii episcopi *b*, ex cujus jussione atque rogatu a beato Papa Albeus ordinatus est episcopus; veniensque sanctus Declanus Romam cum discipulis suis magna lætitia in adventu ejus gavisus est, et de nobilitate ejus et sanctitate populo Romano indicavit, et magnum honorem et dilectionem apud populum et clerum Romanum invenit beatissimus Declanus, intelligentes bonitatem ejus.

ubi consecratus episcopus mittitur in Hiberniam,

19 Sanctus enim Declanus forma pulcher erat, nobili habitu humilis et incessu, dulcis eloquio, magnus consilio, strenuus sermone. charitate ardens, conversatione hilaris, largus donis, vita sanctus, frequens et clarus in prodigiis et miraculis; et post multos dies sanctus Declanus a Domino Papa, multis suadentibus, ordinatus est episcopus; et postea, traditis sibi libris et regulis, missus est ad patriam suam, scilicet in Hiberniam, ut prædicaret in ea; acceptaque licentia et benedictione a Domino * et populo Romanæ ecclesiæ, sanctus episcopus Declanus iter cœpit arripere ad Hiberniam. E

* *Usserius addit* apostolico

et profectus occurrit S. Patritio Romam eunti.

20 Et multi Roma secuti sunt sanctum episcopum Declauum, volentes in peregrinatione sub eo vivere; inter quos filius regis Romanorum, Lunanus *c* nomine, venit, quem sanctus Declanus multum diligebat. Obviamque venerunt sibi invicem in Italia sanctus Declanus et sanctus Patritius, qui postea a Cœlestino Papa missus est ad prædicandum Hiberniensibus. et ipse totius Hiberniæ factus est archiepiscopus. Et sese invicem salutantes, pacifice fraternitatem inter se fecerunt, et in osculo pacis sanctus Declanus venit ad Hiberniam; sanctus autem Patritius Romam perrexit.

Sacrificans de cœlo accipit cymbalum nigrum,

21 Offerenti beatissimo pontifici Declano in quadam ecclesia in itinere missum est ei a Deo de cœlo parvum cymbalum nigrum; et venit per ecclesiæ fenestram ad eum, et super altare stetit ante eum. Quod sanctus Declanus cum gaudio accipiens, gratias Christo reddidit; et de tali munere Vir sanctus firmabatur contra barbaram ferocitatem gentilium; et illud tradidit supradicto Lunano, filio regis Romanorum, ut portaret et custodiret illud; quod cymbalum Scoti vocant Duibhin Declain, dantes ei nomen ex nigredine sua et adscribentes ipsum sancto Declano. Per quod sanctum cymbalum ab illo die usque hodie multa signa Dei gratia per sanctitatem sui possessoris facta sunt; et manet honorifice in civitate sancti Declani *d*. F

quo pulsato, navim obtinet, qua in Britanniam trajicit,

22 Deinde sanctus Pontifex cum suis discipulis ad mare Ycht *e*, quod dividit Galliam, et Britanniam, non potuit navigare; quia navigatores naulum ab eo superfluum quærebant. Hoc videns Vir sanctus, accepit prædictum cymbalum in manu sua, et pulsans illud, oravit ad Christum Deum omnipotentem, ut se adjuvaret; et illico divina adductione navem vacuam sine homine et velo de unda ad undam ad se venientem viderunt. Et ait sanctus Declanus suis: Intremus in Christi nomine in illam navem; et qui ad nos eam

EX MS. eam duxit, faciet nos portantem tranquille natare trans mare. Ad verbum jam Sancti intrantes navem, ea ipsa illico Dei nutu est reversa in pelagus, et cœpit marinos currere sulcos et cum omni tranquillitate, veloci cursu pervenit ad portum Britanniæ natatione. Descendens sanctus antistes Declanus cum suis in portum, navis illa, unde venit, rediit.

inde in Hiberniam, ubi prædicavit cum aliis ante S. Patritium,

23 Scientes et videntes tale miraculum, Christum Dei filium in suis Sanctis magnificaverunt. Tunc completa Davidica sententia, quæ dicit : Mirabilis Deus in Sanctis suis. Postea sanctus Declanus in Hiberniam, habens serpentinam prudentiam cum modestia columbina, pervenit; et cœpit per eam vitæ semen spargere. Ipse enim quasi apis sagax mellis honore ad habitaculum suum dulci medulla Scripturarum erat plenus. Quatuor sanctissimi episcopi cum suis discipulis fuerunt in Hibernia ante sanctum Patritium *f*, prædicantes in ea et convertentes plurimos ad Christum, scilicet: Albeus, Declanus, Ibarus, et Kiaranus : et hi plures ad Christum reti euangelico traxerunt; sed tamen sanctus Patritius majores Hiberniæ et potentiores ad fidem convertit, et ipse propterea summum habet archiepiscopatum Hyberniæ per circuitum.

apud gentem Desiorum,

24 Sanctus Albeus et Declanus, sanctusque Ibarus magnam fraternitatem et societatem inter sese et posteros suos usque ad finem mundi in terra et in cœlo fecerant, diligentes se invicem; sed præcipue S. Declanus et S. Albeus nimio se germanico amore diligebant; ut vellent simul esse semper, nisi a discipulis necessitas separandi suaderetur. Venitque sanctus antistes Declanus ad propriam gentem suam Na nDesii; et cœpit fidem sanctissimæ Trinitatis eis prædicare et illos baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et a diabolo ad ipsum Christum, Deum omnipotentem, convertere; et multa Deo loca instituit, in quibus quosdam de discipulis suis manere constituebat ad serviendum Christo, et ad gentiles Christiana fide imbuendos, et a diaboli cultu ad Christi Euangelium revocandos.

in qua ecclesias condit et monasterium.

25 Aliquando sanctus Declanus visitavit locum, in quo ipse natus [fuerat,] *g* et mansit ibi XL diebus; et constituit in eo cellam *h* virorum religiosæ conversationis. Tunc venerunt ad sanctum Declanum septem viri supradicti *i*, pie sancteque degentes in circuitu campi Scuti, qui in sua pueritia de eo prophetaverunt, et se cum cellis et suis omnibus, sicut ante diximus, obtulerunt. Hæc sunt nomina illorum septem virorum, id est Mochellog *k*, Beanus, Colmanus, Lachnin, Mothey, Findlach et Caminanus, qui postea sub cura sancti Declani religiosissime vixerunt, per quos multa a Deo sigua facta sunt.

ANNOTATA.

a *S. Albeus recurrit infra sæpius : colitur* XII *Septembris, quando ejus Acta illustrabuntur.*

b *Imo* Hilarium *hunc ipsummet fuisse Pontificem Romanum Majores nostri putarunt in Commentario prævio et in appendice ad Acta S. Patritii die* XVII *Martii.*

c *Frustra* Lunanum *hunc alibi quæras quis fuerit, aut cujus imperatoris aut tyranni Romanorum filius.*

d *Quæ est Ardmoria.*

e Ycht, *opinor, ea est insula, quam modo* Vectam *appellamus, vulgo* Wight; *quæque in mari sita est, quod Galliam ab Anglia seu Britannia dividit.*

f *Vide dicta in Commentario jam dicto et appendice ad Acta S. Patritii* XVII *Aprilis.*

g *Hunc locum supra descriptum vide num.* 15.

h Cella, *pro monasterio passim in Actis usurpata vox est.*

i *Supra cap.* II, *num.* 17.

k *Colganus tom.* 2, *pag.* 251 *legit*, Mocellocus sive Chellocius; *cumque tom.* 1, *pag.* 511 *celebrari ait die* VII *Martii; quo die nos eum Prætermissis inseruimus, quod non satis de ipsius cultu constaret. Monet vero Colganus idem, ne quis* Mocellocum *hunc cum alio homonymo confundat* Mochelloco *Kelloeiæ patrono, de quo et nos egimus ad diem* XXVI *Martii: tum quod hic junior illo fuerit, tum quod alio die ejus memoria celebretur. Idem de aliis ibidem censuit, quos ita refert :* Beanus, Colmanus, Lactinus, Mobhyus, Finnlughus, et Cayminus ; *plerique enim alios plures Sanctos habent cognomines, a quibus eos discernit, ut ex indicibus ejus colliges, in quibus hos simpliciter eremitas appellat.*

CAPUT IV.

Conversio Momoniensium ad fidem ; itinera Sancti Romam ; reditus per Britanniam ; locus episcopatus ei miraculo indicatus, et aliis miraculis dilatatus redditusque fœcundus.

Sanctus prædicat fidem Momoniensibus.

Beatissimus pater Declanus voluit prædicare Ænguso, filio Noadfrigh *a*, regi Momoniensium, qui regnavit in civitate Cassel *b*; et perrexit ad eum ad illam civitatem. Et sanctus Declanus habuit duos fratres uterinos, id est, matris suæ filios, et non patris, qui nati erant ipsius Ængusi *c* regis Cassel. Illi jam filii Colmanus *d* et Equitius * vocabantur. Colmanus utique, inspirante in eo divina gratia, a semetipso ad sanctum Albeum episcopum perrexit, et est baptizatus, et habitum suscepit ecclesiasticum ab eo, mansitque apud eum sedulo legens; et effectus est vir sanctus et mirabilis. Equitius autem, laicus mansit, exspectans regnum post patrem suum. Ipse jam Equitius rogavit patrem suum regem, ut ipse honorem fratri suo Declano daret; et dedit rex honorem sancto Declauo, et non prohibuit eum prædicare, placuitque ei sermo, religio. præceptumque Sancti; sed tamen non credidit ei, neque baptismum ab eo suscepit.

* alias Eocha

Cur eorum regem, vitricum suum, non potuerit convertere.

27 Ferturque a quibusdam, quia ideo rex noluit baptizari a sancto Declano, quia sanctus Declanus de gente Na nDesii esset, quæ gens et regis gens, id est, Eoganach, de qua reges aliquando oriuntur Momoniæ, semper inimici erant; et

A et nolebat de illa gente patronum habere; et non caussa incredulitatis, sicut in hac re monstratur: ipse enim rex audiens sanctum Patritium archiepiscopum ad se venientem (qui de gente Britanniæ erat natus, cum quibus rex neque invidiam nec odium habebat) non solum illi credidit, sed obviam ei cum gaudio de sua civitate exivit: et statim credens, baptizatus est ab illo. Sanctus autem Declanus post monita salutis illic seminata reversus est ad suam nationem credentem sibi, et baptizavit omnes in ea præter ducem cum ejus satellitibus quibusdam, qui quotidie credere et baptizari velle promittebant, sed, suadente iterum diabolo, de die in diem renuebant.

Roma rediens S. Davidem episcopum invisit;

28 Vulgus dicit, quod sanctus Declanus multis vicibus Romam visitavit; sed in veteribus scriptis non invenimus, plusquam tribus vicibus; de quibus una vice rediens, venit ad sanctum episcopum Britonum, nomine David *e*, in sua civitate Cellmhuny *f* manentem, quæ est in littore maris, quod dividit Hiberniam et Britanniam, et susceptus est illic honorifice; B mansitque ibi sanctus Declanus, rogante sancto David, in omni charitate quadraginta dies, celebrans Missam ipse quotidie. Fraternitatem in Christi nomine ipsi duo pontifices, Declanus videlicet et David, inter sese semper et suos firmaverunt. Et post quadraginta dies, accepta licentia et benedictione sanctissimi episcopi David et fratrum ejus, in osculo pacis beatissimus pater Declanus cum suis navem ascendit, et cœpit navigare ad Hiberniam.

unde in Hiberniam solvit, amisso cymbalo suo,

29 Et prædictum cymbalum sancti Declani, quod sibi a Deo de cœlo per fenestram super altare projectum est, tunc in comitatu, solito more erat in custodia adhuc illius Lunani, cui primitus illud commendatum est ad custodiendum; sed illo die Lunanus cymbalum suum dedit uni de comitatu, id est, filio Theste, ut secum duceret illud in navim. Ille autem veniens in littore, posuit illud super petram, occupatus alia in re, putans quod postea recordaturus illud secum inde duceret in navi; sed adhuc ibi oblitus est, donec navis sub carbaso venti validi conductione medium C pelagi carperet. Audiens jam sanctus pontifex Declanus, suum cymbalum charum, Dei dono sibi datum, omissum esse in littore, valde in corde de eo doluit; similiter et omnes cum eo. Et respiciens Vir sanctus in cœlum, oravit tacite ad Christum. Finita jam oratione non longa, dixit ad contristatos discipulos: Deponite, filii, tristiam vestram: Deus enim illius donator potest illud ad nos mirabiliter navigio conducere.

quod una cum petra per mare vectum,

30 O quam pulcre tum creatura obedivit Creatori contra naturam gravissimam, quam sibi in creatione donavit! Petra enim illa, quæ est vere magna de durissimo lapidum genere, jussione divina mare intravit, et leviter natavit veloci ductu rectissime post navim sub cymbalo suo; et post breve intervallum hoc videntes viri Dei, qui erant in nave, admirabantur rem mirabilem divino nutu ante se factam; et Christi amore, et eorum Magistri honore repleti sunt. Tunc autem vir sanctissimus, Declanus, spiritu prophetiæ repletus, dixit illis: Dirigite navem recto vestigio post petram: in quocumque enim loco ipsa portum apprehenderit, ibi prope civitas mea erit, in qua sedes mei episcopatus manebit; et ego in ea migrabo ad Christum, et ex humo ejus erit mea resurrectio.

Ex MS.

locum designat Sancto episcopatus, et mortis ejus,

31 Lapis enim præcedit illico navim, et antecedebat eam modico spatio, et non ibat petra, nisi modo, quo navis poterat eam sequi; et petra direxit cursum suum ad Hiberniam, et ad ejus latus Australe mediocri intervallo a terra de ostio ad ostium navigavit; et navis directa est post eam, sicuti Vir sanctus jussit; et illa petra perveniens ad insulam quamdam in Australi plaga regionis Desiorum *, mari vallatum apprehendit portum in littore ejus; similiter et navis eodem in loco, sicut sanctus Declanus imperavit, pervenit; descendensque Vir sanctus ibi in terram, gratias Deo egit pro loco resurrectionis suæ.

* *alias* Na nDesi

territorium scilicet Desiorum, ubi nunc Ardmoria;

32 In illa insula collis clarus est, ex quo insula a cultoribus terræ illius nominatur, id est, Ardua Goerach, quod sonat Latine, Altitudo ovium: oves enim uxoris ducis illius regionis in illa insula in pascuis erant, et in illo colle post pascua jacere consueverunt. Et quidam de discipulis suis videns de illo colle insulam pelago circumdatam, ait sancto Declano: Quomodo poterit ista altitudo parva populum tuum suffere? Ait ei sanctus Declanus: Nequaquam, fili, parva altitudo vocabitur, sed altitudo magna. Et ita semper civitas sancti Declani, quæ est in eo loco posita, vocatur a Scotis Ardmor, id est, Altitudo magna. Post hæc sanctus pontifex Declanus perrexit ad ducem Na nDesi, et petiit ab eo illam insulam, et dedit ei illico dux insulam istam sancto Pontifici; credensque sanctus episcopus Declanus venit ad Atrium breasoil, ubi erant naves ad eum portandum in illam insulam; sed habitatoribus illius loci multum displicuit, quod sanctus Declanus vellet habitare in illa insula, et absconderunt rates suas caussa nocendi Sancto, ne posset intrare in illam insulam. E

verum discipulis loci incommoda querentibus.

33 Tunc discipuli sancti Declani dixerunt ei: Pater, frequenter hanc navigandi necessitam, te veniente huc atque illuc, patientur, sed frequentius post tuam navigationem ad cœlum; ideo te obsecramus corde et ore, ut illam insulam deseras, vel roges Patrem in nomine Filii per unitatem Spiritus sancti (sicut ipse Dei Filius ait: Si quid Patrem petieritis in nomine meo, dabit vobis) ut istud fretum de loco suo in pelago trudatur, et sit locus ejus plana terra ante civitatem tuam: locus enim ille non potest bene vel facile habitari præ freto isto; et ideo non potest illic civitas esse; imo vix poterit et cella. Respondit eis Vir sanctus, dicens: Quomodo possum deserere locum, mihi a Deo præfinitum, ut moriar et sepeliar in eo? Quod autem dicitis de difficultate habitandi, cum ego scio, et vos, et vere magis Deus; de motione vero istius freti contra voluntatem Dei nolo rogare; sed tamen ex vestra jussione fundam preces ad Dominum; et quod Deo creatori meo placet, faciet sponte. F

Declanus mare longius inde baculo ac precibus submovet,

34 Et surgens Vir sanctus ab oratione, discipuli dixerunt ei: Pater, accipe baculum tuum, et secundum similitudinem Mosaicæ virgæ percute aquam freti, et postea sicut dixisti, faciat Deus quod voluerit. Et discipuli orabant ad Deum cum suo sancto Patrono (ipsi enim Viri sancti

et

EX MS.

et probati erant) baculoque dato in manu sancti pontificis Declani, ipse percussit aquam in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, signans eam signo sanctæ crucis Christi; et illico cœpit maximum divino nutu fretum e loco suo refugere in pelagus ante Sanctum Dei, quasi torrens de gremio montis, et vix veloces belluæ natando poterant aquas sequi, et multi pisces in littore deserto aquis suis consuetis volventes se in cœno. Christi autem famulus, scilicet sanctus pontifex Declanus, tenens baculum in manu, sequebatur aquas, et sequebantur eum sui discipuli; sed erat tumultus et sonitus magnus in mari a belluis et ab aquis.

ac tres elicit fontes e terra,

35 Cum autem pervenisset sanctus pontifex Declanus ad locum, in quo nunc est terminus terræ et maris, puer pius, qui vestigia sancti Declani sequebatur, nomine Manchinus, timens horrore marinorum animalium cum freto fugientium, et in littore reptantium, qui omnia sua ora nimis concava aperiebant, dixit sancto Declano: O sancte Pater, satis mare de suo loco expulisti: B timemus enim belluas ejus. Et ad vocem ejus statim mare in ipso loco stetit et non discessit amplius. Hoc sanctus pontifex Declanus videns, multum ei displicuit; et dedit ei modice alapham super nasum suum, dicens: Non ego expuli, sed Deus meus sua magna potentia expulit eam [aquam], et multo longius expelleret, nisi dixisses, quod dixisti. Et ceciderunt tres guttæ sanguinis de naso ejus in terram tribus locis; et hoc videns Sanctus, benedixit fronti ejus; et illico sanguis cessavit, et sub pedibus Viri Dei tres fonticuli lucidi aquæ dulcis surrexerunt de tribus locis, in quibus tres guttæ sanguinis ceciderant, qui usque hodie ibi permanent; et raro, sed aliquando, in specie sanguinis, post multum tamen tempus, in signum virtutis apparent.

quæ ibi deinde fertilissima fuit.

36 Spatium illius freti expulsi, in quo est milliarium in latitudine, longa autem via in longitudine, per circuitum insulæ terra optima et fructifera est in fœno et agricultura, quæ civitati Sancti Declani subjacet. Tunc secundum Psalmographi sententiam, terra arida sine aqua post aquarum exitus expulsarum apparuit; et baculus C ille, qui in manu sancti Declani post fretum fuit, Scotica lingua Feartach Declain, ab illo die usque hodie vocatur Mirabilis baculus Declani; eo quod Mirabilia multa omni tempore ob sanctitatem beatissimi Declani per ipsum baculum fiant, de quibus aliud nobis miraculum infra in alio videbimus loco.

ANNOTATA.

a *Hibernice* Oengus, Aengus, *et* Aongus; *Latine* Æneas, Oengus *et rectius* Ængussius *filius Nathfraich* est longe celebris ille rex Mumoniæ, quem eximia pietas, et animi fortitudo, et progenies multa ac sancta reddiderunt celebratissimi nominis in nostris historiis; quemque quatuor Magistri in Annalibus referunt occubuisse anno Christi 489, *inquit Colganus ad Vitam tertiam S. Patritii pag.* 32, *ubi de hoc plura; uti et tomo* I, *pag.* 169 *et* 174,

b *Regum olim Momoniensium sedes fuit* Casselia, *urbis ad Suirum fluvium posita in comitatu Tiperariensi.* D

c *Hæc sane cum ætate, quam Hiberni* S. Declano *tribuunt, parum cohærent: volunt enim, juxta Usserium in Indice chronologico, natum esse hunc Sanctum anno Christi circiter* 347: *matrem ergo ejus facere coguntur annis circiter viginti seniorem; adeoque septnagenaria majorem, cum natus est Ængussius (neque enim is annum Christi* 400 *antecedere multum potuit; siquidem obierit anno* 489:) *adde annos Ængussii usque ad ætatem matrimonio aptam; et videbis, opinor, regem juvenculum vetulæ ac viduæ centum annis natæ conjunctum, liberos ex ea progignere,* S. Declani *fratres uterinos. Juniores ergo statuendi sunt mater et filius, si vera sunt, quæ hoc loco narrantur.*

d *De* Colmano *hoc et fratre ejus* Equitio *sive* Eochadio *videri potest Colganus ad diem* XVII *Januarii in Actis S. Natalis abbatis; ubi* Colmanum *hunc ait fuisse episcopum Doremorensem; et coli* XX *Maii, quo die illum inter Prætermissos reperies in Actis nostris.*

e *De* S. Davide, *episcopo Menevensi in Wallia, egimus* I *Martii, ubi creatum illum episcopum fuisse docuimus anno Christi circiter* 516, *obiisse autem anno* 544. E

f Cellmhuni, Ceall-muni, Killmuine, *idem est quod Menevia et ecclesia Menevensis; ut post Colganum diximus in Annotatis ad Acta S. Davidis hujus ecclesiæ episcopi, cap.* I.

CAPUT V.

Monasteria varia S. Declani; Ardmoriæ civitatis primordia; SS. Kiarani, Ibari, Albei ac Declani concordia cum S. Patritio.

Sanctus monasterium condit; unde Ardmoriæ primordia:

Deinde sanctus pontifex Declanus cum suis discipulis gaudens de expulsione freti, maris, de quo facto nomen ejus per omnes Hiberniæ regiones divulgatum est, cœpit exstruere magnum F monasterium ad occidentalem rivuli partem, qui de mediæ illius insulæ plaga in fretum expulsum defluebat, sed modo in mare post fretum vadit. Et eodem in loco circa rivulum parva civitas in honorem sancti Declani crevit, quæ Hiberniensi lingua Ardmor vocatur. Et quomodo hæc Latine dicitur, nomen aperte prænotatum est *a*. Beatissimi sanctissimique pontificis Declani audita sanctitatis fama, plurimæ de diversis Hiberniæ regionibus turbæ venerunt ad eum, et se tradiderunt corpore, et anima Christo sub jugo sanctissimi Declani regulæ.

imo et alia per Hiberniam cœnobia multa erigit.

38 Et sanctus pater Declanus per omnem regionem Desiorum multa monasteria et cellas ædificavit; et non solum in ipsa regione, sed in aliis Scotiæ partibus loca Deo instituit. Multa jam millia habitus *b*, utriusque sexus in illis plurimis locis sub cura et regula sanctissimi patroni Declani in vita felicissima vixerunt. Quosdam utique

A que de discipulis suis ipse fecit episcopos, et constituit eos in aliquibus de prædictis locis causa Christianitatis seminandæ. Pietas, mansuetudo, et æqualitas inter personam et personam sanctissimi pontificis Declani apparebant ita omnibus, ut discipuli ejus sub præsentia sua plus vellent esse, quam per se vivere aliis in locis magistri.

A S. Patritio in Hiberniam misso

39 Interea gloriosissimus archiepiscopus Patritius, missus a Cœlestino Papa, venit in Hiberniam, et humiliavit Deus ad doctrinam ejus corda majorum Hiberniæ, et sicut prædiximus, venit in occursum illius supradictus rex Momoniæ, id est Ængus, filius Neodfruoich *; et cum gloria magna duxit secum sanctum archiepiscopum Patritium in suam civitatem Cassel; et sanctus Patricius baptizavit et benedixit illum cum sua gente et civitate. Audiens beatissimus episcopus Patritius, quod adhuc dux regionis Desiorum esset gentilis, differens quotidie credere sancto Declano, venit ut ei prædicaret verbum Dei. Supradicti quatuor episcopi, qui erant in Hibernia ante sanctum Patritium missi a Roma, sicut B et ipse, scilicet: Albeus, Declanus, Kiaranus, et Ibarus, non unam voluntatem habebant cum sancto Patritio, sed diversam; tamen in postremo concordiam cum illo fecerunt.

* *supra* Noadfrigh

dissident primo episcopi quatuor; dein illi se submittunt,

40 Kiaranus enim omnem subjectionem, et concordiam ac magisterium dedit sancto Patritio, ipso præsente et absente; Albeus autem videns, majores Hiberniæ concurrere post Patritium, venit ad sanctum Patritium in civitate Cassel, et accepit eum ibi cum omni humilitate suum magistrum coram rege Ænguso; quod prius non habuit in mente. Ipsum jam Albeum illi episcopi magistrum suum antea constituerunt, et ideo ipse ante eos venit ad sanctum Patritium, ne ipsi pro se contradicerent illi. Ibarus vero nulla ratione consentire sancto Patritio, neque ei subjectus esse voluit: nolebat enim patronum Hiberniæ de alia gente habere; Patritius autem de gente Britonum natus erat, sed in Hibernia nutritus est, captus in pueritia sua; et conflictus magnos inter sese Ibarus et Patritius C fecerunt in primis; sed postea, suadente angelo, pacem et concordiam et fraternitatem inter sese fecerunt.

quos inter S. Declanus ab angelo monitus,

41 Declanus autem nolebat contradicere sancto Patritio, quia ante cum ipso fraternitatem fecit in Italia: neque quidem subditus ejus esse cogitavit, quia ipse dignitatem Apostolicam c habuit; sed ita tandem ab angelo monitus est, ut veniret ad eum ut voluntatem ejus faceret. Venit enim angelus Domini ad sanctum Declanum, dicens ei: Vade modo citius ad sanctum Patritium, et prohibe eum ne maledicat ipse gentem tuam et terram tuam: ipse enim jejunus est hac nocte in loco, qui dicitur Hynneon, qui est in medio campi Femhyn in Aquilonari plaga Desiorum * super ducem gentis tuæ; et si maledixerit tuam gentem, maledicta erit per seculum.

* *alias* Nanbesi

hoc pacto Desios cum S. Patritio conciliat;

42 Tunc sanctus Declanus cum omni festinatione ex jussione angeli ad prædictum locum Hynneonem, qui est in medio campi Femhyn in Aquilonari Desiorum plaga, nocte illa per montem Gua, id est Sliabhgua, trans fluvium Suir perrexit, et mane ad sanctum Patritium pervenit. Sanctus jam Patritius cum suo populo videns sanctum Declanum, susceptus est ipse honorifice a sancto Patritio et populo ejus; et sanctus Declanus humiliavit se sancto Patritio, et rogavit eum, nc gentem Desiorum, neque regionem malediceret; et promisit suam voluntatem dare sibi. Et ait ei sanctus Patritius: Quia pro eis satagis, imo benedicam. EX MS.

non tamen obstinatum eorum ducem;

43 Tunc sanctus Declanus ad ducem Desiorum prope manentem cum suo exercitu, qui sibi noluit credere, et male tractavit sanctum Patritium, perrexit; et rogavit eum magnis precibus, ut veniret ad sanctum Patritium credere et baptizari; sed ipse nullo modo, nullaque ratione consensit, et Sanctis Dei iratus dixit, nisi dimitteret propter fratres et cognatos sancti Declani quod pauci essent apud eum. Ipse dux Lebanus vocabatur, qui in sua permansit credulitate *. Videns sanctus Declanus, eum in diabolica manere suasione, et timens, ne propter illum gentem suam sanctus Patritius malediceret, conversus ad cœtum Desiorum ait: Separate vos ab isto malefico, ne sitis maledicti caussa incredulitatis illius, quos per undam baptismi sacram ego benedixi; et E venite post me omnes, ut benedicat vos mecum sanctus Patritius, ad vos a Deo missus, quem elegimus archipatronum totius Hiberniæ: ego enim ex paterna natione dux vester esse debeo, sicut et ipse.

* *Colganus* incredulitate

a quo propterea gentem suam abstrahit.

44 Ad hanc vocem omnis cœtus Desiorum, excepto duce eorum incredulo cum suis servis propriis quibusdam, secutus est sanctum Declanum. Et ait sanctus Declanus ad sanctum Patritium: Ecce, gens Desiorum reliquit ducem suum incredulum, et mecum quasi cum duce suo ad te, pater, subdita tibi venit, parata te semper honorare; et benedictionem tuam petit, quia a nobis baptismum suscepit. Tunc sanctus Patritius cum discipulis suis gentem diligenter benedixit, et non solum homines, sed etiam silvas, terras, et aquas. Et dixerunt principes et potentes Desiorum ad sanctos episcopos: Quis modo dux noster est? Respondit eis sanctus Declanus: Ego sum modo dux vester; et quem eligam ut præesset, benedicet sanctus Patritius; et ipse dux vester erit.

alio duce in ejus locum electo, cui benedicit S. Patricius.

45 Tunc sanctus Declanus elegit juvenem F quemdam, nomine Ferdinandum *, filium Cormaci, de regali genere Desiorum, id est, de cognatione et stirpe sancti Declani: et posuit eum in medio, ut dux esset illorum; et placuit omnibus. Tunc juvenis a Sanctis Dei benedictus est, et ab omnibus dux est ordinatus. Ipse jam dux Ferdinandus *, filius Cormaci, multis episcopis placuit; et post benedictionem ejus sanctus Patritius ait: Iste juvenis pulcher facie, et audax in militia; et opes erunt in regno ejus, et erunt ita duces Desiorum in seculum. Quæ prophetia illis semper contingit. Tunc sanctus Declanus, et dux Ferdinandus *, et gens Desiorum, multas terras ibi prope in campo Femhyn sancto Patritio obtulerunt, (unde successores ejus magnum servitium habent) et locum non longe a flumine Suir in eodem campo. Et ibi est lucidissimus fons, qui dicitur sancti fons Patritii, quem sanctus Patritius multum dilexit. Posthæc sanctus Patritius cum magna gratiarum actione a regione

* *alias* Fearghal

* *alias* Ferghalus

* *alias* Fearghal

EX MS. ne Desiorum ad civitatem Cassel ad regem Ængusum reversus est, et sanctus Declanus cum eo exivit.

ANNOTATA.

a *Nempe cap.* IV, *num.* 32 *supra.*

b Habitus, *id est, eorum, qui habitum monasticum assumpserant.*

c *Id est, episcopatum et missionem ab ipso Pontifice Romano susceperat, uti superius narratur cap.* III, *num.* 19.

CAPUT VI.

B

Miraculum S. Patritii; archiepiscopatus Momoniæ, et episcopatus S. Declani privilegia; religio Desiorum confirmata; miracula S. Declani in peste Momonica: septem mortuos resuscitat, ægrotantes sanat pestemque depellit.

Vulnus S. Declani sanat S. Patritius signo crucis,

Quoddam miraculum, quod factum est in supradicta concione, modo dignitati cœpimus narrare vestræ. Ambulans ibi incaute sanctus Declanus inter gentem suam et sanctum Patritium festinus, in aliquo loco pes ejus a quodam ferro multum scissus est; et effundens largiter sanguinem, cœpit claudicare. Hoc videntes Sancti episcopi, id est, Albeus, dilectus amicus et sodalis sancti Declani, et Seachnallus *a* discipulus sancti Patritii (de quo fertur, quod ipse primus episcopus sub humo Hiberniæ exivit) qui fuit vir multum sapiens et sanctus, displicuit valde eis, et indicaverunt illud sancto Patritio. Illud audiens sanctus Patritius, simili modo displicuit, dicens : Sana, Domine, pedem Servi tui fidelis, qui in talentis sibi traditis pro te multum laborat. Et videns sanctus Patritius sancti Declani pedem, signavit cum signo sancto *, et respiciens in cœlum, oravit ; et illico sanguis cessavit fluere, et vulnus labia sua cœpit contrahere, et accepta cute cicatrix apparuit. Surgensque sanctus Declanus sine acritate pedis validus, pro eo Sancti Deo gratias egerunt. Turba autem clamorem in laudem Dei et servorum ejus extulerunt.

C

* *alias* signo crucis

Institutio archiepiscopatus Momoniæ, et episcopatus Desiorum,

47 Commanentes in civitate Cassel sanctus Patritius, sanctus Albeus, sanctusque Declanus cum multis sanctis discipulis apud regem Ængusum, multa circa ecclesiastici regiminis, et vigoris Christiani leges, et in Christianæ fidei ulteriorem propagationem constituerunt. Et sanctus Patritius et rex Æneas cum omni populo suo ordinaverunt archiepiscopatum Momoniæ in civitate et in sede sancti Albei *b*, qui tunc ab illis ordinatus est archiepiscopus per seculum ; et sancto Declano constituerunt terminos, quos de gentilitate ad fidem convertit, id est, Desios, ut ipsi in parochia episcopatus ejus essent, quæ est magna et clara ; et ut Hibernienses in aliis locis sancto Patritio servirent ; ita ut gens Desiorum omne sub Deo obsequium sancto Declano patrono suo exhiberet. D

quorum præsules apud suos secundi Patritii a S. Patritio vocantur.

48 Unde sanctus Patritius archipontifex et patronus totius Hiberniæ versum sequentem Scotica lingua, quasi quoddam oraculum, vigorem legis habens, eis cantavit ; quem versum familia sancti Albei et familia sancti Declani noluerunt pro se vel rythmice seu metrice *c* in Latinum verti ; sed majoris auctoritatis ei conciliandæ gratia illum proprio et genuino, quo pronuntiatum ac compositum est a sancto Patritio, idiomate pro dignitate proferemus in medium. Ita igitur Scotice ponitur ille versus : c

Ailbhe umhal Padruigh Muomhan mo guchruth :
Declan Padruig na nDesi, na Desi ag Declan go bruth *d*. d

In quo decretum est, ut Albeus, secundus Patritius et Momoniæ patronus esset ; et Declanus secundus Patritius et patronus esset Desiorum ; et Desii sua diœcesis essent usque ad finem seculi. Postea sancti episcopi benedicentes regem Ængusum, ad sua in osculo pacis cum spirituali gaudio ad opus divinum seminandum progressi sunt. E

confirmatur per leges Desiorum religio Catholica.

49 Convenientes quoque sanctus pontifex Declanus et ille juvenis Feargall, seu Ferdinandus, dux Desiorum in supradicto loco Hynneoin cum exercitu et universo populo Desiorum, leges Christianitatis in suo regno firmaverunt; ille autem depositus dux Lebanus, negator Christiani nominis, ab omnibus expulsus est, et ipse in nihilum exivit, sicut scriptum est de inimicis Dei : Periit memoria eorum cum sonitu. Tunc a sancto Declano, et a duce Feargall, et a potentibus Desiorum statutum est, ut illo loco Hynneoin duces Desiorum in posterum ordinarentur, in quo dux Feargall a Sanctis ordinatus est. Et fertur ab antiquis, quod in eodem loco duces illius gentis antea in gentilitate constituebantur.

Peste in Momonia septem obsides sublatos,

50 Eodem tempore dira pestis venit in Momoniam; sed venenosior erat in civitate Cassel, quam in ceteris locis : quæ flavos primitus faciebat homines, et postea occidebat. Et erant septem nobiles obsides apud regem Ængusum in custodia in quodam castello, ad Occidentalem civitatis Cassel partem posito, quod dicitur Scotice Magh na nearglann, id est, Atrium cuspidum. Una jam nocte illi obsides septem a supradicto morbo mortui sunt ; et cum rex mortem eorum audisset, valde contristatus est : illi enim filii ducum potentiorum extremitatum regni sui erant ; et timebat eos inducere scandalum in suo regno. Et rex jussit suis mortem illorum celare. Sequenti vero die sanctus pontifex Declanus ad civitatem Cassel pervenit, regem volens Ængusum alloqui. F

rogatus a rege S. Declanus,

51 Rex audiens ad se Declanum venientem, gavisus est, et vocavit eum illico ad se, et ait illi coram suis amicis : Rogamus te, sancte Episcope, serve Dei vivi, ut, sicut in Christi nomine tibi credidimus per prædicationem vestram, septem obsides nostros, qui præterita nocte mortui sunt

ista

A ista mortifera peste, a morte resuscites : scandalum enim regni nostri ab eorum parentibus timemus ; ipsi jam dicent, quod filii eorum ex culpa nostra occisi sint ; et hoc vere pudet nos. Respondet sanctus pontifex Declanus dicens : O chare rex, non est infirmitatis humanæ carnem exstinctam a morte resuscitare ; sed ad solam divinam potentiam tale opus pertinet ; sed quia nos adjurasti, nos in Christi nomine ibimus, ubi sunt cadavera eorum, et orabimus pro eis ad Dominum ; et quod sibi bonum videbitur, faciat.

aqua lustrali et prece ad vitam revocat ;

52 Tunc sanctus Declanus cum viris idoneis de discipulis suis, ducentibus eum ministris regis, perrexit plenus fide ad locum, ubi posita erant cærulea et flava cadavera mortuorum ; et rex sequebatur vestigia Episcopi ; qui ante corpora vadit exstinctorum. Intrans Vir Dei locum, in quo mortui jacebant, aspersit eos aqua benedicta, et orans ferventer et breviter, dixit coram præsentibus : Domine Jesu Christe, unigenite fili Dei vivi, pro gloria nominis tui hos mortuos resuscita ; ut isti neophyti per ministerium nostrum in fide tua confirmentur. Postea sanctus Pontifex in spiritu cognoscens vitam illorum sibi a Domino donatam, ait ad eos, tunc
B palpebras movere incipientes suas : In nomine Jesu Christi omnium salvatoris, surgite ad nos, et benedicendo Deo gratias agite. Ad hanc vocem illi illico a morte surrexerunt, salutantes omnes ; et assignavit sanctus pontifex Declanus eos regi Ænguso filio Nadhaoith coram populo vivos et sanos.

pestemque toto regno pellit ;

53 Hoc raro et maximo miraculo viso, Christi nomen ab omnibus glorificatum est, sanctitas sui Famuli devulgata est per orbem et regiones Hiberniæ. Tunc rex Ængus gaudens illud castellum, id est Atrium cuspidum, cum agro sibi propinquo in circuitu, sancto Declano in æternum obtulit. Deinde cives civitatis Cassel supplices rogaverunt sanctum Declanum, ut benediceret urbem ad expellendam illam pestem, et rogaret Christum pro plurimis infirmis, qui illa detinebantur peste. Vir sanctus videns fidem illorum, oravit ad Christum pro hisce, et signo sanctæ crucis aerem per quatuor plagas benedixit. Tunc
C velociter apparuit, quod Dominus dixit ad discipulos suos ascendens ad cœlum, id est : Super ægros manus imponent, et bene habebunt. Post signationem enim manu sancti Declani ipsa hora qui patiebantur pestem, absoluti sunt, non solum in illa urbe, sed ubicumque in provincia fuerat pestis ; et sani ad suos surrexerunt.

cui beneficio egregie respondit munificentia regia.

54 Tunc pestis illa omnino expulsa est ab omni regione, et hoc omnes gaudebant, et magis quam de resurrectione mortuorum. Hoc videns et audiens rex, dedit primitus, et constituit semper ab omnibus regibus Cassel magnum tributum sancto Declano et ejus successoribus, et libertatem suæ civitatis et parochiæ coram multis testibus de nobilibus Momoniæ tradidit. Et postea benedicens gloriosus pontifex Declanus regem Ængusum cum sua civitate et gente, reversus est ad regionem suam.

ANNOTATA.

a *Qui Latino nomine* Secundinus *appellatur, et sæpe recurrit in Actis S. Patritii* XVII *Martii. Ejus Acta illustrari poterunt* XXVII *Novembris.*

b *Nempe Imelacæ, ad duodecimum a Casseliensi civitate lapidem sitæ ; ubi aliquot seculis Momoniæ archiepiscopi consederunt, antequam sedem inde Casseliam transtulerunt ; ut vide apud Waræum in præsulibus Hiberniæ pag.* 160 *et* 174.

c *In exemplari nostro ante collationem Romæ factam cum exemplari cœnobii S. Isidori sic habebatur distincte :* noluerunt pro se vel... Leometrice in Latinum verti ; *ex qua voce* Leometrice *Papebrochius noster ad Acta S. Patritii desumpsit argumentum quo negaret, auctorem hunc scripsisse ante seculum duodecimum : quippe quo primum sub Ludovico VII, vel Philippo Augusto Galliæ regibus, floruerit Leo ille poeta, a quo deinde* metrum Leoninum *et usum et nomen accepisse volunt eruditi.* E
Ceterum, loco restituto ad exemplar Romanum, et ad lectionem Colgani tom. 2, pag. 201, *fatendum est, observationem illam amanuensi cuidam infideli tribuendam esse ; neque proinde quidquam ad rem facere.*

d *Deerant hi versus in apographo nostro ; sed lacunam nostram Romæ supplevit ex Ms. S. Isidori Haroldus, ut nunc exhibuimus. Paulo aliter eosdem scribunt Colganus tom. 2 pag.* 201, *et Usserius in opere hactenus sæpe citato pag.* 866 *: sed nihil mutare ego temere volui, qui idiomatis Hibernici me rudem profiteor. Satis habeo, quod Latine redditos reperi apud eumdem Usserium pagina sequenti in hunc modum :*

Albeus est humilis, dixit Calphurnia proles * ;
Patriciusque esto hinc, Albee, Momoniæ ;
Declanus pariter patronus Desius esto,
Inter Desenses Patriciusque suos.

* *id est S. Patricius.*

CAPUT VII.

F

Occultorum in Sancto notitia, pœnæ hospitium illi negantium, varia monasteria ab eo condita, obsequium cervi.

Sancto ad mensam canis coctus pro ariete apponitur ;

Aliquando sanctus Declanus hospitio susceptus est Australi campi Femhyn plaga in domo cujusdam viri gentilis. Ille vir Dercanus vocabatur, et dives erat ; et volens illudere Christianis, jussit servis suis, ut canem occulte occiderent, et caput et pedes ejus absconderent in terra, et carnem ejus bene coquerent, et postea discipulis sancti Declani traderent ad manducandum ; et præcepit, ut ille canis pinguis esset, et suaderent illis blande hanc carnem comedere, quasi ovinam. Et cum illa caro ad mensam poneretur cum panibus ante alia cibaria, sanctus episcopus Declanus ad latus suum modice dormiebat ; et cum

EX MS.

cum excitatus esset, ut benediceret prandium, respexit mensam tacens, et cum discipuli sui sibi dicerent : Benedic, Pater, prandium nostrum ; dixit illis : Video vere ministrum diaboli circa carnem illam. Et interrogans ille ministros, quæ esset illa caro, et quomodo sit occisa ; dicunt ei : Dominus noster jussit, ut vobis arietem pinguem occideremus ; et sic fecimus.

quod cum ille Dei instinctu delexisset, hospitem convertit;

56 Tunc sanctus Episcopus ait coram omnibus : Christe, mi Domine, ostende mihi, cur video ministrum diaboli in mensa ; et prohibe servos tuos, ne illicitum commedant. Tunc nutu Dei vidit Vir sanctus unguem canis per frusta carnis : (quartum enim pedem carnis ministri nescientes coxerunt, quem in terra putaverunt abscondere) et ait sanctus Declanus : Non ovis hic est unguis, sed canis. Hoc videntes ministri, currentes nuntiaverunt domino suo Dercano. Audiens ille tale quid, statim venit ad sanctum Declanum ; et credens, obtulit sese cum suo semine et villa sancto Declano in æternum ; et baptizatus est cum suis, et gavisus est, et petivit a sancto Declano, ut aliquem locum in terra sua benediceret, quod * semper nomine suo nominaretur.

B

* *lege* qui

et in ejus fundo canobium exstruit;

57 Tunc sanctus Declanus benedixit lapidem quemdam ibi, qui ab illo die usque hodie Lapis sancti Declani vocatur. Et dixit sanctus Declanus : Si dux, vel gens Desiorum vadens ad bellum contra inimicos, vel ad vindicandam injuriam suam in aliam gentem, circumiverint illum lapidem, invicti reverterentur, et victoriam de inimicis habebunt. Et ita semper completur ; sed mali de illa gente, qui non sunt digni habere victoriam, volunt per superbiam hunc lapidem circumire et ideo victoriam amittunt. Illa villa Teach Dercain tunc vocabatur, modo autem Coninga ab illa ungula canina vocatur. Ibi sancti viri Conanus Mochoba, Ultanus, filius Erci, et filius Laifre *a*, simul venerunt ad sanctum Declanum et obtulerunt se Deo sub magisterio et regula sancti Declani. In illa villa Dercani, id est, Coninga, monasterium instituit, et istos prædictos sanctos cum aliis in isto loco ordinavit ; sed sanctum Ultanum solum * postea detulit.

a

* *alias* secum

C

et aliud apud Themoriam, ubi relinquit Evangelii codicem;

* *alias* Breigh

58 Deinde sanctus Episcopus ad regionem Brehensem * ad pristinam suam patriam perrexit, et invenit magnum honorem apud regem Themoriæ et principes Brehensis * regionis : in regione enim Brehensi * Themoria est. Inde autem sanctus Declanus originem sui generis traxit ; et dilexerunt eum illi ex originali consanguinitate. Et construxit ibi sanctus Declanus monasterium in agro sibi dato canonicorum *b*, quod ex nomine sancti Declani nominatur, et reliquit ibi clarum Euangelium, quod habebat secum in suo comitatu. Illud jam Euangelium in illo loco cum magno honore habebatur, et miracula per id efficiebantur. Postea benedicens illum locum reversus est ad Momoniam.

b

item aliud apud Ossoriam, post negati hospitii pœnas terribiles,

59 Postea ambulans sanctus Declanus in regione Ossoriæ, declinavit ad quoddam Castellum, ut ibi illa nocte quiesceret ; sed illi diabolico instinctu non solum non receperunt eum in hospitio, sed etiam eum armis cum contumelia expulerunt. Sanctus autem cum suis orabat ad Dominum, ut illis eveniret, quod dicit sacra Scriptura : Mihi vindictam, et ego retribuam ; habitatores enim illius regionis numero sexaginta ista nocte mortui sunt, nisi duo viri et decem mulieres, quibus displicuit quod alii Sancto Dei fecerunt. Illi venerunt crastino die viri et mulieres humiliter ad sanctum Declanum, et narraverunt ei de miserabili obitu eorum, quem ipse prænoverat ; et illi pœnitentiam agentes ei obtulerunt locum suum in agro et aliis donis *. Et instituit ibi, cum mortui essent sepulti, clarum monasterium, quod dicitur Columbi Ruffi Cella * ; fecitque virum pium et sanctum de discipulis suis, oriundum de Orientali Lageniensium plaga, id est..... qui vocatur Columbus Ruffus *. Ex ejus nomine illud monasterium nominatur. Et benedicens sanctus Declanus locum illum, ad terram Desiorum recessit.

D

* *alias* cum agris et aliis donis

* *alias* Cel-columdherig

* *alias* Columdearg

quas et alii sustinent ob similem inhumanitatem erga Sanctum.

60 Alio die venit sero sanctus Pontifex cum suis ad supradictum locum, id est, Atrium Bressaill ; et non dimiserunt incolæ illius loci virum sanctum in suo castello introire. Ipsi autem naves sua ante absconderunt, ne posset Sanctus transfretare ad insulam suam : gratis enim illi Sanctum Dei oderunt. Sed Deus omnipotens tunc, ut dicit Propheta, propter sui Servi se rogantis sanctitatem, et injuriam patientis sancti Declani, convertit mare in aridam. De hoc quidem audistis : manens illa nocte Vir Dei in stabulo quodam deserto in platea, nec potuit quidem ignem ab illis invenire. Tunc juste in illis vindicatum est a Deo : ipsi enim nolentes dare ignem misericorditer servis Dei, circa mare illis a Deo ignis provenit, et combusti sunt omnes cum castello : et illud est usque hodie desertum sub maledicto, sicut scriptum est : Civitates eorum destruxisti.

E

Cervus Sanctum vehit, ac deinde liber in silvas remittitur.

61 Quodam quoque die iter agens sanctus Declanus episcopus in monte Gua, in regione Desiorum, equus currus sui claudus factus est ibi, et non poterat ambulare. Tunc sanctus Declanus videns armentum cervorum in monte eminus, sibi jussit uni servienti, ut cervum de illo armento in chamo fortem duceret ad se et poneret in loco equi. Tunc ille pergens, non dubitabat cervum invenire mansuetum, ut Vir Dei prædixit, et illud armentum mitissime exspectavit ; donec ille elegit fortissimum cervum inde : qui cervus tota die fortiter currum sub Viro Dei apte traxit, donec ad campum Femhyn pervenerant. Et attingens ad hospitium, jussit sanctus Declanus illi cervo, ut ad sua rediret ; et ad voces Viri Dei coram omnibus in viam suam rediit. Ille jam homo, qui cervum de monte ad sanctum Declanum adduxit, Dormanagh vocabatur ; cui sanctus Declanus benedixit, et oppidum Maghgubra in Aquilonali parte Desiorum contra regionem Eoghanaght ei tradidit : ubi nepotes illius usque hodie honorabiles in servitio sancti Declani habitant.

F

ANNOTATA.

r *De his omnibus videri potest Colganus tom.* 1, *pag.* 608.

b *Ex hac etiam voce collegit Papebrochius noster, juniorem esse auctorem nostrum, quam creditus est antehac. Certe canonicorum in insulis Britannicis*

A *nicis nulla uspiam vestigia reperi, ac ne nomen quidem, ante, concilium Calchutense anno* 787 *celebratum ; et in Capitulis selectis canonum Hibernensium, qui versus seculum* VIII *collecti putantur, apud Acherium in Spicilegio recuso, tom.* 1, *a pag.* 492, *monachorum, clericorum, presbyterorum frequens est mentio; at nulla* canonicorum. *Cum tamen Hibernorum antiqua monumenta pleraque interciderint, et canonici noti fuerint in Gallia jam inde a seculo* VI, *ut exemplis aliquot probat canonicorum regularium eruditus vindex in Disquisitionibus, quas anno* 1697 *Parisiis edidit, pag.* 113, *non judicavi argumento tam controverso ad eam rem utendum esse in Commentario prævio.*

CAPUT VIII.

Varia miracula S. Declani; visitatio S. Albei.

B

Crus fractum obliganti quidam, invocato Sancto, sanat,

Alio die ambulans sanctus Declanus cum multa turba, sicut ei mos erat, forte cecidit unus de fratribus in via; et crus ejus in duas partes fractum est ; quod videns sanctus Declanus, jussit, ut unus ex eis ligaret pedem illius, ne ob nimiam sanguinis effusionem moreretur. Et omnes præ horrore fracturæ se excusaverant. Tunc unus de turba, nomine Dualach, audaciter et hilariter accessit ad illum dicens : Ego in nomine Christi et patroni nostri Declani medicus hujus pedis ero. Hoc pro ludo dixit; sed tamen prudenter pedem ligavit, benedicens eum coram omnibus in nomine Dei et sancti Declani : ac illico melius ac melius ille frater habuit, et post breve intervallum stringens se vulnus, integre sanus factus est frater, nihil dolens. Et cum jussisset se absolvi, cicatrix in pede ejus inventa est, ossibus cum carne et cute connexis ; omnesque cum illo Deo gratias et sancto Declano agentes, dixit sanctus Declanus illi homini Dualach, qui ligaverat pedem prædicti C fratris :

ac deinde cum suis posteris singulari medendi scientia donatur.

63 Tu promisisti te medicum illius pedis in nomine Christi et meo esse; et Christus, te illum alligante obedienter, dedit illi salutem sua potentia : igitur tu eris ab hac hora probus medicus; et nepotes tui post te usque ad finem seculi probi et venerabiles erunt medici, et si quem infirmum in nomine Christi et meo *a*, facto signo assignaverint, nisi malum votum habuerint in superflua mercede, vel in odio hominis, Dei gratia juvabit illud per medicinam illorum. Et sunt semper nepotes illius juxta verbum illius Episcopi omni tempore, nec solum viri, sed etiam feminæ istius cognationis artis medicinæ experti, et tota illa cognatio successoribus sancti Declani servit.

S. Declanus baptizat S. Kiaranum

64 Iter agens in Occidentali plaga campi Femhyn, circa fluenta fluminis Suiri sanctus episcopus Declanus, occurrunt ei homines infantulum habentes, et portantes eum ad quemdam presbyterum, ut baptizaret illum ; vidensque sanctus Episcopus cohortem, ait illis, repletus spiritu prophetiæ : Exspectate hic ; ego baptizabo hunc sanctum infantem. Illi homines mirabantur de infante ab episcopo Sabe nominato; quia ipsi non indicaverunt ei neque aliqui de servis causam sui itineris ; dicentesque ei, quod neque sal neque vas possint illic invenire ad baptizandum, ait sanctus Episcopus : Vas latum et longum habemus, id est, istud flumen ; sal autem Christi virtute donabitur nobis. Iste jam sanctus infans et mirabilis erit coram Deo et hominibus, et a Deo per eum multa fient miracula. Et ipsi longe a villis in littore supradicti fluminis Suiri in loco qui dicitur Herend, fuerunt. EX MS.

non sine miraculo et prophetia.

65 Accipiensque sanctus pontifex Declanus humum in palma sua, aspersit eam sua saliva ; et orans in sua mente, benedixit signo sancto. Illico illa humus in Dei Famuli manu coram omnibus factum est salsillum et lucidum, turba in Christi gratiam admirante et benedicente in suo Episcopo. Sanctus Declanus antistes ibi illum infantem baptizavit, et dedit ei nomen Kiaranum : et ait illis sanctus Episcopus post baptismum : E Hunc filium spiritualem diligenter nutrite, et apto tempore ad docendum viris tradite eum Catholicis : ipse enim clara columna in Christi Ecclesia erit. Ipse jam Kiaranus est filius Heodach, qui in venerabili senectute post multa miracula in Christi nomine facta, et loca sancta Deo instructa, ad cœlum migravit, et jacet in suo claro monasterio, quod vocatur Tibrada *b*, id *b* est, fontes; et illud est in diœcesi sancti Declani in Occidentali Desiorum plaga, in plebe scilicet nepotum Haythi inter claros montes Cua et Crost.

Mulierem absorbet terra, quod aliquid Sancto furata esset. *c*

66 Mulier cujusdam villici venit cum servitio suo ad monasterium sancti Declani; sed ipsa non longe a civitate accepit furtive de tributo sancti Pontificis magnum kabellum *c*, volens injuste aliis tribuere. Sed illam coram viatoribus terra deglutivit, vindicans nutu divino injuriam, quam ipsa tunc et antea de bono monasterii sancti Episcopi fecit. Et devorans terra eam, projecit kabellum de sinu suo; et illico illud coram omnibus lapis apparuit; et hæc omnia sanctus Episcopus videns in suo spiritu, in monasterio suis narrabat fratribus. Illi autem homines multum F timentes, tulerunt lapidem de kabello factum, currendo ad sanctum Declanum; et narrabant omnibus quæ contigisse viderant. Multum tum inde nomen sancti Declani magnificatum est ab omnibus ; timentes eum tam absentem quam præsentem. Et ille lapis per omne tempus in cœmeterio sancti Declani in sua civitate Ardmor in signum istius virtutis in excelso loco de kabello factus habebatur.

Mulier sterilis geminos parit, invocato Sancto.

67 Homo quidam dives, Fintanus nomine, erat sine prole; quod uxor ejus sterilis fuit, fere usque anilem ætatem. Venit cum uxore ad S. Declanum; et promittentes eleemosynas et pia opera agere, rogaverunt eum, ut ipse a Deo prolem eis postularet. Illi jam affirmabant, se prolem habituros, si sanctus Declanus Deum rogaret pro eis. Tunc Sanctus benedicens eos, ait illis : Complete, quod promittitis; et ex dono jam Dei prolem habebitis. Illi cum gaudio et benedictione post sancti Episcopi promissionem cum suis reversi

EX MS.

versi sunt domum suam. Sequenti illa nocte dormiens Fintanus cum uxore sua, concepit, et peperit duos filios, qui vocabantur Eoch et Fiacha. Et ipsi cum nepotibus suis sub tributo sancto Declano sese mancipaverunt usque ad finem seculi.

S. Albeus mortis suæ præscius invisit S. Declanum,

68 Beatus Albeus, archiepiscopus Momoniensium, sciens, obitum suum prope esse, dixit ad suos : Ego, fratres, visitare et videre dilectissimum meum sodalem et conservum in Christo episcopum Declanum volo, antequam morior. Deinde iter direxit ad sanctum Declanum. Venitque unus angelus ad sanctum Declanum, et narravit ei, sanctum senem, amicum suum, Albeum venientem ad se. Hoc sciens sanctus pontifex Declanus ab angelo Dei, jussit suis, ut necessaria sanctis hospitibus præpararent; et perrexit ipse de sua civitate in occursum sancti Albei usque ad locum, qui dicitur Druim luchtri. Veniensque sanctus Albeus, illic acceptus est honorifice a sancto Declano et populo suo; mansitque sanctus Albeus apud sanctum Declanum quatuor- B decim dies, in omni charitate et in divinis ministeriis vacantes, in sancta lætitia gaudiorum spiritualium exultantes.

a quo honorifice accipitur, ac deducitur.

69 Post hos dies sanctus senex Albeus reversus ad suam civitatem, cujus nomen Imleach dicitur, quæ est in planitie Momoniæ posita; et venit sanctus Declanus et turba non modica secum, cum sancto Albeo usque ad prædictum locum, id est, Druim luchrii : et jussit ei sanctus Albeus, ut rediret ad suam civitatem ; scientesque sancti senes Albeus et Declanus, se non visuros invicem in hoc seculo iterum, ab ipsa hora lacrymas ubertim in magno amore fuderunt, et antiquam fraternitatem inter se et suos firmaverunt, et pias suas a Christo postulationes impetraverunt. Postea benedicens sanctus Albeus civitatem, et populum, et clerum sancti Declani, et ipse similia sancta fœdera a sancto Declano accipiens, in osculo pacis et sancta tristitia et in vera Dei et proximi pro Christo dilectione inde ad sua loca sanctissimi pontifices sanctus Albeus et Declanus cum suis se separaverunt.

C

ANNOTATA.

a *En argumentum, unde Acta plurima fabulosa judicarunt Majores nostri. Quasi vero Sancti, cum viverent, tantum sibi umquam sumpserint. Certe nihil sibi adscribi supra volebat Sanctus noster. ne a puero quidem, num.* 35.

b *Monasterium hoc non reperi hactenus; neque proinde satis affirmare possum, de quo hic* Kiarano *agatur : sunt enim plures hoc nomine Sancti apud Hibernos, de quibus et aliis homonymis vide introductionem ad Historiam monasticam Hiberniæ, Parisiis editam anno* 1690, *pag.* 6.

c *Quid sit* habellum, *nescio ; sed cum infra constanter scribatur* kabellum, *agaturque de tributo, quod* S. Declano *pendi debebat, suspicor intelligi* gabellam, *seu summam pecuniariam, ex arca tributaria monasterii* S. Declani *furtim ablatam.*

D

CAPUT IX.

Reliqua Sancti miracula, et felix obitus.

Sanctus baculo incendium exstinguit, toto inde milliario distans.

Aliquando castellum ducis Desiorum, qui vocabatur Canicus, accensum est igne magno, et cœpit fortiter ardere. Tunc sanctissimus senex Declanus ibat ad illud castellum ; et viso, de illo rogo displicuit sancto Seni : et accipiens mirabilem suum baculum, cujus mentionem in miraculo de mari fugato fecimus, in manu sua, ex ipso loco projecit ad Castellum. Baculus vero divinis alis per aëra evolavit, et cecidit in medio castelli in termino flammarum ; et ignis non per spatia horarum, neque quidem per punctos horæ, permansit; sed illico totus est exstinctus, combusto castelli dimidio. Longum jam millia- E rium inter illum locum, in quo sanctus Declanus baculum de manu sua projecit, et castellum constat ; in quo silva altissima est, quæ dicitur Lucus Cuirt. Hoc videns dux Canicus cum ceteris omnibus, admirabatur miraculum per omnia, et gratias Deo agens, voluntatem sancti Declani sponte complevit. Et non longe a flumine Suiro ad Australem plagam in loco, qui dicitur Collis stabilis, illud castellum est; locus autem, a quo sanctus Pontifex baculum projecit, juxta istius fluminis vadum est contra monasterium sanctissimarum virginum filiarum ipsius Canici, quod dicitur Campus Stagni. Et acervus lapidum collectus est in illo loco cum cruce in signum miraculi, qui dicitur Vlu, id est, Acervus sancti Declani.

Prædones pagani submersi vertuntur in saxa,

71 Venit aliquando classis per mare, et direxit cursum ad monasterium sancti Declani, volens prædari locum illum, tam homines, quam substantiam : illi enim gentiles erant. Et omnes concurrebant ad sanctum Declanum senem episcopum, ut ipse Christi peteret auxilium contra paganos advenientes. Sciens vero sanctus Decla- F nus felicitatem et bonitatem, atque sanctitatis charitatem prædicti sui discipuli Ultani, jussit ei, Deum orans, ut signaret classem contra paganos : ille siquidem Ultanus valde charitativus circa Christi pauperes et parvulos erat. Et sine mora ad verbum sanctissimi magistri Declani. frater ille sanctus Ultanus occupatus tunc dextra manu, signavit sinistra contra classem; et statim mare omnes illas naves absorpsit quasi saccos plombo plenos. Iterum vero submersa nautarum corpora emergentia, et ad littus appellentia, conversa sunt in saxa magna, quæ sunt in ora maris non longe a terra, et altiores mari constant.

prece SS. Declani et Ultani.

72 Omnes Christiani gaudio et fide talia videntes sanctæ Trinitatis repleti sunt, et Sanctum Dei, suum prædicatorem et episcopum, per quem hæc et plura viderunt signa, magnificabant. De hoc miraculo fuit pia contentio inter sanctum episcopum Declanum et suum discipulum Ultanum : discipulus enim illud omnino adscribebat Magistro;

A Magistro ; Magister vero discipulo. Et adhuc Scoti, videntes et audientes periclum, dicunt : Manus sinistra Ultani contra illud. Per hæc verba gratia Dei multum apparuit. Et ipse Ultanus post obitum sancti Declani secundus abbas et pater * mirabilis multorum miraculorum exstitit, cujus vita clara miraculis refulget.

** forte patrator.*

Legatus S. Patritii ad S. Declanum aquis præfocatus,

73 Beatissimus Patritius, archiepiscopus Scotorum, unum de suis discipulis cum legatione ad sanctum episcopum senem Declanum misit; sed ille veniens ad Australem plagam Desiorum, mersus est in quodam rivo, qui dicitur Luch. Audiens sanctus episcopus Declanus mortem illius, valde displicuit ei, et contristatus est, dicens : Vere in corde doleo, quia discipulus sanctissimi viri ad me missus, in mea regione incongrua morte præventus est, et non potest nostrum legatum ad suum sanctum magistrum referre. Ideo citius ponite me in curru agere exequias ejus ; ut sanctus pater noster, magister ejus Patritius, curam nostram erga eum audiat. Et a civitate sancti Declani usque ad illum amnem, in quo mersus B est discipulus sancti Patritii, duo milliaria constant.

per hunc restituitur,

74 Ille jam positus in feretro, portabatur a suis, ut sepeliretur apud sanctum Declanum ; occurrensque ei sanctus Pontifex cum suis, jussit illis cadaver deponere super terram. Putabant omnes, quod sanctus Episcopus vellet Officium mortuorum inibi cantare pro illo. Accedensque ad feretrum, discooperuit velamen de mortui facie, et videns eam turgidam et cæruleam, sicut mos mersorum est, lacrymas fudit, et oravit tacite, turba non audiente, quid loquebatur Senex ; et post breve spatium ante omnes dixit : In nomine sanctissimæ Trinitatis et individuæ unitatis Patris, et Filii et Spiritus sancti, cujus jugum dulce et leve porto, surge ad nos, quia vitam tuam donavit Christus mihi. Ad hanc vocem sanctissimi antistitis Declani ille de feretro recedit benedicens sancto Seni ceterisque omnibus ; apprehendensque eum sanctus Declanus elevavit eum et osculatus est et discipuli sui post eum. Et ille frater adhuc infirmus corpore erat, quasi homo convalescens ab infirmitate : deinde valens C et recuperans vires, perrexit cum sancto Declano ad suam civitatem, et mansit apud eum aliquibus diebus in charitate non ficta.

admirante, cum rescivisset, et laudante S. Patritio.

75 Et de miraculo hoc magnum gaudium in civitate surrexit ; et nomen Christi et sanctitas Servi sui longe lateque per illas regiones glorificatum est. Ille quoque discipulus sancti Patritii Ballinus vocabatur ; qui multum lætus a sancto Declano ad sanctum Patritium magistrum reversus est, narrans multis, quæ sibi acciderant. Audiens autem gloriosus archiepiscopus Patritius illa clara et magna testimonia coram omnibus de sancto Declano, merita protulit, et postea laudem et gloriam Episcopo obtulit.

Alia multa præterit auctor.

76 Post hoc mirum et insuetum factum, terminum miraculis vitæ sancti Pontificis ponimus, omittentes plurima ; ut per pauca, quæ scripsimus, alia sciantur. Quot enim cæcos illuminavit, quot leprosos mundavit, quot claudos et mancos curavit, quot surdos audire fecit, quot varios languores in diversis locis beatissimus Christi pontifex Declanus seminans per gentiles verbum vitæ sanavit, propter multitudinem eorum et lassitudinem scribendi, vel ne lector, vel auditores de una persona in tædium deducerentur, transibimus. EX MS.

Sanctus mortem prænoscens, Ardmoriam defertur; a

77 Igitur sciens sanctus senex Declanus et Patritius tempus remunerationis suæ prope esse, vocatus est ad ipsum sanctus antistes, filius Liach *a*, qui erat dilectus suus alumnus, cujus monasterium est prope fretum Imleagh contra regionem virorum Gabeneides * in Oriente Desiorum, ut corpus et sanguinem Jesu Christi de manibus suis in exitu animæ suæ sumeret. Et diem exitus sui indicavit senioribus, [et] jussit se portari in suam civitatem, ut ibi ad Christum migraret : erat enim in sua clara cellulla, quam ipse sibi construxit, quæ est inter collem et mare in angusto loco, secrete super oram maris, per quem lucidus rivulus de colle fluit in mare, et pulcræ circumdant eam arbores, quæ vocatur Desertulum sancti Declani : a qua usque ad civitatem modicum milliarium constat. Illuc sanctus Declanus pontifex vacare soli Deo in vigiliis et jejuniis et orationibus fugiebat ; sed modico vix tempore poterat ibi manere ; quia discipuli et turbæ cre- E dentium et Christi pauperes et peregrini semper eum sequebantur. Ipse enim largus, pius et clemens erat ; et inde fertur nobis ab antiquis ejus discipulis, quod magnus exercitus in comitatu ipsius consuete fuerat. Et prædictam suam cellulam multum diligebat, in qua saltem brevi tempore theorice Deo vacaret ; et viros religiosos semper in illo loco habebat.

** alias Gabran*

ubi suos adhortatus,

78 Veniens quoque gloriosus pontifex Declauus infirmus corporis viribus, fide autem, spe, et charitate plenus *, in suam civitatem, collecto clero et populo prædicavit divina præcepta, monuit eos bene vivere inter se post obitum suum, et obedire successoribus suis, et ipsos, ut vestigia sua in charitate sequantur. Et perhibuit si ita facerent, firmiter civitatem suam gratia Dei semper custodiendam. His auditis, clamor populi clerique in fletu magno exortus est, scientes quia suus sanctus Patronus ad Christum vellet migrare. Et consolabatur eos pie sanctus Pater. Deinde ad suum tugurium elevatus est, seminato mœrore per civitatem timore absentiæ F sui sancti Episcopi.

** alias validus*

ac sacro munitus Viatico obiit die 24 Julii.

79 Deinde veniens supradictus antistes Liach, accepit sanctus noster episcopus et prædicator Declanus corpus et Domini nostri sanguinem Christi Dei vivi, circumdatus choro sanctorum suorum discipulorum mœrentium. Dein benedicens in osculo pacis illos sanctus senex patronus Declanus, delubris et idolis destructis, gentilibus ad fidem conversis, populis plurimis Christo acquisitis, ecclesiis Deo institutis, ecclesiasticis ordinibus consecratis, sanctissime et felicissime in venerabili senectute inter choros angelorum IX Kalendas Augusti ad Deum migravit. Cujus sacrum corpusculum post vigiliarum et Missarum solennia, visis signis prodigiisque per eum, collecta undique synodo Sanctorum, et populis Desiorum ad eum prædicatorem suum convenientibus, debito honore in sua civitate Ardmor in Levitiana *b*, quam ipse jussione angelica signavit, sepultum est : ubi magna signa et miracula semper per eum fiunt, præstante Domino nostro Jesu Christo, *b*

EX MSS.

sto, cui est honor, gloria ac potestas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Hic antistes mihi prorsus ignotus est, non secus atque monasterium ejus ; tametsi utrumque non indiligenter quæsierim.*

b *Ecclesiam intelligit fortassis auctor, aut sacellum quoddam, in quo sepeliri voluerit Sanctus ;* D *quamquam vocem* Levitiana *nusquam alibi legerim. Quid si etiam habitus seu vestis significetur, in qua sepultus sit? Certe* levitonarium *seu* leviton, *Græce* λεβητὼν *seu* λευιτὼν, *est tunica linea brevis ac sine manicis ; levitonarium autem, in quo sacrum habitum primo susceperant monachi Ægyptii, ad obitum usque servare solebant, ac tum in eo sepeliri ; ut probat Caugius in Glossario mediæ et infimæ Græcitatis. Porro ex his refellendum videtur, quod in Commentario prævio de loco mortis ejus ex Martyrologio Dungallensi interpolato recitavimus.*

DE S. LEWINNA VIRG. MART. ANGLA

J. B. S.

BERGIS S. WINOCI IN BELGIO.

B

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Loci notitia ; cultus in Belgio et alibi.

SECULIS VII ET XI.

Ad Bergas Flandricas spectat

B*ergæ seu Bergarum, ad aliarum synonymarum distinctionem, a S. Winoco, Wormholtano abbate, cognominatarum mentio facienda fuit ad diem* XX *Junii, ubi paucis actum de S. Idaberga seu Itisberga, virgine item Angla, cujus, uti et S. Oswaldi regis et martyris atque hodiernæ Sanctæ reliquiis, in veteri istic Ordinis S. Benedicti cœnobio depositis, olim præcipue gloriabantur : de quibus iterum sermo recurret ad diem* V *Augusti quando jam dicti S. Oswaldi translatio examinabitur. Est ea Occidentalis Flandriæ civitas, quam* Viridem montem *aliquando appellatam fuisse volunt ; (Grammayo potius* Winomontium *seu* Winocimontium) *mari vicina, loco satis amœno, pratis silvisque distincto, ac variis fluviis seu canalibus irriguo sita, pluribus calamitatibus* C *pridem exercita, quas Sanderus tomo 2 Flandriæ fusius commemorat, hodie, ut dicere cœpi, a celeberrimo monasterio potissimum illustris, de cujus origine et incrementis, idem Sanderus, Mabillonius seculo tertio Benedictino aliique consulendi sunt.*

Sancta ex Anglia eo delata 1058.

2 *Eo spectat potissimum præfixa in titulo* S. Lewinna, Leuvina, *seu* Levina *virgo Britanna, seculo* VII *in patria martyrio coronata, atque in quodam cœnobio, S. Andreæ nomini sacro, non procul a portu* Zevort *seu* Sevordiensi *venerationi exposita ; unde sacræ ejus exuviæ pio furto, at non sine præcedentibus signis ablatæ, in prædictum Bergense cœnobium a Balgero monacho deportatæ sunt, quemadmodum distinctius narrat totius rei gestæ historia, a Drogone, non Morinorum episcopo, ut Meyerus aliique perperam tradidere, sed Berghensi monacho, teste oculato, descripta, atque a nobis inferius expendenda. In eo cœnobio seculis aliquot summo in honore jam dictæ reliquiæ habitæ sunt, donec infelicibus seculi* XVI *furentium hæreticorum tumultibus et eversum ipsum monasterium, et sacra ferme omnia dissipata sunt, usque adeo ut ex* S. Lewinnæ *corpore sola costa superesse dicatur. Hic nobis de cultu primum agendum, tum de translatione ejusque* E *scriptore, ex cujus historia res tota exploranda.*

De cujus gestis et obitus die ambigitur.

3 *Id vero præmonendum occurrit, neminem hactenus tradidisse, aut vero satis certo tradere potuisse, quo die martyrium Sancta consummaverit, tametsi jam passim ad hunc* XXIV *Julii referatur ; in quo nec Molanus sibi satis constitit, quidquid a R. D. Priore Walloncapellio sese edoctum testetur, ut mox patebit. Si quid ex translationis historia, cum aliqua verisimilitudine haberi potuit, id sane fuit, quod* in divinum Sanctorum concilium cœtumque profecta sit VIII Kal. Augusti, *adeoque* XXV *Julii, vel* IX Kal. *seu* XXIV; *quod unde ipse hauserit, haud equidem divinaverim, cum de Sanctæ gestis paucissima se reperisse fateatur. Neque translationis dies aut a Molano aut ab aliis usquam satis tuto signatus est. Notarunt majores nostri in Prætermissis ad* XVI *Junii, prædictam translationem eo die referri a Molano, Galesinio, Ferrario et Saussayo, qui multa studiose turbasse videtur ; ast ego me fateor frustra hactenus quæsivisse quo die illa acciderit ; nisi ex aliis historiam nostram utcumque expliceinus.*

De translatione solidiora memorantur,

4 *Sic ibi habet Drogo num.* 39 : Acta siquidem est hæc translatio anno Incarnationis Domini millesimo quinquagesimo octavo, indictione tertia, sexta feria. F *In anno, jam omnium calculis admisso, eum Drogone facile conveniam ; in indictione plane aberrat, cum anno isto 1058 fluxerit indictio* XI, *cui forte cyfris postmodum expressæ (nempe* II*) tertium membrum appinxerit librarii alicujus imperitia. Nec mensem nec ejus diem expressit Drogo, ut ex* sexta feria *nihil confici possit, nisi mensem supponendo, qui si vere Junius fuit, ut plerique tradunt, non cum mensis istius* XVI, *sed cum* XXVI *combinanda erit translationis habitæ festivitas, quod in Natalibus suis rectius expressit Molanus per* sextum Kal. Julii, *nempe sub littera Dominicali* D, *mensis Junii characteristica feriali* E, *primo die cadente in feriam secundam, ac proinde* XXVI *in* sextam feriam ; *quod hic obiter notasse sit satis ; cum ea de re certius nihil exquiri possit. Jam Martyrologorum placita audiamus, omisso Ferrario aliisque externis, quos ex nostris sua mutuatos novimus.*

quamvis nec dies certa sit,

5 *Prima translationis memoria fit a Molano, ut dixi, in Additionibus ad Usuardum* XVI *Junii his verbis :*

A *verbis:* Bergis, translatio S. Lewinnæ virginis et martyris, *quem secuti sunt ii, quos proxime citavimus. Uberior est ejus annuntiatio ad diem* XXII *Julii quo passam ipsam, nescio quo argumento, existimat idem Molanus, dum ita scribit:* Passio S. Lewinnæ, *et typis minoribus:* cujus veneranda ossa cum ossibus S. Oswaldi regis Anglorum et S. Idubergæ exaltata fuerunt in civitate Bergensi, sed per ultimam Francorum in Flandriam irruptionem in devastatione Bergensium sunt deperditæ. *Tertia ejusdem annuntiatio est* XXIV *Julii, ubi sic loquitur:* Passio S. Lewinnæ, quæ multis decorata virtutibus floruit sub rege Anglorum, Euberto nuncupato, quæ postmodum sub ejusdem regis tempore martyrio vitam finivit, archiepiscopo vivente nomine Theodoro. *Hæc ipsissima verba sunt, schedulæ cum reliquiis repertæ. Porro idem Molanus in Indiculo:* Natalis *inquit,* incidit in diem Magdalenæ, sed transponitur in XXIV Julii. *Quidni dici possit anteponi, ne cum festo S. Jacobi concurrat, testante Drogone num.* 46 *eam* VIII Kalend. ex hac turba et colluvione discessisse?

B 6 *Hæc non cohærere, satis manifestum est; nec minus opponi videntur quæ pro* XVI *Junii ex Molano retulimus, iis quæ denuo memorat ad diem* V *Augusti:* Adventus S. Lewinnæ virginis et martyris. *Opinor ego hic indicari solenniorem aliquam reliquiarum elevationem quæ eo die facta fuerit, quo S. Oswaldus in Bergensi cœnobio recolitur, dum nempe et hujus et ambarum Virginum sacra lipsana in decentiorem locum simul deposita fuerint, forte anno* 1221, *ut alibi refertur. Narrat Malbrancus in Morinis lib.* 8, *cap.* 34 *inter martyrum memorias Bergis legi annue:* XII Kalend. Julii, gloriosa translatio S. Oswaldi regis et S. Idabergæ virginis. *Ceterum unde diversas illas suas annuntiationes Molanus et alii collegerint, pluribus non examino; id certum est, extra Belgium ignotam fuisse Sanctam, neque aliunde quam e monumentis Bergensibus insertam fuisse vel ipsi Anglicano Martyrologio. Vetustissima autem ejus commemoratio, quam equidem noverim, ea est, quæ signatur in nostro Florario Sanctorum Ms. ad hanc diem, hoc modo:* Item S. Lewinnæ virginis martyris, quæ sumpto calice passionis, Christi sui sponsi thalamum introivit. *In quo id solum miror, nec verbum addi de translatione Bergensi, unde tota qualiscumque Vita et cultus Belgicus Sanctæ sumpsere exordium.*

variantibus Martyrologis,

C

Saussayo præsertim,

7 *Saussayo libuit non semel de ipsa agere et quidem diversa phrasi: nempe ad* XXIV *Julii, et ad* V *Augusti; pessime vero in Supplemento* XXII *Julii. Sic igitur habet primo loco:* Bergis sub Iprensi præsulatu, S. Winoci cœnobio, susceptio venerandi corporis beatæ Lewinæ virginis et martyris in Anglia laureatæ: cujus translata fuerunt plurima ossa ex Anglia una cum reliquiis S. Uswaldi regis et martyris, nec non virginis Itisbergæ. Tot certe, post illius in eo cœnobio repositionem, divinæ virtutis hic insignia illuxerunt, ut de iis Drogo Morinensis antistes libellum proprium conscripserit. *Paulo melius ad* V *Augusti:* Item Bergis in Morinis, adventus et susceptio S. Lewinnæ virginis martyris; cujus corpus sacratissimum ex S. Andreæ monasterio Zevordiensis portus in Anglia per Balgerum monachum Bergensem allatum, ad cœnobium ipsum Bergense, atque per vicos et castella Flandriæ ante repositionem circumvectum, fulgens miraculis, afflictis quibusque opem beatæ Christi athletæ devote implorantibus, medelam impendit exoptatam: sicut Drogo Morinensis episcopus dilucide narrat in eo quem de beatissimæ Virginis miraculis conscripsit libello.

AUCTORE J. B. S.

8 *Errat Saussayus in eo quod asserat,* translata ossa *hujus nostræ* S. Lewinnæ ex Anglia, una cum reliquiis S. Usuualdi, *etc.: hæ enim, curante quidem eodem Balgero monacho, sed totis viginti prius annis Bergas ex Britannia pervenisse dicuntur. Quod autem libelli auctorem Drogonem episcopum Morinensem scribat, ex Meyero, Molano, aut alio quopiam ejusdem opinionis desumpserit. De Drogonibus a nobis pridem disputatum est, nempe* § 2 *Commentarii ad Acta S. Godelevæ* VI *Julii, ubi istorum Actorum auctorem a Drogone episcopo et ab hoc Bergensi monacho distinximus, disertissime asserente citato superius num.* 39, *se eam scripsisse historiam, scilicet translationis* S. Lewinnæ, vivente etiam Drogone episcopo Teruanense. *Ast hi errores Saussayo condonabiles sunt; non item quod in Supplemento suo ad* XXII *Julii pag.* 1148 *nugatus est, dum rotundis quadrata mutavit:* Bergæ, seu Montibus in Brabantia, ubi Somma in Scaldim influit, festivitas sanctæ Lewinnæ virginis martyris: cujus reliquiæ sacrosanctæ ibi olim erant conditæ cum pretiosis exuviis Osualdi regis et sanctæ Idalbergæ. *Multa, ut vides confusio, ambigua alia non pauca; quemadmodum et annuntiatio Castellani ad* XXII *hujus, sic, opinor, Latine reddenda:* Apud Zenor, regione de Penouith, in Cornubia Angliæ, *etc. Sed his, aliisque utcumque complanandis serviet sequens paragraphus.*

multa imperite miscente.

E

§ II. Dubiorum festorum elucidatio.

Implexæ, *inquam, et incerta in jam præmissis plura occurrere, perquam manifestum est, quibus utcumque explicandis elucidandisque, ut lucis aliquid accerserem, non alia brevior nec tutior visa est via, quam recursus ad abbatiam ipsam Winnocibergensem ipsumque adeo amplissimum loci Abbatem, cui cum ignotus essem, id opportune reliquum fuit, ut faventem accessum pararem ope et patrocinio Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Joannis Baptistæ de Smet Iprensium episcopi, Operis nostri scriptorumque eximii ac singularis Patroni. Neque vero secus evenit atque speraveram, dignatus est Illustrissimus ipse dubitationes meas proponere amplissimo D. Rickewaert, ad S. Winnoci meritissimo Cœnobiarchæ, ex cujus humanissimis responsis* XVII *Januarii* 1726 *datis, nonnulla hic paulo clarius eruderari exponique potuerunt; quamquam fatear, nec suggesta esse, neque forte suggeri potuisse omnia, quæ ad plenam variarum festivitatum a Martyrologis memoratarum discussionem intelligentiamque omnino sufficiant. Patebit res tota ex accepta inde propositorum dubiorum solutione.*

Dubiis amplissimo Abbati Bergensi propositis,

F

10 *Obiter dictum sit, me ferme supposuisse, sanctam* Lewinnam *inter præcipuos cœnobii Bergensis patronos recensendam esse; at reposuit amplissimus, solos patronos, cœnobii, opinor et ecclesiæ, agnosci* sanctos

circa varias Sanctæ festivitates

AUCTORE J. B. S.

sanctos Martinum et Winnocum. Verum potissima quæstio versabatur circa sanctæ Virginis festivitates, ut jam insinuavi, quarum diversitatem nec conjicere eatenus promptum fuerat, neque etiam modo satis distincte valeo intelligere. Rogaveram itaque, exacte et accurate indicaretur, quibus diebus S. Lewinnam *præcipue venerarentur Bergenses, quibus titulis, quo ritu? Et paulo expressius quo potissimum die modo colatur, aut olim celebratum fuerit ejus festum seu natalis, utrum memorato a Molano* XXII *Julii, an* XXIV, *an alio die ; quo autem proprie die natalis recolendus sit? Nescire me unde Molanus eruerit, festivitatem ejus differri ob concursum S. Mariæ Magdalenæ. Item quo die celebretur Sanctæ translatio, et quo vere accidisse existimetur: plures enim, ob ignotas causas, fieri potuisse translationes, aut elevationes aut exaltationes.*

solutiones non omnino adæquatæ

11 *Ad hæc omnia paucis respondet Amplissimus:* Translationem sanctæ Virginis coli XXIV Julii ritu duplici secundæ classis. Unicam vero, *inquit*, translationem fuisse factam de Anglia in Flandriam, constat, anno videlicet MLVIII, indictione III, feria VI. In alio etiam veteri Ms. reperi sequentia: ACTA EST HÆC TRANSLATIO VI KALENDAS JULII, FERIA VI, ANNO A CHRISTO NATO MLVIII, *etc. Ultro et lubens assentior ; at vel inde apertissime patet, me supra satis recte conjectasse, non* XXII *nec* XXIV *Julii factam esse translationem, sed verissime* XXVI *Junii, unde consequitur, non coli a Bergensibus verum ipsum translationis diem* de Anglia in Flandriam, *ut proinde festivitatis hodiernæ origo a posteriori aliqua translatione, seu exaltatione repetenda sit, eamque fortasse dici posse, qua sacræ reliquiæ depositæ fuerint in ecclesia post celeberrimam per Flandriæ maritima deportationem, ingenti illa, quam infra descriptam dabimus, miraculorum multitudine illustratam. Id sane, siquid in Drogone certum, inter omnia certissimum est, non contigisse* S. Lewinnæ *translationem* de Anglia in Flandriam *die* XXIV *Julii, quo die modo a Bergensibus recolitur.*

additæ sunt;

12 *Ignoscat Amplissimus, si aliter sentire cogar atque ipse existimat : aut vehementer fallor, aut verissima est translationis nota quæ* VI Kal. Julii, *seu Junii* XXVI *indicat, non* XVI *ut alii perperam scripserunt, multo minus* XXII *aut* XXIV *Julii. Quod vero Bergenses hanc* XXIV *Julii festivam habeant, id censuerim ex eo accidisse, quod cum Drogo sanctam Virginem superius num. 3 asserat,* in divinum Sanctorum concilium cœtumque profectam VIII Kalendas Augusti, *seu* XXV *Julii; is autem dies vetustiori S. Jacobi apostoli solennitate impediatur, festum ipsi Sanctæ suæ hospitæ pridie celebrandum assumpserint, quo cum de ejus vita aut gestis nihil haberent quod recitarent, lectiones fortasse aliquæ ex ipsa translationis historia verosimillime formatæ fuerint, unde procul dubio traditio aliqua in cœnobio invaluerit, factam fuisse eo die* S. Lewinnæ *translationem. Ita opinari liceat, quamdiu certiora non adducuntur, unde res tota clarius definiri queat. Aliter sentit Mabillonius* adventum *collocans* Nonis Augusti, translationem *vero* anno ferme integro, postquam ex Anglia sacrum ejus corpus allatum fuerat, *nempe Junii* XXVI. *Æque rotunde* depositionis diem *vult esse,* XXII Julii, *quod est petere principium. Jam dubia reliqua expediamus.*

quæ nec aliunde,

13 *Quæsieram præterea, utrum adventum* S. Lewinnæ *confunderent cum adventu reliquiarum S. Oswaldi regis martyris et S. Idabergæ virginis? Hæc Amplissimus paulo fusius explicat, his verbis :* Ex Annalibus abbatiæ nostræ certum est, translationem corporum sanctorum Oswaldi et Idabergæ aliam fuisse a translatione S. Lewinnæ, scriptum enim in iis reperio : Anno Christi MXLII apud S. Winnoci Bergenses monachos florebat Balgerus asceta vir religiosissimus maximeque Divorum, ad quorum felix contubernium totus aspirabat, amore exardescens, etc. Ejus rei ergo cum sciret Angliam hujusmodi abundare pignoribus, non piguit sæpius eo transfretare, et in teneriorem Eduardi Anglorum regis amicitiam se inducere, quem norat vaticinandi donatum munere, ejusque contactum scrophularum malo medelam esse præsentissimam : vicissim etiam Eduardus in Balgero magnum animi candorem, ardoremque in Divos eximium pensi admodum habebat ; unde cum instanter exigeret, potestatem fieri sibi aliquot cœlitum corpora ad Winnocenses suos exportandi, ausus est etiam Oswaldum regem libello supplici primum inscribere, cum tamen illustribus miraculorum notis plurimum Britannorum animos devinciret sibi.

exacte solvi possint.

14 Nihilominus pia sua importunitate evicit, et simul socium S. Idabergæ virginis, cujus etiam cultus in Anglia non parum efflorebat, corpus est assecutus. Grata hac sarcina oneratus, vel potius honoratus et Drogone, nostro Morinorum præsule commonito, Winnocenses suos munere non alias gratiore donavit, non sine festiviore translationis pompa, et insueto urbis tripudio : unde inter Martyrum memorias annue a Bergensibus legitur XII Kalend. Julii gloriosa S. Oswaldi regis et martyris, regis Idabergæ virginis translatio ritu duplici secundæ classis. Hactenus scriptor ille, *inquit Amplissimus, asterisco apposito ad* Drogone nostro *solerter observans,* li nostro *non afficere* Drogone, *sed* præsule, *unde haud dubie exortus est error, jam non semel refutatus, qui sola virgula interposita præcaveri potuerat. Notat idem Amplissimus :* Nunc vero separatim translationem illorum *(SS. Oswaldi et Idabergæ)* colimus, quod a trecentis circiter annis introductum esse censeo. Translationis festum S. Oswaldi colitur XX Junii (adeoque XII Kal. Julii) verum S. Idaberga XXIII ejusdem, ritu supradicto ; alia autem festa coluisse patres nostros, minime probari potest.

Tandem ad ultimam replicam

15 *Sed de his hoc loco satis, cetera de S. Oswaldo discutientur ad* V *Augusti, quo die in Martyrologio Romano signatus est, ad* S. Lewinnam *nostram regredimur. Postremæ quæstiones ad hodiernam Sanctæ venerationem reducebantur ; exstatne in templo sacellum ejus aliquod, ara, aut pictura ? Quæ superessent reliquiæ, et quo in honore haberentur? Audi responsum :* Nullum modo in ecclesia exstat sacellum sub ipsius nomine ; olim fuisse unum, traditione tantummodo constat. SS. Oswaldo et Idabergæ dicatum altare adhuc habetur. Pictura S. Lewinnæ nullibi superest, nisi in codice Ms., ubi habitu Benedictino picta repræsentatur. *Ad reliquias quod attinet*: Anno MDLVIII a Francis hæreticis corpora sanctorum Oswaldi, Idabergæ et Lewinnæ, et quidquid erat pretiosum in ecclesia nostra, igni tradita sunt

et

A et consumpta sub Hieronymo de Grimberge abbate nostro; attamen in bursa bombycina adhuc habetur pars ossium S. Lewinnæ cum schedula, quæ olim populo osculanda dabatur, argenteo tum temporis inclusa reliquiario. *Hoc vero cum apertum fuerit, parsque ossium denudata, hodie non exponitur, donec illustrissimo Episcopo supra laudato exhibeatur.*

nodi præcipui expediuntur.

16 *His omnibus acceptis et utcumque explicatis, cum viderem multa adhuc et implexa superesse, ad amplissimum D. Abbatem denuo recurrendum putavi, a quo benigne exauditus, id demum responsi accepi, cui liceat acquiescere. Ita rescripsit* XIV *Maii* 1726 : Recepi vestras, et replicam justissimam fateri illam cogor; sed excusabit me facile R. V. dum id quod erratum in antecedentibus, videbit correctum et elucidatum. Codicem antiquissimum Ms. cui titulus Consuetudines abbatiæ S. Winnoci, inter monumenta ipsius reperi. Ex illo Walloncapellium Molano rescripsisse judico. Continet dictus codex in-folio et membrana omnia Officia, cum propria, tum communia, apud B nos celebrari solita; sed nihil ad longum habet; duo vel tria solummodo verba cujusque psalmi, hymni, antiphonæ, lectionis, etc. indicat; de reliquo remittens ad aliud singulare Breviarium, quod modo nullibi exstat. Ex illo certum et indubitatum, Winnocenses tunc temporis translationem S. Lewinnæ XVI Junii ritu duplici, festum autem ejusdem XXIV Julii cum octava celebrasse. Item festa S. Idabergæ XXI Maii, et S. Oswaldi V Augusti colebantur cum octavis; translatio denique XX Junii ritu duplici. Cur prædecessores hæc mutarint, nescio : certe, ut antiquitus, observari imposterum curabo. *Nunc cetera ad cultum, tum vero ad translationem ejusque historiam pertinentia accipe.*

§ III. Elogia, Alfordi illustrationes, et historiæ translationis analysis.

Molani in Natalibus elogium,

C Sic *scribit Molanus in Natalibus Sanctorum hac die :* In Anglia, passio S. Lewinnæ virginis, quæ translata est Bergas in Flandriam. Cum enim anno MXXXVIII reliquiæ Oswaldi regis et martyris, et Idabergæ virginis Bergas essent allatæ, per Balgerum monachum Bergensem, qui regi et reginæ Anglorum erat notissimus, post annos viginti eos invisere volens, mediante vento aquilonari, translatus est in portum Zevordt : ex cujus loci vicino monasterio, quod S. Andreæ dicitur, furto sustulit corpus sanctæ Lewinnæ, non tamen absque evidenti Dei ac Sanctæ nutu. Ac mox monachi divi Winoci corpus sanctæ Martyris, ad se delatum, per vicos et castella Flandriæ maritimæ circumtulerunt. In quo itinere permulta miracula Deus, in honorem sanctæ Virginis edidit, quæ per eos dies Drogo Morinorum episcopus conscripsit. Chartula autem, reliquiis adjuncta, tribus integris sigillis consignata, sequentia continebat : Hic jacet corpus præclaræ virginis Lewinnæ, quæ multis decorata virtutibus, floruit sub rege Anglorum Euberto, quæ postmodum sub ejusdem regis tempore martyrio vitam finivit, archipræsule vivente Theodoro.

AUCTORE J. B. S.

Unde post multorum curricula temporum, Deo revelante, corpus ejus ab Edelino * antistite a terra est elevatum, magna populorum astante multitudine, sicque cum digno honore intra monasterium est collocatum. Natalis incidit in diem sanctæ Magdalenæ sed transponitur in XXIV Julii. Adventus notatur Nonis Augusti; translatio VI Kalend. Julii. Habuerunt Winocenses, corpus integrum, caput videlicet et cetera membra, cujus testimonium in scripto reliquerunt abbas et omnes fratres nominum subcriptione anno MDXXII; sed per bella Francica nihil Idabergæ retinuerunt, Oswaldi tantum ossium partem minimam, et Lewinnæ costam unam.

* *alias* Edelmo

a Miræo contractius exhibetur :

18 *Eadem hæc paucioribus complexus fuerat in Indiculo, supra a nobis citato, cujus reliqua huc referre supervacaneum fuerit. Neque ab iis multum abludit brevis item Miræi oratio in Fastis Belgicis, quam cum ab Alfordo recitari videam, ipsam hic etiam describere visum est. En igitur ejus verba :* Levinna seu Lewina virgo Anglicana, sub Euberto Anglorum rege floruit, et martyrium fecit temporibus S. Theodori septimi archiepiscopi E Cantuariensis, qui anno DCXC obiit. E terra est elevata per Edelinum antistitem, ac demum Bergas S. Winoci, quod est Flandriæ oppidum, translata, una cum reliquiis S. Oswaldi regis ac martyris, et S. Itisbergæ virginis. *Errat dum hanc Sanctæ nostræ translationem cum priori illa conjungit, quæ totis quatuor lustris ipsa posterior est, in eorum nempe sententia qui translationem illam factam volunt anno* 1038, *contra quam nuperrime retulimus ex citatis Annalibus Winnoci-Bergensibus. Pergit Miræus :* De miraculis S. Levinnæ exstat liber Drogonis Morinensis episcopi.

errant cum Meyero in citando Morinensi episcopo.

19 *Vides recurrentem ubique Drogonem Morinensem episcopum, ut historiæ translationis scriptorem, quod Meyero quoque persuasum fuisse video, cujus, ut jam citatis antiquioris, textus primo loco referendus erat. At nulla hic prioritatis jactura : sic ipse in suis Flandriæ Annalibus annum* 1058 *exorditur :* Balduinus episcopus Noviomagensis in Gandensi cœnobio transtulit corpus divi Bavonis. Et Balgerus monachus Bergensis attulit e monasterio divi Andreæ in Anglia, juxta portum Zevordiensem, corpus divæ Leuvinnæ martyris ad F cœnobium Bergense. Eam virginem sub Eilberto rege ac Theodoro archiepiscopo in Anglia sanctitate floruisse lego, vitamque sacro finivisse martyrio. Eodem tempore monachi Bergenses corpus divæ Leuvinnæ per vicos castellaque Flandriæ circumtulerunt, quo in itinere permulta ad honorem Virginis edidit Deus miracula, quæ Drogo, per eos dies Morinorum episcopus, litteris mandata posteritati transmisit, ex quibus nonnulla huc adscribere haud duxi alienum. *Hæc infra traduntur ex ipso fonte; paucas modo nostri Alfordi illustrationes accipe.*

Ab Anglis petitæ suppetiæ

20 *Quod nuperrime dixi*, S. Lewinnæ *nostræ notitiam, quæcumque ultra Belgium promanaverit, monumentis Bergensibus præcipue acceptam referri oportere; cum etiam quæ in Wilsoni Martyrologio Anglicano expressa est; docebit et laudatus Alfordus in suis ecclesiæ Anglicanæ Annalibus, satis innuens, de ea Sancta nihil se magnopere comperisse, quod ex iisdemmet fontibus, Martyrologiis videlicet supra citatis atque ex Miræi Fastis non desumpserit,*

AUCTORE J. B. S.

rit, usque adeo ut et Drogonem Morinensem episcopum historiæ translationis Bergensis auctorem agnoverit, quod jam abunde refutatum existimo. Rem porro nonnihil ab ipso illustratam, nec non temporibus suis utcumque aptatam, ultro ac lubens fateor, ut proinde observationes ejus non pigeat transcribere, quibus Drogonis monachi verbosiori juxta atque obscuriori nonnumquam narrationi tantum claritatis accedat, quantum per has tenebras et ex ipso et aliunde licebit accersere, quod in Actis Benedictinis paulo negligentius præstitum, ipsam editionem inspicienti manifestum est. Alfordum audiamus.

quas noster Alfordus suggessit,

21 *De ipsa primum meminit ad annum Christi* 687 *num.* 21, *unde ea solummodo decerpam quæ ipse de suo, commentarii vice, jam dictis opportune adjecit. Sic incipit :* Ponitur etiam hoc anno passio S. Lewinæ virginis, quæ Britanna genere, ab infideli aliquo Saxone, in hac insula, ob odium fidei interfecta legitur in nostro Martyrologio ad XXI Julii. *Opinor hæc dici ex verosimillima conjectura, cum eo tempore vix alii gentiles fuerint qui in odium fidei Virginem interficerent.* Passa B est apud Australes Saxones, quos nuper Wilfridus ad fidem converterat; et sepulta in Sussexiensi agro, ad Seafordum, non procul ab oppido Lewes, unde forte Lewina dicta; nisi malis ab hac Virgine dictum oppidum. Cum Dani vexarent hanc insulam, et Calvinistarum more in Sanctorum sepulcra sævirent, elatum est Virginis corpus et extra insulam translatum. *Cetera quæ subjiciuntur, aut jam satis explicui, aut pro merito refutavi. De occasione qua ablatæ fuerint reliquiæ, nolim cum Alfordo contendere; ex quo id etiam lucis accipio, quod* Eubertus *ille* Anglorum rex, *mihi plane ignotus*, intelligi debeat Egbertus, Alfridi pater, rex Northumbrorum, qui proprie Angli dicebantur.

piam monstrantibus monumentis Bergensibus.

22 *De sacri corporis in Flandriam translatione ex professo loquitur idem Alfordus ad annum a Drogone signatum* 1058, *citatque* Belgicarum rerum auctores e Drogone Morinorum episcopo viro hujus seculi. *De reliquiis porro subdit :* Illæ igitur, cum de more ecclesiarum solenni ritu efferuntur, miraculis inclarescere, et pro novo hospitio beneficia rependere cœperunt. Notarunt hoc Mag- C deburgici, quamvis miraculis omnibus irascantur, et aiunt : « Cum Lewinnæ virginis corpus « anno millesimo quinquagesimo octavo, per vi- « cos et castella Flandriæ maritimæ circumferre- « tur, paralytici, surdi, claudi, et aliis morbis « detenti subito sanati sunt. Duo itidem cerei « vento exstincti, ubi ad ossa perferuntur, ipso- « rum vi accensi sunt Jacobus Meier ex scriptis « Drogonis tunc temporis Morinorum episcopi » Cui sine dubio oculato testi credendum. Gratam hujus rei memoriam Belgæ servaverunt, *servantque etiamnum, ut ab oculato teste, viro probo atque adeo fide digno traditæ, licet is Morinorum episcopus non fuerit, sed monachus Bergensis, de quo ejusque opere paucula hic exquirenda et exponenda supersunt.*

Translationis per Balgerum factæ historia,

23 *Balgeri translationis, seu pii furti auctoris elogium jam ex Bergensium Annalibus abunde dedimus, de ipso ibidem ad annum* 1058 *sermo recurrit :* Balgerus noster, bona Rumoldi abbatis sui venia, qui magno pariter zelo, industria virtutibusque præstabat, se rursus mari commisit, etc.; et ossa S. Lewinnæ, non absque particulari et D admiranda Dei miseratione, eodem anno Bergas detulit. *De rei gestæ narratione, seu de Drogonis historia hæc me docuit Amplissimus :* Codex Ms. continens Vitam S. Winnoci ac translationem sanctorum Oswaldi regis, S. Idabergæ virginis et S. Lewinnæ virginis et martyris adhuc exstat in abbatia nostra, cujus copiam ab Antonio Olivario exscriptam anno Domini MDCXXIX (quæ a me modo correcta, convenit cum originali) transmitto, quem reddi nobis instanter cupio. *Postulato factum est satis; nam viso codice, mox observavi, convenire ad apicem omnia cum apographis duobus, inde, vel potius ex antiquiori codice transumptis, quæ penes nos jam pridem fuerant, præterquam quod res tota edita sit seculo undecimo Benedictino parte* 2, *a pag.* 112, *cum qua collata sunt quæ hic eduntur.*

a Drogone monacho descripta est,

24 *De Drogone ipso, translationis* S. Lewinnæ *narratore, id præcipue observandum, nomen ejus eum aliis confusum, ambiguæ disquisitioni ansam præbuisse, quam cum jam pridem die* VI *Julii, ut supra etiam indicatum est, in Commentario ad Acta S. Godelevæ Ghistellensis patronæ abunde explana-* E *verim, Drogonemque hunc a synonymo episcopo Morinensi aliaque Santandreano apud Brugas monacho distinxerim, nihil modo superest, quam ut Drogoni huic Winnoci-bergensi sua rursus vindicem, illa nempe quæ in prædicto codice hoc ordine descripta sunt, ut in apographo, ad nos transmisso, in forma quarta, charactere satis minuto, quæ ad S. Oswaldum pertinent paginas impleant priores* 29, *historia vero Lewinniana paginas duodequadraginta; Vita autem S. Winnoci variis sub finem parergis exornata, ad centum facies extendatur, usui futura ubi ad mensem Novembrem perventum fuerit. De ceteris porro Drogonis istius gestis aut virtutibus nihil memoriæ proditum novimus. Sermonis latini pro eo seculo haud imperitum fuisse, ipsa docebit historia, in qua claritatem nonnumquam, concisiorem locutionem sæpius desideres.*

quæ tota proponitur et explicatur.

25 *Ipsum autem Drogonis scriptum, post tot devastationes et ruinas Bergis hodie superesse, non ausim equidem existimare, quidquid descriptor Olivarius id innuere velle videatur : vetustum codicem, qui autographi vices suppleat, facile admiserim;* F *verum utut id se habeat, satis mihi est, totam ipsam germanam Drogonis historiam adhuc reperiri superstitem, quam filo vix interrupto deductam, atque adeo confusiorem, in capita et numeros more nostro dispescere non neglеximus, ut nec ea hinc inde annotare, quæ explicatione opus habere videbantur; atque ea inter, quod in codice huc transmisso, in lectiones quodammodo nonnulla distributa sint; an ad usum chori, exploratum non habeo; neque vero magnopere interest, modo tota historia fideliter repræsentetur, cum non uno paulo verbosiori prologo. De lectoribus suis optime meritus fuisset Drogo, si paulo clarius distinctiusque sua exposuisset, loca ipsa accurate distinguendo quæ certe ipsi notissima esse oportuit, ubi tamen a num.* 26, *usque ad num.* 35, *sic omnia involvit, ac si non de vicino Flandriæ littore, sed de incognita aliqua longinquaque regione verba faceret, ut mox faxo manifeste perspicias.*

HISTORIA

A

HISTORIA TRANSLATIONIS

Ex Anglia in monasterium Bergense,

AUCTORE DROGONE, EJUSDEM LOCI MONACHO SYNCHRONO.

Ex Ms. Bergensi collato cum editione Mabillonii.

EPISTOLA

a *Drogonis* a *ad venerandum abbatem*
b *Rumoldum* b.

B

ANNO MLVIII Domino ac venerabili abbati Rumoldo peccator Drogo presbyter et monachus æternum natura degentis gloriæ munus.

Historiam translationis, Veræ dilectionis exhibitio in tantum vim suam ostendit, ut si alius hortatu quis rem arduam, et sibi visu gravem aggreditur, facilis factu
c suscipiendo *c*, incipiendove videatur, ac paulatim ea exercendo non solum facilis, verum etiam delectabilis magis magisque diatim habeatur. Id ipsum, mi venerabilis Pater, quod dico, in meipso probavi, cum tuo jussu, crebraque adhortatione meorum fratrum rem gravem nimiumque mihi difficilem suscepi, id est, ut qualiter sancta ossa venerabilis Leuwinnæ virginis et martyris ab Anglia in Flandriam sint delata, scripto posteris relinquerem: quippe qui non mihi adeo videbar sciolus, nec ad id componendum satis idoneus, atque propter id cedens, meque super his
d repremeditans *d*, cum veluti me metirer, visum est mihi dignum actu, ut prudentioribus hoc
C opus elucidandum dimitterem.

ne pereat ejus memoria, 2 At dum mecum hæc reputarem, mihi tale quid in mentem venit, quod detergens omnem controversiam, ipsam vacillantem mentem ad opus incipiendum adegit. Nam si quis me prudentior id operis aggrederetur, et in eo laboraret, præmium et fortasse bonum ab optimo creatore
e ferret; ego autem expers hujus essem, quin etiam, pro abscondito talento pœnas solverem *e*. Huic vero secundum illud quidem est quod aliqua intercapedine temporis mihi timebam, ne oblivioni traderetur adventus Virginis a summo opifice dispositus, et ne ab eodem arguerer hujusce criminis reus. Hæc ergo duo primum me adegerunt, post tua jussa, optime Pater, tum meorum fratrum dulcis in Christo mihi charitas suasit, ut ad medium proferrem translationem ejusdem Virginis pro posse meo, secundum id quod verum fuit, et juxta id quod ego ipse a multis auditu didici, non solum a fratre nostro sæpenumero mihi adjurato, cujus adminiculatione ejus ipsius translationis series summaque peracta est: verum quidem ab aliis qui interfuerunt, quemadmodum verius inquirere potui. A. DROGONE EX MS.

abbatis judicio submittit. 3 Quod si quis falso compositum, fictitiumque credit, super hoc Deum verum judicem illius malesanæ mentis ponimus, qui fidei præmium statuit, et incredulitati merito pœnam reddit. Te vero, beatissime Pater, admoneo, quem litteralis ad plenum imbuit profunditas, et divini dogmatis dirigit firmitas, ut aliquamdiu *f* nostro operi aures, studium, intentionemque, omissis ceteris omnibus, quæ tibi nunc temporis exercitio sint, adhibeas, et ubicumque grammaticæ arti dissonant, corrigas, minusque lucentia tuo adaucto clareant, atque superflua tollantur, ne prudentem lectorem impediant.

ANNOTATA.

a *Ita simpliciter legit apographum quod sequimur ; aliud habet* Domni Drogonis ; *Mabillonius in Actis Benedictinis legit* Drogonis presbyteri, *omisso etiam* Domni. *Alii ejus characteres ignoti nobis sunt, ut supra diximus, præter eos quos ipse sibi mox tribuit.* E

b *Notat Mabillonius, Rumoldum e vivis excessisse anno* 1068, *post cujus obitum Bergenses in abbatem elegerint Ermengerum monachum Bergensem, cum tamen abbatem ex cœnobio Bertiniano accipere deberent.*

c *Sic rectius quam legat Mabillonius*, facilis factu suscipiendove videatur.

d *Et hæc constructio plenior et fluidior est; editio habet :* meque super his repræmeditatis et veluti me metiens.

e *In edito est*, lucrem. *Ita hic num.* 3, Dominum *pro* Deum, *quæ vix observari merentur.*

f *Alias* aliquando : *utrumvis elige.*

PROLOGUS.

Inter varia mortalium studia, Quivis mortalium cura diversis studiis agitur, susceptoque labore, vel cœpto aliquo exordio rerum nititur, ut quod susceptum studium F
habuerit, suæ voluntati ratum habeatur. Nam maxima pars eorum hac falsa opinione ducitur, ut illud quærat sibi bonum, quod usui *a* suo maxime viderit esse necessarium. Hic enim philosophiæ seculari se jungit, ut a sui similibus hono- a
retur : et mage quidem huic seculi laudi *b* studet, b
quam quod voce virtutis gratiæ debet. Vita enim illius demoustrat, cui vitio famulus quis devinctus serviat. Ille vero firmis gressibus veræ philosophiæ, se suaque facta dirigere properat, qui minimum quid sui actus sese jactando alicui comparat. Verum sui custos se despiciens ceteros omnes probat, proximum quemque uti necessarium suum colit, quin etiam Dei atque proximi amoris melioratione crescit. Hunc itaque cunctis mortalium studiis præfecimus : quæ quia multa quidem et varia sunt, enumerare postponimus ; tametsi in initio orationis hæc ipsa summatim attigimus. Hac autem causa id quidem dignum actum ire duximus, ne fastidium legenti

A. DROGONE EX MS.

legenti bono gnarove ingereret : tum vero ne sententia vaganti oratione reclamaret.

præferenda Virginum castitatis cura,

5 Verum enimvero hic talis in hoc seculo debet imitari, tum optima ejus ipsius intentio studiumque laudari : mors quoque, quæ pretiosa in conspectu Domini habetur, æque ossa ubi ubi sint honorando venerari. Quæ etiam dum a mortalibus venerantur, Deus omnipotens in his honoratur, quippe cui militavit, immo cujus misericordiæ militando se tradidit. Hujus itaque militiæ privilegio uterque sexus mentis ac corporis munditiam, virgine æque castitatis addixit : sciens adeo multo melius se Deo vivere, si quidem eidem castitati elegisset studere. Hanc igitur castitatis viam post resurrectionem Domini primo Apostoli elegere sequi, hanc egregiam doctrinam simul ac moribus ostenderunt ; mortem corporis magis sibi optavere, quam semel suscepti propositi fidem adigerentur violare. De quorum gloriosa victoria non est necessarium multa dicere, cum jam sint vulgata toto orbe. Post hos Christi testes * inter gloriosæ mortis victoriam veritatem testificando, hac digni inventi sunt, quo scilicet hos quidem duplex gloria exciperet, quos etiam veritas cum virginitate insigniret : his enim totus mundus flagrat, eorumque factis pariter, et exemplis redolet.

* martyres

B

Confessorum fortitudo

6 Quapropter supersedendum est ne prudenti cuique auditu fastidio sit. Huc huc fortitudo Confessorum veniat, huc laudata eorum munditia mentis et corporis accedat : quorum constantia quanto fuit diuturnior, tanto eorum corona gloriæ Deo inventa est copiosior. Horum vita exemplo omnibus bonis habetur, et velut in speculo, quo corrigere vitam suam, actus, mores, quisque debeat, miratur. Ad hoc accedit, quod martyrii tormentum una die, cum tribus, tum etiam brevi tempore finitur ; aditus vero inimici servos Dei tentantis multimoda æque illius versutia quot diebus, quot mensibus, quin *c* etiam multis annorum spatiis accrescit : non dies non nox, eis insidiantem intercludit. Siquidem tam magnarum fraudium commenta calliditatesque, invisibilesve dolos evaserint, id ipsum dono gratiæ Dei deputant, quod steterint. At Virginum viribus mens, fortis constantia, robur etiam ultra quam vires præbeant, durum ac perseverans sequatur ; quæ cum fragili sexu seculum vincentes, cum colore corporis, animæ quoque pulchritudine vernantes, munditiam, fidem, privilegiumque castitatis Deo devoverunt, et ab eo adjuvante, mundum, et hostem munditiæ expugnaverunt.

c

C

pugnæ et victoriæ Martyrum.

7 Nec id quidem immerito illis accidit : nam ipse cum eis pugnavit, qui primum semen bello, qui etiam finem victoriæ contulit. Sic sic virginum continentiumque multitudo authori pudicitiæ maluit inservire, quam carnis fœditatem sectari, quamque ejus concupiscentiam sequi. Sic divinæ mentis legi, juri, deditioni se tradere, amorem virgineum tum quidem animo tum quoque corpore servare. Ex his una fuit celebris memoriæ diva Lewinna virgo, et martyr, conservatrix virginitatis, amatrix pudicitiæ. De cujus vita, martyriove perparum cognitum nobis nostro habetur in tempore, vel propter incuriam scriptorum, vel quia etiam periit scriptum. Verum qualiter ab Anglorum terra Flandriam delata sint ejus sanctissima ossa, et in loco, qui Bergas dicitur, honorabiliter recollocata, haud tacebimus, quod quia *d* providentia Domini suaque voluntate actum sit, cognovimus. Id siquidem primus libellus continebit ; secundus vero miracula, quæ propter ejus merita facere dignatus est omnipotens Dominus, declarabit. Nunc autem tempus videtur congruum, ut orationis ordiamur principium.

D

d

ANNOTATA.

a *In Ms. erat*, visui; *lego cum edito*, usui.

b *Ita plane legendum puto; in edito contorta res est, idque sæpius infra advertes, si hanc editionem cum altera conferas; non lubet minuta quæque hic tædiose enumerare.*

c *Erat in Ms.*, quam etiam, *correxi ex edito* quin.

d *Editio legit*, quidem, *sensumque dividendo, non satis integrum reddit.*

E

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Balgerus adversa tempestate in ignotum Angliæ portum impulsus, reperit corpus S. Lewinnæ.

Balgerus monachus Doroberniam petens,

Venit in mentem cuidam monacho, vel providentia Dei, quæ omnia providet ac disponit, vel quia lætificaret suos spirituales fratres sui postliminii reditu, ut pararet iter suum ad Angliam, quod isdem ibi esset notus regi, reginæ, æque nonnullis principibus patriæ. Quod cum satis sibi spectatum fuit, dispositis omnibus petiit mare Balgerus *a* : nam id nomen quidem erat illi monacho. Igitur intravit mare, Euro impulsus est. Hic autem navim sibi vendicavit, donec appropinquaret portui, qui Dovere dicitur. Nam hunc portum erat monacho voluntas subeundi ; ceteri vero alterum portum maxime petere volebant, gratia mercis, quam navi vehebant. Verum enimvero Aquilo vela undasque sibi vendicavit, et tenorem sui flatus die tota, nocte quoque sequente, die vero secunda tenuit. Sed nautæ periti maris, veniente nocte, ne qua periculosa saxa, vel etiam loca incurrerent, anchoram jecerunt. Quæ unco arenæ hærens, suo more cursum navis tenuit, ac usque dum illucesceret, eodem loco navis stetit.

a

F

contrariis ventis alio pellitur,

9 Cum siquidem veniente die seipsos hortantur, vela pandunt, cœptum iter tenent. Cum siquidem ecce appropinquabat illis portus, cujus nomen quia barbarum est, prætermittimus, quem subire cupiebant, sed vim maris, tum quoque brevia timebant *b*. Ventus vero qui paulo ante a tergo incumbens moderatior erat, modo ex latere, navim et armamenta navis impetebat. Frustra

b

A stra igitur suscepto labore deficiunt. Nesciebant quid agerent, nisi quo ventus et undæ vocabant, iter tenerent. Rursus velivolant, velint nolintve vento undisque aguntur, et ne graviora illis superveniant, timore impulsi Deum orant. Legunt duos portus, tertium quoque cum periculo navis suique, quibus etiam voluissent succedere, si non naufragium sibi timuissent evenire. Unus autem gnarus locorum, navis magister scilicet, ceteros qui sibi timebant, et nonnullos melioris mentis timere faciebant, confortabat; et, ut in tanto discrimine rerum confiderent, monebat. Duos, inquit, portus haud longe ab hoc loco certo scio, quibus succedere poterimus: si primus minime, sequens patebit nostræ voluntati, Deo auxiliante.

et portum Sevort subit.

10 Interim navis suis armamentis fertur, Coris agentibus ducitur. O quam omnia ad votum patent, his solis mortalium, qui fidem habent! Ecce, qui prius prædictus erat portus accedit, hic monachus orare Deum omnibus præcepit: Ut, inquit, portum salutis nostræ habere valeamus, B omnipotentem Deum in commune rogemus. Vix completa oratione, mirabile dictu! plenis velis subito portum intrant, quem cunctis depositis velis subire diffidebant. Vocatur vero idem portus Sevordt *c*. Non mirum videatur alicui, quod hujus nomen portus prætermissis aliis supranominatis describo: necessaria enim causa habetur, sicut in subsequentibus demonstrabitur. Verum digna nominis ethymologia: Sevordt enim Teutonice dictum, Latino eloquio maris vadum dicitur. Et re vera vadum: nam vadum fuit venientibus ad littus optatum. Ut nescientibus loquar, isdem portus tam arcti introitus est, ut vix binæ carinæ hunc ipsum juncto latere valeant intrare. Hinc atque hinc bini scopuli versus cœlum erecti decline jugum dimittunt, quibus omnis unda frangitur, cum Æolica *d* rabies turbato freto tollitur. Ibi non anchora puppes alligat, non funis nutantes retentat, verum per se solæ contentæ stare, minime quidem timent Eurum, non Aquilonem, non Africum.

In Paschate Missam facturus,

11 Hic nautæ fessi rerum corpora recreant, et tot tantaque discrimina læti evasisse exultant. C Verum post tanti gaudii epulas nox ruit, ac cœlum terras, maria una involvit. Itur dormitum. Cum sopor fessos omnium artus occupat. Mane vero facto, an ecclesia aliqua esset propter, primum monachus cœpit explorare, ubi posset divina mysteria celebrare. Dies enim Dominicæ resurrectionis erat, et ne expers mysteriorum nostræ redemptionis in tanta die foret, sollicitus præcavebat. Cernit itaque a longe monasterium, pene tribus leugis ab illo portu disparatum. Unde adeo lætus efficitur, et uno tantum comite assumpto, iter accelerare aggreditur. Sed jam ferme in medio viæ positum subitus quasi quidam defectus, horrorque mentis invasit, quem pallor faciei illius prodit. Cum ne in terram caderet, citius uni petræ assedit. Hic comes videns eum pallore alteratum: Quid tibi est? inquit. Cur tam repente est mutatus color tuus? Nescio quid mihi sit, ait; videtur autem mihi veluti totus frigida sum perfusus aqua. Et vires recipiens: Quam festine, inquit, properemus. Hoc monasterium adeamus.

A. Drogone ex MS. ad longe dissitum monasterium S. Andreæ pergit,

12 Interea dum is hortatur comitem, respiciunt, pariterque vident quemdam hominem obviam sibi venientem, decoratum canitie, ut videbatur gravis, vetulus, sed cum ætate quoque viridis senectus. Ac prior monachus: Heus! tu, inquit, dic mihi te roganti verum, cujus sit hoc monasterium, quæ ibidem habeantur reliquiæ, vel in cujus constet dedicatum honore. Ad hæc ille respondit: Monasterium sancti Andreæ vides, cujus honori habetur quidem dedicatum. Sancta quoque Lewinna virgo et martyr ibidem corpore requiescit. Quæ quanti sit, et cujus meriti, cœlestis virtus per eam omni die ostendit. Rem tuæ interrogationis habes. Visne aliud dicere? Non, inquit. Vale ait; et hoc dicens, cœptum iter perficere festinat. Illi vero tendunt quo cœperant.

ubi S. Lewinnam coli intelligit,

13 Ventum est ad monasterium. Deum adorant, Missas celebrant. Post expletum divinum opus, intente cuncta templi illius oculis circumeunt, mira quædam mirantur, et hæc Dei quidem honori, sanctæ quoque virginis Dei et martyris Lewinnæ prædicationi venerantur. Namque videbant inter cetera, schedas membranarum parieti affixas, et virtutes, quas per Sanctam suam E *e* fecerat omnipotens Dominus, in eisdem esse descriptas. Et quia Anglice, uti apud ipsos mos habetur, scriptæ erant, minime quidem ab ipsis legi poterant. Ad hæc itaque sibi demonstranda presbyterum hujus ecclesiæ advocant, quid illud sit, quid hujusce significationis sit sciscitantur. Virtutes hujus sanctæ Virginis, inquit, hic sunt notatæ, quas meritis ejus patravit omnipotens Deus, nequeunt latere posteros, et ut hæc ipsa honori, et venerationi maneat apud nos * populos.

** Forte hos*

cujus miracula ipsi narrantur;

14 Tunc siquidem singula quæque manifestabat. Hic multo tempore lumine oculorum caruit, simulque diu ductoris adminiculo indiguit; hoc in loco huic misero lumen corporale divinitus illuxit. Alter vero paralysi dissolutus, huc delatus est aliorum manibus, mox domum pedes rediit sanus. Alius autem, contractis nervis, huc repsit quoquo modo potuit, sed integram sanitatem se recepisse exultavit. Dum hic quoque advenit claudus, manifestæ sanitati est restitutus. F Quid plura? Quo morbo, qua infirmitate, licet incurabili, esset detentus, quis huc adveniens, ilicet redditus est sanus et valens. Igitur super his accensa mens fratris, ardebat aliquid reliquiarum sibi tollere de sancto Virginis corpore. Id propter scilicet seorsum manu ducit presbyterum, quem etiam ita convenit: Accipe quod vis, ait, a me, et da mihi reliquias de tanta Virgine, vel os, vel tale quid, quod nostro loco possit esse honori.

sed reliquias frustra exorat.

15 Tunc commotus animo hujus insolentia, respondit: Papæ! Scisne quæ loquaris? An decet servum Dei id velle, convenit dicere, oportet facere? Quamquam quis fatuus id illicitum vellet admittere, tu prudens, tu providus, tu servus Dei deberes tardare! Qui enim videtur hujusmodi ut tu, haud aliter ac recta loqui debet; sed tu mihi videris alius. Longe enim sonant verba tua ac deberent. Neque enim qui tam illicito utitur sermone, vita honestior est. His itaque dictis, erubuit, et quod tale quid ab eo petiisset,

A. DROGONE EX MS.

tiisset, cœpti pœnituit. Et periphrasim faciens. Haud curo hujusmodi rem, inquit, alius sum ac tu reris ; ludo, non serio dixi. Hoc unum tantum oro, quo valeat apud te mea oratio, ut dum hic commoratus fuero, sit mihi locus ante eam Missas celebrare, liceat etiam hic interdum orationi vacare. Unum ille id reddidit responsi : Et tibi et omni mortali bene valenti istic patet ecclesia, te propter minime ejus claudetur janua.

Earum cupiditate magis incensus,

16 Sic sic tunc noster psalmista æterno Regi ibidem crebro modulari, modulans iterare, nonnumquam limis oculis hac illacque despicere, interdum loculum in quo condita erat Sancta Dei, manu attrectare. Dum ergo sæpenumero id ageret, invenit viam, qua poterat ad sancta ossa perveniri. Nam clavi ferrei scrinium eorum ossium in uno fine sua arte tenebant, ex quibus aliqui volvebantur, extrahebantur; et sic loculus eo in fine aperiebatur. Quod quidem eum casu fecisset, videt ossa rubeo pallio involuta. Verum territus subito pavore, ut prius erant, suo loco restituit, recessit, oratum perrexit. Itaque reliquum diei in oratione ducit, quam sæpe repetens, ut si Deus sibi permitteret, et ejus, cujus ossa ibidem venerabantur, velle esset, tempus, locum, consilium concederet sibi, quomodo id quidem posset fieri, ut a sese tractarentur, ad meliorem locum asportarentur, ubi suus major honor foret, digneque haberetur venerationi, quæ eodem in loco, uti videbatur, ab omnibus esset neglectui.

omnia circum lustrat.

17 Noctis æque quidem vigilias egit ; sequenti vero die accidit, ut solus quoque remaneret, dicente sibi ædit|uo, ut monasterium, et cetera omnia optime servaret, seque velle alio proficisci, et usque ad vesperam se sperare demorari. Ad hæc ille respondit : Abi, mi amice, quo libet, adero, custodiam ut tu sollicitus servabo. Igitur abiit, ac omnia sub ejus fide dimisit. Cum ergo primum nactus occasionem, vidensque se solum remansisse, totumque quidquid erat suæ fidei commissum, fidens cœpit; audacius solito ad loculum accessit, elevare hunc ipsum conatus est. Sed acsi terræ radicitus hæreret, moveri non potuit, non elevari, non aliquorsum in latera flecti. Miratur siquidem nunc illud immobile, miratur tanti ponderis esse, quod attrectari moverique paulo ante potuit. Cum horror eum subitus invasit *f*.

ANNOTATA.

a *De hoc Balgero ejusque prima in Angliam sacra expeditione, dum inde SS. Oswaldum et Idabergam retulit, satis dictum est in Commentario prævio.*

b *Sic melius quam* venti, *ut habetur in edito.*

c *Vide Commentarium prævium num.* 21. *Scriptoris etymologia non ex Teutonico, sed ex Anglico sumenda erat. At detur hoc ipsi, cum pluribus aliis æque frigidis.*

d Calice rubico *in edito nihil significat.*

e *Deerat in Ms.*, suam, *quod ex edito addendum putavi ; et sub finem numeri*, scilicet ; *atque num.* 16 *post* psalmista, *attexui* carmina, *quæ vox casus verbi est; uti inferius* cuncta *ad* restituit, *quæ etiam exciderat.*

f *Hic capitum facienda fuit divisio, ne præter morem nostrum nimium excrescerent, tametsi materiæ sequela id vix pateretur.*

CAPUT II.

Adhibitis nequidquam precibus, ut partem obtineat, loculum ipsum clam tollit et ad navim deferri curat.

Loculum sæpe frustra movere aggressus,

Tandem ad sese revertitur, pergit orare, psalterium decantare incipit. Et transacta quarta hora diei, rursum quod cœperat agere præmeditatur. Et ut jurejurando testabatur, volebat eam tollere, nec poterat quidem ; satagebat velle dimittere, tantumdem quoque. Verum quia etiam primo frustratus est conamine, secundo adigitur animi inquietudine aggredi, si forte modo vel idipsum melius succederet suæ voluntati. Verum enimvero nequidquam id nititur : quid ageret, quo se verteret nesciebat. Igitur bis conatus est, sed in hoc ipso nihil profecit. Tandem novi argumenti ingenium reperit. Corrigiam unam sumit, collo suo circumligat summitatesque ejus super loculum Sanctæ Dei ponit : Suscipe ait, mi venerabilis Virgo, me perpetuo servum ; tantum sine te moveri, sine abduci, sine ad melioris altitudinem ac venerationem tui honoris, atque ad amplioris servitii devotionem deferri.

ipsum tandem elevat,

19 Ad hæc tremens, supplexque apposuit manum, ac ilicet elevavit loculum. Unde gavisus est, ac in Domino exultavit hisque superioribus ista subjecit : Nunc nunc queo te elevare, possum accipere ; sed equidem vereor, ne post hæc mihi sis dedecori vel ad vitæ meæ perniciem, si inventus fuero nequam latro violasse loculum, et rapuisse tui corporis thesaurum. Quocirca oro te, rogo te, quin etiam obtestor te per omnipotentiam sanctæ Trinitatis, ut si latere debet meum fidele furtum, mecum venias, sin autem, nullo modo te moveri sinas. Postquam talia delatravit *a*, id optimum factu ducens, orare perrexit, et psalmos, quos needum finierat, percantare satagit. Cumque centesimum quinquagesimum psalmum modularetur, versum hunc dicens : Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio et cythara ; subito divinitus subobdormivit. Cum ecce sancta virgo Lewinna sibi apparuit : Surge, ait, me me accipito, me, inquam, comitem tui itineris habeto.

monitusque in visione,

20 Ille vero evigilans, nec bene, quippe qui sopitus somno erat, visionem intelligens, adesse æditu|um, qui jam abierat, putavit, arguentem sceleris, quod mente concepit. Et hac illacque per ecclesiam discurrens, et utrobique prospiciens nullum videt, neminem mortalium reperit. Tunc tantus ardor mentis, tamque magna cupido eum invasit, ut si non illico eam tolleret, seipsum insanire crederet. Primum oravit paululum, accessit, loculum reclusit, linteolo, quod ob id quidem paraverat, eam involvit. Verum mihi quidem videtur, huic loco inserere rem dignam memoriæ. Nam cum primo eam tolleret, a loculo pallium ubi integerrimum habebatur, disruptum est,

A est, perque scissuram quædam ossa minora cecidere. Cui casui hic ipse invidens, cadentia tollebat, et ceteris ossibus restituebat; ter reposuit, ter cecidere, ut patenter indicaretur, quid sui corporis reliquiarum videlicet ibidem vellet haberi, quo in loco martyrii palma finivit vitam, ubi corpusculum terræ mandatum est.

ipsum aufert et ad navim mittit, *b*

21 Quapropter novo linteolo ea involvit, uti jam superius dictum est, hospitium venit, in una suarum tabernarum *b* collocavit. Indignus siquidem habebatur tantæ Virgini, et Martyri hujus habitationis honor, sed hic, quo tunc temporis minime quidem poterat esse aptior. Tunc vero per suum comitem hanc ipsam ad navim misit. Ipse autem in eodem loco remansit, quo funditus suspicionis occasionem tolleret, et ut quod fecit occultum foret, orationi vacans donec, sole occidente, hesperus oriretur, et vices suas nox sibi vendicaret. Quiescunt cuncta viventia terris, æquore, silvis. Sed nullo modo elementa mundi quiescunt. Nam subito fragore intonat æther impulsus ventis, fragorem cadentes silvæ dant, B maria Æolica rabie intumescunt, inquietantur mortales tectorum excidio, humiles populos sternit pavor. Nautæ illius navis, in qua erat sancta Lewinna, timent sibi, et quamquam cingerentur rupibus, et altis scopulis; tamen ipse timor freti inquietabat eos : urgentur enim desuper pluvia, grandine, ventis.

Exorta tempestate terrentur nautæ,

22 Hac igitur tanta rerum collisione adacti, invicem loquuntur : mens enim hominis gnara, præsciave nonnumquam futura prævidet, et quamvis nubili acuminis obtutu, tamen ventura prænoscit : Nescimus quæ sancta huc noster monachus misit, idcirco enim hæc intemperies, ista etiam tempestas cœli fit. Quid agendum est nobis? Peribimus cuncti hac ipsa tempestate, medio æquoris, undis, procellisque obruemur. Quid fiet in medio mari, cum in securo loco, hic ventus nobis sit timori? At si diu hic demorati fuerimus, et ventus durus, et contrarius, uti nunc est, fuerit; quæretur quod ablatum est, hic autem nusquam reperietur. Tum quoque si reperitur, capitibus plectemur, tum equidem navis, et omnia nostra publicabuntur, Unus eorum C rusticus rudis alios hujusmodi adhortans ait : In fluctus hæc zaberna eat, undis sali longius abigatur, ne usquam reperiri queat. Alter quidem sanioris mentis, illius insolentiam compescuit, omniumque metum verbis abegit. Si istud dignum est, ait, sanctum summumque religione, tanto magis sperare debemus, hujus sanctitate protegi, dignitate salvari; quam citius facilem auram, quin quoque prosperum reditum ad patriam. His igitur dictis confortati sunt animi eorum, sperare e cœlis opis divinæ salutare auxilium.

ipse vero a Sancta confortatur,

23 At noster fidelis fur, quin etiam latro bonus, in somnis ducebat noctem, constringebatur mente, angebatur animo. Timor enim præfocabat mentem illius, aggravabat animum, ut ne quidem posset dilatare se consideratione, nec *c* metiri cogitatus *c* suos aliqua præmeditatione, sed tantum labia movens, sanctæ Virginis opem, solamen, auxilium precabatur. Hujus ergo formidini miserata est, orationem audivit, precibus annuit. Adfuit enim, relevavit ejus animum, abegit metum, confortavit, consolata est. Nam vox quædam, quasi vox mulieris clara, gracilisque, quo facile quidem posset animadverti a qua persona descendisset, derepente audita est, clare personans intonuit : Pone, sodes, pone, inquit, timorem, spera, crede, confide cras divinitus auxilium fore. Summo enim mane juxta tui desiderium habebis, uti precaris, facilem auram, tenebis æquoreum iter reditumque ad patriam. A. DROGONE EX MS.

sedatisque omnibus,

24 O immensa bonitas! o summa pietas Omnipotentis prædicanda, admiranda, æque quidem in electis, quos ante mundi, ac totius creaturæ originem præelegit, constituit sibi famulari, quosque ante omne tempus ejus, deliberavit cœlestis ordinis militiæ adscribi. Confortatur hic ab ea, ut possit is credere hunc abitum sibi placere. Confortatur ne timeat, quo is id quidem facti sanctæ Virgini placere credat. Mox vero tanta est sedata tempestas, ventorum deperiit agilitas, timor freti quievit, mutatio rerum suas vices servavit. Tunc monachus hortatus est sui comitem quiescere *d*, tum cedere tempori noctis. Mane, *d* ait, revertentes ad littus, dabimus vela ventis. At transeunte nocte, jamque lucifero pellente E tenebras, suda poli facies apparuit, prospera aura tenorem sui flatus habuit, quod persæpe nautas ad æquor invitat, et longa maris spatia penetrare factitat.

e portu læti solvunt.

25 Accito itaque comite suo, monachus jam sæpe memoratus mare repedavit. Qui veniens omnes paratos navigatum jam diu ipsum operientes, et adventum ipsius exspectantes invenit. Ventis vela dantur. Cum carina undis fertur, dextra lævaque æque tenduntur rudentes, navis etiam clavo suo imperiose deducitur, Modo etiam celeusma canunt nautæ : nunc aliquibus modis exultant, nunc ludus verbis agitur, nunc carum convitium objicitur. Sed dum jam, transeunte media die, adhuc incibati forent, unus alios submonuit: Cibum, inquit, capiamus, jam hora præteriit. Alius huic contra respondit : Nil certe præter panes habemus, et hi quidem jam sunt duri, ad comedendum *e* dentibus iniqui. Est au- *e* tem locus abundans piscium, ubi hic monachus navim egrediatur, quantum sufficiat nobis mercetur ; nos autem legemus flexionem hanc curvi F littoris, post simul manebimus adventum revertentis. Huic enim egredienti nemo injuriam faciet, et alii nostrum exempto fortassis injuria fiet; ubique enim sunt homines injuste injuriam facientes.

ANNOTATA.

a *Vox duriuscula, et torti quandoque sensus nihil movere nos debent.*

b *Quid per* tabernam *hic velit, ex adjunctis colligendum est : arculam existimarem indicari, at non video quas hujusmodi tabernas Balgerus e navi afferre potuerit, per tres leucas, ipso Paschæ festo die, unico socio comitatus. Sit igitur arca, sit saccus.* zabernam *infra vocabit, quæ eodem plane reducenda erit.*

c *Legebatur* cogitans, *substitui ex edito* cogitatus ; *et sic paulo infra ad* cras *adjeci* tibi.

d *Hæc*

A. DROGONE EX MS.

d *Hæc legi quidem, verum exominori non possunt: nam si singula expendontur, non sotis cohærent. Superius socium ad navim cum zaberna remiserat; jom ferme sciebant nautæ quid ea continere tur, etc. Hic comitem jubet quiescere, ac cum ipso in navim revertitur. Sequentia æque implexi sunt et obscura, quemadmodum in Commentario prævio jam monui.*

e Ad comedendum *deest in edito; infra vero post* revertentis, *interserit,* exspectantes.

CAPUT III.

Navi egressus, frustra regredi tentat; sed post varias ambages, thesaurum suum feliciter recuperat.

Balgerus pisces empturus, navi egressus,

Paret monachus consilio hujus, egreditur, pisces emit, ad littus, ubi operiebatur, redit. At puppis longe a terra aberat. Non enim littori B appropinquare poterat. Iniquum est eo in loco mare altis ratibus, modo altum, modo breve habetur accedentibus. Quapropter curabum *a* sex nummis conducit, intrat, remis in ventum et undas navigare occipit. Verum natura quod difficile reddit, facile cedere haud valet mortalium conamini. Nam nequidquam obluctati vento et undis, redeunt. At socii id videntes, dant vela ventis. Et monachus super littus stans id intuens, pene fit exanimis. Conquerebatur remanens, quin etiam plorabat dicens : Nunc abis, mi pia Virgo, ego autem miser remaneo. Indignus namque ex toto *b* tecum ire, tecum esse, tibi in carina servire. Vale, vale, inquam, vale. Habeto prosperum tuæ navigationis cursum, et mihi modo remanenti, ut primum navigavero, impetra portum.

eam assequi non potest :

27 Et hæc dicens, tamdiu ipsam carinam oculis est secutus, donec aspiciens frustraretur intuitus. Invitus igitur remanet. At illi, donec cogeret eos vesper intrare portum, securi minarum C maris, venti et nubium navigant. Tandem veniunt ad portum, carbasa deponunt, læti intrant, fatigata corpora procurant. Verum quosdam socios compatriotas reperiunt, qui similis mercis causa huc venerant, et quædam, quæ secum detulerunt, veneunt *c*, quædam quæ secum vehant mercantur. Sed dum se mutuo, per umbras noctis recognovissent, invicem amicabili servitutis obsequio sibi student. Hic namque sibi amicissimum compellat, alter dilectum amicum salutat. Alius consanguineum osculatur, illi pacis munus offertur. Invicem propinant quæ habent pocula, tum communis fit omnibus cœna. Insomnem itaque noctem ducunt ; at lucescente die, qui hesterno venerant, abitu accinguntur, sociæque navis homines, ut secum navigent adhortantur.

interim res ejus alteri nauclero committuntur;

28 Non possumus, aiunt, necdum paravimus, quæ cupimus, quoniam nostræ mercis quædam adhuc restant, quæ vendemus, et quædam nobis mercari volumus. Quocirca neutiquam vobiscum ire valemus. Et illi : Arbitrio vestro fiat usque vestra navigatio. At Balgerum monachum nostis D nostrum compatriotam, nostræ viciniæ incolam? Novimus optime uti vos. Et illi : Res hujusce apud nos habentur, inquiunt; hic autem pedes subsequitur. Credimus, speramus, hunc illum venturum. Qui cum venerit, has suas res reddite illi. Id nempe dicentes, tradunt illius omnia, zabernam quoque, et sanctæ Virginis ossa : tum quidem portum linquunt, tum etiam alas velorum pandunt. Accipit navis auram, fugit terram. Cum itaque invite remansisset frater super littus maris, quam cito potuit ab eo conducta est alia navis. Intrat, secutus est.

unde summa Balgeri tristitia,

29 Ut ergo prospere patriæ accessit, navim, qua vectus est ad Angliam, in littore statim invenit. Nec mora, nauclerum denique convenit, res suas, quin etiam zabernam, sui secretum continentem, requirit. Rem ergo omnem ordine pandit : Metuens, inquit, ne tibi molestum haberetur, si sine te a nobis res tuæ deferrentur, cuidam nostræ viciniæ homini commisi, et ut eas, si ad eum venisses, tibi assignaret, indixi. At ille præ dolore pene extra se positus : Perdidisti, inquit, me. Satius equidem emori malo, quam E ad horam carere tanti pretii thesauro. Idcirco videlicet puppim egressus sum ? Idcirco retro remansi, ut amitterem quod charum magis vita fuit?

quæ vix levari potest.

30 Cumque vidisset eum supra hujuscemodi re afflictum, non modice quidem, tum autem lamentari ; sedare ejus animum cœpit, lenire dolorem, mollire tristitiæ amaritudinem. Ne formides, ne desperes ; ne jam quidem solliciteris. Credo, satis est fidelis vir, cui commisi tua. Quapropter fidens tui esto ; ne inconsiderate quidem hoc eventu movearis. Ut spero, ut credo, propediem aderit, tum de tuis rebus lætaberis, tum quoque de tui infortunii temeritate, versi in prosperitatem, exultabis. Igitur vix his sedatus est animus ejus, vix tandem acquievit verbis illius. Igitur jam dies tertia transierat, et nauclerus ad votum omnia sibi paraverat, cum carina fluctu veniente agitur, portum linquit. Tum vela ventis dat, undis haud adeo tumentibus ducitur. Reliquum diei prospera fortuna navigatur. Jam jam dies concedit sequenti sua tempora noF cti, tum occidit hesperus, secundum noctis lucet sidus. Navita puppis clavum tenet, rudentes administrat, nunc hunc liberum reddit, nunc alterum sua arte sibi servire cogit.

At navis ita felici cursu,

31 Verum post paululum cœlitus somnus omnes invadit, præter hunc solum, qui clavum tenebat, qui puppim regebat. Cum autem cum tanta prosperitate ea in nocte navigatur, tam dulcis, tamque suavis aura velorum implet sinus, ut nequidem navis nutaret; non hac, non illac, ut fit, in latus versus aquam caderet. Sic sic eat, o beata Virgo, tu clavum teneas, tu navim regas, tu administres rudentes, tu omnibus carinæ officiis adsis præsens. Fungere vice nautarum, ut illi positi quiescant somno. Tibi optime notus habetur rectus per æquora cursus, tibi æque nostræ patriæ portus. Miratur magister navis, sic una socios subito obdormisse. miratur hanc navigationis prosperitatem, per totius noctis spatium adesse. O Omnipotentis mira manus, mira operatio in suis sibi famulantibus! Eorum ossa omni in

A. DROGONE EX MS.

A in loco ejus providentia servantur, amantur, diriguntur. Multis quoque signis propalat, cujus excellentiæ sint, cujus sanctitatis, cujus virtutis, quam dilecta sibi, quam clara cœlis, quam alta.

reliquias in portum defert. * *Forte* narrationis

32 Verum dum nos apostropham jam bis servamus, deviando aliquamdiu a rationis * serie discessimus. At nunc redeundum est, ordo orationis servandus est. Jam sol Oceano erumpens radios terris spargebat, quosque operi studiisque laborum revocabat, cum ecce cuncti evigilant, tum surgunt e foris, ubi sese locaverant. Tunc rector navis hac voce socios compellat: Surgite, surgite, inquit, satis supraque quam debui, omnes vos quiescere sivi: nimium temere hujus noctis navigationem servavi, vobisque parcendo solus omnium curam suscepi. Certo sciatis numquam cum tanta prosperitate navigavimus, nusquam quidem ea securitate, nec tam recto, nec tam certo cursu per hoc æquor ad patriam venimus. Dumque talia refert, portui patriæ accedunt. Tandem carbasa deponunt. Res navigationis solis remis agitur. Ossa beatæ Virginis B in zaberna collocata, a nauclero domum deferuntur, ac in hemicyclo *d* ejusdem domus locantur.

quas ille continuo quærit,

33 Ecce autem nuntius adest gaudii, rem refert, dicens, jam pridie portum intrasse eam puppim super cujus adventu maximis curis frater ille afficiebatur. Ut hujusmodi fama implevit aures ejus, pernix illo advolat, quæ domus illius sit interrogat. Verum postquam didicit quæ esset, adiit, intrat, sed minime quidem domi reperit. Rogat ergo familiam, ubi dominus domus sit; sed et conjugem interrogat, nam ea ipsa domi erat. Ignoro, ait, quo in loco nunc sit, verum tantum scio, paulo ante maris petiit portum, ibi sui quadam utilitate volens convenire necessarium. Et ille ad hæc: Res meæ ubi sunt, inquit, quas ab Anglia vir tuus detulit? Et rursus: Male succedit mihi jam dudum omnis mea fortuna, nam haud secundum meum velle accidunt tempora. Nam quidquid mihi evenit, id contrarium repugnat meæ voluntati.

et landem obtinet.

34 Tum illa respondit: Res tuæ ubi sint penitus ignoro. Res autem cujusdam monachi pe- C nes me habentur, quas ne cui traderem, abiens interdixit maritus. Ego ipse, inquit, sum præsens de quo dicis, quia hic res cujusdam monachi habentur. Trade ergo mihi eas. Nullo modo, ait, in hoc assentiar verbis tuis. Nescio enim qui sis, et maritum timeo. Ad hæc ille inquit: Unum est quod volo mecum deferre, zabernam videlicet, quandoquidem mihi a te cetera negantur. Quidquid vero aliud est hic apud te pro arrhabone detineatur. Id fiat scilicet, illa inquit. Tua dumtaxat a me tibi tradetur, ne dum venerit maritus, factis me incuset, et audaciæ arguar. Tradidit itaque mulier quod vilipendebat, quod vilius inter ceteras res putabat. Ille vero super omne aurum pretiosius quidem, cœlitus signis exagitatus ducebat. Suscipit igitur illud, famulique sui, qui secum ierat, collo suspendit. Nam uterque pedes ierat. Amor enim et desiderium, quod erga sanctæ Virginis ossa habebat, ut pedes iret effecerat.

ANNOTATA.

a *Cancrum esse indicant lexica, hic pro navicella accipitur, et sic est apud Isidorum. Si hic loca nonnulla sigillatim designasset Drogo, lucem magnam narrationi suæ prorsus implexæ et involutæ attulisset.*

b *Deest verbum* sum, *vel pro* ex toto *lege* exsto, *ut est in edito.*

c *Voluit dicere* vendunt.

d *Atrium forte indicat, vel capsam aliquam semirotundam servandis mercibus aptam; minus etiam intelligo quid velit editio per* emicidium domus.

CAPUT IV.

Bergas cum reliquiis redux, solenniter excipitur, ipsæ in loculo novo decenter collocantur, statimque miraculis clarent. E

Verum cum jam appropinquaret claustro, mittitur qui hæc nuntiaret abbati suo: Hæc defert monachus noster, illo in loco vos operitur, mandat ut cum digno honore suscipiatur. At ille priorem loci, boni testimonii virum, misit, aliosque una ire jussit: Vadite, ait, et caute agentes, primum videte, quid sit. Quod si vobis dignum veneratione videtur, cum digno honore a vobis tractetur. At illi extemplo parent ejus dicto. Veniunt ad locum ubi monachus exspectabat. Et prior: Optimum factu, inquit, habetur, ut videamus, quid istud sit, an sigillis signatum reperiatur, an forte, uti debet, hic charta inveniatur. Ergo omnia recludunt. Tum tria quidem sigilla inveniunt. Cernentes itaque sancta ossa tribus sigillis signata, Creatori omnium reddunt laudes. Igitur cum laudibus, cum hymnis hi, qui missi F erant, revertuntur, cum exultatione mentis, cum alacritate cordis Famulæ Christi et ejus Virginis ossa ab ipsis deferuntur, donec ante januam monasterii veniunt.

Summa exsultatione Bergis receptæ,

in bibliotheca claustri deponuntur,

36 Præterea narrat prior loci quæ invenerat: tribus gaudens manifestat sigillis authentice sancta ossa signata. Super his lætatur abbas ejusdem loci, et omnis congregatio, omnis puer, juvenis, senex exultant spirituali tripudio *a*. Et quia tunc temporis minime quidem paratus erat loculus, ubi ea ossa, digna laude, plena virtutis possent reponi, in bibliotheca cum libris pro tempore aliquantis diebus locantur, quoad digno honore aptus eis loculus componeretur. Merito siquidem in primis talis locus sanctæ Virginis cineri aptatur, ut his libris primo delatus adjungeretur, quorum sententias menti suæ ea locaverat, dum vixit, quæque eædem indicabant, fecit. Merito, inquam: nam satius erat, eam tum librorum sententiis, tum suis rebus bene gestis florere, quam inani rerum opinione uti, quam

quæ

A. DROGONE EX MS.

quæ sunt contraria virtutibus sequi, et ita vivere, ut foret posteris suis nobilitatis speculum, et virtutis exemplum. Siquidem exstabat huic quid multum etiam summæ opis ad bene beateque vivendum, cum quidquid boni quotidiana meditatione colligendo excerperet, in dignitatis nobilitatisque sancti actus exemplum transferret.

donec, perfecto novo loculo,

37 Igitur componitur honori sanctæ Virginis loculus, primo ligneis tabulatis, donec argenteo aurove comeretur, qui dignior ejus religioni haberetur. Forte fortuna adfuit *b* : nam quidam episcopus ab Oriente tunc temporis Bergis morabatur, nomine Bovo *c*, plenus Dei timoris, et amoris, ætate grandævus, præcipui moris vir, cujus faciem cum videas, quanti hominem dignum memoratu putes. Hic itaque talis ab omnibus accitus adjunctus est sancto negotio, cujus consilio sanctæ translationis dies statuitur. Dehinc quidem promittit sese interesse, tum facturum iri *d* quidquid episcopalis ordo hujus tantæ rei debet servitio. Dies adest, cuncta parantur, quæ sancto usui necessaria videntur, vinum optimum, quo lavarentur ossa, duo pallia ad involvendum : cum cereis digni bonique testimonii astant fratres.

a Bovone episcopo

38 Tum quoque, uti mos habetur, Letania primum agitur, deinde involuta pallio ossa denudantur. Denique ubi primum sanctæ memoriæ episcopus ea vidit, dignam memoratu, ceteris audientibus vocem emisit : Vere sancta ossa in terris digna honore, vere sanctæ Virginis Martyrisque reliquiæ! Mox ipse chartulam sumit, aperit, legere præcipit. Hujus autem series talis habetur : Hic est corpus præclaræ virginis Lewinnæ, quæ multis decorata virtutibus floruit sub rege Anglorum Tuberto *e* nuncupato. Quæ postmodum, et sub ejusdem regis tempore martyrio vitam finivit, archipræsule vivente nomine Theodoro *f*. Unde post multorum curricula temporum, Deo revelante, corpus ejus ab Edelmo *g* antistite a terra est elevatum, magna populorum astante multitudine, sicque cum digno honore intra monasterium est collocatum.

in illum translatæ sunt.

39 Dum itaque hæc legerentur, episcopus lacrymis præ gaudio perfundebatur, tantæ orationis adstipulationi annuebat, quin etiam vota laudesque omnipotenti Domino reddebat. Interim quidem vino abluuntur ossa, palliis duobus involvuntur, in loculo reconduntur. Tunc clavis undique tabulæ loculi configuntur, ne qua fraude posset adiri, nec inde aliquid reliquiarum tolli. Acta siquidem est hæc translatio anno Incarnationis Domini nostri millesimo, quinquagesimo octavo, indictione tertia, sexta feria *h*, regente Henrico rege sceptrum regni Francorum, optimo autem comite Balduino *i* gubernante Flandriam, vivente etiam Drogone episcopo Taruanense, administrante vero Bergense cœnobium Rumoldo venerando abbate.

Virtus vini quo ossa lota fuerant.

40 Verum non sunt tacendæ virtutes, quas propter merita beatæ virginis Lewinnæ de vino, unde lota fuere illius ossa, operari dignata est Omnipotentis clementia. Quidam etenim ex familia ejus loci, nomine Leodolfus, quantitatem vini post ablutionem sanctorum ossium vase suscepit, domum detulit, ad salutem sanitatemque febrium tantum reposuit *k*. Qui dum omnibus petentibus id exhiberet, et id cunctis gustantibus subveniret, post aliquantum temporis ad ultimum aquam vasculo infudit, ac febricitantibus dedit. De qua quotquot gustavere, pristinam sanitatem lætati sunt se recepisse. Nunc itaque paululum libet immorari tantæ Virginis martyrisque laudibus.

ANNOTATA.

a *Sic legendum, non ut in edito, ubi est* exultant spiritu, alii tripudio. *Multa emaculatione indiget Mabillouiana editio.*

b *Intellige qui rem perageret, nempe episcopus, de quo loqui incipit.*

c *Lego* Bovo, *non* Bavo, *ut ferme in Ms. habetur. De hujus patria, Bergas adventu, initaque cum Balgero monacho notitia, non est hic locus plura disquirendi.*

d *Hæc, ut semel dicam, et plura id genus alia Drogoni ignoscenda sunt.*

e *Voluit dicere* Euberto, *ut alii legunt. In edito, habetur* Eilbertus. *Fuit haud dubie* Egbertus, *ut ex Alfordo superius in Commentario prævio diximus.*

f *Notat Martyrologium Romanum* XIX *Septembris, missum in Angliam a Vitaliano Papa. Vitæ exstat seculo secundo Benedictino ad annum* 690 *quo excessit e vita, postquam ab anno* 668 *Cantuariensi ecclesiæ præfuisset.*

g *Legebatur* Edelino, *substitui* Edelmo *cum edito, quod magis appropinquat vero nomini ; opinor* Athelmo, *qui anno* 924 *e vivis excessisse dicitur in Anglia sacra parte* 1, *pag.* 99.

h *Locum hunc, ait Mabillonius, in codice Ms. ita oblitteratum fuisse, ut legi non posset, sed eum se ex Molano restituisse, qui ex monachis Bergensibus acceperit* S. Lewinnæ *translationis festum agi* VI *Kalend. Julii. Tu vide quæ de his diximus in Commentario prævio.*

i *Obiit Balduinus, cognomento pius, Insulis die* I *Septembris* 1067.

k *Hic paucis notandum, quod supra insinuavi ; a sequentibus verbis :* Qui dum, *in codice Bergensi, ad me transmisso, non satis apte inchoari lectiones aliquas, quarum prima perducatur usque ad medium numeri* 41 ; *sic ut secunda inchoetur :* Denique etiam adhuc ; *tertia vero paulo ultra initium numeri* 42, *ad* Virtutum fœdera ; *quarta et quinta lectio ad marginem solum adjiciuntur, absque ulla divisione, ut merito dubites an usitatæ umquam fuerint.*

CAPUT V.

Brevis S. Lewinnæ Vita, seu potius elogium.

Qualis fuerit virgo a teneris annis,

Verum de vita ejus primo dicendum est ; post de virtutibus, deque martyrio paulatim ascendentes pauca dicemus. Sane a primis caræ pueritiæ annis plena spiritus Dei sancta Virgo ei ipsi placuit, quæ in primo suæ ætatis flore illius amoris dulcedine adeo adhæsit, ut nullo modo, nec

A nec in prosperis, nec in adversis semel susceptæ instantiæ cederet, sed auctori pudicitiæ, castitatis proportione faveret. Denique etiam adhuc in teneris annis inerat ejus menti quod proprium est animi bene constituti; nec multum lætari rebus secundis, nec dolendo cedere contrariis. Dehinc adulta, major se, mente florentem mundum calcavit, Deum præponens omnibus, quæ oblectamento fore videntur, quibus genus hujusmodi mulierum mage nonnumquam illicitur.

qualis jam adulta, 42 Igitur et puella, et adulta virgo, dum vixit, bene vixit : quia scilicet et sibi cavit, ne antiqui hostis in decipulæ fraudem dolumve caderet, ne de ruina ejus isdem hostis interdum insultans gauderet. Virtutum fœdera, munia quoque earum diligenter imitata est. Amica humilitatis exstitit, cultrix ejus collegæ patientiæ, pudicitiam conservabat, qua cœlum, Deo et angelis cara attingebat. Præterea fortitudinem mente, auream mediocritatem suo actu usque colere; justitia, prudentia, æque et quidem omnia sua metiri. His namque et ceteris virtutibus B decorata, radicem sanctæ dilectionis cœlo fixit, tum quoque ramos, scilicet studia boni operis inaltavit, flores suavis odoris internæque viriditatis folia, tum præterea fructus dulces nectareosque Creatori suo protulit. Robur etiam virile femineæ mollitiei loco servavit. Quam videres opere quotidiano viritim studentem, cerneres ut arcum intentum ad omnia bona ejus paratam *a* mentem. Vitia quoque virtutum similitudinem mentientia subintuebatur, colubrum inter columbas, lupumque sub ovina pelle latitantem despiciebat.

utpote Spiritu sancto plena, 43 Nec mirum id quidem, Pater enim cum Filio, cumque Spiritu sancto eam ipsam inhabitabat, cujus ipsius custodia omne contrarium virtuti cavebat. Erat enim inhabitatio tanti hospitis, causæ * custoditio mandatorum ac totius legis, dilectio æque quidem Dei reddebat hanc pervigilem sui sedulam cœlitus divinæ operæ, solertem nimium, nimiumque mundæ conscientiæ. Sic sic Dominus in Euangelio, quod dicimus, sese diligentibus promisit : Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus C diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Mansio Dei omnipotentis numquam habetur vacua boni operis. Nam quem Dei Spiritus inhabitat, usque pervigilem reddit, sedulo exercentem recta, favere proximorum utilitati, se dedere æternæ dispositioni. Isto siquidem habitatore usque usa fuit beata virgo Lewinna dum vixit, quo ductore declinavit mala, sectata lynceis oculis, quæ sequi habentur meliora. Claret itaque quæ vixit terris, quæ tam clara nunc vivit cœlis.

* *An* cauta?

pluribusque virtutibus, 44 Nam virtutes, quas vivendo coluit, nunc manifestant quanti et cœlis sit. Id quidem quemvis credere adigit summa ejus claritudo, quin etiam cœlestium signorum magnitudo. Id propter scilicet hæc sancta Virgo Deo placuit, et martyrio digna inventa est. Quoddam enim privilegium retinet martyrium, quo clarus celebrisque præ ceteris mortalibus et a Deo inaltatur *b*, qui ejus testis dignus invenitur. Id siquidem est vita justa, meditatio boni assidua, justa Dei ac proximi dilectio, omnium virtutum celsitudo. Id, inquam, privilegium martyrii hæc sancta Virgo adepta est, ut et martyr Dei foret cum virginitate, et eo placeret sibi, cujus se addixit amicitiæ. A. DROGONE EX MS.

adeo conspicua, 45 Præterea inde acceptissima omnino ei arma totius boni præ se erant, artes exercitationesque dexteræ viæ, quæ in sua vita a se culta fuere, quis omnibus mortalium præstitit, quisque mirificos fructus extulit. Ne quidem in extremo saltem tempore has reliquit, cui conscientia bene actæ vitæ multorumque benefactorum recordatio jucundissima fuit, non quod suis bene actis extolleretur, neque enim jactantia quid de ipsius moribus usurpavit, partemque tulit; verum quod exultatione habitantisque in ea spiritus bona sibi usque succedere gauderet. Custos etenim sui, et intrinsecus spiritualiter gaudebat, et ne quidem foris id aura favoris tolleret, sibi semper timebat.

ut martyrii corona digna fuerit. 46 His omnibus virtutibus fulta beata Virgo eo pervenit, ut martyrio coronaretur, et duplice palma muneraretur, si vita morteque hostem, hostisque ministrum devinceret, ac de utroque læta trophæa suo Domino reportaret. Verum bonæ devotionis illius animus erigens se posteritatem ita semper prospiciebat, quasi cum excessisset de vita, tum denique et esset victurus. E Quod quidem ni ita se haberet, prudens gnarave horum haud tam læta, tam festina adeo ad mortem niteretur. Equidem efferebatur desiderio angelos, archangelos, omnesque Sanctos videndi. Denique sciebat quod commorandi natura sibi diversorium non habitandi dedit. O præclarum diem, cum in illud divinum Sanctorum concilium cœtumque profecta est, cumque ex hac turba, et colluvione discessisset, qui est octavo *c* Kalendas Augusti. Ibi beata Virgo, memor esto nostræ fragilitatis, et semper præsens nobis subveni in necessitatibus, et in omnibus periculis. Abhinc clemens respice tibi famulantes, tibi canentes, et attolle tuæ opem misericordiæ, piumque tuum solamen sperantibus animis exhibe. c

Scriptoris epilogus. 47 Verum in calce hujus libelli ad memet redeundum est, mea insolentia, audacia, petulantiaque animi incusanda. Qui dum hoc in opere prudentioribus deberem cedere, suscepi onus, quod prudens rerum caverem, ne potius victus F mole, sub fasce ruerem. Lectorem det itaque veniam peto, quid historia sequatur attendat, quidque oratio velit animadvertat. Si quid habetur in ea nimis superfluumve, id propter scilicet haud me accuset, non hujus orationis arguat, non morsu venenati dentis retro rodat. Reminisci debet, quod minime quidem ab orationibus *, sed a piscatoribus divina dogmata sint nobis tradita, et quod sancta rusticitas, et simplex animus, pura mens, corque mundum adeo Deo placent.

* oratoribus

ANNOTATA.

a *Nescio quid hic in edito significare possit* parcam. *Verum de his satis.*

b *Satis patet quid scriptor velit. Adde hoc barbarismis reliquis.*

c *Forte* IX Kalend., *ut legit Mabillonius, nonnulla ibi observans de quibus satis dictum existimo.*

Id

A. Drogone ex ms.

Id ego miror potissimum, unde Drogo diem ejus natalem seu martyrii didicerit, quemadmodum et illa quæ de S. Virginis vita hic narravit; ubi supra num. 7 *fassus est*, de *ejus* vita et martyrio perparum *sibi* cognitum *fuisse* : *ut* de tantæ Virginis martyrisque laudibus *magis quam de gestis loqui potuerit, unde elogium potius, quam Vitam merito appellaverimus.*

LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.

Ejusdem Drogonis ad eumdem venerandum abbatem Rumoldum.

Miracula narraturus præmunit se adversus obtrectatores.

Tandem decursa serie translationis beatæ Lewinnæ virginis, ventum est ad miracula, quæ illius meritis dignata est operari Omnipotentis clementia. Quæ tam numerosa, tamque B multa habentur : ut si Maronis, vel Homeri docta facundia adforet, fortassis victa multiplici taxatione narrandi, moleve tenendi audita vel visa succumberet. Verum nos vel visa, vel audita pro posse nostro dicendum venimus, ejus precibus sanctum Spiritum nobis adesse orantes, ut ejus ductu, ope, levamine dirigatur scriptoris oratio, deturque facuudia narrandi, et par copia dicendi, cujus sunt facta providentia. Sed nos multa prætermittimus, ne superabundans materia legenti fastidio sit. Attamen si cui displicent hæc nostra, immo sancti Spiritus, sanctæque Virginis, quæ scribimus, etsi incredibilia illi videntur, fideles personas, qui viderunt, quique præsentes adfuere testes anteponimus, eorumque sub judicio, atque testimonii veritate, hæc nostra qualiacumque sint scripta firmamus. Veniat, veniat, accedit auctoritas ac inviolata permanebit veritatis puritas. Hinc prudentem admoneo lectorem, veniam det, si aures illius nimium urbanas offenderit incultus sermo. His ergo omis-
C sis, maximum mihi habebitur, si vel facta dictis exæquentur. Quod ut possit fieri, mi venerabilis pater Rumolde, orationum tuarum solamen adfer, tua auctoritate firma, sicque pendulum onus tuæ sanctitatis sustinebit tabula. Novi, quod haud æque quidem, ut actum est, omnes animo ferent : novi, quam facillime in difficillimis causis livor judicium ferat, et quia quod hic sibi difficile putat, alterius benefactum retro rodendo damnat. Quæso igitur extremam nostro operi, communis negotii studiosus, manum imponas, abundantia
a reseces *a*, quatenus pagina dum factum narrat, sententia etiam firmo gressu currat.

ANNOTATA.

a *Possunt addi ex edito*, hiantia suppleas, errata reprehendas. *Porro ut totius sequentis miraculorum narrationis breve compendium præ oculis lector habeat; non gravabor id ex Meyero supra laudato depromere. Sic habet :* In territorio Furnensi, pago Alveringhem, Badero ; apud Leffingas, D in agro Brugensi Boldredus paralytici, præsente episcopo Drogone sanantur : Aldenburgi sanatur puella omnibus membris capta. Apud Uytkercke puer claudus membrorum accipit officium. In insula Walachria, omni copia rerum, multitudine hominum, ac robore præstantium equorum, inquit, referta, sanatur Rambeldus paralyticus, idemque surdus. Brugis sacerdotes cum velamentis in modum supplicationis, sacro corpori extra castellum processerunt obviam. Ibi duo cerei vento exstincti, ut primum sanctæ reciperentur reliquiæ, per se rursum sunt accensi. Dodesele Erenboldus a claudilate, atque a canceris liberatur ulcere. In Liswege quidam Ramboldus, morbo pustulæ graviter afflictus, ut qui jam linguæ officium, vimque omnem corporis amiserat, sanitati restituitur. Eo portatur ex agro Bruggensi Obsendis mulier paralytica, quæ remedium ibi accepit et salutem. *Hæc præ oculis habere nonnihil juverit ad totius seriei intelligentiam, cui alterum verbosum exordium præfigitur.*

E

EXORDIUM ALTERUM.

Ad Dei sotius favores,

Omnipotentis providentiæ altitudo, ante omnia tempora mundi, Sanctis sibi famulantibus præordinavit summam invisibilis gloriæ [et] gaudii claritatem, magnitudinem præmiorum, ut facilior hujus seculi labor eis videretur, cum obnoxii vel deteriores *a* non carnis sed Dei multa- a rum rerum discriminibus subjacerent. Hæc summa cœlestis regni maxima, ex parte pene omnes mortales a primo parente latuit, donec gratia Christi venientis in carnem, suis ipsam quidem manifestavit, tum doctrina Euangelii, tum miraculorum insignium numerositate. Quo signa quidem videntes præsentes cœlica vi adacti credere cogerentur, quæ mysteriorum magnitudo testabatur. Nam nec quidem facile potest credi, quæ siquidem incredibilia videbantur præfari, nisi et signorum copia cœlica vis ipsa commendaret, et is qui hæc ipsa demonstrabat verbis, et F miraculis plueret. Quapropter firmum fuit, creditum est esse quid tale invisibile quod huic visibili excelleret, quoniam ea quidem substantia firmior est, quæ minime hoc in mundo conspicitur, quam hæc caduca, quæ oculis capitur. Ex quo nimirum contigit quosdam mortales capaces divinæ mentis credere Deum innovare venisse, quod invidia antiqui hostis periit, hominem scilicet, qui a paradisi amœnitate decidit, quem isdem veneno infectæ fraudis occidit.

omnia merito revocat.

50 Verum versa vice sub pedibus electorum Domini postea ingemuit, et jus quod acceperat in Sanctos Dei perdidit. Qui siquidem cum in eum ejusque nequitiæ ministros decertarent, de ejus ipsius dejectione triumpharunt, tum victoriæ bravium, tum laudis præmiique palmas acceperunt. Quibus etiam promisit omnipotens Dominus, quod nec eorum quidem ossa perirent, Psalmista teste, qui ait : Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex eis non conteretur. Et idem Dominus in Euangelio : Capillus, inquit, de capite vestro non peribit. Nam quid speremus,

quanta

A b quanta claritate animæ Sanctorum cœlis perfruantur *b*, cum nec pulvis quidem, nec et ossa ab ipso dereliquuntur! Quid namque putamus quanti cœlis stant, quid præmiique eædem possident cum agmine angelico, quorum ossa in terris nec cœlestis deserit claritudo! Nimirum videre videor, quod incredibile memoratu est; mortem Sanctorum fore eis vitam. Nam tunc primum incipiunt vivere. Vivunt enim Sancti, vivunt, inquam, quos vitæ Auctor diligit, signis longe lateque ampliat, crebris miraculis extollit. Igitur sanæ mentis homini haud dubium quidem habetur quin vivant, quin etiam omnia sciant. Adhærent enim Auctori omnia scienti. Verum jam tempus est, ut secundus libellus partim demonstret miracula, quæ meritis beatæ Virginis dignata est operari Omnipotentis clementia.

ANNOTATA.

B a *In edito est,* debitores : *utrumvis selige ; ast paulo infra male in edito omissum est verbum* videntes.

b *Addenda hic videntur ex edito :* quantæ curæ omnipotenti Domiuo habeantur, *ut rectius fluat constructio.*

CAPUT I.

Circumlatum per Flandriam maritimam sacrum corpus plurimis stupendis claret miraculis.

Dum reliquiæ circumferuntur, sanatur quidam a renum dolore;

Postquam episcopali auctoritate, secundum id quod justum fuit, adminiculatum est ministerium translationis venerabilis Lewinnæ virginis et martyris, summaque digne ejusdem peracta est : accidit ut dignum actu nonnulli existimarent, sanctam Virginem per Flandriam deferendam, ut et notæ fierent tantæ Virginis reliquiæ, et inter eundo Omnipotens Dominus, cujus foret meriti declararet. Cumque Furnensi territorio ad ecclesiam, Fluerinckehem *a* nuncupatam, ventum esset, suscepta est cum digno honore, tum etiam locata super sanctum altare. Ibi erat quidam, nomine Bodera *b*, longo languore renum adeo dissolutus, ut numquam pergeret, nisi duobus baculis innixus. Et, ut hodie fatetur, testatur, jurat, deficientibus membris, clinicam passionem incurrere timebat. Suæ itaque longitudinis candelam sanctæ Virgini detulit, aliquamdiu ante eam prostratus oravit, suamquo salutem exoravit. Denique dum oratum esset, post datam orationem surrexit, et dolore renum totiusque corporis funditus caruit. Quique suis paulo ante portatus erat baculis, mox eodem die sine baculo portavit reliquias beatæ Virginis. Et mirabili dispensatione Dei id quidem actum est, meritisque Virginis, ut dum de sua salute exultaret, suæ salutis auxiliatricem portaret.

item alius Leffinga, c

52 Post hæc transeundo nonnullas ecclesias, properatum est ad villam, Letfingas *c* dictam. Venitur ad ecclesiam, ubi ab incolis nec suscipitur nec honoratur, quippe cujus nomen ante hac ne quidem, ut dicebant, illic audiebatur. Quod non modice quidem præsentes contristavit; deque prosperitate cœpti itineris desperare fecit. Attamen super altare ponitur, ibique quid futurum foret ab illis exspectatur. Tunc unus ex fratribus, qui cum ea illo venerat, ante eam ipsam sese prostravit, atque hanc nunc verbis, uti viventem incusabat, nunc deprecatorie, velut privatam amicam mulcebat. Cur, beata Virgo, tibi famulantes derelinquis? Cur non quanti haberis ostendis, ut hujus loci incolæ tua signa videant, te honorent, teque sanctam Dei Virginem ac martyrem credant? Nos equidem deceptores dicunt, te Sanctam minime quidem, nec alicujus meriti esse jurant, credunt. Jam jam pia nostris precibus ades, et veram sanctamque Omnipotentis Famulam monstra; tuum decus, tuam famam adauge, et de te nobis lætitiam præbe, ut sicut claritudo tua alta magnaque habetur cœlis, ita quoque signis cœlestibus, inaltare *d* terris. d Quod nisi feceris, ad monasterium quamprimum reportaberis, tuo in loco reponeris, et amodo tuo honore meritoque minor habebere. E

A. DROGONE EX MS.

ab infirmitate paralytica

53 Hæc perorans a terra surrexit, ad hospitium venit, præmeditans utile factu, quamcitius disponere de reditu. Mirum dictu eadem hora contigit: nam sancta crux nostræ redemptionis signum, quod eo in loco est, aquæ sudorem ex se emisit, et aliquamdiu ita sudans permansit. Id quidem cuncti videre qui aderant, et quid futuri signi esset portentum dicebant. Ecce a quatuor portantibus deferebatur in lecto paralyticus, cui infirmitas ad habitum veniens, artus membraque omnia ademit, quæ illi natura habere dedit. Totum corpus erat rigidum, inflexibilis cervix, venæ, nervique emortui longa infirmitate, manus et pedes ad instar parvi pueri redacti. Quid dicam, quod quidem manum ad os ducere, non aliquod membrorum, aut artuum ad se trahere valebat? Et ut plus mirere, totum hominem dissolutum videres, nilque vitale corpori, præter solitum flatum vix vivido pectori. Itaque a suis ante sanctam Dei Virginem statuitur, atque omnipotentem Dei manum operitur. Præterea meritis ac fidei sanctæ Virginis se totum dedere, ejus pietati se commendare; et mage puro animo F ac lingua clamare. Verum enimvero misericordia Omnipotentis adfuit; meritum beatæ Lewinnæ virginis miserum adjuvit. Nam hæc ipsa audivit orationem, miserta est ejus cordis corporisque dolorem. Derepente enim cœpit miser tremere, dentibus frendere, hac illacque circumspicere.

cum summa omnium admiratione,

54 Id siquidem cernentes fratres, qui aderant, an tale quid sibi umquam evenisset, eos qui eum detulere sciscitabantur. Numquam, inquiunt, hujusmodi fuit, nil tale umquam passus est: id quidem novum erga eum habetur, sibique hoc in tempore incongruum. Tum fratres, invicem se hortantes, incipiunt orare, Letanias decantare accelerant. Necdum vero finis erat horum quæ cantabantur cum subito tam agilis, tamque celer a lecto, in quo decumbebat, saltum dedit, ut ne quidem aliquis sanus adeo festinus surgeret, non tam cito saltum daret. Et ut velociter saltum dedit, ad feretrum suæ Adjutricis cucurrit, illud suis manibus tenuit, simulque clara voce dixit: Venite, venite, mecum sustollite,

una

A. DROGONE EX MS.

una mecum portate: nam meritis hujus sanus factus sum. Solita enim infirmitate funditus careo, corpus robur suum recepit, venæ nervique fortitudinem, omnia membra sui officii tenorem. Et hæc dicens in sublime elevavit. Deinde lætus hac illacque per ecclesiam cursitat, virtutem sanctæ Dei Virginis in se factam prædicat, tum merita ejus ipsius extollit, tum omnium Domino laudes reddit. Et cum illi ab uno astante baculus offerretur, ut huic inniteretur: Minime quidem, inquit, egeo baculi: meum enim antiquum vigorem recepi.

unde Sanctæ fama multum accrescit.

55 Tunc denique fama facti signi volat, fit concursus ad ecclesiam, senex, juvenis, omnisque puer adest, mirabile dictu signum aspicit, ac creatori Domino simulque sanctæ Virgini vota laudum reddit. Hinc itaque libet exclamare: O fortis manus nimium, nimiumque prævalida Omnipotentis! O pietas æterni Regis præsens ac propitia, et clemens sibi famulantibus! Hujus signi facto ostendit, cujus meriti ac quanti [in] cœlis esset, quæ in terris laude paucorum cele-

B

brabatur. Verum enimvero id cœlitus actum est, ut multi forent meritis ejusdem Virginis testes et assertores, cum primo pauci essent: paulatimque cresceret illius honor, majorque fieret, quam plebs primum ignorans, ac nescia veri, postea prædicaret. Altera autem die undecim *e* bidentes detulit, grates pro recepta sospitate solvens; et cum ad aliam ecclesiam festinaret, una cum ceteris gradiebatur, suam Auxiliatricem, per quam recepit sanitatem, portabat. Vocatur autem idem homo Boldredus, qui hodie sanus permanet: mirabileque factum in se esse signum gaudet.

Curatur puella mirabili morbo afflicta;

56 Deinde veniunt villam, Oldeburga *f* nuncupatam, ubi demonstravit pietas Omnipotentis, cujus meriti forent ossa beatæ Lewinnæ virginis. Nam ibi erat puella intolerabili infirmitate jam multis diebus fatigata, adeo ut vix loqueretur, vix sedere posset, vix cibum capere, vix domire valeret. Totum enim corpus ejus erat tremulum, manus, pedes, caput, quin etiam labra tremebant. Hæc sabbathi, dum serviret horti operæ, colligens olera, quæ cœnæ pararentur, subito in

C

terram cecidit, et exanimis facta est. Tum quoque, cum subita obripilatione, tremor membrorum continuus illi exstitit; æque quidem infirmitas ex eo tempore totam ipsam miseram cepit. Hæc siquidem talis a parentibus delata est, et ante altare, super quod positæ habebantur reliquiæ Virginis, statuitur. Ibi ergo prostrata humi diu jacet, ac operitur omnipotentem Domini manum: ut sui misereretur per beatæ Virginis meritum. Et dum itidem jacens aliquamdiu oravit, tremor membrorum, qui paulo ante continuus erat, cessavit. Infirmitas quoque, quæ eam cum tremore fatigabat, paulatim discessit. Quod cum sensisset, cito a terra surrexit, seseque meliusculam suis parentibus, et ceteris astantibus dixit. Tum itaque vota precum laudumque Creatori omnium referunt; et una æque sanctæ Virgini pro tanto miraculo gratias reddunt. Tum domum a suis pedes reducitur, quæ hodie incolumis permanet, ac omnibus prædicat, quantum beata Virgo se invocantibus valeat.

57 Inde interjacentia peragrando, venerunt ad ecclesiam, Uytkercke *g* dictam, ore antiquo. D

item puer Uytkercke, ubi et tumultus sedatur.

Dum ergo altero die omnes ejusdem loci incolæ ad eamdem ecclesiam convenissent; et dum sacerdos post Euangelium, uti mos est, sermonem faceret ad populum, subito extra atrium sanctificatæ domus oritur ingens hominum tumultus. Fit concursus, undique tela rapiuntur, amicæ partis auxilio quisque festinat. Ante altare forte jacebat contractus puer ferme duodecim annorum, qui idcirco illo delatus erat, ut fidele auxilium sanctæ Lewinnæ imploraret. Interim subito erigitur, paucis remanentibus, et miraculum cernentibus. Fama facti miraculi circumquaque eminus volat, auresque omnium, qui ad tumultum convolaverant, replet. Tunc denique quam citissime redeunt, tela deponunt. Velociter vero concursus eorum fuit ad videndum patrati miraculi signum, quamprimum festinantium ad tumultum. Videntes igitur miraculum cœlitus actum, ferocitatem animorum Deo submittunt, celebre nomen Virginis laudant, meritum ejus virtutumque prædicant. Sicque quod antiquus hostis volvebat ad suæ præjudicatæ damnationis fraudem, Domini manus convertit ad sui nominis honorem. E

De surdo et paralytico,

58 Operæ pretium est et illa inserere huic paginæ, quæ Omnipotentis providentia dignata est operari, et mortalium oculis ostendere. Insula est dicta Walacra *h* opibus rerum, tum copiis etiam *i* hominum robore fortium, tum equorum corpore præstantium, ceterorumque animalium referta. Ad eam itaque ventum est. Ibi erat quidam vir mortalium, nomine Remboldus, duabus infortunii infirmitatibus detentus. Nam et auditum perdiderat, unaque toto corpore paralysi dissolutus exstiterat. Et id quidem ad cumulum laudis Domini, et augmento atque accumulationi Virginis meriti. Igitur defertur a suis, ante eam statuitur, ubi in ecclesia locata fuerat. Haud multum quidem partis diei ibidem fuerat, cum amissam auditus facultatem recepit. Tum æque quidem integræ sanitati restituitur, ac in cunctis membrorum partibus, totus et integer uti homo restauratur. Viget continua sanitate usque hodie, et valet, sese ex semimortuo totum vivum fore gaudet. F

deque puella, quæ in visione

59 Hæc etiam aliud subsequitur, quod a nobis pro posse nostro in lucem proferendo, stylique officio commendando dicetur. Virgo quædam tribus annis ægra jacebat, vimque corporis omnibus membris amiserat. Tantum vero spiritus pervigil solo pectore vigebat. Et quamquam corpus infirmum longa valetudine teneretur, fortis mens et præcavens prudensque habebatur. Hæc itaque audivit signa, quæ fama volabant, quæ sancta Lewinna in vulgus faciebat. Cujus, ardentissime mente inhærens, meritis se posse quoquo modo longa ægritudine privari, aut etiam mortem adipisci, a patre matreque ad eam deferri fecit. Cumque in lecto posita deferretur, paulatim quievit. Tum mirum in modum de lecto surrexit, feretrum tenuit, taliaque, fundendo lacrymas, peroravit: Celebris memoriæ venerabilis Virgo, haud haberi videtur conveniens, ut indicem tibi quanta valetudine teneor, cum omnia scias, et quid sit mihi melius, meæque saluti aut vivere aut mori satius cognoscas.

Tuæ

A Tuæ fidei, mi pia Virgo, me totam committo, meum vivere, meum quoque mori tuæ in potestatis protectione pono, ut id quidem celerius mihi impetres bonum, quod maxime saluti meæ exstiterit necessarium. Si mors habetur mihi beatior vita, veniat, properet; suscipiam equidem, tantum adsit per tuam deprecationem. Dumque hæc et alia multa perorasset, vale fecit sanctæ Virgini, seque in lecto recollocavit: ac post paululum se iterum domum deferri præcepit.

morituram sese cognovit. 60 Sequente vero die patrem et matrem advocat; balneum sibi parari indicit. Vestes quoque, quas habebat præstantiores, deportari jussit. Miratur uterque parens, miratur omnis familia, et super his obstupescens, deinceps quid actura sit exspectat. Ipsa autem intrat balneum, satisque accurate lavat caput, et omne corpus. Postea vero induit se vestibus suis, ac in stibadio se locans, hæc ultima dixit cunctis audientibus: Gratias tibi ago, pia virgo Lewinna, quoniam exaudisti mearum precum vota. Tuo siquidem jussu festinavi lotum, tum tua admonitione acceleravi B indutum vestes, quas habebam in mundiore cultu præstantiores. Tuis precibus mihi permissum est, ut alio vadam, aliudque mihi patriæ perquiram. Scio namque, et credo, si hæc præsens vita meæ saluti foret utilior, tum primum mihi hanc impetrasses, tum te omnipotens Dominus audisset, ut saltem aliquantum temporis mihi in ea ipsa concederet. Verum enimvero hæc labilis fragilisque vita multos dat vitiorum præcipitio; ego autem jam portum intrans, secura minarum seculi, littus teneo. Et hæc dicens, iterum gratias Deo, et sanctæ Virgini reddidit, et una spiritum emisit. Potest moveri, cur non mage sibi spatium vitæ a sancta Virgine fuit impetratum, atque sibi a Deo donatum. Cœlestis enim providentia utrobique saluti nostræ consulit, et quod melius, quodque necessarium nobis esse prævidet, concedit. Fortasse enim huic seculo reddita, mundialibus sese implicaret, hisque adhærescens, quot diebus deterior fieret. Nam et duo petiit, et ita dumtaxat, ut suæ petitioni utilius concederetur; et huic oculus mentis inhæsit, et altitudo providentiæ idipsum, quod petebat, ei concessit.

C

ANNOTATA.

a *Ex A majusculo male formata sunt* Fl. *legendum enim* Alverinckehem, *vel ut in edito* Alverinkehem, *brevius in Meyero* Alveringhem, *hodie* Alverghem, *inter Dixmudam et Honschotum æquali ferme spatio dissitum.*

b *Sic in nostro et in edito, Meyerus legit* Bodero.

c *Lege* Leffingas, *ut supra recte scripsit idem Meyerus.*

d *In edito* inaltere, *pro quo ad marginem* innotesce; *at verbo isto* inaltare *etiam superius usus est Drogo.*

e *Mabillonius legit* duodecim.

f Aldenburga, *sive* Oldenburgum *Flandriæ, quasi vetus castrum, imo et antiquissima, ut volunt Flandri nostri, civitas, quæ tantum non regionis metropolis fuerit. Ostenda non procul distat, hodie ad mapale ferme redactum, nisi superesset cœnobium, S. Arnulfi Suessionensis episcopi prædicatione et obitu celebre, de quo plura dicenda erunt ad* XV *Augusti.* A. DROGONE EX MS.

g *Ad Blanckenbergam prope mare, unde in Zelandiam perrexerunt, ut mox patebit.*

h *Præcipua est Zelandorum insula, in qua Middelburgum et Flessinga.*

i *In edito interseruntur hæc verba* piscium et aliorum, tum copiis; *quæ Meyerus in apographo suo non videtur legisse.*

CAPUT II.

Aliorum miraculorum continuata series.

Candelæ cœlitus accensæ. Dum vero feretrum Bruggas venit, cum maximo tripudio cleri plebisque suscipitur; et cum processio obviam eis extra castellum *a* egrederetur, duo cerei vento exstincti sunt, qui clericali consuetudine ante illam ferebantur. Verum dum sanctæ Virginis reliquiæ suscipiuntur, cœlitus vidente populo, iidem ambo cerei accenduntur, et ita accensi permanent donec limina templi intrarent. Super hos etiam eventus populus Deum laudat, precatur, orat, spiritualique gaudio exultat. a E

Ulcus canceris depulsum. 62 Est villa nuncupata Dodesela *b*, in qua erat quidam homo, nomine Eremboldus, cui tulerat canceris ulcus coxæ officium, ut nullo modo valeret incedere, nisi pars ea corporis baculo inniteretur, qua æger ejus coxæ infirmitate laborabat. Cumque jam esset desperatus a medicis, vitæque suæ diffideret, acceleravit venire ad ecclesiam jam memoratam, ubi convenerant officiales cum sanctæ Virginis reliquiis. Qui dum aliquamdiu ibidem oraret, omnipotentem Dominum deprecabatur, ut per Virginis merita sui misereretur. Nec voto suo frustratus est. Nam dum domum rediisset, mox cœpit canceris ulcus per se minorari, parsque ægra corporis vim antiquam recipere. Et ita factum est, ut quot diebus paulatim convalesceret, donec integræ sanitati homo totus redderetur. F Nec dubitandum est, quin beatæ Lewinnæ virginis, id quidem adscribatur; cujus etiam salvatus est intercessione, qui dum diffideret suæ saluti, ab incurabili infirmitate redditus est sanitati. b

Morti proximus liberatur a gravi pustulæ morbo. 63 Verum postea ventum est ad ecclesiam Liesieuege *c* ubi iu lecto defertur quidam, nomine Ramboldus, pustulæ morbo morti proximus. Jam etiam officium linguæ amiserat, jamque visum, vimque omnem corporis perdiderat, cum quidam e fratribus, de ligno loculi Virginis parum ferro erasit, vino infudit, ori illius immisit. Mox vita intrantem mortem expulit. Nam confestim locutus est, tum sibi in lecto assedit, suos sibi congaudentes vidit, tamque citam sanitatem sibi redditam mirans obstupuit. c

Sanatur femina diu contracta. 64 Deinde quædam femina de territorio Bruggensi, nomine Obsendis, in lecto defertur, cui quindecim annis jam siccæ venæ nervique contracti ademere vires totius corporis. Nil roboris erat ei, non in manibus, non in pedibus humani tenoris firmitas, quippe cui permortua omnia mem-

A. DROGONE EX MS.

membrorum ossa habebantur. Verum sub celeritate sanitati restituitur, sana domum revertitur: quantumque valcat beata Virgo, eo in facto a cunctis agnoscitur.

Miracula multa silentio suppressa.

65 Hæc in eundo et redeundo provida dispensatione omnipotentis Dei peracta sunt. Nam et alia multa Rex gloriæ meritis Sanctæ virginis peregit eo in itinere, quæ omnino decrevimus tacere, ne quis fastidiosus superabundanti invideat materiæ. At nunc narrandum est unum, quod meritis beatæ Virginis dignata est operari misericordia Omnipotentis.

Contracta puellula pueri fratris consilio,

66 In villa Bergensi quidam vir erat, cui binam prolem natura dederat, qui unam masculini sexus integram corpore ac omnibus membris vigere gaudebat, alteram feminæ, artubus, membris totoque corpore contractam dolebat. Hanc itaque dira sors protinus ab ipso ortu nativitatis ligaverat, et disjunctis artuum compagibus, conjunctis etiam membris, ubi non debuerant conjungi, tenebat. Namque natibus calces habebantur adjuncti, sic ut viderentur unius conjunctionis aspicienti. Deinde omnia membra B minitabantur interitum, ut si adesses, non aliud, quam informem, turpemque materiam cerneres. Contigit itaque sexta feria, in qua gloriosissimæ crucis, ac salutiferæ passionis Domini celebris memoria recolitur, ut uterque parens ecclesiam adirent Missas audituri, simul etiam omnipotentem Dominum pro suis male admissis veniam exoraturi. Verum utraque proles jam dicta, una in lecto jacens ac dormiens remansit. Poterat autem puer, qui iutegri corporis erat, novennalis haberi, puella autem decem annos habebat. Quam dormientem frater excitavit, et hujusmodi verbis allocutus est : Dic mihi, mi misera soror, nihilne vales in membris? Num aliquantum progredi, num sine ope alterius teipsam aliquid quamvis parum serpens attrahere? Non, inquit, illa, nihil prorsus. Nam si hæc nostra domus incendio daretur, ego intus constituta minime quidem exirem, nisi aliorum manibus deportarer. At ille : Jam tempus est, surgamus.

concepto voto erigitur,

67 At illa subjiciens : Id quidem, ait, libens agerem, verum nequeo ; sed tuo adminiculato ad C id actum opus est. Igitur surgit, induit vestes. Tunc accingit se servitum suæ sorori. Cum jam et illa induta foret suis æque vestibus, frater charam germanam alloquitur hisce sermonibus : Ecce soror, sancta Lewinna exaudit multos se invocantes, plurima incommoda in melius commutat. Exeamus domo, hortum nostrum intremus, hanc piissimam oremus, ut tui misereatur. Credo equidem, aderit nobis, utrosque exaudiet, et solitum solamen, quemadmodum omnibus, nobis æque attribuet. Ego namque caussa tui usque dum vixero, hac in die caseo, butyro, ovis, hisque similibus vesci cavebo ; tu vero omni septima feria temet haud manducaturam carnes spondens promittito. Hoc itaque inter se firmato pacto, frater pro posse germanam post se trahit, hortulum intrant, versus templum Deum sanctamque Lewinnam adorant. Mira dicturus sum. Mox ibidem puella erigitur, et sine ope fratris domum intrat, quæ paulo ante attractu ejus misere serpens exierat. Verum dum parentes domum redeunt, filiam incolumem reperiunt. Exultant invicem magno tripudio. Et dum sciscitantur utrosque, quo modo sanitati sit restituta, hoc tantum D responsum audiere, quod sanctæ Lewinnæ interventu sanata sit. De voto autem quod inter se uterque sancivit, omnino ipsa hora tacuere, parentesque id voti latuit, donec una dierum, sexta feria scilicet, mater filio partem casei porrexit. Qui noluit accipere dicens : Haud esse sibi licitum illo die caseum comedere.

stupentibus insciis parentibus.

68 Tum denique primum mater animadvertit ; et illi interroganti, id propter scilicet se nolle caseum comedere die illo respondit. Id denique miraculi signum cum omnis villa celebraret, ad aures comitissæ Athalæ *d* venit. Quæ mulierem d cum utraque prole acciri præcepit. Et interrogans, omnia sic se habere cognovit. Sed et ego ipse, qui hæc qualiacumque sunt, cudo, dignam duxi inquisitum ire, et pro miraculo cœlitus facto gloriosum nomen omnipotentis Domini benedixi. Hujus rei testis est tota Bergensis villa, quin etiam ejusdem villæ omnis viciuia. Laus tibi Deus, qui linguas infantium facis disertas, et eorum corda imbre tui spiritus irroras. Demonstras enim quia tibi curæ sint parvuli, cum E et providere sibi, et sapere facis, quæ nimirum sunt adultæ ætatis. Ecce enim id actum est, vel propter meritum sanctæ Virginis, vel ut a tuis servis laudarere ; at ut magis divinum dogma parvipendentibus et minus intelligentibus venerationi habeatur.

Mulier ab æstu febrium liberatur Romæ.

69 Nonnulli mortalium Bergensis pagi, piæ religionis ardore tacti, quodam tempore Romam adiere, inter quos quædam mulier cum viro aggressa est idem iter, plena fide, et digna relatu, uti postea apparuit, devotione. Quæ cum ad eamdem urbem venisset, sospes et valens triduo ibi remansit. Verum, triduo transacto, nimia valetudine corporis gravari cœpit, æstu febris atteri, adeo ut jam videntibus, infortunium suæ valetudinis desperationi haberetur. Orabat adjutorem sui sanctum Petrum Apostolorum principem, quin etiam suffragia Sanctorum Bergensis monasterii, qui ibidem venerantur, precabatur, ut suæ infirmitati orationibus subvenirent. Hujusmodi affecta miseria subito post precatus, post lacrymarum ubertatem, paululum soporatur. Verum erat huic somnus corporis dormitio, sed cum hac F animi vera visio. Vidit equidem speciosi, et admodum reverendi vultus puellam astantem, sibique talia loquentem : Video quia gravaris nimia infirmitate, et valde periculosa, sed tui auxilio et saluti tuæ quibit fore mei sola consilii atque consultus caussa. Nuper delata sunt pignora meorum ossium, quæ Balgerus nomine, monachus ab Anglia detulit, et reposita cum libris in scrinio in crypta dedicata in honore sanctæ Trinitatis tenentur. Huic denique innituntur hi, et illi immundi, mihique contraria hujusmodi importunitas habetur.

ad S. Virginis, in visione colloquium:

70 Cum vero responsum infirma ederet, veniretque rogatum quæ hæc esset visio astantis puellæ, subjecit : Lewinna dicor virgo, et martyr ; et merui his, ut sim omnium supernorum concivis. Hac eadem hora, esto sana, esto modo testis tuæ sanitatis, eris etiam testis Dei virtutis, dum ad patriam, et ad tuum locum veneris. Vix id orama *e* astantis puellæ evanuit, cum e illa evigilans sese sanam sensit. Verum multis modis probat, utrum id quidem verum sit, modo

se

A se extendendo, in utrumque latus sese vertendo, nunc erigendo, nunc æque quidem iterum quiescendo. At mane facto, viro suo, tum suis sociis visionem retulit; puellæ nomen visæ sibi, et quia vocabatur Lewinna, edicit. Agnoscunt nomen Virginis et Martyris, et quia recens ab Anglia delata sit, confitentur; reddunt laudes Deo, majores vero ex corde illi quæ sanitatem suscepit. Ut domum rediit, mox et visionem, et infirmitatis incommodum, tum sanitatis indultæ opem, argumento comitantium declaravit. Mox siquidem loculus componebatur, quo sanctorum pignora ossium locarentur. Id miraculi signum pene primum fuit, postquam venerabilis Virgo ab Anglia delata fuit. Per omnia benedictus Deus, qui semper vivit et regnat, et Sanctos suos ubique gentium glorificat.

atque alia mulier morti vicina;

71 Quædam matrona, nuncupata Cilia, de territorio Bergensi, valida infirmitate tenebatur, in qua etiam æstus febrium dietim crescebat, et augebatur. Longæ valetudinis languor futuram jam jamque venientem mortem significat, immo præ-B sentis signi habetur indicium. Præparabantur exequiæ funeris, omnia quæ animæ matris familiæ saluti auxilioque possent esse prævidebantur. Os siquidem mutum, frigida membra præsentes desperare faciebant. Interim apparuit ei quædam puella, signum religionis capite ferens, scilicet velum, quo agnoscitur digna religio. At patiens in eam fixa lumina tenebat, quid dictura, quidve factura foret exspectans. Primum admovit leniter pectori manum, dein sic dulce submissoque ore locuta est: Virgo Lewinna et martyr tibi loquitur, admovet manum tuo pectori, te præsens auxilio juvat. Lumen candelæ para, hac me tuam adjutricem dona. Hæc dicens, quæ videbatur, discessit. At illa statim aperuit oculos, filiam vocavit, cui præcipiens talia dixit: Vade, curre, festina, et mihi defer ceram, quæ habetur in mea arca. Componendum est sanctæ Lewinnæ honori candelæ lumen, adeunda Virgo: nam me admonuit, ut id quidem agam. Filia vero quædam rerum agere festinabat, putans lethargum matrem pati: cum subito illa festina surrexit, cucurrit ad arcam, aperuit, candelam componit. Mira ve-C locitas! eodem die præceptum Virginis jubentis uti se vilitaret implet, narrat præsentibus visionem, indicat inopinam sanitatem. Tum, demum peractis votis gaudens, hilaris ac læta domum revertitur, tamen curat filiam, magis autem sui sollicita ac memor Virginis, cujus meritis meruit donum sospitatis.

item surda et muta miro plane modo.

72 Quidam æque quidem de territorio Bergensi natam habebat, verum surdam ac mutam a primordio nativitatis, quot horis dum præsentabatur visui illius dolebat. Hic denique haud infimus, nec ultimus quidem inter vicinos suos vivebat, nam sanguinis serie ducta a patribus pollebat, et substantia quamplurimum abundabat. Huic erat vicina vidua pauper. Sed quamquam minime quidem huic essent necessaria, tamen devotum animum gerens, ecclesiam quot diebus visitabat, atque nonnulla quæ virtutis habentur, quæque laudis sunt faciens, pro posse niti curabat. Apud plures hujusmodi minime videtur esse dignæ virtutis, sperant enim creduntque, quia infortunio egestatis premitur sustentari possit aliquorum levamine, idcirco quadam simulatione id faciebat. Verum inspicit Deus cor humanum, mortalis vero faciem videt. Huic tali in visione sancta Lewinna apparuit: Vade, inquit, ad hanc tuam vicinam, matrem puellæ patientis surditatem aurium, osque mutum, et tale quid orationis illi profer: Sancta Lewinna monet te, ut filiam tuam ducas ad illam, et sanitatem recipiat. Venit illa mane facto, visionem indicat, et præceptum Martyris; illa autem confestim viro. At ille, inquit: Nil hujus rei est. Indiget plurimum aliquo de quo vult habere, et idcirco talia componit. Si credimus hujus deceptioni, crimus omnibus derisioni. Postea iterum pauperi viduæ Sancta supradicta apparuit, submonens manifeste eadem quæ supra. Mox illa rursus indicavit matri puellæ. At illa minime quidem id viro indicavit; sed confestim duos equos stravit unum sibi, alterum filiæ. Dum appropinquarent monasterio vespertina synaxis pulsabatur. Mira dicturus sum. Eadem hora antequam accederent monasterium, E puella audiens campanam locuta est matri: Mi pia mater, dic mihi, quid sit, quod audio. Eo in loco tunc primum audivit, locuta est. Hæc audiens mater lætatur; sanctam Virginem primum munere donat, post læta domum revertitur. Adhuc superstes, et sanitatem puellæ et visiones viduæ prædicat. Hæc pauca de multis decoloratus vitiis, rustico stylo compinxi, et verbosior f fortassis, quam debui, fui. Pia Virgo mihi, oro, veniam scelerum impetra, quam in sinu suo cœlestis continet gloria.

A. Drogone ex ms.

ANNOTATA.

a *Puta Burgum, ut vocant, Brugensem, in civitatis meditullio situm: ubi et templum S. Donatiani, hodie Cathedrale, unde clerus sacris reliquiis obviam progressus sit.*

b *Hodie, opinor,* Dudzeele, *medio ferme inter Brugas et mare itinere, quo recta pergitur ut veniatur in antiquum cœnobium Tosanum (Doest) inde in* F *villam sequenti numero signatam, nempe* Lieswege, *superius nominato pago* Uytkercke *vicinam: unde colligas, eadem verosimiliter, qua antea venerant, via, monachos Thaumaturgam suam Bergas reportasse; nullo deinceps a Drogone servato narrationis ordine.*

c *Lege* Lieswege, *ut jam dictum est.*

d *Recte observat Mabillonius, Athelam hic indicari, Balduini pii uxorem, quæ post mariti obitum, ab Alexandro II Papa velata, in monasterio Meseniensi, quod erexerat, cum sacris virginibus piam vitam exegit.*

e *Deerat in Ms. nostro, quod amanuensis vocem illam non intelligeret; supplevi ex alio codice et ex edito, ubi male* oroma *pro* ὅραμα, *visum vel visio.*

f *Recte fatetur, nonnulla hinc inde rustice dicta et compacta; verum ea sigillatim observare visum non est, ubi mens scriptoris intelligi potuit: de verbositate alibi diximus.*

DE

A D

DE S. SEGOLENA VIDUA

G. C.

ALBIGÆ IN OCCITANIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sanctæ cultus, virginitas, distinctio, ætas, et Acta examinantur.

SECULO VII AUT VIII

B

S. Segolena colitur Albigæ in Occitania,

Albia seu Albiga, nunc archiepiscopalis Galliæ civitas, de qua in Commentario prævio ad Acta S. Eugenii die XIII *Julii egi, hodie Officio proprio veneratur* S. Segolenam *vel* Sigolenam, *quæ eam urbem suis natalibus ac postea sacris exuviis decoravit. Nihil hic moror Tamayum, qui in suo Martyrologio Hispanico ad diem* XXIII *Julii eamdem Sanctam, mutato parum nomine, Hispanam facit, et in urbe Albugensi diœcesis Zamorensis floruisse asserit. Hauserat hoc figmentum ex pseudo-Luitprando, cujus interpres, seu potius commentor, in notis ad istius pseudographi Chronicon, Antverpiæ anno* 1640 *editum, pag.* 425, *num.* 285 *fabulam exornavit sequentibus verbis :* Anno DCCCXXXVI in territorio Zamorensi, oppido Albugensi, vulgo Albugela (est Latine Albucella Antonino, et Albocella Ptolemæo in Vaccæis) floret S. Sæculina virgo, abbatissa, ut credo, Ordinis Benedictini, cujus memoria est in Martyrologio Hispano, et in Breviario membranaceo sanctæ ecclesiæ Abulensis XXIII Julii, celebratur festum simplex de ea. *Deinde ex membranaceo Breviario Abulensis ecclesiæ, si lubet credere, refert sequentem Lectionem, quæ est Actorum nostrorum compendium :* Sancta Sæculina ex urbe Albugensi, claris natalibus orta, nobili viro, cui matrimonio juncta fuerat, ut continentiam sectaretur, Deo

C

precibus annuente, persuasit. Quo ex hac luce subtracto, monasticam vitam eligens, cœnobium ingressa, quod pater exstruxerat, cum pluribus feminis, jejuniis et orationibus vacans, Deo humiliter deserviebat ; ubi post plurima signa, congregatis sororibus, datoque eis pacis osculo, migravit ad Christum. *At directorium Abulense, quod habemus, nullam de hac Sancta facit mentionem. Sic nempe fabulatores illi ex quadam nominis affinitate, quæ inter Albigensem et Albugensem civitatem occurrit, arripuerunt occasionem multiplicandi Sanctos patriæ suæ, et incautis lectoribus imponere voluerunt. Sed non est operæ pretium pluribus refellere hanc fictionem, quæ per decursum ex testimonio auctoris coævi sponte corruet.*

ubi natam constat,

2 *De patria ejus auctor Sanctæ synchronus in Actis num.* 4 *ita testatur :* Igitur beatissima Segolena fuit ex urbe Albiensium natalibus nobilis, religione nobilior. *De reliquiarum translatione Mabillonius seculo tertio Sanctorum Ordinis Benedictini parte* 2, *pag.* 550 *ad illius Acta hæc notavit :* Postea in urbem Albigam S. Segolenæ corpus translatum est, et in theca argentea impositum majori altari ecclesiæ cathedralis, in qua post S. Cæciliam, patronam præcipuam, S. Segolena una ex quinque sanctis Albigensibus præcipuo cultu honoratur. Duos habet vicos sui nominis infra Albigam utrumque fere ad Ternum. Sunt autem hi sancti Albigenses : Salvus episcopus, Amarandus miles, Segolena vidua et sanctimonialis, Carissima virgo, et Matriana sanctimonialis, uti ab humanissimo viro domino Arquier ejus ecclesiæ canonico litteris accepi. *Non invenio, quo tempore hæc translatio facta sit. Saltem in titulo (nescio, an is ab ipso Vitæ auctore scriptus sit) Actorum, quæ Labbeus noster ex Ms. Moisacensi edidit, leguntur sequentia :* Vita S. Segolenæ abbatissæ, cujus corpus in pago Albiensium quiescit, et est transitus IX Kalend. Augusti. *Videtur hic pagus Albiensium designare antiquum sepulturæ locum, de quo postmodum pauca dicemus.*

E

3 *Quamvis Mabillonius in observationibus præviis ad Vitam S. Segolenæ num.* 2 *dicat, memoriam hujus Sanctæ in nullis veterum Martyrologiis celebrari, tamen in annalibus Benedictinis tomo* I, *pag.* 607 *ipsemet citat Martyrologium monasterii Senoniensis, ab annis quingentis scriptum, in quo hæc haberi testatur :* IX Kalendas Augusti, in civitate Mettensi S. Segolenæ virginis. *Huic ego addo ex Usuardo nostro illustrato codicem Montis sancti seu sancti Romarici in Lotharingia, qui* XXIV *Julii sic habet :* Natalis S. Segolenæ Deo sacratæ. *Præterea Florarium nostrum Ms. hoc die sic eam fusius annuntiat :* Eodem die sanctæ Segelenæ viduæ. Hæc primo viro nupta est, et post ab eo liberata monasterium introivit, ubi multis virtutibus et miraculis claruit, et inter cetera duos leprosos mundavit. *Grevenus in additionibus Usuardinis etiam mentionem facit* Segelenæ viduæ. *Saussayus in supplemento Martyrologii Gallicani pag.* 1150 *more suo prolixius ei elogium concinnavit :* In agro Albiensi, *inquit,* felix ad superna migratio sanctæ Segolinæ virginis et abbatissæ. Hæc anno ætatis duodecimo Gisbaldo cuidam nupta, at Dei gratia a jugo maritali (ad Agni cœlestis ut perveniret nuptias) mature erepta, in loco Troglaris nuncupato, monasterium suis ex facultatibus ædificavit, adlectisque in societatem plerisque ingenuis puellis, sic exemplis et documentis præluxit, ut sub ejus ductu, eam ad castimoniæ et pietatis perfectionem conscenderent, qua et Ecclesiæ augebant decorem, et sibi aditum parabant ad supernam gloriam, ad quam Segolena, quæ has ad omnem religionem efformaverat, spirituali fœcunda fructu castæ sobolis et sanctæ operationis, dignanter a cœlesti sponso invitata, demum lætabunda properavit.

et Metis in Lotharingia, ut testantur Martyrologia ;

F

sed cum Albigensis non videatur mansisse virgo,

4 *Cum Martyrologium Senoniense* S. Segolenam *titulo* virginis *condecoret, et alia eam nomine* viduæ *tantum appellent, quæri posset, an Sancta nostra virginitatem in conjugio servaverit. Respondeo, hanc*

quæ-

AUCTORE G. C.

A *quæstionem ex ejus Actis liquido solvi non posse, etsi aliquo modo innuant, eam virginibus non esse annumerandam : Sancta enim num.* 5 *maritum sic alloquitur :* O tu vir adolescentiæ flammis exæstuans omnes facultates meas suscipe ; tantum ut corpus meum liberum efficias, ut perficiam, quod est secundum desiderium meum. *Cui ille ita respondet :* Adhuc paulisper sustine, et cum voluntas Dei fuerit, ita postea fiet. *Quibus coævus Vitæ scriptor hæc subdit :* Et cum ipse, sancto illustrante Spiritu, firmum propositum et tam mirabilem et SUBITAM CONVERSIONEM frequenter in ea regnare reperisset, gratulans de ejus excellenti desiderio, sciens hanc esse MUTATIONEM dexteræ Excelsi, ait : Manus Domini, qui potens est, dirigat omnem actum tuum in bono. *Adde quod Breviarium Albigense talem de ea Collectam recitandam præscribat :* Omnipotens sempiterne Deus, qui beatam Sigolenam post casti conjugii copulam virtute continentiæ, ac miraculorum floribus decorasti, etc. *Etsi non contendam, ex his omnibus certam virginitatis amissionem inferri, tamen probabilius* B *judico,* S. Segolenam *tantummodo post consummatum matrimonium, ut theologi loquuntur, istud continentiæ desiderium concepisse. Hinc etiam mihi suboritur dubium, an Metenses in Lotharingia et Albigenses in Occitania eamdem* S. Segolenam *colant, quod nunc eruditis discutiendum proponam.*

et Metenses virginem colant, et suæ Segolenæ aliam consanguinitatem tribuant,

5 *Meurissius episcopus Madaurensis in historia Gallica episcoporum Metensium lib.* 2, *pag* 86 *ex quodam antiquo Ms. profert sequentia :* Quartus frater Gamardus genuit Godinum, patrem sanctæ Segolenæ virginis, et sanctum Goericum, qui prius in Aquitania regiam obtinuit dignitatem, et post in Metensi urbe pontificalem. *Bouchetus in probationibus, quas producit pro vera origine regiæ familiæ Francicæ, ex Ms. Metensi S. Vincentii pag.* 28 *idem aut simile monumentum exhibet his verbis :* Quartus frater Gamardus, qui cognominatus est Babo, genuit Godinum, patrem sanctæ Segolenæ virginis et Dodanæ et Dodolinanæ et sancti Goerici, *etc. Marcus Antonius Dominicius in Ansberti familia rediviva cap.* 7 *hanc genealogiam mordicus tuetur ; sed Cantarellus Faber aliique genealogi illam explodunt, et non con-* C *venientia Metensium monumenta fictionis arguunt. Non est nostrum lites hujusmodi dirimere. At suspicor, a Metensibus (si vera sunt citata eorum monumenta) non coli nostram* S. Segolenam, *quæ patrem Chramsicum et Sigibaldum episcopum ac Badonem Albiensium ducem fratres habuit, uti synchronus ejus Vitæ auctor testatur. Profecto hæc consanguineorum nomina nimium differunt ab iis, quæ Metenses proferunt, ut ejusdem Sanctæ parentes ac fratres credantur. Accidit, quod vetus Martyrologium Senoniensis monasterii (id in Lotharingia conditum est) dicat, Metis celebrari festum* sanctæ Segolenæ virginis, *qualis nostra non videtur fuisse. Si qui hos mihi scrupulos exemerit, libenter suspicionem meam deponam.*

contra Mabillonii conjecturam dubitatur,

6 *Neque dubium meum omnino solvit conjectura Mabillonii, qui in Annalibus Benedictinis tomo* 1, *pag.* 607 *ita ratiocinatur :* Exstat Divoduri Mediomatricum *(sic olim civitas Metensis appellabatur)* elegantissima sub titulo sanctæ Segolenæ ecclesia parœcialis, qua ex re vehemens mihi suspicio injicitur, num Sigobaldus seu Sigivaldus episcopus, Segolenæ frater, idem sit cum Sigibaldo Mettensi episcopo, qui seculo proximo ineunte floruit, idemque auctor seu posteris occasio fuerit ædificandæ in illa urbe ecclesiæ in honorem sanctæ Segolenæ. Sane hanc ecclesiam non alteri, quam Segolenæ Albigensi nuncupatam esse hinc patet, quod eodem die colitur jam dudum in Mettensi atque in Albigensi ecclesia. *Sed magis verosimile est, quod Mabillonius in observationibus præviis ad Vitam* S. Segolenæ *num.* 4 *dixerat, et quo hanc conjecturam suam jam antea sic everterat :* Cujus sedis episcopus fuerit Sigebaldus, ignoratur. Sigebaldus Mettensis episcopus ab anno fere DCCXVIII ad XLII generosis ortus natalibus dicitur ; verum a pago Albigensi remotior est civitas Mediomatricum, quam ut Sigibaldus Mettensis, podagræ alioqui dolore impeditus, sororem in pago Albigensi demorantem invisere potuisset tam sæpe, quam id de Sigilbado Segolenæ fratre scribitur, *nempe in ejus Vita ab auctore coævo composita. Hic Mabillonium cum Mabillonio disputare sino, et illius ratiocinium, in Annalibus Benedictinis propositum, aliis argumentis impugno.* E

an Albigæ et Metis eadem Sancta honoretur,

7 *Si sic ex sola nominis similitudine conjectare liceat, eodem jure ego dicam, hunc Sigibaldum fuisse præsulem Narbonensem aut Sagiensem, quia similis appellationis antistes illis diœcesibus præfuisse leguntur. Imo suspicabor, ab ipso gubernatam fuisse quamdam cathedram Albiæ vicinam, ubi in episcoporum catalogis magni hiatus occurrunt. Quod autem ad annuum festivitatis diem spectat, is non adeo fixus est, quin in Kalendario Ms. Carcassonensi, ad diem* XXV *Julii, hæc Sancta colatur, ut ipse Mabillonius tomo* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 608 *fatetur. Hisce adjungo verba Lahierii nostri, qui anno* 1642 *ad Bollandum nostrum ita scripsit :* Ad S. Segolenam abbatissam quod attinet, certe nominatur virgo in ea Vita, quam Metis olim legi, desumpta ex Lectionibus Officii. Habet ibi parochiam unam ex præcipuis civitatis.. , Legi alicubi, eam sororem fuisse, vel certe neptem ex fratre, S. Goërici proregis Aquitaniæ, ac postea Metensis episcopi post S. Arnulphum consanguineum. Habeo in chartulis, festum ejus celebrari die XX Augusti, quamvis Rosweydus in Fastis et Saussayus habeant XXIV Julii. *Igitur vides, ex annuo cultus die non posse certum pro* F *identitate Sanctæ argumentum deduci.*

quæ tamen Albigensis a Lemovicensi et Claromontana non videtur distinguenda.

8 *Colitur etiam* S. Segolena *in diœcesi Lemovicensi : nam Gaufredus Prior Vosiensis apud Mabillonium in observationibus præviis num.* 1 *agens* de Sanctis in diœcesi Lemovicensi clarioribus, *hæc habet :* Ecclesia, quæ vocatur monasterium Leolenum, et quædam aliæ Maximum, Sigulenam atque Sagittarium habere se fantur. *Savaronus vero in Originibus Claromontanis lib.* 2, *cap.* 9 *ex antiquo auctore anonymo hæc profert :* In monasterio Rubiacense altare sanctæ Mariæ, altare S. Segolenæ, *etc. Saussayus in indice alphabetico Martyrologii Gallicani videtur* S. Segolenam *Claromontanam ab Albiensi distinguere, dum in eo sic scribit :* Segolena virgo culta Arvernis. *Et mox infra :* Segolena Albiensis virgo abbatissa. *Præterea in appendice tomo* 2, *pag.* 1231 *de Claromontana ita loquitur :* S. Segolena colitur Claromonte Arvernorum in ecclesia monastica Rubiacensi, ubi altare habet suæ commemorationi sacrum. *Jam autem antea in Supplemento tomo* 2, *pag.* 1150

AUCTORE G. C.

1150 *de* S. Segolena *Albiensi aliud texuerat elogium, quod nos supra num.* 3 *ex ipso transcripsimus. Nescio, unde Saussayus didicerit, hanc utramque* Segolenam *fuisse virginem, et unam ab altera esse distinguendam. Potius ego crederem,* S. Segolenam *Claromontanam, Lemovicensem, ac Albiensem unam eamdemque esse : tum quod ea loca non sint adeo a se invicem remota ; tum quod hæc Sancta nullibi in antiquis monumentis virgo appelletur. Nihil tamen definio, cum nomen* Segolenæ *pluribus feminis potuerit esse commune, uti patet ex testamento Anseberti episcopi, quod Mabillonius tomo* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 703 *exhibet, ubi prædictus præsul de sua germana Sigolina meminit.*

Ætas illius incerta est,

9. *Mabillonius in observationibus præviis ad Vitam* S. Segolenæ *num.* 4 *fatetur, non facile definiri posse, quo tempore illa Sancta vixerit, cum de ætate personarum, quæ in ejus Actis memorantur, non possit ferri certa sententia. Unde miror, quod in Actis Sanctorum Ordinis Benedicti seculo tertio parte* 2, *pag.* 540 *eam vago modo ad seculum octavum* B *referat, et postea in Annalibus Benedictinis tom* 1, *pag.* 606 *ad annum* 696 *ejus gesta narret. Etiam ignoro, unde Dionysius Sammarthanus hauserit notitiam, quam tomo* 1 *Galliæ Christianæ col.* 48 *ita inseruit :* S. Segolena, prima Troclarensis abbatissa, floruit circa annum DCCLXX ; obiit vero XXIV Julii, qui apud Albigenses celebris est. *Cum itaque mihi persuadeam, hos viros eruditos non omnino temere hoc tempus signasse, ac interim nihil certi invenire potuerim, initio, hujus Commentarii prævii seculum* VII *vel* VIII *ad marginem notavi. Id igitur potius feci ex aliorum fide, quam ex mea sententia, facile ab iis discessurus, si quis certiorem ætatem alicunde eruerit. Jam de scriptore Vitæ ipsisque Actis aliqua præmonenda supersunt.*

quamvis auctor synchronus scripserit ejus Acta,

10 *Anonymus auctor, qui gesta* S. Segolenæ *litteris mandavit, non tantum fuit Sanctæ synchronus, sed etiam familiaris, ut ex prologo colligitur. Suspicor, illum fuisse monachum Troclarensem, quia in editione Mabilloniana Sanctam semel* matrem nostram *appellat, et in editione Labbeana inter seriem capitulorum habet cap.* 24 *:* De monacho quodam de monasterio nostro. *Sed quiscumque demum is scriptor fuerit :* C Troclarense monasterium duplex erat, *inquit Dionysius Sammarthanus loco proxime citato,* id est virorum et mulierum. Virorum cœnobium non longe a loco, ubi habitabant moniales, abbatem habuit Evancium. Feminarum, quod præcipuum erat, conditur in pago Albigensi in loco amœno ad Tarnum fluvium a Chramlico, S. Segolenæ patre, seu a S. Segolena, quæ non paucas virgines ibidem congregavit. *Porro Mabillonius in observationibus præviis num.* 5 *de situ hujus cœnobii ita argumentatur :* Monasterii Troclarensis, a Segolena conditi, locus æque obscurus ; ejus tamen situm conjicimus ex loco INSULA dicto, quo sanctimonialium cadavera humanda deferebantur : quippe antiquitus non in ipsis cœnobiorum claustris, sed extra, mortuorum corpora sepeliri mos erat. Atqui visitur etiam nunc INSULA oppidum ad Tarnum fluvium octava fere leuca infra Albigam, et in adversa fluminis ripa vicus S. Martini, quo in loco (ut verisimile est) conditum erat Troclarense parthenium, cujus oratorium sancto Martino, ecclesia beatæ Mariæ sacrata erat ex capitibus 18 et 22. Paschalis Papa secundus in litteris concessis Otoni abbati monasterii sancti Victoris apud Massiliam conditi, inter alia memorat CELLAM SANCTÆ SEGOLENÆ IN DIŒCESI ALBIGENSI, quo nomine forsan intelligit LA GRAVE Baroniæ titulum, cujus loci ecclesia hactenus sanctæ Segolenæ nuncupata est. *De situ horum locorum iterum pauca in annotatis observabimus.* D

11 *Acta* S. Segolenæ *primus, ni fallor, ex Ms. codice Moisacensis monasterii edidit Labbeus noster, eaque in appendice post tomum secundum novæ Bibliothecæ manuscriptorum librorum collocavit. Deinde Mabillonius eadem* ex Ms. codice Moisacensi et Bibliotheca Labbeana, *ut in titulo affirmat, Actis Sanctorum Ordinis Benedictini seculo tertio, parte* 2 *a pag.* 540 *inseruit, et observationibus præviis illustravit. Papebrochius noster illa etiam descripsit ex Ms. Moisacensi, quod ipsi R. D. Claudius Jolius canonicus Parisiensis communicaverat. Sed cum ex eodem fonte sua hauserit Labbeus, nullum aut exiguum inter ea exemplaria potest occurrere discrimen (in uno* Sigolena, *in altero* Siggolena *scribitur) ita ut non sit opus illa studiose inter se conferre. Habemus præterea Vitam* S. Segolenæ *in Ms. Trevirensi* E *S. Maximini, quam compilator quidam ex ecgrapho Moisacensi videtur contraxisse : nam deest prologus, et circa finem nonnulla omittuntur ; reliqua vero iisdem fere verbis narrantur. Cum agitur hæc omnia Actorum exemplaria ex eodem fonte prodeant, nos ea recudemus ex Mabillonio, qui videtur illa iterum cum Ms. Moisacensi contulisse. Sicubi tamen aliqua notatu digna differentia occurrerit, illam variantibus Mabillonii lectionibus in margine addemus. Præmittimus autem, finito prologo, antiquum ordinem capitulorum, quæ nos more nostro in plures numeros et pauciora capita dividemus.*

quorum aliquot exemplaria tum impressa tum Mss. habemus.

VITA

AUCTORE ANONYMO COÆVO.

Ex Actis Sanctorum Ordinis Benedictini a Mabillonio editis seculo tertio, parte 2, *a pag.* 541, *quæ cum editione Labbeana collata est.* F

PROLOGUS.

Sæpius mente devota, reverenda mihi sacrataque Christo Aliphia *a*, cum choro sodalium monacharum tibi commisso, imperitiæ meæ imperatis, ut almæ Matris nostræ * Segolenæ, meo studerem stylo texere gesta. Nefas tamen esse credo, si tam sancto desiderio minime paream. Quæso ergo, ut conatum meum vestris orationibus juvetis. Igitur Deo juvante, qui dixit : Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis ; aggrediar implere quod postulastis. Et multa quidem ipsius Beatissimæ mihi narratione comperta, et a memetipso visa *b* ; nonnulla etiam venerabilium sororum discipularum suarum, quæ ei ab adolescentia servierunt, relatione prolata didici in hoc opere.

Auctor asserit, se Sanctæ synchronum esse, a

* Labbeus vestræ

b

2

2 Et ut legentibus fastidium amputarem, studui sub compendio brevitatis, rustico quidem sermone, de virtutibus prædictæ * Dei famulæ pauca de plurimis narrans, multis cognitam reddere veritatem ; et si minus expleta utiliter fuerint, quæ præcepistis, meam potius difficultatem, quam inobedientiam accusetis. Ecce, ut jussistis, habetis exiguam dictationem *. Nunc igitur vivendo sequi quisque appetat, quod legendo scire festinat. Dignitatem igitur vestram obsecro, ut cum semel legeritis, judicio peritorum decorentur * c, ut apta legentibus fiant.

et breviter ejus gesta conscripsisse.

* *Labbeus addit* sanctæ

* *Labbeus* dictionem

* *alias* deponantur

c

ANNOTATA.

a *Dionysius Sammarthanus tomo* I *Galliæ Christianæ col.* 48 *asserit, hanc fuisse secundam abbatissam Troclarensem, ac* S. Segolenæ *successisse. Sed id tantum collegit ex hisce Actis, et certum regiminis tempus non assignat.*

B

b *Hinc patet, auctorem Sanctæ nostræ non tantum synchronum, sed etiam familiarem fuisse, ut dixi in Commentario prævio num.* 10.

c *Puto, scriptorem hac phrasi velle, ut Acta doctorum virorum judicio subjiciantur, et eorum testimonio confirmentur.*

INCIPIUNT CAPITULA.

Caput I. De habitu seculari vel conversatione.
II De eleemosynis.
III De locis Sanctorum.
IV De officio vel vigiliis.
V De admonitione suæ salutis.
VI De proposito castitatis.
VII De transitu viri sui.
VIII De consecratione ejus.
IX De renuntiatione mundi.
X De responsione patris.
XI De ingressione * monasterii.
XII De retrusione * ejus.
XIII De jejunio vel abstinentia.
XIV De officiis monasterii *.
XV De miraculis, vel leprosis curatis.
XVI De clerico dæmoniaco liberato.
XVII De quadam Sanctimoniali a dæmonio liberata.
XVIII De quadam puella ab inimici invasione liberata.
XIX De ancillis monasterii a dæmone liberatis.
XX De monacha a dæmonio liberata.
XXI De quadam femina a dæmonio liberata.
XXII De ejus germani visitatione.
XXIII De notitia divinitus deleta.
XXIV De monacho qui de monasterio * discedere voluit.
XXV De puero a dæmonio liberato.
XXVI De Transimundo presbytero.
XXVII De puerulo illuminato.
XXVIII De quadam sanctimoniali illuminata.
XXIX De quadam puella contracta et sanata.
XXX De ejus appropinquante transitu.
XXXI De exhortatione suis virginibus.
XXXII De felici ejus transitu.
XXXIII De exuberatione olei.

* *Labbeus* de ingressu

* *Labbeus* de resurrectione

* *Labbeus* monasterialibus

* *Labbeus* de monacho quodam de monasterio nostro.

EX IMPRESSIS.

CAPUT I.

Sanctæ vita per dcccm circiter annos in conjugio acta.

Ad conversionem seu correctionem mortalium multum prosunt exempla bonorum, quibus ædificatur homo varias consectari virtutes. Si enim ad boni incitamentum divina, quibus admonemur, præcepta deessent; pro lege nobis Sanctorum exempla sufficerent. Hoc a seculis egit Rex * auctor æternus, ut famulorum suorum famularumque famam commendaret perennem, et ut futuris temporibus exempla illorum memoriæ commendando ventura soboles glorietur. Igitur quoniam tantæ matris * Segolenæ adgredimur texere gesta, erit nostrorum arbiter dictorum, virtutum Largitor immensus, qui ei munera vitæ perennis gratia sua largitus est. E

CAPUT I

Scriptor pauca præfatus

* *Labbeus* rerum

* *Labbeus addit* nostræ

4 Igitur beatissima Segolena fuit ex urbe Albiensium natalibus nobilis, religione nobilior : quæ cum suis parentibus brevi commanens tempore, et ab ipsis infantiæ rudimentis studiosis laboribus operibusque pro sexu instituta, juncta est matrimonio annorum circiter duodecim *; sublimemque genere, divitiis atque moribus Gislulfum nomine sortitur jugalem. Nubit ergo terreno homini, nec tamen separatur a Rege cœlesti : plus participatur a Christo, quam sociata * conjugio; subdita Deo, semper monita sectans sacerdotum; timens ne a Domino degradaretur, cum mundi gradu proficeret a.

narrat Sanctæ matrimonium,

* *id est* duodecennis

* *Labbeus* plus participatur Christo quam sociatur conjugio.

a

5 Transeunte igitur spatio temporis, jam felicissima pro caritate Dei, quam prætulerat amori carnis, quam * ex toto odiens, fervens spiritu desiderabat placere Deo; ait ad virum suum : O tu vir adolescentiæ flammis exæstuans, omnes facultates meas suscipe : tantum ut corpus meum liberum efficias, ut perficiam, quod est secundum desiderium meum. Et ille : Adhuc paulisper sustine *, et cum voluntas Dei fuerit, ita postea fiet. Et cum ipse, sancto illustrante Spiritu, firmum propositum et tam mirabilem et subitam conversionem frequenter in ea regnare reperisset; gratulans de ejus excellenti desiderio, sciens, hanc esse mutationem dexteræ Excelsi, ait : Manus Domini, qui potens est, dirigat omnem actuum tuum in bono; age ergo quod agis, operare quod operaris. At illa gaudens, ab eodem talem se percepisse licentiam, quod jam ex multo tempore valde cupiebat et desiderabat pro conservando continentiæ proposito, glorificavit omnipotentem Dominum b.

et continentiæ desiderium,

* *Labbeus* mundum

* *Labbeus* sustinere

F

b

6 Ex illo namque tempore sciens eleemosynis cœlorum regna posse mercari, se sua cum facultate eleemosynæ dedicavit, apud quam nec egeni vox inaniter sonuit. Sæpe donans indumenta, membra Christi se tegere * sub inopis veste credens : hoc reputans se perdere, quidquid pauperi non dedisset. Tendens adhuc * animum ad opus misericordiæ infirmos visitabat, peregrinos advenientes gaudens suscipiebat, in itinere sumptus administrabat, pauperibus gaudens dispensabat, ut læta diceret : Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in æternum *.

II

et enumerat opera misericordiæ,

* *Labbeus* degere *pro* se tegere

* *Labbeus* ad hoc

* *Labbeus* in seculum seculi

7 Quid

EX IMPRESSIS.

III *aliaque pietatis exercitia, quibus vacabat.* * *Labbeus* exempla

7 Quid beatissima egerit circa Sanctorum templa *, quæ eloquentia suppleat? Quis sermo explicet, quam se munificam ea monstravit erga ecclesiam c? Vestibus et ornamento, quod clariore solebat ferre cultu in seculo, sacra componebat altaria; deinde quod supererat, monasteriis dispensabat. Erat enim vera Domini cultrix, (c) et necesse erat, ut quam Deus perfuderat gratia, (IV) ab omnibus amaretur. Christo igitur quotidie sedulum exhibebat officium; et si sederet in prandio excubans [prope] jugalem, casu aliquo, ut Deo redderet debitum, se subducebat convivio, quidquid ferret, leve reputans, tantum ne Christo vilesceret.

V *et monita salutis quæ avide excipiebat.* * *Labbeus* spiritualiter * *Labbeus* salvare

8 Quodam tempore adveniente quodam Fratre in urbe jam dicta, religiosa gratulatione Beatissima cum reverentia, ut patrem suscepit spiritualem. Et cum pollens esset ingenio, statim peculiariter * ab eo requirit, dicens: Animam meam servare * volo; doce me, obsecro, viam justitiæ. Et ille: In divina potestate consistit, cui velit Deus doctrinæ verbum dare. Potens et (B) clemens Deus verum et magnum in animo tuo posuit desiderium, qui solus potens est perseverantes innovare perenniter et beatificare. Igitur qui secundum Deum vult vivere, non quod ei * carnaliter delectat, sed quod spiritualiter ædificat, facit; et quidquid cupit *, aut agit, non vult ex sua, sed ex Dei sui voluntate procedere totis viribus concupiscit. Illa in timore Christi dedita, (VI) nempe Spiritu sancto plena, credens sibi a Domino impetrare optimam * virtutem continentiæ, ait: Scio, pater, quia a Deo continentiæ virtus datur; nostrum vero est petere, suum est concedere *. Ipse Dominus dixit: Petite et accipietis.

* *lege* cum
* *Labbeus* cœpit
* *Labbeus* opportunam
* *Labbeus* concredere

ANNOTATA.

a *Auctor hic imitatus est phrasin Fortunati, qui eadem fere de S. Radegunde vidua narrat, quod etiam alibi non raro facit.*

b *In Commentario prævio num. 4 ex hoc loquendi modo collegi,* S. Segolenam *non servasse virginitatem. Existimo, hanc opinionem futuram probabiliorem ei, qui totum hunc numerum Actorum attente expenderit.* (C)

c *In editione Labbeana hic sensus ita legitur:* Quid Beatissima egerit circa Sanctorum exempla, quæ eloquentia suppleat? Qui sermo explicet? Quam se monstravit munificam, e vestibus et ornamento, quod clariore solebat cultu ferre in seculo, sacra componebat altaria, *etc.*

CAPUT II.

Vita ejus religiosa post mortem mariti.

VII *Mortuo marito,* * *Labbeus* propinquum

Nec longo post tempore vir ejus defunctus est. Plangunt servi dominum, affines proximum *: tota quippe domus erat in luctu. Illa autem Beatissima sepelivit eum diligentissima sepultura. Fuit Sancta subdita viro annos circiter decem: de cujus obitu quia * graviter contristabatur, consolabatur a parentibus, et ipsa dicebat illis: Nullo modo consolabor, nisi permiseritis, me omnem solicitudinem contemnere secularem. Illi non causæ religionis insistunt, sed denuo conjugii jura solicitant, ut cum ipsa postmodum temporaliter gloriarentur. Erat interea jurgium inter sanctum propositum Dei Famulæ et parentum secularem conflictum. Elegit venerabilis Segolena potius monasticam ducere vitam, quam in propria domo vivere cum periculo castitatis. Parentes ejus cum se jam victos cernerent, nec possent resistere suæ proposito voluntatis; volentes nolentesque, cui obsistere non poterant, sancto ejus desiderio, abdicata propria voluntate, satisfaciunt. Exultavit autem Sancta gaudio magno de consensione parentum, et sic in omnibus libera effecta, gratias agebat Domino.

D * *Labbeus* quasi

10 Eo sub tempore directam legationem ad Pontificem prædictæ urbis sui miserunt parentes, ut ipsam, mutata veste, Domino consecraret. Qui eorum agnita voluntate, manu superposita consecravit diaconam *a*. At vero cum Dei Famula largita sibi a Pontifice benedictione, domum remeasset, cœpit peregrinationem desiderare, memor illius Dominici imperii ad Abraham: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et vade in terram, quam monstravero tibi. Mox religiosissima cum lacrymis inclinatur ad genua patris sui, divino cultui dediti, nomine Chramsici *b*, accensaque sancta desiderio his verbis alloquitur: Gloriam hujus seculi, quæ sicut flos fœni transit, et falsas mundi divitias pro amore regni cœlestis, inspirante Domino nostro Jesu Christo, qui omne bonum tribuit, delibero contemnere juxta dictum sancti Euangelii, seculoque renuntiare, et jugum Christi ferre, quod ferentibus leve est, cupio, et liberari de seculi compedibus. Divinitus * namque adjuta conniventia parentum et vestro permissu, sociare me in sancto ovili cum sacratis Deo virginibus et ab omni inquietudine seculi absolutis decrevi, ubicumque * potuero, rectius Dei servare mandata.

VIII *fit diacona, et patrem suum ita movet,* E IX a b * *Labbeus omittit* divinitus * *Labbeus interponit* reperire

11 Audiens hæc pater ejus, mirari cœpit iguitum igne Domini desiderium ejus et cordis ardorem *, et conjungitur * corde. Ipse vero cum esset senex, de suavi ejus eloquio et visione sui animo non satiabatur, et propter sanctum propositum ejus flendi præ gaudio fiebat necessitas. Et subito subintrat ei deifica inspiratio, ut suo opere cum fidei gratia cœnobium, ubi ipsa degeret, loco amœnissimo in prædio suo cognomento Troclaris * *c* construeret. Quod ita Domino providente et juvante factum est. Et consolabatur eam paterna affectione et hortabatur, ut in Domino semper fideret, ejusque imperiis efficaciter obediret: nam exsulem fieri de propria regione non permisit.

X *ut fundaverit cœnobium,* * *Labbeus omittit tres sequentes voces* * *forte* compungitur * *alias* Troglaris c

12 Eo itaque tempore Beatissima pulsare cœpit, ut ad desideratum locum perveniret. Itaque domos reliquit proprias, progressa cum sodalibus suis Christo duce cum præcedente psallentium choro. Ovantes omnes cum fide robusta accedunt, et valde propter venerabilem ejus sanctitatem suscepit eam honorifice pater ejus. Deus autem, qui fidem et constantiam Ancillæ suæ prævide-

XII *quod S. Segolena,*

rat,

EX IMPRESSIS.

A rat, bonum ejus propositum ad effectum perduxit. Ingressa est ergo locum, ad quem cum suis resedit; ibique sola * orationibus et jejuniis vacare cœpit, mortificationem in suo corpore ferendo, ut uberius exemplum monstraret. Et non post dies multos congregat ibidem Sanctissima non paucas monachas, quæ in ministerio Dei hymnis et canticis spiritualibus Christum laudarent.

* Labbeus solis

VII *cum aliis monialibus ingressa est,* d

13 Transacto itaque parvo temporis intervallo, elegit Beatissima simul cum suis omnibus secundum priscorum Patrum instituta regulariter vivere *d*. Quod et præstitit ei Deus, qui voluntatem timentium se semper perficere consuevit, et juxta Apostoli dictum, communia multis * omnia erant. Illuc nobilium quæque libenter undique concurrere nitebantur, ut exemplo ejus faleramenta seculi præsentis et pompam facultatum contemnentes, æterna præmia caperent. Cumque jam multarum monacharum societate * densaretur, instituitur dies, qua se Sancta intra septa monasterii (ut mos virginum est) deliberaverat retrudi. Adfuit etiam plebium multitudo: omnes gaudent, omnes exsultant de ejus glorioso proposito. B

* Labbeus multitudini

* Labbeus societas

XIII *ubi præter alias virtutes,*

14 Ex ea die, qua religionis sumpsit exordium, cœpit esse in vigiliis prompta, in observatione solicita, in obauditione festina, in labore devota, in humilitate præcipua, memor præcepti illius: Qui se humiliat exaltabitur. Tanta pietas, caritas, mansuetudo, modestia, lenitas, atque sobrietas in ea redundabant, ut si quis cuncta percurreret, ipsam prædicaret tam confessorem quam martyrem. Ergo venerabilem præter diem Dominicum fuit illi solitum, ut juxta institutionem sanctæ regulæ *e*, omnis dies jejuniorum lenticulæ et oleris haberet edulium. Prima quoque Quadragesima, qua se retrusit in cellula, donec fuisset transacta, potum præter aquam atque pyracium *f* non bibit, panem hordeaceum sumpsit, quem tamen ipsa coxit et moluit. Cibus ejus legumen et olera, sine olei gutta, exiguæ mensuræ fuit.

e

f

et austeram vivendi rationem,

* Labbeus inhærens

C

g

h

* Labbeus cursim

15 Cilicium etiam semper interius mœrens * habebat pro linteo *g*, jugiter cursum *h* * decantans, discalceata peragebat vigilias; ante se cinerem stratum superjecto cilicio habens, ad caput lapidem pro pulvillo, hoc utebatur pro lectulo: parum autem ei videbatur hoc sustinere corpusculum. Aliis Quadragesimis qualiter gessit, per singula quis enumeret, cum sint infinita? Nam ex quo tempore consecrata est, semper vitam duxit per discretionem austeram usque ad terminum vitæ, ne forte attritione nimia solveretur, memor illius verbi, non in solo pane hominem vivere, sed satiari verbo vitæ, et velut affluenti dape abundare.

XIV *varia caritatis et humilitatis opera exercuit.*

* Labbeus salutem

* Labbeus viribus

* Labbeus facies

16 Illud quoque quam devote providebat pro salute sua in proximis laborem * impendere, non est silendum. Infirmantibus suis vicibus * serviebat, ipsa cibos decoquens, ægrotis fæces * abluens, calidam porrigens visitabat quod fovebat: credebat se minorem, si se non nobilitaret vilitate servitii. Nam de officiis monasterialibus, in quantum carnis fragilitas non obstabat, nihil sibi placuit nisi prima serviret. Inter omnium cœtum monacharum, et religionis studio, et regularis disciplinæ cultu præcipua habebatur.

ANNOTATA.

a *Sic etiam Fortunatus narrat, S. Radegundem a S. Medardo episcopo consecratam fuisse diaconam. Porro Mabillonius in notis ad hunc locum observat diaconas seculo* X *in Ecclesia desiisse.*

b *Hoc nomen multum differt a Godino, quem Metenses suæ* S. Segolenæ *patrem nominant, ut dixi in Commentario prævio num.* 5.

c *In tabula geographica archiepiscopatus Albiensis, quæ tomo* 1 *Galliæ Christianæ præfigitur,* monasterium Troclarense duplex *inter Albiam et Castrum novum notatur; Mabillonius tamen asserit, locum hujus monasterii obscurum esse, ut notavi in Commentario prævio num* 10.

d *Ex hoc loco infert Mabillonius,* S. Segolenam *fuisse ex Ordine S. Benedicti. Sed S. Cassianus aliique instituerunt moniales, quæ juxta priscorum patrum instituta regulariter vivebant, et tamen non erant Benedictinæ.*

e *Hinc iterum Mabillonius in observationibus præviis num.* 5 *colligit,* S. Segolenam *fuisse Ordinis Benedictini monialem. Quamvis eam Benedictinis eripere nolim, discere tamen cupio, an institutio sanctæ regulæ semper regulam Benedictinam significet.* E

f *Scribitur etiam* piratium, *ut videre est apud Cangium in Glossario. Est autem liquor ex piris expressus.*

g *Hæc vox accipi hic videtur pro indusio vel linea tunica.*

h Cursus *hic significat Officium ecclesiasticum, ut Cangius in Glossario ad hanc vocem pluribus exemplis probat.*

CAPUT III.

Diversa miracula intercessione S. Segolenæ patrata.

F

XV *Sancta duos conjuges leprosos*

Illud, quod gessit occulte, proferatur in publicum. Eo itaque tempore duo leprosi conjuges, jam cognita bonæ opinionis ejus fama, habentes secum unicam filiam, devote venerunt ad Beatæ præsentiam: prostrati ad ejus genua, ut dignaretur pro illis Dominum deprecari exorant. Respondit illis benevole: Ille quid dixit. VOLO MUNDARE, si vult * potest vos curare. Quid plura? Sequenti die cum ipsi signo facto se proderent, jubet Sancta secretissime vix duabus testibus balneo parato * intra fores monasterii, sic ut nemo perciperet; jussit et servientibus in calidam aquam deponere illos.

* Labbeus simul

* forte balneum parari

prodigiose mundat,

18 Remansit autem cum duabus tantum, sed serviente se sola; ægroti simul cum medica. Quantum est licitum feminis, a capite usque plantas succincta linteo infirmorum membra combajulat, capita lavans, purgans cutis putredines. Fugabatur lepra; deinde morbidi, quos deposuerat, exeunt salubres de tepida; postera vero die ad ecclesiam venerunt, cute nitentes, gratias

EX IMPRESSIS.

pro sanitate, quam receperant, Deo agebant. Jubet Sanctissima occultare miraculum, quod jam pene tota civitas referebat in publico; nec passus est omnipotens Deus lucernam occultare* sub modio.

** Labbeus* occultari

XVI *et monachum ac puellam,*

19 Ergo illo tempore quidem juvenis, Dadulfus nomine, sub professionne monachi omnem humilitatem atque innocentiam mentitus accessit, habitavitque aliquamdiu cum venerabili viro Evantio *a* abbate in communi cum fratribus suis. Exigentibus meritis, correptus a dæmone est. Deum ab inimico nequiter torqueretur, [ad] Troclaris monasterium inter manus ad Sanctam defertur curandus; nec data dilatione, promeruit quod petebat. Patratum est deinceps aliud XVII simile miraculum. Quædam puella cum ab adversario graviter vexaretur, sequenti die, Sancta orante, nova Christi curatione per summitatem verticis et crepantem cutem, ut cænonymia* *b* foras adversario exeunte, sana est reddita. Hoc nobis præsentibus actum est *c*.

** Labbeus* cœnomyia

XVIII *aliasque plures feminas*

20 Adjiciatur laudi, quod non defuit merito. Quædam puella, nomine Canciola*, ancilla jam dictæ cellæ, dum inimici invasione gravissime laboraret, et vix ad Dei Famulam potuisset hostem rebellem adducere; jubente prædicto viro Chramsico, genitore ejus, in oratorium beati Martini intromittitur, et cum ingenti vociferatione statim proclamat: Quousque non cessas persequi nos, Christiana? Tenentes namque se cœpit manibus calcibusque cædere. Tum ad orationem mox Beata prosternitur; post orationem vero, quam cum lacrymis fudit, commota pietate et fide plena apprehendit eam manu sua; et qui timebatur, extimuit. Confestim, fugato dæmone, XIX integram recepit sospitatem. Nec illud prætereatur, quod est facto simillimum. Post aliquantulum vero tempus duas mulieres ancillas præfati monasterii, Pallideam et Palladiam, a dæmone horribiliter correptas, per eamdem Famulam suam Dominus curare dignatus est.

** Labbeus* Caurila

XX *a dæmone obsessas,*

21 Cœpit exinde infirmantium cohors ob sanitatem integrandam eam frequentare: quæ omnium petitionibus parens, orationem medicamine cunctorum ad se venientium infirmitatibus, divino fulta auxilio, curando subveniebat. Exin C parvo temporis intervallo quædam sanctimonialis de Rutenæ *d* urbis territorio, Baudelona* nomine, dum annis plurimis energumena torqueretur, inspirata divinitus rogavit se ad Sanctæ præsentiam duci. Cum venisset, præsentatur et traditur, ad genua ejus advolvitur, flebiliter rogans, ut Dominum pro salute sua exorare dignaretur. Incumbit beatissima Segolena sine mora orationi, congregatio tota prosternitur. In tantum mora fuit, dum de oratione consurgitur, adest Divinitas, fugatur inimicus, et post eadem die* sine ullo erroris indicio in eodem cœnobio suscepta, Christo subdita vitam finivit.

** Labbeus* Baudolena

** Labbeus* post eamdem diem

XXI *precibus suis liberat,*

22 Quis numeret mirabilia, quæ Christi per eam operatur clementia? Quædam mulier, nomine Regnoalda*, dum jam longo tempore graviter diabolica invasione vexaretur, vix ad Beatæ præsentiam perducitur; voce flebili orat, ut a vexatione ipsa ejus mereretur orationibus liberari. Jacebat per triduum jam exanimis, et nihil proficiebat. Quidam vero frater dixit Beatissimæ: Omni animæ misereri utile est. Imperat denique pater, ut pro infirmæ salute exueret, quo induta erat, cingulum, et ex ipso cingeretur. Ne inobediens patri appareret, non cenodoxiæ acta vitio, sed ejus parendo imperio exuit se, et cinxit eam; adhibitisque simul sororibus, pro ea Domini misericordiam deprecatur. Statim oratio intercessionis impletur, et mulier ab inimici invasione illico liberatur. Celare Sancta humiliter volebat et Deo reddere honorem. Accepta ergo mulier sanitate *e*, omnibus rem gestam patefecit. D

** alias* Ramnoalda

XXII *ac divinitus pluviam impetrat, ut fratrem apud se retineat.*

23 Quadam vero die germanus memoratæ Dei Famulæ, Sigibaldus *f* nomine, virtute venerabilis, ad eam gratia exhortationis atque ædificationis, cogente caritate accesserat, qui diligebat eam valde; quem Beatissima cum omni gaudio, ut virum Dei, suscepit. Interea cum omni affectu docebat eam spiritalem doctrinam. Post sermonem autem ædificationis, facto jam vespere, eum multis precibus rogat, ut ibi nocte illa maneret: quod vir Dei fieri cum magna humilitate prohibuit. Cumque hoc Dei Famula audisset, contristata ad divinum se auxilium contulit; moxque ingressa B. Mariæ semper virginis est ecclesiam, ibique orationi incubuit. Sed omnipotens Deus E qualis esset ostendit. Nam paulo post orationem ejus pluvia in locum eumdem ab Oriente venit enormis valde. Tunc vir ille videns, immensitatem pluviæ* se ferre non posse, mansit ibi nocte illa; sicque intellexit dona divini muneris ejus meruisse fidem. Cujus rei testis ipse, et plusquam plures alii sunt *g*.

** Labbeus* inusitatam pluviam

ANNOTATA.

a *Nescitur, quis fuerit iste abbas Evantius aut quo tempore vixerit, ut in observationibus præviis num.* 4 *fatetur Mabillonius, etsi illic incertam de illo conjecturam proponat.*

b *Suspicor, legendum esse* cynomyia *a voce græca* κυνομῦια, *quæ muscam caninam significat; vel* cœnomyia, *ut legit S. Hieronymus, quæ vox pro communi vel omni muscarum genere accipitur.*

c *Hinc patet, quanta fides adhibenda sit huic auctori, qui oculatus quorumdam miraculorum testis fuit, uti etiam in prologo indicavit.* F

d *Est urbs episcopalis Galliæ sub archiepiscopo Bituricensi, quæ vernacule nominatur* Rodez, *et ad fluvium Veronium sita decem leucis Albiga distat.*

e *Mabillonius hic legit,* acceptam ergo mulier sanitatem, *notatque in margine, poni accusativum pro ablativo; at ego in editione Labbeana et Ms. nostri Papebrochii sensum perfectum inveni, prout hic correxi.*

f *Mabillonius in nota ad hoc nomen frustra divinat, quis fuerit hic Sigibaldus. Fateor, me etiam frustra indagasse illius Sigibaldi cathedram et ætatem. Vide sis quæ superius dicta sunt in Commentario prævio num.* 6 *et* 7.

g *Simile pluviæ impedimentum supervenit S. Benedicto S. Scholasticam invisenti, ut in margine observat Mabillonius.*

CAPUT

A

CAPUT IV.

Alia ejus miracula.

XXIII. *Peccata sua* Proferatur in medium, quod gratuletur religio. Eodem vero tempore cum quidam frater visitationis gratia ad eam convenisset, et dulcia sibi invicem verba vitæ transfunderent, et suavem cœlestis patriæ cibum in collatione * suspirando gustarent, ait Beatissima : Multi, pater, ut non ignoras, vitam sine crimine habere possunt ; sine peccato non possunt, Apostolo attestante, qui dixit : Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Sed quæso te, pro me Dominum deprecare, quia ipse promisit dicens : Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis vobis. Illico de parvis minimisque peccatis, sine quibus esse non possumus, cum gravia peccata deessent, memor illius Psalmographi præconii : Peccatum meum cognitum tibi feci ; quæque gessit lacrymans confitetur, cœpitque cum cordis humilitate deposcere, ut ex fide, quæ est justitiæ fundamentum, notitia ex ipsis fieret, et sub annuli signaculo divino super altario poneretur.

* *Labbeus* consolatione

B

mirabiliter deleta esse cognoscit, 25 Quid inter hæc frater ageret, anxio corde pensabat. Armavit mentem fides, docuit impetrare opportuna. Sigillo signatum opus pluribus præsentibus, de quorum religione nihil dubitabatur, sacro commendavit altario. Pene quotidie salutarem hostiam pro ea eodem anno obtulit, seseque lacrymis ipsa * afflixit, vigiliis jejuniisque constrinxit : pie petenti larga subvenit potestas. Peracto temporis spatio, natalis Dominici diem exspectantibus, qui nunc dono Creatoris supersunt, viris venerabilibus, summo quoque Christi præsule germano ejus, necnon nobili viro Gisloaldo * *a* abbate, in eorum præsentiam tracta est notitia, solutum est signaculum. Sic fides et oratio meruit, ut æterni Judicis virtus, qui culpas examinat, fidelis suæ Famulæ universa ablueret delicta, et paginolam candori redderet pristino. Conditori agit gratias, qui sic quæsita dona largitur.

* *Labbeus* ipse

* *Labbeus* Gosloando

a

C

XXIV *et monialem energumenam,* 26 Alio quoque tempore quædam puella paupercula spiritu ad conversionem * venit, quam Beatissima libentissime suscepit. Brevi tempore monacharum virtutes exæquaverat. Interea subiit in ea cogitatio injecta per diabolum, et permanere in monasterio nolebat. Quadam die furtim de congregatione discedere volens, illico impletur a dæmone ; sed trementem ad monasterium reduxerunt sorores. Cum coerceri in ea immundus spiritus non valeret, necessitate cogente, magnis funibus alligatur. Non immerita pœna fuit fugitivæ, ut quam non cohibuerat fides, funis cohiberet. Incumbit beata Segolena sine mora orationi, tota congregatio prosternitur, obtinetur obsessæ curatio : quæ statim promisit, numquam se esse a monasterio recessuram ; atque ex eadem hora in sua promissione permansit.

* *Labbeus* conversationem,

XXV *b* 27 Quodam autem tempore cum esset dies Litaniarum *b* venerabilis, quæ in unum plures Christianos collegerat, erat ibi dux germanus ejus, Babo *c* nomine, nobilitate et sapientia pollens, qui per Albica arva incolas gentes regebat. Dum tertia celebraretur, mox illuc ingreditur unus ex populo (cujus faciem scio, nomen nescio) qui dæmonio arreptus coram omni populo vexari cœpit, et magnis vocibus clamare dicens : Huc missus sum, ut debeam mundari. Hunc propinqui illius flentes omnipotentis Dei famulæ Segolenæ obtulerunt ; quo suscepto, multis se diebus ac noctibus in oratione dedit. Non post multos dies ita sanum atque incolumen reddidit, acsi in eum jus proprium diabolus numquam habuisset. Divino itaque purgatus est auxilio Dei * ; dæmon fluxu ventris egressus est. EX IMPRESSIS. *ac alium dæmoniacum curat.* *c*

* *Labbeus* sequentia omittit.

28 Eo quoque tempore quidam presbyter, nomine Transimundus, oculorum lumen amiserat, ita ut omnino nihil videret. Admonetur in somnis, ut signaret beatissima Segolena ejus oculos. Nocte vero eadem evigilans de sopore, cum mane facto surrexisset, præcepit domus suæ familiarissimo, ut eum duceret in beatæ Segolenæ præsentiam. Venit itaque et advolvit se pedibus ejus, atque oravit, ut pro eo Domini dignaretur exorare * clementiam. Fit communis omnium dolor. Ancilla autem Christi Segolena, plena Spiritu sancto, invocans Trinitatem, orationem breviter fudit. Mox evacuatum tenebris lumen virtutis * implevit, ita ut tractus cum venisset, nullo ducente, recederet. Exsultant parentes miraculo * ; sanctæ Segolenæ contremiscit congregatio. XXVI *Presbytero,*

E

* *Labbeus* implorare

* *forte* virtus

* *Labbeus* iterum sequentia prætermisit,

29 Alio quoque tempore dum oculorum quidam puer, nomine Vassus, lumen amisisset, ad hanc omnipotentis Dei famulam Segolenam deductus, intercessionis ejus opem petiit et impetravit. Tunc beata Segolena solito more pro eodem in oratione prosternitur ; facta oratione, ejus oculos oleo sacro perunxit. Illico luce reddita, nox cæcitatis abscessit. Eodem namque tempore quædam sanctimonialis, Sigetrudis * nomine, cum lumen amisisset oculorum, orans beatissima Segolena ad Dominum pro ea, suasque instillans lacrymas, oculos ejus sacro perunxit oleo, et protinus vidit. XXVII *et puero ac sanctimoniali visum restituit,* XXVIII

* *Labbeus* Sigiturdis

30 Quodam igitur tempore infelix et infirma puella, ancilla prædictæ puellæ, manibus pedibusque contractis per terram reptabat ; pro qua re quadam die pedibus se beatissimæ Segolenæ parentes ejus prostraverunt, dicentes : Confidimus, tibi a Domino nihil esse negandum ; funde pias pro ea preces, et salva erit. Quo audito, mota pietate, et compulsa parentum lacrymis, noluit sacratissima Segolena denegare. Sola tamen ad orationem prosternitur. Cumque orationem complesset, porrecta manu levavit puellam pedibus suis, atque omnibus membris recuperatis, ad suum hospitiolum incolumis ambulavit. Nam quantis virtutibus emicuerit, * quis valeat enarrare ? XXIX *et contractam puellam sanat.*

* *Labbeus* enituerit

ANNOTATA.

a *Ignoratur etiam, quis fuerit ille Gisloaldus abbas, et quo tempore vixerit, aut cui monasterio præfuerit.*

b *Macrius in Hierolexico distinguit Lætaniam a Litania, de cujus posterioris significatione, institu-*

tione,

EX IMPRESSIS. *tione, ac usu videri potest tum ipse, tum Cangius in Glossario ad vocem* Litania.

c *Miror, hunc Babonem, Albiensium ducem, in historia Gallica usque adeo ignotum esse, ut de ejus gubernatione aut ætate nihil hactenus Mabillonio aliisque compertum fuerit.*

CAPUT V.

Sanctæ virtutes, morbus, extrema monita, mors et sepultura.

XXX *Auctor, enumeratis Sanctæ virtutibus,* a

* Labbeus sanctæ

* lege parvitatis

B

Jam, ut spero, etsi sensu rustico, prolixum *a* sermonem de tantæ * Matris conversatione produximus; et tamen ejus meritis digna præconia non valuimus narrare. Nec enim paucitatis * meæ ingenium aut memoria sufficeret universa ejus spiritalia studia, vel in amore Christi profusum desiderium pronuntiare vobis. Sanctissima enim benigna et sincera conscientia, quidquid aliis præcepit, ipsa fecit omnia propter Dominum et implevit, ut in die judicii digna esset ei retributio conferenda. Orationi, lectioni, prædicationibus et eleemosynis incessanter insistebat; nec docuit verbis, quod non implevit exemplis. Nam vultu insistebat semper placido et angelico, ita ut secundum Scripturam corde lætante vultus floreret. Numquam otiosa ab opere Dei esse voluit, ut merito corona gloriæ coronaretur. Sed quia jam me ad finem et felicem ejus transitum perducit oratio, pauca perstringam. Factum est autem, cum multas in mundo jam sustineret tribulationes, secundum quod scriptum est, per arma justitiæ a dextris et a sinistris fidem conservans, cursum consummans, repositam a Christo coronam justitiæ exspectans sibi restitui, desiderabat dissolvi et esse cum Christo.

XXXI *refert, quomodo in morbum lapsa moniales monuerit,* C

* Labbeus communi

32 Cum infirmitas ejus per dies jam plures extenderetur, collecto sane omnium * cœtu virginum, dicit eis : » Jam dissolvi cupio et esse in » requie; vos autem moneo, viscera mea dulcissima et sancta membra, in Christo vivite, et » cum timore Dei spiritalem regulam perficite. » Scriptum est enim : Maledictus homo, qui » opus Dei facit negligenter. Certate introïre » angustam portam. Modicum laborate, ut multa recipiatis; contemnite terrestria, ut cœlestia consequamini. O filiolæ meæ, obedientiam » custodite, quia inter omnes virtutes vindicat » principatum. Caritatem Dei habetote in invicem, humilitatem amate, superbiam abominamini, propter quam et diabolus projectus » est. Fidem tenete incommutabilem : hæc est » enim fundamentum omnium virtutum; et sanctificationem animæ et corporis custodite, sine » qua nemo videbit Dominum. Memores estote, » ut sicut nunc tenetur Ordo, usque ad consummationem teneatur. Valete in pace, et retentationis * solvite obstacula, ut mihi jam patcant » cœlestia regna.

* retentionis

XXXII. *pie exspiraverit,*

33 Cumque per singulos dies languor ingravesceret, sexto die venit vir Dei germanus ejus Sigebaldus episcopus ad videndum eam. Cumque halitu carere * vellet, fisa de cœlesti munere, quod longo famulatu quæsierat, Dominici Corporis et Sanguinis perceptione animam suam munivit, psalmum quinquagesimum ipsa imposuit, et psallere suas præcepit virgines. Sic cum precantis voce ad Dominum, Spiritu sancto monente *, intuens cœlos ait : » Jesu Christe, unica » spes orbis, tu hunc gregem multiplica, et per- » duc me ad regnum gloriæ tuæ. » Eadem hora exitus ipsius, multæ sanctimoniales ejus lectulo circumsteterunt, cupientes ejus beatum exitum videre; et viderunt faciem ejus quasi faciem angeli. Scriptum quippe est : Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendebunt. Extensisque in altum manibus, cœlum intuetur repente mortalibus oculis; fateturque et certissime confirmat, ante lectulum suum Jesum Christum Dominum constitisse nimio splendore amictum. Cumque in eum intenderet, quem videbat, sancta illa anima sic e corpore est egressa, et angelorum consortio conjuncta, adscendit gaudens in cœlos; quod signum alia sunt signa comitata.

D

* Labbeus careret pro carere vellet

* Labbeus movente

34 Cumque corpus ejus ex more ad lavandum fuisset nudatum, tanta subito fragrantia in eodem loco mirifici odoris adspersa est, acsi illic florum omnium fuissent odoramenta congregata, et illic inhabitantes deambulantesque satiaret, et ostenderet illuc auctorem suavitatis venisse. In prædio ejus proprio, loco tutissimo, cognomento Insula *b*, in quo genitor ejus fabricaverat ecclesiam Christo, et ipse constituit prædia, quæ susceptionibus peregrinantium deservirent; illuc jussit suum deportari corpusculum, ubi ipsa sanctarum ancillarum Dei multa sepelierat membra. Subito ejus agnito obitu, tota pene civitas proruit in lamentum, pater filiam, lamentabantur sororem fratres, dominam servi. Infertur corpus feretro, vox in laudem Redemptoris effunditur. Tandem egressæ cubiculum Dei famulæ, evehentes sanctum corpusculum ad locum prædestinatum, sepulturæ tradendum, ante cornu altaris deposuerunt, et cum omni gloria sepelierunt. Tunc chori virginum sua tundentes pectora, dantes mugitus proclamabant : O mors dira, cur tantos hodie perimis, dum a nobis aufers sanctæ Matris nostræ præsentiam? Longum est enarrare per singula, quanta et qualia inibi sine intermissione miracula almæ matris Segolenæ hactenus cernimus coruscare. Cum enim jam propter humata nobilia membra locus ille sanctificatus singulariter meruit illustrari, non distulit Omnipotens testimonium boni operis ejus merito jugiter post obitum adhibere.

et quo loco sepulta fuerit E

b

F

XXXIII *ubi varia ad ejus tumulum patrantur miracula,*

35 Cum semel ad sepulcri caput vas vitreum custos ecclesiæ aptasset, ultra mensuram exuberans, quam vas capere poterat; dono gratiæ liquorem olei reddidit die crastina custodibus fœnore duplicato. Exstat per tempora cunctis ad gaudium, fidelibus ad præmium, ægrotis ad remedium. Nam illius merito divinum munus oblatum, vas olei perfusum jugiter exuberat, ubi sepulta corpore quotidianis miraculis coruscat *c*. Ægri veniunt, et sanantur; dæmoniaci veniunt, et liberantur; leprosi veniunt, et mundantur; muti * veniunt, et loquuntur; veniunt febricitantes, et sanantur. Quæ et in eo tugurio *d*, in quo prius habitavit, nunc usque, si petentium fides exigit, miraculis coruscat, præstante Domino

c

* Labbeus elingues

d

A mino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, virtus et potestas et æterna majestas cum Patre una cum Spiritu sancto regnante modo nunc et semper, et per infinita seculorum secula, Amen *.

* *Labbeus hanc clausulam brevius habet.*

ANNOTATA.

a *Non capio, quomodo biographus hic dicat, se* prolixum sermonem *produxisse, cum in prologo promiserit, se* sub compendio brevitatis... pauca de plurimis *narraturum; et moniales ibidem alloquens dicat :* Ecce, ut jussistis, habetis exiguam dictationem. *Hæc combinet, qui potest.* EX IMPRESSIS.

b *Hoc oppidum octo ferme leucis Albiga distat, ut in Commentario prævio num.* 9 *dictum est.*

c *Dixi initio Commentarii prævii, postea corpus ejus ex hoc loco Albigam translatum fuisse.*

d *Nescio, an auctor per tugurium hic intelligat parvum quoddam cubiculum, quod* S. Segolena *in monasterio incoluit. An forte etiam hunc locum indicare voluit Paschalis II Pontifex, quando in litteris Ottoni abbati Massiliensi concessit memorat* cellam sanctæ Segolenæ in diœcesi Albigensi?

DE S. CHRISTINA MIRABILI VIRGINE

B APUD TRUDONOPOLIM IN BELGIO. E J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Actorum fides, et eorum scriptor.

ANNO CIRCITER MCCXXIV.

De *Trudonopoli, seu fano S. Trudonis (vulgo* **sint-Truyen**) *in ea Brabantiæ parte sito, quæ dicitur Hasbania (non* Albania, *uti ait Gononus in notis ad Vitam nostræ Sanctæ, post Felicium; ad* XXIII *Junii) de Trudonopoli, inquam, sufficientem notitiam dedimus jam pridem ad diem* XX *Februarii, occasione S. Eucherii episcopi Aurelianensis. Hunc locum ejusque proximam viciniam mirifice illustravit* S. Christina; *ut quæ in isto tractu natales hauserit, vitam exegerit, et hac relicta, ad meliorem transierit. Porro* Mirabilis *antonomastice dicitur : quia inaudita, aliis Sanctis inusitata, vixque hominibus credibilia,* C *ne dicam posteris paradoxa, ac supra omnem pene fidem mirabilia patravit, divina omnipotentia, in hac certe, sicubi in aliis umquam Sanctis, prodigiose ludere quodammodo visa. Adeo lectorem merito ferire quemlibet debent ea, quæ in ejus Vita narrantur. Atque hac de causa nobis ea maxime stabilienda sunt, ut quantum illis videtur prima fronte detrahere summa rerum gestarum novitas, tantum nos ipsis aliunde fidei conciliemus, ut fiant historice verissima, quæ apparent incredibilia et fabulosa.*

Prodigia, quæ divina omnipotentia

2 *Nam, ut auctoris Vitæ num.* 49 *verbis utar :* Vere mirabilis Deus in Sanctis suis, et in ista *(Christina)* ut ita dicam, super omnem admirationem mirabilis. *Recteque noster Raderus infra citandus dixit :* Si ulla Divorum historia inter paradoxa est ponenda, hæc certe cum Simeonis Sali et Jacoponi factis παραδοξοτάτη. *De Symeone Salo egimus die* I *hujus; de Jacopono, autem qui fuit Ordinis Minorum, tractat idem Raderus Viridarii Sanctorum parte altera, dans ejus Vitam a pag.* 95 *ex Italicis Franciscanorum Annalibus; et novissime Benignus Fremaut in Legenda sua Flandrica ad diem* XXV *Decembris; quando dispici poterit, an et qualem cultum is habeat. Interim exempla istorum eo valent, ut de nostræ Sanctæ quantumcumque paradoxæ mirabilibus mox temere non judicemus. Quod etiamnum fortius persuadebit alterius item virginis exemplum, proprie et proxime huc spectans, tamquam nostræ parallelum.*

in hac Sancta patravit, in speciem incredibilia et fabulosa,

3 *Vixit integro fere post Sanctam nostram seculo alia ipsi synonyma, æque ac ipsa nomen* Mirabilis *merita; sed ab aliis ad distinctionem* Coloniensis *vel* Stumbelensis *vocata, quæ nostræ cedere non debet in mirabilibus, si eam non superet; visa ex insolitis, inauditisque, et captum humanum excedentibus prodigiis tanta, quanta erat, componi. Acta ejus dedimus ad* XXII *Junii. Ex pluribus quæ ibidem in Commentario prævio producuntur, confirmari vel mitigari saltem possunt ea, quæ in hac seniore captum humanum feriunt; sed brevitatis studio ista huc non transcribo; præsertim quando aliunde plura in promptu sunt, quæ propius huc spectant, et solidius rem nostram conficiunt.*

in quibus illi similis fuit alia synonyma,

4 *Auctor hujus Vitæ haud ignarus, quam in speciem essent mira et paradoxa, quæ exponenda susciperet, veritusque ut ea, qua par erat, fide acciperentur, id sedulo agit in suo prologo, ut præjudicia tollat, quæ contra formari possint, egregie stabiliens adversus incredulos quæcumque supra fidem in eadem narrari videntur. Incipit a testimonio Eminentissimi Jacobi de Vitriaco, qui et cum Sancta vixit, et eam vidit. Testis hic omni exceptione major est, sive prudentiam ejus et doctrinam consideres, sive integritatem vitæ, quam habet noster Bartholomæus Fisen in Floribus ecclesiæ Leodiensis ad diem* XXX *Aprilis; et de quo item auctore nos egimus in Commentario prævio ad Vitam B. Mariæ Oigniacensis, quam conscripsit, datam die* XXIII *Junii : ubi in ejusdem Vitæ prologo de* S. Christina *testatur ista, quæ noster biographus inde mutuatus est :* F

solide stabiliuntur ex Jacobo de Vitriaco,

5 Vidi, *inquit,* etiam aliam *(Christinam)* circa quam tam mirabiliter operatus est Dominus, quod cum diu mortua jacuisset, antequam in terra corpus ejus sepeliretur, anima ad corpus revertente revixit, et a Domino obtinuit, ut in hoc

auctore gravissimo,

AUCTORE J. P.

hoc seculo vivens in corpore, purgatorium sustineret. *Reliqua ibi vide. Auctor iste gravis ac prudens, atque adeo leviusculis narratiunculis minime credulus, et a fabellis mox adoptandis longe remotissimus, risui se et ludibrio expositurus fuisset, si pro gestis veris, quæ scire poterat ac debebat, aniles nobis nænias venditasset; præsertim quia istum prologum dirigit ad Fulconem episcopum Tolosanum, e Gallia profugum ad tractum Leodicensem, qui* S. Christinæ *mirabilium fuerat theatrum adeo recens, ut vividos eorum odores quaquaversum etiamnum tunc spiraret. Audiatur ipsemet ita loquens :*

et in iis, quæ narrat, minime suspecto;

6 Unde cum sanctus et venerabilis pater, ecclesiæ Tolosanæ episcopus, a civitate sua ab hæreticis depulsus... tandem usque ad episcopatum Leodii, quasi tactus odore et fama quorumdam, Deo in vera humilitate militantium, descendisset; non cessabat admirari fidem maxime sanctarum mulierum... valdeque desiderabat, ut quædam, quæ vidit et audivit, ne perirent, tamquam fragmenta colligerentur. Scis etenim, pater sancte, pastor Tolosane,... (ad te enim mihi B sermo est, quo præcipiente, et de negligentia me redarguente præsens opusculum ausus sum attentare ;) nosti, inquam, quod cum venires ad partes nostras, *etc. Hoc itaque tam prudentis auctoris ad gravissimum antistitem directo testimonio fultus noster biographus animum pariter appulit ad scribenda Sanctæ mirabilia, prout testatur ipsemet in laudato prologo his verbis :* Nec ea ullo modo scribere præsumpsissem, nisi me venerabilis Jacobi episcopi in majoribus rerum gestarum *(eventibus)* testimonium præcessisset.

item ex auctore Vitæ,

7 *Atque ut nostrum biographum subsequamur, certæ et affirmatæ expressiones, quibus in eodem prologo loquitur, non possunt non summam dictis ipsius fidem conciliare* : Ego, *inquit*... ob ædificationem legentium, et specialiter Christi laudem, hæc licet imperito sermone descripsi; certus utique relatione narrantium. Nec immerito certum me dixerim, cum tot plane testes habeam in pluribus, quæ descripsi, quot tunc temporis in oppido S. Trudonis uti ratione potuerunt; neque enim hæc in angulo gesta sunt, sed plane in populis. *Quid? quod Sanctæ mirabilia scripserit tum* C *temporis, quando etiamnum prima, recens ac præsens oculis eorum hominum, qui ipsam viderant, obversabatur memoria : nam, sicut rursum testatur* : Nec tantum temporis transiit, quod ea absorbuit et sepelivit oblivio, cum non eo amplius quam octo anni sint, quod hæc scripsi post mortem ejus.

ac Dionysio Cartusiano,

8 *Dionysius Cartusianus, vita et scriptis clarissimus, Sanctæque popularis, qui vivere cœpit sub finem seculi* 14, *desiit anno* 1471 *(vide Acta nostra ad diem* XII *Martii, ubi a pag.* 245 *eum dedimus cum titulo* venerabilis) *in Vitæ compendio, quod inseruit libro de Quatuor novissimis, articulo* 50 *tradit ista* : Recordor quoque, quod dum in pueritia frequentavi scholam, in oppido illo *(S. Trudonis)* frequenter audivi mentionem admirabilis illius Christinæ, atque (ut dicebatur) aliqui tunc vixerunt in S. Trudone, qui noverunt nonnullos, qui ipsam feminam gloriosam viderunt in carne. *In Colloquio autem de particulari judicio animarum post mortem articulo* 10 *refert ex Vita ejus, quid animæ ipsius a corpore exutæ contigerit. Et articulo* 33 *gestis* S. Christinæ *mirabilibus et paradoxis a Dionysio in epitomen contractis, subjicit interlocutor frater* : Numquid et tu *(Dionysi)* qui naturalis D rationis viges acumine, atque in philosophicis es eruditus scientiis, credis hæc vera esse?

egregie ista mirabilia confirmante.

9 *Cui Dionysius* : Male et nimis male naturali viget acumine atque scientia acquisita, qui ex hoc ea, quæ fidei sunt, seu fide digna narratione inveniuntur, suo præsumit ingenio mensurare, dijudicare et coartare. Denique quæ præfatus auctor *(Cantipratanum intellige)* legendæ Christinæ Mirabilis de ea conscribit... probat... testimonio... Jacobi Aconensis episcopi, postea Cardinalis, qui se eam, et ejus mirabilia vidisse testatur, imo et alia multa prætactis mirabiliora narrant de ea. Ego quoque in loco, quo fuit sepulta, fui frequenter; et dum in pueritia in oppido S. Trudonis frequentavi scholares, ex relatu suorum parentum sæpe loquebantur de ea. *Et sic ea quæ palam et publice facta sunt, solidissime confirmantur.* Alia vero, *ut cum biographo pergamus,* quæ nemo scire potuit nisi ipsa, ab illis proprie audivi, qui ea ab ore ejus se percepisse testati sunt. Et noverit quicumque legit hæc, talibus me testibus credidisse, qui nequaquam a E centro veritatis etiam pro amputandis capitibus deviarent.

Eadem rursus confirmantur ex auctore Vitæ :

10 *Quæ noster biographus narrat in Vita num.* 47, 48 *et* 49, *didicisse se fatetur a Thoma abbate Trudonopolitano, oculato teste. Numero* 38 *inducitur Sancta* cum quadam religiosissimæ vitæ reclusa, Ivcta nomine, moram per novennium faciens, *ubi* mira per eam operatus est Dominus; *testaturque idem biographus, se ab ista* reclusa multa quæ de Christina scripsit, revelata suscepisse. *Neque id temere aut fortuito, nam mox adjungit* : De longinquis enim Galliarum partibus ad eam propter hoc veni. *Jam vero quæ num.* 54 *habet de translatione corporis, annis* septem *post primam ejusdem sepulturam peracta, contigerint ea oportet sub ipsum fere tempus, quo ad scribendum se accinxit. Ad hæc, si animum attendamus ad minuta quædam locorum, temporum ac personarum adjuncta, quæ per decursum Vitæ leguntur, fallor enimvero, si non merito censeri possint veluti totidem genuini characteres, quibus et scriptionis fides, et scriptoris sinceritas, et rerum narratarum veritas commendentur. Certe noster Papebrochius post* F *visa, discussa et illustrata tot Sanctorum Acta, alioqui non plus æquo facilis eorum approbator, uti eruditis notissimum est, Vitam* S. Christinæ *a sinceritate, veritate, rerumque in ea narratarum fide historice probata plurimum commendabat. Ac mihi videor satis, et Sanctæ Acta pene supra fidem esse mirabilia, et accommodata paradoxis auctoritate non destitui, ostendisse. Proximum est, ut doceam, non leve auctoritatis pondus Actis iisdem accedere ex persona auctoris, qui ea litteris consignavit.*

de quo nonnulla disputantur,

11 *Fuit is Thomas de Cantimprato seu Cantiprateusis, ita dictus ab asceterio Canonicorum regularium, quod olim prope Cameracum stabat, sed jam pridem belli furore dirutum est, cui ille nomen dederat; inde ad Ordinem Prædicatorum translatus, in cujus Bibliotheca nuperrime edita tomo* I, *pag.* 250 *scribitur* Beati titulo a quibusdam insigniri; *ubi etiam res ab eo gestæ ordine chronologico pertexuntur; ac postea Vita* S. Christinæ Mirabilis *accensetur ejusdem scriptis. Porro nos viro locum*

A *cum dedimus inter Prætermissos ad diem* XV *Maii; de eodem plura etiam diximus ad diem* XVI *Junii, pag.* 231, *occasione S. Lutgardis, cujus et ipse Vitam conscripsit. Dionysius Cartusianus citato articulo* 33, *vocat ipsum* suffraganeum episcopum; *addit Bellarminus* archiepiscopi Cameracensis, *cui titulo subscribunt: Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii hac die* XXIV, *Ferreolus Locrius in Chronico Belgico pag.* 362, *Vossius de Historicis Latinis lib.* 2, *pag.* 487, *Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, qui annos* 30 *in hoc ipsi munere tribuit; Miræus in Fastis Belgicis pag.* 260; *Sommarthani, a quibus sub Nicolao III archiepiscopo Cameracensi notatur* coadjutor et episcopus... ac theologiæ doctor *(non recte;) Fisenus in Floribus pag.* 248, *nuperus denique Legendista Gallus in Tabula critica Actorum et auctorum mensis Junii, ac noster Coret, postea citandus. Sed rectius isto titulo abstinent Henricus a Gandavo, Trithemius de Scriptoribus ecclesiasticis, ac Possevinus noster in Apparatu sacro: nam numquam episcopi munus ipsum gessisse, nec suffraganeum fuisse archiepiscopi Cameracensis vel alio-* B *rum, (atque adeo nec episcopum Lusentinum, multo minus patriarcham Hierosolymitanum fuisse, qualis apud laudatum Possevinum ab aliquibus dicitur) recte in laudata Bibliotheca probatur.*

in aliis corrigenda; uti et quando scripserit,

12 *Unde corrigi merentur ea, quæ dicta sunt in Commentario prævio ad Vitam S. Lutgardis die* XVI *Junii num.* 2; *præsertim ubi corrigitur Dionysius Cartusianus, quasi Cantipratanum fecisset* religiosum Ordinis S. Benedicti; *cum articulo* 50 *de Quatuor novissimis ibi citato, laudatus auctor disertissimè dicat, ipsum fuisse* de Ordine fratrum Prædicatorum. *Ceterum nec magisterii lauream adeptum contra Sammarthanos, nec* Prioris *apud suos* Lovanii, *sicut loco citato apud nos asseritur, munere perfunctum, eruo ex Bibliotheca citata; quæ et de solo* supprioris officio *apud Lovanienses meminit, et lauream dictam ipsi abjudicat; tametsi ibidem lectorem fuisse affirmet. Cum autem Vitam istam scripserit octavo ab obitu Sanctæ anno, videlicet anno circiter* 1232, *ipsa ad Superos evocata* anno circiter ab Incarnatione Domini MCCXXIV, *sicut notatur in Vita num.* 54, *consequens est, hanc ab eo scriptionis provinciam susceptam fuisse* C *sub prima tempora, quibus hoc vitæ institutum amplexus est; postquam ejusdem habitum Lovanii induerat prætacto anno* 1232.

indicatur.

13 *Enimvero jam tum transierat ad laudatum Ordinem, quando sæpe dictam Vitam litteris mandabat; prout disertissime indicat ipsemet, cum in prologo num.* 2 *per hæc verba:* Ego... indignus Fr. Prædicatorum Ordinis; *tum in Vita S. Lutgardis dicto die pag.* 242, *ubi habentur ista:* Sed et quædam beatissima virgo, Christina nomine, cujus meminit venerabilis Jacobus in Vita B. Mariæ de Oignies, cujus quoque Vitam et ipsi descripsimus. *Ea tamen, quæ ut supra vidimus, accepit ab Ivetia reclusa, ad quam* de longinquis Galliarum partibus... propter hoc venit, *acceperit, antequam Prædicatorum Ordini adscriptus fuit, juxta ea, quæ traduntur in citata Bibliotheca, in qua mox a professione Coloniam missus narratur, ibique sub Alberto Magno annis minimum quatuor theologiam audivisse.*

§ II. Varia Vitæ exemplaria; quodnam a nobis hic detur, major personæ cujusdam in ea memoratæ notitia.

Proferuntur varia fragmenta,

V*itæ compendium libro de Quatuor novissimis articulo* 50, *ac Dialogo de judicio particulari animarum post mortem articulo* 33, *inseruit venerabilis Dionysius Cartusianus. Eam typis edidit Surius tomo* 3, *a pag.* 778 *editionis anni* 1572 *ex solo et unico exemplari*, in quo sane, *inquit*, vereor deesse nonnulla; *sed vix ulla quidem desunt, si illud ad alia exemplaria conferas; sin vero ad nostrum, quod hic edimus, desunt ea, quæ ibi narrantur a num.* 57. *Pessime autem Surius, tam de hac quam de aliis more suo meritus est: nam* stylum fere totum, *inquit*, mutavimus, et quædam reddidimus paraphrasticos. *Sed quantum mutavit, tantum primigeniæ sinceritati ejus detraxit: neque enim paraphrases, sed nativus scriptoris candor ac stylus harum rerum pretium faciunt. Molanus in Natalibus* E *Sanctorum Belgii ad hunc diem, compendiolum extraxit ex Thoma Cantipratensi, et informatione Trudonensium. At in suo Usuardo anno* 1568 *edito ad eamdem diem notat, Vitam* apud *Prædicatores Lovanii* haberi; item apud Minores capitibus 36 a Livino Brechto, alicubi ad operis decorem et ædificationem verbis sententiisque locupletatam. *Gelenius de Coloniensis urbis magnitudine pag.* 699 *meminit* Vitæ, quam Lupoldus Cartusianus Ruremundensis conscripsit, *addens* Acta *B. Christinæ Stumbelensis* confusa esse cum Actis Christinæ Trudonensis. *De hoc scriptore nec apud Valerium Andream in Bibliotheca Belgica, nec apud Theodorum Petreium in Cartusiana quidquam reperio.*

et exemplaria Vitæ.

15 *Gononus de Vitis et sententiis Patrum Occidentis lib.* 5 *a pag.* 327 *Surianam edidit; ac noster Bartholomæus Fisenus Vitam quoque vulgavit in Floribus ecclesiæ Leodiensis a pag.* 341; *de qua etiam agit variis locis in Historia Leodiensi. Mitto dicere, quod Vincentius Bellovacensis in Speculo historiali lib.* 30, *cap.* 15, *et S. Antoninus* 3 *parte Historiarum, capitulo* 12, § 1 *referant fragmen-* F *tum Jacobi de Vitriaco, quod biographus prologo suo innexuit. Nec profero, quod pauca in compendium coegerit noster Raderus parte* 2 *Viridarii Sanctorum a pag.* 81. *Notissima in hisce regionibus est Vita Flandrica, quæ in ejusdem idiomatis Legenda, sub nomine nostrorum Petri Ribadeneyra et Heriberti Rosweydi vulgata, continetur. De hac item Sancta quædam habet Chapeavillus de Pontificibus Leodiensibus tomo* 2 *sub Hugone, in annotationibus ad caput* 128.

Quænam ex variis codicibus Mss.

16 *Penes nos est Sanctæ Vita Ms. in duplici codice membranaceo, signato* P Ms. 17, *et* P Ms. 19; *et in alio codice chartaceo* O Ms. 12; *sed desideratam, id est primigeniam antiquitatem non præferunt. In eorum uno, quem primo loco nominavimus, prænotatur hic titulus litteris rubris:* Incipit prologus in Vitam mirabilis Christinæ, descriptam a fratre Thoma suppriore conventus Lovaniensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, *etc. Ecgraphum præterea habemus ex Ms., uti ei adnotavit Rosweydus, Auberti Miræi* satis recenti; *quod alia item manu notatur* collatum *fuisse* cum Ms. Rubeæ vallis *(canonico-*

AUCTORE J. P.

nonicorum regularium S. Augustini prope Bruxellas) quod inscribitur secunda pars Agyologi *(Hagiologii)* Brabantinorum. *Atque dictum quidem ecgraphum signatur hoc titulo :* Vita gloriosæ Christi virginis Christinæ Mirabilis. natæ in villa dicta Bruesthem, auctore Thoma Cantipratensi Dominicano. *Miræus in Fastis pag.* 444 : Integra, *inquit*, ut est ab auctore conscripta, erat apud me in codice Ms. ; itemque apud monachos Trudonenses. *In Bibliotheca quoque Prædicatorum pag.* 252 *notantur apud Trudonenses extare varii codices. De Vita quidem ista eo scripsi die* XXIII *Maii, anni elapsi* 1725, *sed an alicubi istic lateat, nescio ; certe illam non obtinui. Porro ecgrapho nostro Miræano Janningus noster adscripsit sequentia :* Est hæc Vita etiam Ms. apud D. de Riemer, canonicum S. Bartholomæi Leodii ; ubi illam vidi anno MDCC Roma rediens.

et cur potissimum a nobis hic detur,

17 *Quamquam satis est, novisse unum Vitæ exemplar, ut omnia noris, ex eodem primigenio Thomæ Cantipratani fonte desumpta ; visum tamen est, nullum ex citatis prælo committere, sed aliud potius item Ms. ex codice nostro membranaceo, qui* B *olim spectavit ad abbatiam monialium de Camera, Ordinis Cisterciensis in Belgio prope Bruxellas ; circa quam, errorem topographicum Ferrarii, nonnullis aliis de loci fundatione adjectis, correximus in Commentario prævio ad Vitam B. Bonifacii, episcopi Lausanensis, ibidem quiescentis, die* XIX *Februarii, pag.* 149. *Characterem dicti exemplaris non elegantem, et hinc inde etiam mendosum sibi restituere conati sumus, additis quoque variis lectionibus, et quibusdam aliunde suppletis, sicut ex annotatis ad textum, et ex uncis in textu patebit. Videtur præferre antiquitatem seculi circiter decimi quarti. Pretium præ aliis omnibus, quos ego quidem viderim textus ille sibi facit ex eo, quod in fine exponat,* secundam relevationem corporis ; *ac* primum miraculum, quod accidit post relevationem corporis sacri.

et quid in ejusdem editione factum.

18 *Ex nota temporis prædictæ relevationi inserta, anno videlicet* 1249, *consequitur secundum dicta paragrapho superiore, duo ista postmodum reliquo textui adjecta fuisse ; an vero ab auctore primigenio Vitæ, an ab alio, non certo constat. Ut-* C *cumque res se habeat, licet gaudere inventis, quæ alioquin perrexissent fortasse latere in tenebris, nisi laudatus codex ea in lucem eruisset. Meminerit autem lector, nos de more rem totam in nova capita distribuisse, antiquorum titulis, post prologum notatis, et in decursu per numeros Romanos (qui in textu non apponebantur) ad marginem signatis. Titulum vero capitis* XXVI *hic desideratum addidi ex apographo Miræano ; atque idcirco illud caput uncis inclusi.*

Thomas, e quo nonnulla audivit biographus,

19 *Jam vero priusquam manum, quod aiunt, de tabula tollam, opportunus sese hic offert locus dandi pleniorem notitiam de Thoma, cujus supra obiter meminimus, primum ecclesia B. Mariæ apud Trudonenses, deinde monasterii ad S. Trudonem abbate* XXIX, *ut videsis apud Fisenum proxime citandum ; ex cujus nondum ad illam dignitatem evecti ore plurima intelligere potuit, nonnulla certe notatu dignissima intellexit biographus, quæ narrat a num.* 47. *Audire itaque juvat chronicum nostrum Trudonense Ms., postea pluribus memorandum :* Anno Domini MCCXXXIX, qui fuit primus annus Wilhelmi Leodiensis episcopi, postquam Joannes II de hac abbatia cessit, Thomas, qui ante D ingressum religionis, plebanus ecclesiæ B. Mariæ fuit, ortus de mediocribus oppidanis, utilis pro populo, postea præpositus hujus loci, vir circumspectus et sedulus abbas creatur... Iste abbas per suam diligentiam acquisivit duas partes sculpteti officii, in quo statuit fidelem virum, qui singulis annis octo mensibus villicavit.

pluribus describitur

20 Anno Domini MCCXL per diligentiam solicitudinis hujus abbatis hospitale, quod situm fuit in cœmeterio nostro, de consensu Jacobi episcopi Prænestini, Apostolicæ Sedis legati, translatum est ad locum, ubi stat in platea **de Stapel**, conditione tali, quod domus hospitalis dicta, in atrio nostro sita, et quidquid habere dignoscitur in platea **de Plancken**, in censu et redditibus nostro monasterio perpetue cedet ; et in recompensationem hujus assignationis præfato hospitali sex bonaria terræ de cultura nostra in Schuronem, et molendinum nostrum in **Staden** jure perpetuo ; nosque hospitalis, sicut hactenus fuimus, veri [sumus] patroni, erimusque.

e Chronico nostro Ms. Trudonensi,

21 Circa idem tempus præfatus abbas Romanam curiam adiit, et usum pontificalium orna- E mentorum, qui ex causa abbati Christiano a Papa retractus fuit, de novo ab Innocentio Papa, [ut] eo solemniter uteretur, impetravit: qui etiam plura privilegia pro utilitate ecclesiæ nostræ ab eodem Papa obtinuit... Anno Domini MCCXLVIII, anno primo Wilhelmi regis Alemanniæ, B. *(Beatrix, ut puto)* priorissa, totusque conventus monasterii S. Catharinæ in Milen compromiserunt per juramentum sub pœna excommunicationis in manus Thomæ abbatis, quod amodo non debeant numerum sanctimonialium et fratrum ac sororum augmentare ultra sexaginta personas : super quo compromisso, elaborante Thoma abbate, obtinuerunt confirmationem a Papa Innocentio IV.

cum epitaphio ejus.

22 Iste abbas fuit vir activus et solers, qui cum non haberet consanguineos valentes resistere monasterio injuriantibus, contraxit familiaritatem cum Joanne de Follonio, potenti oppidano, emptisque bonariis terræ arabilis, et eidem in feodum collatis, fecit illum vasallum suum : qui fideliter eidem pro muro contra adversarios fuit.

Eodem anno abbas Thomas obiit IV Kalendas F Novembris, cujus corpus spultum est ante altare S. Elisabeth habens tale epitaphium :

Gessit digna legi Thomas abbas : quia legi
Astrinxit multos ipsius dogmate fultos.
Divinum verbum bene prompserat, et quod acerbum.
Peccator gessit, hoc confessore recessit.
Ecclesiæ decori, quod reddita mitra labori,
Ejus inest memori jure, nequitque mori.
Ut viva fama sculptum faciat huic epigramma,
Horum lectores este sui memores.

An Sancta, ipso ad aram faciente, primum resuscitata fuerit, non constat.

23 *Breve laudati istius viri elogium dedit Fisenus in Floribus ecclesiæ Leodiensis ad diem* XXIII *Novembris, ubi texit catalogum abbatum Trudonensium ; addens, dum etiamnum* plebanus S. Mariæ Trudonensis *existeret*, in *isto* munere, cum aliquando sacris operaretur, ad vitam rediisse S. Christinam Admirabilem ; *idque tam videtur verisimile, quam factu facile, non tamen certum ; quia nobis non constat Bruthomiine an Trudonopoli*

prima

A *prima ejus mors contigerit. Consule annotata nostra ad cap.* I *Vitæ.*

§ III. Memoria in Fastis; elogia; vitæ institutum.

Sanctæ memoria notatur in additionibus ad Usuardum,

Codex Tornacensis Usuardinus, eodem, quo nostra Sancta obiit, seculo scriptus, textui suo præmittit hanc additionem : Natale S. Christinæ virginis; *nostræne an alterius? Ratio dubitandi esse potest, quia non additur cognomentum* Mirabilis. *Censeo tamen omnino, ibi de nostra agi, quia cum in prosecutione textus dicatur :* In Italia civitate Tyro, S. Christinæ virginis *(de qua et nos hoc die) alia, sine dubio est* Christina *textui Usuardino adjecta, alia in ipso textu relata : per quam adjectam et primo quidem loco, quænam verosimilius intelligi possit, quam* Mirabilis, *non video; utpote quæ tum temporis apud Tornacenses inclarescere potuerit. Nec obest omissio cognomenti : nam et illud omittit Henricus a Gandavo, Sanctæ item coævus (juxta* B *Valerium Andream in Bibliotheca Belgica anno* 1293 *mortuus;) qui apud Miræum in Bibliotheca ecclesiastica meminit cap.* 51 cujusdam Sanctæ mulieris in Hasbania, quæ vocabatur Christina; *per quam indigitari hanc, qua de agimus, etsi cognomentum absit, certo videor definire posse.*

non eodem die :

25 *Cognomentum quoque illud omittit Molanus, quamquam aliunde satis hanc Sanctam ob omni alia distinguat, sic eam signans :* In territorio Hasbano, sanctæ memoriæ Christinæ virginis : cujus Vitam scripsit Thomas Cantipratensis. *Ejus memoriam non invenio in nostro Florario Ms., Sanctis Belgis alioqui annuntiandis assueto. In catologo tamen Beatorum eadem, qua textus, manu exarato, et ad ejusdem calcem apposito, signatur* Christina Mirabilis pmo * Novembris; *quo diemne mortis an cultus tantum indicet, incertum. In aliis sane ubique Fastis hac die* XXIV, *aut* XXIII *Junii Sancta refertur.*

* primo

quæ et refertur in Fastis Benedictinis,

26 *Martyrologi Benedictini ad* XXIII *Junii ipsam inter Sanctos suos memorant. Wion in Ligno vitæ, parte* 2, *sic habet :* In Hasbania cœnobio S. Tru- C donis, S. Christinæ virginis, quæ semel ac secundo *(imo tertio)* mortua, talia stupenda patravit, quæ hominis sensum plane exsuperant. *Wiono concinit Menardus; at perperam uterque* in cœnobio S. Trudonis *eam annuntiat, in quo nec vixit, nec obiit. Dorganius rectius absque isto loco sic dixit :* S. Christinæ virginis, mirabilis pœnitentiæ, quæ semel ac secundo mortua, multa stupenda fecit. *Bucelinus Annalium Benedictinorum parte* 2, *ad annum* 1224, *pag.* 25 *sic brevissime :* Moritur B. Christina, vulgo Mirabilis. *Idem auctor in Menologio Benedictino die* XXIV *hujus (sequente Antonio de Heredia in Vitis Sanctorum,* 4 *tomis editis anno* 1685) In Hasbania, B. Christinæ cognomento Mirabilis, quæ plurimis cum in vita tum post mortem miraculis claruit.

Cisterciensibus, Præmonstratensibus,

27 *Cistercienses tabulæ Sanctam referunt hoc die* XXIV *Julii. Kalendarium sacrum istius Ordinis, anno* 1617 *Divione impressum habet isto :* Christina mirabilis, beata in Brabantia. *Henriquez in Menologio Cisterciensi, et Chalemotus in Serie Sanctorum, Beatorum ac illustrium virorum ejusdem Ordinis, ipsam pariter signant ; quam tamen non invenio in Kalendario expanso Sanctorum ac Beatorum ejusdem instituti, anno* 1620 *Bruxellæ excuso; uti nec in alio ejusdem generis, quem amplissimo Henrico vander Heyden, abbati Villariensi inscripsit Aubertus Miræus, et anno* 1621 *excudit; qui eamdem quoque Sanctam Cisterciensibus accenset in auctario seu libro* 5 *Originum monasticorum cap.* 17, *ubi Kalendarium Sanctorum ac Beatorum istius familiæ religiosæ contexuit. Inter Præmonstratenses* S. Christinam *nostram ponit Petrus de Waghenare in suo S. Norberto prosaico, pag.* 145. *Illam non reperio in Natalibus Præmonstratensibus apud Joannem Chrysostomum vander Sterre, nec in Bibliotheca istius Ordinis apud Joannem le Paige lib.* I, *a pag.* 344; *ubi Sanctorum ac Beatorum catalogum ordinavit.*

AUCTORE J. P.

aliisque.

28 *Ex aliis, præter Felicium qui Sanctam, ut vidimus, recenset* XXIII *Junii, eam memorat Martyrologium sub nomine Canisii allegari solitum, hac die* XXIV, *qua et ex Molano Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt. Rosweydus in Fastis Sanctorum, quorum Vitæ in Belgicis bibliothecis manuscriptæ exstant, eam pariter notat; cui adde Arturum in Gynæceo sacro* E *cum notis, Loherium nostrum in suo Menologio et Guilielmum Gazetum in Tabulis sacris Gallobelgicis, ubi inter Sanctos in diœcesi Leodiensi honoratos ipsam scribit : quam etiam inseruit Floribus ecclesiæ Leodiensis noster Bartholomæus Fiseuus. Atque ex his liquet, Sanctam adeo apud hagiologos celebrem, potuisse a Castellano sine ullo scrupulo accenseri tot aliis, quos ad suum Martyrologium universale adjecit; in cujus tabula hagiologica ponit eam omissam die* XXIII *Junii.*

Elogia

29 *Sanctam laudat Baronius ad annum* 1187, *num.* 10, *paucis multa complexus, quando eam vocat* Virginem magni nominis. *Miræus parvam de rebus ad ipsam pertinentibus synopsin habet in Fastis Belgicis a pag.* 443. *Noster Roderus eamdem parte* 2 *Viridarii* Thaumaturgam *merito appellat. Parvum item elogium habet Cratepolius infra laudandus. Elogium breve sed nitidum inscripsit Martyrologio suo Saussayus in hæc verba :* Abiit hodie ad Sponsi superni desideratum conspectum B. Christina cognomento Mirabilis; de qua, quæ stupenda referuntur, sic humanam mentem concutiunt, ut divinæ simul gratiæ ma- F gnitudinem incutiant adorandam. *Idem fere aliis verbis annuntiat Chalemotus, quando eam* cognomento Mirabilem *prædicat,* tum ob miraculosam vitam, tum ob miranda opera. *Catalogus qui præfigitur libro de sacrarum reliquiarum triginta sex eminentium Sanctorum, qui publicæ venerationi exponuntur in ecclesia S. Salvatoris, Ordinis Cisterciensis Antverpiæ, ab Amplissimo D. Francisco Dierickx, primo ejusdem loci abbate, anno* 1674 *Antverpiæ editus, breve illud de* S. Christina *habet elogium; in quo dicitur* re et nomine Mirabilis, quæ prodigiosum orbi portentum exstitit; donec tertio mortua, vitam immortalem invenit.

Benedictini hagiologi S. Christinam Ordini suo adscribunt; Cistercienses suo;

30 *Monastici, quos diximus, suo quique Ordini hanc Sanctam annumerant. Wionus jam citatus sic loquitur :* Fuit sanctimonialis monasterii S. Catharinæ Ordinis S. Benedicti juxta S. Trudonem. *Bucelinus loco supra allegato affert ista :* Moritur B. Christina virgo Mirabilis (ut agnoscas etiam his temporibus, vivis admirandum nostrum Ordinem fuisse) monialis Ordinis nostri in S. Catharinæ

AUCTORE J. P.

tharinæ juxta D. Trudonis cœnobium. *E Cisterciensibus Chrysostomus Henriquez eam suo Ordini attribuit in Kalendario Sanctarum ac Beatarum, quem præmittit libro, cui titulus* Lilia Cisterciensia, *ita loquens :* B. Christina cognomento Mirabilis, Ordinis Cisterciensis soror familiaris in Belgio. *Chalemotus supra item allegatus scribit*, ipsam... suscepto Ordinis familiaris habitu, Ordinemque ipsum sua sanctitate decorasse. *Et mox postquam dixerat de translatione corporis, addit hæc :* Ipsa vero Virgo in Hagiologio Ordinis manet adscripta. *Laudatus Henriquez non tantum idem trodit in Menologio Cisterciensi, quod paulo ante ex Liliis protulimus, sed pluribus hoc conatur stabilire in notis ad dictum Menologium, ita disserens :* Id licet expresse Cantipratanus non asserat, sic fuisse testatur Barnabas de Montalbo tomo I Chronicorum lib. 5, cap. 25.

rem perperam stabiliente Henriquez,

31 Et in Kalendario Gallico Sanctorum Ordinis Cisterciensis, inter nostri instituti beatas recensetur his verbis : « Christina Mirabilis, Beata « in Brabantia » Ubi Beata vocatur eo sensu a B nobis jam superius declarato. Porro ex ipso, quod induebatur, habitu, id idem colligitur : nam teste Barnaba de Montalbo, tunica alba et ejusdem coloris chlamyde seu mantello utebatur; quod genus vestium, ut ex nostris antiquis constitutionibus constat, proprium erat Cisterciensibus virginibus. Moniales vero S. Catherinæ, ubi pia Femina obiit, et tandem sepulta fuit, semper habitu nigro fuerunt usæ : unde constat, non Benedictinam, ut quidam volunt, sed Cisterciensem fuisse. Quod etiam testatur Angelus Manrique in suo Kalendario Salmanticæ edito, eam Cisterciensi instituto adscribens. Tantorum ergo virorum auctoritate motus non potui eam inter sacras virgines non recensere. *Sed nimis facile Henriquezius istis auctoribus crediderit, quia avidissime voluerit esse verum, quod illi asserebant. Montalvius hispanice excusus Matriti anno* 1602, *pag.* 262 *fallit vel fallitur, quando ad probandum* S. Christinæ *monasticum institutum citat verba prologi ad Vitam B. Mariæ Oigniacensis; ubi loco citato apud nos num.* 4 *sunt ista :*

C

cum Barnaba de Montalvio, qui turpiter hallucinatur.

32 Unde cum quidam Sanctus adhuc, de S. Bernardi monachis in abbatia, quæ dicitur Alna, Domino militaret, et ex simplicitate dubitaret, cujusmodi essent homines et mulieres, qui quibusdam novis nominibus a malitiosis appellarentur; hujusmodi responsum in oratione accepit a Spiritu sancto : Invenientur in fide stabiles, et in operibus efficaces. *Montalvius vero sic narrat ista, ex Hispanico translata :* Dum monachæ et multæ personæ seculares murmurarent de illis *(agit de B. Maria Oigniacensi et* S. Christina) quod gestantes habitum suum, et existentes religiosæ exirent foras extra monasterium, Dominus isti suo servo revelavit, vitam earum sibi esse valde gratam. Quia cum die quadam orationi vacaret, rogando Deum, an quæ contra has suas famulas fiebat, esset justa murmuratio; audivit vocem de cœlo sibi dicentem : Invenientur firmæ et stabiles in fide, et opere efficaces. *Quæ refert Vitriacus de mulieribus in genere (nam paucis interpositis mox subdit :* Sed jam ad personas singulares... descendamus) *Montalvius perperam detorquet ad Mariam Oigniacensem et* Christinam Mirabilem. *Nullus item apex apud Vitriacum in allatis verbis de habitu earum monastico aut vita religiosa. Unde arguitur Montalvius, adjecisse vel somniasse, quod voluit, et nentiquam invenit. Perperam itaque tradit, Sanctam nostram fuisse monachum;* gestando habitum Cisterciensem *fuisse quasi* beatam *seu devotam;* sub obedientia abbatissæ S. Catharinæ vixisse ; *ac denique :* monasterium S. Catharinæ extra muros S. Trudonis fuisse Ordinis Cirterciensis; *quod falsissimum est.* D

Sanctam quoque sibi attribuunt Præmonstratenses; at nulli certo instituto religioso adstrictam fuisse,

33 *Laudatus Waghenarius Sanctam instituto Præmonstratensi ita asserit loco citato :* Fuit soror familiaris, non Ordinis Cisterciensis, uti in Menologio suo asserit Henriquez, sed Ordinis Præmonstratensis; uti mihi significavit supradictus amplissimus Dominus abbas Tongerloensis *(D. Augustinus Wichmans)* nam ab Averbodiensibus nostri Ordinis religiosis, pastoribus in Brusthem directa, et habitu nostri Ordinis, videlicet tunica alba et ejusdem coloris chlamyde seu mantello vestita incessit. *Tres itaque religiosi Ordines Sanctam sibi vindicant; quam ego ad nullum censeo pertinere.* 1. *Quia nullus, quod sciam, auctor idoneus illud trodit.* 2. *Quia de eo tacet Cantipratanus, in pluribus minoris momenti recensendis accuratus ; idque sine ullo dubio indicare non prætermisisset hic, sicut alibi duplex S. Lutgardis vitæ religiosæ institutum, et transitum quidem ab uno ad aliud commemorat; prout dicetur paragrapho proximo.* 3. *Argumentum, quod desumitur a Sanctæ indumento (de quo Vita cap.* 4*) certi nihil pro statu monastico aut religioso probat. Unde dum hinc Waghenarius, inde Henriquezius, idem uterque pro diverso prorsus instituto argumentum e vestitu desumunt, et sui ambo Ordinis habitu Sanctam induunt, mutuis utrimque rationibus, quæ inde petuntur, inter se pugnant, et nihil conficiunt.* E

probatur,

34 *Sed fac* S. Christinam *præ se tulisse similitudinem quamdam monastici vestitus; an inde mox recte sequitur alicujus Ordinis monialem fuisse? Ad hæc, potuit ea dirigi a Præmonstratensibus, et tamen non esse Præmonstratensis, sicut* S. Christina *Stumbelensis non ideo fuit proprie monialis Dominicana. Quod supra dicebat Waghenarius de Wichmanno; respondeo, non quæri, quid dixerit iste abbas, sed an ea, quæ dixit, probare potuerit. Quod si quis ex* S. Christinæ *ingressu, egressu ac regressu in parthenonem religiosum S. Catharinæ prope Trudonopolim, vitaque ibidem ut plurimum acta, ac morte demum obita, singulari aliquo titulo contendat, eam non vitæ religiosæ professione, quam numquam ediderit, sed affectu solo illuc utcumque pertinere, non multum refragabimur ; eodemque fere titulo hanc dabimus virginibus Benedictinis, quo Stumbelensem dedimus Dominicanis; ut videsis tomum citatum pag.* 272, *num.* 9. *Hinc verba Beatricis ad Sanctam, quæ habes in Vita num.* 52 : O Christina, obediens semper mihi in vita fuisti, *intellige non de obedientia religiosa, sed de voluntatum conformatione, qualis est inter amicos.* F

neque ad Beghinas spectare.

35 *Neque dicas cum Castellano in tabula Hagiologica ad suum Martyrologium universale, quod* S. Christina Mirabilis *fuerit Beghina : nam si vera sit epocha Chronici Trudonensis Ms., in quo legitur :* Incepit status Beginarum anno Domini MCCXLV, *Sancta jam dudum obierat; quod si cum magno Chronico Belgico, postea commemorando, ad annum* 1168, *tom.* 3, *pag.* 193, *hoc tribuas* Lamberto

A berto Begge, a cujus nomine adhuc Beghinæ vocantur : quia primus invenit ordinem Beghinarum, et eis primum castitatis normam verbo et exemplo prædicavit; *de quo etiam videri potest Miræus in Chronico Cisterciensi, Fisenus in Floribus ecclesiæ Leodiensis ad* XXV *Junii, et novissime Hippolytus Helyotus Historiæ monasticæ tom.* 8, *pag.* 3; *tunc non pugnabit quidem tempus, quo minus Beghina fuerit Sancta; hoc tamen vitæ institutum eidem abjudicamus, quia biographus nihil de eo prodidit. Putamus itaque eam seculari in statu vixisse, nullis certis communitatis religiosæ aut parthenicæ legibus obstrictam. Ac de vitæ quidem instituto satis dictum est; sequitur, ut alia quædam Sanctæ adjuncta elucidentur.*

§ IV. Patria; dies et annus mortis; vitæ chronotaxis; sepultura, translatio corporis, status ejusdem hodiernus; reliquiæ, veneratio publica.

B

Patriam, de qua aliunde non satis distincte constat.

Dionysius Cartusianus loco producto de Quatuor novissimis, in rem nostram tradit ista : Christina.... nata fuit in oppido S. Trudonis ; vel, ut aliqui dicunt, in pago nomine Brusten, sito juxta oppidum memoratum ; *quæ patriæ locum dividunt potius, quam in individuo determinent. Magis illum determinat apographum Miræi cap.* I, *quando natam fuisse asserit* ex villa quadam nobilis viri comitis de Los, quæ vulgariter Bruesthem appellatur, juxta oppidum S. Trudonis in Hasbania Leodiensis diœcesis. *Ms. Rubeæ vallis in titulo Vitæ ponit* de S. Trudone, *sed cap.* I Brustemii *natam asserit ; vide annotata ad cap.* I. *Porro locus iste adjacet prædicto oppido, qua illud Meridiem inter et Orientem Borckloam spectat. Apud Surium citatum legitur* in oppido S. Trudonis..... orta ; *sed in editione anni* 1618 *appositus est ad marginem asteriscus una cum hisce verbis :* alias pago, qui Brustemum dicitur. *Exemplar quod prælo damus, codex item noster chartaceus supra memoratus, Fisenus, et Cratepolius de episcopis seu Sanctis Germaniæ pag.*41, *ubi nonnulla de* S. Christina *compendiose recenset, Trudonopolitanam faciunt. Constantius Felicius ad diem* XXIII *Junii illam ridicule adscribit* Albaniæ de castro S. Trudonii supra flumen Mosam, quæ erat dicta Mirantius. *Quot voces, tot fere falsitates. Ex dictis deducimus, jam tum a tempore Dionysii Cartusiani non satis distincte ac certe constitisse de loco Sanctæ natali ; et quia nunc variant Vitæ codices, neque scitur quænam genuina sit lectio, dicamus non satis inde certum esse, Brusthemiine prope Trudonopolim, an in ipso potius oppido Trudonopolitano vivere cœperit.*

C

putamus esse Brusthemium cum Mantelio.

37 *Sed Mantelius in Hasseleto suo sive compendio historiæ Lossensis cap.* 17 *rem aliunde non satis certam definit, sic loquens :* Grande illud et immortale comitatus Lossensis decus *(Christina Mirabilis)* in lucem editum fuit Brustemii, alodiali comitum villa; non, ut quidam putant, Trudonopoli, eo quod Cantipratanus, Vitriacus, et alii Trudonensem ex vulgi opinione scribant ; quod ibi quam diutissime commorata sit, quibus in nativitatis ejus locum inquirere non fuit curæ. Brustemiensem Brustemiique natam (at quo præcise anno nescitur) testantur præter Joannem Brustemiensem *(professione Franciscanum, patria Trudonopolitanum, qui anno* 1545 *floruit, sicut tradit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica)* et compilatorem Trudonensis Chronici, *(in nostro tamen Ms. nihil de hac re invenio)* antiqua celeberrimi istius monasterii monumenta ; in quibus observavi plus decem locis, exertis adnotatum verbis, S. Christinam Mirabilem editam in lucem Brustemii ; quin et illorum refutatam sententiam, qui Trudonensem putant ex illa, quam dixi, conjectura. *Atque ex istis nos probabilius putamus, Sanctam ad Brusthemienses pertinere.*

AUCTORE J. P.

Quo die obierit, incertum ; de anno mortis constat, non tamen satis determinate.

38 *Diem mortis nusquam invenio apud biographum ; circa quod punctum merito videtur arguendus, ut qui sine magno negotio illum rescire potuerit. Quo factum sit, ut alio ab aliis die, ac neutro fortasse proprio et suo, Sanctæ memoria referatur. Surius fatetur* necdum sibi *de eo constare ; visum tamen ipsi fuit Vitam subnectere gestis B. Mariæ Oigniacensis, die* XXIII *Junii, et facti sui causas allegat, sed mere arbitrarias ; quo etiam die Wionus Sanctam inscribit Ligno vitæ. Quo fundamento apud Arturum in notis ad hunc diem* XXIV, *et in Bibliotheca Prædicatorum commemorata, asseratur obiisse dicto die* XXIII, *hactenus me latet. In additionibus ad Usuardum adjectis, Molano in Natalibus Sanctorum Belgii, et aliis recentioribus ponitur hoc die* XXIV *Julii ; de qua re supra inter annuntiationes et elogia. Nec vero laudatus biographus, alibi satis accurationis apicem explevit in signando anno mortis, dicens* defunctam esse anno circiter.... MCCXXIV, *ubi vides per adverbium* circiter *non satis determinate ac distincte mortis annum exprimi ; quod mirum est post adeo exiguam, quæ Sanctæ mortem inter et scriptionem biographi intercessit, intercapedinem, non determinatius contigisse. A vero mortis anno certissime aberravit Petrus Waghenarius, loco producto dicens, eam* ad Christum felicissime transivisse circa annum MCCXXXIV.

E

Ordinatur Vitæ chronotaxis,

39 *Vitæ chronotaxim præterpropter ita ordino. Annus natalis, a biographo præteritus, fuerit* 1150 *Anno* 1165, *ætatis* 15, *duæ ejus sorores ipsam* juniorem, ut ad pascua euntia pecora custodiret. instituerint ; *consule Vitam num.* 4 ; *a quo tempore* viliori et humiliori officio deputatæ Christus non defuit consolator : quin imo illi dedit gratiam internæ dulcedinis, secretisque eam cœlestibus visitavit, *usque ad annum Christi circiter* 1182, *ætatis* 32, *quo prima vice obiit ac revixit ; non autem anno* 1186, *sicut ex incidenti, re nondum examinata, dicitur tomo* IX *mensis Junii pag.* 270 : *cum juxta dicta anno circiter* 1224 *mortua sit, eodemque biographo teste num.* 54, vixerit.... postquam primo resurrexit, quadraginta duobus annis. *Cum vero* multo ante tempore *(num.* 32*) subdendam* prædixerit, *quam* sancta terra Jerusalem Saracenis impiis subderetur, *non signato anno, quo illud prædixit, ponamus prædixisse anno* 1183. *quadriennio antequam contigit ; nisi fortasse prædixerit illud ante primam suam mortem, et aliquot quidem ante illam annis, ut proprie intelligi possit* MULTO ANTE tempore *rei eventum prædixisse.* Cumque venisset dies *(ibidem)* quo a Solahadino *(Saladino)* capta fuit Jerusalem..., ipsa in castro de Loen posita, rei eventum coguovit in spiritu,

F

anno

AUCTORE J. P.

anno videlicet 1187, *die* XXVIII *Septembris vel* II *Octobris, quo tragœdia ista contigit. Vide annotata in hunc locum.*

pluribus Sanctæ gestis

40 *Ex charactere topographico* Loen, *in quo Sancta dictum eventum cognovit, videtur argui utcumque posse, quod id contigerit tempore istius novennii, de quo sic narrat Vita num.* 38 : Castrum...., quod Loen dicitur, expetivit, ubi cum quadam religiosissimæ vitæ reclusa, Iveta nomine, moram per novennium faciens, mira per eam operatus est Dominus. *Quo se contulerit anno circiter* 1186 : *quamquam Fisenus in historia ecclesiæ Leodiensis ad annum* 1192, *sic loquatur :* Ad Ivettam quando venerit, prodidit nemo: hoc certe comperisse videor, venisse ante annum sequentis seculi quartum. *Sub idem prædictæ commemorationis tempus pono miraculosum cantum, quo* in eodem loco *prædita fuisse dicitur num.* 39 ; *ad quem forte annum* 1192 *cum laudato Fiseno etiam reduci possint summa æstimatio et observantia, quibus Ludovicus comes Lossensis Sanctam prosecutus traditur a biographa num.* 41 ; cœperitque *tum* eam ex corde diligere.
B *De vaticiniis duobus infra disseritur paragrapho singulari. Anno* 1213, *mense Octobri videt in spiritu prælium, (num.* 25.*)*

ad sua quæque tempora utcumque revocatis.

41 *Lossensem comitem comparat ad mortem (num.* 44*) pœnasque ignis purgantis cum eo partitur (num.* 45*) anno Christi* 1218, *quo is vita functus fuisse certo colligitur ex duplici diplomate (non autem anno* 1217, *uti est apud Mantelium lib.* 6 *Historiæ Lossensis pag.* 170*) quod duplex diploma habes in supplemento Miræi, ad opera diplomatica et historica tomo* 2, *pag,* 845, *et* 846 *novissimæ editionis anni* 1723 *: nam alterum, quod est Ludovici, signatur* anno Dominicæ Incarnationis MCCXVIII ; *alterum vero* Arnoldi comitis Lossensis, qui dicti Ludovici frater et heres fuit, *eodem anno notatur ; ut tertium mittam, priora duo approbans, eodem item anno datum ab Hugone Leodiensi episcopo.* In ultimo vitæ suæ anno, *teste biographo num.* 46, solitudo illi et desertum frequenter habitaculum erant, *anno videlicet circiter* 1223; *quo etiam spectant, tam mirabilia ibidem recensita, quam reditus* ad oppidum S. Trudonis, *quando* in monasterio S. Catharinæ sæpius morabatur. *Quo circiter tempore*
C *habuerit alternos animæ et corporis inter se dialogismos a num.* 47 *expositos; idque conficitur ex his verbis :* Jam finis instat laboris tui ; jam quiesces in pulvere. *Anno denique circiter* 1224 *secunda ac tertia vice mortem obiit (num.* 52 *et* 53*) anno circiter ætatis* 74 ; *post primum ad vitam reditum anno* 42, *prout notat scriptor Vitæ num.* 54. *Sed his, quæ ad vitam ac mortem ejus spectant, subdantur quæ post vitam acciderunt.*

Explanantur ea, quæ ad sepulturam et corporis translationem spectant;

42 Sepulta est autem, (*eodem numero* 54) extra oppidum S. Trudonis in monasterio S. Catharinæ, *ubi diem quoque clauserat extremum, quod monasterium erat monialium Ordinis S. Benedicti ;* quievitque ibidem annis septem, scilicet usque ad tempus, quo corpus ejus, et omne ædificium monasterii in locum magis congruum et proximum transtulerunt. *De qua re Chronicon Trudonense Ms., quod habemus, a compilatore ad sua usque tempora deductum (sicut patet ex præfatione) de gestis duodecim abbatum a fol.* 275 *ad* 346, *desinens in anno* 1366, *tradit sequentia :* Anno Domini MCCXXXI omne ædificium monasterii S. Catharinæ, situm in suburbio oppidi S. Trudonis, quod ad S. Catharinam vocatur, translatum est ad locum magis congruum : et confluentiam aquarum cum omni jurisdictione sua temporali dicto monasterio contulit *Libertus abbas. Et subditur :* Sub eadem translatione corpus sanctum Christinæ Mirabilis, quod septem annis in loco prioris monasterii humatum fuit, exhumatur, et ad locum novæ habitationis transfertur. *Sed de hac re pluribus infra. Notemus interim cum Bartholomæo Fiseno in Floribus ecclesiæ Leodiensis pag.* 277 hodie solum *prioris istius monasterii* superesse S. Catharinæ templum. D

correcta Legenda Flandrica, et injecta obiter mentione de S. Lutgarde.

43 *Perperam itaque Legenda Flandrica ante Vitam Sanctæ dicit, eam* in monasterio S. Catharinæ apud Trudonopolim quiescere ; *præsertim cum in fine ejusdem Vitæ diserte notetur, ibidem per septem annos quievisse, donec translatum fuerit monasterium S. Catharinæ ad aptiorem locum, et tum apertum esse ejus sepulcrum, etc. In dicto S. Catharinæ monasterio institutum Ordinis Benedictini professa est S. Lutgardis, ut videsis ad diem* XVI *Junii in ejus Vita, cap.* 1, *num.* 1 ; *cujus etiam monasterii priorissa creatur, cap.* 2, *num.* 20; *et* E
abbas S. Trudonis pater.... spiritualis ipsius monasterii S. Catharinæ *vocatur num.* 21 *: unde S. Lutgardis instinctu divino, et monitu* S. Christinæ *transiit Aquiriam Ordinis Cisterciensis num.* 22; *ubi quantum ad Sanctæ nostræ memoriam attinet, sic dicitur :* Sed et quædam beatissima virgo, Christina nomine.... spiritu compulsa divinitus ad eam accessit, in hæc verba prorumpens : Quid cunctaris, inquit, adimplere ea, quæ tibi ex instinctu divino jubentur ?

Unde acceperimus ea, quæ hic damus de moderno corporis statu.

44 *Porro quo tempore non ita pridem illustrandis* S. Christinæ *Actis distinebar, quia curta nobis admodum erat in isto argumento supellex, recurrere pro pleniore notitia placuit ad venerandum nobis admodum domnum Benedictum vander Borcht, meritissimum abbatiæ Trudonianæ priorem, qui labori non pepercit, ut et suo in Sanctam et nos studio faceret satis. Officiosissimæ viri humanitati imprimis debemus ea, quæ accepimus de hodierno sacrarum* S. Christinæ *exuviarum statu, uti liquet ex sequenti testimonio authentico, hac super re ad nos transmisso et manu V. A. P. Petri Diels, confessarii in Milen subnotato, quod sic habet :* In abbatia de Milen F
sunt omnia ossa nuda Christinæ Mirabilis, inclusa in capsula argentea, collocata in sacello, appellato sacellum S. Christinæ. Pechys vel os lacerti a cubitu usque ad juncturam manus, ab aliquot annis missum est ad comitem Palatinum, qui illud petiverat pro Magno duce Hetruriæ : qui reliquiam illam recepit, et in gratitudinis tesseram dedit prædicto monasterio remonstrantiam ornatam raris et pretiosis monilibus ; donum certe tanto duce dignum.

Reliquiæ ex Lusitania Antverpiam delatæ, et ibi honoratæ.

45 *Tomo primo Aprilis pag.* 73 *inter plurima sacra pignora ex Lusitania Antverpiam delata, et abbati ibidem S. Salvatoris, Ordinis Cisterciensis, ab Emmanuele Antonii Lusitaniæ exregis filio, anno* 1633 *data, notatur sub* num. XXII pars spinæ dorsi S. Christinæ Mirabilis. *Qua occasione sacra lipsana ibidem enumerata Antverpiam pervenerint, exponitur a pag.* 72 ; *et pag.* 74 *dicitur de translatione reliquiarum Belgicarum Sanctarum in Italiam, indeque in Lusitaniam, quæ Antverpiæ anno*

1671

A 1671 *instituta confraternitate, et* 1672 *solenni translatione honoratæ sunt; cujus insignem pompam describit amplissimus Dierickx supra laudatus a pag.* 242. *Huc spectat chronicon sequens Sanctæ nostræ imagini inscriptum :* DIVa ChrIstIna VIrgo Vere MIrabILIs. *Et in dedicatione disputationum publicarum chronographica, Sanctis hisce inscripta, dicitur,* ChrIstInæ In VIta sUa Vere aDMIrabILI.

Earum Milenii hodiernus cultus,

46 *De veneratione moderna Milenii hæc pauca docet citatum supra testimonium :* Ad sacellum prædictum veniunt quandoque aliquot personæ honorare Christinam Mirabilem, offerentes vel candelas, vel imagines cereas aut alia devotionalia. In festo S. Catharinæ * cantant religiosæ singulis annis Missam de communi Virginum in honorem ipsius, nec quidquam aliud particulare Officium, nec Litanias, nec orationes habent. *Inter Sanctorum ac Sanctarum nomina, suum cujusque diem denuntiantia, quibus annuæ eorum solennitates cum publica reliquiarum veneratione ac variis indulgentiis in ecclesia S. Salvatoris Antverpiæ celebrantur, hac die* XXIV *Julii ponitur* S. B Christina Mirabilis; *ut videre est in libro pluries allegato.*

** forte* Christinæ

et quondam in Lusitania.

47 *Sanctam jam pridem in Lusitania publica veneratione, Missa solenni et Officio canonico cultam fuisse discimus ex diplomate illustrissimi Joannis Alvarez de Lusana, Portucalensis episcopi, dato* XVII *Januarii anno* 1627 *pro veritate sæpe dictarum reliquiarum, quod ibidem profertur a pag.* 231; *et in quo laudatus Illustrissimus ad rem nostram ita testatur:* Superaddimus, quod Nos (dum in præpositura sacelli regii degebamus) dictas veras reliquias sæpe regi, reginæ, eorumque filiis, aliisque proceribus aulæ, nec non millenis Christi fidelibus pro veneratione exosculandas præbuerimus. Insuper fide, ut supra, affirmamus, Nos cum sacellanis regni eorumque vicariis, ex specialibus indultis Pontificiis, etiam post Tridentinum a Congregatione sacrorum Rituum obtentis, et a Sede Apostolica approbatis, annuum singulorum Sanctorum ac Sanctarum festum semper coluisse, ac solemni divino Officio choraliter celebrasse, summumque Sacrum decantasse de dictis triginta quinque Sanctis in proprio C seu in communi, quousque dictus sacrarum reliquiarum thesaurus in sacello regno exstitit. *Et Sancta quidem nostra notatur inter festa, quæ secundum indulta præfata celebrari consueta sunt* Officio simplici, quod habet in Matutinis tres lectiones cum psalmis de feria occurrente, secundum rubricas, in ordine divini Officii in talibus festis digestas. *In supplemento dicti tomi pag.* 898 *ex authentica episcopi Portucalensis bulla dicitur, unde et qua occasione singulæ dictarum reliquiarum partes in regum Lusitanorum potestatem venerint, ad pleniorem notitiam eorum, quæ apud nos citata pagina* 74 *dicta fuerant.*

§ V. Elucidantur variæ S. Christinæ prophetiæ; vulnera Christi inepte ipsi imputata.

Biographus noster in Vita, quam prælo damus, de *Sancta sic scribit num.* 34 : Famem etiam maximam, quæ fuit anno circiter ab Incarnatione Domini MCLXX, multo tempore ante prædixit. *Idem annus notatur in codice nostro chartaceo* O Ms. 12; *pro quo anno in codicibus nostris membranaceis* P. Ms. 17 *et* P. Ms. 19 *cum apographo Mirxi, ad Ms. Rubeæ vallis collato, et impressis apud Surium supra citatis, invenitur annus circiter* MCCLXX. *Fisenus in historia ecclesiæ Leodiensis ad annum* 1224 *ita disserit :* Æstate media vehemens æstus torruerat segetes; cum VIII Kal. Augusti vi tanta ventus incubuit in agros, ut spicis vapore cœli siccatis excutiens grana, spem colonorum uberrimam eluserit. Invasit hæc pestis Germaniam, Galliam, Hispaniam, consumptaque per hyemem annona, provincias omnes tam graviter afflixit, ut hominibus inedia confectis, viæ passim agrique sternerentur; imo lupi sylvis erumpentes, grassabantur in homines, infantesque matribus frequenter abripuerunt. Hæc illa clades est, quam prævidit, et longo ante tempore prædicavit B. Christina.

AUCTORE J. P.

Fames, quam S. Christina prædixit, an cum apographis Vitæ ad annum 1170 *aut* 1270,

an cum Fiseno ad 1224

49 Quamquam apud Surium legatur evenisse anno septuagesimo, sed perperam; quandoquidem nullam anno illo famem reperiam; et quod E maxime mihi persuadet, Cantipratanus illius Vitæ prologo affirmat, se scripsisse anno tricesimo *(imo circiter* 32, *uti ex supra dictis liquet)* quo nimirum nihil dicere potuit de septuagesimo. *Ita ille, citans Chronicon Hirsaugiense; in quo ad annum* 1225 *lego ista :* Hyems fuit hoc anno dura simul ac longissima; quam fames biennio durans gravissima est subsecuta, qua multi misere perierunt. *Magnum Chronicon Belgicum inter rerum Germanicarum scriptores veteres e Pistorii bibliotheca erutos, tomo* 3, *pag.* 215 *ita scribit :* Anno... Hugonis *(Petrapontii, episcopi Leodiensis)* vigesimo quinto (*Christi* 1224) cum siccitas nimia esset, in festo S. Christophori ventus validus aristas concussit; pro quo tanta caritas secuta est, ut modius siliginis venderetur 27 solidis Leodiensibus, et lupi circa Rhenum irruerent in homines, et infantes asportarent præ fame nimia. *Atque ex his fames quidem isto tempore satis stabilitur, quam Fisenus supra vult a* S. Christina *prædictam; sed an de hac tantum, et non de alia fame prædictio illa intelligi possit, inquirendum restat.* F

referenda sit,

50 *Fames illa in tribus Mss. exemplaribus, ut jam diximus, quibus adde Surium, innectitur anno circiter* 1270. *Reponet Fisenus,* sed perperam; quandoquidem nullam anno illo famem reperiam. *At eam forte reperisset apud Siffridum presbyterum Misnensem, qui editus est inter Scriptores veteres rerum Germanicarum tomo* 1, *a pag.* 682. *Is in suæ Epitomes, ab anno* 458 *ad* 1307 *deductæ lib.* 2, *ad annum* 1271 *tradit sequentia :* In Teutonia fames valida fuit, et tribus annis duravit; ita quod multi homines fame perierunt. *Famem itaque Teutonicam hic habemus; sed an Hasbanicam simul et nostram, qua de disserimus, a* S. Christina *prædictam? Quid, inquies, cogit epocham, anni circiter* 1271 *rejicere, et adoptare aliam anni* 1224, *quæ non reperitur in aliquo ex iis, quæ ego quidem viderim, exemplaribus Vitæ signata?* Quod maxime, *inquit Fisenus,* mihi persuadet; Cantipratanus illius Vitæ prologo affirmat, se scripsisse anno tricesimo, quo nimirum nihil dicere potuit de septuagesimo. *Et cur? An quia isto anno jam vivere desierat?*

AUCTORE J. P. *inquiritur,*

51 *At vero:* Quousque vitam produxerit, quove anno *(Cantipratanus)* diem obierit, nihil certi apud auctores inveniri, *dicitur in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum citata:* aliis ad MCCLXIII, tantum cum Lipsio; aliis cum Colvenerio ad MCCLXXX pervenisse asserentibus. Ad annum MCCLXX aut MCCLXXII vixisse, *ibidem conjicitur. Nec vero certi aliquid de anno ipsius mortis definire potuit in Bibliotheca Belgica Valerius Andreas. Non itaque ex anno obituali laudati Cantipratani, æra istius famis certo labitur, de quo incerta sunt omnia; imo vero ex eadem forte probabiliter utcumque concludi possit, ipsum isto anno etiamnum supervixisse, si admittamus prædictam famem cum sua epocha vere ab ipso signatam fuisse. Magna, fateor, temporis intercapedo a prima Vitæ conscriptione usque ad annum* 1270, *quo fames sæpe dicta contigerit, interponenda tunc est; sed quid si auctor, Vitæ jam dudum antea a se compositæ, postmodum, siquidem eo usque vixit, vel si non vixit, alius aliquis fortasse adjecerit vel prædictionem famis, vel annum certe, quo ea contigit? Atque hæc quidem dici possent pro anno* 1270; *si non tam clare pugnarent cum tempore, quo Vita scripta est; ac proin vulgata. Certe* B *adjectio ista adeo sera ac præpostera neutiquam est probabilis; atque adeo stat eatenus Fiseni argumentum.*

Sed epochis istis, et alteri anni 1196

52 *Sed quæro ex Fiseno cur, si hanc notam chronologicam rejiciat, eidem annum* 1224 *substituerit potius, quam annum* 1196, *quo æque ac illo fames dira desæviit, sicut post alios tradit noster Petrus d'Outermannus lib.* 1 *Constantinopolis Belgicæ,* § 3, *pag.* 53, *et ipsemet Fisenus in Historia Leodiensi ad istum annum? Nobis certe axiomatis loco fixum sedet, epochas Vitarum non mutare, nisi quando manifeste ac necessario mutari debent, quia non subsistunt; quod cum hic non fiat, servanda est epocha nostra, quantum potest, circa famem illam, anno* 1170 *circiter, in hoc, quod vulgamus, et in alio item exemplari notata. Enimvero eam manifeste non evertit chronotaxis Vitæ, superius a nobis ordinata: nam pone Sanctæ natales anno Christi circiter* 1150; *ejusque* sorores... juniorem Christinam, ut ad pascua euntia pecora custodiret, instituisse, *anno circiter* 15 *ætatis suæ, Christi* C 1165; *quando* Christus.. secretis cœlestibus eam sæpius visitabat; *inter quæ si colloces prædictionem istam, quam illa (tametsi* mansit cunctis *tunc* incognita) *sororibus aut amicis prænuntiare tamen potuit, (sicut exposuit, quidnam sibi contigisset post primam mortem, ex Vita num.* 5 *et* 6) *jam intelligetur quo pacto eam* multo tempore ante *prædixerit, annis videlicet circiter quinque.*

videtur præferenda, quæ in duobus exemplaribus signatur, anni 1170.

53 *Atque hoc modo servari utcumque posse censemus epocham istam; quamquam sua certe difficultate non careat, prout quilibet satis intelliget, qui eam attente expenderit. Illi igitur epochæ anni* 1170 *præ alia palmam damus: tum quia in duobus exemplaribus ea signatur: tum quia facile in illis aliis unum* C *adjungi potuit; tum denique quia minus difficulter et contorte res prædicta cum tempore scriptoris Vitæ, Sanctæ prædicentis, ac prædictionis eventu conciliari potest; quamquam fateri cogar, (quod durum est) me de fame anni* 1170 *nihil hactenus aliunde didicisse.*

De clade Stepsiana, quam Sancta prænuntiavit,

54 *Jam vero clades Stepsiana vel Steppeana, quam Sancta prænuntiavit, verbulo a biographo in Vita num.* 29 *indicata, paucis hic modo illustranda est. Pugnatum est Leodienses inter ac Brabantos* D *anno* 1213, *illis contra hos annuente victoria omnibus numeris absoluta. Porro dissensionis causam, continuationem ac finem, quæ famosum hoc prælium circumstant, exponunt: Chronicon nostrum Trudonense Ms.; Butkens Trophæorum Brabantiæ tomo* 1, *lib.* 4, *cap.* 4 *ad annum* 1211, *a pag.* 176, *et ad annum* 1213, *a pag.* 181; *Mantelius in Compendio Historiæ Lossensis cap.* 20, *ex Chronico Trudonensi; ac Fisenus Historiæ Leodiensis lib.* 12, *ubi et strenuissimos ducis Lossensis in isto prælio conatus commemorat. Palmæ adeo insignis laurea S. Lamberti Martyris, Leodiensium episcopi ac patroni tutelaris (de quo ad diem* XVII *Septembris) cujus causa agebatur, patrocinio attribuitur. Quæ vel hic obiter delibasse sit satis, rejectis paucutis in annotata. Proprius huc spectat dies, quo pugna hæc commissa fuit.*

55 Dies, *inquit laudatus Fisenus num.* 18, erat *ejusque die.* dominicus; quo notarunt initium Missæ datum hac Psalmistæ sententia: Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Decimus tertius Octobris erat; nostrates enim omnes una voce constanter E asserunt, esse pugnatum pridie S. Calixti; non igitur XXVIII Aprilis, quemadmodum Divæo placet, qui fortassis audito, Leodii triumphum S. Lamberti isto die celebrari, Steppeanum esse credidit; cum sit Bullioniensis, qui in dominicum item diem hoc anno incidebat: *de quo idem iste auctor ad annum* 1141, *a num.* 6; *de annua vero Bullionici triumphi celebratione cum translatione S. Lamberti ad annum* 1143, *num.* 11; *cujus item auspiciis ille acceptus referebatur. Atque ex dictis confirmatur ac determinatur dies, quæ in codicibus. Miræi ac Rubeæ vallis Octobris quidem fuisse dicitur, at in aliis Mss. non ponitur. Vide annotata ad cap.* 3, *littera* d.

56 *In tertio Sanctæ vaticinio, a biographo num.* *Alterius item prophetiæ locus,* 43 *brevibus ac confusis terminis relato, quo imminentem Ludovico comiti Lossensi proditionem prædixit, dispiciendum imprimis de loco, in quo ista prædictio contigit, palatio videlicet Lossensi,* quod nunc, *inquit idem biographus, tempore utique, quo Sanctæ Vitam scribebat,* destructum est; *adeoque jam anno circiter* 1232, *quo ille scripsit, destructum jacebat. At quando destructio ista contigit? Mantelius in Historia Lossensi supra citato libro* 7, *pag.* F 184 *fatetur candide,* quo sub comite vel anno vastitas illa *(castri, ut pro* palatio, *quod est in exemplaribus nostris Mss., ipse cum Surio habet)* contigerit, necdum scire *se* potuisse; *addens* nequaquam *sibi* videri mirum, post quatuor et amplius secula... nobilissimi istius quondam castri tam exigua hodie exstare vestigia. Oppidum, *inquit,* castri nomen retinet, diciturque Loscastrum, eminens juxta ecclesiam collegiatam terræ cumulus, quem incolæ Burgum, id est castrum vocant, non videtur fuisse nisi antiquæ arcis specula, sive turris ceteris eminentior, quæ tam facile haud complanari potuerit, veterisque ut fastigii, ita ruinarum servet indicia. *An autem palatium illud fuerit idem locus cum antiquo castro Lossensi, prout supponit Mantelius, an alius potius et ab eodem diversus, ulterius quæri potest, sed non facile decidi. Quidquid sit, palatium illud, et forte idem castrum situm erat* apud Loen, *teste biographo.*

57 *Attendendum quoque est ad personas, quæ* *personæ ibidem,*

AUCTORE J. P.

A *ibidem, sine nomine ponuntur; nimirum* dux Limburgensis cum alio comite. *Per illum juxta subsequens prophetiæ systema de clade Hollandica, intelligo Henricum, quem nominant Fisenus ad annum* 1201, 1203, *et Butkens citatus, lib.* 4, *cap.* 4, *pag.* 165 *occasione subscriptionis litterarum; per hunc vero videri indicari Wilhelmum sive Guilielmum comitem Hollandiæ, persuasum iri puto ex sequentibus, quibus de ipsa prophetiæ disseremus, ut norit lector quænam ea probabiliter fuerit, et quo referenda. Et vero quis* proditor *ille, qui ibidem tecto nomine indicatur? Wilhelmusne Hollandiæ comes, an Henricus dux Limburgensis? Wilhelmus, ut opinor; quamquam et de Henrico Limburgensi suspicari simile quid forte aliquis possit, sed minore sane fundamento, quemadmodum erui utcumque pronum est ex iis, quæ dicentur.*

tempus, etc. 58 *Fisenus ad annum* 1192 *vaticinium illud refert ad cladem Hollandicam, de qua agunt Joannes de Beka et Wilhelmus Hada de Episcopis Ultrajectinis sub Theodorico II; Mantelius in Compendio pluries allegato, cap.* 20; *ac idem Fisenus ad annum* 1204, *cujus ibi verba huc transcribo, ut tota* B *ista prædictionis res gesta elucescat. Sic loquitur:* Filiam unicam ac heredem Theodorici Hollandiæ comitis, Adam nomine, cum duxisset uxorem *(Ludovicus Lossensis)* simul nobilem illum iniit principatum. At Hollandi plerique femineum socerus ingenium ac impotentem dominationem aversati, exosi etiam externum dominum, Theodorici fratrem Guilielmum, orientalis Frisiæ comitem, exacto Ludovico Lossensi, inaugurarunt principatui. Atrocem injuriam armis vindicare visum est Lossensi; *pluriumque præsidiis adjutus* hostem facile profligavit; provinciamque recuperatam non egre retinuisset, nisi præpropere quasi confecto bello, Ultrajectinum *(episcopum)* dimisisset. Tum enim respirare cœpit Guilielmus et bellum ausus est instaurare.

exponuntur. 59 Ad eum cum adiisset Limburgius, quo ad pacem inhortaretur: seu terruerit Guilielmus magnifica virium ostentatione; seu profecto fidem ipse parum integram coluerit, reversus ad Lossensem terrore castra complevit, revulsisque signis domum copias reduxit. Ceteri perturbati, C cum tutum receptum circumspectarent, incubuit totis viribus Guilielmus, et fœde strage dissipavit Meliora desperabat fractus animo Lossensis. Pacem igitur admisit, relicta Guilielmo Hollandia, cum decem millia marcarum argenti accepisset. *Atque hæc quidem de triplici Sanctæ prophetia signate a biographo expressa præ multis aliis: nam, eodem teste, num.* 29, spiritu prophetiæ in MULTIS claruit; *et num.* 34: Alia quoque multa nimis, quæ jam adimpleta sunt, et quæ adimplenda credimus, Christina prædixit. *Accedit eo arcanorum perspicientia, quæ intima atque abstrusa cordium scrutabatur, ut vide sis eodem num.* 29 *et* 30.

Christi Stigmata perperam ab Arturo Sanctæ nostræ adscripta. 60 *Apud Arturum a Monasterio in notis ad suum Gynæceum hac die* XXIV *ponitur breve elogium* S. Christinæ Mirabilis, *quod consonat illi, quod supra ex Saussayo protulimus; sed in illo dispar est, quod ibi referatur Sancta* stigmata in corpore deferens, *quod merum Arturi commentum est, ex synonymia alterius Christinæ ortum, de quo agit, Dionysius Cartusianus sermone* 6 *de Sacramento Eucharistiæ sub finem, quem is citat; ubi habentur ista:* Hoc breve scriptum deputo et transmitto vobis, devotissimis Christi ancillis. Hoc tibi Mechtildi, quæ in Noviomagis jaces præ corpusculi tui imbecillitate... Tibi quoque Christinæ.., quæ et instar Christi nuper quinque vulnera in corpore tuo bajulasti; quarum stigmata nunc usque cernuntur in te... Vestris sincerissimis precibus me ipsum et meos humiliter recommendo, ac vestrum indesinentem profectum totis præcordiis opto ego frater Dionysius, etc. 1. *Itaque hic apertissime indicatur Christina Dionysio Cartusiano synchrona, de qua scribebat, et tum, quando scribebat, etiamnum viva; quæ ex supradictis in ratione temporis cum notra* Christina *pugnant.* 2. *De stigmatibus ejusdem corpori impressis, nullus ex omnibus, quo ego viderim, vel somniavit quidem.* 3. *Imperitissime etiam citat Arturus Rayssi Auctarium ad Natales Sanctorum Belgii Molani sub die* XVI *Martii; ubi non de nostra, sed de superiore agitur ex Dionysio. Ita error errorem trudit, ubi sine discrimine et delectu res toto cœlo diversæ adoptantur.*

E

§ VI. Diplomata in favorem monasterii Mileniensis, quo S. Christinæ corpus translatum fuit.

Proferuntur diplomata in favorem monasterii Mileniensis. M*onasterium Mileniense sacro* S. Christinæ Mirabilis *exuviarum deposito venerabile, pluribus diplomatibus, quæ laudatus a nobis supra Domnus Benedictus vander Borcht sua ipse manu transcripsit atque huc misit, illustrari patest: quod eo facimus libentius, quod diplomata ista, quantum scimus, hactenus sunt inedita, atque adeo non sine lectoris curiosi utilitate lucem visura.*

Testatur notarius publicus de diplomatum sibi exhibitorum valore: 62 In nomine Domini, Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno Dominicæ nativitatis MCCCLXXI, Indictione IX, Aprilis die XXV, Completorii hora, sanctissimi in Christo Patris ac Domini Gregorii PP. XI, anno sui pontificatus primo, constituta propter hoc personaliter religiosa domicella Elisabeth, dicta Mombeke, monialis et suppriorissa F monasterii et conventus de Milen, monialium juxta oppidum sancti Trudonis Ordinis S. Benedicti, Leodiensis diœcesis, nomine, et ex parte religiosæ dominæ D. Mariæ de Bruys, dictorum monasterii et conventus priorissæ, et dicti conventus, quasdam litteras sigillis complurium fide dignorum, ut in litteris originalibus apparet, liquide sigillatas, non cancellatas, non abolitas, non abrasas, nec in aliqua sui parte vitiatas, omnique suspicione carentes, mihi notario publico de verbo ad verbum exhibuit copiandas: quarum tenores sequuntur in hæc verba.

quorum primum anni 1219 continet venditionem curtis Milen in favorem ecclesiæ S. Catharinæ, 63 *Diploma itaque primum sic sonat:* Gotbertus vir nobilis de Orbays præsentibus et futuris in perpetuum. Universorum exigit providentia, ut quod rationabiliter agitur, ne labente tempore labatur, scripto perpetuo confirmetur. Eapropter notum facio præsentibus et futuris, quod curtim Milen, quam in feodo a comite Lonen Arnoldo possidebam, in manus ejus resignatam, sicut in litteris ipsius plenius exprimitur, de assensu ejusdem, cum omni integritate justitiæ in placitis,

AUCTORE J. P.

tis, in molendino, in agris, in sylvis, in oratis, cum omnibus omnino attinentiis ecclesiæ sanctæ Catharinæ pro quingentis libris alborum, et viginti quinque vendidi; assensum præbente Jolenda domina de Yrgis, cujus filiam in uxorem habui, et annuentibus cunctis heredibus meis.

cum anniversario; secundum commemorat beneficia eidem ecclesiæ collata;

64 Præterea intuiti Dei et beatæ Virginis, et martyris Catherinæ patronarum ecclesiæ de Milen, contuli absolute ecclesiæ prænominatæ, ut sorores regulariter conversantes in ea, meum, cum non fuero, anniversarium, sed et uxoris meæ Evæ, et fratris sui Ægidii Jolendi etiam de Yrgis, perpetuis orationibus observent, sed et domini Hugonis de Florinis. Quæ omnia ut firma et perpetuo rata permaneant, cum filii mei et heredes omnes legitime renuntiaverint, sigillo meo communivi, et testes idoneos subternotavi. Hujus rei testes sunt : Clarebaldus de Alta ripa, Philippus de Tunggernels, Bernardus miles, et quamplures alii. Actum anno gratiæ MCCXIX, Leodii præsidente Hugone venerabili episcopo. *Diploma secundum continet laudati Arnoldi comitis Lossensis et Goberti de Orbais beneficia erga monasterium S. Catharinæ in Milen, et signatur anno* 1219. *Illud hic omittimus, quia editum legitur in Supplemento ad Opera diplomatica Miræi, anno* 1723 *recusa, sive tomo eorum secundo, pag.* 847, *ex historia Lossensi, in qua illud habetur pag.* 176.

B

tertium prædicta approbat,

65 *Diploma tertium continet ista :* Ægidius vir nobilis, filius Gotberti nobilis, præsentibus et futuris præsens scriptum inspecturis in perpetuum, notum facio tam præsentibus quam futuris, quod venditionem, quam pater meus dominus Gotbertus, vir nobilis de Brul, cum priorissa et conventu monialium sanctæ Catharinæ super curti de Milen, et omnibus appendiciis suis fecit, sicut in ejusdem litteris continetur, et eleemosynam, quam eidem ecclesiæ fideliter largitus est pro sua, suorumque salute, ratam habeo et gratam, et protestor, quod spontaneo concurro assensu, et in vera eleemosyna prædictæ ecclesiæ conferendo, omni in perpetuum renuntio querelæ et actioni, ita quod nulla persona nomine meo memoratam ecclesiam de cætero possit pertubare.

C

et juridice corroborat anno 1232,

66 Quia vero sigillum non habeo, præsentem veritatem sigillo patris mei domini Gotberti feci communiri. Testes vero interfuerunt isti : Simon, Dominus Guno de Adelinchen, Reynerus de Rolinchen advocatus sancti Trudonis, Wilhelmus Castellanus de Montenaken, Nicolaus de Curtis, Henricus de Aelst, Reynerus de Montenaken, Arnoldus de Gengeleym, Rulinus de Milen, Damianus Godscalcus de Dyste milites, scabini de sancto Trudone, et scabini de Milen, et homines patris mei Henricus de Musen, Jordanus filius Tegnonis, Reynerus mercator, Robinus de Lewys. Datum in vigilia B. Thomæ Apostoli anno Domini MCCXXXII. Peto etiam sigillis principum præsens scriptum perpetuo roborari.

uti et quartum eodem anno;

67 *Diploma quartum sequitur, quod sic habet :* Arnoldus Comes de Los, præsentibus et futuris in perpetuum. Inspectis litteris viri nobilis Ægidii super venditione quadam, quam pater ejusdem Gotbertus, vir nobilis de Brul, cum priorissa et conventu monialium sanctæ Katarinæ super curti de Milen, et omnibus appendiciis suis fecit, et super eleemosyna, quam dictus Gotbertus vir nobilis de Brul præfato monasterio pro sua, suorumque largitus est salute, sicut in ipsius liquet litteris ; cum idem Ægydius factum patris gratum et ratum approbaverit, grato concurrimus assensu. Et ut perpetuo habeant robur, quæ in utriusque litteris, patris videlicet et filii sunt declarata, scilicet de curte de Milen et omnibus appendiciis suis, et largitione eleemosynæ ; et præsentem paginam sigilli nostri impressione fecimus communiri. Et quicumque contra præmissa temere attentaverit, nostram sciet se offensam incursurum. Datum secundo Kalendas Februarii apud sanctum Trudonem anno Domini MCCXXXII.

D

nec non quintum eodem anno a Joanne episcopo Leodiensi datum :

68 *Diploma quintum ita exprimitur :* Johannes Dei gratia Leodiensis episcopus præsentibus et futuris, has litteras inspecturis, in Domino salutem. Dilectæ filiæ moniales sanctæ Catharinæ in Milen, litteras viri nobilis Ægidii nobis exhibuerunt, continentes, quod idem vir nobilis venditionem, quam pater ejusdem Gotbertus vir nobilis de Brul cum priorissa et conventu sanctæ Catharinæ fecerat super curti de Milen, et omnibus appendiciis suis in eleemosyna collatis, gratam et ratam haberet, renuncians omni de cætero perturbationi. Nos igitur memoratam curtim, locum scilicet, in quo prædictæ sorores divinis mancipatæ sunt obsequiis, omnia a viro nobili Gotberto de Brul prædicto monasterio collata, sicut in ipsius liquet litteris, præsenti scripto duximus confirmanda, districte inhibentes, ne quis hominum prædicta de cætero perturbare præsumat; sed omnia usibus ancillarum Christi profutura illibata conserventur. Datum apud sanctum Trudonem secundo Kalendas Februarii, anno Domini MCCXXXII.

E

ac sextum denique

69 *Tenor diplomatis sexti sequitur in hæc verba :* Ego Godefridus dominus de Parweys notum esse volo omnibus hoc scriptum inspecturis, quod ego contuli in eleemosynam priorissæ et conventui beatæ Catharinæ de Milen, Ordinis beati Benedicti, omnia bona illa, quæ acquisivi et habui per eommutationem aliorum bonorum coram comite de Los, qui fuit dominus eorumdem bonorum, et per sententiam hominum ipsius comitis ab avunculo meo domino Gotberto de Brul, et a domino Ægidio filio suo de Herge in perpetuum pacifice possidenda, tam in agris cultis, quam in pratis et sylvis, molendino, telonio, censu in humidis et siccis, cum omnibus juribus et consuetudinibus, quibus hactenus prædictus conventus tenuit eadem bona, ex quo adeptus ea primo ; quæ bona jacent apud Milen, in quibus eædem dominæ commorantur.

F

anno 1242

70 Ego autem confirmo omnes collationes et litteras collatas prædictis dominabus sive a comite de Los, sive ab avunculo meo et filio suo prædictis, per has litteras meas præsentes. Huic collationi interfuerunt : venerabilis pater B. Episcopus quondam Lausanen. *, qui hæc bona recepit cum domino Ch. abbate sancti Trudonis pro priorissa et conventu de Milen ad opus earumdem dominarum, apud Milen in cœmeterio, et dominus Cono de Here advocatus de sancto Trudone, d. Gonterus de Berle, d. Libertus de Seline, d. Fastrardus de Berle, d. Lambertus de Aelst, d. Hermannus de Sassenbrouch, d. Philippus de Herck castellanus de Montengeys, et frater suus d. Eustatius, d. Eustatius de Bochout castel-

* Lausanensis.

A castellanus de Duras, d. Libertus Langheduech, Ruionus de Gingelem, d. Symon de Heldonia, de Nicolaus de Cortis, d. Henricus de Sassenbrouch, et Scabini mei de Muscn, ct allii quamplures mei homines.

Godefridi de Parweys inflicta in contravenientes excommunicatione.

71 Hac collatione facta coram omnibus prædictis, petivi coram eisdem venerabilem patrem episcopum prædictum, ut excommunicaret omnes illos, quicumque de cetero contrairent isti meæ collationi. Quod et fecit coram me et omnibus prædictis. Prætcrea ut hæc mea collatio robur perpetuum obtineat, rogavi prædictos episcopum et abbatem, ct dominum Arnoldum comitem de Los, quod appenderent sua sigilla præsenti paginæ cum meo sigillo. Actum et datum in vigilia beati Joannis Baptistæ, anno gratiæ MCC quadragesimo secundo. Actum et copiatum anno, die, mense ct hora, ac pontificatu prædictis, in camera domus inhabitationis discreti viri et honesti domini Ghiselberti de Fossa, presbyteri, archidiaconique foranei in concilio sancti Trudonis, sita in oppido sancti Trudonis, præ-B sentibus ibidem : prædicto domino Ghiselberto, domino Joanne Smersnidere presbytero, et Eustatio dicto de Nisem clerico, testibus Leodiensis diœcesis ad præmissa testificanda vocatis specialiter et rogatis.

Quæ omnia tamquam authentica roborantur a notariis publicis.

72 *Sic subscriptum erat :* Et ego Walterus Egiot de sancto Trudone Leodiensis diœcesis, publicus imperiali auctoritate et curiæ Leodicen. notarius, quia prædictas litteras vidi, tractavi, perlegi et examinavi, eas fideliter copiavi, collatione facta diligenti una cum præscriptis testibus, et in hanc formam publicam ad postulationem et requestam domicellæ Elisabeth de Mombeke supradictæ, redegi, signoque meo solito, et consueto signavi, rogatus et requisitus..... Walterus *qui supra. Et subsignaut :* J. Bloys notarius per copiam, Leon. Bollis notarius per copiam subst.

§ VII. Nonnullæ circa prædicta diplomata observationes; plura de Sancta cur non dentur.

C

Quædam personæ

Laudatus Fiseuus in Floribus ante citatis pag. 277 *priorissas Milenienses ac deinde abbatissos recenset, quarum prima, uti addit, anno* 1578 *defuncta sit. De prioratu ejusdem parthenonis in abbatiam commutato circa annum* 1565, *dicitur in notis ad Miræi Supplementum supra citatum. Porro Arnoldus comes Losseusis, in primo diplomate notatus, frater et heres Ludovici, de quo Vita, notus est ex alia diplomate in favorem abbatiæ Herkenrodanæ anno* 1218, *quod legitur in dicto Supplemento pag.* 846. *In diplomate* 6 *supra doto per litteras* Ch. *indicatur* Christianus, *S. Trudonis abbos designatus anno* 1193, *cui præfuit annis* 30, *ex Chronico nostro Trudoneusi Ms. et Fiseno; de quo idem Fisenus, ac de corpore ejus non corrupto agit in parte* 2 *Paralipomenon ad Flores ecclesiæ Leodiensis; sed epocha istius abbatis non concordat cum anno hujus diplomatis, in quod facile irrepere potuit error ut* Ch. *male scriptum vel transcriptum fuerit pro* Th., *qui erit* Thomas, *onno* 1239 *præfectus abbatiæ Trudonensi, mortuus anno* 1248, *ex Chronico citoto ; de quo supra.*

AUCTORE J. P.

in istis diplomatibus notatæ,

74 *Per* venerabilem patrem B., episcopum quondam Lausanen., *ibidem indicatum, intelligo* Bonifacium, *cum titulo* beati *a nobis illustratum die* XIX *Februarii a pag.* 149; *ubi pag.* 154 *in annotatis dicitur iste episcopus anno* 1247 *accepisse facultatem dimittendi episcopatum; quem juxta hoc præsens diploma jam tum ab anno* 1242 *dimisisse evincitur, cum in illo dicatur* QUONDAM episcopus Lausanensis. *In Gallia Christiana apud Sammarthonos in Episcopis Lausanensibus ponitur Lausanam primum deductus* 1230; *postque octo annos Romam ivisse, ibique episcopatui suo renuntiasse in manibus ejusdem, a quo promotus fuerat, Gregorii PP. IX. Et in Vita prima apud nos cap.* 4, *narrotur annis decem rexisse istam ecclesiam, quæ cohærent cum epocha nostri diplomatis. At ex eadem Vita cap.* 2, episcopus Bonifacius *interfuit concilio Lugdunensi, quod celebratum est anno* 1245; *et ibidem habentur nonnulla, quæ ipsum tunc temporis etiamnum episcopotum gessisse probant, quem qua occasione dimiserit, ibidem deinde exponitur.* E

explanantur

75 *Quod S. Bonifacius interfuerit concilio Lugduneusi, nec in Natalibus Sanctorum Belgii, nec in Fastis Belgicis Miræi, nec apud Sammarthanos vel verbo quidem ullo indicatum reperio. Juxta epocham diplomatis prædicti, interesse illi, antequam cesserit episcopatu, neutiquam potuit. Quam recte et vere iste biographus aliter statuat, ipse viderit. Ego interea, relicto biographo isto, standum censeo diplomate, donec vel contra hoc, vel pro isto solide aliquid probetur, unde certo res decidi queat, et extra controversiam poni.*

Sancta deprecatur miracula post mortem;

76 *Atque hæc quidem sunt, quæ de Belgica nostra* S. Christina, *supra omnem longe admirabilitatem* Mirabili, *colligi potuere monumenta; pauca quidem fateor, si ea spectes scorsim a Vita, quæ satis copiose nos instruit; pauca item, si ea referas ad Vitam ipsam, quatenus vix quidquam tangit, quod post ultimam Sanctæ mortem contigerit; sed vel in hoc etiam ipsa plane fuit* Mirabilis : *nam quod de miraculis post ejus mortem, quæ dum viveret, perpetuum fuerat miraculum, pene nihil in promptu sit, quippe ui ex eo petatur, quod, teste scriptore Vitæ numero* 52, fertur a quibusdam, F eam sæpius in vita rogasse Deum, ne eam in morte aliquibus miraculis honoraret...; et in hoc quoque a Domino exaudita est.

hæretici in monumenta ejus grassati; ac proin plura non supersunt dicenda.

77 *Accedit eo, quod bella continua, per Belgium toties grassata, magnum nobis rerum ad Sanctam pertinentium thesaurum inviderint, qui in parthenone Mileniensi aliquando asservatus, nunc intercìderit, prout fidem facit laudatus supra Petrus Dielsius, qui memoratum testimonium ita concludit :* Fuerunt, *inquit*, in prædicto monasterio multa particularia manuscripta, concernentia Vitam et mirabiles Mirabilis Christinæ effectus; sed illa pridem perierunt durantibus præteritis bellis; ita ut ipsæ religiosæ nihil particulare amplius habeant. *Quæ omnia tum hic proxime jam dicta, tum superiora ex fide ejusdem testimonii producta, confirmantur per hæc verba :* Ita attestor pater Petrus Diels, Minorita et confessarius in Milen. *Nihil nunc morari nos debet, quo minus Vitam hisce subjiciamus.*

AUCTORE THOMA CANTIPRATANO.

VITA

Auctore Thoma Cantipratano Ordinis Prædicatorum.

Ex codice nostro Membranaceo Ms. Camerensi in Belgio prope Bruxellas, cum pluribus aliis collato.

PROLOGUS.

a *Auctor gesta Sanctæ,* B *b c* *d* *e* *f* *g* *h* *i* *k*

Memorabilis Christi virginis Christinæ *a* vitam scribere disponentes, illud in exordio sermonis primitus inseramus, quod venerabilis Jacobus *b* Achonensis *c* episcopus, postea Romanæ curiæ Cardinalis *d*, in Vita beatæ Mariæ de Oignies de ipsa Christina per hæc verba commemorat. » Vidi, inquit, aliam (Christinam intellige *e)* circa quam [tam] mirabiliter operatus » est Dominus, quod cum diu mortua jacuisset, » antequam in terra corpus ejus sepeliretur, » [anima ad corpus revertente *f*] revixit ; et a » Domino obtinuit, ut in [hoc] seculo vivens in » corpore, purgatorium sustineret. Unde longo » tempore ita mirabiliter a Domino afflicta est ; » ut quandoque se volutaret in ignem ; [et] » quandoque in hyeme, in aqua glaciali diu mo- » raretur ; quandoque etiam sepulchra mortuo- » rum intrare cogebatur *g*. Tandem in tanta » pace peracta pœnitentia, *h* et tantam a Do- » mino gratiam promeruit, ut multotiens rapta » in spiritu animas defunctorum usque in pur- » gatorium vel [per] purgatorium *i* sine aliqua » sui *k* læsione usque ad superna regna condu- » ceret ».

quæ videntur incredibilia, C

2 Hæc igitur, ut diximus, præfatus venerabilis Jacobus episcopus de ea commemorat. Ego autem reliqua indignus F. Prædicatorum Ordinis ob ædificationem legentium et specialiter Christi laudem, [hæc] licet imperito sermone descripsi, certus utique relatione narrantium. Nec immerito certum me dixerim, cum tot plane testes habeam in pluribus, quæ descripsi, quot tunc temporis in oppido S. Trudonis uti ratione potuerunt. Neque enim hæc in angulo gesta sunt, sed plane in populis ; nec tantum temporis transiit, quod ea absorbuit et sepelivit oblivio, cum non eo amplius quam anni octo sint, quo *l* hæc scripsi post mortem ejus. Alia vero quæ nemo hominum scire potuit nisi ipsa, ab illis proprio audivi, qui ea ab ore illius se percepisse testati sunt.

egregie confirmat. *m*

3 Et noverit quicumque legit hæc, talibus me testibus credidisse, qui nequaquam a centro veritatis etiam pro amputandis capitibus deviarent. Fatemur quidem, et verum est, narrationem nostram *m* omnem hominis intellectum excedere, utpote quæ secundum cursum naturæ fieri nequaquam possent, cum tamen sint possibilia Creatori ; nec ea ullo modo scribere præsumpsissem, nisi me venerabilis Jacobi episcopi in majoribus rerum gestarum testimonium præcessisset. Hinc ergo opus aggredientes, in primis quemadmodum nutrita sit, postmodum educata, atque inde cetera illius gesta, prout certissima et indubitabili relatione didicimus, exequamur. D

ANNOTATA.

a *Alias* Cristina ; *sed* Christina *legi debet, sive attendamus ad sanctam homonymam, de qua hoc die est actum, sive ad nominis etymon.*

b *Cardinalem hic indicari Vitriacum, habes in Commentario prævio : de ejus scriptis, etc. breviter tractat Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica. De hoc celeberrimo viro, vide dicta in supplemento ad Vitam B. Mariæ Oigniacensis die* XXIII *Junii. Vitam ejus habet Fisenus in Floribus ecclesiæ Leodiensis ad* XXX *Aprilis.* E

c Acon *vel* Accon *(nunc* Acca *Turcis,* Acre *Gallis,* Acri *Italis) quæ et Ptolomaïs, urbs Palæstinæ (in Historia Pontificum et Cardinalium Ciaconii, Phœniciæ, Valerio Andreæ citato, Syriæ) episcopalis sub archiepiscopo Tyrensi, antea probe culta, et diuturna equitum S. Joannis Hierosolymitani contra Saracenos propugnatione memorabilis. Chronicon Trudonense Ms. hæc habet :* Anno Domini MCXCI Christiani post longam obsidionem, civitatem Acon expugnatam ceperunt conditione tali, quod pagani salvis corporibus discederent, et crucem Domini redderent, et captivos Christianos libertati restituerent. *Consuli etiam possunt annotata ad Vitam S. Lutgardis littera* b, *apud nos tom.* 3 *Junii, pag.* 247.

d *Episcopus Cardinalis creatur sub Gregorio IX; de qua re Ciaconius.*

e *Parenthesis ista abest a, Vita in codice Rubeæ vallis exarata; uti et a Mss.* P 17 *et* P 19; *quam habet O Ms.* 12.

f *Uncis inclusa, sunt in textu citato, apud nos* XXIII *Junii, et in ecgrapho Miræi ; Ms. Rubeæ vallis omittit,* revertente. F

g *Melius in textu allegato Vitriaci est,* cogeretur *cum Ms. Rubeæ vallis.*

h *In textu eodem Vitriaci* post peractam pœnitentiam.

i Vel per purgatorium, *non legit Ms. Rubeæ vallis.*

k *Textus Vitriaci apud nos non habet,* sui.

l *Ms. Rubeæ vallis* quod.

m Narrationem nostram *etiam legit Ms. nostrum chartaceum O* 12; *non alia duo a nobis adhibita, nec Miræanum.*

ANTIQUA CAPITA.

Incipit PROLOGUS in Vita beatæ Christinæ de oppido S. Trudonis.

CAPUT I Incipit Vita B. Christinæ coguomento Mirabilis.

II Quo-

AUCTORE THOMA CANTIPRATANO.

CAPUT I.

Sanctæ natales; viso post mortem purgatorio, ad vitam redit, ut animas ibidem detentas juvet; quam acerba, illæso corpore, pro eisdem sit passa.

CAPUT I.

Sanctæ ortus, sorores; vilissimum munus custodiendi pecoris a Domino cœlestibus donis cumulatum.

Igitur memorabilis Christi virgo Christina ex oppido S. Trudonis *a* in Hasbania honestis parentibus oriunda fuit. Hæc, defunctis parentibus, cum duabus sororibus ipsa junior relicta est. Tunc sorores secundum religiosæ vitæ modum vitam suam disponere cupientes, sororem ætate majorem, ut vacaret orationi, mediam ut [domus] *b* curam ageret; juniorem autem Christinam, ut ad pascua euntia pecora custodiret, instituunt. *a* *b* Nec mora: viliori et humiliori officio deputatæ E Christus non defuit consolator; quinimo illi dedit gratiam internæ dulcedinis, secretisque cœlestibus eam sæpius visitabat. Mansit tamen cunctis incognita, solique Deo tanto notior, quanto secretior. Unde per Isaiam gloriatur dicens: Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Est enim ipse verecundus amator.

Sancta mortua, sed ad vitam revocata,

5. Et factum est post hæc, ut ex interno contemplationis exercitio virtute corporis infirmata, vita excederet. II Tunc positum in medio corpus exanime ab amicis, et sororibus maxime lamentabatur. Mane ergo facto, ad ecclesiam *c* deportatur. *c* Cumque pro depositione ejus Missarum oblatio fieret, subito commotum corpus exsurrexit in feretro, statimque *d* instar avis evecta templi trabes ascendit. *d* Fugientibus ergo cunctis, qui aderant, sola soror ætate major cum timore remansit [ubi] usque post Missam immobilis perseverans *e*, a presbytero ecclesiæ sacramento constricta, est coacta descendere: horrebat enim, ut quidam autumant, subtilitas ejus spiritus, odorem corporum humanorum *f*. *e* *f* Mox cum sororibus reversa, domi cibis refecta est. F Tunc amici ejus spirituales *g*, accedentes ad eam, sciscitati sunt, [ut] quid vidisset, vel quid passa fuisset, vellet exponere. [Quibus illa:] *g*

narrat, se vidisse tormenta purgatorii et inferni,

6 Statim, inquit, ut defuncta sum, susceperunt meam animam ministri lucis, angeli Dei, et deduxerunt me in locum quemdam tenebrosum et horridum, animabus hominum pleuum. III Tormenta, quæ in ipso loco videbam, tanta et tam crudelia erant, ut nulla lingua hæc loqui sufficeret. Et vidi inibi multos defunctos, quos dudum, in carne cognoveram *h*. *h* Ego autem illas miseras animas non modice miserata requirebam, cujusmodi esset hic locus. Cogitabam autem hunc esse infernum. Et responderunt mihi ductores mei: Quia hic locus purgatorius est, in quo pœnitentes peccatores in vita pœnas *i* luunt. *i* Inde deduxerunt me ad tormenta inferni, et agnovi etiam ibi quosdam, quos viventes agnoveram.

7. Post hæc delata sum in paradisum ad thronum divinæ majestatis. Cumque congaudentem

AUCTORE THOMA CANTIPRATANO.

ac gloriam cæli; oblataque sibi optione, an ibi manere, an ad vitam redire vellet;

tem et congratulantem mihi Dominum viderem, super omnem modum gavisa sum, cogitans me perpetuo ex tunc cum Domino permansuram. Et Dominus statim respondit desiderio meo: Revera, inquit, dulcissima mea, hic mecum eris; sed nunc tibi duorum optionem propono: aut nunc scilicet permanere mecum; aut ad corpus reverti, ibique [agere pœnas] immortalis animæ per mortale corpus sine detrimento sui, omnesque illas animas, quas in illo purgatorii loco miserata es, ipsis tuis pœnis eripere; homines vero viventes exemplo pœnæ et vitæ tuæ converti ad me, et a sceleribus resilire; peractisque omnibus, ad me tandem multorum præmiorum mercede te cumulatam reverti. Respondi sine aliqua hæsitatione, sub conditione mihi proposita, velle reverti.

elegisse hoc ultimum, ut purgantes animas juvaret.

8 Nec mora, mihi Dominus in responsione congratulans, jubet animam meam reduci ad corpus. Et videte quam veloces angeli ad præceptum Domini! Ea etenim hora, qua dicebatur in Missa pro me celebrata primo Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, anima mea throno divinæ maje-
B
statis astabat. Ubi vero Agnus Dei tertio dicebatur, ab angelis velocibus restituta sum corpori. Sic modus regressionis meæ, et egressionis fuit, et ad correctionem hominum redonata sum vitæ. Nunc ergo non conturbent vos illa, quæ visuri estis in me, quia super intellectum sunt illa, quæ Deus ordinabit mecum. Nec enim talia visa sunt inter mortales. Hæc audientes amici ejus, admirati sunt, et cum stupore, quæ futura erant, præstolabantur.

IV

Putatur a dæmone obsessa; vinculis ligatur sed a Deo liberatur; esuriens proprio lacte nutritur.

9 Igitur post hæc, cum Christina hominum præsentias miro horrore fugeret in desertis, in arboribus, in summitatibus turrium vel templorum vel quarumlibet rerum sublimium, putantes eam plenam dæmonibus, tandem cum magno labore captam vinculis eam ferreis manciparunt: ubi dum multas pœnas pateretur, et penurias, maxime tamen in odore hominum, nocte quadam adjuta a Domino, vinculis et compedibus solutis evasit, fugitque in remotis deserti silvis, et ibi in arboribus avium more vivebat. Cumque egeret cibo (nec enim, quamquam subtilissimum corpus ejus, sine victu [esse] poterat) et fame gravis-
C
sima torqueretur, nullo modo tamen reverti volebat, sed sola cum Domino in deserti secreto manere. Orationem ergo fundens ad Dominum, petivit supplex, ut ejus angustias misericordiæ suæ oculis intueretur. Nec mora: ad se reflectens oculos, videt aridas mammas virginei pectoris sui contra ipsa naturæ jura lactis stillare dulcedinem. Mira res! et post incomparabilem Christi Virginem Matrem cunctis seculis inaudita *k*. Stillantem igitur liquorem in cibum sumens, novem hebdomadibus proprio virginei lactis ubere nutrita est. Interim ergo a suis requisita, inventa et rapta est, et, ut prius, vinculis ferreis mancipata; sed frustra.

V

Christi corpore refecta, per aquarum profunda transit incolumis;

10 Liberata enim a Domino venit apud Leodium *l* civitatem. Quæ sacrosanctas Agni immaculati paschalis carnes esuriens, supplicavit presbytero S. Christophori *m*, ut eam angustiatam in pluribus communione sancta muniret. Cumque sacerdos promitteret, sed se ad horam occupatum non posse [diceret] illa, dilationis impatiens, venit ad alterius ecclesiæ presbyterum, et petiit corpus Christi. Qui mox precibus D
precantis assurgens communicavit eam. Nec mora: quodam impetu commota diffugiens, civitatem egressa est. Miratus ergo presbyter fugientem, concurrente alio presbytero S. Christophori, ambo eam usque ad fluenta Mosæ fluminis insecuti sunt. Quam ad obvias aquas se comprehendere posse gavisi, cernunt stupidi * ante se in vero corpore feminam quasi phantastico profundos aquæ gurgites introire, et per aliam fluminis ripam ab aquis immunem exire.

* *alias* stupefacti.

VI

uritur non comburitur ab igne; *n*

11 Tunc cœpit Christina agere illa, propter quæ a Domino remissa fuerat. Ingrediebaturque clibanos *n* ignivomos, ad coquendum panes paratos, cruciabaturque incendiis velut aliquis nostrum, ita ut horrifice clamaret præ angustia; nec tamen in egredientis corpore læsura forinsecus apparebat. Clibanos non habens, in ignem copiosum in domibus hominum se projiciebat; vel pedes tantum vel manus mittebat, tenebatque tam diu, quousque, nisi divinum esset miraculum, redigi in cinerem potuissent. Intrabat etiam aliquando cacabos plenos bullientis aquæ usque ad ubera, vel usque ad renes secundum E
altitudinem cacaborum, et membris, quæ foris immunes * a supplicio remanebant, aquam fervidam *o* superfundebat, clamabatque quasi parturiens, nec tamen egrediens habebat læsuram.

* immunia

VII

cruciatur in aquis tempore hiemali, nec læditur;

12 Sub aquis Mosæ fluminis glaciali tempore frequenter ac diutius morabatur, adeo ut in iis, sex diebus et eo amplius permaneret. Sed veniebat presbyter, qui ejus curam gerebat, stansque in ripa fluminis adjurabat eam per nomen Christi; et tunc illa coacta redibat. In hyeme etiam sub rota molendini ibat erecta stare, ita quod aqua dilaberetur per medium caput et membra ejus. Veniebat etiam cum aqua natans aliquando, cadebatque cum aqua super rotæ circuitum, nec ulla læsura tamen apparebat in membris.

VIII

idem fit in rotis et patibulis.

13 In rotis etiam, in quibus piratæ aliquando cruciari solebant, more tortorum flectebat crura et brachia sua, et tamen, cum descenderet, non apparebat fractura in membris suis. Ibat etiam ad patibulum, et se inter latrones suspensos laqueo suspendebat, ibique uno die vel duobus suspensa pendebat. Sæpius quoque sepulchra mortuorum intrabat, plangebatque ibi peccata F
hominum.

ANNOTATA.

a *Ms. nostrum chartaceum non plura hic legit; at Ms. Miræanum cum duobus aliis Mss. nostris ac Rubeæ vallis:* Ex villa quadam nobilis viri comitis de Los, quæ vulgariter Bruesthem (*ita Ms. Miræi; Ms. Rubeæ vallis* Brustemium; *dicta duo Mss. nostra male* Grustemium) appellatur, juxta oppidum S. Trudonis in Hasbania, Leodiensis diœcesis. *At vide quæ de patria ejus diximus in Commentario prævio.*

b *Mendose Ms. Rubeæ vallis non legit* mediam; *sed recte addit* domus.

c Brustemiensene (*templum*) an Deiparæ virginis Trudonopoli, in cujus deinde habitavit parochia, quis dicet? *inquit recte Mantelius in Compendio*

A *pendio historiæ Lossensis. At vero si hoc incertum, unde quis dicet, (quod tamen ille subjungit paulo post, quasi sui oblitus :)* Thomas ex curione ad Deiparæ Virginis *(Trudonopoli)* monachus S. Trudonis ac demum anno MCCXL factus abbas funeri interesat, viditque e feretro redivivam resurgere?

d *Ms. Rubeæ vallis*, stansque.

e *Ms. Miræi :* Super trabes vero templi usque post, *etc. ; sed nostra lectio probatur ex aliis Mss.*

f *S. Philippus Nerius castos ab impuris olfactu discernebat, ut vide ejus Vitam cap*, 4, *et annotata in illud.*

g *Ms. Rubeæ vallis* speciales.

h *Idem narratur de S. Lidwina (die* XIV *Aprilis, pag.* 225*) ad videndum purgatorium rapta.*

i *Ms. Miræi*, dignas secundum peccata sua pœnas; *Ms. Rubeæ vallis cum alio P. Ms.* 19, scelerum suorum.

k *Seculo septimo nutritum fuisse virgineo lacte S. Lambertum, vide apud Fisenum Historiæ Leodiensis lib.* 3, *num* 14, *scribiturque idem in Vita venerabilis Gertrudis ab Oosten. De S. Lamberto agi poterit* XVII *Septembris* ; *et vero manasse lacte ejus-* B *dem venerabilis Gertrudis ubera quotidie a festo Nativitatis ad Purificationem, habes in eadem Vita ad* VI *Januarii pag.* 350. *Lac etiam in uberibus obtinuit B. Lidwina virgo tomo* II *Aprilis pag.* 283 *et* 344. *Nec vero hoc magis incredibile, quam quod lactis copiam uberibus siccis impertierit S. Eutychius tomo* I *Aprilis, pag.* 262; *et quod anus miraculose lactescens aluerit puerum ad invocationem S. Francisci de Paula, ibidem pag.* 219.

l *Notissima Belgii civitas est, cujus historiam sæpe citatam condidit Fisenus.*

m *Lambertus Beguus sive Balbus ; de quo nos supra in Commentario prævio, et inter Prætermissos ad* XXV *Junii, scribitur a Fiseno in Floribus ecclesiæ Leodiensis ad istum diem, templum S. Christophoro posuisse.*

n *Quæ hic et in decursu narrantur in speciem paradoxa, minus lectorem ferient, si ea comparet cum gestis* S. Christinæ *Stumbelensis, de qua in Commentario prævio.*

o Fervidam *etiam legunt tres nostri codices alii Mss., cum Ms. Rubeæ vallis; sed apographum Mi-* C *ræanum,* frigidam.

CAPUT II.

Mirabilia in subtilitate et figura corporis, sanata tibia, liberatione a captivitate, oleoque ex uberibus effluente. Communior vivendi modus; fructus sacræ synaxeos; commendatio eleemosynæ ; vaticinium.

IX *A canibus, quos in se exagitabat, plagas, non læsionem patitur. Quid in spinis ac vepribus ei acciderit.*

Media etiam nocte quandoque surgebat, et canes totius civitatis S. Trudonis provocans ad latratus, quasi bestia fugiens præcurrebat, insequebanturque eam canes, et per silvas atque condensa spinarum agitabant eam, ita ut nulla pars corporis ejus a plaga remaneret immunis, et tamen cum sanguinem diluisset *a*, nullum læsuræ vestigium apparebat. Hoc idem per se cum spinis et vepribus faciebat, ita ut sanguine per totum corpus perfusa undique videretur. Unde multi, qui sæpius hoc videbant, mirati sunt, unde tantus sanguis in uno corpore abundabat. Exceptis enim istis effusionibus sanguinis, ex vena sæpissime multum valde sanguinem minuebat.

AUCTORE THOMA CANTIPRATANO. *a*

X *Corporis ejus subtilitas,*

15 Corpus ejus tantæ subtilitatis, et levitatis erat, ut in arduis et sublimibus ambularet, et instar passeris in subtilissimis arborum ramusculis dependeret.

XI *et habitudo tempore orationis.*

16 Cum orare vellet, in summitatibus arborum vel turrium vel quarumlibet rerum sublimium fugere cogebatur, ut ibi remota ab omnibus, sui spiritus requiem inveniret. Iterum cum oraret, et contemplationis in ea gratia divina descenderet, velut calefacta cera, omnia membra ejus in unum globum concludebantur *b*, nec poterat in eis nisi tantum corpus sphæricum deprehendi. Cumque spiritali ebrietate digesta actuales sensus propria membrorum loca recipe- E rent, instar ericei conglobatum corpus redibat ad formam, et extendebantur membra, quæ sub informi prius materia claudebantur. Super palos etiam sepium frequenter stabat erecta, et ibi Psalmorum decantabat cursum : quippe grave illi admodum erat interim terram attingere.

XII *Confracta ejus tibia*

17 Pro his et hujusmodi sorores ejus, et amici erubescentes non modice, eo quod eam homines plenam dæmonibus reputarent, nequissimum quemdam et fortissimum virum conveniunt, qui accepta mercede eam insequeretur ac caperet, et vinculis ferreis manciparet. Cumque nequam ille eam per deserta insequeretur, nec manibus eam capere posset, semel tandem attingens eam, tibiam ipsius clava confregit. Qua deportata domi *c*, medicum sorores ejus mercede conducunt, qui confractæ tibiæ illius curam impenderet. Deducta est ergo apud Leodium in curru.

a Deo sanatur; captaque mirabiliter liberatur. *d*

18 Conscius autem medicus fortitudinis illius, eam in cellario ex omni parte munito *d* vinculis fortiter constrictam et ad columnam ligatam, januis obseratis inclusit. Cumque fascibus medicinalibus tibiam illius stringeret et foveret, F medico recedente, apposita detrahebat, indignum ducens alium suis plagis medicum adhiberi præter Salvatorem nostrum Jesum Christum. Nec illam fefellit Omnipotens. Nam nocte quadam, cum divinitatis in eam spiritus irruisset, solutis vinculis, quibus ligata erat, sanata ab omni incommodo, per aream cellarii deambulabat ac tripudians, laudans et benedicens illum, cui soli mori et vivere delegisset. Claustris ergo cellarii spiritus ejus arctari se sentiens, arrepto saxo de area cellarii, in spiritu vehementi murum pervium fecit; et ut utamur exemplo, velut sagitta, quæ quanto fortius in arcu stringitur, tanto robustius jaculatur, sic spiritus ejus ultra quam justum erat arctatus (quia : Ubi spiritus Domini, ibi libertas) cum ipso carneæ molis corpore per aeris vacuum instar volucris volasse perhibetur.

XIII *Oleo ex uberibus fluente pascitur et sanatur.* *e*

19 Nec sic tamen sorores et amici [ejus] ab ipsius persecutione cessarunt : nam ubi eam reversam comprehendere potuerunt, in scapulo *e* quo-

AUCTORE THOMA CANTIPRATANO.

quodam ligneo vinculis eam fortiter ligaverunt. Pascebaturque instar canis pane modico et aqua tantum. Ut ergo prærogativum in ea virtutis suæ miraculum Christus ostenderet, superari eam ad tempus ac tribulari sustinuit. Duritia ergo ligni nates ejus attritæ [et humeri] computrescebant, horumque dolore tabescens panem suum manducare non poterat. Nullo ergo ejus miseriis compatiente, mirifice eam miseratus est Dominus; perfecitque in ea illud insigne miraculum,
f cunctis retroactis seculis inauditum *f*. Virginea enim ubera ejus clarissimi olei liquorem cœperunt effluere. Quem illa in condimentum sicci panis assumens pro pulmento habebat, et pro unguento; liniebatque ex eo vulnera membrorum suorum putrescentium. Quod ubi sorores ejus et amici viderunt, cœperunt flere, nihilque ulterius divinæ voluntati in Christinæ miraculis renitentes, eam solverunt a vinculis, veniamque prostrati de injuria postulantes, liberam dimiserunt.

XIV *Piorum apud Deum precibus*

B

20 Tunc libertate pro licito vel libito utens agebat pœnas pro peccatis hominum, secundum quod supra dictum est. Cumque multi pro videndis mirabilibus Dei in Christina ex propinquis et longinquis extremisque regionibus quotidie convenirent, religiosi viri ac mulieres, qui in prædicto oppido erant, horrentes ne suprema mirabilium admiratio humanum sensum excederet, converterentque bestiales hominum mentes in malignam operationem facta divina, maxime in iis, quod fugiendo hominum præsentias, ardua quæque velut avis ascenderet, et in aquis quasi piscis diutius moraretur, rogaverunt sedulis precibus Dominum, ut miracula sua in Christina secundum communem statum hominum temperaret. Nec sprevit Dominus pie lacrymantium preces.

XV *modus ejus vivendi hominibus contemperatur.*

21 Factum est enim die quadam, ut agitata a spiritu vehementissime, ad ecclesiam quamdam in villa, quæ dicitur Guelleir *g* confugeret, in-
g ventoque aperto fonte sacro baptismi, illi se totam immergeret. Quo facto, hoc inibi dicitur consecuta quod contemperatior, ex tunc fuit modus ejus vitæ hominibus, quietiusque habuit postea, et melius pati potuit odores hominum, et inter homines habitare.

C

XVI *Sacra communione juvatur in corpore et spiritu; victum mendicat;*

22 Sacramentum Dominici corporis et sanguinis frequenter, et maxime diebus Dominicis in sancta devotione sumebat, recipiebatque in eo robur corporis, ut dicebat, et maximam lætitiam spiritus. Proinde nihil [eorum] quæ propria pro Christo reliquerat, vel ad se jure hereditario pertinere debebant, uti in cibum vel potum poterat, sed communibus hominum eleemosynis, quas ostiatim quotidie mendicabat, ut eorum peccata portaret, quorum eleemosynis pascebatur. Dicebat autem quod ea de causa, a Dei spiritu cogebatur sceleratorum hominum eleemosynas mendicare, ut per has ad horrorem peccatorum et vitæ pœnitentiam vocarentur. Aiebat enim quod nulla re magis Deus erga peccatores ad misericordiam flecteretur, quam dum peccatores erga proximos misericordia moverentur. Un-
h de illud viri sapientis *h*: Numquam misericordia, numquam pietas potuit nisi in bonum claudere ultimum diem. Et ut [hæc] exemplo pateant, quodam facto Christinæ, quæ diximus, confirmemus.

D

XVII *conversionem scelerati prædicit, a quo potum acceperat.*

23 Accidit, ut quadam die ad sitim intolerabilem divinitus excitata, ad mensam cujusdam sceleratissimi viri splendide epulantis accurreret, potumque poscens, ab illo insolita pietate commoto, parum vini sumeret ad bibendum. Quapropter Christina dixit contra omnium opinionem, qui virum noverant, eum in morte ad pœnitentiæ et contritionis veniam fuisse vocatum *i*. i

ANNOTATA.

a *Ita tres codices nostri Mss., cum apographo Miræano. Male autem in nostro textu,* stilluisset *(forte legendum* stillavisset*) pro quo ad marginem* diluisset.

b *Ms. Miræi ac Rubeæ vallis non recte,* excludebantur; *lectio nostra probatur ex tribus aliis nostris Mss.*

c *Ita Mss. omnia, quæ vidi; Surius* domum.

d *Ms. Miræi cum tribus nostris Mss.,* murato. E

e *Consonat codex chartaceus noster. Non recte Miræi codex,* scopulo; *nec in duobus codicibus nostris* in scapulo vel in scopulo. *Ms. Rubeæ vallis videtur scribere,* scampnulo.

f *Simile prodigium alteri Sanctæ contigisse, nondum comperi. Hoc nostrum quamquam rarum et inauditum, non magis fabulosum aut incredibile censeri debet, quam quod quasi oleo stillarint digiti S. Lutgardis, in signum consolationis spiritualis, tomo* III *Junii, pag.* 240.

g *Ms. Miræi,* Welnis *alias* Welius; *Ms. nostrum chartaceum,* Guelleu; *Surius vero* ad ecclesiam pagi Vuellensis. *Nomen hujus loci deest in Ms. Rubeæ vallis.*

h *Ita tria nostra Mss.; codex Miræi habet,* sapientes.

i *Pro* fuisse vocatum, *quod est in tribus Mss. nostris et Miræi, legit codex Rubeæ vallis,* fore venturum et fuisse vocatum; *Surius* pervenisse.

CAPUT III. F

Injustorum eleemosynis graviter afficitur; victus ac vestitus; sensus ex damnandis et salvandis; cordium scrutationes; variæ prædictiones; ecstasis, etc.

XVIII *Sanctæ despiciunt maxime eleemosynæ, a datoribus contra justitiam acquisitæ:*

Hæc causa, ut diximus, fuit [pro] qua mendicare publicanorum *a* eleemosynas cogebatur. Et tamen cum injuste aliquid acquisitum, et sibi in eleemosynam datum comederet, videbatur ei quod ranarum ac bufonum viscera aut intestina serpentium deglutiret. Unde in esu talium clama- a bat quasi parturiens: O Christe, quid agis meeum? Sic quare me crucias? Tundensque pectus et corpus, dicebat: O anima misera, quid desideras? Quid concupiscis hæc horrida? Cur iis sordibus vesceris? Hoc ergo illi tormentum, cum ade-

A adeptum [injuste] quid ederet. Nec minori tamen cruciabatur pœna, cum sceleratus quispiam postulatum ab ea aliquid denegaret. Accidit aliquando, ut denegatum ab impio aliquid vi auferret dicens : Etsi modo non vis ; postea tamen non dolebis ablatum ; et tunc proderit tibi, quod modo non prodest *b*. b

victu ac vestitu vilissimis utitur :

25 Cum illi deesset manica in tunica sua vel caputium in scapulari, obvium aliquem habens, de quo hoc suscipere spiritu interius admonita debuisset, rogabat illum. Quod si daret, agebat gratias ; sin autem, denegatum auferebat invito, propriisque vestibus assuebat. Nec erubescebat, si confusæ essent manicæ, in una tunica *c* colore dispariles. c Vestes ejus erant tunica alba, et scapularium album, tegens totum corpus usque ad pedes, nec aliis frequenter consutum filis, nisi corticis arboris tiliæ, vel viminibus salicis, vel ligneis parvisque verubus. Calceamento carebat, nudis incedens pedibus temporibus indiscretis. Escis vilibus et abjectis pro epulis utebatur, et scutellarum lavaturas, quæ projici debebant, B aqua apposita bulliebat, et hoc cum pane furfureo ac duro nimis, emollito tamen prius in aqua, sumebat in cibum. His biduo vel plerumque triduo continuato jejunio vescebatur.

XIX *sciens hominum merita, damnandos mœrore, salvandos gaudio prosequitur :*

26 Honores summo studio fugiebat et gloriam ; dicebatque pro hujusmodi maxime illos in inferno vel purgatorio cruciari, quibus agnitionem veritatis suæ Christus in vita donaverat. Quasi moriens et lugens semper incedebat : quippe cui Deus morientium quotidie vel ad salutem vel ad interitum merita revelabat. Cum aliquis in urbe defunctus esset, quem damnatum pro culpa per spiritum cognovisset, flebat, ac torquebat et retorquebat se, curvabatque [se] ac incurvabat, et recurvabat brachia ac digitos suos, velut si sine ossibus essent mollitie flexibiles. Ipse autem dolor ejus intolerabilis erat cunctis videntibus, ut nulla eum duritia hominum sine maxima sui contritione [atque compassione] sustinere valeret. Pro iis vero, qui salvandi discedebant, tanto tripudio resultabat, quod miro modo esset mirabile, eam in tanta jocunditate vivere. Unde illi, qui ejus virtutem spiritus cog- C noscebant, facile animadvertere poterant in gaudio vel mœrore, quid in urbe esset morientibus affuturum.

gavisa etiam moribundis adesse, ut ad beatam mortem eos compararet.

27 Libentissime ac benignissime morientibus assistebat, exhortans ad peccatorum confessionem, et pœnitentiæ fructum, ad spem perennis gaudii, et horrorem exitialis incendii. Nec hoc solum in Christianos morientes, verum etiam in Judæos, quorum congregatio in urbe maxima erat, mirabili compassione solicita faciebat. Misericordissimum autem Christum Dominum referebat; in eos tamen qui ad ipsum converti vellent; et invitum valde illum vindictam sumere de peccatis hominum, et contristari eum, quotiens hoc facere, peccatis hominum exigentibus cogeretur ; occasiones vero ipsum diligenter inquirere, per quas salutem miseris dare possit. Et perfundebatur mira oris gratia, quando de Christo Domino hoc dicebat.

Durum in fine vitæ conversis purgatorium fore affirmat;

28 Referebat autem locum esse vicinum inferis in purgationem eorum constitutum a Deo, qui immanibus sceleribus fœdati erant, contriti tamen fuerant in extremis. Hunc locum in tantum cruciatibus horridum referebat, quod nulla ei ad supplicia inferorum esset distantia, excepto quod ii, qui in his suppliciis vexabantur, spe veniæ suspirabant. Iis in tortura dæmones præesse dicebat, ipsosque in tormentum dæmonibus traditos tanto ab eis acerbius cruciari, quanto se in his breviora cruciandi tempora habere cognoscunt.

AUCTORE THOMA CANTIPRATANO.

XX *spiritu prophetiæ claret ; occulta scelera redarguit ;*

29 Spiritu prophetiæ in multis claruit, multos præmonuit ad salutem, multos de secretis et occultis sceleribus in occulto redarguit, et ad pœnitentiam revocavit. Quando illa miserabilis congressio facta est [anno Domini MCCXIII mense Octobri *d*] inter ducem Brabantiæ *e* et ejus adversarios *f*, ubi in loco, qui dicitur Steps *g* tot centena hominum occisa sunt *h*, ipsa Beata mulier eadem die clamabat quasi parturiens atque dicebat : Heu, heu ! video aerem gladiis et sanguine plenum. Currite sorores, currite ; rogate Dominum ; lachrymas fundite, ne contineat in ira misericordias suas. Et cuidam moniali in ipso monasterio S. Katcrinæ [prope oppidum S. Trudonis *i*] dixit : Curre, filia, curre ad orationem velociter ; et roga Dominum pro patre tuo, quia in maximo nunc discrimine constitutus est.

XXI d e f g g E i

XXII *sicut exemplis,* k

30 Verum cum quædam monialis ipsius monasterii exitum cogitaret de ea Christina dixit : O vas vacuum ! in scandalum monasterii maximum profuturum *k*. Nec diu postea extitit, cum secundum verbum Christinæ de Ordine apostatavit, et per incontinentiam suam maximum monasterio scandalum fecit. Cumque conventus monasterii super modum difficilis esset, ut eamdem monialem revertentem ad pœnitentiam reciperet, Christina conventum redarguit dicens : Licet vos parum reputetis perditionem ejus, non tamen ita parum anima illius constitit Christo, qui pro ea sanguinem fundens, mori dignatus est. Nec destitit Christina hæc ingeminans, donec monialis pœnitens reciperetur *l*. l

XXIII *spiritum præsertim*

31 Quidam fuit nobilis ultra mare ad sepulchrum Domini proficiscens. Rogata et jurata est Christina ab uxore dicti nobilis, ut eum prece sua salvum ac sanum reduceret. Cujus adjurationem gravem ducens Christina, multas tamen preces, F labores et vota pro milite, Domino obtulit, eumque sanum reduxit, et dixit uxori suæ * quasi obstomachans : Ecce per importunitatem adjurationis tuæ sanum reduxi virum tum ; sed scito nunc, quod non diu tamen ejus præsentia lætaberis. Cujus verbum non multo post verum apparuit, cum paucis evolutis diebus vir ille nobilis ab hac vita migravit, et uxorem ac filios in desolatione et tristitia dereliquit.

* ejus

XXIV *propheticum*

32 Sed et multo ante tempore prædixit, quod terra Sancta Jerusalem Saracenis impiis subderetur. Cumque venisset dies, quo a Solahadino *m*, rege Persarum *n*, capta *o* fuit Jerusalem, cum sepulchro Domini et Cruce Christi *p*, ipsa in castro de Loen *q* posita, rei eventum cognovit in spiritu. In quo facto vehementer exultans, rogabatur a præsentibus causam tantæ exultationis edisserere. Recte, inquit, exulto, quia Christus Dominus hodie cum angelis lætabundus exultans occasionem dedit, qua humani generis multitudo salvetur.

m n o p q

AUCTORE THOMA CANTIPRATANO. *clarissime comprobantibus,*

33 Cumque præsentes, inquirerent, quæ esset occasio : Terram, inquit, sanctam hodie impiorum manibus traditam cognoscatis, magnamque occasionem per hoc datam salutis : dignam enim Christus suam contumeliam ducit, ut terra tradatur in dedecus, licet consecrata suæ præsentia passionis, peritura tamen cum mundo in fine mundi, cum per recuperationem ejus animæ perpetuo permansuræ, et suo sanguine redemptæ, a via impietatis ad viam justitiæ convertentur; fundentque homines sanguinem in negotio Terræ sanctæ, vicemque mortis Christo in magna devotione rependent. Tunc omnes, qui aderant admirantes, nonnulli eorum notant tempus, et reperiunt eamdem diem, post tempus scilicet, quo peragrato itinere interjacente, fama ad
r transmarinos potuit pervenire *r*.

XXV *ostenditur.*

34 Famem etiam maximam, quæ fuit anno circiter ab Incarnatione Domini MCLXX *s*, multo
s tempore ante prædixit. Alia quoque multa nimis, quæ jam adimpleta sunt, et quæ adimplenda
t credimus, Christina prædixit *t*.

B

XXVI *Rapta in ecstasim*

35 Proinde cum esset familiaris valde monialibus S. Katerinæ extra oppidum S. Trudonis ; et cum ipsis aliquando [sedendo] loqueretur de Christo, subito et inopinate rapiebatur a spiritu, corpusque ejus velut trochus ludentum puerorum in vertiginem rotabatur, ita quod ex nimia vehementia vertiginis nulla in corpore ejus membrorum forma discerni posset. Cumque diutius sic rotata fuisset, acsi vehementia deficeret, membris omnibus quiescebat; sonabatque proinde inter guttur et pectus ejus, quædam harmonia mirabilis, quam nemo mortalium vel intelligere posset, vel aliquibus artificiis imitari. Solam flexibilitatem musicæ et tonos ille ejus cantus habebat; verba vero melodiæ, ut ita dicam, si tamen verba dici possunt, incomprehensibiliter concrepabant. Nulla interim de ore ejus vel naso vox vel anhelitus spiritalis exibat, sed inter solum pectus et guttur harmonia vocis angelicæ resonabat.

mirabilem edit cantum;

36 Interim quiescentibus membris omnibus, oculorum [ejus] palpebræ instar dormientium claudebantur. Tunc post aliquanta spatia, ad se
C paulisper reversa, quasi ebria, et vere ebria consurgebat; clamabat vociferans : Adducite mihi conventum, ut summæ benignitatis Jesum, in suis mirabilibus collaudemus. Mox undique concurrente conventu; (lætabatur enim multum Christinæ solatio) inchoabat, Te Deum lauda-
u mus; et prosequentibus omnibus finiebat *u*. Postea vero cum ad plenum reversa esset ad se, cognosceretque, recitantibus aliis, quid egisset ; et conventum ad Christi laudem qualiter invitasset, præ pudore et erubescentia fugiebat, vel si vi ab aliqua detineretur, dolore nimio tabescebat; stultamque se ac fatuam indicabat.

XXVII *mundo insultat, quod Creatorem non agnoscat.*

37 Dicebat autem quandoque, de jam dicto statu ad se reversa, in magna amaritudine cordis : O miserum et miserabilem mundum, non agnoscentem factorem suum! Quare non servis ei? Quare longanimitatem ejus patientiæ non consideras? Bonitatem ejus si videres, etiam ab alio *, contradicente mundo, averti non posses, quin eum diligeres. Sed aversus es, o munde miserabilis; clausisti oculos, et intelligere noluisti. Hæc dicens clamabat velut parturiens, et contorquebat membra sua, volutabaturque in terra cum ejulatu maximo ingeminans, quare mundus non agnosceret Creatorem suum. D

* *alias* illo.

ANNOTATA.

a *Id est* sceleratorum hominum, *ut recte Surius, conformiter ad præcedentia et subsequentia. et parabolam evangelicam Pharisæi et Publicani.*

b *Recte notat Surius :* Hæc fecit sanctissima Virgo non aliqua temeritate, sed Deo illam cogente haud dubie in salutem illorum, quibus ea eripiebat; *idque tam hic, quam, ut dicitur paulo post,* spiritu interius admonita *faciebat.*

c *Miræanum apographum cum Ms. Rubeæ vallis collatum,* in una manica; *nostra lectio probatur ex tribus nostris aliis Mss.*

d *Uncis inclusa habet Ms. Miræi: quæ conveniunt cum iis, quæ supra diximus in Commentario prævio.*

e *Fuit is Henricus, (de quo Butkens in Trophæis Brabantiæ lib.* 4, *cap.* 4*) a patre Godefrido regimini associatus anno circiter* 1172. *In Historia Belgii, anno* 1720 *Bruxellis Gallice edita, tomo* 1, *pag.* 93 *fertur leonem nigrum, cum fundo aureo primus invexisse insignibus Brabantiæ. Obiit anno* 1235 *Nonis Septembris (ut liquet ex epitaphio apud Butkens) et sepultus est Lovanii in medio choro ecclesiæ collegiatæ S. Petri. Errat ergo Chronicon Trudonense Ms. ad annum* 1227 *tradens ista:* Eodem anno Henricus dux Brabantiæ moritur. E

f *Leodienses intellige, de qua re in Commentario prævio.*

g *Ms. Rubeæ vallis cum duobus aliis nostris apographis male* Sceps; *Surius locum non exprimit. Trudonopolis ad meridiem habet pagum vulgo Montenaken, duabus leucis inde distantem, in cujus extremis finibus locus est Occidentem versus, qui dicitur* Steppa, *vulgo* Stipsbergen.

h *Quam pene nullo victoribus Leodiensibus, quam autem ingenti sanguinis dispendio steterit palma ista victis Brabantis, vide sis apud Fisenum :* Qua, *inquit,* ter mille Brabantos non annumeratis externis auxiliis, periisse compertum est, capta F quatuor millia. Mali præcipua moles incubuit in Lovanienses ac Liranos, qui dimicaverant in prima acie. Ac Lovaniensium quidem patricii multi periere. Fortiter enim egerunt, servatique ducis gloriam adepti sunt; quam prærogativis testatam dux voluit, Petermannorumque nomine insignivit, quotquot sub vexillo S. Petri militassent. *Porro hic triumphus annuo Officio ecclesiastico celebratur, apud Leodienses die* XIII *Octobris.*

i *Uncis inclusa habet Ms. Miræi; nullum ex aliis omnibus, quæ vidi.*

k *Lectio ista (pro qua Ms. Rubeæ vallis,* offuturum) *probatur ex quatuor nostris exemplaribus.*

l Nec destitit, *etc., miror non haberi in Ms. nostro chartaceo.*

m *Ms. Rubeæ vallis,* Saladino.

n *Regem Saracenorum dicere debuit, sicut eum vocat Baronius in indice sui ultimi tomi Annalium,* Ægypti Sultanum *Surius hic. De Ægypti regno ei relicto agit Jacobus de Vitriaco in Historia orientali*

A *tali cap.* 94; *de variis autem regnis, quæ sub se habuit, cap.* 98. *Vide quæ ad ipsum spectant a citato cap.* 94; *sub mortem præbuisse memorabile humanarum rerum vicissitudinis exemplum passim narratur.*

o *Jerusalem a Saladino captam* IV *Kalend. Octobris notat Baronius ad annum* 1187, *num.* 7; *Labbeus vero in Compendio chronologico vel isto die vel die* II *Octobris factum ponit.*

p *Cladem istam et ignominiam cruci Domini illatam tragice ex epistolis testium oculatorum describit laudatus Cardinalis Baronius ad annum mox allatum, num.* 3 *et* 8.

q *Alias* Los, Loes Loen, *vulgo* Borchloen, *Latine* Loscrastum, *oppidulum Belgii in ditione episcopi Leodensis, et Lossensis comitatus seu Lonensis caput. Habet capitulum canonicorum, et monasterium Brigittinorum. Medium est inter Tungros ad ortum et fanum S. Trudonis ad occasum, duabus leucis utrimque distans. De hoc loco dictum jam pridem in annotatis ad Vitam S. Lutgardis, die* XVI *Junii, pag.* 242.

B r *Surius hic desinit in,* annotarunt tempus; *eventum prophetiæ non memorans.*

s *De anno hic et alibi signato, uti et de eo, qui in aliis codicibus signatus invenitur, pluribus dissertum est in Commentario prævio.*

t Alia quoque multa, *etc., non habet codex noster chartaceus.*

u *Lectio nostra ab* inchoabat *usque ad* finiebat, *probatur ex nostris Mss. quatuor contra Ms. Rubeæ vallis, quod aliter legit.*

CAPUT IV.

Secessus Sanctæ ad Ivettam reclusam; cantus ac Scripturarum scientia; æstimatio apud comitem Lossensem; de quo vivente bene merita, post mortem ejus, pœnas purgatorii in se Sancta partitur; amor solitudinis.

C

XXVIII *Suos deserens versatur cum reclusa; a qua auctor Vitæ plurima didicit.*

Post hæc de domo propria et cognatione digressa, castrum in confinio Alamanniæ, quod Loen dicitur, expetivit *a*: ubi cum quadam religiosissimæ vitæ reclusa Ivetta *b* nomine, moram per novennium faciens, mira per eam operatus est Dominus. A qua reclusa, multa, quæ de Christina scripsi, revelata suscepi: de longinquis enim Galliarum partibus ad eam propter hoc veni.

XXIX *Suavissima cantandi facultate*

39 Igitur in eodem loco, omni nocte Christina Matutinorum frequentans vigilias, recedentibus omnibus de ecclesia, et obseratis januis, per aream pavimenti ecclesiæ deambulans, canticum tantæ dulcedinis emittebat, ut potius videretur cantus angelicus quam humanus. Cantus ille tam mirabilis erat auditu, ut omnium musicorum instrumenta, omnium mortalium voces excelleret; minor tamen et longe impar dulcedine illius harmoniæ jubilo, qui dum mente excederet, inter guttur et pectus ejus [incomparabilis] resonabat. Cantus, inquam, iste Latinus erat, mirisque consonantium c clausulis exornatus. AUCTORE THOMA CANTIPRATANO.

c *et mira scientia in divinis Scripturis a Deo donatur;*

40 Intelligebat autem ipsa omnem latinitatem, et sensum in Scriptura divina plenissime noverat, licet ipsa a nativitate litteras penitus ignoraret, et earum obscurissimas quæstiones spiritualibus quibusdam amicis, cum interrogaretur, enodatissime reserabat. Invitissime tamen [ac rarissime] facere voluit; dicens Scripturas sanctas exponere, proprium esse clericorum, nec ad se hujusmodi ministerium pertinere. Clerum ac maxime sacerdotes propter nimium amorem Christi miro modo venerabatur, cum tamen versa vice multas ab eis injurias pateretur. Peccantes sacerdotes vel clericos secretius et cum mira reverentia quasi proprios patres dulciter admonebat, ne bonum nomen Christi per excessus suos in populis blasphemarent *. * *alias* blasphemaretur.

XXX *Ludovico comiti Lossensi tota in amoribus est:*

41 Cujus sanctitatem vir nobilissimus Luduicus *d* scilicet comes de Loen celebri fama cognoscens, cœpit eam ex corde diligere, et ejus consiliis ac colloquiis sinceriter inhærere. Ubicumque vidisset eam, assurgebat, et occurrebat ei, matremque vocabat. Cum autem aliquid idem comes contra justitiam, vel ecclesiam Christi aut ministros ejus exercuisset, ipsa quasi mater de filio dolebat pro eo. Adiensque eum, in palatio consistentem, materna illum fiducia arguebat, obtinebatque ab eo quidquid pro satisfactione et justitia debuisset. *d* E

XXXI *quem excitat ad amorem Dei,*

42 Et quidem cum idem Luduicus comes die quadam acclinis in atrio ecclesiæ jaceret multo milite stipatus, illa superveniens clam capiti comitis imminebat. Quæ oculis ac manibus elevatis dicere cœpit cum mira oris gratia: O quam pulcher es, Domine! Quod milites audientes dicebant comiti: Audisne, domine comes; qualiter hæc Sancta te laudat? Et comes: Novi, inquit, quem laudat. Non sum ego, sed laudat cœlestem Dominum suum, qui pulchritudinum creator est, et pulcherrimus omnium. Tum illa: Verum, inquit, dixisti. Tu ergo cur istum non diligis?

XXXII *ac simulatum proditorem ipsi detegit:*

43 Idem ipse comes aliquando in palatio suo apud Loen, quod nunc destructum est *e*, cum Limburgensi, et cum alio comite hora meridiana super culcitram in æstate colloquendo jacebat. Ad quorum colloquium Christina constanter accurrens inclamat comiti Luduico: O miserrime, cum quibus nunc agis colloquium? Ecce tecum quasi amicus agit, qui inimicus jam manum proditurus apponit. Mox vocem Feminæ proditor ille perhorrens, ad horam conticuit, verumque verbis dissimulans, eventum rei exitus approbavit *e*. F

XXXIII *cujus jam vita functi animam gravissimis purgatorii pœnis cum tradi videret, Ms. Rubeæ vallis eos.*

44 Hic idem Luduicus comes cum in extremis ageret, Christinam ad se vocari fecit, eam obnixius postulans, ut secum usque ad horam sui obitus remaneret. Qua favente benignius, comes omnes * qui cum eo erant, secedere jubet a thalamo; Christinam autem solam secum retinuit in conclavi. Nec mora: comes virtute, qua potuit, erexit se, et supplex ante pedes Christinæ toto corpore factus, ei omnia peccata sua ab anno ætatis suæ undecimo usque ad diem illam cum maximis lacrymis recitavit; et hoc non pro indulgentia, quam dare non potuit, sed ut magis ad orandum pro eo, hoc piaculo moveretur. Post hæc

AUCTORE THOMA CANTIPRATANO.

haec comes omnes suos intra thalamum vocari fecit, et secundum consilium Christinæ sua disponens mortuus est *f*. Et vidit illa animam ejus tradi ad purgatorium, pœnis acerrimis cruciandam.

XXXIV *a Deo obtinet, ut dimidiam earum partem in se transferre possit.*

45 Quem pia Mulier non modice miserata, a Domino obtinuit, ut cum illo exactura in purgatorio supplicia partiretur. Nempe cum illi [post mortem] apparuisset, auxilium petiturus, dixit ad eum Christina : Age nunc, et vade hinc, et secundum divinum judicium pœnas pro peccatis exsolve ; ego vero in meo corpore exactura tormenta dimidiam purgatorii tui partem excipio *g*. His ita gestis, videres Christinam multo post tempore nocturnis horis flammeis vaporibus [interdum vero frigorum algoribus *h*] cruciari ; et certum *, secundum quod anima comitis alternatis * cruciatibus torquebatur. Loca etiam, in quibus dictus comes peccare solebat, irremediabilibus lacrymis irrigabat, et in quibus lætatus ille inaniter fuerat, ista dolebat.

* *an* semper?
* *alias* alternantibus

XXXV *Sub finem vitæ solitudinis amantissima, umbræ instar inter homines apparet.*

46 In ultimo vitæ suæ anno solitudo illi et desertum frequenter habitaculum erant ; reverteturque, licet rarissime, cum ad salutem hominum, aut ad sumendum cibum a spiritu cogeretur. Retinere eam illo in tempore nemo mortalium posset, cum anhelaret ad deserta transire. Cum reverteretur, nemo eam salutare, nemo aliquid interrogare audebat. Vespere enim aliquando revertens transibat per mediam domum quasi spiritus super terram : vixque discerni poterat si spiritus transibat aut corpus, cum terram vix tangere videretur. Adeo enim in illo extremo vitæ suæ anno in omnibus fere partibus animale corpus sic spiritus obtinuerat, ut humanæ mentes vel oculi vix possent ejus corporis umbram sine horrore et tremore spiritus intueri. Reversa autem tunc ad oppidum S. Trudonis, in monasterio S. Katerinæ sæpius morabatur.

ANNOTATA.

a *Miræi apographum ad Rubeovallense collatum hic habet :* Castrum quod ab oppido S. Trudonis distat per duo fere milliaria, quod Los sive Loen dicitur, expetivit. *Quæ lectio probatur ex duobus aliis codicibus nostris ; at illi, quæ est in textu, suffragatur Ms. chartaceum nostrum.* C

b *In exemplari, quod excudimus, nomen hoc non satis clare erat expressum ; in duobus aliis vitiose* Metta ; *apud Surium* Juera. *Apud Fisenum in citata Historia ad annum* 1192, *num.* 7 *vocatur* Ivetta *vel* Ivera ; *ubi ab hac recte distinguit Ivettam Hoiensem, Sanctæ nostræ synchronam , de qua actum* XIII *Januarii, a pag.* 863 ; *ibique de alia fere synonyma Jutta virgine reclusa, S. Hildegardis magistra, acturos nos diximus ad* XXII *Decembris, quo eam dedit Arturus in suo Gynæceo. Hanc, qua de agimus, sanctam vocat Mantelius Historiæ Lossensis lib.* 6, *pag.* 173, *et* Iveram *etiam scribit, dicens* nescire *se* an Loscastri ulla *ejusdem* exstet memoria, aut ullæ supersint reliquiæ. *Quo autem fundamento sanctæ ei titulum det, ipse viderit.*

c *Ms. Rubeæ vallis,* consonantiarum.

d *De isto Ludovico meminimus in Commentario prævio; locisque variis de eo agunt Fisenus in Historia Leodiensi, ac Mantelius in Compendio Historiæ Lossensis.* D

e *Prophetiam hanc cum suis adjunctis, explanare conati sumus in Commentario prævio.*

f *Anno Christi* 1218, *sicut ibidem diximus.*

g *Eximia in hoc genere misericordiæ fuit B. Christina Stumbelensis, acerbissimos et inauditos perpessa cruciatus in solatium animarum. Vide Vitam ad* XXII *Junii, lib.* 4, *cap.* 13 *in fine, ubi tres notas animas, et alias mille liberasse narratur. Vide item caput* 16, *etc.*

h *Uncis inclusa, non sunt in Ms. Rubeæ vallis.*

CAPUT V.

Vita qualis proxime ante mortem ; languor; mors secundo ac tertio obita ; sepultura ; translatio; auctoris parænesis ; elevatio corporis ; miraculum. E

XXXVI *Narrat Vitæ auctori abbas Trudonopolitanus,* a

Narravit mihi memoratus venerabilis Thomas *a* nunc abbas S. Trudonis, tunc vero presbyter civitatis, quoddam de Christina recitatione dignissimum. Ipse in aurora diei a Matutinis domum cum socio revertebatur ; et, ecce, illa cum impetu transiens ecclesiam introivit. Quam clam secuti illi post columnam ecclesiæ secretius observabant, quid illa ageret vel oraret. Nec mora, illa ante altare quasi saccum siccis plenum ossibus se projecit. Tunc ingemiscens graviter ac frequenter tundere cœpit pugnis pectus et corpus suum, dicens : O miserum * et miserabile corpus ! quam diu me miseram cruciabis ? Quid agis mecum ? Quid tibi tam diu miseram animam detinere * ? Quam diu retardabis me a conspectu Christi ? Quando derelinques me, ut anima ad Creatorem suum libera revertatur ? Væ tibi, miserrime ! et væ mihi, quæ conjuncta sum tibi !

* *alias* miserrimum
* *Ms. Rubeæ vallis* retines

F *Sanctam inter alternantes animæ et corporis inter se dialogismos*

48 Hæc et hujusmodi dicens, tundebat corpus suum. Tunc iterum assumens personam corporis, quasi spiritui dicebat : O anima misera ! sic quare me crucias ? Quid te tenet in me, et quid te delectat ex me ? Quare non sinis me redire ad terram, unde assumptum sum, et quiescere, quousque tibi in novissimi judicii die restituar ? Quare non vadis ad requiem tuam, ut fruaris potioribus in supernis ? Hæc dicens suspirabat, et anhelabat * et flebat. Nec mora ; quiescens paululum cum silentio, et cogitatione sancta in Deum sincerius incalescens, in risum dulcissimum resolvebatur, et tollens ambabus manibus pedes suos, cum maximo affectu deosculabatur plantas ejus, atque dicebat : O dulcissimum corpus ! quare verberavi te ? Quare convicia intuli tibi ? Numquid obedisti mihi in omne opus bonum, quod Deo auctore aggressa sum facere ? Tu tormenta, tu labores benignissime ac patientissime pertulisti, quæ spiritus imponebat.

* *Ms. Rubeæ vallis* ejulabat

49 Iterum ingeminans oscula, dicebat : Nunc patienter sustine, o meum optimum et dulcissimum

A *gaudio delibutam, ac mirifice affectam fuisse.* mum corpus. Jam finis instat laboris tui; jam quiescens in pulvere, paululum dormitabis, et tunc demum, canente tuba, deposita omni corruptibilitate, resurges, et sociaberis animæ in perpetuo gaudio, quam in præsenti tristitiæ sociam habuisti. Talibus demulcens verbis et osculis corpus suum, post horam jubilum, quem prædiximus, mirabilem emittebat; et tanta jocunditate interius replebatur, ut rumpi exterius in corpore crederetur. Vere mirabilis Deus in Sanctis suis, et in ista, ut ita dicam, super omnem admirationem mirabilis!

XXXVII *quem vitæ modum tenuerit ante mortem: deflet hominum peccata:* 50 Cibo in extremo vitæ suæ tempore raro valde et modico pascebatur. Ad colloquium cum sororibus et religiosis, sicut ante consueverat, sedere nolebat, sed gustans modice, et somno ad momenta refecta, nocte nondum media ad deserta transibat. Numquam in diebus illis risum quis vidit de ore ejus, sed erat similis illi, qui nimio dolore amens effectus est. Orans, plangens incedebat et mœrens; et hoc ideo, ut creditur a quibusdam, quia ei solito amplius de statu mundi et malitia ejus Dominus revelavit. Unum erat, B quod cum miro ejulatu sæpius deplangebat, totum fere humanum genus in effusionibus seminum esse corruptum, et propter hoc iram Dei per vindictam toti fere Christianitati citius imminere.

XXXVIII *languet,* 51 Ingruente vero tempore, quo languore mortis debuit detineri, tam assiduam contemplationis gratiam adepta est, ut molestum ei valde esset, aliorsum aciem mentis intendere. Extremo ergo quiescens ab omnibus, Beatricem *b* quamdam S. Katerinæ monialem benigne rogavit, ut sibi lectum secrete in thalamo præpararet, eo quod sibi languoris infirmitas imminere. Qua præsto faciente, quod petiit, ipsa decubuit, et ingravescente morbo excrcebatur. Cumque per hebdomadas tres languore detenta fuisset, communionem corporis Dominici, et unctionis oleum postulavit. Quo facto, ipsa quam prædixi, Beatrix coram ea genibus provoluta rogavit, ut certificaret eam in rebus aliquibus, antequam vita excederet. Cumque reticeret illa, aliorsum eam intentam existimans, distulit quæstio- C nem, exiensque thalamum aliquid factura, solam eam interim dereliquit.

XXXIX *moritur;* 52 Proinde fertur a quibusdam, eam sæpius in vita rogasse Dominum, ne eam in morte aliquibus miraculis honoraret, sed communi hominum morte defungi permitteret, et in hoc quoque a Domino exaudita est: nam dicta Beatrix antequam reverteretur, vocante Christo, [Christina] spiritum exhalavit. Nec mora, reversa Beatrix cum quadam sorore, invenit in terra corpus exanime, mortuorum more prostratum, et vere credo ministerio angelorum. Tunc Beatrix impatientius agens, ruit super defunctæ corpus, clamans super defunctæ corpus, et ejulans vehementer. Cumque inter clamandum defunctam sæpius interrogaret, cur sine licentia, cur sine commendatione sororum abiisset ad Dominum, tandem in spiritu vehementi, concepta fiducia, fixo vultu in ora defunctæ, dixit: O Christina! obediens semper mihi in vita fuisti; adjuro ergo nunc te et contestor per Dominum Jesum Christum, quem in vita ardenti desiderio dilexisti, ut obedias mihi etiam nunc: quia potens potes per illum, cui nunc jungeris, quæcumque vis, revertarisque ad vitam, et dicas mihi, quod a te aperiendum in vita magno desiderio postulavi. AUCTORE THOMA CANTIPRATANO.

53 Mira res! mox ubi hoc Beatrix mortuis auribus inclamavit, Christina reversa ad corpus, grave suspirium edidit; anxioque vultu revocantem reverberans dixit: O Beatrix! quid me inquietasti? Quare revocasti me? Jam exhibenda ducebar ad conspectum Christi; sed nunc soror mi *c*, quid vis, festinanter interroga, et sinas me, obsecro, ad Domini concupita reverti. Tunc Beatrix quod proponebat interrogans, responsum ab illa recepit. Interim aggregatis undique sororibus monasterii, illas crucis signo et verbo consignans, tertio experta est mortem, et tertio *d* obiit, et sic transiit ad immortalia secula seculorum. *sed iterum ad vitam redit tantisper ac paulo post tertio exspirat.* *c* *d*

54 Vixit autem postquam primo resurrexit a mortuis, quadraginta duobus annis, et defuncta est anno circiter ab Incarnatione Domini MCCXXIV. Sepulta est autem extra oppidum S. Trudonis in monasterio S. Katerinæ, quievitque ibidem annis septem, usque ad tempus scilicet, quo omne ædificium monasterii in locum magis congruum et proximum *e* transtulerunt. Tunc universis civibus adunatis, ad tumulum [beatæ ac] reverendæ Christinæ, clerus et conventus monialium accesserunt. Quem dum dimoto desuper operculo aperuissent, tantæ dulcedinis gratia cunctos universaliter et singulariter occupavit, ut omnes una mente, [et] uno ore pariter conclamarent, Christinam in vita fuisse mirabilem *f*, et post mortem nihilominus gloriosam. Nec enim ullus ambigit, gratiam sanitatum collatam esse his, qui cum fide debita ad ejus tumulum accesserunt. Sed nos hujusmodi prosequi non valemus. XL *Tempus vitæ; annus mortis; sepultura.* E *e* *f*

55 Vide ergo, lector, quantis simus obnoxii, qui Christinam videmus tot tormenta, tot pœnas non pro se sed pro proximis pertulisse; et nos pro nobis et nostris excessibus pœnitentiam agere formidamus. Veniet certe dies, veniet, et non tardabit, quod nos majora iis libenter aggredi tentaremus, si locus pœnitentiæ daretur poscentibus, et ad neglecta [quondam] tempora redire liceret. Et væ iis, qui oleum misericordiæ [tunc] volunt emere, quando tempus nundinarum pertransivit; et ideo lampade vacua pulsabunt ad januam, et nullum aditum * obtinebunt; quin imo dicetur eis: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam. XLI *Concludit auctor.* F * *alias* auditum.

56 Argumento ergo necessario conclusum est dormienti, dum diem et horam negligens, noluit plena lampade oleo bonorum operum ex condignis pœnitentiæ fructibus vigilare. Vigilate ergo: quia nescitis diem neque horam, qua Dominus vester venturus sit. Et quid aliud in omni vita sua Christina clamavit, nisi pœnitentiam agere, et paratos esse homines omni hora? Hoc verbis multis, hoc fletibus, hoc ejulatibus, hoc clamoribus infinitis, hoc exemplo vitæ plus docuit, plus clamavit, quam de aliquo præcedentium vel subsequentium scripto vel relatione percepimus, in laudem et gloriam Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen *g*. *exemplo S. Christinæ lectorem adhortans ad pœnitentiam.* *g*

AUCTORE THOMA CANTIPRATANO.

XLII *Milenienses divinitus monitæ moniales de elevando Sanctæ corpore, h*

57 Accidit autem post hæc anno ab Incarnatione Domini MCCXLIX, ut die quadam summo mane ad portam mulier, ut videbatur, annosa corpore et habitu candidata pulsaret. Intromissa ergo, pro monacho et sacerdote *h* quæsivit. Ad quem cum fuisset adducta, dixit illi : Missa sum ex revelatione divina, ut annuntiem vobis, quatinus corpus cujusdam sanctissimæ feminæ, Christinæ nomine, sub negligentia positum relevetis a loco. Quod si feceritis, ipsius meritis et precibus gratiam locus iste consequetur et gloriam ; si autem neglexeritis, offensam divini numinis incurretis. Cumque monachus rogaret eam, ut hæc potius priorissæ monasterii diceret et conventui, illa reticuit.

illud transferunt in decentiorem locum :

58 Nec mora, currens monachus, ut cum conventu adduceret priorissam, dictam personam rediens non invenit. Festinans ergo per diversas vias cucurrit, et misit, nec invenit quemquam, qui recedentem viderit aut manentem. Introeuntem vero portam plures eam vidisse testati sunt, nec incongrue. Neque enim angelus Raphaël multitudini secreta cœlestia censuit revelanda, sed soli Tobiæ cum filio. Et hoc modo hic non ab re cernimus accidisse. Hæc audiens conventus, et timens ne, sicut supra dictum est, divini numinis offensam incurreret, cum festinatione et gaudio ossa sacra tollentes de tumulo, lota diligenter et exsiccata juxta altare in loco celebri posuerunt.

XLIII *consecuto mox hanc translationem miraculo.*

59 Nec mora, postquam mirabilis Christinæ corpus a tumulo relevatum est, mulier quædam in vicino monasterii a multo tempore ita languida, et penitus membris destituta jacebat, ut a lecto, etiamsi arsisset domus, surgere non valeret. Fama ergo tantæ rei confidentius excitata, orat virum suum, ut ad monasterium deferatur. Qui lacrymis mulieris impulsus, eam vehiculo, quod vulgariter currum herbarum vocant, imposuit, et ad monasterium usque deduxit. Hinc manibus perlata ad tumulum, membris omnibus sospitata surrexit, et benedicens Deo, et sponsæ suæ Christinæ, ad domum suam propriis viribus repedavit.

ANNOTATA.

a *Rectius Ms. nostrum chartaceum omittit* τὸ memoratus. *Ecgraphum Miræi cum duobus aliis nostris Mss. legunt,* mei nominis; *Ms. Rubeæ vallis addit,* æquivocus.

b *Synonyma priorissa S. Catharinæ ponitur apud Fisenum in Floribus pag.* 277 *successisse S. Lutgardi, Aquiriam profectæ anno* 1206, *secundum ea, quæ diximus in Commentario ejus prævio ad diem* XVI *Junii pag.* 233 ; *quæ an eadem sit Beatrix cum hac, qua de hæc Vita agit, nobis non constat.*

c *In supplemento ad Vitam B. Mariæ Oigniacensis* XXIII *Junii, pag.* 667 *simili barbara phrasi dicitur,* domina MI.

d *Rarissimo, imo forte nullo aliorum Sanctorum exemplo tertio* S. Christinam *obiisse, clare ac distincte narratur a biographo. Noster Coret in Strena anni* 1711, *seu Diario angelorum Gallice edito, ac Leodii recuso, tomo* 3, *pag.* 155 *nimis timide de primo Sanctæ obitu dicit :* Mortua fuit satis juvenis; mortua saltem credita fuit. *Biographo adde Vitriacum supra in prologo, de prima morte ita pronuntiantem :* Cum diu mortua jacuisset, *etc.*

e *De distincta hujusce loci notitia, in mappa geographica a me non reperta, rogatus per litteras Dielsius, de quo in Commentario prævio, respondit in hæc verba :* Abbatia de Milen habet Trudonopolim versus meridiem, indeque distat media hora. *(Historia Belgii Gallica pluries citata inde eam removet ad unam leucam.)* Alluitur fluviolo Sylindria : hortos duos et amœna habet prata; sed cultura non ita rara, uti nec templo, nec ædificiis. *Observa interim ex citata Historia, locum hunc etiam vocari* Munster-Milen.

f *Consonant apographum Miræi et codex chartaceus noster; mendose scribunt duo alii codices nostri,* venerabilem.

g *Videtur hic desiisse primigenium Vitæ argumentum : reliquis, uti existimo, vel secunda ejusdem manu, vel alterius opera adjectis. Adi Commentarium prævium.*

h *Habitasse ibidem aliquot ejusdem instituti monachos, eruo ex verbis Chronici Trudonensis ad annum* 1248, *in Commentario prævio citatis :* Priorissa totusque conventus monasterii S. Catharinæ in Milen compromiserunt... quod amodo non debeant numerum sanctimonialium, et FRATRUM ac sororum augmentare ultra LX personas.

DE

A D

DE B. KINGA, seu CUNEGUNDE VIRGINE

POLONIÆ DUCISSA,

ORDINIS S. CLARÆ APUD ANTIQUAM SANDECZ

IN PALATINATU CRACOVIENSI.

P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Antiquus, et modernus Beatæ cultus.

ANNO MCCXCII B

Ad *Superos hoc die, anno Christi* 1292, *(ut est in Actis cap.* 26*) transmisit Sandecz, sive Sandecia aut Sandecum vetus* B. Kingam *seu* Cunegundem *virginem simul ac viduam Boleslai pudici, Poloniæ minoris, hoc est palatinatuum Cracoviensis, Sandomiriensis, et Lublinensis ducis ac monarchæ :* Kingam, *inquam, seu* Cunegundem : *nam utrumque eidem nomen fuit; et primum quidem Hungaricum est, quemadmodum et ipsa Virgo; alterum obtinuit in Polonia, ut auctor est Mathias de Michovia Chronicorum regni Poloniæ lib.* 1, *cap.* 38. *Non satis huc animum advertit olim Rodulphius Historiarum Seraphicæ religionis lib.* 1. *fol.* 137 *verso, et* 243 *item verso, ex una Beata duas faciens, alteram quidem* Cunegundem, *anonymi regis Hungariæ filiam, uxorem Boleslai pudici, et quæ monialium Sandeciensium parthenonem condiderit; alteram vero* Ziguam, *vel* Zinguam, *filiam Andreæ Hungariæ regis, sororem germanam S. Elizabethæ. Hæc hallucinatio tum ex Actis hisce nostris tam evidenter elucescit; ut jam pridem eam in Rodulphio suo posteriores Ordinis ejusdem scriptores agnoverint.*

B. Kinga, eademque Cunegundis, hoc die obiit,

C

2 *Est autem* Sandecia vetus, *oppidum, ut in hac Vita dicitur cap.* 15, *num.* 139, prope radices Alpium, quæ Poloniam ab Hungaria dividunt; duobusque fluminibus, Poprod videlicet et Dunajecz, haud longe ab oppido fluentibus, ambitur, *tredecim circiter milliaribus Cracovia dissitum*, populosum *olim* ac dives; *at ex quo nova Sandecz trans Popruthium a Wenceslao Polonorum et Bohemorum rege anno* 1303 *cœpta est ædificari*, omnis decor antiquæ Sandecz adeo emarcuit, *inquit auctor noster infra cap.* 14, *num.* 240; ut ex civitate alioquin tunc insigni ad vilem sit vicum redacta. *Ibi porro Beata monasterium erexit S. Claræ sub titulo SS. Trinitatis, illustre atque opulentum, ut quod monialibus facile centum alendis sufficeret; quibus et ipsa se, defuncto conjuge, statim adjunxit, atque adeo aliquanto post præfuit : donec tandem, annis in religione tredecim exactis, in sacello, ejusdem monasterii septis (ut habet Waddingus ad annum* 1333, *num.* 32*) incluso, et seorsim ad latus ecclesiæ sito, nec ulli nisi solis monialibus patente, condita fuit.*

et sepulta est in monasterio Sandeciensi a se fundato,

3 *Cultus ejus* a centum quinquaginta et ultra annis *ante decreta Urbani PP. VIII revocari non potest in dubium, ut patebit ex sententia in Miraculis recentioribus proferenda cap.* 10, *num.* 108 : *imo ab ipso illo, quo decessit hinc, die repeti haud immerito potest; quando continuo frequentissima cujusvis generis miracula ejus apud Deum gratiam prorsus singularem longe lateque adeo propagarunt; ut vix sepulcro esset imposita, cum ad illud* fieret frequens hominum, in variis necessitatibus ejus opem pro voto referentium, ex propinquis et remotis regionibus concursus; *quem quidem populi affluxum recentia identidem beneficia in annos sequentes ac secula produxerunt, auxeruntque non parum; ut et Acta capitibus* 27, 28, *et sequentibus usque ad finem, et picturæ votivæque, quæ ad sepulcrum appensæ (Waddingo teste ad annum* 1333, *num.* 29*) visuntur, tabellæ indicant. Neque hæc promiscuæ plebis tantummodo veneratio fuit aut privata, sed regni Poloniæ universi, ac publica :* In universo regno Poloniæ, *inquit Waddingus loco citato*, pro patrona et tutelari proclamatur; ejusque sepulcrum magna devotione invisunt die sanctissimæ Trinitatis, cui ecclesia dedicata est, non solum Poloni, verum etiam provinciæ Scepusiensis incolæ, Germani, Rutheni, Silesii, Moravi et Hungari magno omnis generis et ætatis concursu. Et qui vota sua ad sepulcrum pro beneficio aliquo consequendo deponunt, diem Lunæ... jejunio, eleemosyna, aliisque piis operibus sacrare non omittunt.

miraculis et cultu jam olim clara, et patrona Poloniæ,

E

4 *Præcipuam ac peculiarem in hac parte pietatem sibi vindicat ecclesia Cracoviensis; uti ex carmine colligo, quod excusum Cracoviæ anno* 1617, *oblatumque a congregatione Assumptionis Deiparæ, ex illustribus status utriusque viris, clero, aulica studiosaque juventute ad ædes Societatis Jesu Cracoviæ instituta, suo ante sodali, tum vero illustrissimo principi, domino Martino Szyskowski, episcopo Cracoviensi ac duci Severiensi, inscribitur* Divi Tutelares diœcesis Cracoviensis gratulabundi : *hos inter haud infimo loco recensetur* beata Kunegundis Hungara, Poloniæ ducissa, vidua et virgo, Ordinis S. Claræ, cœnobii sanctimonialium Sandeci fundatrix.

ac præcipue diœceseos Cracoviensis.

F

5 *Quo primum tempore nuncupari vulgo* Sancta *aut* Beata *cœperit, non reperi. Illud constat, hunc ei titulum ab ineunte seculo decimo quinto attributum legi in codice membraneo, de quo infra fiet mentio, Clarissarum Cracoviensium; quem secuti deinde scriptores Poloni constanter tenuere. Hos imitari non est ausus Ranucius Picus in Vita Italica anno* 1633 *Romæ vulgata, ubi* Venerabilem *tantum, et quidem solus, quod sciam,* Cunegundem *appellat . id quod minime mirandum in Pico, ut qui de Beata scripserit Romæ paulo post decretum*

Missa et officium ejus antiquum,

Urbani

AUCTORE P. B.

Urbani Papæ VIII datum XIII *Martii anno* 1625. *Eodem, nisi multum fallor, decreto factum est; ut recitari desierit* Missa et Officium, *quæ* olim recitabantur die XIV Julii *(imo* XXIV *Julii, ut recte Hueberus in Menologio Franciscano ad diem* XXVII *ejusdem mensis)* ex communi Virginum, exceptis peculiaribus orationibus, *uti tradit Waddingus ad annum Christi* 1333, *num.* 29, *ubi orationes illas exhibet, easdemque ait esse, quibus Innocentius III in Bulla canonizationis S. Cunegundem, S. Henrici imperatoris conjugem simul ac virginem, cohonestavit. Omissionem hanc, ejusque causam satis aperte subdit Waddingus his verbis :* Injecto tamen scrupulo, quod non liceat absque Romanæ curiæ auctoritate Officio ecclesiastico quemquam colere Sanctorum, abolevit ille ritus; *maxime cum illum non approbasset rogatus anno* 1628 *Urbanus PP. VIII; ut colligitur ex decreto S. Congregationis Rituum super hac re dato* XVI *Decembris anno* 1690. Viget tamen, *inquit Waddingus,* consuetudo, ut quotannis in die obitus fiat solemnis ejus commemoratio per antiphonam, Veni sponsa Christi, et orationem; *quam apud ipsum hic vide.* B

ac sepulcrum elevatum expositæque reliquiæ.

6 *Non indicat Waddingus, et qui hæc eadem ex illo referunt, quam antiquus ille per Missam et Officium cultus fuerit; neque id nobis aliunde constat, nisi quod annum Christi* 1635, *quo hæc typis mandabat Annalium ille scriptor, tanto spatio antecesserit, quantum innuit vox* olim, *qua utitur. Et Missam quidem in ejus honorem fuisse celebratam anno Christi* 1469, *tradit auctor noster in Actis infra cap.* 37, *num.* 176*; sed eam sacerdotis privati studio adscribit; de alia vero, quam consuetudo publica una cum Officio quotannis instituerit, nusquam agit Longinus; ut non videatur ejus temporibus usitata fuisse. Quid si tum primum ritus ille invaluit, cum* super sepulturæ locum, *ut auctor est ibidem num.* 32 *Waddingus,* altare erexit Cardinalis Radzivilus, in quo asservantur ejus ossa, scriniolo argenteo per Cardinalem Macziowiski *(adi recentiora miracula cap.* 6, *num.* 64, *et cap.* 7, *num.* 78) inclusa; et caput argentea theca seorsim reconditum? *Episcopatum autem Cracoviensem gessit Georgius Radzivilus S. R. E. Cardinalis ab anno* 1591 *usque ad* 1600 *; Bernardus vero Macziowiski, vel ut alii scribunt, Macieiowski, item S. R. E. Cardinalis, Georgio successit anno* 1601, *uti docet Joannes Cæsarius in Vitis archiepiscoporum et episcoporum ecclesiæ Cracoviensis. Recentior aliquanto apparet illa tabula, quam ad sepulcrum orantibus expositam esse tradunt atque exhibent Annales Minorum ibidem num.* 31; *quandoquidem postrema ejus oratio illa est, quam post intermissum Officium et Missam pro anniversaria commemoratione die* XXIV *Julii substitutam fuisse diximus.* C

Aliæ ejus reliquiæ, et tunica

7 *Reliquiæ* B. Kingæ *præter eas, quæ tumulo condebantur, aliæ fuerunt, et quidem Sandecia procul asportatæ; uti colligere est ex miraculo, quod earum attactu factum esse anno Christi* 1307 *in diœcesi Gnesnensi narratur in Actis cap.* 28, *num.* 277. Asservatur etiam tunica interior, *ait Waddingus ad annum* 1333, *num.* 32, sub diligenti custodia abbatissæ, in qua illud observatur, nullam pati læsionem tribus integris seculis, quibus frequenter distrahitur et defertur ad varias ægritudines depellendas. Habetur insuper cochlear, quo communiter utebatur, et annulus a Boleslao sponso arrhæ loco immissus. Conspicitur denique ibidem religiosissimæ Virginis imago lignea, ipsa adhuc vivente dolata, quæ perhibetur membrorum accuratam delineationem et veram corporis mensuram præferre, habitu quidem communi Clarissarum : ceterum sacro capiti principis imposita corona ; dextra tenet monasterium a se fundatum, sinistra pyxidem vel thecam reliquiarum. D

ac statua prodigiis decorata.

8 Mira de hac imagine *(prosequor ejusdem auctoris narrationem)* passim prædicant, utpote per quam non obscura signa impendentium monasterio consolationum sive incommodorum præmittuntur : usu rerum magistro comprobante, ad eventum rerum prosperarum statuam illam colorem rosaceum induere ; contra, futuram calamitatem pallore ingrato portendere; prout recens anno MDCXXIV accidit. Fundebant devotæ virgines ardentes ad illam imaginem preces in arduis sui monasterii necessitatibus. Res mira! statuæ illius facies rubicundior insolito comparuit. Attonitæ novo miraculo virgines sacram statuam manibus contrectare, basia figere certatim perrexerunt; faciemque et nasum calentem, ut vivo homini non absimilem, expertæ sunt. Exponitur hæc statua publicæ venerationi in die Trinitatis, quo diximus finitimas nationes turmatim ad ejus sepulcrum confluere. *Imaginis hujus, uti et lipsanothecæ atque altaris accuratam delineationem expetii, hoc loco repræsentandam. Sed cui ea Sandeciæ commissa fuit, nihil misit hactenus; quam ob causam, nescio, satis ego certe tempestive rogaveram.* E

Tandem anno 1628 agi cœptum de canonizatione ejus.

9 *Verum ut ad decretum Urbani Papæ VIII supra citatum revertar, videtur illud sicut moderando non nihil Beatæ cultui, uti diximus, occasionem præbuit, ita etiam stimulos addidisse principibus ; ut eum denique, Ecclesia Romanæ interpellata auctoritate, in perpetuum stabilirent; quod eatenus rogati sæpe incitatique neglexerant.* Illustrissimus *enim* dominus Martinus Sziszkorcki *(imo Szyszkowski)* episcopus Cracoviensis, examinatis et compertis quamplurimis hac nostra ætate, *inquit Waddingus ad annum Christi* 1333, *num.* 24, ab ea patratis miraculis [*et*] serenissimus Sigismundus rex Poloniæ ejus canonizationem summis votis, missis processibus, quibus vitæ sanctitas et miraculorum frequentia comprobatur, a Sanctissimo Domino Urbano VIII efflagitarunt; *idque tertio post anno, quam ejusdem Pontificis memoratum ante decretum prodierat, Christi scilicet* 1628, *die* XXII *mensis Martii, ut est in epistola Sigismundi regis de hac re ad Pontificem data, quam totam proferunt Annales Minorum loco mox assignato ; tum subdunt :* Pii principis et devoti cleri Polonici votis ut Sanctissimus Pontifex satisfaciat, gravissimorum virorum S. R. E. Cardinalium examini commisit omnia præclarissimæ Virginis et regiæ Conjugis Acta; ut, si constent, eam Sanctis adnumeret. *De his processibus plura lege in Miraculis recentioribus in fine capitis secundi, et initio tertii, uti et ad finem septimi.* F

Decretum Alexandri VIII pro publico ejus cultu :

10 *Exspectationi tamen eventus non respondit ante annum Christi* 1690; *quando sub Alexandro Papæ VIII, post causam denuo in Polonia rite discussam definitamque, ut narratur in Miraculis recentioribus cap.* 10, *decretum est editum, quod ex Romano exemplari subjicio :*

CRA-

A

AUCTORE P. B.

CRACOVIEN.

Canonizationis B. Cunegundis, reginæ Poloniæ, Ordinis sanctæ Claræ.

Proposito in Congregatione sacrorum Rituum ab eminentissimo et reverendissimo D. Cardinali Casanate dubio, an sententia lata per reverendissimum episcopum Laodicensem, suffraganeum reverendissimi episcopi Cracoviensis super cultu ab immemorabili exhibito dictæ beatæ Cunegundæ, et casu excepto a decretis jussu san. mem. Urbani VIII super non cultu editis; eadem Sacra Congregatio, audito in voce et in scriptis reverendissimo archiepiscopo Myrensi, Fidei promotore; instante P. magistro Balthazare Milatio de Naro, regente collegii S. Bonaventuræ in conventu SS. xii Apostolorum de Urbe, uti procuratore monialium sanctæ Claræ, ac totius provinciæ Poloniæ suæ religionis Minorum Conventualium, postulatore hujusmodi causæ; censuit, prædictam sententiam esse confirmandam, si sanctissimo Domino nostro placuerit. Die x Junii mdcxc. Et facto de prædictis verbo cum Sanctissimo per me secretarium, Sanctitas sua benigne annuit. Die xi Junii mdcxc. A. episc. Ostien. Card. Cybo. Loco † sigilli. Laurentius Fliscus sac. Rit. Congreg. secret.

B

item alia decreta ejusdem Pontificis et Innocenti XII de festo ejus et ritu,

11 *Hoc decretum eodem anno secutum est aliud, ab eodem Pontifice approbatum die* xvii *Decembris, vi cujus* B. Cunegundis, *propter concurrentiam aliorum festorum impendientium, celebratur die* xxvii *Julii sub ritu semiduplici in toto Ordine Seraphico, uti ad hunc diem testatur Fortunatus Hueberus in Menologio S. Francisci, Monachii edito anno* 1698. *Legi ego decretum illo die, mense et anno approbatum, quo S. Rituum congregatio* Officium et Missam ab omnibus religiosis et monialibus dicti Ordinis *(Minorum)* Conventualium, ac toto clero regni Poloniæ tam seculari, quam regulari utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, sub ritu semiduplici in die ejusdem Beatæ festo singulis annis respective recitari et celebrari posse censuit ; *sed hoc neque se extendit ad totum Ordinem Seraphicum, ut patet, neque diem Beatæ festum transfert ad* xxvii *Julii ; an igitur aliud ipse ejusdem diei decretum viderit? Idem certe post Hueberum asseruit Benignus Fremautius ad eumdem diem in Vita Beatæ Flandrica. Innocentius XII anno* 1695, *die* xviii *Junii,* Officium duplex per annum de prædicta Beata pro regno Poloniæ ac magno ducatu Lithuaniæ concedi posse censuit, *ut habent verba decreti. Eadem subinde solennitas extensa latius est pro Ordine Seraphico, ut constat ex Officiis propriis Sanctorum trium Ordinum S. Francisci ab eodem Innocentio approbatis, quæ hic impressa vidi Antverpiæ anno* 1706, *et quibus hic utuntur FF. Minores, quos Observantes vocant, uti et Clarissæ : ibi namque ad diem* xxvii *Julii recitandum præscribitur Officium duplex, totum de communi Virginum primo loco, cum oratione,* Exaudi nos.

C

aliaque recentiora : lectiones et oratio propriæ.

12 *Idem tamen ritus aliquot posterius annis apud Minores extra Poloniam Conventuales observari cœpit, ut liquet ex decreto sequenti :* Ordinis Minorum Conventualium, Sacra Rituum Congregatio, patre magistro fratre Felice Angelo Sidori, jam procuratore generali Ordinis Minorum Conventualium, usque de mense Aprilis proximati humillime supplicante, benigne concessit, ut Officium beatæ Cunegundis Ordinis S. Claræ, quod huc usque sub ritu semiduplici a Fratribus Minoribus sancti Francisci recitatum fuit, imposterum ab iisdem sub ritu duplici minori cum lectionibus secundi nocturni propriis et oratione, sub die x Martii proximati pro regno Poloniæ, ac magno Lithuaniæ ducatu approbatis, recitari possit et valeat. Die vii Julii, mdccxxv. Loco † sigilli. N. M. Tedeschi, archiepiscopus Apamenus. *Lectiones has et orationem hic describere visum non est; quia nihil continent, quod non idem in Actis nostris fuse explicetur, si conclusionem exceperis lectionis tertiæ, quæ sic habet :* Itaque antiquissimum cultum, quo per universam Poloniam celebrabatur, Alexander Papa octavus approbavit; et Clemens Papa undecimus eamdem in primariam ejusdem regni, et magni ducatus Lithuaniæ Patronam rite electam confirmavit. *Juvat tamen ad cultum Sanctæ illustrandum, hic attexere decretum sacræ Rituum Congregationis, quod una cum iis lectionibus et oratione impressum nuper accepimus a celsissimo ac reverendissimo præsule Cracoviensi, et sic habet :*

E

CRACOVIEN.

Modernus Sanctæ cultus in Polonia et Lithuania.

13 Non minus pie, quam enixe serenismo Poloniæ rege, nec non reverendissimo archiepiscopo Gnesnen. et episcopo Cracov. Sanctissimo D. N. Benedicto Papa XIII, per litteras particulares pro elevatione ritus in honorem B. Cunegundis totius regni Poloniæ, magnique ducatus Lithuaniæ jam in Patronam principalem a Sac. Rit. Congregatione sub die xxxi Augusti mdccxv confirmatæ, necnon pro approbatione orationis, et lectionum propriarum II nocturni, et pro translatione illius festi cum Officio ad Dominicam post diem xxiv Julii iterum supplicantibus, illisque a Sanctitate sua ad Sac. Rituum Congregationem remissis, et per eminentissimum, et reverendissimum D. Cardinalem Albanum tit. S. Clementis, præfati regni ac magni ducatus Lithuaniæ apud S. Sedem protectorem relatis, Sac. eadem Rituum Congregatio, hujusmodi instantiis benigne annuendo, censuit, suprascriptas lectiones ii nocturni proprias et orationem, ab ipso eminentissimo Albano de mandato Sac. Congregationis mature perpensas et approbatas, in Officio diei festi beatæ Cunegundis singulis aunis Dominica post xxiv Julii immediate sequen. sub ritu duplici primæ classis cum Octava ab universo clero seculari et regulari utriusque sexus prædicti regni ac magni ducatus Lithuaniæ, juxta formam constitutionis a san. mem. Urbano Papa VIII super celebratione festorum editæ, ac servatis rubricis Breviarii, et Missalis Romani, recitari, et Missam respective celebrari posse, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die x Martii mdccxxv.

F

Et facta de prædictis Sanctissimo Domino nostro per me secretarium relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die xxvi ejusdem mensis, et anni mdccxxv. F. Card. Paulutius Præfectus. Locus † sigilli. N. M. Tedeschi, archiepiscopus Apamenus, Sac. Rituum Congregationis secretarius.

Porro

AUCTORE P. B.

Porro licet festum B. Cunegundis *modo tam in Polonia et Lithuania, quam in Ordine Seraphico justis de causis in dies alios, ut vidimus, transferatur; nos tamen hoc die, quo et cœlum adiit, et olim cultu fuit, ejus Acta proferenda putavimus.*

§ II. Acta, quæ hic dantur; alia antiquiora, quæ desiderantur, recentiora miracula.

Missis aliis, edimus Acta Beatæ antiquiora,

De *Beata nostra scripsere auctores et graves et multi: quorum paucos, at præcipuos citat* Waddingus *ad annum Christi* 1333, *num.* 33; *plures Arturus in notis ad Martyrologii sui Franciscani diem* XIV *Julii (nam et ille post Waddingum credidit eo die celebratam ejus memoriam fuisse.) Addi possent alii plurimi, qui vel omnia, vel selectiora Actorum ejus capita Italice, Polonice, Flandrice aliisque vernaculis sibi linguis vulgaverint, non sine ingenti animarum fructu atque operæ pretio. Verum cum omnes, aut certe plerique, fontem assignent, unde sua prompserunt, Vitam scilicet* B. Cunegundis *a Joanne Dlugosso conscriptam, (quam tamen nemo, quem viderim, ita tradit, quin detruncet fere, ut ex aliena faciat suam) operam dedere Majores nostri, ut hanc Operi nostro genuinam conquirerent. Et sane perquam feliciter cecidit, ut id tum facerent, cum Cracoviæ floreret Societatis nostræ presbyter Fridericus Schembegh, vir et Sanctorum gloriæ studiosissimus, et rebus gestis scriptisque in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu commendatus; tametsi cognomen ibi legatur* Szembek; *cum ipsemet illud in epistola sua anno* 1616, *ultima Februarii, ad Heribertum nostrum Rosweydum data, diserte sic exprimat, ut expressi ego. Erat hic tum apud primarios quosque viros Cracoviæ magno in pretio, atque imprimis apud illustrissimum ac reverendissimum D. Petrum Tylicki episcopum Cracoviensem, cujus subinde vitam ac mortem peculiari opere (quod anno* 1617 *edidit) posteris exornatam reliquit, cum ejusdem ope anno præcedenti hæc* B. Cunegundis *Acta Rosweydo impetrosset, ac transmisisset Antverpiam, una cum epistola paulo ante memorata, in qua de illa sic habet:*

scripta a Dlugosso, et accepta ex archivo Cracoviensi,

15 Mitto R. V. primo Vitam B. Kunegundis stupendissimam; quam quidem serenissimæ nostræ Constantiæ reginæ dedicare cogitaveram: sed jam malo, ut in his voluminibus *(Acta Sanctorum et Opus nostrum intelligit, a Rosweydo pridem conceptum, sed ob mortem immaturam numquam inchoatum)* prodeat.... Ipsemet eam fideliter contuli cum manuscripto, ex quo est descripta; et heri episcopus noster mihi eam subscripsit. *Vita ipsa eleganti charactere descripta est, sed sine ullo titulo, nisi quem propria manu adjecit Schembeghus in hunc modum:* Vita admiranda beatæ Kingæ, seu Kunegundis Hungaræ, Poloniæ ducissæ, Boleslai pudici, Polonorum principis, conjugis, viduæ et virginis, auctore celeberrimo regni Poloniæ historico Joanne Longini (vulgo Dlugos) canonico Cracoviensi: ex antiquo manuscripto, in charta pergamena, archivi cathedralis ecclesiæ Cracoviensis fidelissime desumpta ad verbum, et hactenus numquam typis evulgata. *Ad finem Vitæ in ultimo folio verso illustrissimus episcopus Cracoviensis hæc adscribit:* Hanc Vitam B. Kunegundis esse ex nostro archivo ecclesiæ nostræ cathedralis fideliter desumptam testor Petrus Tylicki episcopus Cracoviensis m. p., *id est, manu propria; post hæc annexum erat sigillum episcopale ferream equi soleam erectam referens, cum gemina cruce altera inclusa soleæ, altera superimposita. Notat vero Schembeghus episcopum, cum hæc notaret anno* 1616, *die* XXVIII *Februarii, fuisse virum annorum* 72; *et vero non toto illo anno superstes fuit.*

atque exarata ad exemplar authenticum anni 1475;

16 *Vitæ totius enarratio uno textu ab initio ad finem usque decurratur, nulla capitum, nulla paragraphorum facta divisione; ut ea proinde quam in Actis infra reperies per capita numerosque partitio, et quidquid a continua et cohærenti scriptione diversum est, nostra censeri debeant, non auctoris. In textu ipso mutare quidquam religio fuit; aut sicubi id fieri debuit, lectorem admonuimus in annotatis. Apparet tamen, autographum non fuisse amanuensi ubique pervium; cum hic illic lacunas unius fere vocis capaces reliquerit, quas deinde, facta cum autographo collatione, charactere suo supplevit Schembeghus. Quam vero antiquum sit exemplar, cujus hic apographum edimus, ad calcem Vitæ his verbis significatur:* Finit Vita B. Cunegundis.... edita a Joanne Dlugosch seniore, canonico Cracoviensi scripta manibus Christophori de Dambowzdal anno Domini MCDLXXV, die Saturni, prima mensis Julii in castro Cracoviensi. *Scripta est ergo vivente adhuc et florente Cracoviæ ipsius Vitæ auctore, qui tantum quinto post anno diem extremum obiit: imo ipsum exemplar hoc esse vix dubito, quod auctor ipse, qui canonicus tum erat Cracoviensis, episcopo suo Joanni Rzeszovio atque ecclesiæ Cracoviensi obtulerit. Neque enim verisimile est, vel non aliquod hujus* Vitæ *exemplar ecclesiæ suæ ab eo datum esse (cum unum etiam* pro memoriali sempiterno legaverit sororibus monasterii Sandecensis anno MCDLXXIV, die VIII Maii, *teste Waddingo ad annum* 1332, *num.* 33;) *vel aliud, quam quod ab ipso profectum sit, in archivum illius ecclesiæ fuisse repositum.*

quando auctor Cracoviæ supererat.

17 *Porro quamquam hoc ad prototypi nostri auctoritatem faciat plurimum; non diffitemur tamen, potuisse alia quædam exemplaria prius ab auctore fuisse edita, ut de Sandeciensi mox dictum; quod tamen an ipsius Dlugossi manu sit exaratum, nescio: hoc enim non exprimit ejus inscriptio, quæ juxta Elbingum (de quo infra) talis est:* Liber Joannis Dlugossi senioris, canonici Cracoviensis, quem pro memoriali sempiterno legavit et legat sacro sanctimonialium cœnobio Ordinis S. Claræ in antiqua Sandecz, in quo corpus sacrum præfatæ Cunegundis requiescit. Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, die XVIII mensis Maii. *Hoc certum, non diu ante Vitæ huic scribendæ finem impositum fuisse; concluditur enim miraculo, quod contigit anno* 1471. *Nec refert, quod Vita in prologo dedicatur* reverendissimo Jacobo *Sennenio, sive* de Sienno, Cracoviensis ecclesiæ episcopo, *qui insulam Cracoviensem, quam ab anno Christi* 1460, *inconsulto rege Casimiro, obtinuerat, anno Christi* 1463, *urgente eodem rege, deposuit; ut narrat, post Dlugossum Historiæ Poloniæ libro decimo tertio, Lipsiæ nuper edito, col.* 262, *et* 312, *Martinus Cromerus libris* 24 *et* 25: *non ex eo consequens tantum est, ut ab anno circiter* 1460, *et*

A *et prologum illum scripserit auctor, et Vitam inchoaverit : quod ultra fatemur, eum id ex tota præfatione manifestissimum videatur. Nego tamen, tum vel opus totum, vel etiam majorem ejus partem absolutam fuisse ; hoc enim eum ex miraculis infra probatur, inde a capite* 37, *num.* 376 *narratis ; tum ex cap.* 14, *num.* 132, *in quo citat auctor Vitam S. Stanislai episcopi Cracoviensis et martyris, quam primum absolvit* anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto ; *ut fatetur ipsemet in conclusione operis illius. Vide Acta Sanctorum ad diem* VII *Maii, pag.* 272, *num.* 59. *Idem etiam potest intelligi ex Actorum epilogo, quem ad Beatam unice dirigit ; de Sennenio (qui interea Wladislaviensem episcopatum ab anno* 1464, *testibus ibidem Dlugosso col.* 338, *et Cromero in fine libri* 25, *adeptus erat ; aut forte archiepiscopatum Gnesnensem, quem adiit, ut iidem asserunt anno* 1473) *ne verbum quidem unum facit : cum in Actis S. Stanislai ad eumdem epilogus dirigatur, ad quem spectaverat prologus. Cur opus hoc interrumpi tamdiu potuerit, facile perspiciet, cui hæc Sennenii ac* B *Dlugossi tempora nota fuerint.*

et vix finem scribendi fecerat.

18 *Nimirum id spectabat auctor, cum hæc Acta scribenda susciperet, ut per ea canonizationis ejus accurandæ studium excitaret : hoc autem ad episcopum Cracoviensem præcipue pertinebat ; quippe in cujus diœcesi et vixerat Beata, et sepulta jacebat, et radiabat prodigiis. Non poterat vero ad hanc rem episcopus Dlugosso videri quisquam opportunior, quam Sennenius : ut qui suapte sponte erga* B. Cunegundem *egregie esset affectus ; modumque calleret imprimis, quo in curia Romana tractanda feliciter essent negotia, cum idem apud Pontificem maximum legatione regis nomine ante annum functus esset ; qua occasione Sanctissimum Dominum adeo sibi demeruerat, ut ejus unius beneficio, inscio atque adeo invito rege, Cracoviensem ecclesiam obtinuerit. Accedebat singularis omnino Sennenii eum duobus fratribus Dlugossis, ac præsertim seniore, qui noster erat, fidei atque amicitiæ conjunctio, quam ne adversa quidem potuit utriusque fortuna calamitasque dissuere ; quæ omnia vide apud Cromerum lib.* 24, *vel potius apud ipsummet Dlugossum lib.* 13. *Hac usus igitur opportunitate Dlugossus, statim* C *ut episcopum esse Sennenium intellexerat, sese ad Vitam hanc elaborandam accinxerit ; sic episcopo et faces ad rem sine mora suscipiendam, et materiam uberem subministraturus. Verum cum eo brevi Casimiri indignatio ingravesceret, ut non modo episcopum, sed et omnes ei adhærentes proscriberet everteretque fortunis, episcopatum Sennenius, spem Dlugossus obtinendæ tum canonizationis, atque adeo laborem, ad illam urgendam unice inchoatum, deposuit ; saltem donec otium et occasionem aliam ei tempora meliora præberent. Atque hæc, ni fallor, neque torta est, neque longe quæsita ratio præfationem hujus Vitæ cum ipsa Vitæ historia temporibusque conciliandi.*

Quanti faciendus eorum auctor.

19 *Quæ huc usque disserui, auctoritatem antiquitatemque exemplaris, quod sequimur, haud parum commendant, ut quod non solum auctoris obitum antecesserit, sed etiam primariam operis manuscripti publicationem pone secutum sit, præsente tum Cracoviæ, ac forte etiam dictante aut recensente Dlugosso. At erit fortassis, qui cum hoc mihi haud gravate concesserit, neget tamen, in hac historia vel ipsius Dlugossi autographum magni esse faciendum ; quando ea persequitur, quæ ducentis ante, et quod excurrit, annis acciderint. Næ, qui sic arguit, idem ejus Historiam Poloniæ, idem Acta S. Stanislai, quæ tanto apud eruditos omnes in pretio sunt, parvi pendat ; eum utrobique multo, quam hæc sint, antiquiora pertractet. Quod si fidem ibi mereri videtur, quia monumentis vetustioribus diligentissime conquisitis in scribendo sit usus ; quidni idem illud hic valeat? Neque enim hæc Acta de suo suxit ungue, sed partim ex antiquiori Vita, partim (ut erat historica supellectile scientiaque instructissimus) aliunde deprompsit ; uti in præfatione numero* 4 *de se ipse testatur. Est ergo tanti ut minimum in hac Vita Dlugossus, quanti est in rebus multo etiam antiquioribus aliis. Porro de fide ejus ceterisque laudibus fuit actum a nobis ad diem* VII *Maii in Commentario prævio ad Acta S. Stanislai episcopi et martyris. Qui de illo plura desiderat, adeat ejus Historiam sex posterioribus libris auctam, editamque cum auctoris Vita Lipsiæ anno* 1711.

AUCTORE P. B.

De Actis Beatæ antiquioribus, quibus usus est Dlugossus,

20 *Ceterum ut præsenti bono gavisi dudum sumus, sic jacturam antiquioris Vitæ* B. Cunegundis, *quam ex ipsis hisce Actis in prologo citato colligebamus, non immerito quidem, at frustra tamen doluimus : neque enim dubitavimus, quin amissa prorsus esset, cum præter unum Dlugossum, vidissemus auctorem nullum, qui de illa meminisset. Tanto autem avidius eam expetivimus, quod ab æquali Beatæ aut suppari auctore, quantumvis* perfunctorie et abscisse descriptam fuisse *suspicabamur. Perquiri ergo illam in Polonia non semel flagitavimus, verum, ut dixi, frustra. Ego eum in instrumentum quoddam authenticum Vitæ B. Salomeæ, nobis anno* 1667 *per P. Nicolaum Kichovium nostrum submissæ, præfixum incidissem, spem novam concepi : ex eo namque intelligebam, esse apud Clarissas Cracovienses* codicem pergameum in albo corio, more antiquo, coopertum, qui incipitur a principio tali modo, videlicet : Incipit prologus in Vitam felicis Kingæ, ducissæ Cracoviensis : Quoniam simile factum est regnum cœlorum, *etc.* In fine vero : Explicit prologus de sancta Kinga, ducissa Cracoviensi, anno millesimo quadringentesimo primo finitus in crastino S. Annæ, feria quarta. *Hunc ergo Prologum illam Vitam esse auguratus, quam quærebam, petii illum, qualis qualis esset, nobis describi.* F

et quæ frustra quæsivimus ;

21 *Responsum accepi (quod sero admodum ad manus meas devenit) primo quidem ; repertum esse codicem assignatum, et in eo Prologum jam dictum. Secundo, Prologum eumdem constare istic foliis septuaginta duobus, et continere Vitam illam primigeniam* B. Cunegundis, *quæ Dlugosso tradita fuerit, quamque hic nimis perfunctorie et abscisse scriptam doluerit. Tertio, auctorem ejus esse Stanislaum aliquem, theologum Franscicanum, annis circiter* 73 *antequam suam Dlugossus absolverit. Quarto, numquam illam typis fuisse vulgatam :* crediderim, *inquit Elbingus,* ob adjunctam et simul compactam Vitam B. Salomeæ ab eodem Stanislao scriptam, quæ apud Clarissas Cracovienses semper delitescebat. *Quinto, tam illum Stanislai Prologum, quam historiam Dlugossi sæpissime citari in processu canonizationis* B. Cunegundis ; sed semper separate ; exinde quia unum non est fragmentum alterius, sed sunt scripta, quorum unum habet aliquid, quod non habet aliud. In multis tamen, *inquit,* conveniunt, quia Dlugossus plurima mutuavit a Stanislao ; et alia etiam addidit. *Hæc*

AUCTORE P. B.

omnia diligenter sane accurateque notata recepimus; sed quod caput erat, et a nobis maxime flagitatum, Vitam, inquam, illam seu Prologum non accepimus, et causa dissimulatur, cur missa non sit. Neque tamen urgere ultra jam licet, quando instat typographus, ut Acta B. Cunegundis *prælo subjiciat. Caremus interim Vita illa nunc animo æquiore, quam prius, cum ejus neque scriptorem neque ætatem sciremus, quam Dlugossiana multo, quam re vera sit, anteriorem esse suspicabamur.*

quamquam hæc ipsa, quæ damus desiderata sint hactenus,

22 *Acquiescet igitur lector benevolus Actis unice, quæ proferre potuimus, a Longino conscriptis, neque hactenus idiomate ac stylo, quo sunt ab auctore concepta, vulgatis : acquiescet, inquam, si vel ab heterodoxis exoptatum huc usque frustra hoc inter alia Dlugossi opusculum fuisse non ignoraverit. Produnt id certe ipsi in præfatione nupera ad extremum, de quo supra, Historiæ Dlugossianæ librum. Habeant ergo etiam ipsi quod optant; meque, quod nuper eruditus quidam inter eos fecit insimulare desinant odii, quorum tam prompte obsequar desiderio. Non odi ego hæreticos, absit; amo verius meliusque quam ipsi sese. Unam in illis hæresim odi; execrorque, quas eructare eos ipsa docet in Sanctos Dei, Deumque adeo ipsum, contumelias. Has, inquam, in hæreticis odi, oderoque dum vivam, non hæreticos ipsos; quos utinam quidem vel fuso sanguine ad mentem bonam, ad fidem veram ad salutem æternam adducere mihi liceat! Faxit hoc sane potenti patrocinio, quam expetunt,* Cunegundis! *Et vero faciet, spero; si, posita tantisper, obstinatione, quantum aviditatis ad hæc legenda, tantum animi candoris attulerint. Fecit id certe Beata nostra non semel, ut liquebit ex Miraculis.*

B

nec umquam Latine impressa :

23 *Dixi hæc typis antehac numquam fuisse commissa : neque enim iis assentior, qui ipso accurante Dlugosso; impressa illa atque illustrissimo* Sennenio episcopo Cracoviensi *sic dicata fuisse volunt circa annum* 1474; *et primum quidem, quia ipsis fatentibus nullum hactenus impressionis hujus exemplar apparuit uspiam aut vestigium; deinde quia Schembeghus noster jam ab annis centum et amplius anecdota prædicavit; denique quia non tantum ante annum* 1474, *sed etiam ante quam potior Actorum Dlugossianorum pars esset concepta, episcopatu pridem cesserat Cracoviensi Sennenius, ut supra dictum est num.* 17.

C

sicut neque miracula recentiora,

24 *Actis miraculisque a Longino conscriptis, prodigia recentiora subjicimus, quæ lectorem accepta referre volumus primum quidem illustrissimo celsissimoque Principi, ecclesiæ Cracoviensis Antistiti, qui hæc nobis subministrandi provinciam pro summa sua benevolentia gloriæque Sanctorum studio suscipere ultro voluerit; tum etiam R. Patri Ludovico Elbing, Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium provinciæ Poloniæ exprovinciali, cujus labore non exiguo collecta hæc sunt et magnam partem ex idiomate Polonico in Latinum conversa. Utrique equidem Superos omnes propitios precor, ac præcipue* Cunegundem, *cum in ejus honore per Ecclesiam universam dilatando tam insignem operam posuere. Neque enim hæc aliunde assequi poteramus; quippe quæ vel in ipsa Polonia a viris principibus obtineri Latina ob exemplarium Mss. raritatem custodiamque nimis religiosam perdifficile sit, vel solis fuerint huc usque ejusdem regni finibus vernaculo sermone coercita. Fuit certe munus hoc nobis tanto gratius jucundiusque, quanto jam post annum fere totum sperabamus minus; idque vel eo maxime, quod in ipso tempore advenerit, quo subire prælum quam proxime debebat.*

D

quæ Actis Dlugossianis subjiciemus.

25 *Laudem hoc etiam ex capite singularem promeretur Elbingus, quod fontes, eosque limpidissimos, diligenter assignet, unde deprompta sint singula; id quod ad fidem historicam mirifice facit. Præfatus enim, ab anno* 1471, *quo Dlugossus desiit compilare miracula Beatæ nostræ, desiisse notari quæ posterius contigerunt usque ad annum* 1532; *sic pergit :* Ego post tam longum tempus in libro Processus inquisitionis super vita, sanctimonia et miraculis præclaræ Virginis ac Ducissæ Poloniæ deprehendi post historiam de B. Cunegunde Latine descriptam, quæ de verbo ad verbum concordat cum illa Dlugossi, veteri charactere in pergameno exaratum Registrum miraculorum, quod sic est : Sequitur Registrum de miraculis, curandisque variis (dicerem potius curatis) infirmitatibus hominum, ad tumbam S. Kunegundis vota promittentium implentiumque. *Tum Registum illud subdit, ut est a capite* 1 *usque ad* 3. *Eo continentur antiqua miracula, quorum fide, non secus ac Vita gemina Stanislai atque Dlugossi, usi sint commissarii ad processum primum instituendum. Deinde a capite* 3 *usque ad* 6 *recentiora prosequitur, quæ in ipso processu a testibus citatis ac præsentibus deposita et a commissariis episcopi Cracoviensis probata et in classes varias distincta sunt. A capite* 6 *usque ad* 8 *habes quæ in secundo processu collecta sunt; tum porro cetera omnia ordine methodoque tam dilucida digeruntur, ut nihil de nostro addendum fuerit, præter annotata paucula, usitatamque in Actis capitum ac numerorum divisionem. Nunc antequam Acta nostra proferamus, paucula de iis libet animadvertere.*

E

§ III. Quid in Actis hisce erratum, quid omissum.

Pater Beatæ Bela IV rex Hungariæ,

De *patre* B. Cunegundis *dubium esse non potest, quin fuerit Bela IV, Hungariæ rex, Andreæ II, cognomento Hierosolymitani, filius natu maximus, et in regno successor : nam licet infra in Actis cap.* I, *num.* 17 *nuncupetur* Andreas, *et quidem* alter filiorum Belæ natu major ; *manifestum est tamen, id non auctoris assertum esse, sed vitium amanuensis; ut ibidem notamus : id quod cum ex Historia Poloniæ auctoris nostri, Michovii, Cromeri, aliorumque passim, tum ex ipsis hisce Actis certissime constat, et quidem ex eodem illo capite num.* 16, 18, 22, *et toto denique Vitæ decursu, ubi constanter exprimitur nomen patris ejus non Andreas, sed Bela. Atque hoc quidem, ut dixi, in controversiam revocare minime potest.*

F

mater Maria filia Constantinopolitani imperatoris, non tamen Alexii,

27 *Graviorem olim difficultatem invenere Majores nostri in assignanda matre, ut colliges ex Commentario prævio ad Acta B. Margaritæ Hungaricæ,* quæ B. Cuneguudis *nostræ soror fuit, ad diem* XXVIII *Januarii pag.* 898, *num.* 8 ; *ubi varias proferunt scriptorum sententias. De nomine satis inter omnes convenit, fuisse Mariam ; et quidem imperatoris Constantinopolitani filiam, quod fere affirmant eum aliis auctores historiæ Hungaricæ : Thurocius in Chronicis Hungariæ cap.* 76; *Bonfinius Rerum Hungaricarum decade* 2, *lib.* 8; *Ritius de Regibus Hun-*

A *Hungariæ lib.* 2; *sed imperatorem isti nullum nominant. Hos præcipue secutus videtur Ranucius Picus in Vita* B. Cunegundis *Italica, cum ita scribit parte* I, *cap.* 2 : Matrem hujus CUNEGUNDIS fere omnes asserunt fuisse Mariam, imperatoris cujusdam Græci filiam; sed eum nemo est qui compellet nomine, unde scias, quis fuerit : ut satius proinde sit, rei hujus incertos relinqui, quam in tanta caligine ac tenebris temere aliquid affirmari. *Miratus equidem id sum in Pico; cum Vitam a Dlugosso conscriptam præ oculis habuerit, in qua cap.* I, *num.* 17 *diserte dicitur Beatæ nostræ mater* Maria, filia Alexii Græcorum cæsaris, qui apud Constantinopolim annis pluribus imperavit : *quam sententiam adoptavit etiam qui lectiones proprias de* B. Cunegunde, *anno* 1725 *Romæ approbatas concinnavit : cur vero ab ea Picus recedat, ignoro; falsam tamen esse, haud equidem dubito : non enim Alexii Comneni, sed Theodori Lascaris filia Maria Belæ quarto Hungariæ regi nupta fuit; ut modo ostendam.*

sed Theodori Lascaris; B 28 *Testatur hoc ipse Andreas Hungariæ rex, Belæ IV pater, ad Honorium PP. III scribens, in ea epistola, quam exhibet Bulla Innocentii PP. IV, edita in Gestis Dei per Francos pag.* 1192, *cum dicit, se revertentem ab expeditione Hierosolymitana,* ut securum peregrinationis *Christianorum ad Terram sanctam* pararet transitum, filiam Comnini Theodori Lascari, filio *suo* dixisse in uxorem. *Ne vero dubites, de Bela IV, qui Andreæ natu maximus fuit, hic esse sermonem, adi Hungarorum præsulum litteras ad eumdem Honorium datas anno* 1223, *apud Odoricum Raynaldum num.* 31, *ubi sic habent :* Vestræ significandum duximus Sanctitati, quod, cum dominus noster rex Ungarorum de partibus ultramarinis rediens, per terram nobilis viri Laschari transitum faceret, filiam ejusdem filio suo primogenito Belæ illustri, jam in regem coronato, et in regni gubernacula post se, Deo propitio, successuro, desponsavit uxorem; præstito ab ipso rege et nobilibus suis, qui tunc præsentes erant, publice juramento, ut ad consummationem matrimonii inter personas memoratas fideliter laborarent. *Tum paulo inferius:* Cui supradictus Bela illustris C cum omni dilectione et tranquillitate, in ætate legitima jam existens, cohabitavit per totum biennium et amplius, sicut maritus; nunc autem diabolo seminante zizaniam... vir legitimam... in totius regni scandalum et subversionem religionis Christianæ dimisit uxorem. *Fuit ergo Belæ IV uxor filia Theodori Lascaris, Græcorum imperatoris; quam licet post biennium a celebratis nuptiis, urgente patre, tantisper dimiserit; brevi tamen iterum, hortante et causam ejus apud Andream suscipiente Honorio, constanter recepit; ut ibidem, et anno sequenti, productis litteris, docet Raynaldus.*

ut pluribus probatur : 29 *Idem auctores alii tradidere, ut Georgius Acropolita Historiæ suæ cap.* 15, *de Theodoro Lascari ita scribens :* Huic ex Anna uxore, ut dixi, filiæ natæ sunt tres, Irene, Maria, et Eudocia. Mariam secundam Ungariæ regis, Hierosolymis per illius ditionem revertentis, filio nuptum dederat, *etc. Et Georgius Pachymeris Historiæ lib.* 4, *cap.* 29 : Huic, *inquit de eodem Theodoro Lascari,* apud nos imperanti tres tantummodo filiæ fuerunt, quarum una regi nupta Pannoniæ, ipsius filii nunc regnantis genitrix exstitit. *Item Thomas archidiaconus Spalatensis in Historia Salonitana cap.* 26, *ubi narrat, Andream terrestri itinere e Palæstina redeuntem,* transisse in Græciam, ubi affinitate contracta cum Lascaro rege Græcorum, accepcrit filiam ejus filio suo primogenito Belæ in uxorem; *de qua, jam filiorum plurium matre, deinde sæpius meminit, ut cap.* 40, *et maxime cap.* 51, *ubi ejus etiam nomen profert idem, quod Acropolita. Omitto Joannem Tomcum Marnavitium idem affirmantem in Vita B. Margaritæ virginis Hungaricæ, uti et Epitaphium Spalatense duarum* B. Cunegundis *sororum, quod ex eo dedimus in Commentario jam citato ante Acta B. Margaritæ, quo res eadem comprobatur. Hos enim citat et sequitur eruditus Cangius in Familiis Byzantinis, Familia* 37; *ubi et asserit, Mariam Belæ quarto supervixisse.*

AUCTORE P. B.

30 *Ex his patet, errasse etiam illos, qui Mariam, Beatæ nostræ parentem, fuisse putarunt Micislai Haliciensis filiam, ut notat Pistorius Niddanus in Genealogia regum Hungariæ. Decepit eos, opinor, pax illa, quam ad liberandum captivitate Ruthenica Colomannum, filium suum, Andreas cum Ruthenis iniit certis legibus; quarum prima fuit,* ut alter filiorum Hungariæ regis Bela filiam Msclai Mariam in consortem haberet; *ut narrat Dlugossus in Historia Poloniæ lib.* 6, *anno* 1210, *subdens :* Quæ omnia eo anno fuere consummata; *quod item habet ex Dlugosso Cromerus lib.* 7. *Sed quantum in hac re uterque falsus sit, non modo in temporibus, sed etiam in personis assignandis, facile colliget, qui et ad Colomanni ætatem et ad epistolam, ab Honorio PP. III super hoc ipso negotio Andreæ missam, attenderit in Annalibus ecclesiasticis apud Raynaldum ad annum Christi* 1222, *num.* 42 *et sequenti, quando pax hæc recens constituta videtur, et Micislai filia non Belæ, sed Andreæ, natu minimo ejus fratri, destinata. Quod si Belæ addictam fuisse quis volet, eamque fuisse causam, cur, volente patre, Bela conjugem, Lascaris filiam, tantisper dimittere coactus fuerit, ut ante diximus; tamen vel sic nihil confici potest; cum enim illa dimissio nec diuturna nec rata fuerit, necesse est, contractum de filia Micislai, Belæ in uxorem danda, vel nullum fuisse, vel auctoritate Pontificia brevi rescissum. Denique nec ipse quidem Dlugossus hæc ita voluit accipi, ut Maria Micislai filia liberos Belæ pepercrit; quandoquidem aliam assignavit, imperatoris Constantinopolitani filiam, quem perperam tamen Alexium nuncupavit.*

falso etiam credita filiæ Micislai Haliciensis. E

F

31 *Errant etiam tam Acta nostra, quam Dlugossi Historia, in anno Beatæ nostræ natali : nam hæc quidem tam in antiqua, quam in recentiori auctiorique editione lib.* 6, *ad annum Christi* 1239, *natam eam asserit* anno Incarnationis Domini nostri MCCIV : *illa vero infra cap.* I, *num.* 20, *editam in lucem testantur anno* millesimo ducentesimo tricesimo quarto. *Neuter vero annus admitti potest : non prior ille, quia anno Christi* 1223 *nondum in matrimonio Bela triennium exegerat, ut paulo ante ostensum est; non etiam posterior, quia sic deberet* Cunegundis *inisse matrimonium quinto circiter ætatis anno (quandoquidem et Acta nostra cap.* 3, *num.* 35, *et auctor noster in Historia sua, et post eum Thurocius et Cromerus celebratas esse nuptias hasce tradunt* anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono) *quod sine dubio falsum est : ex eodem enim capite et sequentibus Actorum nostrorum certissime constat,* B. Cunegundem *nubilem*

Annus Beatæ natalis vitiose notatus

AUCTORE P. B.

bilem fuisse, cum primum nupta est; jam tum enim illam sponsus ad consummandum matrimonium solicitavit; id quod et in Historia sua, ubi de nuptiis ejus agitur, cum auctor noster, tum etiam Cromerus affirmant.

corrigitur; 32 Ceterum amanuensium hanc esse hallucinationem existimo, non auctoris : etenim Ranucius Picus in Vita Beatæ Italica, uti et Waddingus cum ceteris scriptoribus Franciscanis annum, quo nata sit, annotant Christi 1224, idque ex iisdem Actis hisce nostris Mss. quidem, sed ex diversis tamen eorum exemplaribus. Et sane hic annus cum utroque conjugio tum Cunegundis, tum patris ejus Belæ conciliari optime potest : hic enim ab anno circiter 1220 cum uxore, ut diximus, in ætate legitima cohabitare cœpit; illa nubilis esse potuit anno Christi 1239, quando juncta est Boleslao. Tantum hoc miror, quod antistites Hungari in epistola sua ad Pontificem Romanum anno 1223, ut modo diximus, scripta, nullam faciant mentionem susceptorum tum a Bela liberorum; cum tamen ad rem id maxime faceret, quam agebant; et ante Cunegundem progenitos fuisse alios manifeste supponant Acta nostra cap. I, num. 20. An hic error est; an supina B istic oblivio? Certe diu post annum 1224 B. Cunegundis nata fingi non potest, ut ex dictis patet; neque adeo ante eam post annum Christi 1223 plures alios peperisse mater.

uti et numerus sororum ejus. 33 Quod ad fratres attinet Beatæ; duos tantummodo fuisse recte narrat auctor noster cap. I, num. 17; Stephanum scilicet, qui patri successit in Hungariæ solio, et Belam, qui ante patrem cognominem obiit; at sorores non omnes ibidem enumerat : omittit enim Catharinam, et alteram Margaritam, ambas immatura morte versus annum Christi 1243 parentibus ereptas apud Clissæ castrum in Dalmatia, quo Bela cum conjuge, populantibus Hungariam universam Tartaris, confugerat. Neque hoc solus asserit Tomcus Marnavitius, citatus a nobis in Commentario ad Acta B. Margaritæ, harum sororis, die XXVIII Januarii, pag. 897, aut productum ex illo ibidem utriusque hujus virginis epitaphium Spalatense; sed etiam Thomas archidiaconus Spalatensis in Historia Salonitana cap. 40. Agnetem insuper aliquam addit Bzovius in Annalibus ecC clesiasticis ad annum Christi 1264, num. 10, tamquam Belæ IV Hungariæ regis filiam, et Ladislai Haliciæ ac Masoviæ ducis relictam; cujus patrocinium susceperit apud Hungaros Urbanus Papa IV; sed hanc alibi non offendo.

An Cunegundis canonizationem sanctæ Hedwigis procuraverit; 34 Omissum quoque ab auctore nostro putat Ranucius Picus in Vita Italica parte 2, cap. 8, studium, quo B. Cunegundis apud Romanam curiam canonizationem promoverit S. Hedwigis, ducissæ Silesiæ majorisque Poloniæ; quæ soror erat germana Gertrudis, aviæ suæ. Hoc enim ait clare satis affirmari in Vita Clementi PP. IV apud Ciaconium, dum dicitur in Sanctos relata Poloniæ ducis rogatu : cum Poloniæ dux tum fuerit Boleslaus pudicus, Beatæ nostræ conjux; quem hæc ad negotium illud haud dubie instigaverit, ut quæ B. Hedwigem et ob affinitatem propinquam, et ob morum virtutumque similitudinem mirifice diligeret. Non est id quidem a verisimilitudine alienum; sed quoniam id neque auctor noster in Historia sua (in qua tamen diligenter enumerat qui canonizationi B. Hedwigis atque elevationi operam dedere) neque alius quisquam, fatente Pico, affirmat; nihil satis hic certi apparet, ne ex ipsis quidem verbis Ciaconii : Dux D enim Poloniæ appellari poterat tam qui majorem Poloniam obtinebat, quam Boleslaus, qui minorem; imo et quivis alius, quemcumque demum in utravis Polonia ducatum gereret; quales gerebant S. Hedwigis nepotes Conradus Glogoviensis et Henricus Vratislaviensis, qui cum fratre suo Wladislao episcopo Salisburgensi, ac Thoma episcopo Vratislaviensi canonizationem hanc et primo urserunt anno 1262, et paucis post annis obtinuerunt. Neque alii hujus rei curatores ex ipsa canonizationis Bulla apud Laertium Cherubinum tom. I, pag. 114 et sequentibus extundi possunt; nisi forte archiepiscopus Gneznensis ejusque suffraganei, ad quos Bullam suam Clemens IV direxit.

35 Sed et illud prætermisit auctor noster, quod ad munia spectat, quæ B. Cunegundis, religiosam jam vitam professa, in monasterio suo Sandeciensi administraverit : imo nec tempus nec modum explicat, quo ad parthenonem illum gubernandum evecta sit : cum tamen ea referat, unde dubitari non possit, quin toti monasterio diu præfuerit. Legesis caput 19 a num. 181, ubi pro suo arbitratu de bonis cœnobii tam liberaliter ad eleemosynas disposuisse narratur; ut mirarentur, quonam modo substantia sui monasterii in tot largitiones suppeteret. Hæc sane abbatissam fuisse arguunt, uti et alia deinde plurima, quæ facile attentus lector animadvertet. Imo ex miraculis idem apertissime licet colligere cap. 31, num. 311; ubi Beata apparuisse dicitur habitu sanctimonialium amicta, et non secus quam illarum antistes; quin ægrum compellasse, ac dixisse : Ego sum CUNEGUNDIS, Poloniæ ducissa, et hujus, in quo te positum vides (videbat autem se positum in monasterio Sandeciensi) loci ac monasterii gubernatrix et antistes. Idem in Miraculis posterioribus etiam apertius de se ipsa revelavit cap. 8, num. 91. an fuerit abbatissa monasterii sui. E

36 Denique præter alia, quæ supra de reliquiis et statua Beatæ dedimus, præteriit bina miracula, ab illa etiam tum vivente patrata, de quibus meminit Waddingus in Annalibus suis ad annum Christi 1333, et quorum primum pertinet ad ea, quæ narrantur in Actis cap. 21 de invasione Tartarica et fuga Beatæ in arcem Pieninam. Cum in eam confugisset, in petra quadam dura, inquit Annalista num. 25, prope villam Chartoreæ ad flumen F Dunaret (imo Dunajec) sitam, quiescere volens fessa ex itinere, pedis dextri vestigium, veluti in cera, pressum reliquit, quod ad hæc usque tempora conspicitur. Alterum subjungit num. sequente idem auctor miraculo, quod ex Actorum cap. 22 narraverat; additque : Simili etiam miraculo, infixo baculo, puteum deduxit aquarum viventium, quæ variis morbis medendis etiam nunc mirabiliter inserviunt : de qua re videri passim possunt miracula recentiora a num. 32 usque ad 82. Est autem hic puteus in veteri Sandecia, ut ibidem dicitur num 32 et 73. Præter hunc et alius est circa Neocorcinum prope ecclesiolam illam S. Nicolai, de qua in Vita dicetur cap. 4 a num. 42. Appellatur et ille puteolus B. Cunegundis, sed qua ex causa, nescimus. Ejus aquæ quam sint mirabiles ac salutares, patebit ex miraculis recentioribus toto capite duodecimo. Hæc te monitum, lector, volui, priusquam Acta volveris, quæ sequuntur; ubi siquid erit præterea observatu dignum, in annotatis invenies. Bina miracula in Actis prætermissa.

VITA

VITA

Auctore Joanne Longini (vulgo Dlugos) canonico Cracoviensi.

Ex antiquo manuscripto, archivi cathedralis ecclesiæ Cracoviensis.

PROLOGUS AUCTORIS

ET OPERIS DEDICATIO.

Auctoris indignatio

Reverendissimo in Christo patri, domino Jacobo de Sienno, Dei gratia Cracoviensis ecclesiæ episcopo, domino meo colendissimo, Joannes Longini, canonicus Cracoviensis, obedientiam cum famulatu, reverentiam, et in salutem perennem, quæ omnium vera Christus est, feliciter dirigi, perfici et consummari *a*. Themistocles Atheniensis, pater reverendissime, homo Græci generis, nobilitate præstans et opibus, supra omnes Græciæ duces maximis celebratus laudibus, qui et facile in omnium virtutum genere ceteris excelluit, adeo inflammatus ad gloriam, adeo rerum maximarum ambitione honoris cupidus, et alienæ imitationis æmulator exstitisse (auctor Plutarchus *b* est) scribitur; ut sub tempore, quo apud Marathonem Xerses, ille Persarum rex potentissimus, et cujus potentiam pelagus vix capiebat et terra, a parva et languida Græcorum manu callido magis ingenio et arte quam armis et robore, Miltiade duce, superatus est; juvenis admodum celebratam tunc Miltiadis gloriam per ora frequenti laude virum tacitus apud se volvens, diutiusque animo relati ex barbaris triumphi seriem et magnitudinem metiens, stimulis virtutum agitatus, dolore insuper ingenti tortus, quod non sibi potius quam Miltiadi tam celebris triumphi decus fortuna tribuisset, nocturnis vigiliis, noctes inquietas a se exigens, repudiatis consuetis conviviis et amicorum familiaritatibus, indulgeret. Rogantibus vero et admirantibus vitæ ejus mutationem; et, quid ita eo tempore in publico versaretur, quærentibus, respondet, Miltiadis trophæum sibi somnos adimere. Marathon siquidem, Artemisium et Salamina, navalis victoriæ fertilia nomina, tacitis facibus animum adolescentis ferocis et gloriæ cupidi ad similia edenda accendebant opera; adeo ut etiam quietis dulcedinem poneret ei in sequestri.

ob negligentiam Polonorum,

2 Quorsum hæc ex gestis gentilium tam longo repetita principio? Ut quisquis lector intelligat, me majori indignatione super neglectu beneficiorum Dei, Polonorum generi per virginem illustrissimam Cunegundim, Poloniæ ducissam, Polonis præstitorum, quam Themistoclem super alienæ fortunæ eventu ambitionis livore, commoveri. Hæc siquidem ego sæpenumero mecum reputans, vehementer excitari in admirationem et in indignationem quamdam verti soleo, vehementius quidem et justius, quam ad consequendam gloriam triumphalem Miltiadis concitatus sit Themistocles; quæ Femina tam celebris, tam excellens, tam sancta, quæ maximis laboribus, sudoribusque, suis Polonis multa beneficia tribuisset, tantum abfuisse, ut parum digna suis virtutibus et meritis apud illos reportarit, ut quibus saluti, prosperitati et fulcimento fuit, est, et erit, et a quibus præcipuis laudibus ornanda et efferenda fuerat ab his illius nomen, excellentia et canonizatio negligatur.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

in curanda canonizatione B. Cunegundis,

3 Dolui ego, non tam beatæ hujus Virginis, quæ cum Cœlicolis benedictæ Trinitatis ævo sempiterne fruitur visione, sed Polonorum sortem; qui divina beneficia parvipendentes, Sanctam ipsam, quamvis multo miraculorum splendore coruscam, ducentis prope jam annis in terræ pulveribus delitescere patiuntur. Et Themistocles quidem vanæ et perituræ, et (quod vitiosius reputo) propriæ et privatæ gloriæ angebatur cura; ego pro neglectu æternæ, divinæ, ac publicæ disturbor, frequentique ingeminatione querelarum in transactæ et præsentis Polonicæ nationis homines, et in eos præsertim, quibus hæc res in præcipua debebat esse cura, stomachor et exulceror pro illorum segnitie et ingratitudine, qui in Virginis præfatæ canonizationis decus, fructus ingentes Polonico regno et gloriam allaturum, exiguam hactenus visi sunt curam impendisse. Qui beneficia quidem multiplicia sancte, prompte, et ferventer deposcendo suscipimus; auctorem vero beneficiorum honoribus congruis recognoscere et honorare negligimus.

et Vita ejus scribenda; cui proinde aliam ipse substituit.

4 Cum itaque pridem, heroum patriæ nostræ gesta, Vitas, et mores relegendo, in Vitam gloriosæ et beatæ feminæ Cunegundis, Poloniæ ducissæ, virginis celeberrimæ ac pene divinæ, traditam mihi, incidissem; indigne mecum ipse ferebam, Vitam illius apud Polonos, in quos mirifica contulit, confert, et divina propitiatione collatura est beneficia, per tot jam secula, transitum suum secuta, non nisi perfunctorie et abscisse descriptam fuisse; ac [cum] in animo constituissem meo in alias litteras aliumque stylum eam vertere, tua paternitas confestim occurrebat, ad quam Vita illa potissimum mitteretur. Itaque genus illius, vitam, religionem, mores, et prodigia, ceteraque quæ ad illam pertinent, in hoc opus conjeci, colligens undique atque connectens, quæ ad libelli præsentis seriem conducere quomodolibet videbantur.

dedicatque, spe canonizationis ejus ita promovenda,

5 Tuæ quoque paternitati potissimum hunc libellum Vitæ ejus dedicavi; quia jam pridem compertum habebam, te inter maximas occupationes tuas hominum divinorum, et singularius hujus Sanctæ admiratione delectari: cujus, dum viveret, in patriam, in suos, in familiam, in ecclesiasticos, in religiosos viros, in omne denique Polonorum genus exstabat ejus singularis dilectio et humanitas; a quo omnis probitas, et omnium virtutum genera in singulos manarunt status: ratus, notitia vitæ ejus te et ceteros sacri Ordinis viros, celsos in Ecclesia Dei obtinentes magistratus, in sanctitatem et amorem hujus Feminæ

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

minæ, et deinde in canonizationis ardorem pertractum iri : aliqualem insuper utilitatem, etsi non ad eloquentiam (in qua me semper aridum fuisse præfatus sum;) ad bene vivendum tamen (in quo uno excellere cuilibet necessarium est, pro consequenda vita æterna) allaturus. Quæ ut plurimum suis virtutibus, sua sanctitate et exemplo Polonis universis et eorum nationi præstitit; ita ab illis quoque honore præcipuo habenda, colenda, et celebranda est, et singularibus ac gloriosis extollenda præconiis.

imo et imitationis,

6 In nulla enim femina et nostræ et paulo superioris ætatis tot optimas virtutes, tot illustres artes et actiones, tot præclara facinora concurrisse accepimus; quot in beata ipsa Cunegundi, quæ ab ipsis incunabulis, imo ab ipso ortu, mirificis divisque actibus floruerat, ad excellentissimam sanctarum virginum præstantiam corpore erecta et spiritu, facilem quoque habens ad similitudines earum edendas infusam a Deo cœli naturam : cui summam sanctitatem et laudem excellentissimam raritas virginitatis, quam in
B
conjugio et in principatu, et per omne vitæ tempus servabat, tribuit; mentem gerens in omni ætate sanctam et spontaneam, animum justum, a terrenis prorsus sequestratum et conglutinatum Supernis, pectus quoque religioni sanctæ deditum et naturali honestate generosum; in comprimendis voluptatum illecebris Cœlestes æmulata.

et venerationis; etsi nondum sit canonizata :

7 Virgo autem præfata etsi pro heroicis suis actionibus nondum justum et emeritum multifarie consecuta sit canonizationis decus, nondum illi templa statuta sunt, vel sacræ ædes, necdum illam thuris dignamur honore (utpote cujus in Divorum numerum translatio in diem hanc a summo Pontifice nec petita est nec obtenta, qui in vicariatum Christi succedens, potestatem illam in beato Apostolo Petro a Domino accepit canonizandi dignos, indignos excludendi;) nihil tamen vetat, sanctitatem Virginis præfatæ a Polonis cumulatius coli, sustolli et venerari, ipsamque, velut magnificam adjutricem, pro exemplis et relevandis quibuslibet necessitatibus et indigentiis, supplicibus precibus adiri et exorari, quæ
C
se singulis invocantibus præstare consuevit facilem, benignam et propitiam.

nam et alii tales coluntur propter martyrium, vel virtutes.
**An non plures.*

8 Plenas * equidem illustres animas cultum sanctitatis in Ecclesia rapuisse Dei, nulla canonizationis solennitate præcedente aut subsequente, videmus; inter quas ex multis B. Venceslaum Bohemiæ ducem *c* a germano suo Boleslao occisum, et beatum Adalbertum, Gnesnensis ecclesiæ archiepiscopum *d*, a Pruthenis felici martyrio damnatum numerare licet, quos in nulla litterarum serie umquam deprehendere possumus canonizatos fuisse, et absque illa venerationis cultum inter mortales meruisse, quos ex eorum martyrio et meritis reri licet in Divorum communionem et numerum translatos esse, catalogo quoque tam militantis Ecclesiæ quam triumphantis digito Dei asscriptos, per decretum et gratiam non mortalis, sed Pontificis æterni : quo quidem canonizationis genere non eos tantum, quibus martyrii obvenit laureola, sed et eos quoque, quibus in confessione veræ fidei triumphare de triplici hoste licuit (documento est inclitus
D
Dei confessor Ramandiolus *e*) certum est clarescere.

e Hujus autem vita longum fuit martyrium.

9 Quamvis et sanctam nostram Cunegundim credam palmarium tulisse martyrii, communionem quoque et laureolam cum Martyribus nactam fore, quæ et sub thoro maritali, et sub omni reliquo ævo, omnem carnalem illecebram perosa, concertatione fortissima decus servavit virgineum, et rarissimam integri corporis ab omni contagione circumseptum candorem : ita ut etiam in re hac pauci illam superent, paucisque, præsertim apud justos rerum æstimatores, cedat; cum ex difficultate pugnæ præstet aliquanto de carne virginitatis quam de persecutore sanguinis trophæa referre : et virginum certamen perpetuum quodam modo cum oculis, auribus, naribus, manibus, gressibus, ceterisque generibus hostium et insidiarum susceptum gestetur, et quod assiduo torretur incendio, clibanum suum secum undique et hostem gravissimum intra mœnia circumferens; martyrium [vero] non diuturnum [sit], ab uno vel paucis tyrannis toleratum, brevi interdum temporis intervallo, E
nonnumquam etiam momento, finitum, ab extrinseco hoste exterioribus membris et articulis inflictum.

Hortatur patronum auctor ad ejus canonizationem curandam,

10 Nempe in ea re non fugit me, flagrantissimum te amatorem esse divinarum et scripturarum et rerum, et ea maximo desiderio atque conatu prosequi solere, quæ ad sedes æternas et præmia conducunt. Eoque respectu institui præsens nostrum munusculum, in quo gesta præfatæ clarissimæ feminæ Cunegundis continentur, tuo nomini dedicare, grato te illud animo exploratum habens suscepturum; quatenus et libro dignitatem comparem ex tuo nomine, ipsiusque tui nominis [obtentu possim hujus Virginis] laudem et gloriam per ora hominum diffundere, priscorum non philosophorum modo, sed etiam Hieronymi, Augustini, ceterorumque divinorum scriptorum imitatus morem; quamvis sanctissimæ vitæ suæ per nostrorum desidiam in oblivionem versa altitudo præconem magis potentiorem expetebat. Te siquidem unum dignum censebam, cui vigilias meas et labores subjicerem, tua ad id pertractus probitate. Et ut te profundo pudore F
perculsum ad canonizandum beatæ Feminæ nomen, et ad rescindendam communem nostram ignominiam commonerem, plus profecto gloriæ et splendoris, quam subactis urbibus, debellatis hostibus; plus retributionis et mercedis, quam erectis basilicis, fundatis cœnobiis, consecuturum.

nihil enim hoc illustrius agi posse aut utilius.

11 Itaque supplici prece obsecro præstantem dominationem tuam, ut pro innata devotione et religione tua libellum hunc nostrum, tuo nomini inscriptum, benigne suscipias, et virginem beatam Cunegundim, nihil ceteris Sanctis, qui per confessionis meritum cœlestis regni meruere solium, operum et virtutum præstantia inferiorem, legas, lectamque, ut in Divorum transferatur numerum, omni cura, conatu et solicitudine potenter atque ardenter efficias, æternum ac illustre apud mortales habiturus nomen, amplissimam vero mercedem et gloriam inter Cœlestes et immortales (quod tuæ paternitati certo et fideli vadimonio audeo ego repromittere) sortiturus.

A rus. Et quamvis permultæ et innumerabiles sunt semitæ, variaque itinera et opera, quibus illas cœlestes mansiones, passionis Christi merito nobis præparatas, ruinarum deserta impleturi conamur irrumpere ; vix tamen aliquod opus æque salubre et meritorium exstat, quam sanctæ virginis nostræ Cunegundis canonizationem conficere ; quod non solum in præsentem ætatem splendorem diffundet et meritum ; sed universam omnium Christi fidelium, præcipue tamen Polonorum et Pannoniorum, consolabitur posteritatem, universis in commune multos successus et solatia in præsenti et in futuro præbitura.

Urget ferventius exemplis decessorum episcoporum Cracoviensium

12 Accipe itaque munus hoc ab optimo Deo reservatum tibi ; et opportunitatem, ab aliis neglectam, cave a te quoque neglectum iri ; sed et optima natura tua et arte atque virtute, qua præditus es, utere ; neque tot mortalium, qui ex canonizatione ipsa ædificandi et salvandi sunt, patiare discrimen. Et illud cum animo tuo frequentius trahendo revolve, quid prædecessoribus tuis Vislao *f* et Prandothæ *g*, Cracoviensibus pontificibus acciderit. Quorum alter *h*, quoniam viri B beatissimi Stanislai Cracoviensis, gloriosi antistitis et martyris , sub omui sui Pontificatus regimiue canonizationem procurare distulit, in visione, per somnum et quietem non secus quam per vigiliam Falislao, diœcesis Cracoviensis militi, monstrata, amictu exuebatur pontificali, cathedra projectus Cracoviensi, cui annis citra viginti negligenter insederat *i*. Alter, qui illi succedens canonizationem ipsam ferventi studio , plurimis difficultatibus superatis, procuraverat, celebri memoria potitus, etiam magna miraculorum sublimitate refulget, quæ ad sui nominis invocationem clementia divina bustum suum, in ecclesia Cracoviensi consistens , adeuntium in hanc usque diem operatur *k*.

et sponte sua currenti

13 Nolo te hactenus de virtutibus tuis, quæ quidem et frequentes et illustres sunt, exornatum iri ; quamvis ex animi mei sententia et recte et probe facere possem : varia enim in te resedit virtutum laude digna supellex , in qua facile mea, pace ceterorum, posset evagari oratio ; altum ingenium, singularis prudentia, plurimarum C rerum usus et doctrina, humanitas et comitas ; in doctos viros, in singulos advenas forenses, aut aliqua egestate gravatos, amor et clementia : verum in tuis laudibus commorandi neque hic locus est, neque meum institutum. Longe dispar a me scribendi ratio suscepta est, ut ad ea te horter atque impellam, quæ ad amplificandam laudem divinam, ad accelerandum canonizationis sanctæ nostræ Cunegundis negotium, ad consequendum quoque per te immortale bravium arbitratus sum pertinere. Scio autem, quem alloquor, quem suadeo, quem exhortor ; eum videlicet, in quo Christianam religionem et pontificale decus dudum et nunc proluxisse video, et qui nequaquam exhortatione et impulsore egeat, omnia, quæ tanti negotii munus requirit, sua sponte facturus.

stimulos addit.

14 Ardentem tamen accendo, facibus urgeo, et currenti stimulos addo ; opportunitatem bene merendi exhibeo ; spem non inanem ostendo ; certum et immortale præmium polliceor, negligentem terreo, nutantem animo. Iter meritorium, quo ad æthereas mansiones possis evadere, monstro ; quod etsi operosum, arduum atque difficile sit, tribulisque ac lappis consertum ; victorem tamen esse te posse, ex cœlesti præsidio et animi virtute confide ; tantummodo ne perseverantiam abjicias, neve animo consterneris aut concidas. Jacturam transacti temporis tuo labore tuaque festinatione instauraturus, simulque ruborem a Polonorum detersurus frontibus, qui Sanctam, plurimis in vita et post mortem mirificatam prodigiis, passi sunt ducentenis annis in terræ pulvere delitescere. Consurge itaque, et illo tuo maximo et ardenti animo mihi notissimo diuturnæ negligentiæ longique temporis culpam sub nostra ætate castiga, publicam et privatam sortem regni Poloniæ communisque patriæ, sed tuæ maxime Cracoviensis diœcesis miseratus, per canonizationis fulgorem amplius et excellentius a clementissimo Domiuo illustrandæ *l*. A Genealogia autem Sanctæ præfatæ, narrationis nostræ sumemus exordium.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

ANNOTATA. E

a *Quæ huc usque obscura videri possunt, exposui in Commentario prævio.*

b *In Vita Themistoclis paullo post initium.*

c *De* S. Wenceslao *agetur die* XXVIII *Septembris, quo per totam Ecclesiam celebratur Officio semiduplici ad libitum, quod a sacra Rituum congregatione approbatum est, ac Breviario Romano insertum anno Christi* 1670 *die* XXIX *Novembris.*

d *De* S. Adalberto episcopo Pragensi, et, *ut cum Longino auctores Poloni volunt,* Guesnensi, *egimus ad diem* XXIII *Aprilis.*

e *De* Ramandiolo *nihil inveni. Imo et in ipsa Polonia nunc altum de illo silentium ; nec scitur, quisnam fuerit, aut ubi sit, ut me inter alia multa docuit R. P. Elbingus, laudatus in Commentario prævio.*

f Vislaus *seu* Vislimirus, *vigesimus Cracoviensium episcopus, juxta Joannem Cæsarium, sedit ab anno Christi* 1229 *usque ad* 1242.

g Prandotha *Vislao succedens, juxta eumdem Cæsarium sedit ab anno* 1242 *usque ad* 1266. F

h *Nempe Vislaus.*

i *Vide hanc visionem ab ipso Longino descriptam in Miraculis S. Stanislai episcopi Cracoviensis martyris ad diem* VII *Maii, cap.* 7, *pag.* 253 ; *ibi tamen miles ille appellatur Falslaus ; et Vislaus sedisse Cracoviæ dicitur* annis duodecim.

k *Itaque inter Beatos Cracoviæ patronos celebratur, ut in Prætermissis notavimus ad die* XX *Aprilis ; unde ejus Acta distulimus in diem* XXI *Septembris, quo vita defunctus est.*

l *Ceterum tota hæc exhortatio inanis tum fuit ; uti ex Commentario prævio colliges.*

CAPUT I.

B. Cunegundis genus, et nativitas.

Genus nobilissimum et origo beatæ Cunegundis virginis, Poloniæ ducissæ illustris, ex propagine

Genus Beatæ nobile et sanctum.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

pagine sancta et excellenti Pannoniorum regum fuit; et e pluribus stipitibus sanctis, quorum mihi altius texenda est, pro rescindendo veri scrupulo progenies, palmes hæc beata germinavit. Et paternum quidem genus ex Pannoniis regibus duxit. Ex Græcorum vero imperatoribus materna illi fuit origo: protavus siquidem suus, per lineam paternam beatus Vladislaus Hungariæ rex *a* exstitit, qui præstantia virtutum et operum, post temporalem Hungarici regni administrationem, æternum sortitus et cœleste regnum, magna sanctitate apud Varadiensem ecclesiam *b* quiescens, miraculorum sublimitate refulget. Cujus in Poloniæ regno celebre et sonorum nomen est, sacras habens basilicas et adytus *, in suum decus et titulum consecratas; ducebat enim genus maternum ex avia sua Mieczslava Poloniæ regis filia *c*, sed et apud Poloniam, patre suo Bela propter metum Andreæ, Hungariæ ea tempestate regis exultante, genitus atque alitus, ob idque Poloniæ regum in regenerationis lavacro nomen Vladislaus sortitus, singulari
B ab illis colitur veneratione, utpote materno eorum sanguine satus, et aliquid habens cum illis commune.

* *Imo* adyta

Avus paternus Andreas II, sive Hierosolymitanus, Hungariæ Rex.

16 Avus illi per lineam directam Andreas Hungariæ rex, filius Belæ tertii ex prosapia regum Pannoniorum ducentis originem, et sancti Vladislai præfati nepos: et qui, Vladislao *d* Hungariæ rege pro conditione carnis absumpto, in regnum Hungariæ concorditer et absque competitione in die sancto Pentecostes favore omni suffectus, annis triginta apud illos imperium tenuit; eo vel maxime felix, quod feminæ celeberrimæ, Gertrudis *e*, filiæ Bertoldi Meraniæ *f* ducis, sororis germanæ sanctæ Heduigis, in monasterio Trebniczensi Vratislaviensis diœceseos quiescentis, Henrici cum barba Poloniæ ducis relictæ *g*, conjugium sortitus, duos filios, in spem Hungariæ regni, Belam videlicet et Colomanum, et unicam filiam sanctam Elizabeth *h*, apud Marpurck conditam, Henrici Lantgravii Hassiæ relictam, sanctitate una cum matertera sua beatissima Heduigi, præfata Poloniæ ducissa, insignem, generavit: non felix solum, sed
C et felicissimus, cui ex suis lumbis filiam et Neptem tam sanctas et tam celebres generare contigit. Colomano autem, altero filio Andreæ regis, cum Salomea *i* conjuge sua, filia Lestkonis Albi, Poloniæ ducis, virginalem pudicitiam professo, et ob custoditam sincerissimeque usque in diem mortis servatam ab utroque conjugum pudicitiæ sanctimoniam, nullam relinquente prolem.

Pater Bela IV, rex Hungariæ; mater Maria, filia imperatoris Constantinopolitani,

17 Andreas * *k*, alter filiorum Belæ * major natu, regni Hungariæ diademate anno gratiæ redemptionis nostræ millesimo ducentesimo tricesimo quarto *l*, quo et genitor suus Bela * Hungariæ satis fuerat assumptus, insignitus est: tenuitque regnum apud Pannonios, illud justo et saluberrimo administrans regimine, annis quinque et triginta *m*. Hic accepit virginem illustrem pro uxore Mariam, filiam Alexii *n* Græcorum cæsaris, qui apud Constantinopolim annis pluribus imperavit. Quæ illi duos filios, Belam videlicet et Stephanum; et sex *o* filias: Annam, Margaretham, Cunegundim, Constantiam, Jolentham et Elizabeth generavit. Et ex Stephano quidem, altero filiorum Belæ, filia Maria genita est, quam Carolus Siciliæ rex in matrimonium sibi desponsans, filium miræ sanctitatis, beatum Ludovicum *p*, spreto regno, Ordinem Minorum professum, ex ea produxit; ut intelligas, per plures generationes et palmites non supremas tantum, sed etiam descendentes, beatam Cunegundim vario sanctitatis stemmate proluxisse. D

* Bela

* Andreæ

* Andreas

quæ hac prole gravida difficilem partum timet;

18 Et aliorum quidem liberorum, quos Bela Hungariæ rex ex Maria consorte sua, sive in maribus, sive in feminis generavit, nativitas simplex fuit, et cum aliis hominibus communis, utpote in doloribus et ærumnis deprompta; Cunegundis autem beatæ ortus singularis fuit et mirificus, futuram illius sanctitatem in conceptione et in partu evidenti indicio portendens. Genitrix enim illius Maria, Hungariæ regina, conceptu tam illustris Virginis fœcundata, onus se grave et suæ conditioni difficile ferre in utero, frequentius in auribus virorum et matronarum querebatur. Cum autem partui imminenti se quam maxime periclitandam vereretur, ad solita remedia confugiens, Cœlestium præsidia sibi precabatur adesse. Et ecclesiam quidem, ad implorandum Sanctorum patrocinia, ob hujuscemodi causam ingressa, et orationi procumbens in genua devotissime dedita, Genitricem Dei, Virginem Mariam, ceterosque Sanctos ex nomine pronuntiatos, non tam precibus, quam profundis suspiriis et fletibus implorans precabatur, primum ut felicem faustumque partum in honorem Dei et catholicorum profectum illi edere liceret. E

sed revelatione cœlesti animata,

19 Atque illi in hac ipsa oratione sedulius perseveranti, mirum in modum vox divinitus emissa, et quæ pavoris illi periculum demeret, intonuit aiens: Pone, inquit, metum, Maria, et orationes tuas in conspectu Altissimi scias exauditas fore: nam et in partu periclitari non poteris, quæ gratia Redemptoris præventa, fers onus saluberrimum, paritura Filiam ingenuam, et tibi, et populis plurimis, et animabus innumeris ineffabiles profectus et gaudia allaturam: illam enim Dominus Deus ex te mirabilius nasci disposuit in honorem suum, laudem, et gloriam; mirificaturus illam in linguis, nationibus et populis; et gentem exteram, vobis vicinam *q*, illius sanctimonia, vita, doctrina, conversatione, exemplo et merito adjuturus. Eo divinæ vocis audito oraculo, celebrata in Deum jugi gratiarum actione, fletibus madens et lacrymis, quasi quodam imbre cœlesti sensit se perfusam, et omni pavore atque periclitationis metu, quo diebus superioribus angebatur, a se prorsus effugato, in devotionis fervorem et divinum amorem superno charismate liquefactam et ardentius incensam. F

sine dolore parit anno Christi 1224.

20 Ex eo autem tempore et deinceps usque in partus diem, in raram religionem versa, sanctis actionibus se totam mancipans, aut suspiriosis aut profundis in ecclesia excubabat deprecationibus, aut per pietatis et misericordiæ opera in ecclesias Dei, ministros ejus, miserabiles denique personas, et quoslibet pupillos, et viduas, aut egestate aliqua, aut necessitate pressos, liberales eleemosynas effundebat. Cum vero tempus pariendi advenisset, sacro ante quatuor diebus refecta Dominici corporis viatico, in horam partus,

Auctore Joanne Dlugosso.

A tus perveniens, Filiam pulcherrimam et omnibus lineamentis perfectam, omni periculo, sed et dolore, quem puerpera circa superiores partus sentire consueverat, circumscripto, in lucem millesimo ducentesimo tricesimo quarto effudit.

Infans diserta voce Deiparam salutat,

21 Quæ illico ortus sui primitias, ceterorum ex mare et femina genitorum jus et morem supergressa, non vagitum dedit, non lacrymas aut gemitus aliquos fudit; sed castissimæ Virginis Mariæ, Genitricis Dei, præsentiam jam sentiens, ad salutandum illam gratia cœlesti supplente quod natura minus habuerat, Virgo et ipsa Domini futura, ora laxat atque in laudem ipsius diserto præconatur sermone, naturæ victa lege, inquiens : Ave, Regina cœlorum, mater Regis angelorum *r*. Terruit hæc sua vox omnes matronas, quæ coram aderant, et singula ad inusitatæ et dearticulatæ vocis sonum, ab Infantula prolatum stupefactæ, singulari admiratione percellebantur; murmureque una ad alteram edito, quid sibi tam nova et inusitata vox in ætate infirma vellet, percontabantur. Sola illius genitrix Maria B Hungariæ regina, scrupulosius rem considerans, alto mentis jubilo exultare cœpit, oraculi sibi divinitus facti verificatum videns et verificandum amplius sperans fiducialius præsagium : mirantes feminas bono animo esse jubens, oraculi visionem eis ex ordine narrat, atque in Deum gratiarum debitas concinit laudes.

omnibus ad miraculum attonitis.

22 Id novum in auribus alterius parentis Belæ, Hungariæ regis, pontificumque, et optimatum ac procerum ejus celebri sermone vulgatum, novam singulis exultationem attulit, et ad glorificandum clementiam Altissimi mentes singulorum coegit; qui Virginem tunc editam magno sanctitatis illustrandam culmine, efficacibus indiciis portendebant, commune aliquid cum Sanctis miro ortu fulgentibus habituram. Johannes namque sanctus et Baptista Domini et propheta, uteri materni adhuc ergastulo conclusus, ad introitum Virginis benedictæ, montana conscendentis, exultavit et lusit. Audiebat enim verba Domini per os Virginis puer tonantis, et de utero materno, quamvis clausus, in occursum ejus, pariendi tempore non exspectato, gestiebat erumpere. Hæc in lucem C edita, Mariæ Virginis et ipsa oculis saltem spiritualibus videns præsentiam, priusquam loquendi usus veniret, in laude Virginis benedictæ primam aperit vocem, primitiasque cordis, et labiorum vitulos, templum Domini jam præsens et futura, Deo consecrat, ortu suo tam singulari et admirando reliquum vitæ cursum certius jam auspicata.

ANNOTATA.

a *De* S. Ladislao, *Hungariæ rege, actum est ad diem* XXVII *Junii. Quod vero is* protavus *fuisse dicatur* B. Cunegundis ; *id ita intellige, ut unus is fuerit ex ejus majoribus : ex fratre enim S. Ladislai, Geysa, natus est Almus, ex Almo Bela II, ex hoc Geysa secundus, ex Geysa secundo Bela III, ex hoc Andreas II, qui fuit avus* B. Cunegundis. *Adi Bonfinium Rerum Hungaricarum decade* 2, *lib.* 4 *et sequentibus; vel brevius Chronologiam regum Hungariæ Abrahami Bakschayi, una cum Bonfinii decadibus editam per Joannem Sambucum; aut etiam Pistorium in Genealogia regum Hungariæ, aliosque.*

b *Est* Varadinum *munitissima civitas in Transilvania, ab ipso, cum viveret, S. Ladislao fundata, ut in Commentario ad ejus Acta dictum.*

c *Imo Miecslai, Poloniæ regis filia, S. Ladislai mater fuit, ut ipse cum aliis Longinus docet Historiæ Polonicæ lib.* 2 *ad annum* 1032.

d *Nempe Laodislao IV, aliis III, Emerici, fratris Andreæ, filio ; qui diem extremum obiit, juxta Bakschayum, anno Christi circiter* 1205; *Bonfinius tamen, Thurocius, Ranzanus, aliique id referunt ad annum Christi* 1201.

e Gertrudem, *ut habet cum aliis auctoribus passim Bonfinius decade* 2, *lib.* 7. *Bankbanus quidam Hungariæ baro, interfecit, absente Andrea ejus marito ; idque quod fratri suo baronis uxorem violandam tradidisset ; quod quidem tam turpe facinus amoliri conatur ab illa Dlugossus Historiæ Polonicæ lib.* 6 *ad annum* 1212. *Adi etiam Raynaldum in continuatione Baronii ad annum* 1214, *num.* 11.

f *Dlugossus loco citato Bertoldum vocat* Moraviæ et Carinthiæ ducem. *Est autem* Meraniæ ducatus *provincia Germaniæ meridionalis versus Œnum fluvium, ubi nunc pars ampla Tirolis comitatus et minuta pars Bavariæ superioris.* E

g *De* S. Hedwige *agendum erit ad diem* XV *vel* XVII *Octobris, quo colitur.*

h *De* S. Elisabeth *agetur ad diem* XIX *Novembris. Ceterum historici Hungariæ, Bonfinius decade* 2, *lib.* 7, *Thurocius in Chronicis Hunguriæ, Ranzanus Indice* 15, *et ceteri, Andreæ II, præter Elisabetham, tres filios tribuunt, Belam IV, Colomanum, et Andream.*

i *Celebratur* B. Salomea *die* XVII *Novembris, quando ejus Acta dari poterunt.*

k *Hic vitium est amanuensis, qui* Andream *loco* Belæ ; Belam *loco* Andreæ *scribit : neque enim Andreas Andreæ secundi filius natu major fuit, sed natu minimus, neque filios habuisse legitur, neque rex umquam fuit Hungariæ ; sed hæc omnia conveniunt in Belam IV.*

l *Bonfinius, Thurocius, Ranzanus, Bakschayus, et alii tam Andreæ II obitum, quam Belæ IV successionem alligant anno Christi* 1235. F

m *Ritius quoque dat Belæ nostro annos regni* 35; *sed annis fere* 40 *regnasse debet ; siquidem patri defuncto successit pridie Idus Octobris* 1235 ; *obiit vero Nonis Maii, ut tradunt Bonfinius, Thurocius (qui tamen addit feriam sextam et festum Inventionis S. Crucis, quod convenit* V *Nonas Maii,) et Pistorius, anno Christi* 1275 : *quem utrumque annum etiam notant Ranzanus, et Gotardus Arthus in Historia chronologica Hungariæ. Quamquam enim triennio fugitivus fuit Bela ob calamitatem terribilem Tartarorum, rex tamen esse numquam desiit, quoad vixit. Imo si regnum ejus auspicari libet a tempore quo, vivente patre, rex coronatus est, multo diuturnius erit ; ut patet ex litteris, quas exhibet Raynaldus ad annum* 1223, *num.* 31.

n *Imo Theodori Lascaris, ut in Commentario prævio diximus.*

o *Nos plures filias numeravimus in Commentario prævio. Porro de quinque hisce sororibus* B. Cunegundis *recurrit sermo infra num.* 29.

p *De* S. Ludovico *episcopo Tolosano Ordinis Mino-*

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

Minorum agetur die XIX *Augusti. Hic ille est, cujus fit mentio in lectionibus propriis de* B. Cunegunde, *anno* 1725 *approbatis.*

q *Nempe Polonicam.*

r *Hæc eadem narrat Dlugossus Historiæ Polonicæ lib.* 6, *ad annum* 1239, *Miechovius Chronic. Polon. lib.* 3, *cap.* 38, *qui notat, hanc salutationem non Latino, sed Hungarico sermone fuisse a* Cunegunde *prolatam ; et alii.*

CAPUT II.

Ejus infantia, et pueritia mirabilis usque ad ætatem nubilem.

Infantulæ abstinentia et pietas erga Deum stupenda,

Abstinentiam deinde, in cunis adhuc agens, agere cœpit, et beati Nicolai æmulata morem, quarta et sexta feriis tenellum et infantile corpusculum macerans, una tantum vice materB nis mamillis contenta, et, si quando amplius eo die ad papillas applicaretur, nutrimentum perosa, servare se jejunia, et divinis se mancipare obsequiis, dum ore non licuit, operis affectu depromebat *a*. Huic quoque tam raræ et stupendæ sub ablactationis tempore abstinentiæ aliud æque ingens religionis opus, quod apud singulos in admirationem versum, singularius notabatur, accessit; dum siquidem pro more regio et parentum ordinatione atque jussu in cubili, quo quiescebat, Missæ officium diebus singulis ageretur, virgo præfata Cunegundis, ab exordio illius usque ad finem vigilans, sub omni tempore, quo rem divinam contingebat expleri, versos ad cœlum oculos defigebat : quoties deinde sacerdotis ab ore, voce sonora administrantis opus divinum, nomen gloriosissimum, Jesus vel Maria, obveniebat proferri ; toties et Virgo hæc, paululum in exultantis modum subridens, et in [modum] emittentis suspiria oscitans, lacrymarum subsecuto imbre, quasi nosset verborum excellentiam et meritum, perfundebatur ; ut intelligerent illam omnes, qui C aderant, nomen sanctum venerari, et ad illius nominationem in lacrymas eo modo, quo poterat, resolvi.

et constans.

24 Solicito insuper studio earum matronarum, quibus illius ablactationis mandata erat cura, explorabatur, si forte aliquo sub divini officii tempore die virgo Cunegundis cœptum morem in vigilando, in oculos sursum erigendo, in lacrymarum imbre, dum Jesus vel Maria, nomina sancta proferrentur a sacerdote, fundendo intermitteret. Adhibebantur quoque per matronas prædictas ad avertendum illam ab hac consuetudine et proposito plures subtilitates ludorum et lenociniorum ingenia *b*; sed sub integro ablactationis suæ quinquennio in eodem ardore devotionis et religionis persistens (quasi jam ratione et intellectu vigentem, aut ab aliquo doctam et institutam crederes) semel cœptum assidue exeubiarum et lacrymarum observabat tenorem ; vehementis admodum animi plena et spiritus, animo jam tunc elato magna et eximia, fidem et religionem Christianam redolentia, spectare notabatur.

Septennis Virginis studia Latinæ linguæ et preces,

25 Dignam, lapso ablactationis et septennii D tempore, institutionem sortita, vir quoque illi ex omni Hungarorum cœtu, tam nobilitate pollens quam religione, Nicolaus vocatus Mykul, in curatorem et nutritium eum nonnullis matronis e virginibus, quarum tunc eum maturitate et devotione eminebat genus, in contubernium et obsequia adjuncti sunt. A quibus in litteris Latinis primum, deinde in timore Domini, et in omni virtutum atque morum præstantia, in orationibus quoque ad Deum et Sanctos ejus fundendis, apprime erudita atque instituta est : facile etenim atque docile ingenium, et, quod singula superat, mansuetum et in Dei amorem ardens et incensum, quo a puero, et ab ipso matris lacte imbuta erat, in singula quæque [ad] decus divinum et suæ animæ profectum tendentia prono animo ferebatur. Nec pædagogi eruditione atque institutione contenta, in altiores virtutes et officia, quam quæ sibi a curatoribus imperabantur, animum assidue intendebat. Nam mirum devotionis ardorem concipiens, semperque se in illo suapte et exercens et extendens, omnes pedissequas et nutritias suas, et in consurgendo diluculo, et in fun- E dendo matutinali officio, et in adeunda ædicula in capellæ modum in Wischegradensi arce *c*, apud quam immorabatur frequentius, ceteraque habitationis suæ loca *d*, mira celeritate præveniebat; in quibus genuflexionibus et suspiriis crebris quidem et assiduis intenta, in fundendis ad Deum precibus, in audiendis Missis et officiis divinis, majorem partem diei absumebat.

item eleemosynæ non sine industria ac pia fraude;

26 In eleemosynarum quoque largitione proclivа, quidquid per indulgentiam parentum habere poterat, in pauperes, egenos, et miserabiles personas maxima cum alacritate profundebat. Nec largitione pecuniarum ceterarumque rerum contenta, vestes etiam purpura et ostro nitentes, ad usum suum et amictum comparatas; sed et delicatiora quæque fercula, ad tegendum et reficiendum medicantium et nudorum corpora, dispensabat, vestium quantocumque pretio et novitate non pensatis. Cum vero hanc sibi vestium distributionem a parentibus et pædagogis vidisset interdictam, novo ingenio novaque arte ad eludendum parentum et pædagogorum imperium F usa, ludos honestos, quos alias fastidierat, melioribus vestibus se amiciens, frequentare, obtenta pædagogorum licentia, cœpit ; sub quibus vestes regias deformans studiose et atterens, egenis illas et pauperibus parentum et pædagogorum permissu, quoties novas induere cogebatur, distribuebat. Atque in hunc modum propositi sui absque parentum et pedagorum inhibitionis transgressione compos effecta, divinam sibi clementiam per eleemosynas frequentes propitiare assidue satagebat.

crebra quoque et severa jejunia,

27 Ad jejunia quoque animum intendit, et corpus crebris abstinentiis domans, non solum jejunia ab ecclesia instituta, sed et plura alia in honorem Dei et Mariæ Virginis, ejus Genitricis, variorumque Sanctorum et Sanctarum in eorum natalitio singulari devotione et carnis afflictione observans : neque enim abstinentiarum die priusquam sol occidisset, ad refectionem accessit ; et tum illis diebus, tum quoque aliis parco et castigato victu de simplicibus et facile parabilibus cibis

cibis contenta, delicatiora quæque in ædes infirmorum transmittebat.

Pudicitia, assiduitas in mortificatione et oratione.

28 Postea enim sub his rudimentis quam e pueritia excessit, castissimos mores et disciplinam sub optimis educatoribus sectata, omnem transitoriam rerum multiplicationem et lenocinia perosa suapte natura et ingenio, non desinebat, velut generosa quædam ac uberrima planta, novos quotidie honestatis et pietatis edere fructus : virorum fugiens non tam conversationem et colloquia, quam conspectum, velut juvenilis animi contagionem pestiferam, totam se primum pudicitiæ, deinde sedulitati orationum addicebat, libidinum et carnis consurgentes in se per vigilias et jejunia exstinguens motus, senilem quamdam ex se fundere admirabatur constantiam et gravitatem, vigiliis et orationibus macerans corpus suum, et in servitutem redigens, flammam libidinis et incendia puerilis ætatis exstinguebat continentiæ loris et abstinentiarum frigore ; naturalem pulcritudinem sordidis plerumque vestibus deformans; sanctitate nobilior quam genere, religione venustior quam forma; nihil discens audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei atque amorem, et ad sui pertinebat optimam eruditionem et profectum, cantica mundi ignorans, et ad illorum harmoniam aures obturans ; in ætate adhuc lasciva et tenera balbutienti lingua, post vero adolescens effecta, formali et concinna voce Psalmos Davidicos ceterasque orationes quotidie resonabat.

Parentes, sicut alias filias honeste collocarunt,

29 Filiabus Belæ, Hungariæ regis, splendida conjugia et nobiles atque illustres viros sortitis, aut morte absumptis *e*. Nupserat enim Anna, natu major, Croatiæ duci *f* ; Constantia Leoni, Russiæ duci, quæ et ipsa apud Leopoliensem civitatem *g* sepulta, singulari sanctitate pro operum merito refulgens miraculis coruscare ascritur; Elizabeth Otthoni *h* Bavariæ duci ; Jolentam, natu minorem, Boleslaus, vocatus Pius, majoris Poloniæ dux desponsans *i*, unicam *k* filiam Heduigim ex illa sustulit, quæ dierum processu Vladislao, vocato Loktek, Cujaviensi duci in Poloniæ regem sublimato nubens Casimirum, Poloniæ regem, virum et principem raræ probitatis et excellentiæ immensæ, et cujus nomen propter egregia in Poloniæ regnum edita opera (primus enim illud ad legitimas leges et insignem politiam, quibus in hanc diem regulatur, reduxit *l*, et lateritium, quod ligneum offenderat, reliquit) percelebre et sonorum est, generavit. Hæc quoque Jolenta viduata marito, Ordinem sanctæ Claræ apud monasterium Saudecense professa, beato fine, illic sepulta, diem obiit. Margareta *m* seculum et omnes pompas ejus perosa, Ordinem FF. Prædicatorum in monasterio sanctimonialium Budæ professa, dum annum decimum octavum *n* ageret, morte immatura, sed salutari, absumpta est.

Sic de hac omnium [illegible] deliberant.

30 In Cunegundim autem virginem, quæ pro magnitudine animi et devotionis religione singulos mares et feminas, sibi germanitate conjunctos, sine controversia anteiret ; et ob suavitatem morum facilitatemque naturæ, a singulis Pannoniorum proceribus et satrapis atque vulgo miro affectionis modo colebatur ; habitu denique corporis procera, et fusca vultu ; et conspectu, incessu, atque motu mitis, placida, gracilis, modesta atque conspicua ; specie vero atque forma non negligenda habebatur, uterque parens curam præcipuam injecerat, cuinam sponso illam tot donis gratuitis et excellentiis locaret nitentem : propter quod maximis et singularibus precibus omnique supplicationum et eleemosynarum genere orabatur Deus, ut illis spiritum suum tribueret, quo sponsum dignum Filiæ tam præclaræ, et utramque dotem, formæ videlicet et operum, secum laturæ, digne deligerent, et in quem pignus tam carum et nobile conferrent.

ANNOTATA.

a *Idem refertur locis in præcedenti annotatione citatis.*

b *Hæc vox aliquoties recurrit apud auctorem nostrum, qui ea significat modos quoslibet vel media solerter et ingeniose excogitata. Eadem hoc sensu apud auctores Italos usitatur.*

c *Situm est* Vicegradum *seu* Vissegradia *ad Danubium, Strigonium inter et Budam. Arx ejus Hungarorum olim regum domicilium fuit, maxime cum a negotiis labebat interquiescere. Vide plura apud Martinum Zeilerum in descriptione Germanica regni Hungariæ.*

d *Non satis hæc apte Grammaticorum regulis congruunt, ut neque alia hic illic occurrentia ; cum tamen satis possint intelligi, operæ pretium non est res ejusmodi explanare.*

e *Sensum imperfectum relinquit auctor, sui oblitus ob longam, quæ sequitur, parenthesim. Notandum vero, nequaquam velle Longinum, omnes hasce sorores collocatas ante fuisse, quam de nuptiis* Cunegundis *ageretur (id enim de Jolenta et Margareta certissime falsum est, juxta ipsum etiam in Historia Polonica Dlugossum.) Sensus ergo est : non minorem, imo majorem fuisse parentum curam in collocanda* Cunegunde, *quam in aliis, quæ omnes sive ante, sive post* Cunegundim *præclarissimas nuptias (si Margaretam exceperis) indeptæ erant.*

f *Pistorius Niddanus in Genealogia regum Hungariæ* Annam *hanc statuit uxorem Roscislai, regis Bulgariæ, matrem Cunegundæ, reginæ Bohemiæ ; quo etiam nomine Cunegunda hæc Belæ* IV *neptis dici videtur ab auctore nostro Historiæ Polonicæ lib. 7 ad annum* 1261.

g Leopolis *Russiæ minoris, seu nigræ, caput est, ad hoc ipso Leone condita et nomen sortita, ut putat Cromerus lib.* 10 *sub initium. De sanctitate* Constantiæ *nihil alibi reperi. Iterum de illa mentio fiet infra cap.* 20, *num.* 192, *et cap.* 21, *num.* 199. *Constat eam, marito defuncto, ad sorores* B. Cunegundem *et Jolentam adjunxisse sese, et habitum religionemque Clarissarum in Sandeciensi monasterio suscepisse, teste Dlugosso Historiæ Polonicæ lib.* 7, *ad annum* 1287.

h *At Pistorius nuptam scribit* Elisabetham *Henrico, Ottonis scilicet filio, ut tradit etiam Aventinus Annalium Boiorum lib.* 7.

i *Conciliante has nuptias Boleslao pudico, conjuge* B. Cunegundis, *in cujus aula* Jolenta, *sive, ut eam Poloni, vocitabant,* Helena, *nutrita fuerat ; ut habet Longinus in sua Historia lib.* 7 *ad annum* 1256.

Porro

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

Porro Jolentam, de qua post recurret sermo, Arturus, Rodulphius et alii Beatis adscribunt; nos eam Prætermissis inseruimus ad diem XXIII *Aprilis (quo die illam notaverat Arturus;) quia de cultu non constabat. Prodiit interea novum Menologium Franciscanum Ingolstadii* 1698 *auctore R. P. Fortunato Huebero, in quo notatur illa quidem eodem die, sed sine titulo Beatæ, nec quidquam affertur, unde aliter nunc de ea, quam olim, statuere possimus. Jam hæc notaveram, cum accepi ex Polonia instrumentum authenticum illustrissimi ac celsissimi Domini Joannis Wæzyk, archiepiscopi Gnesnensis, confectum* 22 *Octobris* 1631, *quo venerabilis Jolentæ corpus Gnesnæ apud Clarissas conditum, et illustre miraculis refodi mandat, ossaque collecta* in tumba decenti collocari: hoc tamen expresse prohibito *(verba sunt commissionis ejus)* ne eadem ossa vel reliquias populo publice ad venerationem exponant; cum id, inconsulta saucta Sede Apostolica, fieri non liceat; et honorifice in eo, quo loco fuerunt, sepulcri consignata relinquant.

k *Imo filias tres ex ea tulit: Hedwigem, Elisabeth et Annam, ut ipse asserit Dlugossus Historiæ Poloniex lib.* 7 *ad annum* 1279.

l *Adi prædictam Historiam Polonicam Longini lib.* 9 *ad annum* 1347.

m B. Margaretæ *Virginis Hungaricæ Acta dedimus illustrata ad diem* XXVIII *Januarii.*

n *Imo obiit anno ætatis vigesimo octavo, Christi* 1270; *ut patet ex utrisque ejus Actis.*

CAPUT III.

Nuptiæ B. Cunegundis, earumque solennitas; imitatio SS. Cæciliæ et Valeriani.

Boleslai pudici insignes dotes, Erat sub idem tempus Boleslaus *a*, Cracoviensis, Sandomiriensis, et Lublinensis dux, regni Poloniæ monarcha, adolescens primo ætatis flore virens *b*, potentia, gloria et operibus pollens, forma et aspectu nitidus et elegans; gratia vero et eloquentia suavis, cæsariem candidam, et crispanti coma suffultum habens caput, heres unicus cum sorore Salomea *c*, Colomano, Hungariæ olim regis Andreæ filio, ut in superioribus præmisimus, jam viro tradita: quæ et ipsa, morte mariti secuta, cum ambo continenter vivendo virginitatis culmine se stagnassent, Ordinem sanctæ Claræ apud monasterium de Lapide, quod nunc in Cracoviam in sanctum Andream translatum cernimus, ingressa, famosæ sanctitatis virgo habetur. In hereditate aliquot principatuum regni Poloniæ et ærario locupleti a patre Lestkone albo, Cracoviensi, Sandomiriensi, et Pomeraniæ duce relictus, matre Grzymislava, Ruthenici generis *d*, sed orthodoxæ fidei, ducissa superstite, famosus et celeberrimus inter principes habebatur.

a b C c d

cui proceres Poloni sponsam decernunt B. Cunegundem; 32 Hunc cum tam ecclesiastici quam seculares suorum dominiorum consiliarii ad nuptias cogerent; ne, si immatura morte, pignore non suscepto, absumptus, in alterius principis cogerentur transire regimen; dum de desponsanda illi uxore res ad frequens consilium deducta foret, operante divino instinctu, uniformis quædam non ducem Boleslaum modo et genitricem suam Grzymislavam ducissam, verum etiam consiliarios omnes, signanter tamen Prandotham, Cracoviensem antistitem, virum ea tempestate magni consilii et raræ Minervæ, cupiditas cœpit, ut aliquam virtuosam virginem, honestis moribus plenam, ex regali prosapia oriundam, dux ipse Boleslaus pro sua amplitudine, dignitate, excellentia atque gloria matrimonio consequeretur. Pluribus autem illustribus et præstantibus feminis recensitis, nulla alia exquiri ævo illo poterat, in quam tot sanctitatis et probitatis indicia, tot honestatis et excellentiæ genera fœcundius, quam in virginem regiam Pannonicam Cunegundim concurrissent; propter quod uniuscujusque illius deliberationis et consilii suffragia, in illam unicam divertebant, optime dictitantes Virgini tam nobili cum adolescente tam insigni convenire; felix et auspicatum credentes fore matrimonium, si illud contingeret consummari; felices fore heredes, quos ex tam sancto et inclyto connubio, procreari divinitas concederet; felicem Polonorum rempublicam, si in eorum nationem et linguarium *e* tam illustrissimam Feminam optimus Deus faveret transferri.

D E e

eamque a parentibus expetunt, et impetrant, 33 Conformi conclusione de contrahendo per Boleslaum, Cracoviensem, Sandomiriensem, et Pomeraniæ ducem, cum virgine Pannoniorum illustri Cunegundi matrimonio habita, proci insignes ad Belam Hungariæ regem et consortem suam Mariam diriguntur, Clemens de Clymianthow castellanus, et Janussius, Palatinus Cracoviensis, viri apud Polonos ea tempestate insignes. Hi, apud Budam rege Hungariæ Bela offenso, duci suo Boleslao virginem Cunegundim procantur. Quæ procorum jure de generis nobilitate, forma, opibus, potentia, ceterisque in genus virtutibus in auribus Belæ regis et Mariæ consortis suæ, optimatumque Hungariæ commendant et extollunt, deducitur res per Belam regem ad consilium; ubi singulorum votis scrutatis, in sententiam Belæ regis et Mariæ reginæ, qui matrimonium hujuscemodi ex multis respectibus decernebant consummandum, facile itum est. Adjuvabat rem Colomanus, alter filiorum regis, qui Boleslai, Cracoviensium ducis, germanam Salomeam junctam matrimonio habebat, qui et parentes obeundo et proceres, magnopere suadebat, preces Boleslai ducis, affinis sui, et procerum ejus exauditum iri. Adjuvabat et Salomea præfata, consors sua; quæ dudum ante Boleslaum, germanum suum, Cracoviensem ducem, de virtutibus, forma et moribus miris efferendo laudibus, ut hunc et non alium pro genero, virgini Cunegundi pro sponso legerent, animos Belæ regis et Mariæ reginæ ubertim inescaverat.

F

ipsa per instinctum divinum vix tandem assentiente. 34 Publico deinde et universali decreto ad notionem virginis nobilissimæ Cunegundis, pro explorando ejus quoque consensu, deducto, cum diu utriusque parentis et procerum voluntati, fletibus immensis uberrime effusis, nequidquam restitisset; et se non hominis alicujus, quantumcumque potentis et opulenti, sed Dei omnipotentis futuram asseveraret sponsam; carpens et objurgans parentes, quod hominis mortalis et prin-

A principis terreni magis quam Dei et Regis æterni soceri esse mallent, desponsari se duci præfato Boleslao permisit, et spiritu quodam latenti et divino inspirata, in parentum et procerum sententiam, dum illos nec obsecratione nec prece, diu obluctata, permovere potuit, tandem venit, et obedienter se illorum ordinationi spopondit parituram, sperans, se virginitatis decus atque lilium, parentum imperio impleto, ampliori cum fœnore (fructum exinde tam centesimum perceptura quam sexagesimum et tricesimum) incontaminanter servaturam. Quapropter uterque parens, tam fracto et humiliato ipsius consensu devictus, dotem, quam animo dandam destinaverat, ad rescindendum exulcerati ipsius animi mœrorem, duplicarunt *f*.

f

Honorifice in Poloniam deducitur anno 1239 :

35 In frequenti autem comitiva per regni Hungariæ insigniores optimates et proceres ad sponsum suum Boleslaum, Cracoviensem et Sandomiriensem ducem, regni Poloniæ monarcham, dotem amplissimam secum ferens, per Sandecz, Czchow, Woynicz et Bochnia, oppida in Craco-B viam usque deducta est, et omni ecclesiarum processione, omnique statuum urbis Cracoviensis occursu atque honore, ad septimum lapidem obviam illi euntium anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono *g* excepta est. Occurrit et Boleslaus, Cracoviensis dux cum genitrice sua Grzymislava ducissa, et pontifice Cracoviensi Prandotha, proceribusque et satrapis suorum principatuum in magnifico et nobili supellectili et apparatu; et novam Sponsam, formam illius, et pulcritudinem admiratus, in arcem Cracoviensem honore solenni introducit; ubi aliquando tempore sub socrus suæ, ducissæ Grzymislavæ, custodia et communione, socru illam mira tractante caritate et honore, mansit, donec idioma Polonicum primum intelligere, deinde sonare cœpit.

g

inter festiva nuptiarum gaudia, assidue orat :

h

36 Solennitas deinde nuptiarum diebus pluribus *h* in magnifico apparatu et sumptibus splendidis, in decus sponsam accipientis principis agebatur; sub quibus Cunegundis virgo illustris, splendidos apparatus, ludos, choreas et convivia pro magnificentia et honore novæ Sponsæ et Pannonicorum procerum, qui illam attulerant, C instituta abhorrens, pudicitiam suam pernox et perdia, multifariis precibus, suspiriis et lacrymis Domino commendabat, surdam se ad organa, tibias, lyras, citharas, et quæque musicorum et harmonicorum genera præstans, sub illorum resonantia soli Domino corde carmen solitum et usitatum decantans, aiebat : Fiat, Domine, cor meum et corpus meum immaculatum, ut non confundar; crebros gemitus fundens et divinam clementiam obsecrans, ut sponsum suum Boleslaum ducem, ardore lubrico et carnali in illo succiso, pudicitiæ amore inflammaret; talem quoque ei spiritum devotionis et caritatis infunderet, qui primum ad honorem Dei, et utriusque salutem, et cælibatum, ceterorumque hominum profectum verteretur. A castissimo autem et virgineo pectore castissimus Dominus, virgo ipse, et virginalis filius, pro virginitatis conservando nitore exoratus, propitium se et exorabilem precibus sanctis, continentiam et puritatem mentis et corporis precantibus, exhibuit; et quantum illi virginitas curæ est, quantique illam pendat, ostendit.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

ad thalamum adducta S. Cæciliam imitatur.

37 Ad thalamum siquidem pro connubio amborum præparatum virgo Cunegundis ingressa, et secreta cubilia, cunctis egressis, sortita, castissimæ virginis beatæ Cæciliæ Urbicæ morem et exemplar æmulata, sponsum suum Boleslaum, ducem Cracoviensem, hujuscemodi alloqui cœpit sermone : Maximo, inquit, conatu et scrupulosissima cura, illustrissime juvenis, virginitatem usque nunc amplexa, tanti thesauri tutorem, non perditorem; servatorem, non violatorem esse te, non ambigo : ea enim lege, ea conditione, eo respectu, tu, ceteris procis neglectis, parentibus meis dignus visus es, cui ego traderer in sponsam; ea insuper lege, parentum meorum tam judicium quam imperium sequuta, ego te mihi devinxi in sponsum, ut servandæ virginitatis meæ te haberem auctorem. Suppressa itaque, si qua ageris, passione, lasciviam corporis loris constringe virtutum; pudicum quoque te et continentem præsta : sponsa enim Christi prior, quam tua, esse cœpi. Illi quoque perpetuam virginitatem devovi; verum parentum meorum non ausa calcitrare imperio, te alterum sponsum sumere coacta, te deprecor, te obsecro, te obtestor, E ut sponsum te et consortem virginitatis meæ apud homines agas, apud Christum fratrem; ne [si] sponsam illius illicito amore contingere tentaveris, in atrocissimum ejus mucronem incidas, præsentis vitæ prosperum cursum et futuræ beatitudinis, quod te propterea manet manebitque præmium, solide amissurus.

sponsus vero tum quidem S. Valerianum.

38 Sponsus autem suus Boleslaus dux, etsi in spem procreandorum liberorum Cunegundis virginis connubium assumpsisset, divino tamen nutu ex sermone et verbis Cunegundis virginis, non secus quam Valerianus ex beatæ Cæciliæ, correptus, non angelico confortatus aspectu, nec Urbani Papæ persuasus communione et alloquio, omni passione et ferocitate deposita, mitem se et morigerum sponsæ suæ precibus præbens, et voluptate calcata terrena, atque illecebra carnali deposita, pudicitiam se illi atque sibi in annum unum; eo vero lapso, in alterum; quo evoluto, etiam in tertium, multifariis suis obsecrationibus, terroribus et persuasionibus devictus, repromittit. In cujuslibet siquidem anni consummationis F fine, dum se Boleslaus dux amplexibus suis jam potiturum indubie credidisset, illa novis ingeniis pro conservando suæ virginitatis lilio usa, sponsum ad observandum cælibatum illius etiam anni mirabili et suavi inclinabat animo.

ANNOTATA.

a *De* Boleslao pudico *fuse agunt Historici omnes Poloni. Sunt etiam, qui Beatis illum adscribant, ut Martinus Baronius, qui Vitæ ejus epitomen exhibet, et catalogus Sanctorum Poloniæ Ms. Cracovia olim ad nos missus, aliique; sed quorum nobis auctoritas nequaquam sufficit, ut eos, donec alia non accesserit, imitemur : præsertim cum juxta scriptores Polonos inter præclara ejus opera, non nulla fuerint alia, quæ parum probata sint suis.*

b *Natus erat Boleslaus die* XXI *Junii anno* 1221, *ut vide apud Dlugossum Historiæ Polonicæ lib.* 6 *ad illum*

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

illum annum, et apud Cromerum de rebus Poloniæ lib. 7.

c B. Salomeæ *hujus Acta dabimus die* XVII *Novembris, ubi explicanda erunt, quæ hic de ea sequuntur. Vide interim Dlugossi Historiam Polonicam lib.* 7 *ad annum* 1268.

d *Erat enim* filia Jaroslai ducis Russiæ, *ut ait Auctor noster Historiæ Polonicæ lib.* 6 *ad annum* 1220.

e Linguarium *et* linguagium *voces barbaræ, pro lingua, sermone, idiomate, ab ætate media sæpius usurpatæ.*

f *Dos fuit quadraginta millium marcarum, ut habet Longinus Historiæ Polonicæ lib.* 6 *ad annum* 1220, *et Thurocius lib.* 3, *cap.* 38, *et Cromerus lib.* 8, *aliique. Sed an marcæ illæ auri puri fuerunt, quales infra describuntur cap.* 10, *num.* 99?

g *Eumdem annum annotat auctor hic, et cum eo Thurocius atque Cromerus locis mox citatis.*

h *Nempe diebus duodecim, ut ait idem auctor in Historia Polonica loco eodem.*

B

CAPUT IV.

Ejus industria ad inducendum sponsum ad perpetuam castitatem; vigiliæ; visitationes ecclesiarum miraculis comprobatæ.

Virginitatem exorat in annum unum, deinde in alterum;

Et primo quidem anno, cum Boleslaus dux petere illam a se, quidquid vellet, imperasset, spondens se illi ex omnibus, quæ precaretur, nihil negaturum, ratus illam non spiritualia sed corporalia, non cœlestia sed terrena a se dona petituram; at illa, contra opinionem sponsi, omnia terrena atque caduca perosa, anni unius continentiam sibi concedi extemplo postulavit. Quæ illi facile a duce Boleslao, suam tam solennem pollicitationem temerare aut variare turpe ducente, concessa est. Verum, anno uno sub pudicitia transacto, virgo Cunegundis etiam sibi alterum annum pro servanda pudicitia instantissime flagitabat. Quod cum sponsus suus Boleslaus moleste ferret, illa sibi Virginem gloriosam Mariam pro arrha et præmio proposuit, rogans et obtestans, ut ob Virginis Mariæ intemeratæ honorem atque decus alterum sibi annum largiretur; indignum et abominabile disserens Deoque odibile, ut, quoniam unum annum sibi propter se et ob amorem sponsæ terrenæ donasset, alterum annum propter honorem sponsæ Christi et Matris Dei et hominis Mariæ sibi negaret, plurisque duceret sponsam hominis quam Dei; pollicens sibi quam plurima divina beneficia, et terrenorum multiplicationem in singulis rebus evidenter, prosperitatem. Tot prudentissimis et efficacibus obsecrationibus obstestationibusque ille et correptus et victus, etiam in annum secundum pudicum se fore repromittit. C

Deo interea gratias agens, et sperans in alterum;

40 Quod Cunegundis virgo in excellentissimum retulit donum; pietatique divinæ, cujus favore et nutu sponsum suum Boleslaum ducem intelligebat correptum in petitionem suam annuisse, gratias agere assiduas non destitit, frequentioribus non tam precibus quam fletibus, profundisque* eleemosynarum largitionibus et abstinentiis; illam itidem sub totius illius alterius anni spatio humillime rogans, ut decus sibi virginitatis perpetuo custodiret, et quod biennio contulebat, in diem usque mortis producere dignaretur; nec sola orationibus, jejuniis et eleemosynis vacare contenta, plures personas utriusque sexus, viros quoque religiosos, et continentes, et matronas ad propositi sui consequendum effectum, tum precibus, tum largitionibus conducebat, et cum illis præstari sibi ab optimo Deo precabatur perpetuæ continentiæ virginitatem. Itaque illa præcipua sua cura fuit, ille conatus assiduus, illa meditatio nocte et interdiu, illi sermones cum viris et matronis sibi assistentibus, timoratis quidem et religiosis, continui et familiares, quatenus custoditam hactenus castitatem perpetuo fœnore observaret, et sponsum suum Boleslaum ducem non solum ab illecebra carnali requirenda diduceret, sed etiam in eamdem secum traheret castimoniam et sanctitatem. Crescebat circa illam, et ducis Boleslai et genitricis suæ Grzymislavæ et totius curiæ ducalis amor propter morum suavitatem et prudentiam singularem in ea relucentem. D E

* annon profusisque?

et clam pernoctans in precibus, dein templa visitans,

41 Currente autem hujusmodi biennio; sub quo sponsa Christi Cunegundis a sponso suo tereno Boleslao, Polonorum duce, virginitatis suæ ferias observabat, et, ut illi perennes forent, multiplici precum instantia, clementiam divinam tam precibus quam misericordiæ operibus fatigabat, rogavit socrum suam ducissam Grzymislavam (cum ambæ tunc apud oppidum Korczyn *a* simul una in unisque ædibus atque thalamis morarentur, unaque cibum caperent et quietem) quatenus liceret ei in domo separata noctem et ejus tempora absumere; quatenus nocte consurgens media, suarum obsecrationum atque meditationum studia, absque suæ socrus præfatæ et cujuslibet alterius feminæ molestia et incommodo posset liberius exhibere. Quod cum ægre ab eadem socru sua, tenerrimo illam diligente affectu, et omnes suas semitas atque actus curioso explorante studio, impetrasset; liberiorem conversationem ad singula nacta, in liberiores devotiones, precationes et religionis opera se totam effudit. Unde et pernox secundas in oratione tenebras, primas vero in nuda humo, saxo capiti supposito, exigebat; diluculo deinde consurgens, ad ecclesias, conventualem Ordinis Minorum et ad parochialem, frequentabat. a F

maxime S. Nicolai, per nives et glaciem nudipes,

42 Est autem apud oppidum Korczyn vetus ecclesia, sancto dicata Nicolao, ad fluvium Nyda haud longe sita, et ab oppido codem remotius porrecta; circa quam quondam veteris oppidi Korczyn cives et oppidani referuntur oppidum habuisse. Ad hanc sponsa Christi Cunegundis et familiarius se conferens et frequentius (quoniam separatum, ut præmisimus, ab omni hominum contubernio, sequestratum habet situm) quasi in altera eremo in dulcissimas preces et lacrymas resolvebatur; et miro devotionis modo, quasi quodam clibano, incensa, et supra seipsam levata, atque in contemplatione absorpta tota in divino amore notabatur suspensa. Nulla autem aut cœli intemperies, aut hiemis asperitas, aut imbrium

vel

A vel nivium descensus, aut nox caliginosior, etiam si nulla lucerent sidera, illam a visitatione ecclesiarum nocturna poterant revocare, quin sub profunda necte cum uno tantummodo magistro curiæ Mykulone, homine grandævo, et una matrona, honestis et ipsa moribus plena, Przeczslava nomine, sui corporis custodibus et testibus, nudo et discalciato pede visitationem ecclesiarum per lubricam et cœnosam, asperam quoque et duram ex algore et nivibus viam expleret; propter quod frequentius carne sua delicatiori in plantis ex vi algoris aut via asperiori scissa, perfossa et violata, cruor e pedibus defluens, calles suorum vestigiorum puniceos efficiebat atque rubricatos.

cujus templi fores ei ultro aperiuntur:

43 Ne autem Sponsa Christi [cum] sequacibus suis, et sui corporis terrenis custodibus ad ecclesias sub noctis intempestæ conticinio visitandas perveniens, ante fores earum cogeretur sub dio, tolerando asperius imbres, nives et frigora (singulæ enim ecclesiarum fores ex more sub nocturno tempore claudebantur) consistere, post, aliqualem moram, quibus ante fores ecclesiæ B prostrata orationi vacabat, postes valvarum ecclesiæ angelico ministerio solutæ, liberum illi patefaciebant ingressum. Quod illa diligentius attendens, et singularem gratiam Dei adesse suoque proposito favere sentiens, in amplissimam devotionem atque lacrymarum profluvia eclesiam ingressa solvebatur, jurejurando atque profunda obsecratione sequaces suos Mykulonem et Przeczslavam obsecrans, illisque districta obtestatione prohibens, ne arcanum illud divinæ clementiæ, de portarum et repagulorum solutione, cuiquam auderent quoquo modo revelare, ea vivente.

ubi aliquando contemplatione abrepta diutius,

44 Accidit autem, dum virgo Cunegundis obsecrationes et devotiones suas in frequentatione ecclesiarum et earum terendo limina diligentius continuaret, reverti in arcem ad socrum suam, ducissam Grzymislavam, ad tempus et horam solitam dierum una neglexit; ardore siquidem devotionis ardentius se sentiens incensam, et gratia cœlesti se intelligens præventam, dulcedine inspirata vehementi et mirabili, orationem quoque diutius in præfata ecclesia sancti Nicolai tota in contemplatione suspensa, in tempus diei C longius, non considerans illud labi, extraxit. Socrus autem sua, ducissa Crzymislava, postquam a somno soluta consurgens, cubiculum virginis Cunegundis ex more, actus suos exploratura, intrasset, nec illam consistere illic reperisset, cœpit de illius absentia molestius anxiari, et curiosa indagine, quonam divertisset, aut quonam locorum foret, scrutari.

non sine famæ suæ, et vitæ custodis periculo,

45 Aderat forte tunc in arce Mykul suus custos, et virginem Cunegundim cum pedissequa una, Przeczslava matrona, orationibus incumbentem in æde sancti Nicolai relinquens, in arcem redierat. Qui ducissam Crzymislavam perpendens de virgine Cunegunde anxiam et sollicitam, concito gressu ad ecclesiam sancti Nicolai ingressus, videt dominam suam, virginem Cunegundim, contemplationi et orationi vacantem, porrectis in cœlum luminibus, cervice erecta, manibus complicatis, suspensam esse, et oratione profunda, quasi a sensibus alienatam; paululum itaque donec illam suapte expergisci a contemplatione contingeret, immoratus, dum expergefactio per se non proveniret, omnisque mora prolixior sibi videbatur, in vocem et clamorosam et contumeliosam, et quæ illam suscitare posset, erumpit, dicens: Quænam est, inquit, hæc tua, o Domina, superflua devotio, hypocrisim redolens, per quam caput meum variis periculis et discriminibus subjicere non vereris? Si enim sponsus tuus, dux Boleslaus, tam diuturnam moram et intempestivam, genetrice sua, ducissa Crzymislava, prodente, cognoverit, te quidem suspicionis, me vero capitis crimine, damnabit. Desiste itaque, quæso, ab his tuis clandestinis et nocturnis peregrinationibus orationibusque. Teipsam probo et infamiæ me capitali supplicio excipe; condemnatura, si secus egeris, caput meum duci.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

miraculo duplici servatur.

46 Hac voce custodis sui Mykul, quasi a gravi excitata somno, virgo Beata, non in aliquam indignationem, nauseam, vel molestiam pro verbis contumeliosis a Mykul, ministro et custode suo, prolatis commota, sed patientia admirabili singulas contumelias et improperia tolerans, ampliores etiam, si evenissent, toleratura: Noli, inquit, serve mi fidelis, turbari; desine et de tuo supplicio, et de mea infamia solicitus esse. Omnia diligentibus Deum certus scito cooperari in bonum; nec periclitatum te in capite, aut me in fama addubita; sed gratia cœlesti confirmatum, protectumque iri confide. Sic fata, ex oraculo digressa, in arcem revertebatur. Quam mox densior nebula comitari cœpit, cujus adumbrata suffragio, a nullo mortalium obviata aut visa, ad socrum suam, ducissam Crzymislavam, in arcem perveniens, illi se, quasi de cubiculo vel aliquo altero habitaculo egressa foret, obtulit. Quæ suæ absentiæ diuturnas moras obliteratum ducens b, non solum illam non argutam, aut increpitam reliquit, sed nec inclementi verbo appellavit, rata illam nullibi locorum extra arcem digressam, intra parietes constitisse; virtute divina uni nebulosam umbram, alteri oblivionem subministrante. Socrum deinde suam, ducissam Grzymislavam ad ecclesias progredientem comitata est, per omne tempus, quo rem divinam agi contigit, pro tam notoriis beneficiis, quibus cœlesti præveniebatur favore, supplices omnipotenti Deo persolvebat gratiarum actiones.

E

b

F

ANNOTATA.

a Corcinium, *urbecula est Poloniæ minoris in palatinatu Sandomiriensi ad Vistulam flavium*, 38 *mille passibus ab urbe Cracoviensi in Ortum*, *ut vide sis apud geographos*.

b *Id est*, oblita, *ut patet*.

CAPUT V.

Caritas ejus et misericordia erga leprosos, aliosque; triplex de diabolo victoria per signum Crucis.

Leprosis, etc. inservit, cum nausea pedissequarum.

Visitatione ecclesiarum frequenti nocte et interdiu, eleemosynarum largitione liberali, mace-

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

maceratione corporis per abstinentias plurimas et jejunia virgo beata Cunegundis ceterisque pietatis operibus pro consequendo virginitatis lilio et pudicitiæ integritate non contenta, leprosis, eonfractis, debilibus, cæcis, claudis, morbidis, et quibuslibet valetudinariis aut aliquo morbo vel languore gravatis se ministram et famulam argumentosam *a* gerere cœpit: quidquid enim temporis eontemplatio vel oratio non absumpsit, id totum, eorpore curato, ministerio leprosorum, infirmorum, et quarumlibet miserabilium personarum datum: domos siquidem leprosorum et hospitalia languidorum ingressa, putredinem ulcerum et saniem morborum fœtoremque vulnerum et loca leprarum sine aliqua nausea, fastidio, vel horrore attrectabat, propriis [manibus] exprimens vel educens fimum, saniem, et putredinem, et ulcera, aut vulnera suis pannis alligans; infantes et debiliores cibis delicatioribus reficiens quos, suo edulio subtrahebat. Contractos vero et quoslibet invalidos ad secessus et ad naturales egestiones deportans, sedulitatem erga illos et altissimam pietatem [exercebat;] felicem se rata per omnia, si quod obsequium gratum et officiosum pauperibus, orphanis, leprosis, aut infirmis exhibituram monstravisset. Intuebantur matronæ et virgines pedissequæ suæ tam profundæ humilitatis ipsius officia, quæ nonnullis earum excutiebant lacrymas, nonnullis, et quæ magis fastuosæ, arrogantes et delicatiores erant, nauseam ingerebant; propter quod illius eommunionem et obsequia magnopere, et præsertim eum in leprosarias et hospitalia illam conjecturabantur descensuram, conficta aliqua occasione, devitabant.

Leprosum horridum curru et sinu excipit,

48 Dum autem cujusdam diei tempore eum socru sua ducissa Crzymislava ex oppido Korczyn in oppidum Paczonow *b* faceret iter, leprosus quidam, fœtore, et ulceribus horridus, in universo corpore lepra circumdatus, ad hæc insuper sordidus, et propter nimietatem lepræ a eetcrorum consortio abjectus et sequestratus, illi occurrit. Quem eum universi horrendo fugerent, suosque, ne illum intuerentur, tegerent vultus, virgo beata Cunegundis hunc sibi servatum, et ad se pertinere æstimans, vehiculum, quo vehebatur, stare jussit. Cujus primum contemplata lepram, deinde miserata conditionem. Quam durissimum, inquit, animæ et corporis sustines cruciatum; eo ampliori a me dignus miseratu, quo a singulis te et spretum et seclusum iri video, miserationem utinam consecutura ab eo, qui pro me redimenda se veluti loprosum, ob flagella quæ pertulit et verbera, exhibuit. Hæc fata, illum in currum, deinde in sinum locat, virgineis et delicatis articulis corpus fœdum et sordidum contrectans, curans, reficiens et eontegens.

cachinnos comitum et opprobria temnens

49 Altius hujus sui operis fastidium et nausea in pectus omni [comitatui] matronarum et puellarum, quæ secum una curru vehebantur, quam quisque retur, ascendit; et quasi se pollutas et infectas leprosi tam horrendi contubernio, nec tacite quidem, querebantur, cachinno pleræque, ceteræ murmure et querelis illam aversa faeie, et contecto ore insectatæ: Quid, inquit, agis, o Domina, et quam fœdam sordem tibi et nobis imprimis, nulla humanitatis patientia tolerandam? Sed esto, libeat tibi tantarum sordium contrectatio; nos illam de eetero sine nostræ valetudinis periculo non possumus sufferre, eonsortia tua non solum in eibo potuque vitaturæ. Tulit hæc improperia virgo Cunegundis non solum æqua et libera, sed etiam patienti et hilari mente; et pro opprobriis ingesta in solatium eonvertit, spiritu fortitudinis contumelias hujusmodi et detractiones, derisiones quoque innumeras, tolerans atque pervincens; at zelo cumulatiori opera misericordiæ in singulas miserabiles personas edens, corroborans et extendens, humanas molestias et improperia nihili pendens, dummodo sibi pietatem divinam placatam effecisset.

Nosocomia et leprosorum domos noctu visitare solita,

50 Satagens autem virgo beata Cunegundis sub præfati biennii tempore caritatis suæ funiculos, qua illam Spiritus Domini impleverat, dilatare, et operum suorum fragrantiam pro honore Dei omnipotentis et ædificatione proximi intendere, ad singulorum oppidorum, civitatum et castellorum, in quæ illam descensum facere contingebat, hopitalia et leprosarias sub noctis profundæ eonticinio, visitationem, paucis comitata matronis, peragebat; quas etiam, ne onus noeturnæ visitationis et vigiliarum laborem molestius ferrent, specialibus largitionibus subarrhabat, popularem auram et adulantium palpationes sub caliginosa nocte facilius vitatura, quæ omnium suarum actionum et operum non alium quam Deum desiderabat fore testem et inspectorem.

frendentibus diabolis,

51 Vetus itaque humani generis hostis diabolus, sanctorum suorum operum cruciatus livore, dolens insuper, se et suas suggestiones ab infirmo sexu et ætate imbecilli eonfusum iri, et amplius se conjecturans confundendum, multa illi conatus est subministrare impedimenta fallacia et insidiosa, quibus illam pro sua conditione mille mæandris [ac] versutiis posset subvertere a sanctis operibus et abstrahere. Verum cum illa, singula ejus machinamenta et dolos firmissimo robore interioris hominis pervincens et calliditates ipsius, non ut tiruncula, sed in omne pretium expedita superaret, ille non jam pugnatrici tam animosæ et strenuæ, quam sibi victo et amplius vincendo iratus, invisibili prælio, quo hactenus contra Sponsam Christi sudaverat, omisso, ad visibilem pugnam se totus convertit; ratus, se eo genere pugnæ, postquam alia secus cesserant, Christi Virginem Cunegundim facilius debellaturum.

quorum larvas signo crucis dispellit Beata.

52 Dum igitur in Sandomiriensi oppido, solito suo more, virgo beata Cunegundis sub noctis medio de arce agressa ad visitandum languidos, leprosos, pupillos et contractos ad hopitale pergeret, magnus canum grex, rabidos se simulantium, illam et paucas comites suas impetu gravi et vehementi ex omni parte, amictus illarum et corpora dilaniaturum se minitans, invasit. Quare etsi comites suæ, magno pavore concussæ, succlamassent, virgo tamen beata Cunegundis nec speciem alicujus timoris præ se tulit, nec in aliquam vocem erupit; sed velut fortissima præliatrix, intelligens, quorum hostium illa, quæ se ostenderat, foret acies, scutum fidei arripiens, signo crucis se et suas comites eommunit; et repente rabida illa canum eohors virtute salutari

coutrita

A contrita disparuit, et virgo Domini Cunegundis majori devotione, hostibus victis, opus suum peregit.

idque iterum, 53 Altera deinde vice et in eodem Sandomiriensi oppido, hostis callidus, non valens quiescere, nova contra illam bella instaurat, et quasi aciem fortiorem, qua vinci posset, ex insolitis bellatoribus ordinat. In hospitale enim ex more per noctem procedenti porcorum illi pene innumerabilis grex ex adverso occurrit, et horrendum grunnitum in Sanctam et ejus comites edidit. Sed et hoc spectaculo Virgo Domini, stupentibus comitibus et ab ea se tutari poscentibus, in nullo territa, lorica spei induta, visionem illam spirituum immundorum in animalibus suapte immundis sese ad terrendum ostendentibus, signo victorioso extenso effugavit; et in destinatum locum procedens, caritatis opus miserabilibus personis in contritione mirabili solicite exegit. Reparare autem se malignus spiritus, bis jam victus, bisque confractus et concussus, Virginisque beatæ calcaneum enervare exæstuans, B novas copias, quibus Virginem Christi invaderet, comparat. Obmissis autem irrationabilium bestiarum, quibus se ad terrendum Virginem beatam transformaverat figuris, habitus rationabilium animalium pro tertio congressu assumit, potentius se prælium illaturum confidens, et certiorem victoriam ex Christi Ancilla relaturum.

ac tertio, 54 In Cracovia siquidem dum juxta solitum morem sub intempesta nocte ex castro Cracoviensi descendisset, leprosos et infirmos visitatum; et longius illi ad ecclesiam sancti Spiritus per plures plateas restaret iter, nondum Castrensem plateam transgressæ, cohors copiosa et frequens hominum armatorum in eam incurrit, fremitum ingentem et collisionem armorum, quasi illam et comites prædabunda, prætendens. Terruisset tam ferox et minax nocturnalis apparitio etiam sexum robustiorem. Verum ancilla Christi Cunegundis, non secus quam si mures vidisset aut ranas, nec animo mutato nec vultu, intrepida mansit; quin etiam comites suas, ad occursum tam horrendi spectaculi grandi metu perculsas, et pene sensibus amissis emortuas, C irrisit reprehenditque, dicens: O modicæ fidei sociæ! Cur tam subito, et tam ingenti pavore ad aspectum umbrarum fictilium concidistis, armisque Christianæ militiæ abjectis, timidas vos et pene victas ad solum aspectum monstravistis? Resumite vires, et ponite metum. Neque enim spiritus hi, quos cernitis, majores aut potentiores sunt in specie humana quam murium aut ranarum, nec terribiliores armis quam sibilo, ad unius salutaris signi impressionem, quo dudum a Redemptore nostro victi sunt, mox nobis, quæ supernorum civium vallatæ sumus custodia, cessuri.

cum victi toties, infestare eam spectris desinunt. 55 Nec mora, jacto signo crucis, omnis illa dæmonum caterva, adulterina effigie, quam ad terrendam Ancillam Christi ementita fuerat, deposita, confusam se et victam testata, ex oculis Cunegundis et suarum comitum evanuit. Et Virgo Domini in magna hilaritate et exultatione sui spiritus cœptum iter suum prosecuta, tanto ardentiori pietate et religione membris Domini opus caritatis et visitationis impendit, quanto ampliori solatio Jesu Christi in superandis tenebrarum principibus se mirabatur plerisque vicibus jam adjutam. Tribus autem suprascriptis occursibus et tentationibus dæmoniacis sub triplicibus formis, canum videlicet, suum, et prædonum, quibus rectissime conditio et actio sathanæ exprimebatur, ab ancilla Christi Cunegundi debellatis, non addidit ultra nequam spiritus per visibiles formas illi struere terrores et insidias, fœdiorem in se et suis confusionem et vituperium reformidans suscepturum. *AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.*

ANNOTATA.

a *Id est*, industriam, solertem, ingeniosam. *Adi Lexica Macri et Cangii.*

b Paczonovia *oppidulum est, juxta Zeillerum, in palatinatu Sandomiriensi.*

CAPUT VI. E

Obsequia ejus in Nosoeomiis; miraculum lepræ per osculum sanatæ; mortificatio carnis; prorogatio virginitatis ad annum tertium.

Sed et illud in Ancilla Christi altum et rarum humilitatis relucebat specimen; leprosarias etenim atque hospitalia, domos quoque et tuguria egenorum atque leprosorum ingressa, omnia otia, confabulationes et vanitates abjiciens, officia circa omnes æquanimiter, nullum pertæsa, curabat intendere: et his quidem lavabat capita; his de morbis educebat saniem; his de ulceribus putredinem exprimebat; illis vulnera ligabat; horum attrectabat scabiem aut lepram; illos cibabat; hos potabat; plerosque ad secessum, aut regendo gressus eorum aut in suis scapulis, deducebat; nonnullis, adhibitis unguentis, curationem adhibebat. Et pro varia ægritudinum aut necessitudinum conditione varios singulis impendebat famulatus. Sæpius gravi languore et fœtore horribili confectos suis humeris in secessum efferens, et purulentam fluentium morborum saniem extergens, manu deinde sicca illos cibans, spirantes reficiebat umbras. Elargita deinde in singulos eleemosyna, et universorum exosculatis pedibus ulceribusque, tum demum fessa et anhela in arces aut curias suarum habitationum remeabat. Erat autem hæc sua præcipua cura et observantissimum studium, ut, dum ceteri mortales se quieti et sopori dedissent, hæc circa membra Christi operosius laboraret, et sedulitate admirabili singulorum egenorum profectibus profunda commiseratione deserviret. *Sedulitas ejus, humilitas, caritas rara in ministerio ægrorum.* F

57 Tegentem autem famulam et virginem Christi Cunegundim suas actiones et opera, et omnifarie illa nitentem adumbrare, ne ex illis quantulamcumque meritorum partem, si vulgatæ prodirent in patulum, antiqui hostis versutia decerperet, *Arguitur de afflata alicui per osculum lepra et hydropisi:*

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

cerperet, miseratio divina in multorum ædificationem suæ sanctitatis jubar, jam tunc mirabiliter radians et scintillans, prodidit; ut mirabilis ipse et gloriosus in Sancta sua prædicaretur. Dum siquidem Virgo prædicta uni ex matronis nobilibus, quæ apud ipsam et socrum suam ducissam Grzymislavam in obsequiis morabantur, Przeczslavæ nomine, vultum habenti horridum et turgentem, ex caritatis et solatii officio osculum impressisset, extemplo os et facies Przeczslavæ adeo rubuit intumuitque, ut gravi lepræ et hydropisis morbo ab omnibus circumstantibus percussa esse videretur. Sed et ipsa Przeczslava, dolore et morbo se invasam ex impressione osculi sentiens, post amaros fletus, suspiria et gemitus ab imo cordis uberrime effusos, etiam Sanctam Dei pluribus maledictis et convitiis, cur se deosculasset *a*, et tumorem atque lepram suo osculo illi procurasset, cœpit vehementius, stimulante dolore et rei tam novitate quam asperitate, insectari.

iterum ergo eamdem personam osculans sanat subito.

58 At ancilla Christi Cunegundis, improperiis illis nihil mota; sed, dum sufficeret offensam remittere, adjecit insuper et caritatem: dolori etenim prædictæ matronæ Przeczslavæ, quo nimium anxiabatur, compassa, iterum in vultum præfatæ Przeczslavæ, quamvis ex tumore et lepra horribilem, osculum dedit. Et continuo omnis tumor omnisque lepra cessit osculo; et ad tactum osculi, non secus quam ad imperium, evanuit. Tum quoque Przeczslava, reatu suo et beneficio virginis Cunegundis recognito, ad pedes ejus provoluta, et gratias de præstita valetudine illi habuit, et facinori suo humiliter veniam dari rogavit; quam virgo Cunegundis, etiam prius, quam rogaretur, respondit se dedisse. Ex eo autem facto omnium, qui aderant quique viderant, stupor et admiratio pectora pervasit, ancillaque Christi Cunegundis in cultiori veneratione haberi cœpta est et universorum sermonibus celebrari.

Vestes pretiosas gestare jussa, sub his cilicium induit;

59 Et quamvis ab infantia, imo ut verius dicam, ab ipsis incunabulis purpureas et delicatas vestes haberet contemptui, in annos tamen discretionis perveniens, dum jam duci Polonorum Boleslao foret nupta, et præsertim sub ipso biennio, ad fruendum virginitate a sponso suo concesso, validius omnem corporis ornatum, omnesque auro et ostro superbas cœpit execrari vestes, et tam feriatis quam solenuibus diebus, vilibus amiciri; non ignara, quantum vilitas vestium virtutibus adjiciat, splendor detrahat. Sed cum tam socrus sua, ducissa Grzymislava, quam sponsus ejus Boleslaus, Polonorum dux, rem moleste ferrent, quod Virgo regia et nova nupta tam immature omnem a se vestium cultum abdicasset; ipsamque ad splendidum amictum cogerent, illa prudentissimo et cauteloso acta ingenio, ne socrus suæ et sponsi jussa inobedienter negligeret, vestes quidem auro et gemmis fulgentes ab extrinseco induit, ad carnem vero nudam cilicium ex pilis equinis copiose contextum applicavit; illoque assidue per dies et noctes usa, opprimebat incentiva libidinum, carnemque reddebat spiritui obedientem et servilem.

60 In ea insuper austeritate carnem constrinxerat cilicino amictu et verbere virgarum, ut fere noctibus singulis corpus tenerrimum et delicatum redderetur cruentatum; intelligens, castigationem hujusmodi carnalem, ad propulsandum dæmonum suggestus et rescindendum carnales illecebras plurimum conducere, simulque reputans supplices preces pro retinenda castimonia et virginitate ad Dominum cœli frequentius effusas et effundendas sub carnis maceratione tam rigida benignius exauditum iri, nec obsecrationes suas, pro castitate mentis et corporis interpositas, lacrymas et cruorem cliquantes, posse recidere ad irritum.

cui addit quotidianas fere et cruentas flagellationes.

Aspera ejus et crebra jejunia, fercula ad ægros missa.

61 Addidit et aliud domandi carnem virgo beata Cunegundis genus, ut caro ipsa geminata castigatione correpta, etiam in levibus, illecebris lascivire desineret. Mercuriales itaque et Veneris dies, sed et singulas beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, item Apostolicas, sanctorum Joannis Baptistæ, Joannis Euangelistæ, Laurentii, Nicolai, Martini, Catharinæ, Margaritæ, Dorotheæ, Magdalenæ, et plurimorum Sanctorum et Sanctarum, vigilias; quatuor temporum, et quadragesimales, et adventus Domini dies sub magna et rara abstinentia peragebat; frequentius nonnisi atro pane et lympha pura contenta abstinentiam ipsam usque in vesperam et solis occasum producebat. Si quæ vero injussu suo ad illius refectionem, operante socru sua aut Boleslao duce sponso, ordinabantur, singula per fidos ad hospitalia remittendo dispensabat nuncios, et in visceribus egentium et miserabilium recondebat personarum, abunde se satiatam contestans, si illorum rugiens fames sedaretur.

Anno secundo virginei conjugii elabente tertium flagitat;

62 Biennio integro sub observatione virginitatis et pudicitiæ, in frequenti tamen et duro certamine extrinseco et intriuseco, per virginem beatam Cunegundim exacto, cum crebra pugna intra mœnia et extra debellatus foret vetus hostis; et fine anni secundi secuto, tertii anni instaret principium, [ac] maximo fervore et æstu Boleslaus, Polonorum dux, post tam longam præstolationem et moram, speraret se atque disponeret in sponsæ suæ virginis Cunegundis transire amplexus, atque eam de reddendo debito instantius fecisset requisitam; tum illa ad genua Boleslai ducis, sponsi sui, provoluta, et in crucis modum solo prostrata lacrymas precibus miscens [oravit], ut illum quoque tertium annum duobus transactis adjiceret, et pro honore almi Johannis Baptistæ, ad consequendam singularum suarum rerum tam publicarum quam privatarum prosperitatem, in pudicitia et castitate transigeret; triennali quoque castimoniæ observatione se verum et catholicum principem verumque benedictæ Trinitatis cultorem monstraret, plures quoque alias causas et respectus, libertatem virginitatis et pudicitiæ vindicatura, subnectens.

sed iratus ad hæc sponsus eam omni modo flectere conatur.

63 Erat Boleslaus dux in effundenda castigandaque ira moderatus princeps. Injurias quoque non sentiret eo nemo magis. Tunc tamen choleræ indulgens et supra, quam quisque retur, se spretum et delusum iri dolens, ex aula ferox et irarum plenus, nullo responso ad petitionem tam submissam et humilem sponsæ suæ virginis Cunegundis edito, nimia celeritate, bilem etiam in vultu, et in gestu præferens, discedit, de cupiditateque

A tateque sua explenda nihil remisit. Nec discessisse ex aula contentus, in loca remotiora principatuum suorum abit ; in illisque anni medietatem sequester consumit. Defluente tandem ira, et ad mitiorem habitum Boleslao duce reverso, conspectum nihilominus suum et communionem virgini Cunegundi subduxit, novasque artes, novaque ingenia, ut Virginem Christi pro suo inclinaret consensu, per reliquam anni illius tertii medietatem moliri cœpit ; omniaque in id citra vim experiebatur, quibus animus Virginis inflecti posset (ceterum omnes artes frustra erant : illa enim in proposito constantissime perseverabat :) loqui enim cum illa per se dedignatus, illi nuntiari per frequentes nuntios jubet, in ejus se locum plures pellices, si matrimonii jure subesse sibi detractaverit, suscepturum, et illarum se tam contubernio quam amore usurum : videret ipsa et appenderet, tam suum quam sponsi sui scelus ad se amplius quam ad sponsum redundaturum fore : ipsa enim negante debitum, et varios modos variaque subterfugia et ingenia ad
B eludendum jura sponsalia exquirente, cogeretur ipse in fornicationes declinare et adulteria, et in aliarum feminarum transire concubitus ; sed et necessarium futurum fore, ut dux ipse aliarum mulierum illaqueatus consuetudine et abusu, ipsam invisam et exosam habeat, et difficulter, vel numquam, possit conjugalem amorem repetere, etiam ipsa suam voluntatem corrigente.

ANNOTATA.

a *Imo potius* deosculata esset ; *sed jam dixi, me talia negligere, cum satis intelligantur.*

CAPUT VII.

C *Constantia ejus in proposito virginitatis validissime sed frustra, impugnata.*

Sponsæ constantiam expugnare nititur Boleslaus,

Tulit hos terrores hasque denuntiationes ducales Virgo Christi mente forti ac libera ; ac femur suum gladio continentiæ cingens atque coarmans, patientiæ scutum contra hujusmodi tentationes et machinamenta ducis et sponsi sui mira patientia, miraque benignitate opponebat ; denunciantibusque respondebat, cognitam sibi ducis et sponsi sui virtutem fore, nec commissurum, ut se et nobilem animam suam cum corpore adulteriis et illecebris carnalibus, perpetuum sibi et nomini suo dedecus inusturis, sordidare sustineat. At dux Boleslaus ingenium id, quamvis forte et callidum, nullum sibi et intentioni suæ profectum attulisse videns, alia rursum arte Virginem regiam pro suo consensu, vim cupidæ passionis molestius ferens, fatigare molitur.

65 Confessorem enim virginis beatæ Cunegundis, et apud quem ipsa suarum transgressionum deponebat reatus, conveniens, longo oneratum et persuasum sermone, ad Virginem Christi transmittit, tam consiliis quam minis ipsam ad res matrimonii inclinaturum. Qui ubi advenit, fortibus rationibus dudum ante præparatis et conquisitis Ancillam Christi vehementer urgere cœpit ; ut, postquam ex utriusque sui parentis assensu Boleslao, Polonorum duci, nupsisset, et ipsum in virum et maritum publica professione desponsasset, exspectationi suæ amplius non illuderet ; nec spem ejus et regni procerum, successorem ex ejus utero nasci sibi sperantium, de cetero frustraretur ; in generatione filiorum salutem sibi tam temporalem quam æternam promeritura, et regnum sponsi ab orbitate vindicatura. Protulit post hæc ille plurimas ex libris divinis auctoritates, variarumque Scripturarum silvam ; quibus fortissime persuadebat, castas generationes castaque conjugia sæpenumero omni cælibatu præstantiora exstitisse, et in altius meritum decusque quam continentiam evasisse. Sic Saram Isaac ; sic Rebeccam Jacob ; Rachel Joseph ; Jochabed, Aaron et Moysen ; Annam sanctam Samuëlem ; Elisabeth Zachariæ magnum E Joannem Baptistam, et quo inter natos mulierum major surrexit nemo ; Helenam cæsarem Constantinum, feminas sanctas filios generasse illustres, et suo germine luminaria in firmamento cœli lucentia protulisse, sua fœcunditate cœlos replevisse.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO. per Virginis confessarium, qui eam exemplis

sed maxime per legem conjugii, deterret a proposito.

66 Quod si hæc tibi externa et peregrina forte videantur exempla et oppositiones ; tempus gratiæ a tempore Legis remota distantia discretum esse, cum maledictioni fuerit quilibet sterilis in Lege obnoxius ; Apostolus autem, electionis vas, in cœlesti edoctus schola, apud aures singulorum, legem gratiæ sortitas, super virginitate intonet, et altissimo præconio illius excellentiam laudet, et habentes uxores admoneat, ut juxta se gerant acsi non habeant : at ego tibi ex prosapia generis tui duas sanctas et insignes feminas, Heduigim et Elisabeth producam, alteram aviam tuam *a*, alteram materteram *b* : quarum utraque etsi in maritales jussu parentum actu transivissent tædas, et filios procreassent et filias, nihil tamen earum sanctitati aut merito decerptum est, quin F in triumphanti et militanti Ecclesia, prodentibus illas signis et prodigiis, magnæ et gloriosæ habeantur, judicio et consensu singulorum in Sanctarum numerum translatæ. Quod si his omnibus non moveris, sponsionem certe tuam ante oculos tuos tibi propone, qua ducem Boleslaum in sponsum desponsando, viri te alterius [voluntati] atque potestati substravisti. Nubendi quidem et non nubendi apud te consistebat voluntas ; qua quum perfuncta es, non habes de cetero liberum volatum, quæ nubendo virginitati connubium prætulisti, et in viri tui transivisti imperium et ditionem, non amplius illi calcitratura.

a b

Hæret anxia primum Virgo ;

67 Penetrabant hi tam rigidi atque importuni fortesque sermones usque ad medullam pectusque Ancillæ Christi ; mira feriebant anxietate, atque tirocinia Virginis sanctæ magnopere quatiebant. Affligebaturque Famula Dei hinc metu amittendi thesauri, hactenus magnopere custoditi et defensi, nullo umquam tempore, modo,

vel

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

vel ingenio reparandi; illinc transgressione sacramenti. Quid tamen ageret; quo se verteret Virgo Dei, penitus ignorabat : nam neque ullo pacto volebat virginitatis lilium amittere, et fructum centesimum in tricesimum commutare; neque satis putabat tutum voto solenniter præstito contraire, et suasiones sui confessoris atque mandata, quibus illam ad vota sponsi implenda coarctabat, inobedienter negligere. In seipsa itaque multa volvens, sibiipsi persuadebat dicens : Nunc, o Cunegundis, animo opus est, nunc pectore forti.

mox tamen confessarii argumenta confutans,

68 Solerter autem confessoris sui rationibus et persuasionibus respondens, refellebat; non se beatis cognatis suis Heduigi et Elisabeth, feminis sanctis et fortissimis, et quæ conditionem mortalitatis, hoste triplici superato, jam excesserant, comparandam fore, velut imbecillitatis et infirmitatis suæ consciam; nec ad carnales trahendam illecebras, sacramento matrimonii honestandas; ne semel gustata libido dulcescat, fomitemque, difficulter vel numquam rescindendendum, struat, gastrimargiaque pudicitiam absorbeat : incertum denique fore, si filiorum generatio proventura sit, an ne *c*; ob quam unam, etiam certitudine, quam præstare potest mortalium nemo, habita, impium foret et execrabile virginitatis laureolam pro fœditate commutare nuptiarum. In modum hunc fortes et urgentes confessoris sui persuasiones refellens, et rationes per eum adductas potenter revincens (cum illius puritas, Dominico semine fœcunda, centesimum fructum referat, post fata cineresque coronam immarcescibilem perceptura; hujus etiam onerosa conditio frequenter in lolium sterilesque avenas degeneret, finem in morte suarum voluptatum habitura : ibi vasa aurea in honorem; illic testea in contumeliam fabricata : vincula insuper matrimonii asperitatem habeant veram, jocunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem) improbam persuasionem ejus detestata, sacerdotem e contra orare cœpit, ne sibi turpe aliquid et ejus animo indignum suadere pergeret:

hominem jubet facessere;

69 Meliora, inquit, sacerdos Dei, mihi recense; melioribus me monitis ad servandam, non prodendam, virginitatem impelle : et a libidinis potissimum fervore pectus sponsi mei potius cohibe. Avoca animum tuum et sponsi mei ab hisce pravis et sordidis cogitationibus. Redite ambo ad sanitatem; desinite vexare et urgere vas divinitati devotum ad corruptelam. Recogitet vestrum uterque, quantum sit nefas, virginitate me mea spoliari. Te vero mihi hujuscemodi suadere, supra modum admiror; qui cum virginitatis assertor esse debueras, nuptias dementer concilias. Desine igitur posthac de his rebus apud me verba facere. Malo enim proprius *d* omnia perpeti, quam virginitatis meæ decus incestatum iri. Ego cor meum et corpus meum et virginitatem meam Deo dicavi; dicatam conservare statui. Cave ne fœdera Veneris præstantiora, quam candida virginitatis lilia ducas. Mors enim mihi Venus est. Sola est mihi in cælibatu voluptas. Talibus responsis, juxta ac sanguini regio et templo divino conveniens erat, sacerdotem ipsum, a se, velut quemdam ignitum titionem scintillas pestiferas cientem, ac nuptias præferentem virginitati, effugavit.

qui cladis suæ denuntiatione Boleslaum percellit,

70 Ex eo tempore non se confessor ipse reparare valens, numquam illam cum rationibus aut Scripturis nuptias conciliaturus aggredi substinuit, sed ad ducem Boleslaum reversus, cuncta, quæ ad emolliendum eam protulerat, quibus sermonibus et orationibus in illa persuadenda sudaverat, quibus denique responsis efficacibus suas persuasiones Virgo Christi solerter confutavit, ex ordine enarravit; subinferens, constantissimum illius animum nullatenus posse frangi, neque a virginitatis proposito abduci. Vehementius hac denuntiatione Boleslaus dux incensus, frequenti querela in consiliariorum et satraparum suorum auribus de illa utebatur, sortemque suam et regni sui plurimum damnabat, quod eam feminam pro conjuge nactus foret, cujus pudicitia successionem suam et stirpis suæ foret rescissura, nec relicturus ipse foret post se lucernam; sed principatus sui, eo obeunte, ad remotos duces reciderent.

et Poloniæ proceres ac vulgus omne.

71 Nec secus hujusmodi orbitate barones et vulgus omne movebatur; plures quoque et ipsi de hac re in conventibus publicis et privatis ingeminabant querelas, veriti, ne, sobole ducali deficiente, propter pluralitatem reliquorum Poloniæ principum, Cracoviensem, Sandomiriensem et Lublinensem principatus ambientium, motus novi consurgerent, darenturque ipsi, et ducatus a Boleslao possessi, his qui de ipsis ambitioue malevola gauderent in direptionem et in prædam; revivisceretque atrox civile bellum, quod annis pluribus sub tempore ejusdem Boleslai ducis, nondum epheborum ætatem transgressi *e*, in Cracoviensi, Sandomiriensi et Lublinensi principatibus inter Conradum Mazoviæ ab una, et Henricum cum barba Vradislaviensem et Silesiæ duces, maritum beatæ Heduigis, ab altera partibus gerebatur, quorum uterque tutoriam Boleslai ducis contentiosa lite ad se pertinere arbitrabatur : Conradus quidem Mazoviæ, ut patruus germanus, propinquitate sanguinis; Henricus cum barba, Vratislaviensis dux, quod eum mater Boleslai cum puero et proceribus in tutorem delegerant, jure adoptionis.

Ultima Boleslai machina B. Cunegundi gravissima.

72 Intelligens ab experto Boleslaus Poloniæ dux, sponsam suam virginem Cunegundim universa sua machinamenta, et ea, quæ per confessorem Virginis, ad illam pro persuadendo missi, comparaverat, confracta et exinanita esse, unum aliud ingenium, quod apud illum residuum restabat, et quod [ad] pervincendum Ancillam Christi rebatur potissimum, molitur. Quamdam enim nobilem feminam, forma decoram, ad cubile suum publice et clara die, ancilla Christi Cunegundi inspectante, jubet introduci, quasi cubaturus cum illa, et pro concubina in sponsæ suæ Cunegundis opprobrium atque dedecus illa usurus, splendidisque illam ornaturus induviis. Et quo sui propositi molimina amplius Sponsæ suæ innotesceret, et se sibi perpetua abalienatione ostenderet iratum, omnem communionem tam mensæ quam sermonis, et quorumcumque actuum sibi subtrahit, nec umquam eam, juxta servatum morem, visitare, videre, vel alloqui dignatur; vul-

A vulgatque, se etiam ampliores pellices ad illius augendum facinus et ignominiam acciturum.

ANNOTATA.

a *Id est,* aviæ sororem : *avia enim fuerat Gertrudis, cujus soror erat* S. Hedwigis, *ut supra dictum cap.* 1, *num.* 16.

b *Seu potius* amitam : *nam* S. Elisabeth *Belæ IV soror fuit germana,*

c *Pro,* nec ne, *sive* an non.

d Proprius, *id est,* prius; *quo sensu vox hæc infra recurret sæpius ; suspicor tamen in autographo scriptum fuisse per compendium* pprius ; *ex quo amanuenses fecerint* proprius ; *cum in Historia auctoris nostri legi soleat* perprius ; *nolui tamen ego quidquam immutare in ecgrapho nostro, ita constanter ubique scripto.*

e *Anno scilicet ætatis decimo quarto, quo Boleslaus una cum matre sua jugum tutoris Conradi volens excutere,* B *in carcerem ab illo conjectus est primum cum matre; unde toto post anno et amplius elapsi, ad Henricum barbatum confugere. Hinc ea deinde bella exstitere, quorum mentio subditur. Adi auctorem nostrum in Historia sua Polonica lib.* 6, *ab anno* 1233, *et alios passim.*

CAPUT VIII.

Apparitio S. Joannis Baptistæ, ejusque prædictio; Boleslai conversio et renuntiatio juris conjugalis ; Beatæ lætitia ; gratiarum ad Deum et S. Joannem Baptistam actio; cautela imposterum.

B. Cunegundis undique destituta, ad Deum et SS. confugit;

Quid autem Virgo Christi contra hæc machinamenta ageret? Quibus modis substrata sibi dumeta contereret, prærupta reintegraret, penitus nesciebat. C In favorem enim principis Boleslai, a singulis se tam maribus quam feminis non solum contemptum iri, si quando se cuiquam personæ applicabat, videbat; sed quasi naufragio jactatam ad scopulum allidi. Restabat unum, ut in tot tantisque contumeliis, tentationibus et opprobriis, sibi subministratis, et amplius conjectura verisimili subministrandis, deseri se a Christo non posse confideret. Ad illum itaque tota mente totoque animo et corde confugiens, nocturnis atque diurnis precibus supplicabat, imbre lacrymarum admixto; ut illi misertus atque propitiatus, [ad] virginitatis decus in reliquum tempus conservandum mentem fortitudinemque tribueret; nec sineret illam ad machinamenta sibi objecta succumbere. Invitabat pro consequenda sua prece angelos; deprecabatur sanctos Prophetas et Apostolos; alloquebatur Martyres ; sollicitabat Confessores et Virgines, atque in illis ex nomine pronuntiandis plurimum terebat tempus.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

præcipue ad S. Joanem Baptistam ;

74 Inter universos tamen Sanctos beatissimum Joannem Baptistam et præcursorem frequenti fatigabat prece; illius se tutelæ, illius defensioni ac solatio, illius suffragio, illius gubernationi atque auxilio, tota mente et corpore commendabat. Tu, inquit, præcursor et Baptista Domini sacratissime, magno apud Deum polles munere; tu virgo; tu eremi cultor; tu martyr insignis; tu vates; tu lucerna; tu plusquam propheta; tu virtutis, et venturi in carne Domini præco; quo inter natos mulierum major surrexit nemo; ad supplicem tuam, tibi devotam, respice; et quo majoribus periculis atque tentationibus impugnatum iri aspicis, tanto ad defensionem meam celerius consurge, et tuæ virtutis decus ostende; in incude siquidem dilatavit me Dominus. Auxilio suo opus est ad subsistendum : quod tua intercessione atque merito, cui me totam devovi, assecuturam me non ambigo. Dum his obsecrationibus assidue insisteret, et e cœlo sibi auxilium præberi imploraret; dies Junii mensis quarta et vigesima, qua festum sancti Joannis Baptistæ a Christicolis festivatur, advenit. Cujus vigilia in magna abstinentia, juxta solitum morem, pane dumtaxat et pauxillo aquæ gustato, E exacta, sequentis etiam noctis tenebras pernox in oratione continua absumpsit, supplicibus precibus beati Joannis Baptistæ pro tuenda conservandaque sua pudicitia adjutorium postulans, suamque opem sibi jam adesse deposcens.

qui eam apparens consolatur,

75 Mirum in modum preces hujusmodi ingeminanti, et ora lacrymis atque suspiriis riganti, beatissimus Baptista Joannes, maxima coruscans luce et inæstimabili amictus splendore, visibiliter apparuit; et Ancillam Christi, famulam suam fidelem, blande alloquens, et optime de omnipotentis Dei suffragio, suo quoque patrocinio, sperare jubens : Animæquior, inquit, esto, Filia; constanter age; nil paveas : favet enim clementissimus Deum proposito tua casto, castarum mentium conservator ipse et custos; nec pudicitiam tuam labefactari permittet, quæ sibi in tui pectoris armario jucundum templum et holocaustum gratissimum præparasti, Grandem fidem tuam, grandem virtutem, grande et excelsum propositum, grandi et æterna retributione præmiaturus. F

prædicens, eam triduo post voti compotem fore, etc.

76 Nec divus Joannes simplice pollicitatione in fideli sua Clientula contentus, etiam certius illi addicit experimentum : Signum, inquit, certissimæ sponsionis meæ hinc accipe. Obvium habebis die tertia sponsum tuum, Boleslaum ducem, ad te in Castrum Novæ civitatis *a* venturum; *a* qui tibi de ecclesia egredienti occurret, et omni ferocitate, quam hactenus erga te visus est gessisse, deposita, mansuetum se et benevolum tibi exhibebit. Quæsiturus etiam tuum alloquium, excipiet te, et prior consalutabit; in gratiam tecum et reconciliationem, numquam postea dissolvendam, rediturus, nec de cetero convictionis a te exacturus debitum, sed prona et spontanea voluntate virginitatis et continentiæ decus tibi, et quidquid ab eo impetratum iri decreveris, liberaliter admissurus. Sed et singula, quæ in meo nomine petieris, scito, te indubie consecuturam fore. Audens itaque spera; audens pro tuis et aliorum necessitatibus interpella, fidum

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

dum me patronum et suffragatorem mirificum ante thronum Altissimi expertura. Hisque dictis, visio illa simul cum luce, quæ thalamum illustraverat, disparuit.

Revelationi respondit eventus :

77 Tam mirifica et efficaci visione ancilla Christi Cunegundis percepta, non in superbiam aut arrogantiam aliquam versa, neque fastu spiritus inflata, sed erga Deum et homines humilius, summissius et modestius se gerere, atque divinam gratiam manifestius sibi ostensam, cumulatius venerari promererique cœpit. Neque enim cassa aut phantastica illa visio fuit ; sed omnia, quæ series oraculi prædixerat, sibi provenere per effectum. Nam et in loco designato atque tempore Boleslaus, Polonorum dux, animadversa Virginis constantia, virgini beatæ Cunegundi occurrens, mansuetissimum se illi præbuit ; et superiori indignatione penitus abolita, et quasi numquam fuerit illi iratus, sponsam suam Cunegundim excipit, et casto favore pertractat.

nam Boleslaus ultro perpetuam illi virginitatem permisit.

78 Vicisti, inquit, mansuetudine tua iram meam, et omnes motus meos atque stimulos confregisti. Libertatem pudicitiæ et virginitatis, B postquam ita clementi Deo, et Superis, atque tibi visum est, dono ; sed et quæcumque ampliora a me petieris, non dubites tibi concessum iri. Tuis jam virtutibus non invideo, sed delector. Pudicitiam tuam, quam expugnare contenderam, de cetero tene : æmulatorem et servatorem me illius habebis, non osorem. Adoriar in reliquum, ut tibi in singulis morigerus efficiar ; et gratia Dei tecum, ut est, optabo in æternum maneat ; regnum etiam meum, quod et tibi mecum commune est, precibus et meritis tuis amplificatura, Tu vehementer exulta et gaude, ita Deum dedisse, ut cum tristi vultu, tristi quoque animo ad me accesseris, læta et compos voti a me abibis *.

* *lege* abitura sis

Illa Deo grates persolvit,

79 Compos sui voti suique desiderii Cunegundis virgo favore divino et sancti Joannis Baptistæ interventione in singulis, quæcumque optaverat, juxta oraculi edictum, effecta, opportunitate habita, in cubiculum suum reversa, oratorio adito, devotione ardenti magnalia Domini enuntiabat, et omnipotentiæ ejus gratias ingentes C agebat, dicens : Benedico te, omnipotens Deus, Rex omnium regum ; qui es magnus et mirabilis ; qui me ancillam tuam tentari permisisti, et in tentatione non deseruisti ; sed tuo sancto auxilio confortasti ; nec succumbere permisisti, sed miserationibus tuis maximis et frequentibus erexisti. Glorifico te : benedico nomen tuum ; qui flagellas et sanas ; vexas, ut erudias. Et nunc, Domine, quæso te supplex tua ancilla, ut miserationes tuas sanctas non amoveas a me ; sed cœptum tuum perfice in me ; et virginitatis atque castitatis excellentissima dona, quæ hactenus in me custodisti, usque in finem per meritum passionis filii tui Domini nostri Jesu Christi, et Genitricis ejus Virginis purissimæ Mariæ et sancti Joannis Baptistæ, et omnium Electorum tuorum intercessione corrobora.

et S. Joanni Baptistæ ; additis etiam votis.

80 In auctorem deinde sui voti et intercessorem magnificum, beatum Joannem Baptista, majori devotione et religione inardescens, solenni voto se astrinxit, vigiliam Sancti prædicti, in qua illi apparuerat, et fidele oraculum enuntiaverat, celebrem illi atque venerandam perpetuo D fore devovens ; insuper, se die illa, universis et singulis suis debitoribus se adeuntibus quaslibet offensas, injurias, et debita in sancti Joannis Baptistæ patroni sui decus et gloriam liberali et ultroneo animo dimissuram. Major, inquit, hæc dies est, in qua et omnipotentis Dei uberrima beneficia consecuta sum, et præcursorem Domini oculis carneis conspexi, quam ut excidere possit animo meo et memoriæ. Virtutem deinde præstitit verbis, et vigiliam beati Joannis Baptistæ in abstinentia et afflictione corporis et eleemosynarum largitione quotannis celebrabat ; fiebatque ad eam magnus ex omni ordine et conditione illa die hominum concursus, aut debita et offensas remitti, aut pro suis necessitatibus deposcentium apud Boleslaum ducem Poloniæ et ceteros magistratus intercedi : annuebat Virgo Christi singulorum precibus, et universa, quæ ex arbitrio suo pendebant, munifice et hilariter donans, ducem etiam Boleslaum et reliquos magistratus ad concedendum petita magna instantia fatigans pervincebat. E

Virginitatem porro humilitate munit et jejuniis.

81 Spiritu exultationis et lætitiæ Christo Domino et Genitrice ejus Maria, sanctoque Joanne Baptista ac ceteris Sanctis per laudes mirificas magnificatis, uberius tamen eodem spiritu eam adimplente, amplissimum virginitatis et pudicitiæ donum in statu conjugali se adeptum iri mirata, singulis diebus singulisque noctibus in meditatione suspensa, exultabat, et magnalia Domini, quæ illi provenerant, in armario pectoris sui disserens, altitudinem quoque divini consilii super se et salutem suam considerans, mira quadam dulcedine repleta, in stuporem et ecstasim vertebatur. Et, ne illi, sub tam celeberrima et jam altius vulgata castitate constitutæ, superbiæ aut elationis facinus (quod plerisque contingere noverat continentibus) posset subrepere, et sanctissimum ejus propositum et actum nobilissimum qualicumque arrogantiæ pulvere incrustare, studuit illud magno humilitatis robore, magno dejectionis et vilipensionis tenore, magnoque abstinentiæ et jejuniorum frigore efficere sibi firmum, stabile et perenne ; amissionem illius in pace verita, quod in prælio duro et diuturno servaverat. F

ANNOTATA.

a Nova civitas *olim dictum Corcinium,* (Korczyn) *teste Cromero lib.* 14, *et aliis. De Corcinio autem dixi supra in Annotatis ad cap.* 4, *num.* 41 *littera* a. *Nunc etiam* Neocorcinum *seu* Neocorcinium *dicitur respectu alterius Corcinii olim destructi, de quo vide auctorem nostrum in Vita loco citato.*

CAPUT

A

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

CAPUT IX.

Ejusdem silentium, preces, vigiliæ, stata jejunia, maceratio corporis, contemplatio passionis Christi, et Beatæ Mariæ Virginis; opera misericordiæ et mortificationis internæ.

Beatæ silentium nocturnum, vigiliæ et preces;

Cælibatum denique sciens sibi absque aliorum bonorum perfectione parum vel nihil profuturum, perpetua silentii lege ab occasu solis usque ad ejusdem ortum se adstringens, nulli umquam, quantumlibêt familiari sibi, viro aut feminæ, sed nec suo consorti Boleslao duci loquebatur; sed omnia omnino consortia collocutionesque et contubernia perosa, primas in oratione exigens tenebras, dulces cum Sponso suo cœlesti
B sermones in longum noctis extrahebat; nec secus quam fatigata sopore capiebat quietem; a qua se, priusquam in noctis dimidium veniretur, sequestrans, et, oculis licet repugnantibus, exonerans, ad solita orationum et meditationum studia remeabat: frequenter insuper totam noctem cum magna animi in Deum elevatione perpetuis vigiliis transegit: nec ob id tamen postero die, dum opus devotionis perageret, se præstabat hebetiorem.

aliæ asperitates et exercitia diebus Veneris et Sabbati, etc.

83 Et quamvis per singulos dies per singulasque noctes jejunio, vigilia, et cilicio carnem nobilem et delicatam ad obediendum et serviendum in omnibus spiritui assidue emolliret, et contumaciam illius virtutum et abstinentiarum [exercitio] vinceret sub quolibet tempore; in diebus tamen Veneris, velut passioni Christi, et in diebus Saturni, velut Beatæ Mariæ Virgini dicatis, eorumque noctibus, sed et in singulis diebus celebribus, acriora in carnem supplicia extendebat jejuniorum enim et vigiliarum, duri insuper strati, durique cilicii edomatione non contenta, fla-
C gello, asperos nodos ferro contextos habente, corpus virginale usquequo stillæ manarent sanguinis et nodos rubricarent flagelli, disciplinando coercebat, sub omni illo flagellationis tempore. Veneris die, passionis Christi omnem ordinem rememorans, et in diebus Saturni beatæ Virginis compassionem. Scriptam quidem habebat passionis Christi seriem, et Virginis Mariæ compassionem in codicillis, sculptam in tabellis, magis tamen in corde radicatam et fixam. Et dum oculis carneis passionis Dominicæ coram intueretur insignia, vivacius tamen illa mentalibus oculis pertractabat.

contemplationes passionis Christi, et compassionis Beatæ Mariæ Virginis.

84 Diutius autem circa aliquod passionis Dominicæ insigne per contemplationis extensionem immorata, non facile se in aliud poterat divertere, prioris dulcedine ita, ut ab eo vix seipsam divelleret, retardata. Passionis autem Dominicæ et Virginis benedictæ compassionis profunda reminiscentia dum illi crebros produceret gemitus, dum lacrymarum irriguos imbres illi excuteret, totam eam in alterum hominem transformabat, contemplationum illi subministrans studia, et admirandæ devotionis tam dulcedinem quam fervorem. Quibus illa concitata, non secus quam si speciosissimus sponsus suus Jesus Christi coram adesset, suo mirum in modum lætificabatur et incendebatur conspectu, ubi illum alloquebatur dulcissime, ubi illi pro suo et generis humani beatifica et admiranda redemptione gratiarum fundebat voces, ubi sibi perpetuæ continentiæ et virginitatis dari donum cum ceteris virtutum dotibus, abacto a se quolibet carnalis concupiscentiæ et motus incentivo et stimulo, supplici prece quam devotissime deposcebat, ubi illi labiorum suorum castos vitulos offerebat; clementiam suam divinam pro suis, et necessitatibus aliorum per meritum suæ passionis altissimum obsecrans et interpellans.

ad quas in omnibus recurrebat, adhibitis etiam propriis cruciatibus:

85 Et se primum gentemque suam et regnum Polonicum; deinde universam Ecclesiam fidelium per ejus misericordem voluntatem in salutem dirigi deposcebat. Nusquam enim alias, quam cum in contemplationem passionis Christi et compassionis Matris ejus incidisset, sentiebat se tam alta spiritus erectione attolli, et tam largiflua devotionis ubertate perfundi; propter quod in singulis tentationum suarum angustiis et casibus jugem ad stigmata Christi habebat recursum, multiplicem consolationis gratiam ex illis consecutura. Lasciviam corporis frigore jejuniorum, et flagellatione verberum, duriori quoque stratu, cilicino insuper edomata et in servitutem redacta amictu; ceteras quoque virtutes, quibus sanctitas vitæ et propitiatio divina per pietatis et misericordiæ opera conquiri solet, sibi domesticas et familiares, ut per consuetudinis assiduitatem, usus in habitum, et naturam verteretur, efficere satagebat. E

opera misericordiæ erga miseros et inopes:

86 Nullum siquidem largitionis aut officiorum genus in quemquam inopem publice privatimque omisit, peregrinos, advenas, pupillos, viduas, aut invitatos aut sponte ad se ingredientes, uberrimo congiario [a] aut refectione prosecuta. Ægros, leprosos, debiles et quoslibet necessitatem patientes frequentius visitavit, solatiis refecit, consiliis sublevavit, largitionibus singulorum mentes adimplevit, omnium se constituens ministram; F et ad privati hominis morem, in alendis et reficiendis egenis, pupillis, et desolatis, ac viduis se exercens; virtutis quoque exemplo ad similia pietatis opera ceteras incendens, expilationibus insuper publicis et privatis Boleslaum, consortem suum, Poloniæ monarcham, et Cracoviensem ducem, abstinere, et singula quæ sive officio sive judicio expedienda forent, caste illum ac sincere decernere monuit.

aliæ virtutes maxime pudicitia; unde et Boleslao nomen peperit Pudici.

87 Ardua profecto et difficillima invadens facinora, primam et summam omnium virtutum dominatricem virginitatem delegit. In qua sola adeo excelluit, ut nullis suæ ætatis suæque conditionis veniat comparanda mortalibus. Erat in ea naturæ ingens humanitas, suavitas, benignitas ac affabilitas, comitate sua ad se universos perliciens, per quam sibi decus et sempiternam propagationem nominis; consorti vero suo Boleslao, Cracoviensi duci, appellationem, nulli alteri regi aut principi Poloniæ contingentem, ut Pudicus in vita et post mortem vocaretur, innexuit.

AUCTORE JOANNE DUGLOSSO.

xuit. Mores illius graves, ab omni non dicam obscœnitate, sed ridiculo atque vanitate alieni fuere, ceterum mites, pudorem redolentes virgineum et qui benignitatem clementiamque potius haberent, quam præ se ferrent.

Patrocinatur oppressis in judicio :

88 Hæc non pro divitibus, potentibus et purpuratis solum; sed scrupulosius et tenacius pro oppressis et injuriam patientibus, probitatis et clementiæ edens signa, frequenter cum principibus, magistratibus, et judicibus in graves contentiones, simultates et odia, defensionem suam justam et strenuam opponens, pro illis incurrebat. Ad tribunalia quoque judicum ingressa, et, dum causæ pupillorum, egenorum, viduarum et quarumlibet oppressarum personarum tractarentur, coram adsistens, ne illas calumniarum fraude oppressum iri contingeret, fraudes, dolos et calumnias summovens et disserenans, quanta poterat ampliori cura providebat : nec ulla persuasione, largitione aut prece de sententia justi honestique potuit amoveri. Incredibili studio et caritate opem suam singulis efflagitantibus impar-
B tiens, pro maximis ducens deliciis, quoties alicui laboranti subvenit, quoties aliquem oppressum aut calamitosum levavit.

vestes pretiosas, etc. ecclesiis pauperibus distribuit.

89 Vestium omni et ornamentorum cultu splendidiori deposito, simplicem et neglectam vestem induta, nihil venustum, nihil elegans, nihil accuratum præter virtutes et vivendi disciplinam habere gestiebat. Nullus in eo gemmarum, unionum et ceterarum rerum, quibus illustrium feminarum ardere solet ambitio, poterat notari fastus aut nitor; sed vestibus et indumentis pretiosis, et omni supellectili regia, quam secum pro dote intulerat, et quam illi ducis Boleslai consortis sui liberalitas donaverat, aut in ecclesiarum ornatus et decora distributa, aut in egenorum visceribus sepulta, extremæ humilitatis et modestiæ se contegebat amictu. Beatissimi quoque
b Martini Turonensis episcopi *b*, contubernalis sui, Pannonii, juxta ac ipsa erat, genere, assidua meditatione ac memoria, quod in pauperem vi algoris constrictum in porta Ambianensium, catechumenus adhuc existens, dimidiam illi chlamydem partitus, egerat, opus prosecuta, ad illius
C quoque meritum se quandoque conscensuram, per gratiam pietatis divinæ æstuanti desiderio, quæ tot nuda et frigentia corpora vestisset, precabatur; præclare secum actum existimans, si, se despoliata, sponsum suum dulcissimum Jesum Christum in pauperibus et membris suis vestisset, præclare jam ab illo virtutum decoro amictu et stola immortalitatis in futuro præclarius amicienda.

Mortificatio ejus interior, et humilitas inter laudes.

90 Cum omnes ejus pietatem, clementiam, religionem, ingenium, sanctimoniam altis efferrent laudum præconiis, (ad colligendam enim cumulandamque Dei gratiam, et popularium benevolentiam atque favorem, nihil in qualibet sua prætermittebat actione) ipsa tamen sic interioris hominis in se prosternebat domabatque affectus, et auram humanæ laudis proculcabat; ut omnem terrenæ contagionis pulverem a suo propelleret eradicaretque armario; singulas animi sui illecebras, commotiones atque libinides adeo fortiter superans; ut numquam a ratione ad aliquam sensualitatem se detrahi permiserit, et animum munitum, præsertim contra luxum, avaritiam D
atque fastum tenuerit, frigore abstinentiarum macerans corpus, flammas in se libidinis et ætatis lascivientis consurgentes motus occidebat.

Venustatem oris deturpat.

91 Intelligens autem, de naturali forma et rara speciositate se a quam plurimis mortalium commendatum iri (quæ illi adeo eminenter per singulas oris et vultus partes insederat; ut propter staturam corporis, quæ illi erat propagata *c* et, c
recta, genarumque et oculorum rutilantem venustatem, et omnium membrorum speciositatem, facile in se omnium intuentium oculos converteret) infirmis hominibus occasionem scandali, consorti vero suo Boleslao duci Poloniæ incentivum carnalis concupiscentiæ ademptura, naturalem pulcritudinem sordibus polluere, et oris atque genarum candorem celte *d* verberando fuscare *d*
festinabat.

Aurum et gemmas in crucem ejusque ornatum vertit.

92 Omnium quoque ornamentorum cultum, a se prorsus abjiciens et excludens, illisque perpetuo abdicans, ardentes diadematum et unionum gemmas ad condecorandum salutaris patibuli imagines convertit. Erat illi corona aurea, pre- E
tiosis gemmis et lapidibus raræque magnitudinis margaritis distincta, in auri fulvi pondere gravis et magnæ æstimationis, qua tempora sui capitis in festis magis celebribus consueverat ornare; nec inter omnia ornamenta sua aliud erat æque insigne clenodium *e*, quod altiori pretio et mer- *e*
cede appenderetur; hanc quoque, ut cetera, virgo beata Cunegundis in omnipotentis honorem conferens, crucem ex illa fabricari et lignum Dominicæ passionis ex illa ornari disposuit, quam ecclesiæ majori Cracoviensi pro memoriali perpetuo atque perenni liberaliter donavit.

ANNOTATA.

a *Id est, liberali munere.* Congiarium *enim apud Romanos munifica erat largitio ab imperatoribus populo facta.*

b *De quo agendum* XI *Novembris. Ceterum res, quæ de illo subjicitur, vulgo satis nota est.*

c Propagata, *id est,* procera, *ut supra dicitur cap.* 5, *num.* 30. F

d Celtis *ferrum dicitur aptum ad sculpendum. Cangius.*

e Clenodium, *id est, cimelium ; vox in Actis Sanctorum satis hactenus frequens.*

CAPUT X.

Vestium neglectus, earumque distributio ; affectio erga religiosos ; discretio inter prædestinatos et reprobos ; devotio erga sacrificium Missæ, et vitæ Christi mysteria.

Vilitas in vestibus; earum in pauperes distributio, cilicium.

Vestem insuper quamlibet, cujus amictus eam commendabiliorem efficere potuisset, non secus quam colubrum fugiebat, illiusque horrebat

A bat indumentum. Si quando vero vestem aliquam cultiorem induisset, et exinde gracilitas qualiscumque aut venustas illi inhæreret, continuo detractam in viduas et pupillos erogabat. Omnem siquidem extrinsecum habitum perosa, ad hoc unum omne suum studium conatusque converterat, ut interiorem ornatum, quo soli cordium placeret inspectori, venustiorem assidue pulcrioremque efficeret ; ut in ea ad litteram David vaticinium compleretur : Omnis gloria filiæ Regis ab intus. Frequenter quoque ad hoc unum vestes ducales pro se sarciri jubebat. Eo denique respectu illis amiciebatur, ut opportunitatem sibi præbitam haberet eas in pauperes et inopes distribuendi. Non enim magnopere Virgo Christi curabat, in quo genere vestis, culto videlicet vel hispido incederet ; quippe quæ sub aureis et ostro et purpura superbis vestibus cilicina toga ad carnem induebatur ; sed ut in pauperes Christi crassiori liberalite uteretur ; ut eo quoque sibi compararet meritum, in quo alii sibi thesaurizant delictum.

B

Pietas in religiosos ordines, maxime Clarissarum,

94 Tenebat virginem Christi Cunegundim assidua solicitudo atque cura, ut viris religiosis et virginibus Christo dicatis in singulis eorum necessitatibus subveniret et ministraret, nihilque illis deesse sineret ; frequentabat quoque eorum domicilia, monasteria atque loca, spiritualem ædificationem ex eorum sumptura colloquiis et unicuique obsequium aut sumptus præbitura. In monasterium autem sanctimonialium Ordinis sanctæ Claræ de Lapide, alias Skala, (cujus forsitan vestigia et situs ignorarentur, nisi fluvius
a Prandnik *a*, qui monasterium præterfluebat, ostenderet) quod nunc ad sanctum Andream in
b Cracoviam videmus translatum *b*, propensiori ferebatur devotione et affectu. Præerat tunc illi in abbatissæ loco femina nobilis, tam genere quam sanctitate insignis, Salomea, Boleslai Poloniæ monarchæ et ducis Cracoviensis soror germana, Leszkonis Albi filia, conjunx quondam Colomani Hungariæ regis, quæ cum eodem sponso suo et conjuge Colomano cælibem et virgineam vitam ducens, religione et sanctitate habebatur celebris. Viro enim suo Colomano, Hungariæ
C rege, ad tenendum cælibatum per omne tempus conjugii persuaso, eo obeunte, Ordinem et habitum sancti Francisci, seu sanctæ Claræ assumens, plurimas virgines vita sua et exemplo formabat, locusque præfati monasterii de Lapide, ob ejus vitæ castitatem, sanctimoniam, et vitæ excellentiam (nam et in vita et in morte nonnullis illi coruscare datum erat prodigiis) famosus erat et illustris.

monasterii Skalensis.

95 Ad hanc igitur cognatam suam Salomeam, abbatissam de Lapide, nitore virginitatis et religionis vernantem, famula Christi Cunegundis ducissa sæpenumero, nonnumquam quadriga, interdum etiam pedibus vecta (tribus enim millibus tantum locus monasterii a Cracovia distabat) descendebat, et honoratura visitaturaque dilectam cognatam suam Salomeam, cujus principaliori opera se meminerat Boleslai Cracoviensis ducis sortitam cælibeum connubium, et in sanctis virginibus illic Domino in vitæ austeritate famulantibus, alicujus ædificationis spiritualis consecutura exemplum. Quoties itaque in hujusmodi iret visitatum cœnobium, vestem ducalem ex præstantioribus induebat, quam in sororum profectum et solatium, cum aliarum insignium in vestibus, pecuniis, et commeatibus, eleemosynarum largitione post plurimam spiritualem communionem cum illis habitam, relinquebat in ornatus et vestes altaris et cœnobii ; plerumque pro relevandis sanctimonialium usibus et necessitatibus venumdatam convertendam ; ex qua re singularis quædam et pulcherrima inter illas ageretur vicissitudo. Nam et virgo Christi Cunegundis post conversationem cum virginibus Christo dicatis habitam, donis spiritualibus feracior redibat in aulam, et illæ se in suis necessitatibus ejus liberalitate provisas magnopere lætabantur.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

Ex conspectu dignoscit prædestinatos a reprobis ;

96 Concessa denique famulæ Christi Cunegundi fuit a speciosissimo præ filiis hominum sponso suo cœlesti Jesu Christo latens vis et instinctus, ut ex conspectu personarum prædestinatas illas dignosceret aut præscitas. Et de præscitis quidem, rem aut silentio contexit, aut, cum paucis viris religiosis, et timoratis communicavit ; prædestinatas vero mirificis præconiis extulit, et illarum se orationibus commendabat. Dierum itaque una cum sanctimoniales monasterii præfati de Lapide visitatum ex more venisset, et forte illic femina quædam nobilis, Christina nomine, lascivioris ætatis et vitæ, ingressu monasterii per importunitatem, et potentiam amicorum impetrato, velaretur, nonnullæque sorores contubernium ejus perosæ, nec facile quidem indignarentur, astruentes in suis coloquiis, lupum pro dissipando ovium grege in caulas admissum esse, atque ob id frequentibus sugillationibus loci abbatissam Salomeam consobrinam suam carpi a sororibus accepisset, motus earum inconditos restrictura, non secus quam divinationis impleta, corripuit : E

cujus rei exemplum affertur.

97 Cessate, inquit, famulæ Dei, cessate ingressum et valamen hujus conservæ vestræ carpere, et vestrum cœtum ex ejus consortio ne putetis inquinatum iri. Prædico enim vobis, hanc, quam modo velut lascivioris vitæ despectam fastiditis, in virtuosis actionibus quæstuosam fore, et singulas vestrum vitæ austerioris et perfectioris merito excelsuram. Nec effectus sermonem, prophetico ore prolatum, moratus est. Brevi siquidem femina illa tempore adeo per gratiam miserationis divinæ in uberem devotionis et religionis frugem evasit, ut singulæ moniales operum ejus excellentiam attonitæ mirarentur, et ex suggillatricibus veneratrices effectæ, vitam illius raris præconiis efferrent, vaticiniumque famulæ Christi Cunegundis in feminam illam depromptum, germani oraculi vicem gessisse ex evidenti eventu testarentur. F

Mira ejus devotio ad Missæ sacrificium;

98 In rem divinam ubicumque ageretur, usque ad consummationem pro quolibet tempore operosius intenta, non prius limina ecclesiæ linquebat, donec omne officium foret expletum. Triginta et amplius Missas, et quot expleri sive in legendo sive in cantando poterant, tam sedudula solicitudine audiebat ; ut, omni fastidio evitato, crederes, illam hanc unicam, quæ extrema agebatur, occupavisse ; unaque et eadem aviditate et devotionis ardore, ad primam juxta

 ac

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

ac ad ultimam genibus curvatis, cervice erecta, accubavisse. Curam præcipuam ad hoc unum die immediate præcedenti impendens, ut quam plurimæ Missæ, per sacerdotes ad id ab illa ordinatos et conductos in crastinum legendæ, possent pro conditione, et qualificatione rerum conjunctim vel divisim audiri, et sacrificiis tam frequentibus et jugibus propitiatio divina in vivos et mortuos, et signanter in regnum Polonicum, diffundi. Nec Missas illas tantummodo audire, et devotiones suas sub tempore, quo agebantur, explere contenta, liberalibus etiam oblationibus in officiantes utebatur, hilaritatem donorum etiam vultus expressione testata.

item ad mysteria Epiphaniæ, ubi Reges imitatur;

99 Singulis Sanctorum festivitatibus; imo, ut verius cloquar, singulis per revolutum anni circulum diebus, singularem reverentiam pro comparando et augendo sibi merito exhibens, ardentiori quodammodo devotione in Epiphaniarum, et in die, qua Christus dominus, humilis, terga aselli insidens, populis et pueris cum palmis et olivis sibi occurrentibus, viamque in monte Oliveti certatim illi sternentibus, Hierosolymam advenit; item et in diei, in qua, Sacramento Corporis sui instituto, magnæ humilitatis [opus] in discipulorum pedibus abluendis instituit, solennitates ferebatur; propensiorem tribus diebus illis exhibens culturam. Dum siquidem in secretis meditationibus suis, dans operam præcipuam contemplationi, consisteret, mentis elatione in Deum suspensa; mirabunda secum tacito revolvebat discursu, quam fuerit cunctis mortalibus, præsertim tamen gentilium nationibus, felicissima dies illa, in qua exorti insoliti sideris jubar Magos, velut primitias gentium, ad adorandum Redemptorem in Judæa natum ex Oriente adduxit; in qua Christus sanctificationem aquis contulit, et undam in vinum transmutavit. Honoratura itaque hunc diem et Chaldæorum reges, Christo domino aurea offerentes munera, utcumque vel exequutura *, vel saltem imitatura, ecclesiæ, in qua ipsa die audiebat divina, tres marcas puri auri quarum quælibet pondere Polonico septuaginta aureis appenditur, quotannis efferebat.

* imo exæquatura

et ingressus Christi in Jerusalem, seu Palmarum, ubi vestes Domino consecrat;

100 Uberrimis quoque lacrymarum profluviis Palmarum diem prosecuta, Christum dominum, ex Bethania in Hierusalem cum cœtu discipulorum et turbarum procedentem, quando illi a turbis obviam egressis et innocentum cohorte spiritu Sancto afflata amplior impendebatur honos, pro perfidiæ urbis ruina profundius flentem, Pharisæis illum pro suscepto honore carpentibus respondentem, venditores et emptores de templo ejicientem, quæstionibus a Judæis objectis absolutis, dum a nullo hospitii dignaretur honore, sub vesperam famelicum in Bethaniam regredientem, larga et dulci devotione singulos illos actus et eorum qualificationes et circumstantias, juxta ac coram adesset, et corporali id intueretur lumine, rimabatur. Consortem itaque se populorum et innocentum turbis, a quibus die illo via in monte Oliveti Domino constrata est, præbitura, vestem quantumcumque pretiosam et nobilem corpori detrahens, ecclesiæ, in qua audiebat divina, relinquebat, per annos singulos vitæ suæ diei illi exhibens in vestimenti sui dono repræsentationem.

et cœnæ Domini, quando 40 pauperum pedes lavat,

101 Sacrosanctum quoque Cœnæ diem venerans, in quo unigenitus Deus, veteri abolito testamento, novum inchoaturus, et de vetustæ vitis amplius genimine non usurus, Corporis et Sanguinis sui venerabile Sacramentum pro convivandis reficiendisque fidelibus instituit; et altissimæ humiliationis monstraturus insigne, singulorum discipulorum suorum pedes, nullo neglecto, abluit, ad singulorum se incurvans suppliciter, dum illa purificaret et extergeret, crura: proditoris etiam sui; Judæ Scariothis, non dedignatus pedes, quos noverat, pro concepto in se et perficiendo traditionis facinore, nequiter polluendo, et flammis gehennalibus æternaliter adurendos; diem quoque illum singularissima devotione recolens, quadraginta pauperes in suum cubile clam inducens, singulorum quoque pedes paucis consciis lavans atque cum multo fletuum imbre deosculans, splendide refectos, et nobis vestibus indutos, tributa unicuique pecuniaria eleemosyna, remittebat.

et Magdalenam imitatur.

102 Unum quoque ex iis quadraginta egentibus natu juniorem retinens, beatæ peccatricis Mariæ Magdalenæ æmulatura morem, atque una simul cum illa pro contritionis et amoris officio Christo corporaliter, murmurante Pharisæo, impenso, per ipsam quoque spiritualiter membris suis impendendo, in cordis auribus auditura: Dimittuntur tibi peccata tua, pedes ejus profundo lacrymarum fletu abluebat; capillis suis tergebat; et crebra illis imprimens oscula, liquore balsami ungebat, copiosam, dum remitteret, in sinu ejus eleemosynam abscondens; at gravi prohibitione interminans, ne cuiquam mortalium officium sibi impensum proderet vel vulgaret, sed strictissime illud usque in diem sui obitus pro singulari arcano custodiret. Hanc autem venerationem, hunc honorem atque officium solennitatibus dierum præfatarum in omni vitæ suæ cursu operose quotannis, ut scripsimus, exhibebat: nec eam ab officio et cultu hujusmodi gravior veletudo, occupatio, aut quantalibet ingruens necessitas poterant revocare.

ANNOTATA.

a Prandinicus *amnis dicitur a Cromero, de rebus Polonorum lib.* 2, *Cracoviæ septemtrionalis, et nobilis eo cursu, quo post Lesci primi obitum, de Poloniæ principatu certatum; ut idem narrat ibidem ad Lescum secundum.*

b *Monasterium ergo hoc bis olio translatum fuit, primum quidem ex oppido Zawichosto, in palatinatu Sandomiriensi ad Vistulam sito, per Boleslaum pudicum, qui illud ibi fundaverat, in locum tutiorem, qui* Skala, *alias* Lapis sanctæ Mariæ *appellabatur, tribus milliaribus a Cracoviensi urbe Septemtrionem versus distantem; uti docet auctor noster Historiæ Polonicæ lib.* 7, *ad annum* 1262: *deinde vero ex hoc loco intra urbem Cracoviensem ad S. Andreæ, ut hic dicitur. Duobus autem prioribus locis S. Salomea abbatissæ officium gessit, uti testatur Michovius lib.* 3, *cap.* 57.

CAPUT

A

CAPUT XI.

Veneratio ejus erga ecclesias, maxime Deiparæ Virgini dicatas ; Poloniæ restauratio et insignis de Russis victoria precibus ejus adscripta ; apparitio SS. Gervasii et Protasii.

Mos ejus visitandi ecclesias in itinere, et locupletandi,

Erat illi mos quotidianus et perennis, sub omni vitæ suæ cursu interim quo degebat in seculo jugiter observatus, ut, dum per suorum dominiorum principatus ex aliqua causa et necessitate quadriga vecta iter ageret, ecclesiam sibi ex directo occurrentem honoratura, curru relicto, intrabat, se quoque et necessitates suas Sancto, in cujus titulum ecclesiam illam dicatam cognoverat, per frequentes orationes supplici devotione commendans, largam insuper oblationem pecuniariam suis manibus altario imponens relinquebat. Si vero in aliquo itinerantis latere una vel plures ecclesiæ apparuissent, indagato scrupulosius et cognito earum patrono, proprio nuncio ad illas transmisso, Sanctis locorum præsidibus pecuniam crassam in oblationem transmittebat; nullam ecclesiam, quantumcumque remotam, a se conspectam, etiam in difficili aëris intemperie sinens suis donis et oblationibus neglectam iri *.

B

* *pro* neglectum iri

et templa quidem Deiparæ, Virginis nudis pedibus adeundi.

104 Officium inter hæc in Virginem beatissimam Mariam cultu propensiori exhibitura, si ecclesiam a se visam, illius titulo et nomini dicatam agnovisset, curru desiliens et soleas pedibus detrahens ad illius visitanda limina, si cultior strata aut semita deerat, per carduos, spinas et tribulos, montes, vepres et colles, per nives et aquas, gelu et frigore concretas, accurrebat; ex quo nimirum frequentius teneri et delicati pedes sui vulneribus scissi, vim plurimam cruoris eliquabant, aculeis spinarum, veprium et carduorum, glacierum et nivium confossi, quos pedissequæ suæ, dum se rursus in currum reciperet, ægre ex profundo, quo penetraverant, evellebant, unum atque eumdem virgine beata Cunegundi in tot pressuris vultus tenorem observante.

C

Meritis Beatæ adscribitur afflictæ Poloniæ restauratio,

105 Clemens Dominus et misericors et qui miserationum suarum dona in omnes supplices, et qui in toto corde invocant illum, multiplici fœnore distribuit, regno et populo Polonico ab annis multis, et ab eo tempore, quo Boleslaus secundus, rex Poloniæ beatum Stanislaum episcopum Cracoviensem, reprehensionem illius pro suis forefactis *a* non ferens, felici in mille frusta concisum extulit martyrio *b*, usque ad beatæ Kingæ et conjugis sui Boleslai principatum multifariis bellorum forensium et civilium monstris vehementer contuso, afflicto et dejecto, per preces et merita sanctæ famulæ suæ Cunegundis miro miserationis modo repropitiari cœpit. Et ex illa tempestate usque nunc suæ clementiæ benignitate illos respiciens, plurimis suæ largitatis et propitiationis beneficiis regnum illud et populum attollere non cessavit; corpus regni Poloniæ per plures finitimas nationes, videlicet Bohemos, Saxones, Cruciferos *c*, Alemanos, lacerum reintegrans et adunans, populoque illi et regno priscum regni jus et fulgorem, priscosque occupatos terminos misericorditer restituens; qui ne confunderentur (licet id hostes et occupatores pluribus et exquisitis ingeniis molliti fuerint) ipse clementissimus Dominus censu denarii sancti Petri, qui Romanæ ecclesiæ ex regionibus vetustis regni Poloniæ solvi consuetus est, providerat, tam impervincibilis et omni exceptione superioris signi [indicio,] ut etiam hostes et exteros occupationem cogat confiteri *d*.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

movente Deum præcipue perpetua ejus virginitate :

106 Itaque ad erigendum distractumque dudum et collapsum Polonorum regnum, propitiationis divinæ, ut per sequentia narrabimus, frequentibus indiciis, merito præfatæ virginis beatæ Cunegundis operante, scrupulosior monstrata est cura, Virginis præfatæ puro et constanti famulatu ad repropitiandum provocata. Cui cum multa ad gloriam et sanctitatem pulcherrima et egregia facinora existerent; nihil tamen, tenui licet judicio meo, tam gloriæ quam sanctitati præstantius atque excellentius fuit, quam virginitas et pudicitia irreprehensibilis, quam ab initio conjugii usque ad mariti obitum; et abinde usque ad finem dierum, per assidua certamina, per varia et æstuantia tempora, in rerum omnium suppeditatione et affluentia, sub uno eodemque tenore firmam stabilemque servavit exactissima cura. Agere tunc populus Polonicus ingentes gratias altissimo Domino quam maximo debuerat, qui mirificæ sanctitatis Virginem in genus eorum atque nationem pro ducissa contulerat, a qua non in præsens tantummodo, sed in omne tempus, omnium bonorum et cujuslibet salutis atque solatii spem peroptimam et eventum forent consecuturi. Ex plurimis autem divinæ largitatis donis, in Polonicum genus et regnum effusis, pauca subnexuri, hinc sumemus initium.

E

Lithuanis enim idololatris et Russis schismaticis,

107 Agitabatur assiduum et sine ulla induciarum intercapedine inter Polonos ab una, jam tunc et dudum religionem et fidem Christi professos, et Lithuanos, sub illa tempestate gentiles et barbaros prophanisque idolorum cultibus deditos, partibus ab altera atrox bellum. Hostiles autem animi utrisque et ob cultus atque ritus differentiam et ob propagationem finium succreverant: Lithuani siquidem angustam sibi habitationem ad fluvium Wylna rati, Ruthenorum, qui illis immediatores fuerant, fines corripiunt; illorumque accessione aucti, Polonis bellum inferunt; publice autem congredi, cladem suorum evidentem propter paucitatem veriti, non ausi, terram Lublinensem, viciniorem illis, quæ sub ditione Boleslai pudici Cracoviensis ducis erat, clandestinis et furtivis incursionibus infestant, et rapta præda per easdem saltuum indagines et paludum voragines, quibus venerant silvarum latebris tecti, evadunt, Polonis eos per abdita et invia, ne in comparatas ab eis insidias inciderent, sequi non ausis. Creverant proinde Lithuanis animi et Polonorum providentiam in segnitiem et timiditatem vertendo, frequentioribus in dies irruptionibus in prædictam Lublinensem

F

terram

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

terram et ejus incolas, nullam resistentiam a Polonis veriti, grassabantur.

e Poloniam hostiliter invadentibus anno 1266

108 Erat *e* et tunc inter Russiæ principes Suarno dux insignis, robore militiæ pollens et opibus. Küoviensem *f* quoque obtinens principatum, primarius et excellentior, et quasi quidam monarcha habebatur. Hic quoque et ritui schismatico Græcorum deditus, infestiorem se Christianorum religioni et Polonorum nomini ostensurus, magnis undique potentiis contractis, Lithuanorumque auctus solatiis, regnum Poloniæ et principatus ducis Boleslai pudici hostiliter invadit. Et multitudine gentium sibi audaciam subministrante, terras Polonorum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto ingressus, urit, vastat, depopulatur, senes et impuberes miserabiliter mactans, puberes vero captivitati reservans; et torrentis instar singula demolitur et consumit.

dum exercitum opponit Boleslaus pudicus,

109 Tanta injuria et suorum vastatione et cæde Boleslaus pudicus Cracoviensis dux, non secus quam par erat, commotus, suos et ipse B Polonos coarmans, populationem suorum principatuum prohibiturus, contra Suarnonem Russiæ ducem et contra Ruthenos, Lithuanosque, ceterasque nationes barbaras, quæ in multitudine gravi adversus illam *g* convenerant, educit; summamque belli Petro Cracoviensi et Janussio Sandomiriensi palatinis committit, pacis ipse magis quam belli actibus aptior. Solicita interim sponsa Christi Cunegundis ducissa de sponso sua terreno Boleslao pudico, deque Polonorum exercitu, et maceratione intentiori carnis et supplicatione frequentiori per fletus, suspiria, et lamenta, omnipotentis Dei clementiam jugibus obsecrationibus pro incolumitate Boleslai ducis et sui exercitus, proque victoria illi e cœlo danda, noctibus atque diebus interpellabat; nec sola interpellare contenta, universam Cracoviensem ecclesiam et diœcesim, viros præsertim et matronas aliqua sanctitate et religione præstantes, in sui suffragium invitabat; ut facilior atque cumulatior triumphus ad multiplicatam intercessionem largiretur; jejunio et cilicio corpus affligens, et eleemosynas assiduas manu liberali dispartiens C in egenos.

apparent oranti Cunegundi SS. Gervasius et Protasius, ac victoriam promittunt.

110 Noctium itaque una, dum virgo beata Cunegundis lacrymosis suspiriis et fervidis precibus ex casto et virginali pectore Dominum precaretur, astitisse juxta se duos viros, claritate nimia fulgentes, stolis albis circumamictos, videt; ad quorum aspectum primum conturbata, moxque fiducia audaci repleta, metu deposito, intrepida constitit. Quam illi blandius allocuti: Ne sis, inquiunt, de mariti tui Boleslai ducis, ejusque exercitus salute solicita: nos enim ad tuæ intercessionis instantiam, e supernis sedibus destinati, ad illum proficiscimur, protectionem cœlestem illi præstituri. Qua diligentius sciscitante, qui et quales spiritus, ex genere videlicet angelico, vel humano, forent, qui sibi cum tanta claritate apparentes, tam mirificam consolationem afferrent: Et nos, inquiunt, Gervasius et Prothasius *h* sumus, pro Christi testimonio martyrio damnati, plebis et gentis Polonicæ assidui ante thronum Dei ejusque majestatis divinæ intercessores, alteram jam victoriam Polonis ex eo hoste, cum quo pugna ineunda est, D relaturi. Non incredula virgo Christi Cunegundis, sed certa de oraculi visione, gratiarum actione in Deum Sanctosque ejus celebrata, specialem nuntium ad ducem Boleslaum ejusque exercitum *i*, visionis et allocutionis cœlestis oraculum declarans, et certam victoriam repromittens, transmittit. Maxima animorum alacritate tam a duce quam a militibus tam desiderabilis denuntiatio accepta est; Polonis quoque certior spes victoriæ affulsit. Et qui alias de suo periculo, dum hostium et suas metirentur vires, anxii multipliciter fluctuaverant, nunc jam omni metu deposito, diem cum hostibus decernendi, præmia victoriæ se adeptum iri non dubitantes, læti operiebantur.

quæ ipso illorum festo et auxilio relata est.

111 Ventum est deinde ad locum, qui Pyetha *k* appellatur, in quo cum utraque acies suas copias die Veneris, decima octava mensis Junii, festo videlicet et natali sanctorum Gervasii et Prothasii, explicasset, maxima Polonos pugnandi fiducia cœpit, non ex oraculi tantummodo denuntiatione proveniens; sed quia videbant pu- E gnæ diem in sanctorum Gervasii et Prothasii natalitium, quorum præsidio illis victoria repromittebatur, accidisse. Nemo itaque ex illis secus quam ad epulas iturus arma sumpsit; nemo segnitiem aut pavorem præ se tulit; omnes crederes heroïcam præstantiam nactos esse; nemini, quantumcumque pavido vel ignavo, animus defuit. Congressu itaque ab utraque acie facto, dum pars utraque pro victoria adnitendo contumacius pugnam extraheret, et in sauciorum atque interfectorum locum integri succederent, duo subito viri in aere, qui stolis amiciebantur albis, conspecti sunt *l*, cædem in schismaticos et barbaros edendo ingentem. Quorum solatio et assistentia personali dum Polonis animi crevissent, et hostiles turmæ passim caderent, neque impetum Polonorum cœlesti fretorum præsidio sustinere possent, in fugam vertuntur, facileque de se plenam victoriam Polonis concedunt. Cæsa sunt in eo prælia schismaticorum et barbarorum aliquot millia; captivorum etiam magnus numerus fuit; dux ipse exercitus Suarno, ne tantæ suorum cladi superesset, animosius pugnando, F multis vulneribus confossus occubuit *m*. Poloni, suis omnibus recensitis (mirum dictu!) repererunt, paucis vulneratis, nullum suorum cecidisse. Castra hostilia omnis opulentiæ ab illis direpta; et omnis victoria, quæ tunc copiose ex hoste provenerat, soli majestati divinæ et sanctis ejus Gervasio et Prothasio, pugnæ illius præsidibus, virgini quoque Cunegundi et ejus meritis attributa. In decus Sanctorum altare in ecclesia Cracoviensi sub titulo prædictorum sanctorum Gervasii et Prothasii fundatum a duce Boleslao et dotatum magnifice *n*, quod etiam victoriam et miraculum attestans in eam diem perseverat.

ANNOTATA.

a Forefacta, *Gallice* Forfaits, *delicta significant. Vide Cangium.*

b *Hoc*

CAPUT XII.

B. Cunegundis dæmonem fugat; publica per se scandala generose tollit; miseros quoslibet et egenos sublevat.

Fugat cruce dæmonem; angeli ei templum aperiunt.

Quemadmodum autem a supernis spiritibus, visibiliter plerumque illi apparentibus, frequentes sumebat consolationes, sic et a spiritibus apostaticis vehementer illi infestis, nonnumquam terrores et vexationes perferebat. Quos tamen tam integra tamque forti fide contemnebat irridebatque; ut non secus ad illorum, quam ad umbrarum humanarum, moveretur aspectum. Apud Skarzeszow *a* enim oppidum altera vice constituta, dum, pedissequis suis a sopore excitatis, antelucanum tempus in æstate præventura, ad persolvenda orationum suarum studia ad ecclesiam ex more pergeret, dæmon illi atque pedissequis suis in specie ingentis magnitudinis, anum se deformissimam et terribilem simulans, visibiliter apparuit; tanta se altitudine fingendo componens, ut vertice nubes aereas contingeret, et adinstar ecclesiæ se inspissatum atque ingrossatum monstraret. Terribili deinde mugitu atque sonitu illam et comites ejus terrere, quasi illas extemplo maximo impetu invasurus et devoraturus, cœpit. Et comites quidem suæ, ad tam tetrum spectaculum conterritæ, clamore edito, spectabant in fugam; virgo autem sancta Cunegundis impavida manens, et comites suas bene confidere jubens: Non es, inquit, spiritus reprobe, in hac vetulari mole grossior mihique terribilior, quam in mure. Ac sic crucis benedictæ signo in dæmonis formam jacto, umbra illa, ut erat illusoria et phantastica, in fugam versa subito disparuit. Et sponsa Christi Cunegundis ostia ecclesiæ ministerio angelico sibi patefacta offendens, læta cum suis ecclesiam intravit, atque sponsi sui cœlestis mirificam assistentiam, favorem et defensam quibus amplioribus poterat gratiarum actionibus celebrat.

Adulterum satrapam et armatum adiens.

113 Publicorum etiam criminum atque vulgatarum prævaricationum in Deum in se censuram assumens, notorias sordes atque vitia in principatibus sponsi sui ducis Boleslai quomodolibet emergentia, correctionis et emendationis falce, quasi quasdam infelices avenas et lolia, ne eorum contagione ceterum frumentum in degeneres verteretur spicas, succidebat. Cum enim Petrus de Woycza, satrapas ea tempestate nobilitate et opibus pollens, Cracoviensis diœcesis, Catherina uxore sua legitima posthabita, vilem illam et contemptam duceret, ac se adulterina lubricitate, thoro conjugali fœdato, rusticanæ mulieri Agathæ addixisset; amore quoque et pellice suggerente, conjugem propriam variis cruciatibus, molestiis, verberibus et improperiis afficeret; ad extremum etiam ad ignobilium servorum ordines eam retrusisset, fame et siti omniumque rerum cala-

---

A b *Hoc est, ab anno Christi* 1079, *ut colliges ex Actis S. Stanislas datis ad diem* VII *Maii.*

c *Ordo Fratrum. de militiæ Christi, seu* Cruciferorum, *ab Alberto Rigensi episcopo institutus, ac deinde Teutonicorum Ordini a Gregorio PP. IX unitus, ut narrat auctor noster in Historia sua Polonica, lib.* 6, *ad annum Christi* 1205, *adeo brevi invaluit; ut tentare tandem etiam adversus principes Christianos auderet omnia; atque hoc vel maxime sensit Polonia, eorum crudelitate, tyrannide, bellis ac præliis dudum exercita; id quod gentis illius historici fuse prosequuntur.*

d *Idem affirmat auctor noster Historiæ Polonicæ lib.* 3, *ad annum* 1040; *ubi et tributi hujus ecclesiastici Poloniæ regno impositi, quod appellant* Denarium S. Petri, *originem explicat.*

e *Hæc, et quæ sequuntur narrat etiam auctor noster Historiæ Polonicæ lib.* 7 *ad annum* 1266.

f Kiovia, *a quo principatus ille seu palatinatus nomen accepit, urbs est Ukraniæ ad Borysthenem sita, olim ampla ac munita, et Russici aliquando imperii sedes.*

B g *Ditionem intelligit Boleslai; aut lege* illum.

h *De* SS. Gervasio et Protasio *actum est ad diem* XIX *Junii. Porro similis victoria iisdem Sanctis adscripta legitur apud Longinum nostrum, Historiæ Polonicæ lib.* 6, *ad annum* 1205 *: unde et recensentur inter Poloniæ protectores. Vide etiam Acta Sanctorum tomo* VI *Junii in Appendice de SS. Gervasio et Protasio* § 12.

i *Non tamen erat apud exercitum Boleslaus, ut patet ex præcedentibus; sed* precationibus et supplicationibus cum KINGA uxore vacabat, *sicut narrat Cromerus lib.* 9. *Adi etiam Dlugossi Historiam Polonicam lib.* 7, *ad annum* 1265; *non videtur tamen tum domi fuisse, cum hæc visio* B. Cunegundi *oblata fuit; quandoquidem eam ipsa per nuntium illi indicavit.*

k *Intra fines Russiæ, quos ingressus Polonorum exercitus erat, sed* non multum; *ut notat Cromerus lib.* 9.

l *Hujus apparitionis in prælio factæ neque Cromerus, neque ipse auctor noster in Historia sua Polonica mentionem ullam faciunt; quamvis de altera non sileant, quæ contigit* B. Cunigundi.

C m *Atqui tam auctor noster in Historia Polonica, quam Cromerus, affirmant,* Swarnonem *fugæ præsidium arripuisse,* ne in Polonorum vivus veniret manus; *nec de ejus cæde verbum ullum faciunt.*

n *De hoc altari, tamquam hujus victoriæ monumento perenni in ecclesia Cracoviensi erecto, non meminit auctor noster in Historia Polonica, uti neque Cromerus: at uterque cum Michovio lib.* 3, *cap.* 28, *illud asserit multis retro annis in eadem ecclesia suscitatum ac opipare dotatum fuisse in memoriam alterius insignis victoriæ de Russis ac Romano eorum duce anno Christi* 1205 *eorumdem Sanctorum festo relatæ. Itaque Russorum ducis cædes et hujus altaris institutio perperam videntur ex prioris victoriæ historia huc esse translata: nam ibi Romanus cæsus est; non hic Swarno, quem fugisse constat. Ceterum utraque victoria iisdem Sanctis adscribitur ab historicis; et posterior quidem hac parte notabilis erat, quod Ruthenorum exercitus quadruplo et amplius numerosior Polonico fuisse memoratur.*

calamitate ac penuria contorquendam; cumque nobilis femina mœrore atque inedia macerata, cariorem vita mortem duceret, illamque sibi adesse deposceret et speraret, beata Cunegundis, re tam perniciosa cognita, paucis quibusdam suis familiaribus, ut illam usque in Woycza deducerent, imperavit.

cum legitima uxore conciliat,

114 Conscensa itaque quadriga non multitudine conducentium illam familiarium, sed solius Dei præsidio freta, in curiam Petri satrapæ advenit. Et dum suos familiares juberet, quatenus et legitimam Petri satrapæ consortem et illius pellicem cum exacto scrutinio ad se conquisitas perducerent, videntes Petrum satrapam cum suis in curiæ medio, ense evaginato et ad resistendum parato, consistere, nutabant ire illuc et suæ Dominæ explere jussionem, tyrannidem Petri militis jam tunc, ne qua vis sibi inferretur, providentes, et etiam hostilitatem futuram; ejus insuper (quoniam plerisque cognatus et amicus fuerat magnipendendus) se inimicitias et odia incursuros veriti. Quorum pusillanimitate virgo B Dei Cunegundis perspecta, nihil quoque satrapæ Petri sævitia territa, illi appropinquans, ipsum pia objurgatione de illicito fœdæ mulieris contubernio reprehendit, divinum judicium et ultionem temporaneam et æternam, nisi resipisceret, et dignam pœnitudinem pro suis forefactis ageret illi frequenti denuntiatione comminata. Quo compuncto, et singula, quæ Sancta Dei jusserat, impleturum, et in thoro casti conjugii, omni spurcitia fœdi adulterii abjecta, se de cetero permansurum pollicente, radices petulantiæ beata Cunegundis succisura, in ædem, qua Catherina consors militis Petri inter servitia morabatur, ire pergit: quam compertam et pro servata pudicitia atque patientia laudatam, spe optima erigit, bonum de cetero animum illam habere jubens; ac Petrum satrapam conjugem conjugi reconciliat.

erepta ei pellice et conversa ad pœnitentiam.

115 Pellicem deinde diligentius inquiri jubet; at illa timore Virginis sanctæ perterrita, in furnum se abdiderat, securum se illic rata latibulum habituram: sed cum illic eam esse Femina sancta comperisset, renitentem de clibano extra- C hit, et magna vi resistentem usque in currum proprium perductam, dum illum conscendere reluctando detrectaret, manibus propriis compressam imponit, non sine singulorum astantium admiratione; quia femina, alioquin fortis et crassa, a Virgine tenera et languida potuerit pervinci. Cum denique ea die pellex illa una simul quadriga cum Ducissa Cunegundi vecta, tabernam meritoriam *b*, nocte superveniente, ad quiescendum subiisset, ac die illucescente, nusquam tum, sed nec imposterum compareret, quonam locorum divertisset, quibusdam illam effugisse existimantibus, quibusdam vero ad subitam ejus disparitionem stupentibus, requisita famula Dei Cunegundis a nonnullis feminis sibi familiaribus, quonam mulier illa, pellicatus crimine insignita, ex eorum abiisset conspectu: Desinite, inquit, de muliere illa soliciti esse: absque enim omnis corporis sui violentia et offensa, in eum ipsam locum certo certius æstimate, nutu divinitatis precibus meis placatæ translatam, in quo degens facinorum suorum actura est pœnitentiam, et ævum sempiternum cum civibus et animabus beatis consecutura. D

Item adulteram ad religionem, phreneticum ad mentem reducit.

116 Duorum conjugum alterius scelere, alterius virtute relatis, aliorum duorum, non diversorum sed in scelere parium, mentionem subnectemus. Militaris erat quidam vir, Charzes vel Charz vocitatus, conjugem habens, nomine Claram. Is ob transgressiones frequentes in Deum actas, cum furorem dementiæ incurrisset, et consors sua præfata Clara, pudore conjugalis pudicitiæ temerato, lascivitati sese addixisset; utriusque beata Cunegundis statui miserabili compatiens, feminam quidem Claram ad consortium suum familiare assumens, crebra reprehensione et vitæ suæ atque morum laudabili exemplo ad frugem vitæ emendatioris in tantum, ut seculi vanitatem perhorrescens, religionem assumeret et devotissimam se præstaret, perduxit; et cœno gastrimargiæ mersam sanctis et religiosis feminis inseruit. Mariti vero sui Charonis curam gerens, valetudini bonæ illum restituit.

Miseros quoslibet levat:

117 Inter suæ religionis et devotionis, quibus in Deum miro affectionis more ferebatur, opera, pietatem et commiserationis spiritum in singulos E orphanos, pupillos, viduas, et quoslibet egenos gerens, singulorum explere necessitates de suis facultatibus adnitebatur, suo rata merito detractum, imo et in suum concessisse reatum, si quem indigentem aut pauperem vacuo sinu dimisisset, si cui, quantumcumque longe vel prope posito, et aliqua necessitate presso, miserationis suæ opem non tulisset.

maxime puerperas, funerandos, Virgines dotis egentes.

118 In puerperas denique egestate gravatas, sive illæ urbanæ fuerint sive rurales; item et in universos fato absumptos, quibus sumptus funerales deerant; item et in virginines dote vacuas propensiori liberalitate usa: illis quidem et opiperatos* cibos administrabat et pannos; his vero cereos et pecuniam ad impensam juste exsolvendam funeralem; virginibus constituebat dotes, studio tam dulcissimi fontis et tam maximæ dexteritatis ex momento occasionis inæstimabile pretium adjiciens; opportune testata, omnes facultates ducales magis egenorum et indigentium, quam suas fore. Ex quo nimirum eveniebat, ut ad illam curiamque suam quocumque ire perge- F ret, in quamcumque oram suorum principatuum declinasset, concursus turbarum ex oppidis et vicis, quasi ad quamdam munificentiæ officinam fieret. Hinc puerperis alimenta, obeuntibus vel obituris funebreos sumptus, hinc dotes virginibus paupertate aut egestate aliqua laborantibus subsidia, detrimentorum incursu quassatis solatia erogari sibi atque subveniri expetentibus; quos illa pro cujusque necessitudine et conditione benigne exceptos, benignius provisos remittebat, in eroganda potius facultate et supellectili ducali in quaslibet miserabiles personas liberalibus præcordiis, quam in aggreganda, occupata, opportune mirificeque se cœlestis regni per terrena commercia constituens sagacissimam fœneratricem.

* id est opiparos

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Ejusdem oppidi meminit Longinus Historiæ lib. 7, ad annum* 1250; *item infra cap.* 14 *et alibi; verum id apud geographos non reperio, nisi illud sit, quod quinque circiter milliaribus Germanicis distans Sandomiria ad Sanum fluvium locatur a quibusdam, qui illud appellant* Korzeczow, *alias* Cresschow.

b Taberna meritoria *dicitur hospitium seu diversorium, in quod pretio et mercede divertitur. Adi passim lexica.*

CAPUT XIII.

B *Iter ejus in Hungariam; conjuratio divinitus detecta ac dissipata; annulus cum salis venis ex Hungaria translatus in Poloniam; reditus in Poloniam; nova et severa cibi potusque ratio miraculo gemino comprobata.*

Parentes, sanctitatis ejus fama moti,

Fama sanctorum suorum et devotissimorum operum, quæ se in latos remotosque diffundebat sinus, ad Pannonios quoque celebri rumore pervenerat. Parentes illius, Bela videlicet Hungariæ rex et Maria regina, [hac] audita, et ex plurimorum gravium personarum frequenti relatione comperta, uberrimo gaudio perfusi, clementissimo Deo, laudes cum lacrymis personabant, quas illis immensitas lætitiæ, pectoris sui indicium, effuderat. Lætabantur quidem de tam dulcissimo pignore a se producto, et sub eorum mortali vita miram sanctitatem redolente, simulque admirati filiæ suæ Cunegundis in annis tenerrimis custoditæ virginitatis vigorem, et generi eorum Boleslai Cracoviensis ducis in amC plexanda continentia uno atque eodem tenore servatum progressum, non in conjugium se illam atque nuptialem thorum, sed in virginitatis officinam et castitatis ædem tradidisse gloriabantur, feliciorem illius partum femineum quam virilem rati, quæ ex virgine in viraginem evasisset, aviæ suæ beatæ Heduigis Vratislaviensis ducissæ, cujus etiam tunc sanctitas mira diffundebatur celebritate, vitam et sanctitatem æmulaturam.

illam in Hungariam ad se invitant.

120 Maximum itaque visendi filiam suam Cunegundim, visendi et generum suum Boleslaum Cracoviensem ducem, parentem utrumque desiderium incessit, fama sanctitatis filiæ eorum Cunegundis percitum. Quapropter nuntii insignes ex Pannoniis in Poloniam destinati, variis precibus et persuasionibus virginem Cunegundim ad transeundum pro visitandis parentibus in Pannoniam, ne qua terrenæ conversationis contagio ex parentum conspectu illi, jam continuo superna et cœlestia meditanti, posset inhærere, ægre vix poterant inclinare. Quo cum pervenisset, maximus illi et a parentibus, fratribus, optimatibus et popularibus honos habitus est, universis illam pro vitæ sanctimonia gratissima complectentibus tam familiaritate quam caritate.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

ubi patrem e sicariorum manibus modo stupendo eripit.

121 Cum autem genitor suus Bela, per satrapam Pannoniæ Paulum invitatus, in convivio resideret, et clandestine pro occasione sua tensæ illi forent ignaro insidiæ *a*; jamque parricidæ ad necandum eum, quemadmodum inter eos convenerat, in convivii fine vibratis gladiis et pugionibus interfecturi regem assurrexissent, illa per spiritum patris periculum prævidens, in ipso insidiarum primordio ad locum occurrit, furentibusque parricidis et in patris necem grassantibus mucrones pugionesque triginta numero manu virginea abstrahens, atque suis servitoribus, qui illam comitabantur, tradens, singulis parricidis ad ejus conspectum et ingressum, non secus quam fulminis, stupentibus et mente consternatis, mansuetudinem præ se ferentibus, gladiosque vibratos absque renitentia tradentibus, patri, haud dubie occidendo, saluti fuit. Quem et per medias parricidarum catervas, nullo illum contingere audente, de loco insidiarum educens, usque in regiam incolumem, dextera sua illum a telis singulis eminus comminusque protegens, perduxit: geminatumque et memorabile eo die Pannoniis beneficium præstitit, ne videlicet Pannonia tam optimo et tam inclyto per scelus spoliaretur rege, et ne tam teterrima parricidii fœdaretur sorde. Pro quo illi non a rege tantum, cui vitam donaverat, sed etiam ab optimatibus et popularibus, qui sanitati regiæ ex depulso periculo gratulaturi convenerant, gratiæ ingentes actæ sunt, parentesque et Pannonii circa illam venerationem intenderant. E

Annulum in salis fodinam Hungariæ projectum,

122 Diutius tandem, quam sua ferebat conditio et voluntas, in regno Pannoniorum per parentem utrumque retenta, ac supra modum filiæ benignius culta, dum regnum hinc inde gyrando in salis fodinas ad Marmorusz *b* pervenisset, ubi sales per abundantiam et grossas congeries extrahuntur magis quam coquuntur; ac ab inclyto Bela Hungariæ rege patre suo, donari sibi perpetuo unam salis fodinam, quam tunc terebat vestigio, expetisset; et Bela rex per indulgentiam paternam, etiam majora, quæ postulasset, sibi largiturum se confirmasset; ad locum salis fodinæ sibi a patre donatum, quasi illum ab aliis in perpetuam suam hereditatem et possessionem discretura, parvæ quantitatis aureum, quem digito gestabat, annulum detractum, dono cœlestis gratiæ proprius *c* suppliciter invocato, projecit; et foveam illius, ne imposterum præjudicatum iri sibi a quoquam contingeret, signaculo annuli in latebras profundissimas jacti, interdixit. Et res quidem tunc acta jocum magis quam serium a circumstantibus habere visa, singulis quoque eam, quin imo et parentibus Virginis (præter illam solam, quæ actiones suas ad spiritus in ea operantis instinctum mature dirigebat) arbitrantibus, fortuito accidisse; quippe qui parum necessitatis habere filiam regiam Cunegundim de sale, cujus æque in Polonia juxta ac in Pannoniis copia est, intelligebant. F

in Polonia reperit cum salis vena translatum.

123 Verum cum annorum processu, novi salis montes in Polonorum regno et ducatu Cracoviensi apud vicum, qui Bochnia dicebatur, quinque

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

que milliaribus a Cracovia distantem, quos et in diem hanc salis producere abundantiam cernimus, forent reperti *d*; ac primaria fovea egesta salis concreta moles ad quantitates bancorum *e* partiretur, in ipsa salis durissimi compage, ille idem annulus aureus, quem Femina sancta in salis fodinam per parentem suum Belam regem apud Marmorusz donaverat, repertus est *f*, et pro gratia singularis monstri per operarios ad ducem Boleslaum et ducissam Cunegundim delatus. Quem cum Femina sancta suum specie et numero per evidentiam signorum, ponderis, rotunditatis, atque gemmæ cælatæ, quem apud Marmorusz in foveam salis projecerat, esse deprehendisset, factumque id tam illa, quam singuli, qui coram aderant, vehementer admirarentur; in laudationem Christi uberrimis gratiarum actionibus effusa, intellexit donum salis simultaneum, quod per gratiam carnalis patris apud Marmorusz joco acceperat, per gratiam Genitoris æterni non sibi solum, sed et universo regno Polonico, vero et effectuali munere in usum perpetuum apud Bochnensem vicum serio collatum esse. Atque in evidentiam divinæ donationis tam mirifice præstitam, aureum annulum apud Pannonicas salis fodinas, Feminæ sanctæ articulis satum, in Polonorum regione per longos terrarum sinus fructu fœcundo et prodigioso germinasse; ac Polonorum regnum ingenti ærario locupletasse, quoniam sal illud tunc Bochniæ repertum, non in Polonorum solum tendit usum, sed et Pannonii, regno Poloniæ viciniores, de illo participant, et, auri commercio affatim allato, ad Pannonias illud et quadrigis et equorum dorsis invehunt.

Redit ex Hungaria donis onusta,

124 Post carnalium parentum visitationem valedictionemque, post dulcia commercia, cum illis frequentius altitudinem et benignitatem divini consilii super salute et instauratione generis humani ceterisque beneficiis, quæ mortalibus ultro et affatim præstat, perpendens ac considerans *g*, habita; post supernæ dulcedinis haustum, quem in utriusque parentis pectore verbis in superni fontis fluenta hiantibus inseruerat; post singularem caritatis fervorem, quem in corde genitricis suæ reginæ Hungariæ Mariæ ad diligendum propensius Ordinem Minorum sancti Francisci ingeneraverat; post plurima beneficia, quæ in Hungaros divites et pauperes pro eorum necessitatibus apud parentes strenue intercedendo, si eguerant; aut errata atque culpas remittendo, si deliquerant; nonnumquam, et frequenter, egenis largiendo, contulerat; in Polonicum regnum reversa est, ducens secum pleraque vasa aurea atque argentea et numismati * auri non mediocrem quantitatem, parentis utriusque liberalitate sibi donata.

* *id est* cusi

quæ in ecclesias et pauperes profundit.

125 Quæ omnia aut in decus ecclesiarum, aut monasteriorum, in calices et vasa opportuna, ob ardentissimum amorem in sponsum suum Jesum Christum cœlestem distribuit, aut in visceribus pupillorum, egenorum, viduarum, et miserabilium personarum condidit, ad hoc unum terrenam illam substantiam a parentibus, ultro illam ingerentibus, acceptare consentiens, ut eam multiplicato fœnore in salutem fidelium omnium et pro suo ampliori merito virgineis digitis et ardenti zelo in thesauros cœlestes numquam marcescibiles prudentissime inferret, expeditiorem se ad capessenda promerendaque divinæ largitatis beneficia rata, si largitatem et ipsa in Deum pauperesque minimos, et qui illum repræsentando exprimunt, extenderet, et nullis terrenæ molis facultatibus se sentiret onustam et impeditam. Nec secus quam spe et animo conceperat, illi evenit.

Cibo quadragesimali et aqua tantum vescitur;

126 Nam singula suæ devotionis et religionis in Deum officia ex tunc attolere et supergredi cœpit. Parum siquidem ducens anteactis, et de quibus supra retulimus, jejuniis, vigiliis, orationibusque, duroque amictu atque cubatu corpus atterere, duriora omnia in illud pro ampliori ipsius et membrorum ejus mortificatione conjecit ingravavitque; et omnem carnalem escam, omnemque vini et siceræ potum, quibus hactenus parco admodum gustu et castigata parsimonia vescebatur, a se penitus sequestrans et relegans, cibis quadragesimalibus et pura lympha in refectionem continuo corporis, et pro illius subsistentia, uti in familiarem consuetudinem induxit. Cumque corpus illius tenerum et delicatum permutatæ diætæ, croceo colore contracto, differentiam, et attritionem vehementer ostenderet; sponsus suus terrenus Boleslaus pudicus Cracoviensis dux rem molestius ferens, ipsam rigide objurgare cœpit, cur fatuo et irrationabili obsequio, detrectante corpore, mortis propinquæ periculo, homicidii sui ipsamet rea, se addixisset.

irato ob id Boleslao cedere se fingit; non cedit tamen,

127 Ipsa autem corporis imbecillitatem purgante, et se ex cibo quadragesimali potuque undæ robustiorem omnisque infirmitatis corporeæ expertem fore opponente, in majorem choleram atque indignationem dux Boleslaus ipse versus, quod facinus suum atque periculum a se et ceteris omnibus conspectum, specie etiam crocea publicatum atque deprehensum, inficiaretur, excusatumque rem a singulis visam iri pergeret, abominandum Deo et hominibus execrandum scelus, dum negotium supra vires aggreditur, patratura. At illa sponsi sui terreni Boleslai in præsens et imposterum placatura bilem, spondet se pio figmento tam arctam et nocivam abstinentiam deserere, nec corpus suum tam inusitato macerationis modo et jejuniorum frigore torquere : neque enim aliter Boleslai ducis, ceterorum quoque abstinentias suas magnopere execrantium, et qui ad illam cum duce Boleslao reprehensum convenerant, intelligebat instautiam et monita quietura. At illa pertinaci proposito ad macerandum corpus per cibos quadragesimales et aquæ haustum intenta, nihil ex priori diæta et consuetudine immutandum duxit; illud secum frequenter tacito silentio immurmurans atque conferens, non convenire sibi, ut cœptis virtutibus quidquam detrahat, voluptati adjiciat, animam inficiat, corpus curet, et ob salubritatem corporis, animæ ornamenta deserat. Plurimo itaque tempore sumptura refectionem, in abditum et secretiorem secedebat locum, una tantummodo adhibita matrona, quæ arcana ejus non proderet.

imo cedit ipsi sponsus miraculo duplici convictus.

128 Dux deinde Boleslaus cum et suapte de rigore abstinentiarum ex corporis afflicti habitu, et ex aliorum, illam scrupulosius observantium,

[indicio]

A [indicio] haberet vehementer suspectam; illa quoque suum constanter, quoties a duce arguebatur, inficiaretur facinus; comprobaturus experientia in alterutram partem veridicum effectum, prandenti die carnium inopinatus supervenit, et parum auribus, parum oculis fidens, gustui probam permittit, piscemque, quem illa manducabat, edere cœpit, acerbius in illam de transgressione promissi, sumpta coram experientia, invecturus. Sed licet se piscem sumpsisse luce clarius noverat; sapor tamen sibi delicatæ carnis in palato redolebat: parum quoque id ducens, aquæ poculum, quo Sancta Dei utebatur, arripuit; sed, illo bibente, unda in vinum optimum conversa in extasim et admirationem illum vertit. Itaque nedum reprehendere eam, sed nec inclementi verbo appellare audens, terrore divino et inusitati miraculi novitate correptus, et ex objurgatore venerator effectus, exequi illam propositum suum, quodcumque illa dignum et sibi salutare duceret, de cetero passus est, sanctitate illam et superna gratia plenam reputans, cui in B suum propositum conservandum elementa, natura commutata, viderat servivisse.

ANNOTATA.

a *Causam hujus conjurationis suspicatur Ranuccius Picus in Vita Beatæ Italica parte* 2, *cap.* 4, *fuisse indignationem hujus satrapæ Pauli in regem, quod hic Cumanos, a Tartaris fusos, in Hungariam recepisset. Ponit ergo,* B. Cunegundem *ad parentes venisse ante calamitatem Tartaricam, sive ante annum Christi* 1241, *qui erat tertius ex quo nupta Boleslao fuerat, idemque quo eam Boleslaus misere vexabat. Et sane sive illa odii causa, sive alia fuerit (neque enim deerant malevolis aliæ, ut videre est in Epistola M. Rogerii) accidisse hæc conspiratio debuit, adeoque et iter Beatæ in Hungariam, aliquot annis ante repertas anno Christi* 1251 *apud Bochniam salis fodinas, ut patebit infra num.* 122 *et sequentibus. Ex quo sequitur, auctorem nostrum rerum, ut contigerunt, ordinem hic ac tempora non* C *servasse; cum ea, quæ cap.* 11 *narravit, longe posterius facta sint, quam ea, quæ modo referuntur.*

b *Est comitatus* Moramarusiensis, *salis ferax, qua Hungaria Russiæ rubræ jungitur versus fontes Tibisci.*

c *Id est* antea, *seu* prius, *ut supra monui.*

d *Reperti sunt illi, juxta auctorem nostrum in Historia Polonica, lib.* 7, *et Thurocium lib.* 3, *cap.* 53, *anno Christi* 1251; *at juxta Cromerum lib.* 9, *anno* 1252. *Quem quidem thesaurum Scriptores Poloniæ præcipui meritis* B. Cunegundis *acceptum referunt.*

e *Quos hic* bancos *salis appellat auctor, in Historia Polonica* pecies grossas, *seu crassa frusta, vocat;* Bancas *etiam appellari ait Joachimus Vadianus in Commentariolo ad Pomponium Melam de Sarmatia; ipse autem eas latine nuncupat* salis glebas, *et* micas, *et quidem, ut ex adjunctis patet, prægrandes; addit enim:* Bochniæ mille quingentorum pondo Germanicorum graves micas extractas vidimus (hæc autem Romana pondo tria millia æquant.) Aiebant, interdum majores cædi. *Plura qui volet de salis fodinis Polonicis, maxime Bochniensi et Veliscensi, adeat eumdem auctorem, qui eas inspexit, eleganterque ac fuse describit.*

f *Si ausus fuissem exemplar Ms. mutare, ita sententiam restituissem:* Quem femina sancta in salis fodinam, per parentem suum Belam regem apud Marmoruff donatam, injecerat, repertus est, *etc.*

g *Solœcismus hic est; sed adeo planus, ut quivis intelligat.*

CAPUT XIV.

Beatæ studia ad maturandam canonizationem S. Stanislai episcopi martyris, ac devotio erga reliquias ejus, cum elevarentur; consilium fundandi cœnobii, in quod se olim reciperet etiam ipsa.

E

Crebrescentibus S. Stanislai episcopi miraculis mota

Annorum pene jam ducentorum spatium transfluxerat, ex quo beatissimus Cracoviensium antistes Stanislaus pro Christi et veritatis testimonio, ecclesiæ quoque suæ et Polonicæ plebis defensione, ab iniquo Póloniæ rege Boleslao, qui munificus appellatus est, et hujus nominis secundo, felici fuerat martyrio damnatus *a*. Qui etsi per omne illud tempus Polonorum incuria et neglectu, in terræ delitescens pulvere, stupendis et variis inclaresceret miraculis; nec Polonorum torpentia pectora ad procurandum canonizationem suam, quamvis claram nobilitatem ex eorum natione et genere duceret, signis et portentis quoditianis moverentur, cœpit benignitas Dei sub diebus Sanctæ præfatæ, cujus vitam prosequimur, multo amplioribus, quam prius, sanctum suum Stanislaum Cracoviensem episcopum mirificare prodigiis; ut in eo quoque Salvatoris clementia famulam suam Cunegundim speciali se favore ac præmio dignandam attolendamque ostenderet, quod in tempus principatus ejus coruscationem magis stupendorum miraculorum sancti sui Stanislai reservasset. F

B. Cunegundis urget ejus canonizationem.

130 Solerti itaque et prudenti conjectura Cunegundis beata otiosum non esse perpendens, quod in universorum Christianorum et suum ac Polonicæ gentis decus perfectum et gloriam infallibilis divina providentia decreverat insinuatum iri, maxima cura atque desiderio, ingenti quoque zelo et fervore tempore latam injuriam, et a Polonorum frontibus neglectum et cunctationis dedecus abstersura, canonizationem Sancti præfati apud sui sponsi terreni Boleslai ducis et suorum procerum, apud Prandothæ, qui tunc Cracoviensi pontificali præerat cathedræ, et sui cleri aures, intercessione indefessa et strenua solicitari cœpit, nihil negligens, nihil prætermittens, quidcumque ad rem hujusmodi canonizationis conducere arbitrabatur. In admirationem usque tam Prandothæ Cracoviensis episcopi, quam Boleslai pudici ducis, hæc muliebris in opus sanctum et meritorium consummandum tendebatur sedulitas; licet quoque et ipsi in rem pro

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

divino honore, amplitudine fidei, salute populi Christiani et splendore gentis Polonicæ conficiendam suas suapte navarent operas, et canonizationis opus quam ferventissima cura prosequerentur; raram tamen Sanctæ Dei et importunam solicitudinem vehementer non admirari non poterant.

Itaque ad summum Pontificem legati destinantur,

131 In quemdam ruborem quoque versi, [quod viros] a femina, et hac ipsa alienigena ætatemque robustam ab infirma superatum iri contingeret, canonizationis negotium, ea instigante, scrupulosius prosequuntur. Movebat et Prandotham pontificem, et Boleslaum ducem, clerumque et populum Polonicum hujus sanctæ Dei Cunegundis tam frequens operosaque solicitudo, certamque illis spem et optimos dabat animos, canonizationis negotium, etsi vetustate nimia oblitteratum, posse confici et obtineri; neque posse ad irritum cum laborem recidere, quem Sancta Dei admonebat tantopere assumendum. Delecti itaque ad rem hanc expediendam nuntii, et, sumptibus pontifice Cracoviensi Prandotha et clero
B contribuente, abunde provisi, ad Sedem Apostolicam sancti Dei Stanislai canonizationem petituri destinantur, magister videlicet Jacobus de Skarzeszow, utriusque juris doctor, decanus Cracoviensis. Hic quoque legationis hujus tam piæ et necessariæ erat princeps: quem etsi natura neque nobilitate neque statura donaverat
b (genere enim originarius *b*, et statura Zachæus erat) in corpore tamen pusillo vigebat vis excellens, cuicumque mortali comparanda, ingenii, facundiæ et doctrinæ.

qui negotium tandem confecerunt.

132 Is itaque cum magistro Gozuino, alias Gerardo, canonico Cracoviensi, et fratribus Prædicatoribus et Minoribus, viris doctis, atque zelum Dei habentibus, ad Innocentium quartum, Romanæ Ecclesiæ tunc præsidentem, perveniens
c *c*, et rem sibi commissam accurate et diligenter prosequens, efficacissima quoque probatione et testimonio sanctitatem sancti Dei Stanislai fulciens, [postquam] frequentes repulsas, difficultates et repudia tolerasset, allegante summo Pontifice Innocentio quarto, viri Dei tam insignem et mirificam, quæ allegatur, sanctitatem per tot
C temporum ætates et spatia, si vera et non commentata foret, celatum iri non posse; Reinaldo quoque Cardinali Hostiensi non sine ceterorum Cardinalium stupore et admiratione pertinacius, ne sanctus Dei Stanislaus canonizaretur obsistente; omnia tamen tam dura obstacula, dum novum miraculum a sancto Dei Stanislao patratum, qui Reinaldum Cardinalem suæ canonizationis hostem, subito infirmatum, corporaliter illi apparens et objurgans, subitæ valetudini restituerat, perfregisset; sanctus Dei Stanislaus cum singulorum mirifico [consensu] et acclamatione, in die Nativitatis serenissimæ Dominæ nostræ virginis Mariæ, in Assisiensi civitate et monasterio sancti Francisci, per Innocentium quartum canonizatus, et Sanctorum catalogo asscriptus est; prout de his omnibus, quæ hic carptim et abscisse ponimus, in Vita præfati sanctissimi patris et martyris nostri Stanislai,
d a nobis utcumque edita *d*, latius disseruimus.

133 Magistro ergo Jacobo de Skarzeszow decano Cracoviensi et ceteris nuntiis ex Romana curia revertentibus, et canonizationis beati Stanislai trophæa Cracoviam referentibus, cum ad levandum ossa Sancti ex tumulo octava mensis Maii dicta foret dies *e*, ut tam pontifices singuli Polonicæ ecclesiæ cum suo metropolitano, Gneznensi archiepiscopo, Fulkone, quam regni Poloniæ principes et proceres, in maxima multitudine et numero, Cracoviam miro devotionis zelo ad celebritatem tam illustrissimi diei confluxissent; Opizo quoque abbas de Meszano, qui tunc apud Poloniam Apostolicæ Sedis legatione fungebatur, coram adesset, levandi ex tumulo sacra ossa Cunegundis beata munus a Legato Apostolico, Opizone abbate et Fulkone Gneznensi archiepiscopo sibi supplicibus precibus concedi obtinuit *f*. f
Et in tempore constituto sub frequentia et conspectu pontificum, principum, procerum et maximæ multitudinis utriusque sexus profunda cordis contriti devotione et lacrymarum imbre manibus propriis levavit et extulit, et vino baptizata in thecis honestissimis condidit, amiciens nonnulla ex sacri corporis membris auro et argento et gemmarum fulgore. E

D *In elevatione corporis sacri operam confert Beata,* e

Deo gratias agens, quod id sibi obtigisset.

134 Nec exsatiari tunc poterat et in diebus sequentibus dulcedine et voluptate ineffabili, quod votis suis clementissimus Dominus per canonizationis beati Stanislai trophæa ipsam concesserat defungi, et in tempora principatus sui tam largitatis quam miserationis suæ dexteritatem dignatus est conferre. Tunc quoque dispensationis divinæ arcanum considerans, frequenti illud in sui armario pectoris stupens et tacita admiratione rimabatur, quod videlicet non alterius regis aut principis sortita erat quam Boleslai pudici Cracoviensis et principatum et connubium, quo illi struebatur via et occasio ad conservandum cælibatum et ad frequens æternæ retributionis præmium promerendum; bonorum suorum operum gloriosum se videns referre fructum, et singulari amore in Deum flagranti singulis suis actionibus supernam operam accedere, atque de immortalitatis stola, [per] ejusdem cooperatoris sui gratiam propediem consequenda, se de cetero securiorem fore.

Magnum opus ac perpetuum meditatur,

135 Omnem denique cogitationem suam virgo beata Cunegundis in laudem Conditoris sui, et pro dilatando funiculo fidei et religionis Christianæ, pro ampliando quoque sibi immarcescibili F
præmio, referens, cœpit frequenti suæ mentis æstuatione opera meritoria revolvere; secumque meditabunda conferre, quodnam aggrederetur opus, ad quale suarum manuum mitteret fortitudinem, quod in beneplacitum divinum et suum meritum amplius recideret, et utriusque hominis in ipsa atque proximo parturiret profectum; quodque non in præsens tantummodo duraret, sed etiam in posterum, diuturnitatem quoque præ se ferens, operis sui celebritatem et efficaciam assidua attestatione renovaret per exemplum. Nec meditari tamen et secum super his conferre contenta, omnipotentiam divinam, serenissimam quoque Virginem Mariam, et beatissimum Stanislaum, suum singularem patronum et suorum directorem operum, ceterosque cœlicolas, frequenti pulsabat prece et gemitu, ut animum suum in eas operationes per divini Spiritus haustum dirigereut, quas in suam et pro-

ximorum

A ximorum salutem versum iri contingerent, et per quæ substantiæ suæ terrenæ Christum Jesum unicum relinqueret tam successorem quam heredem.

ad exemplum S. Hedwigis imitandum.

136 Inspirata itaque divinitus, visum est illi bonum, ut feminarum monasterium erigeret, et, sufficienti dote collata, virgines illic plures numero de Ordine et regula sancti Francisci (quoniam in hunc Ordinem ab adolescentia propensius ferebatur) congregaret; morte Boleslai pudici Cracoviensis ducis sponsi sui terreni sequuta, illarum usura contubernio, et omnem reliquam vitam in illo cœnobio sub sanctæ observationis et regula rigore exactura. In montem siquidem altitudinis aviæ suæ beatæ Heduigis, Vratislaviensis ducissæ (quæ sub annis paulo ante transactis, virginum nobile monasterium Trzebnicense, tribus tantummodo milliaribus a Vratislaviensi civitate distans, insignem illi dotem tribuens, sub regula sancti Benedicti fundaverat, et viro suo Henrico, duce Vratislaviensi, satis absumpto, illic se concludens, sanctitate meruerat *g*) acie suorum oculorum, mentis videlicet B et corporis, intentissime respiciens, conatus omnes suos ad hoc unum impendit, ut vicem suam æmularetur in singulis, et simile fundaret atque exædificaret cœnobium, juxta sibi monstratum in monte *h* exemplar, Sanctis illam expressura operibus, quam et sexus et principatus conditione ac sanguinis identitate exprimebat; non ferens, se ab ea morum sanctorum et actionum altitudine vinci, cujus se meminerat surculum et propaginem; indignum reputans, palmitem a stipite sequestratum iri.

ANNOTATA.

a Martyrium *fecit* S. Stanislaus *episcopus anno Christi* 1079; *inter Sanctos vero canonice relatus est anno* 1253, *uti dictum est ad diem* VII *Maii, ubi Acta ejus et canonizatio fuse describuntur, et illustrantur.*

b *Id est*, vernaculus, *seu natus ex parentibus* C *certa quadam lege Domino suo obnoxiis; quales fere sunt agricolæ in partibus Borealibus.*

c *Hæc prima legatio facta est anno Christi* 1250, *ut suo loco narratum est.*

d *Eam ipsam nos dedimus ad diem modo assignatum, scilicet* VII *Maii.*

e *Anni nempe sequentis, Christi* 1254.

f *Hoc tamen tacuit auctor noster tam in Actis ejusdem Sancti (a nobis editis non ex Surio, sed ex alio exemplari impresso Cracoviæ anno* 1511, *hoc est, annis* 59 *antequam Acta Sanctorum Surius ederet) lib.* 3, *cap.* 3*; quam in Historia Polonica lib.* 7, *ad annum* 1254*; ubi de hac elevatione etiam agit; nec meminit item Cromerus lib.* 9 *: cum tamen locis illis* B. Cunegundis *faciant mentionem; ut cujus pietati ac studio canonizationis hujus expeditio præcipue debeatur. Quin imo locis modo citatis diserte affirmant*, ossa sancti Stanislai ex tumulo a pontificibus, qui convenerant, vino lota et levata esse; *quæ sunt verba Longini. Neque vero credibile videtur, nedum usitatum aut conveniens, ut in corona antistitum otiose spectantium, in frequentissima cleri, procerum, plebisque ac peregrinorum turba id muneris feminæ fuerit commissum. Quare si quid in hac re credam, id solum affirmatum hic velle auctorem nostrum existimem, hujus quidem celebritatis officia per sese antistites obiisse; nonnullam tamen operæ partem flagitanti Virgini permisisse, sive ob personæ dignitatem ac notam sanctitatem; sive ob ejus merita in S. Stanislaum longe maxima; quippe cui unice propemodum solennis ejus in Sanctos translatio tribuenda esset.* AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

g *Id est*, sancte Deo militaverat.

h In monte, *intellige*, in exemplo sublimi *sanctæ Hedwigis.*

CAPUT XV.

Fundatio monasterii Sandeciensis; Boleslai et Cunegundis votum solenne perpetuæ castitatis; professio tertiæ regulæ S. Francisci; austeritates miraculo comprobatæ. E

Beata sponsum excitat oratione fortissima,

Sponsum itaque suum terrenum Boleslaum pudicum Cracoviensem ducem conveniens, verba hujuscemodi apud illum facit : Vides, inquit, o illustrissime princeps, quod tam tu quam ego in diebus nostris processimus; ambo fati diem, qui longe abesse non potest, propediem et horam operimur. Summopere itaque ambobus nobis enitendum est, ut, postquam ambo orbi et sine liberis morimur, sanctis ac piis operibus quam maxime in vita insudemus, et conficiamus aliquod opus insigne, quod nulla abolere poterit temporis edacitas, nulla, quantumcumque sæviens, consumere tempestas, quod nobis divinam propitiationem conciliare poterit, nosque post terreni culmen imperii in sidereas mansiones ad æternum imperium transferre. Nunc siquidem laborandum, nunc operandum est, nunc insuper negotiandum, et ad pretiosam margaritam comprehendendam, omni substantia, si oportuerit, F venundata, insistendum operosius mercato. Deliramentum est salutis nostræ munus delegare successoribus, et operis ministerium in alterum conferre, quod tu ipse neglexeris.

ad fundandum parthenonem Clarissarum, apud Sandeciam;

138 Maturato opus est: nam nisi nos ipsi res nostras, dum vivimus, curaverimus; nisi interea, quo inter cœlum et orcum hæremus, cœlum violenter rapuerimus; nisi importune pulsaverimus, actum de nobis est, et a consortio visionis divinæ sequestrati, a nuptiis Agni cœlestis, clausa janua, excludemur; cum fatuis virginibus, ceterisque damnandis, qui sua timide administrarunt (quod clementia divina auferat) sortem accepturi. Subeat mentes nostras spes futurorum, fastidium præsentium, judicii metus, formido gehennæ. Arripe, quæso te, occasionem; et, ne te diutius verbis protraham, cœnobium virginum, quæ sub virginitatis proposito Domino famulando pro nostra salute interpellent, apud oppidum Sandeczense funda; et dexteritate ducali in signum et vicissitudinem amplissimæ dotis meæ paternæ,

quam

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

quam huc intuli, quamque mecum non refero, affluenti et perpetua dotatione constitue, salutis tuæ et meæ pignus certissimum apud Muneratorem cœlestem habiturus.

quod ille statim aggreditur,

139 Movit hæc oratio Boleslai pudici duci pectus, et obortis lacrymis, nihil se illi negaturum; sed et fundationem dotationemque monasterii sanctimonialium se liberaliter, et quæcumque alia pro communi salute ordinanda censeret, operis effectu impleturum, spopondit. Nec polliceri contentus, extemplo promissis dat virtutem; et in oppido Sandeczensi suo, quod hactenus vetus Sandecz appellatur, prope radices Alpium, quæ Poloniam ab Hungaria dividunt, duobusque fluminibus, Poprod videlicet et Dunajecz, haud longe ab oppido fluentibus, ambitur, quodque ea tempestate, propter frequentiam mercatorum illud colentium populosum ac dives fuerat, monasterium sanctæ Claræ, pro dicatis dicandisque Deo virginibus, sub titulo sanctæ et benedictæ Trinitatis erigit et fundat; præfatumque Sandeczense oppidum, cum molendinis et utriusque B fluminis ripis, villis quoque quamplurimis, prædiis quoque et introitibus earum, qui centum virgines alere sufficienter possent, et cum omni dominio, nihil sibi præter tutelam et defensionem relinquens, in dotem donat.

munificentia vere regia. a b

140 Ac singula eadem bona dotalia ab omni tributo, statione *a*, dacia *b*, et ab omni jure regali et ducali perpetuo eximit et libertat. Ecclesiamque cum monasterio pulcro opere ex muro, et singulas monasterii officinas consummat, tegens ecclesiæ tecta candida petra diuturnitatem præferente, et pulcherrimo tabulatu. Beata quoque Cunegundis calicibus, tabulis, crucibus ceterisque nobilibus clenodiis aureis et argenteis implet et exornat locum, et ex cœnobio sancti Andreæ Cracoviensi magis devotas et religiosas virgines assumens, in numero copioso eas illuc famulaturas Domino inducit; munusque fundationis et dotationis ad integrum conficit, omnibus suæ devotionis suique desiderii votis abunde perfuncta.

Sponsum inducit ad votum perpetuæ castitatis publice nuncupandum:

141 Templo materiali et cœnobio erecto et munifice dotato, virginibus quoque ad famulandum Domino noctibus et diebus impleto, ad aliud rursum templum soli Domino ædificandum, et in quo Dominus solus Jesus perdius et pernox foret, in animum inducit: desiderio siquidem et intentione integra dudum et ante plura tempora templum hujusmodi exædificare atque constituere c omni conatu, ex corpore videlicet suo *c*, nitebatur; sed proposito suo atque conatibus Boleslaus pudicus Cracoviensis dux, sponsus suus terrenus, obstabat atque refragabatur; parum securum sibi ducens ad observantiam perpetuæ castitatis seipsum voto solenni obligare: nondum enim producendorum liberorum, ad producendum ducalis sui generis stirpem, omnem spem deposuerat; sed in fatum virginis Cunegundis fiduciam suam et oculos extendebat, quatenus illa superiori tempore emortua, ipse, altera superducta, in spem successionis regni Poloniæ, ad generandum filios navaret operam. Sed ab eo proposito virginis beatæ Cunegundis assidua interpellatione persuasioneque deductus atque expugnatus, dum quoque dierum processu spes suas videret recidere ad irritum, vinculum matrimonii dissolvere D et perpetuam vovere continentiam consensit. Ad quam rem solenniter consummandam cum dicta dies advenisset, dux quidem Boleslaus pudicus in manibus Prandothæ Cracoviensis episcopi in Cracoviensi ecclesia votum hujusmodi sub præsentia multorum peragit.

ipsa vera regulæ tertiæ S. Francisci se mancipat, f

142 Virgo vero Cunegundis, virginitatis voto parum se astringere contenta, Boleslao duce permittente et præsente, in ecclesia sancti Francisci Ordinis Minorum in Cracovia sub cantu Missæ sonoræ, ad id unum solenniter actæ, in manu Poloniæ ministri, fratris Bartholomæi, rem divinam tum exequentis, voto primum perpetuæ castitatis se obligans, etiam regulam *d* Fratrum d Minorum assumit, et illam apud manus ejusdem ministri ad altare majus publice et solenniter profitetur, ac tunica et habitu de panno griseo hispido se ex tunc amiciens, et femur chorda cingens, fidelis et vera beati Francisci filia, fideliter et veracissime ejus institutionem et regulam de cetero æmulatura; tria Ordinis essentialia, voluntariam videlicet paupertatem, obedientiam *e*, e et castitatem quam tenacissime custodiens, im- E plens et observans; et severioribus austeritatibus, quam ante, corpus suum edomans; susceptionem et professionem religionis suæ apud Deum et homines habitum iri rata ludibrium, si nihil districtionis illi adjecisset, gratius in sui habitaculo corporis templum Domino Deo Jesu Christo constituens, quam in Sandecensibus oris struxerat.

et ad novum habitum vitæ rationem componit,

143 Ad sanctæ religionis, quam oris professione et habitus indumento assumpserat, consequendam efficaciam et perfectionem, omnes suos conatus dirigens, singulasque intentiones suas ad id unum reflectens, ut [magis] esse, quam videri religiosa posset, maximo ardoris sui proposito adnitebatur; ut non singulas ejus partes apprehenderet, sed totam continuo in suum jus pertraheret, illamque sibi velut familiarem et domesticam vendicaret. Cujus rei gratia omnem rerum temporalium curam, omnem vestimentorum intrinsecorum et extrinsecorum superfluitatem et mollitiem a se abjiciens, vili pallio griseo et tunicella, quam chorda canapea cingebat, contenta, F omnia sua indumenta priora usque ad annuli signaculum in ecclesias, monasteria et pauperes erogavit; non aliter se religiosam et in religionis sanctæ proposito constitutam rata, quam si ipsa vilior, turpior, nudior, despectior atque miserabilior ceteris appareret et esset; pro summa ducens voluptate et dulcedine, si matronis et feminis ceteris, quamvis statu et conditione inferioribus, suos habitus et ornamenta retinentibus, ipsa sola truncato, et despecto, et qui corporis sui solam nuditatem excluderet, incederet vestitu.

spiritualia sectans, et carnem tam aspere tractans,

144 Sed et secularium virorum familiaritates et conversationes a se sequestrans, virorum tantum et matronarum spiritualium et religiosorum, et horum tantummodo, quorum sanctitas et religio vulgatior habebatur, eruditioni doctrinæ et conversationi se adjiciens, tenacius inhærebat. Vilescebantque illi omnia transitoria et caduca, mundusque iste carcer sibi et fœtens sterquilinium videbatur. Ac frequens ministerium Marthæ perosa, a bona solicitudine bonoque opere in optimas

A mas quasque contemplationis partes cum Maria se transferri magnopere suspirabat. Sed cum id sibi, sponso terreno duce Boleslao pudico Cracoviensi vivente, videbat parum consentaneum, parumque possibile, (quippe qui in illam plurimarum rerum terrenarum curam et ordinationem conjecerat) ad pietatis opera et carnis macerationem propensius se totam convertit, singulis miserabilibus personis impartiens, carnemque suam non cilicii tantummodo duritie (quod illi in usum atque habitum versum erat) sed flagellatione crebra verberans, jejuniorum quoque et abstinentiarum frigore illud assidue atterens, carnem non gustans neque vinum contingens. Cumque in tam dura carnis edomatione transissent dies plurimi; et ipsa nihil de austeritate abstinentiarum carni remitteret, caro sua tenera, delicata et nobilis attritionem tantam non ferens, fame contabefacta et lurida, deformem speciem præ se ferens apparebat.

ut præcepto confessarii cohibenda fuerit;

145 Concepit ob id Boleslaus dux ingentem bilem. Ceteri quoque rem ipsam molestia et fastidio carpebant, quod Cunegundis tam crudeliter in seipsam, parum sensata religione, mortem illi, si celeriter non rescindatur, allatura sæviret. B Eadem ratione atque respectu confessor suus, Frater unus de Ordine Minorum, perculsus, ne sub suo regimine atque magisterio mors illam violenta per famem et inediam occuparet, ac neglectæ disciplinæ in illum culpa recideret, blande primum illam a suo revocare satagit proposito; verum cum videret singulas blanditias nullum afferre profectum, ad imperiosa se convertit, et sanctæ obedientiæ potenti virtute præcipit, quatenus, abstinentiarum rigore laxato, ad communem vitæ cursum reversa, carnibus et vino uteretur. Hac jussione Virgo Dei perfracta, etsi illam aliquanto precibus refelleret, ad extremum tamen, confessore suo per obedientiam eam urgente, mandato suo, ne professionis suæ normam prævaricatum iri videretur, refragari non ausa, illam exequi, ægre tamen et anxie, pergit. Et diuturnæ suæ religionis observantia temerata, carnes et vinum, majorem habens in illorum usu horrorem quam voluptatem, contingit, C sponsum suum cœlestem Jesum Christum propius longo sermone contestata, quod sanctæ obedientiæ constricta vinculo, ad esum potumque illum divertisset, enixius supplicando, ne refectio ipsa reputaretur sibi in reatum.

donec is, miraculo convictus, mandatum rescidit.

146 Sed neque in ea suæ mentis anxietate et dolore Dominus illam contristatam et mœrentem sine consolatione reliquit; ut monstraret, quam salubris sanctæ foret virtus obedientiæ, et esum carnium, non ex edacitate aut gulositate, sed ex obedientia prodeuntem, sibi et in præmium duplicaret et ad coronam. Postquam etenim jussione confessoris sui, et tam ducis Boleslai, quam suorum omnium prece et instantia, pervicta, carnes edere cœpisset, miro miserationis divinæ modo sapor carnium, quamvis exquisite et delicate præparatarum, in piscium saporem sensibiliter conversus, mirifice Ancillam Christi inæstimabili hilaritate et gaudio implevit, gloriante illa in animo suo et totis exultante præcordiis, quod beneficio divino adjuta, mortalium impressionibus superatis, a desiderio suo fraudata non fuerit. Magnalia autem Dei in se tunc ostensa, famula Dei Cunegundis supprimere indignum rata, ea confessori suo et nonnullis personis secretorum suorum consciis aperit; oratque confessorem, ut arcanum illud contegens, ad carnium esum ipsam obedientiæ imperio non impellat. Applaudens et ille miraculo, et ordinationi divinæ refragatum iri parum tutum ducens, omni severitate deposita, abstinentias singulas illam pro suo libito implere, et ab esu carnium potuque vini cessare permittit et indulget; monitus supernos præstantiores quam terrenos existimans, et humanis scitis cœlestia præferens.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

ANNOTATA.

a Statio *et* Stagium *est obligatio, qua vasallus tenetur stare in castro Domini sui, sive pro eo tuendo contra hostes suos, sive ex alio debito, inquit et probat Cangius in Glossario.* E

b Dacia, data, datia, datium *tributum est seu pensitatio, sic dicta, quod olim soleret esse gratuita. Vide Cangium.*

c Suo *pro* ejus, *nempe Boleslai; ut patet ex sequentibus.*

d *Eam scilicet, quam* tertiam regulam *vocant.*

e *Quæ hic habeutur, aliquanto latius intelligenda sunt; prout nempe tertiæ regulæ S. Francisci et Virginis conjugatæ ac principis in aula commorantis conditioni congruunt: neque enim* Ordo, paupertas, obedientia, religio, *hic Ordinem religiosum, aut paupertatem et obedientiam absolutam, qualis religiosorum est, desiguant; ut legenti palam fiet.*

CAPUT XVI.

F

Nudis pedibus incedit, licet id sæpius prohibita; labore suo pauperes alit; defuncto Boleslao, et spreto principatu sibi obtruso, monasterium ingreditur.

Nudis pedibus incedit etiam hieme,

Parum ducens famula Christi Cunegundis parco et castigato victu per abstinentias multiplices corporis sui domare et affligere membra (utpote quæ per singula sua membra sponso suo Jesu Christo gestiebat ardentissime grata offerre per singulos dies holocausta) omnium calceamentorum usum a pedibus suis abdicat; et per omnes partes anni: vere videlicet, æstate, autumno et hieme pedibus nudis et intectis, Christi Domini sui vitam et actionem pro suo modulo expressura, et suæ satisfactura tam religioni quam professioni *a*, nudo et invelato pede ambulare condiscit. Non illam imbres, non gelua, non frigora a

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

gora, non pruinæ, non boreas Poloniæ regionem statu suo diutius premens et verberans, non hiems, quæ apud Poloniæ regnum frequenter æstati conjuncta est, a tam sæva suorum pedum attritione revocarunt, quin gressibus suis, quocumque ad ecclesias et monasteria ceteraque loca cundum esset, calles duros, frigore gelatos, aut nive, pruina, aut luto oppletos, læto vultu, sed pectore lætiori, contingeret, ac vestigiis pedum calles eosdem ex rupturis et rimis, propter atrocitatem et duritiem itineris causatis, frequenter cruentaret; Gaudio immenso exultans, quoties de pedum suorum ruptura sanguineas videbat stillare et eliquari guttas; cæsum redemptoris sui corpus Jesu Christi varia flagellatione, verberatione, spinarum coronatione et crucis confixione rememorans, ac illi utcumque in suo corpore configi magnopere exæstuans.

et confessarii, id prohibentis, imperium pia fraude eludit,

148 Cum autem in pedum rupturis sanies sanguini succedens deflueret, et ex assidua irritatione consolidationi et medelæ non daretur locus; famula quoque Domini Cunegundis B grandem torturam per renovationem et apostemationem vulnerum sustineret; frater Ordinis Minorum, confessor suus, et a matronis, quæ illi erant in familiaritate et obsequio, et quæ suos quotidianos contemplabantur cruciatus, rogatus et persuasus, ac suapte suis tunsionibus compassus, mandat illi in obedientiæ sanctæ virtute, ne de cetero tam insensate quidquam in se crudeliter committeret, neve in quæcumque loca propinqua vel remota egredi absque calceamentis auderet. Læta Famula Christi ea interdictoria jussione (utpote quæ et sui propositi sanctæ et religiosæ libidini noverat se simul parere posse et superioris sui jussioni) calceamenta adhibens, non tamen illis pedes velans, illa ad cingulum alligans, et quocumque ire pergeret secum illa trahens, præceptum sui superioris se eo pacto implevisse absque propositi sui evacuatione lætabatur.

et quidem iterum ac tertio;

149 Verum cum hujusmodi pia vafritie se ludificatum iri agnovisset, strictiori imperio velare illam calceamentis pedes, et nulli alteri membro aut loco adhibere ipsos jubet. Nihil etiam eo C præcepto molestata, novo calliditatis genere pro evacuando imperio usa, jussionem confessoris exequendo, calceos quidem ad pedes induit; sed calceis, quos induerat, subsellia *b* et partem inferiorem, quam planta calcare solet, ademit. Ac sic geminato dolo, confessoris sui exequutura imperium, illum per plura tempora pia concertatione, dum nil doli amplius ingeri posse suspicaretur, extrahit et eludit. Sed cum dolus ipse a pedissequis, quæ arcanum id, magna contestatione per eam obstrictæ, celare debuerant, confessori proditus esset, et confessor ob id molestior illi fieret, ac ipsam gravius et pro sua delusione et pro præcepti transgressione reprehensiones suas ferret; ad extremum illam subsellia calceamentis et socculos pedibus adhibere, et absque illis nusquam incedere districtissime et contestatur et jubet. Quod cum illa se impleturam annuisset; subsellia quidem calceamentis et socculos pedibus admovit, sed in tam tenui quantitate et mensura, ut tam subsellia quam socculi puellaris digiti quantitatem non excederent.

150 Cumque et ea prodita vafrities confessori D suo a matronis, passiones sui corporis execrantibus, foret; ille jam non tam Feminæ beatæ transgressioni, quam suæ delusioni iratus, durius illam corripere pergit, ac multiplici sermone, quod obedientiæ sanctæ a se sibi facta præcepta tam frequenter temerasset, quod jussa sua nihili pendisset, quod illum ostentui et ludibrio habuisset, severius quam pro merito coarguit; nec verbis contentus, facta addidit. Et quasi gravius aliquid deliquisset, pœnitentiaturus, eam in humo nuda sedere, et calceos subselliis vacuos, quibus illum fefellerat, collo suo virgineo, et socculos pallio ejusdem impositos tenere mandavit; quatenus pudorem suum secum ferret, et spectaculo rerum, quibus dolum pium commiserat, patefacto, ampliorem Famulæ Christi a circumstantibus ruborem injiceret. Tulit id opprobrium patientissimo animo Virgo Christi; et tam illa quam et alia patientiæ gravamina, quæ illi confessor suus iratus injunxerat, prono et devoto animo, juxta ac si pro atroci delicto, implevit; quin etiam ad gratiarum actiones in Deum conversa, laudare et magnificare nomen suum E enixius non destitit, quod perpeti illam eas reprehensiones et ludibria permisisset.

ac tandem deprehensa, severe mulctatur.

Otii fugitans Labore manuum pauperes fovet.

151 Sub omni autem suæ vitæ tempore, sed præcipue ex quo religionis sanctæ normam professa est, omne otium, non secus quam pestem aliquam mortiferam, perosa, aut orationi, aut contemplationi, aut labori vacabat; ut generis humani hostis diabolus semper illam in aliquo meritorio opere offenderet occupatam. Et ab horis quidem primis usque ad meridianas, incessanter orans aut contemplans, aut geniculato orabat corpore, aut capite curvato. Refectione autem sumpta, manus suas mittebat in negotium et laborem. Omnem illum quæstum, quem propriis manibus conquirebat, aut in ecclesias et monasteria, aut in egenos et pupillos, et miserabiles personas, suppletura omnium indigentium necessitates, summo studio, summo affectu erogabat. Gratiorem eam largitionem atque eleemosynam in oculis Domini Dei fore existimans, quam propriis manibus elaboratam et quæsitam suæ majestatis conspectui et honori dedicasset; F nihil apud Christum sponsum cœlestem suum rata pretiosius, quam quod suis ipsa elaborasset articulis.

Moritur Boleslaus 1279, 10 Decembris. Sponsæ brevissimus dolor.

152 Octavum jam lustrum, ex quo virgo sancta Cunegundis continentiæ et virginitatis loris corpore suo adstricta, cum terreno sponso suo Boleslao pudico Cracoviensi duce sacrum connubium, vel, ut verius dixerim, inclitum martyrium exegerat, tendebatur; dum interim præfatus Boleslaus Cracoviensis dux, et Polonorum monarcha, ægritudine correptus, domo sua sub tempore valetudinis justius, quo poterat studio, et opera famulæ Dei Cunegundis, salutem suam mira cura zelantis, disposita, et Sacramentis omnibus ecclesiasticis perfunctus, quemadmodum catholico et religioso principi conveniebat, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, quarto Idus Decembris *c*, in arce Cracoviensi decedens e vita, rebus eximitur humanis. Quem fletu modesto, eo tantummodo die, quo obierat, velut virginitatis suæ socium, et suæ

A suæ integritatis custodem deplorans, ita se tota altero die ad Deum convertit; ut mortem suam exoptasse videretur. Tunc enim manifestis et evidentibus indiciis proditum est, quod nihil illi, vivente Boleslao duce sponso terreno, nocere poterat dignitas principatus; quoniam alterum zelata sponsum, soli illi pectore et corpore militabat, solum illum requirebat, soli illi placere studebat; et cœlestem illum zelotypum se sciens habere sponsum, soli illius amori castissimo animo incumbebat.

Beata recusat delatos sibi Boleslai principatus,

153 Quapropter corpore Boleslai ducis ad monasterium sancti Francisci Ordinis Minorum in Cracovia ad sepeliendum cum proceribus, clero quoque et populo, conducto et tumulto, et juxta traditionis Christianæ normam tam animæ quam funeri justo officio impenso et persoluto, proceres regni universi, et imprimis Paulus Cracoviensis episcopus, illam circumfusi orant, et variis tam precibus quam interpellationibus certatim fatigant, ut vacans ex morte sponsi sui terreni Boleslai ducis ducale imperium, in aliquot
B principatus distinctum, in suam ditionem et regimen assumere dignaretur; spondentes, se illi æque ac Boleslao duci in singulis obedienter parituros. Cultissimi enim mores sui gravitate et modestia conditi, efficiebant, ut muliebri imperio se et sua omnia et principatus singulos viri subternere ducerent non indignum, et feminæ,
d quam viro *d*, mallent parere. Tum illa hujusmodi vocibus et obsecrationibus ad miserationem, qua semper affluebat, abandantius provocata, non pervicta, post uberrimas lacrymas in commiserationem eorum procerum sibi supplicantium, quos extemplo relictura erat, effusas, saluti suæ de cetero, non regno, operosius consultura, vitæ quoque contemplativæ, ad quam omnifariam præcordiis, vivente Boleslao duce, aspiraverat, liberius datura operam, sireneos cantus obturata aure transivit, oblatumque sibi terrenorum principatuum dominium repudians, actis gratiis pontifici Cracoviensi Paulo et proceribus, qui eam tam alto dignarentur honore, respondit, non se de cetero cum mundo et ejus actionibus quidquam velle habere commune; sed nec magistratum
C illum suæ et illorum conditioni convenire; proinde aliam personam, quam se, quærerent, suffecturam tantæ moli ac oneri, ac spebus eorum speciosius et justius responsuram.

magna omnium comploratione;

154 Repulsam passi, dum illis dubia antea spe et suspenso metu certus orbitatis suæ eventus ex responsionis famulæ Dei Cunegundis innotuit, gravius aliquanto quam pro merito ingemiscunt, obortisque lacrymis de suis casibus queruntur, infelices se et parum curæ Superis rati, quod sub unum diem fortuna accumulante vulnus, utroque principe orbati sint; majorique torrentur dolore super principe, quam illis religionis devotio eripuit, quam quem naturalis mors absumpsit, majoresque plangentium gemitus, et infelicium matronarum et virginum orphanorumque et pupillorum ceterarumque miserabilium personarum ululatus, longe lateque personans, parentem et curatricem unicam sibi eripi vociferantium, vocesque inconditas et planctus emittentium exaudiebatur; manusque tendentes in cœlum, nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflent, Superos accusant, quod tam illustria principum decora, et suarum virium atque fortunarum tam ornamenta quam munimenta, quibus in omnes casus tutabantur, immature abstulerint.

et cum sorore, relictis omnibus,

155 Tandem finem fletibus et querelis discessionis necessitas imposuit, dum pontifex et proceres ad providendum sibi de successore et ad formandum novum regni publicum statum dilabuntur; et illa grandem vim veri amoris in Deum dudum gestans, honorem seculi et illecebras mundanas perosa, Egypto relicta, et omnibus seculi pompis calcatis, habitu regularium *e* e
professorum hispido, mox una cum germana sua sorore Jolentha, Boleslai ducis olim Calischiensis relicta, se amiciens, et omni ducali supellectili usque ad annuli signaculum a se repudiata, et in egenos ac ecclesias distributa, ad monasterium antiquæ Sandecz, opera sua fundatum et exstructum, in quo multus sanctarum virginum, etiam ex ducibus suæ originis stirpem ducentium sustentabatur numerus, ire pergit; atque in ejusdem monasterii secretioribus et abditis deligit commora- E
ri; magni animi signum, et perfectæ virtutis indicium ostendens, subito expertæ ultroque oblatæ dominationi renuntians, novas sibi oblatas illecebras abhorrens, novasque flammas et laqueos ardore fidei confringens.

assumptoque Clarissarum habitu, Sandeciense monasterium ingreditur.

156 Veniebat ei tunc in mentem atque considerationem, Salvatorem nostrum osorem fore medii *f*, et tepidorum, ut Apocalypsis testatur, evomitorem: quapropter frigida deferens, et a f
mediis se subducens, ignita et calida sibi de cetero sectanda assumpsit; nihil quietius, nihil purius et a seculi actionibus sequestratius fore debere dictitans mente, in Dei habitaculum præparanda; non manu tantum et lingua, sed et corde innocentiam custoditura; et amplius contendens implere, quam quo illi subscriptum fuerat, ostendit, sibi minus mandatum fuisse, quam quæ implenda concupiverit. Itaque, a vinculo matrimonii morte fratris potius quam mariti absoluta, religionis ingenti cupiditate acta, Christum redemptorem suum nudum nuda sequeretur. Et proinde, calente adhuc viri corpore, in ecclesia et monasterio sancti Francisci Cracoviæ votum sol- F
vens, et habitum sanctæ Claræ, finitis funebriis, necdum ecclesia egressa, suscepit; seque ipsam abnegans, collum impigra jugo divino submittit, ac ad monasterium Sandeczense pergit: hunc enim sibi locum, quasi tranquillum aliquem portum, delegerat, in quo turbulentis mundi turbinibus, ad contemplandam futuræ vitæ felicitatem conversa, vacaret.

ANNOTATA.

a *Atqui id regula tertia S. Francisci non præscribit, ut nudis pedibus incedant, qui illam profitentur; sed nempe quia pœnitentium illa regula dicitur, hinc quaslibet sibi corporis afflictiones per illum convenire Beata censebat, tametsi præscriptæ in regula atque expressæ non essent.*

b *Patet*

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

b *Patet ex adjunctis, per* subsellia *intelligendas hic esse* soleas.

c *Eumdem annum, mensem, diem notat auctor in Historiæ Polonicæ lib.* 7 ; *et consonant Michovius et Cromerus.*

d *Nempe Leszkoni nigro, duci Siradiensi ; quem Boleslaus sibi adoptaverat ac designaverat successorem ; quique etiam a proceribus electus est, postquam* Cunegundem *frustra expetierant.*

e *Hactenus enim tantum gestaverat habitum, quem S. Franciscus hominibus secularibus in tertia regula præscribit.*

f *Id est, mediocritatis, sive medii status inter vitia et virtutes, utrimque aliquid habentis.*

CAPUT XVII.

B

Mortificatio in elaustro et studium perfeetionis; patientia; consolatio per imaginem Christi erueifixi ; temeraria suspieio, ejusdem imaginis voce eorrepta ; abstinentia singularis.

Beatæ abstinentia rigida in monasterio,

Claustra monasterii Sandeczensis ingressa, et cellam communem inter sanctimoniales sortita, suæ religionis et devotionis proposito potita, singulari et uberiori in Deum implebatur hilarite, qui illam monasticam vitam adeptum iri tribuisset ; asperiorem vitam ducens, omuem usum carnium a se in diem usque mortis abdicans, parco et castigato victu contenta, una tantummodo vice in die, quantum ad imbecillitatem corpoream levandam satis putabat, cœnabat. Assidua doctrina, exhortatione et exemplo universum sanctimonialium gregem pascens, et ad virtutes sanctosque mores, ad cultum animi et religionem incitans et conducens. In regula autem sui Ordinis suæque professionis erudita plenius C quæ et circa divinum cultum et religionem ac disciplinam Ordinis sui servanda sunt, continuo sese in jejuniis et orationibus, in abstinentia et castitate exercere et dilatare cœpit, brevique omnes contubernales in admirationem sui vitæ sanctitate perculit.

mortificatio, humilitas, ardor ad perfectionem,

158 Quapropter etsi in edomanda et disciplinanda carne, in frangendis terrenis affectibus, in præstandis jejuniis, in adimplendis obsecrationibus, in tenendis vigiliis, in observando silentio arctiori pergeret calle, et omnia duriora ac difficiliora pro Christi nomine carnem pati et spiritum exequi cogeret, nec se ut dominam ingenuam et ducissam, sed servilem personam atque omnibus sororibus inferiorem vilioremque exhiberet, ita ut etiam hebdomadam illam ex ordine contingentem adimpleret administrando iu singulis tam officiis quam officinis, præstando sororibus obsequia, coquinæ se deturpando squalloribus, et ollas, calices, discos et quæque popinæ utensilia propriis baptizando et purificando articulis ; profundo tamen pudore seipsam contorquens, et ad quæque potentiora dirigens, propria et tacita conducebat adhortatione : Hic dies, inquit, Cunegundis, hic locus, hic status, hæc religio alios mores, aliam vitam, aliam disciplinæ et perfectionis monasticæ normam expostulat. Erigenda tibi altius in Deum mens est, sanctioribus et magis virtuosis magisque meritoriis invacandum operibus ; ut quarum imitaris religionem, æmuleris quoque virtutes et opera. Angusti itineris arreptura callem, seclusisti te in sanctarum virginum contubernium et cœnobium. Cave, ne in monasterio posita, his actibus, quæ in seculo agebas, inferior comproberis. D

159 Hæc et hujusmodi alia frequenti ingeminatione apud se revolvens, ad pulcherrima et modum ceterarum virginum excedentia edenda devotionis et religionis facinora uberi instigatione concitabatur, sanctisque et divinis cœpit vacare operibus : nam et hispidiori amictu se contexit, rigidiusque cicilium carni adhibuit ; quietis solita tempora coartavit ; duplicavit abstinentiam, parco et castigatiori cibo contenta ; obsecrationes auxit ; pietatis etiam et miserationis opera fœnore multiplicavit duplicato, et sub brevi tempore in omni virtutum genere et religionis sanctæ perfectione adeo fulsit emicuitque ; ut potens jejuniis, humilitate conspicua fide firma, patientia robusta, facile se antiquis monialibus virtutis studio vel æquarit, vel prætulerit : ut non ex seculo illam sed ex eremo ; non ex aula, sed ex cella et priscorum anachoritarum exercitio mirareris advenisse. E

qua veteranas omnes brevi superavit,

160 Siquando vero caro sua infirmior spiritui suo ardenti repugnans, rigorem cilicii, abstinentiarum, vigiliarum, ceterarumque monasticarum disciplinarum fastidiendo gravius aut molestius ferret ; tum illa ad contemplandum mente cœlestia, quasi in quamdam recurrebat arcem ; et torporem carni exprobrans, ut illam obedientiorem sibi in dies efficeret, apostolicum scutum assumens, aiebat : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam revelandam in nobis.

oratione spiritu carnem stimulans.

161 Non ferens deinde, ut sibi quarumcumque prærogativarum ultra ceteras sorores series præstaretur, sed communem se et servilem rata ancillam, nec de præterita castitate aut religione confidens, sed cuilibet regulari observantiæ se substernens, sorori Dorotheæ, sibi per abbatissam monasterii ad erudiendum illam datæ, obedienter paruit, venerata illam, non ut magistram tantummodo, sed ut parentem, auscultans ejus imperiis et custodiens documenta. Cum autem dierum processu magistram suam præfatam sororem Dorotheam ad nonnullas levitates, religionem infuscantes, comperisset lapsam esse, et in usum quotidianum illas vertisse, charitatis amore succensa, magistram suam, ut cum levitatibus hujusmodi faceret sequestrum, honestius quo poterat, obsecrare monereque non destitit ; asserens gravitati religionis et ipsius conditioui levitates ipsas non convenire. Sed soror prædicta Dorothea, piam admonitionem non sustinens, et in contumeliam gravem referens, quod magistra ipsa a sua discipula ordine transverso doceretur, in bilem versa, opprobria plurima in Clientulam suam effudit ; nec semel contenta effundere, F

Magistram, de vitiis modeste admonens multa patitur;

A fundere, crebris illam maledictis et improperiis apud Crucifixi imaginem *a* et in auribus sororum incessebat.

sed cœlesti voce ex imagine Crucifixi recreatur.

162 Cumque contumelias et improperia hujusmodi rescinderet nemo, et famula Dei Cunegundis illis exsaturata, patientiæ scuto opposito, æquo animo et obturata aure illas per dies plures ferret, pro comperto habens, non fuso sanguine tantum, sed tolerantia eontumeliarum martyrium quæri, tandem apud imaginem Crucifixi illi prostratæ, et solitarie oranti pro sua persecutrice et contumeliatrice ex more, et meditationibus passionis Dominicæ incumbenti, vox ex imagine personuit, admonens illam, ut armis patientiæ munita, Dominicam orationem et symbolum, quoties imaginem Crucifixi præteriret, effunderet: sciret, se a contumeliis et maledictis in eam sparsis liberatum iri. Qua voce in ardentem devotionem et in lacrymas effusa, jussione impleta oraculi, persecutrix et persecutio nutu divino conquievit.

Beata temere de alia sinistre suspicatur;

163 Propriam tunc ancillæ Christi Cunegundis patientiam oraculo divino patefecit Dominus; sed
B in eo prodigio, quod relaturus sum, non sine tamen ejusdem virginis Cunegundis ampla gloria, alienam. Clara, una sororum, urceo aquam ad coquenda cibaria pro sanctimonialibus concite afferens, et parum accurata providentia in haurienda aqua utens, ollæ ad coctionem destinatæ
b undam infundens, ranam *b* etiam cibo decoquendo admiscuit casu haustam. At ancilla Christi Cunegundis, quæ in ordine vicis suæ sub eo tempore administrabat coquinam, studio id, non casu, actum rata; nec suam, sed singularum sororum miserata salutem, quas rana ipsa et sororis Claræ callido ingenio suspicabatur venenatum iri, sororem Claram de vitio virulentiæ benigne coargutam ab officio popinariæ amovit. Quæ se tali opprobrio amaris suspiriis dolens confusam, et præter confusionis notam verita, ne ceterarum sororum contumeliis et execrationibus incesseretur, ad clementiam Salvatoris confugit, et eam supplicibus precibus fatigare non destitit, quatenus illam nihil sibi consciam a tam ignominiosa labe vindicaret.

sed errorem cœlesti voce edocta deprecatur.

C 164 Non tulit benignitas Dei et hujus notam, et ancillæ suæ Cunegundis parum justam suspicionem. Oranti itaque famulæ Christi Cunegundi et ante imaginem passionis Christi ex more in faciem prostratæ, vox ex imagine passionis prodiens revelat, sororem Claram nulla in re noxiam fore, neque ranam ad sororum interitum, sed per casum attulisse. Quo oraculo in sanctimonialium auribus recitato, et Claræ innocentia et famulæ Christi Cunegundis sanctimonia et modestia plus solito proluxit: ad pedes enim sororis Claræ in sororum ceterarum conspectu provoluta, veniamque pudore profundo precata, singulas sororum suæ mansuetudinis et humilitatis ædificavit exemplo.

Mortificatio gustus.

165 Impletura exemplo et opere, quod se, dum apud seculum ageret, implere suspirabat corde; ab eo tempore, quo Ordinem professa, monasticam vitam aggressa, inter sorores habitare cœpit, omnem carnium esum, etiam quantolibet detineretur languore vel debilitate, a se prorsus abdicavit dispulitque; ut in diem mortis suæ nullo carnis edulio vel sorbitiuncula delicatiori, quamvis id plerumque gravior valetudo exposceret, uteretur. Ciborum insuper singulorum saporem et condimentum perosa, quamlibet dulcedinem et delectationem illorum, juxta atque virus studiosus devitabat. Si quando vero in cibo aliquo saporem aliquem persensisset, illico illum et ab ore et conspectu amovit; ne non tam ore gustare quam oculis libare de illo quidquam videretur; et ad eos, qui stipe vivebant aliena, transmittens, in egenorum, pupillorum et viduarum visceribus illum recondidit.

Dies Veneris et Sabbati memoria et imitatione patientis Christi et Mariæ colit;

166 Veneris diem in passionis Christi præcipuam recordationem et memoriam [insumebat], vulnerum Christi meditationi intenta, stupendo animi sui zelo, quem ad domandam propriam carnem gerebat, illibatæ castitatis amore accensa, non tantum illam Cerere privabat et Baccho; sed et, si quando aliquos vel leves motus rebellionis eonsurgere sentiret, virgis et flagellis, nonnunquam et accensis candelis, sic earnem affligebat, adurebatque, quod omni libidine effugata, per doloris immensitatem virgineum corpusculum tabificum efficeret. E Diem vero Saturni in beatissimæ Virginis Mariæ decus, et laudem compassionis ejus, sub tempore passionis Filio exhibitæ, agens contemplationem, pro omni tempore vitæ suæ singulis septimanis sub exactissima abstinentia deducens, nonnisi sub vesperam simplici pone et luculenta aqua corpusculum debile sustentabat; omni tempore dierum illorum in oratione et contemplatione absumpta *. * an absorpta?

item vigilias et jejunia Ordinis severe exigit.

167 Vigilias vero Christi, necnon sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum non solum ab Ecclesia institutas, sed etiam extraordinarias, in cibo quadragesimali castigato et parco usque ad crepusculum et jejunabat ipsa, et plurimas sorores vel exemplo, vel prece, aut pretio ad jejunandum inducebat. Vigilias vero Genitricis Dei Virginis Mariæ singulas, cum tam arcta sui corpusculi producebat maceratione, ut diebus illis nullo penitus cibo, interdum vero solo pane et aqua pura uteretur. Parsimoniam et abstinentiam singularem in diebus quadragesimæ Ordinis, quæ a festo Sanctorum omnium sumens principium ad festum Paschæ tendebatur, custo- F diens et observans, sine medio et aliqua interruptione, vini etiam usu repudiato, rarissime de illo, et nonnisi in magnæ suæ necessitatis articulo, parum quid, aqua pro parte majori intermixta, adeo ut vix sapor vini sentiretur, sumere admittebat. Simplici autem et exili cervisia, quam etiam frequentius, ne sapor qualicumque palato illuderet, lymphabat, contenta, nonnisi inter cœnandum illa parce nimis et abscisse utebatur. Tempora cetera sic in laudem Conditoris et ædificationem proximorum dispensabat, ut non sineret quantulamcumque horam labi, in qua sibi non conficeret aliquod meritum, et suæ religionis et sanctitatis non aliquod depromeret relinqueretque signum.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

ANNOTATA.

a *In loco scilicet, quem vulgo capitulum vocant; ubi deferuntur et plectuntur, quæ notata sunt in religiosis vitia.*

b *Vel bufonem fuisse necesse est, vel ranam ex eo genere, quod rubetarum nomine Latini vocitant, cujus quidem venenum aiunt esse præsentissimum.*

CAPUT XVIII.

Patientia frigoris et caloris, orationes et exercitia diurna ac nocturna, communia et privata per dies singulos.

B

Fugit balnea; vestes æstivas hieme, hiemales æstate gestat.

Frigore jejuniorum et abstinentiarum carnis incentiva omni religionis conatu satagens exstinguere et in obedientiam spiritus contundere, omnem et balnei et cujuslibet lavacri fomentationem a se prorsus abjiciens, rarissime et nonnisi [cum] divinissimo Eucharistiæ Sacramento refici debebat, vultum et ora parumper abluere sustinuit, ne aliqua voluptatis stilla animo ejus etiam ex aquæ lotione insideret; et tam sibi quam aliis appareret abjectior. Sub æstivo etiam tempore, dum ceteræ sorores solis ardorem evitaturæ, vestes teneriores induerent, hæc sudoribus oneratura corpus, magis grossa magisque hispida, et quæ æstum geminarent non restringerent, induebat. Versa vice, sub hiemis tempus, et postquam major algoris vis singulos premeret, pelliceas abjiciens, atque illis sorores nudas et languidas contegens, raro et poroso amiciebatur vestitu, quod * frigus susciperet potius quam excluderet.

* *an* quo?

Exquisita ratio frigus intendendi in corpore suo.

169 Quam rem dum ceteræ sanctimoniales stuperent, nonnullæ etiam coarguerent, ratæ, illam in regione Boreali et sub Alpibus perpetua nive obsitis sita, et quæ frequentius æstatem horrendæ hiemi conjungit, exstinctum et rigore frigoris corruptum iri; illa cœlesti frigore parum contenta, et quasi superna vis glacialis tenuem illi inferret pœnam, artificialem adhibuit; ferventemque undam in ollis aliquot et lebetibus, et quæ vapore suo illam quam maxime humectaret, sudoribus apposuit, graviores perpessura cruciatus algoris, postquam in guttas vapore concretas vis gelidi spiritus certanti rabie grassaretur; ut non in exterioribus solummodo sensibus, sed etiam interioribus ossibus, venis et medullis raræ austeritatis experiretur tormentum, et corpus inane jejuniis, tabefactum vigiliis, quod etiam senilis frangebat ætas, nova arte glaciaret. C

Pedum cruciatus; et mortificatio odoratus.

170 Eadem insuper austeritate in pedes, qua et in corpus, usa [est]; vili dumtaxat illos dum hiemis duraret sævitia, corrigio contegens; neque membra illa, pro sua conditione altius tegimen deposcentia, socculis aut alio quocumque calidiori velamento confovens, gelido frigore etiam vestigia sua afflictura. Pro omni vero æstatis, veris, et autumni tempore, etiam calciamenta illis abstrahens, et nudo vestigio per singula itinera pergens, profundis rupturis illos cruentabat; vix passa, ut pro illorum consolidatione sorores magis illi familiares aceti infusione exorta ulcera quandoque diluerent: cetera enim remedia perosa, illud solum adhibuit, quod sua acedine uredineque corroderet magis vulnera, quam sanaret. Singulos insuper sensus singulari pœnatura supplicio, sordidos et abjectos pannos amplioribus sordibus imbuendo, et torritos *a*, ut fortius olerent, igne, ad ora naresque adhibebat; ut fœtor olidior sensum quoque odoratus quateret, cetera quoque membra et sensus suo fœtido odore perstringeret et maceraret, locumque et vicem suavium et delicatorum odorum, quibus, ut amplius redoleant, nobiles et lascivæ feminæ se itidem exornant, olidus subiret fœtor, contemptibiliorem illam apud universos effecturus. D a

Oratio ejus, nocturna, et privata exercitia;

171 Castra hostilia, carnis videlicet, mundi et diaboli, ancilla Christi Cunegundis glorioso debellatura certamine, et juxta Salvatoris doctrinam, dæmoniorum genus in jejunio et oratione ejectura cum copiosa abstinentia et maceratione, ut supra diximus, corpus affligeret, ab oratione quoque nocte et interdiu non cessabat; priusquam dimidium noctis efflueret, ex duro consurgens grabato, et omnes sorores præveniens, promendo illud propheticum, signaculo sanctæ crucis muniens cor et pectus, dicebat: In lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Universum vero corpus signando aiebat: Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Frontem vero et cervicem coarmando promebat: Et folium ejus non defluet, et omnia, quæcumque faciet, prosperabuntur. E

contemplatio passionis, atque ecstasis,

172 Ad ecclesiam deinde ex dormitorio se proripiens, et profunda humiliatione in oratorio consueto in faciem prona procumbens in terram coram passionis Christi imagine, oculorum acie in cœlum erecta, supplices obsecrationes suas apud conspectum Altissimi, crebris additis suspiriis, devotissime effundebat. Orationibus autem juxta morem expeditis, ad transigendum passionis Christi memoriam omni nisu, æstu, et corde, illius omnem processum et seriem contemplans, se convertebat. Spiritu deinde ferventissimæ charitatis in Deum mente erecta, et a terrenis cogitationibus et cupiditatibus cogitationes prorsus abstrahens, atque in Dei desiderium et amorem illas levans, suavitate mirifica ab humanis sensibus abstracta in Deum transferebatur: spiritum siquidem elevatione ac accensu mentis jocundo in divini degustationem dulcoris per contemplationem applicabat, tanto fervore ad meditandum cœlestia pertracta, ut etiam frequentius a sensibus exterioribus abstraheretur. F

et lacrymarum in iis copia

173 Incredibile autem dictu est et stupendum auditu, quod, dum sacra mens hujus almæ Virginis hujusmodi cœlestium, et præcipue passionis Christi, contemplatione frueretur, adeo abundanti et, ut verius eloquar, indicibili lacrymarum perfundebatur imbre; ut ladulam *b* non mediocrem, b

A crem, quæ imaginem passionis Christi sustinebat, fletibus lacrymarum inundaret et rigaret : nec semel rigare contenta ; sed priusquam ab orationibus et contemplationibus privatis consurgeret, et priusquam aurora insinuaret diluculum, vas illud trina vice fletuum, per ora sua, ceu quodam alveo, manantium perfunderet complueretque profluvio : ad singulos enim passionis Christi actus, quos profundiori percurrebat meditatione, fluebant illi copiose lacrymæ, fletibusque rigata ora, torrentem, qui usque in ladulam deflueret, efficiebant.

propemodum incredibilis.

174 Excedit res hæc humanæ credulitatis sensum, ut per tot dies, menses, annos, et tempora in muliebri corpore lacrymæ non marcescerent, sed ejusdem profluvii per dies, menses, et annos singulos eliquaretur producereturque imber; legentiumque fidem hæc excedere arbitror, et majora videri, quam quisquam credere possit. Sed corpusculum illud virgineum, et in amorem transformatum divinum, humore cœlesti plenum, facile tam immenso tamque supernatu- B rali magis, quam humano, fluore manabat. Contulerat enim omnipotentis Dei clementia Virgini et sponsæ suæ tam illustri, zelotypo illum amore æmulanti, et Filii sui ferventissimo zelo contemplanti passionem, ut corpus suum vivum roraret fletus et lacrymas in profluentis morem, qui aliis corporibus mortuis oleo sacro, morte sequuta, manare concessit. Quod si cuipiam nostra videtur ludicra aut conficta narratio, eadem incredulitate rationeque beatissimi Francisci floccipendat stigmata, quæ ille vir sanctus in suo corpore cruorem producentia vivens portavit; nisi forte majoris difficultatis sit guttas ex humidis locis aquosas producere, quam cruentas; et orbes oculorum lacrymas sudare, quam stigmata ferre ; et divinæ potentiæ miseratio censeri possit abbreviata.

Devotio erga 5 vulnera Christi; opera caritatis et humilitatis:

175 Ignitam insuper devotionem suam in quinque vulnera præcipue Christi testatura, in camera sua, sive cella, quinque ardentes et ignitos cereos per omne tempus vitæ suæ nocte et die retinebat; ad quorum conspectum et ipsa, dum cellam ingrederetur, superno calefacta igne, C mira devotione in fletus et lamenta solvebatur. Orationibus autem suis et meditationibus per singulos dies ex more completis, matutino etiam Officio per cantum expedito; postquam terris reddebatur dies, et priusquam ad rem divinam audiendam accederet, singulas sorores valetudinarias visitatum veniebat, charitatis illis impendens et pietatis viscera, et unamquamque pro sua conditione consolans et reficiens, et, quæ poscerent, benigniter administrans, et ad patientiam illas animans. Calefactioni deinde et purgationi stubarum c et camerarum se ingessit, ligna supponens clibano et ignem, et singulas immunditias foras egerens, nulli se humilitatis et vilitatis officio, quantumcumque fœdo et indigno, subtrahebat.

fervor et modulatio in Horis canonicis:

176 Obsecrationibus privatis et meditationibus perfuncta, non segnius ad communes et publicas curam suam et omnem diligentiam tanto propensius intendebat, quanto noverat, publica potiora esse privatis ; nihil actum ducens per privata, si non eadem diligentia, devotione, et attentione publica quoque exsolvisset. In matutinali itaque Officio ceterisque Horis diurnis pariter atque nocturnis, in sororum cœtu, inferiorem se et magis peccatricem singulis rata, consistens, animo stabat et vultu erecta, ad id unum sedula et intenta, ut non tam Deo psalleret ore, quam corde. Attendebat et sororum, secum una concinentium, non concentum aut melodiam, sed religiosam et accuratam devotionem. Et quanto devotius perpendebat sorores psallere, tanto et ipsa majori in Deum devotionis ferebatur ardore, alienam devotionem suam ducens, et in suum illam pertrahens profectum. Tanta tamque valida superni amoris, dum sororum concentus auscultaret psalmodiam, dum earum singulos devotionis rimaretur actus, dulcedine perfundebatur; ut non mortalium, sed angelorum se crederet choris interesse ; qua quidem capta dulcedine, pariter et ipsa concentu psallebat mirabili, et ex gutture illius in sororum auribus dulcisonæ exaudiebantur voces, modulata suavitate refertæ, sororum perstringentes mentes et pectora, quas magnitudo devotionis et fervor cordis formabat E index.

et ad antiphonam de B. V. Maria.

177 Quoties autem ad antiphonam, Ave stella matutina, quæ matutinum Officium solita est concludere, psallendo perventum erat; toties et ipsa pronum corpus procidendo in faciem prosternebat in terram, rigans illam lacrymis et labiis deosculans, justissimam illam maris stellam, virginem Mariam, hujusmodi sua projectione honorans, et illi gratias immensas agens, quæ Deum prius concipiens mente quam corpore, auctrix fuit redemptionis et salvationis humanæ.

Devotio quotidiana erga angelos,

178 Revolvens etiam in sua meditatione, et frequentius secum tacita conferens mirificum illum et admirandum angelicorum spirituum cœtum, in novem hierarchias et choros divisum, et per judicia misericordiæ Altissimi generi humano in præsidium datum esse, et per singula dierum atque noctium momenta mira sedulitate et longanimitate tam salvandis quam damnandis, liberis et servis, ingenuis et agrestibus, inopibus et locupletibus, magnis et exiguis, maribus et feminis, catholicis et infidelibus, prudentibus et insipientibus hominibus, salutaria ex æquo pro illorum incolumitate et salute administrare offi- F cia, et quotidianas circa illos agere excubias, et solicitam curam impendere ad omnes; peculiari angelos prosecutura veneratione, et singulare illis impensura obsequium, ter denas orationes Dominicales quot diebus ipsis fervida devotione persolvebat; angelum proprium contestans, ut illius mereretur custodia et merito ab omni periculo corporis et animæ continua fidaque protectione defendi.

officia vespertina, lectio, silentium, somnus, vigiliæ.

179 Cœna peracta, et cibo castigato paululum refecta, lectione aut recitatione de Vitis Sanctorum patrum amplius seipsam et sorores, et quasi quadam adipe, pascebat, quam cibariis paverat; præcipue tamen Vita Antonii magni, Pauli primi eremitæ, Hilarionis, et aliorum Sanctorum patrum, qui anachoriticam duxerant vitam, non sine interioris hominis sui amplissima consolatione occupabatur. Ab hac lectione ad explendum cum sororibus officium Completorii in ecclesiam ex cella aut refectorio divertebat ; quo expleto

Auctore Joanne Dlugosso.

pleto, nulli mortalium de cetero die illo, sed nec sororibus, strictum silentium sibi indicens, loquebatur; ne vel levi famine contaminatum iri illam contingeret. Curato deinde per quietem paululum virgineo corpore, quo ad cetera suæ devotionis et religionis obeunda munera consisteret vegetior, quamprimum somno soluta expergiscebatur, de stratu duro prosiliens, cum ingenti suspirio nomen Domini sabaoth ter personabat, dicens: Deus, Deus, Deus. Mirantibus sororibus et solicita indagine quærentibus, cur precum suarum primitias ab illis tribus potius initiaret verbis et non aliis: Altitudinem, inquit, divinæ miserationis super genus humanum metior; et quamvis immerita et misera, pro modulo tamen conditionis meæ gratiarum actiones in Deum ter nominatim pro triplici opere, utcumque indigna possum, solvo: pro beneficio humano generi præstito, quo illud mirabiliter creavit et condidit, mirabilius gubernavit, mirabilissime redemit et reparavit. Ac deinde in alias obsecrationes, quas jam perscripsimus, se vertens,
B omnia noctis et diei tempora aut in oratione, aut in opere exigebat.

ANNOTATA.

a Torritos *lege* tostos *a torreo.*

b *Hanc vocem frustra alibi quæsivi; ceterum cum genus quoddam vasis esset, ut in sequentibus mox dicitur, et imaginem passionis sustineret, ut hic asseritur; videtur vel receptaculum posse intelligi aquæ lustralis; vel aliud quoddam, quod aliquando patienti Christo supponitur, in quod tamquam profluens e quinque vulneribus sanguis Domini exhiberi non raro solet, tamquam balneum seu lavacrum, quo purgantur peccata nostra. Et certe* Lada *cum* purgationem *sonat per legem fieri solitam, ut fuse docet Cangius in Glossario, tum etiam* purgatorium *quoddam, ut explicat Spelmannus.*

c Stuba *tam hypocaustum, quam locum significat, quem hypocausto calefacimus.*

C

CAPUT XIX.

Affectus Beatæ erga resurrectionis Christi, et Eucharistiæ mysteria; beneficia in ecclesias, inopes, Minoritas; patientia in atrocissimis calumniis, cœlesti tandem luce dissipatis.

Dies Dominicos celebrat

Diem autem Dominicum, cujus celebratio frequenti et stricto Domini imperio tam in veteri quam in nova lege singulis mortalibus mandata est, singulari devotione et reverentia venerari solita, resurrectionis Dominicæ in eo colebat et rememorabatur arcana; quod videlicet die illo Leo fortissimus mortuos vivificasset, patres D
de limbo eduxisset, infernum debellasset, corporibus Sanctorum mortuis quamplurimis munus resurgendi contulisset, cœli januas patefecisset, dilectissimæ genitrici suæ Virgini Mariæ item Mariæ Magdalenæ ceterisque Sanctis feminis, item et discipulis suis apparuisset.

mirabili affectu erga resurrectionis Christi mysterium.

181 Tanta autem ac tam fervens resurrectionis Dominicæ sibi inerat dulcedo; ut in singulis diebus Dominicis sorori, primum sibi die illo occurrenti, novum et maximum gaudium et quasi ante ignoratum, cum immensa exultatione et jubilo enuntiaret, dicens: Surrexit Dominus vere, alleluia. Sorore vero respondente et ejus enuntiationem contestante atque dicente: Vere surrexit; gaudio nimio respersa sanctum sorori præbebat et flebile osculum, pro tam gratissimo et humano generi necessario novo usque ad effusionem lacrymarum exhilarata. Ceteris autem sororibus, Officio et re divina, privatis etiam orationibus expletis, de ecclesia recedentibus, et in cellas suas divertentibus, hæc sola de ecclesia
non recedebat, sed Psalmos septem pœnitentiales cum letania et oratione, Deus qui vivorum dominaris et mortuorum, devotissime in vulgari Polonico psallens, et solitaria Deum ardentius venerans, placatum illum ac propitium efficere vivis et mortuis quam studiosissime satagebat. E

Devotio erga sacram synaxim.

182 De implendo insuper mandato divino et consequenda vita æterna solicita, qui suos fideles solicite jubebat et incitabat dicens: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; et: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; et: Hoc facite in meam commemorationem; cœlestem illum cibum, qui animam devotam divinis impinguat adipibus et charismatibus, et cœlestia desideria subvehit et elevat, frequenter et assidue, et cum ineffabili dulcedine, imbre lacrymarum ora perfundens, suscipiebat; quo non solum spiritus ejus, sed cum anima quoque sustentabatur roborabaturque corpus. Divinissimo autem Eucharistiæ viatico suscepto, cœlestis et divina Virgo non solum spiritu, sed corpore cœlum rapuisse, et illuc penetrasse videbatur.
Frequentius autem ob devotionis fervorem in F
ecstasim versa, et ab exterioribus sensibus, dum communicanda erat, alienata, hostiam corporis sacratissimi non videbat. Alienationem autem ipsam in culpam et in demeritum, non in devotionem, spiritum elationis et cogitationis tumidioris repressura, referens, dura pœnitentia, quasi gravius aliquid deliquisset, seipsam contorquebat, afficiens spiritum mœrore, corpus verbere; quam maximum reputans facinus, quod corpus divinissimum a se susceptum corporalibus oculis sibi contemplari non contigerit.

Continuat liberalitatem pristinam erga ecclesias,

183 Munificentiæ autem et pietatis, quæ secum ab ineunte ætate et pene a puero creverat, et quam agens in seculo magnopere exercebat; etiam in monasterio posita non poterat oblivisci; quinimo illam liberalius operosiusque diffundebat in omnes. Singulis enim ecclesiis cathedralibus, conventualibus et parochialibus longe vel prope positis per universam Poloniam, casulas, pallas, cappas, dalmaticas, auro, purpura et murice superbas et diversarum materierum nitore

A tore fulgentes; item calices ex purissimo auro et argento; item cruces gemmis et margaritis intextas; item libros et missalia, ceteraque hujusce generis ecclesiastici cultus ornamenta pro cujuslibet conditione aut necessitate conferebat.

et pauperes, inopes, ac religiosos.

184 In egenos vero pupillos, viduas, pauperes, peregrinos, advenas, et quaslibet miserabiles personas adeo [erat] liberalis et profusa; ut cujuslibet necessitati, inopiæ et indigentiæ hilarissime semper subvenerit; parturientibus cibos delicatiores et expensas, et pannos infantibus ad cunas; morientibus vero sumptus et cereos propriis elaboratos manibus pro funeratione eorum liberaliter administraverit; nudos vestiverit, infirmos aluerit, dotes virginibus præbuerit; consternatos et in desperationem aliquam aut angustiam mentis versos erexerit, et meliora sperare jusserit; et omnem substantiam monasterii, solo victu et vestitu suo et sororum, et eo quidem parco et tenui, reservato, cetera omnia in egenos, pauperes et indigentes expendebat, adeo diligenter, solicite et accurate; ut id suo grandi
B reatui asscriberet, si quando, ea ignorante, pupillis, peregrinis, egenis, pauperibus, et miserabilibus personis contingeret quidquam deesse; aut aliquem ex eis aliqua necessitate, cui per eam succurri posset, laborare. Devotos etiam et religiosos sacerdotes, et virgines Christi, et religioni et sanctitati deditos enixiori venerabatur cultu, curam illorum gerens, et eorum indigentias administrans.

Alit ac tenere fovet conventum Sandeciensem Minoritarum, non sine miraculo.

185 Et cum tam prodiga foret in externos et forenses, propriorum tamen et domesticorum sui Ordinis suæque religionis non remittebat, sed intendebat magis, curam: in monasterio enim antiquæ Sandecz conventum Fratrum Minorum de personis triginta, sub habitu et regula monachali Christo militantibus, aluit, vestivit et pavit; quorum tantam curam egit, ut languentibus et debilioribus cibaria ipsamet excoqueret, et excocta in conventum fratrum, quacumque aeris intemperie non obstante, per seipsam ferret, propriisque manibus valetudinarios cibaret, et esurientes, sitientes et deficientes, juxta ac nutrix infantes, reficeret. Dum autem die quadam fra-
C tribus infirmis deferens cibaria et pocula, in fossatum grande decidisset, et collisionis in membris virgineis et teneris pertulisset discrimen, fervor tamen suæ devotionis et charitatis virtus, adeo collisionem illam grandem restauravit reintegravitque; ut subitam senserit et solidam absque omni humana ope superne sibi largitam curationem; ex quo nimirum ad cetera et majora pietatis et miserationis opera edenda promptior, alacrior atque vegetior efficiebatur.

Eleemosynæ ejus ad capitula generalia et provincilia FF. Minorum.

186 Sciens insuper, fratres sui Ordinis omnibus temporalibus ex professione sua nudatos esse, et in altissima paupertate præsentem vitam ducere, ad singula capitula generalia Ordinis ducentos florenos; ad particularia vero, per ministrum Poloniæ celebrata, centum viginti florenos, ad succurrendum fratrum necessitatibus, se et sui cœnobii sorores eorum obsecrationibus et suffragiis recommittens, transmittebat; ut mirarentur, quonam modo substantia sui monasterii in tot largitiones suppeteret, cum cœlestis ubertas incrementum illi adjiceret.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO. pro quibus gravissimæ criminationes rependuntur;

187 Quamvis autem miram ac profusam dexteritatem absque omni personarum acceptione et respectu exerceret infatigabiliter in omnes; et singuli ordines atque status, omnisque conditio, sexus, atque ætas ejus liberalitatis atque pietatis præconia laudibus mirificis efferrent, et matrem illam ac advocatam patronamque verius, quam dominam aut ducissam, omnium miserabilium et egenorum, et arcam atque portum tutissimum omnium afflictorum indigentiumque sonora et communi appellatione vocitarent; non deerant tamen plerique fratres sui Ordinis in monasterio Sandeczensi commorantes, ejus multiplicia liberalitatis et pietatis opera quotidiano usu experti, qui sancta illius opera livorosis fuscabant detractionibus, extenuabant carptionibus, turpabant suspicionibus, criminabantur accusationibus; Ancillamque Christi variis contumeliis, tædiis et opprobriis innocenter afficerent: beneficentiæ quoque et charitatis multifarie ipsis impensæ obliti, beneficium suum improba malignitate pendebant.

et accusatio turpis commercii cum confessario,

188 Incontinentiæ enim illam aspergebant probro, et propter frequens sacræ confessionis Sacramentum de fratre Bogufalo (is enim confessionem suam quot diebus audire solitus erat) illam quasi stupri suspectam vulgaverant, mendacibusque et confictis criminationibus ministri Poloniæ, custodis, et guardiani ceterorumque officialium Ordinis domus Cracoviensis credulas et prurientes adeo implebant aures, ut præfatum Bogufalum, confessorem suum, in detestationem utriusque facinoris, crebro a Sandeczensi cœnobio dimoverent, et ad agendum pœnitentiam, quasi lascivum et incontinentem, pro majori Virginis sanctæ contumeliatione provocationeque detruderent. E

quam ipsa sustinet cum gratiarum actione,

189 Quæ cum ob id majores intensioresque in spiritu et animo, quam frater Bogufalus in corpore, sustineret cruciatus; secum tacita reputans quam fœdissimo, ceteras ejus actiones et virtutes devorante, famam quoque illius corrumpente, notaretur probro; primo mœrore quidem conficiebatur immenso; patientiæ deinde clypeo se muniens, et transgressionibus suis ea probra et opprobria deputans, mira jocunditate hilarior efficiebatur; nulla quoque murmurationis aut querelæ emissa voce, ad gratiarum actiones pro- F
pensiores in Deum solvebatur, qui ipsam adversitatem, contumeliam et ignominiam hujusmodi pati, et ob gloriam nominis sui præter verum et justum convitiari pro ejus castitatis corona duplicanda proque augendo merito contulisset. Sorores insuper, probra ipsius et ignominiam molestius ferentes, ac propter id largioribus indulgentes querelis, summa vultus constantia, ejus innocentiam attestante, corripuit compescuitque.

sorores redarguens, quæ injurias ejus depelli volebant.

190 Nolite, inquit, carissimæ meæ sorores ac filiæ, nolite opus Dei omnipotentis, et meæ patientiæ impedire meritum ac progressum; cum mea delicta meæque multiplices animadversiones *a* in Deum majora supplicia majoresque pœnas deposcant; donec per propitiationem divinam tersionem meruerint et veniam: Patientia enim continet opus perfectum, cujus vos juxta atque ego apprehendere gestimus summitatem; perfectioribus vero operibus et potioribus laboribus in via hujus terrenæ ac laboriosæ peregrinationis

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

tionis potior in cœlesti patria debetur merces; ubi justissimus Retributor unicuique suam reddet mercedem juxta proprium laborem. Quibus itaque providentia divina majora collatura est præmia in cœlis, in hos confert majores opportunitates facultatesque conquirendi merita ipsa per magnitudinem tribulationum in terris. Unde saluberrime accidit, ut quos amplius prædiligit, hos abundantioribus tribulationibus exponat, retributiones uberiores sortituros.

Crescit suspicio; et confessario amoto sufficituralius perquam severus;

191 Quietatis sororibus et ad melioris frugem patientiæ conversis, fratres tamen Ordinis nec tolerantia adversitatum, nec patientia tot conviciorum quietare poterat, quin majoribus invidiæ stimulis agitati, amplius contra illam et excandescerent et furerent, majoribusque illam criminationibus et accusationibus stupri et ejus consuetudinis cum fratre ream apud patres Ordinis deferrent. Quorum illi relatione moti, nulla discussione criminis, quod falso objiciebatur in Ancillam Christi, facta, litteram obedientiæ præfato fratri Bogufalo inscriptam, severitatis et levitatis plenam, trasnmittunt; jubendo, ut in eo momento, quo sibi sive stanti, sive ambulanti, sive sedenti aut cœnanti, aut quidquam operis alterius agenti repræsentaretur, ex monasterio discedat, ab ancilla Christi Cunegunde se prorsus sequestret, et in Cracoviam redeat. Qui cum jussioni, sanctam obedientiam impleturus, paruisset, et Cracoviam revertisset, alius frater, natione Bohemus, vocatus Petrus Odraniecz, in locum ejus substitutus advenit. Qui cum criminatoribus sanctæ Virginis præbuisset primum auditum, deinde creditum, actus ejus et devotissima opera habens simultanea * et suspecta, hypocrisis illam et levitatis crimine apud seipsum damnabat.

* *an* simulata?

qui per miraculum edotus est calumniæ falsitatem.

192 Verum parum auribus fidens, quarum sensus falli frequentius atque eludi consuevit, legitimam probationem et ab omni livore circumscriptam habiturus, rem oculis permittit. Et severitate sua naturali, ob quam etiam sanctæ Virginis sibi mandata cura fuerat, motus, ad oratorium virginis Cunegundis, levitates suas et hypocrisim deprehensurus, irrumpit; et sensim velo oratorii amoto, conspicatur sponsam Christi Cunegundim cœlesti lumine radiare et splendore atque fulgore immenso orare coruscam. Nec splendorem tantum humanis sustinens obtutibus, pronus procidit in terram; perfundensque ora lacrymis, et de fulgore cœlesti, quem circa Sponsam Christi radiare viderat, stupens, et secum tacitus multa volvens et ancillæ Christi Cunegundis sanctimoniam, et improborum fratrum sui Ordinis, Virginem beatam false criminantium, impudentiam mirabatur. Ex correctore autem venerator, et ex criminatore præco laudum ac testis ejus effectus, mirandæ visionis spectaculum tam patribus quam fratribus et sororibus sui Ordinis fideliter et seriatim, ac juxta quod viderat, enarravit; et sanctitatem ipsius suo veraci testimonio ubique diffundens, mendacia ad ignominiam ejus commentata dissolvit, oraque sibi obloquentium et invidentium, ut nusquam postea mutire quidquam auderent contra illam, suæ attestationis inexceptibili rubore compescuit.

ANNOTATA.

a Animadversiones, *opinor, hic dicuntur delicta, quæ cum sufficienti cognitione et attentione ad malitiam committuntur.*

CAPUT XX.

Patientia et caritas Beatæ erga ingratos et injurios; vis precum ejus adversus oppressores injustos monasterii Sandeciensis.

Injuriam iterum sibi illatam a fratribus

Sanctæ Claræ virginis die appetente, ancilla Christi Cunegundis suam et Ordinis sui fundatricem, patronam et magistram ampliori obsequiorum devotione honoratura, rogatione sua supplici perlicit pervincitque fratres, ut die illa sorores Missam et Vesperas in cantu explere permittant, quatenus ex cantus usu sorores ampliorem profectum in canendo jubilandoque Deo et Sanctis ejus possent accipere. At fratres pollicitationis suæ obliti; et Ancillæ Christi malignum, stimulis invidiæ agitati, irrogaturi opprobrium, Vesperas primas et in crastinum Missam majorem inchoando peragunt, non sine omnium sororum grandi molestia et exacerbatione.

apud iratam sororem deprecatur.

194 Cumque sororum indignationem et Ancillæ Christi contemptum Constantia ducissa, et Leonis olim, Russiæ ducis, relicta, sanctæ virginis Cunegundis germana (quæ forte tunc personaliter aderat) gravius Sororis contumeliam et ludibrium ferens, inclamatione et reprehensione severa fratres de tam notorio opprobrio Sorori suæ irrogato objurgat, facinus illorum et carpendo et aggravando; ancilla Christi Cunegundis, ad pedes sororis ducissæ Constantiæ corruens, rogat illam enixius quo potest et humilius, quatenus ob beatissimi Francisci nomen et reverentiam ab omni carptione et reprehensione fratrum se non solum contineat, sed nec inclementi verbo illos compellet; dignitatis eorum culmini et conditioni, qui et sacerdotio fungantur Deo, et in filios provenerint sancto Francisco, in singulis etiam honorem Sanctis delatura *a*.

Eorumdem injurias novas caritate compensat.

195 Vice altera cum sorores voce sonora in cantu Missam inchoassent, illamque modulata suavitate concinne prosequerentur, fratres Ordinis singuli una cum fratre rem divinam ad altare exequente, novo contumeliæ et opprobrii genere ancillam Christi Cunegundim lacessituri dedecoraturique, conspiratione inita, de ecclesia viritim diffugiunt, et ecclesiam atque Missæ mysterium derelinquunt, irredituri; nisi Cracoviensis custos, frater Nicolaus, qui tunc aderat, iusaniæ eorum et furoris cognita causa, redire illos et intermissum divinum Officium resumere atque absolvere strictiori jussione compulisset. Tulit et

et hoc opprobrium ancilla Christi Cunegundis plusquam animo patienti; quamvis noverat, illud studiose, et ex proposito, per fratres in suum dedecus attentatum; nec ullum tristioris animi signum præ se ferens, majori etiam caritate, dilectione et favore fratres Ordinis, contumeliatores suos et hostes, propter Christi nomen et amorem prosequebatur.

Vexatur et opprimitur monasterium ejus a Leszkone,

196 Obtinebat pro ea tempestate ducatus Cracoviensem, Sandomiriensem, Lublinensem, Siradiensem Lestko niger, princeps Polonorum monarcha, qui Boleslao pudico in eosdem ducatus, ut supra retulimus, successerat. Hic ambitione stimulatus suapte, et livore, procerum etiam suorum et satraparum suggestu accensus, dolens, eos proventus, villas, oppida, telonia et introitus suo deesse fisco, qui donati et perpetuo ascripti in sortem et ditionem Sandeczensis transiverant monasterii, plurimas et varias injurias, oppressionesque violentas et illicitas ancillæ Christi Cunegundi, et monasterio Sandeczensi sanctimonialium inferebat, requirens jura ducalia in oppido Sandeczensi et villis ac hereditatibus monasterii, multiplices et exquisitas angarias, dacias *b*, et præstationes, ut sese tunc habuit Polonorum mos et servitus, secum trahentia: requirens et exigens stationes, quibus se, et curiam omnem suam, equos, canes, aves, et similia mancipia illum comitantia omni victualium administratione opipare tractari jubebat; requirens exactiones, tributa et suffragia non pro se tantummodo, sed pro suis satrapis, proceribus, magistratibus et judicibus eorumque ministris, et qui se bonis monasterii monstrabant amplius, quam dux ipse, infestiores. Fiebat ergo jussu ducis et procerum in homines et colonos monasterio Sandeczensi donatos et inscriptos, libertate eis concessa cos non relevante, pignoratio, invasio, direptio, anquisitio *c*.

et repulsa ab eo sæpe Cunegundis, ad Deum confugit;

197 Et cum ancilla Christi Cunegundis clamore suorum colonorum et subditorum excita, ducem Lestkonem nigrum, suosque satrapas personaliter, nonnumquam per nuntios, adiret, solvique gravamina privilegiis, libertatibus, et munimentis Boleslai pudici, olim Cracoviensis ducis, monasterii singula bona ab omni tributo et onere excipientibus, ostensis, deposceret; non ob id tamen Lestkonis ducis suorumque procerum truculentia et tyrannides quiescebant; quinimo sæpenumero sponsam Christi Cunegundim, et suos factores, justa et æqua interpellantem, cum indignatione et injuria a suis tribunalibus repellebant. Anxiabatur Ancilla Christi non tam pro se et sororibus suis, quantum pro colonorum et subditorum monasterii sui gravamine et anquisitione: et, tam sororibus quam colonis, sortem suam et oppressionem cum querelarum ingeminatione deflentibus, famula tamen Christi Cunegundis eumdem tenorem in animo et vultu ostendens, nec tot oppressionum et injuriarum generibus succumbens, peccatis suis quæ acciderant singula deputans, in tot tantisque acerbitatibus ducisque Lestkonis et procerum ferocitate et tyrannide, ad sedatorem omnium procellarum Deum clementissimum censebat ocius recurrendum.

198 Cumque famula Dei Cunegundis fletibus et orationibus solicitius insisteret, tam subita dexteræ Dei mutatio in Lestkonis ducis et procerum pectoribus coorta est; ut tyrannidem in clementiam, avaritiam in liberalitatem, truculentiam in pietatem, exactionem in largitionem, gravamen in libertatem verterent; et tam dux Lestko ipse, quam omnes primores sui, nutu divino et terrore correpti, ultro ad illam personaliter accederent; culpaque sua recognita, in corde contrito et humiliato ignosci sibi, flexis antem illam viritim genibus, precarentur; devoventes, se amplius et de cetero numquam illi et monasterio suo ejusque subditis aliquas molestias, gravamina et displicentias irrogaturos, sed singula non postulata solum, sed etiam imperata, facturos.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

qui ex direptore ac tyranno,

supplicem facit ac beneficum.

199 Non erat difficile apud Virginem Christi erratorum consequi veniam; quippe quæ, priusquam rogaretur, singulas culpas singulosque excessus, quantumcumque enormes, singulis ignoscere et ex toto remittere consueverat: facile itaque et tunc duci Cracoviensi Lestkoni et ejus proceribus offensas suas omnes et suorum subditorum, quamvis graves, ignovit et liberaliter universa relaxavit; admonitis tantummodo, ne amplioribus in Deum prævaricationibus se et animas suas polluerent, ac propriis contenti, manus rapaces, corde ambitioso circumciso, ab alienis continerent, præsertim ab his, quæ forti divinæ sunt dicata; cum eorum gravamen et oppressio facinoris offensam in Deum secum graviorem trahat. Dux autem Lestko et proceres summissa et stricta obligatione repromittunt, se nusquam de cetero bonis monasterii aut subditis illius noxam aliquam, sed nec nauseam, irrogaturos; sed singula pro Ancillæ Christi arbitrio et voto, quoties intercederet, acturos. Et ne id ancipiti viderentur egisse promisso, Lestko dux de consensu singulorum procerum donationes et libertates, per antecessorem suum Boleslaum pudicum olim Cracoviensem ducem monasterio sanctimonialium Sandeczensi per litteras et privilegia concessas, innovat, roborat, et confirmat, veteribus libertatibus novas adjiciens, pro cœnobii præfati quiete et stabilimento, et pro singulorum temporum conditione.

ANNOTATA.

a *Sensum hic utcumque restituere coactus fui: sic enim habebat apographum nostrum:* Dignitati eorum culmini et conditioni, quin et sacerdotio fungantur, Deo et filios proverint S. Francisco, in singulis etiam honorem Sanctis delatura.

b *Jam dedimus sensum hujus vocis in Annotatis cap.* XV *ad litteram* b.

c *Vox* anquisitio *est etiam apud priscos usitata pro* inquisitione *in personam vel rem aliquam. Vide sis Cangii Glossarium.*

CAPUT

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

CAPUT XXI.

Preeum ejus efficacia adversus Tartaros ac Teutones Poloniam vastantes; caritas erga inimieum; prophetia; privilegium singulare.

Tartari Poloniam vastant anno 1287 mense Decembri; a

Erupit post hæc in regnum Poloniæ miserabilis casus, miserandaque clades *a*. Clementissimus siquidem et patientissimus Deus, Polonorum gravissimis irritatus sceleribus, et ultionem ulterius non valens, magnitudine facinorum exigente, differre, gentem cruentam, ferocem et barbaram, Christiano nomini inimicissimam, Tartaricam, spurcissimo ritui Mahumeti deditam, in Polonos desævire permisit, magnitudinem sui furoris in eo vel maxime ostentaus. Non catholicorum invasione, sed paganorum rabie Polonos tunc vindemiabat feriebatque, neglectu et cunctatione differentes per pœnitentiam divinæ ultionis gladium sedavisse. Dum itaque Dominicæ Incarnationis annus millesimus ducentesimus octuagesimus septimus volveretur, gens prædicta Tartarica, sub ducatu duorum imperatorum Nogay et Thelebuga, in sedibus suis inedia vexata et fame, in gravi multitudine ebulliens in Polonorum regiones a Ruthenis schismaticis, in Polonorum et religionis orthodoxæ odium, non solum per suas terras transire permissa, sed etiam iter et discrimen monstrantibus, comitata, pluribus agminibus in locustarum numerum dispartita, et famem restrictura, (quamvis fortissima frigora et densissimæ nives oram tunc Polonicam premerent) advenit, et Petro de Crampa, tunc Sandomiriensi capitaneo, qui sponsione eorum, deceptus descenderat, nefarie fide violata, occiso, maximum et pene innumerabilem populum utriusque sexus, qui in civitatem et arcem Sandomiriensem ex variis oris pro sui tutela confugerat, in ore gladii in vigilia Nativitatis Christi miserabiliter trucidavit *b*.

Beata in arcem Pyeniny fugit cum suis, sed non omnibus;

201 Ejus potentiam et multitudinem Lestko niger Cracoviensis dux, dum illam Cracoviam tendere agnovisset, veritus, nullatenus se illi in dimicatione parem ratus, in Hungariam cum Griffina conjuge sua ducissa, et primoribus, et proceribus diffugit. Ex quo factum est, ut Tartari in singulas Polonicas urbes et vicos liberius grassarentur *c*. Quorum rabiem ancilla Christi Cunegundis cum septuaginta suis conservis, et virginibus Christi, et duabus germanis sororibus, videlicet Jolentha, Boleslai pii Calischiensis, et Constantia, Danielis *d* Russiæ, ducum relictis, evitatura, ex monasterio suo et oppido Sandeczensi, nulla mœnia habente, in castrum Pyeniny *e* supra flumen Dunaiecz, situ et muro forte, se torrenter et raptim recepit; dumque proprii currus et vehiculum ad subvehendum ancillas Christi minime sufficerent, coloni ex villis monasterii id munus perficere jussi, suis illas quadrigis ad castrum Pyeniny devehendas assumebant. Verum terrore Tartarorum, qui jam adesse nuntiabantur, perculsi, in silvas aviosque montes ex medio itinere, ancillis Christi inter silvas, saltus, nives et pericula relictis, quo quemque sors, metu impellente, ferebat, diffugiebant; nec ullo vociferantium et plorantium eorumque opem efflagitantium sisti aut revocari poterant ejulatu.

ceteræ tamen miraculo evadunt; et monasterium servatur.

202 Cumque se desertas et ad evidentissimum periculum (jam enim ab illis fremitus Tartarorum illas persequentium exaudiebatur) viderent redactas, solatium et auxilium dominæ suæ ac servatricis Cunegundis, quamvis absentis et jam in Castro Pyeniny cum senioribus sanctimonialibus agentis, sedulis et assiduis vocibus, nec frustra, implorabant: ejus enim prece et merito Zophia, Clara, Salomea, et aliæ singulæ virgines, quamvis inter hostiles et barbaras cohortes constitutæ, salvæ tamen et incolumes absque omni etiam quocumque levi, discrimine, in Castrum Pyeniny ad patronam et matrem suam Cunegundim pervenerunt, stupentibus et mirantibus cunctis, feritatem barbaricam illis nequidquam nocuisse et id in ancillæ Christi Cunegundis referentibus meritum et sanctitatem. Cum autem Tartarorum exercitus in monasterium sanctimonialium pervenisset, omni intentione et conatu illud, juxta ac cetera, incensurus, omnium quidem victualium, quorum in ejus promptuariis offenderat, voravit consumpsitque abundantiam; ab ædibus tamen sacris et cœnobiis, et ab omni violentia illis inferenda, nutu divino perculsus se continuit; tumultuarioque cursu et præpropero ad Castrum Pyeniny, quasi opimam prædam illic occupaturus ire pergit.

Tartari arcem Pyeniny obsident; sed, orante Beata, territi fugiunt.

203 Cumque omnis Tartarorum globus illuc pervenisset, et ad expugnandum Tartari, omni conatu nixi, se coarmassent amassentque, sanctimoniales singulæ, sexus imbecillitate conterritæ, non secus quam arx expugnata et ipsæ captæ forent, in flebiles ruebant gemitus et acclamationes; ad genua quoque virginis sanctæ Cunegundis, velut ad supremum refugium, se prosternunt; orant, ut miserabiliter oppressis et miserabilibus * captivandis opem ferat, Dei patrocinium illis impetret, et a faucibus barbaricis eas eripiat, quibus nulla reliqua sit spes salutis. Tunc femina Beata, consternatione illarum et desperatione, non secus quam erat par, permota, confidere illas de celeri Dei auxilio, et bene sperare jubet; brevi præsenti periculo liberatum iri; modo jactent spem suam et credulitatem in Domino. Fusa deinde ad Dominum cœli supplici et lacrymosa oratione, innumerabilem illum Tartarorum exercitum ab oppugnatione invasioneque castri fugavit abegitque, et ferocitatem barbaricam in mansuetudinem convertit. Subito enim consternati pavore, et quasi mente alienati et capti (imperatos crederes aut ingenti clade devictos) a castro et ejus oppugnatione diffugiunt, magis quam discedunt; professi non ab hominibus, sed ab aliquo occulto numine perculsos, fugatos et deterritos.

* *forte* miserabilius

Ad monasterium reversa, a Deo obtinet sibi suisque necessaria,

204 Tartarorum autem copiis a Castro Pyeniny descendentibus, viros ecclesiasticos et religiosos, qui secum una in castrum Pyeniny se receperant,

A perant, exactissimo studio hortabatur, ut rem divinam ac sacrificia; sanctimoniales vero, ut lacrymis et precibus, suspiriis ac jejunio quam devotissime sub illa tempestate agerent, et indignationis Dei flagellum celerius averti obtinerent; milites vero et ceteros armigeros et pugnatores ad resistentiam Tartaris faciendam animabat, fiduciam illis subministrans, et solatium e cœlo repromittens; ex quo factum est, ut milites ejus concionatione persuasi, in mortem ruerent et voluntariis periculis se devoverent. Cum autem Tartaricus exercitus diœcesi Cracoviensi in magna parte per solitam feritatem, trucidationem videlicet senum et impuberum, abductionem vero in captivitatem miserabilem sexus utriusque robustorum et puberum *f*, vastata, in suas regiones itinere, quos venerat, revertisset, et ancilla Christi Cunegundis cum suis pugnatricibus, Christi videlicet virginibus, ex castro Pyeniny ad sacrarium sui cœnobii antiquæ Sandecz etiam se recollegisset; nec haberet, unde sanctimonialium et frequentem numerum nedum alere, sed nec sustentare posset, omnibus B victualibus et omni frumento et pecore, non in monasterio tantum et bonis ejus, sed et per circuitum a multitudine Tartarorum consumptis, voratis aut flamma demolitis, ad præsidium divinum et ad amatorem suum Christum Jesum se tota convertit, suisque precibus et meritis alimoniam, quæ pro sororibus et singulis monasterii ministris usque ad novarum segetum fruges abundanter sufficeret impetravit.

Beata milites iniquos arguens, * *an circiter anno?*

205 Lestkonis nigri Cracoviensium ducis, qui circa annos * Domini millesimo [ducentesimo] octuagesimo nono, ultima Septembris, apud Cracoviam diem obiit, morte sequuta, Teutonicis terram Sandeczensem hostili irruptione et ingressu occupantibus, militares Poloni montem Sandeczensem, oppido vicinum, qui appellatur Lyemysez, incastellant, muniunt, præsidio militari illic imposito, facilius hostes, juxta ac evenit, debellaturi. Cum autem milites montis præfati agentes præsidia, variis spoliis, exactionibus, datiis, collectis ac tributis, villas monasterii affligerent; nec secus in colonos earum, quam hoC stes, omagiando *g* illos et gravando talliis *h*, grassarentur, ancilla Christi Cunegundis, hominibus et agricolis monasterii liberationem effectura, ad montem incastellatum processit, et milites, se et suum monasterium omagiis gravantes, civili et modesta reprehensione coarguere cœpit.

sagitta appetitur ab eo, quem de sacro fonte levaverat,

206 Et quamvis singuli milites acrimoniam admonitionis illius æquo animo atque modesto ferrent, vitæ illius sanctitatem venerati, quidam tamen ex eis miles, Petrus nomine, et quem Sancta Dei ex fonte sacro levaverat, bili et dæmone instigatus, et nec conditione virginali, nec Virginis sacræ sanctimonia, nec ceterorum militum moderatione et patientia deterritus, tenso arcu seu ballista, sagittam contra Ancillam Christi, occisurus illam vecorditer, projecit. Cumque sancta Dei Cunegundis jactum sagittæ absque ullo pavore et declinatione imperterrita excepisset, et, divinitate regente, sagitta guttur Virginis sacræ appetens, impune transvolasset, et singuli milites, factum Petri militis execrati, tumultu concitato adeo exarsissent, ut parum abfuerit, quin truculentus miles a ceteris violaretur ac desideraretur; ancilla Christi Cunegundis, tumultu sedato, incolumem illum servans, et blanda reprehensione, quod ad se occidendam arcum intenderat, et animum corripere satis ducens, in cœnobium suum regrediebatur, non se æque ac casum suum, sed atrox facinus Petri militis et illum miserata, quem animadverterat nulla doloris ac pœnitentiæ signa monstravisse, futuram illi ex divina justitia interminata ultionem.

quemque ipsapost prædictam punitionem conversum sepelivit.

207 Quæ cum sub brevibus diebus juxta vaticinium Ancillæ Christi evenisset, et præfatus miles Petrus letali vulnere, ab hoste impugnatus, concideret; priusquam efflaret animam, ad cœnobium Sandeczense, et ad ancillam Christi Cunegundim se duci, de clementia ejus non desperans, in lætitia obtinuit. Quem illa clementius, quam quisque ratus foret, suscipiens et ad viam pœnitentiæ reducens, funeri etiam suo, juxta ac vivens desideraverat, in monasterio tumulato, justa persolvit; [prece ac merito Ancillæ Christi E vitam consequutus æternam. Ob quam rem cum a nonnullis sororibus rigidius carperetur, quod salvationis beneficium homini immerito obtinuisset : Scitote, respondit, conservæ meæ, idque, dum vivo, servate arcanum; quod eorum, qui a me de sacro fonte ex utroque sexu hominum levantur, damnatur nemo, sed singuli cœlestis vitæ januam introeunt, passionis Christi merito patefactam. Cujus amplissimi privilegii donum a sponso meo cœlesti mihi superne in decus et signum virginitatis meæ collatum est, cœlesti etiam oraculo diutius revelatum.

Prædonum insidias divinius intelligit, et precibus avertit.

208 Sub ejusdem guerræ a Teutonicis Sandeczensium oræ illatæ exortum, cum guerra hujusmodi, grassantibus impiis, incresceret, [et] plerique ex hostibus Teutonicis clam furtive sub nocturno tempore oppidum Sandeczense introissent, a nonnullis oppidanis Sandeczensibus, iniquissimo proposito eorum faventibus, in ædes recepti, cœnobium sanctimonialium et virgines opportuno noctis tempore prædaturi; sensit id periculum ancilla Christi Cunegundis divinitus et in spiritu sibi revelatum; et presso arcano, F nec ulli virginum suarum, ne subito concuterentur terrore, patefacto, ad solitam obsecrationum præsidia se convertit. Noctem itaque illam insomnem ducens, et jugibus orationibus vacans, sponsum suum amantissimum Christum Jesum pro aversione impendentis periculi suppliciter interpellabat. Nutu itaque divino hostes et prædones conterriti, dum campana ex monasterio pro matutinalibus laudibus pulsaretur, conclamatum contra se et in suam oppugnationem sono campanæ rati, et non secus quam [si] classicum contra illos cecinisset, horrore nimio concussi, ex oppido cuneatim diffugiunt, etiam arma nonnulla sumere, metu impellente, obliti, præda futuri hostium qui prædatum advenerant, si quis palantes et incomposite fugientes persequi sustinuisset, precibus et lacrymis sanctæ Dei Cunegundis fortius quam hostibus armis victi et debellati, nec deinceps addiderunt hostes, grassari in prædam monasterii, vim divinam patule experti.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

ANNOTATA.

a *De hac clade legi etiam potest auctor noster Historiæ Polonicæ lib.* 7 *ad annum* 1287.

b *Hæc dissonant ab Historia Polonica tam auctoris loco citato, quam Michovii lib.* 3, *cap.* 60, *et Cromeri lib.* 10, *juxta quam : primo, non in vigilia Nativitatis Sandomiriam, quam jam præterierant, sed Crocoviam Tartari obsidebant; deinde, nec arcem, nec civitatem Sandomiriensem expugnaverunt; sed ab utraque cum ignominia repulsi sunt.*

c *Maxime in tractu Cracoviensi (nam Cracoviam ipsam occupare non potuerant) qua versus Sandeciam porrigitur usque ad Alpes Pannonicas, ut habet auctor noster in Historia Polonica.*

d *Est is ille* Daniel, *qui Ecclesiam Romanam infideli Ruthenorum ad eam reductione ludificatus est; de quo videri possunt Annales ecclesiastici apud Raynaldum. Porro Constantiam hic facit viduam* B *Danielis auctor noster, idemque asserit in Historia Polonica ante citata; quam sequuntur citati quoque Michovius et Cromerus : cum tamen antea in hac eadem Vita cap.* 20, *num.* 193, *eam statuat non Danielis, sed Leonis, filii Danielis, relictam ; et cap.* 2, *num.* 29, *eidem Leoni nuptam fuisse Constantiam dixerit. Et sane postremum hoc mihi potius videtur; quandoquidem Daniel, juxta auctorem nostrum lib.* 6, *jam belli dux erat fortissimus ab anno Christi* 1220, *quo Colomannum atque Hungaros omnes expulit Halicia ; cum nata nondum esset Constantia.*

e *Erat hoc castrum haud procul Sandecia situm sub Carpatho monte, ut ait Cromerus lib.* 8; *et, ut idem habet lib.* 10, *natura loci munitissimum erat, unum tantum, et eum quidem perangustum, aditum habens.*

f *Auctor noster in Historia Polonica superius assignata, ex eo conjecturam facere jubet de toto numero eorum, qui hac occasione in servitutem abducti sunt, quod* viginti et unum millia de *solis* virginibus juvenculis nondum nuptis fuerint numerata.

C g *Vox* omagiare *derivatur ab* omagio, *seu potius* homagio *vel* hominio, *quod est id, quod subditi seu vasalli dominis præstant in signum subjectionis.*

h Tallia *dicitur præstatio, quam subditi dominis facere tenentur in quibusdam eorum necessitatibus.*

CAPUT XXII.

Torrens ad monasterium miraculo ductus; aridus bacillus in tiliam excrescens; resuscitatio nepotis Beatæ, ejusdemque altera mors; revelationes cœlestes; prophetia.

Ingressus autem sacræ virginis Cunegundis et professio ejus in religionem cumulatiorem illi gratiam contulit miserationis divinæ : uberiora enim Spiritus sancti charismata, majoresque deinceps omnium virtutum atque signorum dona illam constat ex tunc consecutam esse; prout in superioribus monstravimus, et in subsequentibus liquidius monstraturi, certiora signa suæ sanctitatis subjiciemus. Inaquosa erat sui cœnobii et arida tellus, nec habebat fontes perennes, sed profunda terræ egestione tantummodo fabrefactos; qui sæpenumero, fluvio Dunajecz, qui non longe a monasterio decurrit, decrescente, destituebatur ab undis; [et] magnam molestiam aquarum penuria monasterio et sanctimonialibus irrogabat. Quam Ancilla Christi levatura, et hunc dispulsura defectum, sponsum Christum Jesum assiduis interpellabat precibus; ut virginibus pugnatricibus suis aquæ viventis fontem aperire dignaretur. D *Monasterio suo aquæ penuria laboranti,*

210 Fluebat haud procul a monasterio torrens, etsi non copiosas uberesque, amœnas tamen aquas et necessarias usui secum vehens, et quas ceteri amnium fontes, ex jugis montium concurrentes, pro qualitate temporum inflabant, qui ab incolis Przyeszecznycza appellatur. Hujus fluenta in monasterium traducere Ancillam Christi magna agebat cupido; quomodo autem id efficeret, humanus non suppeditabat modus : altiores enim colles traductionem illius intersecabant. Ad divinum itaque, cui nihil rebatur impossibile, se convertit præsidium; fide quoque firmissima, et spe optima subnixa, tenui baculo et fragili frondis tiliæ inane jejuniis et vigiliis sustentans corpus, plerisque sororibus et familiaribus comitata domesticis, ad fontem torrentis ire pergit, virtute divina illum ad monasterii penates perductura. *miraculo succurrit;* E

211 Quo cum pervenisset, potenti virtute verborum imperat fonti, ut se extra alveum suum subsequi non desistat. Mirum in modum paruit illico divinæ jussioni elementum, et Ancillæ Christi cum baculo iter præmonstranti, naturali alveo deserto, etiam contra colles sibi obstantes quæcumque illa baculo signasset loca, (imperatum crederes) usque quo monasterium penetraret, novo et inusitato alveo, quem etiam nunc observat, tendebatur ; rupitque obstantiam collium et pervios illos sibi fecit ex inviis. Altitudinem quoque ipsorum, stupentibus cunctis, humiliavit; qui etiam nunc raritatem attestantur prodigii, absque omni humano suffragio, et ad solius ancillæ Christi Cunegundis imperium profundati. Testatur et fluvius ipse Przeszecznycza, adstipulante omni vicinia, per Virginem Christi miraculose traductus, septa monasterii, etiam nunc nobis cernentibus, interfluens et arrigans. *torrentem eo deducens, ultro fluentem qua ipsa designat,* F

212 Infixit inseruitque et Ancilla Christi stipitem tiliæ, quo pro baculo tunc utebatur, terræ, ædi divinæ contiguæ; quem cum die altera Ancilla Christi ad se deferri mandasset, inventus est sub nocte transacta pullulasse, et frondes virides ex se, in evidens sanctitatis virginitatisque sanctæ Dei Cunegundis testimonium, produxisse. Qui etiam dierum processu in solidam arborem concrescens, pluribus seculis duramento suo signi magnitudinem testabatur. *Bacillus ejus terræ impactus, frondescit subito, et fit arbor.*

213 Stephano Hungariæ rege, filio Belæ regis, et ancillæ Christi Cunegundis germano, diem *Andreas Beatæ ex fratre nepos anno 1290.*

A diem obeunte *a*, dum sui duo superstites filii, videlicet Vladislaus natu major et Andreas natu minor, ad regni paterni successionem ardentius aspirarent; comitiis quoque per primores regni habitis, Vladislaus natu major delectus, diademate quoque insignitus, summam regiminis consequeretur; vilioremque, despectiorem et contemptibiliorem fratrem suum Andream in dies duceret; suspicio quoque affectandi regni apud illum assidue increvisset, propterea quod non deessent ii, qui adulandi gratia simultates sererent inter fratres; tollere quoque fratrem suum Andream, ne ei impedimento regni foret, omnifariam statuit; ratus, se non aliter pacifice apud Pannonios, ad novandum res proclives, quibus jam ob scelera nefanda invisus erat, fratre vivo, regnaturum. Conatus itaque tam nefarios germani sui Vladislai Hungariæ regis, quibus destinabatur in necem, et qui illum latere non poterant, evasurus, et materiam ac scelus occidendi se fratri subducturus, nonnullis familiaribus suis, fido illum prosequentibus affectu, fugam illi et B discessionem suadentibus, in Poloniam anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo, ad materteram *b* suam virginem Christi Cunegundim refugit, paucis fidis satellitibus comitatus; ratus, illic securum se latibulum, donec fratris sui Vladislai Hungariæ regis furor quiesceret, et donec clementia divina de illo aliter provideret, sub umbra Matarteræ suæ se offensurum.

ad eam confugiens, a duce Cracoviensi suscipitur;

214 Qui ab eadem matertera sua, ancilla Christi Cunegundi, per geminatum corporis ejus insigne (alterum, quo inter scapulas suas crucis apparebat signaculum; alterum, quo mestricis *c* denotabatur morsus) recognitus, *e* Przemislao Cracoviensi et majoris Poloniæ duce, qui Lestkoni nigro, nullum pignus relinquenti, immediate *d* successerat, et post interregnum *e* primus diademate apud Polonos tempora ornaverat *f*, Ancilla Christi intercedente, recollectus, et benigne habitus, apud arcem regiam Chroberz, ad fluenta Nydæ *g* sitam, sibi per ducem Przemislaum pro statu suo regio manutenendo cum nonnullis aliis villis et munitionibus ducalibus consignatam, degere cœpit.

ibique per fratris sui sicarios jugulatur:

C 215 Tulit ib molestius Vladislaus frater, Hungariæ rex, vehementi suspicione perculsus, ne quandoque et Polonorum et Hungarorum solatiis Andreas adjutus, regnum invaderet, seque velut invisum ejiceret. Mittit itaque suos ad illum satellites plures numero, et largitionibus frequentibus et spebus amplissimis, si illum quoquo modo enecarent, inescatos. Qui cum in Chroberz sub specie transfugarum advenissent, ab eoque et receptati et benigne juxta ac fidissimi, exculti forent, adolescentem alioquin innocentem et ingenuum, privato etiam officio illis venerandum, spectantem cuncta ex alto, non veriti Deum, sub intempestæ noctis silentio aggressi, sicariorum more corripiunt, et in flumen Nyda, saxo collo alligato, fidem eorum et jus hospitalium deorum nequidquam implorantem in violentioribus suffocant undis, in Pannoniasque habitu commutato, ad Vladislaum regem, gratissimum nuntium illi allaturi, diffugiunt.

216 Cujus corpus, cum altero die a nautis diligentius quæsitum, et tandem repertum, ac in monasterio sancti Stanislai novæ civitatis Korczin Ordinis Minorum fuisset ecclesiasticæ traditum sepulturæ, instantia et rogatu ancillæ Christi Cunegundis (cui tunc ob vitæ sanctimoniam, nihil negabatur) exhumatum, et usque ad Sandeczense monasterium ad illam decima septima Octobris die perductum est; fide enim cœlesti plena, credebat, se per gratiam sponsi sui et amatoris æterni illud vivificaturam. Cum igitur, sororibus magna prece pro nepotis resuscitatione eam interpellantibus, in privato oratorio clausa, cadavere nepotis tantummodo præsente, consisteret, et clementiam pro illius resuscitatione divinam supplicibus precibus et fletibus exoraret, contigit ancillam Christi Cunegundim sub illius temporis spatio, quo sublimius in divinam obsecrationem ferebatur, in mentis excessum pertrahi, et alienatam a sensibus in contemplationis divinæ aciem raptum iri, concentumque variarum audiri vocum.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO. ac mortuus ad B. Cunegundem affertur,

cujus precibus tantisper revixit; mox iterum jussus obdormiit.

217 Quarum novitate plcræque sorores, et signanter Gertrudis, Aldegundis, et Grzimislava, quæ ad fores oratorii ejusdem excubabant, concitatæ, ad parietem oratorii cominus accedunt, E parieteque oratorii (ut est natura hominum, et signanter feminarum, avidius occulta cognoscere) articulis et contis transterebrato, quid sibi velint voces illæ, quæ earum aures impleverant, curiosius per tramites et foramina oratorii explorant; et ancillam Christi Cunegundim cœlesti et divino lumine circumamictam prospiciunt; obsecrationes insuper, quibus benedictam alloquebatur Trinitatem, clare exaudiunt; verum voces, quibus ad illam divina edebantur responsa, et quarum sonum illis exaudire tantummodo permittebatur, penitus non intelligunt: vident et in corpore Andreæ tabifico veræ resurrectionis veræque vitæ signa; summoque exhilaratæ gaudio, quod illis tam sublimia Dei opera, voces quoque divinas concessum esset audire, finalem exitum rei, anhelitu suppresso, exploratius opperiebantur. Interim ancilla Christi Cunegundis denuntiatione oraculi imperata, ad corpus nepotis vivificatum accedens *h*: Dormi, inquit, dormi; et somnum tuum, quo te benignitas Altissimi consoporari voluit, repete, ac in pace, ne exterreantur pueri, postquam ita tuæ et multorum aliorum F saluti expedit, quiesce. Ad hanc vocem signa vitæ in Andrea illico diffugiunt, et corpus vivificatum transmutatur in cadaver.

Patientia Beatæ et prophetia de futura nepotis sepultura.

218 Quo foras prolato, cum singula illi ex traditione Christiana solenni honore et supplici devotione fuissent in obsecrationibus atque sacrificiis, per fratres et sorores persoluta, locus insuper pro corpore suo sepeliendo, Ancilla Christi jubente, intra claustri secretiora, quo sanctimoniales humantur, fuisset coaptatus et egestus; fratres Ordinis id molestius ferentes, in alio illud tumulo condiderunt; exprobrando etiam sororibus, et insectando ipsas illecebrosis conviitiis, ut cohabitare ambiant mortuis, postquam nequeunt vivis. Id opprobrium eamque fratrum in sepeliendo nepote abusionis notam, etsi ancilla Christi Cunegundis patientius tulerit, in propheticam tamen vocem erupit: oportere Andreæ in loco priori quandoque corpus recondi. Quod post plures temporum successiones, dum ecclesia ædifi-

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

ædificaretur ex lapide, necessitate cogente, impletum est, et corpus regium in sepulcrum, quod Virgo sacra ordinaverat, translatum.

Rogata de sua revelatione; de resuscitatione et altera morte nepotis,

219 Cum autem Virgo sancta a sororibus, quæ vivificationem corporis regii viderant, diligenti studio rogaretur, ut illis pro earum ædificatione pandere vellet, quænam fuerunt voces divinæ ad eam prolatæ, et ab eis auditæ tantummodo et non intellectæ; et cur corpus Andreæ vivificatum prohibuisset resurgere : cum illa secretum operis sui, quod latere omnes crediderat, proditum atque vulgatum mirata, diutius confiteri arcana secum acta renuit, terrenæ gloriæ auram perosa. Sanctimonialibus autem Gertrude, Aldegunda, et Grzymislava, quæ seriem rei exploratam habebant, singula ex ordine narrantibus, earumque indicio impulsa: Quando, inquit, amantissimæ sorores, opus latebris destinatum * conspicio, divinæ alloquutionis et responsionis ad me factæ vobis mysterium, per vos tamen, quoad vixero, occulendum, supprimendum et quam maxime tacendum, narrabo. Judiciorum siquidem divinorum expers et ignara, dum coram Omnipotente obsecrationes pro nepotis mei Andreæ resuscitatione effunderem, et suspiriis ac fletibus majestatis ejus benignitatem fatigarem, tum ille pro sua bonitate immensa, et quod petebam præstitit, corpusque dudum exstinctum vivificavit; et quod præstiterat, illico abstulit, utilius dignoscens collatum rescindi, quam impetratum iri.

* an destitutum?

B

respondet sororibus sub secreto.

220 Mihi insuper ancillæ suæ, densissimis tenebris per cupiditatem humanam involutæ, in quam late patentem errorem cæca precationes meas spargerem, triplicem causam oraculo suæ divinissimæ revelationis insinuat : primam quod Andreas nepos meus absque macula peccati mortalis cœlum rapuerit, ad tam perfectam innocentiam, si vivificaretur, irrediturus ; alteram, quod ex dissidio, inter eum et fratrem ejus Vladislaum Hungariæ regem exorto, et amplius, si viveret, exoriendo, multus catholicorum fundendus erat sanguis ; tertiam, ne me ancillam Christi humanæ gloriæ labe contingeret fœdari, et præteritorum laborum meritum evacuatum iri,

C

dum tantæ resuscitationis prodigium in utroque regno, Polonico videlicet et Hungarico, ac ceteris regionibus, et ob sui raritatem et ob personæ resuscitatæ excellentiam longe lateque vulgandum, muneris æterni præmium minueret, et insuper labentis gloriæ fumo me fuscaret. Hac responsione sanctimonialibus satisfaciens, hortabatur illas, ne signorum prodigia, quæ infidelibus concedi solita sunt, per ipsam requirerent; sed potius omnipotentis Dei providentiam exorarent suppliciter, ut ipsas ea tantummodo postulare concederet, quæ suum beneplacitum redolent, et dirigere illas possunt utriusque hominis in profectum; attento, quod ille, qui singula mortalibus tribuit, etiam facile quod necessarium et utile humanæ saluti est, damnoso resecato, concedere consuevit.

D

ANNOTATA.

a *Belæ IV successit* Stephanus V *anno Christi* 1275; *regnavit autem annos duos, ac tertio obiit; ut habet Bonfinius, aliique : tum Stephano patri, regi optimo, pessimus in regnum successit filius Ladislaus IV, cujus fratricidium hic narratur, uti et in Historia Polonica auctoris nostri lib.* 7, *ad annum* 1290, *et breviter apud Michovium lib.* 3, *cap.* 66.

b Materteram *hic iterum, ut supra, appellat auctor amitam, seu sororem patris.*

c *Suspicor, vocem in autographo obscure scriptam fuisse, et aliud pro alio arripuisse amanuensem. Certe* mestricis *nullum usquam vestigium reperi. Forte* nutricis, *aut* histricis, *aut simile quid aliud scriptum fuerit. In Historia citata tantum ait auctor noster, Andream ab Amita sua* per signa in corpore demonstrata *fuisse* recognitum.

d *Imo mediante Henrico IV, Wratislaviensi duce, qui Premislao Cracoviensem et Sandomiriensem ducatus testamento reliquit, teste ipso Dlugosso in Historia Polonica ibidem.* E

e Interregnum *appellant Poloni duo circiter secula, quæ inter Boleslaum II, S. Stanislai episcopi Cracoviensis interfectorem, ac propterea corona, titulo regio, et Ecclesiæ communione a Pontifice Romano privatum; atque hujus Premislai unctionem ac solennem coronationem intercessit : quia toto hoc tempore regnum Poloniæ in varia distractum dominia, communem principem aut regem nullum habuerit. Est et aliud, sed minus proprie dictum,* interregnum, *de quo Cromerus lib.* 10, *quod a Leszkonis nigri morte, sive anno Christi* 1289, *die* 30 *Septembris, usque ad ejusdem Premislai regnum intervenit.*

f *Atqui non eodem anno Christi* 1290, *quo hæc historia contigit, et quo Palatinatus Cracoviensem et Sandomiriensem ab Henrico acceperat Premislaus, etiam rex Poloniæ coronatus est; sed anno demum* 1295, *die* XXVI *Junii, ut idem auctor noster Historiæ Polonicæ lib.* 8 *docet. Istud ergo* ornaverat *referri debet non ad annum Andreæ fatalem, sed ad ætatem, qua Vitam hanc scribebat Longinus.* F.

g *Est* Nyda *fluvius, qui ab Occidente in Vistulam influit Cracoviam inter et Sandomiriam; ad cujus fontes notatur oppidum Jendrzeiow, ad ostia vero Korczyn; medio fere intervallo* Chroberz.

h *In historia Dlugossi assignata dicitur ad corpus accessisse Beata* cum religiosis et devotis sororibus, *quod cum hac narratione non cohæret, tum infra num.* 219. *Alia item ejus ibi verba ad nepotem referuntur, quam quæ hic sequuntur; sed eadem fere utrobique sententia est.*

CAPUT XXIII.

Alia quædam ejus etiam tum viventis miracula, et revelationes.

Catherina virgo, filia nobilis Joannis de Bielsko, Ordinem assumens, rigore Ordinis et aspe-

Tentationem novitiæ sibi revelatam, precibus avertit.

A asperitate tentationum frequenti, carnali præsertim illecebra, vexata, egredi de monasterio infra probationis annum, et in seculum redire ac tentationi succumbere, contecto proposito suo, destinabat. Id cum virgo beata Cunegundis, Spiritu ei revelante, agnovisset; dolore interiori pro casu sororis præfatæ, quæ illi familiarior fuerat, concussa, bis illam de vincenda tentatione ac rescindenda prava voluntate [allocuta], bisque repulsam passa, ad solitum suarum necessitudinum præsidium refugiens, non prius pro illius sanatione Deum interpellare desiit, donec sanctimonialis prædicta, virtute orationum suarum tentatione superata, ultro ad Sanctam Dei veniens, culpam suam proclamando recognovit, et supplici humilitate flendo atque ejulando veniam petens, stabiliter ex tunc in sacræ religionis professione permansit.

Osculo Sorores liberat variis morbis.

222 Contulerat etiam Dominus Sanctæ suæ dignationis virtutem, ut solo osculo, quod tantummodo sui monasterii exhibere solita erat sanctimonialibus, varias ab eis infirmitates et B ægritudines variosque languores subito effugaret; quæ in sorore Catherina de Odolyani, gravem oculorum perferente dolorem, et quem subito, dando sorori præfatæ osculum, dispulit; in pluribus etiam aliis sororibus, demonstrata est in multarum infirmitatum sub diversis temporibus curatione.

Paulum episcopum Cracoviensem per S. Catharinam liberat e carcere,

223 Paulus Jaszdonis, Cracoviensium episcopus *a*, cum ob quasdam factiones, simultates et odia, Lestkonis nigri Cracoviensis ducis mandato *b* apud villam et curiam suam in Cunow *c* per milites Zegotham, Zaklykam, et plerosque alios captus et ex Cunow compedibus vinctus, ad Castrum Siradiense *d* ductus, atque in obscurum carcerem missus fuisset, catenis illum stringentibus *e*, gravissimo dolore pressus, in vitæ extremo se agere, et, ob desperationem imminentem, animam exhalare conspicaretur, ad plerosque Sanctorum, in angustia mentis et agone positus, se convertit, et cultius religiosiusque illorum patrocinia implorare cœpit. Cui taliter laboranti sancta Catherina virgo visibiliter apparuit, et vincula sua atque durissimos compedes C confringens, solitum atque liberum abire mandavit, dicens ei: Sacræ virgini Cunegundi gratias age; cujus prece et merito per meum ministerium scias te solutum atque liberatum esse.

quod beneficium sibi frustra vetat Paulum adscribere:

224 Qui vincula, carceres, et mortem evadens, ad ancillam Christi Cunegundim in Sandecz compedes, suæ liberationis insignia, secum pro testimonio ferens venit, et visionis ordine relato, multiplices gratias pro sua liberatione Virgini sanctæ, quemadmodum oraculo doctus et jussus erat, habuit; offerens, se illi pro tam ingenti et necessario solatio perpetuo serviturum, et ipsius se repromittens fidelem et devotum cultorem. Verum illa profundo pudore perfusa, se tanto honore atque commendatione prædicabat indignam, pontificem Paulum humiliter et summisse rogans et obtestans, ne suæ liberationis meritum illi asscriberet, quæ se omnium peccatorum primam et præcipuam nosset, neve prodigii sibi ostensi visionem vulgaret, majorem sibi, quam pro merito, vitæ religionem et sanctimoniam falsa et simultanea *f* æstimatione effecturam; sed omne munus suæ ereptionis et salutis sanctæ Catherinæ virgini, suæ liberatrici, asscriberet. Quod ille renuens, opus Dei, [et] beneficium, quod per sanctam suam Cunegundim illi in necessitatis articulo constituto contulerat, universis testabatur.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

eidem apparet, et calculo, hernia, vulnere eum liberat.

225 Idem Paulus Cracoviensis episcopus cum gravi ægritudine laboraret, et ex frequenti magnitudine calculi atque pressura vias urinales haberet disruptas et incisas, sed et insuper in utroque inguine gravem pateretur rupturam, ebullientibus visceribus, sensim gliscentem (quam satagens corrigere, incidi se ferro permisit, ex quo periculum mortis sibi constituit) et durissimis doloribus fatigatus, atque loquendi usu per triduum continuum amisso, spe etiam vitæ penitus destitutus, desperatione subingressa, periclitaretur in morte; et singulis suis familiaribus illum quasi prope momentum moribundum observantibus, jaceret fatigatus et anhelus, virgo Christi Cunegundis stertenti illi magis quam dormienti apparuit; et consolatione ingesta, omnium languorum, quos multifarie patiebatur, angores subito ab eo effugavit. Qui etiam tunc vocem sibi denuntiantem audivit, quod meritis et E interventu novæ Sanctæ nosset intelligeretque se sanatum, et de suis miserabilibus ærumnis liberatum atque ereptum. Qui evigilans, et Virginis sanctæ beneficium et visionem narrans, continuo se sensit ab omni dolore liberum et pristinæ sanitati restitutum.

Ægrum confessarium absens sanat, apparente S. Francisco.

226 Fratre Boguphalo extreme ægrotante, qui virginem Christi Cunegundim in suæ confessionis solitus erat expedire Sacramento, et Ancilla Christi assiduis insistente petitionibus, ac fratri Boguphalo prædicto confessori suo incolumitatem reddi precante, lux immensa super illam patulo et aperto cœlo apparuit; cujus splendorem miranti coruscum, et, quidnam sibi vellet tantus fulgor, tacite volventi, beatissimus Christi confessor Franciscus in vellere niveo candidatus apparuit, Ancillam Christi consolans: Animæquior, inquit, esto, Filia, et de filio meo Boguphalo confessore tuo ne sis solicita; quem etsi ad me constituissem tollere, supplicatu tamen tuo devictus, illum vitæ et sanitati reddo F Quo dicto disparuit; et illico nuncius et servitor prædicti fratris Boguphali, qui illi ægrotanti ministrare consueverat, ad Sanctam Dei venit, nuncians illi, fratrem Boguphalum, qui paululum ante in agone contenderat, vivere, et subito ad bonam valetudinem rediisse.

Cœlesti luce fulget, cum Deipara colloquens.

227 Soror sanctimonialis, Osanna nomine, Zolkonis cognomento, oratorium sacræ virginis Cunegundis, dum illa solitæ invacaret contemplationi, fortuito ingressa, vidit Sanctam Dei imbre lacrymarum irrigatam, et cum imagine gloriosissimæ Dominæ nostræ Virginis Mariæ in altario oratorii positæ, dulcissimis sermonibus, quos Osanna tantum audire, sed nequaquam intelligere poterat, colloquentem, et qui ab imagine Mariæ Virginis per radium lucidissimum insonabant; vidit et Ancillam Christi sub hora illius temporis nimio resplendere fulgore, et totam contemplatione hujusmodi raptam et deditam, præsentiam et ingressum præfatæ sanctimonialis Osannæ, tamquam a sensibus alienatam, neque

vidisse

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

vidisse, neque sensisse. Eam visionem cum ceteris retulisset sororibus, imperata atque prohibita est, ne eam, vivente sacra Virgine, cuiquam vulgare auderet atque patefacere; vetita insuper, ne oratorium Ancillæ Christi ingredi de cetero pergeret, cœlestes sermocinationes et colloquia divina, sua irruptione, restrictura.

In contemplatione aduri se non sentit.

228 Altera insuper sanctimonialis, Anna nomine, sortis ducalis et prosapiæ puella, in oratorio eodem famulæ Christi Cunegundis, ea orante et contemplante, subter velum atque velo condita consistens, fumum et odorem ignis, lineum amictum ustulantis, sentire cœpit; cumque diligentius, quidnam rei intercessisset, et unde odor ignis præfati exhalaret, perquireret, vidit unum ex quinque cereis, assidue in oratorio ardentibus, casualiter cedisse, et peplum Ancillæ Christi, quo collum contexerat, in toto suo ardore, Virgine Christi nequidquam * propter suspensionem contemplationis sentiente, devorasse, collique nuda magna ex parte inussisse. Tunc discrimen illud aversura [ad] Ancillam Christi accurrit, et Ancillam Christi etiam tunc præ contemplationis fervore nullam sentientem uredinem, non secus quam de gravi somno expergefactam, a combustione illata et inferenda, exstincto, qui in collo sacræ Virginis grassabatur, igne, defendit. Culpam autem suam præfata sorore Anna * recognoscere, quod illius contemplationis impedisset secretum, satagenti, felix Virgo prohibuit, rogans et obtestans, ne quod accidisse viderat, quoquo pacto umquam cuiquam vulgaret, sed stricto silentio, ne proderetur contegeret.

* *forte* nil quidquam

B

* *lege* præfatæ sorori Annæ

Dæmone insessum liberat signo crucis;

229 Sub cujusdam diei spatio vir quidam sortis mediæ, Sziestrenulus nomine, dæmone impletus, qui illum multiplicibus fatigabat molestiis, et non nocte aut interdiu sinebat quiescere, adductus est. Cujus afflictioni famula Christi Cunegundis pio miserationis affectu compassa, signaculo crucis sanctæ obsessum benedicens, exire cogebat. At dæmon obsessum discerpens, quadrigam cum rotis et cista, cui Sziestrenulus alligatus erat, in sublime levare atque trahere cœpit, voce gravi et horrenda ejulans, et fortem suam increpans atque clamans : Væ, væ mihi damnato et misero, ad conspectum et imperium Hungaræ expellendo ! At illa non suis subjectionem dæmonis meritis, sed sanctæ crucis asscribens virtuti, dæmonem ad reliquendum Sziestrenulum impellebat, dicens: Etsi ego immerita ancilla Christi sum, te tamen, spiritus immunde, Altissimum pavere oportet, et ejus revereri ministros. Hanc vocem dæmon non ferens, continuo hominem incolumem, quem longo tempore possederat, reliquit. Quem virgo Christi Cunegundis diebus aliquot in monasterio cibo et potu refectum et plena sanitate potitum in propria abire permisit.

C

item alium eodem signo;

230 Post paucos item dies, cum alius a dæmonio possessus, Matthæus nomine, sanationis respectu ad famulam Christi Cunegundim fuisset adductus, et in quadam monasterii officina reclusus; is, quamvis obseratus in camera, Ancillam tamen Christi appropinquare sentiens, vociferare cœpit, dicens ; Væ, væ misero mihi ; ad Hungaræ.....! (Ancillam Christi signans advenientem) Jam enim adest, jam mihi appropinquat, me hinc ejectura. Illa vero, signo almæ crucis hominem consignans et insaniam dæmonis, tunc plus solito obsessum contundentis, arguens, facturam Dei malignum spiritum relinquere imperabat. Cujus jussioni non valens resistere, edito nimio strepitu et ejulatu, exivit ab eo. D

imo et puerum innocentem.

* *forte* infantilis

231 Ætatis infantulus * puer, Martinus nomine, a nequam spiritu obsessus, ad sanctam Dei Cunegundim, ut ab illo pelleret dæmonium, allatus [est]. Cujus sortem tam miserabilem in tam tenera ætate mirata, quod pœnam tam atrocem, nondum peccati inquinatus labe, toleraret, tenente illum in manibus nobili matrona Anna, potenti virtute verborum dæmoni imperat, ut vas innoxium vexare desineret, linqueretque plasma Dei, ullo tempore irrediturus. Paruit illico Servæ Dei sermoni dæmon ; et puerum amodo et deinceps, nec vexare nec introire præsumpsit. Cum autem prodigia hujusmodi, per preces et merita sanctæ Dei Cunegundis provenientia, nonnullæ sanctimoniales muliebri simplicitate divulgassent, corripit illas Ancilla Christi et gravi interminatione prohibuit, non sinens illas loqui, et quæ per eam E pietas divina faciebat, propalare prohibebat apud aures exterorum magnalia.

ANNOTATA.

a *Fuit Prandothæ, de quo supra, successor; vir nobili genere, ut habet auctor noster Historiæ Polonicæ lib.* 7 *ad annum* 1266; *sed impurus, rebellis, et ordine suo indignissimus, ut idem narrat ibidem ad annum* 1271; *et, licet voce ex aere delapsa increpitus, pœnitentiæ tantisper vacasse feratur ibidem ad annum* 1273; *minime tamen ita vitam deinde emendavit, quin auctor noster ibidem ad annum* 1292, *ubi mortem ejus narrat, elogii loco parricidium, ab eo perpetratum ante, commemoret.*

b *Bis ob causas similes captivus abductus in castrum Siradiense, quod Leszkoni nigro, duci Siradiensi, parebat, Paulus, ut ait auctor noster Historiæ Polonicæ lib.* 7: *primum quidem anno* 1271; *iterum vero anno* 1283. *Neutro autem loco de miraculo meminit, hic quod describitur; ut vix intelligas,* F *ad primam, an ad secundam captivitatem pertineat : nam ad secundam spectare videtur, quod captus dicatur* Lestkonis nigri, Cracoviensis ducis, mandato: *Leszko enim niger in ducatum Cracoviensem defuncto Boleslao pudico anno* 1279 *primum successit ; ad primam vero spectat quod captus hoc loco dicatur* in Cunow per milites Zegotham, Zaklykam, *etc.*; *quod in secundam quadrare non facile potest: tum enim non ex* Cunow: *sed ex* Lagow, *oppido aliquot inde milliaribus dissito, abductus est :* Zegotham *vero idem in episcopum illum secundo tentasse non videtur verisimile; quando in primo tam male ei cesserat: ut loco citato narratur. Ut ut est, ego ad secundam referre malim; cum aliis humanis mediis e priori captivitate liberatum constet; non item ex posteriori, ut locis assignatis legere est.*

c Cunovia *oppidum est in palatinatu Sandomiriensi, ad episcopum Cracoviensem cum aliis quibusdam locis vicinis pertinens, ut etiam docet Cromerus lib.* 8.

d Si-

A d Siradia *caput est palatinatus Siradiensis ad Wartam fluvium.*

e *Hoc vero cum Historia Polonica auctoris nostri nequaquam consonat; sive de prima, sive de secunda captivitate intelligos: in utraque enim captivum episcopum honeste habitum fuisse tradit.*

f *Id est*, simulata, non æqua, non merita, *ut patet.*

CAPUT XXIV.

Prosecutio miraculorum aliquot; adhortationes ejus ad sorores maxime de castitate; virginitas ejus perpetua asserta testimoniis.

B *Mortuam puellulam resuscitat signo crucis.* * *an levitate?* * *forte* paternarum

Clara virgo, filia Jacobi civis de Sandecz, in puellari ætate constituta, dum puerili ætate * in superiori parte patronarum * ædium luderet, casu de ambitu alto in terram præcipitata decidit, et magno clavo gutture perforato, et gula perfracta, mortua a parentibus magno ejulatu plangebatur. Concursu autem plurimorum vicinorum ad tam calamitosum spectaculum facto, suggeritur parentibus, ut cadaver filiæ ad Ancillam Christi deferri faciant, et pro ejus resuscitatione Sanctam Dei interpellent. Et quamvis plures id improbarent, velut parum possibile consilium; parentum tamen viscera, vitam puellæ magnopere gestientia, etiam illud aggrediuntur; et corpus exanime filiæ ad sanctam Dei Cunegundim deferentes, magna cum instantia et ploratu supplicant, ut filiam eorum eis reddat, gravique mœrore atque delicto illos liberet. Tunc Ancilla Christi eorum miserandis vocibus commota, humili supplicatione ad Dominum cœli præmissa, signum crucis in fronte mortuæ faciens, resurgere illam jubet. Quæ continuo ad illius consurrexit imperium, et vitam, quam paulo an-
C te amiserat, ad liquidum recepit, vitalibus sensibus ad integrum potita.

Eodem signo oculum exustum sanat;

233 Sanctimonialis, Paulina nomine, alteri sanctimoniali, Zophiæ, candela ardenti in oculum dextrum ingesta pupillam illius adeo graviter corrupit, ut, potentia visiva amissa, oculus ipse destructus et penitus inutilis redderetur. Quod cum singulæ moniales graviter ferrent; et sororem Paulinam, quæ hujusmodi scandalum patraverat, probris et convitiis frequenter incesserent; soror insuper Zophia in membro nobili tam atrocem deformitatem passa, gravius ingemisceret, quod et jacturam notoriam tam facile incurrit, et opprobrium suum semper secum latura foret, in oratorium ancillæ Christi Cunegundis a frequenti numero sororum traducta, Sanctæ Dei, suffragantibus sororibus, supplicare cœpit, ut eam opprobrio hujusmodi absolveret sua prece. Quæ illis se morigeram præstitura,
a sponso suo cœlesti proprius *a* sedulius exorato, sanctæ crucis signum in oculo violentato imprimens, omnem cæcucitatem et dolorem ab ea subito et penitus dispulit, et omnem læsuram oculi, per ignis virtutem inflictam, reintegravit.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO. *item adolescentem diu cæcum.*

234 Anastasia, matrona nobilis, Philippi Dominicelli, Cracoviensis diœcesis, relicta, puerum suum Nicolaum, nondum epheborum ætatem transgressum, ad ancillam Christi Cunegundim adducit, lacrymosis illam deprecans et fatigans precibus, quatenus a cæcitate filiolum suum (cæcus enim a longo tempore fuerat sua) prece et suffragio liberare dignaretur. Quæ etsi deprecanti restitisset, asserens, id suæ sorti et conditioni minime convenire; tandem præfatæ Anastasiæ matronæ, et circumstantium sanctimonialium jugibus precibus expugnata, puerum præfatum Nicolaum in oratorium suum deduxit; et in crucis modum ad imaginem Crucifixi prona in faciem ruens, seque prosternens, clementissimi Dei pietatem cœpit interpellare, ut, qui cæcum clamantem ad se Jericho appropinquantem illuminasset, puerum quoque illum, si ita saluti pueri et suæ nosset expedire, illuminet, et supplicum suorum deprecationibus condescendat. Quæ ab oratione consurgens, et signo crucis cæcum muniens, visum ei illico plene restituit, E
omni cæcucitate, quam tanto tempore pertulerat, amodo et imposterum effugata. Quem sanatum, et nova circumamictum veste, genitrici suæ restituit, mirificis laudibus in omni potentis Dei gloriam effusæ.

Suis paupertatis, obedientiæ, et maxime castitatis votum commendat,

235 Frequenti autem et diligenti vigilia ad sanctimonialium suæ domus et cœnobii institutionem et eruditionem intenta, multifariis illas exhortationum et persuasionum sermonibus ad sanctæ religionis observationem perurgebat. Et quoties alicujus intervalli post cœnam occurrebat vacatio, toties ancilla Christi Cunegundis sororibus in concionem advocatis, de tribus sanctæ religionis essentialibus, quam accuratissime poterat, apud aures sororum disserebat; obtestans illas atque monens, ut triplicem illum suæ professionis funiculum exactissime custodirent, nec sinerent quoquo pacto labefactum iri; et cum duas sanctæ religionis virtutes, obedientiam videlicet et voluntariam paupertatem, omnifariam extulisset, virginitatem tamen et his et aliis omnibus virtutibus per varias sanctorum Doctorum F
scripturas, perque varia exempla, præferebat, asserens, nullam de virtutibus universis æque Deo placidam et sponsis Christi æque necessariam, majoris præmii bravium et retributionem amplissimam cum aureola consecuturam.

suum exemplum modeste proponens,

236 Ad cujus conservationem omnium sensuum custodiam assidue rogabat solicite interponi: Ad me, inquiens, o carissimæ sorores et dilectissimæ filiæ meæ, si cetera non probatis, aspicite; quæ omni * mulierum indignior et misera cum sponso terreno, cui magis parentum decreto et jussione, quam mea sponte adducta eram, octo lustris integris in virginitate vixi. Qui etsi post annos plures quam illi desponsata fuerim, virginitatem me habere, tenere, et custodire, rogatus a me et divino nutu conterritus, consenserit; et ego in thoro illo non sine collisione et concursione ingenti, virginitatem usque ad sanguinem per varias tentationes, tempestates, atque fluctus nonnisi cœlesti præsidio fulta coluerim [ac] defenderim; sponsi tamen mei terreni

* *pro* quavis

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

reni Boleslai pudici Cracoviensis ducis nonnisi nudas manus et vultum viderim; carnem reliquam videre aut attingere horruerim, verita in pace perdere, quod in prælio servaveram. Quo nimirum suo sermone veridico et fideli constabat, illam virginitatis lilium ab ineunte ætate usque ad diem exitus tam mente quam corpore summopere custodisse.

ut quæ virginitatem illibatam semper servasset:

237 Hunc itaque tam mirificum tamque excelsum thesaurum in vase fictili gestatum, etsi sagacissime a notitia universorum celatum iri magna cura, dum viveret, contenderit, (utpote, quæ suorum operum solum Deum conscium esse volebat, et inspectorem) sorori tamen Catherinæ, Odolyani cognominatæ, sibi familiari, et suorum actorum secretorum magis consciæ, clementiori affectu illam sibi post quamdam levem offensam reconciliatura, suæ virginitatis arcanum sub cujusdam diei tempore revelavit, dicens: Est secretum, filia mea carissima Catherina, quod tibi et nulli alteri præter Deum et confessorem meum vellem esse cognitum, si illud, dum vivo, nemini
B umquam reseraveris, sed velut arcanum abditissimum, me in corpore mortali agente, reticueris. Qua pollicente et diris se devovente, si prævaricaretur, obsecrationibus: Scias, inquit, filia carissima, et id pro re certa et indubitate teneas, me a tenella ætate mea virginem pudicitiæ illibatæ usque in diem hanc semper fuisse et virginitatem mentis et corporis scrupulosa custodia observasse: ac sub conjugali toga, quod et mihi ipsum fuit durissimum ac difficillimum, posteris vix credibile, pectus virginale gestasse.

quod et ipsa fassa, et alii testati sunt: b

238 Adstipulabatur etiam virginitati suæ Vladislai secundi regis Poloniæ *b*, qui cognominatus est Loktek, id est, cubitalis, et suæ conjugis Heduigis Poloniæ reginæ frequentius coram plurimis proceribus regni repetitum testimonium asserentium et testificantium, ancillam Christi Cunegundim florem virginitatis, et tunc, dum viridis Boleslao duci Cracoviensi sponsa esset, et cum jam provectioris foret ætatis, summo studio atque cura custodisse: in argumentum sui testimonii Vladislaus præfatus Poloniæ rex deducens quod, cum in ætate suæ adolescentiæ apud Bo-
C leslaum pudicum, Cracoviensem ducem, patruum
c *c* suum, obversaretur, et pro conditione sua tam ducali et necessitudinaria, quam etiam ephebica, pateret sibi semper principis præfati Boleslai ad thalamum ingressus; variis et certissimis signis, imo et evidentissimis prodigiis, famulæ Dei Cunegundis, per frequentem thalami illius, quem cum sponso suo terreno Boleslao duce habebat communem, introitum, virginitatem et pudicitiam comprobabat; offendens illam in nuda humo quiescere; aut orationi, prostratam solo, incumbere; aut corpus virgis et funiculis verberare.

quamvis in professione sua, non ut virgo, sed ut vidua consecrari voluerit,

239 Mos erat commendabilis, longæva observatione in monasterio præfato sanctimonialium Sandeczensium utilissime custoditus, sed sub temporibus nostris perniciose, et nonnisi per segnitiem et cunctationem, relegatus et abolitus; ut singulæ sponsæ Christi, regulam Ordinis publice professuræ, pontificali proprius benedictione insignirentur. Neque abs re: illa enim benedictio a sanctis Patribus prudentissime et Spiritus sancti ordinatione et instinctu instituta, et D
devotionis et lacrymarum, dum peragitur, plena, singularia ancillis Christi sua virtute charismata, quæ hæ, quæ illam aspernantur et fastidiunt, consequi nequeunt, subministrat. Dum itaque Paulus Jaszdonis, Cracoviensis episcopus, ad cœnobium sanctimonialium invitatus, virgines Ordinem professas et professuras velaret et pontificali benedictione consecraret; ancilla Christi Cunegundis, quamvis se virginem nosset incorruptam, benedictionem tamen pontificalem inter virgines suscipere solo humilitatis respectu recusavit, suæ etiam castimoniæ mysterium celatura; sed inter viduas et continentes illam suscepit.

frustra id carpente ejus confessario,

240 Quam cum confessor suus, frater Boguphalus, secreti suæ virginitatis optime conscius et integer testis, mendacii atque simultatis argueret, deducens, illam male atque vafre consecratam esse; illa se ad pedes ejus prosternens, suppliciter illum obsecrabat, ne sui cælibatus suæque virginitatis arcanum in notitiam cujusquam deduceret; cum sub umbra viduitatis tutius delitesceret, et suæ virginitatis lilium mor- E
talibus celando, contendendo in agone, facilius securiusque posset comprehendere bravium suæ conditioni destinatum.

qui tamen morti proximus perpetuam ejus virginitatem propalavit.

241 Quamvis autem præfatus frater Boguphalus sacræ Virginis confessor, et divino nutu compunctus et virgini sanctæ Cunegundi morem gesturus, sub omni tempore, quo in humanis agebat, Ancillæ Christi virginitatis arcanum reticuit; ad horam tamen extremam perveniens, apud aures Sandeczensium civium, quorum natu majores, officium morituro impensuri, visitatum ad illum convenerant, secretum hujusmodi sonora voce prodidit et divulgavit, affirmans, famulam Christi Cunegundim pluribus et evidentibus experimentis, sibi tamquam omnium secretorum suorum et omnis vitæ suæ conscio notissimis, puram virginem esse, et ab omni illecebra carnis et spiritus animam suam custodisse: agerent proinde de tam sublimi persona, locum civitatis eorum incolente, condignas Altissimo gratias; nec dubitarent, per ejus sanctitatem et merita civitatem eorum quandoque singulari excellentia decorandam. F

testimonium suum adjecta prophetia confirmans.

242 Verum cum plerisque civibus verba senis viderentur in eorum cogitationibus deliramenta, mentes eorum per spiritum prævidens: Quoniam, inquit, sermo meus in vestram ædificationem atque consolationem emissus, non capit *d* in vo- d
bis, et delirus ego vobis atque mendaciorum confictor videor; scitote itaque, civitatem hanc ob vestram magnitudinem * et incredulitatem ad magnam egestatem et statum depressum et miserabilem brevi redigendam, et in pannorum Scharlyaticorum *e* locum, qui apud vos hodie in e
magna frequentia habentur venales, tribulos et urticas quam densissimas suborituras, et sanctæ Dei Cunegundis illibatæ virginitatis præconium, in vestris auribus die hodierna per me fideliter atque justissime declamatum, testaturas; ut fidem verbis et relationibus meis urticæ, et spinæ ceteræque herbæ ac tribuli civitatem vestram impleturæ apud vos astruant, quam sermones mei vivi, veridici, et sensati exigere non potuerunt.

* *an ingratitudinem?*

A runt. Nec virtus sermonibus his defuit ; ut comprobaret Dominus Ancillæ suæ et sanctimoniam et virginitatem; sed nova Sandecz non multo post hæc *f* per Venceslaum Poloniæ et Bohemiæ regem in loco villæ episcopalis Camienycza, ubi fluvius Camyenycza *g* miscetur Dunayczoni, erecta, omnis decor antiquæ Sandecz adeo emarcuit ; ut ex civitate alioquin tunc insigni ad vilem sit vicum redacta.

ANNOTATA.

a *Id est*, prius, *seu* ante omnia ; *ut supra observavi non semel.*

b Wladislai *hujus* Loktici, *qui* secundus *ab interregno rex Poloniæ electus est anno* 1296, *fortunam variam multis prosequitur historia Polonorum.* Lokticus *autem seu* Loktek, *quod Polonice* cubitalem *significat, appellatus est, ut ait Cromerus lib.* 9, propter brevem staturam. B

c *Ne id proprie accipias, quasi Boleslaus pudicus frater fuerit Casimiri ducis Masoviensis et Cujaviensis, cujus Wladislaus ex Constantia, secunda uxore, filius erat : nam Casimirus ille et Boleslaus pudicus patrueles erant, et filii duorum fratrum ; Boleslaus quidem filius Lesci, cognomento* albi ; *Casimirus vero Conradi Masoviæ et Cujaviæ ducis.* Patruus *hic ergo sonat* patris patruelem.

d Non capit in vobis, *id est* non capitur in vobis ; *quia nimirum tam exilis et angusta est in vobis fides, ut tantæ et tam inusitatæ veritatis ac testimonii non videatur capax. Eadem phrasis est in Euangelio Joannis cap.* 8, ℣. 37 : Scio quia filii Abrahæ estis; sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.

e Panni scarlyatici, scarlatici, escarletici, *etc., vocantur panni coccinei seu cocco tincti, qui magnificentiam quàmdam præferunt ; ideoque fere in ditiorum et nobilium virorum usum cedunt : significatur ergo, Sandecensium luxum ac magnificentiam brevi suppressum iri. Forte etiam per istiusmodi panni textores aut tinctores tum maxime florebat Sandecia vetus.* C

f *Nempe anno Christi* 1303, *quando, juxta auctorem nostrum Historiæ Polonicæ lib.* 9, *ædificavit Wenceslaus Sandeciam novam haud procul Sandecia veteri, sed in adversa seu Orientali ripa fluminis Poproth, qui ab Hungaricis jugis descendens inter utramque Sandeciam fluit, ac mox Dunajecio mixtus, amisso nomine, ad Vistulam vehitur. Vide Longini historiam Polonicam lib.* 1, *ubi de Vistula. Nova est Sandecia, quam solam nunc mappæ geographicæ solent exhibere.*

g *Hunc illum esse fluvium necesse est, quem sine nomine Geographi in tabulis proximum ad Orientem locant flumini Poproth, quique item ut hic, in Dunajecium, seu parvum Danubium et deinde cum isto in Vistulam, sese exonerat.*

CAPUT XXV.

Vinum Beatæ per angelum allatum; prædictio mortis suæ et morbi monialium; comparatio ad mortem; morbus ultimus, et in eo visitationes Sanctorum et revelationes ; protracta sororum precibus vita.

Viribus dejecta vinum expetit Cunegundis ;

Vigiliis et abstinentiis frequentibus afflictæ, atque ob id corpore exinanito debilitatæ, cupido vinum bibendi ancillæ Christi Cunegundi incessit. Cumque vinum diligentius quæsitum et nusquam repertum fuisset, et sanctimoniales, fervida in eam caritate, non secus quam parentem, affectæ, tristitia ob defectum hunc afficerentur singulari ; ipsa acerbitatem earum et mo- E lestiam solatura : Nolite, inquit, carissimæ sorores, vini defectum præsentem gravi et acerbo animo ferre ; sed in Domino Jesu Christo sponso nostro desiderabili plenam confidentiam reponite. Si etenim creator vini volet, et nos dignificaverit ; facile nos pauperculas suas et orphanas copia vini reficiet et replebit.

quod ei affertur angelico ministerio. a

244 Vix verba hæc Christi Famula compleverat ; monasterii fores nuntius ignotus duos flasculos *a* optimi ferens vini, pulsare cœpit. Quibus patefactis, vinum, quod attulerat famulæ Dei Cunegundi, uni sanctimonialium portam observanti tradidit ; de quo cum Ancilla Christi libasset, et rari atque optimi saporis persensisset, in admirationem versa [est], unde in tam subito et insperato tempore tam nobile vinum affluxisset. Cui curiosius rem indaganti respondit ostiaria, stare ad portam nuntium non satis sibi cognitum, vini præfati latorem. Quem cum Famula Christi jussisset sciscitatum iri ab eo, unde venisset, aut cujas esset, repente disparuit ; et di- F ligentius quæsitus, nusquam poterat reperiri. Intellexit itaque Sancta Dei, angelico ministerio suo se desiderio perfunctam, et sitim suam supernæ a Sponso suo cœlesti sua mirabili potentia aquas convertente in vinum expletam fuisse. Unde et in laudationem Altissimi, et in gratiarum actiones cum sororibus conversa, in hanc vocem prona in terram cadens prorupit : Desiderium pauperum exaudivit Dominus ; præparationem cordis eorum audivit auris tua.

Prædicit se primam e monialibus morituram ; b

245 Plerisque sanctimonialibus monasterii præfati Sandeczensis in varias valetudines *b* atque morbos incidentibus, et ob id defungi se vita propediem existimantibus, subridens ancilla Christi Cunegundis, dum verba hujusmodi apud aures suas ingeminarent, dixit ad illas : Quamvis, inquit, sint hactenus inter vos, et etiam futuræ sint, aliquæ valetudinariæ, variis ægritudinibus atque morbis gravatæ et gravandæ ; certas tamen singulas vestrum facio, quod excessum meum e vita nulla ex vobis (quoniam ita a cœlesti sponso meo Jesu Christo comparatum et ordinatum est) præcedet.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

et fidem astruit per aliam prophetiam;

246 Cum autem una sanctimonialium, Mslava nomine, validius languida, spiritum, voce interclusa, crederetur exhalasse, factus est a singulis monialibus ad oratorium Ancillæ Dei, tunc orationibus occupatæ, impetuosus, et qui Sanctam Dei suis contemplationibus insistentem non mediocriter turbavit molestavitque, concursus vociferantium atque ejulantium, sororem Mslavam diem obiisse. Quibus vocibus famula Dei Cunegundis excita, ab oratione consurgens, pia et modestissima correptione illas arguèbat: Quoniam, inquit, sermoni meo non credidistis, et sororem Mslavam denuntiastis muliebri levitate mortuam quamvis vivam, non erit ex eo tempore infirmaria vestra umquam vacua; sed ad minus unam ex vobis continebit languidatam. Cujus oraculi veritas in subsequenti tempore ad liquidum proluxit, et sororibus in plures infirmitates prolapsis infirmaria, ut sermo Ancillæ Christi impleretur, numquam poterat evacuatum iri.

idemque iterum affirmat, patrocinium suum spondens.

247 Repetenti ancillæ Christi Cunegundi, et frequentius apud aures sororum vaticinium suum ingeminanti, nullam ultra se proprius fato functuram, soror una, Aldegundis nomine, contentiosus et apertius contradicens, non Sanctam, velut natu juniorem, sed se, velut senilem et veternosam atque, putridis jam senectute membris, exsanguem, sortem mortis proprius occupaturam affirmabat. Sed Famula Dei, dicta sua refellens: Non sic, inquit, ut tu reris, eveniet, cum ordinatio divina nullius spectet aut attendat ætatem; verum quemadmodum parens vestra exstiti, et ad hoc cœnobium vos congregans Christo iterum parturivi; ita etiam vos ad cœleste præmium capessendum præcedam, orationes vestras vultui præsentatura divino, magisque vobis apud tribunal cœleste profutura mortua, quam profuerim viva. Quæ omnia mirabili providentia divina fuere impleta.

Profitetur auctor multa ejus Acta omitti,

248 Hæc sunt ex innumeris prope feminæ beatæ Cunegundis abscisse per nos relatæ miserationes et eleemosynæ. Quod si reliquas enarrare pergimus: quoties captivos ex miserabili servitute barbarica redemit; quoties egenis, pupillis, orphanis, viduis, aut aliqua calamitate gravatis opem tulit; quoties pavit peregrinos et esurientes; quoties alieno gravatos ære levavit; quoties advocatam se contra potentes pro imbecillibus præstitit; quoties, aviæ suæ sanctæ Heduigis et materteræ suæ beatæ Elizabeth æmulata vestigia, in hospitalia et leprosarias sub habitu dissimulato divertens, languentium et leprosorum attrectavit corpora, sordes et immunditias diluit, prurigines et saniem detersit, cibis et potibus debiles refecit, egenos et nudos vestivit, puerperis subvenit; quoties in ecclesias, casulas, calices, cruces, ceteraque id genus, ornamenta et clenodia liberaliter effudit; immensi propemodum laboris onus suscepisse videremur.

uti et plurima miracula.

249 Exstabant præterea plurima alia sanctitatis suæ et religionis insignia; exstabant prodigiorum, quæ in vita egit, decora, fidem hominum, et ea, quæ carptim conscripsimus, excedentia. Erat operæ pretium magnalia illa tua, Domine virtutum, singula recensere, nisi hoc a notitia nostra neglectus, et (ut verius eloquar) segnities scribentium subtraxisset: frequens etenim ad illam fiebat languidorum, frequens energumenorum, frequens suorum carorum mortes deplangentium, et aliis casibus vexatorum concursus, quibus fere omnibus divinæ virtutis ope per suas intercessiones et merita in eorum necessitatibus opportuna conferebat subsidia, votorum suorum illos efficiens compotes et perfunctos.

Ad mortem Beata se comparat nondum ægrotans,

250 Dissolutionis ejus tempore appetente, cum sacra Virgo intelligeret, sibi hinc universali lege naturæ migrandum esse, jejuniis, vigiliis orationibus tam diurnis quam nocturnis, agonem suum Domino commendans, jugiter cœpit insistere, hilaritatem præferens in ore et vultu; quoniam, quod semper omnibus votis expetierat, adesse tempus noverat, in quo, peracto cursu, immortalem coronam regni cœlesti foret perceptura. Plerisque sororibus hæc illius ad mortem præparatio incerta et ambigua videbatur, eo maxime argumento permotis, quod eam videbant in singulis sensibus integram et incolumem, et nulli debilitati obnoxiam vel languori; sed hæc quoque spes illis continuo fuit subducta.

anno 1291 die prima Septembris ægrotare cœpit per menses duos,

251 Anno etenim Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo, prima die mensis Septembris in ægritudinem insuspicabilem incidens, graviter languere cœpit, valetudine in dies plus solito usque ad festum sancti Jacobi apostoli c ingravescente. In grabato autem decumbens, Horarum sacrarum officia, ceterasque orationes et obsecrationes, non secus quam si sana foret, Missas etiam audiendo, imbecilli quamvis corpore, manibus sororum sustentata, devotissime explebat. Quantas autem in hujusmodi ægritudine passiones, vexationes, cruciatusque corporis pertulerit, quantas acerbitates, afflictiones et angustias toleraverit, et qualem, quantamve, et quam sublimem patientiam monstraverit, nemo satis enarrare ad liquidum posset lingua humana vel sensu.

maxima patientia, nec solita exercitia intermittens,

252 Lassum autem et longa atque dura infirmitate confectum et exangue corpus, et quod morbus sic per singula membra depastus erat, ut palpitare in eo anima ex jejuniorum et abstinentiarum atque vigiliarum frigore vix sentiretur, ad operandum aliquid compellebat, viduis, pupillis, orphanis et ceteris miserabilibus et ingentibus ex ope et labore manuum suarum necessitatem ministratura; ut declararet, se non solum dum incolumis esset, sed etiam sub valetudine, et sub omni tempore, esse et fuisse periclitantibus et calamitosis certissima spes * et refugium singulare. Hæc autem sua tam magna et ingens in tolerandis supra corporis vires jejuniis, vigiliis, orationibus, laboribus, et macerationibus patientia cunctos stupore conficiebat.

* lege certissimam spem

et crebris visitationibus ac revelationibus cœlestibus recreata.

253 Quanto magis autem corpus Ancillæ Christi ægritudine invalescente gravabatur, tanto amplius ipsa visitationibus et consolationibus cœlestibus replebatur, plerisque Sanctis visibiliter ei apparentibus, et familiariter eam alloquentibus, atque consolantibus, et de ejus felici transitu ex hac vita, cum illa desserentibus. Sancta etenim Salomea *d* illi apparens, et bono animo eam esse exhortans, certiorem eam fecit, quod Andreæ, filio regis Hungariæ, et sui nepotis *e*, anima purgatorio igne in eam diem ventilata, in sidereas jam transisset mausiones. Sanctus deinde

A de Joannes Euangelista, et sancta præfata Salomea apparentes illi, blande eam consolabantur: Ne paveas, inquit * filia; sed esto secura de cœlesti præmio, quod propediem, onere carnis deposito, per gratiam sponsi tui Jesu Christi scias te consecuturam.

** an inquiunt?*

Agonizantis Beatæ vitam precibus sorores prorogant; f

254 Grassante in dies ægritudine, sancti Alexii appropinquante die *f*, gravius dolor et morbus cœpit in Sancta Dei intendi, adeo ut, singulis viribus eam destituentibus, sanctum suum exhalatura spiritum prope horam timebatur. Quo metu sanctimoniales coangustiatæ et conterritæ, singultuosis suspiriis, crebris lamentis, lacrymis uberrimis indulgent; et vario querelarum genere Matris suæ dilectissimæ mortem, quasi jam secutam, deplorant, adeo profusis intemperatisque fletibus, ut ploratu lamentisque et planctibus universum cœnobium personaret, ejulantes atque dicentes: Quo divertemus, Patrona mortua; quomodo vivemus, Matre exstincta; quomodo subsistemus, Defensatrice absumpta? Quis nos de cetero reget, quis tuebitur, quis solabitur, B quis nostras curabit necessitates? Præstat aliquanto nobis secum mori, quam vita disjungi. Ad obsecrationes deinde dolore converso, non tam supplicibus precibus, quam fletibus Salvatoris clementiam fiducialiter precabantur; ut Sanctæ Dei et Matri eorum vitam diutius protelaret, nec illas ad orbitatem variosque dolores et anxietates atque tribulationes, ex morte Carissimæ secuturas, recidere permitteret. Exaudivit autem earum voces, et longiori dierum spatio illam vivere, famulas suas consolaturus, concessit.

illa id ægre ferente; quod antea scivisset diem mortis, nunc incertum.

255 Quod Ancilla Christi per spiritum cognoscens, accitas illas ad se hujuscemodi carpit sermone: Quid, inquit, est, carissimæ filiæ; quid mihi facere voluistis? Turbastis enim turbatione me amarissima, et materiam exacerbationis immensæ mihi injecistis. Nam quæ per revelationem divinam obitus mei diem noveram, nunc, vobis orantibus, dum Omnipotens vitam mihi, ne vos contristaret, produxit, ignorare de cetero exitus mei diem cœpi, in tristiori spiritu illum opperitura. Singulis autem monialibus ad hanc vocem præ lætitia obstupescentibus, soror Anna C propius illam accedens, sciscitabatur, dicens, quonam modo extremum vitæ suæ præcognitum haberet diem. Serenissima, inquit, cœlorum Regina virgo Maria mihi apparuit, et me de transitu meo ex hoc mundo in sabbato primo die *g*, g videlicet suo honori et nomini dicato, certificavit; vobis autem majestatem divinam pro longiori mihi vita donanda interpellantibus, incolatum meum, quem finiri gaudio immenso cupiebam, video prolongatum. Parcat vobis Dominus, carissimæ filiæ, quæ felicitatem meam hactenus distinuistis, quam promovere potius debebatis.

ANNOTATA.

a *Id est*, lagenulas: *lagena enim etiam Polonis* flasha *dicitur.*

b Valetudines *fere per antiphrasim ponit auctor,* invaletudine *seu* adversa valetudine.

c *Hoc est, usque in annum sequentem, et festum S. Jacobi exclusive, sive usque ad diem* XXIV *Julii, quando in Vigilia S. Jacobi obiit, ut infra dicetur:* ægrotavit ergo anno prope uno, *ut habet etiam auctor noster in historiæ Polonicæ lib.* 7 *ad annum* 1292; *ubi agit de morte* B. Cunegundis.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

d S. Salomea *virgo, soror Boleslai pudici, obierat jam ab anno* 1268 *die* X *Novembris, juxta auctorem nostrum in historia Polonica. Colitur tamen die* XVII *ejusdem mensis.*

e *Cujus necem supra dedimus cap.* 22; *acciderat que anno* 1290 *sub initium mensis Octobris.*

f *Id est, die* XVII *Julii, quo colitur* S. Alexius.

g *Qui erat dies* XX *ejusdem mensis Julii.*

CAPUT XXVI.

Laudes SS. Trinitatis; sumptio sacri Viatici; adhortatio ad sorores; prophetia; extrema unctio; apparitio S. Francisci; Evangelii recitatio; affectus morientis; piissimus obitus. E

A XVII Julii SS. Trinitati assiduas agit gratias.

Itaque ab illo die felix migratio sua usque ad vigesimam sextam diem Augusti *a* fuit dilata. Sub quo tempore per singulos dies noctesque audiebantur continue voces suæ, quibus in Trinitatem benedictam Patrem et Filium et Spiritum sanctum, uberrimas gratiarum actiones jugiter depromebat, corpus totum per singulas vincturas benedictionibus consignans, gratiam Dei collaudans, quæ illam in castitate et utriusque hominis puritate conservaverit, et in omnibus sensibus immaculatam custodiverit; hostes insuper durissimos, carnem videlicet, mundum et diabolum, superare sibi, ac de illis gloriosum referre triumphum victoriamque concesserit.

Sumpto Viatico, sorores adhortatur,

257 Die et hora mortis suæ adveniente, jussit sonari nolam: ut singulæ sorores, signo accepto, ad locum suæ infirmariæ convenirent. Universis itaque sanctimonialibus tam antiquioribus quam F junioribus congregatis, divinissimum sanctæ Eucharistiæ viaticum devotissime suscepit, spiritu sanctæ caritatis accensa; et testamentum suæ eruditionis atque institutionis illis relictura æternum, paululum se, utcumque poterat, erigens, longum ad eas texuit sermonem: Nostis, inquit, dulcissimæ filiæ, quanto studio et conatu ad virtutum perfectionem vos excitaverim, et viam perfectionis pro modulo ingenioli mei vobis ostenderim. Nostis insuper per clementissimam benegnitatem Dei, vos ad statum excelsum et primam sortem vocatas et delectas esse. Neque enim alterius vocatione, aut delectu, quam divina, sanctam religionem assumpsistis, neque alterius solatio, quam cœlesti, difficultates ejus tolerastis. Et ego neque de potentia humana, neque protectione regia, dum vos ad sanctum Ordinem aggrebabam, fidebam; sed omnis confidentia mea in solo divino hærebat præsidio. Videte itaque, carissimæ, vocationem vestram; videte conditionem; videte professionem, per quam spe-

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

speciosum præ filiis hominum Jesum Christum vobis desponsastis. Altissima itaque est sors vestra, non vobis tantummodo, sed et parentibus vestris, non vulgarem præferens sanctitatem; quorum alter socer, altera socrus Dei, dum vos uni viro Christo Domino despondistis, esse cœperunt.

futuras prædicens calamitates urbis et monasterii Sandeciensis;

258 Licet autem civitas hæc magnis subjicietur tribulationibus, spoliis atque deprædationibus hostilem etiam expertura tyrannidem et incursum; adeo ut etiam rabies inimicorum invalescens, monasterium hoc tentabit diruere, et per multiplices terrores, minas, et injurias aggredietur vobis et vestro sacro conventui turbationes, pericula et damna inferre; vos tamen sacræ et Deo dicatæ virgines humanis concussionibus non moveamini; sed in solo sponso vestro Jesu Christo fortissimam spei vestræ anchoram jactate: metus divinus in pectore vestro sit assiduus; absque intermissione orate et psallite tam ore quam mente, non in confidentia virtutis, sed in profunditate humilitatis, repræsentando orationem vocalem in Horis canonicis; mentalem vero in actu et habitu, quoniam per orationem ceteræ virtutes incrementum suscipiunt et vigorem.

B

hortatur, inquam, ad studium religiosæ perfectionis;

259 Ab omni specie mala et cujuslibet viri communione, aspectu, contubernio, etiamsi propinquo sanguine junctus sit, quam diligentissime cavete et abstinete vos; ut veraciter possideatis Deum, qui zelotypus sponsus est, corde vestro ab omni amore sensibili cujuslibet personæ et creaturæ denudato. Miserationem, pietatem et caritatem et in vos et in quoslibet alios exhibete, coërcendo linguam non solum ab omni detractione, sed etiam ab omni vano, levi, et inutili verbo; cum aliter puritas mentis acquiri non possit; virtutes æmulamini; pacis vinculum summopere custodite; patientes vos in tribulationibus, angustiis et oppressionibus exhibete; fiduciam vestram in divinam jactantes providentiam, quæ semper adest sperantibus in se. Et id præcipue in summa summarum observate, ut dilectionem habeatis ad invicem, per quam vere [vos] esse famulas Christi atque discipulas monstrabitis, à sponso vestro dilectionem consecuturæ.

C

suum hoc pacto patrocinium eis addicens,

260 Ego autem, licet omnium peccatorum prima, de miseratione tamen divina confisa, inter sponsum nostrum Dominum Jesum Christum, et vos, me pono mediatricem, vobisque et vestrum cuilibet ex parte sponsi nostri communis Domini Jesu Christi polliceor, et in nomine ejus præstabo; quia, si ea, quæ servanda monui, corde perfecto et integro custodieritis, non permittet vos carnalibus et mundanis, contra quas assidue militandum vobis est, frangi tentationibus, nec aliquam vestrum in spurcitiam prolabi carnalem, aut carnem illius, nisi anima consentiente, inquinatum iri; sed faciet etiam cum tentatione profectum. Quod si aliqua ex vobis, callido hoste humani generis instigante, in facinus aliquod prolapsa fuerit, curet quanto celerius sacro pœnitentiæ et contritionis imbre se diluere, propitiationem divinam et singularum indulgentiam transgressionum percepturа; nec formidetis, vos ab æterno præmio sequestrandas aut fraudandas, aut in anima periclitandas esse, gehennalibus cruciatibus per meritum passionis divinæ superatis, certæ de æterna retributione. D

et sic flentes sorores

261 Cum autem ancilla Christi Cunegundis, exhortatione hujusmodi completa, finem dicendi fecisset, factus est a sororibus gemitus et ululatus varius, voxque et planctus flebilis, querentium una et dicentium: Cui nos, carissima Mater, relinquis? Quam aliam æque nos solaturam, nostrique curam gesturam, in tuum locum substituis? Scimus quidem, te cœlestem desiderare patriam; sed et nos tuo adhuc desideramus perfici et institui exemplo. Salva etenim manebunt tibi tua præmia, et, si dilata fuerint, cumulatiora pervenient. Nostri potius miserere, quas deseris. Tunc illa his fletibus atque vocibus commota, respondit: Nolo, dulcissimæ filiæ, ut vos transitus meus contristet, sed magis exhilaret; nec gemere vos convenit, sed mihi congaudere; quia ex loco pœnali et seculo nequam eripior, amantissimo animæ meæ Sponso conjuncta, plus vobis profutura mortua, quam profuerim viva.

consolata, per horam soli Deo vacat.

262 Sanctimonialibus autem nullam consolationem accipientibus, sed perseverantibus in fletu, ducissa Griphina, Lestkonis nigri, olim ducis Cracoviensis, relicta *b*, Ancillam Christi summissius accedens, flensque et ejulans dixit: O Mater nostra dilectissima, o nostra Domina piissima, sentisne extremam supervenisse horam, disjuncturam te a nobis, ex quo nullæ te lacrymæ nostræ movere possunt ad miserationem? Cui illa, sermone ad ceteras sorores directo, ait: Sinite, precor, me, o filiæ; sinite quietam et animæquiorem esse; siccate lacrymas in desiderio meo effusas, et nolite de cetero indulgere fletibus: instat enim hora, in qua Christus Dominus, benignissimus noster conditor et redemptor, et dilectissimus sponsus meus, coronam et retributionem immarcescibilem retribuet his, qui ex toto corde suo amabant et desiderabant illum: permittite, quæso, ut instantem agonem meum et vos precibus Domino commendem. Attracto itaque et super oculos velo apposito, colligens se, cum omni attentione et devotione ad unius horæ spatium orabat. Sanctorum cœtum et agmina nominatim, ut viam suam et filiarum suarum, quas in Christo genuerat, dirigerent, interpellabat. Cujus, etsi labia assidue moveri sanctimoniales animadverterent, nullam tamen vocem audire poterant orantis. Alteram Annam in Regnorum libro ad fores templi orantem crederes, solum quia Heli sacerdos, qui religiosam pro temulenta argueret, non erat. E b F

Oleo sacro inuncta videt S. Franciscum ad se venientem;

263 Orationum suarum devotione perfuncta, rogat ut sacri olei perungatur benedictione. Id cum fratres, sacris ex more induti, astantibus sanctimonialibus, devote Ancilla Christi singula corpusculi membra pronius offerente, peregissent; iterum se ad orationis et contemplationis officium convertit. Sub quo tempore circumstantes sorores identidem alloqui cœpit: Cedite ad partem, sorores, (manu etiam annuens, et partem, ad quam cedere deberent, indicans) cedite. Quibus admirantibus, et ob quam causam cedere debeant sciscitantibus: Non videtis, inquit, beatissimum legiferum nostrum et consolatorem meum Franciscum

A ciscum ad spectandum agonem meum venisse? Quo audito, sorores gaudio replebantur immenso, intelligentes, illic divinam et Sanctorum præsentiam adesse, et Matrem suam cœlestium, etiam in corpore mortali, perfrui visione.

Evangelio sibi recitato, Sororibus valedicit, et Christum alloquens,

264 Rogat deinde, instante jam transitus sui hora, unam ex soribus Anastasiam, quam sibi pro magistra assumpserat, ut sibi Euangelium illud Joannis : Ante diem festum Paschæ, a dilectissimis suis segregranda soribus, juxta quod Christus a suis abiturus discipulis, legeretur. Cujus satiata, rorantibus per ora lacrymis, desiderabili auditu, sororibus singulis valedixit. Omnibusque rite et devote ordinatis, tandem sponsum suum Jesum Christum taliter est alloquuta : O benignissime Jesu Christe, o amantissime redemptor mi et sponse, qui me ad tuum et Sanctorum tuorum conspectum in hora præsenti vocandam tribuisti, sciens quia ex toto corde meo te præ filiis hominum speciosissimum castis præcordiis et mundo corde desiderabam, secura et gaudens non ex meis operibus, sed ex merito B passionis tuæ, Sanctorum cœtibus aggreganda venio ad te ; suppliciter obsecrans, ut in virtute sanguinis tui me miseram hodie suscipias, et in Abrahæ sinum perducas. Tandem ultimate ad nostri salvatoris exemplar exclamans ait : Pater, in tuas manus commendo spiritum meum.

moritur anno 1292, die XXIV Julii.

265 Capite deinde inclinato, vultum angelicum præ se ferens, corpusculum, numero dierum et virtutibus quam multifariis refertum, pro sua felicitate tradidit moriturum. Sancta ejus anima, juxta ac diu optaverat, a carneo ergastulo soluta, in vitam illam sempiternam, et in lucem inaccessibilem, Sanctorum splendoribus coruscam, splendore pulchritudinis divinæ perpetuo fruitura conscendit ; atque sponso suo Jesu Christo, quem vivens ineffabiliter dilexerat, tredecim exactis in monasterio annis *c*, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, vigesima quarta die mensis Julii *d*, conjuncta est perpetua atque indivisibili unione ; expers nullatenus palmæ credenda martyrii, quæ puritate mentis duplici, cum mortificatione carnis suæ videlicet et mariti, laureolam adepta, et in clibani medio succensa, auri C instar probata, ad Sponsum suum cœlestem purior prodibat : cui sit, æque ac fuit, et est, gloria, honor, virtus et imperium regnanti atque regnaturo in omne ævum et in omnes nationes in secula seculorum. Amen. Et qui eidem Sanctæ, multis, dum viveret, illustratæ miraculis, contulit gloriam claritatis æternæ, quam * et nobis cunctisque aliis Christiano charactere insignitis misericorditer conferre dignetur. Amen.

* *an* eam?

ANNOTATA.

a *Imo usque ad* XXIV *Julii tantum, ut inferius patebit : est itaque crassus hic error amanuensium.*

b *Forte Sandeciam ea causa Griphina venerat ex Bohemia, quod de* B. Cunegundis *instanti morte nuntium acceperat : nam jam ab anno præcedenti in Bohemiam a Wenceslao, Bohemiæ duce, suo ex sorore nepote, abducta fuerat ; ibique* annis aliquot contemptui et ludibrio habita, tandem mortua est ; *ut asserit auctor noster in Historia sua Polonica lib.* 7, *ad annum* 1291.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

c *Præter menses quatuor circiter ac dimidium. Vide supra cap.* 16, *a num.* 151.

d *Eumdem annum, mensem, diem habet auctor noster in Historia sua Polonica, uti et Michovius lib.* 3 *cap.* 66 ; *Cromerus lib.* 10 *annum quidem eumdem annotat, sed mensem ac diem omittit. Obiit autem mane sub auroram, ut conjicies ex cap. sequenti, maxime num.* 272. *Corrige vero etiam hinc Waddingum ad annum Christi* 1333, *num.* 29 ; *ubi exspirasse Beatam putavit die* XIV *Julii ; indeque collegit, fatalem ei fuisse diem Lunæ. Fremautius recte emendat cum aliis diem* XIV, *et reponit* XXIV *Julii ; in eo tamen errat, quod eum arbitratur fuisse diem Lunæ, cum fuerit Jovis.*

CAPUT XXVII.

E

Corporis Defunctæ odor ac venustas admirabilis; revelationes variæ de glorioso animæ excessu; sepultura, et miracula per annos 15 consecuta.

Beatæ corpus odorem ac decorem mirificum prodit.

In ipso autem felicissimi transitus sanctæ Dei Cunegundis articulo atque hora, fragrabat odor mirificus atque suavissimus, ex ejus corporis sanctissimi gleba prodiens, cuncta vincens balsama, et universos mortales præsentes reficiens atque complens. Corpus insuper ejus, quod vigiliis, jejuniis, diciplinationibus variis et ciliciis fuscum, atrum et cæruleum visebatur in vita, candidum apparuit, mira albedine resplendens; labia habens punica et rosea, et speciem ac similitudinem præferens corporis glorificati.

Ejus anima instar stellæ fulgentis visa ferri in cælum :

267 Felix quoque exitus suus e vita nonnullis devotis et Deo caris personis, longe et prope positis, veridicis oraculis et miraculis præfiguratus et præmonstratus est ad majus testimonium atque evidentiam suæ sanctitatis. Elizabeth siquidem, una ex sanctimonialibus, natione F Hungara, genere nobili, et devotione singulari ac religione inter alias præstans, cum se orationi in eadem domo atque oratorio, in qua sancta Dei Cunegundis extremum agebat spiritum, dedisset ; in soporem versa, vidit per quietem Sanctæ Dei animam Sanctorum cœlestium spirituum agminibus circumdatam, sub specie stellæ lucidissimæ in exultatione immensa et in carmine modulato in sublime conscendere, et cœli secreta in fulgore corusco penetrare. Quæ a sommo soluta, Dominam et Matrem suam migrasse cognovit a corpore ; et Deum benedicens, visionem, quam viderat veram et legitimam fuisse, non phantasticam, intellexit.

item instar puellæ formosissimæ eo deduci a S. Petro,

268 Altera quoque sanctimonialis, Thomka nomine, natione Polona, et genere ingenua, dum eam domum, in qua ancilla Christi Cunegundis exhalabat spiritum, præ multitudine fratrum et sororum, exitum Sanctæ operientium, ingredi non valeret, foris procumbens, studium orationis inten-

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

intenderat; sub qua sommo gravata, et stertens magis quam dormiens, raptamque se, non soporatam credens, vidit cœlos nimio fulgore apertos splendescere, et ex cœlorum summis nobilem prodire et grandævum virum, munus et brachia vario contextu ornamentorum habentem decoras, ad Petri apostoli similitudinem figuratum et exemplar; qui animam famulæ Dei Cunegundis, oratorium in quo decumbebat, ingressus, suscipiens, sub specie formosissimæ et decoræ puellæ, cujus caput mitra pulcherrima, gemmis pretiosis intexta, amiciebatur, ad sidereas perducebat mansiones. Ad cujus visionis confirmationem, etiam illud pro liquidiori testimonio accedebat; quia cum Sanctæ Dei morituræ fratres Ordinis conductum ex more cum Psalmis, orationibus et letaniis concinerent, et ceteris peractis, in letatania Sanctorem cœtus nominatim exprimendo, ad eum locum venissent, Sancte Petre apostole, ora pro ea, anima sancta illa carnis vinculo soluta, prodibat e corpore, apostolico beati Petri ministerio subvecta, perpetuo lætantia regni cœ-
B lestis ingreditur consortia.

et agmine sanctarum animarum et angelorum;

269 Tertia sanctimonialis virgo, Budka nomine cum et ipsa extra domum, in qua sancta Dei Cunegundis diem obiit, consisteret, et ex vigilia noctis, quam totam insomnem ob transitum sacræ Virginis cum aliis sororibus transegerat, a somno gravaretur, in ipso suæ dormitationis articulo extemplo quasi quodam aculeo perculsa, vocem ad se dilapsam audivit, dicentem atque imperantem sibi: Expergiscere, surge, surge; quid dormis? Ecce appropinquat hora, et nunc est, in qua omnis cœtus beatarum animarum, et cœlestium spirituum agmina progrediuntur in occursum, animam beatæ Cunegundis, corpus et terras linquentis, usque ad solium majestatis divinæ perductura. Quæ illico ad vocem hanc sopore soluta, et ad locum, ubi Sancta Dei decumbebat, progressa, comperit sacram Virginem Christi sub eo momento, quo a superna alloquebatur voce, sacrum spiritum emisisse.

item instar globi solaris.

270 Sub ejusdem diei et horæ momento, vir quidam, Pawlik nomine, oppidanus Sandeczensis, etsi in substantia tenuis, verum in virtutibus et vita
C innocenti atque sine querela traducta dives et famosus, cum juxta suæ devotionis solitum morem, in nocte media ad orationum studia consurgens, Domino psalleret, ac deinde ædes sacras earumque limina visitaret, apud ecclesiam parochialem sanctæ Elizabeth constitutus, vidit claro et efficaci aspectu supra sanctimonialium cœnobium, expressius tamen supra ancillæ Christi Cunegundis consuetum habitaculum, ingentis splendoris refulgens sidus superne e cœlo descendere, et universam domum illam lumine corusco illustrare. Vidit et in medio sideris quasi globum solarem, ab ipso lumine circumfulsum, ad cœlos usque pertingere.

Prophetia de futuris ejus miraculis.

271 Sed cum visionis effectum, atque significatum discutere nequiret, celandumque duceret, ad contegendam suam æstimationem, morte sanctæ Dei Cunegundis post dies aliquot patefacta, in auribus universorum visionem vulgavit, et animam sanctæ Dei Cunegundis in globo solari ad cœlos per spiritus angelicos et animas beatificas ferri, certo oraculo sibi luculenter demonstrato agnovit. Spiritu deinde divino impletus, vaticinari cœpit, sanctam Dei Cunegundim sub brevi temporis spatio multis et famosis coruscaturam miraculis ac prodigiis, et regno generique Polonico multas commoditates et beneficia sua prece ac merito allaturam. D

Beatæ anima Angelorum comitatu cœlum visa conscendere,

272 Ob imminentia autem pericula, quæ formidabantur ventura, morte sanctæ virginis Cunegundis usque in triduum celata, et signanter propter Vistubczonis, famosi ea tempestate prædonis, et qui exercitum suum ex exulibus et latronibus congestum habebat in armis, hostilitatem; ne, obitu Sanctæ Dei cognito, prædabundus monasterium sanctimonialium invaderet: vir quidam ecclesiasticus sanctioris vitæ, et raræ in Deum devotionis, et tam re quam nomine Christinus *a*, ecclesiæ sanctæ Mariæ Visliciensis *b*, *a b*
diœceseos Cracoviensis, canonicus, cum devotioni et orationi sub ea hora, qua sancta Virgo migravit a corpore, in præfata Visliciensi ecclesia, duabus dietis *c* a Sandeczensi monasterio porre- *c*
cta, juxta morem solitum intenderet; vidit visione effectuali et visibili, sub vicesimæ quartæ diei E
mensis Julii, alias nono Kalendarum Augusti, diluculo, priusquam, oriente sole, terra radiis contingeretur, almæ Cunegundis virginis animam maximo splendore fulgidam angelico modulamine et ministerio in cœlos usque deferri. Ignoranti autem, quæ tam sancta et tam sublimis anima esset, quæ in tam celebri carmine et comitatu in cœlos conscenderet, idque sibi suppliciter revelatum iri obsecranti, responsum est, sacræ virginis Cunegundis et ducissæ Cracoviensis eam animam esse, quæ sub illa hora remuneratoris sui et sponsi Jesu Christi, propter quem omnia dereliquerat, corpus derelinquens, conspectum perpetuo visura manibus angelicis subvehebatur in cœlum.

quæ visio occasio fuit propalandi obitum et justa maturandi.

273 Quo responso accepto, omnipotentis Dei clementiam de hujusmodi revelatione sibi facta benedicens et glorificans, ceterisque prælatis, canonicis et vicariis Visliciensibus, quæ de transitu et in cœlum receptu sanctæ Dei Cunegundis viderat et audierat, ex ordine singula enarravit; quibus admirantibus, et præ gaudio et exultatione semiplene credentibus, specialem equestrem nuncium in Sandeczense cœnobium, rei veritatem F
sciscitatum transmittunt. Is cum, exploratis singulis visionis oraculis, ad liquidum verum fuisse comprobasset, reprehensas sanctimoniales habuit, quia tantopere obitus Sanctæ Dei ineffabilem jocunditatem, in oris remotioribus divina revelatione ostensam, celavissent. Quæ cœlesti applaudentes miraculo, campanarum sonitu, excessum Sanctæ Dei publicant. Corpus sanctum et venerabile cum hymnis, fletibus et laudibus, maximaque devotione et honore, frequentique populi concursu sepulturæ tradunt, justaque illi omnia juxta Christianam traditionem persolvunt.

ANNOTATA.

a *In Historia loco assignato hanc unam ex hisce visionibus narrat; reliquas perstringit his verbis:* Quæ quidem visio etiam pluribus aliis devotis personis

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

A personis monstrata est. *Ceterum ibi, et apud citatum Michovium, canonicus hic non* Christinus, *sed* Christianus *appellatur.*

b *Est* Vislicia *oppidum ad Nidam fluvium, binis circiter milliaribus Germanicis Corczinio, ubi Nida in Vistulam labitur, distans.*

c Dieta *apud mediæ Latinitatis auctores iter unius diei significat.*

CAPUT XXVIII.

Miracula mortem Beatæ consecuta usque ad annum MCCCVIII.

Miracula mox secuta per annos quindecim obiter notata,

Corpore sacro virginis Christi Cunegundis cum omni reverentia, devotione et honore, in cœnobio tumulato, fiebat illic ad ejus venerabile sepulcrum frequens hominum, in variis necessitatibus ejus opem pro voto referentium, ex propinquis et remotis regionibus concursus, maximoque deinceps, et ut sanctitati suæ par erat, tam honore quam laude ab universis. Signis etenim atque prodigiis mirificis, quam cara sibi, quam in conspectu suo sancta et pretiosa ancilla Christi Cunegundis fuerit, cœpit omnipotens Deus ostendere. Verum tantus fuit Polonorum, præcipue tamen pontificum tunc Cracoviensium Procopii *a* et qui ei successit Joannis Muskatæ *b* et ceterarum personarum ecclesiasticarum, sed et fratrum atque sanctimonialium monasterii utriusque Ordinis Minorum Sandeczensis neglectus, tanta segnities et cunctatio, tanta incuria et dissimulatio; ut per annos quindecim, ab anno videlicet millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, quo felix ejus in cœlum raptus sequutus est, usque ad annum Domini millesimum trecentesimum vigesimum nonum *c*, singulorum miraculorum, ad ejus invocationem factorum, ordinem, gestum et seriem scribere et ad posterorum memoriam mandare neglexerint.

mortui 80 suscitati; vincti 15 liberati; cæci 60, ægri 700 sanati.

275 Ex qua quidem dissimulatione non sine lacrymarum profluvio memoranda, facile evenit, ut prodigiorum multifarius numerus, quibus ad sui nominis invocationem octuaginta *d* mortui pristinæ vitæ redditi sunt; sexaginta cæci illuminati; quindecim vincti a carceribus et vinculis absoluti; septingenti utriusque sexus homines a gravibus et variis infirmitatibus liberati, in oblivionem reciderint. Vix tandem, et nonnisi, ut prædiximus, post tria lustra segnities et cunctatio tam damnosa detersa est, et prodigia Sanctæ Dei scribi et annotari cœpta; quæ deinceps expedire pergam.

Puella de turri lapsa et exstincta,

276 Novennis puella, Dobroslava nomine, filia comitis Martini de Czirzicz, cadens de turri murata ad viginti ulnarum altitudinem porrecta, tanto impetu in subjectam decidit petram collisa, ut tota turris mota putaretur, et qui assidebant in turri, grandem aliquem ex culmine turris lapidem jactatum esse per jocum et insaniam studiose, æstimarent; et ob id missis satellitibus, inhibent jactus futuros, transactum etiam corripiendo. At hi, re diligentius perscrutata, repeiunt puellam Dobroslavam, filiam heri sui, ex superiori parte turris in offensionis lapidem decidisse, et lividatam spumasque ore cientem jacere exanimem et contusam. Quod cum parenti utrique denuntiassent, prosiliit, non secus quam amens, misera mater, et cum aliquot matronis ad cadaver filiæ accurrens, et illud diligentius attrectans, atque exanimatum reperiens, lacerat genas, capillos vellit, et voce lamentabili ac lugubri, fletu copioso, suam et filiæ suæ sortem deplangit, astantibus etiam suis miserabilibus ejulatibus lacrymas excutit.

ope B. Cunegundis revixit;

277 Cum autem universa fere dies usque ad vesperam sub hujusmodi lamentis et querelis foret transacta, et superveniens nox dolorem et curam parentum et familiarium intendisset, et omne humanum solamen nihil profuturum videretur, ad præsidium divinum, et sanctæ Dei Cunegundis solatium, cujus jam tunc sanctitatem plurima magnifica mirabilia vulgaverant, se convertunt. Et fide ac spe pleni, devovent Deo et sanctæ ejus Cunegundi, mortificatam puellam, si per merita sanctæ Dei revivisceret, ad sepulcrum ejus cum oblatione solenni se delaturos. E Mirabilis Deus in Sancta sua; qui statim, voto emisso, passus non est, frustra patrocinium illius implorari : e vestigio etenim puer ille exanimatus, et ad petram collisus, et longo tempore mortuus, reviviscit, omni lividitate et cicatricum nota disparente. A parentibus post hæc et magno matronarum ac familiarium, qui ad prodigium aderant, grege ad monasterium et ad sepulcrum Sanctæ Dei deductus, prodigii fides non ore tantum parentum, sed etiam eorum, qui venerant et viderant, astruebatur.

eadem deinde auditum recuperat anno 1307

278 Verum cum puer idem, anno uno elapso, usum audiendi in aure una amisisset, et ad sepulcrum beatæ Cunegundis cum offertorio per parentes duceretur; plene fidentibus parentibus, quia quæ impetrarat mortuo vitam, facile impetrare posset et auditum, priusquam monasterium contingeret, in medio milliari constitutus, viso a longe monasterio, in quo sacrum corpus Sanctæ Dei quiescit, in terram procidens, et Sanctam Dei suppliciter pro sua sanatione exorans, subitam in læsa aure et plenam percepit sanitatem. In F monasterium deinde veniens, et votum, quo se obligaverat, solvens, sanctitatem virginis sacræ Cunegundis geminato prodigio ad liquidum in se anno Domini millesimo trecentesimo septimo, feria secunda post festum Paschæ, ostenso, suo et parentum ore testabatur.

Surdus, mutus, etc. subito convalescit.

279 Suantoslaus, filius Sbroslai, ruricolæ de villa Druszkow *c*, adeo gravissimo, diuturno tempore, cruciatus [est] dolore et morbo; ut surdus et mutus, ægritudine invalescente, effectus, proximior morti quam vitæ a singulis credebatur: sensim etenim ingravescens morbus os ejus et vultum torvum reddiderat et horribilem ad videndum, tam fortissimo hominem miserum impetu et dolore contorquens; ut plerumque, septem hominibus illum retinere satagentibus, ex grabato projiciebat *f* in terram. Cumque passionem tam acerbam per duos menses continuos sustinuisset, et infirmitas ipsa assidue intenderetur, parentes de filii sanitate soliciti, virginis sanctæ Cunegundis conquisitis et supra corpus ægri

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

ægri impositis reliquiis, vovent, se illum ad sepulcrum Sanctæ Dei pro consequenda sanitate quamprimum adducturos. Vix autem verba voti compleverant; erigens se languidus, deambulare cœpit, plenæ sanitati, cunctis qui aderant stupentibus, restitutus.

Puella obtrita et mortua redit ad vitam.

280 Fragore et impetu venti septemtrionalis (hiems enim nivosa tunc erat) impellente, domus unius coloni, Alberti nomine, in villa Golkowicze corruens, confractis et ruinatis tam trabibus quam roboribus, filiam etiam ejusdem Alberti Jaroslavam oppressit et confregit. Cumque parentes de casu filiæ penitus ignari, robora collapsæ domus, frequentius etiam corpus filiæ per ignorantiam calcando, recolligerent et submoverent, corpus filiæ suæ Jaroslavæ conquassatum a tignis et contritum, exanimatum et mortuum in imo jacens, in singulis etiam partibus et membris per moram temporis lividatum (cujus etiam, in majus mortis testimonium, os nive repletum erat) reperiunt. Cumque ad tam funestum spectaculum, fletu magno parentibus lamentantibus, universus fere illius villæ populus convenisset; ad benignitatem divinam, et succursum beatæ Cunegundis virginis conversi, candela benedicta accensa, puerum mortuum supplici devotione sanctæ Dei Cunegundi devovent; resuscitari illum et vitæ reddi exoptant; pollicentes, se cum oblatione ad sepulcrum Sanctæ illum adducturos. Illis autem ab occasu solis usque ad diluculum lamentationes et obsecrationes prosequentibus, non defuit Sanctæ Dei invocatum auxilium; sed cum jam terris redditus esset dies, cunctis, qui aderant, mirantibus et stupentibus, in membris et fracturis consolidatus, omni etiam livore vacuus consurrexit, et ad sepulcrum Virginis sanctæ perductus, votum solvit, universa vicinia miraculum et beneficium, quod in funus suum confractum et gelidatum Sancta Dei ad invocationem parentum contulerat, attestante.

Sanatur subito æger.

281 Frovinus adolescens, filius Diduini, civis novæ Sandecz, gravi infirmitate correptus, dum singula antidota, quæ ingerebantur, nullum afferrent profectum, spopondit, se sepulcrum Sanctæ Dei, merita ipsius et solatia ad sui liberationem invocans, visitaturum. Qui post votum emissum mox se liberatum de duro morbo sentiens, et sepulcrum Sanctæ Dei cum parente suo utroque adiens, et munus, quod manus sua invenerat, obtulit, et Sanctæ Dei suffragium mirificum, quod in se expertus fuerat, divulgavit.

Verme auriculari liberatur mulier.

282 Brathumila mulier, de Radlow natione, a duro et gravi correpta est casu. Vermis enim auricularis, qui in Polonico Skorek vocatur, aurem suam dextram ingressus, passione et molestia mirabili feminam ipsam per dies quindecim gravissime vexabat. Non proficientibus autem singulis, quæ applicabantur, remediis, cum et vermis nocte et interdiu aurem feminæ adrodendo, vitæ etiam desperationem mulieri ingessisset, sanctam Dei Cunegundim devotius, quo poterat, ad sui liberationem invocare cœpit, devovens, se ejus sepulcrum, obtenta liberatione, cum oblatione adituram. Mox autem ut hujusmodi votum emisit, a passione, in universa illa vicinia vulgata, soluta est, verme auriculari, qui eam per dies quindecim et totidem noctes durius afflixerat, pluribus videntibus, aure deserta, egresso. Quæ sepulcrum Sanctæ Dei adiens, et votam oblationem solvens, sibi præstiti per Sanctam beneficii experimentum, prout acciderat, ex ordine in auribus multorum enarravit..

ANNOTATA.

a Procopius Ruthenus *locum inter episcopos Cracovienses in catalogo Cæsarii vigesimum tertium occupat; et assumptus dicitur anno* 1293, *mortuus vero* 1295. *Consonat auctor noster Historiæ Polonicæ lib.* 8, *ad annum* 1295.

b *Sedit hic usque ad annum Christi* 1320, *per annos* 26.

c *Waddingus in Annalibus ad annum* 1333, *num.* 28, *et ex illo Hueberus scribunt ab anno* 1292 *usque ad* 1324; *sed* 1329 *legitur etiam in Historia Dlugossi, imo et Michovii, loco jam sæpius memorato. Videtur tamen omnino reponendum, ab anno* 1292 *usque ad* 1307; *cum supra dicatur neglecta fuisse miraculorum ejus distincta narratio* per annos quindecim; *et numero sequenti :* Post tria lustra segnities et cunctatio tam damnosa detersa est, et prodigia Sanctæ Dei scribi et annotari cœpta; quæ deinceps expedire pergam; *capite autem sequenti recenset miracula inde ab anno* 1307 *patrata.*

d *Corrige ergo Historiam Dlugossi, ubi pro* octuaginta *legitur* octingenti : nam octuaginta *habet etiam Michovius; et sane vel hic numerus in hoc genere miraculorum stupendus est.*

e *Videtur sita in diœcesi Gneznensi; cum cesserit monasterio sanctimonialium Cisterciensium in Olobok, ut scribit auctor noster Historiæ lib.* 6, *ad annum* 1213. *Sed nemo, opinor, me volet obscuris istiusmodi locis quærendis tempus insumere.*

f *Legendum* septem homines projiceret ; *sed jam sæpius monui, me ejusmodi errata, sive auctoris sint, sive amanuensium, grammaticis emendanda relinquere; modo res claræ sint.*

CAPUT XXIX.

Miracula patrata ab anno MCCCVIII *usque ad annum* MCCCXI.

Mater cum filio sanitati restituta anno 1308. a

Margaretha *a* vidua, Dentrina appellata, de antiqua Sandecz, gravem capitis dolorem aliquamdiu perpessa, et, nullis remediis proficientibus, fortiori dolore ingravescente, debilitata, tres dies in honorem sanctæ Dei Cunegundis, a quadam religiosa et devota matrona, Anna nomine, instructa, in jejunio et abstinentia exegit. Quibus completis, plenam sanitatem, dolore ex capite prorsus discedente, se recepisse lætata est. Cujus filius, Nicolaus nomine, graviter ex pustulis languens, Deo et beatæ Cunegundi per genitricem suam commendatus, mox ab omni ægritudine

A gritudine liberatus convaluit; sepulcro se Sanctæ Dei cum oblatione præsentavit, beneficia ejus attestans et divulgans.

Mente et usu linguæ captam sanat Beata,

284 Altera Margaretha, æque ut superior vidua, de nova Sandecz, jungens se plurimis aliis personis utriusque sexus, de oppido ad legendum fraga in agris et saltibus, ante diem Nativitatis sanctæ Mariæ egressis, pariter et ipsa legebat fraga. Sed subito a gravi valetudine occupata, et loquelam et usum rationis amisit, adeo rationis expers, ut a comitibus suis, nonnisi ad manus illata trahentium, reduceretur. Cumque passionem illam diebus quindecim pertulisset, nec spes convalescentiæ aliqua subesset, mulieri taliter valetudinariæ per quietem sancta Dei Cunegundis apparuit. Cujus dum obversantem imaginem, numquam antea visam aut notam, stupens ac tremens miraretur; illa benignius eam conveniens: Noli, inquit, metuere, filia. Stirpis regiæ regni Pannonici virgo, Kinga nomine, ego sum; et tibi et cuicumque alteri, solatium meum in qualibet necessitate invocanti, succurrere parata.

B

mittens eam ad sepulcrum suum; et mundum muliebrem carpens.

285 Ad sepulcrum itaque meum, ad cœnobium sanctimonialium antiquæ Sandecz perge, pristinæ sanitati mea intercessione et merito mox, pro verificatione eorum quæ dico dicturaque sum, restituenda. Sed et sacerdotes, verbum Dei ad plebem declamantes, adi; ut feminas quasque moneant, ne capita sua superfluis ornatibus circumquaque ingrossent, et vultus suos stibio et cerussa ad spectacula in contumeliam Dei, conantes videri pulchriores quam natæ sint, pingant; miserationem Domini, si aliter egerint, non consequuturæ. Ad hanc vocem expergefacta, perfecte se sanatam reperiens, ratione et loquela uti, nomen quoque sanctæ Dei Cunegundis, quod alias numquam audierat, personare et magnificare cœpit; sanitatis suæ subitæ et tam perfectæ, et dum ejus adiret limina, et ex post, apud aures multorum sanctam virginem Dei Cunegundim, jurejurando addito, profitens auctorem.

Mulier oculi ac pedis usum recuperat.

286 Martha mulier, ex villa comitis Raphaëlis, vocata Tharnow, ad sepulchrum et limina famulæ Dei Cunegundis et sinistro oculo cæca et in dextro pede clauda adducta peccaminum suorum confessione peracta, visum sibi et gressum

C

per meritum Sanctæ Dei suppliciter efflagitans restitui, in utroque membro perfecte consolidata, et videre sinistro oculo et dextrum pedem secure figere [coram] universis, qui aderant quique eam cæcam et claudam viderant ante et noverant, cœpit.

Puella domestici servi B. Cunegundis

287 Mathiæ Hungari, de villa Mislcza, sanctæ Cunegundis olim familiaris et domestici servitoris, filia, Elizabeth nomine, ætatis puerilis, gravi infirmitate correpta, morbo invalescente, moritur exstincta. Quam cum parens uterque inconsolabiliter fleret, per vicinos et cognatos præsentes pater puellæ Mathias monetur, et inducitur, ut filiam suam sanctæ Dei Cunegundi devoveat; futurum enim fore, ut sancta Dei Cunegundis, cui in vita fideliter servierat, ipsum benigniter efficeret super filia sua consolatum. Qui illorum monita et persuasiones nihili pendens, et mortuum ad vitam reduci parum possibile ducens; puerum quidem mortuum et se, importunitate persuadentium impulsus, commendabat Sanctæ. Addebat tamen: Qui semel mortuus est, mortuus censeri debet.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

sarcophago jam imposita reviviscit.

288 Defertur post hæc puer per matrem et cognatos ad funerandum, Mathia patre ob doloris amaritudinem in domo remanente. Ad vada autem fluminis Poprod, quartali milliaris vix exacto, constitutis, mater pueri ad feretrum, funus filiæ visura, accedit; quam, velamine ablato, vivere et pannum sugere videns, ceteris quoque, qui aderant, tam stupendum prodigium denuntiat. Quo cognito et ad liquidum viso, corruentes universi proni in terram, omnes clementissimum Deum et sanctam ejus Cunegundim vocibus et fletibus maximis magnificant et celebrant. Officio autem funeris omisso, ad Sanctam Dei et sepulcrum ejus in antiquam Sandecz in hilaritate magna pergunt, speciali nuntio patri, quia filia ejus viveret, sed nullatenus credere volenti, denunciato. Oblatione autem ad sepulcrum Sanctæ Dei cum gratiarum actione pro vivificato puero peracta, domum cum puero vivificato reversi, patri illum ostendunt. Qui non aliter applaudere et credere voluit miraculo, donec filiam vivam et sanam oculis pervidit. E

Hemiplexia correptam sanat,

289 Christina virgo de magno sale in sui corporis parte media paralysi percussa, assiduo dolore propter membra emortua vexabatur. Quæ nullatenus suum officium implere valentia, claudam illam atque balbutientem et pro media corporis medietate mutilatam effecerant. Cumque per unius anni spatium, ægritudo illa dietim efficeretur intensior, et usus pedis, oculi et manus unius languidæ, sensim deficeret, fama sanctitatis beatæ Cunegundis audita, in antiquam Sandecz ad sepulcrum Virginis beatæ se contulit, et incolatu assiduo visitans quotidie Sanctæ Dei limina, et ipsam pro sua curatione jugiter exorans, manere illic cœpit tam pertinaci proposito, ut non, nisi ad plenum curata, diffiniret apud seipsam ad proprios penates reverti.

apparens illi Beata.

290 Sub trium itaque hebdomadarum spatio, quibus illic morabatur, obsecrationes suas apud sepulcrum Virginis effundendo, die quadam juxta [consuetudinem] in ecclesiam veniens, et ad sepulcrum Sanctæ Dei suppliciter orans, caput etiam ad parietem frequentibus vicibus allidens, F
apparuit illi magnæ honestatis Domina, sibi per omnia ignota, et nec umquam ab ea visa; quæ illam benignius consolata, monuit, ne de cetero caput parieti illideret, facilius perceptura, quam desiderabat, sanitatem. Ad hanc vocem subito manus, oculi, et pedis usum habere incipiens, ad integritatem membrorum emortuorum sanata rediit; atque de sua curatione sanctæ Dei Cunegundi plurimis actis gratiis, prodigii in ea patrati beneficium ipsa in domum reversa circumtulit.

Puella jamjam sepelienda revocatur da vitam.

291 Margaretha, virgo ætatis puerilis, Holini, de nova Sandecz, gravi morbo correpta, sole occidente, feria sexta post diem sancti Jacobi Apostoli, vita excedens sub conspectu parentum, moriebatur. Cumque, funere suo ex more ad sepeliendum coaptato et feretro imposito cereisque accensis; cognatis insuper convenientibus, parentes eam et necessarii gravius deflerent, ad divinum et sanctæ Cunegundis præsidium se fiducialiter convertunt, votisque nuncupatis

AUCTORE JOANNE DLUCOSSO.

patis Sanctam Dei orant, ut filiæ mortuæ vitam sua intercessione redderet; et usque in noctis medium vigilias et orationes circa funus filiæ producunt. Circa noctis vero medium ad funus pueri accedentes, detractis sindonibus, quibus contectum erat, vivere puerum reperiunt. Tunc in laudes divinas et sanctæ Dei Cunegundis in terram proni cadendo ruunt, Sanctam Dei, quæ eorum precibus et fletibus mota, puerum in vitam revocavit, laudibus sonoris mirificant; ac sepulcro ejus adito, vota pro filiæ vivificatione devotius quo possunt, persolvunt.

Hedwigi reginæ moribundæ apparet Beata,

292 Regina Poloniæ Heduigis, Vladislai primi Poloniæ regis *b*, cognominati Loktek, conthoralis *c*, gravem morbum et infirmitatem incidens, singulis medicinis nequidquam proficientibus, ad extremum vitæ perveniens, agonem suum, quibus poterat oratiunculis, Domino commendabat. Apparuerunt autem ei taliter agonizanti duæ larvæ teterrimæ et horribiles, in specie præfigiatæ humana; quæ ad grabatum, in quo decumbebat, propius accedentes, adeo illam terrore du-
B
rissimo concusserant, ut vix compos mentis, ab omni devotione et obsecratione pavidata decideret. Cumque sub tanto metu, et larvarum, quas dæmones esse intelligebat, aspectu, gemens, anxia et, quid ageret, et ad quem Sanctum se converteret, prorsus ignara versaretur; sancta virgo Cunegundis, etiam non invocata, in specie et habitu religioso, quæ Heduigi reginæ, dum viveret, nota erant, ad neptem suam germanam consolandam (matertera enim sua erat *d* et filia Jolenthæ sororis germanæ Sanctæ Dei, ex Boleslao pio Calischiensi duce, ut in superioribus *e* præfati sumus, suscepta) advenit.

ac larvas ab ea pellit, eamque sanat.

293 Quæ et ipsa ad lectum reginæ accedens, et illam benignius consolans, beneque de Deo et suo solatio sperare jubens, utramque manicam sui amictus contra larvas opponens atque extendens, præsentiam earum nepti suæ Heduigi reginæ formidolosam et terribilem abegit et effugavit. Cumque regina Heduigis, in priorem devotionem reversa, clementissimo Deo et sanctæ ejus Cunegundi materteræ suæ, ex oculis suis, eam diligentius requirentis, elapsæ gratias pro dispul-
C
sis dæmonibus ageret, a grabato etiam ægritudinis consurgit, et in processu dierum ad plenam sanitatem rediit. Atque sepulcrum Sanctæ Dei visitans, et frequentes gratias agens, jurejurando, quæ secum per Sanctam Dei acta erant, relationibus confirmabat.

Puella ustulata sanatur.

294 Martha, consors Czestrzemili de villa Curow, casualiter ad proximam ædem sui vicini Suaszkonis perveniens, filiam suam Dorotheam, ætatis adhuc puerilis, in ignem ardentem cecidisse, et, nullo sibi ferente auxilium (eo quia nullus in domo illa aderat) per ignem, in quo huc illucque volutabatur, quam maxime adustam esse [comperit.] Cumque misera mater, viso filiæ tam miserabili casu, velocius accurrisset, puerum et semiustum et seminecem de igne extraxit. Cujus desperans vitam, procidens in genua, sanctæ illum devovet Cunegundi. Et continuo puer, quem genitrix mortuum crediderat, revixit. Et processu dierum plenam et integram sanitatem recuperavit.

295 Agnes, puella de Cracovia, decimum annum agens, a dæmone obsessa, mirabili cruciatu D
nocte et interdiu vexabatur; liberationis autem gratiam repertura, die Dominico post festum sancti Adalberti, in antiquam Sandecz in cœnobium sanctimonialium et ad sepulcrum sanctæ Cunegundis per amicos sub solis ortu adducta est; ubi consistens dæmon, quiescere et latere non valens, eam vehementer illisit ad terram, manus ejus et pedes in longum distrahens; os vero illius ad unius palmæ mensuram dilatans, et in universo corpore eam excrucians : jacebatque prona et taliter distenta in terra, fremens et spumans, a solis ortu usque ad meridiem. Cognatis autem et necessariis sanctam Dei Cunegundim, pro illa et ejus liberatione suppliciter obsecrantibus, liberata est tam pro suo quam amicorum et assistentium judicio, nulla obsessionis et vexationis dæmoniacæ perferens signa. Verum a monasterio ad hospitium deducta, dæmon qui fallaciter se ad tempus occuluerat, mordacius illam excruciare cœpit. Confestim itaque per necessarios ad sepulcrum sanctæ Cunegundis reducta, multas in Deum et Sanctos ejus dæmon E
per os obsessæ insanias exspuebat et blasphemias. Sanctimonialibus autem ex compassione super illam sacras lectiones et Scripturas legentibus, cum una ex sororibus legendo hunc versum : Foras ejiciat mundanum principem, in Latino pronuntiasset; dæmonium, versum illum irridens et floccipendens, lingua Polonica contrarie respondit, festucam eum, et non principem mundanum ejecturum.

Alia triplici dæmone vexata,

liberatur ab apparente sibi B. Cunegunde.

296 Quinque autem diebus sanctimonialibus ad ejectionem dæmonis prece et jejunio insudantibus, feminæ taliter excruciatæ et afflictæ sancta Dei Cunegundis apparuit; eamque benigne consolans ac bene sperare jubens, dæmones ab ea abegit, et in priorem atque integram eam tam libertatem quam salubritatem, cunctis qui aderant stupentibus et sanctam Dei Cunegundim in suis operibus mirificantibus, vindicavit. Compos autem rationis et bonæ valetudinis effecta, narrabat, se triplicis dæmonis obsessionem et vexationem pertulisse; asserens, quia unus eorum Oksza, alter Naton, et tertius Roszen, se frequentibus vicibus, ipsa audiente et intelligente, F
agnominabant. Ab eo tempore plenius per sanctam Dei Cunegundim liberata, nullum deinceps sensit dæmonis qualemcumque obstaculum aut impedimentum, bonitati et sanctæ Dei Cunegundis solatio liberationem suam tam liquidam ascribens.

ANNOTATA.

a *Hic ad marginem scriptum erat eodem, quo cetera omnia, charactere :* Miracula anno Domini MCCCVIII et sequentibus gesta.

b *Idem supra cap.* 24 *dicebatur Wladislaus* secundus ; *sed nempe* primus *fuit rex hujus nominis; secundus ordinis a restituta Polonis regia dignitate ducti.*

c *Et mater Casimiri secundi, cognomento Magni*

juxta

A *juxta dicta cap. 2, num. 29; quæ obiit vidua anno* 1340, *et a Casimiro magna pompa in monasterio Sandeciensi sepulta est; ut habet auctor noster Historiæ Polonicæ lib.* 9.

d *Nempe beatæ* Cunegundis *erat matertera reginæ Hedwigis, quæ erat filia Jolentæ.*

e *Capite secundo scilicet, num.* 29; *ubi Boleslaus pius vocatur* majoris Poloniæ dux, *non quod majorem Poloniam totam obtineret, sed quod satrapia Kalissiensis, hoc est majoris Poloniæ pars dimidia, ejus esset; pars enim altera, seu satrapia Posnaniensis, Præmislao tum parebat; ut ait auctor noster Historiæ Polonicæ lib.* 7 *ad annum* 1246.

CAPUT XXX.

Continuatio miraculorum ejusdem temporis.

B

Puella a lupo laniata et mortua,

Clemens, ruricola de villa Visznicze, audito vehementi clamore puerorum, in campo ad greges armentorum et pecorum custodiam exercentium, illuc, velocius quo poterat, succursum illis facturus (neque enim clamorem tam validum cassum esse credebat) accurrit; filiamque propriam, Agnetem nomine, quæ et ipsa cum ceteris adolescentulis in pascendo pecore occupabatur, a lupo invasam, et in tenero corpore deformiter et letaliter adeo laceratam, ut ex ventre ejus viscera defluerent, mortuam et exanimem reperit. Quam, utcumque poterat, colligens, in domum flens et ejulans deportavit sepeliendam. Genitrix vero puellæ, Gertrudis nomine, cum domo abesset, et ab oppido Bochnia, in quod mercatus gratia iverat, domum revertens, dum rumorem de filiæ laceratione et morte in itinere constituta pro comperto accepisset, in miserabiles lamentationes et fletus ruens, prona corruit in terram, sanctam Dei Cunegundim lacrymosis suspiriis invocans, et filiam mortuam quatenus illam vivificaret, devovens atque rogans.

C

vitæ et membrorum integritati restituitur.

298 Mirum dictu! vixdum votum et rogationem finiverat, et domum, quam multitudo vicinorum, casum puellæ miserantium, et inspectantium, compleverat, ingressa, filiam mortuam ad vitam revocatam et sanatam atque reformatam, in signum tamen lacerationis et mortis cruentatam a bestia, reperit. Tunc in Deum et sanctam ejus Cunegundim celebri gratiarum actione effusa, ad Sanctæ Dei limina illam in frequenti comitiva deducunt; vota solvunt, jurejurando protestati, quia absque ullo adminiculo humano, sed ad solam sanctæ Dei Cunegundis invocationem, puella vivificata fuerit, et in corpore lacero perfecte reformata.

Item alia toto die submersa.

299 Stanislava, filia Petri, alias Piotrek, oppidani de Wieliczka, ætatis puerilis puella, ad molendinum ludens, ignaro parente, in aquam decidit infra molendinum decurrentem, atque illic a mane usque ad vesperam jacuit submersa. Vix tandem perquisita et inventa, dum universi de vita desperarent, nec possibile videbatur, puerum, tanto tempore suffocatum et sub aquarum mole compressum, vivificatum iri, sanctæ Dei Cunegundi parens suus Petrus, facinus suum et mortem filiæ deflens, illam devovet. Et subito puer ad invocationem Sanctæ Dei resurrexit, et liberatrici suæ sanctæ Cunegundi gratiarum actiones et vota soluturus in Sandecz ad sepulcrum Sanctæ advenit, Petro parente suo vivificationem suam et liberationem per juramentum attestante.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

Recens nuptæ epilepsia, febri, dæmone vexatæ,

300 Thomka, puella nubilis et adulta de villa Piotrowicze prope Machowiecz Cracoviensis diœcesis, cum Jacobo, adolescenti de Kszasznicze nupsisset, vix trium hebdomadarum spatio elapso, morbum epilepticum et febrem tertianam incurrit. Ab utraque tandem ægritudine per vivificæ crucis ligni, quod in monasterio Calvimontis *a* in singulari habetur veneratione, virtutem liberata; paululum post et in easdem ægritudines relapsa est, et prioribus tertia valetudo gravior et perniciosior accessit: dæmon enim importunus, sævus et infestus illam vexare aggressus, variis et mirabilibus illam excruciabat modis, frequenti colloquio ejus, etiam familia præsente, usus. A sola tamen muliere Thomka, quam vexabat, in statura et effigie unius viri, justa alia membra humana, præter manuum poplices *, habentis conspectus. Et modo tunica, modo camisia amictus; nonnumquam aliter et alio modo gladio exerto, nonnumquam contra mulierem vibrata cuspide formidinem et horrorem grandem obsessæ incutiens; faciem etiam suam simultaneam multifarie contorquens, præfatæ mulieri visibiliter, nemine alio ex domesticis aut extraneis ipsum vidente apparebat. a

E

* *an* pollices?

qui mirismodis miseram terrebat,

301 Et quamvis ad conspectum dæmonis mulier, clamore magno edito, fugeret; aliquando etiam signaculo sanctæ crucis ad effugandum eum [se] communiret; nullam tamen liberationem, sed nec alleviationem propterea consequebatur, dæmone etiam eodem signo, ut mulieri videbatur, se signante, et in quælibet loca, quantalibet hominum frequentia plena, ipsam insectante. Quadam insuper nocte, dum ceteri homines contubernium obsessæ propter vexationes dæmoniacas, clamores et horrores devitando fugerent, et solus mulieris Thomkæ germanus Michaël in solatium suum secum pernoctaret; F jamque ultra medietatem nox suum cursum peregisset, ad vexatam et afflictam a dæmone sororem Michael ait: Noli de cetero, soror, metuere; neque dæmonis vexationem (gallorum enim jam cœpit cantus, virtutem dæmoniorum propulsurus) pertimesce. Ad hanc vocem dæmon, cachinno edito: Quid ergo? inquit. At ego gallorum voces contemno, et in morem etiam galli cantabo. Conscensaque pertica, concrepantibus alis, voce galli cantare cœpit.

crudelissimeque luxabat, vulnerabat, ac mutam reddebat,

302 Diversis tandem et frequentibus tam terroribus quam cruciatibus tortam, concussam, et afflictam, citra festum beati Joannis Baptistæ, conto spisso caput primum mulieris verberat et allidit; deinde bipennim præacutam, columnæ domus infixam, etiam in caput mulieris cum strepitu ingenti projecit, et graviter caput ejus percussit: a quo ictu exanimis fere effecta, etiam loquelæ usu amisso, digitis insuper tam manuum quam pedum curvatis et contractis et saniem fluen-

fluentibus, dextri pedis usu atque gressu exstitit privata : in eoque dolore, pœna, et cruciatu a festo sancti Joannis Baptistæ usque ad festum Natalis Christi infelix et miseranda femina a spiritu nequam, illam assidue exagitante, permansit, miseram et cruciatibus plenam utcumque ducens vitam.

apparet Beata, modum et media liberationis exhibens, et partim liberans:

303 Cui in tam validissimis angustiis laboranti et stertenti magis quam dormienti, sancta Dei Cunegundis in magna claritate, tunicam inferiorem candidam gestans, noctium una apparuit ; et mira mansuetudine atque benignitate mulierem ægram alloquuta, blandeque consolata : et, quænam esset, eloquuta : Si meum, inquit filia, sepulcrum visitaveris, et a dæmone te infestante liberaberis, et in lingua ceterisque tuis infirmitatibus curaberis. Quo dicto, disparuit ; et duas candelas accensas, parieti quoque applicatas dereliquit, in testimonium evidens, fidelis oraculi et veridicæ visionis. Et Thomka, mulier morti propinquior quam vitæ, in viribus quoque corporis penitus exinanita et destituta, de grabato, in quo diuturno tempore, semestri videlicet spatio, jacuerat, sine illo humano adminiculo ex abrupto consurgit ; videtque consurgens non phantastico, sed vero fidelique contuitu, duas candelas cereas accensas et ardentes altitudinis unius cubiti, spissitudinis vero digiti auricularis, ad quamdam viriditatem declinantes, parieti domus ad caput grabati, in quo jacebat, infixas, a sancta Dei Cunegunde derelictas.

rem hanc ægra fratri nutu et signis indicat ; sed is non satis intelligens,

304 Nimia autem candelarum claritate et luce stupefacta et exterrita, domum, in qua jacuerat, propriam exiliens, ad aliam, in qua Michael germanus suus dormiebat, festina accurrit ; et cum ex ictu gravissimo et percussura dæmonis muta prorsus foret, mugitu suo et ejulatu, signis insuper et nutibus, quibus poterat, fratrem suum dormientem excitavit, manuque ejus prehensa, ad domum suam pertraxit. Ille claritate luminis, quæ in domo radiabat, visa, domum ardere incendio, et ad id se a sorore excitum atque pertractum exstinguendum ratus, celerius quo potuit, domum insiliit, et solas duas candelas, quasi duas faculas, ardere flamma ingenti ad parietem videns, atque humanum, non divinum, opus existimans, illas festine, incendium domus prohibiturus, exstinxit, sorore sua Thomka tam mugitu quam signis ipsum prohibente, et cum dextræ manus protensione ac motu capitis plagam et oram monasterii antiquæ Sandecz, in quo sanctæ Dei Cunegundis corpus quiescit, et Sanctam præfatam sibi apparuisse, dæmonium a se fugasse, candelas ardentes reliquisse, et, ut sepulcrum suum visitare non negligeret, jussisse, verba potius frangens quam proloquens, iudicante.

aliud pro alio facit :

305 Verum cum Michael præfatus germanus ægre mulieris nec verba nec nutus et mugitus varie sibi ostensos, sed nec mysterium candelarum intelligeret, ad monasterium fratrum Prædicatorum in Opatoviecz *b* oppidum supra Vislam *c* situm, sumpta secum utraque candela, et sorore sua Thomka illum comitante, ire pergit. Quo cum pervenisset, monasterii ecclesiam ingressus, sorore, cujus nondum linguæ solutum erat vinculum, ante ecclesiam consistente, uni ex fratribus monasterii, quem forte apud sacristiam offenderat, candelas illas cum singulari devotione tradidit, in sacrificiis, dum res divinæ pro eo ipso tempore illic agerentur, comburendas.

iterum ergo apparens Beata arguit eam, et sanat anno 1311.

306 In dierum autem processu cum domum revertissent, iterum sancta Dei Cunegundis mulieri præfatæ Thomkæ per quietem in vigilia Nativitatis Christi anno Domini millesimo trecentesimo undecimo apparuit ; et, cur candelas a se locatas, accensas et in ipsius mulieris salutarem consolationem, dæmonis quoque eam vexantis abactionem, exstinguere, et in alium locum, quam in Sandecz antiquæ monasterium ad sepulcrum suum ferre, consumique illas præsumpserit, gravi reprehensione, vultu irato et indignanti, quemadmodum sibi videbatur, pluri sermone corripuit. Et quatenus transgressionis suæ facinus triduano jejunio, in pane dumtaxat trium morsellorum *d* cinere intincto et aqua peragendo, expiaret, imperavit ; liberali et munifica pollicitatione mulieri spondens, se etiam loquendi usum, quo a semestri tempore privata fuerat, sibi reddituram, cum ceteras incommoditates et languores graviores ab ea sua intercessione et merito dispulerit. Ea visione et oraculo Thomka mulier præfata admonita, triduanum, ut jussa erat, explet in pane, cinere, et lympha jejunium ; et illico plenam loquendi virtutem consequuta, fratri suo Michaeli et hominibus villæ, in qua degebat, utriusque visionis per sanctam Cunegundim factam apparitionem, et præstitam sibi de septem gravibus languoribus sanitatem, candelarum insuper locationem et accensionem, et cuncta, quæ viderat et audierat, ex ordine enarravit.

Mulier ad sepulcrum Beatæ de septemplici beneficio gratias agit.

307 Ad sepulcrum deinde sanctæ Dei Cunegundis in antiquam Sandecz se cum frequenti hominum villæ Pyotrowicze turma conferens, liberatrici suæ virgini Cunegundi gratias agebat ingentes, vota solvens, et in conspectu astantium populorum sanctitatem illius glorificans et extollens. In se quoque collata per eam beneficia enumerans et divulgans, vicinia, quæ secum advenerat, passiones horribiles, quibus admodum afflicta et oppressa fuerat, et de quibus per Sanctæ Dei patrocinium liberata fuerat, attestante. Erat siquidem operæ pretium in muliere præfata sanctæ Dei Cunegundis mirifica attendere prodigia. Septem enim signa in una muliere prædicta Thomka per Sanctam Dei patrata perpendimus. Infestum enim dæmonium abigitur, morbus epilepticus, item febris tertiana, capitis etiam vulnus et livor, a conto et bipenni dæmonis ministerio inflictum curantur ; manuum et articulorum contractorum et putredine fluentium nodus solvitur, officium pedi et loquendi usus linguæ restituuntur. Quæ singula quanto mirabiliora atque insolita sunt, tanto sanctior virgo Dei Cunegundis in suo merito et intercessione agnoscitur, tanto cunctis necessitates patientibus certior spes atque fiducia pro succursu eis impendendo ingeritur, tanto perfectior arrhabo ad accelerandum et efficiendum suæ canonizationis decus et præconium regi, pontificibus, principibus et primoribus Poloniæ ostentatur.

ANNOTATA

A

ANNOTATA.

a Calvus mons, *etiam* Calvaria *dictus, excelsus est in palatinatu Sandomiriensi, ubi monasterium Benedictinorum a Boleslao primo Poloniæ rege erectum ac fundatum est, rogante B. Emerico, S. Stephani Hungariæ regis filio, qui illud reliquiis sanctæ Crucis, quas Constantinopoli pater ejus acceperat, ditavit. Ad eos ob miraculorum frequentiam undequaque ab indigenis exterisque concurritur. Adi auctoris nostri Historiam Polonicam lib.* 1; *et lib.* 2 *ad annum* 1006.

b Opatovecia *oppidum est ad Vistulam, Cracoviam inter et ostia Nidæ.*

c Visla, Wisla, Vistula *idem sonant.*

d Morsellus, *id est, frustulum, Gallice* Morceau; *satis usitatum verbum apud scriptores seculi duodecimi et sequentium.*

B

CAPUT XXXI.

Miracula annorum MCCCXII *et* MCDV.

Alvearia a prædonibus destructa obtritaque, a

Exercitu Pannonico *o* fines regni Poloniæ hostiliter ingresso, et prædas agente ac spolia, [cum] domus quoque duorum adolescentum Floriani et Joannis in oppido antiquæ Sandecz despoliata, et apiarium eorumdem, frequentes et multiplices habens apes, fuisset non direptum tantummodo, sed etiam fractum, et per secures gladiosque sectum, incisum, et conculcatum; apes quoque et eorum domicilia, melle universo egesto et rapto, deleta exstitissent, et alvearia concisa et violata; mellis etiam reliquiæ, quæ comedi et ferri non poterant, necnon et apes, ne cuique forent usui, furentium hostium malitia conculcatæ [sunt]; dum autem altera die hostibus C in propria tumultuarie discedentibus, Florianus et Joannes, qui metu hostium in Alpibus et saltibus se condiderant, domum revertissent; et apiarium, cui hostes parsuros crediderant, demolitum et deletum reperissent; maximo dolore et mentis angustia cruciabantur, videntes præcipuam eorum substantiam periisse.

invocata B. Cunegunde restituuntur.

309 Et quamvis nulla spes de reformanda tanta substantia, et apibus vivificandis subesset; mellis tamen conculcati quasdam pauculas reliquias cum apibus colligunt, et alveario uni includunt; votum solenne voventes Deo et sanctæ ejus Cunegundi, de mellis universa substantia, per preces et merita beatæ Cunegundis reformanda, decimam se mellis pro Sanctæ Dei cœnobio quotannis daturos; spe sibi optima proposita, quia in suo voto et desiderio fraudari non possent. Mirum dictu! altera illucescente die, apiarium visuri venientes, offendunt vas alvearii, quod pridie ex melle pauculo et apibus conculcatis concluserant a summo usque deorsum apum ministerio repletum esse, melle in favos pulcherrimos effigiato; vident, et frequentiam apum advolasse, et sub processu dierum quinquaginta alvearia complevisse. Unde et tanto devotius religiosiusque dando monasterio mel anno quolibet decimatum solvebant votum, quanto se celerius, benignius et liquidius in eorum voto et desiderio lætabantur exauditos.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

Rabidi canis afflata veneno mulier,

310 Consors Michaëlis ruricolæ, Gertrudis nomine, de Hungariæ regno, et de vico, qui in vulgari eorum Krive appellatur, aviam a cane rabido et ejus morsibus læsam et exstinctam in agone reperiens, manibus nudis ad se sublatam, attrectare illam et ejus vulnera cœpit, ab alite rapaci necatam, et virus nullum illi rata inesse. Sed venenum subito corpus mulieris infecit: per articulos siquidem, ungues et digitos, exinde in manus et brachia diffusum, etiam in præcordia ceteraque vitalia membra ascendendo passim intendebatur. In toto denique corpore et in singulis membris Gertrudis præfatæ consurgebant horripilationes mirabiles et rigores formidolosi a rabido veneno causati, generantes in muliere fastidia tædiaque insolita, et cruciatus quosdam at- E que mœstitiam infligentes. Triduo autem in hujusmodi passionibus exacto, cum se mulier cubatum cum viro suo Michaële ex more recepisset, nondum prima quiete expleta, ingentes et excessivi terrores, dolorque intolerabilis ipsam urgere cœpit.

et in furorem acta,

311 Quæ impendenti periculo, non secus quam par erat, commota viro suo Michaële suscitato, indicat, se amarissimis excruciari passionibus, et venenum intendi; flensque et gemens, ipsum hujuscemodi alloquebatur sermone: Accipe, inquit, infantem nostrum communem a me (erat enim illis puerulus nondum annum unum ætatis transgressus) et tam teipsum quam infantem omni cura et diligentia a quolibet contactu custodi; meam quoque conversationem, tibi et puero pestiferam simili te involuturam periculo, quali me exagitari vides, solicite divita: imminere etenim grandis periculi et perniciosi fati malum mihi video irremediabile, nulloque sanandum antidoto; a quo ne præoccuperis, te tempestive subducas summoveasque, oro. Quo dicto, in furiam versa, stridores, ejulatus, et F clamores validos et inconditos, cruciatibus præcordiórum ipsam acrius affligentibus, emittebat. Tantus autem et tam intensus ipsam excruciabat et perurgebat dolor; ut in globi modum contortam frequenter ex grabato in terram projiceret, et ad terram prosternens, non secus quam exanimem efficiebat.

invocans Beatum sanatur, hærente tamen dolore aliquo in renibus:

312 Altero item triduo in tam diro et miserando cruciatu exacto, vicinis eam visitantibus, et pro consolationis remedio ingerentibus, ut ad aliquem Sanctorum conversa, se illi recommitteret, et pro sua liberatione ejus solatium imploraret, mulier ita salutaribus persuasionibus acquiescens, dum se paululum in ea dolor et passio remisisset, celeberrimam jam tunc sanctæ Cunegundis famam apud regionem Pannonicam diffusam audiens, supplicibus orationibus et fletibus sanctam Dei invocare * Cunegundim, deposcens se per ejus suffragia et merita a suis crudelibus cruciatibus et pœnis solvi, devovens quoque, se sepulcrum Sanctæ nudis pedibus quam-

* subaudi cœpit

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

quamprimum visitaturam. Vix miseranda et miserabilis femina verba obsecrationis et voti finierat; et subito ad invocationem virginis sanctæ Cunegundis clementissimus Dominus mulieri tot cruciatibus afflictæ, tot languoribus implicatæ, tam rabido veneno infectæ, plenam et integram contulit sanitatem: quievit etenim omnis dolor, eam in præcordiis et membris vitalibus torquens; quievit et furor illam exagitans; simul quoque et bonæ valetudini reddita, et bonæ menti, usum rationis et incolumitatem habere cœpit.

at geminata prece, tres pariens catulos, omnino convalescit anno 1312.

313 Verum dolore aliquali mulierem circa renes stringente, et non mediocrem, illi gravedinem ingerente et molestiam, nova prece liberatricem suam sanctam Dei Cunegundim orabat, ut quæ majores morbos dispulerat, reliquias quoque eorum tollere dignaretur, novo se voto obligans, sepulcrum Sanctæ altera vice nudo et pedestri adire gressu. Et in continente, voto hujuscemodi emisso, tres vivos catulos pariens, integram sanitatem, omni dolore cessante, se recepisse lætata, ad cœnobium antiquæ Sandecz, et ad sepulcrum virginis Cunegundis, duplicem peregrinationem pedestri itinere, quemadmodum B voverat, exegit, sanctam Dei Cunegundim cœlo tenus laudibus mirificans, et suarum diversarum passionum liberatricem eam acclamans, et sanatam se ab ea anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo jurejurando contestans, Laurentio et Stephano ejusdem villæ incolis, qui secum una ad sepulcrum Sanctæ Dei advenerant, suæ adstipulantibus relationi *b*.

Apparet Beata ægro, eumque invitat ad reliquias suas venerandas anno 1405;

314 Procuratoris generalis Cracoviensis viri nobilis Jacobi, alias Jacussy, familiaris, Mroczek nomine, anno Domini millesimo quadringentesimo quinto, gravem infirmitatem incidens, et longiusculo tempore cruciatus duros perferens; dum, nullis medicorum artibus proficientibus, in desperationem vitæ ac sanitatis versus, de termino suæ periodi, et animæ separatione a corpore, solicitus cogitaret; profundo sopore obrutus, videt per quietem, in ecclesiam et monasterium sanctimonialium antiquæ Sandecz se perductum et ingressum esse. Cui orationi et devotioni illic incumbenti persona quædam venerabilis feminea, et, ut æger conjicere poterat, habitu sanctimonialium amicta, et non secus quam illarum an- C tistes, sibi visibiliter apparuit. Et blandius compellatum, an illam, quænam esset, agnosceret, requisivit. At Mroczkone ægro respondente, non se scire aut nosse, quæ foret, cum numquam tam venerandam antistitem eum nosse, sed nec videre, contigisset: Ego sum, inquit, Cunegundis, Poloniæ ducissa, et hujus, in quo te positum vides, loci ac monasterii gubernatrix et antistes, morbis tuis atque languoribus diuturnis, si illos non pudebit detegere, et sepulcri mei locum corporaliter adire, mea intercessione atque suffragio subventura.

cui ille obsequens, sanatur.

315 Ad hanc vocem de gravi somno expergefactus æger, dum memoriter singula per ordinem, quæ secum per quietem acta fuerant, et in quo templo recenter obversatus, quique sermones ad illum, et a quam veneranda et insigni persona dicti fuissent, diligentius recensuisset, monstratæ sibi visionis oraculo, diminutam ægritudinem notabiliter sentiens, paruit. Ac duos cereos ferens templum, quod in quiete viderat, et D sepulcrum Sanctæ Dei adiit, ubi sanctum suum nomen, mira devotione invocans atque valetudinis suæ varias species enarrans, perfectius se ex tunc sanatum intelligens, ovans et magnalia Dei et Sanctæ ejus sibi etiam non petenti, exhibita divulgans, sospes et incolumis domum rediit.

Ancilla ob festum violatum angina correpta,

316 Rusticani generis femina, Margaretha nomine, Thomæ kmethonis *c* et agricolæ de villa Barczicze Cracoviensis diœcesis, cum in Epiphaniarum die, festo tam celebri per opus *c* servulæ violato, ad panes coquendos farinam fermentasset, ultio divina illam mox est subsecuta. Nam passiones squinanciales *d* graves et insolitas in gutture, dum opus fermentationis expleret, *d* sentire cœpit, et ingravescere. Opere autem expleto, adeo sensim gliscente dolore, angustiata, atque a languore pressa est, ut, veluti moribunda, palpitans, membris sua officia deserentibus, caput etiam attollere, aut in terram defigere non valeret.

ope B. Cunegundis sanatur.

317 Intelligens autem ob prævaricationem et violationem sanctæ diei a tam subito et diro languore se correptam et angustiatam esse, timens- E que sibi extrema imminere, ad auxiliatricem magnificam sanctam Dei Cunegundim se totam convertens, illam pro sui liberatione supplicibus vocibus et lacrymosis suspiriis invocare cœpit; devovens, se a die illo et deinceps dies festos et sabbata exploratiori honoraturam cura, et limina ac sepulcrum Sanctæ Dei personaliter visitaturam. Ad hanc autem invocationem, furor ægritudinis, qui per universum corpus grassabatur, mox quievit: et femina prædicta tanti beneficii, a Sancta Dei sibi præstiti memor, pedibus sepulcrum Virginis adiit, et hostiam, juxta ac voverat, in signum gratitudinis et suæ incolumitatis, obtulit suæ Liberatrici vivam.

Podagra subito sanata.

318 Polonicæ feminæ, ad invocationem Sanctæ Dei curatæ, Pannonicam subnectemus. Helena mulier, ex civitate Hungariæ Varadino *e* orta, *e* annis sex gravi et assiduo pedum dolore torquebatur. Cumque morbus podagraticus invalescendo mulierem in desperationem recuperandæ sanitatis adduxisset; illa, jam de humanis diffisa remediis, totam se ad virginem sanctam Cune- F gundim, de cujus sanctitatis excellentia plures tunc inter Hungaros jactabantur rumores, convertit. At, voto visitandi limina sua emisso, liberatam se ab omni languore et dolore sensit. Proinde, quam festinantius potuit, ex Varadino in antiquæ Sandecz monasterium veniens, et votam oblationem offerens, multiplicem misericordiam Dei, quam per suffragia sanctæ Cunegundis assequuta est, exposuit.

ANNOTATA.

a *Cum ordinem temporis servet auctor in hac prodigiorum narratione, videtur hoc miraculum ad annum Christi* 1312 *pertinere; cum præcedens exeunte anno* 1311 *patratum esse affirmet: et vero quamquam bello, quod sciam, nullo tum a Polonis Hungari dissidebant; frequentes tamen adeo prædonum grassationes erant in palatinatu Cracoviensi*

anno

A *anno* 1312, *ut eam rebellioni adversus Locticum suæ Cracovia causam prætenderet; ut vide in Historia Poloniæ Dlugossi lib.* 9; *et apud Michovium lib.* 4, *cap.* 8. *Valachorum ergo prædonum hæc incursio fuerit, qualem in hasce partes fecisse sæpius per hæc tempora memorantur infra cap.* 34, *num.* 344.

b *Sequitur annorum fere centum hiatus, quo nulla notantur miracula; negligentia scribentium, an defectu materiæ id contigerit, incertum: malim illud suspicari tamen, quam hoc; quandoquidem seculo sequenti tam crebra narrantur prodigia uno etiam anno facta, ut a numero sequenti patebit.*

c Kmetho *apud Polonos significat hominem servilis conditionis, et sæpius occurrit in Actis B. Simonis de Lipnica. Redit infra cap.* 36, *num.* 372. *De eorum pensionibus videri post Cromerus lib. de republica et magistratibus Polonorum sub initium.*

d *Sic dictæ a* squinantia, *Gallice* squinance, squinancie, *et* esquinancie, *quam Latine* anginam *dixeris; qua nimirum ita fauces anguntur et intumescunt, ut vel respiratio cruciet.*

e Varadinum *urbs est Hungariæ munita in* B *Transilvania Crisso, seu Kerez fluvio assidens.*

CAPUT XXXII.

Prosecutio miraculorum anni MCDV.

Puella diuturno morbo juxta oraculum soluta.

Stanislava virgo adulta, filia Nicolai civis de Jasziel Cracoviensis diœcesis, in languorem gravem incidit, a quo cum per tempora multa liberari non posset suffragiis et antidotis humanis; et tempore diuturno procedente, morbi etiam gravedo intenderetur; parentes quoque virginis fluctuans et dubia desperatio cepit. Cui in tam periculoso discrimine constitutæ voce clara, et per visionem illapsa, dictum est: Si, inquit, tota devotione ad sanctam Dei Cunegundim te convertens, ejus limina visitaveris, continuo ab omni, qua hactenus pressa fuisti, ægritudine liberaberis. Ea voce commonita et in gau- C dium immensum versa, oraculo paruit; ac sanctam Dei Cunegundim fervida devotione invocans, et totam se illi devovens, sanitatis perfectæ beneficium, ab omni morbo ex tunc liberata accepit. Ad limina deinde Sanctæ Dei cum parentibus et cognatis in antiquam Sandecz in monasterium perveniens, votumque et oblationem solvens potentiam divinam in sancta sua Cunegundi mirabilem prædicabat.

Dysenteria sublata.

320 Joannes de Falansze adolescens, filius Jaszkonis agricolæ Cracoviensis diœcesis, dysenteriæ morbo adeo affectus erat: ut, manante cruoris profluvio, viscera etiam e corpore secum pertraheret. Jam adolescens ipse nimia macie attenuatus, et tam gravi ægritudine in singulis sensibus depastus, ægre animam (utpote qui mori malebat, quam cruciatus perferre) trahebat: nulla enim medicamina tam efficacia offendebantur, quæ vim profluvii coercerent. Parens deinde ejus Jaszek præfatus, pœnam filii miseratus, et inspiratione divina instinctus, sistere illum ad sanctæ Cunegundis limina devovet, singularem oblationem pro ejus incolumitate oblaturus; sanctam Dei Cunegundim suppliciter invocans, ut filio suo, non tam misero quam miserabili et moribundo, subveniret. Subvenit illico Sancta Dei supplici suo: stetit enim et ab eo die conquievit in adolescente devoto sanguinis rivulus, viscerum fluxus; et integræ sanitati redditus, parentibus illum concomitantibus, ad limina Sanctæ Dei veniens, obtulit Deo et Sanctæ ejus hostiam, a patre repromissam.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

Puellula in ignem lapsa sanatur.

321 Agnes, femella ætate impubere, filia Gertrudis de Thylmanowa Cracoviensis diœcesis, penes ignem obversata, dum mater sua Gertrudis, domesticis curis intenta, in alio opere foret occupata, in ignem decidit; et flammarum rigore adusta, spiritum vix retinens, matre ad fletus et ejulatus filiæ accurrente, de igne extracta est. Cumque misera mater infelicitatis suæ casum geminatum amare gemebunda defleret (morituram enim filiam, seque et caro pignore orbandam, et gravi scelere, quia ejus negligentia puellæ minorenni mors accidebat, contaminandam metuebat) et multa mentis et corporis fluctuatione agitaretur; aliud solatium non reperiens, ad sanctam E Dei Cunegundim festina recurrit. Et filiam semianimem ejus devovens miserationi, in antiquam Sandecz ad sepulcrum Sanctæ Dei cum oblatione deferens, plenam filiæ suæ obtinuit reintegrationem.

Jumentum sanatum.

322 Jumento etiam præfatæ Gertrudis ægrotante usque ad mortem, Gertrudis ipsa, superiore beneficio Sanctæ Dei inescata, cereum ad longitudinem jumenti ad sepulcrum Sanctæ obtulit; et se de damno, jumentum vero a morte, servavit; jurejurando firmans et constestans, quia non aliqua ope humana, sed solius Dei dignatione et filiæ suæ Agneti combustæ, et jumento suo sanatio ad invocationem sanctæ virginis Cunegundis provenisset.

Puer contracta ex nimio fletu hernia a

323 Puerilem adhuc agens ætatem Nicolaus, filius Joannis et Osannæ de Thylmanowa, cordacis *a*, existens etiam tunc puer, conditionis, nimio fletui ex levi momento et causa, plus quam illi conveniret ætati, indulgebat. Parente autem utroque fletus magnitudinem et augmentum prohibere aut restringere aliquibus fomentis vel F blanditiis dissimulante; sed nec opinante, ut fletus ille aliquod malum deberet parturisse; puer prædictus ob ploratum et ejulatum immensum, in utroque inguine membrana fracta diruptus atque rimatus est. Et quo major et altior per ætatem succrescebat, eo amplius ruptionis rima, visceribus ad ima defluentibus, augebatur. Nec succis et remediis solicite adhibitis solidatio sperata poterat pervenire. Puerilibus annis in tam vitiato corpore transactis, Nicolaus puer præfatus jam adolescentiam attigerat; et quo in majorem evaderet ætatem, eo ampliorem tristitiam parentibus subministrabat, qui illum agrestibus muneribus, ob defectum hujusmodi, invalidum, ut erat, existimabant.

jam grandior factus, sanatur.

324 Unde nec illum absque gravi mœrore poterant intueri; de miseratione tandem bonitatis et pietatis divinæ, et de suffragio sanctæ Dei Cunegundis non diffisi, ad illius solatium invocandum conversi, adolescentem Virgini sanctæ et ejus liminibus præsentandum devovent. Itinere quoque

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

quoque arrepto, crepatum filium secum trahentes, in monasterium sanctæ Trinitatis antiquæ Sandecz perveniunt, et hostia placationis et voti oblata, supplices atque pias pro ejus consolidatione Sanctæ Dei fundunt preces; ubi mira Dei miseratio, ad invocationem suæ dilectæ sponsæ Cunegundis monstrata est. Continuo enim crepatus ille et ruptus, solidatus, sanatus et reintegratus est, omnisque ruptura et scissio in illo ex tunc et in post quievit.

Podagra subito sanata.

325 Stachna servilis de Nova Sandecz puella, a podagratico languore invasa, et illius duro et valido dolore attrita et concussa, spiritu et corpore anxia torquebatur; quia sub vinculo tantæ ægritudinis constituta, quotidiano ministerio, quo sibi velut orphana et patrimonii inops consulere consueverat, deficiente, ad producendum vitam aliud adminiculum non habebat, publice stipem emendicare perosa. In preces itaque et obsecrationes ad Sanctam Dei tota conversa, nomen ejus pro sua liberatione cœpit invocare. Et continuo, universa podagratica rabie diffugiente, puella gradu B concito ex grabato, quo detinebatur, consurgens, ad limina ancillæ Christi Cunegundis perfecto gressu venit, votam oblationem Sanctæ Dei offerens, et ejus merita magnificans.

Item hydrops;

326 Myrochna, alias Myroslava, vidua de Thymanova, morbo hydropisis detinebatur alligata. Cumque subcutaneus humor sensim invalesceret, et gravedine assidua mulier torta, mori magis quam vivere angustiata cuperet, veneranda quædam persona feminea per visionem apparuit; et, ne de cetero male de sanatione sua metuere deberet, admonens, dixit illi: Devove te, inquit, sanctæ virgini Cunegundi et limina illius visita, liberationem tuæ valetudinis per illius merita acceptura. Tali læta admodum et animata oraculo, hostiam, quam manus sua offendere poterat, apprehendens, in antiquam Sandecz venit. Et tam preces quam hostiam Sanctæ Dei offerens, sanitatem desideratam, juxta ac illi in visione monstratum fuerat, ad invocationem ancillæ Christi Cunegundis plenarie consecuta [est.]

ac febris,

327 Febricitanti puellæ Suentoslavæ, de Nova Sandecz, et graves in caloribus perferenti dolo- C res, et de humana diffidenti, quam frequentius tentaverat, ope; sanctam Dei Cunegundim invocare, et se illius merito et solatio fide et spe plena devovere cœpit. Ad quam invocationem omnis ille febricitans humor effugatus, puellam de cetero non vexavit. Quæ beneficii tanti memor, Sanctæ Dei limina pedibus adiit et oblationem attulit in suæ liberationis signum et sanctæ Cunegundis decus et glorificationem.

et morbus simul cum surditate;

328 Filiola Elizabeth mulieris de Podgrodze, nomine Stanislava, gravem incidens infirmitatem et diuturnam, adeo vi morbi vexabatur, ut etiam surda fieret, magnitudine et molestia ægritudinis surditatem in ea causante; de cujus convalescentia dum matri desperatio, humanis remediis non proficientibus, incessisset, patrocinii sanctæ Dei Cunegundis, quod conditioni quilibet et sexui consuevit conferre, recordata, surdam et ægram filiolam devovet, preces et obsecrationes ingeminans pro ejus liberatione. Sensit illico, voto emisso, speratum et invocatum remedium, et puellam Stanislavam a languore corporeo et a surditate videns mater liberatam, ad limina Sanctæ cum D ea accurrit et hostiam, quam pro filia voverat, laudans Deum in Sancta sua, persolvit.

uti et epilepsia;

329 Mathias, adultæ jam ætatis juvenis, filius Nicolai et Catharinæ de Cracovia, in ægritudinem gravem prolapsus, morbum etiam epilepticum contraxit: hic, cum sibi et parentibus suis multo foret fastidio et oneri (spumans enim et moribundo similis virtute morbi cadens in terram volutabatur, non sine inspectantium tædio et horrore) plura ad sui curationem adhibuit remedia. Sed, cum omnia ingesta morbi vim dispellere non valerent, et, anno integro exacto, ægritudo intenderetur, ad sanctam Dei Cunegundim tam parentibus quam ægro converti, et ejus solatium implorare placuit. Id cum omni devotioue et solicitudine explevissent, devoventes, se limina Sanctæ cum ægro visitaturos, morbi continuo grassatio subducta est. Et Mathias ipse sepulcrum Sanctæ cum parentibus adiit, sanctam Dei Cunegundim ore et voto glorificans, et mirabilia omnipotentis, quæ ad sui invocationem in eo operatus est, enarrans. E

et gravis infirmitas.

330 Opprimente Petrum Swiaszkowicz gravi infirmitate, et doloribus ac cruciatibus illum excoquentibus immensis, uxor sua Christina, ægrotanti marito fideliter compassa, verita insuper, ne, illo obeunte, orba remaneret et viduata; illum sanctæ Dei devovet Cunegundi, promittens, devotius quo poterat, limina Sanctæ cum viro suo præfato, quamprimum per valetudinem liceret, visitaturam. Post cujus emissionem voti, et sanctæ Dei Cunegundis supplicem invocationem, Petrus Swiaszkowicz præfatus ab omni, qua detinebatur, infirmitate solutus, uxoris votum, glorificans Deum in Sanctis suis, persolvit.

ANNOTATA.

a Cordacem *hic vocat* conditionem *pueri, cui cor tenerum est et propensum ad tristitiam ac lacrymas ciendas.*

F

CAPUT XXXIII.

Miracula anni MCDVI.

Podagra repente sanata anno 1406.

Textoriæ artis mechaninus Nicolaus, cognominatus Chalasta, oppidanus de nova Sandecz, podagræ dolore vehementi et gravi anno millesimo quadringentesimo sexto vexari cœpit; et cruciatu, qui assidue intendebatur, grassante, variis molestiis homo, manu et labore victum quæritare solitus, angebatur; quia solatium vitæ et victus tam præcipitanter sibi videbat ereptum. Augustiatus itaque corpore et spiritu; et quonam modo sibi et necessitati familiari subveniret, nusquam reperiens, ad divinum solatium et sanctæ Dei Cunegundis patrocinium fide et spe plenus recurrens, illam, ut se de passione carnis

A carnis et spiritus solveret, suppliciter invocare et se totum illi devovere cœpit, pollicitus, se illius visitaturum limina, et Missam unam de benedicta Trinitate, per ministerium sacerdotis explendam, ordinaturum. Id votum cum, quadriga ad monasterium veniens, explesset, ab omni morbo et dolore podagræ se lætatus est perfectius liberatum.

Moribunda sanatur; sed votum negligens,

332 Catherina, alias Casza, consors Bartholomæi, alias Bartzkonis, de nova Sandecz oppidani, gravem incidit infirmitatem, et languore diuturniori procedente, dum ingestæ non prodessent medelæ, tam suo quam amicorum judicio propediem putabatur moritura; nec illam et amicos æstimatio hujusmodi fefellit; premente enim vi morbi, non secus quam moribunda agonizare, cognatis astantibus et excessum ejus deplorantibus, cœpit. Cujus sortem consanguinea illius femina, Netha nomine, conthoralis Mochonis de nova Sandecz oppidani, miserata, magno et supplici comploratu, et qua poterat ampliori mentis et fidei devotione sanctæ Cunegundi illam devo-
B vebat; promittens, se una cum ægra sanctæ Dei Cunegundis limina quamprimum visitaturam, et condigna oblatione Sanctam Dei honoraturam. In hanc devotionem cum languida et moribunda mulier, quasi de gravi somno expergefacta, spiritum et memoriam resumpsisset, brevique se sensisset à tam periculoso languore sanatam, votum, pro se per Netham consanguineam suam pactum, reddere differebat.

de cœlo moneri jubetur.

333 At Nethæ principali votrici per quietem monstratum est, Catherinam, alias Kaszam, præfatam vice altera languidatam et mortuam esse. Cujus cum obitum multo amarius quam priorem Netha defleret; audivit vocem significantem sibi, illam juste mortem incurrisse, quia divinæ miserationi et intercessioni sanctæ Dei Cunegundis ingrata, voto se dissimulasset solvisse in hanc diem. Ad quam vocem Netha, metu nimio perculsa, evigilans; consobrinam suam durius, narrans quæ viderat, admonens et objurgans, et cum illa mox gradu concito in antiquam Sandecz accurrens, votum, quo se pro illa obstrinxerat offerens, insuper munus, quod manus
C sua invenerat, devotius quo valuit, oraculo duplici commonita, persolvit.

Capitis dolores sublati,

334 Apollonia femina, consors Mathiæ pastoris de nova Sandecz, gravi dolore capitis longo spatio torquebatur; procedente insuper tempore, cum et languor herbarum viribus inhiberi non valens, assidue intenderetur; et mulier in ultimam desperationem versa, et omni humano solatio destituta, jaceret semianimis, propediem moribunda; jacta demum in clementiam omnipotentis Dei, et in patrocinium sanctæ Cunegundis virginis, fiducia, se illi cum omni pietate et corde contrito devovit. Moxque ad sui nominis invocationem, fugato tam diuturno et periculoso dolore capitis, perfecte se invenit sanatam.

et oculorum.

335 Dorothea mulier, cognominata Zydkowna, de oppido antiquæ Sandecz, dolore oculorum percussa, anxietate nimia et pro dolore qui illam diutius urgebat, et pro amisso lumine premebatur: cœtus enim hominum et omnem lucem, crescente dolore, perosa, abscondita sub obscuritate et caligine degere cogebatur. Rabie tandem morbi et diuturnitate temporis cæcata; divinum, etsi sero, aliquando tamen, per meritum et nomen virginis Dei Cunegundis cœpit invocare auxilium, devovens, se in decus Sanctæ Dei munera ad sua limina allaturam. Subducta est illico, voto hujusmodi emisso, ex orbibus oculorum tenebra, subductus et dolor; et mulier desiderii sui compos effecta, apud limina Sanctæ munere, quo se devoverat, solvit.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

Puer errans in silvis, post biduum inventus.

336 Filius Annæ viduæ, agrestis cujusdam feminæ, Martinus, de villa Maszkowicze, ad silvam vastam et sibi incognitam, vico, in quo degebat, proximam ingressus, aliquanto tempore per illam errans anxiusque vagabatur, dignoscere per ætatem impuberem non valens saltus loca; sed nec expedire se sciens, an sibi in Orientem, Occidentem, Austrum aut Septemtrionem progrediendum foret. Genitrix autem Martini, Anna, profundo metu de filii vita, dum ad constitutum non reverteretur tempus, solicita, altero jam fluente erroris die, assumptis, quanto pluribus poterat, cognatis et vicinis, ad saltum irrumpens, filium scrupulose disquirebat. Quem cum E aliquamdiu offendere non posset, periisse aut a feris voratum esse existimans, in magni mœroris angustia constituta, sanctam Dei cœpit invocare (et vota illi vovere) Cunegundim. At continuo miseratio divina invocantibus Sanctam suam affuit; et puer errans, et periisse creditus, a quærentibus vocatus, vocantibus respondit. Et tandem ex responsionis clamore aditus et repertus, domumque reductus, sanctam Dei Cunegundim, votis persolutis, cum parente sua Anna et ceteris cognatis et vicinis, non secus quam desideratus *a*, et a limine mortis ereptus, magnificavit.

Adolescens curru obtritus sanatur.

337 Adolescentem junioris ætatis, Martinum Czolbycz, quadriga onerata et ab equis discurrentibus acta, in corpore universo supergrediens, pondere suo adeo constrinxerat violaveratque, ut non secus quam mortuus plangeretur. Uterque deinde parens suus tam pestifero et insperato casu conturbati, ne charo filio orbarentur, ad preces et vota conversi, sanctam Dei invocabant Cunegundim. Miserationum autem Domi- F nus, Sanctam suam mirificaturus, corpori juvenis quassato et lacero plenam sanitatem mox invocatus præstitit; et juvenis cum parentibus limina Sanctæ visitans, vota, quæ parentes nuncupaverant, reddidit.

Claudus erigitur.

338 Constrictum ex morbo in pede uno, vique morbi usu ambulandi amisso, destructum nepotem suum germanum Stanislaum Markowa mulier, matertera sua, pietate et fiducia plena, sanctæ Dei devovit, supplicius quo poterat, Cunegundi. Qua fide et supplicatione omnipotens Dominus permotus, plenam incolumitatem Stanislao contulit, et pretiosa habens suo in conspectu sanctæ suæ Cunegundis suffragia et merita, opprobrium ab adolescente abstulit claudicationis.

Languore diuturno defecta subito convalescit;

339 Variis doloribus et languoribus Catherinæ mulieri dictæ Aczthonia aggravatæ, et extensione temporis desperanti de vita, sanctamque Dei virginem Cunegundim per preces et vota suppli-

Auctore Joanne Duglosso.

suppliciter invocanti, divinum affuit præsidium, singulos dolores exterminans et effugans. Quæ beneficii divini non immemor, sanctæ Dei Cunegundis, cujus se intercessione et merito jurejurando firmabat sanitatem integram nactam esse, limina adiens, promissis muneribus illam honorat.

uti et aliæ duæ;

340 Viduatæ conditionis femina, Magdalena de Moscsenycza; item et altera matrona Catherina Slodowa, de nova Sandecz, magnis torquebantur et duris infirmitatibus. Et cum utrique ex assiduitate languoris desperatio evadendæ infirmitatis incessisset, utraque, voto visitandi limina sanctæ Cunegundis facto, perfectam sanitatem consecuta, quod voverat, explet prompto studio et devotione.

item alius prope jam depositus;

341 Jacobus, cognominatus Radziak, oppidanus de novo Sandecz, gravem valetudinem incurrens, diutiusque illam tolerans, dum ingestæ medelæ nullum sibi remedium speratum attulissent; vidit per quietem, ad mortis limen se pervenisse, et moriendi necessitatem sibi impositam
B
adventasse. Cumque in magno pavore propter superimpendentem mortem constitutus, plurimum angustiaretur; vox ad illum insonuit, ut voveret, se limina sanctæ Cunegundis visitaturum, mox sanandus, et ab imminenti eripiendus morte. Qui cum visioni expergefactus paruisset, periculo mortis per divinam gratiam et sanctæ Dei Cunegundis patrocinium solutus, voto, hostia oblata, se exsolvit.

item alius.

342 Martinus de Czugniowicze, viduæ Gertrudis filius, longa et gravi infirmitate gravatus, nullum poterat ad suæ sanationis remedium invenire lenimen. Genitrix autem sua Gertrudis de filii convalescentia anxia et solicita, antidota humana nullum videns afferre profectum, ad cœleste præsidium se totam convertens, patrocinium sanctæ Dei Cunegundis solicite et devote pro filio invocare cœpit, vovens se et filium, ad sanctæ Dei Cunegundis limina visitanda. Et continuo, ad invocationem Sanctæ filio sanato, et votum exsolvit, et sanctam Dei Cunegundim singulari extulit celebritate.

C

ANNOTATA.

a Desideratus, *id est, amissus.*

CAPUT XXXIV.

Prosecutio miraculorum anni MCDVI

a
b
Morbus diuturnus sanatur anno 1406.

Petri Cracoviensis episcopi *a*, Sandeczensis Vladarius *b*, Joannes Czudisch anno Domini millesimo quadringentesimo sexto validam incurrens ægritudinem, diutius ab ea detinebatur; morbo insuper crescente, etiam in spe vitæ periclitabatur, in tantum, ut in desperationem convalescentiæ verteretur. In qua angustia constitutus, humanis suffragiis non succurrentibus, ad cœlestia se convertit, et sanctam cœpit in sui adjutorium Cunegundim invocare, devovens, se ad sanitatem restitutum ejus limina visitaturum. D
Hac invocatione perfunctus, etiam morbo longævo se exoneratum testabatur. In testimonii autem suæ perfectæ sanationis in antiquam Sandecz cum universo comitatu suæ familiæ, gestans in manibus magnum cereum, ad limina Virginis sanctæ Dei accedens, et sepulcro suo offerens, Sanctam Dei opere et verbo pro sua liberatione glorificabat.

Mulier abrepta flumine c

344 Valachorum *c*, seu Volscorum natio, rapto vivere assueta, in pecore pascendo et ove nutrienda occupata, agmine facto ex Alpibus, qui Hungariam a Polonia disterminant, in quibus suas exercent pasturas tenentque cubilia, frequenter in oppidum antiquæ Sandecz hostiliter nocte, quo pavidior foret eorum irruptio, insiliebat, et in oppidanos prædas, cædes et spolia, ceteraque nefanda committebat. Quodam itaque tempore, dum ad oppidum præfatum Valachi irrupissent, prædam et spolia de oppidanis acturi, mulier quædam, Martha nomine, crudelitatem eorum evasura, mole impedimentorum ad collum superimposito, cœpit trans flumen, quod minor Danubius, alias Dunajecz appellatur, diffugere. E
Id cum tum undis ex descensu imbrium inflatum esset, suapte etiam torrenter currat, mulierem sarcina prægravatam subita periclitatione fluctibus tumentibus facile involvit.

periculo eripitur.

345 Quæ dum se aquis suffocandam (præsertim cum nemo esset, qui sub caligine nocturna periclitanti ferret remedium) videret; sanctam Dei Cunegundim voce clamorosa invocare cœpit, dicens: Adjuva me, precor, virgo felicissima Cunegundis, in hoc naufragio, et tui patrocinii virtutem mihi, quamvis indignæ et immeritæ, de tuo tamen solatio confidenti, ostende. Vix precatione expleta, adjutam se, et de vorticibus undarum, quibus jam præsuffocabatur, sensit ereptam. Quapropter, intermisso fugæ itinere, ad liberatricem suam beatam Cunegundim accurrens, celebrata in eam actione gratiarum, totum id quod viveret, ejus benignitati et merito asscribebat.

Morbus pedicularis depulsus.

346 Genere nobilis adolescens Paulus, ex vico de Lyoszoszyna ortum ducens, vermium gravi mordacitate et molestia per multitudinem exuberante capitis sui cæsariem nocte et interdiu F
per annos sex continuos corrodente, nulla poterat succorum aut unguentorum arte vel ingenio sanari. Id molestius mater adolescentis Margaretha perferens, sanctæ illum, quo devotius poterat, devovet Cunegundi. Ad cujus invocationem obsecrationemque, per filium et matrem factam, et tabes et vermis ex tot annorum possessione depulsus, ad integrum disperiit.

Dæmoniacus et mutus sibi plane restitutus.

347 Duodennis adolescens Albertus, filius Gregorii cognominati Gagowka, de villa Maszkowycze, dæmonis invasione vexabatur; qui illum, in varias se et horrendas formas transmutans, tam immenso velut adolescentem constringebat terrore, ut nec hiscere nec loqui posset: et loquendi usu amisso, mutus effectus fuerat et elinguis. Cumque cruciatus filii patrem magna tristitia et dolore assidue contorqueret; et spes aliqua evadendi, præsumptio insuper et metus de passionis incremento in oculis et animo parentis obversaretur; filium, qui loqui non poterat, pater

A ter Gregorius sanctæ Dei Cunegundi devovet, pollicens, se, et cum filio, limina Sanctæ visitaturum. Nec ullam, nuncupatione voti expleta, facit moram; sed filium energumenum et mutum secum trahens, ad limina Virginis sanctæ ire pergit. Ad quæ cum pervenisset, et quæ voverat precibus et obsecrationibus multiplicatis explesset, adolescens a dæmone et vinculo linguæ solutus, organa oris in laudem omnipotentis Dei et sponsæ ejus virginis Cunegundis glorificationem, stupentibus et mirantibus cunctis qui aderant, reserat; asserens, sanctæ Dei Cunegundis patrocinium dæmonem territum a se dispulisse.

Moribundus continuo sanatur;

348 Monasterii sanctimonialium antiquæ Sandecz præfatarum in bonis temporalibus procurator Nicolaus, ecclesiæ parochialis in Byeszdzedza Plebanus, infirmitate assidua et gravi oppressus, adeo vehementer urgebatur, ut dierum suorum finem nemo dubitaret appropinquare, omnesque illum prope horam æstimarent moriturum. In agone itaque et in extremo periculo se videns B constitutum, sanctam Dei Cunegundim, ut se de mortis angustia et imminenti exitio eriperet, precari et vota illi pro sua liberatione nuncupare cœpit. Nec deseruit sancta Dei Cunegundis sui cœnobii et vineæ a se plantatæ fidelem ministrum sed laboranti et precanti illico affuit, moribundumque et lethali morbo obnoxium hominem suo merito et intercessione continuo liberavit. At is gratitudinem erga sanctam Dei Cunegundim liberatricem suam ostensurus, festivo die, plebis multitudine præsente, ambone conscenso, suæ sanationis prodigium et Sanctæ Dei sibi præstitum cunctis audientibus solatium patefecit.

item cæcus,

349 Sortis clericalis homo, Petrus de Barcziche, passionem duram et assiduam sustinens oculorum, vi morbi grassante, usu videndi amisso, excæcatus, magno dolore pro amisso lumine torquebatur, in mendicorum conditionem se videns redactum, et stipe aliena et emendicata de cetero victurum. Tandem diebus pluribus in hujusmodi cruciatu mentis et corporis transactis, pietatis et miserationis, quam sancta Dei Cunegundis uni- C versis fideliter illam in suis necessitatibus invocantibus impendere solet, recordatus, ejus se cœpit devovere et recommittere benignitati, pollicens, se illius sanctum numen veneratione perpetua culturum. Ad hanc invocationem caligine effugata et oculorum valetudine, integram se ad invocationem sanctæ Cunegundis oculorum sanitatem, Sanctæ Dei adorato et venerato busto, [adeptum] testabatur.

et puella misere usta lata,

350 Puellaris status femina, Elizabeth, Margarethæ [filia] de nova Sandecz, in ignem copiosum cadens, adeo in singulis membris pedum ignis virtute fuit adusta, ut judicio humano nunquam usum pedum de cetero habitura, sed perpetua putaretur damnanda claudicatione. Mater autem ejus, miserabili filiæ miserabiliter compassa, sanctæ illam suppliciter devovet Cunegundi, pollicens, se illius limina cum filia visitare. Ad quam invocationem, omnis tumor, inflatio et adustio pedum ab ignis magnitudine causata, disperiit, et Elizabeth puella, a tanto periculo soluta, bustum Sanctæ Dei una cum matre Margaretha reddens vota, quæ mater voverat, visitavit.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO. aliæque duæ gravi morbo periclitantes,

351 Viduæ ancillæ, una Dorothea, filia Nicolai de Janyna; altera Barbara, filia Petrassy de Stadla, gravi infirmitate et assidua, etsi sub diversis temporibus diversisque generibus ægritudinis, una tamen et eadem languoris sorte et desperationis conditione torquebantur. In argumentum enim utriusque exitii, dolores vires suas in virus intenderant. Quod cum parentes de filiabus diligentius soliciti advertissent, filiam suam quisque pro se sanctæ Dei devovent Cunegundi, ad limina illius, quamprimum per valetudinem filiarum id possent, profecturi. Ad quam invocationem utrique miseratio divina munifice subvenit; et utraque de grabato a gravi dolore per patrocinium sanctæ Dei Cunegundis liberata consurgens, et ad sepulcrum Sanctæ Dei cum parentibus et oblatione adveniens, voti se et parentes debito expiavit.

sicut et sacerdos,

352 Nicolaus sacerdos, et parochialis ecclesiæ in Jaszowsko rector, a languore gravissimo, dure nimis et anxie diuturno tempore cruciabatur: E in singulis enim membris corporeis a vigore naturali destitutus, sustinebat angores; nec aliquod membrum suum officium satis retinebat. De vita itaque sua, nullis medelis adjuvantibus, desperans; ad sanctam Dei refugit Cunegundim, sperans, se patrocinio [ejus] et merito et a cruciatibus suis et a mortis imminentis periculo liberatum iri: fiducialibus itaque precibus usus, sanctam cœpit invocare, devotius quo poterat, Cunegundim, et vota in suum decus nuncupare. Quibus expletis, fidei, et invocationi suæ festinus et speratus respondit effectus: ab omni enim passione, quam tantopere pertulerat, invenit se integre sanatum, et a mortis imminentis exitio, ad cujus jam limen pervenerat, liberatum.

et rusticus.

353 Laurentius de Poramba, ex agrestium numero unus, viduatæ mulieris filius Elizabeth, morbo gravi correptus, et ægritudine assidue grassante debilitatus, humano judicio propediem credebatur moriturus. Jamque a cognatis et amicis non secus quam mortuus deplorabatur. Quamprimum vero a parente sua Elizabeth et ceteris necessariis fuit devotus, continuo ab omni dolore F liberatus, et ad limina sanctæ Dei Cunegundis cum eisdem profectus, sanctam Dei Cunegundim voto et munere glorificabat.

ANNOTATA.

a *Is est Petrus Wissus, qui sedem Cracoviensem ordine trigesimus secundis, juxta Cæsarium, obtinuit ab anno* 1392 *usque ad* 1412; *quando ad ecclesiam Posnaniensem translatus est.*

b Vladarius, Wladarius, et Bladarius, a Blado *seu tritico, dicitur villicus, cui frumenti cura demandata est; vide Glossarium Cangii.* Sandeczensis *autem* Vladarius *Joannes hic appellatur, quod agrorum episcopalium in tractu Sandeczensi proventui præfectus esset.*

c Valachia *proprie dicta terminatur a Septemtrione Poloniæ regno et Russia rubra, ab Ortu Bessarabia, a Meridie Bulgaria et partim Moldavia.*

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

via. Vide Baudrantium in Lexico geographico, ubi etiam observat, eam esse multo minorem, quam vulgo exhibeant tabulæ geographicæ; quæ in hoc etiam errent omnes, quod ibi Moldaviam collocent, ubi re vera Valachia sita est; ibi vero Valachiam, ubi reapse Moldavia est. Quæ quidem observatio locum hunc Actorum nostrorum non parum illustrat. Notandum vero Volscos, *et* Valachos, *quamvis, si recte voces accipias, sint inter se plane diversi (Volsci enim in Italia degunt;) hic tamen pro eadem Valachorum gente accipi.*

CAPUT XXXV.

Miracula anni MCDVII *et* MCDX.

Moribundæ apparens Beata ei sanitatem offert anno 1407

B

Oppressa duro et diuturno languore vidualis status femina, Pawlyna de Czygunowicze, anno Domini millesimo quadringentesimo septimo, ab omni spe vitæ decidens, quam in ea longitudo ægritudinis peremerat, domum suam moribunda disponebat. Omnis etenim curatio, quæ ad sanandam eam apponebatur, recidebat in irritum. In desperatione itaque ultima constituta splendido amictu vestita virgo beata Cunegundis stertenti magis quam quiescenti illi apparuit, alloquens illam voce clara et intelligibili, atque admonens et dicens : Non secus * ab hac tua valetudine curari poteris, quam si, voto emisso visitandi limina mea, opere votum compleveris. Ea visione, velut oraculo divino instructa, admonitioni paruit; et Sanctam Dei pro sua sanatione interpellans, votaque vovens tunc et in post reddita et reddenda, petitionis suæ et desiderii compos effecta , sanitatem consecuta est plenam et integram.

* *id est* non aliter

Fœtus abortivus animatur.

355 Agnes femina, Nicolai de antiqua Sandecz marita, et ad tempus pariendi perducta, filium produxit abortivum, omnia signa mortis, nulla vitæ, habentem. Cumque puer abortivus et inanimatus sub spatio duarum horarum jaceret in terra non secus quam mortuus, et tam parentibus illius quam cognatis et vicinis desperatio, puerum numquam vivificandum, incessisset; ad omnipotentis Dei miserationes, et ad sanctæ Dei Cunegundis patrocinium, omnibus, qui aderant, conversis, pectora tundentibus, et non tam vocibus quam fletibus sanctam Dei Cunegundim interpellantibus, puerumque abortivum curæ suæ devoventibus, et limina Sanctæ repromittentibus cum oblatione visitare, puer primum oscitare, deinde et suspirare cœpit. Quo viso, procidentes genibus curvatis in terram, sanctam Dei Cunegundim profundo lacrymarum precabantur tam diu imbre, quousque aborsi plena vivificatio pueri provenit.

C

a

Mulier, apparente Beata, eripitur ex aquis anno 1410.

356 Die Jovis, vigesima quinta *a* Aprilis, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo, Bycatha, viduata mulier, alias Byechna, de antiqua Sandecz, curru cum genero suo Petro, oppidano de antiqua Sandecz, et filia sua Catherina, ejusdem Petri uxore, conscenso, ad novæ Sandecz oppidum ad forum pro rebus venalibus comparandis equitabat. Quibus ordinatis, cum in penates suos remearent, familiari, currum et equos regenti, fluvium Poprod propter tumentes fluctus et aquarum exuberantium profunditatem ingredi non auso, Petrus præfatus, temulentus per ebrietatem, quam apud novam Sandecz sub tempore fori contraxerat, parum sanus aurigam nutantem et equos perpulit in flumen ; cujus vorticibus quadriga eversa, et Petro cum Catherina consorte sua in præceps acto atque vadis suffocato ; Byechnæ, socrui suæ periclitanti in sporta et vociferanti pro sua salvatione, candida Virgo in habitu sanctimonialium apparuit; eamque blande compellans, ait : Ad limina mea visitanda te devove, continuo ex hoc naufragio eruenda. Quod cum mira festinantia complesset; eques quidam, per crepidinem fluminis gradiens affuit, et mulierem periclitantem ex gurgitibus eripiens, in ripam pertraxit. Ambo deinde in oppidum antiquæ Sandecz venientes, busto Sanctæ Dei adorato honoratoque, votis et muneribus Byechna mulier, quamvis de generi et filiæ suffocatione mœrens et anxia, laudes mirificas Sanctæ Dei pro sua liberatione evidenti depromebat.

D

E

Adolescens post cœleste monitum

357 Martinus adolescens, Hankonis Czyaszkaglowa filius, de antiqua Sandecz oppidani, in gravem ægritudinem cadens, longo et assiduo morbo torquebatur. Hic, dum languoris sui et debilitatis corporeæ, [morbo] sensim gliscente, conscius, certam sibi propediem mortem imminere, certis argumentis ominaretur ; noctium una mortis meditationem et vitæ desperationem diutius secum volvens, et omnem fere noctem insomnem ducens, in aliqualem soporem post defatigationem carnis et spiritus versus, videt per quietem Virginem venerandam in habitu sanctimonialium sanctæ Claræ ad se venire. Quem stupentem et claritatem ejus admirantem benignius appellat Virgo, dicens : Visne ab hac ægritudine tua sanus fieri ?

concepto voto convalescit;

358 Quo promptissimo animo pronam voluntatem suam, et nihil charius quam bonam valetudinem consequi, denuntiante : Sponde, inquit, te ad limina sanctæ conferre Cunegundis ducissæ, cujus corpusculum apud monasterium sanctæ Trinitatis antiquæ Sandecz jacet sarcophago. Ægro autem, ignorare se, quomodo id per valetudinem perficere posset, respondente ; Virgo sancta manum contra ecclesiam cœnobialem protendens, et manu illam indicans: Eccum inquit, templum est, ad quod te ire jubeo. Ad quam vocem disparente visione, expergefactus æger, cœpit flere, lætitia interna, quam ex visione conceperat, lacrymas illi excutiente. Ex eo autem tempore ægritudine effugata, languidus subito in convalescentiam rediens, tertia expost die perfecte sanatus, templum adiens et certis muneribus et oblationibus Sanctam Dei honorans, curationis suæ insigne, camisiam videlicet, qua sub visionis tempore amictus erat, ad bustum Virginis sanctæ reliquit.

F

uti et mulier epileptica

359 Viduata mulier Margaretha ex oppido Novi fori Cracoviensis diœcesis ortum ducens, morbum epilepticum incurrens, annis quatuor ab illo protendente se morbo per incrementum temporis vexabatur. Hæc plurimum afflictionis ex dedecore tam horrendi morbi, quem etiam propinqui fastidiunt, sustinens; videns se iis omnibus,

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

A bus, cum quibus alias conversabatur, invisam; medelas quoque appositas in nullo profuturas; ad invocandum celebre nomen sanctæ Dei Cunegundis confugit, seque et curationem suam devovere cœpit; devovens, se sepulcrum ejus visitaturam. Ad hanc invocationem omnis illa horrenda gravedo morbi disparuit; et mulier perfectius a suo languore per patrocinium ducissæ sanctæ Cunegundis erepta, in vigilia benedictæ Trinitatis antiquæ Sandecz cœnobium veniens, busto Sanctæ Dei venerato honoratoque, universo populo, qui ad festum diem convenerat, miserationes Domini ad invocationem Sanctæ Dei in sui curatione demonstratas voce publica et sonora declaravit.

Apostema gravissimum dissolutum.

360 Ejusdem nominis et conditionis femina Margaretha de villa Brzeszna, gravi et rara premebatur infirmitate; ad gravitatem autem et raritatem ægritudinis etiam temporis diuturnitas (biennio enim valetudinaria erat) accesserat. Sensibiliter autem habebat apostemationem quamdam in ventre duram et compactam, quan-B titate sua ovum aucæ *b* excedentem, quæ illam multipliciter et varie vexabat. Hæc dierum processu in quatuor pecies *c* divisa, majorem afflictionem ægræ per singulos dies post hujusmodi apostemationis sequestrum *d* efficiebat; adeo ut sæpenumero matrona præfata de vita desperare cogeretur. In tanto itaque periculo constituta, et in ope humana, quæ adhibebatur, frustrata, ad divinum solatium se conferens, sanctæ se cœpit devovere Cunegundi, precando, ut sibi suo patrocinio subveniret. Ex eo autem tempore quadriforme apostema sensim cœpit dissolvi, et adeo diminui; ut infra dies paucos, universo apostemate dispereunte, mulier ad plenum se sanatam lætata, ad sepulcrum Sanctæ accurrens, et quæ voverat solvens, mirabilem omnipotentiam Dei, quæ in ea sananda per meritum sanctæ Cunegundis operatus est, cunctis præsentibus ex ordine dissereret.

Epilepsia sublata;

361 Consors Mathiæ ruricolæ de villa Podrzyecze Elizabeth, nimio dolore anxiata, pro filii sui Stanislai parvuli infantis gravi infirmitate, qui a morbo epileptico anno uno supra semis C ferociter tortus, sub cujusdam diei tempore, morbo illum gravius excruciante, credebatur exstinctus; dum nec halitus in eo remansisset; sanctæ illum devovet virgini Cunegundi. Puer autem taliter devotus, continuo revixit; sed et morbus epilepticus ab eo tempore et deinceps diffugit.

longaque infirmitas.

362 Anastasia uxor Petri agricolæ de Adamowa Wola, dum se longa et gravi infirmitate sciret attritam esse, et humanis remediis frustra ingestis, languide trahendo spiritum desperasset de vita, ad patrocinium sanctæ Ducissæ confugiens, fidelius quo poterat, auxilium illius deprecari cœpit; vovens, se bustum ejus visitaturam. Voto autem vix exacto, ab omni se sensit valetudinis gravedine liberatam. Quæ ad sepulcrum Sanctæ pergens votaque solvens, omnipotentiæ divinæ gratiam, quam ad invocationem sanctæ Cunegundis acceperat, in astantium et præsentium divulgabat conspectu.

Morbus diuturnus

363 Vir nobilis Nicolaus Gladisz Bochnensis, zuppæ *e* dicator *f*, alias carbarius, annis duobus continuis gravem et vix tolerabilem sustinebat infirmitatem; adeo illius pondere, assiduitate et longitudine excruciatus et tabefactus, ut solo spiritu vigente, cetera omnia valetudo depasta, ossa tantum et cutem reliquerit. In statu itaque et miserando et miserabili se videns constitutum, spe etiam qualibet, per quam sibi medelis humanis subveniri posse credebat, dum singula antidota adhibita recidcrent in irritum, [destitutus] audita fama miræ sanctitatis virginis beatæ Cunegundis, in extrema desperatione vitæ constitutus, se illi fideliter et pie, credens ejus intercessione et merito et a cruciatu suæ ægritudinis et a mortis impendentis periculo ereptum iri, devovit; spondens limina sanctæ ducissæ Cunegundis, quamprimum per imbecillitatem posset corpoream, se visitaturum. Ad hanc precationem votationemque notabile sentiens sui corporis lenimen, equo se imponi a familiaribus, propriis non suppetentibus viribus, præcepit. Ad limina quoque sanctæ virginis Cunegundis votum suum expleturus, in Sandecz antiquam ire pergit: illucque in vigilia sancti Joannis Baptistæ pervenit. E

et manuum tumores evanescunt.

364 Habebat et in una manu inflaturam horribilem, immenso dolore illum excruciantem, quæ veteri ægritudini conjuncta, illam geminabat. Nihil itaque apud diversorium moratus, ad ecclesiam monasterii sanctæ Trinitatis se contulit, et circa bustum sanctæ virginis Dei Cunegundis in faciem procumbens, flebiliter et devote patrocinium illius et meritum invocare, et se Sanctæ Dei precatu et intercessione a duplici ægritudine liberari, orare cœpit. Tunc mirum in modum languor corporeus, sed et tumor manus lentescere cœpit; diminutionem autem tumoris altera manu contrectans, etiam illam in tumore notabiliter diminutam, vocatis familiaribus, quatenus curationis suæ et prodigii in eo patrati testes forent, templo egressus, ostendit. Nocte vero insequenti pleno somno, quod durante infirmitate nusquam facere poterat, dormiens, sensit se notabiliter reformatum; unde et altera die, festo videlicet sancti Joannis Baptistæ, illucescente ad templum regressus, prodigiosam suam curationem in conspectu omnium denuntiat. F

ANNOTATA.

a *Forte scribendum fuit* vigesima quarta: *nam illa erat* dies Jovis; *cum littera Dominicalis tum fuerit* E, *ut colliges etiam infra num.* 362, *ubi ultima dies Augusti eodem anno dicitur fuisse dies Solis, sive Dominica.*

b Aucæ, *id est*, anseris; *quæ vox in Actis nostri frequenter occurrit. Adi etiam, si lubet, Cangii Glossarium.*

c Pecies, *et* peciæ *Latine frusta vel partes dicuntur.*

d Sequestrum, *id est, separationem, ut patet.*

e Zuppa *infra cap.* 37 *ab ipso auctore appellatur* mons salinus, *sive salis fodina.*

f Dicator *exactorem indicat, ut ostendit Cangius in voce* Dica, *quæ publicam exactionem significat.*

Exactorem

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

Exactorem autem qui salis tributum exigit, carbarium *appellari ex hoc loco primum didici; nec aliter hoc nomen intellexissem infra cap. 37, ubi recurrit.*

CAPUT XXXVI.

Reliqua miracula anni MCDX, *et alia usque ad annum* MCDXXXI.

Infans pomi frusto præfocatus anno 1410,

Sub ejusdem anni superius descripti, videlicet millesimi quadringentesimi decimi, tempore, die Solis, ultima Augusti, Martina mulier, consors Stanislai, alias Stankonis, de Podgrodze, hortulani, prandio peracto, unius anni proprium infantem ancillæ domesticæ et familiari bajulandum et gestandum per vicum, dato infanti in manum pomo in plures pecies dismembrato, quo B minus fleret, commisit. Qua jussa exequente, infans pomum sugens et unam peciem pomi, bajula parum perpendente, glutiens, gravi ejulatu, qui bajulam primum attentiorem fecit, emisso, subito suffocatur. Quo periculo bajula permota, ad matrem ejus Martinam gradu concito currens, infantis mortem et denuntiat et ostendit. Tum vero miserabilis mater, tam insperato et tristi casu viso, cum sibi et infanti altero remedio succurrere nequiret, in lamentabiles fletus et ejulatus (rabidam crederes) versa, clamorosis etiam vocibus vicum universum complevit. Quo excitati mares et feminæ, cum, quid rei ageretur, ignari, ad monstruosum ejulatum propere convenissent, et infantem, pallore mortifero tinctum, vidissent exanimem, miseram matrem, casu miserando audito, tristes et ipsæ territæque, solabantur.

voto matris reviviscit.

366 Sed cum doloris materni altior, quam qui a consolantibus posset rescindi, foret sensus; nec alio mater misera, nisi pueri vivificatione, solari posset; ad sanctam Dei virginem Cunegundim, multiplicium ejus beneficiorum, sub difficiliori casuum articulo ostensorum [memor], fiducialem C facit recursum, preces et vota ingeminat, infantis mortui precatur non tam voce quam ejulatu, commendans illum et devovens sanctæ Dei Ducissæ, vivificationem. Accipiens post hæc corpusculum infantis mortui in sinum, quasi mortis illius oblita, mater sugendas infanti papillas in os ingerebat; sed dum id aliquoties ab ea attentatum incassum recideret; lacte de papilla expresso, fauces pueri humectabat. Quo nihilo magis proficiente, intervallo modico exacto, cœpit oscitando respirare puer; donec singulis, qui aderant, patrocinium sanctæ Ducissæ invocantibus, ad plenum vivificatus est; matre gaudio immenso exultante. Quæ altero die, vivificatum puerum atque munera, quæ voverat, ad limina Sanctæ Dei deferens, gratiarum actione in divinam majestatem, quæ illam a scelere, infantem a morte liberaverat, celebrata, beatam Cunegundim, ad cujus invocationem liberatio ipsa pervenerat, relatione sui casus mirificabat.

367 Jacobi civis de nova Sandeez oppidani, et consortis suæ Magdalenæ filiola, Margaretha nomine, eum vix anni unius tunc foret infans, D parum provide custodita, ex parte superiori domus, quæ apud Polonos Pianthr appellatur, collapsa, in terram decidit, ex quo casu etsi tunc non exspiravit, sex tamen hebdomadis continuis assidua et gravi ægritudine premebatur: quibus lapsis, sanguinis profluvio de cranea *a*, a per collisionem rupta, adeo manabat large fluor, ut excerebratam eam crederes, et prope horam ex illo tam intempestivo profluvio, cui succurrere poterat nemo, morituram. Cum itaque et casu et assiduo cruoris profluvio infans ad extremam horam semianimis jaceret, et per diem integrum naturalem, ab hora videlicet tertiarum feriæ quartæ usque in diem alterum feriæ quintæ ejusdem horæ, vitam agonizando produxisset; mater pueri, dolore ejus et futuro exitio permota, publica precatione emissa, sanctæ illum devovet ducissæ Cunegundi. Et ex illa hora infans ab agone derelictus et languore, ubere materno, quod alias fastidierat, alitus, dierum processu ad integram per meritum et intercessionem sanctæ Cunegundis pervenit sanitatem. E

Infans, fracto per lapsum cranio, convalescit.

368 Infantilis ætatis femina Gertrudis, ex oppido Biecz Cracoviensis diœcesis orta, in septennio videlicet constituta, lumine oculorum orbata est. In suæ itaque cæcitatis tædio et anxietate diutius posita, crebra ad Deum trahens suspiria, sanctam Dei virginem Cunegundim, fama sanctitatis ejus et magnitudine patrocinii affecta, ad suæ cæcitatis rescindendum opprobrium, devotius et attentius quo poterat, invocabat; pollicens, se sepulcrum ejus visitaturam. Ad quam invocationem diuturna caligine subito effugata, ad lumen longo tempore amissum rediit; deinde limina Sanctæ visitans et vota solvens, beneficium videndi, pietate divina et sanctæ Dei Cunegundis suffragio sibi instauratum, in auribus plurimorum enodavit.

Cæca visum recuperat.

369 Anna, consors Stanislai Radosth, agricolæ de villa Woynarowa, Cracoviensis diœcesis, gravidata existens, et fœtum gestans in utero jam maturum, anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo nono difficultate pariendi diutius torquebatur. Jamque dolor ipse adeo grassabatur; ut et se morituram et prolem certis F indiciis conjiciebat; credens, se fœtum gestare in utero cum utriusque pernicie abortiendum. Anxiatæ itaque et ægre spiritum trahenti in mentem incidit, visumque est accommodum et salutare, ut se sanctæ Cunegundi ducissæ committeret, ejusque solatium in tanto periculo constituta provocaret. Exequitur illico cogitata, et tam se quam fœtum clausum in utero sanctæ devovet Cunegundi. Et continuo opem invocatam sentiens, absque omni difficultate et dolore partum sanum et vivum effudit. Post cujus ablactationem in antiquam Sandecz se conferens, vota quæ voverat, ad tumulum sanctæ Cunegundis reddidit.

Mulier feliciter parit anno 1429.

370 Gregorius, Szanko appellatus, agricola de villa Lapschicze Cracoviensis diœcesis, dolore immenso pedum adeo agitabatur vexabaturque; ut etiam languoris magnitudine gressuum compagines in eo rumperentur; ambulandi autem usu penitus amisso (sive id infirmitatis et doloris magnitudo in pedibus contingens causaverat, sive alius superaccidens morbus) etiam surdus effectus,

Claudus, item claudus simul et surdus sanantur.

A ctus, usu audiendi amisso, duplici anxietate torrebatur. Quem cum herbarum vires nulla ratione sanare valeret, socrus suæ Catherinæ consilio et admonitioni paruit; quæ non minorem dolorem in pede passa, et nonnisi palpitans et manu ad genu superimposita valens incedere, sanctæ virginis Cunegundis invocatione et suffragio fuerat liberata; sanctam cœpit invocare Cunegundim, et se atque suas necessitates in illius patrocinium commendare. Ad quam invocationem subito claudo gressus redditus est et surdo auditus cum priori plenitudine et integritate.

Puella submersa revixit.

371 Heduigis, filiola impubes Joannis molendinatoris de Maszkowicze et Catherinæ suæ consortis, casualiter in fluvium Dunajecz, nullo id perpendente, parente utroque et reliqua familia circa curam domesticorum operum occupatis, decidens, aliquanto tempore a torrente fluvio acta, supernatabat aquis præfocata. Quod cum miserabilis parens Joannes molendinator, aliis significantibus, agnovisset; flumen insiliens, extrahit ab undis filiolam exanimem, vitales tamen
B adhuc spiritus trahentem. Quam mater Catherina flebilius deplorans, suam et filiæ sortem miserata, beatæ Cunegundi virgini devovet, sepulcro suo sistendam. Ad quam invocationem puer suffocatus revixit, patrocinio sanctæ Ducissæ parentibus redditus et vitæ. Qui illum, ut mater voverat, sepulcro Sanctæ Dei repræsentarunt munera offerendo.

Vocis et pedum usus restitutus. b

372 Agnes, consors Andreæ kmethonis *b* de Kunczslowsa, ægritudinis, quam dimidio anno patiebatur, mole et magnitudine concussa, usum loquendi et etiam in pedibus ambulandi penitus amiserat; jacebatque non sine sua et viri sui Andreæ magna anxietate, inutilis effecta, clauda, et muta. A genitrice autem sua Dorothea, ut se sanctæ ducissæ Dei Cunegundi devoveret, frequenti solicitatione admonita, dicto parens, Sanctæ se mente et spiritu, quo devotius potuit, devovet; pollicens, se ejus sepulcrum visitaturam. Et illico solutum est vinculum linguæ et pedum ejus, et ab omni languore sanata sepulcrum Sanctæ adiens, adjutorium magnificum, ad invocationem sanctæ Cunegundis sibi præstitum, sua
C offerebat confessione.

Puer exos et monstri similis

373 Nicolai et Christinæ consortium, oppidanorum de Bochnia, partur monstruosus (genitrix enim Christina anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo primo filium effuderat ossibus carentem et nervis) cum singulis in admirationem, parentibus in anxietatem nimiam et dolorem versus foret; in ætatis quoque processu nullis signis consolidationis apparentibus, alieno ministerio ad singulas necessitates explendas sustentaretur, ac ob id parentibus efficeretur onerosior molestiorque in dies, qui * illum morti suis precibus et desideriis destinabant; per viros autem notabiles Pelkam Gladisz, et filium ejus Paulum Gladisz *c*, de infantis monstruositate, et parentum anxietate specialem compassionem habentes, admoniti, consulti, et persuasi, sanctæ Cunegundi inossatum puerum devovent; votoque emisso, ad limina sanctæ Virginis cum illo, comitantibus illos Pelka Gladiscz et Paulo Gladiscz, pergunt.

** melius hi*

374 Quo cum pervenissent, et tam per parentes quam per plurimos mortales, qui coram aderant, et monstruositatem pueri manibus et oculis attrectabant, multiplex obsecratio ad Deum et sanctam ejus virginem Cunegundim ederetur, miranda bonitas divina ad invocationem Sanctæ suæ confestim affuit; cujus nutu puer inossatus, cunctis videntibus et ad tam insolitum spectaculum stupentibus, in singulis membris consolidatus et organizatus, erigens se, stetit; qui alias nec caput, nec manus, nec pedes, sed nec cetera membra, valebat porrigere. In testimonium autem et in majorem curationis suæ experientiam, pomum stanti puero remotius projectum est; quod illico, figendo recte ac debite gressus, insecutus apprehendit; et omne dubietatis vulnus circa suam curationem, quod nonnisi cœlesti virtute ad sanctæ Cunegundis ducissæ invocationem provenerat, amputavit. Hujus autem prodigii tam celebre ostensum, viri præfati Pelka et Paulus Gladisz, pater videlicet cum filio, qui non auribus illud hauserant, sed oculis perviderant, jurejurando accidisse in veritate affirmabant.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO. ossa et membrorum omnium usum accipit.

E

ANNOTATA.

a Cranea *pro cranio sive galea capitis, cerebrum continente.*

b *Vide supra cap.* XXXI, *ubi eadem vox jam recurrebat, in Annotatis ad litteram* c.

c *Is ipse, opinor, de quo capite sequenti num.* 376. *Scribitur autem modo* Gladisz, *modo* Gladiscz.

CAPUT XXXVII

Miracula ab anno MCDXXXI *usque ad annum* MCDLXIX.

Incendium, salis fodinis Bochniensibus.

Montes Salinos, seu zuppas salis, in oppido Bochnensi Cracoviensis diœcesis sitos, ignis ab uno latomorum, sive montanorum, sine quo propter perpetuam caliginem montium opus et labor effodiendi sales perfici nequit, improvide et casualiter derelictus, cum incendisset, latiusque manans incendium, singulas cameras *a* montium irremediabiliter torreret; sed nec periculo tanto, ingenio humano posset succurri, quamvis frequenter tentatum, diligentissime ingeretur (singuli enim ad communis thesauri rescindendum incendium, suas promptissime novabant operas :) verum * studia humana igne pervincente, singula remedia recidebant ad irritum. Montium enim illorum ea est dispositio et series, ut omnia loca, salium extractione evacuata, ne ex superiori parte terra premente et dehiscente, corruant, et ruina sua operarios involvant, trabibus prælongis, quasi quibusdam columnis, non secus quam testudines sustententur necesse sit. Fumabant itaque continenti incendio, quasi clibano, montes universi, lateque vomebant flammas,

a ** verum redundat*

mas, communisque thesauri locus et regni Poloniæ tam utilissimum diversorium perpetuo ab universis credebatur periturum.

invocata B. Cunegunde b

376 Erat pro ea tempestate Nicolaus Seraphin de Dambrowka, Gladifer Cracoviensis *b*, zupparum ambarum, Vieliczensis videlicet et Bochnensis, rector *c*, genere nobilis, vir frugi liberalis et comis; qui ceteris amplius de casu hujusmodi incendii excruciabatur; veritus, ne hujusmodi montium improvida succensio ad sui capitis periculum recideret. Unde et pro restringendo incendio fortissimos conatus, utcumque poterat, adhibebat. Sed cum videret, quia illos ignis moles vinceret potentior, in quamdam pene desperationem vertebatur. Cui in tanta anxietate constituto Paulus Gladiscz, tunc carbarius *d* Bochnensis, salubre dedit consilium, quatenus ad sanctam Dei virginem et Poloniæ ducissam Cunegundim, cujus ipse Paulus Gladiscz in pluribus suis necessitatibus expertum se firmabat solatia *e*, faceret fiducialiter recursum: fieri enim non posse astruebat, ut sancta Dei Cunegundis exorata, locum tam necessarium et frugiferum permitteret consumi, quem, dum viveret, sua prece et merito obtinuerat fundari *f*.

B

per supplicationem solennem,

377 Qui, in clementia Dei reposita fiducia, cum esset ab omni humana destitutus, sano Pauli Gladiscz præfati parens consilio, ad sanctæ Cunegundis limina protinus, emisso voto, iter arripuit. Et cum consorte sua Ursula, femina religiosa, Dobeslao Kmytha de Visznycze, viro insigni et nobili, expost in Castellanum Lublinensem *g* provecto, Paulo Gladiscz præfato, aliorumque hominum haud parvo comitatu, in antiquam Sandecz venit, variisque et multiformibus precibus, ad sanctam Dei Cunegundim, ut ortum per suam intercessionem et meritum apud Bochnensem zuppam restringi efficeret incendium, per seipsum et suos comites, sed et per sanctimoniales, et fratres Minorum loci illius, devotius quo poterat, interpellabat, offerens in decus et honorem sanctæ Virginis, loco illi et cœnobio ac sanctimonialium cœtui salis bancos *h* decem, item Polonicales quinque marcas, tapete nobile*, et quamplures ad sanctæ Dei Cunegundis tumbam ardentes et arsuros cereos.

* an tapetem nobilem?

C

mirabiliter exstinctum.

378 Extulit autem et tunc magnifice clementia divina sanctam suam et sponsam Cunegundim; et ad ejus invocationem petita concessit. Vim etenim virtutis suæ sub tempore, quo per Nicolaum zupparium *i* et suos explebatur peregrinatio, oblitus est ignis, et ardens conquievit clibanus, omni prorsus incendio effugato. Itaque Nicolaus zupparius præfatus a liminibus Sanctæ reversus, et omnibus spebus suis lætanter perfunctus, singula Bochnensia montana ab omni ignis voragine invenit absoluta.

Græci ritus asseclæ moribundo apparens Beata anno 1446, k

379 Sophia, Poloniæ quondam regina, et Vladislai secundi Poloniæ regis relicta *k* apud novæ Sandecz oppidum, quod illi ad vitam dotalitii nomine concessum fuerat, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto agente, Cosmas, alias Kuszma, cubicularius suus, et in suis obsequiis annis aliquot versatus, sub obedientia et ritu Græcæ ecclesiæ (Ruthenus enim erat natione) degens, gravem incurrit infirmitatem; quæ illum diutius quassatum, ad limen mortis perduxit. Unde et præfata regina Sophia ex nova Sandecz discedens, illic eum, non secus quam propediem moriturum, dereliquit: nullius enim membri, ab immensa ægritudine debilitatus, habens usum, alieno ministerio ad singulas necessitates explendas ferebatur. Agonizanti autem et de vita desperanti, et noctium una, in qua se crediderat vita excessurum, vigilanti, miræ venustatis et raræ pulcritudinis femina, ignota ei et numquam ab eo visa, in amictu splendido et candidato apparuit, eique dixit: Vis sanus fieri? Qui magno gaudio repletus: Summe, inquit, et omni cordis mei desiderio ferventissime cupio, si quo modo id effici posset, sanum me fore.

D

eum converti et baptizari jussum sanat.

380 Ad quem beata Femina: Desiderium tuum, et, quam optas, incolumitas, aliter scias nullatenus proventura tibi, donec Latino ritu, Græco abjecto, baptizeris *l*, et in locum depositionis meæ, ubi corpus meum quiescit, concesseris. Cui æger respondit: Quænam es tu, o Domina, tam speciosa et nitida, quæ ad me consolandum, sanandum et instruendum advenisti? Ego sum, inquit, Cunegundis, Poloniæ ducissa, monasterii sanctimonialium sanctæ Trinitatis antiquæ Sandecz Ordinis sanctæ Claræ, in quo corporaliter quiesco, fundatrix. Quo dicto, disparuit. Et æger stupens, et de visione, quam viderat, secum volvens, continuo oraculo paruit. Susceptoque apud collegiatam sanctæ Margarethæ Sandeczensem ecclesiam baptismate, ab omni infirmitate subito exutus, sepulcrum sanctæ Dei Cunegundis personaliter adiit, donisque honoratum divinitatis beneficium mirificum, quod illi, nec expetenti quidem, per electam sponsam et virginem Cunegundim contulerat, vulgavit.

E

Oculorum dolor exstinctus anno 1469;

381 Sanctimonialium antiquæ Sandecz notarius et domesticus familiaris, Stephanus, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, gravi oculorum tactus ægritudine, cruciabatur dolore assiduo et immenso. Is in annum unum productus, desperationem illi de recuperando sano lumine ex diuturnitate temporis ingerebat. Vario itaque mentis æstu quassatus, et intra se tacitus recogitans atque dicens: Quanti ægri ad sepulcrum sanctæ Dei virginis Cunegundis assidue curantur; ego solus intraneus et domesticus curationis hujus expers ero? Et continuo consurgens, et sepulcrum Sanctæ adiens, vovit, se Missam unam, quæ in decus Sanctæ legeretur, conventurum. Ad quam invocationem precationemque Stephanus præfatus sanatus, sanationis suæ seriem, sanctam Dei Cunegundim auxiliatricem suam magnificans, propria manu conscripsit.

F

uti et pedum gravissimus cruciatus;

382 Martinus, lutifiguli Joannis de Piecz et Margarethæ consortis suæ filius, tam gravem morbum et dolorem in utroque pede anno integro perpessus est; ut etiam viginti ossa, ex pedibus virtute doloris excussa, deciderent. Ad sanctæ tandem Dei Cunegundis sepulcrum, humanis medelis nullam salubritatem afferentibus, votus, integræ sanitati redditus, solvens votum, in antiquam Sandecz venit, gratiarum actiones in suam celebrans liberatricem.

item capitis et oculorum;

383 Stanislaus agricola de Solkowicze Cracoviensis diœcesis, dolore capitis valido adeo excruciatus et quassatus fuit; ut ex pressura doloris

A ris unius oculi videndi usum amitteret. Fiducia tandem in omnipotentis Dei clementia et in sanctæ Dei Cunegundis patrocinio reposita, suppliciter illam invocare, seque illi devovere cœpit ; et continuo, voto emisso, liberatus, Sanctæ Dei limina visitans, dolore effugato, etiam in oculo accepit restaurationem. A simili insuper capitis dolore Catherina femina de Dambrowa per longi temporis spatium vexata, voto visitandi limina sanctæ Cunegundis emisso et soluto, continuo se sensit liberatam.

et viscerum : et partus.

384 Nicolaus ruricola de Pyantzkowa Cracoviensis diœcesis, ventris corrosione gravi et assidua hebdomadis sex tortus, cum nullis remediis juvaretur humanis, ad virginem Dei Cunegundim fiducialiter fecit recursum; seque ejus sanctitati devovens, sui doloris precabatur ejus intercessione et merito dissolvi pressuram. Ad quam invocationem omnis illa tam sæva et assidua tortura illico disperiit ; et æger Sanctæ Dei bustum, quemadmodum voverat, adiens, omnipotentis Dei clementiam in sancta sua Cunegundi B mirabilem benedixit. Ejusdem insuper vici Piantzkowa femina Catherina, non valens parere, diutius fœtus retentione torta, auxilio divino per nomen sanctæ Cunegundis suppliciter invocato, pariendi difficultate soluta, sana ipsa sanum fœtum enixa est.

ANNOTATA.

a Cameræ *dicuntur antra non parum spatiosa, exciso egestoque sale excavata ; ut vide apud laudatum, supra cap.* 13, *Vadianum.*

b Gladiferi Cracoviensis *dignitas atque officium aulicum erat, principi, quoties intra tractum illum in publicum cum pompa procederet, gladium præferre; idemque est de aliis per idem regnum gladiferis; quamquam* nunc *(ita de suo tempore scribit Cromerus lib. de republica et magistratibus Polonorum)* solum nomen, nudumque honorem retinent.

c Zupparum *seu salisfodinarum rector aut præfectus, infra* zupparius *dicitur, quod proprium ipsi* C *nomen esse apud Polonos, docet Vadianus; et Cromerus lib. de republica et magistratibus Polonorum tradit, eum appellari* zupparium Cracoviensem, *qui salinis tam Bochniensibus quam Veliscensibus præest.*

d *De* Carbario *vide dicta superius cap.* 35 *littera* f *in annatatis.*

e *Nam et præcedentis miraculi testis fuerat oculatus, ut ibidem observari.*

f *Vide supra cap.* 13.

g Castellani, *inquit citatus paulo ante Cromerus,* quasi legati sunt palatinorum, ductoresque et præsides nobilitatis sub suo quisque palatino. Appellantur autem castellani... a castellis sive oppidis eorumque territoriis, quæ singuli habent attributa; *etc. quæ apud ipsum legi possunt.*

h *De* Bancis *salis dixi supra cap.* 13.

i *Vide dicta mox ad litteram* c.

k Sophia, *ante baptismum* Zonca, *vel* Soncza, *Andreæ Kioviensium ducis filia, abjecto Græcorum ritu Romanam atque catholicam amplexa fidem, cum* Wladislao, *Poloniæ rege ejus nominis* secundo, *cognomento vero* Jagellone, *matrimonium iniit anno Christi* 1422, *cujus quarta fuit uxor. Obiit anno Christi* 1461 ; *adeoque marito superstes diu fuit, qui vivere desierat anno* 1434.

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

l *Cur vero baptizari ritu Latino debuit, qui ritu Græco baptizatus ante fuerat? Scio, idem esse factum in ipsa Sophia, cum ad Ecclesiam Romanam accederet, antequam ad nuptias Wladislai progrederetur; sed hoc factum est anno* 1422, *hoc est, multis annis ante, quam Græcorum forma baptizandi esset ab Ecclesia catholica in concilio Florentino per decretum Eugenii PP. IV ad Armenos approbata tamquam valida ; at hæc apparitio decreto illo, ut liquet ex numero præcedenti, posterior fuit. Nec refert quod aliqui etiam post hæc tempora Græcorum baptisma rejecerint, ut patet ex constitutione Alexandri PP. VI de Ruthenis, qui ad Ecclesiam Romanam convertuntur, apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1501, *num.* 37; *ubi valorem baptismi Ruthenici, hoc est, Græci, ex concilio Florentino confirmat, vetatque iterari : non refert, inquam, tales repertos esse post concilium jam dictum, qui Ruthenos, ad Ecclesiam* E *accedentes, ritu Latino tingendos esse contenderent : nam illi homines erant, errori juxta atque ignorantiæ, aut etiam contumaciæ obnoxii ; verum hoc loco de* B. Cunegunde *in cœlum pridem recepta sermo est, in qua nihil vitii licet admittere. Censeo ergo, vel Cosmam hunc nostrum non fuisse antea apud Russos rite, etiam Græcorum more, baptizatum (multi enim apud eos errores irrepsisse memorantur, qui ecclesiæ Græcæ, seu Constantinopolitanæ non congruebant;) vel si rite baptizatus fuerit, dicendum est, Beatam nostram ei quidem Romanam communionem suasisse; at de iterando baptismate non meminisse : atque hoc episodium ab auctore Miraculorum de suo adjectum esse, qui forte eorum unus fuerit, quorum sententiam Alexander in sua Constitutione reprobavit.*

CAPUT XXXVIII.

Reliqua miracula B. Cunegundis, usque ad annum MCDLXXI; *et apostrophe auctoris ad Beatam.* F

Puella, quæ scabiem celaverat, in religionem admissa,

Sanctimonialium monasterii prædicti antiquæ Sandecz una sororum, Nicolaa, alias Michna Bobowska, Ordinis sanctæ Claræ, ab ætate ineunte et ab ipso suo nativitatis ortu caput habens pluribus infectum morbis, cæsariemque scabiosam, nullis medibilem herbis, remediis, aut succis, (ob quam unam deformitatem a parentibus monasterio sanctimonialium fuit tradita, ægritudine tam incurabili, ne assumptio ejus a sanctimonialibus recusaretur, suppressa) seculo enim propter tam fœtidam scabiem, quod omne indecorum fastidit, et inepta videbatur et infructuosa; religioni et cœnobio, in quo scabies ipsa latere et opprobrium ejus facilius occuli posset, releganda.

malo erumpente, misere torquetur;

386 Verum in monasterio annis aliquot constituta, et procedente ætate morbida scabie sensim

AUCTORE JOANNE DLUGOSSO.

sim invalescente, in publicum serpens vultum, faciem et supercilia ejus occupabat. Quapropter molestior onerosiorque et sororibus et sibiipsi in dies efficiebatur, fastidientibus et in contemptu illam habentibus sororibus, et ab ejus abhorrentibus in choro, mensa, capitulo ceteroque convictu, conversatione. Id etsi virgini præfatæ satis pœnale fuerit; amplior tamen illi incesserat cruciatus, quoniam verebatur, se aut ejiciendam de monasterio, aut a participatione sororum excludendam. Ad cujus rei cogitatum converso respectu, mortem ducebat vita potiorem. Sub hac anxietate carnis et spiritus constituta, natalis Salvatoris nostri dies anno Domini millesimo
a quadringentesimo septimo *a* cum illuxisset, conditionem suam et despectum, miserabilemque statum recogitanti mœror primum ingens suffusus est, deinde fletus, fluebantque per genas lacrymæ largo imbre et profundo mœrore.

sed ad Beatam confugiens,

387 Quibus exsaturata, ad sepulcrum se beatæ virginis Cunegundis sub ipso temporis articulo, quo Missa prima de Natali Domini in galli
B cantu, Dominus dixit ad me, inchoabatur, contulit; et in crucis modum prostrata, pietatem Altissimi per meritum et intercessionem beatæ Cunegundis suppliciter non tam voce quam fletu et ejulatu invocabat, petens se de illius ægritudinis opprobrio sanatione vel morte ereptum iri; devovens dies Lunæ, alias secundas ferias, per anni unius circulum quadragesimali jejunare abstinentia, et ambitum intestinum monasterii serpendo genibus et palpitando manibus in honorem Dei et virginis Mariæ Matris ejus et electæ ejus famulæ Cunegundis circuire.

vurgatur subito ac sanatur.

388 Ad cujus voti emissionem, miro mox modo ab omni scabie, ulcere et putredine se sensit sanatam, non sine sanctimonialium profundo gaudio et stupore, quæ et sorori conlætabantur de bona valetudine, et sanctam Dei Cunegundim in sua intercessione et suffragio mirabilem prædicabant. Impositum fuit deinde eidem virgini sanctimoniali Michnæ, sic mirabiliter sanatæ, per Abbatissam cœnobii dispensatricis officium, ut ceterarum serva et ministra existens, et in
C cibos atque necessitates sororum facultates monasterii expendens, magnalia Dei in sancta ipsius Cunegunde universis sua curatione testaretur.

Mater filium epilepticum suffocare meditans,

389 Primogenitus Andreas, Mathiæ, dicti Korzen, et Margarethæ conjugum de Golkowicze Cracoviensis diœcesis, sortis rusticanæ infans, ab ortus sui tempore annis aliquot morbum epilepticum, dure et graviter tortus, patiebatur. Cujus assiduam et horrendam passionem genitrix ejus Margaretha frequentius contemplans, tanto pavore et dolore concussa rapiebatur; quod infantem ipsum, quamvis ex se genitum, non secus quam satanam pertimescebat, nec illam filii, licet longa et horrenda infirmitas, quantum assiduus et numquam quiescere aut remitti sciens metus, adeo decoquebat perurgebatque, ut filium præfatum undis suffocare, quamprimum id per opportunitatem temporis posset, certo et deliberato animo destinaret.

absterretur in somno; et ad B. Cunegundis reliquias missa

390 Cui in hoc proposito perseveranti, et occasionem temporis, quo destinata exequeretur, observanti, socrus sua Anna, quæ ante annos aliquot diem obierat, per quietem apparuit, monens illam atque dicens : O mulierum infelix at- D
que miserrima ! ut quid scelus ingens paras committere? Ut quid innocentem et ex te genitum conaris perdere, animam tuam baratro perpetuo detrusura? Redi, misera, ad cor; et assumens tibi contritionem et planctum, quæ pessime cogitaveras, emenda. Assumpto quoque puero, perge ad monasterium sanctimonialium antiquæ Sandecz, et illum sepulcro beatæ Cunegundis repræsenta, per clementiam omnipotentis Dei et gloriosæ virginis Mariæ Matris ejus, per suffragium quoque et meritum sanctæ Dei Cunegundis, ab omni clade et languore liberandum.

filio sanitatem impetrat; ac deinde sibi.

391 Huic visioni cum mulier paruisset, infans Andreas juxta oraculi præostensionem, a morbo caduco liberatus, sanitatem illico adeptus est plenariam. Eadem insuper mulier Margaretha Korzeniowa de Golkowicze, oculorum gravem dolorem per anni medii spatium passa, dum vehementes cruciatus, medelis non succurrentibus, illam assidue urgerent; ad limina sanctæ Cunegundis in monasterium antiquæ Sandecz se cum E
oblatione pedibus ituram devovit; et omnis dolor illam subito reliquit.

Mater ac duo filii moribundi anno 1471

392 Die Solis, vigesima prima mensis Aprilis, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, Margaretha consors Conradi, alias Klosz, oppidani de nova Sandecz, gravem infirmitatem incurrens, morbo quotidie invalescente, in grabato propediem se moribundam existimans, decumbebat. Ægritudine insuper usque ad cordis penetralia ascendente, seminecem illam, ut erat, cognati et familiares deplorabant. Cui taliter oppressæ, etiam duorum filiorum suorum, infantilem ætatem agentium, infirmitas, usque ad exhalationem spiritus illos excrucians (uterque enim morbis pestiferis, inflatis et turgentibus circumdatus volutabatur ejulans) accedebat et geminabat dolorem, maximamque illi, ne sub uno tempore duorum filiorum intueretur funera, injecerat curam. Emori se proprius, et infantes superstites relinquere malebat, vita sua ducens eos chariores.

simul omnes sanantur.

393 A circumstantibus itaque, et qui illius miserabantur conditionem, instincta, omnem fi- F
duciam suam in præsidio cœlesti et beatæ Cunegundis suffragio reponens, seipsam et filios tam miserandos quam miserabiles sanctæ Dei Cunegundi cum omni pietate et devotione cœpit devovere; pollicens, se limina Sanctæ Dei cum oblatione solenni et utroque adolescente filio quamprimum visitaturam. Non obturavit aures suas sancta Dei Cunegundis ad hanc tam supplicem et humilem invocationem; sed tam matri quam filiis subitam et evidentem, per sponsi sui cœlestis Jesu Christi [clementiam] ineffabilem, expetitam præstitit sanitatem. Cui sit honor, laus, et gloria. Nobis autem et universis Orthodoxæ fidei cultoribus, salus, vita et æterna retributio in secula seculorum. Amen.

Apostrophe auctoris ad B. Cunegundem.

394 Ecce, illustrissima Virgo, tuos ortus actusque et facta mirifica verbis licet jejunis et aridis, utcumque languidum ingenium meum attolere se in laudem Creatoris et decus tuum potuit, contexui. Ecce, Virgo colendissima, castissimos et memorabiles ignes tuos perpetuo præconio mandavi. Ecce, Virgo nobilissima, magnitudinem

A tudinem virtutum tuarum, etsi non ad integrum, pro mea tamen tenui et pusilla qualitate, descripsi. Recordare, obsecro, pia mater et patrona Virgo gloriosa et suffragatrix magnifica, recordare, quæso, universæ congregationis catholicæ, et Christi sanguine redemptæ vineæ, hæreticorum perfidia et barbarorum sævitia, nostris sceleribus Omnipotentem provocantibus, sub nostra ætate plus solito gravius afflictæ; recordare nationis nostræ Polonicæ et Pannonicæ, Tartarorum et Turcorum immanitate oppressæ; recordare postremo mei, immeriti licet servitoris et cultoris tui, peccatorum labe multipliciter depravati; et sacris tuis precibus atque suffragiis propitiationem nobis obtine et gratiam divinæ pietatis: ut miseratus populo suo, allidat brachium sui nominis hostium; hæreses et schismata interimat; regna Polonica et Pannonica ceteraque catholica regna, principatus et dominia erigat, et subjectas illis faciat omnes barbaras nationes; indulgentia quoque facinorum, et temporum tranquillitate concessa, dirigat omnes
B sua clementia in viam salutis æternæ, Trinitatis benedictæ speculum, tecum una et ceteris Sanctis tuis consortibus perpetuo visuros. Amen.

Finit Vita beatæ Cunegundis, ducissæ regni Poloniæ, filiæ Belæ Hungariæ regis, edita a Joanne Dlugosch seniore, canonico Cracoviensi, scripta manibus Christophori de Dambowzdal. Anno Domini MCDLXXV die Saturni, prima mensis Julii, in castro Cracoviensi.

ANNOTATA.

a *Puto legendum esse* septuagesimo; *ne ordo temporis huc usque in miraculis ab auctore servatus, hoc uno loco subverti sine causa credatur.*

C

MIRACULA

B. Cunegundis recentiora.

CAPUT I.

Miracula ad Beatæ invocationem facta ab anno Christi MDXXXII *usque ad* MDXL, *ex primo processu inquisitionis super vita et miraculis Beatæ.*

a b *Sanantur dolores capitis et oculorum; resuscitatur mortuus.*

Anno Domini MDXXXII *a*, quædam mulier de Myslkow *b* laborans magno dolore capitis, alias strzykaniem, quam cito vovit visitare tumbam B. Cunegundis, sanata efficitur.

Quædam mulier de Swidniko laborans magno dolore oculorum per unum annum, quamprimum votum fecit, sanata est.

c Quædam mulier de Jaslo *c* habens parvum puerum, volens illum balneari, posuit illum in aquam, et exivit de domo una cum viro in hortum; postea veniens, invenit illum submersum in illa aqua. Ille puer per unam diem mortuus jacuit; parentes vero lamentantes, implorabant auxilium Dei omnipotentis, ac gloriosæ Virginis Mariæ, et aliorum Sanctorum. Illa nocte apparuit utrique B. Cunegundis in somno, dicens: Festinate ad tumbam corporis mei; et ego impetrabo vitam puero. Illi resuscitati a somno, trepidantes, mox votum fecerunt visitare tumbam S. Cunegundis cum candela et Missa; et interim puer revixit, flens voce magna. Illi laudantes Dominum Jesum, votum compleverunt; quod manifestum est omnibus. *Ex processu primo ms.*

2 Anno Domini MDXXXIII, quædam puella Catharina de Niedzwiedzie, habens dolorem capitis, alias zastrzal, quam cito vovit visitare tumbam B. Cunegundis, sanata circa sepulcrum. *Sublati dolores capitis, oculorum, partus, paralysis; mortuus suscitatur.*

Joannes, de Msana, laborans dolore capitis, alias zastrzal, quam cito vovit visitare sepulcrum S. Cunegundis, restitutus sanitati.

Item Catharina puella de Niedzwiedz laborans dolore capitis maximo, alias zastrzal, promisso facto, sanitatem recepit. E

Item de Msana Adam Lisowicz infectus paralysi, quamprimum votum fecit visitare tumbam S. Cunegundis cum una oblatione, sanatus.

Item Garstha de Poramba, cecidit de stuba *d*, et uxor invenit eum semimortuum. Jacebat per triduum mortuus; cum autem uxor promisit visitare tumbam S. Cunegundis, resuscitatus laudavit Dominum; et fuit circa tumbam Sanctæ personaliter. d

Item Anna mulier de Nawoiowa, curabatur *e* visu per septem annos; quamprimum votum fecit visitare tumbam S. Cunegundis, restitutus erat illi visus oculorum, et erat in loco sacro. e

Item Felicis uxor de Mogilno, circa partum cruciabatur per tres dies; dum autem promisit venire cum oblatione ad tumbam S. Cunegundis, mox peperit sine magno dolore.

3 Anno Domini MDXXXIV, Catharina de Bobowa, per unum annum carebat visu oculorum; et dum promisit visitare tumbam S. Cunegundis, sanata erat. *Curantur cæcitas, angina, confractio, epilepsia, pedum debilitas, febres:*

F Item Adam de Witkowka, habens magnum apostema in gutture, propter quod non poterat diu loqui; dum jam agonizaret, convenerunt ad eum vicini, et aliqui commendabant amicum suum Deo, alii autem offerebant eum cum Missa ad tumbam S. Cunegundis. Dum hoc facerent, ruptum fuit apostema, et sanus factus est.

Item Jacobus Pæka ceciderat de arbore, et erat confractus, semivivus in silva inventus; dum autem promisit visitare tumbam S. Cunegundis, sanitati restitutus est.

Item Biala Janowa, alias uxor mariti, qui vocabatur Albus Joannes, de Piætkowa, habebat filium, qui patiebatur morbum caducum; dum illum promisit cum Missa, et candela, erat liberatus et sanatus per merita hujus Sanctæ.

Item Mathias de Wola Kurowska, habuit filium, qui non ambulabat sex annis, nec stare potuit in pedibus; dum autem illum promisit ad S. Cunegundis tumbam, mox percepit gressum.

Item Joannes de Sienna patiebatur febrem per sex

EX PROCESSU PRIMO MS.

sex annos; dum autem promisit visitare tumbam S. Cunegundis, sanus factus est.

Item de Msannica a Grybow Joannis uxor carebat visu oculorum septem annis; dum autem ex voto conducta fuit ad tumbam S. Cunegundis, aperti sunt oculi ejus.

liberantur surdus, rei duo pœna capitis, confracta mulier, et in partu laborans;

4 Item Laurentius, de Msanka surdus erat per septem annos; dum autem promisit visitare S. Cunegundem cum candela, auditum recepit.

Item Matthæus de Scepusio, erat incarceratus ab Alemanis, et ad decollandum condemnatus; dum autem duceretur ad locum supplicii, commendabat se B. Cunegundi. Et, ecce, miraculose erupit ex manibus carnificis, de medio satellitum et turba magna; nec ab ullo fugiens fuit visus, aut insecutus. Quod totum circa tumbam B. Cunegundis, ad quam recte venit, manifestavit.

Item Martinus de Graboszycc, erat vinctus in Hungaria in castro Moravii, et pœna capitis damnatus; eductus ad locum supplicii, petiit B. Cunegundem, ut sibi impetraret prolongationem vitæ; nec frustratus est spe sua: nam carnifex

B

postquam ad ictum exemit gladium, obcæcatus mansit, et obriguit, nec decapitandum videre potuit; Martinus autem ita obtenebratus remansit, quod, nullo vidente, ex loco supplicii abierit; et Sandeciam pro gratiarum actione ad B. Cunegundem venit, et declamanda gratiarum summa, per intercessionem hujus B. Virginis obtenta.

Item quædam mulier habens fractam manum, dum fecit ceream, et promisit visitare tumbam S. Cunegundis, sana facta est.

Item Sophia, de Olszana, circa partum laborans, nullo modo poterat parere; dum autem in illo dolore invocavit S. Cunegundem, et votum fecit visitare cum puero suam tumbam, peperit feliciter.

item moribundus, captivus, hydropica:

5 Anno Domini MDXXXV, quidam juvenis de Siedliska, laborans magna infirmitate in toto corpore, qui etiam amiserat loquelam; cum vero parentes ejus contrito corde promiserunt ad tumbam S. Cunegundis, cum candela ex cera ad longitudinem staturæ suæ, recepit sanitatem; et erat ad Sanctæ tumbam in persona.

Item quidam homo in captivitate exsistens, ex

C

qua non sperabat exire, cum votum fecit visitare tumbam S. Cunegundis si liberaretur, obtinuit libertatem.

Item Barbara de Zbæk laborans hydrope in toto corpore, post votum visitandi cum candela tumbam S. Cunegundis, sana facta est.

sanantur manus, pedes, caput, oculi, pustulæ, icterus, hæmorrhoïs, hydrops, tremor, epilepsia:

6 Anno Domini MDXXXVI, Barbara de Moszczenica, habens fracturam in manibus, dum visitare [statuit] cum candela tumbam S. Cunegundis, sana facta est.

Item Catharina de Doluszkowa, patiens hydropem in toto corpore, voto facto ad hunc locum, restituta sanitati.

Item Catharina de Cieskowice habens dolorem in pedibus, voto promisso, posthac completo, sanata.

Item Dorothea de Ostrza, laborans capite et oculis, voto facto, posthac completo, sanata.

Item Andreas de Chrzana habens in se malas pustulas, cum votum fecit devote visitare tumbam S. Cunegundis, sanatus est.

Item Apollonia de Szatkowka patiebatur fla-

D

vam infirmitatem *f* per multa tempora; cum autem promisit visitare tumbam S. Cunegundis, sanitati restituta.

f

Item Andreas Skiba laborans magna infirmitate per multa tempora, et vehementi dolore capitis, propter quem et auditum amiserat, facto voto visitandi S. Cunegundem, sanus factus est.

Item Stanislaus de Palecznica patiebatur fluxum sanguinis; voto satisfacto, sanatus est.

Item Anna Bolechowka habens membra trepidantia, post votum sanata.

Item Sophia de Brzezna patiebatur morbum caducum, voto devoto * facto, visitandi cum candela sepulcrum S. Cunegundis, restituta sanitati.

* *an* devote?

moribundi, amens et muta; ex pedibus, hydrope, membris omnibus, laborantes restituuntur;

7 Anno Domini MDXXXVII, quædam mulier de Siedliska habens duos filios juvenes ligatos magna infirmitate, in qua jam loquelam amiserant; quamprimum mater miserorum promisit illos præsentare ad tumbam S. Cunegundis, sanitati restituti. Et erant ambo ad tumbam laudantes Dominum.

Item Catharina ancilla de Msana ex districtu Myslinicensi *g*, amens facta, et loquelam amisit; et cum mater ejus promisit eam præsentare ad tumbam S. Cunegundis, sana facta est; et erat hic personaliter.

E

g

Item Dorothea de Nawoiowa habuit corrosiones in pede, quod nullo modo potuit ambulare; cum autem votum adimplevit, sana facta est; et erat hic personaliter, absque dolore.

Item quidam homo de Podobin habens hydropem in toto corpore per totum annum, quamprimum votum fecit devote visitare tumbam S. Cunegundis cum Missa, mox erat sanatus.

Item Sophia de Bopinice habens corrosiones in omnibus membris, quamprimum fecit votum visitare tumbam S. Cunegundis, sanitati reddita est.

Item Catharina Prokopowa de Strozna laborans dolore in pedibus, post votum completum, sanata.

Item Anna de Woynarowa in magna infirmitate exsistens, non loquebatur per tres dies; cum autem iuterne promisit visitare tumbam S. Cunegundis, sanitati restituta fuit.

F

pedum et capitis dolores, hæmorrhoïs, cæcitas, ulcera sublata;

8 Anno Domini MDXXXVIII, Stanislaus Mazur de Podobin non ambulabat ob pedes infirmos duobus annis; sed quamprimum devote promisit venire ad tumbam S. Cunegundis, cum pedibus ex cera ad similitudinem suorum pedum, sanus factus est; et venit in persona huc.

Item Jacobus de eodem loco laborabat dolore pedum per tempora longa; cum autem votum fecit devote visitare tumbam S. Cunegundis, sanatus est.

Item Nicolaus Orzyeck de Siedliska patiebatur fluxum sanguinis, et infirmitatem in toto corpore per quatuor septimanas: voto facto veniendi ad tumbam S. Cunegundis cum Missa et candela, sanatus est.

Item Catharina, uxor Dominici de Lipnica, habuit duos filios, Procopium et Paulum, qui patiebantur dolorem capitis, alias strzykanie, per quindecim septimanas; cum autem promisit illos præsentare ad tumbam S. Cunegundis, cum Missa et candela, sanitatem integram receperunt.

Item Stanislaus Grufzka de Antiqua villa a

Kruzlowa

A Kruzlowa perdiderat visum per multa tempora; quamprimum vovit visitare tumbam S. Cunegundis visum, recepit.

Item Witek de Grabow habuit Michaëlem filium, qui carebat visu à pueritia sua; cum autem promisit illum præsentare B. Cunegundi ad tumbam cum Missa, restitutus est illi visus oculorum.

Item Helena, Pauli uxor de Peytas, habens puerum in fluxu sanguinis jacentem; cum autem promisit illum offerre cum Missa et viva hostia, sanitatem recepit.

Item Martha de Cistrzewina, exsistens in magna infirmitate, plena ulceribus et apostematibus, jam agonizabat; cum autem illam amici promiserunt offerre ad tumbam S. Cunegundis, sana facta est.

item pedum, oculorum, pectoris cruciatus, phrenesis, debilitas membrorum;

9 Anno Domini MDXXXIX, quædam mulier à Czorstyn, patiebatur magnam infirmitatem, nec poterat ambulare; voto facto ad S. Cunegundem, mox sanata est.

Item Susanna habuit magnam infirmitatem in
B pedibus ex fractura; dum promisit visitare sepulcrum S. Cunegundis cum Missa, sana facta integre in pedibus.

Item quædam mulier laborabat magno dolore oculorum; dum autem spopondit visitare hunc sanctum locum cum candela, sana facta est.

Item Dorothea de Gorlice habebat magnam infirmitatem, quod nec ambulabat: quamprimum conducta fuit huc, sana facta est.

Item Anna de Stroze a monte S. Joannis habuit magnam phrenesim, et plane amiserat usum rationis; quamprimum mater sua promisit illam huc, subito restituta est ad pristinam sanitatem.

Item ex eodem loco Sophia habuit magnam infirmitatem in pedibus, nec poterat ambulare per quinque septimanas; quamprimum huc fuit advecta, recepit sanitatem totalem.

Item Elizabeth Kusiowa de Niedzwiedz habens in pectore magnam infirmitatem, alias tręmorem cordis, dum promisit ad tumbam venire ad S. Cunegundis, sanata mansit.

Item Simon de Sankowa per novem septimanas
C positus fuit in magno dolore, semper jacuit toto corpore debilitatus ac dolens; dum promisit venire cum candela ad S. Cunegundem, sanus factus est.

epilepsia, cæcitas, apostema, hæmorrhoïs, dolor capitis et gutturis, mortis periculum, febris;

10 Item Albertus puer de Zagorzany à Biecz ex morbo caduco positus fuit in magna ægritudine; voto facto et completo, sanatus est.

Item Anna de Zagorzany carebat visu per septem hebdomadas; dum promisit visitare tumbam S. Cunegundis, sana facta est.

Item Sophia cum filio suo habens apostema, fuit valde infirma in toto corpore; dum autem promisit visitare tumbam S. Cunegundis, apostema evanuit. Et puer, qui patiebatur fluxum sanguinis, voto facto, et completo, sanatus est.

Item puella Catharina de Brutnik valde infirma, et vix semiviva; quam dum promiserunt ad S. Cunegundem, sana facta est.

Item Catharina de Posadowa valde ægrota, vehementem patiebatur dolorem capitis; ita quod nec homines nosceret: oblata ad tumbam S. Cunegundis, sana facta est.

EX PROCESSO PRIMO MS.

Item Margarita de Siedliska a Bobowa febricitans cum caliditate per dimidium anni; voto promisso, posthac facto, sanata est.

Item Barbara de Siedliska a Bobowa erat valde infirma, et multum dolorem patiebatur in gutture; qua hora spopondit visitare tumbam S. Cunegundis, eadem sanata est.

mors imminens, dolores pedum et oculorum, cæcitas.

11 Item Agnes de Poremba ab Obidowa valde erat infirma, nec noscebat homines; voto facto visitandi cum candela tumbam S. Cunegundis, sana facta est,

Item Lucia a Lubownia ita infirmabatur extreme; quod et loquelam amiserit; dum erat promissa ad S. Cunegundem, sanata fuit.

Item Catharina de Antiqua Sandecz non poterat ambulare ob pedes doloribus affectos; habuit intra hoc tempus apparitionem pulcræ cujusdam puellæ, dicentis sibi: Fac votum ad tumbam S. Cunegundis cum viva oblatione et candela tuæ longitudinis, fies sana. Promisit, et complevit, et sanata est ab illa hora.

Item Barbara de Irzecisz patiebatur magnum dolorem oculorum per totum annum; voto facto E
et completo cum candela, sana facta est.

Item Lucia de Jarzebina amiserat visum per septem septimanas; voto facto visitandi S. Cunegundem, visum recepit.

Item Anna de Doora lalorans magno oculorum dolore, intercessione S. Cunegundis, ad quam confugit, cessavit dolor.

ANNOTATA.

a *Ergo miracula facta post annum* 1471, *ubi Dlugossus desiit, per annos* 61 *vel annotata non sunt, vel perierunt. Porro hæc unde desumpta sint, in Commentario prævio diximus.*

b Myslkow *videtur esse villa in terra Calissiensi, quam* Joannes *Dlugossus Historiæ Polonicæ lib.* 6 *ad annum* 1213 *appellat* Mislakawo, *atque cessisse monasterio Olobocensi; ceterum non animus est, nec operæ pretium, istiusmodi locis obscuris, quæ*
sæpius in hoc libro de Miraculis B. Cunegundis re- F
centioribus occurrent, investigandis porro aut notandis insistere.

c Jaslo *oppidum est juxta Neosandeciam situm septem inde circiter leucis Germanicis versus Orientem ad Wyslakam fluvium.*

d Stuba *hypocastum, et locum hypocausto calefactum significat, ut superius dictum est.*

e Curabatur visu, *id est anxia erat et solicita, ne visum prorsus amitteret, vel ut amissum recuperaret.*

f Flava infirmitas *hoc loco icterus dicitur: cum a colore flavo, quo morbus ille totum corpus atque oculos imprimis inficit; tum a bile flava, ex qua nascitur.*

g *Est* Myslnitz *oppidum haud procul Sandecia in occasum dissitum.*

CAPUT

CAPUT II.

Continuatio miraculorum ex primo processu de vita Beatæ, etc.; ab anno MDXL *usque ad* MDLXIX. *Tempus primi processus.*

Reviviscunt fœtus mortui; dolores varii morbique pelluntur.

Anno Domini MDXL, Filius Thomæ de Sokolow fuit per tres annos in malis pustulis: dum promisit venire ad tumbam S. Cunegundis, accepit sanitatem.

Item advocatrix *a* Podobinska multis doloribus erat anxiata, ejus item filia patiebatur vertiginem capitis per tres septimanas; voto facto ad S. Cunegundem, ambæ sanatæ sunt.

B Item Stanislaus Crabay de Wilkomirski, cujus uxor patiebatur magnos dolores in partu, et peperit unum filium media nocte, alterum in aurora, utrumque mortuum; facto voto ad S. Cunegundem, revixerunt, et baptizati sunt.

Item Mathias Markowicz per quinque septimanas totus erat hydropicus; voto facto ad S. Cunegundem, sanus factus est.

Item Jacobus de Dobra jacebat per quatuor septimanas in lecto, laborans infirmitate, qua omnes in domo infirmi erant: est morbus iste, qui contrahitur per infectionem unius ab altero *b*; voto facto ad S. Cunegundem, evasit ex infirmitate.

Item Anna de Krosienko cecidit de alta scala, et valde se concussit in toto corpore; unde nec ambulare, nec loqui poterat; voto facto ad S. Cunegundem, intra parvum tempus sanata est.

Item Mathias Szafrankowic, cujus uxor cruciabatur in partu, nec poterat parere, fecit votum pro uxore sua ad S. Cunegundem; et mox enixa est puerum feliciter.

C Item Sophia de Casna taliter infirma quod nec se movere potuit in lecto, promisit se sistere ad tumbam S. Cunegundis, cum tam magna candela, quanta erat statura sua; et sana facta est.

Resuscitatio occisi, captivæ liberatio, morborum multorum depulsio.

13 Item mulier de Zablocie, cujus filium infantem equus occidit; voto facto ad tumbam S. Cunegundis puer revixit.

Item Stanislaus de Radziborz surdus multo tempore; voto facto ad tumbam S. Cunegundis, auditum recepit.

Item mulier de Dabrowka per novem septimanas jacens in magna infirmitate, voto facto ad S. Cunegundem, subitanee sanitatem recepit.

Item Mathias Gomolka de Msana per novem septimanas patiebatur fluxum sanguinis; promisit venire cum Missa ad tumbam S. Cunegundis, et mox sanus factus fuit.

Item mulier de Lipnica quater incarcerata, et catenis ligata, eo, quia accusata fuit, quod aliquem adolescentem veneno de mundo sustulerit; voto facto ad S. Cunegundem, toties quoties eam incatenabant, catenæ decidebant ex ipsa.

Item mulier de Bobowa, cujus filius habuit contortum vultum, vovit eum ad S. Cunegundem; et subito sanus factus est. D

Item puella de Librantowa tota erat hydropica; parentes eam voverunt ad S. Cunegundem, et sana facta est.

Item Margarita de Jamnszowa febricitabatur per medium annum; voto facto ad S. Cunegundem et completo, sanata est.

Item Ursula de Læcko per medium annum patiebatur magnum dolorem capitis, et oculorum; completo voto, sana facta est.

dolentes ex oculis, moribundi, phrenetica mulier juvantur.

14 Anno Domini MDXLVII, Cordula de Stroze a Bobowa laborans infirmitate oculorum ultra medium annum, vovit visitare tumbam S. Cunegundis; et cessavit dolor oculorum.

Item Joannes de Stroze à Bobowa infirmans dolore oculorum per multos annos; voto facto ad B. Cunegundem ac completo, sanatus est.

Item Catharina de Lipniezka a Bobowa igne læsa in uno digito, ex quo postea tota manus intumuit, ac ingenti dolore cum febre maligna laborans; dum jam nec homines nosceret, oblata ad tumbam S. Cunegundis, cum manu cerea, convaluit; et pro gratiarum actione huc cum Missa venit. E

Item Stanislaus, Joannis Zolna filius, de Lipniezka, valde infirmus erat, nec erat spes ulla vitæ ejus; postquam autem pater ejus promisit illum ad tumbam S. Cunegundis, convaluit; et personaliter, huic beatæ Virgini gratias egit.

Item Apollonia de Bystra existens in magna infirmitate, in qua per sex septimanas non habuit usum rationis; oblata postea ad tumbam S. Cunegundis cum Missa, convaluit; et se præsentavit in hoc sacro loco.

Item Pryska de Tymbark habuit in collo magnum apostema, propter quod erat in proximo periculo suffocationis; oblata ad S. Cunegundem cum cereo collo, sana facta est; et id recognovit.

Item Sophia de Woynarowa patiebatur phrenesim, et alias diversas et mirabiles affectiones; tandem in somno vidit se ad tumbam S. Cunegundis; unde excitata, votum fecit ad eamdem Sanctam cum Missa venire; et convaluit.

Mortuæ mulieri vita, delirantibus ratio, ægris sanitas redditur.

15 Item Dorothea de Laki apostema habuit in uno latere per annum integrum; voto facto cum candela venire ad tumbam B. Cunegundis ac completo, sanata est. F

Item quædam mulier de Olszanka circa partum patiebatur maximos dolores; quæ vix peperit prolem mortuam, et ipsa intra breve tempus exspiravit; postquam autem maritus vovit pro ea Missam et candelam ad tumbam S. Cunegundis, illico revixit mulier.

Item Barbara de Tymbark magnam intrinsecam patiebatur infirmitatem; oblata ad tumbam S. Cunegundis cum eleemosyna, sanata est.

Item Albertus de Januszowa intrinsecis magnis subjectus affectionibus per quinque septimanas; voto facto ad sepulcrum S. Cunegundis, sanitatem recepit.

Item Apollonia de Bystra cum quatuor filiis morbo contagioso infecta, et usum rationis una cum filiis suis amisit; oblata ad tumbam S. Cunegundis, cum candela ad suam longitudinem, convaluit, tam ipsa quam ejus quatuor filii.

Item

A Item Sophia Budkowa de Kobelanka patiebatur dolorem oculorum per medium annum; voto facto veniendi cum Missa et candela ad tumbam S. Cunegundis, sanata est.

Item Anna de Zeleznikowa laborabat capite et oculis per totam Quadragesimam; voto facto ad tumbam S. Cunegundis, cum Missa et corona cerea, sana facta est.

Peste, capitis dolore, læsione manus, surditate liberati.

16 Anno Domini MDXLVIII, mulier a Gorlica infantem parvum, circa partum ægritudine magna oppressum, vovit ad S. Cunegundem vivum; et sanum recepit.

Item Anna ex pago Brzana peste mortifera infecta, voto facto adire tumbam S. Cunegundis, ab infectione liberata est.

Item Anna ex Brzana patiebatur magnum dolorem capitis. Hæc in somno audivit dulcisonum cantum sanctimonialium Sandecensium; et expergefacta, vovit adire locum hunc sanctum; et curata est.

Item Felix ex pago Stroze fractam manum habuit; voto facto adire S. Cunegundem, sanus B factus est.

Item Elizabeth surda facta ex infirmitate et dolore capitis; voto facto ad tumbam S. Cunegundis, auditum recepit.

Infirmi subito convalescunt.

17 Anno Domini MDXLIX, quædam mulier de Poræbka diversas corporis patiebatur infirmitates; sed voto facto visitandi sepulcrum S. Cunegundis cum viva oblatione, mox sanata fuit.

Quædam mulier de Lipnica febrem quotidianam patiebatur per medium annum; quamprimum votum fecit visitare sepulcrum S. Cunegundis cum oblatione viva, sana facta est.

Item quædam mulier de Siekierczyna ob multam infirmitatem jam agonizabat; parentes ejus offerebant eam ad sepulcrum B. Cunegundis, et mox incolumis facta est.

Cæcitas, dolores partus, oculorum, pedum, etc., sanantur.

18 Anno Domini MDL, Heduigis de Strozna peperit infantem cæcum; post tertiam diem emisit votum pro filio, visitandi tumbam B. Cunegundis; et visum recepit.

Anno Domini MDLI, Martinus de Msana laborans variis et magnis infirmitatibus in toto corpore, voto facto adeundi ad sepulcrum B. Cune- C gundis, convaluit.

Item Sophia de Msana laborans oculis, quamprimum vovit adire hunc locum sacrum, statim sanata est.

Item Helena Kopacowa à Sosnowice laborans infirmitatibus variis in corpore per duos annos, post votum factum ad B. Cunegundem convaluit.

Item Heduigis de Podobina circa partum valde laborans infirmitatibus, post votum factum statim sanata est.

Item Michael de Siekierczyna laborans pedibus, et non ambulans tribus septimanis, post votum factum sanatus est.

Item Nicolaus de Znamierowice laborans oculis, voto facto et completo, sanus factus est.

Item Agnes c de Sabotka pro tribus filiabus suis in partu valde laborantibus voto, facto et completo, sanæ factæ sunt.

Item Adam de Druzbak variis laborabat infirmitatibus longo tempore; mater ejus vovit pro eo venire ad tumbam B. Cunegundis cum viva hostia, corona cerea, et candela; et quamprimum complevit, statim sanatus est.

EX PROCESSU PRIMO MS.

Item Dorothea de Poremba valde cruciabatur in partu; quamprimum oblata fuit ad S. Cunegundem, statim sine ullo dolore peperit.

Cæcis visus, muto loquela impetratur.

19 Anno Domini MDLII, mulier quædam ex Tylmanowa vexabatur gravi dolore oculorum; sed mox, ut votum fecit visitare tumbam B. Cunegundis, in oculis sanata est.

Item Andreas de Mordarka habuit filiam cæcam; sed mox, ut eam vovit ad tumbam S. Cunegundis, visum recepit.

Item Anna Cwirotowa de Cunow habuit filium mutum a nativitate per quatuor annos; qui, postquam eum mater vovit ad tumbam S. Cunegundis, mox nonnulla verba cœpit loqui.

Item Andreas de Czechow per aliquod tempus amiserat lumen oculorum; sed mox, ut votum fecit se conferre ad limina D. Cunegundis cum Missa, visui pristino redditus est.

Item Joannes de Podoliniec valde fuit debilis in vivendo per multum tempus; sed quamprimum promissus fuit ad sepulcrum B. Cunegundis, perfectum visum adeptus est. E

Latrones obcæcati, levata puerpera; læsi pedes, dolores capitis, hæmorrhoïs sanantur.

20 Anno Domini MDLIII, Stanislaus a Rytwiany adolescens transiens per silvam, quæ dicitur Kræpak, incidit in latrones, qui eum voluerunt totaliter spoliare, et fortassis (ut mos latronum est) occidere; hic exsistens in manibus latronum, postquam una tunica spoliatus fuit, commendavit se S. Cunegundi; et protinus evasit ex manibus eorum, qui obcæcati, non viderunt, quando exivit de medio illorum.

Item quædam mulier laborans circa partum graviter per aliquot dies, voto facto ad tumbam S. Cunegundis cum viva victima, sanata est.

Item Marcus de Ochotnica, cujus pes aqua ferventi perfusus fuit, et nimium dolebat ob pedem exustum, et decoriatum per aquam nimis calidam; sed * quamprimum parentes ejus voverunt eum cum Missa ad tumbam B. Cunegundis, illico sanatus est, acsi numquam fuisset læsus.

* sed *abundat.*

Item Joannes ex Sandecz adolescens artis sartoriæ, graviter laborans dolore capitis per integrum annum; qui postquam se obtulit cum cera atque auditione sacri ad tumbam S. Cunegundis, ex illa hora sanatus est. F

Item Valentinus Slepek, qui securi absciderat sibi ferme totum pedem, post votum factum et applicationem sui pedis pene abscissi, sine ulla curatione sanus factus est.

Item Elizabeth de Tymbark patiens fluxum sanguinis per medium annum, postquam fecit votum ad S. Cunegundem, subito sanata est.

Mutus, claudus, cæcus, febricitantes.

21 Item quædam mulier de Bobowa filium suum submersum, et per quatuor dies non loquentem, vovit ad S. Cunegundem; qui statim post votum factum cœpit loqui.

Item quædam puella obtulit matrem suam ad tumbam S. Cunegundis, quæ per tres annos non poterat ambulare; quæ mater post votum factum liberata fuit ab illa pedum debilitate.

Item Mathias cæcus conductus ad tumbam S. Cunegundis; qui ex templo exivit videns et sanus.

Idem Adam ex Jazosko filium suum exsistentem in magna febre commendavit ad tumbam B. Cunegundis;

EX PROCESSU PRIMO MS. negundis; et factus est liber. Deinde pater incidit in eamdem infirmitatem, quem postea filius obtulit ad eumdem locum; et sanatus est.

Item Catharina ex Bobowa longo tempore patiebatur febres frigidas; in somno habuit visionem cujusdam Virginis monialis, quæ dixit sibi: Visita locum B. Cunegundis, et sanaberis. Hæc protinus fecit votum visitandi; et sanata est.

Item Susanna ex Wilkowosy in magna exsistens febre calida, habuit apparitionem cujusdam viri in veste religiosa grisæa *d* dicentis sibi: Mulier, vade ad locum S. Cunegundis ad antiquam Sandecz; ibi Missam audias, et sanaberis. Illa statim fecit votum; et statim sanata est.

Item Stanislaus ex Milkow exsistebat in gravi infirmitate et desperata per longum tempus, cui nulla medicina erat proficua; sed omnia vertebantur in pejus. Quadam nocte apparuit ejus uxori vir quidam canus, dicens: Commenda virum tuum virgini Cunegundi; et sanabitur. Illa quæsivit ab eo, quis esset. Sed statim disparuit. Unde obtulit virum suum S. Cunegundi; et sanatus est.

B

aliique ægri liberantur.

22 Item Joannes Stanczyk et Lipnica a Bobowa uxorem suam Barbaram laborantem in partu per septimanam commendavit cum auditione Missæ S. Cunegundi. Quæ post votum feliciter peperit filium Stanislaum, huic loco sacro cum parentibus præsentem.

Item Martinus lignifaber, qui multo tempore patiebatur fluxum sanguinis. voto facto visitare tumbam S. Cunegundis cum auditione Missæ, sanus factus est.

Item Dorothea puella ex Wola per medium annum laborans oculis et nihil videns, audiendo narrari magnalia S. Cunegundis, obtulit se ad suam tumbam cum oculis cereis; et statim visum recepit.

Item Joannem Zwirad ex inferiori Wola exsistentem in gravi et periculosa infirmitate quidam sacerdos obtulit ad tumbam B. Cunegundis cum Missa, quod votum ratificavit etiam ipse infirmus; et sanus factus est.

Item Barbara ex Siedlce taliter infirma, quod carnes decidebant ex ea per multum tempus, C quamprimum promisit visitare tumbam S. Cunegundis, statim sanata est.

Item Petrus de Wilkowiska cæcus factus per medium annum, quodam die audivit hanc vocem, dum fuisset solus: Vis sanus fieri? Ipse cogitans, quod aliquis ex vicinis esset, respondit: Si quis mihi opem ferret, ut viderem, servirem ipsi per annum de solo victu. Ad quæ verba dictum est illi iterum: Servias S. Cunegundi; et visita locum illius; et sanaberis. Iste protinus votum fecit, et sanatus est.

Item puella Sophia de Biecz per duas septimanas in magna infirmitate semiviva exsistens, quam primum parentes ejus voverunt illam ad tumbam S. Cunegundis, sanata est.

Morbi varii discussi.

23 Anno Domini MDLVII, quidam adolescens, nomine Laurentius, de villa Zbik, exsistens in multis infirmitatibus, quamprimum votum fecit visitare tumbam S. Cunegundis, sanatus est.

Item duo adolescentes de Krolowka fulgure perterriti, et facti infirmi, voto facto ad S. Cunegundem, convaluerunt.

Item Margarita de Kruzlowa habens fluxum sanguinis, cum votum fecisset, sanata est. D

Item puer cujusdam cmetonis *e* de Lipniczka patiebatur internos dolores; sed quamprimum obtulerunt eum parentes ejus ad B. Cunegundem, et promiserunt eum pedester *f* euntem pro gratiis agendis ad tumbam sanctæ hujus Virginis, statim ex illa hora sanus factus est.

Item quædam mulier nomine Anna de Kruzlowa habens dolorem in toto corpore, quamprimum parentes ejus promiserunt illam ad tumbam S. Cunegundis cum Missa, statim sanata est,

Sanatur subito familia tota cum jumentis; uti et ægri alii.

24 Anno Domini MDLIX, quidam Stanislaus Garstka de Olszonka infirmus cum tota familia sua, et quidem periculosa valde infirmitate; ita ut etiam vicini non audebant visitare illum. Nec tantum homines illius domus, sed etiam jumenta omnia infirma erant. In tam magna sua afflictione, in qua nullum humauum juvare potuit remedium, confugit ad divinum auxilium, deprecans per misericordiam B. Cunegundis; ad quam vix votum emisit, cum quasi statim et homines et jumenta convaluerint. E

Item quidam adolescens, nomine Stanislaus, in magnis iisque variis exsistens infirmitatibus, quamprimum votum fecit visitare tumbam S. Cunegundis, sanatus est.

Idem quædam mulier, nomine Anna, de Msana, cujus filius patiebatur morbum caducum, vovit eum cum Missa ad S. Cunegundem; et sanatus est.

Item quidam adolescens, nomine Mathias, de Rabrot, patiens longas febres frigidas et calidas, per votum visitandi tumbam S. Cunegundis convaluit.

Item quædam puella, nomine Juliana, de Krolowa, patiens morbum caducum sæpe, post votum factum ad tumulum S. Cunegundis liberata est ab hoc malo.

Item quædam mulier, Anna de Boguszyce, multum infirma, et periculosa post partum; quamprimum votum fecit ad tumbam S. Cunegundis, sanata fuit.

Unde miracula, jam narrata, desumpta sint.

25 Ista hic supra descripta miracula, sunt extracta ex primo processu inquisitionis super vita, et sanctimonia, ac miraculis præclaræ Cunegundis virginis, ducissæ Poloniæ, fabricato anno a F nativitate Domini MDCXXVIII, die XXVII Maii, a commissariis auctoritate Illustrissimi D. Martini Szyszkowski, episcopi Cracoviensis *g* delegatis.

ANNOTATA.

a Advocatrix, *id est uxor jurisconsulti seu causarum advocati; qui modus loquendi sæpius infra recurret, cum civissa, capitanea, etc. mulieres appellabuntur.*

b *Atqui morbi contagiosi multi sunt. An hic honesta periphrasi scabies designatur?*

c *Solœcismus est pro* ab Agnete; *sed sensus planus.*

d Grisæus, *seu potius* griseus *color sequiori latinitate is dicitur, qui ad cinericeum accedit: videtur*

A *tur ergo hic designari religiosus quidam ex Ordine S. Francisci Assisiatis.*

e *Jam supra diximus,* cmetonem, *seu* kmetonem *apud Polonos esse hominem conditione rusticum.*

f Pedester *adverbialiter hic et infra sæpius usurpatur; barbare tamen pro* pedibus.

g *Sedit Cracoviæ* Martinus Scyszkowski *juxta Cæsarium ab anno Christi* 1616 *usque ad annum* 1630, *quo desiit vivere.*

CAPUT III.

Tempus et auctoritas secundi processus, super canonizatione B. Cunegundis virginis Reginæ Poloniæ; continuatio miraculorum ex primo in classes, non in annos, tributorum.

B

Alter processus instituitur auctoritate Romana anno 1629.

Deinde iidem domini commissarii anno a Nativitate Domini MDCXXIX, Indictione Romana duodecima, pontificatus SS. Domini Urbani divina providentia Papæ Octavi anno ipsius sexto, die vero Veneris, VIII mensis Junii, virtute litterarum remissorialium, super canonizatione ancillæ Dei Cunegundis, reginæ Poloniæ, expeditarum a sacra Rituum congregatione illustrissimorum et reverendissimorum DD. Cardinalium, tamquam expresse et specialiter subdelegati et deputati in civitate antiqua Sandecz, novum formarunt processum, et examinarunt octuaginta duos testes, ex quorum testimonio nova iterum conscripta sunt miracula *a*.

Miracula circa mortuos

27 Anno MDXCIV, colludentes pueri incaute inverterunt portam ligneam magnam horrei super infantem, nomine Adalbertum, nobilium Samuelis et Catharinæ Jordanow filium semi trium *b* annorum; quod dum parentes resciunt, portam multum ponderosam per famulos elevant; C sed jam filium suum mortuum et totum contritum inveniunt, cum facie contusa, oculis evulsis, et dorso multis clavis portæ perforato. Ad quod grave spectaculum inconsolabiliter lamentari cœperunt. Pater accepit corpus exanime, et ad sepeliendum in crastino disponebat; sed mater ad orationes et vota ad S. Cunegundem conversa, ab occasu solis usque ad diem deprecabatur pro salute filii. Nec spe sua frustrata : nam quando cadaver contusum ad sepulcrum evehi debebat, filius revixit, et tam perfecte sanus, quod nec vestigium vulneris appareret.

Anno MDCXII, cmetonis de Kadca filius, quærens circa Danubium * fluvium pueros, et ipse quatuor annorum, nomine Mathias, casu in fluvium decidit; et statim ab aqua submersus, et ad duo stadia portatus. Qui postea quæsitus, et extractus mortuus; super quem dolens mater ad S. Cunegundem confugit, et vivum recipit.

* *id est* Dunajecium

et moribundos.

28 Anno MDCXXIII, nobilis matrona, de nomine et cognomine, ut statim infra, jam agonizans, a præsentibus oblata, et ad tumbam S. Cunegundis promissa, statim convaluit; narrans, se visitatam esse a S. Cunegunde, et sanatam. Unde ei talem inscriptionem in argento appendit : Hednigis Laskowska e terra Præmisliensi *c* B. Cunegundi, quam in articulo mortis assistere sibi vidit, ex voto religiose nuncupato obtulit. Anno Domini MDCXXIII.

EX PROCESSU PRIMO MS.

Anno MDCXXI, Pater Ægidius, religiosus S. Francisci Minorum Conventualium in conventu Neosandecensi continua febre calida per viginti septimanas correptus, venit ad extremum : nam per quatuor dies omnibus amissis jacebat sensibus; pro quo etiam commendatio animæ jam erat peracta. Quidam religiosus dolens supra statum suum, obtulit eum B. Cunegundi; et statim sensibus fuit restitutus, et in brevi sanus factus.

Anno MDCXXVI, puella Sophia unius anni cecidit ex fenestra altitudinis a terra semi trium ulnarum super saxa, et statim exspiravit. Commendata postea a parentibus S. Cunegundi, revixit. In cujus beneficii testimonium ad tumbam Divæ Virginis parentes cum hac inscriptione argenteam dederunt [tabulam :] E

D. O. M.

Famatorum Pauli Uzowski aurifabri, et Sophiæ Sikorszczonka, civium Neosandecensium, filius, et filia Sophia :

Præcipiti infantula casu ab alto Sophia
Decidit tremula, et membris mortua :
At postquam Divæ precibus offertur a parentibus,
Cessit vis morti proxima; vita successit optima.

ANNO MDCXXVI.

Item.

29 Anno MDCXXII, confessarius monialium Sandecensium Nicolaus Kownacki tempore pestis grassantis, qua in oppido prope mille personæ, in monasterio moniales octo et duo capellani decesserunt, ipse etiam graviter infectus per quindecim dies jacens delirabat [et] ultimum agebat spiritum. Sed postquam Missa pro ipso celebrata fuit ad altare S. Cunegundis, et Litaniæ per moniales decantatæ, brevi convaluit: sicut et monasterium et oppidum a peste liberatum est. F

Anno MDCXXIV, Novi fori *d* sæviebat pestilentia binis vicibus, donec ad B. Cunegundem supplicatum est. Quod in argentea tabula talis demonstrat inscriptio : Incolæ civitatis regiæ Novi fori anno Domini MDCXXIV orta peste, precibus B. Cunegundis se commendaverunt; factique a dicta peste liberi, ducenti ad sepulcrum ejus venientes gratitudinis ergo, ob memoriale obtulerunt anno Domini MDCXXVI, die VII Junii.

Anno MDCXXII, Neosandecium, regia civitas, ad aliquot millia suis [fuit *e*] privatum incolis : nam nulla domus ejus exstitit, de qua plura non fuissent exportata cadavera; solius Simonis Wolski, domus fuit tam felix, quod in ea nullus sit mortuus, nullus infirmus; etsi dictus Simon Wolski, utpote apothecarius, multos invisebat peste infectos, et omnibus, qui petebant, subministrabat

EX PROCESSU PRIMO MS.

nistrabat præservativas medicinas et victualia. Causam suæ et suorum conservationis coram dominis commissariis Apostolicis *f* hanc dixit; quia statim ab initio pestis se et suos omnes ad tumbam B. Cunegundis devovit.

circa

30 Anno MDCXXIII, Anna Kozacka de villa Paszyna a vehementi per pestem infectione, primo oculis dolere cœpit, deinde totaliter visum amisit; sic valde anxia sex septimanis permansit, donec votum visitandi tumbam B. Cunegundis elicuit; quo facto, protinus a peste liberata et visu dotata exstitit.

Eodem anno simile beneficium se obtinuisse per intercessionem B. Cunegundis, Anna Baroszka de villa Jankowa coram dominis commissariis testata est.

Eodem anno Andreæ Stræczek civis Neosandecensis domus peste infecta fuit; propter quam famuli et famulæ ejus, filii et filiæ obierunt, præter unicum filium Simonem annorum V, et filiam Heduigim annorum IV graviter infirmantes. Pro quibus supplex pater visitandi tumbam S. Cune-
B gundis una cum prolibus votum emisit. Nec frustratus spe ex divina gratia: nam utraque proles ex peste evasit. Cum autem negligens pater ad semi quatuor annos votum differret, utraque proles inopinate in febrem malignam incidit, ac post sex horis continuis agonizavit; donec pater, memor voti facti, ad ecclesiam collegiatam Neosandecensem ivisset, et ibi coram altari D. Cunegundis votum suum renovasset; quo facto, domum rediit, et proles suas sanas, et salvas invenit, cum quibus statim peregrinationem sacram ad unum milliare *g* explevit.

pesteafflatos;

31 Anno MDCXXII, eamdem gratiam intercessione D. Cunegundis consecuta est nobilis Sophia Zlocka de Rupniow in marito suo, Cracoviæ peste infecto, et domum advecto; quem, dum extremizaret *h*, B. Cunegundi obtulit; et sanum derepente videre meruit.

Anno MDCXXVI, in toto districtu Beccensi grassabatur pestis maxima, et jam in ipsa civitate Biecz *i* multi ex peste mortui erant. Timentes ergo reverendi DD. vicarii hanc iram Dei, induxerunt civitatis incolas ad implorandam misericordiam divinam per merita S. Cunegundis;
C et re vera obtinuerunt quod petebant: nam nullus ex sacerdotibus peste obiit, etsi inservirent circumcirca peste infectis; et nullus ex tunc in civitate decessit peste. Pro quo beneficio solennes postea tota civitas Beccensis ad tumbam S. Cunegundis gratias egit.

item

32 Nobilis Anna Lipska ex palatinatu Cracoviensi, vidua, a nativitate sinistro oculo LXII annis orbata fuit. Insuper per annos XX, in dextro oculo defectum patiebatur, ut vix cum perspiciliis legere aliquid posset; finaliter, et isto totaliter cæcutiente aliquo tempore, mœstissimam ducebat vitam; donec ad tumbam S. Cunegundis devote orans, clauso restante dextro, sinistri oculi, quo a nativitate nihil viderat, tam perfectam apertionem obtinuerit; ut sine perspiciliis bene legere potuerit. Cujus beneficii in lamina argentea tale [testimonium] reliquit: Jesus D. et Redemptor meus, largitor gratiæ unicuique ad se confugienti. Ego peccatrix Anna Catharina Lipska petii misericordiam ad sepulcrum D. Cunegundis; et per ipsius intercessionem lumen D
unius oculi recepi, ut amplius perspiciliis utendum non sit mihi; cum tamen ab annis viginti continuum ipsorum usum necessario adhibuerim. Fide bona testor, ad sepulcrum D. Cunegundis oranti beneficium contigisse. MDCXXVII.

Nobilis Christophorus Opatkowski ex districtu Biecensi, ex diuturno oculorum dolore cæcus factus, et in cæcitate longo tempore exsistens, deplorandam ducebat vitam. Non potens amplius ferre suam miseriam, votum fecit visitare tumbam S. Cunegundis, si lumen receperit. Fide igitur viva, aqua ex puteo, D. Cunegundis dicto (quia miraculose illam aquam D. Cunegundis adhuc vivens baculo in terram infixo de terra eduxit) oculos lavit, et visum perfectum recepit.

Anna de Podegrodzie, filia Gregorii Zielenczyk, tribus annis cæca, multis sine affectu curata medicamentis, tandem a matre cum Missa et candela oblata ad sepulcrum B. Cunegundis, sanata est. E

33 Anno MDCXXVII Magdalena, Mathiæ ensificis uxor, de Neosandecz, obcæcata per tres septimanas exsistens, post votum ad B. Cunegundem visum sortita est desideratum. *circa cæcos;*

Anno eodem Catharina, uxor aurifabri civis Neosandecensis, magnam gratiam post ablutionem aqua ex puteo B. Cunegundis experta est in oculis suis dolentibus, primum sanguine tumentibus, postea sanis et ab omni dolore liberatis.

Anno MDCXII, similem efficaciam intercessionis divæ hujus Virginis expertus fuit in cæcitate sua, novem septimanis durante, pater Athanasius Sulmirius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium Guardianus Veterosandecensis.

Eodem anno quidam Hungarus, remotior a finibus Poloniæ, longo tempore cæcus, obaudiens magna B. Cunegundis miracula, adjunxit se hominibus Sandeciam antiquam pro festo almæ Trinitatis illius loci titulari euntibus (magni enim tunc undequaque fiunt illuc concursus:) et cum jam prope erant, ut monasterium monialium videre possent, aliis genuflexis, et B. Cunegundem salutantibus, ipse quoque genua flexit, et oravit; et protinus monasterium vidit, F
deinde domos, homines, et res minutas distinguere potuit, postquam confessionem sacramentalem et devotionem suam in loco sacro peregit.

Anno MDCXXVII nobilis Kloczynski habuit filiam duorum annorum a pustulis obcæcatam; conduxit illam ad tumbam S. Cunegundis; quæ sub tempus Missæ pro se celebratæ visum recepit; et pater in memoriam, statuam argenteam suæ filiæ cum hac inscriptione reliquit: Hæc a scabie mundata MDCXXVII.

34 Valde debilium ob continuos dolores et vix aliquid videntium oculorum Mathias Kopec, civis Veterosandecensis, post varia per tres annos medicamina, oblatus ad S. Cunegundem, consolatus est. *et eos;*

Hungari tam catholici, quam hæretici hic fassi sunt, quod certa Hungara cæca, postquam lavit oculos suos aqua ex puteo, S. Cunegundis dicto, abluta, visum recepit.

Simon

EX PROCESSU PRIMO MS.

A Simon, pileorum factor, Veterosandecensis, per duodecim septimanas cæcus, postquam oculos suos lavit aqua ex puteo S. Cunegundis, lumen recepit. Qui etiam testatus est, se per xc annos vitæ suæ alia medicina non usum fuisse in variis, iisque plurimis, infirmitatibus, quam dicta aqua S. Cunegundis.

Anna Niedodalowna, valde inops vidua per tres menses nihil videns, nihil sibi pro victu acquirere per laborem potuit ; unde ad summam pauperiem pervenit. Quæ postquam se ad puteum B. Cunegundis adduci curavit, et oculos illa aqua sacra linivit, visum recepit.

Anno MDCXXV, in conventu Veterosandecensi sanctimonialium Christina Chelmska Ordinis S. Claræ professa, habens oculum dextrum ab ulcere destructum, et sinistrum anno specificato a scintilla ignis cæsum *, totaliter cæca effecta est. In tanta itaque miseria constituta, ad S. Cunegundem recursum fecit, et per tres dies in capella suarum reliquiarum devote oravit, donec tertia die utriusque oculi sanitatem recuperavit.

* *forte* læsum

B In eodem itidem conventu Anna Jodlowska, S. Claræ professa, per magnum dolorem, durantem novem mensibus, unum oculum destructum habuit ; post votum, qualibet feria secunda per annum faciendi aliquam specialem devotionem ad S. Cunegundem, tertia feria secunda optatam oculi recepit sanitatem.

quibus male affecti erant oculi.

35 Puella Agnes de Biecz, cujus oculus sinister descensu catharroso obrutus fuit, ita quod nec aperire eumdem per tres menses poterat; voto facto veniendi ad tumbam S. Cunegundis cum oculis ex cera, consolata est.

Nobilis Susanna de domo Kuczkowska cum marito suo Andrea Jordan, Filiam suam novennem, per septennium visu carentem, et graves patientem dolores, ad tumbam S. Cunegundis obtulerunt ; et liberam ab omni dolore, et cæcitate domum revexerunt.

Nobilis Sophia Wierzbiecina solennes ad tumbam S. Cunegundis egit gratias, quod in frequenti dolore oculorum suorum, alia non utens medicina, quam aqua ex puteo S. Cunegundis, semper levamen senserit.

C Jacobus Koczab ex suburbio Neosandecensi, per quindecim septimanas graves sentiens in oculis dolores, ab uxore sua Anna commendatus S. Cunegundi, illico a doloribus solutus est.

Anno MDCXXVII, nobilis Elizabeth Wieloglowska per magnos dolores, a plica *k* causatos, cæca effecta totaliter in sinistro oculo (dextro vero plus non videbat, quam solam caliginem) voto facto ad tumbam S. Cunegundis, et in oculis sanata fuit, et ab affectione plicæ (per quam maritus suus Nicolaus Wieloglowski primo cæcus, demum mortuus est) liberata.

Puella, Kokoszezyna appellata, ab Adventus principio usque ad Quadragesimam cæca facta, post votum ad S. Cunegundem factum, visum recepit.

Anno MDCXX Sophia Seledzianka de parochia Vlanowska, per tres annos visum amiserat ; sed lotis oculis ex puteo S. Cunegundis, visum perfectum recuperavit.

ANNOTATA.

a *Miracula tamen, quæ hic modo sequuntur usque ad caput* VI, *non videntur ex hoc secundo, sed ex primo processu desumpta, in eoque coram examinata per testes, tum in suas classes ac species digesta et consignata. Id primum collige ex titulo, qui infra capiti* VI *præfixus est ; deinde ex miraculo, quod secundum ponitur cap.* IV, *num.* 41, *quod ad primum processum certissime pertinet ; denique quod verisimile non appareat, in eodem processu separata fuisse miracula quæ ad eamdem classem spectabant ; puta mortuos suscitatos, pestiferos sanatos, etc. Quamquam alioqui parum intersit, ad primum, an ad secundum, an ad utrumque referantur ; cum iidem in utroque examinatores fuerint commissarii.*

b Semi trium, *id est, duorum et medii ; quæ ratio loquendi nunc apud Septemtrionales usitatissima est, et infra redibit sæpius. Adi Cangium ad vocem* dimidius. E

c Præmislia *urbs est in Russia rubra ad Sanum fluvium.*

d Novum forum, *vulgo* Neuwmarckt, *oppidum est Silesiæ paulum infra Vratislaviam, non procul ab Odera flumine.*

e *Verbum substantivum passim hic omittitur ; quod, uti nos hoc loco, sic alibi per se facile supplebit lector cum sensus exiget.*

f *Puto hic appellari* commissarios Apostolicos *per prolepsim : nam hæc miracula, ut ante ostendimus, videntur pertinere ad primum processum, qui habitus est non ex commissione Romana seu Apostolica, sed episcopi Cracoviensis : quia tamen iidem hi fuerunt, quibus alterum processum anno sequenti Roma commisit ; hinc apparet per anticipationem hunc eis modo titulum dari, nisi mavis, hunc testem in utroque examine comparuisse, idemque in secundo asseverasse, quod in primo deposuerat.*

g *Ad veterem scilicet Sandeciam, a nova milliari uno distantem.*

h Extremizare *vox quidem est barbara, sed minime obscura significatio, pro in extremis agere, animam agere, etc.* F

i Biecz *oppidum est satis clarum in palatinatu Cracoviensi ad Wislacam fluvium senis circiter leucis Sandecia distans ; si tamen mappæ Geographicæ hic sunt accuratæ.*

k Plica *morbus est, qui sub finem seculi* XVI *observari primum cœpit inter Hungariam et Pocutium provinciam regni Poloniæ, unde paulatim regnum universum ita pervasit, ut per antonomasiam appellari soleat* plica Polonica ; *non quod alibi non grassetur, sed quod nullibi magis aut perniciosius. Est autem pilorum, ut plurimum capitis, irregularis complicatio, vel tricis funiculorum adinstar productis, vel ad galeri formam super calvariam compressis, tumentibus et viscoso humore agglutinatis : quæ si vel pectendo, vel radendo irritetur, toto corpore virus diffundit, et mira causat symptomata. Plura Daniel Sennertus tom.* 3, *lib.* 5, *part.* 3, *sect.* 2, *cap.* 9; *et Onuphrius Bonfiglus in Dissertatione de Plica Polonica ; aliique.*

CAPUT

EX PROCESSU PRIMO MS.

CAPUT IV.

Eorumdem miraculorum ex primo processu prosecutio.

Miracula B. Cunegundis

Anno MDLXXXIV, Bartholomæus Fusorius, vicarius Neosandecensis factus, matrem suam valde infirmam habuit, cujus gratia Cracoviam pro medicamentis festinanter in equo perrexit; in quo itinere icteria infectus, valde debilitatus mansit; accessit postea febris continua, quæ ipsum morti proximum reddidit. Interim mater sua convaluit, et de filio solicita, curavit ipsum deferri ad tumbam S. Cunegundis; cui dum jam esset vicinus, ad puteum beatæ hujus Virginis properari mandavit; ex quo hausta aqua, statim B vires accepit, in crastino icteria liberatus; et post eadem die ad vesperam reliquit eumdem febris; ita quod tertia die suis viribus ad ecclesiam, et locum S. Cunegundis venerit.

Idem anno MDCX, cum jam esset custos, et officialis Sandecensis, IV Dominica Adventus febre correptus, toto mense in desperata erat valetudine. Celebrata erat pro ipso Missa, et decantatæ Litaniæ a monialibus; tandem in somno apparuit ei B. Cunegundis, et dixit: Sanus eris; sed ad ecclesiam collegiatam Sandecensem devotionem Rosarii B. M. V. introducere debes. Quod ipse devotissime postea explevit, et in perpetuam memoriam, tabulam argenteam cum sequenti inscriptione ad tumbam D. Virginis appendit:

Reverendus Barthol. Fusorius, custos, concionator, et officialis Sandecensis,
Ictericus sanatus, acuta febre levatus,
Ubi Divæ petit undam; accipit simul jucundam
C Mentem, cœlitus stillatam, ope ejus imploratam,
De Mariæ Rosario inducendo cum studio
Devoto municipibus suis Neosandecensibus.

circa febres malignas,

37 Simili paroxysmo laborans Agnes Skorupina, vidua, similem gratiam intercessione B. Cunegundis a Deo obtinuit anno MDCXXIV: in acuta namque febre exsistens petiit sibi dari Rosarium, seu globulos precatorios attactos ad reliquias B. Cunegundis; quibus ad collum impositis, febris cessavit.

Mathias barbitonsor, civis Neosandecensis, filium suum quinquennem in pustulis semi altera septimana febrem malignam sufferentem, et jam tantum spirantem, pater ad tumbam S. Cunegundis veniens, devote obtulit, et promisit cum Missa ad sacrum locum, si supervixerit. Post quod votum puer ille in duabus horis, quando timebatur moriturus, perfecte convaluit.

Adalbertus Kuzbrod de antiqua Sandecz anno MDCXXV, quotidie a mane ad meridiem febres frigidas, et a meridie ad vesperam patiebatur febres calidas: per decem septimanas nihil juvantibus humanis remediis, convertit se ad divina, D sperans se eadem ad tumbam D. Cunegundis inventurum, ivit ac ecclesiam; quam cum clausam reperisset devote ante portam oravit; et sanus ibidem factus, domum rediit.

et morbum flavum

38 Pater Marianus, Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, in antiqua Sandecia de familia in monasterio exsistens, V diebus ante festum S. Joannis Baptistæ in febrem malignam incidit; quæ dum valde cresceret, spes in religiosis fratribus vitæ ejus decrevit; unde eo præmonito, ad tumbam B. Cunegundis orandi pro salute ipsius gratia iverunt; et dum orarent, ipse quoque suspirabat, et tandem derepente de lecto surgens, suggestum (quia dies erat S. Joanni Baptistæ sacer) ascendit; se bene sanum præsentavit, et gratiam prædicavit. Hoc contigit anno MDCXXVI.

Anno MDCXXIII, Catharina Beltowska, Novifori civissa, in febre maligna per septimanam exsistens, et delirans, obsessorum a dæmone actus exercebat, et tamquam canis latrabat; tandem E loquela et sensibus emissis, IV septimanis incurabilis mansit. Invisit illam advocatus ejus loci, Adalbertus Kostecki; ac misertus, obtulit eleemosynam pro Missa celebranda pro ea, cui etiam præsens aderat; vovitque sub illud tempus, si supervixerit, conducendi eam ad tumbam S. Cunegundis. Post absolutam Missam et suas preces, redux denuo visitavit infirmam; sed jam compotem sui, et loquentem invenit; cui facta voti pro ea relatione, ab eaque gratiis actis, quinta die ad locum sacrum cum ea perfecte sana inter perfecit.

Anno MDCXXV Melchior Flodrowic, civis de antiqua Sandecia, icteriam patiens medio anno, per vicinam ad tumbam S. Cunegundis oblatus. Quod promissum dum ille rescivit, conduci se illuc mandavit, aquam ex puteo B. Cunegundis bibit, Missam pro se celebratam audivit, et tertia die plene convaluit.

Anno MDCXXI, Gregorius, organi pulsator ecclesiæ sanctimonialium in antiqua Sandecz, incidit in febrem acutam; quam dum pateretur IV septimanas, nec remitteret, et loquelam amisisset; jam incurabilis a medico judicatus, a monia- F libus per Missæ sacrificium ad tumbam S. Cunegundis commendatus, meliorari cœpit, et ad tertium diem integre convaluit.

sive icterum.

39 Religiosa Anna Wieloglowska, in Antiqua Sandecz professa, febre maligna anno MDCXXVI per quatuor dies laborans, voto emisso ad S. Cunegundem, illico sana facta est.

Anno MDCXIII, simili affectione per III septimanas decumbens ejusdem monasterii professa Sophia Boczkowska, oblata a sororibus ad S. Cunegundem, mortem evasit.

Eodem anno Sophia Krzyzacka de Mszana, V milliaribus ab antiqua Sandecia distante, per VIII septimanas patiebatur febrem frigidam et calidam tertianam, ut vocant; resciens quod vicinæ suæ accingerent se itineri ad tumbam S. Cunegundis pro festo SS. Trinitatis, illa etiam, etsi multum debilis, adjunxit se ipsis sanitatis implorandæ gratia. Dum ergo in oppidum intraret, dimisit illam omnis debilitas; ita quod sana ecclesiam intra-

A intraverit, et peracta devotione, sanissima domum redierit.

Anno MDCXVIII, nobilium Stanislai, et Sophiæ Zlockich de Rupniow filius Alexander semi duorum annorum gravi febri maligna oppressus fuit, cui medela nulla prodesse poterat. Unde ad sanctam Cunegundem promissus, statim melius habuit.

Nobilis Przeclaus Zaborski uxorem suam Annam de domo Dolecka per duos menses in continua febre exsistentem multis expensis a violentia morbi eripere voluit : sed cum doctores medicinæ nullam spem superesse dicerent, vehi illam jussit ad S. Cunegundem, sive vivam mortuam; ad quam ubi pervenit, prostravit se in terram, et sanitatem uxori implorabat; et cum obtinuisset, tum præ gaudio cum lacrymis clamabat : Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me !

Item circa morbum caducum,

40 Anno MDCVI, per novem menses Stanislaus, in cunis, filius Sophiæ Niedoperzowa, civissæ Neosandecensis, patiebatur morbum [caducum] tam sæpe; quod etiam per horam duodecies infestaverit ipsum. Cum autem nullum potuisset afflicta mater invenire levamen, quod in multis etiam sacris quærebat locis, devovit filium suum S. Cunegundi, et ante altare ejus posuit, cum magna contritione efflagitans auxilium, quod prospere ad aram sanctæ Virginis obtinuit. B

Felicis itidem Gruszkowiczowa, civissæ pariter Neosandecensis, Jacobus filius semi quatuor annorum eodem cruciabatur symptomate, et semel tam graviter, quod jam videbatur exhalare animam. Miseræ matri persuaserunt opportune vicinæ recursum ad sanctam communem patronam Cunegundem : unde ipsa genuflexa, cœpit in salutem pueri invocare Servam Dei cum voto deducendi eum, si supervixerit, ad suam tumbam ; quo finito, puer cœpit clamare : Non tristeris, cara mater ; ibimus ad B. Cunegundem pro gratiis agendis Christo Domino, qui ad intercessionem ejus dedit mihi sanitatem.

Simile beneficium obtinuit per preces B. Cunegundis nobilis Christophorus Ochentkowski in Wola Myszkowa, cujus filius Joannes, quinque annorum, in febre per duas septimanas exsistens, morbum caducum tam vehementem passus est ; ut jam pro demortuo per VIII horas haberetur. Qui tamen post Missam celebratam et votum ad S. Cunegundem pro se factum, ad se plene rediit, et liber a morbo illo remansit. C

sive epilepsiam.

41 Anna Jordanowna, religiosa S. Claræ in antiqua Sandecz, tribus annis, et quotidie, suffferebat hunc gravem morbum : inops igitur facta humani remedii (nam nihil juvabat) prostravit se semel ante sacras B. Cunegundis reliquias, votum faciens, si superviveret, dicendi quotidie usque ad mortem V Pater in honorem V vulnerum Christi ante suam tumbam ; quod promissum vix fecit, statim ab illo malo liberata est. Contigit anno MDCXVI.

a Anno MDCXXVIII, cum auctoritate ordinaria *a* examinarentur testes, super miraculis B. Cunegundis, Catharina Talarowicowa, civissa Neosandecensis, coram DD. commissariis præsentavit in ulnis Sebastianum filium simul cum promisso voto ad B. Cunegundem, qui passus fuit per IV horas morbum caducum ; sed statim a quo cœpit orare pro ipso, dereliquit eum affectio.

Ex processu primo ms.

Anno MDCXXVII, hac eadem affectione tacta fuit Cunegundis, filia duorum annorum Andreæ Swiatliwicz, notarii Neosandecensis ; sed dum a parentibus offerebatur ad tumbam D. Cunegundis ; et morbus cessavit, et pustulæ deciderunt, et sana facta est.

Zuzanna Krupina de Jaslo filiam suam V annorum, patientem morbum caducum, ad diversa loca sacra deferebat, et deprecabatur pro levamine ; sed gratia non obtenta, obtulit eamdem ad S. Cunegundem, et exaudita est.

Item circa parturientes.

42 Anno MDCXXVIII, mense Februario, Susanna Gaszczonka, Neosandecensis civissa, gravida in mense jam septimo, iter faciens, decidit de curru casum gravem, et periculum abortus cum magnis doloribus per duas septimanas passa est. Cum autem nulla prodessent remedia, imo potius evidens et sibi et fœtui immineret vitæ discrimen, votum fecit ad S. Cunegundem, prolem, quam ederet, si femella esset, Cunegundem ; si masculus, Franciscum, appellandam : voto facto, feliciter, licet ante tempus, puellam enixa est, quæ in baptismo Cunegundis nominata ; et quia duobus mensibus ante tempus nata, ideo forsan post duos menses etiam mortua, matre incolumi exsistente. E

Anno MDCXXV Sophia Swiatlowicowa, notarii Neosandecensis uxor, cum per tres dies in partu cruciaretur, nec posset parere, voto a marito pro illa ad S. Cunegundem facto, feliciter filiam peperit, nominatam Cunegundem.

Anno eodem nobilis Heduigis Abrahamowska, in districtu Biecensi cum fœtu, quem ut pareret valde cruciabatur, in proximo mortis exsistens periculo, a matre sua Anna, de domo Lubienska, S. Cunegundi commendata, cum admiratione omnium, statim ac felicissime sanum et vegetum genuit filium.

Anno MDCXXVII, nobilis Sophia Chwalibogowa, uxor notarii castrensis Neosandecensis, postquam peperit filiam Annam, a malignis oppressa doloribus, ita ut omnia ex illa effluerent intestina ; nec se ullo modo movere potens, promisit, si evaderet mortem instantem, cum prole visitare tumbam S. Cunegundis ; et instantanee libera ab omnibus doloribus, sana facta est. F

Item circa b

43 Primi recognoscentes *b* sunt nobiles germani fratres a parentibus S. Cunegundi oblati, quorum testimonii in lamina argentea tenor est, qui sequitur :

DEO OPTIMO MAXIMO, UNI, ET TRINO.
Petrus et Albertus Bydlinscii, gravi ægritudine oppressi, meritis et intercessione D. Cunegundis, dum per parentes suos devote fuissent commendati, mirabili prorsus modo vitæ restituti sunt. Quo nomine Deus laudetur in perpetuum.
ANNO MDCXXIII.

Eodem anno nobilis Sophia Woiakowska IV annis in lecto decumbens, sic valde extenuata fuit, ut sola ossa, et cutis apparent in ea ; sic facta debilis, ut vi propria nec se movere, nec per se comedere potuisset ; fecit votum visitandi tumbam S. Cunegundis, sed non sanior facta : unde

EX PROCESSU PRIMO MS.

unde portari se inter brachia hominum fecit ad sacrum locum, ipsa tantum pedes de quando in quando *c* per terram trahens, adducta fuit ad ecclesiam, in qua sub tempus Missæ ad reliquias S. Cunegundis pro se celebratæ, et Litaniarum per moniales cantatarum, plene convaluit, et domum sanissima rediit.

morbos alios

44 Anno MDCXXV, Jacobus Szczepanowski (de stirpe S. Stanislai episcopi Cracoviensis et martyris) succamerarius Culmensis *d*, et capitaneus Grudensis *e* plusquam medio anno sub cura medicorum gravissima sustinuit symptomata; tandem ulceribus plenus miserrimam trahebat vitam, ad cujus terminum omni momento festinare videbatur. Cum autem a medicis derelictus esset, derelicta quoque circa corpus ejus erant media, cum nullum juvaret; et soli a confessario ejus, ex Ordine S. Francisci Minorum Conventualium, invigilabatur dispositioni animæ; hic bonus Pater, qui ex obedientia religiosa quondam manserat in conventu antiquæ Sandecz, interrogavit infirmum, an audierit umquam de B. Cunegunde; et isto negante, ille affirmabat, istam beatam Virginem fore omnibus ad se confugientibus in omni infirmitate solatium; et hinc suasit, ut se commendaret illi. Sed cum infirmus non solum virium, sed etiam verborum tunc inops esset, petiit a confessario huic sanctæ commendari Patronæ, pro rata habiturus, quidquid ille promiserit. Confessarius ergo, convocatis omnibus tam ecclesiasticis quam secularibus, ad oculum præsentibus, genua flexit, et votum pro infirmo fecit visitandi tumbam S. Cunegundis cum oblatione debita. Res mira! quod prius infirmus de lecto vi sua surrexit, quam confessarius precem compleverit. Sanus itaque factus Veterosandeciam ivit, et in perpetuum memoriale laminam argenteam cum tali subscriptione reliquit: Jacobus Szczepanowski succamerarius Culmensis, capitaneus Grudensis D. Cunegundi. MDCXXV, Kalendis Maii.

varios.

45 Venerabilis Anna Jodlowska, religiosa S. Claræ conventus antiquæ Sandecz, diu gravi pressa infirmitate, quam nulla mitigabant medicamina, et hinc desperata, imo sensibus et loquela privata, dum a sororibus pro sua felici morte oraturis custodiretur, gratiæ S. Cunegundis in dolore oculorum suorum sibi factæ recordata, corde (nam ore non potuit) se sanctæ Fundatrici commendavit; et bene sana, omnibus præsentibus, ex lecto surrexit.

Nobilis Heduigis, Filia Alberti Zielinski, in quadam infirmitate, quam medici cognoscere non poterant, nec ejus curationis modum invenire valebant, a parentibus S. Cunegundi oblata cum onere visitandæ tumbæ suæ, et læta et sana ex lecto surrexit.

Gregorius Woytas, de suburbio Neosandecensi, habens continuas ejectiones et vomitus per semi alterum diem, tandem in febrem malignam incidit. Cum autem medici nescientes modum salvandi eumdem, desperarent de vita illius, uxor sua obtulit eum B. Cunegundi, et de ejus puteo curavit adferri aquam; quam dum infirmus bibit duabus vicibus, in puncto sanus factus est.

ANNOTATA.

a *Agitur hic ergo, ut diximus, de miraculis in primo processu probatis, qui solus factus est auctoritate ordinaria seu episcopi Cracoviensis; cum secundum auctoritate Romana sit institutus non anno hoc* 1628, *sed sequenti primum cœptus.*

b Primi recognoscentes, *id est, primi eorum, qui ad hanc classem pertinentes, beneficia sibi collata agnoverint testatique sint, fuerunt nobiles, etc.*

c De quando in quando, *id est, interruptis vicibus ac temporibus.*

d Colmia, *vulgo* Culm, *urbs est et metropolis Culmigeriæ, sedetque ad Vistulam fluvium in Prussia.* Succamerarius *vero, teste Stanislao Krzistanowic in Brevi descriptione statuum regni Poloniæ, pag.* 22, est, qui regendis finibus agrorum ac bonorum terrestrium, tam ad regem, quam ad nobilitatem, capitula, cives, pertinentium præest. Qui juratus oportet ut sit; habetque is ad id munus obeundum vicarios, qui Camerarii vocantur, *etc.*

e Grudentum, *vulgo* Graudentz, *civitas est et arx insulæ imposita ad Vistulam, qua is Colmia ad mare Balticum alveum intendit.* Capitanei *in Poloniæ regno alii sunt cum jurisdictione, alii sine illa: primi generis* sunt præfecti arcium et civitatum regiarum, qui vocantur brachium regale; *qualis est etiam hic noster. Plura de his vide apud laudatum modo Stanislaum Krzistanowic.*

CAPUT V.

Miraculorum ex primo processu desumptorum continuatio.

Item alia miracula

Anno MDCXXVI, Joachim aurifaber, civis Neosandecensis, plus quam uno anno ferme quotidie patiebatur palpitationem cordis, et alios incomparabiles dolores; cum nullum per varias medicinas sentiret levamen, recursum devote fecit ad B. Cunegundem; et ex tunc affectio cessavit. Gratus postea beneficii, tumbam Sanctæ visitavit, confessionem fecit, communionem sumpsit, et cor argenteum appendit.

Anno MDCXXVIII, Valentinus Paiæk de parochia Piwnicensi per XV annos patiebatur graves capitis dolores; et cum nulla emplastra, et unctiones prodessent, in concione autem audisset, qualiter ad tumbam B. Cunegundis multi in variis languoribus curati sint, obtulit se etiam B. Cunegundi; et statim in eadem ecclesia capitis cessavit dolor.

Anno MDCXIII, Sophia Krzyzacka de regali Mszanka, intolerabiles in capite, pedibus, et aliis membris patiebatur dolores, in ossibus insuper et nervis valde cruciabatur; et cum a festo S. Michaelis usque ad Purificationem nulla humana juvarent media, obtulit se S. Cunegundi cum Missa; et sana facta est.

Anno

A Anno MDCXXV, Anna Swiechowa, de eadem Mszanka, patiebatur graves in manibus dolores pedibus, et in singulis corporis partibus, quarum nulla sana fuit : in qua summa ægritudine a Paschate usque ad festum SS. Trinitatis exsistens, licet se commendaret semper B. Cunegundi, nullum tamen sensit levamen. Cum vero pro *a* dicto festo SS. Trinitatis, titulari a sanctimonialium Sandecensium, ad visitandas reliquias S. Cunegundis irent alii homines devoti, ipsa etiam, licet cum magna difficultate ob suam affectionem, perrexit cum illis; et facta in loco sancto confessione sacramentali, et sumpta sacratissima Eucharistia, sumpsit etiam in toto corpore pristinas vires et sanitatem.

in varias

47 Anno MDCXI, Margarita Lætczyna, de Biegunice, habuit filiam adhuc in fasciis, nomine Justinam; cujus lingua accreverat palato; chirurgus illam accretionem voluit scindere novacula, et incaute scidit linguam per longum in duas partes; unde puella, cum nec linguam volvere, nec comedere posset, jam proxima morti B fuit. Mater afflicta nesciens, quid aliud facere, commendavit illam S. Cunegundi; quo facto, puella obdormivit, et in somno trium horarum facta est lingua integra et sana.

Anno MDCVIII, nobilis Nicolaus Znamierowski in gravi infirmitate et doloribus in omni parte corporis exsistens, nec juvamen aliquod inveniens ex plurimis medicinis, tandem obmutuit, VI septimanis non nisi per signa et nutus suas exprimens necessitates. In tali statu cum esset, cogitabat, quare Deus sic eum affligeret; et conscius sui a fide catholica ad Arrianam recessus, hunc pro causa tantarum pœnarum credidit : unde qualiter potuit indicavit, quod vellet catholicum confessarium; qui cum fuisset vocatus, confessus est ipsi per nutus, et sacra communione refectus cum dolore maximo. Quem etiam uxor sua divæ commendavit Cunegundi; quo vix facto, convaluit infirmus; et sepulcrum B. Cunegundis non solum semel, sed quolibet anno, quousque vixit, visitavit.

corporis partes.

48 Anno MDCXX, Joannes Porczinski Pruthenus in universitate Cracoviensi studens, ex un- C gue, qui digito pedis accreverat, male exciso, et pejus curato, gangrænam passus est ; et cum, si vivere vellet, præter opem divinam aliud remedii non occurreret, quam pedis abscissio; pauper studiosus anxiabatur summopere et divinam implorabat clementiam. Interim quidam studiosus venit ad eum visitandi gratia, casu felicissimo ferens secum Vitam B. Cunegundis recenter impressam; quam cum æger accepisset ad manus, et incidisset in miracula D. Cunegundis, se quoque ipsi commendavit; nec sine effectu id fecit : nam sequenti nocte a gangræna et omni periculo liberatus est. Cum autem tunc inchoaret pestis Cracoviæ, in Prussiam abire debuit; sed post VIII annos memor beneficii, in persona tumbam S. Cunegundis visitavit, et devotionem suam ex voto peregit.

Anna Kusiowa de Biegunice habuit dolorem acutum in dextro pede, propter quem nullo modo incedere potuit; voto facto pedester faciendi iter ad tumbam S. Cunegundis, statim saua facta est.

EX PROCESSU PRIMO MS.

Similem gratiam R. D. Jacobus Zastakowic, Vicarius in Biecz, expertus est D. Cunegundis : unde talem inscriptionem in voto suo argenteo sculpsit : Pater Jacobus Zastakowic ob infirmitatem et dolorem pedum dicavit, et vovit.

Item

49 Mathiæ barbitonsoris de nova Sandecz Stanislaus filius in pustulis exsistens, acutam passus est febrem per totam septimanam; in qua cum videretur incurabilis, parentes ejus iverunt ad tumbam cum oblatione S. Cunegundis; expost demum redeuntes, sanum puerum invenerunt.

Anno MDCXXVII, consul Neosandecensis, cum plurimi infantes ex pustulis morerentur (dicebatur autem hic consul Georgius Tymowski) cum et ipsius natu minor filia mortua esset ex causa pustularum, timens ne et filius ipsius, qui iu eadem infirmitate solus remanserat adhuc vivus, moreretur, obtulit pro eo Missæ sacrificium, et quidem felicissimo eventu : nam puer ante finitam Missam sanus factus est.

Simile beneficium experta est Catharina, Stanislai aurifabri de nova Sandecia uxor; cujus tres infantes exsistentes in desperata pustularum E infirmitate, sani et salvi facti sunt post oblationem illorum ad B. Cunegundem.

Gregorius pulsator organi conventus Vetero-sandecensis, habens filium duorum annorum totum pustulis obsitum; et cogitans, qualiter in oppido suo uno mense plusquam LX infantes ex eadem decesserint infirmitate, obtulit pro eo ad sepulcrum B. Cunegundis sacrificium ; nec infeliciter, siquidem ex innumerabilibus pustulis in corpore infantis vix postea duodecim apparebant; et infans convaluit.

circa pueros variolis laborantes.

50 Anno MDCXXVII, majus omnibus beneficiis accepit Stanislaus Lugowski, civis Neosandecensis, cujus filia VII annorum, nomine Elizabeth, pustulis plenissima, in febre maligna per VIII dies exsistens, et obcæcata, ac hydropica, totoque corpore livida, dolores insuperabiles usque ad divisionem animæ sufferebat; speque vitæ ejus carentes parentes, omni fere momento mori videbantur. Intra hoc filiæ et parentum martyrium exclamavit infirma filia ad matrem, et eam bono animo esse jubet, dicens, sibi in religioso habitu apparuisse B. Cunegundem, et vi- F tam sibi promisisse. Quo mater audito, obtulit eam S. Cunegundi; et protinus sana facta est, sine ullo in facie, in oculis, et in toto corpore signo pustularum.

Nobilis Paulus Maniecki cum Sophia uxore sua in Grybowo desperatum filium suum IV annorum, ex pustulis in febre maligna exsistentem, per Missam ibidem celebratam D. Cunegundi commendarunt; ad cujus celebrationem puerulus sanus factus est.

Pauli Szowski, civis et aurifabri Neosandecensis, duo infantes morti proximi sani facti sunt intercessione B. Cunegundis ; cujus testimonii in lamina argentea tale perhibetur testimonium :

Sophia, et Joannes.
Pustularum dum rabies mortis esset materies
Multis pueris, Sophia et Joannes prece pia
Sunt commendati D. Cunegundi; et sic nacti
Morbi mortisque levamen. Vivunt nunc, et vivant. Amen. MDCXXVII.

Anno

Ex processu primo MS.

Anno MDCXXVIII. Sophia de Muszyna, ex subditatu *b* episcopi Cracoviensis, scabiem horridam et male olentem patiebatur per VIII septimanas, cum ingenti dolore et anxietate; a qua voto facto ad B. Cunegundem, liberata est.

Anna Koczebina ex suburbio Neosandecensi totum scabie infectum detulit filium ad tumbam B. Cunegundis; et sanum domum retulit.

c *Item*

51 Paulus Skrzyniarz, ædilis *c* ecclesiæ parochialis Veterosandecensis, ex dysenteria, quam passus est per VI menses in anno MDCXXVII, incidit in phthisim; in qua cum nullo humano modo potuisset curari, et jam quasi agonizabat, invisit eum capellanus monialium, Georgius Cæsarius, et doctor medicinæ, Mathias Grabacki, suadentes ei recursum in sua infirmitate ad B. Cunegundem. Quorum consilium grate acceptans, petiit a R. capellano pro se Missam celebrari; nec fuit frustratus spe sua: nam sub tempus Missæ plene convaluit.

Nobilis Sophia Chwalibogowa de Janowice, consors notarii castri Sandecensis, habuit filiam
B minorennem, quæ ex scabie in phthisim incidit; et non erat modus curandi, eo quod nil juvarent cuncta remedia; obtulit eam B. Cunegundi, et statim scabies et phthisis evanuit.

Anno MDCXII, Catharina, puella Stanislai Zlocki, a nativitate clauda, et a primo ætatis suæ anno in phthisim incidit; sed oblata S. Cunegundi, et phthisis disparuit, et claudæ rectus gressus concessus.

Qua ætate cœpit plicæ affectio, medicinæ do-
d ctoribus sicut ignotus erat morbus *d*, ita et difficilis ordinatio medicinæ. In ista affectione Heduigis Widzowa, civissa Neosandecensis, non solum sanitatem amisit, sed etiam vim in manibus et pedibus totaliter contortis. In hoc excessu dolorum levamen naturale haberi non potuit; pro supernaturali per maritum ad S. Cunegundem recursum fecit, et consolationem cum plena sanitate invenit.

In tali affectione Dorothea, Simonis de Strzeszyn uxor, confracta et contorta membra habens, ac demum et visum amissum, post suspirium ad B. Cunegundem factum, sana quoad om-
C nia facta est.

Reverendus D. Jacobus Vistalicius, parochus Wanovicensis, acutissimis calculi cruciabatur doloribus, in quibus semel jam videbatur agonizans; post votum factum ad B. Cunegundem ab assistentibus, non solum cessarunt dolores; sed etiam ab affectione calculi per reliquum vitæ suæ solutus fuit.

circa varios

52 Anno MDCXXV, Zuzanna, Mathiæ sartoris uxor, de Biecz, per novem annos habuit ulcus
e sub arce *e* sinistra; quo plures faciebat applicationes, eo majores sentiebat dolores. Dimissis itaque remediis humanis, ad divina confugit; effigiavit ulcus suum in cera, et ad tumbam S. Cunegundis devotione peracta, appendit; et statim in ecclesia remissum dolorem sensit, et postea integram sanitatem obtinuit.

Nobilis Jacobus Zmiecki in districtu Sande-
f censi habens *f* in servitio quamdam virginem acupictoriæ artis, affectione cancri per XIX septimanas cum summa famularum molestia decumbentem; cui supervenit adhuc affectio calcu-
D li, intolerabilis et sibi et domesticis pauper illa facta est; et cum modus juvandi non esset, votum nomine ejus visitandi tumbam S. Cunegundis prædictus suus dominus fecit, et felicissime: nam statim utraque cessavit affectio.

Quædam mulier, nomine Sophia cujusdam nobilis concubina, ex invidia maleficiata, a feriis
g Bacchi ad festa Spiritus sancti *g* in dolore capitis et aliorum membrorum intolerabili permanens, nullam potuit in infirmitate sua reperire medelam. Pro festo itaque sanctissimæ Trinitatis venit ad tumbam S. Cunegundis; et ibi contrita, confessa, et sacra Synaxi refecta, levamen prima nocte sensit, et pristinam sanitatem, antequam domum pervenisset, recuperavit.

Anna Novaczkova de Biecz, duodecim annorum puella, ex magnis doloribus in infirmitate sua delirabat per novem septimanas; sed commendata D. Cunegundi, sana in mente et corpore facta est.

Posnaniæ in majori Polonia in ecclesia PP. Societatis [Jesu] quidam ejusdem Societatis Pa-
E ter exorcizabat certam feminam obsessam, volens liberare eam a spiritu maligno; et cum nihil proficeret, facta oratione ad B. Cunegundem, adjuravit dæmonem per nomen hujus sanctæ Virginis; et statim dæmon ejulando ad tartara avolavit.

paroxysmos lethiferos.

53 Anno MDCXXIV, pius quidam sacerdos Sebastianus Zagrodzki, parochus in Biegunice fundationis B. Cunegundis, ex melancholia magna incidit in febrem malignam; in qua cum non poterat juvari, desperare cœpit non solum de salute corporis, sed etiam ex suggestione dæmonis de salute animæ; cui etiam susurrabat dæmon, ut Crucifixum ex mensa, coram quo sanus
h orabat, dejiceret. Post imme[diate] *h* apparuit ipsi quædam Persona in veste candida dicens: [Exa]mina bene conscientiam tuam, et dispone domui tuæ; quia ante decimum quartum respirium morieris. Post septimum itaque respirium, deliquium passus est, in quo vidit B. Cunegundem cum tribus choris virginum suæ professionis religiosæ, dicentem sibi: Confide in Deo, et fidelis esto: nam in hac infirmitate non morieris;
F eo quod et mihi devotam exhibeas servitutem, et sororibus meis sincerus sis; postula ab abbatissa monasterii mei de vino, quo abluta sunt ossa mea; et hoc hausto, sanus fies. Et factus est.

Item

54 Anno MDCXVIII, filius parvulus Mathiæ Klis ludens supra fluvium, Dunajec dictum, derepente ab aqua correptus, et ad tria stadia portatus, pro mortuo ex aqua extractus, et per noctem jacens, dum sepulturæ tradendus erat, a matre S. Cunegundi oblatus, respiravit et revixit.

R. D. Sebastianus Zagrodzki, parochus in Biegunice, habens penes se certa originalia privilegia monasterii S. Cunegundis Sandecensis, fluvium Poprod in vili equo transire voluit, nocte jam facta, et ignorans, quod tunc aqua creverit: bis ergo ad profundum veniens, et aquam ad collum habens, commendavit se huic B. Virgini, quæ ipsum ex periculo eripuit, tanto mirabilius, quod cum ille ad indusium usque madefactus fuerit, illa originalia privilegia ne gutta aquæ tetigit.

Albertus

EX PROCESSU PRIMO MS.

A Albertus Slak de Librantova per undecim menses dysenteriam patiebatur, et jam mortis speciem præ se ferens, mortem tantum, nullo remedio juvante, exspectabat. Conversus tandem votis suis ad S. Cunegundem, illico sanus factus est.

In simili exsistens infirmitate Albertus Mædry, figulus de antiqua Sandecz, per XIV septimanas, et insuper omnium ossium et membrorum acutos patiens dolores, commendavit se B. Cunegundi; et mox convaluit.

circa 55 Nobilis Elizabeth Pæniotowska in certo negotio visitavit nobilem Hieronymum Stan, tunc capitaneum Sandecensem in villa, Gostwica dicta; ex consilio ipsius dominæ Stanowa, uxoris D. capitanei, dedit comitivam quibusdam dominabus pergentibus Veterosandeciam ad tumbam S. Cunegundis. Cum autem jam in suburbio fuissent, subvolarunt anseres, et terrefecerunt equos, quos currentes non poterat detinere auriga; et sic timentes sibi dominæ illæ, desilierunt ex rheda, sicut etiam facere voluit prædicta domina Pæniatowska: cujus vestis, ad clavum B circumvoluta, detraxit illam sub rhedam, et evidentissimo exposuit periculo confractionis omnium membrorum, et conquassationis totius corporis. In hoc igitur statu exsistens misera domina, clamavit ad S. Cunegundem pro succursu; et feliciter: nam et equi, qui effrenate continuo currebant, steterunt; et domina Pæniatowska, cujus manus et pedes non semel rota pertransivit, illæsa inventa; et quod majus, nec a luto, quod tunc erat, maculata fuit.

Valentinus Janik de Mszana pergens in equo et obdormiens, impegit in arborem, et attrivit pedem tam violente, quod in genu et crure vulnus acceperit, multis modis incurabile. Cum autem ad tumbam S. Cunegundis adventus, devotionem suam explesset, et vulnus aqua ex puteo S. Cunegundis lavisset, illico curatum fuit; unde sanus domum rediit.

vitæ pericula et incendia. 56 Anno MDCXVIII, magnum incendium in antiqua Sandecz exortum fuit, ex quo totum oppidum conflagratum est, et omnes domus, quæ ligneæ erant, exustæ. Pater Athanasius Sulmi- C rius (qui nuper intercessione hujus sanctæ Virginis visum perditum recuperavit) videns in summo periculo ecclesiam suam cum monasterio a circumdantibus undique flammis, vocatis per pulsum campanæ ad ecclesiam Patribus, et Fratribus, quorum Guardianus tunc fuit, exponi fecit SS. Sacramentum, et ad S. Cunegundem clamare; ut quæ id monasterium fundavit, eadem illud defenderet ab igne. Sic igitur, nullo defendente, monasterium Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium illæsum permansit, omnibus circumcirca ædificiis combustis.

Anno MDCXXVII, Simon Wolski in simili exsistens periculo, dum quinque amplæ domus circa ipsum ardebant, invocavit S. Cunegundem in adjutorium; et incendium evasit.

Anna Papiezonka de Strugi, pauper subdita monialium, cum pecudes, boves, et vaccæ circumcirca peste interirent, et sibi jam duæ crepuerint, oravit S. Cunegundem, ut sibi tertiam restantem vaccam dignaretur salvare. Exaudita est: nam vacca, quæ jam erat infirma, convaluit.

ANNOTATA.

a *Adi Vitam supra cap.* 15, *num.* 139.

b Ex subditatu, *id est, ex subditis.*

c Ædilis, *id est, æditus seu custos ecclesiæ.*

d *Vide annotata superius ad cap.* 3, *littera* k.

e *Voluit, opinor, scribi auctor*, sub axilla sinistra.

f *Luxata constructio hujus sententiæ satis est perspicua.*

g *Id est, a Bacchanalibus, seu diebus antecinerolibus usque od Pentecosten.*

h *Adjeci syllabas hic uncis acclusas, ut lacunas vacuas implerem quam possem optima conjectura.*

CAPUT VI.

E

Miracula B. Cunegundis ex secundo processu a.

Alia miracula B. Cunegundis circa mortuos. Agnes, filia Jacobi Mikulec, de antiqua Sandecz, facta graviter infirma, tandem mortua per totam diem et noctem domi jacuit; supra quam inconsolabiliter mater lugebat. Vetulæ ex ecclesia parochiali consolantes matrem, dixerunt: Accipiemus istud corpus exanime, et deferemus ad tumbam S. Cunegundis. Sicut etiam fecerunt, ponentes illud ante altare hujus Sanctæ, ac pro Missa celebranda dederunt. Post Missam itaque finitam, puella bis vocitavit *, et tandem ex terra surrexit, stupentibus plurimis hominibus congregatis.

* *an oscitavit?*

N. Nowinka, subditus monasterii S. Cunegundis, de Podegrodzie, per quatuor septimanas graviter infirmus, decessit e vita. Sic jacens per semialterum diem, cum ad sepulturam vehi debuit, prosiliit ex terra, dicens: Fui in ecstasi; vidi ignem infernalem, ad quem destinatus eram; F sed venit ad me B. Cunegundis, et in mundum redire jussit pro pœnitentia facienda. Quia hoc factum est in vigilia sanctissimæ Trinitatis, ideo in crastino hoc testimonium deposuit hic in hac sanctissima hujus loci titulari solennitate.

Quidam nobiles homines attulerunt huc mortuum infantem; quem, dum agonizaret, commendarunt S. Cunegundi sub tempus Missæ, quæ pro infante celebrabatur. Surrexit infans; quem post aliquot milliaria devexerunt vivum et sanum parentibus.

Anno MDCXI, Petri et Agnetis de Radca filius submersus in Dunajec, tandem extractus mortuus ex aqua, B. Cunegundi a patre et matre oblatus, revixit.

Andreas Jurari, et Alexander, piscatores, subditique monasterii S. Cunegundis, dum piscarentur in Dunajec, vento valido et tempestate navi inversa, in aquam profundam injecti, per unam horam, dum se salvare non possent, commendarunt se D. Cunegundi; hoc facto, uno tempore

EX SECUNDO PROCESSU.

tempore ad littus ab aqua exportati de medio fluvii sani et sicci; quod crastina die testati sunt.

Item circa peste infectos.

58 Stanislaus Bozec, civis Veterosandecensis, peste infectus, quæ in antiqua Sandecz grassabatur, dentes jam superiores a vehementi dolore extra suum situm extractos habuit; et videns se in proximo motis, desiderabat confiteri; sed cum sacerdotes oppidi, qui pestiferis inserviebant, mortui essent, reverendum Stanislaum, parochum Biegunicensem, ad se rogavit. Qui præponens salutem animæ proximi vitæ suæ propriæ, venit domum ad eum, et audita confessione ejus, consuluit, ut se offerret ad B. Cunegundem; quo facto, statim in præsentia sacerdotis, eodem ipso tempore, de lecto sanus surrexit.

Hac eadem peste, et hoc eodem loco, Elizabeth Maslkowa, plenissima pustulis pestilentialibus, commendavit se B. Cunegundi, maxime, ne sine confessione moreretur; et postea curavit se deferri ad puteum hujus sanctæ Virginis, et aqua ex ipso pustulas suas perfundi; oravitque devote ne sine sacramentis decederet. Exaudita fuit benigne: nam primo levamen sensit, et postea pristinam sanitatem adepta est.

B

Hac ipsa peste nobilis Koziarowski domi suæ, in villa sua infectus peste, cum certa virgo, in obsequiis suæ uxoris exsistens, a mensa sub tempus prandii in terram cecidisset mortua, ipse summe perterritus, fugiens a mensa, prostravit se in terram, et supplicavit B. Cunegundem, ut se salvaret suis apud Deum precibus; et re vera obtinuit quod petiit: nam nullus ex multa familia domus mortuus postea est.

Item circa incendia.

59 Anno MDCXXIX, ipso festo S. Patris Francisci mane diluculo in monasterio monialium antiquæ Sandecz in balnei ædificio ignis exortus est; et statim ventus magnus flare cœpit, qui ignis impetum vertit in monasterium; unde nulla spes evadendi supererat incendii. Moniales recursum fecerunt in ecclesia ad Deum, per merita S. Cunegundis; et abbatissa, accepto reliquiario capitis sui, ivit contra ignem, ubi erat maximus ejus impetus, monasterium versus. Quo facto, mirabiliter flamma, quæ lata fuit, restrinxit se in minorem longe; tandem sursum directissime ferebatur, ac post paulatim demittens se deorsum evanescebat, donec annihilaretur, et nihil aliud, quam solum tectum balnei consumendo, balnei ædificio toto relicto.

C

Simile huic miraculo factum fuit anno MDCXXVI in Octava Corporis Christi. Sub ecclesia parochiali exortus ignis, circumcirca viciniores et remotiores domos exussit; ventus contulit carbonem ardentem in tectum ecclesiæ; et jam ignis ardere in aliquot locis templi visus fuit. Cum humanæ [suppetiæ] in plura divisæ tardarent, nec scalæ, et aqua suppeterent, moniales ad capellam sanctæ matris Cunegundis recursum fecerunt, devote orantes, ut ipsa ignem conceptum exstingueret. Antequam igitur homines ad defendendum venissent, invisibili modo visibilis ignis exstinctus est.

Miraculum hic primo loco positum, B. Cunegundis demonstrat specialem circa suas filias, quæ de mundo avocatæ ad serviendum Deo in claustrum venerunt, curam et tutelam. Cum enim in hoc virginali Clarissarum cœnobio ignis in festo S. Francisci exortus fuit, quædam monialis aquam ad extinguendum porrigens, a certa parte tecti, quod disjiciebatur, obruta et obtecta fuit, et ab omnibus pro occisa habita. Post sat longam moram temporis de subtus illa monialis extracta, viva et sana reperta fuit, neque a ligno sat crasso, neque ab igne ligni ardentis læsa; sed tantum majoris miraculi gratia et in facie et in habitu denigrata ab exstinctis forsan carbonibus. D

Item circa graviter concussos.

60 Andreas Lirycyus, natus in antiqua Sandecz, Jaroslaviam studiorum causa in scholis Patrum Societatis profectus est. Ibidem anno MDCIV ex alta domus contignatione cecidit capite in terram, non nudam, sed lignis magnis oppletam; sic ergo cadens, non solum se graviter concussit; sed etiam pellem per medium capitis abrasit usque ad nuda ossa. Chirurgus, qui concussum curabat, non magnam spem vitæ ejus habebat; infirmus se [quoque desperatum] a salute videbat; unde de recursu ad Deum faciendo concluserunt uterque illorum. Concussus, utpote patria Veterosandecensis, recordatus multorum miraculorum B. Cunegundis, quorum junior in scholis parvis ibidem spectator fuerat, commendavit se huic beatæ Virgini; et statim melius valere cœpit, et brevi pristina sanitate donatus. E

Jacobus Zelasko, famulus de villa Gostwice, pergens in equo ad villam dictam Mokra, decidit ex ipso, capite in terram allisus graviter, ut loquelam amiserit. Cum esset morti proximus, nec quidquam, quod suadebant homines, juvaret, consanguinea sua visitans infirmum, persuasit matri, ut, seposita omni humana curatione, a diva Cunegunde medelam quæreret: cui acquiescens mater, obtulit filium ad tumbam sanctæ hujus Virginis; et statim infirmus melius habuit, et ad tertium diem plene sanus factus est.

Item

61 Anna Zielonkowicowa, de Igolomia, cum esset gravida, iter faciebat; et cum esset in hieme via lubrica, cecidit sic graviter, ut statim in ea fœtus moreretur. Ipsa itaque per duas septimanas decumbens, nec fœtum mortuum edere, nec suæ ægritudini juvamen invenire potuit: sic ab omnibus desperata, tantum de salute animæ cogitabat. Invisit infirmam quædam annosa femina, et promisit ad tumbam B. Cunegundis; quo facto, et fœtum mortuum edidit, et ipsa convaluit. F

Anno MDCXXIX, Sophia, Lucæ Krosikowic, ferrifabri Neosandecensis, uxor per tres dies cruciabatur in partu, sine spe vitæ; cum autem de sola anima cogitaret, petiit confessarium ex Ordine Præmonstratensium, patrem Nobertum Xiaznicensem; qui audita confessione infirmæ, interrogavit illam, an sciret aliquid de B. Cunegunde. Cui ipsa respondente: Scio esse Virginem sanctam; reposuit Pater: Quare ergo non te recommendas illi? Promitte invisere ejus sepulcrum, si supervixeris; quo ipsa facto, mirabiliter sine ullo dolore fœtum edidit et sana remansit.

circa parturientes.

62 Quædam mulier valde inops venit antiquam Sandeciam ad civem illum, apud quem maritus suus laborabat opificium; et cum esset in tempore partus, nec habens aliam commoditatem loci, ivit ad stabulum, et ibi peperit. Dum illuc ipsi

portata

A portata fuisset pro refocillatione valde calida cerevisia, casu inopinato inversa est in natum infantem, et quidem in ipsam faciem; quod videns misera mater, voluit abstergere infantem; sed abstergendo detraxit et pellem, quod in gutture sola apparerent tubera amaritudinis plena. Fuit tunc in illo hospitio domina Elisabeth Flokinska, civissa Cracoviensis, quæ valde compatiens tam infanti, quam matri, commendavit eos S. Cunegundi : et PP. Dominicani, qui etiam ibi erant transeuntes, in absentia sacerdotis parochialis baptizarunt infantem; qui post votum factum miraculose in facie statim sanatus fuit; et mater convaluit.

Spectabilis matrona, Balthazaris librarii Cracoviensis uxor, magno periculo circa partum exposita fuit; utpote quæ nec homines nosceret, nec se sentiret; sed quasi inanimatum quid jacens, solo respirio a mortuo differebat. Cum ergo extra spem parturitionis, et vitæ esset; maritus apud Deum, et sanctam Cunegundem juvamen quærens, obtulit eam ad tumbam hujus
B sanctæ Virginis; quo facto, et mater filium feliciter peperit, et filius sanus fuit. Unde brevi pater, mater, et filius cum oblatione præsentarunt se huic sacræ Virgini.

Circa laborantes

63 Agnes, nobilis Martini Wieloglowski filia, in fasciis exsistens, terribiliter morbo caduco correpta fuit; et ita ab illo inclementer vexabatur, ut infantula jam animam exhalaret. Miserta ejus tunc ibidem hospes nobilis Anna Gladyszowa, accepit puellam ad manus, et offerre cœpit genuflexa D. Cunegundi, promittens illam cum Missa sistere huic sanctæ Virgini; quo voto vix facto, statim puellam dimisit morbus, et sana facta est.

Agnes Stolarzowa, civissa Veterosandecensis, duas proles habuit eidem paroxysmo suppositas; utraque tamen meritis S. Cunegundis atrocitatem superavit morbi. Primo filiolus in duobus annis, dum eum pateretur, tertia vice clausum oculum habuit; dum quartam vicem sufferret, voce alta clamavit infans : Deus adjuva me, S. Cunegundis, intercede pro me; quo dicto, subjunxit ad matrem : Jam, cara mater, non teneas
C me; quia sanus sum, et oculus apertus est. Filiam similiter trium annorum, cum corriperet hic morbus, mater accepit per manus, et genuflexa, promisit ad tumbam S. Cunegundis; et statim liberata est ab illo morbo.

Regina Stolarzowa eadem affectione afflictos habuit Stanislaum filium, et Annam filiam; obtulit eos ad sepulcrum D. Cunegundis; sed cum morbus non cessasset, deduxit illos ad ecclesiam, et coram reliquiis hujus sanctæ Virginis Missam celebrari petiit; qua finita, finem illico morbus accepit.

morbo comitiali.

64 Gasparis Bielecki, civis Veterosandecensis, filius Melchior, quinque annorum anno MDCXXVIII, valde subjectus fuit huic infirmitati, quam etiam centies in diem patiebatur; a qua valde debilitatus, brevi moriturus timebatur. Mater afflicta accepit eum secum ad ecclesiam, et Missam pro eo ad reliquias S. Cunegundis celebrari fecit, qua finita, filius sanus esse incepit.

Nobilis Gawronski habuit filiolum, plusquam decem septimanis hunc morbum patientem, et ita debilitatum, ut de die in diem moriturus crederetur. Pater in urgenti necessitate iter facturus, commendavit illum D. Cunegundi; et in casum mortis designavit locum sepulturæ ejus. Pater itaque intercessione S. Cunegundis prosperum iter habuit; sanus ipse domum rediit; et sanum filium invenit, cum ingenti utriusque parentis lætitia.

EX SECUNDO PROCESSU

Quando ossa B. Cunegundis transponebantur in urnam argenteam ex voto comparatam ab illustrissimo et eminentissimo Bernardo Maciejowski archiepiscopo Gnesnensi, S. R. E. Cardinali, ex urna stannea *c*; R. P. Stanislaus Radzinski, Societatis Jesu theologus, habuit facultatem a loci Ordinario lavandi prædicta ossa sacra vino, quod postea collegio Cracoviensi ejusdem Societatis dono cessit in parte. Accidit quod senatoria dignitate conspicua Dorothea Barzyna, palatina Cracoviensis, neptem suam, palatini Lanciciensis filiam, apud se haberet, eumdem morbum patientem graviter, qui nullo modo naturali curari potuit. Resciens postea de isto vino apud Patres Societatis Cracoviæ petiit, aliquid sibi de illo communicari; quo hausto, illa herula *d* sana et libera a morbo facta est. E

Circa dysenteriam et icterum.

65 Stanislaus, filius Pauli Lækawa, consulis Veterosandecensis, duorum annorum, per duas septimanas patiens diarrhœam, cum nulla prodessent remedia, ita debilis continuo fluxu factus est, ut agonizare crederetur; unde et candela pro agone accensa fuit. Quod videns afflicta mater, genuflexa commendavit eum S. Cunegundi, et ad visitandam tumbam se cum filio appromisit. Quod votum vix emisit, et statim filius sanus factus est. Hoc fuit anno MDCXXVIII.

Eodem anno, et in eodem loco, Casimirus, filius Thomæ Rokosa, in autumno sanguineam diarrhœam patiebatur, qua tandem ita debilitatus fuit, quod per quatuor dies neque loqui, nec quidquam de cibo sumere potuerit. Accepit eum pater, et ad tumbam S. Cunegundis portavit, petens celebrari Missam pro eo; qua absoluta, et filius absolutus fuit a morbo; et statim domum reportatus, ad manducandum aliquid petiit.

Eodem anno, Christophorus Bartkowski, de Slowikowa, eamdem affectionem per medium annum patiebatur, nec ullo modo poterat curari. F Quædam vetula, quam domi habebat, compatiens ipsius infirmitati, obtulit ipsum ad tumbam S. Cunegundis; et statim melius se habere cœpit, et brevi post ex morbo evasit totaliter.

Melchior Fladrowic, scabinus antiquæ Sandecz, anno Domini MDCXXVI, morbo flavo a planta pedis usque ad verticem capitis infectus fuit: nihil meliorationis et convalescentiæ ex medicamentis quamplurimis sentire potuit. Rogavit itaque semel et iterum Missam pro se celebrari ad reliquias S. Cunegundis, et statim levamen agnovit; tandem ipse post multas septimanas ex lecto consurgens, in persona ivit ad tumbam sanctæ hujus Virginis, et Missam dici curavit; et totaliter sanus domum reversus fuit.

Item

66 Nobilis Helena Marzecka, violenta febre maligna correpta, cum nullo modo remissio febris haberi potuisset, febricitans petiit aquam ex puteo S. Cunegundis; quam dum videret, remittebatur

EX SECUNDO PROCESSU. tebatur febris; et dum aquam ebibit, totaliter etiam illam febris dimisit.

Anno MDCXXIX, Adamus Pelka patiebatur ardentissimam febrem per sex septimanas, et delirabat quandoque ex acuto morbo. Quadam nocte recordatus magni concursus hominum ad S. Cunegundem, et sic surgens, ut potuit, ex lecto, fecit orationes ad sanctam Virginem, obligando se ad tumbam ejus, si sanus factus fuerit, sicut de facto post votum factus est; unde statim mane surrexit, et, quasi non fuisset infirmus, perrexit cum voto in equo.

Anno MDCXXI, Valentinus de Pietrzykowice, in magna febre per quindecim septimanas exsistens, cum nullam sibi proficuam posset invenire medicinam, sed omnes in pejus verterentur, ab ipsis medicis derelictus fuit. Certa nocte apparuit quædam Monialis in cinericii coloris habitu, quam interrogavit, quæ esset? Illa reposuit: Ego sum Cunegundis; et gestu manu super eum facto, disparuit. Et ipse statim surgens ex illa infirmitate, jussit sibi cibum dari. Considerans
B tam magnum sibi ab illa præstitum beneficium, habuit illam pro Patrona; et quia numquam audivit de ipsa (erat autem iste Petrzykowski ex
e ducatu Zatoriensi *e*) nec scivit ubi illa esset; post longum tempus venit Cracoviam, et ibi rescivit de sua imagine apud Patres Minores S. Francisci Conventuales; quam dum vidit, recognovit ex facie, atque habitu, quod talis fuerit, qualis sibi apparuit. Cum ibi apud prædictos Patres plenam notitiam de S. Cunegunde sumpserit, non tardavit adire antiquam Sandeciam cum voto ad tumbam ipsius.

circa laborantes

67 Anno MDCXXVIII, nobilis Joannes Szymanczowski, filiam suam Sophiam virginem, acutam febrem per tres septimanas patientem, obtulit ad sepulcrum S. Cunegundis; et statim sana facta est.

Nobilis Joannis Wierzbieta de Przyszowa filia, nomine Beata, continua ardente febre decumbens per aliquot septimanas, quam nulla juvabant medicamenta. Rogatus ad illam reverendus parochus loci; qui audita virginis infirmæ et valde debilis confessione, nomine suo fecit vo-
C tum visitandi tumbam S. Cunegundis, si supervixerit; quo facto, ipsa eadem hora febris illam reliquit, et sana ex lecto surrexit.

Anno MDCXXVI, nobilis Albertus Woiakowski de Woiakowa per sex septimanas gravissimos febris sustinuit ardores, et per quatuor hebdomadas incessantem habuit sitim; et totaliter destitutus viribus, nec sui recordabatur, nec homines cognoscebat. Jam sola mors præstolabatur, cum nihil juvaret. Uxor infirmi persuasa a devotis hominibus, ut maritum suum offerret S. Cunegundi cum voto visitandi tumbam suam; quod dum illa fecit promptissime, statim infirmus melius habere cœpit.

Nobilis Stanislai Koziarowski virgo Anna filia quatuor septimanis gravata febris contumacia, cui nullum erat proficuum remedium, ad extremum vitæ videbatur accedere terminum: unde rogatus ad ipsam de Podegrodzie parochus cum Viatico, et extrema Unctione; quibus ipsa devote sumptis miserationem Dei exspectabat; sed a vetula domestica D. Cunegundi commendata, si superviveret, cum voto in persona, statim in præsentia reverendi parochi ex lecto sana surrexit. D

febribus ardentibus.

68 Anno MDCXXIX, religiosus Antonius Chodowic, Guardianus Veterosandecensis Minoritarum S. Francisci Conventualium, in febre maligna septem diebus exsistens, præmonitus a medico, se esse in maximo vitæ periculo, fecit votum visitare miraculis clarissimam Deiparam Czestochoviensem *f*, et Transfigurationem Domini, magnis prodigiis commendatam apud Fratres suos Neosandecenses. Interea obdormivit; et tangi se in brachio sensit, vocemque audivit: Et quare oblitus etiam es B. Cunegundis? Adjunge ad votum tuum, etiam visitare illam, et sanaberis. Quo facto, statim melius habuit; et post quinque dies pristinæ restitutus fuit sanitati. f

Samuel, nobilis Albrachti Koziarowski filius annorum quatuor, ob febrem malignam per quatuordecim dies, jam morti vicinus, ab avia sua, nobili Catharina Jordanowa, B. Cunegundi commendatus, et in persona oblatus, statim melius habere cœpit, et in brevi convaluit. E

Nobilis Elisabeth Flokinska XIV diebus in febre maligna decumbens, cum valde debilitata, se brevi crederet morituram, rogavit ad se pro dispositione quemdam R. P. ex Societate Jesu; qui audita confessione, commendavit illi devotionem ad S. Cunegundem, et ostendit ei ex sacro habitu ejus particulam; quam ipsa venerata, promisit, si supervixerit, visitare tumbam ejus, et statim remittebat febris, et brevi sana facta est.

ANNOTATA.

a *Hic titulus non est noster, sed ejus, a quo hæc miracula accepimus, qui ea non ex ipso processu secundo, cujus exemplar Latinum non habuit, sed ex ejus versione Polonica stylo suo Latine interpretatus est, ut indicat sub finem, cap.* 7, *num.* 80.

b Jaroslaviam *intellige non illam, quæ in Russia magna seu Moscovia est, sed aliam, quæ sita est ad Sanum fluvium in Russia rubra, ubi Societas* F *nostra collegium habet. Florentissimum hæc olim erat emporium, sed incendio terribili deflagravit anno* 1625, *teste Zeillero in Germanica sua descriptione Poloniæ.*

c *Factum id est ab hoc antistite anno Christi* 1603, *ut infra narrabitur cap.* 7, *num* 78: *adeoque ante adeptum Cardinalatum et archiepiscopatum: purpuram enim sacram primum accepit anno* 1604 *sub Clemente PP. VIII, teste Oldoino; archiepiscopatum vero Gnesnensem anno* 1606 *ineunte Octobri, quando jam annis sex sedem Cracoviensem rexerat, et annis antea quindecim Luceoriensem. Obiit autem* 1608 *plenus meritis ac virtutibus, de quibus Oldoinus, Cæsarius, ac præcipue Damalevicius in Serie archiepiscoporum Gnesnensium, num.* 54; *aliique consulendi sunt.*

d Herula *hic ab hera derivatur, nos fere a domina domicellam dicere consuevimus.*

e Zatoria, *vulgo* Zator, *oppidum est in palatinatu Cracoviensi,* 6 *circiter leucis Polonicis Cracovia distans in occasum, ubi Skauda Vistulæ miscetur: ab*

A *ab eo autem tractus adjacens dicitur* Zatoriensis ducatus.

f Czestochowa *oppidum est in palatinatu Cracoviensi ad Wartam fluvium, de quo ita Dlugossus Historiæ Polonicæ lib.* 1, *col.* 33 *editionis novæ :* Czestochowa, qui et clarus Mons propter monasterium in eo situm, et ecclesiam B. Mariæ Virginis illuc superædificatam, meruit appellari : ad quam frequenti et annua devotione fit concursus propter ejusdem B. Mariæ Virginis, quæ illic ostenditur, imaginem, quæ vel a B. Luca Evangelista, vel ad instar saltem imaginum quas pingebat, æstimatur formata. *De hac imagine iterum infra fit mentio cap. sequenti, num.* 72.

CAPUT VII.

Prosecutio miraculorum ex secundo processu depromptorum.

B

Alia miracula

Nobilis Sophia Wieloglowska dolorem cordis patiebatur ; quem dum nullum remedium mitigare potuit, consanguinea ejus nobilis Heduigis Wierzbiecina misit ipsi aquam ex puteo S. Cunegundis : quam dum bibit, dolor cordis cessavit.

Nobilis item Elisabeth Lutoslawska simili cordis affectione laborabat ; unde votum fecit visitare tumbam S. Cunegundis ; et sanata est immediate. Postea memor beneficii, cor argenteum ad [tumbam] ejus apposuit.

Nobilis Albertus Przegolewski decumbens, longo tempore dolorem capitis incusabat ; tandem extra se factus, jacuit semivivus. Instinctu postea divino clamavit, sibi dari aquam ex puteo S. Cunegundis ; qua hausta, et capite ea loto, sanus factus est.

Eamdem gratiam expertus est idem dominus in sua Dorothea filia, simili modo laborante ; experientiam enim in se habens, dedit filiæ bibere hanc aquam, et caput ejus illa lavari ; quæ statim sana facta est. C

Albertus Bysiowicz molitor, de Jazowsko, gravem morbum patiebatur, specialiter in capite, per octo septimanas : videbatur enim ipsi caput in duas partes divisum ; et uno oculo ex dolore nimio nihil videbat. Recordatus magni concursus in variis afflictionibus ad S. Cunegundem, commendabat se illi. Et cum emplastra varia et aquæ diversæ nil juvarent, aquam sibi ex puteo S. Cunegundis adferri jussit ; qua dum lavisset faciem, oculos, et caput ; et dolor cessavit capitis, et oculis visum recepit. In tanti beneficii gratitudinem quotannis visitabat tumbam S. Cunegundis ; et quolibet die in honorem suum dicebat unum Pater, Ave Maria, et Credo.

circa correptos

70 Honesta virgo Regina, Filia Pauli Paniek, civis in Biecz, ingenti dolore dentium afflicta, cum non haberet modum medendi, promisit visitare tumbam S. Cunegundis ; et dum complevit, statim sana facta est.

Nobilis Szymanczowska simili dolore dentium cruciabatur : quamprimum persuasa a sua filia, Sophia Rumiowska, aspersit sibi os et dentes aqua ex puteo S. Cunegundis, dolor cessavit. EX SECUNDO PROCESSU.

Martinus Stypula, civis Veterosandecensis, dolorem gutturis incurabilem habuit, ex nimia siti in nimio solis ardore contractum : cum itaque spiritus illum deficeret, et morienti candela accensa daretur, ipse, prout potuit, manibus elevatis ad cœlum et conjunctis, dixit : Nolite flere, filii mei, et filiæ : nam ego confido in Deo, beatissima Virgine Maria, Sanctis Dei, et in B. Cunegunde ; de ejus puteo si immiseritis mihi in guttur aliquot guttas, sanus ero. Quo facto statim convaluit.

Albertus Zlotowski, cantor Podegrodzensis, habens guttur oppletum tuberibus, ita quod nihil deglutire, vel comedere posset insuper et loqui nequiret, et uxor tamquam morti proximo jam indusium mortuale sueret. Invisit eum suus reverendus vicarius, et genuflexus commendavit S. Cunegundi ; quo audito infirmus, ut potuit, ratificavit, et ad tumbam sanctæ hujus Virginis venire promisit ; quo facto obdormivit ; cujus tubera in gutture dormientis disrupta sunt, et ipse sanus ex lecto surrexit, et tertia die votum suum explevit. E

71 Jacobus Witold in obsequio ecclesiæ parochialis in antiqua Sandecz, omnibus membris contractus per tres annos, quasi non vivus, nisi cum doleret, jacuit ; quem cum nihil juvaret, parentes sui obtulerunt ad S. Cunegundem cum Missa : ad quam audiendam cum portatus fuisset in grabato, in digito majori dextri pedis sensit vigorem, quem non habuit per tres annos ; et cum finita fuisset Missa, stetit ipse propriis viribus in pedibus, et post paucos dies pervenit ad sanitatem et ad vigorem totius corporis. *infirmitatibus*

Sophia Bartusowa, civissa Veterosandecensis, patiebatur decumbens tremorem omnium membrorum, et delirabat ; confugiens cum fiducia magna ad tumbam S. Cunegundis, et audiens sacrificium Missæ pro se celebratum, sana domum rediit.

Anno MDCXXVIII, Joannes Czechaczek de Janowice, a juventute per sexaginta vitæ suæ annos, quolibet mense aliquot diebus, magnos ventris patiebatur dolores ; audiens tandem, quod multi per intercessionem B. Cunegundis a diversis liberentur infirmitatibus, ivit etiam ille ad tumbam S. Cunegundis ; videns insuper, quod plurimi contra diversas affectiones biberent aquam ex puteo hujus sanctæ Virginis, bibit et ipse ; et non amplius sensit illos solitos ventris cruciatus. F

72 R. D. Albertus Pierzycki, canonicus omnium Sanctorum collegiatæ Cracoviensis, parochus in Rudawa, patiebatur post longum tempus febrem quartanam, tandem quotidianam, et multas alias infirmitates, et specialiter intolerabiles torsiones internas, in quibus medici jam desperabant de salute ipsius. Ipse petiit sibi ex bibliotheca ecclesiæ cathedralis Cracoviensis accommodari Vitam B. Cunegundis a Dlugosso conscriptam *a* ; et advertendo in ipsa magnam hujus Beatæ sanctitatem et gratias, quas Deus ad intercessionem ipsius conferebat plurimis, excitavit in se magnam erga hanc devotionem ; et vovit visitare ejus sacras reliquias, si superviveret : quo facto, cum medici exspectabant mortem ejus, *variis.* *a*

surrexit,

EX SECUNDO PROCESSU.

surrexit, nullo adjuvante, de lecto, et perfectam sanitatem obtinuit.

Scriba de Korzenna laborans pedibus taliter, quod ambulare non posset, sed portari deberet per longum tempus; obtulit se visitare tumbam S. Cunegundis: unde dum portatus fuisset ad valvas ecclesiæ, vi sua surrexit, et intravit in ecclesiam; et rediit domum sanus pedibus suis.

Nobilis virgo Anna, Pompei de la Porta filia, læsit sibi pedem periculose, quo attingere terram propter magnum dolorem non potuit. Et quia promiserat visitare sanctam imaginem B. M. V. Czestochoviensem, tristabatur valde, quod tale impedimentum haberet. Confugit igitur per orationem ad S. Cunegundem; quam necdum finivit dum dolor cessavit, et vulnus sanari cœpit; et sic sana suam sanctam peregrinationem absolvit.

Item

73 Nobilis Elisabeth Przyborowska aliquot septimanis infirma oculis, voto facto visitandi tumbam S. Cunegundis, statim illa die liberata fuit a dolore oculorum.

Simon pilcarius civis Veterosandecensis in fe-
B sto Assumptionis B. M. V. de Barcice domum rediens, cæcus factus est; sicque aberravit a via recta, et ibat quo ipse nescivit: inventus per campos oberrans, domum conductus fuit: cujus uxor portata aqua ex puteo S. Cunegundis lavit oculos ejus; et protinus visum recepit. Hoc idem beneficium duabus vicibus expertus fuit, dum in similem inciderat cæcitatem.

Florianus Benedyktowic, consul et pictor Neosandecensis, laborabat graviter oculis; et cum nihil prodesset, perrexit ad puteum S. Cunegundis et lotis oculis, sanus factus laudavit Deum, et gratias S. Cunegundi ad tumbam peregit.

Quidam cognomine Lorene, non procul a Sanoko cæcus factus, conduxit sibi ductorem ad tumbam S. Cunegundis; ad quam perductus, mansit in devotione per tres dies, intra quos visum recepit; iterum per quinque dies ibidem commoratus pro gratiis agendis, et soluto ductore, solus domum ivit gaudens.

Jacobus Mikulec sic laborabat oculis, quod non solum legere nil potuerit, sed nec domo exire sine manuductore, et hoc a septima Maii ad fe-
C stum S. Bartholomæi. Timens vero, ne per medicinas majus sibi, et oculis nocumentum inferret, et inanes expensas faceret, fecit votum tribus vicibus visitandi ecclesiolam S. Joannis sub monasterio monialium S. Cunegundis fundatam, persolvendo qualibet vice septem Psalmos Pœnitentiales. Faciens igitur istam devotionem per tres dies Veneris, et semper sibi abluens oculos ex puteo S. Cunegundis ibidem vicino, tertia feria sexta perfectum visum recepit.

Ejusdem frater Joannes Mikulec, graves in oculis sentiebat dolores, nec ullum lumen aspicere potuit. Recursum fecit ad S. Cunegundem, et lotis oculis ex puteo ipsius, liberatus fuit a doloribus.

circa homines,

74 Paulus Lækawa, prædictorum duorum Veterosandecensium compatriota, per totum annum mansit in simili oculorum defectu; sed quamprimum fecit recursum ad Deum per intercessionem S. Cunegundis, et lavit oculos suos ex puteo ipsius, sanus factus est.

Quidam juvenis decem annorum, similiter de antiqua Sandecz, per aliquot septimanas plane D
amiserat visum; sed conductus ad tumbam S. Cunegundis a matre, dum pro ipso Missæ celebrarentur, et oculi ejus a puteo S. Cunegundis fuissent loti, perfectum visum accepit.

Simile beneficium Albertus Maslek, Albertus Zychowic, et Mathias Kopec, omnes de antiqua Sandecz, post devotiones suas ad tumbam S. Cunegundis peractas, et lotionem oculorum ex puteo ipsius, consecuti sunt.

Quidam civis de Samborz, Mors dictus, factus fuit cæcus; qui audiens de magnis miraculis S. Cunegundis, resolvit se ad longam (Samborz enim distat quinquaginta *b* milliaribus ab antiqua San- *b*
decz) peregrinationem pedester. Unde sumpto manuductore, venit ad tumbam S. Cunegundis; ubi conductis pluribus Missis, mansit ibi aliquot diebus, et semper ex puteo sacro aqua lavans oculos: intra quos dies consolatus, post solennem gratiarum actionem perrexit domum, impletis tribus vasis aqua illa, quam postea diversis largitus est infirmis, qui sani fiebant; sicut a fide dignis coram DD. commissariis Apostolicis relatum est. E

75 Sophia Bartusowa de antiqua Sandecz cæ- *quibus*
cutiens, postquam fide bona lavit suos oculos hac aqua, clarum visum obtinuit.

Nobilis Andreas Koziarowski, de Kowola XXX milliaribus distante ab isto monasterio, cæcus factus, a fratre suo ad S. Cunegundem advectus sub tempus Missæ pro se celebratæ sanus in oculis factus est.

Stanislaus Leguito de antiqua Sandecz præ senectute cæcus (nam CL * annos habuit) per *an CI?*
quatuor annos in cæcitate mansit. Tandem pertæsus cæcitatis, ivit ad tumbam S. Cunegundis; oravit devote, et lavit oculos suos ex puteo sanctæ Virginis, et visum recepit.

Blasius villicus de Goswice cæcutiens, non poterat videre lumen diei per decem septimanas; hic persuasus venit ad tumbam S. Cunegundis cum Missa, in qua communicavit devote, et bis lavit oculos suos ex puteo S. Cunegundis, et incepit videre: post aliquot vero dies visum perfectum habuit.

Anna Zielonkowicowna in juventute visum F
amisit; sed conducta ad S. Cunegundem, post Missam pro ea celebratam, sana facta est.

Petrus Klis de Kadca, per quatuor septimanas infirmos habuit oculos, ex quibus sanguis erumpebat; conductus a matre ad puteum S. Cunegundis, lavit oculos; et sanus domum rediit.

Gregorius Morawa de Ducla, cæcus casualiter factus, adductus ad sepulcrum S. Cunegundis, ubi devote oravit; postea duci se fecit ad puteum sæpe dictum, lavit oculos; et visum recepit.

Pater Albertus Cebrzykowicz Ordinis S. Francisci Conventualium Cracoviensum, Andreas Rodowski, consul Neosandecensis, Anna virgo, filia Pompei de la Porta, in dolore oculorum post votum ad tumbam S. Cunegundis, consolati sunt.

76 Anno MDCIV, quidam mercator Luthera- *oculi*
nus in Moravia ex civitate Nayma *c*, valde dives, factus cæcus, cum non inveniret medicinam, deflebat jugiter suam miseriam. Contigit, quod ad *d*
eumdem locum veuerit abbas Luceoriensis *d*, Ordinis Præmonstratensis, tamquam vicarius generalis

A ralis ad visitandum conventum illic exsistentem sui Ordinis; qui abbas habuit assistentem sibi religiosum professum conventus Neosandecensis Præmonstratensium. Hic R. P. assistens habuit occasionem tractandi negotium certum cum illo cæco mercatore; cujus compatiens infelicitati, multa narravit circa magnalia B. Cunegundis et aquam ex puteo illius; suasitque, ut se illi commendaret: quod libenter mercator fecit; et certo ivisset ad tumbam S. Cunegundis; nisi urgentes negotiorum suorum impedivissent eum necessitates. Nihilominus talem invenit modum. Bonus ejus amicus ac vicinus perrecturus brevi erat causa vini in Hungariam; et illum rogavit, ut strophium suum, quod illi daret, veniendo antiquam Sandeciam in puteo dictæ B. Cunegundis madefaceret, et sibi madefactum deferret ad abstergendos suos oculos; appromittens, in casum apertionis oculorum, pro certo deserendam fidem Lutheranam. Acceptato postulato, vicinus cæci mercatoris venit antiquam Sandeciam, et B rem sacerdotibus totam narravit; strophium tamen, quod habuit a mercatore, in puteo S. Cunegundis non madefecit; reservans id negotii ad suum retro adventum. Cum autem ille vini mercator ex oblivione a Deo permissa per eamdem non rediret viam, strophium etiam non madefecit, nec id sibi in mentem prius venit, quam dum jam esset in Moravia. Volens igitur redire, ut datam amico servaret fidem, quæsivit in cista strophium (leviter enim volebat ire Sandeciam remissis rebus) sed invenit illud madefactum; quod divinæ tribuens omnipotentiæ, lætus ad patriam continuavit iter; et perveniens, sine mora mercatori cæco rem totam recenset, et tradit strophium; quo ipse oculos sibi abstersit, et protinus visum recepit, ac statim Romano-catholicus cum tota domo sua factus est.

doluerunt. 77 R. P. Chrysostomus Drozdowic, Ordinis Præmonstratensis, conventus Neosandecensis, anno MDCXI gravem in oculis sensit dolorem; quibus lotis aqua ex puteo S. Cunegundis, amisit dolorem, et sanitatem invenit.

C P. Demetrius Cebrzykewic, fratrer supradicti P. Adalberti in conventu Obor... *e* Minorum Conventualium S. Francisci de familia manens, amiserat usum sinistri oculi; et sciens de miraculis B. Cunegundis (nam fuit oriundus ex antiqua Sandecz) commendavit se huic sanctæ Virgini, et consolatus est.

Circa 78 Anno MDCIX Wolkowski, consul Neosandecensis, in gravi infirmitate commendavit se B. Cunegundi; et sanatus est.

Thomas Rokoc, de antiqua Sandecz, dum filius suus Casimirus in cunis exsistens, in gravi infirmitate jam quasi exanimis esset, accepit eum ad manus, et portavit ad tumbam S. Cunegundis; qui ad finem Missæ pro se celebratæ plene sanus factus est.

Anno MDCXXVI nobilis Niemoiowski cum juramento testatus, se per intercessionem B. Cunegundis miraculose ex gravi infirmitate surrexisse.

Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, et episcopus Cracoviensis, in bonis suis Swiniarsko prope Sandeciam in gravem inciderat infirmitatem; in qua cum desperatus esset a medicis, commendavit se D. Cunegundi; et miraculose convaluit. Unde pro gratiarum actione ad D. Cunegundem in persona venit, Missam ad sacras ejus reliquias celebravit, et postea pro sacris ejus ossibus urnulam argenteam fabricari jussit, hæc data inscriptione: Deo Optimo Maximo, et sacris B. Cunegundis ossibus Bernardus Macieiowski, episcopus Cracoviensis ex voto. DD. anno Domini MDCIII. Ad quam urnulam argenteam dum sacra B. Cunegundis ossa transponerentur, ex speciali licentia R. P. Stanislaus Radzinski Societatis Jesu lavit illa vino: cujus pars cessit prædicto Eminentissimo Cardinali et episcopo Cracoviensi; pars conventui monialium antiquæ Sandecz; et pars præcipua collegio Cracoviensi S. Petri, Patrum Societatis: quod postea miraculose diversissimas et plurimas sanabat infirmitates; ut de illo supra de morbo caduco *f*.

EX SECUNDO PROCESSU

f alias infirmitates.

79 Anna de Ruszcza Branicka, castellani Woynicensis *g* filia, in multis infirmitatibus intercessione D. Cunegundis a Deo consolata, lampadem argenteam ad tumbam sanctæ hujus Virginis comparavit.

g

Joannes Zebrzydowski, ensifer *h* regni, pro diversis gratiis intercessione B. Cunegundis a Deo obtentis, unum par candelabrorum ex argento ad hujus Sanctæ altare obtulit. E

h

Joannes ferrifaber de Rudawa gravi decumbens infirmitate, tandem per dies aliquot amisit loquelam. Dum autem agonizaret, misit uxor pro reverendo vicario, qui in prandio fuit apud suum reverendum parochum, Albertum Pierzycki, canonicum collegiatæ Sanctorum omnium Cracoviæ. Hic reverendus parochus, quod in extremis esset ille homo, dixit: Ego nunc ipsum commendo beatæ Cunegundi, cujus patrocinium in mea gravi infirmitate expertus sum. Hoc dicto, R. vicarius ivit ad infirmum; sed jam eumdem in statu meliori invenit, et brevi perfecte convaluit.

80 Omnia hæc miracula ex processu secundo, auctoritate S. Sedis Apostolicæ Urbani Octavi, illo tunc Papæ, per D. D. commissarios, ab eadem sacra Sede nominatos et designatos, videlicet admodum illustres et reverendos dominos. Martinum Klocinski, protonotarium Apostolicum, sanctissimi corporis Christi in Casimiria ad Cracoviam præpositum, Joannem Kwasnicki, archidiaconum Sandecensem, J. U. doctores, Bartholomæum Fusorium custodem et officialem, nec non Nicolaum Kownacki, canonicum ecclesiæ collegiatæ Sandecensis, judices, et commissarios a sacra Rituum congregatione subdelegatos anno Domini MDCXXIX, die VIII Junii, in monasterio Veterosandecensi inchoato, et in anno Domini MDCXXX, die XVIII Aprilis, finito, subscripto, et obsigillato, et ad Sedem Apostolicam per reverendum dominum Joannem Ludovicum Skrobkowic, cantorem collegiatæ Vislicensis, transmisso, connotata et descripta sunt, ac postea typis data in lingua Polonica, auctore Vitæ B. Cunegundis jam tertio eamdem imprimente A. R. D. Martino Frankowic Philosophiæ doctore, custode collegiatæ Sandecensis anno MDCCXVIII. Ex qua Vita Polonica D. Cunegundis, cum hic processus secundus Latinus non haberetur ad manus, Latine hic omnia posui. F

Unde hactenus narrata miracula habeantur.

ANNOTATA.

EX SECUNDO PROCESSU.

ANNOTATA.

a *Hoc adeo ipsissimum exemplar Vitæ putamus fuisse, cujus ecgraphum rite probatum supra dedimus; utinam pari apud multos fructu!*

b Samborz, *idem, opinor, est oppidum, quod geographi appellant* Sambor, *locantque in palatinatu Leopolitano ad Alpes Hungariæ; sed vix triginta leucis Germanicis ab Antiqua Sandecz.*

c *An* Znaima, *vulgo* Znaim *ad Teyam flumen, qui fere Moraviam ab Austria dividit?*

d Luceoria *urbs est episcopalis Poloniæ in Volhynia.*

e *Amanuensis hanc vocem inchoatam reliquit; voluit auctor significare, ut existimo,* Conventum Obornicensem. *Et autem* Oborniki *oppidum in palatinatu Posnaniensi ad Wartam.*

f *Vide dicta superius ad cap.* 6, *littera* c.

B g Woynicz *oppidum est ad fluvium Dunajec, qua hic Sandecia ad Vistulam labitur.* Castellanus *ejus unus est de* 31 *majoribus Poloniæ, ut vide apud laudatum supra Krzistanowicum in descriptione statuum regni Poloniæ pag.* 7; *ubi et castellani dignitas senatoria ac munus explicatur. Adi etiam in Vita cap.* 37 *littera* g.

h Ensifer *idem est qui* Gladifer, *de quo diximus ibidem littera* b.

CAPUT VIII.

Miracula B. Cunegundis post secundum processum facta a.

a

Sanantur pestis, contusio, ulcus, dolores partus, etc.;

C R. Adamus Milaszowski, custos Pilecensis, et parochus in Szczucin, peste infectus et circumdatus, commendavit se B. Cunegundi, et votum fecit visitare tumbam ejus, si pestem evaserit; sicut Dei gratia evasit; et pro beneficio obtento prius in ecclesia sua Deo, et postea in ecclesia hac monialium D. Cunegundi solemnes persolvit gratias.

Thomas Pytlikowic, consul Neosandecensis, aliquot diebus ex infirmitate gravi jam mundo valedicens, commendatus B. Cunegundi, brevi convaluit.

Zuzanna Turowska, civissa Neosandecensis, per dies aliquot in partu cruciabatur; post votum ad B. Cunegundem mox sanum infantem peperit, et ipsa sana post partum facta est, quæ jam extra spem vitæ fuerat.

Nicolaus Gozdowski, civis de Biecz, ex vehementi iracundia ita tremende uxorem suam verberavit, quod ex verberatione illa in gravem infirmitatem venerit; cum autem et aliæ affectiones se adjunxerint, jam extra spem vitæ fuit. Multos ad curandum uxorem adbibuit medicos; sed inanes eorum omnes fuere conatus; solum pauperculæ mulieri supererat sepulcrum. Uxor præ gravedine dolorum morborumque languebat, et vir delirabat, præ tristitia insaniebat sæpe; sed in hoc sæpe sapuit, quod ad D. Cunegundem se, et uxorem suam, si mortem evaderet, obtulerit; quo facto, uxor convalescere cœpit, et ipse sapere, quo modo uxor in posterum tractanda. D

Item testatus est, quod, dum filia sua Constantia tam magno in gutture premeretur ulcere, ut etiam videretur de corpusculo exprimi seu expelli anima, obtulit eam B. Cunegundi; et iteratam accepit gratiam.

cæcitas, quassatio, morbique mortiferi, epilepsia;

82 Joannes Rybitnck socius artis fabrariæ de Jaslo, in Podolia exsistens, cæcus factus est per annos quatuor; recordatus de B. Cunegundis miraculis, de quibus in patria multa narrari audivit; conducto sibi itineris comite, gressus direxit patriam versus, et inde ad tumbam S. Cunegundis; ad quam devotis factis precibus, cum semel lavisset aqua ex puteo S. Gunegundis oculos, homines videre cœpit; et cum id fecisset secundo, et tertio, pristinum visum recepit.

Joannes Kotczy cum sua conjuge, cives Lublinenses, venerunt ad B. Cunegundem cum voto pro filio suo facto, qui quinque septimanas, a E quo natus, habens, per inadvertentiam cecidit ex mensa in terram; et graviter concussus, morti erat proximus: sed quamprimum ad hanc sanctam Virginem oblatus fuit, sanus extitit. Dederunt ergo votum argenteum, et crucem parvam deauratam, pariter argenteam, ad sacram B. Cunegundis tumbam.

Nobilis Anna Gawronska, nobilis Stanislai Czerny uxor, post dolorosissimum partum et ipsa, et infans in proximo mortis erant periculo; sed pia femina, nil spei in humanis jam habens, ad opem divinam per S. Cunegundem recursum fecit; ad cujus tumbam pro gratiis agendis Deo se promisit una cum infante. Obtinuit quod petiit; votum explevit, et laminam argenteam ad sacram tumbam affixit.

Eadem domina eodem die alteram laminam argenteam dedit ad tumbam B. Cunegundis, pro filio suo duorum annorum, morbum caducum passo, et pro tunc sano, et ante annum oblato.

febris; pedum, manuum, oculorum afflictio, morbus letalis;

83 Agnes Abramka, vidua Neosandecensis, habens filium in sex annis, gravi decumbentem febre per totam Quadragesimam, commendavit B. Cunegundi una cum visitatione personali sacræ suæ tumbæ; quo facto, puer convaluit, sed cum illa de die in diem votum procrastinaret, febris ad filium rediit; cujus causam negligentiæ suæ adscribens, iterum B. Cunegundi supplicavit pro salute filii, et exaudita indilate, sine mora etiam votum explevit.

Regina Bochenska civissa Neosandecensis, per sex annos cruciabatur dolore unius pedis. Casu incidit in Vitam S. Cunegundis, in qua legit plurimas gratias, intercessione ejus a Deo variis infirmis præstitas; excitata in spe quoque consequendi suis apud Deum meritis lenimen doloris pedis, promisit cum Missa et sacra communione venerari ejus tumbam; quo expleto, cessavit in pede dolor, et sana domum rediit.

Filius ejusdem Martinus, adolescens XIV annorum in gravi oculorum dolore simile votum fecit, et similem gratiam obtinuit.

R. P. Gelasius, Ordinis Præmonstratensis conventus Neosandecensis professus, graviter decum-

A decumbens, cum nullum sibi conduceret medicamentum, ad S. Cunegundem cum Missa se obtulit; et sanatus est.

Nobilis Christophorus Buczkowski gravi et desperata decumbens infirmitate, cum alii de vita ejus dubitarent, ipse recordatus præteriti ante aliquot annos S. Cunegundis beneficii, dum ipsi vehemens ægritudo usum manuum et pedum ademerat, quem hujus Sanctæ precibus recuperarat, spem indubitatam recipiendæ sanitatis in S. Cunegunde posuit; unde fecit votum ad tumbam ejus; et sanus factus, cum voto argenteo reddito grates reddidit. Hoc fuit anno MDCXXXIII, die V Aprilis.

morbi graves, infestatio dæmonis, sanguinis fluxus, etc.

84 Eodem anno die VIII Octobris, Stanislaus Szemberg, civis Cracoviensis, visitavit tumbam D. Cunegundis cum Missa, gratias agens de sanitate obtenta in periculosa et desperata infirmitate, et in memoriam votum argenteum reliquit.

Eodem anno, XXIV Octobris, Samuel Moreski dedit votum argenteum pro sanitate pedis sui graviter dolentis obtenta.

B Anno MDCXXXVI, XX Septembris Adamus Myala patiebatur graves et longas suggestiones a dæmone: cum eum nulla consilia et doctrinæ spiritualium quietare volerent, propter assiduas diaboli tentationes, recursum fecit ad S. Cunegundem; et ab ipsis liberatus est, votumque pro memoria dedit.

Anno MDCXXXVI, XVI Novembris nobilis Stanislaus Burkat, ex ducatu Severiensi, patiebatur continuum fluxum ventris sanguineum; tandem summe debilitatus, et morti magis, quam vitæ vicinus, fecit votum ad tumbam S. Cunegundis; et in momento cessavit malum.

Paulus Gazda, civis Bochnensis, in magno oppidi incendio commendavit se B. Cunegundi; et servatus est. Item dum ibidem sæva grassaretur pestis, commendavit se et suos ejusdem Sanctæ gratiæ; et incolumis ipse et familia ejus permansit; quod postea testatus est, et votum argenteum reliquit.

b Anna ducissa in Ostrow *b* per intercessionem B. Cunegundis in diversis necessitatibus a Deo consolata, studio venit ad sanctam tumbam; et C peracta devotione sub tempus Missæ solenniter cantatæ, reliquit votum ducale argenteum cum tali inscriptione: D. O. M. et electæ suæ Viduæ Virgini B. Cunegundi Marcella Anna ducissa in Korec, et Ostrow Rarowska, palatina Vitebscensis, Msciroviensis, Jalovicnsis capitanea, etc. suam ægram valetudinem commendans, hanc minimam tabellam, sed magno corde, et voto offert, anno MDCXXXVIII.

Terribili incendio in salis fodinis exorto, c

85 Anno MDCXLIV, die XVI Decembris in salisfodinis Vielicensibus *c* magnum et violentum deorsum exortum est incendium, per quemdam incautum operatorem ex illis, qui se illuc quotidie demittunt. Contristavit hic casus non solum gubernatores salinarum, sed etiam ipsum regem tunc Poloniæ Vladislaum quartum, et totam rempublicam, cujus præcipuus annuus proventus est ex salisfodinis. Cives etiam Vielicenses, et circumvicini in magno erant timore ac metu, ne nimis dilatans se sine cohibitione ignis, periculo esset cadendi plurimum populati oppidi cum millenis ædificiis ac ecclesiis. Ad removendum hocce periculum, et exstinguendum ignem immensum non defuerunt plurimæ industriæ; sed permissio divina major erat omni humana inventione: et quamvis plurimi industrii et audaces homines in illas profundas se demiserint cavernas; nullus tamen illorum rursus extractus fuit, sed omnes ab igne, fœtore, et fumo suffocati ibidem manserunt; sicque sopiendi incendii modus naturalis non fuit.

EX ARCHIVO COENOBII SANDECENSIS

supplicatio solennis ad Beatæ sepulcrum instituitur, d

86 Ad divinum itaque recursum est auxilium per intercessionem B. Cunegundis; quæ inopem salis Poloniam in vita sua hoc ditavit immenso et inexhausto thesauro *d*. Omnem itaque spem sedandi hujus incendii, et conservandi magni sine pretio thesauri in meritis S. Cunegundis collocarunt universi; hoc magis freti motivo, quod in simili periculo et salinas Bochnenses, et oppidum jam etiam salvaverit *e*. Conclusa ergo fuit solennis supplicatio omnium officialium et laboratorum salinarum ac plane totius numerosissimi Vielicensis populi usque ad antiquam, per decem circiter leucas, ad tumbam S. Cunegundis Sandeciam: quæ pedibus et pulcherrimo ibi comparuit ordine anno MDCXLV, die XXII Julii ante vigiliam festi dictæ sanctæ Virginis. Ubi per reverendum parochum loci in zelosissima concione, dictæ salinæ, oppidum, cives ejus, et circumvicinæ villæ commendatæ fuerunt post Deum sanctæ huic Virgini, votumque ei argenteum oblatum, in quo depictum erat salinarum incendium, et officialium et laboratorum genuflectentium et orationes fundentium plures species; et supra genuflectentes, imagines sanctissimæ Virginis Mariæ, S. Clementis, et B. Cunegundis in nubibus. Subscriptio autem sic erat: e E

VOTUM

quam pone sequitur nuntius exstincti incendii; f

87 Illustrissimi domini Adami in Kazanow Kazanowski, in Czasniki et Czepielow heredis, mareschalci *f* curiæ regni, Bielscensis, Varecen. Borisovien. Solecen. Noviforien. Kozienicen. capitanei per generosos Alexandrum a Raciborsko Morztyn magistrum montium, et vice-zupparium *g* Vielicensem, S. R. M. secretarium, et Adamum Vlotkowski, notarium zupparum earumdem, B. Cunegundi; ut illius pia intercessione Deus clementissimus calamitatem per incendium XVI Decembris, anno Domini MDCXLIV illatam mitigare, infectionemque in fodinis Vielicensibus adhuc durantem avertere dignetur, oblatum in antiqua Sandecz die XXII Julii, anno MDCXLV. F g

Duo ergo dies, vigiliæ scilicet et festi S. Cunegundis, devotioni a Vielicensibus donati sunt. Qui desideratam de exstincto incendio per consulto missum receperunt relationem; qua gavisi laudarunt Deum in Sancta sua; et eodem ordine regressi sunt Vielicciam, cantantes Domino canticum novum.

sed iterum recrudescente violentius igne,

88 Et quia inscrutabiles sunt viæ Domini, et judicia Dei abyssus multa, denuo ignis recruduit; qui tantum ad tempus detectus, et non exstinctus fuit. Novam tristitiæ omnibus præbuit ansam, augendo civibus subversionem totius oppidi, et

EX ARCHIVO COENOBII SANDECENSIS.

et reipublicæ cessans lucrum et damnum emergens; cum non tantum solitum impedivit proventum, verum etiam pro reparatione fulcrorum, columnarum, sustentaculorum quercinorum, et aliarum ibi magnarum molium lignearum et machinarum arte factarum, ne obruerentur domus et ecclesiæ Vielicenses, ab igne absumptarum, immensæ desiderabantur impensæ. Hinc cives proximum considerantes imminere et fortunæ et vitæ discrimen, nec diem aut horam cladis scientes, exportabant se alio; et gubernatores, quibus nullus sopiendi incendii succedebat modus, multis hominibus, qui se ad salinas demiserunt, perditis, remiserunt animum ad quævis ulterius agenda, desuper unicum suspirantes auxilium; unde multa vota faciebant, præsertim ad S. Cunegundem, salis in Poloniam conductricem.

apparens Beata modum docet illum exstinguendi.

89 Hinc festum ejus in vigilia S. Jacobi XXIV Julii solennissime celebrandum statuerunt. Jam complebatur semitertius annus, a quo tam deplorandum in salinis cœptum fuit et continuatum incendium; quando B. Cunegundis, recordata [est] mirabilis operis sui; quod ne deperderetur, visibiliter apparuit nobili Alexandro Morztyn, vice-zuppario Vielicensi; et modum intrandi in illas cavernas, ac viam per aperturam, Bednarka dictam, edocuit; instrumenta et remedia ad ignem exstinguendum nominavit; et de certo subsecuturo effectu assecuravit. Obtemperavit prædictus D. Alexander Morztyn præmonitioni cœlesti, quam officialibus et laboratoribus manifestavit; et eosdem ad aggrediendum opus via et modo præmonstratis efficaciter permovit: quod dum felicissime consummatum fuisset, in ecclesia parochiali Vielicensi primum solennes Deo gratiæ actæ; et postea annua devotio in perpetuum in festo B. Cunegundis instituta est.

Nova salisfodina detecta; periculum evasum.

90 Illustrissimus S. R. J. princeps Stanislaus Lubomirski, palatinus et capitaneus Cracoviensis, quærens salem in vicinis Vielicciæ locis, dictis Swiercza, suæ hereditatis, fecit votum ad B. Cunegundem, si ipsi in fundo suo salis beneficium impetraverit, quod honorem sanctæ hujus Virginis et devotionem in Polonia ampliaturus esset. Obtento autem quod desideravit, salinas suas nomine Cunegundis appellavit, et officialibus ac laboratoribus suis occasio fuit Vielicciæ in ecclesia Patrum Reformatorum exstruendi altare S. Cunegundis, et ibidem devotionem suam quotannis in festo ejusdem Sanctæ cum confessione et communione peragendi.

Anno MDCXLVIII, Andreas Woyciechowski invocando devote S. Cunegundem evasit magnum periculum; et in grati animi monumentum visitavit tumbam ejus, et dedit votum argenteum.

Moribundum apparens Beata subito sanat:

91 Nobili Andreæ Stano succamerario Sanocensi et S. R. majestatis rothmagistro *h* in certa indispositione stomachi datum fuit medicamentum errore, quod pro altero, in diversa affectione exsistente, pro IV vicibus paratum fuit. Dum ergo post unam horam a sumpta medicina jam centum operationes habuisset, ita debilitatus fuit; ut a medicis persuaderetur ad cogitandum de anima. Etsi juvenis, magnæ tamen resolutionis, dominus rogavit ad se sacerdotem cum Sacramentis moribundorum; quibus perceptis, nec operationibus cessantibus, horam mortis exspectabat, lugentibus magni nominis parentibus et propinquis. Noctu, dum, Deo permittente, omnes, qui vigilare debebant, obdormissent, vidit infirmus dominus tres ad se venire moniales in habitu S. Claræ; quarum una, duabus ad portam relictis, accessit ad lectum ejus, et interrogavit, quomodo valeret? Cui ille, qualiter potuit præ magna debilitate, respondit: Ecce morior. At illa: Non morieris, sed sepulcrum meum in antiqua Sandecz pedester invisere debebis, et jejunare vigiliam ad festum meum. Postea quæsivit: Scisne, quæ est, quæ tibi loquitur? Illo dicente: Nescio; adjunxit Sancta: Ego sum Cunegundis, olim abbatissa monasterii antiquæ Sandecz. Quo dicto, et cruce super infirmum facta, cum rumore magno cum aliis disparuit. Ad rumorem factum excitati fuere omnes, et de salute infirmi subitanea Deum benedixerunt, ac in brevi cum eo in magna comitiva ad tumbam S. Cunegundis iverunt; ubi Missa solemni, et concione tam grande publicarunt miraculum, et laminam argenteam obtulerunt.

pestem, cæcitatem, morbum telalem avertit.

92 Anno MDCXLIII, dum pestis mortalitate totus premeretur capitaneatus Scepusiensis *i*, gubernator fortalitii Lubowla procurabat omni possibili modo conservationem ab infectis et civitati et sibi. Fuit is nobilis Stephanus Lubowiecki, vexillifer palatinatus Cracoviensis, habens uxorem multum devotam matronam, Dorotheam de Wieloglowy. Huic in somno apparuit vir quidam, canitie et gravitate venerandus, dicens ad illam: Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum laborant, qui custodiunt illam. Si tu vis esse ab hac plaga iræ Dei immunis cum tuis, visitare debes reliquias D. Cunegundis. Quæ de mane surgens, narravit cuncta viro suo; et hic indilate cum uxore et suis perrexit ad tumbam D. Cunegundis; et ibi peracta devotione commendavit se et fortalitium sanctæ huic Virgini. Et in veritate, ubique sæviente mortalitate, non tetigit eum pestis, neque contristavit.

Statuarius quidam de Wisnicz cæcus factus, commendavit se aliquoties B. Cunegundi, cum voto veniendi ad tumbam ejus; sed quia differebat de die in diem, recepit quidem visum aliqualem; ita ut homines videre posset; sed non perfectum. Post facto, quod vovit, integram sanitatem oculorum consecutus est, et domum optime videns rediit.

R. P. Mathias Pyszkowski Societatis Jesu in gravi, et judicio omnium mortali exsistens infirmitate, cum humana sibi non prodessent remedia, ad divinam recursum fecit omnipotentiam per merita D. Cunegundis; per quam a Deo consecuta sanitate, permissione suorum superiorum venit ad tumbam hujus sanctæ Virginis; et digna concione gratiam sibi factam manifestavit.

Pœna et conversio schismatici blasphemi.

93 Milites cataphracti hibernabant in antiqua Sandecz; inter quos unus erat Ruthenus schismaticus, qui videns suos collegas sæpe visitantes reliquias S. Cunegundis, et post ad puteum ipsius euntes, et ex ipso oculos lavantes, irridebat eos, et sanctam Virginem; sed Deus ultor injuriæ Sanctorum suorum, punivit ipsum ingenti pediculorum multitudine; ad quam avertendam

nulla

A nulla balnea, nullæ mutationes vestium et indusiorum sufficiebant, nullæque per medicinas sanguinis purgationes. Collegæ ejus Romano-catholici revocabant ipsi in mentem diversas plagas Dei, qualiter alii ranis, alii muribus, alii muscis etc. castigati, justas sui sceleris dederunt pœnas, quia pœnitere noluerunt : unde et illum ad dolorem de irrisione et blasphemiis suis S. Cunegundi affectis provocabant. Quibus acquiescens, promisit abjurare suum schisma, et præcipua devotione S. Cunegundem in futurum prosequi, si a pediculosa multitudine liberatus fuerit : qualis remansit, quando semel aqua ex puteo S. Cunegundis ablutus fuit; et postea factus Romano-catholicus, magnus cultor sanctæ Virginis exstitit.

ANNOTATA.

a *Longior hic titulus erat in scripto ad nos misso, nempe talis :* Sequuntur miracula post Romam missum secundum processum, ex eadem Vita Polonica in Latinum versa, et in Vitam Polonicam ex Actis monialium conventus antiquæ Sandecz congesta. B

b *Oppidum est in Volhynia ad fontes Hypanis.*

c Veliscum, *seu* Velisca, Vielyska, Vieliccia, Velicia, *urbs est Cracovia passibus plus minus octies mille distans, ut ait Joachimus Vadianus in Commentariolo ad Pomponium Melam de Sarmatia ; in quo eleganter describit baratlıra vicina, imo suffossa Velisco ad altitudinem prope incredibilem, unde sal eruitur, quorum inspector ipse oculatus fuit.*

d *Adi Vita supra cap.* 13.

e *Redi ad Vitam cap.* 37.

f Mareschalcus *est magister aulæ regiæ et administer consilii publici ; de cujus juribus videri potest citatus supra Krzistanowicus.*

g *De* zuppis *et* zuppariis *consule annotata ad Vitæ caput* 37.

h Rothmagister *vox est barbare composita e Germanico* Rott, *quod turmam significat modo decem, modo centum, modo mille militum ; quoniam vero hic sermo est de adolescente* magni nominis parentibus *orto*, Rottmagistrum *chiliarchum interpretandum putamus, seu tribunum, militibus mille præfectum, quem vulgo colonellum vocitant.* C

i *Capitaneatus Scepusiensis est tractus in palatinatu Cracoviensi ad Carpathum montem, a quo parum distat Sandecia ; urbs autem ejus præcipua est* Lubowla ; *mox* fortalitium *dicitur ob arcem aut mœnia, quibus munitur.*

CAPUT IX.

Prosecutio miraculorum usque ad tertium processum.

Arcet pestem, gangrænam, epilepsiam, etc;

Anno MDCLIV, Simon Gawecki, consul Vieliensis, tempore pestis circumcirca et Vieliciæ grassantis obtulit se B. Cunegundi ; cujus meritis per totam pestem cum sua familia nec minimum sensit dolorem capitis. Gratus beneficii cum uxore et duabus prolibus ac duobus Patribus reformatis ex Ordine S. Francisci tumbam S. Cunegundis invisit.

EX ARCHIVO COENOBII SANDECENSIS.

Eodem die ex eodem loco venit ad tumbam S. Cunegundis Anna Peczynska, filia olim Andreæ Gorski, consulis Vielicensis ; et obtulit votum pro suo defuncto parente, quod ipse fecerat, dum erat in periculo gangrænæ in vulnerata et male curata manu, quæ immediate post votum sanata fuit. Hic ergo pius homo postea peste infectus, obligavit suos, si moreretur, ad reddendum promissum votum.

In peste exsistens Balthazar Poreba, tenutarius *a* Gnoini *b*, commendavit se et domum suam D. Cunegundi : evasit mortalitatem, et gratus beneficii, eodem anno, die IV, Septembris venit huc ad reliquias hujus sanctæ Virginis cum suo voto. *a b*

Neptis specificati nobilis Poreba frequenter patiebatur morbum caducum ; sed oblata ad S. Cunegundem, liberata est a suo malo ; grata venit huc, et votum argenteum dedit. E

Anno MDCLV, nobilis Catharina Woiakowska exportando se et sua in Hungariam ob timorem Suecorum, graviter infirmata est. Dum autem medici desperarent de sanitate illius, illa suspiravit ad B. Cunegundem, petendo saltem ad hoc tempus sibi impetrari sanitatem a Deo, donec suas parvulas proles disponeret. Dum devote id diceret, vidit in magna claritate quamdam Matronam, quæ, accepta manu infirmæ, dixit : Ne timeas, non morieris. Et statim disparuit ; et infirma etiam brevi convaluit.

95 Anno MDCLVIII, reverendus Adamus Bydloniowicz, præpositus hospitalis antiquæ Sandecz, in gravem incidit infirmitatem ; per vim ivit ad tumbam S. Cunegundis et Missam celebravit ; qua finita, sanus domum rediit, et in grati animi tesseram votum affixit.

liberat supplices mort et Cosaccorum infesta tionibus :

Eodem anno in festo Exaltationis S. Crucis in ecclesia Patrum Piarum scholarum *c* fiebant supplicationes ex ordinatione illustrissimi Andreæ Irzebicki, episcopi Cracoviensis pro avertenda per Suecos, Moscos, Hungaros, et Cosaccos Poloniæ pressura. Sub tempus harum supplicationum, dum superior loci cantando Litanias de omnibus Sanctis cum suis religiosis et populo intonasset illa verba : Omnes Sancti et Sanctæ regni Poloniæ tutelares, orate pro nobis, unus ex Fratribus hujus Religionis devotus, flectens in porta sacrarii, audivit sursum aliquem motum ; et elevatis oculis ac mente ad Deum, vidit Sanctos Poloniæ patronos ad altare majus sub titulo S. Stanislai descendentes ; qui coram sanctissimo Sacramento procidebant in facies suas, et orabant : inter quos vidit B. Cunegundem instantissime supplicantem pro regno olim suo Poloniæ ; quod in facto cito postea pacatum fuit. Hanc visionem pius iste religiosus ex obedientia suorum superiorum huc veniens retulit. *c* F

96 Eodem tempore reverendus P. Joannes Dominicus a S. Cruce, ejusdem Religionis et conventus, minister postea Poloniæ, et Germaniæ provincialis, in certis negotiis suæ Religionis navigans cum duobus Fratribus sui Ordinis Varsa-

item submersione.

EX ARCHIVO COENOBII SANDECENSIS.

Varsaviam, sub oppido Piwniczna in evidentissimo periculo submersionis fuit ; nec aliquod videndo humanum auxilium, omnes concorditer dicebant : Per merita S. Philippi Nerii *d* et B. Cunegundis, Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina. Et dum sic devote orarent, unus illorum vidit S. Philippum Nerium et B. Cunegundem promittentes auxilium ; quod statim habuerunt : nam populus ex oppido exivit, et illos ex periculo salvavit. Istud miraculum supra nominatus Pater in tabula depictum in capella S. Nerii affixit ; et in suis ordinationibus, dum fuisset provincialis, statuit, ut omnis pergens per aquam suus religiosus qualibet die diceret Pater et Ave ad S. Cunegundem, pro animabus purgatorii ; quod in observatione usque nunc habent.

Anno MDCLVIII, ejusdem Religionis R. P. Glicerius ab omnibus Sanctis cum R. patre Stanislao a Jesu Maria pergens de Podoleniec *e* pro funere cujusdam virginis Neosandeciam duobus diebus ante festum B. Cunegundis, properabant pro nocte ad villam, Podegrodzie dictam, quæ distat uno quadrante milliaris ab antiqua Sandecia. Inundaverat tunc Dunajec valde ; quem probando in equo, non videbatur possibilis securus transitus : regredi ad oppidum propter imminentem tenebrosam noctem erat difficile ac periculosum ; pernoctare in campo valde arduum. Dum ergo, quid faciendum, delibararent, pater Stanislaus recordatus, quod ante quatuor annos in simili inundatione sub protectione invocata B. Cunegundis feliciter transmeaverit hunc fluvium, excitata in se magna fide et devotione, dixit : Mater ac domina mea, B. Cunegundis, sis nobis in auxilium. Deinde jussit aurigam ire in aquam ; quæ etsi superior esset curru, salvi tamen et incolumes permearunt fluvium rapidissimum.

Sanantur moribundi, et ex oculis laborantes ;

97 Idem R. P. Glicerius, scholarum Piarum factus superior in Podoleniec, in gravissimam incidit infirmitatem ; in qua, nihil juvantibus multis medicinis, semper pejus se habebat ; ac tandem in vigilia Purificationis B. M. V. ab ortu solis, usque ad occasum absque sensibus, sine ullo signo vitæ jacuit. Comploratus fuit ab omnibus Patribus, et specialiter a certo Patre, qui vices superioris tenuit ; a quo coram imagine S. Cunegundis, in sacrario ibidem affixa, cum, multis lacrymis et obsecrationibus commendatus. Qui post infirmum invisit ; B. Cunegundi commendatum, dixit ; et statim infirmus convalescere cœpit, et brevi convaluit ; et huc ad tumbam S. Cunegundis cum commendatore pro gratiis agendis venit.

Anno MDCLIX, nobilis Andreas Szeliga, notarius publicus Neosandecensis, cum uxore sua Anna, graviter laborantes oculis, per duas septimanas manserunt clausis fenestris in obscuro cubiculo ; tandem se commendarunt B. Cunegundi, et venerunt huc cum uno pari candelarum ; et bene sani domum redierunt.

Eodem anno Regina de Szezepanova, Gregorius, cocus conventus Podolinecensis scholarum Piarum, extremizabant, omnibus muniti Sacramentis ; sed commendati D. Cunegundi, Regina a confessario suo P. Bernardo a Jesu Maria scholarum Piarum, et Gregorius a patre Stanislao a Jesu Maria, ejusdem instituti, ultra omnem spem convaluerunt.

item febre, capite, dentibus, oculis ;

98 Anno MDCLX, Elisabeth Szalewicowa, civissa Cracoviensis, triplici affecta infirmitate, scilicet [febris] malignæ, dentium, et oculorum, post votum ad S. Cunegundem factum simul ab omni fuit liberata molestia ; et grata beneficii festinanter huc venit cum duobus filiis et unica filia ; et juramento totum confirmavit, quod ample exposuit.

Eodem anno, nobilis Joannes Proszkowski, judex castri Sandecensis, pro diversis beneficiis in multis occurrentibus receptis, votum argenteum D. Cunegundi obtulit.

Eodem anno, Joannes Kroscienski de Strzyzow laborabat graviter capite, medio anno ; uxor ejus Margarita, præmisso omni modo curationis sui mariti, et nihil juvante, quia habebat Vitam B. Cunegundis, et legebat multas gratias et beneficia, diversis infirmis a Deo intercessione hujus sanctæ Virginis præstita, persuasit marito, ut se eidem S. Cunegundi recommendaret : qui persuasus, votum fecit visitandi suas reliquias ; et statim melius habuit. Cum autem promissum tardaret rediit malum, et aliquot septimanis molestavit ; cui cum pia uxor et votum factum et ingratitudinem exprobraret, ratificavit iterum promissum, et indilate explevit ; et sanitatem recuperavit.

hæmorrhoide, etc.

99 De eodem loco Albertus Wlodek venit simul cum nominatis Kroscienskie conjugibus ex tali motivo. Patiebatur hic fluxum sanguinis per semi tres annos ; unde præ debilitate semivivus videbatur. Quodam tempore venit ad vicinum suum superius nominatum Kroscienski, et invenit uxorem ejus legentem Vitam D. Cunegundis : cum ergo diversas gratias pia legerit femina, factas diversis intercessione B. Cunegundis, assumptum bonum habuit, ut et ipse in sua infirmitate ad eamdem Sanctam recurreret. Quod sine mora præstitit, promittendo visitare sanctam tumbam ; et sanguis etiam ab illo tempore fluere cessavit. Unde et homo, qui ante apparebat medius vivus, post factus fuit vegetus, robustus et sanus. Neglecto autem promisso suo, reincidit adhuc in majus morbi periculum, ex quo evadendi nulla spes erat. Ast B. Cunegundis, uti clementissima patrona omnium, apparuit ipsi in somno objiciens ingratitudinem, promittens tamen sanitatem, si tumbam ejus salutaverit ; quod fecit cum conjugibus Kroscienskie ; et sanus factus est.

Anno MDCLXV, venerabilis soror Bogucka, Ordinis S. Claræ conventus Cracoviensis S. Andreæ, pro diversis gratiis intercessione B. Cunegundis obtentis, ex labore manuum suum licentia superiorum misit votum pro ornamento sui altaris. Pater vero Ignatius, sacrista Veterosandecensis, conventus S. Francisci Minorum Conventualium, pro salute recuperata meritis S. Cunegundis, devotiones suas et Missam ad sacras absolvit reliquias.

Multi a peste præservati, et aliis malis liberati

100 Anno MDCLXVI, die X Aprilis subditi de Swiniarsko episcopatus Cracoviensis, qui anno præcedenti MDCLXV circumdati erant ab infectis villis, commendarunt se B. Cunegundi ; et meritis ejus salvati, venerunt ad tumbam ejus ; peregerunt

A egerunt suas devotiones, et obtulerunt votum argenteum.

Eodem anno, post sedatam pestilentiam multi nobiles, et de variis civitatibus, oppidis, ac villis præservati a peste intercessione S. Cunegundis, veniebant huc, et offerebant sua vota promissa. Cum simili devotione venit ad tumbam S. Cunegundis, hocce anno R. P. Alexander Niewiarowski, Ordinis Prædicatorum conventus Cracoviensis, qui in summo pestis erat periculo; quod evasit, postquam se commendavit D. Cunegundi.

Eodem anno x Maii, venit ad tumbam D. Cunegundis nobilis Leszczynski miles cum voto suo in necessitate facto. Idem præstitit ex simili motivo nobilis Siutecki, collega ejus.

Nobilis Sophia Pruszkowska, gubernatrix antiquæ Sandecz, in doloribus pedum a D. Cunegunde consolata, anno MDCLXVI, die VIII Novembris venit huc pro gratiis agendis.

ut phrenesi, febri, epilepsia, cordolio, etc.

101 Anno MDCLXVII, venit ad tumbam S. Cunegundis ex districtu Radomiensi nobilis Gabriel Milewski ad explendum suum votum, quod fecit B in magna sua infirmitate, ex qua nullus, qui illum novit, sperabat eum evasurum: jacens enim sub cura et in domo medici, semper volebat aufugere, et ex alta fenestra saltare, sicut semel fecisset, nisi in fenestra detentus fuisset. Videbat insuper diversa phantasmata et spectra, et duravit (secundum relationem hominum) ista infirmitas per duos annos et quatuordecim septimanas. Quodam tempore habenti bonas reflexiones et lucidum intervallum post frequentes phreneses et delirationes, venerunt ipsi in memoriam plurima D. Cunegundis diversis hominibus præstita beneficia : habuit enim Vitam ipsius impressam in quarto ; et sic taliter sibi præsens, obtulit se huic sanctæ Virgini cum voto ad tumbam ejus; et statim liberatus fuit et a febre maligna, et a phrenesi, et a morbo caduco, quem etiam septies in una die patiebatur; et intra paucos dies ad optimam sanitatem venit. Et hoc totum distinctissime propria manu descriptum et subscriptum reliquit hic.

Anno MDCLXVIII, nobilis Lubowiecka, judicis C castri Cracoviensis uxor, per longum tempus patiebatur cordis dolores; a quibus liberata, postquam se commendavit sanctæ huic Virgini. In simili affectione nobilis Lapczyna invenit consolationem meritis S. Cunegundis.

Anno MDCLXIX, nobilis Joannes Skrzetuski in sua infirmitate consolatus statim est, postquam se promisit ad tumbam S. Cunegundis cum Missa et voto argenteo.

Duo nobiles milites cataphracti regii vexilli Klobuchowski et Morztyn, pergentes ex statione hibernali ad castra, commendarunt progressus suos militares et vitam D. Cunegundi : et post finitam æstivam militiam consulto venerunt huc gratitudinis ergo unusquisque cum voto argenteo.

item immani vulnere, præsentisque mortis periculis, ac morbis aliis.

102 Anno MDCLXX, die V Junii, de oppido Strzyzow venerunt plures utriusque sexus personæ pro recognitione variarum gratiarum, quas receperunt intercessione D. Cunegundis. Sic ergo Albertus Macek, quod semel in campo ceciderit, habens penes se cultrum oblongum acutum sine vagina, qui in illo casu intravit illi intra costas usque ad manubrium; chirurgus volens cultrum extrahere, solum manubrium extraxit, culter autem totus hæsit in corpore patientis, nec videbatur. Dum autem cum magno postea dolore variis instrumentis in corpore patientis ille culter quæreretur, et inventus, extractus esset, [et] sanguis modicus de vulnere exisset, sed ibi condensatus mansisset, probabilissimum mortis periculum reliquit; quod videns patiens, jam se ad mortem disponebat. Sed certa civissa senicula, amica ejus, Agnes Swiebodzina, obtulit ipsum ad tumbam D. Cunegundis sic feliciter, quod ille homo sine ulla curatione tertia die plene sanus factus fuerit. Sed cum immemor voti pro se facti esset, in gravem incidit infirmitatem; cujus aliam non agnoscens causam, quam suam erga S. Cunegundem ingratitudinem, iteravit ipse votum illud devote; quo facto, convaluit, et modo cum voto venit. Ex iisdem Anna Jaykowa patiebatur deliquia vix audita, etiam per spatium XX horarum. Oblata a suis vicinis ad tumbam D. Cunegundis, liberata fuit ab illo malo; sed quia negli- E gebat explere, malum rediit. Cujus pœnitentia ducta, certo certius statuto tempore promisit visitare sacrum locum; et iterum malum cessavit. Est modo hic. Ex iisdem Sophia Gryglowna testata est, in periculosissimo morbo decumbens, et SS. Sacramentis munita, et quasi agonizans, cui etiam indusium ad urnam parabatur, [quod] oblata ad tumbam S. Cunegundis, quasi ex somno expergefacta, sana surrexit : venit etiam. Ex iisdem Sophia Kroscienska in gravi infirmitate sua a matre oblata huc, convaluit immediate. Alii in oculis, in manibus, in pedibus, aliisque membris sanitatem recepisse post votum ad B. Cunegundem factum testati sunt.

EX ARCHIVO COENOBII SANDECENSIS.

Adscribuntur Beatæ successus prosperi,

103 Eodem anno, illustrissimus Stanislaus Skarszewski, castellanus Voynicensis, magni momenti negotia sua commisit protectioni D. Cunegundis; et in omnibus prosperatus fuit. Unde in persona huc venit, et insigne votum argenteum cum hac inscriptione reliquit : Adjuva nos, Deus salutaris noster, per merita B. Cunegundis; sicut modo clementissime fecisti. Stanislaus Skarszewski MDCLXX. F

Similiter nobilis Bobowski, et nobilis Jomicki, qui cum votis suis venerunt huc, testati sunt, patrocinium D. Cunegundis expertos fuisse in necessitatibus suis.

Nobilis Barbara Iworzyanska in magna infirmitate oblata ad D. Cunegundem, sanitatem recuperavit, et votum argenteum huc detulit.

Spectabilis Valentinus Glinski, civis Cracoviensis, qui ex magna convaluit infirmitate post votum factum ad B. Cunegundem, venit huc in persona, et laminam argenteam obtulit. Similiter fecit Albertus Smolkovic, civis itidem Cracoviensis, pro recuperata sanitate.

Illustrissima Lubomirska, palatina Cracoviensis, in longa exspectatione filii consolata per intercessionem B. Cunegundis, visitavit hunc sacrum locum cum nato suo filio ; et lampadem argenteam ad reliquias sanctæ hujus Virginis donavit.

Nobilis Domina Lipska, gubernatrix antiquæ Sandecz, quæ in debili sua valetudine non potuit

EX ARCHIVO COENOBII SANDECENSIS. tuit meliorari a præscriptionibus medicorum, ab intercessione D. Cunegundis obtinuit bonam sanitatem.

Magnifica palatina Hungara studio venit ad hunc sanctum locum, gratias agens pro multis beneficiis, intercessione D. Cunegundis a Deo obtentis, et votum reliquit.

Magnificus Czarnecki Czariovensis, et colonellus vexilli regii cataphractorum successus felices bellicos obtinuit intercessione B. Cunegundis, cui se commendavit, et votum reliquit.

et sanationes variæ 104 Anno MDCLXXIV, nobilis Prazmowski, gubernator in Wisnicz, in gravi infirmitate desperatus a medicis, et de morte vicina præmonitus, supra spem humanam, dum se B. Cunegundi devovit, sanus factus est; quod non semel hic cum voto allato testatus est, sed quousque vixit quolibet anno oblationem huc misit.

Palatinus Hungariæ, Vesselini nominatus, aliquot annis gravissimos in pedibus sufferebat dolores, oblatus D. Cunegundi, liber a doloribus factus est, et cum voto gratitudinis ergo huc venit.

B Ex Hungaria nobilis Sigismundi Holo, commissarii cæsarei, uxor de domo Ossolinsciana in Polonia nobilissima, in gravi infirmitate nullum a cura medicorum sensit levamen; sed postquam ad tumbam B. Cunegundis oblata fuit, statim convaluit.

Nobilis Konarska frequenter dolores cordis patiebatur; sed postquam ad B. Cunegundem confugit, liberata ab ipsis permansit.

Anno MDCLXXIV, nobilis Griseldis Tegoborska studio [venit] ad tumbam B. Cunegundis, ut pro præteritis gratiis, obtentis sua intercessione a Deo, debitam persolveret gratitudinem, et futuras suas recommendaret occurrentias.

Nobilis Thomas Jomicki pedem fractum, et a chirurgo male curatum, obtulit B. Cunegundi; cujus gratia sanissimum et rectissimum obtinuit. Hinc ad tumbam suam etiam pedem argenteum affixit.

Nobilis Teressia Krosowska in affectione dolorosa cordis a B. Cunegunde consolata; unde huc cum Missa venit et corde argenteo.

Nobilis Kozicki, centurio arcis Cracoviensis,
C in gravi infirmitate a B. Cunegunde consolatus, grati animi ergo dedit votum argenteum.

aliaque beneficia; 105 Nobilis Simon Kurdwanowski pro petita et obtenta sanitate per merita B. Cunegundis obtulit votum argenteum. Similiter fecit nobilis Stephanus Stronski, et unus miles, qui ex captivitate Tartarica post votum ad S. Cunegundem factum, factus est liber.

R. Joannes Miklayski, parochus in Lubownia, cum plica eum in omnibus membris tormentaret, et nihil ullæ prodessent medicinæ, confugit ad D. Cunegundem; statim a malo liberatus fuit, et votum obtulit.

Nobilis Domina Elisabeth Pisarska, sæpe cordis dolores sufferens, ad D. Cunegundem devotionem proposuit, et liberata est a pressura cordis; præsens hic cor argenteum obtulit.

Unus de nova Sandecia cæcus cum se commendasset B. Cunegundi, illuminatus est; unde præsens hic oculos argenteos reliquit.

Magnæ præeminentiæ prælatus, regens regni, Christophorus Taranowski, graviter oculis laborans, post votum ad B. Cunegundem sanissimos oculos habuit; fuit hic, et oculos argenteos obtulit. D

Anno MDCLXXX, Martinus Jurkowski, in bonis monialium administrator, in gravi paroxysmo confugit ad S. Cunegundem; et sanus factus est.

Nobilis Heduigis Straczycka utroque pede dolens, ac dies noctesque molestissime et diu in lecto ferens, ex consilio piorum invocavit S. Cunegundem; et sana facta est.

Nobilis Heduigis Luczyczka infirma jussit se vehi ad S. Cunegundem; domum sana rediit.

Anno MDCLXXXIII, Helena Kalmanczaria, Hungara de Koszyce, ob incursiones Turcarum venit in Poloniam, cordis dolores patiens, contra quos nulla humana juvabant remedia; donec recursum fecisset ad S. Cunegundem, afflictissima fuit; post sana. Et hic præsens cor argenteum obtulit.

106 Has universas gratias Dei per intercessionem B. Cunegundis obtentas, confirmat nota toti mundo serenissimi Joannis tertii regis Poloniæ expeditio contra Turcarum sub Viennam Austriæ ferme ex tota Asia et Africa in cladem Christianitatis congregatam potentiam. Hic pius rex ante expeditionem Cracoviæ Dominum exercituum, in cujus manibus sunt omnia jura regnorum, dominia, et victoriæ, sanctissimam Deiparam Virginem cœli ac terræ Reginam, ac SS. Poloniæ patronos per universas specialiter deprecabatur ecclesias, præcipue in quibus Sanctorum Polonorum exsistunt reliquiæ; et quia tunc venerandam B. Cunegundis tumbam visitare non potuit, submissis votis suis veneratus est. Et in reditu, post victoriam non ipse solus, sed et serenissima regina, et tota domus regia, principes, et magnates spirituales et seculares S. Cunegundem venerati sunt quam plurimi, gratias agentes pro divino sibi implorato auxilio. Et de sub Vienna cum prædictus serenissimus Sanctissimo tunc Innocentio XI Pontifici Maximo [de] obtenta scripsisset victoria, et vexillum Mahometanum pro æviterna ad Vaticanam S. Petri Basilicam misisset memoria, B. Cunegundis canonizationem Sanctissimi Domini commendavit gratiæ; F et in responso a Pontifice in brevi expeditiones necessarias pro hac causa appromissas obtinuit; cujus relationem ipse serenissimus rex omnibus congregatis monialibus fecit Dominica quarta Adventus anno MDCLXXXVIII *f*. *imo et felix in Turcas expeditio ad Viennam Austriæ; quæ occasio fuit urgendæ canonizationis.*

Ex prædicta expeditione redeuntes plurimi colonelli, rothmagistri *g* aliique Officiales huc diverterunt pro gratiis agendis S. Cunegundi pro vita sibi servata, cui eam specialiter post Deum commendarant.

ANNOTATA.

a Tenuta *vox est jure usurpata; ubi dicitur :* Tenuta *possessionem non facit, sed in possessione esse. Bonorum ergo* tenuta *ad eos pertinet, ad quos pertinet eorum possessio; hinc* tenutarium *dici arbitror eum, cui tenutarum seu possessionum cura incumbit vel administratio.*

b

b *Videtur hic appellari* Gnoinum *illa villa, quam Dlugossus Historiæ Polonicæ lib.* 6, *col.* 618 *nuncupat* Gnoynik, *cujusque decimas ait a Vincentio Cracoviensi episcopo anno* 1215 *perpetua donatione concessas ecclesiæ Cracoviensi.*

c Patres Piarum scholarum, *seu Clerici regulares pauperes Matris Dei, ex Italia in Poloniam Ordinem suum propagarunt. Erexerat eos sub titulo posteriori Josephus Calasantius; approbavit anno* 1621 *Gregorius PP. XV, mandans illis eruditionem pauperum puerorum in primis elementis, grammatica, et computo, nulla mercede recepta. Plura de illis, sed breviter tamen, lege apud Philippum Bonanni nostrum in Ordinum religiosorum Catalogo parte* I, § 42.

d *Nimirum ob turbas exortas in Ordine Innocentius PP. X anno* 1648 *decreverat, ut Patres Piarum scholarum absque votorum emissione in congregationem redigerentur similem illi, quam sanctus* Philippus Nerius *instituerat: hinc, opinor,* S. Philippum, *ut patronum agnoverant per hæc tempora.*

e *Oppidum est in minori Polonia, fossili chalybe commendatum, teste Zeillero in descriptione Poloniæ pag.* 79.

f *Imo* 1683, *ut sequentia denotant; et sane expeditio de qua hic agitur, ut quivis novit, anno illo contigit.*

g *Vide annotata capitis* VIII, *ad litteram* h.

CAPUT X.

Processus tertius in causa Canonizationis B. Cunegundis virginis; decreta Romana pro ejus cultu et Officio; et nova interim miracula.

Commissio Romana ad novum processum de casu excepto

Anno MDCLXXXIV, XIX Januarii admodum R. P. Valerianus Gutowski S. T. D. conventus Cracoviensis Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, provinciæ Pater, religiosarum ac Deo dedicatarum virginum, Catharinæ Zelinska, abbatissæ totius conventus monialium in antiqua Sandecz Ordinis S. Claræ principalium procurator, coram perillustri et reverendissimo D. Nicolao Oborski, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopo Laodicensi, suffraganeo, scholastico, vicario in spiritualibus, et officiali generali Cracoviensi, uti et tamquam a sanctissimo Domino Innocentio XI, et S. Rituum Congregatione delegato judice, commissario Apostolico litteras remissioriales et compulsoriales, pro conficiendo novo particulari processu in civitate et diœcesi Cracoviensi super cultu ab immemorabili tempore, servæ Dei Cunegundi, ducissæ et reginæ Poloniæ exhibito, et casu a decretis sanctæ memoriæ Urbani Papæ VIII, in congregatione sanctissimæ Inquisitionis super non cultu editis excepto, in rotulo *a* occluso et obsigillato expeditas in personam illustrissimi et reverendissimi Domini Joannis Malachouwski, episcopi Cracoviensis, vel, eo impedito, in personam prælibati domini domini Nicolai Oborski, suffraganei Cracoviensis, præsentavit, et produxit.

EX ARCHIVO COENOBII SANDECENSIS.

a decretis Urbani PP. VIII *super non cultu,*

108 Quibus cum omni reverentia infracti et indefessi animi vir, magnæ pietatis, et in similibus agendis (scilicet in formandis processibus super vita, sanctimonia, et miraculis BB. Simonis de Lipnica *b* Ordinis Minorum de Observantia, Stanislai Kostka *c* Societatis Jesu, Salomeæ *d* reginæ Italicæ Ordinis S. Claræ, Joannis Cantii *e*, academiæ Cracoviensis doctoris, Vincentii Kadlubek *f*, primum episcopi Cracoviensis, deinde Ordinis Cisterciensis Andreoviæ professi) practicus et expertus, statim eodem anno, XXI Februarii, dictum processum inchoavit, et sequentibus diebus et mensibus in antiqua Sandecz, Cracoviæ, in Neocorcino, Bochnæ, Vieliciæ *g* per se, et Posnaniæ *h* per suum subdelegatum, videlicet perillustrem et reverendissimum dominum Hieronymum Wierzbowski, episcopum Fessensem, suffraganeum Posnaniensem, XXIII sessionibus formavit, peregit, et in anno MDCLXXXV, die XXIII Martii, definivit, et definitive sententiavit: plene et sufficienter constitisse, dictæ servæ Dei Cunegundi, ducissæ et reginæ Poloniæ, cultum exhibitum esse a centum quinquaginta et ultra annis (in hoc enim processus formandus injunctus erat) idque ante memorata decreta Urbani Papæ VIII, et ad præsens exhiberi, ac in dies augeri cum scitu et tolerantia Ordinariorum Cracoviensium; proindeque causam præsentem versari in casu excepto a prædictis decretis felicis recordationis Urbani Octavi super non cultu in sanctissima Inquisitione editis; et propterea declaravit, in hujusmodi causa præfatis decretis nullo modo contraventum esse, sed sufficienter illis paritum fuisse, et esse *i*.

feliciter absolutum, et Romam destinatum anno 1687.

109 Ista fuit sententia definitiva prænominati reverendissimi suffraganei Cracoviensis. Ipsum vero processum, documenta, scripturas, auctores fide dignos, sanctimoniam dictæ servæ Dei Cunegundis, virtutes heroicas, opera misericordiæ et charitatis, miracula et gratias recensentes, ceteraque authentica ad causam spectantia, revisiones, inquisitiones perlegit, collationavit et propria manu subscripsit et sigillo suo obfirmavit, anno Domini MDCLXXXVII, die XV Januarii Cracoviæ in capella S. Mariæ Magdalenæ, in platea canonicorum. Qui deinde processus Romam ad S. Rituum Congregationem per R. P. Albertum Karwacki, Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, missus et delatus fuit *k*.

Sanatur interim manus arida, morbusque letalis,

110 Anno MDCLXXXV, XVI Januarii magnifica Christina Dæbska, manu laborans, quæ arescebat, et jam in statu proximo totalis arefactionis erat; cum medici nihil juvare potuissent, et terror et dolor rectum dedere consilium recurrendi ad B. Cunegundem; postquam recursum pristinæ sanitati reddita est; et illa in memoriam manum obtulit argenteam.

Eodem anno nobilis, quia consularis Cracoviensis, viri uxor Anna Zaleyska, per semialterum annum in lecto decumbens, a medicis derelicta, ultimos vitæ suæ traxit dies; quæ oblata B. Cunegundi, afflictos maritum et filium recuperata sanitate solata est. Qui grati beneficii tabulam argenteam, pondere et magnitudine insignem, ipsaque et ipsi præsentes ad tumbam D. Cunegundis

EX ARCHIVO COENOBII SANDECENSIS. Cunegundis obtulerunt, cum sequenti inscriptione :

Deo, miserationum et miraculorum sempiterno fonti, qui per intercessionem B. Cunegundis. olim reginæ Poloniæ, nunc in regno cœlesti afflictorum patronæ, spectabilem Annam Cæciliam Zaleyska, morbo integro anno et medio vires corporis atterente, et omnem remediorum humanorum curam superante liberavit; nobilis, et spectabilis Joannes Zaleyski, proconsul Cracoviensis pro dignissima conjuge, et nobilis Sigismundus Joannes filius pro amantissima matre, ipsaque resanata matrona pro se immortales gratias, quas in utroque seculo dant, hac exili et humili tessera supplices appendunt. Anno salutis MDCLXXXV, die XX Maii.

aliique plures 111 Eodem anno nobilis virgo, Dorothea Moszczynska, gubernatoris arcis Luboulensis filia, pro recuperata sanitate votum argenteum obtulit.

Eodem anno nobilis Korytniai ex Hungaria in persona huc veniens, pro recuperata sanitate votum dedit argenteum.

B Anno MDCLXXXVI, nobilis Andreas Roswadowski pro recuperata sanitate B. Cunegundi obtulit calicem argenteum cum patena.

Eodem anno religiosa ex monasterio Cracoviensi S. Mariæ ad nives Dominicana pro recuperata sanitate, cum licentia suorum superiorum, misit huc votum argenteum.

Eodem anno nobilis domina Skurska B. Cunegundi pro sanitate obtenta obtulit votum argenteum.

Eodem anno XIII Junii, domina Misiewiczowa, civissa Cracoviensis, pro recuperata sanitate oculorum votum argenteum, in quo sculpti oculi, obtulit B. Cunegundi.

Anno MDCLXXXVII, nobilis Marianna Leszczysnka in ætate provecta cæca facta, post votum ad B. Cunegundem factum, visum recuperavit, et votum argenteum, in quo oculi sculpti, obtulit.

Civis quidam pedem argenteum obtulit pro pede sano facto. Eodem anno pro simili beneficio D. Cyrusowa pedem argenteum dedit.

Nobilis Helena Poniatowska in variis afflictionibus et necessitatibus consolationem et auxilium C meritis D. Cunegundis experta, votum argenteum dedit ad tumbam ejus.

Eodem anno Sophia Rzarzowska, gubernatrix bonorum conventus monialium antiquæ Sandecz, patiens cordis oppressiones, post Missam ad reliquias S. Cunegundis ad suam intentionem celebratam, liberata a malo, cor argenteum obtulit.

cujusvis generis. 112 Eodem anno R. Stanislaus Juraszewski, capellanus sanctimonialium in antiqua Sandecz, pro gravi pedum dolore Missam celebravit; et liberatus a dolore, pedem argenteum obtulit.

Eodem anno die x Junii pulsator organorum de Slopnice visitavit tumbam S. Cunegundis ex voto, pro recuperata sanitate; et tabellam argenteam obtulit.

Venerabilis virgo Salomea Lucka, religiosa S. Claræ, conventus Cracoviensis ad S. Andream, cum licentia suorum superiorum perrexerat ad aquas calidas Druzbacenses propter levamen suæ debilitatis. In reditu venit visitandi gratia reliquias B. Cunegundis ad monasterium antiquæ Sandecz, et incidit in magnam et in desperatam infirmitatem per tres septimanas; et cum curari non posset, obtulit se ad B. Cunegundem, et sana facta est. D

Illustrissima virgo Constantia Fredowna, castellani Czerniechoviensis filia, manens in monasterio, infirmitatem patiebatur in defectu naturali mulierum; et cum medici illam juvare non poterant, recursum fecit ad B. Cunegundem; et sana facta est.

Nobilis domina Mlocka de Kruzlowa decumbens periculosa ægritudine, misit pro Missa ad altare D. Cunegundis cum oblatione; antequam nuntius rediisset, sana facta est; quod postea præsens hic recognovit.

Nobilis Andreas Lipski multoties in infirmitate suæ provectæ ætatis, et in aliis occurrentiis consolatus a S. Cunegunde, vota hic sua exsolvit.

Nobilis Agnes Tomicka in variis paroxysmis ad intercessionem B. Cunegundis, quasi ad certam confugiens medelam, pro multis expertis beneficiis cum Missa et voto argenteo se præsentavit.

Nobilis Pogorzelski in gravi infirmitate promisit se ad tumbam D. Cunegundis cum Missa; E et convaluit; ac post votum adimplevit.

Joannes Szablikowic, advocatus antiquæ Sandecz, quotidianas patiens debilitates et varios paroxysmos, intercessione D. Cunegundis ab omnibus liberatus, vota sua ad tumbam ejus exsolvit.

113 Anno MDCXC, magnis serenissimi Joannis tertii regis Poloniæ, et serenissimæ Mariæ Casimiræ reginæ itidem Poloniæ instantiis; iteratis precibus senatus spiritualis, et secularis, et Ordinis equestris, ac totius reipublicæ, missis supplicatoriis litteris, indefessa R. P. Adriani Skrzetuski, Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, Romæ manentis tunc, postea provinciæ Poloniæ sui Ordinis provincialis, ac nunc pro episcopatu Baccoviensi nominati, solicitatione, et diligenti R. P. Balthazaris Milatii de Naro collegii S. Bonaventuræ Minorum S. Francisci Conventualium in Urbe regentis, ac causæ beatificationis B. Cunegundis promotoris, cura : Eminentissimorum protectoris regni Poloniæ, et protectoris Ordinis Minorum Conventualium, Joannis Casimiri Denhoff Poloni, et Laurentii de Laurea Brancati, ex Ordine Minorum S. Francisci Conventualium S. R. E. Cardinalium, valorosa auctoritate, S. Rituum Congregatio decretum perillustris et reverendissimi domini Nicolai Oborski, suffraganei Cracoviensis et commissarii Apostolici in causa beatificationis B. Cunegundis anno ut supra, die x Junii approbavit, et titulum Beatæ sponsæ Christi Cunegundi concessit. *Decretum Romanum pro cultu et titulo Beatæ anno 1690.* F

114 Quod legitur de S. Stanislao episcopo Cracoviensi et martyre in lectionibus secundi nocturni Octavæ ejus, nimirum: Benedixit Dominus novissimis Stanislai, magis quam principio ejus; id verificatur de B. Cunegunde : trecenti namque nonaginta octo *l* transierunt anni a felici Servæ Dei morte usque ad beatificationem ejus, propter negligentiam ad quos spectabat, et remissam promotionem. Sed compensavit postea id clementissimus Deus, cum eodem anno, et titulum Beatæ serva sua Cunegundis obtinuit, et Officium cum Missa de Communi Virginum pro die solennitatis suæ XXIV Julii concessum fuit pro omnibus religiosis, et monialibus Ordinis Conventualium *ejusque Officio ac festo 24 Julii.* *l*

tualium

A tualium, ac toto clero regni Poloniæ, tam seculari, quam regulari utriusque sexus sub ritu semiduplici. Cujus concessionis dum facta fuisset relatio sanctissimo Domino Domino Alexandro Papæ octavo, Sanctitas sua nedum sensum sacræ Congregationis approbavit, verum etiam gratiam ampliavit, et extendit per universum Ordinem Seraphicum utriusque sexus, et decretum edi et expediri mandavit die XVII mensis Decembris anno MDCXC.

Ad solennitatem beatificationis media pars monialium ægra subito convalescit.

115 Divina dispositione ad manifestandam servæ suæ B. Cunegundis, meritorum excellentiam factum esse autumo dum ante primam ejus solemnitatem, quæ apud moniales Sandecenses per totam Octavam fuit, medietas monialium vario morbi genere afflicta fuit, ac plurimæ lecto affixæ chorum frequentare non potuerunt. Brevi imminens tempus primæ solemnitatis B. Cunegundis, et dies caniculares, non permittebant sumere medicinam; et abbatissa dolebat plurimum, quod tam sancta, et tam diu exspectata, et magnis votis omnium concupita transactio B condecorari in ecclesia et in choro, et adjuvari in præparatoriis a decumbentibus non poterat. Dum itaque ad sublevandas tot moniales ex infirmitatibus variis humana defuissent auxilia, venerabilis abbatissa, communi instituta ad reliquias S. Cunegundis oratione pro ægrotis, ad cœlestem appellavit medicum. Successit bene hæc pia intentio devotæ abbatissæ: nam pro privata imaginis, et reliquiarum B. Cunegundis ex monasterio suo eductione ad ecclesiam parochialem, ex qua postea solemnis ad suam ecclesiam introductio carumdem fuit, omnes et singulæ moniales, quæ decumbebant, surrexerunt ex lecto ad portam; has sacras imaginem et reliquias comitatæ sunt, et sicut per gratiam Dei die crastina pro receptione earum sanæ fuerunt, per totamque incolumes manserunt Octavam; sic postea, etsi non parum longis devotionibus defatigatæ, nullam passæ fuerunt recidivam.

Suffraganeus Cracoviensis excusans se ab hac solennitate celebranda corripitur morbo:

116 Auxit casus sequens dictæ hujus solennitatis pompam. Venerat huc perillustris, et reverendissimus dominus Stanislaus Szembek, suffraganeus Cracoviensis, postea archiepiscopus Gnesnensis, et primas regni, pro ministrando sacra- C mento Confirmationis populo submontano *m*, quem Patres missionarii catechizabant. Descendit quoque ad ecclesiam primo, et postea ad crates religiosas monialium; quem abbatissa cum omni submissione recepit, et pro imminente post aliquot dies solennitate invitavit; sed gratiis actis pro omni humanitate et honore, bonus antistes deprecabatur abbatissam, ut non sibi vitio verteret, quod ejus desideriis satisfacere non posset, habens alio pergendi urgentissimam causam. Mortificato corde suscepit excusationem abbatissa prælati; sed forsan non sancta Cunegundis: nam eo ipso momento, sic gravi viscerum interno dolore correptus fuit, et viribus omnibus destitutus, ut vix tribus diebus supervivere posse crederetur. Missus fuit quidam ex aulicis Cracoviam pro conducendo quantocius medico; sed dum morbus invalesceret, bonus antistes sibi timens, nec opportune medicum venturum sperans, de dispositione animæ cogitabat, et abbatissam pro oratione ad S. Cunegundem rogari mandavit, promittens, si convaluerit, et solennitati D. Cunegundis serviturum, et tota vita sua devotionem specialem ad ipsam habiturum.

EX ARCHIVO COENOBII SANDECENSIS.

sed mutato mox proposito, repente sanatur.

117 Non defuit justis desideriis veneranda abbatissa: nam sub Missa pro eo infirmo ad reliquias S. Cunegundis celebrata, communem omnium religiosarum instituit orationem; post quam finitam, sine ulla curatione sanus surrexit reverendissimus suffragancus, et veloci cursu adventantem hilariter salutavit medicum; nec quidquam ab eo ex advectis medicamentis sumere voluit: sicque solenni introductioni reliquiarum S. Cunegundis pontificaliter astitit, et Missam solennem cantavit. Postea memor beneficii, velum ditissimum sub ejus sacras misit reliquias, et tabulam argenteam satis magnam et deauratam, cum sequenti inscriptione:

Illustrissimus et reverendissimus dominus Stanislaus a Slupow Szembek, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Dionysiæ, suffraganeus et officialis generalis Cracoviæ, tabulam hanc votivam B. Cunegundi virgini, in gratiarum actionem pro recuperata ejus precibus valetudine, E appendit, anno Domini MDCXCI, die XX Octobris.

ANNOTATA.

a Rotulus *dicitur charta convoluta atque in se reducta per modum baculi.*

b *De quo fuse actum est* XVIII *hujus mensis.*

c *Recens in Sanctorum album rite adscriptus. Obiit* XIV *Augusti; colitur apud nos hactenus die* XIII *Novembris.*

d *De qua agendum die* XVII *Novembris.*

e *Agi de hoc poterit* XIX *Octobris, quo die celebrari consueverat apud Polonos, quamquam in cælum hinc migraverit* XXIV *Decembris. Nunc autem in ecclesia Cracoviensi colitur ejus festum Dominica quarta Octobris.*

f *Vincentii hujus opus habemus historicum et Acta; sed de cultu nihil accepimus huc usque. Dedimus illi locum inter Prætermissos die* II *Februarii, quia illo die annuntiatur ab Henriquez in Menologio Cisterciensi; iterumque die* VIII *Martii, quia illo vivere desiit. Chalemotus in serie Sanctorum ejusdem Ordinis eum refert ad* VIII *Februarii;* F *nescimus, quam ob causam. Polonos interim oratos volumus pro suo erga Sanctos indigenas amore, ut si quid de illo habent, id nobiscum communicare dignentur: erit enim, si modo de cultu legitimo constet, ejus Acta vulgandi opportunitas, cum, finito Decembri, duo primi menses revocari ad incudem non sine magno rerum incremento debebunt.*

g *Oppida hæc sunt omnia palatinatus Cracoviensis, præter Neocorcinum, quod illi tamen in palatinatu Sandomiriensi proxime ad Vistulam adjacens notatur in mappis. Cum vero examinanda hic fuerit antiquitas cultus Beatæ, haud dubie his locis jam olim ille floruerat.*

h Posna *seu* Posnania *palatinatus Posnaniensis in majori Polonia caput est, ad Wartam fluvium sita. Itaque in utraque Polonia veneratio* B. Cunegundis *antiqua ferebatur.*

i *Per ea namque non prohibebatur cultus ab im-*

EX ARCHIVO COENOBII SANDECENSIS.

memorabili tempore , hoc est ante centum retro annos, exhibitus.

k *Servatur tamen ejus apographum authenticum ab ipso episcopo Laodicensi sigillatum Sandeciæ apud moniales; ut me docuit R. P. Ludovicus Elbingus, de quo supra. Porro sequebatur Ms. hic titulus ad sequentia pertinens :* Sequuntur miracula ejusdem B. Cunegundis facta sub tempus nominati processus et usque ad ipsam beatificationem dictæ sanctæ Virginis.

l *Obiit enim anno* 1292.

m Submontanos *appellat eos, qui versus Alpes Hungariæ Cracoviensi episcopo subjacent, in quo etiam tractu Sandecia est.*

CAPUT XI.

Miracula solennitatem beatificationis secuta.

B

Sanantur febres, manus ac pedis dolores.

Octo annorum puella nobilis, Salomea, unica filia D. Anna Nowoszycka de Kroscienko, correpta febre, quam per tres patiebatur septimanas, sic extenuata ; ut in ea sola ossa et nervi apparerent , vixque jam retinere poterat spiritum. Casu tunc venerunt Patres Societatis [Jesu], qui puellam illam jamjam morituram ad viam disponebant æternitatis. Sed mater nimis afflicta, hanc unicam prolem habens, extra spem alterius exsistens, dum omnia humana remedia desperata crederet, ad cœleste auxilium recursum fecit : misit pro sacro ad reliquias D. Cunegundis celebrando, et moniales pro piis precibus obnixa petiit. Res admiranda ! Illa ipsa hora, qua Missa dicebatur, puella libera facta est ab omni affectione ; et brevi ad pristinam venit corpulentiam.

Nobilis Teresia Koczanska de Tylmanowa acutissimos in manu patiebatur per longum tempus dolores, et quandoque usque ad insaniam. Persuasa fuit ab amicis ad recursum ad B. Cunegundem : quod ipsa grato suscipiens animo, cordialissime ad Sanctam suspiravit ; in quo instanti omnes dolores cessarunt. Pro beneficio visitavit personnaliter sacras ejus reliquias, et manum argenteam obtulit.

C

Nobilis Moyski vulneratus in pede, loco sanationis a chirurgo in periculum mortis per gangrænam inductus, dum de ista desperaret, obtulit se ad S. Cunegundem ; et sine humano remedio pes ejus sanus factus est. Unde brevi pedester ad ejus ivit sepulcrum, et pedem donavit argenteum.

Mœsto solatium, deformi venustas, ægris sanitas restituta.

119 Joannes Jasienski, consul Neosandecensis, in magnis afflictionibus et tribulationibus omnem spem suam collocarat in protectione D. Cunegundis ; sicut in brevi obtinuit a Deo per suam intercessionem in omnibus consolationem et levamen ; gratus beneficii, cum omnibus suis domesticis visitavit tumbam sacram ejus, et votum dedit argenteum.

Certa persona ex infirmitate non bona faciem totam deformatam ad nauseam intuentium habens, humiliter devovit se S. Cunegundi ; et ejus suffragiis sine ulla curatione pristinam recepit venustatem : grata beneficii faciem argenteam obtulit. D

Certa femina de Breez, ob gravissimos dentium dolores delirabat frequenter : quo plura adhibebat pro sedando dolore remedia, eo majores sustinebat cruciatus ; jam et vitæ pertæsa fuit. Quodam tempore, motu ferme divino, promisit [visitare] reliquias S. Cunegundis ; et mox cessavit dolor. Memor gratiæ, præsens fuit hic, et laminam argenteam, in qua dentes sculpti erant, obtulit.

Anno MDCXCV Casimirus Podwysocki, consul antiquæ Sandecz, infra Octavam Corporis Christi, a quodam incaute explodente bombardam suam sub tempus cum Sanctissimo processionis *a* læsus fuit in manu ; chirurgus loco sanationis induxit illi gangrænam in manum, jamque abscindi debebat ; sed patiens recursum fecit ad S. Cunegundem ; certas vovit devotiones ad ejus sacras reliquias, et omne periculum evasit : nam manus per se sanata est. *a* E

Beata avertit cæcitatem, et morbos ignotos,

120 Anno MDCXCVI, Matthæus Woytovic, de antiqua Sandecz, in juventute valde laborabat oculis, unde ipsi a multis ominata fuit cæcitas in provectiori ætate ; quo asserto terrefactus, votum dandi *b* argenteum ad tumbam S. Cunegundis, quando ad statum aliquem pervenerit, promisit. Post aliquot annos sacerdos secularis factus, de promisso voto nullam memoriam habuit, donec cæcutire incepisset ; in quo periculo seipsum ingratitudinis et infidelitatis arguens, votum prælibatum fabricari mandavit ; quod antequam esset perfectum, ipse integra oculorum potitus est sanitate. Deinde votum obtulit, et beneficium ipse propria manu in libro miraculorum descripsit. *b*

Pauper quidam opifex Cracoviæ cæcus factus, et sic toto permansit anno : post ab amicis persuasus, votum fecit visitandi tumbam S. Cunegundis ; et statim consolatus, hoc ipse præsens hic juratus recognovit.

Elisabeth Golkowska incognito laborans morbo : nam aliqui dicebant illam maleficiatam, aliqui obsessam, aliqui plica infectam. Unde convenientem non poterat habere medicinam ; et ipsa gravissimis torquebatur doloribus. Quodam tempore in somno apparuit ipsi B. Cunegundis, promittens sanitatem, si sibi devota fuerit. Promisit, et absque ulla medicina convaluit ; et huc sana intra paucos venit dies. Anno MDCXCVIII. F

Eodem anno Heduigis Wolska, cujus infirmitatem mulieres cognoscere non poterant, et sui, et fœtus, quo gravida erat, tolerabat periculum : persuadebatur ab obstetricibus, ut abortu suam salvaret vitam ; sed ipsa mori potius in corpore, quam infantem in anima perire eligens, divinæ se commendabat voluntati. Patiebatur multum hæc bona femina : nam neque jacens, neque sedens libera fuit a doloribus. Cum se ad mortem disponeret, occurrit mens pia confugiendi ad S. Cunegundem ; quem instinctum secuta, mox sine doloribus mansit, et tempore debito sanum peperit filium.

121 Anno MDCC, Anno Pniowska, nobilis matrona,

A *item dolores oculorum, epilepsiam, depredationes,* trona, in gravi oculorum dolore fecit votum ad S. Cunegundem; et statim consolata est. In simili affectione nobilis Helena Panigtowska venit ad tumbam S. Cunegundis; gratiam sanitatis accepit.

Eodem anno, die IV Octobris nobilis domina Wiernkowa venit huc infante suo lactente; quem, cum morbum caducum pateretur, obtulit ad tumbam S. Cunegundis; et sanus factus est.

Illustrissimus castellanus Vilnensis, qui meritis D. Cunegundis ex gravi infirmitate se surrexisse fatetur, votum argenteum misit huc.

Et non tantum extranei, sed etiam domestici, imo et filiæ in Christo B. Cunegundis, sua gloriantur protectione, Permiserat Deus his maxime temporibus in pœnam peccatorum nostrorum multas venire gentes, easque varias atque rapaces, in hereditatem suam; et tunc verum erat dicere illud: Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus. Sic hic factum est per Suecos, Moscos, Cosaccos, et alios. Deprædabantur omnia monialium bona, quicumque vole- B bant; contributiones incessanter extorquebant; et adhuc ecclesiam spoliare, et monasterium intrare monialium prætendebant; alias in villis ultimam minantes ruinam. Hinc afflicta abbatissa ad S. Cunegundis auxilium recursum fecit; et feliciter. Nam dum moniales ad reliquias divæ suæ Matris preces fundebant, inimicus, qui violenta meditabatur consilia, terrore de cœlo in ipsum immisso, fusus est; et sic monasterium a confusione, et bona a ruina salvata sunt.

et pestem a suis, 122 Eodem anno gravis in antiqua Sandecz et circumcirca grassabatur pestis, qua multi de ecclesiasticis, secularibus, et regularibus, de nobilibus, civitatensibus, oppidanis, et villanis occubuere. Abbatissa monasterii volendo salvare [se] et sorores suas, mediam partem abduxit, (permittentibus id sibi superioribus) secum ad bona; et medietatem, ne sileret ecclesia, in claustro reliquit, præscripta ad cautelam regula. Sed cum famuli, in area conventus extra clausuram manentes, plus temere fidentes quam prudenter cauti fuissent, libereque per oppidum in- C fectum cursitassent, brevi peste infecti sunt, et duo ex ipsis derepente mortui, qui ad crates obsequendo quotidiani erant. Perterruit hic casus non parum moniales, nec timor irrationalis erat: nam aliquot ex ipsis infirmæ erant, signa infectionis præferentes; nulla tamen mortua B. Cunegundis precibus.

idque iterum, 123 Nobilis Antonius Kamocki, cujus soror germana erat religiosa Anna Kamocka, cum licentia superiorum accepit sororem suam cum duabus monialibus ad bona sua; sed quia alia bona non procul a Bochnia habuit, solebat adire illa œconomicæ dispositionis gratia, ubi peste contracta, ad moniales rediit; et tertia die infirmus factus, sexta vero decessit. Moniales, quæ nihil tale cogitabant, et infirmo et morienti assistebant, primo post agnitionem signorum pestis consternatæ ex periculo manifesto. Ipsæ jam periclitantes, se subduxerunt, pedester, relictis omnibus, ad villam conventus euntes; ubi etiam aliquot moniales manebant, quibus associatæ simul manebant, donec illæ, habita notitia de morte per pestem domini Kamocki, illas relegassent. In qua separatione prædicta religiosa Kamocka signis pestilentialibus oppleta fuit; nec sciens se salvandi alium modum, quam recursum ad S. Cunegundem, ad eam prostrata in terram, cum fletu orabat, non tam suæ, quam aliarum sororum prospiciens saluti. Periculum tunc magnum erat: nam in Wronovice, ubi defunctus tunc erat nominatus dominus Kamocki, ex domesticis ejus omnes, præter duos infantes, mortui sunt; et ipsa religiosa Kamocka graviter decumbebat. Cum ergo omnes moniales in Strzeszyce, ubi hoc erat, in periculo manentes, sine intermissione ad S. Cunegundem clamarent, votorum suorum compotes factæ sunt; dum nulla ex ipsis mortua est, et nullus se ab ipsis infecit ex villa. *Ex archivo coenobii Sandecensis.*

124 Non minus aliud miraculum fecit D. Cunegundis in salvando a peste suas filias. Nobilis Sigismundus Siemienski, qui habuit filiam suam eodem conventu adhuc novitiam, et sororem germanam jam professam, accepit illas ad se cum quadam tertia; advexit illas gubernator bo- E norum sive administrator domini Siemienski. Vix illuc venerunt, et ecce, ab illo administratore infecto homines tam in aula quam in villa moriebantur, et cadebant velut pecudes. Dum autem inquireret dominus Siemienski, unde infectio facta esset, administrator se volens justificare, affirmabat, moniales advexisse pestem. Nobilis Siemenski cum domina sua volens se salvare, discessit ad alia bona, increpatis monialibus, et relictis sine ulla commoditate. Passæ sunt innocentes moniales multum ab illa gente, periculum a peste et a fame sustinentes. Unicum earum erat levamen, spes in S. Cunegundem, ad quam continuo orabant, cujus certe meritis omnes sanæ erant, nec minimum capitis sentientes dolorem. Ille tamen administrator justas ultionis divinæ non evasit pœnas; qui ante ipsum agonem revocavit fictam in moniales calumniam; et seipsum incusavit, quod avaritia ductus, ab infectis mercatoribus emerit certas merces; et sic ipsum, et totam villam infecerit. Sic S. Cunegundis filiabus suis et alimenta per benefactores providit, et innocentiam illa- F rum vindicavit, et pietatem manifestavit: nam aliquot personæ fide dignæ testatæ sunt, se etiam lumen super illas moniales vidisse, dum orarent. *ac tertio,*

125 Cum ergo hæc iræ Dei plaga sæviret in antiqua et nova Sandecia, in Podegrodzie, Stronie, Przyszowa, Mokra, et aliis circumvicinis villis; et populus ex ipsis et aliis ad Lucovicensem pro devotione frequenter et commixtim adventaret ecclesiam; pastor illius R. Michaël Bochenski, canonicus Sandecensis, cupiens omnes suos parochianos sanos et salvos, commonebat eosdem, ut confugerent sub præsidium sanctissimæ Matris Dei, et commendarent se S. Cunegundi: quibus annuentibus, fecit votum ex ambone *c*, solenni processione visitare tumbam S. Cunegundis, dum pestis cessaret. Nec frustra fuit illorum pietas: nam per VI menses quibus pestis duravit, nullus iu tota parochia fuit infirmus: id ergo intercessioni sanctæ hujus Virginis adscribens reverendus ille parochus, votum solenne argenteum numerosissima processione *item eamdem avertit a locis aliis pluribus.* *c*

EX ARCHIVO COENOBII SANDECENSIS.

sione ad sepulcrum ejus detulit anno sequenti Dominica prima post festum S. Margaritæ.

Parochia itidem Chomranicensis pro evitanda peste elegit sibi pro patrona S. Cunegundem, promittens nulli post Deum, et beatissimam Virginem Mariam, nisi beatæ huic Virgini suam adscribere incolumitatem, in magna circumcirca vicinorum peste infectorum existens periculo, et solennes cum processione referre gratiarum actiones in ecclesia sua; sicut postea fecit, et votum argenteum obtulit, non frustrata spe sua.

Eamdem gratitudinem præstitit S. Cunegundi reverendus Casimirus Mrozkowic, parochus in Kamien, pro simili in peste præservatione.

Fecit similiter Joannes Szablikowic advocatus antiquæ Sandecz cum fuisset cum conjuge sua in magno pestilentiæ periculo; et votum argenteum grati ergo animi obtulit. Idem tunc magnum pedum patiebatur dolorem; sed postquam se commendavit S. Cunegundi, dolor cessavit.

Dolorem tollit oculorum, et hydropem.

126 Anno MDCCXIV, die XVI Maii, venit ad tumbam S. Cunegundis nobilis Sophia Gabonska, de Nieprzesnia, testificando, quod ipsa ante B undecim, vel plus minus annos, dolendo oculis parum videre potuit; et quatuor annis in ista affectione permansit multis expensis varias procurando medicinas sine ullo effectu aut diminutione doloris. Post longum tempus recordata suæ consanguineæ religiosæ in antiqua Sandecz, nuntiavit ei de sua tam longa infirmitate; a qua responsum recepit, in quo de multis gratiis et beneficiis, meritis B. Cunegundis a Deo factis, qui ad illam confugiunt, illa religiosa narrabat. Hoc motivo nobilis Gabonska commendavit se S. Cunegundi; et statim dolor oculorum sine ullo naturali remedio cessavit.

Addidit eadem D. Gabonska, quod infans suus unius anni magna fuerit hydropisi correptus. Petens illa medicum, quid contra affectionem illam facere deberet, respondit medicus, nullum superesse juvandi infantem remedium. Tunc illa memorata beneficii S. Cunegundis in se ipsa experti, commendavit filium suum eidem sanctæ Virgini, promittens eumdem, dum sanus fuerit, ad tumbam. Quo facto, infans mirabiliter liber fuit ab C illa affectione; quæ quasi insensibiliter evanuit. Cum autem ad explendum votum suum iter meditaretur, resolvit se solam ad iter, timens, ne infanti quid novi accideret. Dum ergo sic rem determinavit, ecce, infans periculose infirmus factus est; quod mater advertens, iterum vota sua ad S. Cunegundem direxit, volens cum infante suam adire tumbam, etiamsi sciret infantem in via moriturum. Infans protinus factus sanus. Illum ad antiquam Sandeciam devexit; sanum S. Cunegundi obtulit, et sanum domum revexit. Hæc domina petiit ista sibi beneficia præstita ad majorem Dei gloriam et cultum S. Cunegundis connotari.

Beata scriptorem Vitæ suæ præservat a peste, et paralysi

127 Supra nominatus bonæ memoriæ admodum R. D. Martinus Frankowic, philosophiæ doctor, custos collegiatæ Sandecensis, auctor Vitæ Polonico idiomate in folio B. Cunegundis impressæ, ex qua ista miracula in Latinum traducta sunt, nunc de seipso loquitur; quod non liceat sibi subticere multa Dei bona, dona, et gratias, quas sibi B. Cunegundis in obsequio suo exsistenti impetravit, faciendo eum capacem et D idoneum penes fabricationem ultimi processus pro beatificatione fui. Ipsius sanctæ Virginis protectioni adscribit prædictus A. R. D. sanitatem suam, honorem, et substantiam, tutelam, et ipsam vitam. Nam dum pestis in utraque Sandecia grassaretur, et circumcirca vicina loca infecta essent, ipsum protectio D. Cunegundis, cui se in principio pestis statim commendavit, et suos domesticos non solum ab ira magna Dei præservavit, maxime penes familiam domus incautam; sed etiam ab ulla pestis suspicione, se, suos domesticos, et suos subditos conservavit.

Idem auctor operis majus adhuc recenset hujus Sanctæ sibi factum beneficium; dum anno MDCCXII paralysi tactus fuisset, et primo loquelam, deinde usum manus dexteræ amisisset, et sic aliquot diebus jacuisset, licet penes magnam medici curam; tamen sine spe convalescentiæ, et usus manus suæ fuit. Sed postquam communitas sanctimonialium orationes suas ad Missam pro ipso celebratam fecisset. et se suæ sanctæ Matri commendasset, cui etiam ipse se cum Missa venturum promiserat, statim loqui cœpit, et manum E movere, postea scribere, officio concionatoris satisfacere, et Missas cantare potuit.

et submersionis periculo, caligatione, ac dyssenteria mortifera.

128 Idem dicit, anno immediate sequenti in festo SS. Philippi et Jacobi in Dunajec fluvio, dum auriga deviasset, se ope D. Cunegundis a submersione salvatum fuisse.

Idem narrat, ante aliquot annos scribendo continuo de nocte penes candelam in visu enervato defecisse et caligasse; dum autem se commendavit sanctæ Cunegundi, in claritate visus consolatum mansisse.

Anno quoque MDCCIV *, diarrhœam sanguineam dicit idem se passum fuisse, quam nullæ medicinæ sanare poterant; aliquot ergo septimanis sic afflictus fuit, et valde debilitatus, spem vitæ non habuit. Dum autem ad reliquias S. Cunegundis Missa pro eo celebrata fuisset, pristinæ fuit redditus sanitati. Concludit igitur (sunt ejus verba sequentia:) Plane cum Tobia dicere possum, quod me intercessio Servæ Dei in omnibus necessitatibus, difficultatibus et adversitatibus sic protexerit, juverit et defenderit, quod omnibus bonis per eam repletus sim. F

* *an* MDCCXIV?

Hic finit miracula B. Cunegundis antiquæ Sandeciæ monasterio suarum monialium conscripta.

ANNOTATA.

a *Id est, sub tempus, quo instituebatur processio cum venerabili Sacramento Corporis Christi, quod in ea circumferebatur.*

b *Imo potius* dare: *neque enim* argenteus *hic substantive sumitur pro nummo argenteo; sed adjective, et votum afficit seu anathema, quod dare promisit, ut patet ex sequentibus.*

c Ex ambone. *id est ex pulpito seu suggestu; de qua voce consuli fusius potest Cangii Glossarium.*

CAPUT

A

CAPUT XII.

Miracula B. Cunegundis facta ad S. Nicolai prope Corcinum.

Sacellum S. Nicolai, olim precibus Beatæ, nunc miraculis illustratum cum vicino puteo:

a
b

Joannes Dlugossus in Vita B. Cunegundis *a* mentionem fecit certæ ecclesiolæ seu capellæ, tituli S. Nicolai episcopi et confessoris, non procul a fluvio, Nida dicto, sub Neocorcino ; et vicini puteoli, S. Cunegundis nominati *b*. Ecclesiola hæc, quia est in aperto campo, ideo ad eam ab hominibus remotam, quasi ad eremum, S. Cunegundis libenter frequentabat, et in ea insolitas gratias divinas recipiebat; uti spiritum contemplationis et extases, fervorem orationis, profluvium lacrymarum, et donum perpetuæ castitatis impetratum, ac multa alia dona cœlestia. Ad istam ecclesiolam, dum clausa erat, sibi angeli portas aperiebant, et ab ea ex oratione, jam die facto, regrediens, nube clara, ne videretur ab hominibus, obumbrabatur. Ab hac ergo ecclesia stadiis tribus distat puteolus, S. Cunegundis nominatus (distinctus est hic ab illo, qui est in antiqua Sandecz,) ad quem non solum ex vicinis, sed etiam remotis locis veniunt omnis status et conditionis homines variis afflicti morbis, et aqua ex illo, prævia in dicta ecclesiola sacramentali confessione et communione, curantur; quæ etiam aqua deportatur ad longinquas Poloniæ pro medicina partes. Et testantur id innumera vota cerea, quæ in candelas ad usum prædictæ ecclesiolæ convertuntur; sunt et modo tabellæ argenteæ, quarum plurimæ per prædones ex ecclesiola ablatæ fuerunt. Miracula autem, quæ infra ponentur, A. R. D. Bartholomæus Jodlowski, sacræ Theologiæ et J. U. doctor, decanus Lublinensis, præpositus Neocorcinensis, parochus Czarnocinensis, propria conscripsit manu; [et] comprobata, et jurata sub tempus processus canonizationis B. Cunegundis promotori consignavit. Et illa etiam auctor Vitæ B. Cunegundis Polonica lingua impressæ typis excusa ad calcem ejusdem Vitæ posuit ordine tali.

ibi enim cæcitas et maligna febris subito depulsa,

130 Primo in prædicta ecclesiola S. Nicolai in tabula est ista scriptura : Anno MDCLXXII, die XXIII Junii quidam Blasius Celei de Radgoszcza cæcus taliter, quod nec diem nec noctem dignoscere poterat; hic venit ad ecclesiam parochialem Neocorcinensem, et petiit confessarium; qui facta confessione, audivit Missam in ecclesiola S. Nicolai, et ibidem communicavit; deinde ivit ad puteolum B. Cunegundis; et statim lumen oculorum recepit. Hoc miraculum scriptum fuit in ecclesia parochiali Neocorcinensi, multis præsentibus testibus.

Item Agnes vidua post defunctum Stanislaum Wægies, maritum suum, civem Neocorcinensem, habuit filium, qui in gravi infirmitate visum amiserat; et in ista cæcitate fuit per tres menses. Ex consilio sacerdotis Neocorcinensis detulit ipsum ad puteolum B. Cunegundis : qui sacerdos lavit ipsum in illa aqua ex puteolo, et matri reddidit ; qui statim in crastino lumen recepit, et præsentavit ipsum mater in ecclesia statim parochiali, et miraculum notatum fuit.

Ex Vita Beatæ Polonice edita.

Item ancilla nobilis Helenæ Makowska, viduæ devotissæ, in febre maligna amissis sensibus, per dies septem quasi cadaver in lecto jacuit, nullum sumens alimentum ; die octavo, quasi ex somno expergefacta, rogavit aquam ex puteolo dictæ S. Cunegundis ; quam ipsi domina sua negabat, timens, ne in majorem incideret paroxismum. Sed dum ægra non cessaret rogare, affirmans, sanitatem sibi ex aqua illa certo proventuram, permisit illi parum ex ipsa bibere: qua sumpta, terribiliter incepit sudare, postea dormire ; post somnum aliquot horarum, surrexit sana, acsi numquam infirma fuisset.

et ulcus, et oculorum dolor, et apoplexia,

131 Item eadem nobilis Makowska in genu habuit magnum ulcus, a quo venas putrefactas chirurgus exscindebat, quibus excisionibus maxime torquebatur. Cracoviæ multum consumpsit temporis et pecuniæ in curatione sine ullo juvamine; quod perpendens, recursum fecit ad B. Cunegundem, et contra omnium voluntatem madefacere et abluere sibi fecit pedem illum aqua ex puteolo S. Cunegundis; quo facto, brevi pes ille per se ipsum sanatus est.

Item eadem nobilis Makowska oculis valde laborabat; qui cum fuissent sanguine obducti, nihil illam videre permittebant ; quos cum lavisset aqua ex dicto puteolo, sanati sunt.

Item in eadem domo manebant quinque viduæ devotissæ penes ecclesiam parochialem Neocorcinensem. Quadam ergo nocte ex calefacta nimis fornace, fœtore et fumo omnes capite laborare, et deliquia pati, ac sine omni sensu esse cœperunt ; tandem apoplexia tactæ, cum jam vix spirarent, prædicta Helena Makowska melius illis habens, curavit aquam ex puteolo S. Cunegundis adferri, qua ipsas aspersit ; quæ ad se reversæ, commendabant se B. Cunegundi ; et in crastino sanæ factæ, iverunt ad ecclesiam S. Nicolai pro gratiis agendis. Quando autem aspergebantur illa aqua, ex capitibus illarum fumus niger et fœtens exibat.

item maleficium, dæmonis insessio, dolor oculorum,

132 Item nobilis Stradomska, vidua de Staviszyce, ita erat maleficiata; quod præter pellem et ossa nihil carnis habebat ; et sic per aliquot annos sine juvamine decumbebat; nihil juvabant exorcismi. Addidit tribulationem ingens dolor oculorum. Ex consilio piorum fecit sibi balneum ex aqua ex puteolo B. Cunegundis; et statim sana facta est, et dolor oculorum cessavit.

Item admodum R. D. Paulus Smolicki, S. theologiæ doctor , scholasticus Scalmiriensis , præpositus Neocorcinensis, magnæ pietatis, et eruditionis prælatus, plusquam octuagenarius, sæpe adibat istum puteolum; ipse in processionibus ad populum exhortationes faciebat, commendans illi dictam puteoli aquam, et devotionem erga B. Cunegundem, multasque in se ipso expertas in variis infirmitatibus profitebatur gratias.

Item sæpe nominata nobilis Helena Makowska a maligno spiritu obsessa, visitans quadam die cum alia matrona dictum puteolum, graviter a dæmone

Ex Vita beatæ Polonice edita.

dæmone tormentata fuit, ad lapidem allisa et vulnerata; cum in deliquium venisset, illa altera femina aspersit illam illa aqua; et statim ad se rediit, et sana domum reversa cum magna dæmonis lamentatione.

Item Stanislaus Kraska, civis Neocorcinensis, ætatis LXXX annorum, testatus est id de famula sua; quod anno septuagesimo secundo tanto erat dolore oculorum afflicta, quod sine manuductione gressum regere non potuerit. Petiit se conduci ad puteolum B. Cunegundis; ubi lotis oculis, dolore amisso, sana domum per se reversa est.

et cæcitas aliæque plures miseriæ,

133 Item idem seniculus testatus est, quod quadam die ad dictum puteolum invenerit quamdam feminam de Bonisovice cum filio suo decem annorum; quæ præ gaudio diserte flebat, laudando Deum, quod ibi dictum filium valde infirmum, post lotionem, sanum videret; iterabat insuper dicens: Compenset Deus sua gratia et benedictione his, qui mihi persuaserunt huc venire cum isto filio.

B Item seniculus retulit, quod multos infirmos, tam domi suæ, quam alibi hac aqua sanaverit. Idem asseruit, quod quadam die ad dictum puteolum invenerit servum magnifici domini Cutcki, subdapiferi *c* Sanocensis, qui istam aquam accipiebat in lagenam, eo quod in districtu Sanocensi quidam homo cæcus, qui sibi lavit oculos aqua ex hoc puteolo, visum receperit.

Item illustrissima Catharina Denhofova, succameraria regni, capitanea Vislicensis, sciens, magnalia operari istam aquam, toties, quoties venit huc ad suum capitaneatum cum suo illustrissimo, semper utebatur hac aqua pro medicina in cunctis suis infirmitatibus; et quoties hinc discedebat, dolium plenum secum accipiebat pro se et aliis curandis.

Item civis Neocorcinensis, nomine Joachim cæcus factus, votum fecit ad B. Cunegundem, et visum recepit; sed cum promissum suum neglexisset, iterum privatus fuit visione; et statim publice profitebatur, ideo castigatum se esse a Deo, quia beneficii accepti ingratus erat. Dum ergo sic contritus et dolens votum suum explesset, C denuo aperti sunt oculi ejus; quod tota civitas testata est.

morbus letalis, exulceratio, etc.,

134 Item Stanislaus Musiewicz, lignifaber, cum capellam in arce Neocorcinensi, quam D. Cunegundis fundavit et ditavit, repararet, factus infirmus, extremizabat sine ulla spe vitæ. Certo die Dominico, cum omnes ivissent ad ecclesiam, eo solo relicto, obdormivit; in quo somno apparuit ipsi B. Cunegundis; et ipsum bacillo albo tangens, excitavit, ac dixit: Surge, et comple reparationem inchoatam capellæ. Surrexit infirmus, quasi nullam habuisset infirmitatem; et in crastino primus venit ad laborem. De hoc miraculo omnes arcenses cum nobili domino Stanislao Stasimonski, burgravio *d* arcensi, testimonium perhibuerunt. Cujus miraculi longa et lata fama facta est, taliter quod, dum post aliquot dies venisset huc Neocorcinum serenissima Eleonora Austriaca, Michaëlis regis Poloniæ uxor, inquisitionem circa hoc sedulam fieri curavit; et ita compertum fuit.

Item illustrissimus Alexander, comes in Tarnow, castellanus Sandomiriensis, et capitaneus D Neocorcinensis, postquam de prædicto lignifabro miraculose sanato rescivit, magnam ad S. Cunegundem concepit devotionem; cujus patrocinio in multis suis, suæ consortis, et unici filii sui infirmitatibus et necessitatibus gloriabatur: unde etiam multa vota faciebat ad B. Cunegundem, et explebat. Nec postea immemor erat, postquam capitaneatum hunc dimiserat; sed sæpe visitabat capellam D. Cunegundis.

Item Marianna Korwatowa, vidua Neocorcinensis, valde exulceratum pedem habens, magnos passa est et diuturnos dolores; et cum nullæ unctiones [aut] emplastra prodessent, præ magnitudine dolorum mori quantocius desiderabat. Consiliata, votum fecit ad D. Cunegundem, et aqua ex puteolo ipsius pedem lavit, et protinus et dolorem et ulcera amisit. Filia etiam ejus in diversis infirmitatibus hac aqua sanata fuit.

cæcitas, furor hostium, oculorum dolor, febris,

135 Item Nicolaus Brudzowic, consul Neocorcinensis, deposuit cum juramento, quod dum Crosnæ in juventute sua laboraret opificium suum (erat enim gladifex) viderit oculis suis, E quod quidam auriga, cognomine Neomundus, dum merces vecturus erat Vilnam, metropolim Lithuaniæ, prædictam aquam de puteolo sanctæ Cunegundis illuc deveheret, pro certo mercatore cæco; qui, postquam oculos suos lavit dicta aqua, visum recepit, cum magna totius civitatis admiratione.

Item idem Nicolaus Brudzowic gratias, quas ipsemet recepit a Deo intercessione B. Cunegundis, sic descripsit. Primo anno MDCLVI, quando Gustavus rex Sueciæ depopularetur Poloniam, et unicus mansit in arce Neocorcinensi: spirituales enim, et nobiles omnes, maxime persecuti a Suecis hæreticis, alio extra confinia regni diverterant. Sic ergo solus ibi exsistens, commendabat se quotidie protectioni D. Cunegundis, ne ab ipsis et fortuna et vita spoliaretur. Diu ergo et arx illa, et ipse sine ulla fuit molestia; postea tamen, dum jam Suecos Poloni insequerentur et trucidarent, combusserunt istam arcem; et licet contra Polonos maxime exacerbati fuissent, et quemvis obvium opprimerent, spoliarent, mactarent; me ante injectionem ignis F in arcem præmonuerunt, et omnes res meas exportari permiserunt, ex quibus nullus mihi quidquam accepit. Secundo cum graviter laboraret oculis nullam adhibuit medicinam, præter aquam ex puteolo D. Cunegundis; et statim sanus factus est. Tertio dum in gravi aliquot diebus decumberet maligna [febre,] aqua ex puteolo D. Cunegundis hausta, sanus surrexit ex lecto.

Item Stanislaus Kabula, civis Neocorcinensis, ex magnis oculorum doloribus cæcus factus, conduci se fecit cum magna fiducia ad puteolum D. Cunegundis; ex quo dum ter lavisset oculos suos, meliorem visum, quam habuerit, acquisivit; et vivens post miraculum plus quadraginta annis, et perveniens ad magnam senectutem et senium (ætatis enim erat, dum moreretur, centum viginti annorum) abhinc tamen nullum dolorem, et nullum defectum oculorum expertus est.

Hæc unde sumpta; cur omissa recentiora miracula.

136 Ista miracula sunt extracta ex sæpe nominata Vita B. Cunegundis, a præfato A. R. D. Martino Frankowic lingua Polona impressa.

Post

A Post impressionem plurima jam sunt antiquæ Sandeciæ ad tumbam D. Cunegundis annotata; sed non habentur ad manus e.

ANNOTATA.

a *Supra cap. 4 a numero* 42.

b *De hoc puteolo non meminit, quod sciam, Joannes Dlugossus.*

c Subdapifer *is est inter ministros regios,* qui curat ordine fercula mensæ regiæ adferri, præcedens cum sceptro seu baculo dapiferum, *inquit Krzistanowicus pag.* 21. Sanocum *vero urbis est arce munita, quæ ditioni circumjectæ nomen dat, ad Sanum fluvium in Russia rubra.*

EX VITA BEATÆ POLONICE EDITA.

d Burgravius *censetur apud Polonos inter officiales castrenses :* Burgravii, *inquit citatus auctor pag.* 24, sunt custodes arcium, qui pacis juxta ac belli tempore nocturnas atque etiam, quando opus est, diurnas excubias per se vel suos administros servant, capitanei auctoritati subjecti.

e *Hæc sunt, quæ per Illustrissimum Celsissimumque episcopum Cracoviensem a R. P. Elbingo accepta, iis verbis dedimus, quibus acceperamus.*

DE B. JOANNE TAUSSINIANO EPISCOPO

FERRARIENSI IN ITALIA.

B P. B. E

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Beati cultus tum alibi, tum præcipue Ferrariæ stabilitus.

ANNO MCDXLVI.

De B. Joanne, *qui a castro natali, in Romandiola ac diœcesi Imolensi Senum inter et Santernum flumina sito,* Tossignani, Taussiniani *et* Tausignani *cognomentum accepit, actum est obiter in Prætermissis ad diem* IV *Julii pag.* 4. *Nimirum illo die ejus memoria consignata erat in Catalogo Sanctorum Italiæ a Philippo Ferrario, quem in eo sectati sunt Nadasius noster in Anno cælesti, Brautius in Martyrologio poetico, et Castellanus in Martyrologio universali; quamquam hic errori Ferrariano proprium adjunxit alium, cum* Joanni *nostro Beati titulum, ab omnibus auctoribus constanter attributum, ademit, hæc tantum notans :* Ferrariæ, venerabilis Ravellus episcopus ex Ordine Jesuatorum : *sed hæc ipsa enuntiatio palam facit, quam parum beatus* Joannes *Castellano cognitus fuerit; ut per decursum patebit. Ferrarium seduxerat auctor, quem obscuriuscule citat, Timotheus da Bagno, Camaldulensis; qui Florem Sanctorum Alphonsi de Villegas ex Hispano Italicum fecit, ediditque Venetiis anno* 1598; *ita tamen, ut Legendario suo Vitas nonnullas, Alphonso ignotas, aliunde inseruerit; quas inter est illa, quam de* B. Joanne Taussiniano *per compendium dedit pag.* 1136, *ipsi titulo hæc subdens :* Cujus festum celebratur in urbe Ferrariensi die quarta Julii. *Sphalma hoc sit auctoris, an typographi, nescio : certe in ipsa Vita obiisse Beatum scribit non* quarta, *sed* vigesima quarta Julii ; *neque apparet alium umquam diem a Ferrariensibus ejus memoriæ consecratum fuisse, quam qui vere natalis ei fuerit, quem fuisse* XXIV *hujus mensis, tum Acta nostra, tum exhibendum infra Actis ipsis vetustius epithaphium testantur. Itaque correxit se subinde, re diligentius examinata, Ferrarius, dum in novo Catalogo Sanctorum ad* XXIV *Julii sic habet :* Ferrariæ, B. Joannis episcopi, Ordinis Jesuatorum.

Colitur Ferrariæ non die 4 Julii,

C

2 *Atque hoc quidem tempore diem illum, ut B.* Joanni *sacrum ac natalem, celebrari Ferrariæ certum est; ut inter alia multa me docuit consultus nuper Hippolytus Palmerius, Societatis Jesu Ferrariæ presbyter. Cui quidem viro, uti et clarissimis ejus adjutoribus : reverendissimo D. Hieronymo Baruffaldo, in tribunali et causis Ferrariensibus ad archiepiscopum Ravennatem spectantibus vicario, ac A. R. D. Josepho Antenori Scalabrino, basilicæ S. Mariæ de Bucca apud Ferrariam rectori, nec non sanctæ apostolicæ Sedis Notario et inter scriptores Romanæ curiæ descripto, quantum in omni hac re debeamus, facile ex iis, quæ sequuntur, elucescet. Palmerio consonat rescriptum Italice testimonium Scalabrini, quod Latine sic vertimus :* Honoratur Beatus cultu confessoris pontificis, habetque in ecclesia S. Hieronymi [Ferrariæ] sacellum suum cum altari, in quo jacet urna cum ossibus ejus, ad quam Missa quotidie celebratur, tametsi locus sit subterraneus. Festum autem ejus ibidem recolitur XXIV Julii sub ritu duplici, cum sacro de communi confessoris pontificis. Cultus hic servatus semper fuit, concurrente per dies singulos ad orandum in lapide sepulcri ejus, votivaque ad aram ipsius dona conferente fidelium multitudine. Quin imo, ex quo facta est, anno MDCCXII corporis ejus solennis translatio, accrevit constanter cultus et veneratio ; et festa ejus luce feriatur illustrissimus magistratus, foraque clauduntur ac tribunalia. *Cujus rei testem indidem accepimus tabellam feriarum illustrissimi magistratus Ferrariensis satis recenter impressam, atque hinc urbis, inde supremi magistratus, quem Judicem sapientum appellant, Melchioris Sigismundi Gavassini munitam sigillis, in qua mense Julio inter alias quinque ferias notatur* XXIV festum beati Joannis de Tosignano.

sed die 24 ejusdem mensis,

F

3 *Idem testatur pictura æri pereleganter incisa ab insigni artifice Andrea Bulzono, atque in folio majori excusa Ferrariæ anno* 1720, *miraculum illud*

et quidem valde solenniter;

AUCTORE P. B.

lud referens, quod in Vita narratur cap. 6, *num.* 56 *et sequenti ; sub ea namque post brevem imaginis explicationem Italice sculpta sunt hæc :* Celebratur festum Beati XXIV Julii in ecclesia S. Hieronymi PP. Carmelitarum excalceatorum, ubi corpus ejus honorifice colitur. *Idem affirmatur in compendio Vitæ ejus, quod rite approbatum edidit Ferrariæ anno* 1712 *occasione translati corporis Nicolaus Baruffoldus Ferrariensis ; idem alibi sæpius. Verum ut cuivis notum sit, quanto studio, quantoque apparatu dies ille hodiedum loco jam dicto celebretur, juverit hic adscribere, quod inter annotata ad Vitam nostram observari jubet laudatus Scalabrinus, post brevem translationis historiam, de qua posterius agetur, Latine sic habens :* Collocatum est sacrum corpus in sacello subterraneo, tunc (*anno* 1712) picturis ornato, nunc marmoreis columnis, et statuis, cum binis scalis ad commodum descendentium. Ad altare hujus sacelli, ante corpus Beati, Missæ sacrificium celebratur ; et quotannis festiva ejus dies agitur Ferrariæ die XXIV Julii, ei natalitia ; pro quo festo Eminentissimus D. Thomas, S. R. E. presbyter Cardinalis Rufus, S. Ferrariæ ecclesiæ episcopus, nec non Bononiæ de latere legatus, Patribus *(Carmelitis)* quatuordecim aureos tribuit. *Hæc, opinor, ad cultum, quo Beatum nostrum Ferraria prosequitur, comprobandum abunde sufficiunt; eodem tamen etiam referri poterunt, quæ in translatione anno* 1712 *contigisse suo loco dicentur.*

B

ex quo colligenda est cultus ejus antiquitas,

4 *Neque refert, quod recentia sint, quæ proferimus, et quidem de moderna fere tantum veneratione, testimonia : eadem enim ad antiquitatem cultus ab immemorabili tempore ante Urbani PP. VIII notissima decreta vindicandam validissimum offerunt argumentum. Quis etenim animum inducere possit, ut credat, imo suspicetur, vel introductum fuisse vel continuatum cultum, quem summi Pontificis proscripsissent oracula; idque Ferrariæ, hoc est, in ipsa ditione oculisque ferme adeo Pontificiis, ac de latere legati ; Ordinariis, quorum interea plures S. R. E. Cardinales fuerunt, non modo nihil contradicentibus, sed foventibus insuper, ac præcipuas in eo illustrando promovendoque partes ambientibus? Sane, tametsi aliud esset nihil, quod de legitima cultus vetustate constaret ; sufficere tamen hoc solum videri debet, ut cum Joanne Rossi in Vita S. Joannis Columbini, Romæ anno* 1648 *approbata et edita, pag.* 318 *quivis affirmet*, annuente suprema Sede, Joannem ut Beatum coli : *quod ex Anno Joannis* (*sic libellus vocatur ab uno e nostris compositus vulgatusque Pragæ anno* 1664) *pag.* 301 *describimus ; ipsa enim Rossiana Vita hic in promptu non est.*

C

quam tamen etiam vetusta probant monumenta alia,

5 *Non desunt tamen alia, et quidem luculenta antiquissimæ ac publicæ Ferrariensium erga beatum hunc Episcopum suum venerationis indicia, etiam ab ipso, quo cælum adiit, anno* 1446 *petita : eodem namque anno erecta est ejus memoriæ a communi, ut vocant, urbis Ferrariensis in xenodochio majori S. Annæ a se excitato illa statua, cujus ectypon proponemus infra in Vitæ supplemento*, cum laureola in capite, *ut asserunt Scalabrinus in submissis nuper huc monumentis (licet eam in neutra iconis ejusdem delineatione expresserit) atque Nicolaus Baruffaldus in compendio Vitæ Italico pag.* 29. *Quod si forte (quod non scimus) laureola illa non sit ejusdem cum statua materiæ, nec proinde certum satis videatur, an ejusdem utraque sint ætatis ac manus ; id certe de altera Beati effigie, quam ex numismate ejusdem anni ibidem exhibebimus, inficiari nemo poterit : cum et imago et exsistentes a vertice radii eodem ex ære sint fusa. Minus antiqua est, antiquum tamen et publicum cultum non parum firmat imago alia, insculpta buxo, atque in fronte Sermonum S. Bernardi abbatis, a Beato nostro in vernaculum (Italicum scilicet) idioma versorum, publicis impressa typis, eodem Scalabrino teste, Venetiis anno* 1528 : *repræsentat enim illa* B. Joannem *toto habitu (si mitram, pedum episcopale, chirothecas, et vestem lineam, quam rochetum dicunt, excipias) Jesuatum, totoque capite vibrantem radios : a dextris religiosus ejusdem Ordinis provolutus in genua librum vel offert Episcopo, ut mihi quidem videtur, vel ab eo accipit; alter a sinistris, et ipse, flexo utroque poplite, supplex ac veneranti similis, ante pectus in crucis modum brachia decussat ; superne legitur epigraphe Italica hujuscemodi :* B. Joannes de Tosignano, episcopus Ferrariensis, ex Ordine fratrum Jesuatorum [conventus] S. Hieronymi.

D

6 *Quid plura? Quæcumque ab auctore nostro recensentur Beati miracula, ea omnia non facta solummodo, verum etiam scripta sunt ante annum Christi* 1505, *adeoque ab immemorabili tempore ante Urbani VIII decreta; ut paragrapho sequenti dicetur. Atqui in iis evidentia commemorantur publici hujus cultus indicia : dubitare igitur prudenter de legitima ejus antiquitate non sinunt. Legesis utrumque caput, et observa confluentes ad sepulcrum ejus miseros, ibique vota publice persolventes ; inductumque præsertim jam tum istic usum reliquiarum ejus, ad supplices obsignandos; imo et celebratum in ejus honorem sacrosanctum Missæ sacrificium, ut habetur num.* 15. *Atque hæc omnia quam constanter deinde et continuata et frequentata sint, ex Supplemento Actorum et miraculorum intelliges. Et quod ad Missam jam dictam attinet, cum de illa non fiat ibi mentio tamquam de re ante illud tempus inusitata, consuetudinem jam tum inductam arguit ad ejus aram celebrandi : alioqui incredibile est, quod ante monebam, eam permissuros fuisse, quorum intererat, etiam non multis admodum annis post obitum Urbani, puta anno Christi* 1661, *quando* XIX *Aprilis Prior ac vicarius Jesuatorum, tum quidem Ferrariæ subsistentium, ad calcem Vitæ quam dabimus, ita testati sunt :* Insuper in dicta ecclesia *(S. Hieronymi)* in die festo ejusdem B. Joannis celebratur sacrum Officium et Missa sub ritu communi ; quod etiam fit per totum annum in honorem ejusdem. In quorum fidem, *etc.*

E

atque adeo ipsa, quæ hic dabuntur, Acta :

F

licet positivo decreto Romano nondum sit approbata.

7 *Fatemur interim, nullum hactenus de casu ab Urbani bulla excepto positivum, quod quidem sciamus, Romæ latum esse decretum ; quantumvis de re illa non semel sit actum, teste Gregorio Ferrario in Vita Beati Italica part.* 4, *cap.* 10, *ubi sic habet :* Narratur, Herculem Ferrariæ ducem *(de quo in prologo Actorum infra)* Beato huic adeo fuisse devotum, ut pro summo desiderio, quo illum ceteris Ecclesiæ Sanctis per canonizationem solemnem adscriptum videre cupiebat, multum operæ impenderit : sed mors, . . quæ illi vitam, nobis tam præclaræ voluntatis eventum intercepit. Illustrissimus quoque ac reverendissimus D. Fontana, episcopus Ferrariensis, quid non tentavit, ut tum in ecclesia sua, tum alibi de hoc magno Præsule Missa celebraretur? Institui mandavit

processus

A processus de gratiis ejus et miraculis : desiderium suum, Beatique merita sacræ Rituum congregationi exposuit ; et retulit (ut scribit ipsemet anno 1596 capitulo nostro Vicentino) perhumana responsa, non sine spe consequendi quod optabat, si communem secum operam ad id Religio nostra conferret. *Itaque eo tantum cultu gaudere hactenus videtur* Joannes, *quo antiquiores alii plures, quos passim Ecclesia veneratur.*

Eodem die colitur etiam locis aliis.

8 *Et hunc quidem non solum obtinet Ferrariæ ; sed etiam locis aliis. Testatur id Masinius in Bononia perlustrata ad diem* XXIV *Julii, quo beati nostri* festum celebrari *ait Bononiæ* ad S. Mariam Mascarellam ; itemque ad S. Eustachium extra portam S. Mamoli ad altaria ipsi erecta ; ac per totum Ordinem fratrum Jesuatorum. *De Taussiniano quoque, qui locus Beati natalis est, instrumentum nobis submisit Palmerius, quod ex Italico Latine sic reddimus :* In nomine Domini. Ego infrascriptus fidem facio, reperiri hic Tossignani de beato Joanne Tavelli sequentia : nempe, in ecclesia S. Hieronymi erectum altare, ad quod celebratur B festum ejusdem Beati annis singulis die XXIV Julii : exponiturque venerationi publicæ officium aliquod de B. Virgine, quo, dum viveret, utebatur B. Joannes : quod quidem Officium cum aperitur, suavissimum fundit odorem : excusum * est litteris Gothicis. In conventu PP. Franciscanorum duæ sunt thecæ reliquiarum, in quibus duo frusta servantur interulæ jam dicti B. Joannis ; sicut et Breviarium, quo idem ad Horas canonicas recitandas usus fuit. Dicitur etiam esse ibidem domus, imo et testamentum ejusdem ; sed fecit antiquitas, ut non sciatur determinate quo loco hæc sint. In quorum fidem ego, Bartholomæus Sabbatani, Archipresb. et Vic. For. Tossignani, affirmo ut supra, sigillando præsentes sigillo ecclesiæ S. Mariæ, nunc S. Michaelis apud Tossignanum. *Sigillum adjunctum referebat Virginem Matrem in cœlos assumptam, et aliud inferne sigillum minus includebat, in quo repræsentabatur archangelus Michael.*

* *scriptum intelligo*

Variæ Beati reliquiæ.

9 *Sed quoniam de reliquiis Taussinianensibus facta hic est mentio, placet etiam notare, quænam præter ipsum Beati corpus religiose asservari dicanC tur Ferrariæ. De his ita scriptum reliquit Papebrochius noster in Itinerario suo Italico Ms. anni* 1660, *ad diem* XII *Novembris, quo ea Ferrariæ præsens spectavit :* Apud Jesuatos in sacello exiguo, sub candido marmore, ligneis cancellis circumsepto, corpus B. Joannis Tossiniani requiescit : cujus Breviarium, Missale, mitra, chirothecæ pelliceæ, pineus ad itinera stramineus, calcaria, indusium laneum guttis nonnullis sanguineis maculosum, amiculum sive mosetta episcopalis, pileolus quadratus albus, in eorumdem sacristia asservantur. *An hæc singula sic ibi huc usque remanserint, ut nihil alio distractum sit ; an idem Breviarium, an aliud sit Taussiniani, mihi non constat : nam in compendio Vitæ Italico anni* 1712, *pag.* 30 *hoc tantum habet Baruffaldus :* Indumenta ejus pontificalia cum calcaribus aliaque ejusdem supellectile conservantur in conventu S. Hieronymi. *Scalabrinus vero in annotatis ad Vitam huc missam paulo distinctius ea recenset his verbis :* Paramenta ejus pontificalia, ut pretiosæ reliquiæ, armario inclusa, magna cum cautela demonstrantur, super quod inscriptio antiquissima litteris auratis apparet : » Beatissimi Patris nostri Joan» nis de Tausignano, olim episcopi Ferrariensis » pretiosa supellex. » Inter quæ pluviale album auro fultum, item et casulæ binæ cum manipulis, birrum violaceum cum capitio panni lanei, pileum viride paleis confectum, duo calcaria, chirothecæ albæ, biretum de panno violaceo, mitra absque barbis antiqua, et nonnulla alia sancti Viri pretiosa monumenta. *De annulo episcopali in Miraculis, cap.* 2, *num.* 13, 15, *et alibi ; de alio ejusdem annulo in Historia translationis ; de flagello seu disciplina Beati, in Miraculis cap.* 2, *num.* 14. *De eadem, uti et de cilicio ejus aliisque agetur in Supplemento Vitæ ; de authentica* B. Joannis *epistola dicetur paragrapho sequenti.*

AUCTORE P. B.

§ II. Acta ejusdem, ceteraque eo spectantia.

E

Auctorum, qui Beati Acta scripserunt,

Qui de B. Joanne *utcumque scripserint auctores, enumerantur a Baruffaldo in compendio Vitæ Italico jam sæpius memorato pag.* 25 *et sequentibus. Horum præcipui, et qui Acta ejus ex professo dederint, præter auctorem nostrum, censentur Joannes Peregrinus ex Ordine Jesuatorum, qui coætaneus Beati fuerit, ejusque Vitam (ut ad calcem illius legi dicitur) composuerit anno* 1448, *id est, annis tantum duobus post felicem ipsius obitum ; quamquam hæc impressa primum fuisse dicatur Venetiis vel anno* 1515, *ut habet citatus Baruffaldus, vel* 1512, *ut notat Scalabrinus, addens et mensem editionis et diem* XXI *Januarii, et nomen typographi Simonis de Luere, et idioma, quo prodiit, Italicum, et semi-Gothicos, quibus excusa est, characteres, Joannem Peregrinum secutus est longo intervallo Paulus Morigi, seu Morigia (nam utroque modo nomen exprimit) ejusdem Ordinis scriptor minime obscurus, primum quidem in Paradiso Jesuatorum edito Venetiis anno* 1582, *deinde in Historia de viris illustribus apud Jesuatos ibidem vulgata anno* 1604 ; *ubi Vitam exhibet Italice Actis nostris Latinis fere consonam, nisi quod recentiora quædam sub finem* F *attexit miracula. Ex priori ejus editione concinnavit epitomen Vitæ Beati, inseruitque Legendario suo Italico anno* 1598 *Timotheus da Bagno Camaldulensis, de quo supra num.* 1. *Accessit tandem reverendissimus pater Gregorius Ferrarius Cremonensis, Jesuaticæ religionis aliquando Generalis, qui Vitam* B. Joannis Taussiniani *novo ordine, stylo eleganti ac florido, nec sine accessionibus aliquot notatu dignis elaboratam Italice procudit Ferrariæ anno* 1659.

antiquissimus videtur hic noster

11 *Esset hic sine dubio præferenda ceteris omnibus lucubratio Peregrini, si vere aut hic Beati coætaneus fuisset, aut opus, quod ejus nomine circumfertur, anno* 1448 *compositum. At neutrum mihi quidem credibile videtur : primo, quia auctor Vitæ, quam dabimus, in præfatione num.* 2 *manifeste supponit, neminem ante se Beati nostri Acta scripsisse : omniumque se primum esse significat, qui* Joannem, *quem Ferrariensibus conditio humana sustulerat, suo scribendi munere ad lucem revocaverit mundoque restituerit, idque ineunte seculo decimo sexto,*

AUCTORE P. B.

sexto, ut mox videbitur. Deinde quia idem auctor, cum testes rerum a se narratarum non raro citet, Peregrini meminit numquam; quem tamen Italum Italus, Jesuatus Jesuatum nec ignorare potuisset, nec prætermittere, utpote testem copiosissimum et Beati æqualem. Denique quia de Vita, quæ Peregrino tribuitur, in annotatis ad Vitam nostram Latinam sic pronuntiat Scalabrinus meus, qui eam, ut colliga, diligenter inspexit: Quam ex hac Latina erutam ac translatam Italice, facile legenti et concordanti credendum est. Et absque dubio ex hac Latina Italice traductam suspicor anno ipso MDXII, *quo nempe prælo Veneto subjecta fuit; non est hæc igitur Latina nostra prior, sed aliquanto posterior, ei tamen* non dissimilis in historiæ serie et miraculorum narratione, *teste ibidem Scalabrino: non est ergo etiam Peregrinus, siquidem eam ipse transtulit, Beati coætaneus, sed suppare auctore nostro junior. Quare Latinam hanc Vitam, tamquam omnium antiquissimam fontemque ceterarum, unice proferemus in medium.*

anonymus Jesuatus, qui scripsit initio seculi XVI :

12 *Ejus auctor est, ut modo dicebam, Jesuatus; quod palam ipse de se statim indicat in ipsa præfatione num. 2. Nomen suum nusquam prodit, neque hactenus aliunde comperiri potuit. Ætatem suam locis variis insinuat, ut num.* 38, 53, 57, *ubi senes appellat, tum, cum sua scriberet, superstites, qui cum Beato olim familiariter egerant; sed scriptionis tempus ex operis præfatione multo pressius definitur: inscribitur enim Herculi primo, Ferrariæ duci, qui, ut cum aliis observat etiam Scalabrinus, vivere desiit die* XXIII *Januarii, anno* 1505; *meminit vero num.* 6 *contracti ab Alfonso, Herculis filio, cum Lucretia, Alexandri VI filia anno* 1501, *juxta Guicciardinum Historiæ Italiæ lib.* 5, *vel potius anno* 1502, *ut Scalabrino placet, matrimonii. Composita est ergo Vita nostra post annum Christi* 1501 *et ante* 1505; *hoc est, annis propemodum sexaginta post obitum beati Episcopi. De fide scriptoris ambigendum non est: eam ipse astruit cum in præfatione num.* 3, *tum alibi sæpius, ubi rerum suarum testes producit.*

cujus autographi numquam impressi bina

13 *Acta hæc Latino, quo conscripta sunt, idiomate typis edita numquam fuerunt. Vidit ea primum Ferrariæ anno* 1660 *in sacrario PP. Jesuatorum Papebrochius noster, et quidem una cum reliquiis jam dictis occlusa, summoque adeo in pretio habita, et* Latine, *ut ait,* conscripta in pergameno, charactere vetusto; *subditque*: Et Vita B. Joannis Italica donati, ipsum Latinum autographum a P. Lazaro describendum impetravimus. *Apographo huc misso hæc subscripta leguntur testimonia:* Item attestor ego F. Thomas Justaninus, Ferrariæ Prior dicti conventus, Vitam beati Joannis Taussignani extraxisse ex originali Vitæ ejusdem de verbo ad verbum, prout jacet in ea; originale cujus in archivo nostro conservatur. Et hic me subscripsi hac die decima nona mensis Aprilis anni currentis MDCLXI. *Et paulo inferius*: Item etiam attestor ego F. Felix de Flaminiis a Monte Falco, Vicarius ejusdem conventus S. Hieronymi Ferrariæ. *His postridie suum quoque nomen adjecit is, cujus officiis munus illud accepimus:* Ego Andreas Lazarus, Societatis Jesu sacerdos, testor et fidem facio, prædictam Vitam B. Joannis de Tussignano concordare omnino cum originali asservato in sacristia RR. PP. Jesuatorum Ferrariæ. Die XX Aprilis 1661.

accepimus apographa,

14 *Non sciverat officiosissimus Palmerius noster hæc jam apud nos esse, cum eadem iterum per Scalabrinum suum nobis exscribenda curavit ex eodem prorsus codice, ut et ex vitiis in utroque apographo occurrentibus planeque consonis, et ex apposito in fine libri monito, quo ad Jesuatos pertinere, teste Scalabrino, significatur, manifestum sit. Neque tamen inutilis hic labor fuit: tum quod posterius ecgraphum multo est elegantius, ac minus ambigue exaratum, quam prius; tum præcipue ob eruditas, quas adjecit Scalobrinus, locis variis observationes, et auctarium; quibus omnibus affixit publicum officii sui sigillum attestans,* suprascriptas memorias, ad B. Joannem de Tossignano.... spectantes, fuisse a se de originalibus documentis, bullis, privilegiis et chartis antiquitatem redolentibus, nec non annalibus, collectas: *id quod meminisse juverit, quoties hic viri hujus clarissimi auctoritas ac nomen occurret. Observat autem, in prima facie codicis, unde Vitam descripsit,* minio expressam esse imaginem ducis Herculis, stantis cum baculo in manibus, vestitu et bireto nigri colore de damasco .... Ante imaginem Herculis adsunt duo fratres Jesuati vestiti habitu candido, pallio cisanei coloris superinduti,..., alter quorum humillime libellum duci porrigit. *Ex quibus colligi videtur ipsum illud exemplar hoc esse, quod, juxta præfationem, Herculi duci vel oblatum fuerit vel destinatum. Certe unicum illud exstare atque exstitisse hactenus credimus, quod quidem pro authentico sit habitum; ut proinde vel raritas pretium operis exaugeat.*

quæ collata hic damus,

15 *Vitam auctor in undecim partitur capita, quibus præmittitur opusculi dedicatio. Capitibus singulis sui respondent tituli, quos in fine Commentarii seorsim omnes exhibebimus; nam capita more nostro ad minorem magisque æquabilem numerum reduximus, antiqua tamen divisione ad marginem indicata. Miracula non tribuuntur in capita (quamquam a nobis tributa sunt;) sed in titulos dumtaxat; quos et nos capitum titulis hic subjungemus. Miracula hæc idem ille descripsit qui Vitam, ut ex eorum prologo colliges. Ceterum in ipso textu nihil immutamus; monemus tamen, siquando apographa discrepant; quod non numquam accidit sive codicis ipsius vitio, aut antiquitate, vel frequenti vocum compendio in antiquis Mss. usitatissimo; sive amanuensium imperitia. Cum vero in ecgrapho Scalabriniano nonnulla secundis curis emendata deprehenderimus, quæ ab amanuensis priore manu sic fuerant descripta ut leguntur in apographo nostro antiquiori, noluimus emendationes illas sequi potius, quam textum authenticum, quantumvis vitiosum; in quo exprimendo uterque amanuensis consenserit. Denique quidquid a textu diversum est, ut numeri, eorumque tituli marginales, et annotata, id more nostro nos ipsi adjecimus.*

cum supplemento aliunde compilato.

16 *Sed quia et plurima omisit hic scriptor, ut monet in præfatione num.* 3, *et multa post ejus ætatem contigerunt; ne quid hic neglexisse videamur non exiguum ejus historiæ supplementum subnectimus, quo prosequimur ea quæ ad Beati Vitam, miracula et sacri corporis reliquias pertinent; succincte tamen, et quantum res feret, ordine temporis, quo contigerunt. Sequentur tandem monumenta tria,*

imper-

A *nuperrime per insigne beneficium eorum, quos laudavi supra, virorum obtenta cum ceteris. Primum est Oratio adversus Padi exundationes a Beato composita. Alterum est ejusdem epistola apologetica, ad Marchionem Ferrariensem Italice scripta, et a nobis fideliter Latine versa : quod quidem instrumentum quantivis esse pretii fatebitur, quisquis legerit. Itaque exemplar ejus authenticum, ut a Scalabrino didicimus, illustrissimus ac reverendissimus D. Hieronymus Crispi archiepiscopus Ravennatum, qui illud a Clemente Papa XI dono accepit, summo in honore habet, conclusum eleganti theca, utrimque crystallo munita, atque in sacello suo archiepiscopali repositum. Tertium denique, testamentum erit, a B. Episcopo sub finem vitæ conditum, et Latino, quo exhibebitur, idiomate scriptum. Superest modo, ut capitum (nam præfationi nihil præfigitur præter imaginem, de qua supra) ac miraculorum inscriptiones, quæ in Actorum nostrorum apographo notantur, ordine recenseam ; sic habent :*

B

Antiqua Vitæ divisio.

Autographi distributio.

Caput i. Beati Joannis Tossignani, episcopi Ferrariensis Vita feliciter incipit in nomine Domini nostri Jesu Christi.

Caput ii. Quomodo Joannes Jesuatorum humilem Ordinem ingressus est.

Caput iii. Quomodo Joannes Ferrariensi monasterio Jesuatorum pro rectore præfectus est.

Caput iv. Quomodo Joannes, quum in Romandiolam cum socio pergeret pro eleemosyna a prætoris Forliviensis familia per errorem cum socio captus est.

Caput v. Quomodo civitatis Ferrariæ episcopus miraculose creatus est.

Caput vi. Quomodo beatus Joannes episcopatum recusavit.

Caput vii. Quomodo Apostolico præcepto, et Patrum suorum consultationi obediens, episcopatum acceptavit, sacrosque ordines et episcopalem consecrationem acceptavit.

Caput viii. De liberalitate et misericordia

C Joannis erga pauperes.

Caput ix. Quomodo irrogatam infamiam apud marchionem Ferrariæ a capellano suo, persecutionesque æmulorum patienter sustinuit.

Caput x. Quomodo in pauperis specie Christus Joanni episcopo apparuit ; et de nonnullis miraculis, dum esset in vita, ab eo operatis.

Caput xi. De beati Joannis episcopi ab hac vita felici transitu.

MIRACULA

Hos titulos præferebant.

De fratre Andrea ordinis Prædicatorum gravi per annos quinque ac viginti infirmitate laborante, statim sanato.

De Bertoldo Alamano, a capitis petigine incurabili subito liberato.

De Joanne Albanense a peste liberato.

De filia Jacobi de Argenta, quæ manibus ac pedibus arida erat. EX MS.

De Joanna filia magistri Dominici Corlesi, a dolore gravissimo et atroce liberata.

De filio prædictæ Joannæ a dolore stomachi liberato.

De Lucia, Herculis Rigonis pistoris uxore; quæ dolore oculorum obcæcata, visum recepit.

De Jacobo clerico, magistri Georgii sartoris filiastro, a capitis petigine liberato.

De Lucia supradicta a cruris tumefactione et manuum ulceratione liberata.

De nobili Ludovico Gualengo ab diabolica illusione liberato.

De filio Blasiæ, Francisci Brusantini quondam uxoris a cæcitate liberato.

De filio Humilitatis a febre continua liberato.

De Joanne Avanzo a peste liberato.

De Bernardina a fluxu sanguinis liberata.

De illustri domino Rainaldo Estensi a gravissimo dolore liberato.

De pluribus ab immundis spiritibus obsessis, meritis beati Joannis liberatis. Et usque hodie in sanctitatis suæ testimonium tales liberare mirabiliter non cessat ; ut quotidiana attestatur experientia. E

Augustinus Villa, Lancillotti Villæ filius, xii Sapientium Ferrariæ judex, qui primus ob multa in patriam merita Pater patriæ merito est dictus.

VITA

Auctore anonymo ex Ordine Jesuatorum.

Ex Ms. Ferrariensi.

PRÆFATIO ET OPERIS DEDICATIO.

Profana scribere nolens auctor a F

Plerique mortales studio et gloriæ seculari inaniter dediti, dux illustrissime *a*, exinde sui nominis immortalem gloriam quærere putarunt, si clarorum virorum Vitas scribere aggrederentur. Quæ res utique non perennem quidem, sed temporaneum conceptæ spei fructum afferebat : quia etsi per labentia tempora suam memoriam propagarent, et magnorum virorum propositis exemplis non pauca * æmulatio legentibus excitaretur ; tamen labor iste, hæ vigiliæ, lucubrationesque nihil ad immortalem nominis memoriam, in æterna vita capessendam, pertinebant. Quid enim ipsis occasura cum seculo scriptorum suorum gloria profuit ? Quid posteritas emolumenti tulit legendo pugnantem Achillem, aut philosophantem Socratem : quum eos non solum imitari stultitia sit, sed non acerrime etiam impugnare dementia ? Quippe qui humanam vitam præsentibus tantum actibus æstimantes, spes suas fabulis, animas sepulchris dederunt ; id tantum credentes, se hominum soli memoriæ perpetuandos fore : quum hominis officium sit perennem potius vitam, quam labentem ac fluxam mortalium memoriam quærere, non scribendo

** Scalabrinus legit* non parva

aut

EX MS.

aut pugnando, vel philosophando, sed pie, sancte, glorioseque vivendo. Qui quidem error humanus litteris traditus tantum invaluit; ut multos plane æmulos hujus inanis philosophiæ ac stultæ virtutis invenerit.

Aggreditur Vitam B. Joannis episcopi

2 Unde facturi nobis operæ pretium videmur, si sanctissimi viri Joannis Tossignani, celeberrimæ civitatis tuæ * antistitis, Vitam, quæ toti orbi exemplo, et humili congregationi nostræ, ac civitati tuæ ornamento futura est, perscripserimus. Nam plerique ad veram sapientiam et cœlestem militiam divinamque virtutem eam legentes incitabuntur, et tamquam exemplo * Christianæ vitæ, similitudinem ac formam ab ea percipient. Ex quo etiam nostri commodi rationem ducimus, ut non inanem ab hominibus memoriam sed æternum a Deo exspectemus præmium: quia etsi ipsi non ita vixerimus, ut exemplo aliis esse possimus; dedimus tamen operam, ne is occultaretur in tenebris, qui esset imitandus: quippe quum in domo Domini sit ardens lucerna, non exstincta, sed submota. Non jure ergo quisque nobis succensere potest, si vitam hujus beatissimi Viri celsitudini tuæ *, totique civitati, ac omni populo patefecerimus. Quinimo nostri seculi homines nobis ingrati esse haud debent, nec omnis deinceps ventura generatio; si, quem humana conditio tulit, nostro scribendi munere ad hanc lucem revocamus, et mundo restituimus, quem dignus habere non erat.

*Scalabrinus suæ

*Scalabrinus ex speculo

B

*Scalabrinus suæ

maxima fide et rerum delectu;

3 Quum igitur hujus sanctissimi Viri Vitam scribere duxerimus; ea scribere dumtaxat nobis studium fuit, quæ ante episcopatum, postea in episcopatu Pastor hic noster egregius gessit: quum nequaquam ad omnia illius pervenire valuerimus, in quibus ipse tantum sibi conscius fuit utpote ille, qui nullam ab hominibus laudem requirebat; sed omnes virtutes suas latere magis appetebat. Plurima etiam ex his, quæ verissima a nobis comperta sunt, omisimus: cum quia, si tantum excellentiora notarentur, sufficere credimus; tum etiam ne legentibus congesta copia fastidium pareret. Qui autem lecturi sunt, fidem dictis adhibeant; quoniam nisi quod compertum comprobatumque est, [nihil] scripsimus: quod si secus foret, tacere potius, quam falsa dicere voluissemus.

C

eam offerens Herculi I, Ferrariæ duci,

4 Igitur, dux inclyte, pietatis, religionis, charitatisque singulare domicilium, sanctissimi Joannis, civitatis tuæ antistitis. Vitam a nobis scriptam accipe, quam devotioni celsitudinis tuæ præcipue dicamus, ut illius vero et legitimo spirituali filio; quum ipse sacri fontis unda te regeneraverit in Domino *b*; quemadmodum a plerisque viris fide dignis, qui tuo subjacent imperio, viva voce habuimus. Quare nos celsitudinis tuæ humiles devotique * te hortari, exorare, et obsecrare etiam non dubitamus, ut tanto Patri tuo debitum honorem præstare cures. Et quis hic honor? Illum, inquimus, quem mater Ecclesia Sanctis viris, qui cœlestem vitam actitarunt in terris, solet conferre. Tua ergo devotione, cura, ope, et impensa eniti omnino debes, ut hic tuus sanctissimus Antistes, humilitatis et angelicæ vitæ exemplar clarissimum, inter sanctos Pontifices militantis Ecclesiæ solemniter connumeretur [et] singulo quoque anno decreto Apostolico divinorum honorum debitæ ceremoniæ publice a fidelibus in perpetuam hujus sancti Viri gloriam impendantur.

b

*Scalabrinus addit servi

D

ut canonizationem Joannis urgeat,

5 Ad quod agendum non multum nostra te debet hortari oratio; quum celsitudo tua tali vigeat disciplina, splendeat pietate, præstet prudentia; ut in humanis rebus nil vehementius optes, nilque præclarius ducas, quam id omni studio, vigilantia et solicitudine exsequi, quod Christianæ religionis amplitudini, honori ac gloriæ vides accedere, et patriæ civitatique tuæ ornamento splendorique esse existimas: quibus profecto tu unus ex omnibus Italiæ principibus maxime invigilas et studes *c*. Hoc idem, ad quod celsitudinem tuam nunc hortamur, magnanime ac sapientissime dux, sensisse te atque optasse jam dudum facile credimus, immo confidimus; sed tempora et occasionem vidimus tuo voto defuisse.

c

cui negotio opportuna tum erat occasio.

6 Nunc, quum tibi sit illustris Alphonsus, filius tuus primogenitus, Alexandro VI Pontifici maximo stricta affinitate conjunctus *d*; et reverendissimus Ipolytus, filius tuus secundo genitus *e*, Cardinei culminis numero adjunctus *f* teque [eo] dignitatis, auctoritatis et loci provexerit non casus aliquis, sed maxima et admirabilis virtus tua; ut honoribus potentia, opibus nulla recordatione majoribus ornatus sis ac cumulatus, aggredere, et perfice prospero sidere, ac benefactore Jesu Christo favente, nostras has preces, quas pietati tuæ et devotioni toto corde supplices effundimus. Quod ut queas efficere, ardenter omnes vitam tibi incolumitamque precabimur. Vale, Italiæ gloriæ splendor, patriæ pater, pauperum cibus et vita; nosque tuos supplices audi.

d

e f

E

ANNOTATA.

a *Herculem appellat, hujus nominis primum Ferrariæ* ducem; *qui Borsio fratri successerat, vita functo die* 20 *Augusti* 1471, *ut observat Scalabrinus in annotatis ad Vitam nostram. Borsius autem* ducis Ferrariæ *titulum primus adeptus fuerat a Romano Pontifice Paulo II anno* 1470, *cum et ab imperatore Frederico III ducis Mutinæ et Regii, comitisque Rhodigii titulis auctus antea fuisset* 1452; *uti notat Imhofius in corpore Historiæ Genealogiarum Italiæ, ubi de familia Atestina; et fere consonat Joannes Baptista Pigna Historiæ de Principibus Atestinis lib.* 7. *Ante ea tempora* marchiones *appellari consueverant Ferrariæ principes, teste Jovio in Vita Alfonsi III, et aliis passim. Obiit vero Hercules, ut in Commentario prævio dictum est,* 23 *Januarii* 1505.

F

b *Idem astruit Scalabrinus ex* multis, *ut ait*, codicibus Mss. *e quibus describit sequentia*: Joannes de Tussignano, episcopus Ferrariæ, solemniter in episcopatu baptizavit filium marchionis Nicolai domini nostri, quem illi peperit domina Rizarda de Saluzo, uxor sua: impositum est illi nomen Hercules; et eum levavere de sacro fonte legati Venetorum et Florentinorum. *Factum id, eodem teste*, 26 *Januarii*, *anno* 1432; *cum jam ab anno antecedenti episcopus esset* Joannes. *Tantumdem anno sequenti* 1433, *die* 8 *Septembris præstitit alteri Nicolai ex eadem conjuge filio, quem Sigismundus* imperator, *inquit Scalabrinus*, de sacro fonte levavit, et in gratiam sui Sigismundus appellatus

A tus est. *Idem de Leonello et Borsio affirmat Ferrarius part.* 3, *cap.* 9; *sed male : siquidem diu ante* Joannis *episcopatum natus uterque fuerat:*

c *Veras has esse laudes Herculis, testantur antiquæ inscriptiones apud Antonium Guarinum in Compendio historiæ de ecclesiis Ferrariensibus lib.* 3, *ubi de ecclesia S. Mariæ Angelorum, pag.* 152.

d *Nam secundis nuptiis Lucretiam, Alexandri VI filiam, duxerat Alfonsus anno* 1501, *ut narrat Guicciardinus Historiæ Italiæ lib.* 5; *vel anno sequenti, quem notat Scalabrinus.*

e *Imo tertius Herculis filius erat* Hippolytus : *secundo genitus enim Ferdinandus fuit. Itaque hoc loco amanuensis errorem incusat Scalabrinus.*

f *Hippolytus ab eodem Alexandro PP. VI purpura donatus est anno ætatis quarto decimo, Christi* 1493, *duodecimo Kal. Septembris. Adi Vitas Pontificum Romanorum Ciaconii ab Oldoino nostro recognitas tom.* 3, *pag.* 175.

B

CAPUT I.

B. Joannis genus, patria, educatio pia, peritia juris civilis ; vocatio ad Ordinem Jesuatorum, elusa parentum exspectatione.

CAPUT I *Beati patria, parentes, educatio, studium juris civilis.* *a* *b* *c*

Beatus Dei servus Joannes in Tossignano, territorii Imolæ oppido celeberrimo, Baldassare Coscia, sanctæ Romanæ Sedis in Romandiolæ provincia legato *a*, ex Antonio Tavello *b*, et Joanna *c* parentibus, genere et vitæ sanctitate moribusque clarissimis, natus est. Qui quamvis fugacis hujus seculi divitiis clari non essent; hospitalitate tamen in pauperes cunctis conspicui erant; qua divino conspectui gratiores ita redditi sunt, ut in liberorum suorum numero habere Virum hunc sanctissimum meruerint. Qui posteaquam a matre religiose est educatus, bonisque instructus moribus, quum ingenii perspicacitate docilique natura polleret, Bononiam a patre ad generale studium missus est; ut ibi liberalium C artium peritiam studii exercitatione sibi compararet. Ubi sanctæ indolis Puer non vanos puerorum lusus, sed senum seria graviaque exercens, eruditioni, cujus gratia Bononiam missus fuerat, cœpit diligenter intendere. Omissisque voluptatibus, quibus solet adolescentium ætas effervere, totum se studiis mancipavit ; et, ut ad sapientiam animum suum plenius tranferret, dissoluta consortia hominum omni diligentia declinavit; litterisque adeo incubuit diligenter, ut brevi temporis spatio in juris civilis studiis illucescere omnibus mirifice cœperit.

cum insigni pietate conjunctum ;

8 In victu sobrius erat; in incessu compositus; in verbis maturus; in conversatione humilis ac mansuetus. Dei sacra templa devote visitans frequentabat. In jejuniis, orationibus, vigiliis, aliisque spiritualibus exercitiis sedulus et diligens erat. Parentes vero ejus, cum illum ita devotum ac doctum evasisse conspicerent, indicibili afficiebantur lætitia, præque ingenti gaudio totum cor eorum gestiebat, in Filium * majorum suorum santissimos mores insignemque doctrinam, quemadmodum ipsi expectabant, resurgere coalescereque cernentes. Vir autem hic Dei Joannes, quum ad scholas lectionis gratia pergeret, vel cum ab eis rediret, pio devotoque affectu ante quamdam sanctissimæ Genitricis Dei Mariæ imaginem, preces, supplicationes, et vota effundere solitus erat.

* annon filio?

EX MS.

desiderium vitæ religiosæ. *d*

9. Quod equidem benignus ac misericors Dominus oculo suæ pietatis prospiciens *d*, dilecto, huic Filio suo, cujus mens undique sanctissimis æstuabat desideriis, immensæ largitatis suæ dona largiter copioseque conferre placuit. Unde ut illum ad perfectionis statum proveheret, sancti Spiritus radio Joannis cor illustrans, eum ad totius mundi contemptum perduxit, submittereque collum Religionis suavissimo jugo disposuit. Agebat tunc Vir Dei annum vigesimum secundum, et ob assiduam ad studium exercitationem ingeniique præstantiam ad capessenda doctoratus insignia in civili jure idoneus ab omnibus dicebatur doctoribus : quod ipse cum reliqua mundi gloria parvi pendens, ad sancti propositi divinam inspirationem adimplendam dumtaxat intendebat : id curabat, id exposcebat ardenter, id satagebat quam celerrime adimplere. Denique mens illius nil aliud cogitare poterat : adeo intrinsecus divinæ dulcedinis gestu * erat illectus, quem in eos infundere non desinit Dominus, quos ad amoris sui observantiam novit fideliter accedere. E

* annon gustu?

Doctoratus laurea jam donandas,

10 At ne parentes lætitia, quam per Joannem recipere ac consequi exspectabant in dies, penitus defraudarentur, litteris suis certiores illos reddidit, quemadmodum a doctoribus dignus juris civilis doctoratus ornari insigniis habitus erat : quod parentes nedum, sed et omnem familiam et amicos summo affecit gaudio. Quapropter parentes Joannis, ut illius gloriæ totiusque familiæ honori facerent satis, vineam vendiderunt, quam Vir Dei, ad episcopatum assumptus et a balneis rediens, pristinam familiam et amicos visitans, postea reemit, Tavellorumque suorum familiæ restituit pristinisque facultatibus adjunxit.

II *patri mentem aperit adeundi Jesuatas.* F *e*

11 Pater itaque Joannis cum Bononiam venisset, ut pro illius doctoratu necessaria opportune provideret; circaque hoc multa invicem essent allocuti, Joannes inquit : Non dignum puto, pater amantissime, te latere, quod proxime a me agendum est. Quidam hic locus est non longe *e*, ad quem ire, ibique morari, et vivere simul cum quibusdam viris probitate et virtute conspicuis cogor, qui me observant, diligunt, et amant. Pater hoc audiens, mirari admodum cœpit, et apud Joannem multis cum precibus instare, cur hæc diceret ; et, quid hoc esset, sibi declararet. Tunc Joannes, ne paternas preces videretur negligere, respondit : Viri optimi sunt ii, apud quos manere volo, et locus honorabilis, et conveniens. Quiesce, pater amantissime : hæc tibi facere satis nunc censeo.

eoque absente, rem exequitur,

12 Noluit Antonius, qui natura humilis, benignus, mansuetusque erat, filium exasperari vehementius; sciens ob ejus probitatem vitamque castissimam, non nisi quæ omni commendatione digna forent, eum facturum : unde Bononiæ eo relicto, domum rediit, hoc cum animo firmoque proposito, ut, brevi interposito temporis intervallo,

EX MS.

vallo, una cum consanguineis et amicis ad honorandum Joannem filium in sui doctoratus coronatione rediret *f*. At Joannes, totus interius divino æstuatus * incendio, mundum, litterarumque humanarum studium omne cum sua gloria contemnere, seque ad salutis suæ studium totum vendicare statuit. Quare, Spiritu sancto ductore *, immobili sancivit animo pauperum Jesuatorum humilem Ordinem ingredi : quem nec parentum tunc affectus, nec dulcis totius Tavellorum familiæ gloria retinere, nec Jesuatorum vitæ austeritas, nec ipsa mendicitatis abjectio terrere haud potuit; sed in Deo spem omnem collocans, Salvatoris verba in corde suo gerens *, quibus ait : Qui amat patrem aut matrem, fratrem, uxorem vel sorores plus quam me, non est me dignus; omnibus percalcatis, ad Jesuatos se recepit : quorum ante diuturno tempore devotissimam habuerat conversationem.

*Scalabrinus æstuans

*Scalabrinus auctore

*Scalabrinus gerere, minus recte.

13 Spinellus *g*, vir Dei, summa redolens bonitate, tunc Bononiæ monasterii rector erat; cui Joannes, ac ceteris fratribus, sanctum animi sui propositum aperiens, habita super hoc matura deliberatione, ad Ordinem magno omnium cum gaudio salutis nostræ anno MCDVIII, quinto Kalendas Augusti *h* receptus est. Qui demum brevi tempore Religionis institutis et virtuosis moribus apprime imbutus, adeo laudabili cum omnium commendatione in monasterio se gerebat, ut in Religione non novus, sed antiquus; non discipulus sed magister potius videretur. Cum autem per dies aliquos [apud] Bononiam mansisset in Ordine, Spinello patri, ut Joannis profectui salutique consuleret, Venetias cum mittere visum est.

Bononiæ receptus in Ordinem anno 1408.

B

14 Igitur quum Joannes Venetias ivisset, Antonius Tavellus, ejus pater, Bononiam reveritur; ut de suscipiendo *i* a Joanne doctoratu quid agendum foret, expediat; sed cum Joannem non reperisset, mœrore tristitiaque confectus inter affines et amicos quærere eum cœpit : maxime vero ad Canedulorum *k* domum se contulit, ut ibi saltem quo Joannes profectus esset, intelligeret; ibi plurimum namque Joannes conversari solitus erat. At nec ibi suo satisfacere potuit desiderio. Tandem, ut Deo placuit, illum pauperum Jesuatorum Ordinem esse ingressum cognovit : quo audito, perturbatione doloreque maximo affectus, domum rediit; ubique primum advenit, obviam Joannis mater, spe avida de filio grata nova intelligere, occurrit; sed virum mœstum tristemque aspiciens, tristis fontis causam percontari anxie cœpit. Cui vir : Uxor carissima, spes enim omnis nostra evanuit; familiæ nostræ gloria exstincta, et totius domus exspectata utilitas perempta; filius noster Joannes orbatos nos, mœstos, ac senes dereliquit; et Jesuatorum Ordinem humilem abjectissimumque est ingressus. Mater hoc audiens, interius tota commoveri cœpit, conceptique doloris verba lamentabili voce emittere.

Pater, ubi id rescit, dolere primum,

C

15 Cumque hæc a parentibus Joannis agereutur, unus ex eorum consanguineis, Franciscus nomine, aderat; qui detestari, quod Joannes gesserat, acriter cœpit; nimioque furore percitus, talia ex ore verba protulit : O si illum in manibus meis haberem! profecto occiderem. Tunc Joannis pater magno dolori, qui suo insidebat animo, cedens, paternæ charitatis immemor, Francisco dixit : I libere; illumque intrepide seca, ure, et occide; tibi omnem in eum auctoritatem potestatemque cedo *l*. Franciscus, hoc audito, ut tigris truculenta, faucibus undique rabidam spumam evomens, omni penitus exutus humanitate, sævissime rugiens in semet ipso, plura Joanni minari cœpit, in cumque crudelia quæque se exerciturum procaciter tumultuoseque asserens, Bononiam venit. Cumque ad monasterium accessisset, validissimis clamoribus clamare cœpit, Joannem sibi dari velle; qui si non daretur, monasterium incendio consumere, fratres omnes interficere, et quæque atrocia et immania, quæ sibi possibilia forent, in sui furoris vindictam se facturum pollicebatur. At Spinellus pater, qui monasterii rector erat, mellifluis suavibusque verbis undique sancti Spiritus dulcorem effluentibus, Francisci cor, furore repletum, lene et placabile reddidit, inquiens, sanctæ obedientiæ jussu Joannem Venetias ivisse. Quo audito, Franciscus, qui prius ut leo ferocissimus advenerat, nunc ut agnus a monasterio recessit.

deinde cum consanguineo furere cœpit in Filium;

D

E

ANNOTATA.

a Balthassar Coscia *seu* Cossa *is est, qui deinde fuit Joannes Papa XXIII, Alexandri PP. V successor. Sed cum non videatur fuisse legatus Flaminiæ sive Romandiolæ creatus ante Cardinalatum, quem primum adeptus est sub Bonifacio PP. IX, anno Christi* 1402, *juxta Ciaconium aliosque apud Oldoinum citatos, non satis placet hæc legatio ad Beati nativitatem suis temporibus circumscribendam. Aliter sane, multoque clarius ac pressius ea determinatur infra, cum num.* 13 *dicitur* Joannes *in Ordinem Jesuatorum admissus* salutis nostræ anno MCDVIII, quinto Kalendas Augusti, *quando, ut habetur num.* 9, agebat Vir Dei annum vigesimum secundum : *hinc enim sequitur, ut in lucem sit editus vel anno* 1386 *post* XXVIII *Julii, vel ante diem ac mensem illum anno* 1387. *Et priorem quidem annum scriptores, quos viderim, omnes amplectuntur; etiam ipse Ughellus tom.* 2, *col.* 591, *licet paulo inferius addat :* Jesuatorum monachum induit anno XV ætatis suæ, anno MCDVIII; *in quo secum pugnat, nisi et hoc vitium inter alia plurima typographo sit adscribendum.*

F

b *Morigius cap.* I Ravellum *scribit et paulo inferius* Clavellum; *primum secuti sunt plures alii. Apographa utraque Vitæ nostræ hoc loco habebant* Zanello; *forte quod autographum ibi corruptum esset : nam infra num.* 10 *utrumque apographum diserte exprimit* Tavellorumque suorum familia *etc. eodemque modo consentiunt ambo num.* 12, *et* 13. *Itaque* Tavellum *legendum hic esse contendit Ferrarius part.* I, *cap.* 1, *quia sic repererit in scriptis antiquis et authenticis.* Tavellium *quoque appellat Ughellus, tametsi* Ravellum *legisse debuerit apud auctorem, quem citat sub nomine Villegæ. Ferrario et lectioni nostræ patrocinantur cum scutum Beati gentilitium, de quo vide infra Supplementum* § 2, *num.* 12, *tum ipsius* Joannis *testamentum ibidem* § 8, *num.* 96.

e *Binominem ergo hanc fuisse necesse est : nam in*

A *in citato mox et inferius edendo testamento, num.* 106 Margarita *vocatur.*

d *Patet, hic esse solæcismum; sed cum sententia clara sit, de illo non magis, quam de aliis infra similibus, laborandum.*

e *Monasterium innuit Jesuatorum ad S. Eustachium prope muros Bononienses extra portam, quam vulgo nuncupant San Mamolo, erectum annis antea quindecim quam ingressus illud esset Beatus noster, ut scribit Morigius in Vita cap. 2. De hoc monasterio legi plura possunt apud Ferrarium part.* I, *cap.* 2. *et maxime apud Masinium in Bononia perlustrata, ac tertio recusa anno* 1666, *part.* I, *pag.* 176.

f *Quia nimirum ambigua Filii verba non ita intellexerat, ut iis consilium Religionis ineundæ significatum crederet.*

g Spinelli, *viri venerabilis Acta compendio descripta legere est apud Morigium in Historia Jesuatorum lib.* 2, *a pag.* 232.

h *Scalabrinus legit* anno MCDIII, quinto mensis Augusti; *sed lectionem apographi nostri antiquioris secuti sunt Morigius, Bagnus, Ughellus,* B *Ferrarius, Baruffaldus, omnes.*

i *Non ergo suscepit umquam re ipsa doctoratum* Joannes, *ut post Bagnum errat Philippus Ferrarius in ejus elogio die* IV *Julii.*

k *Illustris apud Bononienses Canedulorum familia fuit; sed anno* 1445 *propemodum universa periit; ut narrat Pompeius Vizanus Historiæ Bononiensis lib.* 7.

l *Hunc patris furorem dissimulat Morigius cap.* 2 *et* 3. *Ferrarius vero part.* I, *cap.* 6, *negat hic Antonium locutum fuisse; sed furenti tamen Francisco tacendo quodammodo assensum esse. Neutrius in hac re fidem valde laudaverim.*

CAPUT II.

Egregiæ ejusdem in Religione virtutes; præfectura monasterii Ferrariensis reluctanti imposita; tolerantia injuriarum.

C

qui jam interim Venetiis egregie proficiebat in suo instituto,

Interim Joannes Venetiis habitabat, a parentibus remotus, et ceteris seculi hominibus incognitus: qui Deo ibi tantum vacans, mirabiliter profecit; ut omnibus sanctarum virtutum optimorumque exemplorum speculum passim pateretur *a*. Inter autem omnia otium evitabat, tempus suum utiliter dispensando: orationi solicitus, obedientiæ promptus, humilis omnibus, in conversatione humanus. Viliora monasterii, quæ elatæ * mentes exhorrent, solus ipse exercere procurabat. Exercitia laboriosa, quamvis delicatæ complexionis esset, minime fugiebat, sed circa ea mirabili promptitudine se exhibebat; quorum nec causa sanctarum meditationum exercitia ullo tempore interponebat *. Eundi quoque pro panis eleemosyna (quem utpote non lateret, id Deo quam gratissimum foret) coram patre rectore humi prostratus, sæpissime tamquam ab invito gratiam extorquebat. Curam etiam corporis sui non pro carnis desiderio, sed pro necessitate dumtaxat, habebat. Infirmis fratribus, totus in proximi charitate accensus, diligenti solicitudine, vigilanti cura, summoque studio, omni cum humilitate et reverentia serviebat: in conversatione vero tam dulcis, humanusque ac gratus erat, ut non homo, sed angelus in terris habitans videretur.

a

* Scalabrinus claræ.

* Id est, intermittebat.

EX MS.

17 Alexius noster, vir devotissimus, qui cum Joanne diu fuerat conversatus, sæpius ac sæpius est attestatus, illum nullis injuriis nullisque contradictionibus in iram turbationemque concitari umquam potuisse; sed omni cum reverentia, humilitate ac patientia circa omnes pacificus *, clemens, mansuetusque semper exstitisse: quo singulari præcipuoque amore colebatur ab omnibus. Peracto orationis tempore, communibusque exercitiis monasterii perfectis, ne humani generis hostis illum ullo tempore vacantem reperiret, ad sanctarum Scripturarum studia se conferebat: quædam pro fratrum profectibus materna lingua exponens; alia vero, nedum ad eorumdem patrum, sed omnium quoque utilitatem, componens *b*. Si autem in communi fratum colloquio aliquando se haberet, pro viribus otiosa mundanaque refellere, et divina ac cœlestia fabulari conabatur. Hæc erant viri Dei Joannis studia, ii mores, hæc vita, dum Venetiis maneret. Quo tempore inde recedere illum contigit, ut una cum innumerosa multitudine religiosorum, vigente adhuc sisma *c*, Gregorium undecimum *d* ad civitatem Arimini *e* associaret; sic jusserat illis summus Pontifex: inter quos et hic Vir Dei aderat *f*. Quo peracto *g*, summi Pontificis accepta benedictione, quum Spinellum, suum spiritualem patrem, videndi desiderio totus arderet, versus Bononiam iter arripuit; inque patris amplexus cum summo omnium fratrum gaudio est receptus.

donec inde Ariminum, postea Bononiam venit;

* *lege* pacificum, *etc.*

E b

c d e f g

III

18 Crescente igitur Joanne beatissimo in sanctis virtutibus, gratiisque spiritualibus, humili ac mansueta conversatione omnium fratrum corda ad se trahebat; cumque in rebus agendis perspicaci valeret ingenio, et cœlestibus divitiis totus undique redundaret, ab omnibus rectoris officio dignus est habitus. Quapropter synodus patrum *h* illum in Ferrariensis monasterii rectorem unanimiter elegit. Quod Joannes intelligens, humili recusatione patrum voluntati resistere nitebatur, asserens se tanto oneri haud idoneum esse, mererique minime congregationis cuiquam majori officio præfigi. Tamen post multam ipsius colluctationem, patrum constantem voluntatem cognoscens, ne divinæ voluntati fortasse resisteret, cervicem sanctæ obedientiæ jugo humiliter submisit, quam usque ad mortem perpetuo observare pro Christi amore promiserat.

paulo post rector monasterii Ferrariensis eligitur invitus:

F h

19 Cum ergo Ferrariam ad suum monasterium, cui rector erat præfectus, venisset, a suis spiritualibus filiis gratiose reverenterque est receptus. Qui omnes magna cum humilitate et amoris observantia, hilari fronte, læto corde illius subjectioni se submisere; cujus imperia illis gratissima, jussiones jucundissimæ, conversatio dulcissima. Ab ore equidem Joannis non nisi divinorum eloquiorum manna distillabat: vas enim Domini erat electum, divinæ gratiæ liquore plenum, quo subditorum pauperum fratrum corda

quod munus præclare gessit,

EX MS.

da inflammabat, ad spiritualia studia acriter excitabat, mentes a terrenis sustollebat, illasque ad cœlestia erigebat ipse.

in omnibus officiis prælucens subditis;

20 Etsi antequam in rectoris officio foret constitutus, vigilans, alacer, promptusque in sanctis ac virtuosis exercitiis semper adesset, nec lassitudine ab incepto umquam desisteret; majori tamen tunc studio et vigilantiori cura, auctiorique solicitudine in his omnibus se exhibuit; secum cogitans, non minus teneri subditos instruere opere, quam verbo. Propterea a quocumque opere etiam vilissimo se numquam retrahebat. Et quamvis ceteris præesset, ad panis eleemosynam postulandam ibat quam sæpius; coquinamque juxta Ordinis consuetudinem exercere nec dedignabatur.

studium orationis, et otii fugam commendat maxime.

* *lege* totam summam

21 Fratres ad orationis studium solicitos tenere summa curabat diligentia; utpote religiosæ vitæ principium ac tota summa *. Post orationem, charitatis operibus, utilibusve exercitiis occupare eos satagebat; ne et otio torpescerent, et tempus, a Deo ad operandum mortalibus datum, vacuum et inane ex eorum manibus elaberetur. Nec aliam Joannis beatissimi singularem et eximiam virtutem silentio prætermittendam censemus: erga enim mœstos, et quos spiritualibus tribulationibus affligi cernebat, paterno compatiebatur affectu; quibus modo exhortationibus, modo consiliis succurrere, modo consolare * omnibus, ut valebat, viribus nitebatur; quorumque necessitatibus temporali substantia subvenire et largissimus erat.

B

* *pro* consolari

Ex humilitate flagitat ab officio removeri;

22 Cogitans præterea, quam grave onus existat aliorum curam habere, totis viribus, quibus potuit, omni tamen cum humilitate, regiminis officio renuntiare conatus est *i*. Sicut epistola illa *k*, quam materno sermone Spinello patri scripsit, attestatur; in qua virtutis suæ parvitatem, spiritus tepiditatem, ingeniique sui imbecillitatem accusando, ad regiminis officium se non usquequaque idoneum judicat: idcirco supplex corde et mente ante patrum pedes procumbens, liberationem ac absolutionem a regimine misericorditer petit, subditumque esse, quibus valet potestque, precibus efflagitat. Quod quidem Vir Dei non ut oneris sarcinam deponeret, tamquam labori cedens, obtinere procurabat; sed quia tanta in eo vigebat humilitas, quod nedum ad hoc, sed ad omnia se indignum esse putabat.

i

k

C

IV

sed frustra. Conquirens eleemosynas ad condendum oratorium,

23 Cum itaque Joannes regiminis absolutionem a patribus obtinere minime potuisset (Dominus enim illum ad hujus officii onus elegisse ab omnibus cognoscebatur; quoniam, tamquam civitas supra montem posita, in meritis quotidie gloriosior apud Deum et homines apparebat: nam, ut infra fusius dicemus, virtutum omnium et bonitatis norma et regula cuique erat) ne Deo displiceret, patrum voluntati humiliter se subjecit, omnique studio, solicitudine, et cura, ut pastor super gregem Domini diligentissimus, ad animarum salutem procurandam omnem operam dedit. Cui cum magna necessitas fabricandi oratorii pro fratribus ad divinas laudes excubandas accidisset, nec illi ad ædificationem necessaria adessent; divinæ providentiæ omnem animi sui spem committens, statuit, uno contentus socio, in Romandiolam pro postulanda ab amicis eleemosyna pergere: qua suppetente, sibi tigna, calcem et lateres emeret, D

capitur ut latro; reddens gratias pro injuria.

24 Cumque jam Forlivium *l* venisset, seque hospitalem *m* versus conferret; ut ea nocte ibi una cum socio hospitaretur, prætoris familiam obviam habuit, quæ ad quærendum quosdam insignes fures exierat: quos cum non inveniret, aspiceretque, Joannem et socium esse peregrinos, illos tenuit, sibimet asserens, ab eis furum notitiam haberi forsitan posse. Sed cum Joannes ac socius furum notitiam non habere simpliciter assererent, illos ad prætorem tamquam latrones duxit. Quos ut primum prætor aspexit, illos summæ simplicitatis integritatisque viros esse cognovit: quos libertati suæ omni cum veneratione restituit. At Joannes prætori, nec ejus familiæ, injuriam illatam non proposuit, nec de ea minimam querelam fecit; sed lætus pro Domino omnia sustinens, cum gratiarum actione a prætore recessit, seque cum socio ad amicos contulit; a quibus competenti accepta eleemosyna, Ferrariam rediit; oratoriumque, in quo corpus suum nunc venerabiliter requiescit, in Dei honorem beatique Hieronymi laudem feliciter construxit, dicavit, ac posuit *n*. E

l

m

n

ANNOTATA.

a *Sic habet apographum nostrum antiquum; imo et recentius ab amanuensi Scalabriniano sic fuit primo scriptum, quamquam hoc posteriori manu correctum est, et pro* pateretur *repositum sit* haberetur; *recte quidem, ut ex sensu patet, sed utinam ex fide autographi.*

b *Gregorius Ferrarius part.* 2, *cap.* 3: E Latina, *inquit,* in linguam nostram vulgarem opera multa sacra convertit; alia et ipse composuit utilia atque pia; inter quæ est Scala religiosorum; quod opusculum attente consideranti non in cella, sed in cœlo elaboratum videtur. *Vide infra cap.* 3, *num.* 29.

c Sisma *Italicismus est, pro quo in ecgrapho Scalabrini recentiori manu repositum est* schismate, *longo illo scilicet et famoso, quo alius Romæ, alius Avenione summi Pontifices residebant; ad quos circa hæc tempora tertius accesserat Alexander V, in synodo Pisana creatus anno* 1409. F

d *Aliis* duodecimum, *Romæ consecratum anno* 1406; *cum jam Avenione sederet Benedictus XII, dictus XIII.*

e *Gregorius enim concilii Pisani sententia anno* 1409 *depositus una cum Benedicto, pro vero Pontifice se gerere pergens, modo in regno Neapolitano, modo apud Forum Julii, modo Arimini apud amicos detinuit sese.*

f *Putat Gregorius Ferrarius part.* 2, *c.* 4, *evocatum fuisse* B. Joannem Taussinianum *ad Pontificem Gregorium, commendatione nepotis Pontificii, Antonii Corrarii, tum S. R. E. Cardinalis; cui* Joannis *sanctitas ex eo fuerit probe perspecta, quod ejusdem Jesuatorum Ordinis alumnus aliquando fuisset. Sed hæc res gravibus obnoxia difficultatibus est: nam primo, fuerit aliquando Jesuatus Antonius; at certe pridem esse desierat, antequam inter purpuratos Patres adlectus est, hoc est, ante mensem Junium*

A *nium anni* 1408; *cum ante illud tempus diu desudaverit in primordiis Canonicorum S. Georgii in Alga apud Venetos stabiliendis. Unde ergo* Joannem *noverat, qui ante Julium anni* 1408 *nec Jesuatus fuit, nec Venetias ante scitur adiisse? Deinde quamvis asserant tam Ferrarius hic, quam Morigi, seu Morigia in Historia originis omnium Religionum cap.* 43, *a pag.* 289, *et in Historiâ Jesuatorum lib.* 2, *cap.* 47, *Antonium Jesuatum toto circiter decennio fuisse, juxta fidem codicis cujusdam Ms.*; *tamen id valde etiam solide negat illustrissimus Jacobus Philippus Tomasinus in Annalibus Canonicorum secularium S. Georgii in Alga pag.* 70. *Ferrarii ergo conjectura parum fundata videtur.*

g *Nempe anno* 1415, *quando Gregorius apud concilium Constantiense per legatum suum cessit Pontificatu.*

h *Synodum hanc habitam fuisse Bononiæ vult Ferrarius part.* 2, *cap.* 6, *et quidem anno Christi* 1426, *appellatque* primum capitulum Religionis: *quod et Morigius docet Historia Jesuatorum lib.* 2, B *cap.* 49.

i *Hoc factum statuit Ferrarius part.* 2, *cap.* 7 *post tres fere annos ab inito primum rectoratu; adeoque versus annum* 1429.

k Epistolam *hanc intercidisse opinamur; quandoquidem Ferrarius ejus loco aliam substituit ibidem, a se excogitatam.*

l *Id est* Forum Livii, *vulgo* Forli, *quæ urbs est in Romandiola, Italiæ provincia.*

m Hospitalem, *subintellige domum.*

n *Facultatem ad hoc opus erigendum petierat Beatus ab illustrissimo Petro Boiardo, suo in cathedra Ferrariensi decessore; a quo eam anno* 1429, *die* XXX *Aprilis luculenter obtinuit; ut ex ipso instrumento patet, quod totum recitat Ughellus Italiæ sacræ tom.* 2, *col.* 588 *et sequenti.*

CAPUT III.

C

Electio ejus absentis et ignari ad episcopatum Ferrariensem, non sine miraculo facta.

V *Episcopo Ferrariensi defuncto, anno 1431,*

Pluribus jam annis in Ferrariensi monasterio Joannes cum pro patre rectore stetisset, sanctoque spiritu repletus admodum esset, ne lucerna super candelabrum posita, sub modio lateret, sed cunctis lumen præstaret; et qui pietatis misericordiæque dulcorem erga proximum induerat, optimamque doctrinam populo propinabat, [ac] vitæ sanctitatem maximo omnium cum profectu exhibebat, in Ecclesia Dei [ad] animarum salutem apertius pateret, Deo altissimo permittente, anno gratiæ millesimo quadringentesimo trigesimo primo, Ferrariensis ecclesia est destituta pastore *a*: quo tempore Nicolaus Estensis *b*, Ferrariæ marchio, feliciter regnabat: cui ut de pastore optime provideretur, ipse Nicolaus Eugenium quartum Pontificem maximum, quibus valuit potuitque supplicationibus, obsecravit. Cujus sanctissimo voto facere satis omni studio et diligentia summus Pontifex statuit. EX MS.

26 Cumque summus Pontifex in semetipso cogitaret, quem tanto oneri idoneum præficeret *c*, altissimus Deus volens Joannem majori cura pro animorum salute exercere, et ecclesiæ Ferrariensi populoque salubriter consulere, mentem animumque reverendissimi patris Fantini Danduli, Romanæ Sedis in Bononiensi civitate legati *d*, sancti Spiritus lumine illustravit, litteris suis ad Pontificem, Nicolai marchionis favente consensu, viros tres doctrina, virtute, atque sanctitate vitæ ad hoc onus idoneos proponere: quorum unus Joannes hic beatissimus erat. Lectis igitur reverendissimi patris Fantini litteris, Pontifex Joannem respuere visus est; quoniam rem insolitam se facturum dicebat, si abjectum pauperemque hominem, nullo ecclesiastico insignitum ordine *e*, in tantæ civitatis episcopum assumeret. Quapropter ut maturius rem hanc arduam deliberaret, in crastinum diem consistorium suorum Fratrum transtulit, in quo de idoneo pastore Ferrariensi ecclesiæ summus Pontifex providere statuerat. E

Joannes inscius offertur Romano Pontifici, a quo primo rejicitur,

27 Pontificis vero animus, mens, et voluntas erat Jacobum *f*, Mutinensis ecclesiæ archipresbyterum, virum optimum, qui et ipse in reverendissimi Fantini litteris nominatus erat, pro Ferrariensi pastore pronuntiare; cui ob virtutem singularem ac doctrinam, et marchionis Nicolai commendatitiis litteris pro eo ad Pontificem intercedentibus, Cardinales omnes favebant. At quoniam Dominus ad hujus pastoralis curæ administrationem exercendam illum non elegerat, Pontificis Cardinaliumque votum evanuit. Quare divina providentia, quæ summa sapientia est, mirabili ac stupendo hoc ordine summum coëgit Pontificem, Joannem, beatum Dei virum, in Ferrariensis civitatis pastorem eligere, creare, atque pronuntiare, ceteris postpositis.

alterique postponitur;

28 Præcedenti enim nocte, quæ diem constitutam consistorii adducebat, quum summus Pontifex lætus et incolumis sopori se dedisset; expergefactus, insolito et inopinato dolore mox acriter vexari cœpit; adeoque stricte urgebatur, ut quietem aliquam nec invenire, nec medicorum ulla remedia sibi proficere poterant. Cum igitur Pontifex ob hujus insoliti doloris graves angustias totam pene noctem insomnem duxisset: luxque constituti diei pro consistorio jam quasi advenisset, cœpit et magis mente vexari, cogitans, hoc inopinato impedimento in futuro consistorio episcopi Ferrariensis pronuntiationem non esse possibilem. F

donec Pontifex, subitis correptus doloribus,

29 Et * inter hujusce rei cogitationem, et doloris quam patiebatur acerbitatem versaretur, reverendissimi Fantini litteræ, Sanctitati suæ scriptæ ad ejus mentem venerunt; quas mox sibi deferri jussit. Cumque eas legeret, Joannem aliis duobus, qui a Fantino Pontifici proponebantur magis commendari cognovit. Ad quod peragendum nihil carnale reverendissimum Fantinum induxit, sed singularis ipsius Joannis doctrina sanctitasque vitæ præcipua, quæ apud virum hunc probatissimum erat jam notissima: siquidem reverendissimus Fantinus jam diu Joannis doctri-

dum relegens commendatitias pro Joanne,

* *imo* ut, *vel* cum

EX MS. doctrinam vitæque præstantiam apud Pontificem magnopere laudaverat, quum ipse ab Eugenio, intuitu precibusque cujusdam devotissimæ sororis suæ, ad traducendum in maternum sermonem libellos quosdam devotissimos requireretur: ad quod opus perfecte absolvendum Joannem beatissimum proposuit, et ille * demandavit; maxime cum jam vidisset Bernardi sermones, Bibliæ, ac Moralium Gregorii majorem partem eleganti stylo in maternum sermonem ab eo esse traductam *g*. Exstant et alia devota Viri hujus opuscula et epistolæ, quæ illius doctrinam sanctitatemque præferunt *h*.

**Scalabrinus corrigit* illi

g

h

casque denuo abjiciens, torquetur gravius,

i

30 Tamen summus Pontifex in copiosam multitudinem litterarum, quam non longe multum ab se habebat, illas *i* rejecit, parvi faciens pro Viro isto reverendissimi Fantini commendationem. Quod cum egisset, mox acriori acerbiorique dolore, quam antea, torqueri cœpit. Cumque causam hujus atrocissimi doloris a semetipso quæreret, iterum ea, quæ de Joanne reverendissimus Fantinus Sanctitati suæ scripserat, ad memoriam redierunt: quæ secum animo volutans, B cogitare cœpit, divino judicio forsitan his atrocissimis affligi [se] cruciarique doloribus; quia secundum divinam voluntatem Ferrariensi ecclesiæ providere de pastore non statuisset.

dolorum causa deprehensa, mutavit mentem,

k

31 Hæc secum mente cogitans, Tarvisinum episcopum *k*, virum religiosum, olim sanctæ Justinæ Patavinæ regularem abbatem, vocavit; eique jussit reverendissimi Fantini litteras, a se in illam magnam multitudinem projectas, quærere, et inventas sibi deferre. Tunc episcopus Tarvisinus Pontifici obtemperans, ad litterarum illam magnam multitudinem accessit; quo ut primum advenit, statim reverendissimi Fantini litteræ ad ejus manus devenerunt; quæ allatæ Pontifici, l eas legere jussit *l*; quibus et lectis, statim animum mutavit, firmiterque sanxit, Joannem Tossignanum Jesuatum in Ferrariensem episcopum eligere, et electum confirmare. Dictu mirabile! Facta hac deliberatione a Pontifice, repente ab illo ingenti et insolito dolore est liberatus.

et Joannem decernit episcopum Ferrariensis ecclesiæ,

32 Quo mirabili effectu Pontifex divinam voluntatem esse intelligens, quod Joannes Ferrariensis ecclesiæ pastor et antistes crearetur; se- C quenti luce Cardinalibus in consistorio exsistentibus, præter omnium exspectationem, Joannem Tossignanum Jesuatum in Ferrariensem episcopum pronuntiavit. Quod Cardinalibus maxime admirationi fuit; quum hesterno jam vespere simul cum Pontifice Mutinensem archipresbyterum in Ferrariensem episcopum pronuntiare statuissent. At Pontifex Cardinalibus inquit: Dominationes vestræ non admirentur: non enim vos latet, humana divinis haud posse resistere: divino enim et profundissimo in nos judicio Joannem Tossignanum Jesuatum in [episcopum] Ferrariensem elegimus, et electum esse volumus.

Cardinalibus applaudentibus.

33 Dolore equidem insolito præter omnem naturæ causam nocte præterita acriter et atrociter cruciati sumus, quo nec quies aliqua dababatur, nec medicorum remedia ulla nobis succurrere poterant; sed quamprimum Joannem Tossignanum in Ferrariensem episcopum eligere firmiter deliberavimus, repente liberi ab omni dolore exstitimus. Quo divinæ voluntatis mirabili prodigio edocti, voluntatem nostram, divinæ voluntati adhærentes, mutavimus; et Joannem Jesuatum in Ferrariensem episcopum, ut audistis, pronuntiavimus. Cardinales tunc, his auditis, Joannis electionem simul cum Pontifice unanimes consummarunt. Quibus videri * cuique libet *: quam fidelis gratusque Deo esset Vir iste sanctissimus, cujus fidei curæque et solicitudini Ferrariensis populi magnum thesaurum tam mirabili prodigio committi voluit. D

**forte videre*
**annon licet?*

ANNOTATA.

a *Cesserat enim sua sponte episcopatu Ferrariensi, quem ab anno* 1401 *gesserat, Petrus Boiardus; ut patet ex diplomate Eugenii Papæ IV apud Ughellum tom.* 2, *col.* 589 *et sequentibus. Cesserat, inquam, Petrus Boiardus non moriendo dictus, (quod uterque Ferrarius post Bagnum credidit; Philippus in Catalogo SS. Italiæ ad diem* IV *Julii, Gregorius in Vita Beati part.* 3, *cap.* I) *sed vitam privatam præferendo dignitati.* E

b Nicolaus *iste post diuturnum principatum obiit anno* 1441, *ut infra colliges ex supplemento* § 3, *num* 33. *Erat hic pater Herculis primi, cui Vitam hanc auctor noster dedicavit.*

c *Oblatum enim illud jam recusaverat constantissime S. Bernardinus Senensis, uti dictum est die* XX *Maii, pag.* 261 *, *num.* 13, *et pag.* 269 *, *num.* 25.

d Fantinus Dandulus *Venetus, protonotarius fuit apostolicus, et ab Eugenio IV legatus Bononiam destinatus fuerat anno eodem* 1431, *ut docet Masinius Bononiæ perlustratræ part.* 3, *pag.* 171.

e *Intellige hæc de ordinibus majoribus:* Clericus *enim* tunc *erat* Joannes; sed in minoribus dumtaxat ordinibus constitutus; *ut habet laudatum Eugenii IV diploma.*

f *Erat* Jacobus *hic Eugenio imprimis carus; siquidem idem ille est, ut notat Scalabrinus, quem idem Pontifex anno* 1439 *præfecit ecclesiæ Regiensi, ab eaque anno* 1444 *ad Mutinensem transtulit, unde tandem anno* 1463 *ad Parmensem transiit, ubi e vita discessit anno* 1475, *ut narrat Ughellus tom.* 2, *col.* 307 *et sequenti.* F

g *Affirmat Ferrarius in Vita part.* 2, *cap.* 8, Joannem *ad hæc interpretanda animum appulisse post conditum oratorium, de quo supra; verum cum illud ædificare non cœperit ante finem Aprilis anno* 1429, *non apparet tantillo tempore, quod inter absolutam fabricam et impositam illi episcopi dignitatem interfuit, scribi tam multa potuisse. Certe Sermones S. Bernardi, impressi, ut in Commentario monuimus, Venetiis anno* 1528 *in ipso illo libro, teste Scalabrino, traducti in Italicum dicuntur* per reverendum patrem nostrum, beatum Joannem de Tussignano, episcopum veneratissimum illustrissimæ civitatis Ferrariæ, usque de anno MCDXX.

h *Itaque mirum est, prætermitti Beatum nostrum ab omnibus iis (quantum ego quidem reperire potuerim) qui ætatum omnium scriptores et scripta recensent.*

i *Litteras nempe Fantini. Monemus tamen, hoc pronomen a loco, quem in utroque apographo habebat*

A *bat, transpositum esse: sic enim ibi satis contorte legebatur:* Tamen summus Pontifex in copiosam multitudinem litterarum, illas, quam non longe multum ab se habebat, rejecit.

k *Intelligitur haud dubie Ludovicus Barbus, aliis Balbus, quem Ughellus tom.* 5, *col.* 490 *inter episcopos Tarvisinos sexagesimum recenset: is enim ex* abbate *commendatario* S. Justinæ *factus* regularis, *cum idem cœnobium egregie reformasset, ad episcopatum propemodum renitens evectus est ab Eugenio IV, anno* 1437. *At enim quomodo ille anno* 1431 episcopus Tarvisinus *dici potuit et* olim abbas S. Justinæ? *Videtur ergo auctor noster usus hic prolepsi, et tempus, quo hæc scribebat, non illud de quo scribebat, attendisse.*

l *Sensus est:* quas sibi allatas Pontifex episcopum Tarvisinum legere jussit.

CAPUT IV.

B

B. Joannis in declinando episcopatu humilitas, in suscipiendo obedientia, in administrando sedulitas et misericordia erga pauperes.

VI *Sanctus, re cognita, omni vi dignitatem recusat;* *a*

Summus Pontifex Nicolao marchioni Ferrariæ litteras *a* scripsit, quibus certiorem eum reddat, Joannem Tossignanum Jesuatum in civitatis suæ episcopum et pastorem ab eo, divina voluntate jubente, esse creatum: quod quamprimum Nicolaus marchio intellexit, Joannem ad se accersiri jussit; cui, coram eo quum venisset, inquit: Reverendissime Pater, nobis a summo Pontifice in episcopum et pastorem ac patrem divinitus es datus: propterea te, ut patrem et episcopum meum ac hujus nostræ civitatis, omni cum reverentia et devotione suscipio. Quod Joannes audiens, mirari vehementer cœpit, totusque tremere: [tum quibus] potuit valuitque viribus ac rationibus, coram marchione episcopatum recusavit: majori enim Vir iste sanctissimus solicitudine tenebatur humilitatis virtutem sibi conservare, quam tanto studio et labore acquisierat, quam transeuntem episcopalis culminis gloriam adipisci. C

sed severo Pontificis præcepto compulsus,

35 Sed Nicolaus marchio hanc Joannis de episcopatu refutationem tunc litteris suis summo intimavit Pontifici. Quam recipere Pontifex haud voluit, immo apostolico decreto Joanni episcopatum, ad quem eum elegerat acceptare in virtute sanctæ obedientiæ præcepit. Tunc Joannes voluntatem Pontificis intelligens, quid ageret nescius, magno curarum tumultu vexabatur interius: hinc episcopalis curæ onere terrebatur; hinc apostolico præcepto obedire conscientiæ interioris aculeo magnopere urgebatur. Quapropter dubius ac pendens exsistens, et, cui parti cederet, nesciens *b*, Deo se totum commisit; patrisque sui Spinelli et ceterorum fratrum, qui Bononiæ erant, ac nonnullorum, qui doctrina et sanctitate vitæ florebant, litteris suis judicia super hoc negotio et consilia petere cœpit; asserens, mortis suæ exsequias, si celebrarentur, sibi jucundiores fore, quam solemnis illa suæ dignitatis episcopalis consecratio. Aiebat enim, quum seipsum interius magis conspiceret, tanto majori confundi pudore, timore vexari, et dolore consumi. Unde sæpius ac sæpius illud, quod scriptum est, repetebat in corde: O quam terribilis Deus in consiliis suis super filios hominum! EX MS.

VII *nec inveniens hoc declinandi modum, tandem admittit; sacrosque suscipit ordines:*

36 Spinellus itaque pater cum Joannis litteras coram fratribus legisset, una cum illis devotissime orationi se dedit, ut divino interius illustrati edoctique lumine, Joanni consulere rectius possent. Qua peracta, congregato fratrum capitulo, ut quisque, quod Spiritus sanctus menti suæ suggesserat, dixisset, omnes unanimi concordia Joanni rescripserunt, voluntati Pontificis omnino esse parendum; quod quidem ei [se] non solum consulere, sed etiam in virtute sanctæ obedientiæ præcipere; eo maxime, cum divina Dei voluntas de eo ita statuerit. Tunc Joannes a patre et fratribus ac ceteris illis probatissimis viris hoc habito consilio, ne divinæ voluntati repugnare videretur, sciens omnem potestatem a Deo procedere, tanto oneri parvitatis suæ humeros humiliter supposuit: fiduciam omnem habens in Domino, a quo in tam maxima necessitate rerumque multiplicium periculo non derelinqui sperabat: quod etsi non meritis suis, plurium tamen servorum suorum supplicationibus accedentibus, quos pro eo ardentissime intercedere sciebat, Deum facturum non dubitabat. Cum vero Vir Dei sacros ordines non haberet, Mantuam ad reverendissimum virum et patrem Matthæum, Ordinis Prædicatorum, Mantuanum episcopum reverendissimi Fantini apostolici legati jussione venit: a quo sacros ordines omnes devotissime recepit; et ab eo una cum aliis duobus episcopis solemniter fuit consecratus *c*. E

c *ac statim gregi suo strenuum se pastorem probat,*

37 Qui postea cum ad ovile suum rediisset, impositi oneris officium cœpit ad animarum salutem et utilitatem diligenter exercere: quantoque studio, solerti cura, assiduo labore, continuis vigiliis, modo consiliis, modo exhortationibus tam publicis, quam privatis super Domini gregem sibi commissum invigilaret, clericorum, inordinate viventium, ac populi vitia exstirpando, indisciplinata monasteria reformando, civitatis totiusque diœcesis suæ parochias visitando, testes fuere plurimi; quorum aliqui adhuc in humanis vitam nunc agunt; quibus et reverendissimi Fantini, apostolici legati, publicæ litteræ *d* astipulantur; quarum tenore Joanni, ob ejus in Domini oves summam vigilantiam insomnemque solicitudinem et curam indefessam, legationis suæ ab eo plena committitur auctoritas: sciebat enim vir iste probatissimus, quam fidum sibi in tanto regimine socium faceret; cujus maxima virtus jam toti mundo erat notissima. F *d*

VIII *pauperibus vero benignissimum patrem,*

38 Fulgebant equidem in hoc Dei Viro omnes virtutes; sed præcipue immensa pietas in pauperes, quorum necessitatibus ut provideret, omnem impendebat curam: cui operi adeo intentus paratusque erat, ut se propriis vestibus exuere non recusaret: ita enim in pauperes benignus, pius, misericors, clemens, et largus erat; ut damnum se recepturum maximum existimaret, si petenti supplicantique pauperi opem non præstaret. Quo fiebat, ut indigens nullus a Joannis charitate umquam vacuus posset abire. Cujus quidem pietatis et clementiæ sanctissima opera, si omnia

Ex MS.

omnia recensere vellemus, prolixo ac longissimo tractatu foret opus; sed brevitati inservientes, digniora, et quæ ab antiquis viris, vita clarissimis, qui eum Joanne diu conversati, authenticata sunt, tantum recensebimus.

dum propriæm stragulam dissuit, ut partem eis tribuat,

39 Ii namque inter alia hujus sanctissimi Viri præclarissima in pauperes gesta narraverunt, quod semel, cum quidam pauper pro caligis, quibus maxime indigebat, eleemosynam peteret a Joanne, totus in eum pietatis affectu commotus, procuratorem domus ad se vocavit: cui committens, ut pauperis necessitati provideret, respondit ipse: Nihil apud me est; quoniam omnia in eleemosynas et alias necessarias expensas, ut mihi jussisti, consumpsi. Hoc pius Pater intelligens, asperum et crudele ducebat, si pauperem hunc vacuum a se dimitteret. Unde internæ pietatis maximo commotus affectu, cubiculum suum ingressus, copertorium * panni albi, duabus consutum partibus, quo lectum suum sternebat, commodato a famulo sibi gladio *e*, desuit *: et mediam copertorii partem pauperi tribuit; aliam vero partem pro lecto suo sibi reservavit, hac forsitan mente, quod si necessitas contingeret, illa parte alteri posset pauperi providere; quod et famulus ille, qui ei ad dissuendum copertorium gladium accommodaverat, et propriis oculis rem istam conspexerat, enarravit.

* *lege* coopertorium

e

* *pro* dissuit

B

exuitque se vestibus, quibus illos induat.

40 Alia quoque vice cum quidam pauper sacerdos seminudus pro vestitu ab eo eleemosynam peteret, cumque hunc Dei ministrum seminudum aspiceret, internæ pietatis dulcore commotus, lacrymas continere non potuit: quare procuratori domus, huic inopi seminudoque sacerdoti ut quamprimum provideret, mandavit. At ille, nihil habere, respondit: frequens enim ac jugis ita erat eleemosynarum elargitio, quod diu aliqua reservare non poterat. Sed pius Pater inopem sacerdotem absque eleemosyna ab se discedere non est passus. Unde clamide * se exuens, qua erat indutus, illam pauperi sacerdoti pro Dei amore donavit. Simile opus etiam non multo post hic pauperum Pater clementissimus fecit: Antonius *f* enim noster, qui Venetiis in monasterio nostro rector erat, pallium novum cum Joanni pro necessario usu suo misisset; ecce, statim ante Joannis pedes quidam eremita pauperrimus provolutus, eleemosynam sibi præstari postulabat: qui cum nihil haberet, quo petenti pauperi subveniret, mox illi pallium hunc * tribuit.

* *lege* chlamyde

f

C

* *imo* hoc

ANNOTATA.

a *Harum Ferrarius part. 3, cap.* I, *prima hæc tantum verba profert:* Cum nos nuper ecclesiæ Ferrariensis. *Sed alias dedit in eamdem sententiam idem Pontifex eodem anno* 1431, *sexto Kal. Novembris, ad capitulum ecclesiæ Ferrariensis, quas exhibet Ughellus tom.* 2, *col.* 589.

b *Apographum utrumque habuit* nesciret, *sed sensus exigit emendationem, quam cum Scalabrino adhibuimus.*

c *Quod etiam testatur Ughellus tom.* I, *col.* 940 *in elogio Matthæi Boniimperti, quem inter Mantuanos antistites trigesimum septimum reponit. Addit Ferrarius part.* 3, *cap.* 4 *consecratum* Joanuem, *cum primum Mantua Ferrariam advenisset, coram marchione ac magistratu oratione panegyrica exceptum fuisse per Guarinum, oratorem celeberrimum.* D

d *Has litteras habes infra in supplemento* § 2, *num.* 14.

e Gladius *hic accipi videtur pro cultro.*

f *Præfuit* Antonius *tali Jesuatorum Ordini post abitum Spinelli anno* 1433, *teste Morigio Historia Jesuatorum lib.* 2, *cap.* 49; *ubi Antonii Vita compendio traditur.*

CAPUT V.

Alia misericordiæ ejusdem exempla; stupenda criminationum patientia.

Lepido casu probata Sancti in pauperes præceps effusio.

Alio etiam tempore, cum pauper quidam eleemosynam a Joanne petiisset, nec ad manus haberet, quod illi tribueret; festinus domum ingressus, caligas e cubiculo accepit, quas occulte pauperi dedit: in quo tanta conferendæ eleemosynæ aviditas fuit; ut ambas alteri tantummodo cruri convenientes improvidus arriperet: cum vero sequenti nocte capellanus suus caligas ei porrigeret, ambas alteri tantum cruri convenire reperit: quod equidem aliter non posse accidere cogitavit, nisi Episcopus pridie festinus et improvidus caligas alicui pauperi eleemosynam petenti dedisset. Reque ita comperta, capellanus adversus Episcopum turbari acriter cœpit, et hanc suam in pauperes profusam elargitionem, ut stultam et irrationabilem, accusare, reprehendere, ac detestari. Sed Episcopus omni cum humilitate et mansuetudine capellanum sedare, quietumque reddere curavit; neminique hoc umquam diceret, dum vita sibi foret, obsecravit: celerrime enim huic negotio se provisurum pollicebatur. E

Hortulani solutionem in ærea moneta, rejectam a procuratore,

42 Accidit etiam, quod quidam, qui episcopatus hortum conduxerat, cum procuratori Episcopi pecuniam in ærea moneta pro conductione horti detulisset, eum procurator rejiceret; asserens, monetam argenteam, non autem æream, velle. Tunc hortulanus, qui et pauper erat, tristitia repletus est: afficiebatur enim gravi jactura, si pecuniam hanc æream in argenteam commutare cogeretur. Quod cum ipse mente tristis mœstusque versaret, obviam amicum quemdam suum habuit: cui cum mœstitiæ suæ causam aperuisset, amicus ille suus inquit: Si mihi morem geras, ad Episcopum propera; eique necessitatem paupertatemque tuam aperi, ac obsecra, ut pecuniam hanc æream accipiat, quam procurator suus acceptare recusavit: nullatenus enim dubito, tibi complaciturum. Profecto ipse pius in pauperes, benignus, ac misericors est; sed procuratorem suum cave: si enim te videret ad Episcopum accedere, te non admitteret *. F

* *Scalabinus* permitteret

partim ipsi hortulano donat, partim pauperibus:

43 Rem amici hortulanus tacitus observans, callide, inscio procuratore, ad Episcopum magna eum fiducia venit, reverenterque tota re enarrata, quam paulo ante cum procuratore suo habuerat, illi respondit Episcopus: Hicne pecuniam habes? Cui inquit: Habeo. Tunc Episcopus ait: De pecunia ista pro te tantum accipe, quantum

A tum manu tua capere potes, illamque tuo in sinu reconde; et mecum venias. Cum vero Episcopus in curiam episcopatus descendisset, turbam pauperum eleemosynam exposcentem reperit, cui residuum pecuniæ manu propria statim distribuit; hortulanumque, solutæ sibi pecuniæ ei tradito cyrographo *, lætum, hilarem et jucundum domum remisit. Quod procurator Episcopi postea intelligens, cœpit cum Episcopo magnopere dolere; sed illum pacificum placatumque reddere Episcopus studuit; dicens, ea, quæ pauperum sunt, illis tribuere, juri et rationi convenire.

* *lege* chirographo

pauper ipse ac rigoris amans.

44 His et similibus pietatis operibus Pastor iste sanctissimus se exercere quotidie conabatur: cui molestum gravissimumque erat abundare, et Christi pauperes egere videre; quorum bona esse dicebat, quæ ipse possideret. Idcirco in victu parcus, in cultu modicus erat: qui etsi in episcopali culmine positus esset, vitæ austeritatem, jejuniorum inediam, disciplinarum asperitatem, cubilis duritiem, acsi in Jesuatorum Ordine foret, numquam deseruit *a*.

B

IX

A sacellano, quem ad frugem revocare conabatur,

45 Volens Dominus hunc fidelissimum servum suum Joannem, velut athletam fortissimum multiplicium gemmarum pretiosa laurea coronare, validos fluctus adversus eum sævire permisit. Vir namque iste sanctissimus super commissum sibi gregem evigilans, quod morbidum cernebat, id curare mox operam dabat; spernens morbidi pecoris exaggerationem *, sanitatem spiritualem inducere conabatur. Capellanum quemdam, virum indisciplinatum, moribus efferum, et turpi vita fœdum habebat. Hunc multoties paternis monitis ad capessendam virtutem, vitiaque ab eo fuganda admonere exhortarique non destitit: quæ capellanus, propriæ curationi minime prospiciens, parvipendere non erubescebat; et in pium Patrem ac medicum vesano spiritu totus furere cœpit. Quare spiritu concitatus diabolico, Judæ similis, coram omnibus falsa de suo Episcopo, patre ac pastore sanctissimo, dicere, affirmare, et juramento attestari hic iniquus homo non verebatur: et maxime iniquam hanc zizaniam * apud Ferrariæ marchionem seminare, ac eam validissimis inquitatis sarculis intus mentem marchionis ingerere conatus est, nonnullis curialibus, qui marchioni continue assistebant, secum adhibitis.

* *annon* exasperationem?

* *lege* iniqua zizania

C

pro seditioso traducitur apud Ferrariæ marchionem,

46 Tantæ procacitatis ac impudentiæ fuit hic miser; quod minime erubuit mendaci ore, iniquo animo, et falsa lingua in aures principis immittere, Joannem (virum mansuetum, purum, et humilem, benedicere solitum, et non maledicere) per civitatem Ferrariæ in suorum civium corda de se principe et marchione infinita maledicta seminare, ut totius civitatis benevolentia ab eo tolleretur, et illi cives omnes redderet infestos. Quæ marchio audiens (nam minister iste diaboli colore quodam veritatis omnia sagaci astutia obduxerat) facile credidit: quo deinde validi tribulationum, ac persecutionum fluctus contra Episcopum insurrexere.

patienter ferens iniquam accusationem;

47 Sed Vir Dei, qui conscientiæ suæ testimonio gloriabatur, omnia æquo animo sustinebat, prospiciens, hanc Christi Jesu Salvatoris nostri semitam esse et Sanctorum callem: quorum gloria, jubilus, et gaudium erat, amore Christi bene facere et mala sustinere; quantoque magis persecutionum tempestatem validam contra se insurgere cernebat, tanto majori fiducia confortabatur in Domino, apud quem suorum laborum copiosam mercedem repositam esse non dubitabat. Contra vero sibi detrahentium iniquitatem non aliis insurgebat armis, quam oratione devota; ad quam utpote animi sui refrigerium, solamen, et lætitiam, quotidie frequenter recurrebat. Lætabatur quoque mirum in modum vitam agere in pœnarum et crucis via; qua sola suo se Salvatori conformari, eique copulari, uniri, et in unum conjungi asserebat.

EX MS.

componit tamen apologiam suam, post obitum ejus repertam;

48 Cum ergo hæc sæva tribulationum tempestas contra eum longo tempore perdurasset, qua divinus honor negligebatur, malorumque multiplicium cumulus in dies magis augebatur; statuit marchioni Ferrariensi litteras *b* scribere, quibus omnem vitam suam ac præcipua et singularia dona spiritualia a Deo sibi divinitus collata descripsit: quod non ut humanam laudem et hominum favorem captabat * fecit; sed ut veritatem defenderet; ac commissi sibi Dominici gregis salutem procuraret. Nec putamus, clementissimum Dominum voluisse, sævam hanc tribulationum procellam in Servum sibi fidelissimum venire, ut illi dumtaxat proficeret ad coronam; sed ut nobis posteris Viri hujus virtutes patescerent; quæ et ædificationi nostræ erant multum profecturæ.

* captaret

E

nam ultro exsul ire ad Pontificem, quam eam marchioni mittere, maluit.

49 Mutavit tamen Vir Dei propositum: litteras enim illas mittere marchioni noluit, sed lectuli sui paleis occultavit; quas Paulinus *c* noster vir Deo plenus, post Episcopi obitum in interiora palearum lectuli occultatas reperit. Unde in Domino fiduciam habens, divinæ illius dispositioni, quæ neminem decipit, se totum commisit. Tribulationibus igitur undique increbrescentibus, Vir iste sanctissimus, Deo sibi inspirante, secundum Pauli Apostoli doctrinam, dare locum iræ disposuit; et ne alii propter se scandalum paterentur, voluntarium elegit exsilium. Quare ad Eugenium quartum, qui tunc Florentiæ aderat *d*, se contulit; apud quem gratissimus exstitit.

F

Marchio pœnitens, illum suppliciter reposcit per oratorem;

50 Cum itaque sanctus Episcopus aliquamdiu ab sua episcopali sede absens exstitisset, cœpit Ferrariæ marchio erroris sui in Episcopum commissi gravem agnoscere culpam, ac detestari multum, se sancto Episcopo in animarum populi sui grave dispendium absentandi occasionem præstitisse. Unde oratorem ad Eugenium quartum misit, suæ Sanctitati supplicem, ne ad ea, quæ marchio ipse adversus suum gesserat Episcopum, respiceret; sed supplicem sui reati * culpam ingemiscentem veniamque postulantem benigne acceptaret; illique, ac suæ civitati proprium Pastorem de speciali dono Sanctitatis suæ gratiæ restitueret.

* *lege* reatus

sed non obtinet, a Pontifice, graviter increpitus,

51 Pontifex ægre ferens injurias et persecutiones injuste illatas in Episcopum, oratorem marchionis ad eum, in hæc verba rescribens, remisit: « Dilecte fili, cum Joannis Tossignani » sanctitatem, doctrinam, bonitatemque minime » cognoveris, vel potius cognoscere renueris; » decuit, tuis et populi tui id exigentibus meri» tis, hoc tanto Homine, militantis Ecclesiæ ra-

» diantissimo

A « diantissimo speculo, indignos te et populum « tuum esse toti mundo evidentissime ostenderetur. Cujus privatione in pœnam tuarum ac « populi tui iniquitatum te una cum tuo populo « damnamus, eumque ad te remittere recusamus. Immo statuimus hunc sanctum Virum « apud nos, tamquam pretiosum monile, in « sanctæ Ecclesiæ sacro armario retinere. »

donec per se coram Eugenio IV supplicavit.

52 Marchio, lectis Pontificis litteris, intimo mœrore confectus est ; totusque anceps factus, quid ageret, quove se verteret, nesciebat. Tandem statuit humiliatum et errati commissi compunctum personaliter coram Pontifice se ostendere. Unde Florentiam petiit, coramque Pontifice humiliter se prosternens, errati veniam efflagitavit, et sui Pastoris restitutionem summis precibus exoravit. Dominus enim marchionis cor in amorem Episcopi mirabiliter accenderat. Quod Pontifex ipse conspiciens, misericordiæ sinum marchioni ejusque supplicationibus aperuit : et paterna admonitione in marchionem præhabita, Episcopum manu tenens, marchioni restituit :
B quem totis viribus ei, videlicet marchioni, commendavit. Valde equidem Pontifex Joanni episcopo, propter ejus singularem sanctitatem, afficiebatur. Marchio, accepto suo pastore a Pontifice, lætus Ferrariam venit. Cui postea propter Viri innocentiam et integritatem, reverentiam, obedientiam, et honorem in omnibus semper, dum vixit, exhibuit.

ANNOTATA.

a *Hæc ab ipso Beato latius descripta invenies infra in Supplemento* § 8, *a numero* 86; *idque occasione accusationum sacellani istius, de quo numero sequenti.*

b Litteras *has habes infra in Supplemento* § 8.

c *Is est* Paulinus *Pistoriensis, quem assumptus ad episcopatum* Joannes, *individuum sibi socium oneris et curarum adlegit, teste Ferrario part.* 3, *cap.* 4, *et* 13. *Obiit cum odore sanctitatis circa annum* 1474, *annos tum natus circiter centum ac viginti duos, quorum centum et septem in Ordine Jesuatorum religiosissime transegerat; uti narrat Morigius Historia Jesuatorum lib.* 2, *cap.* 46, *ubi pars Vitæ ejus traditur.*
C
d *Ratione concilii Florentini; ut infra dicetur in Supplemento* § 3, *num.* 28.

CAPUT VI.

Christum sub forma pauperis vestit; Padum exundantem comprimit; ignotam domum per miraculum assignat; sanctissime moritur, ex morbo acerbissimo.

x *Jurati testes narrant,*

Solebant nonnulli sacerdotes moribus et ætate cani, viri religiosi, nobis narrare; quibus ob probitatem vitæ, et familiarem consuetudinem, quam cum beato Joanne episcopo habebant, fides est omnino adhibenda; sed maxime uni ex his sacerdotibus, cui Octavianus nomen erat : is enim omni solicitudine, studio, cura, et vigilantia, Episcopi sanctissimam vitam imitari penitus studebat : qui quotiens virtutes episcopi Joannis recensere ei contingebat, eas absque lacrymis auditoribus narrare haud poterat ; verum inter alia stupenda, quæ de Episcopo ipse et sociis narrare consueverant, hoc nobis pluries, medio veritatis sacramento, sunt attestati : D

sub pauperis forma Christum ab eo fuisse vestitum,

54 Contigit enim, pauperem quemdam seminudum, multiplicibus plagis confectum, ad episcopum Joannem in interiora episcopalis domus pervenisse, suique ut misereratur *, flebili voce eflagitasse : quem quamprimum Episcopus aspexit, totus in pauperis commiserationem est conversus. Unde sine mora quibusdam pannis aptis * ad pauperem induendum se convertit : quem vero ob Christi Jesu amorem induendo non alia cor Episcopi exsultabat intrinsecus lætitia, quam si personaliter Christum propriis indueret manibus; quod postmodum rei veritas demonstravit. Episcopus enim cum circa hunc pietatis actum versaretur, ingressi episcopalem domum camerarius civitatis Ferrariæ, et Petrus Bracius, qui hospitium campanæ tenebat, et * ad cameram Episcopi appropinquassent, viderunt Episcopum hunc pauperem maxima cum alacritate vestire; qui non visi ab Episcopo, suum retinentes gressum, ultra progredi noluerunt, donec hoc pietatis opus ab eo foret consummatum. Vestito autem paupere Episcopus illi licentiam dedit : vertensque terga, ad alia se convertit. Mox pauper, in terra relictis pannis, quibus ab Episcopo fuerat indutus, evanuit. E

* *Scalabrinus* misereretur

* *Scalabrinus* assumptis

* *forte* ut *vel* cum

quantum ex eventu conjici potuit :

55 Quod camerarius civitatis una cum socio cernens, stupore perculsi, in cubiculum Episcopi ingressi sunt ; et camerarius, salutato Episcopo, ait : Reverendissime Pater, quo ivit pauper, qui nunc tecum aderat? At Episcopus putans, nec a camerarii socio aut aliquo familiari suo visum fuisse, admirari admodum de camerarii verbis cœpit. Et ad camerarium et illius socium se vertens, nil aliud quam pannos, quibus paulo ante pauperem induerat, humi jacere conspexit. F
Quod equidem indicium fuit verissimum, pauperem illum Christum exstitisse; qui electissimo huic Servo suo ostendere voluit, quam sibi grata et accepta forent pia ejus in pauperes opera; cum ab eo in pauperis forma vestiri dignatus esset. Quæ cum episcopus Joannes camerario ac illius socio abscondere minime posset, quibus potuit precibus et jussionibus eos coartavit, ut, quousque ipse foret in hac vita, nemini umquam prædicta revelarent : quod camerarius, qui Martinus de Schiveto vocabatur, una cum socio fidelissime usque ad episcopi Joannis obitum observavit; quo postea occurrente, coram multis mirabile ac stupendum hoc miraculum ambo efficacissimis verbis manifestarunt.

Padum exundantem

56 Alio etiam tempore cum Padus, qui prope Ferrariæ muros præterfluit, ingenti aquarum excrevisset incremento ; ita ut campos late et totam pene civitatem inundaret ; (quod profecto Ferrariæ marchioni ac populo tanto erat terrori ; ut, quid agerent, aut quo se verterent, penitus nesci-

A nescirent) Vir Dei plenus fide, vitæ puritate candidus, coram Deo et hominibus humilis, sacerdotem quemdam ex suis evocavit; cui brevem cedulam his verbis inscriptam: « In nomine Jesu Christi tibi, o flumen, præcipio, ut festinanter ad tuum solitum revertaris locum « tradidit, quam in Padum projicere, prædicta verba proferendo, signo crucis adhibito, illi demandavit. Quod sacerdos ille subridens et parvi faciens, exsequi et Episcopi mandato obtemperare renuit.

insigni miraculo coercet in alveum.

57 Sed Pastor benignus, patienter subditi recalcitrationem indignam sustinens, ipse processionali ordine devotissime cum clero ad Padum progressus est: stansque super ripam, elevatis prius ad cœlum oculis, in Christi nomine prædicta verba proferens, cedulam illam, facto crucis signo, in aquam projecit. Mox aqua (mirabile dictu!) velocissimo cursu ad solitum et veterem locum defluxit: sicque campi omnes ac civitas ab ea magna aquarum inundatione virtute meritorum hujus sancti Viri mirabiliter fuit libe-
B rata. Quo singulari beneficio Ferrarienses affecti, Deo, omnium gratiarum immenso largitori, unanimi in cœlum voce resonante laudes referre cœperunt. Hanc rem mirabilem omnique stupore dignam Zanellus, faber lignarius, Bartholomæi barbitonsoris filius, propriis oculis conspexisse, et in illo processionis ordine astitisse, nobis nunc magna cum devotione affirmavit *a*.

Alio miraculo procuratori domum assignat ignotam,

58 Alia quoque vice cum foret Joanni episcopo nuntiatum, mulierem pauperrimam, omni re ad victum necessaria penitus destitutam, super nudam paleam in partu decumbere, ad hanc vocem pientissimus Pater, compassionis sagitta intus confossus mox exstitit: qui in hujus pauperrimæ mulieris commiseratione ebrius, non interrogans nuntium, in qua domo et civitatis loco hæc miserabilis paupera * maneret, festine domus suæ procuratorem evocat, illique mandat, ut absque mora omnia ad victum opportuna ad inopem hanc puerperam deferri faciat. Procurator vero hoc exsequi non posse respondit, quoniam inopis hujus puerperæ diversorium ipse ignorat *. Tunc Episcopus ne differretur quod
C omni cum pietate procuratori demandaverat, dixit: Sudarium hoc accipe, et versus sancti Dominici ecclesiam tuos dirige gressus, et eo loco, quo sudarium, quod tibi dedi, e tuis manibus ceciderit, illi * ad domum *b* propinquam pulsa: in ea enim puerperam hanc egentem invenies. Procurator verbis Episcopi fidem minime præstans, subridere et parvipendere cœpit: Episcopus vero ait: Tu perge, et fideliter exsequaris, quod jussi.

* *forte* puerpera

* *pro* ignoraret

* *an* illic *aut* ibi?

ut puerperæ inopi eleemosynam deferat.

59 Exiit domum procurator cum bajulis, re omni pro victu hujus puerperæ necessaria onustis, et in semetipso dixit: Stricte adeo sudarium hoc manibus meis tenebo, quod nisi divina potestate e manibus elabi meis [non] poterit. Quid plura? Humana consilia divinæ dispositioni prævalere non posse, manifestum est. Cum enim procurator cum bajulis domui hujus inopis puerperæ appropinquasset, non in manibus suis sudarium esse, sed in terra prope domum indigentis puerperæ jacere conspexit; quo præsumptionis suæ cognovit ignaviam, et Episcopi sanctitatem aspexit. Quare devotius ad januam domus pulsavit, jacentique puerperæ ac maxime egenti Episcopi eleemosynam donavit: quem deinde summa semper prosecutus est reverentia. EX MS.

Laborat vesicæ excoriatione gravissime et patientissime.

60 Sic beatissimus pater Joannes sanctis moribus universo orbi conspicuus, abstinentia splendidus, cum velut sidus matutinum in Ecclesia Dei fulgeret, et Ferrariensem ecclesiam sanctissime jam annis XIIII cum dimidio *c* gubernasset, divinæ bonitati placuit eum ab infelici hoc corporis nostri ergastulo liberare, et pro meritis suis immortalis felicitatis coronam illi impendere, quem in commissa sibi vinea fideliter laborasse cognoverat: quam ut ampliori gloriæ magnificentiæ * ei condonaret ille *d*, qui ex alto cuncta prospicit, gravissima ægritudine, doloribus maximis circumvallata, torqueri eum permisit, quæ a physicis *e* vesicæ scoriatio *f* nuncupatur. Hanc Vir Sanctus patientissime tolerabat: qui quanto graviori cruciabatur dolore, tanto alacriori mente, ut invictus athleta pugnæ non cedens, in Deum laudes gratiarumque actiones agebat.

* *annon* magnificentia?

E

Viaticum sacrum expetens affectibus piis indulget,

61 Cum itaque corpus suum, quod jejuniis, vigiliis, disciplinis, aliisque quampluribus abstinentiis prius exsiccaverat, ad occasum vitæ jam appropinquare conspiceret, ægritudine imminenti ad hoc maximum præbente fomentum; sacrum Domini nostri Jesu Christi corpus ministrari sibi humiliter ac devote postulavit, et corpus ejus in oratorio S. Hieronymi pauperum Jesuatorum, quos humilitatis suæ imitatores et heredes relinquebat, sepeliri mandavit. Non enim hujus sancti Viri animus abstinentiis erat fatigatus, non ægritudinis acerbitate depressus, sed hilaris, jucundus et lætus levabat ad cœlum oculos, et ad Deum suspirans, facie luce quadam mirabili rutilante, dicebat: Dulcissime Jesu, pater et redemptor animæ meæ, quando erit hora illa, a me tam concupiscenti exspectata desiderio, qua, hujus corporis terreo deposito velamine, digneris spiritum meum ad te, patrem, creatorem, et susceptorem suum evolare *? O quam læta, quam jucunda, quam grata et festiva mihi erit, Domine, illa hora! Quoniam ex multis tuis miserationibus mecum misericorditer egisti. Suscipe igitur spiritum, quem creasti, quem sanguine tuo redemisti, gratia et benignitate cum suo corpore tu misericorditer in hac præsenti ærumnosa peregrinatione fovisti. F

* *rectius* evocare

Sacramentis munitur, radio cœlesti illustratur:

62 Hæc cum diceret, sacerdos sacris indumentis ornatus, Sacramentum Eucharistiæ reverenter ad beatum Virum detulit; quod cum coram se conspexisset, totus profusus in lacrymas, se reum esse affirmabat, et tanto munere indignum se profitebatur. Certe humana lingua exprimere, nec calamus exarare posset hujus beati Viri humilitatem, quam tunc coram exhibuit; quod equidem omnibus circumastantibus profectui et ædificationi fuit. Et Zanellus, faber lignarius, quem supra memoravimus, eo tempore vidisse splendidissimum radium e cœlo, super cubilis tectum, in quo Vir iste tendens ad mortem ægrotus jacebat, descendere, ibique notabili temporis spatio mirabiliter fulgere, est attestatus. Sacri ergo Jesu Christi corporis alimonia beatus Vir refectus, sanctaque unctione linitus, animam Creatori suo reddere cœpit.

Ex MS.

suis opem addicit; sanctissime moritur 1446, die 24 Julii.

g

* annon itaque?

63 Quod Paulinus noster *g* animadvertens, se cum filiis, quos in Christo Jesu genuerat, beato Viro ad gloriam æternæ felicitatis transeunti devotissime commendavit, dicens : Benedicte Pater, tu exemplis, tu adhortationibus, tu sanctis tuis operibus nos fovere numquam destitisti ; ita * pietatem tuam rogamus, ut spiritus tuus pauperem hanc familiam tuam, quam totiens tuæ pietatis lacte recreasti, ante Domini conspectum non deserat ; sed assidue pro nobis in conspectu tam magnæ gloriæ coram Deo intercedere digneris, ut liberi et nos ad Creatorem nostrum pervenire possimus. Hoc quidem se facturum liberaliter promisit ; et Paulino ac toti pauperi familiæ exposcenti benedictione concessa, sanctum nomen Jesu exprimendo, beatum spiritum die Julii vigesima quarta, horâ decima quin-

h ta *h*, anno salutis millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, Deo tradidit : a quo æternæ beatitudinis gloria feliciter est coronatus ; ut multa post ejus obitum clara miracula, ab eo, divina largiente gratia, operata manifeste atte-

B stantur ad Dei laudem, cui soli hymnus, honor, et gloria est in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Hoc miraculum anno* 1720 *æri pereleganter incisum est Ferrariæ, cujus ectypum in magno folio expressum accepimus ; sed quia præter historiæ exhibitionem, nihil in ea antiquitatem redolet, prætermittimus. Brautius in Martyrologio metrico ad diem* IV *Julii idem illud celebrat hoc disticho :*

Joannes servavit opes, servavit et urbem,
Fecit et Eridani stare tumentis aquas.

b Domus, ubi miraculum hoc accidisse fertur, usque nunc conspicitur inter fines basilicæ S. Mariæ de Bucca, quæ dicitur Hipantos, et basilicam S. Gregorii PP. in quadam viuncula, qua tenditur ad quadrivium, quod vocatur delle Vecchie, prope ecclesiam S. Antonii abbatis. Et do-

C mus a miraculo nuncupatur ; in parietibus cujus depicta cernitur imago beatæ virginis Mariæ, genibus Jesum a cruce depositum sustentantis. *Ita hic Scalabrinus.*

c *Imo cum novem circiter mensibus. Ughellus rotunde notat* XV annos.

d *Scalabrinus apographum suum recognitum sic emendat :* Quem ut ampliori gloriæ magnificentia condecoraret ille, *etc.*

e Physici *passim in Actis nostris pro medicis accipiuntur.*

f *Eadem voce in Vitis Italicis Beati nostri utuntur Morigius ac Ferrarius.* Scoriationem *autem apud medicos frustra quæsiveris ; cum sit vox ab Italo auctore corrupta et posita pro* excoriatione, *quæ si ad intestina referatur, medicis est abrasio intestinorum in interna superficie, quam causat nimis acer et mordax humor. Morbus hic acutissimos dolores infligere dicitur, ac fere in senibus immedicabilis esse. Adi infra Miracula cap.* 2, *num.* 22.

g *Idem ille, de quo diximus capite præcedenti.*

h *Itali diem simul ac noctem horis* 24 *distinguunt, ita ut primam ordiantur ab occasu solis, vigesimam quartam postridie cum solis occasu terminent.* Hora *ergo* decima quinta *est nona ante solis occasum, quæ mense Julio fere desinit in ipso meridie. Atqui in Vita S. Catharinæ Bononiensis tom.* III *Martii, pag.* * 38 a, *dicitur Sancta vidisse* animam Joannis, Ferrariensis episcopi, hora diei tertia cœlum scandentem ; et tunc ad se unam de sacris virginibus vocavisse, et dixisse : Vide Episcopi animam, quæ sicut radians sidus cœlum ascendit. Hora *sane* diei tertia, *quomodocumque sumatur, differt ab* hora decima quinta. *Quid ergo? Ab auctore hic nostro discedendum est? Non existimo equidem : fides enim historici rei factæ tempus expresse determinat ; non item semper visio vel apparitio, qua sæpe res vel futuræ vel præteritæ tamquam præsentes sistuntur : id quod non ignoravit scriptor noster, cum infra in Miraculis cap.* I, *num.* 2 *similem visionem de glorioso beati* Joannis *in cœlos ascensu Andreæ Dominicano, non utique hora decima quinta oblatam, sed noctu* præostensam *narret.* D

E

MIRACULA

Eodem auctore.

PROLOGUS.

Auctor nunc miracula aggreditur facta in morte et post eum narrare.

Etsi Dominus noster Jesus Christus beatum Joannem episcopum, ut in ejus Vita descripsimus, multiplicibus virtutibus ornaverit, ut tamquam sidus in universo splenderet orbe ; in morte tamen, et post mortem quampluribus mirabilibus operibus eum voluit insignem ac venerandum reddere mortalibus ; tum ut eos ad sui amorem dulciter invitaret : tum ut sancti Viri hujus vita præclaris a fidelibus imitanda patesceret. Ad cujus mira opera scribenda, Christo Jesu duce, manum apponimus.

F

CAPUT I.

Anima Beati per angelos in cœlum ferri visa; varia miracula tum ante tum post peractas exsequias.

Andreas Dominicanus, Christo et Sanctis lætantibus,

Tempore felicissimæ emigrationis beati Joannis episcopi Ferrariensis erat Ferrariæ religiosus quidam, nomine Andreas, Ordinis Prædicatorum, natione Mantuanus ; qui jam per quinque et viginti annos gravi infirmitate laborabat : ob quam adeo consumptus erat, [ut] nec in minimo aliquo sui corporis potestatem posset habere. Cumque nocte una in lectulo suo jaceret, somno oppressus, fuit hæc sibi visio præostensa. Videbatur sibi in pulcherrimo quodam prato adesse, ibique miræ pulchritudinis constructam cernebat

A cernebat ecclesiam, in qua ministri regiam sedem sternebant: et in ea Rex constitutus, hominum ac mulierum constipatus corona, sacerdotem quemdam, sacris indumentis magnifice ornatum, ad sanctum altare progredere * conspexit, ibique Missæ solemnia reverenter persolvere, rege cum illa hominum et mulierum corona devotissime astante. Hac Missa completa, mox cantus aëreos dulciter resonare audivit; et oculos ad cœlum tollens, angelos antiphonam canentes: » Hic est discipulus ille, qui Deo ser- » vire numquam erubuit, cujus vita pauperrima » et humilis fuit, et cunctis gratiosa » de cœlo descendere vidit.

*Scalabrinus progredi

videt animam Joannis per angelos in cœlum deduci;

3 Et cum in semetipso cogitaret, ad quid magna hæc celebritas ageretur, ex circum astantibus unum interrogavit: Qui sunt isti, qui hic adsunt; et cur hoc tam solemne agitur festum? Responsum est: Quem in regia sede stare conspicis, Dominus noster Jesus Christus est; qui vero Missam celebravit, senatus apostolici princeps Petrus est; reliqui, qui Regi circumstant, B Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, et Confessores sunt; mulieres autem illæ, sunt sanctæ Virgines, quarum regina Dei Mater est, quam inter alias majori splendore coruscare cernis. Et angeli canentes, quos de cœlo descendere vidisti, beatam Joannis Ferrariensis episcopi animam ad æternam Hierusalem, beatorum patriam, portabant: eapropter solemnitas hæc tanto est celebrata cum gaudio. His dictis, visio illa disparuit; et statim angelos animam Joannis episcopi sole lucidiorem, illam canentes antiphonam, ad cœlestem patriam deferre conspexit *a*.

cujus ope ad visionis confirmationem implorata, * lege intra

4 Hujus cantus suavitate expergefactus frater Andreas, visionem præhabitam inter * se repetere cœpit; cumque, quid ageret nescius [esset], post multa ancipiti revoluta animo, visionis veritatem experiri constituit. Unde ad Deum devoto conversus corde, humili sic voce precatus est: Domine Deus, qui ex te et in Sanctis tuis gloriosus exsistis, quos apud te in æterna beatitudine tua magnificentia collocando mirabiles et gloriosos facis, ut quam tibi placeant qui te amant, ratio- C nales spiritus cognoscant; digneris, misericordissime Deus, propter tuarum multitudinem miserationum, et per hujus beati viri Joannis episcopi merita, si visio hæc vera est, quam nunc me videre fecisti, ab hac longa et gravi infirmitate, quam patior me liberare. Deinde ad beatum Joannem conversus, hanc humilem orationem effudit: Joannes, Vir Dei benedicte, si non illusione falsa deceptus, sed illuminationis veritate edoctus, in visione mihi proxime præostensa vidi te gloriosum, angelico comitante cantu, in cœlum ascendere; te precor, ut propter tua apud Deum præclara merita sanitatis meæ gratiam digneris a misericordiosissimo Domino Jesu Christo impetrare.

liberatur immedicabili annorum 23 ægritudine.

5 O Dei summa potentia! O beati Viri fructuosa et grata intercessio! et o patrocinium singulare ad te pie clamantium! Qui per quinque, et viginti annos gravem infirmitatem patienter sustinuerat, et nullo medicorum remedio sanari poterat, sequenti mane interger ac sanus e lecto surrexit. Fratres monasterii ad stupendum et omni admiratione dignum miraculum currunt, fratrem Andream liberum penitus a tam gravi infirmitate conspiciunt. Cœlum hymnis et Psalmis Deo et beato Joanni gratiarum actiones agentes, sonoris vocibus replent. Et Andreas, accepti beneficii memor, quædam carmina in beati Joannis laudem edidit, qui nunc gloriosus inter Beatos regnat in cœlis.

EX MS.

Moniali ad feretrum Beati vix tandem pertingenti *Scalabrinus illius

6 Cum adhuc beati Joannis corpus feretro impositum in episcopali palatio exsisteret, clericis sepulturam illi * parantibus, populi innumerabilis multitudo ob devotionem ad suum nuper defunctum Pastorem et Patrem frequens accurrebat: et qui manus, vel pedes beati Viri osculari poterat, felicem ac beatum se fore dicebat. Venerat in hac frequenti populi turba religiosa quædam femina tertii Ordinis sancti Francisci; ut et ipsa magna devotione beati Viri corpus tangeret et oscularetur. Sed frequenti populi multitudine excludebatur, ita ut feretro appropinquare nequiret: circum aderat enim quam maxima turba miserorum omnium circa corpus hujus sancti, Viri, qui inopis eorum vitæ substentaculum, eis E morte ereptum, amarissimis deplorabant lacrymis. His igitur de causis devota hæc mulier cum beati Viri corpus tangere non valeret, in angulo loci illius, quo corpus jacebat, se retraxit; donec devotionis suæ implendæ sibi offerretur opportunitas.

attactu manus ejus annorum 30 dolores eximuntur.

7 Passa enim erat hæc mulier annis triginta maximum capitis dolorem, quo adeo frequenter affligebatur, ut singulo mense per plures dies nec sedendo, nec eundo, nec jacendo requiem invenire sibi possibile erat; sed doloris acritate devicta, ut phrenetica, et amens hinc inde se jactabat. Cum igitur in eo angulo palatii episcopalis sic a multitudine populi sequestrata maneret, singulari fide plena, et devotione tota incalescens, sic secum loquebatur: O! si hujus beati Patris manus mea cum fronte tangere divina bonitas mihi concesserit; suis apud Deum meritis intercedentibus confido, hujus gravissimi ac diuturni doloris liberationem me omnino fore consequuturam. Qua in fide et devotione ipsa firmiter persistente, oblata sibi tandem opportunitate, sancto corpori accessit; et osculatis pedibus be- F ati Joannis, fronteque super manus beati corporis imposita, statim a capitis dolore est liberata; et ita sana ac libera dicessit, quod in futurum numquam ab eo est dolore vexata.

In Sancti exsequiis, capitis diuturna petigo sublata.

8 Eodem die, cum hujus beati Viri exsequiæ majori in ecclesia Ferrariæ celebrarentur a clericis, circa funus religiosorum corona psalmodiam celebrando devotissime astabat: quorum multi devotione quadam cum faciem beati viri Joannis suis cereis tangerent, quidam Alamanus, nomine Bertoldus, qui ibi aderat, statuit et ipse cum bireto suo vultum beati Viri tangere; fidem plenam habens, ex hoc tactu a capitis petigine morbosa, qua laborabat, liberari, a qua per annos jam viginti ulla medicorum ope sanari non potuerat. Ad loculum accessit, et devote proprio cum bireto vultum beati Joannis tetigit; deinde biretum capiti suo imposuit; et statim petigo illa putrida, a capite cecidit, et liber et sanus ab eo morbo evasit.

9 Joannes Albanensis *b* cum pestifero morbo *b*

EX MS. *Ante obitum, signo crucis pestiferum sanavit.* c

c collum infestum haberet, ad beatum Joannem accessit: cui patefacto morbo, Vir Dei super collum Joannis signum crucis fecit; et a morbo liber evasit: et hujus miraculi fidem D. Nicolaus, et D. Hieronymus, ipsius Joannis Albanensis filii, nobis fecerunt.

Puellæ manus ac pedes vegetat, voto invocatus; d

10 Jacobus de Argenta, qui Ferrariæ in vicinia Taratæ *d* habitat, filiam triennem habebat, quæ manibus ac pedibus arida devenerat, et nulla medicorum ope curari poterat. Die quadam, cum in ecclesia Vesperas audiret, et animo filiæ morbum revolveret, de beati Joannis sanctitate recordatus est: totusque in devotione hujus beati Viri resolutus, pro liberatione filiæ ei votum fecit. Cumque postea domum post Vesperas rediisset, filiam meritis beati Joannis penitus ab infirmitate liberam reperit. Quod ipse conspiciens, accepti beneficii memor et gratus, statuam filiæ cum pecuniarum oblatione ad sepulcrum Viri Dei lætus devotusque collocavit.

item aliam atroci dolore liberat, apparens aviæ.

11 Narravit nobis honesta mulier Joanna magistri Dominici Corlesi, fructuum venditoris; cum octavum ageret ætatis suæ annum, atrocem dolorem mensibus quinque passam esse; et adeo B continuo torquebatur cruciatu, ut nec agitatione cunæ, aut parentum brachiis delatione hinc inde, requiem modo aliquo invenire aut suscipere sibi non erat possibile. Et ita hoc dolore erat extenuata, et naturæ viribus consumpta; ut cibum e nullum præter consummatum *e*, et illud in modica quantitate, sumere valebat. Cum ergo morti vicina jam videretur; nocte, quadam aviæ beatus Joannes apparuit, neptemque suam ab infirmitate liberandam fore, testatus est. Hac visione percepta, Dominicum, filium suum et Joannæ * patrem, vocavit; et visione manifestata, devotissime ambo preces versus beatum Virum effundentes, si filiæ liberationem et sanitatem suis meritis impetrarent, statuam ad similitudinem Joannæ, in memoriam accepti beneficii et laudem beati Viri, ad ejus sepulcrum collocare voverunt. Hoc voto emisso, mox Joanna somnum cepit, et a mane usque ad vesperas quietissime dormivit: ac postea se somno elevans, ab omni dolore liberam et incolumem factam se reperit.

* *Scalabrinus* Joannem *minus recte.*

C

Stomachi dolores exstincti per annulum Sancti.

12 Quidam prædictæ Joannæ filius atroci adeo stomachi passione vexabatur, qua mirabili tumore stomachus inflabatur, et oculi velle e propriis sedibus egredi videbantur. Quare multi juvenem hunc epileptico morbo laborare asserebant; mater vero, quæ virtutem meritorum beati Joannis in se non multo ante experta fuerat, proprium filium beato Viro devotissime commendavit; eumque deinde beati Joannis annulo pontificali signare in modum crucis fecit. Quo peracto, subito meritis beati Viri adjutus, ab ea gravi passione stomachi liber evasit.

ANNOTATA.

a *Similem visionem, S. Catharinæ Bononiensi oblatam de Beati nostri gloriosa in cælos assumptione paulo ante dedimus in annotatis ad cap.* 6 *Vitæ.*

b *Præteriit hoc miraculum hoc loco Morigius.*

c *Ferrarius part.* 3, *cap.* 12 *credit, hoc prodigium accidisse tempore, quo lues Ferrariam afflaverat; adeoque anno* 1438 *exeunte, vel sequenti; ductus, opinor, in eam sententiam appellatione* pestiferi morbi; *verum debilis est illa conjectura: quando eædem frequentur adhiberi solent ad alias quasvis miserias corporum significandas, maxime cum difficilis earum curatio est.* D

d *Morigius vertit:* nella contrata di Vigna tagliata; *id est:* in vicinia Vineæ incisæ. *Amanuensis Scalabrinianus legit* Vineæ Tajatæ.

e Consummatum *vox est barbara, pro jusculo, in quod decoctarum diu carnium resoluta potior substantia est.*

CAPUT II.

Prosecutio miraculorum.

Lucia, Herculis Rigonis, pistoris uxor, quæ nunc Ferrariæ apud domum Dei habitat *, gravi oculorum dolore fatigabatur atrociter, qui adeo vehemens erat, ut lumine penitus ipsa esset destituta. Tandem ad beati Joannis devotissimam memoriam recurrens, signatis oculis cum illius pontificali annulo, subito meritis Beati lumen recepit et a dolore est liberata.

Oculorum dolor, petigo, uberum exulceratio sanantur.
* *Scalabrinus* habitabat

Cum barbitonsor Jacobo clerico, quem diaconii ordo ornabat, capitis coronam radisset * rasorio, quo petiginosum caput alterius raderat *, statim petigine illa fuit ei caput infectum; quo maximo torquebatur dolore. Cumque ita animo, hac rei novitate totus anxius foret, sequenti mane summa cum devotione ad beati Joannis sepulcrum venit; ibique facta oratione, episcopali annulo caput signare sibi fecit; demum biretum beati Viri suo capiti imposuit: quibus peractis, capilli omnes cum illa petigine mox reciderunt; et ab illo morbo liber ac sanus evasit.

* *lege* rasisset
* raserat

Lucia *a*, Herculis Rigonis, cujus superius memoriam fecimus, crus tumefactum mirum in modum habebat, mammas quoque ulceribus obsessas: quo vehementi dolore cruciabatur. Cumque medicamentis opem sibi ferre non posset, ad beatum Joannem solita devotione pro suffragio fide plena cucurrit; et annulo pontificali beati Viri, crus et mammarum vulnera signare fecit: quo peracto, mox pristinæ sanitati est restituta. a F

14 Vir nobilis, Ludovicus Gualengus *b*, cum semel gravi laboraret infirmitate, quotiens parentes suo ante se aspiciebat, totiens illusione dæmonis deceptu, tot malignos spiritus ante se astare sibi videbatur aspicere; quorum horribili territus aspectus, linteis visum obtegebat. Hoc, ignorantes * causam parentes, erat summo mœrori. Cum itaque [quid] circa hoc agendum foret, nescirent; quidam astantium eos est adhortatus, ut omni diligentia reliquias beati Joannis studerent habere; ut eum illis signum sanctæ crucis super filium laborantem hoc gravi morbo fieri posset, fidem omnimodam habentes, ipsum Ludovicum ab hac illusione fore liberandum. Parentes dictis consultantis amici annuere. Cumque eis relatum foret, venerandum dominum Octavianum Novellum *c*, ecclesiæ majoris Ferrariæ c

Illusio diabolica per Sancti disciplinam depulsa: b
* *lege* ignorantibus, *etc.*

A rariæ canonicum, nonnullas beati Joannis reliquias habere, statim suum nuntium ad eum destinarunt. Qui mox ad infirmum veniens, disciplinam beati Viri secum detulit: eaque in manu Ludovici porrecta, parentes filii conspectui se offerentes, a filio gratiose fuere conspecti, et in futurum læto semper eos aspectu conspexit; sicque beati Viri meritis filius et parentes simul læti sunt effecti.

cæcitas, febris, pestis sublatæ;

15 Blasia, Francisci Brusantini quondam uxor, filium in puerili ætate adhuc constitutum habebat, qui cæcus erat: hunc mater tota mentis devotione fide plena beato Joanni commendavit, votumque pro exspectato beneficio emisit, spondens Missam facere celebrare in honorem omnipotentis Dei, ac beati viri Joannis, si meritis ejus filio suo lumen et visum posset impetrare. Hoc voto peracto, filius suus visum recepit. Cujus miraculi fidem D. Joannes de Capo, qui Missam celebravit, nobis fecit.

Humilitas de Porto filium febre continua laborantem habebat; hunc mater anxia de salute filii,
B beato Joanni commendavit et suo episcopali annulo signare fecit, et statim a febre immunis evasit.

Joannes Avanzi Ferrariensis, peste infectus, beato Joanni statuam imaginis suæ pro exspectata liberatione vovit; et facto voto, a peste statim mirabiliter est liberatus.

item fluxus sanguinis, adhibito sudore imaginis B. Joannis. d

16 Bernardina *d* fluxum sanguinis patiebatur: quem cum pluribus annis sustinuisset, et nullis posset medicorum remediis huic morbo providere, semel cum ad sepulcrum beati Joannis pro comite cujusdam mulieris, quæ ab immundo vexabatur spiritu, venisset; faciem imaginis beati Joannis, sculptam in superiori lapide sepulcri, sudorem emittere conspexit: quo stupore in devotionis affectum erga beatum Virum absorpta, fide plena aliquantulum sudoris propria manu a facie prædicta abstersit; et locum quo ipsa sanguinis fluxum patiebatur tetigit: et statim ab ea diuturna et longa passione meritis hujus beati Viri est liberata; quod postea ipsa proprio ore patefecit et sponte.

Dolores mortiferi cessant subito. e

17 Illustris dominus Rainaldus Estensis, domini Nicolai Estensis Ferrariæ marchionis filius *e*, semel gravissimo cruciabatur dolore; cujus
C liberationem cum nulla posset ope medicorum consequi, solam exspectabat mortem, quæ omnium dolorum est unica medela. Sic itaque morti magis quam vitæ vicinus *, beati Joannis memoria ei venit in mentem; cujus sanctitatem devoto revolvens animo, preces ad beatum Virum devotissime effudit, et imaginis suæ statuam pro perpetua memoria accepti beneficii ad ejus sepulcrum voto dedicavit. Hoc facto, meritis beati Viri somnum cepit. Deinde expergefactus, liberum et penitus immunem ab eo dolore gravissimo se reperit.

* *lege* vicino

Cum viveret Beatus, præstigias dæmonis detexit, f

18 Vir Dei Joannes cum semel ad visitandum quamdam mulierem de Malabarbis *f*; a dæmone vexatam, nec non maleficiis diabolicis pene consumptam, venisset; prout Joannes de Santaria nobis narravit; non multo post sacerdos ad infirmam cum dominico Domini nostri Jesu Christi corpore venit, tum ut eam communicaret, tum ut spiritum eam vexantem ab eo corpore exire conjurationibus compelleret. Sacerdos cum vix intra cubiculum cum Sacramento Dominici corporis venisset, illa mulier statim clavos, acus, ærisque frusta ad vomitum conversa evomere videbatur. Qui huic aderant spectaculo, omnes stupebant; et unus, qui vas evomitionis ad os mulieris tenebat, cum beato Joanne contendere cœpit, an quæ evomuerat hæc mulier, essent vera. Et ea vera fore asserebat; sed in contrarium Vir Dei veritatem esse asseverabat: nam clavos, acus, et æris frusta non vera, sed diabolico præstigio ita videri, et hoc, diabolo oculos astantium præstigiante; at ille pertinaci fronte beato Viro resistens, manum in catino apponens, clavos, acus, et æris frusta sua manu elevabat, et Episcopo, ut videret, porrigebat; quæ et astantibus omnibus cernenda ostendebat. EX MS.

eumque ex muliere insessa expulit.

19 Sed Vir Dei, eorum cæcitatem videns, immundo spiritui ex illo mulieris corpore exire præcepit. Hoc imperato, cum fœtore maximo immundus spiritus ex illo exivit corpore; et quæ prius in clavos et acus ac æris frusta cernebantur, modo [non] nisi in flegmam *, sicut juxta veritatem prius erat, conspiciunt *g*. Tunc E
Vir Dei diaboli præstigium aperuit, et astantium cæcitatem propulsavit, asserens, talia non clavos, non acus, nec æris frusta fore, sed flegmam, subjungens: Filii charissimi, vidi ego immundum spiritum ori mulieris astare; ut suis vos præstigiis falsisque deceptionibus falleret. Cavete ab eo, et suis operibus fidem nolite præstare; ne vos in errorem ducat interitus :- a quo resurgere decepto homini est difficile.

* *imo* phlegma

g

Dæmones tres ejiciuntur, sudante Beati imagine; item alii plures.

20 Agnes, Ludovici Dentis [uxor,] tribus vexata spiritibus, mox ad beati Joannis sepulcrum perducta, fuit liberata; et in signum admirabile hujus illi præstitæ liberationis, facies imaginis beati Viri, in lapide super sepulcrum sculpta, sudorem emisit; quod propriis oculis dominus Turianus de Ricardo de Ortona, D. Nicolaus de Capua, frater Franciscus de Alemania Ordinis Minorum, rector ecclesiæ Sabioncelli *h*, et frater Julianus de Pergamo, prior Jesuatorum in sancto Hieronymo de Ferraria, ipsi conspexere, nec non Ludovicus prædictæ Agnetis vir. h

Vermia *i*, Sebastiani Poresini uxor, cum ab octo immundis vexaretur spiritibus, ad beati Joannis sepulcrum perducta; facta conjuratione a fratre Archangelo Ordinis Minorum de Observantia, meritis beati Joannis fuit liberata. i F

David Borella filiam habebat, quæ ab immundo vexabatur spiritu; et cum super beati Joannis sepulcrum foret constituta, spretis quodammodo conjurationibus, respondit imperio beati Joannis se numquam a corpore hujus puellæ, quam in concubinatu David Borella habebat, [nisi illam] ipse David desponsaret. Quæ quamprimum a David fuit desponsata, mox puella ista ab immundo spiritu meritis beati Joannis est liberata.

Epilogus auctoris.

21 Finis hujus operis ad laudem Dei, et gloriam beati Joannis de Tossignano Ordinis Jesuatorum et civitatis Ferrariæ episcopi: cujus meritis altissimum misericordiarum Patrem precor, mea dignetur delere peccata, reliquumque * vitæ immunem ab omnibus peccatis concedere, et in fine felicitatem æternam præstare. Amen *k*. k

* *an non* per quereliquum vitæ

22 Augustinus Villa *l*, Lanciloti Villæ filius, l

quin-

Ex MS. Moribundus ex ardore urinæ, statim convalescit.

quinquagenarius ardorem urinæ *m* passus octo menses (sicut ex ægritudinibus sæpe solet accidere, patientes in pejus ruere) in ulcerationem renum collique vesicæ ac veteri *n*, non parvam saniei quantitatem cum doloribus parturientis mingendo, cecidit : ita ut de ejus vita actum esse, tam a physicis quam ab aliis judicatum exstiterit. Quod videns, ipse, conversus ad Dominum nostrum Jesum, facta prius suorum peccatorum confessione, multisque servis Dei religiosis orationibus commissis ad ejus salutem et sanitatem impetrandam, Deo Patri omnipotenti, et Filio, et Spiritui sancto, ac beato Joanni de Tossignano antisti Ferrariensi, hoc in pauperum Jesuatorum oratorio sepulto, statuam hanc ceream suæ mensuræ vovit. Et statim nocte, ubi sibi prius [non] nisi inquietudo et dolor comites erant, pausare cœpit; et in dies mirabiliter præter omnium fidem convalens, in meliorem valitudinis suæ statum quam, priusquam ita ceciderat, esset, deductus est ; et ita ut, divina gratia beati Joannis antedicti meritis operante, ex mortuis quasi surrexisse se dicat.

B

ANNOTATA.

a *Et hoc miraculum prætermittit Morigius.*

b *Est* Gualengorum *inter nobilissimas Ferrariensium familias habita, quam hic ipse Ludovicus non parum illustravit,* summis *deinde* magistratibus perfunctus, *ut vide apud Guarinum in Historia ecclesiarum Ferrariensium lib.* 4, *pag.* 269.

c *Sic etiam legit Morigius cap.* 22; *at Ferrarius habet part.* 4, *cap.* 7, *nescio unde arreptum,* Octavianum Giraldi ; *qui et Beato familiaris fuerat, et inter ejus heredes conscriptus. Notat vero Scalabrinus* Octavianum Novellum, *Titi Novelli, episcopi Adriensis, fratrem fuisse.*

d *Ferrarius part.* 4, *cap.* 9 *ait, hoc miraculum factum esse* anno *a morte* B. Joannis centesimo ; *quod si verum esset, alium hæc narratio auctorem habuisset; id quod nobis non videtur. Et vero cur id serius contigerit, quam aliud, quod mox subjicietur? Ferrarius asserti sui nullam causam affert, nullum testem; cum stylus eumdem scriptorem redoleat, qui cetera huc usque narravit.*

C

e *Imhofius in Genealogia principum Atestinorum, pag.* 58 *ex Henningio asserit,* Rainaldum *hunc, sive* Reginaldum, *Nicolai nothum fuisse : quod et ex Pigna conjicere licet ad annum* 1441 *Nicolao fatalem; ubi inter legitimos ejus filios minime computatur, dicunturque Nicolao etiam* aliquot ex pellicibus quæsiti liberi *fuisse. Patet vero hoc miraculum auctoris nostri ætatem nequaquam excedere; nedum annis centum post obitum Beati contigisse; quandoquidem Raynaldus annis non paucis cum Joanne vixit.*

f *Nomen est familiæ juxta Ferrarium part.* 3, *cap.* 10.

h *Duplex* Sabioncellum *Ferrariæ assignat Guarinus lib.* 6, *pag.* 410 : *superius, ubi et ecclesia S. Petri; et inferius, ubi S. Agathæ templum visitur. Utrum hic significetur, obscurum est.*

g *Ita utrumque apographum; sed in Scalabriniano quædam inducta sunt a correctore, qui sic lectionem emendandam putavit :* Et quæ prius esse clavi et acus ac æris frusta cernebantur, modo apparebat flegma. Tunc Vir Dei, *etc.*

D

i *Quæ sequuntur usque ad numerum* 22, *omittit Morigius.*

k *Huc usque dubitandum non videtur, quin ejusdem omnia sint auctoris, opus suum more solito concludentis. De sequenti miraculo, quod operis appendix quædam est, non ita liquet : quamquam omnino suspicemur, ab eodem scriptore adjectum operi jam absoluto fuisse : quandoquidem res est illustris, et scriptoris ætatem diu antecessit.*

l *In hujus prodigii titulo legitur :* Augustinus Villa, Lanciloti Villæ filius, duodecim sapientum Ferrariæ judex ; qui primus ob multa in patriam merita pater patriæ merito est dictus. *Est autem* judex XII sapientum *supremi apud Ferrarienses magistratus caput, post legatum et prolegatum auctoritatem, tribunal et honorem habens æqualem illi, quo fruitur Bononiæ vexillifer, Italice dictus confaloniere. Constabat olim hic magistratus viris duodecim, qui vulgo* sapientes *nuncupari consueverant, erantque perpetui, nisi ultro dignitatem deponere vellent. At,* sub ditione Romanæ Ecclesiæ, Clemente VIII P. O. M., reversa urbe et ducatu Ferrariensi anno MDXCVIII, *inquit hoc loco Scalabrinus,* reformatum est magistratus hujus supremi regimen et numerus ad decem : videlicet novem sapientes cum eorum judice ; qui electorum votis quotannis e primaria urbis nobilitate desumuntur : septem vero ex civium ordine ; reliqui duo de mercatorum collegio. *Porro* Augustinum hunc tribunum plebis *appellat in Historia principum Atestinorum Pigna ad annum* 1450 *et sequentem, ubi et alia de illo plura referuntur; sicut etiam apud Guarinum in Compendia historiæ ecclesiarum Ferrarensium lib.* 4, *pag.* 265, *ubi hoc ipsum miraculum narratur, et quid ab illo in accepti beneficii memoriam Jesuatorum domicilio sit adjectum.*

E

m *Hunc morbum* scoriationem *seu potius* excoriationem vesicæ *appellant Morigius in Vita cap.* 19, *Guarinus loco citato, et Ferrarius part.* 4, *cap.* 7. *Itaque ex hoc loco ostendunt, quo morbo laborasse* B. Joannem *supra existimaverint.*

n *Scalabrini apographum habet* uretri ; *sed scribendum videtur* ureteris : *est enim* ureter *meatus ille, per quem urina a renibus in vesicam defertur.*

F

SUPPLEMENTUM

Actorum B. Joannis Taussiniani episcopi Ferrariensis.

§ I. Omissa in Actis aliqua ; quæ Beatus gessit in statu Jesuatico ab anno MCCCCVIII usque ad MCCCCXXVI.

Quædam in Actis prætermissa, vel minus explicata;

Cum fateatur auctor noster in præfatione ad Vitam supra num. 3, *se plurima ex iis etiam, quæ verissima compererat, omisisse, atque excellentiora tantummodo selegisse, ne lectori fastidium pareret; incessit alios deinde cupiditas in ea, quæ vel*

ipse

A *ipse sciens volensque prætererat, vel obiter tantum ac perfunctiore delibaverat, curiosius inquirendi; unaque congerendi omnia, qua post scriptoris hujus ætatem ad nostra usque tempora contigerunt. Qua in re eorum præcipue, quorum hic testimonia proferemus, perquam feliciter industria desudavit : ut qui satis excellens lectorumque piorum aviditate dignum putaverint, quidquid de Viro tam excellenti erui undecumque atque affirmari tuto vereque posset. Ne quis ergo desideret, quæ tam operose conquisita sunt, hic recensenda suscepimus, temporis, quo facta narrantur singula, quoad fieri potuit, ratione servata.*

ut habitatio Venetia ab anno 1408 ad 1526,

2 *Atque ut a suscepto Jesuatorum habitu ordiamur, constat ex Actis quidem nostris cap.* 1, *num.* 13, B. Joannem *post inchoatum per dies pauculos Bononiæ tirocinium, Venetias adire jussum esse; ibique in assiduo eximiarum virtutum exercitio substitisse, donec a summo Pontifice cum aliis religiosis evocatus, Ariminum se contulit, atque hinc subinde dimissus, Bononiam; uti narratur cap.* 2, *num.* 16 *et* 17; *ubi anno* 1426 *sit electus monasterii* B *Jesuatorum Ferrariæ rector; ut habes ibidem num.* 18. *Deesse hic tum claritatis, tum rerum aliquid, deprehendit Scalabrinus in annotatis ad Vitam, et ante illum Gregorius Ferrarius in Vita Italica part.* 2, *capp.* 3, 4, *et* 5. *Aiunt ergo, habitasse Beatum Venetiis ab anno* 1408 *usque ad* 1426, *et quidem in duobus conventibus, quorum primum fuerit S. Justinæ, alterum S. Mariæ ad Elisabeth. In priori mansisse illum statuunt usque ad annum* 1415, *si moram excipias, quæ ipsum Arimini aliquamdiu detinuit; unde reversus anno jam dicto Venetias, salutato tantum ex itinere apud Bononiam Spinello, conventum secundum incoluerit usque ad annum* 1426.

et macerationes corporis ibi susceptæ;

3 *Ad primam habitationem Venetam refert Ferrarius part.* 2, *cap.* 3 *exercitia pietatis, quæ in Actis nostris brevius describuntur; addit tamen usum disciplinæ, seu potius flagri, cui assuescere jam tum cœperit* Joannes. *Erat illud, ut idem testatur, plexum ex catenulis; et* adhuc spectatur, *inquit* sacro ejus cruore tinctum. *Inediam vero ipsius tam severam ibidem ait fuisse, ut ossa corpusculi sola cutis obtegeret; idque testari effigies ejus* C *varias, olim cum viveret, expressas. Nobis tam antiquas videre non licuit; non abludunt tamen quas infra exhibebimus, quæque illum jam episcopum ac senem referunt. Ad hæc in secundo monasterio asperrimum adjecisse cilicium dicitur, ibidem cap.* 4, *quod etiamnum asservetur. Atque hujus quidem cœnobii fundatorem ipsum quodammodo censeri posse credit Ferrarius, dum ejus fabricam quæsita stipe, consilio, manu promovit: ipse ligna, ipse calcem ac lapides suis humeris comportabat.*

ac lis evicta contra obtrectatores Ordinis Jesuatorum,

4 *Gravis interea Bononiæ in Jesuatos tempestas exorta est, quæ* B. Joannis *imprimis solertia brevi detumuit. Rem accipe ex Italica, quam dixi, Vita Ferrarii, parte* 2, *cap.* 5, *ubi sic habet :* Sub annum MCDXXIV, Sedem Romanam obtinente Martino V, legationem vero Bononiensem Gabriele Condulmerio, qui deinde Eugenius PP. IV fuit, cum episcopus esset Bononiæ Nicolaus Albergatus, nobilis Bononiensis, ex Ordine Carthusiano, ac vitæ sanctimonia celebris, ad episcopale tribunal delati sunt Jesuati, ut qui regularium sibi jura vindicarent, cum nec regulam haberent, nec religionem ab apostolica Sede approbatam, neque proinde alio quam laïcorum ordine censendi essent, eorumque instar subigendi parochis illis, quorum intra fines monasteria continerentur.

AUCTORE P. B.

cui negabant deberi jura Regularium;

5 Accusatorum partes fovebant doctores varii, atque inter alios Paulus quidam Calcari Bononiensis, et Franciscus Zabarella, publicus Paduæ lector, ut ex scriptis vetustis aperte liquet. Multa illi cum auctoritate, tum ratione pugnabant; inani tamen, ut tempus edocuit : ingentibus enim, quas erigebant, molibus debilissima substraverant fundamenta. Speciem hæ interim præ se ferebant, ut primum obtuentibus augustam, sic perniciosam Ordini. Verum quia Dei causa agebatur, optime cecidit, ut ad episcopum et monachum et integerrimum deferretur.

quæ rcs totum Ordinem commovit,

6 Accersit is Patres nostros; accusationum eis capita proponit, justumque defensioni spatium præscribit. Pater Spinellus, haudquaquam ignarus, quo procella hæc vergeret, intimaque prospiciens religionis nostræ peti viscera, percelli sibi penitus animum sensit. Ut malo tamen tanto eatur obviam, suos bifariam tribuit : qui rudes inter illos erant ac simplices, eos precibus assiduis jubet insistere; eruditos vero ac doctrina E præstantes ad se Bononiam convocat, ibique ad studia causamque communem scriptis tuendam hortatur. Paretur utrimque : illi nempe anxiarum instar hirundinum gementiumque columbarum meditatione ac suspiriis divinum in rem præsentem implorant auxilium; hi vero tamquam aquilæ, oculorum acie in objectos difficultatum montes intorta, earum principia, media, finesque penetrabant. Dux omnium et caput erat Spinellus, unaque pater quidam Dominicus Senensis, ac pater Antonius Venetus.

ad publicam defensionem B. Joanni committendam,

7 Hi negotium tam arduum in Taussinianum transtulere; qui totum illud, perspecto communi periculo, libenter amplexus est, tantoque confecit studio ac labore, ut omnis ipsi soli victoria tribuatur. Præter auctoritatem atque argumenta ad Ordinis defensionem confutationemque adversariorum ex utroque jure deprompta, librum insignem (quem non sine miraculo compositum ab eo diceres) produxit in aciem; in quo de instituto nostro disserens, consonum illud esse prorsus ostendit decretis Pontificiis, conciliorum canoni- F bus, sanctorumque Patrum auctoritati ac regulis. Memoriale tum libri inscriptio fuit; nunc Regula nuncupatur et Constitutio.

quam hic scriptor sic est aggressus, ut anno 1425

8 Volvit hunc et revolvit pater magister Gabriel Spoletinus Augustinianus, eorum unus, qui ad causam cognoscendam delecti fuerant; itaque se tandem subscripsit : « Ego frater Gabriel de » Spoleto, Sacræ paginæ professor immeritus, » Ordinis Eremitarum S. Augustini, credo, in» dubie omnia quæ suprascripta sunt, vera esse » et conformia dictis sacrarum Scripturarum et » sanctorum Doctorum, et a Spiritu sancto fuis» se dictata. » Exhibuit eum Taussinianus Patribus paulo ante memoratis mense Junio anni MCDXXV, qui illum, tamquam prodigiosum opus, admirati, reverendissimo episcopo læti consignarunt in manus.

adversarii causa ceciderint,

9. Accepit, legit, et, cum divinus dictatum agnosceret, laudavit, ac millenis prætulit, quæ humana posset excogitare solertia, ratiociniis. Accusationes ergo rejicit, rescinditque, et adversus actores decernit, Jesuatos pro religiosis habendos

AUCTORE P. B.

bendos omnino esse. Ita quod æmuli ad parandam nobis invidiam procuderant, incitamento deinde fuit religiosissimo præsuli, ut Ordinem nostrum veneratione quanta posset maxima coleret; id quod ex variis authenticisque, quæ supersunt, instrumentis elucescit.

et cum Jesuatis Beatus triumphaverit,

10 Ad nuntium evictæ litis miseri Jesuati, quasi essent ab interitu revocati ad vitam, ita communi omnes ubique lætitia gestiebant, gratias agentes Domino, qui antidota de venenis præsentissima novit educere. Taussinianum porro reveriti sunt omnes velut unicum propugnaculum religionis, ut scutum unicum, quod universam protegeret, ut angelum denique ad congregationis novellæ salutem a Deo destinatum. *Hæc stylo, ut solet, luxurianti Ferrarius. Scalabrinus rem eumdem tradit in annotatis, et addit :* Vidimus adhuc penes Fratres excalceatos de monte Carmelo conventus S. Hieronymi Ferrariæ existentia inter præcipuas scripturas documenta spectantia ad beatum hunc Virum. *Ea ipsa, opinor, documenta vir eruditus intelligi voluit, quæ ad litem jam dictam, quam istic describit unice, pertinuerint.* L *Cum vero cetera, quæ* B. Joannis *episcopatum antecesserunt, satis in Actis explicata sint supra, ad statum ejus episcopalem aggredimur : nam quod ait Ferrarius part.* 3, *cap.* 13, *Jesuatos tempore memoratæ litis opera* Taussiniani *obtinuisse cœnobium Veronæ; id neque ipse probat, neque meminit Hieronymus dalla Corte Historiæ Veronensis lib.* 24, *pag.* 314; *ubi Jesuatorum Veronensium exordia describit, affigitque anno* 1429, *quando Beatus noster jam dudum agebat Ferrariæ. Potuit ab illo tamen exoratus fuisse Eugenius PP. IV pro suo tum in* Joannem *affectu, ut possessionem Jesuatorum Veronæ confirmaret, ut fecit, sexto Kalend. Julii anno* 1432; *quamquam hujus rei testem nullum habemus.*

§ II. Omissa quædam ad ejus episcopatum spectantia usque ad annum MCDXXXV.

C

Beati jam episcopi vestitus,

Cum *episcopum induit* B. Joannes, *Jesuatum nequaquam exuit, ut ex Actis liquet cap.* 5, *num.* 44; *ubi tamen de vestitu ejus non satis explicate legitur :* In cultu modicus erat. *Distinctius illum Scalabrinus describit, dum ait, fuisse Jesuaticum, præter mitram, pedum, chirothecas, annulum, quæ propria sunt episcoporum ornamenta. Itaque et ad nudos pedes sola putat Episcopum nostrum adhibuisse sandalia. Certe sic exhibetur non solum in imagine anni* 1528, *de qua egimus in Commentario prævio* § 1, *num.* 5; *verum etiam in numismate anni* 1446, *et lapide sepulcrali, de quibus infra. Non existimo tamen, hunc ei morem perpetuum ita fuisse, quin aliquando intermiserit : caligis enim usum fuisse, constat ex Actis cap.* 5. *num.* 41.

et insignia.

12 *Scutum ejus ab Ughello expressum Italiæ sacræ tom.* 2, *col.* 591 *gentilitium quidem* Joannis *est, non illud tamen, quo utebatur episcopus. Audi Scalabrinum in annotatis :* Gentis, *inquit,* Tavellæ insignia sunt in scutulo viridi tres laterculi, qui apud nos Tavelle vulgari sermone nuncupantur, bini a latere superiori et unus a parte inferiori : quamvis ego [et aliud invenerim] ex antiquo sigillo, ceræ rubræ impresso, magnitudinis non parvæ, et figuræ oblongæ, ac in rotunditatem acutam se protendente, more Gothorum, quo utebatur in obsignandis litteris patentibus tempore sui episcopatus. In eo imago S. Georgii, Ferrariæ protectoris, equitantis et occidentis draconem apparet a parte superiori; et ab inferiori Episcopus, indumentis pontificalibus ac mythra et baculo, stans inter duos scutula triangularia, unum ad dextram, et alterum ad sinistram : super unumque eorum (quamvis cera deperdita variis in locis esset) comperi stemma, quod nunc et longo tempore adhibere solet magnum hospitale S. Annæ a sancto Pontifice erectum; id est, super tres montes stant hinc et hinc duæ columbæ se in faciem conspicientes, ac alas extollentes, quasi volare incipiant; in medio autem ac in imo stat stella caudata. Quod stemma an gentilitium sit sancti Episcopi, an de religione desumptum Jesuatorum, qui columbam in stemmate deferebant subtus venerabile nomen Jesu, dici non potest; tamen ipse in episcopali dignitate usus est, relicto et abdicato seculari et familiæ propriæ stemmate. Quod postea hospitali magno donatum. Circumcirca leguntur hæ litteræ Longobardice insculptæ : SIGILLUM JOANNIS DE TOSSIGNANO, DEI GRATIA EPISCOPI FERRARIENSIS.

Visitatio diœceseos inchoata 23 Januarii anno 1432,

13 *Quæ in Actis cap.* 4, *num.* 37 *brevissime dicuntur de visitationibus ceterisque functionibus ejus episcopalibus, ea recentiores sigillatim in sua quæque tempora digerunt. Ordiatur Scalabrinus, scrutator sane pius ac diligens; sic habet in annotatis ad Vitam :* Statim ac ecclesiæ suæ regimen accepit, visitationis officium, ab antecessoribus suis neglectum, suscepit a cathedrali, die XXIII Januarii [*anno* 1432;] et postea ab ecclesia priorali S. Romani in civitate Ferrariæ, cui cura animarum imminebat, olim monasterio Sancti Benedicti, sed tunc commendato ab apostolica Sede Mainardino Contrario, episcopo Comaclensi; quem post celebratam Missam solennem, et verbo Dei prædicato (quod quotidie agebat) visitavit personaliter, et interrogavit, quæ bona haberet dicta sua ecclesia; et Mainardinus omnia tam mobilia quam immobilia dedit in scriptis. Visitavit quoque eodem tempore et loco Dominicum Albanensem, capellanum ejusdem episcopi Mainardini. Prosecutus est postea visitationis officium in aliquibus ecclesiis parochialibus et locis piis civitatis Ferrariæ, eodem anno, usque ad mensem Decembris, ut [patet] ex rogitibus *(sic appellat instrumenta quæ notarialia vocantur)* Martini Schiveti, tunc ejus cancellarii.

accedente legati auctoritate eodem anno, 19 Februarii.

14 *Ad hujus visitationis initia pertinent legati Bononiensis litteræ, de quibus ibidem Acta meminerunt, quasque Ferrarius in Vita Italica part.* 3, *cap.* 6 *sic recitat :* Fantinus protonotarius, Venetus, pro sanctissimo D. N. D. Eugenio Papa Quarto ac S. R. E. Bononiæ, exarchatus Ravennæ, ac ceterarum aliarum terrarum Romandiolæ cum potestate legati de latere in temporalibus et spiritualibus gubernator. Cupientes, quod monasteria tam Fratrum regularium, monachorum, quam etiam monialium Ferrariæ ejusque diœcesis in* Dominum nostrum Jesum Christum firma regularum suarum observantia insequantur, ac omnes etiam ecclesiæ, tam exemptæ quam non exemptæ, dictæ civitatis et diœcesis, si alium etiam

* *in redundat.*

A etiam vel alios haberent visitatores, reformentur; vobis, reverendissimo patri, domino, domino Joanni, Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopo Ferrariensi dignissimo, apostolica auctoritate, qua fungimur libertate *, potestatem et baliam (*id est directionem, juxta Macri Hierolexicon, ad vocem* bajulus) damus, concedimus, et elargimur, omnia et singula monasteria et ecclesias dictæ civitatis et diœcesis, tam exempta quam non exempta, visitandi aut visitare faciendi, si etiam alium vel alios haberent visitatores; vitamque Fratrum regularium, monachorum, et monialium examinandi, eosque et eas compellendi in observantia et sancta obedientia vivere; ut Domini nostri Jesu Christi servitiis recto itinere dedita sint: præterea, si opus fuerit, dicta monasteria, loca, atque ecclesias reformandi, modificandi, corrigendi, ac omnia et singula faciendi, quæ honesta, utilia, et condecentia vestræ Paternitati videbuntur pro salute animarum, ac pro cultu et gloria Domini nostri Jesu Christi, cui sit laus et honor per infinita seculorum secula. In quo- B rum fidem has nostras fieri, sigillique nostri pendentis appositione muniri jussimus, ex Bononia, die decima nona Februarii in palatio residentiæ nostræ, MCDXXXII.

* *annon*, libertatem?

Eodem anno rurales inspexit parochias quasdam mense Martio.

15 *Porro quod asserebat supra Scalabrinus, post inspectum ecclesiæ cathedralis statum, itum esse ad ecclesiam prioralem S. Romani, tunc monasterium Benedictinum, Maynardino Contrario, episcopo Comaclensi, commendatum; id non ita videtur accipiendum, quasi ex priori loco beatus Episcopus statim ad hunc secundum invisendum accesserit: id enim videtur incredibile; cum juxta Ughellum Italiæ sacræ tom. 2, col.* 506, *Maynardinus de Contrariis sedem Comaclensem primum adeptus sit anno* 1432, XI *Kalendas Decembres. Plures ergo alias medio inter Januarium ac sequentem Decembrem spatio adiisse Beatum necesse est, non in urbe solum, sed etiam extra illam; ut videtur colligi posse ex eo, quod ejus auctoritate ad commodiorem promptioremque rerum divinarum administrationem statutum est de conjunctione quarumdam parœciarum ruralium, puta S. Blasii d'Avezzano, et S. Jacobi de Ravale, juxta Ferrarium in Vita part.* 3, *cap.* 5*:* C *idque die* XXII *Martii, eodem anno* 1432, *ut habet Guarinus in Compendio historiæ diœceseos Ferrariensis lib.* 6, *pag*, 445, *et* 451 *: neque enim verisimile est, factum hoc ab eo fuisse, priusquam parochiarum illarum, quæ sunt ad Occidentem Ferrariæ, rationes introspexisset.*

Eodem anno paupertatem ejus solatur Eugenius PP. IV die VII *Aprilis.*

16 *Ad hunc etiam annum pertinet, quod in annotatis ad Vitam docet idem Scalabrinus his verbis :* Beati Episcopi paupertas voluntaria propter eleemosynarum largitatem ad aures summi Pontificis *(Eugenii IV)* pervenit; qui hoc anno ei condonavit gratiose ducentos quinquaginta florenos ex quadringentis, quos annualiter pensionis nomine, quousque viveret, Petro Boiardo, antecessori suo in episcopatu, reservaverat : loco quorum eidem in commendam archipresbyteralem ecclesiam S. Mariæ de Vicovencia plebatam attribuit anno MCDXXXII, VII Idus Apriles. *Eamdem pensionis imminutionem adstruit Ferrarius in Vita Beati part.* 3, *cap.* 7 *ex Brevi apostolico, quod dicta jam die, mense, et anno fuerit expeditum, cujusque initium sit :* Romani Pontificis providentia.

17 *Ad annum sequentem refero, quod habet Scalabrinus in annotatis, ita scribens :* Quo tempore Basileam ad generale concilium vocatus [B. Joannes] Simonem de Valle, sacrorum canonum professorem, suum procuratorem constituit; eique indixit, ut se sui nomine in sacrosancta synodo sisteret, excusationem facturus et veniam petiturus, si personaliter non comparebat propter notoriam sui paupertatem et ecclesiæ suæ necessitatem, quam litteris explicare nequit. Hujus mandati tabulæ exstant publice, manu Martini de Schivetis, notarii Ferrariensis et scribæ domini Episcopi, exaratæ de anno MCDXXXIII, die XIV Maii. *Consonat Gregorius Ferrarius loco citato, citans hæc initialia ejusdem mandati verba :* Sacrosanctæ generali Basileensi synodo. *Beatus interea, teste Scalabrino ibidem,* hoc anno constitutiones habuit synodales ; *donec ipse per se tandem, sive consilio proprio, sive Patrum Basileensium jussu, ad concilium generale perrexit, de quo ita Scalabrinus :*

AUCTORE P. B.

Anno 1433 procuratorem mittit ad concilium Basileense;

18 Tandem ad concilium personaliter accessit, visitationis vicariis relictis egregiis sacrorum canonum professoribus, domino Deus-te-salvi de Fulgineo atque domino Ugolino de Urbe Veteri; E quorum primus in spiritualibus et temporalibus vices Episcopi gerebat; alter vero cathedralis ecclesiæ Ferrariensis archipresbyter et concionator celeberrimus; qui assidue vestigia Episcopi sui insecutus, ubicumque visitationis officium persolveret, verbum Dei populo annuntiabat tam claro et eleganti stylo, ut catervatim populus ad audiendum conveniret. A Maio usque ad Decembrem moratus est in sacro Basileensi conventu MCDXXXIII.

quo et ipse se mox contulit, relictis ad visitandum vicariis.

19 Ad suam reversus ecclesiam, quod vicarii sui non perfecerunt, absolvit: et de mense Januarii usque ad Aprilem cunctas tam ecclesias quam monasteria et xenodochia urbis Ferrariæ invisit, eisque saluberrima decreta indixit. Quo tempore gratiose a sacrosancta generali synodo, attenta modica sui prosperitate, excusationem obtinuit pro illa vice ad comparendum, donec et usquequo synodus aliud duxerit ordinandum; quæ in sua licentia « venerabilem Joannem, episcopum » Ferrariensem hujus sacri concilii membrum » unitum et incorporatum, ac in eodem mensi- F » bus octo vel circa laudabiliter conversatum « declarat sexto Idus Martii, anno MCDXXXIV. *Postremum hoc confirmat etiam eodem capite, quo supra, Ferrarius, addens, licentiam illam scripto datam fuisse in litteris membraneis, quarum exordium fuerit :* Etsi cunctos Christi fideles. *In eo tamen non convenit Scalabrinum inter et Ferrarium, quod hic dimissorias concilii litteras* Joanni *concessas esse velit Basileæ ante discessum a synodo, quem proinde mensibus aliquot extendit; ille contra missas Basilea Ferrariam absenti et jam dudum reverso statuat. Itaque sic pergit ibidem :*

Anno 1434 redux visitationem prosequitur,

20 His litteris ad ipsum perventis *, iterum officium visitationis aggresus est, ut abusus evelleret, discordias eradicaret, moresque pravos in clero funditus exstirparet. De mense Junii cum capellas cathedralis suæ ecclesiæ inviseret, memoriæ traditum est; quod quinque ex spinis coronæ Christi Domini illi ostensæ sunt, quas familia de Bagatis de Palæstina secum tulerat, ac ecclesiæ suæ donaverat. Has admiratus sanctus Episcopus, eas probare disposuit, an veræ essent;

quando veras coronæ Christi spinas a suppositis, miraculo discernit;

* *forte* perlatis

AUCTORE P. B.

sent; ac omnes inter carbones accensos in thuribulo projecit. Ex quibus tres crematæ sunt; binæ intactæ et incolumes, quæ pretioso sanguine conspersæ erant, inventæ fuere; quas magna cum reverentia suscepit, et in crystallina cruce argento suffulta collocavit. Hæc crux altitudinis singularis, dum concilium Ferrariæ in hac ecclesia cathedrali, divo Georgio dicata, ageretur, et disceptationes ortæ essent inter Latinos et Græcos pro loci dignitate, ad tollendas lites jurgiaque sedanda jussu Eugenii summi Pontificis super altare majus inter capita gloriosa apostolorum Petri et Pauli, ac eminens super librum Evangeliorum apertum, posita est; ut quidam in suis memoriis narrat.

diœcesim percurrens pedibus, vel humili jumento vectus. Donationem Jesuatis impetrat.

21 *Et paulo inferius:* Hoc anno MCDXXXIV, *inquit idem*, mirabile dictu est, quod totam suam diœcesim aut pedester, aut humili insidens jumento, visitaverit a die XI Aprilis usque ad diem XI Junii, secum adhibitis convisitatoribus Domino Jacobo de Oratoribus, archipresbytero plebis S. Georgii de Trecenta, qui fuit postea Adriæ episcopus meritissimus, et Jacobo de Misotis, canonico ecclesiæ Ferrariensis. Postea Ferrariam reversus [est] de mense Junii. *Eodem hoc anno Jesuatis optime consuluit, ut idem refert in annotatis ad Vitam, dum ait:* Inter ceteros suos (B. Joannis) familiares emicuit pietas Raynerii de Scarsis, nobilis Pisani, pincernæ seu scalchi *(id est architriclini)* sui; cujus familia in sancti Episcopi venerationem Jesuatorum religioni domos proprias Pisis elargita est anno MCDXXXIV. *Idem tradit Ferrarius part.* 3, *cap.* 13.

§ III. Item alia prætermissa ab anno MCDXXXV usque ad MCDXLIV.

Resumit visitationes annis 1435 et 1436.

Iterum de anno MCDXXXV, de mense Aprilis, innovavit visitationem ecclesiarum civitatis Ferrariæ et monasteriorum, quam perduxit usque ad mensem Septembris, optimis datis et promulgatis regulis ad cultum divinum augendum. Demum alteram visitationem ecclesiarum diœcesis suscepit die XV Aprilis, MCDXXXVI; et perfecit de mense Julii ejusdem anni; ut examinaret, an adimpletæ forent ordinationes, quas in altera priori visitatione decrevit: sibique in scriptis tam mobilia quam immobilia omnium ecclesiarum bona consignare [jussit:] deputavitque eis massarios et syndicos, qui inservirent rectoribus in administratione ecclesiarum. *Hæc Scalabrinus in annotatis. Est autem* massarius *apud Italos custos supellectilis ac bonorum mobilium;* syndicus *vero defensor, advocatus, patronus: adi sis Cangium in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis.*

Anno 1437 benedicit nuptiis Luciæ Estensis, et favet Battutis albis S. Mariæ.

23 Die 2 Februarii, MCDXXXVII, *inquit idem*, benedixit nuptiis, celebravitque sponsalia inter dominum Carolum, filium Joannis Francisci Gonzagæ, Mantuæ domini, et dominam Luciam, filiam marchionis Nicolai; quæ cum ad sponsum pervenisset, obiit, relicto thalamo intacto. *Notavit hoc etiam in compendio Vitæ Italico Antonius Baruffaldus pag.* 13 *et sequenti. Est vero hæc* Lucia *una de quatuor filiabus, quas unico partu Parisina, Nicolai Estensis uxor, edidit, ut narrat Pigna de Principibus Atestinis lib.* 7, *pag.* 539. *Ad Beatum nostrum et hunc annum attinet, quod post Ferrarium part.* 3, *cap.* 5, *in annotatis addit Scalabrinus:* Nec non societas Battutorum alborum S. Mariæ in superiori parte civitatis a Nicolao Estense, Ferrariæ domino, et Nicolao Perondolo sapientum judice, privilegiis et exemptionibus intuitu Joannis episcopi fundata est anno MCDXXXVII; *et quidem die* XIV *Maii; ut auctor est Guarinus de Ecclesiis Ferrariensibus lib.* 2, *pag.* 60, *ubi de hac confraternitate, quam appellat* Di santa Maria bianca, *plura legi possunt. Observa tamen,* Battutorum *nomen Italicum esse, ad significare proprie* verberatos, *seu* flagellatos; *quia vero flagellationes apud Italos in quovis pio cœtu receptissimæ sunt, hinc videtur hoc nomen ad eos promiscue transiisse, qui peculiarem inter se ad opera pietatis societatem ineunt, eamque palam vestitus similitudine profitentur: unde hi* albi, *ob candidam, quam gestabant olim, ex lino togam; alii* nigri *dicebantur, ut patebit infra. Consule sis Lexica Italica ad vocem* Battuto.

Anno 1438 assistit concilio generali in sua cathedrali ecclesia coacto;

24 *Anno* 1438 *ecclesiam* B. Joannis *cathedralem illustravit generale concilium, quod, quia sequenti anno Florentiam, ubi finem habuit, translatum est, Florentinum vocatur, Ferrariam convenere (præter eos, quos Acta concilii apud Labbeum recensent tom.* 13, *col.* 877 *et* 890, *et quorum unus est* Joannes *noster* Ferrariensis) *ipse summus Pontifex Eugenius IV, urbem invectus die* XXVII *Januarii, ut ibidem dicitur col.* 884, *et Græcorum imperator Joannes Palæologus cum Demetrio fratre, atque ingenti comitatu die* IV *Martii, ibidem col.* II; *ac tandem cum suis Josephus patriarcha Constantinopolitanus die* VII *ejusdem mensis, ibidem col.* 14. *In hoc theatro spectabiles imprimis fuisse omnibus Beati nostri charitatem, hospitalitatem, modestiam, ceterasque virtutes, affirmant Ferrarius part.* 3, *cap.* 7, *et Scalabrinus in annotatis; donec inde post sedecim sessiones concilium, suborta luce, Florentiam commigravit, mense Januario anni* 1439.

quando videtur laborasse pro unione Æthiopum cum Ecclesia;

25 Dum autem sacri haberentur conventus Ferrariæ, *inquit ibidem Scalabrinus,* fratrer Antonius, monachus et nuntius Presbyteri Joannis Æthiopiæ imperatoris, Pontifici principis sui humile obsequium tulit. Cui Pontifex rescripsit, cum adhuc Ferrariæ moram traheret de mense Julio ejusdem anni MCDXXXVIII, eum hortans ad constantissime Christianæ fidei firmitatem retinendam ac Saracenos compescendos. Hæ litteræ inter scripturas B. Joannis usque nunc asservantur; quamquam illo tempore neglectæ ob pestem, e vita sublato fratre Antonio, qui eas delaturus erat suo gloriosissimo principi. *Idem asserens superiori loco Ferrarius:* Inter scripta, *inquit,* Taussiniani nostri reperitur exaratum in membrana cum sigillo Pontificio responsum ab eodem Pontifice mense Julio, MCDXXXVIII Ferrariæ datum ad imperatorem illum; hoc principio: « Accedi» mus, gloriosissime princeps « Ex quo *(pergit idem)* manifeste colligitur, vel designatum ad eas partes tamquam nuntium apostolicum fuisse beatum hunc Episcopum; vel certe multum in hoc negotio laborasse. *Ut ut est, observari velim, alium hunc fuisse nuntium ab iis, qui posterius ab eodem imperatore ad Eugenium pervenere; ut videre est apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 1441, *num.* 2 *et sequentibus.*

A *et litem Jesuatorum diremit;*

26 *Eodem anno ac mense, juxta Ferrarium in Vita part.* 3, *cap.* 13, *cum gravis exstitisset in Ordine Jesuatorum altercatio per eos, qui viros ejusdem instituti (ut erant multi) litterarum studiis eruditos, ad presbyteratus ordinem promovendos esse dicerent; delectus et ipse ad rem decidendam judex, una cum Antonio Corrario, et Nicolao Albergato, S. R. E. Cardinalibus, ac Ludovico, episcopo Tarvisino, adversus nova molientes sententiam tulit, quam totam Latine recitat laudatus auctor, quamque, quia longiuscula est, hic prætermittendam putavimus, cum ibi legi possit, et magis ad institutum Jesuatorum, de quo agi poterit ad Acta S. Joannis Columbini die* XXXI *hujus mensis, quam ad res* Taussiniani *illustrandas pertineat.*

favitque confraternitati S. Ludovici.

27 *Confraternitas quoque S. Ludovici, Francorum regis, tantum, Ferrario teste part.* 3, *cap.* 5, B. Joanni *debet, ut ab eo instituta quodammodo videri possit : nam cum ad illius erectionem anno* 1435 *concurrisset, eamque anno sequenti ex suburbio Ferrariensi advocasset in urbem ad ecclesiam S. Juliani, usque adeo eamdem fovere non destitit; ut,* ipso adjuvante, oratorii sui fundamenta jecerit [*hoc*] anno MCDXXXVIII prope basilicam S. Vitalis martyris, *ut narrat Scalabrinus in annotatis :* Et usque modo, *inquit,* confratres binas casulas acu pictas, uti reliquias, demonstrant, munus eis a beato Episcopo donatum, de labore manuum sororis suæ Catharinæ. *Videri de hac societate meretur laudatus jam sæpe Guarinus de Ecclesiis Ferrariensibus lib.* 5, *pag.* 360; *ubi etiam docet, inter alia multa pietatis officia id fratribus illis curæ esse, ut nubili virginum paupercularum ætati dotem contribuant. Patet etiam ex eodem hic auctore, oratorii jam dicti fabricam anno* 1438 *non ante Julium mensem suscipi potuisse.*

B

Anno 1439 assistit pestiferis; deinde concilio Florentino,

28 *Anno* 1439 *ineunte, eadem, quæ concilii Florentiam transferendi causa fuit, pestifera contagio, beatum hunc Pastorem Ferrariæ detinuit : nam ut, cum Ferrario part.* 3, *cap.* 7, *et Baruffaldo in compendio Vitæ pag.* 12, *observat Scalabrinus,* Joannes noster sanctissimus episcopus, statim ac recessere Patres, solus [remansit] ad solandos infirmos urbis suæ non tam cœlestibus monitis, quam orationibus : quibus tantum apud Omnipotentem valuit, ut pestis evanesceret, parva aut nulla post se relicta mœroris sui jactura. *Tempestatem hanc excepit alia illa, ut iidem affirmant, quam* Joanni *ab impiissimo sacellano suscitatam Acta referunt cap.* 5, *a num.* 45; *quæque Virum patientissimum eo tandem adegit, ut, relicta Ferraria, confugeret ad summum Pontificem, tum apud concilium Florentiæ commorantem; cui* Joannes *deinceps interfuit, ut patet ex subscriptionibus Patrum apud Labbeum Conciliorum tom.* 13, *col.* 519, *et* 1168. *Quid interim egerit hoc anno, ita in annotatis prosequitur Scalabrinus :*

C

quando hospitium cum comitatu suo habuit Aretii.

29 Tempore, quo in Florentina synodo commoratus est, domicilium habuisse constat in civitate Aretina, ex epistola, quam propriis characteribus inscriptam direxit matri, sororibus, et filiis monasterii S. Abundæ : eruimus enim ex ea, quam grata fuerit omnibus tam religiosis quam clericis et laïcis ejus conversatio : habitus est enim in honore magno una cum ejus sociis viginti septem, quos secum habebat. Sæpe etiam se contulit in quoddam castrum non longe ab Aretio, cui nomen Monza, ad ripas Arni; donec et usquequo, perfecta sancta generali synodo, cui se subscripsit, a Pontifice, marchione humillimis precibus petente, clero et populo postulante, ecclesiæ suæ iterum donatus est.

AUCTORE P. B.

Eodem anno favit Jesuatis Bononiensibus.

30 *Eodem anno insigni benevolentia prosecutus est Vir sanctus incunabula vitæ suæ religiosæ, cœnobium, inquam, Jesuatorum Bononiæ, in quo, relictis omnibus, militare Christo primum cœperat; de quo ita Ferrarius part.* 3, *cap.* 13 : Monasterium Bononiense Taussiniani causa multa obtinuit exemptionum rerumque aliarum beneficia a legato Fantino; atque unum inter cetera hoc exordio scriptum : » Fantinus, protonotarius Apo» stolicus, etc. » quo monasterium S. Eustachii liberum pronuntiat omni vectigali et onere rebus quibuslibet illi necessariis imposito. Datum erat mense Februario anni MCDXXXIX, et ab ipso Bononiensium magistratu confirmatum.

Anno 1440 Jesuatis Tarvisinis favet, et Prædicatorum ecclesiam dedicat Ferrariæ.

31 *Anno circiter* 1440, *testante ibidem Ferrario, conventus Jesuatorum Tarvisinus dici potest initia sua* Taussiniano *debuisse : siquidem illum monialibus ædificatum, Ordini Jesuatico attribuit Ludovicus Barbus, tum episcopus Tarvisinus et* B. Joannis *amantissimus; rem deinde confirmantibus Hermolao, qui Ludovico successit, ipsoque Eugenio IV, anno* 1446.

Eodem anno MCDXL, die XIV Julii *(uti cum Guarino lib.* 3, *pag.* 151, *Scalabrinus annotavit)* secundum sanctæ matris Ecclesiæ ritum solenniter dedicavit ecclesiam S. Mariæ Angelorum prope palatium Belfloris extra urbem (quam nunc intra mœnia additionis Herculeæ conspicimus) a Nicolao marchione ædificatam cum monasterio, quam FF. Prædicatoribus de Observantia attribuit.

Anno 1441 dedicat ecclesiam S. Augustini : favetque Battutis;

32 Die XII Martii *(ut idem scribit in annotatis ad Vitam)* divo Gregorio Papæ dicata anni MCDXLI solenniter dedicavit ecclesiam S. Augustini in inferiori parte Ferrariæ : ibique solennem professionem et vota recepit Elisæ, filiæ Joannis a Gallo, civis Ferrariensis; quæ cum quatuordecim sociis habitum D. Augustini sumpsit, et in monasterio prope eamdem ecclesiam, per eas auctoritate Martini PP. V ædificato, et per Eugenio IV confirmato, se concludit. *De his plura Guarinus lib.* 5, *pag.* 319 *et sequenti, breviter Ferrarius part.* 3, *cap.* 5.

F

Reduci quoque ad hunc annum possunt, quæ narrat idem Scalabrinus, et quorum laudem non minimam Joanni *tribuit in annotatis, cum ait :* Augmentum etiam ejus tempore habuere societates S. Joannis Baptistæ Battutorum alborum, *qui diversi sunt ab iis, de quibus supra* § 3, *num.* 23; et S. Joannis Decollati, alias della Morte, Battutorum nigrorum, cujus pia exercitatio ad juvandos a justitia extremo supplicio afficiendos a Nicolao marchione privilegio, donationibus etiam a Communi Ferrariæ fuit protecta anno MCDXLI.

et Leonellum recipit, ac Nicolao marchioni justa persolvit.

33 *Item illud huc spectat, quod ab eodem observatum est his verbis :* Nicolao marchione Estensi Mediolani defuncto, a populo adlectus est Leonellus, ejus filius, proclamante Joanne Walengo, XII sapientum judice; postea in cathedrali ecclesia, divis Georgio et Maurelio martyribus dicata,

AUCTORE P. B.

a Joanne beatissimo episcopo receptus, postquam Missæ sacrificium obtulit, adjuvante reverendissimo domino Thoma Perondolo, archiepiscopo Ravennæ, nobili Ferrariensi, tunc in patria commorante,... die XXVI Decembris MCDXLI. Die XXX Decembris Ferrariam deportatum est corpus marchionis Nicolai, tumulatumque est ad ecclesiam S. Mariæ Angelorum prope palatium Belfloris; ad quod B. Joannes episcopus pro ritu Ecclesiæ extrema solvit, antequam humo commendaretur.

Anno 1443 stabilit capellanos in cathedrali.

34 In visitatione habita anno MCDXXXIV cum invenisset antiquam plebatam ecclesiam S. Donati de Pedruro desertam et ab omnibus derelictam propter aquarum inundationem, ita ut soli apparerent parietes absque tecto; de reditibus ejus duas fundavit mansionarias *(vulgo capellanatus perpetuos)* in ecclesia cathedrali, habita facultate ab Eugenio IV de anno MCDXLIII : animas autem dictæ dirutæ ecclesiæ, parochiali B. Virginis Mariæ de Flesso commendavit. *Ita Scalabrinus in annotatis ad Vitam, et fere Ferrarius* B *part.* 3, *cap.* 5. *Guarinus quidem id factum probat anno* 1403 *a Petro Boiardo, Joannis decessore; sed fatetur tamen, non ante annum* 1443 *confirmatum illud, et quidem opera* Taussiniani, *ab Eugenio IV fuisse. Vide Compendium ejus de ecclesiis Ferrariensibus lib.* 6, *pag.* 427 *et* 428.

§ IV. Cetera, quæ ab auctore nostro præterita sunt ab anno MCDXLIV usque ad MCDXLVI.

Anno 1444 ædificat nosocomium magnum S. Annæ.

Anno 1444 *opus ingens et magnificum aggressus est; quod sane mirum est in Actis ejus præteriri silentio potuisse; cum et Ferrariæ notum esset omnibus, et æterna memoria dignum. Annotavit hoc post alios Scalabrinus in hunc modum* : Contigit interea, quod celeberrimus artium et medicinæ doctor et eximius physicus, Peregrinus a Cæca de Arquado, viam universæ carnis ingressus est *(anno* 1440, *quem paulo ante notaverat,)* prius C condito testamento, in quo cuncta sua bona pauperibus Christi reliquit. Joannes episcopus volens eisdem providere de sufficienti xenodochio ad curam infirmorum (quamvis multa essent et in civitate et per diœcesim, sed parvi aut nullius levaminis propter paupertatem administratorumque incuriam) magna comparata area prope monasterium S. Annæ, per Fratres S. Basilii de Armenia solitum habitari, ibi jecit fundamenta, ab eo solenniter benedicta, primo posito lapide, in quo signavit ipse nomen Jesu. Et non multo tempore elevatum est magnum divæ Annæ xenodochium, optimisque instructum regulis judici XII sapientum et Communi Ferrariæ gubernandum commendavit, facultate Pontificia obtenta; sicut usque modo laudabiliter perseverat. *Hæc ille post Ferrarium, Ughellum, aliosque, sed præcipue Guarinum, apud quem de hoc xenodochio, seu potius nosocomio, plura reperies lib.* 4, *pag.* 209 *et sequentibus. Annum vero inchoati operis a me signatus versus comprobabunt, infra recitandi.*

36 *Eodem* anno MCDXLIV (*ut est apud Nicolaum Baruffaldum in compendio Vitæ pag.* 15) visitationem instituit pastoralem per totam civitatem ac diœcesim multo cum fructu et zelo maximo, largissimas ubique in ecclesias ac subditos iis pauperes dispertiens eleemosynas. *Ad eumdem annum refert Pigna de Principibus Atestinis lib.* 7, *pag.* 546 *nuptias, de quibus et Scalabrinus agens in annotatis:* Borsius, *inquit*, Leonelli marchionis frater, die solenni S. Georgii XXIV Aprilis Ferrariam ingressus est cum Maria Arragonensi, regis Neapolitani filia, quam sibi Leonellus in uxorem desponsaverat; nuptiis Joannes noster episcopus benedixit : in quibus emicuit Estensis domus liberalitas et magnificentia longe lateque multos dies. Et Oddo Antonius, Urbini dominus, Isottam, Leonelli marchionis sororem, sibi matrimonio copulavit coram Joanne episcopo; qui post paucos dies a populo suo occisus, viduam reliquit Isottam. *Secundum hoc matrimonium, teste Pigna citato, eodem anno, mense Junio celebratum est.* D

visitat diœcesim, et assistit nuptiis Leonelli, et Isottæ Estensium.

Anno 1445 celebrat exsequias Thomæ Perondoli, archiepiscopi Ravennatum.

37 De anno MCDXLV *(Scalabrini annotatis insistimus)* die XX Octobris interfuit exsequiis celebratis Thomæ Perondolo, nobili Ferrariensi, olim canonico cathedralis, archiepiscopo Ravennatensi; cujus corpus sepultum fuit in ecclesia S. Dominici in arca marmorea, cujus legebatur inscriptio : » Antistes celebris » *etc. Versus hoc apud Ughellum habes Italiæ sacræ tom.* 2, *col.* 389; *ubi tamen omissum est, quod versibus in epitaphio subjicitur, teste Scalabrino :* Obiit autem XI Kal. Novembris MCDXLV. *Guarinus lib.* 3, *pag.* 107 *legit*, XIII Kal. Novembris : *utrumvis accipias, credibile non est, eodem, quo obiit, die celebratas fuisse ejus exsequias, nedum die* XX *Octobris, si statuatur obiisse biduo posterius, sive* XI *Kal. Novembris : erratum hic ergo aliquid ab amanuensi putamus; quamquam res est levicula.*

Radius sacrificantem illustrat.

38 *Sunt et alia non pauca* B. Joannis *elogia apud Ferrarium hac illac sparsa, sed nec certis alligata temporibus, nec citatis testibus aut tabulis comprobata, quæ propterea nos missa facimus. Illustre est illud imprimis, quod narrat part.* 2, *cap.* 12, *in hæc verba :* Celebrabat sanctus hic Episcopus, nisi forte decumberet, ad aras quotidie, tantoque affectu inhærebat sacrificio, ut facile F videretur ipsemet in ardentissimum Dei sui holocaustum esse conversus. Quod quidem Domino tantopere placuit, ut id etiam aliquando voluerit per miraculum indicare : cum enim sacris operaretur beatus hic Sacerdos, jamque ad ea, quæ appellantur Secreta, pervenisset, ecce tibi (Martinum alterum diceres) igneus in verticem ejus de cœlo radius illabitur, ibique consistit immobilis, donec, peracta potiori sacrificii parte, disparuit. Spectatum id omne, nec sine ingenti admiratione, ab eo fuit, quem Deus tantæ rei testem elegerat. *Credo equidem; sed mallem vel testem illum, vel alium rei gestæ propiorem, quam sit Ferrarius, assignari; quod idem de ceteris ad hunc modum relatis dictum puta.*

Anno 1446 testamentum condit, moritur, sepelitur;

39 *Anno denique* 1446, *qui vitæ ejus et laborum postremus fuit, eum affecta valetudine persentisceret resolutionis suæ tempus instare, die* VIII *Julii testamentum condidit, cujus infra dabitur exemplar apographum : et cum dies tantum sedecim supervixisset, migravit ad Dominum, ut in Actis narra-*

A *narratur. Exsequiis deinde in ecclesia cathedrali rite celebratis, ut colliges ex Miraculis supra cap.* 1, *num.* 8, sepultum est corpus *(ut cum aliis habet Scalabrinus in annotatis)* B. Joannis episcopi, ut mandaverat, humi ante altare S. Hieronymi pauperum Jesuatorum Ferrariæ sub lapide albo, in quo insculpta fuit ejus effigies habitu pontificali, manibus in modum crucis ante pectus cancellatis, cum baculo et mitra : ad pedes cujus stat præsens inscriptio characteribus Gothicis : *quam vir idem clarissimus in hunc modum expressam huc misit :*

HIC·IACET·REVERENDISSIMVS·IN·XPO·PATER:
D IOHANES DE TOXIGNANO·EPVS·FERRARIĒSIS DIG
NISSIMVS·QVI·OLI·FVERAT·DE·CONROGATIONE
PAVPERVZ·IHESVATORVZ·ET·OBDORMIVIT·IN
DOMINO·DIS XXIIII·IVLII·144VI·

B

Idem epitaphium est apud Guarinum lib. 5, *pag.* 328, *et Ughellum tom.* 2 *col.* 592.; *sed pro* conrogatione *istic legitur, et legendum esse patet,* congregatione.

et mox ut Beatus coli cœpit.

40 *Prosequitur ibidem Scalabrinus :* Et statim post mortem ut Beatus coli cœpit ; ut publicæ adstipulantur litteræ, per congregationem fratrum Jesuatorum datæ suppliciter duci Herculi, ut corpus ejus de terra elevatum foret : quod pientissimus princeps non permisit, ut populo ad eum convenienti propius foret in humilitate degens. Sed jussit circumdari sepulcrum cancellis ; ita ut pedibus ingredientium calcari non posset.

Eodem anno a Ferrariensibus

41 Communitas Ferrariæ eodem anno, quo obiit, in aula magna hospitalis S. Annæ illi statuam magnitudinis naturalis, pontificali habitu vestitam, erexit, sub pedibus cujus hæc stat inscriptio, ad litteram exemplata :

C

GRATVS·IN·HAC·CVNTIS·EXCELES
PHISICVS·VRBE·IAM·FVIT·A ÇEÇA·
PEREGRINVS·NOĪE·DOCTOR·VOIS
QVIPPE·SVIS·BONA·TOT·QVERVN
TVR·EGENIS·HEC·LOCA·DIVA·
QVIB' PRESENS·MORTALIB' EGRIS·
INCOAT·ANTISTES·XPI·LABENTIB'
ANNIS MILE QVADRINGENTIS·
BIS·SEPTEM·TER·QOQE·DENNIS

Sensus horum versuum planus fiet per ea, quæ paulo ante dedimus num. 35.

erecta est ipsi statua marmorea,

42 *Porro statua hæc marmorea est, teste Ferrario part.* 3, *cap.* 5 ; *et aulam jam dictam ingredientibus ad dexteram collocata, ut ait Guarinus lib.* 4, *pag.* 211 ; *et quod idem addit, excellentis artificis manu sculpta, naturalem Beati effigiem refert : imo* traditum est, *inquit Scalabrinus,* quod super vultum exspirantis beati Viri desumpta sint lineamenta ; uti vere apparet facies macie confecta nasoque adunco. *Ad eamdem* quotannis die XXIV Julii, quo ad Dominum migravit, et XXVI ejusdem, D. Annæ sacro, per integram diem duo cerea accenduntur, et floribus ac aliis ornamentis venerationis signa beato Episcopo ostenduntur. *Geminas ejus delineationes huc submisit Palmerius noster, a Scalabrino, ut ex apposito charactere nobis apparet, acceptas. Altera statuam exhibet cum adjunctis ornamentis, quæ sunt genii bini, imminentem Beato mitram utrimque sustentantes ; dextero* CARITAS, *sinistro* HUMILITAS *Gothico charactere nomen inscribitur : ad mitræ apices dimidiato corpore prominet effigies Christi, dextra Beato benedicentis, sinistra continentis librum. Sed quia hæc tota delineatio pinguioris erat Minervæ, adjuncta huic est alia perelegans, atque ab insigni pictore ad prototypon marmoreum adumbrata, omissis tamen, quæ modo descripsimus, additamentis. En hanc a chalcographo nostro, quam potuit accuratissime, expressam :*

AUCTORE P. B.

E



et fusum ex ære numisma,

43 *Eodem anno fusum ei est ex ære numisma, cujus explanationem, ne concurrant imagines, placuit ectypo præmittere, ipsis reverendissimi Baruffaldi, ex cujus museo prodiit, verbis conceptam, nisi quod paucula nostra charactere diverso interserimus. Sic*

igitur

AUCTORE P. B.

igitur habet : Numisma hoc primæ magnitudinis, ex ære, operis non adeo excellentis ; quodque ruditatem seculi aliquantisper sapit : cusum enim fuit anno MCDXLVI ab Antonio Marescotto, fusore non illaudabili, cujus opere alia quoque numismata habemus, et præcipue illud B. Bernardini Senensis ; et aliud cum ipsiusmet Antonii effigie, cusum anno MCDXLVIII. Constat insuper ex Annalibus Ferrariensibus, eumdem Marescottum una cum Ippolito Bindello Veronensi, aliisque fusoribus, statuam equestrem Nicolai Estensis, Ferrariæ marchionis, quæ e regione ecclesiæ cathedralis ejusdem civitatis in publica platea adhuc exstat, ex ære fudisse ; nec non quinque magnitudinis non ordinariæ, quas in ipsa cathedrali ecclesia conspicimus, Jesu crucifixi, B. Virginis Mariæ, S. Joannis Apostoli et Euangelistæ, ac sanctorum martyrum protectorum Georgii et Maurelii : opus vero non illaudabile.

cujus describitur

44 In anteriori parte hujus numismatis relevatur effigies, vultum et totum latus sinistrum una B cum humero et pectore exprimens Joannis episcopi Ferrariensis. Facies emuncta et rugosa est, tonsura omnino regularis adinstar coronæ, vestis ad collum usque ducta et simplex ac paupertatem redolens. Ante pectus parva mitra gemmata cum suis barbis seu vittis varie pendentibus apparet, tamquam ecclesiasticæ suæ dignitatis signum. Potissimum notandum est caput, radiis adinstar diadematis circumdatum. Ex quo liquet, usque de anno MCDXLVI, in quo ipse Joannes obdormivit in Domino, signa sanctitatis et cultus ei præstita fuisse.

et explicatur

45 Hujusmodi characteribus demum totum circumeuntibus numisma in anteriori parte apparet apposita inscriptio, JOHANES EPS, *etc.* Quæ verba ita facile interpretari possunt : « Joannes » episcopus Ferrariensium devotissimus paupe- » rum pro Domino. » *(Non placet ista quidem satis interpretatio : melior apparet quæ sequitur)* Nisi inscriptionem ab illa ✠ exordiri velimus, quod inverisimile non est, et ita legere : » De- » votissimus pauperum pater domnus (seu divus) » Joannes episcopus Ferrariensium. » Sed huic C inversioni obstat vox illa DOMNUS ; quæ de more monachis ac nonnullis tantum regularibus competere videtur ; non vero Fratribus mendicantibus, in quorum familia numerabatur B. Joannes professus, qui cognomine Fratrum unice utebantur. Igitur primam explicationem amplexando, a nomine epigraphen incipiendam ducimus...

pars anterior ;

46 *Nobis, ut dixi, secunda eruditissimi Viri explicatio præplacet :* 1. *Quia Latine non dicitur quis* devotus *vel* devotissimus pauperum, *sed* pauperibus ; 2. *Quia Beatus noster cum viveret, antonomastice nuncupari solebat non* Devotissimus pauperum pro Domino, *sed* Pater pauperum ; *ut hic probat ipse Baruffaldus ex ejus Vita a Joanne Peregrino conscripta cap.* 8, ubi ait, *inquit :* In hoc Dei Viro singulæ virtutes emicabant, tamquam stellæ in firmamento. Inter omnes vero eminebat pietas erga pauperes et miserabiles personas ; ex quo factum fuit, ut PATER PAUPERUM nuncuparetur ; 3. *Quia littera illa* D, *sive* divum *significet, sive* domnum *aut* dominum, *non videtur vel a* Joannis *nostri aut dignitate aut sanctitate, vel* D *a fusoris mente aliena : cur enim minus hic ausus sit eum* Divum *appellare, quam sacro ejus capiti affundere radios, quos solis Divorum imaginibus licet appingere ? Cur etiam* domnus *aut* dominus *dici non potuit Episcopus, tametsi ex mendicantium assumptus familia ? Certe ut alios taceam, Beatus noster nuncupatus legitur,* R. Dominus Johannes episcopus Ferrariensis, *idque in instrumento, per ipsummet et delectos secum in ea causa judices confecto, apud Gregorium Ferrarium part.* 3, *cap.* 13, *pag.* 96. *Denique potuit Marescottus, antequam numisma formaret, legere* Joannis *epitaphium, indeque litteram* D, *nomini ejus, ut ante vidimus, præfixam desumere. Sed audiamus porro virum doctissimum de adversa numismatis parte disserentem :*

uti et facies

47 In postica, *inquit*, parte hujus numismatis visenda apparet effigies ejusdemmet Joannis, genibus flexis, fronte ad cœlum elevata, manibus junctis, et unica tantum veste induti, repositis post terga aliis vestimentis ; adeo ut unica subucula coopertus appareat. Pedes denudati sunt, et non valde distantes sculponeæ ligneæ videntur, quibus tamquam pauper utebatur, licet epi- E scopali dignitate insignitus, numquam ab institutione Ordinis sui recedens ; ut videre est etiam a vestibus (ut diximus) sepositis, quæ non episcopalia indumenta sunt, sed regularia pauperum Jesuatorum, qui cottula ad collum ducta et lato palio operiebantur cyanei coloris.

ejusdem posterior,

48 E summitate capitis hujus Beati insurgit arbor sese effundens et ramis propagans, quæ (ut epigraphe explicanda) pro oliva haberi debet, licet nihil olivæ imaginem præ se ferat. Atque hoc symbolo, seu hac metamorphosi intelligendæ veniunt, quotquot virtutes sub signo olivæ in sacris Libris enuntiantur pro explicatione versiculi illius, Psalm. 51, » Ego autem sicut » oliva fructifera in domo Dei : » a quo loco licet non omnino excerptum sit hoc lemma, sed partim ex Psalterio, partim ex Ecclesiastico, ubi cap. 24 legitur : » Ego quasi vitis fructificavi » suavitatem odoris ; » nihilominus omnia in unum coalescunt, ut significent pietatem, unitatem concordiæ, firmitatem constantiæ, sinceritatem, puritatem conscientiæ et claritatem ; F quæ singula in oliva a SS. Patribus recensentur ad explicationem hujus versiculi, ita ex duobus libris Scripturæ compositi : » Ego sicut oliva » fructificavi suavitatem odoris in domo Domini. »

per V. Cl. Hieronymum Baruffaldum.

49 Radii e cœlo emicantes, qui in superiori parte numismatis ad faciem Beati affluere videntur, gloriæ lumen indicant, et communicationem orationis tanti Viri cum cœlesti patria ; unde illud, quod Deo dici solet ab orantibus : « In orationem meam respice » verificari videtur in nostro numismate ; cum claritas Dei effulgeat in faciem ejus.

Verba illa, MARESCOTTUS F, auctorem seu fusorem hujus numismatis indicant, de quo satis supra dictum est... Denique notæ anni MCDXLVI annum demonstrant, in quo fusum fuit hoc numisma ; qui fuit ipsemet, in quo, ut supra enarravimus, idem B. Joannes obdormivit in Domino. Unde, cultum et venerationem illi præstitam vix mortuo, facile erui potest ad majorem Dei

et

A et Sanctorum ejus gloriam. Et hæc sunt, quæ de numismate B. Joannis de Tussignano, episcopi Ferrariensis, dabam Ferrariæ ex meo museo, Idibus Junii MDCCXXVI, ego Hieronymus Baruffaldus, Nicolai filius. J. U. D., protonotarius apostolicus, et in Ferrariensi studiorum universitate olim sacræ Paginæ; nunc vero humanarum litterarum publicus lector, necnon sanctæ inquisitionis consultor. *Ita ille, qui tale nobis numismatis sui ectypum una transmisit :* AUCTORE P. B.



§ V. Miracula quædam auctoris nostri ætatem consecuta recensentur, ex Paulo Morigio.

Post miracula priora alia contigerunt plurima

P*aulus Morigius Historiæ Jesuatorum lib.* 3, *cap.* 19, *post miraculum, quod postremum ex Ms. nostro dedimus, pauculis interjectis, hæc subdit :* Ego frater Paulus Morigi non possum, cum res sit certissima, quin affirmem, post miracula, quæ ab illius temporis patribus nostris relata sunt, et a Deo per servum suum fidelem B. Joannem de Tossignano patrata, numquam destitisse C Deum optimum ab ipso die, quo illum in palatium suum æternum introduxit, ad hanc usque horam, iis omnibus conferre beneficia, qui cum humilitate ac fide ad hunc Filium suum dilectum recurrerunt. Cujus quidem rei fidem minime dubiam luculenter faciebat ingens numerus imaginum tum sculptarum, tum pictarum in tabellis, præter copiam magnam cereorum, mapparum, variorumque anathematum argenteorum, quæ in oratorio sancti Hieronymi Ferrariensi (ubi sacrum ejus corpus quiescit) affixa, servata, auctaque fuerunt usque ad annum MDLXXIII.

usque ad annum 1575 *et ultra;*

51 Quo tempore cum loci ejusdem prior esset P. F. Ludovicus de Campis e Castello sancti Felicis in agro Mutinensi, motus ille pietate et frequentia populi, qui, dum anno MDLXXI terribiles illi terræ motus agitarent Ferrariam, [eo confluebat;] jam dictum oratorium laxari extendique jussit; tum depingi totum atque exornari per fratrem Benedictum Brixianum. Unde coactus fuit picturas omnes statuasque tollere, ne impedimento essent historiæ Vitæ ac miraculorum hujus Sancti, ut modo cernitur, circumdu-cendæ. Imo etiam nunc binas ibi tabulas majores videre est, diversis ex argento anathematis opertas, beneficiorum, personis variis a Deo per gloriosi hujus Sancti merita præstitorum, testes : unde prodigia in dies nova reteguntur.

sed neglecta turpiter, præter paucula, quæ sequuntur.

52 Quod si priorum, qui huic monasterio per intervalla præfuerunt, tanta in explendo munere suo cura fuisset, quanta fuit eorum in hac re negligentia; legerentur enimvero in hoc opere, quod ad novam modo formam reduximus, miracula, quæ per Filium hunc sibi tam carum operatus est Dominus, quam plurima. Quamobrem monendos eos duxi; idque evici tandem, ut annis aliquot præteritis paucula saltem scripto prodigia consignaverint, quæ nunc proferentur; ut liquido pateat, nullum fuisse tempus, quo F Sancti nostri clientibus non subvenerit Deus : id quod conjicere etiam pronum est ex frequenti ægrotantium affluxu, quorum dum alii Viri hujus sancti annulo episcopali, alii flagello, quo in se olim ipse sævierat; non sine studio ac fiducia obsignari se postulant, sanitati restituuntur. Itaque optandum esset, ut monasterii priores librum compingerent, excipiendis, quæ quovis die per Sancti merita divinitus accidunt, rebus mirabilibus unice destinatum. *Sequuntur nunc sigillatim notata quædam miracula.*

Agricola desperatam valetudinem recuperat anno 1566.

53 Haud procul Ferraria pagus est, Laguselllum * vocant; ubi agricola quidam habitabat, nomine Maurelius Carretta, gravissimo cruciatus morbo, ideoque humano auxilio a medicis destitutus, quod adhibita tot illi remedia nihil profuisse viderent. Invaluerat autem usque adeo misero malum, ut ex latere dextro inutilia jam ipsi essent membra prorsus omnia. Is vero cum de hujus beati patris nostri Joannis Tossignani crebris miraculis iuaudisset, eumque divinis in dies bene-

* *alias* l'Agusello

AUCTORE P. B.

beneficiis inclarescere; illi se multa cum fiducia pietateque commendavit; atque e domo sua deferri se jussit ad ecclesiam nostram; tribus enim ab urbe milliaribus aberat. Ut locum hunc attigit, deponi se super B. Joannis sepulcro imperat; tum enixe flagitat admoveri sibi annulum pontificalem ceterasque Beati reliquias. Applicuit eas libenter ac pie frater Hieronymus Bononiensis, qui sacrario præerat, vir ad hoc officium perquam idoneus. Æger vero, actis Deo ac beato Joanni gratiis, domum relatus est. Neque prius ad eam pervenit, quam senserit aliquanto sibi melius esse, uti de se ipse asseruit. Itaque sequenti biduo mane ad ædes ejus duo e fratribus nostris excurrere, sacris illum reliquiis muniturі; frater scilicet Sanctius, Placentinus, et frater Placitus, Salodiensis. Nec multo post tempore pristinam valetudinem consecutus, ad ecclesiam nostram rediit, ad persolvendas divinæ majestati de reddita sibi per merita B. Joannis priori sanitate gratiarum actiones. Factum id est
B anno MDLXVI, die VI Octobris.

Dirupta pectoris vena sanatur anno 1577.

54 Anno autem MDLXXVII in monasterio reverendorum patrum ad S. Mariam de Consolatione, Ordinis Servitarum sacerdos erat junior, dictus frater Prudentius, Mantuanus; cui rupta fuit vena in pectore; unde copiosum ex ore sanguinem emittebat. Opem igitur beati nostri Joannis implorat, rogatque iis se signari reliquiis, quibus advenæ promiscue consueverant. Factum id per triduum a sacrista, qui ad illum tempore matutino se conferebat: utque divinæ majestati placuit, brevi æger incommodo liberatus est. Is porro pro singulari sua pietate huc ad aras facturus venit, manuque propria miraculo fidem fecit in hæc verba: » Ego, frater Prudentius, affirmo, » me per votum, opitulante Dei gratia, convaluisse ex infirmitate gravi sanguinis, qui mihi » ob ruptam pectoris venam promanabat ex » ore; postquam B. Joanni de Tossignano me » devovissem, hic Ferrariæ in conventu patrum » Jesuatorum.

» Ego frater Prudentius Carnesali, Mantuanus, Ordinis Servorum B. Mariæ, affirmo » quod supra. »

C

Laterum doloribus ac dæmone liberati.

55 In vico, qui Spinellus nuncupatur, hic Ferrariæ magister Baptista Finus gravi lateris dolore tortus decumbebat. Cumque accedere ad ecclesiam ipse non posset, adivit illum sacrista, domique suæ obsignavit reliquiis; cum, ecce, divina gratia ac meritis B. Joannis doloribus æger exsolutus est.

Coriolanus quidam, cui nomen Bigus Campana, filiam habebat unicam, cui nomen indiderat Diamante, vexatam a dæmone: quo cum per merita B. Joannis liberata esset, Sacrum cum cantu musico ad honorem B. Joannis celebrari curavit.

Item alius, nomine Gaspar Bacelliero, sutor, qui Ferrariæ habitabat in vico, dicto di Bellaria, acutissimis lateris dextri doloribus annos jam sex urgebatur. Votum hic Deo ac beato Joanni nuncupavit, venitque ad ecclesiam nostram, et tertio consignari se curavit annulo ejus ac disciplina; atque ita per misericordiam divinam ægritudine sua liber evasit. Bina subinde Sacra offerri voluit, Deo gratias agens, ob restauratam per merita famuli ejus B. Joannis, quam desideraverat, sanitatem. D

Incommoda pedum, genu, capitis, catharri depulsa.

56 M. Obizzo Nigrisolo, qui ad viam majorem habitat, cum ita laboraret ex pedibus, ut eos ne demittere quidem posset in terram, invocato ardenter B. Joanne, omnino sanatus est; atque ad beneficii tanti memoriam duos ex argento pedes obtulit.

Julia, filia Dominici Baglioni, vicum incolens, quem appellamus Centoversori, ex altero genu dolebat. Post multos cruciatus convertit se ad B. Joannem Tossignanum, ejusque meritis evasit incolumis.

Baptista Gentile, tinctor, habitans ex adverso portæ S. Petri, acerbissimo capitis dolore annis omnino septem continuis exercitus; postquam episcopali B. Joannis anuulo obsignatus fuisset, perfecte, ut ipse quidem Baptista testatur, convaluit.

Avunculum quemdam meum, nomine M. Alfonsum Falatti, catarrhus oppresserat non sine gravi incommodo; cum narrari audiens mirabilia, quæ per beatum Joannem nostrum Deus operabatur, hoc inspirante, illi se commendavit: E atque ad Domini gloriam hæc ab eo molestia depulsa est.

Phrenesis, et crurum morbus curantur;

57 Cum Bartholomæus dal Bon, incola Sammartinæ *(locus est Ferrariæ vicinus, qua Meridiem inter et Occidentem respicit, vulgo* Belvedere *dictus ob amœnum prospectum)* apud palatium domini D. Alfonsi Atestini, phrenesi correptus, mentisque prorsus impos, atque a medicis omnibus pro desperato relictus, eo devenisset, ut præter solam mortem, nihil illi superesse videretur; instinctus a Domino Deo pater ejus, divinæ majestati juxta ac B. Joanni vovit, adducturum se dictum Bartholomæum ad Beati sepulcrum. Vix hic paternis ulnis superimpositus, atque annulo Beati episcopali consignatus erat, quando subito habere cœpit melius; ac post dies viginti eo malo penitus caruit, quo fuerat adeo bimestri toto conflictatus, ut nihil jam in eo nisi mortis imago inesset. Porro ad referendas benignissimo Deo ac B. Joanni gratias, ad hujus aram Sacrum, concinentibus musicis, decantari curavit. F

Bernardino di Campi, qui apud Casaliam *(pagus est ad Padum, quinque circiter milliaribus versus Septemtrionem Ferraria distans)* habitat, affecta graviter erant crura. Huc ergo delatus et in hoc nostro S. Hieronymi monasterio hospitio exceptus, B. Joannis patrocinio commisit sese; et postquam annulo ejus pontificali signatus fuisset, miseria jam dicta detersa est. Ipse vero binos pedes argenteos, animi devoti testes, suspendit e tholo.

item febris et prava oculorum affectio, anno 1579;

58 Notatur, quemadmodum per merita B. Joannis Tossignani, pestifera febre liberatus sit Antonius Maria Finottus Ferrariensis, pictor, simulque ejus filiæ arthritici dolores exempti. [Nimirum] uxor ejus Sancto Dei voverat afferre cereum unius libræ, unamque præterea candelam; quæ cum ad sepulcrum B. Joannis offerret, ego illam annulo episcopali admoto obsignavi, qui sum frater Josephus de Sanctis, Ferrariensis, nunc sacrario præfectus. Factum id est die XII Januarii, anno MDLXXIX.

Ber-

A Bernardino M. Hieronymi Cantugi Ferrariensis, ad portus S. Stephani in eadem urbe habitantis, filio sublata est affectio oculorum, per quam et lucem videre non poterat, et lacrymabatur assidue. Quare B. Joanni voto se mater ejus obstrinxit, exsolvitque induendo filium habitu nostro, atque ad ejus altare Sacrum unum indicendo. Et, ego frater Josephus Ferrariensis eam annulo ac disciplina consignavi, idque die xxx Januarii, anno MDLXXIX.

uti et membrorum stupor, et morbus incurabilis anno 1581

59 Cum domicella Romana, filia M. Peregrini Sivieri, cujus ædes adjacent ecclesiæ S. Stephani hic Ferrariæ, a medio corporis ad pedes usque obriguisset, applicita sunt ipsi mane per dies tres annulus ac disciplina B. Joannis, cujus meritis vigori pristino restituta est; venitque post dies octo ad ecclesiam; ubi debitas egit gratias, et Missam unam ad ejus altare celebrari mandavit; me fratre Josepho, Ferrariensi, præsente, die XIX Maii, anno MDLXXIX.

Anno MDLXXXI, die XXVIII Aprilis mulier Lucia de Bonis, Ferrariensis (quæ duabus quotidie B horis, idque per dies quindecim, [quasi] mortua erat, et a medicis derelicta) cum e vicina quadam sua didicisset, restauratam illi ope B. Joannis fuisse sanitatem; concepto et ipsa voto, eidem Beato se commendavit, nec dispari eventu: nam annulo episcopali aliisque reliquiis per triduum mane signata, tertio die liberam omni prorsus malo se sensit; statimque Missam ad aram Beati imperavit offerri. Atque ego frater Joannes Baptista, Ferrariensis, ei reliquias admovi, testibus, qui aderant, Nicolao tinctore cum Claudia conjuge sua, multisque vicinis e vico S. Mariæ Servorum. Præter hæc tamen in dies nova sancti hujus Viri Dei miracula et beneficia elucescunt, Ferrariæ notissima universæ. *Hactenus Morigius.*

§ VI. Miraculum insigne, ab auctore nostro et Morigio ignoratum; item alia recentiora, ex Scalabrini monumentis et Vita Ferrarii.

C

Miracula plurima notata vidit Scalabrinus in antiquo libello,

Ad calcem Vitæ et Miraculorum, denuo, ut monui, ex autographo auctoris nostri descriptorum, hæc in annotatis subjicit Scalabrinus: Præter allatas gratias et miracula, quæ Deus ob servi sui Joannis merita fidelibus concedere dignatus est, adest in archivio R. R. Fratrum Carmelitarum Excalceatorum libellus vetustus, in quo antiqui religiosi Jesuatæ familiæ conscribere soliti erant nomina et agnomina illorum, qui ab Omnipotenti per intercessionem B. Joannis a morbis liberati, aut a dæmone vel maleficiis in oratorio S. Hieronymi et super sepulcrum ejus expositi, sanitatem et libertatem meruerunt. Et, ne legentibus fastidium afferam, solum attestor, me in dicto libello plusquam centum invenisse, qui attestantur, B. Joannis meritis a morbis, dæmone, et periculis fuisse liberatos; in fidem cujus liberationis varia votorum genera tam cerea quam depicta ad sepulcrum beati Viri contulisse, nec non super ejus altare, quod in antiquo oratorio exsistebat, Sacrum in gratiarum actionem Deo ob merita beati Episcopi contulisse per sacerdotum manus. AUCTORE P. B.

61 Inter hæc, pauca, quæ mihi digna recenseri visa sunt, annotabo; et unum inter reliqua antiquius, exaratum in charta papyracea characteribus antiquis, convenientibus initio seculi decimi quinti *(haud dubie dictum voluit* decimi sexti, *ut per se patet,)* cui subscriptio sermone Italico materno ita adnotata est: « N. 5. Scheda » hæc reposita est in capsula, in qua recondita » est supellex B. Joannis: et idem, quod in hac » continetur, scripsi in libro sacristiæ, hoc est » in libro gratiarum et votorum. » *Erat hoc Italice* manu Jesuati alicujus religiosi, credo, superadditum; intus tamen hæc de verbo ad verbum exarata sunt:

eorumque antiquissimum unum in scheda peculiari;

62 D. Constantia, Martini de Prosperis uxor, cum quatuor jam peperisset femellas, tandem divina favente gratia, masculum filium peperit, nomine Bernardinum; quem, ut a se multo tempore peroptatum, intime diligebat. Accidit, quod circa dicti pueri ætatis suæ annum tertium ipse infirmaret, absente patre, nec ulla medicorum ope convalesceret. Una die in crepusculo est examinatus; adeo ut dicta ejus pientissima mater gravi affecta dolore, jam manum ad os et oculos pueri, qui minime respirabat, ut eos clauderet pro mortuorum more, imposuerit. Dum hoc autem perageret, audiens tintinnare ad ecclesiam S. Mariæ Servorum signum angelicæ Salutationis, recordata est de intemerata Virgine ac de beatissimo episcopo Joanne de Tossignano, quem pluries in proximis annis decursis viderat, divinosque ejus sermones audiverat. Unde devote genuflexa, ac facta lacrymabili oratione, dictum ejus filium ex corde ipsi misericordissimæ Virgini commendavit, eumque vovit prædicto beatissimo antistiti Joanni, ut, si filius ipsi redderetur incolumis, ceream statuam pro pueri magnitudine ad Jesuatorum oratorium, ubi depositum est ejus beatissimum corpus, apportaret. E

de puero per invocationem B. Joannis

63 Quibus peractis, quamvis per satis [longum] temporis spatium ipse puer immotus et absque ullo halitu permansisset, continuo respirare cœpit; convaluitque divina miseratione ac meritis beatissimi Episcopi apud Deum et ineffabilem Virginem. Quæ omnia venerabilibus Patribus oratorii nostri attestata fuit dicta domina Constantia, ac votum suum adimplevit; et pluries imposterum semperque ipsa, dum vixit, et filius, prædicti beatissimi Episcopi devoti exstiterunt. *Ita Scalabrinus ex scheda laudata. In margine vero hæc observat:* Bernardinus Prosperæ familiæ decus fuit, pro serenissimo Alphonso, primo hujus nominis Ferrariæ duce, apud serenissimam Venetorum rempublicam nuntius residens, et in administrandis principis sui rebus laudatissimus de anno MDXIV, *etc. Antiquum ergo hoc miraculum auctoris nostri scriptionem antecessit; ac proinde mirum est, ab illo, ac deinde etiam a Morigio, fuisse præteritum. Habet tamen illud quoque Ferrarius part.* 4, *cap.* 6. *Sed pergamus cum eodem Scalabrino ibidem:* F

a morte revocato non diu post obitum ejusdem Beati.

64 Die XIII Maii MDCIV Jacobus Marcati, de Lacu majori, a dæmonibus obsessus, ductus est super sepulcrum, in quo reconditum est corpus

Dæmoniacus liberatur anno 1604

beati

AUCTORE P. B.

beati Viri. Nec per conjurationes exire voluerunt, donec ipse vovit, se vestiturum habitum B. Joannis. Et in signum quod exissent, ex ore projecit tres soleas equinas, quæ etiam nunc cum anathemate depicto videntur appensæ in oratorio. Testes fuerunt frater Georgius a Ferraria, qui eum annulo pontificali beati Viri obsignavit, et F. Petrus de Luca, F. Franciscus Ferri de Ferraria, F. Gratiosus conversus de Ferraria, Joannes Barozius et Gotardus Prosi, de Lacu majori, Joannes Dominicus Casa nova et Matthæus Motta, de massa Phiscalia. Massa *Ferrariensibus pagus est aut vicus, ut patet ex Pigna Historiæ Atestinorum lib. 3, pag. 171, ubi voeis hujus etymon derivat a* mansis, *quæ villæ sunt cum certa agri portione.*

Ab anno 1612 usque ad 1655 notata miracula quadraginta septem,

65 *Gregorius Ferrarius, postquam miracula plura cum ex Actis nostris, tum ex Morigio desumpta, et a se ad certas classes reducta descripsit, ita prosequitur part. 4, cap. 8 sub finem :* Præter hactenus nominatos, partim obsignatos reliquiis, partim Beati meritis per orationes commendatos, B scriptos reperio, qui usque ad annum MDCXI variis morbis aliisque miseriis levati sint, quadraginta duos ; scriptos, inquam : nam alii sunt innumeri. Ab anno autem MDCXII usque ad præsens tempus *(puta annum circiter* 1655, *quo Vitam illam excudebat)* præter eos, qui notati non sunt, diversis erepti calamitatibus numerantur homines septem et quadraginta.

Sigillatim vero Christophorus quidam Gentilis manu propria fidem facit anno MDCXVII, post votum Beato factum, liberatum fuisse se erysipelate letifero in capite.

Ludovicus Morelini anno MDCXVIII immedicabili ac mortifero affectus malo, voto edito, ad Beati sepulcrum adreptat, ibique Sacrum recitari curat; ac mox incolumis domum reversus est, relictis ibi, quibus innixus venerat, baculis subalaribus.

Maria Porta, Mutinensis, malo vexata, quod mamillam simul et fauces affligebat, atque artem eluserat medicorum omnem, emisso voto, mox incolumis, Beati opem experta est.

Non legimus etiam alibi, quod idem refert part. C 4, *cap.* 6*:* Puella, *inquit,* dies tantum octo et quadraginta nata, cum haustum ex uberibus lac regereret, moritura jam erat, quando per patris sui Philippi Joannis votum invocato Beati patrocinio, diductis mox labellis mamillas appetiit, avideque exsugens, ad vitam quodammodo revocata est.

et quædam sigillatim inter ea narrantur.

66 *Idem part.* 4, *cap.* 10 *prosequitur patrocinium Beati adversus infestationes dæmonum, cujus testes appellat ipsos oratorii ejus parietes, obtectos, ut ait, tabellis et votivis cujusvis generis anathematis, imo et rebus ejusmodi præstigiosis, quas eructare miseros, quorum possidebant corpora, spiritus maligni coegerant, cum ad hoc sepulcrum adacti fuissent. Quin ibi etiam exclamantes illos audiri sæpius narrat,* se a Tossignano, se a Joanne torqueri. *Tum subdit exemplum memorabile, quod contigerit anno* 1652 *in hunc modum :* Francisca Alberti, uxor Joannis Ferri, Lotharingii, a dæmonibus occupata, cum nihil in patria subsidii reperisset, cum conjuge in Italiam venit ; Romam adiit ; ædem invisit Lauretanam, aliaque loca pia spe opis inveniendæ circumcursavit ; neque sic eam tum tamen obtinuit. Ferrariam ingressa tandem, ubi primum de miraculis B. Joannis inaudiit, confestim ad sepulcrum accurrit ; ibique precibus infernos hospites e corpore demum exturbavit. Atque hujus quidem beneficii memor, vix, dum Ferrariæ substitit, avelli se a Beati monumento passa est. Rei vero huic quinque astitere testes, qui eam subscriptis nominibus confirmarunt.

Mulier veneficiis eximitur anno 1656.

67 *Redeo ad Scalabrinum, qui his adjecit posteriora loca citata :* XV Januarii MDCLVI in ecclesia S. Hieronymi de Ferraria, Cassandra Manegati de villa Mansorum S. Jacobi, ab immundo spiritu oppressa, ac malis necromantiæ artibus circumventa, ita ut mortifero morbo laboraret, super sepulcrum B. Joannis constituta, cum se magno stomachi dolore opprimi sentiret, a F. Hieronymo de Bononia cum annulo episcopali benedicta, ferrum ex ore projecit, id est clavum equinum, et illum magnis viribus evomuit ; et alium majorem clavum de pectore traxit, ac statim incolumis meritis beatissimi Episcopi evasit. Testes hujus rei subscripserunt evidentiæ prodigii Franciscus Borsetti, et Nicolaus Leccioli. E

surdus subito sanatur 1661;

68 Die IX Maii MDCLXI, Andreas Natali, de Carpo territorii Mutinensis, accessit ad ecclesiam S. Hieronymi civitatis Ferrariæ, et coram multis testibus, quorum nomina scripta sunt propriis cujusque characteribus, etiam juramento interposito, quatenus opus sit, se signo crucis subscribendo confessus est et attestationem publicam fecit, se meritis B. Joannis de Tausignano a gravi nativo auditu liberatum esse. Statim ac, tribus circiter annis Ferrariæ moram trahens, et de miris gratiis, intercessione B. Joannis a Deo indigentibus concessis, habens in dictum B. Joannem magnam fidem, super ejus sepulcrum sibi aures cum annulo suo pontificali signari fecit, et statim auditum recepit. Quapropter modo ad agendas gratias accessit ; cum prius domesticis involutus negotiis venire non potuisset. Testes fuerunt Joannes Gualbertus Lambardi, Paulus Rescio a Venetiis, Georgius Mattoni, et frater Felix Flaminius a Monte Falco vicarius et sacrista, qui eum jam obsignaverat surdum, nil penitus audientem, et nunc auditu F sanum perfecto.

item paralyticus 1662;

69 Die X Augusti MDCLXII, Joannes Anovi de villa Laguscelli prope Ferrariam ad tria milliaria, paralysi oppressus, ita ut in minima parte sui corporis volvi posset, se vovit B. Joanni, et super currum ductus est ad ecclesiam S. Hieronymi ; et ope ac auxilio ductorum hominum a curru levatus, et sedili impositus, missus est super lapidem sepulcralem B. Joannis ; ubi cum annulo episcopali beati Viri benedictus, melius habuit, et domum reversus, votum innovavit cereum promittendo B. Joanni ; et statim a sedili, in quo pene sepultus erat, surrexit, et domi ambulare cœpit : et die supradicta, nemine penitus auxilium præbente, ad adimplendum votum et ad agendas gratias, venit ; fidemque fecit de accepta gratia, testibus adhibitis.... Bertoldo, et Alphonso Gallo.

uti et brachiorum ac pedum usu privatus 1663

70 Die XIV Septembris MDCLXIII, Joannes Maria Capucius Lugensis in Romandiola ducatus Ferrariensis, per octo menses jam brachiis et cruribus

A cruribus debilitatus, ita ut nihil agere posset, amicorum persuasione modo, quo potuit, se ducere fecit ad ecclesiam D. Hieronymi de Ferraria; et ingressus * ecclesiam, ac B. Joanni se commendans, omnes cessavere dolores; et manus statim adhibere potuit. Quapropter gratias Deo liberatori, et B. Joanni intercessori agit maximas; et hoc coram testibus Joanne Baptista Callino, et Mariano Brutura.

* *lege* ingresso, *etc.*

Hæc de miraculis, quæ cum omnia translationem beati corporis, imo et exstinctionem Ordinis Jesuatici antecesserint, restat ut de his nunc aliquid adjungamus.

§ VII. Veneratio Beati Ferrariæ apud successores Jesuatorum post exstinctum Ordinem; translatio solennis reliquiarum ejus; lectiones, et oratio propria.

Exstinctis Jesuatis anno 1668 succedunt primo sacerdotes seculares,

B De B. Joannis *sepulcro in oratorio S. Hieronymi diximus supra* § 4, *num.* 39, *uti etiam de ejusdem oratorii laxatione novoque ornatu* § 5, *num.* 51. *Suppressa deinde per Clementem PP. IX anno* 1668 *Jesuatorum Religio fuit, distractique in bellum Creticum eorum fundi; religiosi vero ipsi migrare alio ac privatim agere jussi; et Ferrariæ quidem* anno MDCCXXVI, *inquit Scalabrinus,* viam universæ carnis ingressi sunt RR. DD. Georgius Posati et Innocentius Casa nova J. U. D., Ferrarienses, ætate longævi, olim in Ordine Jesuatorum professi, nullis aliis Religionis sublatæ in hac civitate relictis superstitibus sociis. *Ceterum hac Ordinis subversione de cultu Beati nihil quidquam decessit: nam, ut in compendio Vitæ pag.* 20 *scribit Baruffaldus,* exauctorata Jesuatorum Religione, remansit eorum ecclesia cum conventu Ferrariensi aliquamdiu commendata sacerdotibus secularibus; qui debita veneratione sacrum illud corpus asservantes, supplicibus aditum præbebant eadem, qua prius, ad sepulcrum ejus frequentia concurrentibus; neque crebra defuere miracula.

deinde Carmelitæ excalceati anno 1671, a quibus nova ecclesia condita anno 1712,

C 72 Anno MDCLXXI, *inquit post eumdem auctorem Scalabrinus in annotatis,* ecclesia et conventus S. Hieronymi concessa sunt PP. Carmelitis excalceatis S. Teresiæ; sub quibus eadem devotio et cultus sancto corpori præstita sunt: et ad benedicendos infirmos cum annulo suo pontificali ac bireto sedulo vocati erant: et meritis Beati multi pristinæ sanitati restituti sunt. Sub quibus crescente devotorum cultu, novum divo Hieronymo, Josepho, et Teresiæ templum excitatum est super viam, qua itur ad D. Francisci templum, vires suppeditante hereditate nobilium de Consumatis: quod apertum est die X Aprilis anni MDCCXII. Quo anno eminentissimus Thaddæus Cardinalis de Verme, episcopus Ferrariensis, timens sancti corporis negligendam venerationem, die XIX Augusti auxilio R. P. Emilii Mariæ a S. Teresia Bononiensis, conventus ejusdem Prioris, et domini doctoris Francisci Justini, medici anatomici, ac Caroli Quercii, ejus cancellarii, sacrum corpus de veteri sepulcro, in ossa resolutum propter aquarum insultationem, eruit; ac in capsula plumbea collocavit sigillis munita; quam includi fecit in nobili mausoleo cypressino. Die XIX Octobris ejusdem anni MDCCXII, indicta totius cleri cathedralis supplicatione, a veteri ecclesia in novum templum asportatum est, cereis luminibus accensis, ac in sacello subterraneo depositum. *Hæc ibi Scalabrinus; qui tamen de hac translatione fusius agit in alio scripto Italico, quod Latine sic sonat:*

AUCTORE P. B.

ad quam eodem anno

73 Anno MDCCXII, die XIX Augusti, mane hora duodecima *(ab occasu solis more Italico numerata)* contulit se eminentissimus D. Cardinalis de Verme ad conventum S. Hieronymi; portamque subiens, quæ ad veterem ducebat ecclesiam, nobilium suorum comitatu omni ac familia dimissis, ac solis dicti conventus monachis stipantibus, templum ingressus est, ubi sacro votivo de B. Joanne interfuit. Deinde absolutis precibus, adstantes abire omnes voluit, præter D. Carolum Quercium cancellarium episcopalem, D. doctorem Franciscum Justinum medicum anatomicum, D. Joannem Dominicum Tenanum, conventus notarium, P. Emilium Mariam a S. Teresia Priorem, P. Gervasium a Jesu suppriorem, P. Ludovicum Mariam a S. Bernardo, P. Carolum Franciscum a Conceptione, conventus discretos: et accersitos fratrem Antonium et fratrem Joannem Mariam effringere jussit pavimentum Beati sepulcro vicinum qua parte paucis ante septimanis, adstante eodem D. Cardinale, apertum fuerat exiguum foramen sub lapide sepulcrali, quanto scilicet opus erat, ut immitti posset virgula cum præfixo atque accenso cereo ad explorandum sacri corporis statum: quod foramen occlusum deinde fuerat ac sigillis quinque obsignatum; quæ sigilla cum examinasset in hac functione, et intacta comperisset jam dictus cancellarius, rem publicis officii sui tabulis consignavit. E

B. Joannis ossa,

74 Variis post hæc accitis cæmentariis, omne circum tumulum dissolvi pavimentum D. Cardinalis imperat. Quo peracto, ac remoto majori lapide, patefactum est sepulcrum, et in eo parietes tres exigui et humiles, ad arcam Beati sustentaudam compositi. Sepulcri area cocto lapide strata erat; et super eam extensa jacebant Beati ossa, circumque haud multum pulveris, qui aliud esse non poterat, quam ipsa Viri sancti caro, arca, et vestes, temporis diuturnitate resoluta. Et arcæ quidem aliquot supererant frustula, sed instar membranularum tenuia. Pater Prior jussu eminentissimi Cardinalis in sepulcrum descendit, et acceptum cum reverentia Beati caput domino Cardinali obtulit, qui illud in paratam ibi capsam plumbeam repositum incensi thuris honore perfudit. Tum P. Prior reliquum Beati corpus per singula seorsim ossa pergit educere atque in manus tradere domino Cardinali, examinante singillatim omnia D. Justino ac propriis compellante nominibus, eaque in elenchum authenticum referente cancellario. F

e veteri sepulcro eruta

75 Idem P. Prior ossicula minuta omnia quæ reperiri in pulvere poterant, diligenter inquirens, eo loco, in quo manus quieverant, episcopalem invenit annulum, ex auro affabre factum et rubino, ad modum cordis elaborato, insignem. Cum eruta essent ossa omnia, per D. Cardinalem et memoratum anatomicum imposita sunt ordine singula

AUCTORE P. B.

singula loculo plumbeo in substrato gossypio, geminaque tela, gossypina videlicet et linea tenui, a præfato Cardinale cooperta; atque ita demum occlusum operculo suo receptaculum plumbeum, duodecim sigillis munitum est. Arcam cypressinam colore distinctam æreo, quæ thecam plumbeam continebat, seris duabus et una clavi obseravit P. Prior. Exinde religiosi quatuor, jubente eminentissimo domino Cardinale, arcam ad majoris aræ gradus detulerunt, accensa istic lampade usque in diem illum, quo ex ecclesia veteri ad novam instituta translatio est. Cæremonia hæc ab hora duodecima ad primam usque nocturnam protracta fuit. Tantum vero in ea P. Priori detulit eminentissimus Cardinalis, ut ejus manibus exprimi sigilla voluerit; quin et annulum illum aureum ei concesserit una cum Beati digito, ut argenteo, quod supplici populo deosculandum offerri consueverat, brachio utrumque insereret.

translata sunt die 19 Octobris,

76 Die XIX Octobris, anno MDCCXII, post meridiem sacri corporis translatio ex antiqua ad novam ecclesiam, die X Aprilis ejusdem anni primum apertam, peraeta est, et quidem solenniter ac per plateam publicam, confluente cum ardentibus cereis ingenti civium multitudine. Gestabat sacras exuvias, arcæ jam dictæ inclusas, clerus cathedralis ecclesiæ, ex quo alii per vices aliis succedebant, sequente Eminent. D. Cardinale, capitulo, et parochis civitatis, qui accensis omnes facibus instructi erant. Cum ita perventum esset in ecclesiam, in ejus medio, super altari insigni et magnifice adornato, sacrum onus tantisper deposuere bajuli, donec decantatus esset a musicis hymnus Te Deum; quo absoluto, collocatum fuit in sacello subterraneo, ad eam rem in media ecclesia constructo una cum altari, in quo celebrari consueverunt divina mysteria. Post hæc decantatæ sunt, assistente D. Cardinale cum capitulo, Vesperæ.

B

non sine magna solennitate,

77 Postridie, feria quinta, coram Eminentissimo Cardinale et reverendissimo capitulo celebratum est cantu solenni Sacrum de Beato votivum a D. Horatio Scalabrino, ecclesiæ cathedralis archipresbytero, atque ad eumdem modum a meridie Vesperæ. *(Omittit hic auctor noster, quod in breviori narratione Latina notaverat, nempe :* Inter solennia [*matutina*] per religiosum excalceatæ familiæ encomia beati Viri populo sunt pronuntiata, ac ad ejus devotionem audientes accensi.) Res etiam erat observatu digna, quod, cum antecedentibus diebus multum pluviæ decidisset, essetque dies ipse, quem translationi destinaverant, adeo nubilus, ut dubitatum fuerit, an omnino institui tum celebritatem illam expediret, ut primum tamen susceptum erat in humeros depositum sacrum, sublatis continuo nubibus, sudus ac serenus aer apparuerit, aspirante solis, ne quid ad solennitatis splendorem deesset, jucundissima luce.

C

et reposita in augusto sacello subterraneo.

78 Supplicantium eleemosynis, et oblationibus civium, atque imprimis industria memorati patris Pauli Francisci a Conceptione sacellum, quod dixi, subterraneum exquisito prorsus ornatu ex marmore pretioso decoratum est, cum gemino ad illud per gradus descensu, ac statuis quatuor, quæ virtutes totidem exhibent cardinales, imposito desuper lapide, qui sepulcrum Beati antiquum in ecclesia veteri operuerat; cuique insculpta visitur ejus tamquam cubantis effigies, manibus ad modum crucis in pectore decussatis, amictu pontificali, mitra, pedo, casula, ad humeros more antiquo, quem nunc etiam Græci servant, multum complicata, tunicellis, chirothecis, sandaliis instructa. Sub pedibus charactere Gothico memoria legitur depositionis ejus : HIC JACET, *etc. (ut supra* § 4 *num.* 39.*)* In oratorio, quod Jesuatorum antiqua fuit ecclesia, in medio, ubi sepulcrum olim Beati erat, inscripta lapidi leguntur hæe verba : D

D. O. M.
HIC. PER. ANNOS. 265.
JACUIT. CORPUS.
B. IOANNIS. TAUSIGNANI.
EPI. FERRAR.IS

Hujus translationis occasione compositæ sunt, sed non editæ

79 *Huc usque Scalabrinus in laudato scripto Italico ; at in annotatis ad Vitam Latinis addit*, antiquum illud oratorium etiam nunc picturis a vetustate restitutis ornatum esse, *ibique præter exhibitam modo lapidis inscriptionem*, super absidem altaris legi hoc distichon : E

Limina qui templi subeunt tua sancta, Joannes,
Fac subeant precibus cœlica templa suis.

Idem nobis tres lectiones secundi nocturni de Beato proprias, et hujus, opinor, translationis occasione compositas, submisit, de quibus ita præmonet : Compertum est, Cardinalem de Verme claræ memoriæ, episcopum Ferrariensem, jussisse componi lectiones tres Latinas in Officio, quod ecclesiæ Ferrariensi procurare volebat, recitandas. Verum hoc suum desiderium, intempestiva morte præoccupatus, non potuit exsecutioni mandare. Lectiones tamen, quales inter dicti Cardinalis schedas alias repertæ sunt, hic transcriptæ mittuntur. *Tum sequitur hic titulus :* Die XXIV Julii in festo B. Joannis de Tausignano episcopi et confessoris. *Deinde ipsæ lectiones hoc modo :*

per Eminentissimum Cardinalem de Verme, pro Officio B. Joannis lectiones tres propriæ

80 LECTIO IV. Joannes in oppido Tausignani, dicœcesis Imolensis, piis ac honestis parentibus natus, Bononiæ liberalibus disciplinis optime educatus est. Adolescens orationi et abstinentiæ deditus erat ; maximeque in eo enituit castitas, cum mulierum etiam honestarum colloquia devitarit. Post autem a patre divenditum prædium, ut Bononiæ doctoratus laurea insigniretur, Joannes, spretis seculi honoribus, ad Religionem fratrum Jesuatorum se transtulit; ubi variis ac multis a patruo vexatus percussionibus *(lege tamen Vitam cap.* 1, *num.* 15*)* numquam tamen a sancto Religionis proposito dimoveri potuit. Emissis itaque solennibus votis, adeo ceteras virtutes cœpit impensius colere, ut omnium esset admirationi. Ferrariam pro construendo sui Ordinis monasterio missus, ibi multis claruit virtutibus, quibus primarii superiores Ordinis Joannem in Priorem elegerunt Dignitatem, quam coactus acceperat, summa prudentia administravit. *Nescio, unde aliquid sciatur ædificasse* Joannes *Ferrariæ, antequam ibi Prior electus esset.* F

AUCTORE P. B.

A *secundi nocturni.*

81 Lectio v. Multis igitur meritis clarus, cum Ferrariensis ecclesia suo viduata pastore, ab Eugenio IV successorem quæreret, præter omnium exspectationem, et non sine Dei speciali favore Joannes in episcopum electus est. Qui cum in dicto S. Hieronymi monasterio Prioris munere fungeretur, a Nicolao III Estensi accersitus, electionis suæ litteris patefactis, tantam rei novitatem admiratus, episcopatum constanter recusavit; sed ex sumni Pontificis præcepto adstrictus, procerum civiumque precibus cedens, invitus accceptavit. Ecclesiam itaque sibi commissam summa prudentia gubernavit, omnibus omnia factus, ut oves sibi creditas lucrifaceret: nihil enim de pristina vivendi forma immutavit; sed potius severior in seipsum effectus, ferrea catena ad corpus castigandum, durisque sarmentis ad membra nocte refocillanda utebatur. Humilitatis adeo amantissimus fuit, ut ecclesias suæ diœcesis pedester, seu humili insidens jumento, inviseret: charitatis operibus ita deditus, ut pauperum pater, viduarum refugium vulgo diceretur. Xenodochium S. Annæ, aliaque loca pia Ferrariæ instituit. Eleemosynas cum pauperibus distribueret, Christum Dominum in forma leprosi propria veste contegere meruit.

B

in ejus festo recitandæ:

82 Lectio vi. Adeo vitia insectatus est, ut hæreticos, adulteros, usurarios publicos a suo episcopatu tamquam pestem arcere curaverit. Concilio Florentino interfuit. Multa passus convitia a suis domesticis invicta constantia toleravit. De ecclesiæ redditibus ita disposuit, ut omnes in honorem Dei converterit. Sed et Servi sui sanctitatem miraculis Deus testatus est: inter alia enim illud præclarum, quod cum Padus flumen totam civitatem invaderet, Joannis imperio rediit unde defluxerat. Multaque alia mirabilia pro populo suo operatus est. Denique morti proximus, sumpto suæ peregrinationis sacro Viatico, ac extremæ unctionis Sacramento munitus, inter religiosorum choros et omnium lacrymas, animam suavissime efflavit die xxiv Julii, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto. Eum euntem in cœlum vidit S. Catharina, dicta de Bononia. Corpus ejus tunc in oratorio veteri S. Hieronymi, sui Ordinis, sepultum; nunc vero in ecclesia noviter erecta sub eodem titulo S. Hieronymi fratrum Carmelitarum Discalceatorum reconditum, ob plura et crebra gratiarum dona pia fidelium veneratione colitur.

C

ubi et oratio, quæ publice ad sepulcrum exponitur.

83 *Ejusdem translationis occasione impressam typis Ferrariensibus anno* 1712 *antiphonam cum versiculo et oratione accepimus, quæ eadem, teste Palmerio, appensa legitur ad Beati tumulum, in hæc verba:* Commemoratio B. Joannis Taussignani. Ante thronum sanctissimæ Trinitatis, beatissime pater Joannes, sis pro nobis pius advocatus, ut causas nostræ fragilitatis coram Deo sustineas, et veniam peccatorum nostrorum obtineas.

℣. In omni tribulatione, infirmitate, et tentatione nostra succurre nobis, piissime pater Joannes.

℟. Ut per intercessionem tuam Dominus exaudiat petitiones nostras.

OREMUS.

Deus, qui beatum Joannem Taussignanum, confessorem tuum atque pontificem et gemmam Jesuatorum, innumerabilibus decorasti miraculis, præsta, quæsumus; ut omnes, qui implorant ejus auxilium, perpetuæ damnationis sententiam valeant evadere, et bonis operibus abundare, et cum Electis tuis ad æterna gaudia feliciter pervenire, per Dominum nostrum, *etc.* Amen.

§ VIII. Oratio B. Joannis contra exundationes Eridani; ejusdem epistola apologetica ad marchionem Ferrariensem; testamentum ab eodem conditum.

E *Oratio a Beato composita.*

Supersunt nunc monumenta tria, de quibus monuimus in Commentario prævio § 2, num. 16; *Primum est oratio* composita a B. Joanne episcopo, dicenda cum processio pervenerit ad ripam fluminis Padi tempore alluvionis, *ut in annotatis ad Vitam testatur Scalabrinus; ubi et addit:* In archivio ecclesiæ cathedralis Ferrariæ asservatur antiquus liber Ms. in chartis hædinis charactere Semigothico, in fronte cujus inscriptum est: Liber rogationum. Et statim in prima facie *habetur oratio, quam ita exscribit:*

℣. Pone manum tuam, Domine, super nos.
℟. Et libera nos de aquis multis.

Voce mea. }
Afferte. } Psalmi.
Salvum me fac. }

ORATIO

Quam dicit episcopus super pontem.

Domine Deus omnipotens, qui me servum tuum huic populo pastorem elegisti, exaudi me, F
Domine, exaudi: qui mare rubrum divisisti, qui Jordanis fluenta siccasti, cui impossibile nihil est: impera huic flumini, ut oppressionem populo tuo nullatenus faciat: et libera eos in manu potentiæ tuæ, qui se defendere non possunt suis virtutibus: per D. N. *etc.* Postea *(pergit ibidem Scalabrinus)* scriptæ sunt orationes SS. martyrum Georgii et Maurelii, ac sanctæ Crucis; Evangelium S. Matthæi: Ascendente Jesu iu naviculam, etc. usque: Quia venti et mare obediunt ei.

℣. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ;
℟. Vidit et commota est terra.
℣. Pone manum tuam, Domine, super nos.
℟. Et libera nos de aquis multis.

ORATIO.

Ad te, Domine, clamantes, *etc.*

85 *Alterum est epistola ut ibidem diximus, Beati*

AUCTORE P. B.

Epistolæ ejus apologeticæ

ti apologetica, ad Nicolaum marchionem scripta quidem, sed non missa; de qua videri supra meretur Vita cap. 5. *num* 48 *et* 49. *Hujus compendium edidit Italice pridem Gregorius Ferrarius in Beati Vita part.* 3, *cap.* 8; *at nunc integra beneficio Scalabrini profertur; Latine per nos translata, cum* a Joanne *composita sit, ut eam accepimus, Italice; si voculas aut phrases aliquot Latinas excipias, quæ Italico textui ab ipso Auctore permistæ sunt, quasque propterea nos hic litteris majusculis exprimemus, ubicumque occurrent. In versione autem, stylo ac nitore susque deque habito, id solum spectavimus, ut quantum res ferret, non sententias dumtaxat Auctoris, sed phrases etiam et verba sectaremur. Sic ergo scribebat:*

exordium a necessitate scribendi ductum.

86 ILLUSTRISSIME PRINCEPS, POST HUMILES COMMENDATIONES. V. D. Quoniam accusator fratrum et seminator zizaniorum satanas per membra sua eo tendere mihi videtur, illustrissime Princeps, ut in detrimentum caritatis, et nostrum, atque hujus ecclesiæ scandalum, dissolvat inter Dominationem vestram et me, servum B ejus, vinculum pacis; cogor, saltem per litteras (quamquam id verbis coram et libentius præstarem et pleuius) assertione veritatis ipsi vestræ Dominationi satisfacere, certo confisus fore ut, veritate innocentiæ meæ, ac detractorum malignitate perspecta, reddat mihi Dominatio vestra cumulatissime favorem suum, amabilemque suum illum in me vultum denuo serenum explicet.

Diluitur prima accusatio de impactis principi a Beato calumniis:

87 Aiunt INTER CETERA, in publicis ac privatis sermonibus detraxisse me famæ D. V. Supplico illi, ut velit considerare personas, quæ res ejusmodi deferunt, et velit indagare penitus veritatem. Profecto affirmari numquam vere poterit, locutum fuisse me in concionibus meis de D. V. nisi cum honestate et reverentia: eodemque modo cum privatis personis id satago, ut honorem te, teque excusem, si quid accusabile proferatur. Novit Deus, desiderare me Dominationi vestræ, familiæ Atestinæ, ac vestræ civitati omnem exaltationem et gloriam. Et quia nihil possum, amplius. exiguum illud quod possum, facio in infirmis precibus meis; et maxime in officio Missæ specialem semper et intentam orationem in- C stituo pro salute et salvatione Dominationis vestræ, familiæ vestræ, atque hujus vestræ civitatis.

altera de vitio carnali rejicitur per horrorem omnis peccati,

88 Accusatus deinde sum apud D. V. de turpitudine carnali: quandoquidem vero propositio negativa (id nempe verum non esse) probari non poterit nisi per opera et effectus contrarios; divina (qua sola recreor, gloriorque) misericordia fretus, omnino existimo, posse me luculente demonstrare, nefandas illas operationes in me non esse. Et quamvis vita mea infirma sit maxime; Deo tamen gratias ago, qui fecit hanc mecum misericordiam, ut supra res omnes horribiles horrori mihi sit peccatum mortale. Et testis quidem mihi Deus est, conscius arcanorum meorum, cum omni promptitudine electurum esse me potius omnem aliam hujus vitæ miseriam, quam miseriam peccati; potiusque mihi futurum, ut descendat ignis de cœlo, qui me absumat, quam ut me concupiscentiæ carnalis exurat incendium.

89 Scit Deus, quia non mentior; in cujus conspectu loquor, ad cujus tribunal judicandum D esse me certo scio (neque enim post multa pericula tentationesque confiteri erubesco infirmitatem meam:) cum Deum instanter orarem, ut bonitati suæ placeret ab hac ignominiosa passione me liberare, etiam (si sic illi visum esset) per mortem corporalem; obtinui, contra omne meritum meum, et impetravi jam a pluribus annis ab affluentia bonitatis ejus, ut stimulos amplius carnales non sentiam, et sopita atque oppressa somno videatur omnis concupiscentia, tantumque afficiar aspectanda qualicumque venustate corporali, quantum si caput contempler asininum. Scio equidem, protectionis id esse divinæ. Cum manum ille subtrahet, ero ego non homo tantummodo, sed bestia.

et peculiare donum castitatis a Deo concessum,

90 Ignoscat mihi D. V. Vim inferunt mihi detractores mei, ut aperiam atque in lucem producam opera mea, quæ desiderabam ego abscondere, et conspectui tantum divino exponere, cui soli placere desidero, et cui sine fictione servio, quamquam infirmiter, in spiritu meo; id operam dans, ut fructus faciam dignos pœnitentiæ, in E qua dies pauci labuntur, quibus per diviuæ misericordiæ visitationem non plangam ego in amaritudine animæ peccata mea. Plures in anno observo quadragesimas: abstineo ter aut quater in hebdomada.... Vestitus semper dormio in sacco farto stramine: noctu solicite consurgo ad orationem, et ad recitandum Officium meum, precandumque pro populo. Bis in die, si per infirmitatem corporis non impediar, castigo et flagello corpus meum, plerumque usque ad effusionem sanguinis; ut illi testari possent, qui pannos lavant, quos carni proxime applicitos gesto: quin testimonium ipse mecum circumfero in carne propria, contusa, vulnerata, ita ut incedendo graves sæpe dolores sustineam.

et constantes atque asperas corporis afflictiones,

91 Gratias tibi, Domine mi, reddo, qui hanc mecum fecisti misericordiam non propter opera justitiæ meæ, sed per meram tuam bonitatem: scis enim renuntiasse me omnibus hujus seculi voluptatibus, imo et houestis multis solatiis, ut me conformarem passioni tuæ; et propter eam multo magis me delectari SECUNDUM INTERIOREM HOMINEM molestiis et afflictionibus, quam mun- F danis deliciis atque solatiis. Tu scis, eo me vires intendere, ut, sive per viam incedo, sive accumbo mensæ, sive aliud quidvis ago, me de te compleam, semperque te habeam in memoria mea, nec in ea versari permittam cogitationem ullam aut imaginem, qua oculos majestatis tuæ offendi posse intelligam. Rem nullam creatam, non honores, non voluptates, non divitias appeto, sed te solum, Creator mi. Tu nosti; nam donum tuum est, et sic verum est per gratiam tuam; et illud statim amittam, nisi tu serves.

amoremque crucis, et mundi fugam.

92 Propter amorem tuum (quoniam ad hunc locum indignissimus assumptus sum) conatus fui, quantum tenuitati meæ licuit, admonere, reprehendere et corrigere clerum hunc, et hunc populum, et unumquemque in viam salutis pertrahere: nec aliquid umquam faciendum aliis proposui, quod non et prius et posterius observare in me ipse studuerim. Conscius mihi non sum, adhibitæ umquam adversus aliquem calumniæ vel fraudis; numquam suum cuiquam abstuli, mundus omni

Coram Deo et domesticis profitetur innocentiam vitæ.

simonia

A simonia ac dolo. Interrogetur domus meæ familia, omnesque a majore ad minimum usque domestici mei, qualis mea sit agendi ratio. Domine, Deus meus, ne reputa mihi in peccatum, quod sic loquar; neque enim loquor per jactantiam; sed ne blasphemetur in me nomen tuum, et conculcetur religio. Imo vero omnem virtutem meam valde frivolam esse duco (et vere talis est,) ut qui me procul abesse videam a perfectione caritatis, et a spiritus fervore, et a zelo Dei, et a prudentia et sapientia, et a perfectione virtutum, quibus instructum esse me convenit, maxime in hoc statu et gradu dignitatis, qui perfectionem requirit angelicam.

accusatoris malitiam prodit, et sceleris occasionem.

93 Nunc autem levavit contra me calcaneum quidam, qui fuit nuper sacellanus meus, quem ego constitueram dominum domus meæ. Oro Dominationem vestram, ut inquirat in eum, qualis sit. Hic postquam mihi sectas in domo factionesque suscitasset, familiam dividendo, post multa scandala, per impatientiam suam discessit a me. Jure postmodum suo vivens, me per amicos oravit, ut se denuo reciperem. Ubi vidit, me id omnino non velle, erupit in hæc verba: Recipe me. non enim expedit tibi, ut scandalizatus recedam: alioquin tantum tibi scandali suscitabo, ut væ tibi! Et operam dedit insigniter, ut promissum servaret; (Ego vero salutare tuum exspectabo, Domine.) Hujus in eo malignitas apparet, quod non solum vera dicit, sed per corruptas suspiciones suas conficta. Sed nec evangelicæ canonicæque admonitionis ordiuem servat ullum. Ibi malum profert, non ubi juvare possit, sed ubi scandalum pariat in subversionem et offendiculum omnis populi. Sed illum quidem Deus ad se convertat in veritate, culpamque hanc ei condonet. Ego justo sim longior, si per litteras respondere velim calumniis ejus; at enim loco et tempore futurum spero, ut cuivis veritatem attendere volenti faciam satis.

Tertia accusatio de dissipatione bonorum retunditur.

94 Quod ad dispensationem pertinet bonorum episcopatus, supplico Dominationi vestræ, ut aliquem sumptibus meis eligat, qui rationes inspiciat a die, quo in hunc locum ingressus sum, usque ad hodiernum; nec dubito, quin demonstrandum sit tanta claritate, quanta lucis est, expensos per me non esse redditus hosce, nisi in usus legitimos: ut in exsolvenda debita, indictiones, stipendia, ædium instaurationes, eleemosynas, et sumptus quotidianos in victu et vestitu humili, et familia. Quod si contrarium deprehendatur, duriter prorsus corrigi volo.

In Christo Domino feliciter valete.
Illustrissimæ Dominationis vestræ

Servitor comitto *
Joannes immeritus
Ferrariæ episcopus.

* *forte* in Christo, *vel* cum illo.

Testamentum B. Joannis.

95 *Sequitur nunc Beati testamentum; quod mendose admodum descriptum accepimus, credo, quia impervium amanuensi fuerit exemplar quod habuit: nam et in exiguo ejusdem fragmento, quod recitat Gregorius Ferrarius in Vita part. 4, cap. 2, vitia non desunt alia. En ipsum, ut est.*

EX MS

In Christi nomine Amen.

Morte nil certius, ejusque hora nihil incertius. Quid igitur? Omni tempore timenda; et fortius horrenda, dum corpus humanum corporea agitatur ægritudine, cujuslibet providæ mentis *. Ideo sit tibi [curæ] Domino nostro Jesu Christo toto adhærere corde, tuisque de bonis, quibus etiam legitime providi..... corpore languente, dum tamen tibi mentalis rationis adest integritas; denique considerare, disponere; ne tremendi judicii hora intercipiatur incaute.

* *annon* menti?

quo de se bonisque suis disponit:

96 Quæ mente revolvens reverendissimus in Christo pater et dominus Joannes de Tausignano, filius quondam egregii viri Antonii de Tavellis de Tausignano, Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopus Ferrariensis dignissimus, per gratiam Salvatoris nostri Domini Jesu Christi mente intellectuque compos et sanus, licet aliquali corporeo languore gravatus, desiderans, antequam superveniat suæ mortis indicium, de se, suisque de bonis patrimonialibus (cum de bonis ecclesiæ Ferrariensis scit non deberi, neque intendit quidquam disponere, nisi ut infra) suam ultimam dispositionem facere manifestam per hoc suum præsens nuncupativum sine scriptis testamentum, in hunc modum se suaque disponere procuravit, atque disposuit, videlicet. E

animam Deo committit;

97 Imprimis namque animam suam, cum ejus corpus iter universæ carnis extremum assumere consequerit *, in manibus omnipotentis Dei creatoris sui reliquit, eamque sibi humillime commendavit, eum in piissimis precibus deprecando, ut sui misericordia dignetur ipsam recipere, et in aliarum sanctarum animarum consortio collocare.

* *Ferrarius legit* contigerit?

corporis sepulturam determinat;

98 Item jussit, voluit, atque mandavit ipse Testator, post ejus obitus corpus suum recondi et sepeliri debere apud oratorium sancti Hieronymi pauperum Jesuatorum civitatis Ferrariæ; circa cujus sui corporis sepulturam expendi voluit et jussit ipse Testator id solum, quod infrascriptis suis commissariis proficuum esse videbitur ad salutem animæ ipsius Testatoris. F

ecclesiastica bona pauperibus assignat;

99 Item jussit, reliquit, voluit, et mandavit ipse Testator per infrascriptos suos commissarios pro anima ipsius Testatoris de bonis dictæ ecclesiæ Ferrariensis id totum, quod videbitur et placuerit ipsis suis infrascriptis commissariis, dari et distribui debere pauperibus et miserabilibus personis, eligere eos * per ipsos infrascriptos commissarios.

* *annon* eligendis?

pronepotes pauperes successori commendat:

100 Item precibus, quibus valuit, ipse Testator cuilibet suo in episcopatu Ferrariæ legitimo successori, quisquis fuerit, plurimum commendavit Laurentium, et Antonium fratres, filios Andreæ, filii quondam Ignatii, olim fratris ipsius Testatoris; quibus indigentibus principium studendi dedit ipse Testator, dicto videlicet Laurentio in artibus, et rethorica, dictoque Antonio in grammaticalibus, prout de præsenti student; favore opportuno eisdem præbendo, ut auxilio ejusdem successoris in Altissimo concedente ad per-

EX MS.

perfectionem studii sui valeant pervenire, et principiis consentiat exitus, quo nihil gratius ipsi Testatori fieri poterit.

sororem acceptis contentam esse jubet;

101 Item reliquit ipse Testator jure institutionis, et omni alio modo, via, jure, et forma, quibus magis et melius potuit, honestæ dominæ, dominæ Catharinæ, ejus Testatoris sorori, omnia et singula bona, ad ipsam dominam Catharinam perventa, tam ex hereditate paterna, quam materna, et quæ etiam ex donatione sibi facta per ipsum Testatorem, et quomodocumque; jubens ipse * esse tacitam et contentam omni sua parte et portione sibi debita jure nostro, et quacumque alia ratione, vel causa; ita quod nihil aliud habere debeat, vel habeat, aut petere possit in omni de bonis paternis, et maternis, ac ipsius Testatoris.

* *annon* ipsam?

Sacellano suo Breviarium legat;

102 Item reliquit venerabili viro, domino Antonia Stevanelli, capellano ipsius Testatoris, Breviarium ipsius Testatoris pro parte remunerationis servitiorum, sibi Testatori impensorum per ipsum dominum Antonium in præsenti sua infirmitate.

B

eidemque simul et Octavio canonico vestimenta sua.

103 Item reliquit venerabili et egregio viro domino Octavio de Giraldis, canonico Ferrariensi, et dicto domino Antonio, ejus capellano, in remuneratione et pro remuneratione servitiorum, sibi Testatori fidenter et assidue impensorum per ipsos dominum Octavium et dominum Antonium in præsenti sua infirmitate, omnes suos pannos, cujuscumque conditionis existentes, a dorso, et ad usum, et pro usu ipsius Testatoris quomodocumque deputatos.

Testamenti executores designat,

104 Suos autem commissarios hujus sui testamenti executores ad exequendum, et executioni mandandum omnia, et singula in præsenti suo testamento contenta, nominavit, elegit, reliquit, et esse voluit: venerabilem virum dominum archipresbyterum ecclesiæ cardinalis * Ferrariæ, qui pro tempore fuerit; honestum virum Priorem, seu gubernatorem principalem dicti loci pauperum Jesuatorum civitatis Ferrariæ, qui pro tempore fuerit; et eximium atque famosum legum doctorem sanctorumque canonum professorem, dominum Angelum de Fulgineo, ejus vicarium generalem.

* *annon* cathedralis?

C

et instruit auctoritate necessaria:

105 Quibus suis commissariis ipse Testator dedit, contulit, et attribuit plenam et liberam licentiam et omnimodam potestatem, et facultatem cum pleno, libero, speciali, et generali mandato, arbitrio, et alia *; ut sua auctoritate propria, sine requisitione et contradictione alicujus personæ pro plenaria et integra executione omnium et singulorum suprascriptorum, et in præsenti testamento appositorum et contentorum, possint et valeant capere et accipere de bonis ipsius Testatoris, ac etiam de bonis præfatæ ecclesiæ Ferrariensis, singula tam * singulis congrue referendo, de quibus, et pro ut ipsis commissariis melius et honestius visum fuerit et placuerit; et ea bona vendere, et alienare, et pretia recipere, ea de actione cavere usque ad integram satisfactionem et executionem omnium et singulorum suprascriptorum, et in præsenti testamento contentorum ac appositorum.

* *lege* alias

* *an* cum, *an* tamen?

D

heredem universalem statuit Andream pronepotem.

106 In omnibus autem suis bonis mobilibus, et immobilibus, juribus, et actionibus, tam præsentibus, quam futuris, ubicumque consistant et esse reperiantur, patrimonialibus ipsius Testatoris, et etiam ad eum Testatorem perventis, et spectantibus quomodocumque ex hereditate quondam egregiæ dominæ Margaritæ, olim ipsius Testatoris matris, et olim uxoris dicti quondam Antonii de Tavellis, olim patris ipsius Testatoris, cujus dominæ Margaritæ, ejus matris, ipse Testator heres exstitit ex testamento rogato per Joannem Magrabovi notarium, sive per alium notarium; suum heredem universalem instituit, et esse voluit dictum Andream, ejus nepotem, et filium dicti quondam Ignatii, olim fratris ipsius Testatoris, et olim filii dicti quondam Antonii de Tavellis.

Clausula ad valorem testamenti hujus.

107 Et hoc est suum ultimum testamentum, et sua ultima voluntas; quod, et quam valere voluit et jussit ipse Testator jure testamenti. Quod si jure testamenti non valeret nec valebit in futurum, saltem valeat, et valere voluit et jussit, jure codicillorum, sive alterius cujuscumque ultimæ voluntatis, quo melius et efficacius poterit, firmiter atque tenere.

E

quod condidit Beatus 8 Julii 1446, coram notario ac testibus.

108 Lectum, et publicatum fuit hoc præsens testamentum per me Joannem de Fiesso, filium quondam M. Antonii de Fiesso, notarium infrascriptum, de mandato, jussu, licentia, et voluntate dicti Testatoris, anno humanitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, Indictione nona, die octavo mensis Julii, Ferrariæ in palatio episcopali, in camera residentiæ venerandi et egregii viri domini Octaviani de Giraldis, canonici Ferrariensis. Ad cujus testamenti publicationem præsentes fuerunt testes infrascripti vocati, et ore proprio ipsius Testatoris rogati honesti viri: Frater Andreas, filius quondam Antonii de Avercia; Frater Joannes, filius Bonaventuræ Strazarioli de Bononia; Frater Gregorius, filius quondam Andreæ de Schavona, et Frater Jacobus, filius quondam Historii de Papazonis de Bononia, omnes pauperes Jesuati civitatis Ferrariæ: eximius atque famosus doctor dominus Deus-te-salvet, filius quondam egregii legum doctoris domini Angeli de Fulgineo, vicarius præfati domini Episcopi; egregius artium et medicinæ doctor magister Guilielmus, filius sier Nicolai de Bianchinis notarii de contracta S. Romani civitatis Ferrariæ; honorabilis vir sier Sanctus de Libanoris, notarius, filius quondam Francisci de Libanoris de contracta S. Vitalis, civitatis Ferrariæ, et alii; et ego Joannes filius quondam Antonii de Fiesso. Scripsi autem notarius publicus Ferrariæ; supradictis omnibus et singulis præsens fui; et rogatus a dicto Testatore ejus ore proprio scribere scripsi.

F

Habes, Lector, tum quæ addere ad B. Joannis Taussiniani episcopi Acta potuimus; tum quibus ea potissimum adjutoribus accepta referri debeant.

DE

A D

DE B. ANTONIO CONFESSORE

EX ORDINE EREMITARUM S. AUGUSTINI

AQUILÆ IN VESTINIS.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Beati cultus et reliquiæ.

ANNO MCDXCIV.

B

Ostenditur Beati cultus

Frustra *hujus Beati memoriam apud Felicium, Galesinium, Ferrarium aliosque hujusmodi Martyrologos quæsivi. Solum in Martyrologio Mediolanensi, quod Petrus Paulus Bosca anno* 1695 *edidit, nono Kalendas Augusti ita refertur :* Aquilæ in Vestinis, beati Antonii Mediolanensis, Ordinis sancti Augustini, vitæ sanctimonia celebris. *Fateor, hanc recentioris Martyrologii annuntiationem non sufficere, ut* Antonius *iste inter Beatos recenseatur; sed suppetunt aliunde certa antiquioris cultus indicia, quæ ex cap.* 3 *Vitæ et narratione miraculorum satis colliguntur. Nihilominus ad majorem cultus confirmationem ex Italico Caroli Ciminelli manuscripto, de quo pluribus infra, proferam ea testimonia, quæ rem plane conficere videntur.*

ex argumentis

2 *Imprimis Ciminellus in Vita Ms. lib.* 2, *cap.* 4 *ex libro sacristæ asserit, in honorem* B. Antonii *anno* 1494 *Missam fuisse celebratam, et paulo post in Martyrologio, quod in choro cantari consueverat, additam esse sequentem annuntiationem :* Eodem die transitus beati Antonii de Aquila, cujus corpus in præsenti die respicitur. *Ut enim fidelium devotioni satisfieret; solebat corpus ejus* XXIV *Julii oculis civium Aquilanorum aliorumque eo confluentium exponi. Sequenti anno* 1495 *ornatum fuit sacellum* B. Antonii, *et festum ejus publico tubarum clangore promulgatum, ut in libris sacristæ et procuratoris notatur. Præterea eodem anno emptæ fuerunt duæ tabulæ votivæ, quibus anathemata affigerentur. Hæc autem omnia, ut recte ratiocinatur Ciminellus, non potuerunt latere episcopum Aquilanum, quo proinde conscio ac consentiente hæc publica veneratio exhibita fuisse censenda est.*

C

Caroli Ciminelli,

3 *Deinde Ciminellus enumerat varias picturas antiquas, in quibus* Antonius *aut radiato capite depingitur, aut* beati *titulo honoratur. Neque decretum Urbani VIII huic cultui obfuit : nam laudatus auctor ex continuo populi concursu, ex anathematibus, aliisque publicæ venerationis signis solide ostendit, cultum illum usque ad sua tempora perseverasse. Hinc præter alios ecclesiæ Aquilanæ præsules laudat reverendissimum ac illustrissimum Gasparem de Gaioso, qui* B. Antonium *tanto affectu prosequebatur, ut non solum quotannis in illius festivitate, sed etiam sæpius per annum in altari ejus incruentum Missæ sacrificium offerret. Is quoque compendium Vitæ et miraculorum ipsius permisit typis mandari, et annuum Beati festum promulgari his verbis :* Die XXIV currentis mensis Julii in vigilia S. Jacobi Apostoli, celebratur in templo Patrum eremitarum S. Augustini hujus civitatis festivitas beati Antonii ex eodem Ordine.

et orationibus, quibus B. Antonius invocari solet.

4 *Ciminellus denique exscribit sequentes orationes quæ in sacello* B. Antonii *recitari consueverunt.* ANTIPHONA. Hic est Antonius, qui cunctas corporis ægritudines divino suffultus auxilio curavit, et suis intercessionibus animas a peccatorum maculis potentissime lavavit. ℣. Ora pro nobis, beate Antoni. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. ORATIO. Quæsumus omnipotens Deus, ut qui beatum Antonium virtute curandi corpora decorasti, ejus intercessione nos ab omnibus animæ languoribus mitissime purges. Per Dominum nostrum, *etc.* ALIA ANTIPHONA. O beate Antoni Christi confessor, qui seculi blandimenta devincendo cœleste meruisti regnum, in quo nunc gloriose coronatus exultas, nostros reatus pia prece relaxa, ut tuis adjuti patrociniis ad gaudia æternæ vitæ pervenire mereamur. ℣. Ora pro nobis, beate Antoni. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. ORATIO. Quæsumus, Domine, ut beati Antonii majestati tuæ nos commendet oratio, et eo pro nobis intercedente, ad gaudia æterna perducas. Per Dominum nostrum, *etc.* ALIA ANTIPHONA. O venerande Antoni, nobilis genere, sed nobilior sanctitate, qui seculi opes et terrena reliquisti oblectamenta, ora pro tuis famulis piissime, ut a cunctis malis liberati, tuis precibus regnum mereamur perenne possidere cum Sanctis. ℣. Ora pro nobis, beate Antoni. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. ORATIO. Perfice, quæsumus, Domine, pium in nobis sanctæ religionis affectum, ut ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem beatus Antonius confessor tuus suis apud te semper pro nobis meritis intercedat. Per Dominum nostrum, *etc. Hæc ad stabiliendum Beati cultum sufficere arbitror.*

E

F

Corpus B. Antonii antea integrum,

5 *Quod ad sacras* B. Antonii *reliquias attinet, de iis in historia Vitæ et miraculorum sæpe sermo recurret. Porro collega noster Janningus piæ memoriæ anno* 1686 *vidit corpus illius, de quo sequentia in itinerarium suum Ms. retulit :* Aquilam veni XXII Maii. Vidi apud PP. Augustinianos corpus B. Antonii de Milano, et ejusdem satis antiquam effigiem cum radiis. Festum agunt diem XXIV Julii, quo obiit, cum magno populi concursu et oratione panegyrica de Beato, Missam dicunt de Spiritu sancto. Corpus conservatur in capsa, quod per vitrum hinc et inde conspicitur ; saltem manus ac facies, quæ sola tela linea teguntur; reliquum veste seu tunica nigra Ordinis indutum est :

AUCTORE G. C.

est: ipsa porro capsa in exiguo sacellulo reposita per cancellos ferreos cernitur a foris stantibus. In ipsum autem ingredi oportet inclinatum per portulam vix tribus pedibus altam, supra quam hi versus leguntur, præcedenti ut videtur, seculo compositi. *Hic Janningus subjungit carmina, quæ in Vita Beati num.* 26 *referuntur.*

et postea terræ motu confractum,

6 *Ita quidem corpus Beati publicæ venerationi expositum fuit usque ad annum* 1703: *quando Aquilanum PP. Augustinianorum templum terræ motu concidit, et ruina sua sacras exuvias oppressit, ut anno* 1717 *benevolus studiorum nostrorum adjutor, illustris D. Dominicus de Giorgio ex epistola cujusdam sacerdotis Augustiniani ad nos Neapoli scripsit his verbis:* Illud postremo adnotaverim, sacrum B. Antonii corpus, quod integrum atque incorruptum antea conservabatur, imminutum nunc esse atque confractum ruina turris campanariæ, quæ dicto terræ motu quassata tumulum loculumque ruens oppressit. Ossa nunc sacraque lipsana decenti servantur arcula, usque eo dum absoluto jam templo, quod ædificatur strenue, honor illi debitus, quo decet ornatu cultuque habeatur.

B

Aquilæ conservatur.

7 *Templum istud eo tempore, quo hæc scribo, nondum perfectum esse intelligo ex litteris, anno* 1726 *die* VII *Junii Aquila ad me datis, in quibus post Vitæ compendium ex tomo* 7 *R. P. Aloysii Torellii desumptum hæc notantur:* Nolim etiam hanc historiæ summam legentes lateat, in præsentiarum ab Aquilani terræ motus excidio B. Antonii corpus in tenuissima frusta fuisse concisum, quæ nunc pelle ejusdem Beati involuta delitescent, quousque inchoata magnifici templi moles Augustiniani cœnobii ad amussim perficiatur. *Videtur istud infortunium ignorasse R. P. Augustinus Maria Arpe, cum in Pantheo Augustiniano, quod Genuæ anno* 1709 *edidit, de* B. Antonio *pag.* 232 *adhuc ita scribat:* Incorruptum ejus corpus Aquilæ colitur. *Quo loco pileus Beati, aliæque hujusmodi reliquiæ serventur, satis exprimitur in narratione miraculorum Vitæ subnectenda, ita ut de iis hic agere non oporteat.*

C

§ II. Annus mortis, Acta, miracula, et gloria posthuma.

Vita B. Antonii, qui anno 1494 videtur obiisse,

Laudatus Augustinus Maria Arpe in Pantheo Augustiniano pag. 232 *mortem* B. Antonii *anno* 1480 *consignat; Nævius, Elssius, Torellius, aliique eamdem anno* 1482 *collocant. Hos præcesserat Abrahamus Bzovius, qui in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1482 *num.* 8 *hæc habet:* Quo etiam anno (*videlicet* 1482) Aquilæ in Vestinis B. Antonius Ordinis eremitarum S. Augustini professor ad cœlestem patriam emigravit. *Deinde subjungit nitidum Vitæ compendium, quod videtur accepisse ex Claudio Eugenio, quem in fine citat. Attamen Carolus Ciminellus in Ms. Italico contendit, omnes anni* 1482 *assertores errasse, erroremque illum postea deprehensum ac correctum fuisse. Ciminello consentit Petrus Scacchi Augustinianus, qui in Italico Vitæ et miraculorum compendio, quod anno* 1643 *Aquilæ impressum est, etiam morti ejus annum* 1494 *assignat. Ut ut est, donec certiora afferantur, nos adhæremus anno, qui in Vita exprimitur, et quem Janningus noster ex epitaphio Aquilæ ita describit:* Obiit IX Kalendas Augusti MCCCCLXXXXIV, anno ætatis suæ LXX. D

9 *Quamvis nullus scriptor synchronus Vitam* B. Antonii *concinnaverit, multi tamen postmodum gesta illius litteris mandarunt. Inter illos primo mihi innotuit D. Claudius Eugenius, quem a Bzovio aliisque passim citari videram. Cum itaque more nostro antiquiores auctores consulendos censerem, omnem operam adhibui, ut hujus scriptoris Tractatum de sanctis et beatis civitatis Aquilanæ alicubi obtinerem. Nesciens autem, an opusculum illud esset manu scriptum, an typis editum, indagavi apud PP. Augustinianos Belgas, an ipsis ea* B. Antonii *sui Vita esset cognita. At illi nullam mihi de ea notitiam suggerere potuerunt. Judicavi igitur, Aquilam recurrendum esse, ut istud Claudii Eugenii opusculum aut saltem ejus ecgraphum nanciscerer. Hanc ob rem scripsi ad R. P. Franciscum Scaceli, collegii nostri Aquilani rectorem, qui anno* 1726, *die* VII *Junii inter alia sic mihi respondit:* De Claudio denique Eugenio nullus in præsenti sermo est; Acta vero B. Antonii, quemadmodum et aliorum, ab hoc Eugenio tantum manuscripta, non typis edita, ut aiebas, quidam seniores Aquilani asserunt. At hoc manuscriptum tum nostram, tum PP. Augustinianorum diligentiam omnem elusit. E

a variis conscripta est;

sed cum antiquior auctor obtineri non potuerit, Acta ejus

10 *Hac itaque spe frustratus cœpi tetrica labore Latinam reddere ex Ms. Italico Vitam, quam R. P. Carolus Ciminellus Augustinianus, sacræ theologiæ professor, copiose composuerat, et quum anno* 1690 *perillustris D. Josephus Caprini rogatu Janningi nostri describi curaverat. Scriptor autem ille eam primum collegerat anno* 1636, *et post decennium novis documentis ac miraculis auxerat. Cum vero inter legendum observarem, hunc historicum subinde concionatoris et rhetoris partes agere, non ita scrupulose in illius interpretatione versatus sum, ut verbum verbo reddiderim. Sed servata rei substantia verbosam Vitam contraxi, atque ea selegi, quæ ad Beati gesta proprie spectabant. Habebam quidem præ oculis varia Actorum compendia, quæ Bzovius, Nævius, Petrus Scacchi, Elssius, Torellius aliique ediderant, et quæ minore labore exscribere potuissem; at ea nimis erant contracta, et in nullo horum proferebatur testimonium Compostellanum, in hac Vita num.* 7 *relatum, quod est antiquissimum Actorum monumentum. Hæc lectorem præmonere volui, ut interpretationis meæ rationem ac modum intelligeret.* F

simul cum multis miraculis

11 *Nemo plura, quam Ciminellus, collegit* B. Antonii *miracula, in quibus interpretandis severior fui, quamvis hinc inde levia rerum adjuncta omiserim, et inter miracula non retulerim inexspectatam mortem, quam aliqui ægri, ope* B. Antonii *implorata, impetrarunt; quia hujusmodi eventus naturalibus causis adscribi poterant, et ad veram certorum miraculorum classem mihi pertinere non videbantur. Copiosæ Ciminelli collectioni addidi nonnulla beneficia recentiora, quæ vel in nostro Ms. Italico legebantur, vel a laudato D. Dominico De Giorgio ad nos transmissa fuerant, ut in annotatis observabo. Torellius in compendio Italico illustrium Augustinianorum centuria* 4 *cap.* 13, *et in Historia generali seculorum Augustinianorum tomo* 7 *utrobique in elogio* B. Antonii *ex traditione monialium S. Luciæ narrat, Beatum in earum monasterio produxisse trabem, cui ad usum ædificii non erat lon-*

gitudo

A *gitudo sufficiens. Sane miror, hoc prodigium a Carolo Ciminello aut Petro Scacchio non fuisse annotatum. Quæcumque sit istius omissionis causa, ego fidem prodigiosæ illius rei penes auctorem relinquo.*

ex Ms Italico dantur.

12 *Porro inter miracula jure numerari potest prævium imminentis mortis signum, quod monialibus S. Luciæ dari consuevit, ut in Vita* B. Antonii *a num.* 17 *narratur. Hoc autem perpetuum, ut ita dicam, miraculum abbatissa hujus monasterii anno* 1690 *confirmat suo testimonio, quod hic ex Italico Latinum facio :* Ego infrascripta abbatissa venerandi monasterii S. Luciæ virginis et martyris in hac civitate Aquilana omnibus has litteras visuris facio certam fidem, quod ab immemorabili tempore auditus fuerit et hactenus audiatur quidam sonus, nunc in uno nunc in altero monasterii loco, antequam ulla e monialibns migrat ad feliciorem vitam. Hic autem sonus, qui editur interdum per modum ferri sese collidentis et interdum pulsu campanæ, a nobis vocatur signum, quod a B. Antonio de Milano ex Ordine nostro cremitico S. Augustini singulis hujus B cœnobii monialibus promissum fuisse traditur. Hoc vero a morte prædicti Beati semper observatum fuit, et adhuc observatur, creditum fuit, et hactenus creditur. In hujus rei fidem præsens testimonium scribi jussi, et manu propria subscripsi, ac memorati monasterii nostri sigillo munivi. Datum Aquilæ XVIII Julii anno MDCXC. *Subscriptum erat:* Ego soror Margarita Cappa abbatissa.

Proferuntur quidam versus

13 *Concludo hunc Commentarium prævium quibusdam poëmatibus Latinis, quæ ad augendam posthumam* B. Antonii *gloriam a variis composita fuerunt, et Ms. nostro Italico præfigebantur. Primo perillustris D. doctor Horatius de Matthæis Sulmonensis de beato Viro ita cecinit :*

Discordes populorum animos Antonius olim
Duxit ad innocuæ fœdera pacis amans :
Doctaque corporibus medicamina præbuit ægris,
Infixa et ferro vulnera restituit.
Qui melius posset lites componere, posset
Qui curare magis corpora, nullus erat.
Huic mors insidias, sua tela tetendit et orcus,
At fascem abjectam nudaque regna vident.
Dum certos vixit, Deus ut præscripserat, annos,
Decubuit felix : mors canit, orcus ovat.
C Falluntur misere : in terris cœlestia servans
Regna, salute replet corpora, pace animos.

et hymni

14 *Augustinus Maria Arpe in Pantheo Augustiniano pag.* 232 *de gloria posthuma* B. Antonii *hæc habet :* Incorruptum ejus corpus Aquilæ colitur : signis ante et post mortem plurimis fulsit. Panegyri anniversaria ad XX Julii honoratur, et a Fratribus hymno quotidie. *Nescio an iste Fratrum hymnus sit unus ex tribus sequentibus, quorum primus auctore Raynaldo sic compositus dicitur :*

Jam tibi supplex operata tellus
Reddat, Antoni, meritos honores
More solenni redeunte festa
Luce quotannis.
Tollat in cœlum tua mira cantu
Facta, dum curans animos et artus
Divus ægrotos, revocas in almæ
Lumina vitæ.
Conscias oras bene sanctitatis
Laudet Hispanas, Aquilamque testem
Nobilem rerum, gremio foventem
Ossa beata.

Narret in longa serie tabellas,
Quas dicat voti rea gens sacello :
Narret ereptos styge, fulgidaque
Arce locatos.
O recens mundi decus ! o micantes
Inter astrorum redivive luces !
Perge nunc vere pius esse sacris
Addite fastis.

ad posthumam Beati gloriam

15 *Alter, auctore Cianflocca, sic sonat :*

Nobilis morum Pater et Magister,
Dum tuos proni veneramur artus,
Mitis Antoni, famulos ab alto
Respice cœlo.
Sume, quæ late tibi præbet orbis,
Dona jam divo, quibus altiora
Phœbus haud vidit, neque jam videbit
Lumine claro.
Tuque dum vita frueris perenni,
Omnibus culpis veniam det orbis
Conditor rerum, precibusque nostris
Præbat aures.

E *compositi.*

16 *Tertius denique auctoris anonymi hymnus ita canitur :*

Quis tuas laudes numeris decoris
Dicet, Antoni, tua, Dive, facta,
Quæ pius præstas Italis in arvis
Tempus in omne?
O poli, salve, nova lux amœni,
Cui per immensas ubicumque terras
Vota tot fiunt, liquidisque fumant
Thuribus aræ.
Dum tibi festos celebramus, altos
Cœlitum cantus, Venerande, linquens
Huc ades, sedemque tuam et sacrata
Membra revise.
Corde sit nobis cupido precamur
Hæc dies semper celebris, nec ullas
Sentiat fraudes tibi gens amata
Hostis averni.
O domus felix Habitator almæ,
Da tuis mentem famulis serenam,
Da frui tecum superis in oris
Luce perenni.

F

VITA

Auctore Carolo Ciminello eremita Augustiniano.

Ex variis monumentis ab ipso collecta, et a nobis ex Ms. Italico Latine contracta.

PROLOGUS.

Auctor præmonet,

Non ausim incuriæ accusare illos patres, qui cum B. Antonio nostro conversati nihil aut parum de ipsius vita, morte, et miraculis posteritati reliquerunt : malebant quippe majores nostri piis operibus exercendis soli Deo placere, quam iis conscribendis orbi innotescere. Ne quis autem me temeritatis arguat, quod imperito calamo

EX MS. ITALICO.

lamo jam velim exprimere ea, quæ a centum et pluribus annis contigerunt, meminerit, a Deo non solum remunerari istos, qui duobus aut quinque talentis recte usi fuerint, verum etiam puniri illum, qui unicum talentum sibi concessum absconderit. Si igitur patres illi, qui cum B. Antonio vixerunt, potius imitari ipsius virtutes, quam eas conscribere voluerint, atque ita duobus aut quinque cognitionis suæ talentis copiosam in cœlo mercedem lucrati sint, liceat mihi sanctimoniam beati Viri, quam æmulari negligo, rudi stylo exponere juxta exiguam notitiam, quæ hodiedum superest, ne saltem puniar cum isto, qui pecuniam domini sui abscondit. Præterea iu hoc proposito me confirmat exemplum aliorum, qui diu post B. Antonii mortem præclara ejus gesta litteris mandarunt. Porro nunc paucis præmoneo, ex quibus instrumentis ea collegerim, quæ per decursum narraturus sum.

ex quibus monumentis Vitam Beati collegerit.

2 Moniales S. Luciæ semper peculiarem B. Antonii memoriam tenuerunt, tum quod olim fuerit cœnobii sui confessarius, tum quod a mundano strepitu segregatæ traditionem facilius B conservaverint. Neque solum referunt ea, quæ coram illustrissimo ac reverendissimo D. Gaspare de Gaioso *a*, episcopo Aquilano, juratæ deposuerunt, verum etiam multa alia hausta ex narratione sororis Adeodatæ *b*, quæ circa annum MDLIII *c* cum magna sanctitatis opinione obiit; Adeodata autem eadem acceperat a sorore Christina *d*, quæ paulo post mortem B. Antonii religiosam vitam amplexa est. Fertur etiam exstare libellus quidam manuscriptus semilacer, qui præfert nomen P. Dionysii, in quo inter alia legi dicitur, quod tempore professionis B. Antonii cantus angelorum auditi fuerint, quod in consortio istius Beati, e vita discedentis, plures animæ e purgatorio ad cœlum evolaverint. At cum post diligentem inquisitionem, tum apud seniores hujus monasterii patres et moniales S. Luciæ, tum apud alios curiosos hujusmodi rerum indagatores institutam, nullum hujus narrationis testimonium invenerim, eam omittendam esse existimavi : nihil enim hic referre volui, nisi apud pluri-C mos notum ac pervulgatum esset, præsertim post impressum Vitæ compendium *e*, quod anno MDCXLIII illustrissimus episcopus Aquilanus *f* tantummodo typis excudi permisit, postquam omnia ad fidem instrumentorum severe examinata fuissent. Denique libri sacristiæ et procuraturæ hujus monasterii indicant venerationem civium Aquilanorum erga hunc Beatum, felicem ejus obitum, miraculorum multitudinem, sanctitatis famam, aliaque, quæ jam narrare aggrediar ad majorem Dei gloriam, et B. Antonii honorem, cui in hac mea infirmitate corpus et animam enixe commendo.

ANNOTATA.

a *Is assumptus est ad cathedram Aquilanam anno* 1628, *cui mortuo successit Clemens del Pezzo anno* 1646.

b *Vix dubito, quin hæc sit Adeodata, quæ in seculo Beatrix appellabatur, et cujus elogium dedit* D *Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano pag.* 12.

c *Laudatus Elssius loco citato scribit, eam die* 22 *Augusti anno* 1590 *obiisse, ejusque corpus Aquilæ summo honore coli. Quod ad mortis annum spectat, oportet alterutro loco vel amanuensis vel typothetæ errorem irrepsisse, ut consideranti patebit. Quod vero ad cultum ejus attinet, pluribus testimoniis eum confirmari cupimus.*

d *Hæc Christina anno* 1505 *religiosum habitum assumpsit et obiit anno* 1543 *juxta Joannem Nævium in Eremo Augustiniana, qui illic a pag.* 416 *fuse ipsius Vitam descripsit, eamque* beatæ *nomine appellat. Sed cum is titulus non satis probetur, eam Majores nostri ad diem* XVIII *Januarii inter Prætermissos collocarunt.*

e *Ciminellus hic indicat compendium Vitæ, quod Petrus Scacchi Aquilanus ex Ordine S. Augustini anno* 1643 *Italice edidit.*

f *Is est illustrissimus D. Gaspar de Gaioso, de quo supra, ad litteram* a.

E

CAPUT I.

Beati pueritia, ars medica et chirurgica, ingressus in Ordinem S. Augustini, et pia peregrinatio

Beatus Antonius artem medicam pie exercens

Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXIV *a* Mediolani ex stirpe Turriana *b* natus est B. Antonius parentibus nobilibus ac opulentis, qui filium suum optimis moribus ac litteris imbui curarunt, et plenissimum sedulæ suæ institutionis fructum perceperunt : nam puer doctrinæ conjungebat timorem Domini, qui est initium sapientiæ. Confecto humaniorum studiorum curriculo, missus est Patavium, ut quidam asserunt, atque ibi ad chirurgicam et medicam artem discendam animum adjecit, ac tantum in eo studio progressum fecit, ut brevi tempore doctoris lauream adeptus fuerit, et a speculatione ad praxin transierit. Cœpit ergo variis locis artem F suam exercere, ut refert D. Claudius Eugenius *c*, et cum omnium admiratione curare gravissimos morbos, ac sanare vulnera, quæ immedicabilia videbantur. Sed non volebat corpori mederi, nisi prius animæ vulnera fuissent sanata, solitus dicere, peccata nostra esse morborum causas, adeoque sublatis peccatis facile corpoream infirmitatem auferri. Quare ad ægros vocatus, statim eos hortabatur ad instituendam peccatorum confessionem et suscipiendam sacram eucharistiam; quibus peractis, ægrotantes signo sanctæ crucis muniebat, ac deinde salutifera medicamina adhibebat. Hoc modo herbis et emplastris singularis efficacia communicabatur, et insanabiles morbi pellebantur, ita ut Antonius plurimos præsenti mortis periculo eripuerit, sicut indicant hi versiculi, qui in ejus epitaphio leguntur :

Liber adhuc Patris Augustini Antonius olim
Legibus, infirmos corpore juvit ope.
Ederit aut tabes, ferrum aut patefecerit artus,
Dicitur hic medica restituisse manu.

4 Dum

A *Ordinem religiosum ingreditur,* 4 Dum pius iste medicus sic corpora et animas curat, plurimos infirmos suis exhortationibus adeo commovit, ut pristinæ sanitati restituti, eo suadente, religiosum vitæ institutum amplecterentur. Ne autem esset ex numero eorum, qui dicunt et non faciunt, decrevit etiam ipse mundo nuntium remittere, et religioso Ordini nomen dare, ut exemplo aliorum, quos ad simile vitæ genus verbis suis excitaverat, Christum propius sequeretur. Tunc dicitur dæmon varios tentationum modos adhibuisse, ut eum a sancto proposito avocaret. Sed Antonius, superatis omnibus difficultatibus, decretum suum executioni mandavit, et Ordinem Eremitarum S. Augustini in provincia Mediolanensi ingressus est. Quantis in religioso tirocinio virtutibus eluxerit, facile colliget, qui secularem ipsius vitam considerare voluerit : si enim in seculo tam pie vixerit, nemo mirabitur, quod in religione angelicam vitam duxerit, ut testatur hoc carmen sepulcrale :

Relligionis onus subiens, mox angelus ipsos
B Mortales inter visus adesse novus.

et facto transitu ad aliam Ordinis congregationem, 5 Postquam B. Antonius sese tribus religionis votis obstrinxerat, ob singularem virtutem brevi ad sacros Ordines promotus est. Cum vero indies magis magisque in perfectione religiosa proficeret, post paucos annos in Ordine transactos officium Prioris suscipere coactus est. Verum hæc electio displicebat Servo Dei, qui se eo munere indignum judicabat, et potius aliis subesse quam præesse cupiebat. Præterea timebat, ne a se pro animabus subditorum severa Deo ratio reddenda esset : unde omni studio ab hoc onere liberari conabatur. Sed tandem videns, se hujuscemodi dignitatibus tanto magis onerari, quanto eas diligentius fugeret, statuit ad aliam ejusdem Ordinis congregationem transire. Cumque intellexisset, strictiorem disciplinam, anno MCCCCXIX a
d venerabili patre Augustino Romano *d* inductam, in provincia Perusina observari, supplex a Provinciali suo petiit, ut ad eam congregationem sibi transire liceret. Quamvis R. P. Provincialis eam licentiam invitus concederet, tamen pio bea-
C ti Viri desiderio satisfecit, ne voluntati divinæ resistere videretur. Beatus Antonius, accepta benedictione, Fulginium profectus est, ibique accessit Vicarium generalem istius provinciæ, et ab eo humiliter flagitavit, ut in illam congregationem admitteretur. Reverendus pater Vicarius, auditis ejus rationibus, ac ipso beati Viri aspectu commotus assignavit illi cubiculum S. Nicolai
e Fulginatis *e*, sicut refert Claudius Eugenius, et colligitur ex textimonio Compostellano, quod infra exhibebitur.

in Gallæciam peregrinatur: 6 Cum Fulginii per tres annos et aliquot menses variis apostolicæ caritatis operibus, ac præsertim pauperum, in nosocomiis decumbentium, cura magnam sanctitatis famam consecutus esset, voluit nimiam populi venerationem vitare, et
f idcirco ab admodum R. P. Juliano de Salem *f*, totius Ordinis Generali, impetravit, ut posset reliquias S. Jacobi in Gallæcia visitare, et ad juvandos maxime pauperes artem medicam et chirurgicam ubique licite exercere. Obtenta hac licentia, Antonius alacris iter arripuit, ac Compostellam pervenit. Quis facile explicet, quanta devotione sacras sancti Apostoli exuvias ibi veneratus sit, et quot inopes, morbis afflictos, curaverit? Certe nemo suspicari potest, ferventem ipsius caritatem in Gallæcia otiosam fuisse, cum per tres annos et aliquot menses Compostellæ et totidem Ponte-veteri substiterit. Nemo, inquam, hoc potest suspicari de illo, cujus lemma in Sulmonensi tabula aliisque antiquis picturis ita legitur : CARITAS NON QUÆRIT, QUÆ SUA SUNT, SED IPSUM CHRISTUM. EX MS. ITALICO.

ubi juxta testimonium 7 Hæc omnia abunde colliguntur ex Compostellano istius temporis testimonio, quod Latine in membrana scriptum sic sonat : « In Dei nomine » Amen. Noverint universi, præsentes litteras » inspecturi, quod in præsentia mei Petri Lupi » Segobiensis civitatis in Decretis baccalaurei, » canonici sanctæ ecclesiæ Compostellanensis » judicis et notarii publici, testiumque infrascri- » ptorum in domo habitationis meæ, quæ est in » prædicta civitate atque in audientia domini » archiepiscopi Compostellanensis sancti Jacobi » prope ecclesiam apparuit venerabilis vir, fra- » ter Antonius de Torre Mediolanensis Ordinis E » eremitarum sancti Nicolai de Fulginio, et co- » ram me reservavit *, quod mihi et omnibus ad- » stantibus et aliis quamplurimis præfatæ civita- » tis civibus constabat, ipsum exercuisse de arte » physicæ et esse peritum in illa arte, et rese- » disse in prædicta civitate continue per spatium » trium annorum et amplius, et etiam in villa » Pontis-veteris *g* totidem tempus, curando et *g* » sanando infirmos et ægros de gravibus infir- » mitatibus : et quia ipse erat peritus in arte » medicinæ, sicut prius dixerat, quod et expe- » rientia et testibus fide dignis intendebat osten- » dere, et etiam intendebat discurrere et perge- » re per diversas partes mundi, quod mihi pla- » ceret recipere aliquos testes, et habere plena- » riam informationem per quamcumque viam, et » inquirere diligenter circa ipsius peritiam de » meo officio, quod super hoc implorabat, et » quod adhiberem ipsius fidem, et præfato fratri » Antonio concederem litteras meas testimonia- » les, et quod præstarem auctoritatem meam, et » interponerem decretum meum.

* *forte asseveravit*

F *Compostellæ acceptum.* » 8 Ego attendens, petitionem ipsius fore ju- » stam et rationabilem, et considerans ejus suf- » ficientiam atque peritiam, et quia mihi constat » de aliquibus curis, per eumdem venerabilem » fratrem Antonium confectis, per testes fide » dignos nec non per experientiam, quæ est » mater omnium rerum, idcirco ad petitionem » ejusdem fratris Antonii jussi hoc publicum in- » strumentum confici, et ei in testimonium ve- » ritatis præberi, atque has litteras testimonia- » les conferri, nomine sigilloque meis consuetis » firmari ac sigillari. Quæ omnia et singula vi- » dentibus et audientibus innotescant, ipsum fo- » re peritum in arte medicinæ, et plura instru- » menta et præparatoria chirurgiæ secum duce- » re et habere, et ut moris est et sanctius, om- » nipotenti Deo curam relinquere, qui super om- » nes medicos et super naturam verus medicus » est. In honorem atque laudem ipsius prædi- » ctus frater Antonius curat pauperes ægros » sine pecuniis. Datum et actum in civitate » Compostellanensi in Quintana de Paveos apud » ecclesiam sancti Jacobi Zebedæi in auditorio

» reve-

EX MS. ITALICO, *h*

» reverendissimi domini D. Alfonsi de Fonseca » *h* archiepiscopi Compostellanensis, ubi sui ju- » dices consueverunt litigia et jurgia determi- » nare seu discernere, quarta die mensis Augu- » sti anno a Nativitate Domini MCCCCLXIV, te- » stibus ad hæc omnia præmissa præsentibus. » ibidem vocatis atque rogatis : venerabilibus » viris Fernando de Caruvia canonico Compo- » stellanensi, et Petro Alfonsi clerico, et Joanne » de Auro veteri civibus Compostellanensibus. »

multos pauperes arte sua juvat.

9 Deinde sequitur hæc præcedentis testimonii confirmatio : » Et ego Alvarus de Castrenda pu- » blicus Compostellanus pro ecclesia Compostel- » lanensi et eadem auctoritate apostolicus nota- » rius juratus, quia præmissis omnibus et sin- » gulis supradictis una cum prænominatis testi- » bus præsens interfui, eaque omnia et singula » sic fieri vidi et audivi, in notam meam retra- » xi, ideoque hoc præsens publicum instrumen- » tum, per alium, me aliis occupato negotiis, » scriptum, feci, et hic meum signum solitum, » et consuetum apposui in fidem et testimonium B » omnium et singulorum præmissorum rogatus » et requisitus. » Locus sigilli ✠ notarii Alvari...... Locus sigilli ✠ pendentis. Arbitror, hoc testimonium a beato Antonio petitum fuisse, ut prodigiosæ sanationes potius herbis et arti chirurgicæ quam suis precibus aut sanctitati tribuerentur, atque ita populi plausum vitaret. Ex eo autem instrumento, præter Beati cognomen, patriam, aliaque adjuncta, colligimus, ipsum per varias mundi partes peregrinatum fuisse, et sine ulla spe lucri præcipuam pauperum curam gessisse. Præterea acceperat B. Antonius a Deo singulare donum expellendi dæmones e corporibus humanis, uti scribit P. Dionysius his verbis : FUIT MIRABILIS IN EXPELLENDO DÆMONES. Idem in antiquo monasterii nostri calendario sic loquitur : QUI OMNIBUS CHARITATE ET HUMILITATE CHARISSIMUS FUIT, ET PRÆCIPUE IN EFFUGANDIS SPIRITIBUS [clarus].

ANNOTATA.

C

a *Augustinus Maria Arpe in Pantheo Augustiniano, non ita pridem Genuæ edito, nativitatem ejus circa annum* 1410 *et consequenter mortem illius anno* 1480 *collocat. Sed vide, quæ diximus in Commentario prævio num.* 8.

b *In testimonio Compostellano vocatur* de Torre ; *unde auctores eum passim Latine* Turrianum *cognominant. Nonnumquam etiam vocatur Aquilanus, eo quod Aquilæ diu vixerit et obierit.*

c *Hujus scriptoris opusculum, multis tamen adhibitis curis, nusquam reperire potui, ut monui in Commentario prævio num.* 9 *et* 10.

d *Elssius eum appellat Augustinum de Favaronibus, et ejus gesta ac scripta enumerat in Encomiastico Augustiniano pag.* 93.

e *Discere cupio, quis sit iste S. Nicolaus Fulginas : nam apud Beatillum aliosque scriptores, qui agunt de sanctis Fulginatibus, eum hactenus frustra quæsivi.*

f *Iste Julianus de Salem juxta Elssium anno* 1443 *electus est Ordinis Augustiniani Generalis, et obiit anno* 1459.

g *Est oppidum Hispaniæ in Gallæcia vulgo dictum* Ponte Vedra, *quod octo leucis Compostella distat.* D

h *Hic est secundus istius nominis archiepiscopus Compostellanus, de quo videri potest Ægidius Gonzales Davila in Theatro ecclesiastico ecclesiæ Compostellanæ cap.* 18.

CAPUT II.

Beati caritas erga proximum, prodigiosa cædis vitatio, et alia miracula.

Beatus e peregrinatione redux,

Jam B. Antonius multa caritatis opera exercendo diversas orbis regiones peragraverat, quando incidit in morbum, ex quo claudus effectus est : nam magno patientiæ exemplo tantam nervorum contractionem passus est, ut sinistra tibia quinque digitis dextra brevior fieret, sicut etiamnum hodie in sacro illius corpore conspicitur. E Coactus itaque piæ peregrinationis suæ cursum sistere, recurrit ad R. P. Jacobum Aquilanum *a*, Religionis Augustinianæ generalem, qui *a* anno MCCCCLXX in capitulo Bononiensi electus fuerat, et ab eo obtinuit, ut Aquilam mitteretur, quia intellexerat maximas in ea civitate discordias exortas esse, et divinum inimicitiarum istarum flagellum, nempe morbum contagiosum, ibidem secuturum præsagiebat. Commendatus igitur P. Provinciali Umbriæ, cui provinciæ monasterium nostrum tunc temporis aggregatum erat, venit Aquilam, et a P. Provinciali benigne exceptus assignatum sibi ab eo cubiculum usque ad mortem incoluit.

Aquilæ discordias civium componere nititur,

11 Vix Servus Dei per aliquot dies in monasterio Aquilano quieverat, cum omnem industriam convertit ad discordes civium animos conciliandos. Quotidie (ob difficilem claudicationis gressum baculo innixus) ad varias urbis partes excurrebat, ut exhortando et obsecrando odia exstingueret ac pacem componeret. Quis dicat, quanta humilitate et patientia ipsi opus fuerit, quando animos superbia tumidos et ira ac odio F incensos placare conabatur? Non dubito, quin sæpe contumeliosis verbis exceptus fuerit, et vix violentas quorumdam manus evaserit. Non tamen idcirco Antonius animum despondebat ; sed furentem iracundiam benignis monitis placabat. Si quos pertinacioris indolis nactus fuerat, preces, jejunia, et disciplinas adhibebat, et similes corporis afflictationes a monialibus S. Luciæ postulabat, ut Deus dura illorum corda ad pacem commovere dignaretur, sicuti religiosæ istæ ex continua traditione testantur : imo addunt, disciplinas eo tempore fuisse tam vehementes, ut cruenta flagrorum indicia hodiedum in parietibus monasterii sui appareant. Unde feruntur aliqui cives ita fuisse commoti, ut non tantum inimicis ignoverint, sed etiam mundo valedixerint, et religiosum institutum amplexi fuerint *b*. Hanc *b* ob rem tumulo illius inter cetera inscriptum est hoc carmen distichon :

Discordes animos conjunxit fœdere pacis,
Imbuit et mentes relligione pias.

A

et ibidem grassante peste,

12 Quamvis B. Antonius non exiguum laboris sui fructum collegisset, tamen malevola quorumdam instigatione vetus odium resuscitatum est, et discordia recruduit. Cum vero tunc flagrantes civium animi nec blanditiis nec minis commoverentur, Deus ad castigandam illorum pervicaciam immisit anno MCDLXXVI pestem adeo malignam, ut spatio decem mensium, teste D. Cirillo *c* in suis Annalibus, quatuordecim millia hominum exstincta fuerint. Utinam exprimere possem innumera caritatis opera, quæ Servus Dei eo tempore exercuit! Per dies noctesque sine requie, sine cibo ægrotis serviebat, confessiones eorum excipiebat, moribundos ad felicem agonem præparabat, et inter viva, ut ita dicam, ac fœtentia cadavera solo corpore et sanguine Christi munitus versabatur, uti D. Claudius distincte narrat. Quanto autem magis invalescebat lues, tanto magis crescebat fervor Antonii, qui quotidie magna cum difficultate ob claudicationem omnes urbis angulos lustrabat, et cunctis opem ferre cupiebat.

varia caritatis opera exercet,

B

13 Ubi tandem pestilentia remisisset, labor indefessi istius operarii non desiit: nam assiduis zeli sui exemplis tantam sanctitatis famam obtinuerat, ut plerique cives Aquilani eum corporis et animæ medicum eligerent. Corpora quidem non tam humanis quam divinis pharmacis curabat: sæpius enim solo crucis signo ægros pristinæ sanitati restituit, ut omnes affirmant. Animarum vero curam gerebat longe maximam, cum plurimi ad ipsum confluerent, ut peccata sua confiterentur. Tantus autem erat iste pœnitentium concursus, ut asserere ausim, a solo Antonio plures confessiones fuisse exceptas, quam ab omnibus reliquis cœnobii patribus, etiamsi essent numero multi. Id non temere colligo ex eleemosynis, ipsi datis, quæ omnium aliarum numerum et valorem superant, ut ex libro rationum constat. Prætermitto, quanta pietate et vigilantia animas sibi commissas ad felicem mortem obeundam disposuerit, et solummodo refero aliquot prodigia, quæ Deus in gratiam Servi sui adhuc viventis patrare dignatus est.

et multos ægros sanans

C

14 Cum B. Antonius juxta ritum Ecclesiæ Dominica Palmarum benedictum olivæ ramum accepisset, eumdem in monasterii nostri horto plantavit, qui intra breve temporis spatium non solum mirabiliter crevit, sed etiam fructus protulit. Quamvis autem de illa arbore non haberetur talis cura, qualis ad alendos hujusmodi fructus requiritur, et idcirco aliquando exarescere videretur, nihilominus numquam defecit, ut etiamnum hodie cernitur. Porro moniales S. Luciæ ex antiqua traditione referunt, B. Antonium consuevisse uti oleo istorum fructuum ad formandum signum sanctæ crucis in frontibus ægrotantium, et plures hoc modo ad pristinam sanitatem rediisse. Addunt, cœnobii sui confessarios, qui B. Antonio successerunt, semper ex ista arbore decerpsisse ramos, quos Dominica Palmarum benedicebant, et ad conservandam miraculi memoriam monialibus distribuebant. Denique efficacia istius olei Aquilæ ita passim nota erat, ut plerique infirmi, relictis medicis, Antonium accerserent, et ejus unctione sanitatem recuperarent.

15 Hinc orta est quorumdam medicorum invidia, qui lucrum suum quotidie minui videntes de Antonio interficiendo conjurarunt. Decernunt itaque primo mane ante lucem eum in quodam angulo aggredi, quando Missæ celebrandæ causa ad monasterium S. Luciæ exiret. Condicto tempore adsunt quatuor armati, ut transiturum exsequantur. Dum jam diu omnia solicite observassent, et consueta hora præterisset, mirari satis nequeunt, illum a se non fuisse visum. Templum igitur curiositatis gratia ingrediuntur, ac eum divina mysteria peragentem conspiciunt. Tunc hærent stupore defixi, quod nec illum prætereuntem vidissent, nec campanæ sonum audissent, quo ad Missam signum dari solebat. Hoc miraculo moti statuunt meditatum crimen ei detegere, ac ab ipso veniam postulare. Quando sacrilegum consilium cum lacrymis B. Antonio confessi fuerant, ipse eos amice amplexus est, et magis lætus de eorum conversione, quam de vitæ suæ conservatione, illis ex animo ignovit.

EX MS. ITALICO.

structas sibi ab invidis insidias mirabiliter evadit

Moniales non sine miraculo diu sanas conservat,

E

16 Inter miracula etiam merito computari potest, quod B. Antonius spatio octodecim annorum, quo cœnobium S. Luciæ direxit, omnes moniales non solum in perfecta mentis concordia, sed etiam in prospera corporis valetudine conservarit: nam etsi essent numero octoginta septem diversæ ætatis ac temperationis, atque inter eas multæ jam annis graves, nulla tamen tanto temporis intervallo mortua est, imo ne quidem ita ægrotavit, ut lecto decumbere cogeretur. Neque continua ista sanitas naturali corporum temperiei facile adscribi potest, cum plures initia morborum senserint. Sed mox B. Antonius in earum fronte signum crucis formabat oleo, quod ex fructibus supra memoratæ olivæ expressum fuisse creditur, et ita gravioribus morbis aditum præcludebat. Neque oleo isti tanta efficacia tribui potest, nisi divina quædam vis illi indita fuerit. Accidit, quod eo tempore violenta pestis in urbe Aquilana grassaretur, ut supra diximus. Tunc octoginta septem moniales, inter innumera civitatis cadavera ab omni contagio immunes, in monasterio suo, tamquam terrestri paradiso, perfecta sanitate ac pace fruebantur, et divinam misericordiam quotidie exorabant, ut hoc flagellum a miseris civibus auferre dignaretur.

F

et iis prævium instantis mortis signum promittit,

17 Non minus admiratione dignum est beneficium, quod B. Antonius eidem cœnobio impetravit, et quod usque ad hunc diem perseverat. Cum servus Dei sciret, sibi mortem imminere, spiritualibus suis filiabus valedixit, et extrema salutis monita tenero affectu communicavit. Moniales post multas lacrymas et commendatam sui memoriam tandem petierunt, ut a Deo flagitaret quoddam signum, quo præmonerentur, quando aliquæ ex sua communitate erant morituræ: Rem difficilem, inquit Antonius, postulastis; attamen confidite, quia dabitur signum, quod desideratis. Quotiescumque igitur audieritis in monasterio insolitum quemdam sonum, scitote, unam e vobis brevi morituram. Quare tunc singulæ de peccatis vestris dolete, et vos summa diligentia ad mortem præparate. His dictis, Antonius omnibus bene precatus discessit, et non multo post in letalem morbum incidit, ut postea dicetur.

quod postea semper datum fuit,

18 Eventus docuit, hanc beati Viri promissionem non solum pertinuisse ad moniales, quæ tunc vivebant, verum etiam ad illas, quæ postea

in

EX MS. ITALICO. in eodem monasterio essent victuræ: nam usque ad hæc tempora signum istud aliquando in choro, interdum in cœnobii nosocomio aliisve locis auditur, et tot moniales non multo post e vita discedunt, quot distincti pulsus eduntur. Unde moniales, audito signo, solent inter se dicere: Ecce sanctus Pater (sic beatum Antonium appellare consueverunt) nos monuit. Quænam e nobis moritura est? Nec multo post aliqua morbo affligitur atque ex hac vita migrat. Equidem fateor, nonnullas subita morte oppressas fuisse; attamen semper signum præcessit. Sic a multis annis Guilielma de M. * Angelo Aquilana subito in terram corruit ac exspiravit, dum moniales de signo jam dato solicite inter se colloquerentur. Idem contigit Mariæ de Tussi, quæ statim post datum signum sine prævia ægritudine improviso spiritum reddidit. Quamvis itaque post datum signum aliqua in morbum incidat, non sequitur, eam esse morti proximam: nonnumquam enim illa sanitatem recuperat, et alia recte valens subita ægritudine, et morte opprimitur. Quare singulæ hæ Virgines prudentes, ardentibus caritatis lampadibus et oleo virtutum instructæ, semper sponsi adventum exspectare coguntur, quia post memoratum signum non sciunt, quænam ex omnibus ad eum primo sit evocanda.

* *forte* monte

B

ut quibusdam exemplis ostenditur.

19 Moniales ad confirmandam hujus præmonitionis veritatem mille narrant exempla; sed ego brevitatis causa hic notabiliora tantummodo referam. Dum anno MDLXXXVI moniales essent in choro, quinque distinctos pulsus audierunt, et quamvis eo tempore sedecim extrema unctione munitæ essent, nihilominus tantum quinque ex hac vita migrarunt, nempe: Clara di Cicoli, Calixta di Luculo, Agnella di Bagno, Clementia Alfieri, et Juliana Farzetta. Quando ejusdem monasterii confessarius erat P. Archangelus Fulginas circa annum MDCXI similiter post quinies datum signum pauco tempore quinque moniales obierunt, scilicet: Virginea di Carlo, Paula di Bagno, Innocentia di Scoppito, Clara Rosa, et Martha Mariani. Ego ipse a monialibus petii, ut me præmonerent, quando simile signum in suo monasterio daretur. Unde anno MDCXXXV, die XII

C

Novembris mihi indicarunt, solitum murmur in nosocomio suo auditum fuisse, et postea intellexi, quod die XVII ejusdem mensis Gabriela Pica ad alteram vitam transierit. Sic etiam paucis post septimanis Ursula di Bagno post datum signum e vivis excessit. Denique anno MDCXXXVI, die XXXI Augusti post auditum ab aliquot diebus signum, Maria Constantia Ricci, quæ solum triginta ætatis annos numerabat, mortua est contra opinionem omnium, ac præsertim medici, in cujus confusionem forte Deus permisit, ut Sacramento extremæ unctionis non muniretur, cum antea festo S. Augustini confessa fuisset, et corpori Domini communicasset: quando enim monialis medico dicebat, sese propter prævium signum de vita sua dubitare, ille hoc explodens coram omnibus adstantibus asseruit, nullum esse mortis periculum. At ipsa post paucas horas ex hac vita improviso migravit, ut affirmant omnes moniales, quæ illic adfuerunt *d*.

d

D

ANNOTATA.

a *De hoc venerabili sene videri potest jam citatus Elssius pag.* 307, *ubi asserit, eum octogenarium anno* 1470 *electum fuisse Ordinis sui Generalem, et anno* 1476 *obiisse. Unde sequitur,* B. Antonium *ante hunc annum e peregrinatione sua rediisse.*

b *Ciminellus hoc pentametrum explicat de quibusdam civibus religiosum statum amplexis; at ego cum aliis malim id intelligere de monialibus, quas Beatus direxit, et quarum pias mentes religione seu pietate imbuit.*

c *Habemus Italicos hujus scriptoris Annales, anno* 1570 *Romæ editos, in quibus id libro octavo asserit.*

d *In Commentario prævio exhibui testimonium abbatissæ, quæ hoc signum prævium suo tempore, id est anno* 1690, *perseverare affirmat.*

E

CAPUT III.

Morbus B. Antonii, pia mors, miraculum, honorificum sepulcrum et epitaphium.

Cum Antonius bonum certamen certasset, et cursum laborum consummasset, die XXVI Januarii anno MCDXCIV post celebratam Missam cœpit laborare difficili morbo, quem per sex menses summo patientiæ exemplo toleravit. Fuit autem morbus adeo gravis, ut æger tempore Quadragesimæ aliisque diebus esurialibus consilio medicorum et jussu superiorum carnes comedere coactus fuerit, sicut ex libro procuraturæ colligitur. Ingravescente morbo, extremis Ecclesiæ Sacramentis munitus petiit a P. Priore, ut ibi sepeliretur, ubi pro suis peccatis omnium Fratrum pedibus calcaretur. Quando moniales S. Luciæ intellexerant, Patrem suum spiritualem ad vitæ exitum properare, pro felici ejus transitu preces cum lacrymis fuderunt, ac præcipue Deum rogarunt, ut immensos ipsius labores copiose in cœlo compensaret, et ipsæ peculiare ejus patrocinium experirentur. *Ultimus Beati morbus,*

F

21 Tandem in vigilia S. Jacobi, quem singulari cultu semper prosecutus fuerat, eum magno pietatis sensu animam Creatori reddidit anno MCDXCIV *a*, etiamsi aliqui obitum ejus anno MCDLXXXII perperam consignaverint. Mors illa plurimos afflixit, qui sese confessario, medico, patre et consolatore orbatos sentiebant. Nonnihil tamen imminutus est dolor iste, dum sperabant, se intercessorem habituros in cœlo, quem in terra benefactorem habuerant: vix enim anima illa a corpore separata fuerat, quando in ejus cella cantus angelorum auditi sunt, ut illustrissimus ac reverendissimus D. Andreas Gelsomini *b* litteris mandavit. Brevi etiam tristitia monialium in piam lætitiam mutata est: quippe dum felicem *et pia mors,*

a

b

A felicem ejus mortem Deo commendabant, ut paulo ante dixi, candidissimam illius animam, instar solis splendentem, inter angelorum consortium ad cœlum ascendere viderunt, ut R. D. Martinus Pineus *c* narrat, et moniales ex continua traditione testantur.

post quam moniales promissione sui patrocinii consolatur.

22 Porro B. Antonius spei, quam moniales S. Luciæ de suo patrocinio conceperant, abunde satisfecit, quando illas non solum de instanti morte præmonet, de quo supra memini, sed etiam monasterium earum in suam clientelam suscepit, ut postea intellectum est ex apparitione, quam jam refero. Cum Dorothea Coluccia Aquilana in cœnobio S. Luciæ junior esset, et coram imagine B. Antonii oraret, vidit pulcram puellam, pretiosis vestibus ornatam, cujus majestatem ac amabilitatem mirabatur. Vix sui compos præ stupore non audebat petere, quænam esset, unde venisset, aut quomodo monasterium intrasset. Tunc audiit sibi ab illa dici: Nescis, quæ ego sim? Cumque Dorothea respondisset, se id nescire, illa addidit: Scito, me esse eam
B quæ simul cum isto B. Antonio singularem hujus monasterii curam gero. Hoc dicto, evanuit. Quare majori admiratione capta surgit ab oratione, et accedens Monicam Antonelli, eam ita interrogat: Non vidisti istam puellam, quæ me allocuta est, dum coram imagine sancti Patris orarem? Cum Monica quæreret, quid ea puella dixisset, Dorothea respondit: Illa mihi dixit, se simul cum sancto Patre singularem hujus monasterii curam gerere, et subito se oculis meis subduxit, et nescio, quænam sit, aut quo iverit. Tunc Monica asseruit, illam puellam a se visam fuisse, quamvis id verum non esset, ne Dorotheam majori stupore defigeret. At ipsa interim satis intelligebat, fuisse S. Luciam, quæ apparuerat, cui monasterium dedicatum est, et quæ singularis ejusdem patrona est simul cum B. Antonio, qui in vita sua illud magna solicitudine gubernaverat.

Contingit miraculum in ejus sepultura.

23 Venerabile beati Viri corpus in templo monasterii publice expositum fuit, ad quod magnus concursus factus est non solum civium Aquilanorum, sed etiam accolarum, ad quos mor-
C tis illius fama pervenerat. Tanta autem de ipsius sanctitate erat populi opinio, ut omnes certatim manus illius ac pedes osculari aut rosariis suis tangere conarentur. Postquam confluentis multitudinis devotioni per aliquot dies utcumque satisfactum esset, R. P. Anselmus de Saxoferrato, qui eo tempore munus Prioris administrabat, corpus Antonii terræ tradere decrevit, sicut ipsi petenti promiserat, et in hunc finem accersi jussit vespillones, quibus locum assignavit, in quo venerabilis Dei Servus sepeliretur. Dum illi jussu P. Prioris fossam parant, ecce lapis magno impetu sponte exsilit, et ita unum ex illis in pectore percutit, ut in terram prostratus non exigua vicinæ mortis signa daret. Hoc viso, circumstantes exclamant: Miraculum, miraculum! Tunc vero miserum vespillonem B. Antonio commendant; qui mox ad se reversus hæc prima verba protulit: » Non vult Deus, ut hoc venerabile » corpus, quod in vita propter ipsius amorem » tam multa sustinuit, terra tegatur, et fiat esca » vermium ». Hoc prodigium non solum legitur in libro monasterii, sed etiam a R. D. Martino Pineo et D. Claudio Eugenio narratur. EX MS ITALICO.

propter quod corpus illius honorifico loco collocatur

24 Hoc miraculo motus R. P. Prior jussit capsam confici, corpusque ei impositum in altiori loco supra altare S. Catharinæ martyris collocari, ut omnibus esset venerationi. Hic a Patribus ad chorum vel sacristiam transeuntibus semper exhiberi solebat reverentia. Sic nempe Deus voluit, ut ab omnibus transeuntibus honoraretur, qui transeuntium pedibus calcari cupiebat, juxta divinum istud effatum: Qui se humiliat, exaltabitur. Hoc loco gloriosum corpus mansit usque ad mensem Aprilem anni MCDXCV, quando R. P. Prior videns devotionem populi quotidie crescere, illud imposuit nuceæ capsæ, quæ honorificentius ornata ac ferro munita, in eodem altari collocata est. Cum Beatus anno MCDXCVI plurima opem suam implorantibus beneficia conferret, decreverunt Patres magis honorare eum, quem Deus indies pluribus miraculis condecorabat, atque idcirco aptarunt locum quemdam instar parvi cubiculi, in quo duas fenestras, cancellis instructas, et portulas fieri E curarunt, ubi memorata capsa honorifice constituta est.

et postea locus sepulcri ornatur,

25 Venerandum Beati corpus ita remansit usque ad annum MDLXXX, quo tempore P. Deodatus de Rocca di Cagno Augustinianus eumdem locum amplificavit, et variis statuis ornavit, ut notatur in rotundo lapide his litteris: F. D. F. F. A. D. MDLXXX. Hi characteres significant: FRATER DEODATUS FIERI FECIT ANNO DOMINI MILLESIMO QUINGENTESIMO OCTOGESIMO. Præterea idem P. Deodatus capsam nuceam mutavit in crystallinam, in qua corpus adhuc hodie *d* jacet integrum, quamvis nullis aromatibus aut balsamo conditum fuerit, ut P. Matthæus Aquilanus ex seniorum traditione affirmat, et abunde colligitur ex libro rationum, in quo etiam minimæ clavorum expensæ, pro prima capsa factæ, computantur, et interim de pretiosis unguentis aut aromatibus nulla fit mentio. Ceterum longitudo sacri corporis a capite ad pedem dextrum (sinistrum quinque digitis altero breviorem fuisse supra diximus) est duarum ulnarum *e* et mediæ uno digito minus juxta mensuram Aquila- F nam; brachia vero a junctura humerorum usque ad digitum medium manus sunt trium palmorum; manus autem a junctura brachii usque ad extremitatem digiti minusculi habent tres quartas partes palmi; pedes denique longi sunt unum palmum, excepto medio digito. Sic ego ista dimensus sum die XIV Decembris anno MDCXXXVII.

cique epitaphium inscribitur.

26 Hodiedum in jam dicto loco quiescit, et supra portulam legitur sequens epitaphium:

Liber adhuc Patris Augustini Antonius olim
Legibus, infirmos corpore juvit ope.
Ederit aut tabes, ferrum aut patefecerit artus,
Dicitur hic medica restituisse manu.
Relligionis onus subiens mox angelus ipsos.
Mortales inter visus adesse novus.
Discordes animos conjunxit fœdere pacis,
Imbuit et mentes relligione pias.
Nunc quibus e cœlo, positis hic denique membris,
Et magis exemplo prospicit atque prece.

Obiit

EX MS. ITALICO.

Obiit IX Kalendas Augusti MCCCCLXXXXIIII ætatis suæ LXX.

ANNOTATA.

a *Bzovius, Elssius, Torellius, aliique mortem ejus anno* 1482 *consignant, ut in Commentario prævio num.* 8 *diximus.*

b *Iste anno* 1625 *ex Ordine Augustiniano assumptus est ad episcopatum Asculanum, atque anno* 1629 *obiit, ut tradit Ughellus tomo* 8 *Italiæ sacræ col.* 336.

c *Is, teste Ciminello in prologo, vivebat anno* 1636 *centenarius.*

d *Corpus Beati adhuc integrum erat, quando hæc scripsit Ciminellus; sed anno* 1703 *collapsa ecclesia confractum est, ut in Commentario prævio notavi num.* 6.

e *Italice legebatur* due braccia e mezzo; *sed cum Lexica per vocem* braccio *etiam intelligant mensuram unius ulnæ, et hæc mensura ad significandam B. Viri staturam apta sit, potius* ulnæ *quam* brachii *voce usus sum in interpretatione.*

B

MIRACULA

Ab eodem Carolo Ciminello collecta, et a nobis ex Italico ipsius ecgrapho Latine reddita.

PROLOGUS.

Auctor indicat, quomodo miracula Beati collegerit.

Animus mihi est, non solum hic narrare illa B. Antonii miracula, quæ Sulmone et Aquilæ legitimis testimoniis probata sunt, vel a D. Claudio Eugenio *a* relata, verum etiam ea omnia, quæ a personis fide dignis accepi. Porro magnam diligentiam adhibui, ut ad illorum notitiam pervenirem, omniaque tanta fidelitate collegi, ut cum apostolo Paulo testari audeam: Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Nihilominus prætermisi multa beneficia, quæ invocatione illius Beati præstita ferebantur, et in quorum signum anathemata ad ipsius sacellum allata fuerant: nam tantummodo ea annotare volui, quæ ob subitam sanationem aliasve circumstantias mihi vera miracula videbantur *b*. Hujus scriptionis apographum monialibus Aquilanis et Saxoferratensibus, aliisque plurimis personis communicavi, ut viderent, in illis nihil esse de meo, præter solum collectionis laborem. Quapropter cum Apostolo repeto: Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.

C

ANNOTATA.

a *Jam monui, me Vitam et miracula, a Claudio Eugenio conscripta, non potuisse obtinere, adeoque coactum fuisse tetrico labore hac omnia ex Ms. Italico Latine reddere.*

b *Quamvis auctor hæc præmoneat; tamen ipse aut alii immiscuerunt huic Ms. aliqua, quæ mihi videbantur minus prodigiosa, et quæ idcirco prætermisi, ut in Commentario prævio num.* 11 *monui.*

D

CAPUT I.

Prodigiosa durities capsæ ligneæ, in qua corpus Beati jacuerat. Mortuorum resuscitatio, et surdorum aliorumque ægrotorum sanatio.

Famulus securi læditur, qui frustra voluit findere sepulcralem Beati capsam.

Mense Aprili anni MCCCCXCV venerandum B. Antonii corpus nuceæ capsæ inclusum fuit, ut supra diximus, et post octoginta quinque annos translatum ad crystallinam capsam, in qua hodiedum quiescit. Cum autem R. P. Gratia Santarelli *a* Saxoferratensis, vicarius generalis congregationis Perusinæ, anno MDLXXXIII visitaret monasterium Aquilanum, vidit priorem illam capsam in sacristia positam; cumque intellexisset, tamdiu in ea corpus B. Antonii quievisse, mandavit R. P. Priori, ut eam frangi et reverenter comburi curaret, ne forte postea imprudenter ad profanos usus adhiberetur: nam pio zelo motus judicabat, lipsanothecam istam potius in cineres redigendam esse, quam in profani usus periculo relinquendam, sicut respondit in capitulo anni MDLXXXIV, quando hac super re querelæ contra illum deponebantur. Post R. P. Vicarii discessum volens P. Prior mandatum illius exsequi, advocat Jacobum de Collattara, qui tunc temporis erat mulio monasterii, eique imperat, ut memoratam capsam dissecet. Jacobus P. Priori obedire cupiens, etsi invitus propter reverentiam, quam erga Beatum habebat, accepta securi cœpit capsam percutere, ut eam finderet. Sed (o quam mirabilis est Deus!) quanto magis illam percutiebat, tanto magis illa securim repellebat, et quanto majori impetu eam infigere conabatur, tanto majori impetu illa resiliebat, instar pilæ, quæ reticulo repellitur. Post iteratos ictus desiliens securis tam graviter tibiam Jacobi læsit, ut non solum per multas hebdomadas lecto decumbere coactus fuerit, verum etiam post adhibita nequidquam medicamina de gressu recuperando desperaret. Videns igitur, se humanis remediis nihil proficere, ad divinam opem confugit, et se patrocinio B. Antonii commendans statim perfectam sanitatem adeptus est. Hoc cum juramento deposuerunt P. Chrysostomus et P. Innocentius Aquilani Augustiniani sacerdotes apud episcopum D. Gasparum de Gaioso, quia ipsi interfuerunt omnibus; et actuarius fuit notarius D. Paulus Gualterius.

E

F

quæ postea igne consumitur.

3 Pater Prior prodigiosum totius rei successum R. P. Vicario generali indicavit; at hic existimans, Priorem aliosque Patres quamdam excusationem quærere, ne combureretur capsa, quam ad usum ornamentorum in sacristia conservare

A servare cupiebant, novo præcepto Priorem adegit, ut eam igne consumeret. Sciens Prior, meliorem esse obedientiam, quam victimam, ut in libris Regum legitur, reverenter capsam igni imposuit, ac in cineres redegit. Tunc vero crevit miraculum, ut supra memorati testes affirmant: nam eo tempore, quo capsa comburebatur, adeo copiosum et suavem spirabat odorem, ut se etiam extra monasterium diffunderet, et multi accurrerent quærentes, quænam esset ea fragrantia, quam percipiebant. Nihilominus hoc Vicarii generalis præceptum Patribus Aquilanis adeo displicuit, ut anno sequenti in capitulo querelas contra eum deposuerint, uti supra diximus. Videtur in hac re Deus duo voluisse ostendere: primo quidem indicavit, quanti faceret servum suum Antonium, dum noluit frangi capsam, in qua sacra ejus ossa tamdiu quieverant; secundo demonstravit, quantopere sibi placeret obedientia Prioris, quando permisit eamdem capsam igne consumi.

Duo mortui 4 Joannes Franciscus Alexandri de Marino

B ludens cum fraterculis suis in quodam tabulato, duabus cannis *b* alto, inopinanter ex eo decidit. Jacebat autem in terra frigidis membris sine cordis palpitatione et arteriæ pulsu, ita ut omnes dubitarent, an adhuc viveret. Cum in tali statu per horæ spatium sine respiratione mansisset, mater post adhibita incassum remedia putans eum mortuum, flexit genua et non minori pietate quam fide opem B. Antonii imploravit. Mox fidei suæ præmium tulit: nam puer ad se redire visus est, ac respirare cœpit. Tunc mater timore perculsa et simul gaudio affecta imposuit eum lecto, et sequenti die post mensem Augustum anni MCCCCXCIV cum filiolo suo et marito venit ad ecclesiam nostram, ubi omnes ante corpus B. Antonii in genua provoluti gratias egerunt, et filiolum sanum præsentibus ostendentes, modum beneficii sibi collati exposuerunt.

reviviscunt, Petrus Alexii Albanensis filium habebat, nomine Alexium, qui circa finem anni MCCCCXCIV in gravem incidit morbum, et post elusam omnem medicorum industriam nulla amplius dabat

C vitæ signa, ita ut jam obiisse crederetur. Quare Nicolaus ejus frater jam ceram coemerat, et omnia ad exsequias præpararat. Interea Petrus humano solatio destitutus mortem filii plangebat, et tandem divino auxilio confisus eum ad ecclesiam nostram tulit, ubi ipsum cum magna fiducia supra lipsanothecam B. Antonii posuit, ac ferventer Beato commendavit. At ecce eo ipso tempore coram multis adstantibus Alexius, quasi e somno evigilans ad se rediit, et subito sanitatem ac vitam recepit, ut testatur Marinus de Bagno notarius apud Claudium aliosque.

et duo surdi 5 Marinus Joannis de Compagnone habuit, filium, nomine Bernardinum, qui per decem annos ita surdus fuit, ut parentes aliique solis signis et gestibus ipsi voluntatem ac mentem suam indicare possent. Marinus vero audiens, Deum intercessione B. Antonii multa beneficia conferre, simul cum sua uxore et memorato filio corpus Beati visitavit, et panniculo, quo sacrum corpus tetigerat, auditum filio suo restituit eodem die, mense et anno, quo supradictus Alexius ad vitam rediit, ut idem notarius legitimo instrumento consignavit.

Majus beneficium eodem anno expertus est quidam Guilielmus, qui Aquilæ famulabatur: cum enim a nativitate surdus esset, et non nisi gestibus voluntatem aliorum intelligeret, die quadam visitavit reliquias B. Antonii, et sese ei commendavit ea devotione, quam necessitas suggerebat. Vix tacto corpore, statim auditum et loquelam obtinuit, ita ut imposterum perfecte audiret ac loqueretur, uti Claudius et alii referunt. *Ex ms. Italico. curantur*

6 Joannes Pauli eodem anno MCDXCIV tanta laborabat ægritudine, ut per duos menses lecto affixus fuerit, et deinde depositus a medicis instantem mortem quotidie exspectaret. Post eam noctem, quæ ipsi ultima vitæ futura credebatur, uxor ejus die VIII Augusti cum magna tristitia, sed majori fiducia ante auroram venit ad monasterium notrum, et ostium pulsavit. Dum eo advenit cum lumine P. Benedictus Venetus, qui erat sacrista, indicat ei mulier causam doloris sui, rogatque sibi aperiri ecclesiam, ut devotioni suæ et voto satisfaceret. Sacrista, aperta templi porta, negotiis suis intendit. Mulier ecclesiam ingressa vidit B. Antonium, ut ipsa coram multis testibus retulit, qui cum quatuor Fratribus eam deduxit usque ad suam lipsanothecam; qua aperta, jussit illam sacrum corpus tangere ac domum redire. Itaque domum reversa, manu, qua reliquias tetigerat, ægrum maritum attigit, qui subito sanus e lecto surrexit, ut supradictus Marinus de Bagno juridice notavit. *Vir morte proximus,* E

7 Eo tempore, quo B. Antonius ex hac vita migrabat, Lucia di Miccucio de Montichio in lecto detinebatur, tanto capitis dolore vexata, ut post alia remedia omnes capitis capillos, quamvis sibi maxime caros, abscindi jusserit. Cum vero mortem Beati et famam miraculorum ejus audiret, firmam spem de illius intercessione concepit, et sese ipsi devote commendavit. Paulo post ei somnum capienti Beatus apparuit, ponensque manum supra caput dixit: Surge, et vade ad templum S. Augustini, ut intersis Missæ sacrificio, quod ad tuum ingressum in ara S. Catharinæ inchoabitur. Mulier evigilans se sanam invenit, et indutis magna lætitia vestibus venit ad ecclesiam nostram, ubi sacerdos in altari S. Catharinæ Missam inchoabat, sicut ei prædictum fuerat. Sic ipsa coram pluribus testibus affirmavit, et legitur apud Claudium aliosque. *et mulier capite dolens, cui Beatus apparet, sanantur,* F

Pater Simplicianus Sulmonensis, sacerdos Ordinis Augustiniani, qui anno MDCXII sacristiæ Aquilanæ præfuit, coram illustrissimo D. Francisco de Cavalieri *c*, episcopo Sulmonensi, juratus asseruit, sese mense Septembri vel Octobri ejusdem anni manifesto mortis periculo prodigiose ereptum fuisse: cum enim ascendisset turrim, ut quasdam horologii nostri rotulas reficeret, rupto sub pedibus tabulato, jam cadere incipiebat, quando omni humano auxilio destitutus Deiparæ et B. Antonii opem imploravit. Mox beatissimam Virginem, candida veste indutam, et B. Antonium nigro habitu vestitum vidit in aere, a quibus ad alteram contignationis partem leniter translatus fuit sine ulla læsione præter exiguum vulnus in occipite, quod priorem lapsum manifestaret. Hoc miraculum mihi narravit P. Nicolaus a saucto Valentino, sacerdos Augustinianus, qui tunc temporis Aquilæ habitabat, *et sacerdos Augustinianus præsentis lapsus periculo mire eripitur.* *c*

EX MS. ITALICO.

tabat, et istud ab ipso R. P. Simpliciano referri audivit.

Puerulus,

8 Cum anno MDCXXV Aquilæ Petrus, filiolus triennis Lelii Thomæ de Tossa, in talem incidisset morbum, ut post multa frustranea pharmaca de vita illius actum videretur, Livia ejus mater, humano destituta auxilio, ad divinum confugit, et filiolum suum B. Antonio commendavit. Deinde accepit parum olei, de quo in Vita Beati meminimus *d*, et illum unxit, qui mox soluta lingua dicere cœpit : Mater, mater, ecce B. Antonius me tangit, et mihi benefacit. Porro tactus Beati ita puerulo profuit, ut post tertiam ejusdem olei unctionem pristinæ sanitati omnino restitutus fuerit. Hæc omnia hodiedum affirmantur a matre et avia dicti pueruli, ceterisque domesticis, qui adfuerunt.

et Comes de Genga morbo liberantur.

Comes de Genga rogatus reddidit sequens testimonium, quod in libris cœnobii nostri asservatur : « Ego Joannes comes de Genga facio plenam et indubitatam fidem, quod febri et maximo dolore in inguine oppressus præsens vitæ discrimen subierim. Quamvis autem medici multas unctiones et medicamina mihi præscripserint, numquam tamen dolorem auferre potuerunt. Itaque sentiens, me nec posse manducare nec dormire, de peccatis meis cogitare cœpi, eaque confessus sum. Postea me accessit D. Baptista Roselli, consanguinea mea, et mihi oleum B. Antonii obtulit. Ego id initio parum curabam. Unde ipsa me iterum ita exhortata est, ut illo uti decreverim. Cum vero me unxissem in inguine, ubi sentiebam dolorem, statim dormivi, et in somno vidi istum Sanctum, omnino fulgidum descendere. Tunc evigilavi, et me a febri ac dolore plane liberum sensi. Quod si non fuissem tantopere morbo extenuatus et exhaustus, statim surrexissem ac ambulassem. Ita testor et juro, ac in signum veritatis propria manu subsigno XVII Octobris anno MDCXLVI.

« Ego Joannes de Genga, ut supra. »

ANNOTATA.

a *Puto, esse eumdem, qui ab Elssio pag.* 245 *vocatur Gratianus Sanctarellus.*

b *Aliqui per vocem Italicam* canna *volunt indicari mensuram duarum ulnarum. Cangius autem in Glossario per vocabulum barbarum* canna *intelligit mensuram unius ulnæ et mediæ. Forte hic significatur vox Latina* canna, *quæ arundinem tum Latine tum Italice significat.*

c *Iste præsul Franciscus de Cavalieri ab anno* 1621 *usque ad* 1638 *cathedram Sulmonensem gubernavit, ut habet Ughellus tomo* I *Italiæ sacræ col.* * 283 *et* 286.

d *Vide superius quæ de isto oleo dicuntur in Vita cap.* 3; *et inferius cap.* 4 *Miraculorum.*

CAPUT II.

Energumenæ liberatæ, varii manifesto mortis periculo erepti, febricitantes et ægri sanati.

Præter alios energumenos et quamdam Mariam,

Etiamsi B. Antonius in vita sua habuerit peculiare donum fugandi dæmones e corporibus, et multos energumenos liberaverit, ut supra in genere dictum est, singula tamen illa beneficia notitiam nostram effugerunt. Quapropter similia quædam hic referam, quæ post obitum ipsius contigerunt. Imprimis Maria quædam, habitans circa pontem S. Mariæ, a dæmone obsessa, die XX Maii anno MCDXCV ad sacellum Beati adducta est. Illic a P. Anselmo Saxoferratensi, tunc monasterii nostri Priore, adhibiti sunt de more exorcismi, et dæmon post multos inconditos clamores et gestus coram pluribus adstantibus non tantum discessum promittere, sed etiam re ipsa corpus illud deserere coactus fuit, in signum exitus fui ejiciens per os feminæ parvum lapidem, ut authentice testatur Marinus de Bagno, et legitur apud Claudium aliosque, quia miracula illius temporis pluribus locis annotata sunt.

duæ feminæ

10 Circa annum Domini MDLXXV inter alias multas dæmoniacas, quæ non memorantur, quædam energumena ante corpus B. Antonii exorcizata est a P. Petro Augustiniano; tametsi autem dæmones recusarent deserere illud corpus, quod vexabant, nihilominus post invocatum Beati nomen exire compulsi sunt, et in signum sui discessus ejecerunt per os mulieris septem aut novem carbones accensos, qui per multos annos cum aliis anathematis in vase quodam conservati fuerunt. Ita scribit Claudius, et P. Innocentius Aquilanus, testis oculatus, referebat. Ibidem in tabella adhuc hodiedum cernitur depicta mulier, ex qua dæmon expellitur.

a dæmonibus obsessæ,

Innocentia di Scoppito monialis S. Luciæ, quæ ad conquirendas eleemosynas exibat, antequam monialibus istis strictius claustrum præscriptum fuit, die quodam invenit sororem suam Benedictam, quæ a dæmone erat obsessa. Comitante igitur Jacoba de Tussi, quæ etiamnum hodie vivit, et de visu testatur, eam per varia templa et loca sacra circumduxit, ut exorcismis juvaretur. Sed nihil hæc omnia profuerunt, donec tandem cum ea ad acclesiam nostram venit, ubi ante corpus B. Antonii liberata est.

et altera magicis artibus incantata, liberantur.

11 Sabbetta Attilii Cerasoli de Fontecchia in juventute per invidiam magicis artibus incantata fuit, atque ita per tredecim annos mansit fascinata, ut non tantummodo maritum suum aversaretur, sed etiam sæpe sibi ipsi violentam mortem inferre conaretur : nam modo currebat ad fenestras ut se præcipitaret, modo ad aquam, ut se submergeret. At vicini et consanguinei eam, hisce periculis ereptam, duxerunt ad templum PP. Cappucinorum in Fontecchia *a*, et alia loca patrocinio Deiparæ inclyta, ubi exorcismi frustra

adhibiti

A adhibiti fuerunt. Tandem consilio Sanctæ, quæ erat uxor Francisci Ciasche, ad ecclesiam nostram Aquilanam deducta fuit, et quanto magis sacello B. Antonii appropinquabat, tanto magis se a dæmonibus vexari sentiebat, et post horridos clamores minabatur frangere lipsanothecam, si ad eam adducta fuisset. Attamen vi propius accedere coacta, fugientibus sponte sine exorcismo dæmonibus, ab hoc magico maleficio fuit liberata. Sic testatur memorata Sancta Ciasche, et anno MDCXLIII ipsa mulier, quæ beneficium acceperat, coram illustrissimo episcopo Sulmonensi Boccapadulo *b* jurata affirmavit, sicut P. Placidus Fulginas, tunc Prior monasterii nostri Sulmonensis, ei suaserat.

Hispanus, nomine Antonius,

12 Hispanus quidam, nomine Antonius, ut Claudius Eugenius narrat, Aquilanam ecclesiam ingressus vidit capsam, in qua corpus nostri Beati quiescebat, petiitque, quo nomine appellaretur Sanctus, cujus sacra ossa illic continebantur. Cum autem intellexisset, eum vocari Antonium, de ejus patrocinio peculiarem fiduciam B concepit, et voluit, ut suis expensis in ipsius honorem continuo lampas arderet. Postmodum, nescio quo tempore, cum aliquot Hispanis urbe Aquilana egressus, et circa Montem Offidium *c* cum latronibus pugnare coactus, in summo vitæ discrimine hunc Beatum invocavit, et præsentem illius opem sensit. Cum enim, finito feliciter certamine, domum reversus vesperi se vestibus exueret, inter subuculam et pectus tres plumbeas glandes invenit, quæ sine ulla corporis læsione in signum præstiti beneficii illic remanserant.

Andreas puer triennis,

13 Prodigiosæ P. Simpliciani conservationi a lapsu, quam supra retuli, addi potest illud miraculum, quod D. doctor Horatius et D. Catharina de Simeonibus narrant, D. Andreæ Aquilano ejusdem familiæ contigisse. Cum is Andreas esset puer triennis, ex fenestra palatii, quinque aut sex cannis *d* alta, decidit in plateam. Inter lapsum accurrens mater clamabat : O beate Antoni, adjuva illum. Fuit tam efficax hæc Beati invocatio, ut filiolum sanum et illæsum invenerit, quamvis omnia illius membra certo confringenda putarentur, quia ex tam alto loco in viam lapide C stratam ceciderat. Unde mater sæpius dicere consueverat, filium suum a B. Antonio inter vivos conservatum fuisse, uti P. Joannes Chrysostomus Aquilanus referebat.

canonicus Aquilanus,

14 Reverendus dominus Josephus Jacchetti, canonicus Aquilanus S. Justæ, duplex mortis periculum intercessione B. Antonii evasit. Primum mense Octobri anni MDCXXXVI, quando in vinea sua ambulans improviso glande plumbea impetitus est, et simul caput ejus clava percussum fuit : nam nec ab una, nec ab altera ullam læsionem accepit. Quin imo inimicum, in manus suas incidentem, facile propriis armis occidere potuisset; sed quia eodem die celebrans Missam et prævidens periculum oraverat nostrum Beatum, et S. Antonium Patavinum, ac S. Antonium abbatem, ut neminem læderet et a nemine læderetur, inimico pepercit, sicut istorum Sanctorum patrocinio contra ictus inimici illæsus persistet. Alterum mortis discrimen effugit mense Aprili anni MDCXXXVII, quando cultro periculose vulneratus brevi convaluit, postquam se iterum B. Antonio commendasset, ut ipsemet cum omnibus domesticis testatur.

EX MS ITALICO.

aliique præsenti mortis periculo

15 Anno MDCXXXVI alius sacerdos Aquilanus graves persecutiones passus est ab inimicis, qui eum honore et vita spoliare conabantur : nam apud superiores multas infames calumnias de eo sparserunt, ipsumque in propria domo armis aggressi sunt. Ille in his angustiis opem B. Antonii imploravit, et expertus est : siquidem honorem recuperavit, quando postea imposturæ eorum ultro detectæ sunt; vita autem ei prodigiose conservata est, quando ad solam ipsius vocem hostes trepidi fugerunt impingentes in ejus caput validum ictum, ex quo nil nisi tuber remansit in signum, quod in eorum potestate fuisset.

eripiuntur.

Nobilis dominus Andreas Ardinghelli, ut ipsemet refert, tempore quodam procelloso iter instituit per vias difficiles et periculosas, in quibus jam plures muli et homines perierant. Sed ille in evidenti mortis discrimine constitutus se commendavit B. Antonio, et salvus ad locum securum pervenit. Hinc juxta promissionem suam die XXIII Martii anno MDCXXXVII in signum accepti beneficii anathema argenteum obtulit. E

Quidam febri aliisque doloribus afflictus,

16 Dominicus di Marinuccia de Poggio Picenza, juxta narrationem Claudii, mense Augusto ejusdem anni, quo B. Antonius ad cœlum evolavit, non solum febri affligebatur, sed præterea vehementes in latere et spina dorsi patiebatur dolores, ita ut nec die nec nocte posset quiescere, et post adhibita inutiliter varia medicamina in extremum vitæ discrimen deduceretur. At ecce se commendans B. Antonio statim sanitatem obtinuit, et e lecto surgens sepulcrum Benefactoris sui visitavit, ac juxta votum suum ceream imaginem obtulit.

Prior ex Ordine S. Augustini morti proximus,

17 Pater Nicolaus Saxoferratensis ex Ordine S. Augustini, qui Prioris munere in territorio S. Valentini fungebatur, anno MDCXLIII per plures hebdomadas ægrotavit, et nullum ex adhibitis medicamentis percepit levamen, ita ut juxta communem opinionem mors ei proxime instaret. Hinc D. Octavius Ambrosini Saxoferratensis, archipresbyter prædicti territorii, per cursorem moneri jussit P. Franciscum Aquilanum, qui tunc Sulmone officium Prioris administrabat, ut sine F mora ad territorium S. Valentini veniret, si vivum invenire vellet P. Nicolaum, qui cum illo de rebus animæ et monasterii agere cupiebat. Audiit hoc nuntium unus e sacerdotibus nostris, intimus moribundi amicus, et simul cum aliis in Missa solenni ægrum B. Antonio commendavit. Mox discessit P. Franciscus, cui aliqui fiducia pleni dixerunt : Perge alacriter, quia speramus, fore ut eum sanum invenias. Plurimi tamen propter tempus hiemale et auram nebulosam vitæ moribundi timebant. Quid plura? Pater Prior juxta spem sibi datam invenit P. Nicolaum febre liberatum, et evidenti mortis periculo ereptum, ut P. Franciscus et ipsemet P. Nicolaus cum memorato archipresbytero testantur.

puer biennis B. Antonio commendatus

18 Anno MDCXXXVII puer biennis, filius D. Francisci Caprini et D. Catharinæ Ciampella, Aquilæ tanta ægritudine oppprimebatur, ut omnium judicio proxime ad cœlum migraturus putaretur. Sed B. Antonio commendatus sanitatem recuperavit, ut mihi narrarunt parentes, qui

EX MS. ITALICO.

qui die xx Novembris una cum filiolo ad ecclesiam nostram venerunt, et pro gratiarum actione in sacello Beati Missam celebrari jusserunt.

alius febri et cephalalgia obrutus,

Quando D. Claudius Antonelli Aquilanus anno MDCXXXVI Neapoli redierat, in gravem febrim et cephalalgiam incidit. Post adhibita per integrum mensem medicamina morbus ita crescebat, ut de vita ejus actum videretur. Tandem die XXVI Octobris promisit B. Antonio visitationem et Missam, si sanitati restitueretur. Facto voto, statim convaluit, et mense Februario anni MDCXXXVII sequentis eum patre, matre, fratribus, ac sororibus ad ecclesiam venit, et, ut promiserat, Missam cantari curavit.

et duæ mulieres

19 Francisca, uxor Vincentii Jacobi, circa illud tempus, quo B. Antonius e vita migravit, tribus diebus continuos pleuritidis dolores patiebatur. At invocato Beati auxilio, brevi sanata est, ut apud Claudium legitur.

graviter ægrotantes,

Mulier, nomine Gratia, cum Palmutio marito suo et filiis Aquilam veniens ad visitandum corpus S. Benardini, tantis pleuritidis punctionibus

B

afflicta fuit, ut sine summo dolore respirare non posset. Cum per octo dies in diversorio, quod vulgo Boncompagno appellatur, maximis cruciatibus oppressa decubuisset, Palmutius vehementer dolens, tum quod uxoris morbum crescere videret, tum quod cum filiis domo abesse cogeretur, die x Julii, anno MCDXCV sepulcrum B. Antonii visitavit, et P. Priori causam tristitiæ suæ exposuit. Pater Prior, commiseratione motus, virum comitatus est ad diversorium; et mulierem ægram linteo istius Beati vix tetigerat, quando cœpit ita convalescere, ut die sequenti ad reddendas gratias venerit, et omnibus prodigiosam suam sanationem manifestarit.

uti et canonicus pristinæ sanitati restituuntur.

20 Reverendus dominus Felix Sincero, præpositus S. Nicolai de Jenca, et canonicus S. Mariæ de Roy Aquilanus mense Maio anni MDCI sese B. Antonio obstrictum agnoscit his verbis : « Ego Joannes Felix Sincero per aliquot dies febri continua ac pleuritide adeo periculosa laboravi, ut medici de vita mea desperarent. « Verum a piis quibusdam personis commendatus B. Antonio pristinam sanitatem obtinui. »

C

ANNOTATA.

a *Hic locus in mappis geographicis notatur non longe distans ab urbe Aquilana versus Orientem. Sed obscuriora hujusmodi loca imposterum annotare non est operæ pretium.*

b *Is est Franciscus Buccapadulius Romanus, qui anno* 1638 *Sulmonensem cathedram ascendit, atque anno* 1645 *ad ecclesiam Tifernatem regendam transiit.*

c *Iste mons Aprutii ulterioris vulgo vocatur* Bázzano, *situsque est in Agro Aquilano, ut juxta Mazzellam asserit Baudrantius.*

d *Hujus vocis significationem jam dedimus in Annotatis capite præcedenti, ad litteram* b.

D

CAPUT III.

Multi homines variæ ætatis et conditionis in suis morbis aliisque incommodis auxilium B. Antonii experiuntur.

Intercessione B. Antonii quædam monialis,

Diana de Sanctis Aquilana, monialis ex Ordine S. Augustini, cum sorore sua mihi narravit, quod ab aliquot annis vespere sine lumine volens claudere januam hortuli sui imprudenter intraverit portam caveæ, et non sine manifesto gravissimæ læsionis periculo per viginti quatuor gradus in eam deciderit. At in ipso casu B. Antonium invocavit, et sine ulla membrorum læsione sese in pedes erectam in plano caveæ invenit.

E

et aliqui Fratres ex Ordine S. Augustini a gravi periculo præservantur,

Frater Thaddæus Perusinus ex Ordine S. Augustini anno MDCXXXVI, die XXI Julii stans in gradu vigesimo quinto scalarum, ut ecclesiam pro festivitate B. Antonii ornare inciperet, fallente pede, letalem lapsum minabatur. Tunc ille terrore correptus opem B. Antonii imploravit, ut P. Daniel Sulmonensis aliique testantur, et manibus apprehenso uno scalarum gradu in aere pendens periculum mirabiliter evasit. Item in vigilia ejusdem Beati ex superiori parte ingens lignum decidit in illum locum, in quo memoratus Frater Thaddæus, F. Augustinus Fulginas, et F. Joannes Baptista de Pescara novitius paulo ante steterant. Arbitror, Beatum voluisse ostendere singularem suam clientelam erga illos, qui sui causa laborabant, et idcirco in duplici hoc periculo non permisisse, ut quis ex illis vel minimo damno afficeretur.

et operarius post letalem lapsum sanitati redditur;

22 Franciscus Lombardo in hebdomada Majore anni MDCXXXV apud nos annuum Domini sepulcrum præparans non solum ex alto loco cecidit, sed etiam caput in acumen lapidei gradus impegit, ita ut ex aure magnam sanguinis copiam

F

emitteret, et in terra mortuo similis jaceret. Inde sublatus et in lecto ad ignem collocatus nullum dabat vitæ signum. Tandem ad se reversus dixit, se per intercessionem B. Antonii mortis faucibus ereptum fuisse, quia se inter cadendum isti Beato commendaverat, ut P. Augustinus Fulginas et alii referunt, qui illic adfuerunt. Postea vero in signum recepti beneficii in ejus sacello anathema argenteum posuit.

alii autem usum pedum,

23 Quidam Franciscus ex pago S. Angeli per viginti annos podagra laboraverat; sed eo anno, quo B. Antonius obiit, post devote imploratam ipsius opem deinceps acutis iis doloribus liberatus est, ut Claudius memorat.

brachii

Inter alias personas, quæ singularia beneficia perceperunt, dum corpus B. Antonii paulo post mortem conspectui omnium expositum fuit, numerari potest Maria di Lazaro, quæ brachio erat tam debili, ut ad se vestiendum aliena opera indigeret. Verum invocato Beati auxilio, coram

multis

A multis adstantibus illico brachium pristino vigori est restitutum.

ac digitorum recuperant. Similem isto tempore opem expertus est Nardus di Colassa, qui ad corpus B. Antonii accedens, multis præsentibus, repente usum trium digitorum manus, quo caruerat, recepit, ut Franciscus de Bezzano juridice notavit.

Nonnulli genibus 24 Reverendus Dominus sacellanus Castri novi per decem annos tantam in genibus infirmitatem patiebatur, ut nullo modo se posset inclinare. Is se devote commendans B. Antonio in præsentia multorum sanitatem consecutus est, ut memoratus Franciscus notarius testatur, qui etiam annotavit aliud beneficium, quod intercessione ejusdem Beati collatum est cuidam mulieri, quæ per multos annos usu brachii dextri privata fuerat.

aliisque membris 25 Domina Manutia Aquilana ex morbo quatuordecim mensium ita membris iners mansit, ut sine duarum personarum ope progredi non posset. Confidens autem, se meritis B. Antonii pristinæ sanitati restituendam esse, venit ad visitandum ejus sepulcrum, et licet prima vice nullum auxilium sensisset, tamen a duobus filiis suis Sebastiano et Francisco sustentata iterum corpus Beati visitare voluit. Cum ad templi nostri januam pervenisset, non minori fiducia quam alacritate filiis suis dixit : Sinite me solam ire. At illi responderunt : Quomodo vis sola ire, quæ pedibus consistere non potes? Nonne vides, te statim casuram? Quibus illa reposuit : Non cadam, Deo et B. Antonio adjuvantibus. Tunc sine fulcimento relicta tam alacriter ad Beati tumulum perrexit, acsi numquam ea infirmitate laborasset, et eodem anno MDXCIV debitas illi gratias egit.

B

debiles, 26 Mario Mariolæ di Mariano de Fontecchia erat filius quadriennis, nomine Floravantes, qui a nativitate utrumque crus habebat ita affectum, ut numquam gressum firmaturus videretur. Nihilominus pater die IV Aprilis anno MDXCV invocans B. Antonium filiolo perfectam incedendi facultatem impetravit.

implorata Eodem tempore D. Antonius ex oppido Retenca usum unius digiti recuperavit tangendo dumtaxat linteum, quo corpus B. Antonii coopertum erat, ut inter miracula, a Claudio relata, legitur.

C

Beati ope, Domina Julia Balnei Aquilana, circa annum MDXCV, sicut ipsa refert, tantis femoris cruciatibus afflicta fuit, ut per octo menses lecta affixa non potuerit se movere, nec ullum huic malo remedium invenire. Dum denique auxilium B. Antonii flagitat, cœpit dolor remittere, et intra paucos dies perfectam adepta est sanitatem ; in cujus signum in sacello Beati argenteum femur obtulit.

integras membrorum vires recipiunt. Anna Bruna, monialis in cœnobio Aquilano S. Luciæ ex doloribus per tres annos toleratis mansit debilitata coxendice, licet multa et varia in vanum huic infirmitati remedia adhibuisset. Demum B. Antonio promittit cereum donum, quod dum offert coram ejus effigie, quæ in dormitorio monasterii depicta est, pristinas vires omnino recuperavit.

Septem mulieres 27 Primum miraculum, quod post mortem B. Antonii patratum est, contigit uxori Joannis di Donato, quæ vehementi ophthalmia ac cephalalgia laborabat : nam visitans beati Antonii corpus, et se pie ejus patrocinio commendans, coram plurimis testibus repente utroque morbo liberata est. *EX MS. ITALICO*

a variis morbis Eodem tempore et coram iisdem testibus Marutia di Bene de Bazzano liberata est magno dolore, quem in una manu patiebatur.

et doloribus Altera mulier, nomine Sancta, præ vehementi capitis dolore per duos dies quiescere non poterat. At requiem invenit, et subito sanata est, simul atque ad B. Antonii patrocinium confugit.

liberatæ sunt, Domina altera, nomine Diana, magno corporis cruciatu per quinque menses affecta similiter se subito sanatam sensit, quando intercessionem B. Antonii imploraverat, ut supra dictus Franciscus de Bazzano legitime consignavit.

antequam corpus 28 Sabetta, uxor Dominici Aquetani de Riviere, ob ingentem membrorum dolorem quatuor annis se movere non potuit, donec post devotam B. Antonii invocationem plane convaluit.

B. Antonii Antonella quædam ad B. Antonii opem recurrens hydropisin statim deposuit.

E

capsæ inclusum est. Uxor Joannis de Grandis visitans corpus B. Antonii, liberata est cancro, quem per tres annos in una mamilla habuerat. Hæc septem miracula contigerunt, antequam corpus B. Antonii in capsa reclusum fuit, cum octo aliis, quæ alibi narrantur, sicut et multa alia, quæ non sunt litteris mandata.

Postea dolor mamillarum, Eodem anno MDXCIV Joanna, uxor Bartholomæi, per quatuor menses in mamillis vehementer inflatis magnum passa fuerat dolorem ; sed levamen sensit, quando auxilium B. Antonii imploravit.

genu disruptum, 29 Antonius, filius Joannis Honofrii de Paganica, eodem anno promisit, se tibiam ceream B. Antonio oblaturum ; et hoc pacto sanatum est genu ejus, quod erat disruptum, et ex quo putridus sanguis effluebat.

fluxus oculorum, Cum domina Camilla Dominici Joannis duos cereos oculos B. Antonio promisisset, continuo oculorum fluxu liberata est.

pedum cruciatus, Liberatus Joannes de Strato propter acerbum pedum dolorem per octo menses lecto decubuit ; at fiduciam in meritis B. Antonii collocans gressum recuperavit.

F

lepra, Religiosa quædam, nomine Vanna, solo tactu lintei, quod corpori B. Antonii impositum fuerat. coram suis sororibus et patre spirituali fugavit lepram, quæ per viginti annos manum suam infecerat.

lateris punctio, Petrus Francisci de sancto Silvestro violentis lateris doloribus oppressus, post invocatum B. Antonii præsidium, protinus lenimen expertus est.

spina dorsi male affecta. 30 Natalitia de Incordato, monialis ex Ordine S. Augustini, ob intolerabilem cruciatum in spina dorsi manibus pedibusque repere cogebatur, si quando ad alium locum se transferre vellet. In hoc misero statu ad B. Antonii patrocinium confugit, et mox sensit omnem dolorem ita dispelli, acsi a spina dorsi grave pondus auferretur, et manu cujusdam in pedes erigeretur. Quare læta confestim ad ecclesiam nostram perrexit, et quamvis januam templi clausam inveniret, noluit redire, donec Benefactori suo gratias egisset. Sic

ipsamet

Ex MS. Italico.

ipsamet cum vicaria sui monasterii anno MDCXXXVI affirmabat.

pes confractus

31 Prudentia Cia monialis testatur, quod anno MDCXXXIII pedem cadendo ita diffregerit, ut fulcris subalaribus nixa progredi cogeretur. Visitans vero sepulcrum B. Antonii sensit insolitum robur pedi suo infundi, ita ut jam sine ullo fulcro incedat, etsi nonnihil claudicet.

proles ægra,

Domina Portia Gentile anno MDCXXVI habens prolem infirmam, et videns eam humanis remediis non posse juvari, ad divinum auxilium confugit. Promittens itaque B. Antonio aliquod donum, illi sanitatem impetravit, et promissionem suam implevit.

et genuum debilitas patrocinio ejusdem curantur.

Magdalena Gatti Aquilana anno MDCXXXVIII post morbum unius mensis retinuit tantam genuum debilitatem, ut sine summo dolore non posset genuflexa Missæ sacrificio interesse. Postquam se sæpius B. Antonio commendasset, subito se sensit hoc malo liberatam tempore quodam matutino, dum ejus sepulcrum adiret. Unde in grati animi signum in sacello illius anathema obtulit.

B

Denique religiosus Augustinianus in spontaneo urinæ profluvio.

32 Religiosus Augustinianus, octodecim annos natus, anno præterito mihi asseruit, se paratum esse jurejurando testari. quod non solum in pueritia. sed etiam in hac sua ætate non potuerit urinam retinere, dum dormiebat, et quod numquam senserit infirmitatem illam minui, quamvis plurimis usus fuisset remediis, ac sese etiam variis Sanctis commendasset. Tandem Aquilæ habitans cœpit orationibus, quæ in sacello B. Antonii leguntur, istum Beatum invocare, et intra breve tempus hoc spontaneo urinæ profluvio liberatus est.

alius religiosus in gravi persecutione,

33 Superior cujusdam Ordinis religiosi, tum sinistris invidorum delationibus, tum propria animi aversatione instigatus, quemdam e subditis suis tanto odio persequebatur, ut levissima ejus errata gravissimis pœnis castigaret. Cupiebat miser coram Superiore falsas æmulorum accusationes refellere ac innocentiam suam ostendere; sed Superior eum nolebat audire, etiamsi subditus intercessione alterius alloquium obtinere niteretur. Demum videns, se nihil proficere, per multos dies B. Antonium oravit, ut sibi in his angustiis succurreret. Paulo post plane inexspectato modo licentiam se defendendi accepit, et Superiorem, quem hactenus durum dominum expertus fuerat, benignum patrem invenit. Quin imo Superior dolens, sese accusatoribus ejus nimis faciles aures præbuisse, honorificentiora illi officia procuravit. Totam hanc rerum mutationem, quam humanis mediis impetrare non potuerat, divinis consiliis et B. Antonii intercessioni acceptam refert.

C

mulier in periculoso puerperio,

34 Magdalena Ciampa, uxor Josephi Felicis Aquilani anno MDCXXXVIII tantos in primo puerperio passa est dolores, ut vitæ suæ timeret. Crescebat autem timor iste, quando cogitabat, eodem fere tempore duas suas sorores in puerperio mortuas esse. Sed tunc recordata miraculorum, quæ meritis B. Antonii patrabantur, et sese illi commendans, statim peperit filium, cui nomen Francisci Antonii imponi voluit, et die XXVIII Junii anathema pro accepto beneficio obtulit.

D

ac creditor in difficili debitore opem Beati experti sunt.

35 Dominus Josephus Colizza Aquilanus ferme per tres annos cum quodam debitore suo litigarat, et nullo modo eum ad justam solutionem movere potuerat. Die festo B. Antonii ecclesiam nostram ingressus negotium isti Beato commendavit. At ecce eodem die debitor ultro litem componere voluit, et meliores conditiones obtulit, quam creditor antea exegerat. Re igitur amice transacta, D. Josephus in signum accepti beneficii argenteum anathema in tabulis votivis suspendi jussit.

CAPUT IV.

Varii ægroti uncti oleo, quo B. Antonius ad fugandos morbos in vita utebatur, sanitatem subito recuperant.

E

Narratur, quomodo oleum B. Antonii post multos annos inventum fuerit,

Beatus Antonius ad sanandos ægros sæpe utebatur quodam oleo, ut supra in ejus Vita diximus. Cum vero beatus Vir in magna sanctitatis opinione exspirasset, quisque sibi aliquas ejus reliquias comparabat. Inter alios sacerdos quidam Augustinianus abstulit lagenam, in qua salutiferum oleum conservare solebat, eamque in patriam suam secum referre desiderabat. Idcirco eam in angulo cubiculi sui abscondit, et quamvis gravi morbo oppressus, nemini revelare voluit, sperans, sese pristinæ sanitati restituendum. Sed cum is præter opinionem suam obiisset, lagena illa mansit abscondita usque ad annum MDLXIV, quo P. Paulus Aquilanus vidit insolitum splendorem et radio solari similem ex isto angulo prodire. Miratus rei novitatem accessit ad locum resplendentem, et amotis aranearum telis invenit lagenam, cui agglutinata erat carta cum hac inscriptione : OLEUM BEATI ANTONII. Igitur P. Paulus magna cum reverentia illam accepit, et obtulit R. P. Priori, qui eam in sacrario reponi jussit, ac oleum ægris desiderantibus communicari. Cum autem oleum illud non solum ab Aquilanis, sed etiam a multis longinquarum civitatum incolis petatur, istud oleo communi statim miscetur. ne lagena brevi tempore evacuetur. Porro per oleum istud ægris innumera collata sunt beneficia, quorum jam nulla superest memoria. Quare hic sine ullo temporis ordine dumtaxat referam ea, quæ ad notitiam meam pervenerunt.

F

quo in muliere gravis morbus,

37 Anno MDCXIX Margarita, uxor Felicis Joannis de Calzolaro Aquilani, per tres menses decubuit afflicta ignoto morbo, qui ei continuo mortem minitabatur. Quatuor medici nempe Salvator Massonius, Pirrhus Fonticula, Andreas Zoccolo et D. Scorzese post adhibitam diligenter operam nullum malo remedium inveniebant. Tandem in ultimum vitæ discrimen adducta animam extremis Ecclesiæ Sacramentis præmunivit, ac testamentum condidit. Sed cum P. Augustinus Aquilanus, ejus confessarius, illi memoratum oleum obtulisset, statim melius habere cœpit, et intra paucos dies pristinæ sanitati restituta

A stituta est, ut ipsa cum marito, et Vigilia d'Agnone monialis, aliique testantur.

In fabro ferrario periculosum vulnus,

38 Thesaurarius civitatis Aquilanæ ab aliquot annis accersiri jussit Joannem Marinum Justiniani, fabrum ferrarium, ut quasdam D. Joannis Marini Febioni capsas aperiret. Inter alias unam aperuit, in qua erant subulæ, qualibus sutores uti consueverunt. Cum vero eas extraheret, una earum in terram decidit cuspide in altum erecta, in quam faber ferrarius inconsiderate genu suum infixit. Tunc autem dolorem vix sentiens, nullum vulneri adhibuit remedium. At sequenti die volens e lecto surgere vidit genu inflatum et ita affectum, ut non nisi claudicando posset incedere. Vesperi chirurgus applicuit ei emplastrum; sed mox tantum sensit dolorem, ut magno clamore sorores advocaret, quarum una, ablato emplastro, partem læsam unxit præfato oleo, quod tunc forte alia occasione domi conservabant. Subito adolescens tantum sensit doloris lenimen, ut placide obdormierit, et postero die sine ullo altero remedio se plane sanatum invenerit.

B

et in ejus sorore apostema,

39 Anno MDCXXXV Dorothea Justiniani soror prædicti fabri ferrarii, et uxor Francisci Igalea Aquilani, habuit circa ventrem apostema, quod eam tanto dolore afficiebat, ut nec die nec nocte posset quiescere. Tota familia assiduo occupabatur calefaciendis linteis, ut cruciatum aliquo modo lenirent. Sed cum post hæc aliaque remedia malum non minueretur, tandem apostema incidere decreverunt. Dum ejus maritus adit chirurgum, soror illius eam oleo B. Antonii unxit, ac crucis signum formavit. Ecce statim apostema ultro apertum est a parte exteriore, cum ab interiori naturaliter disrumpi debuisset, et omnis sanies sponte effluens mulierem ab omni dolore et periculo liberam reliquit. Ita ipsa cum reliquis domesticis testatur.

ejusque fratre angina pelluntur.

40 Reverendus dominus Franciscus Justiniani sacerdos, et supra memoratorum frater, coram omnibus Patribus nostris asseruit, quod sæpius angina laboraverit, et habuerit fauces interius ulceratas, ita ut sine summo dolore manducare non posset. Remediis quidem crebro malum pel-

C lebat, sed identidem redibat. Quodam tempore iterum easdem angustias tolerans vidit domi ampullam, rogansque, quid in ea esset, intellexit, esse oleum B. Antonii. Itaque genua flectens, recitatis aliquot orationibus, fauces suas exterius unxit, et non solum statim sanatus est, verum etiam deinceps ab eodem malo liber exstitit, ut ipsemet affirmat.

Quinque feminæ

41 Faustina, uxor Augustini Capece, fuit oppressa cruciatu, qui dolores partus superare videbatur. Hinc sæpe clamoribus quietem monasterii nostri turbabat, ita ut R. P. Spiritus juxta testimonium Virgiliæ d'Agnone monialis nostræ impatiens istarum ejulationum, subito iræ motu abreptus, per fenestram clamaret: Quandonam tandem partus ille finietur? Cum autem misera mulier, quæ sine summo dolore moveri non poterat, et nullum in arte medica solatium invenerat, post quindecim dies prædicto oleo inuncta fuisset, brevi pristinam sanitatem recuperavit.

B. Antonium invocantes,

Diana de Sanctis, monialis nostra Aquilæ, quodam tempore habuit genu ita inflatum, ut vix se posset movere. Post adhibita in vanum multa remedia vesperi se unxit isto oleo, et mane sine ullo mali indicio se sanam invenit.

EX MS. ITALICO.

et oleo isto unctæ

42 Cynthia Nardis, uxor D. Hieronymi Salvati, spatio quinque mensium tantos dolores passa est, ut in lecto tantummodo posset sedere. Quo autem pluribus utebatur medicamentis, eo minus morbi lenimentum experiebatur. Tandem D. Sebastianus Nardis ipsi dixit: Si te non sanet oleum B. Antonii, nullum est morbo tuo remedium. Cynthia, hoc audito, fide et devotione plena sese B. Antonio commendavit, et hoc oleum quæri jussit. Porro quanto magis oleum istud miseræ mulieri appropinquabat, tanto magis dolorem suum minui sentiebat, ac demum illo inuncta confestim convaluit, ut ipsa hodie narrat cum Prudentia moniali nostra, quæ huic subitæ sanationi interfuit.

varios corporis cruciatus

43 Lucia Fornarecci Aquilana maximos in stomacho et matrice patiebatur dolores. Cum se humanis mediis nihil proficere cerneret, oleo B. Antonii sese unxit, et statim lenimen sensit. Postea eodem morbo redeunte, idem remedium E adhibuit, et semper diminutionem doloris experta est, ut P. Joannes Chrysostomus testis oculatus et hujus rei optime conscius mihi affirmavit.

evadunt.

Anno MDCXXXII Amabilia Alexandri Strozza ex pago sancti Angeli, habens decem ætatis annos, tam gravibus per totum corpus vexabatur cruciatibus, ut maximos clamores ederet, et non sine summo dolore in lecto moveri posset. Spatio quindecim dierum nullum somnum cepit, nec ullum ex medicorum remediis levamen sensit. Denique hoc oleo uncta placide per totam noctem dormivit, ac mane expergiscens se omni dolore et morbo liberatam comperit, sicut Albericus Strozza ejus consanguineus mihi narravit.

Per istud oleum juvenis sanitatem,

44 Franciscus Pontiano ex eodem pago sancti Angeli anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, ætatis suæ vigesimo quinto per mensem et amplius tantis doloribus fuit afflictus, ut semper lecto decumbere cogeretur. Tandem a sorore sua unctus hoc oleo statim melius habere cœpit, et intra paucos dies plane convaluit, ut supradictus Albericus Strozza mihi exposuit.

F

mulier usum membrorum,

Aurelia Jacobi ex eodem pago mulier sexagenaria, ut refert memoratus Albericus, anno MDCXXXIV tantis corporis cruciatibus obruebatur, ut omnium membrorum usu capta solis linteis in lecto revolvi posset. Dum Angelicus filius ejus clericus eam hoc oleo ungit, statim sanitatem recuperat.

et puer ex parte calvus miro modo capillos obtinet.

Cæsar, filius Bartholomæi de Simeonibus, uti narrat D. Doctor d'Horatio ex eadem familia, in una parte capitis nullos a nativitate habuerat capillos: unde plane deformis apparebat. Cum B. Antonio commendatus et oleo ejus unctus fuisset, orti sunt in ea parte capilli flavi, qui postea in nigrum colorem transierunt, atque aliis ita similes facti sunt, acsi numquam hoc defectu laborasset.

Hoc oleo tumor in femore

45 Anno MDCXXXII Philippus Joannis Angeli de Tornamparte in femore sinistro habuit tumorem similem apostemati, qui indies cresceus tandem illum claudicare coegit. Postquam per annum integrum hoc malo vexatus fuisset, suasione P. Matthæi Aquilani venit Aquilam, ut oleo

EX MS. ITALICO.

oleo B. Antonii ungeretur. Quamvis non statim post unctionem istud malum discesserit, tamen tumor antea durus paulatim cœpit mollescere, et tandem sine ulla fluxione evanuit.

dolor lateris, Mense Maio anni MDCXXXVI P. Deodatus Aquilanus ex Ordine S. Augustini per quindecim dies affligebatur dolore lateris, ita ut nec comedere nec se erigere aut inclinare posset. Cum sese oleo B. Antonii unxisset, dolor descendit in coxam femoris dextri, cumque ibi memorato oleo signum crucis formasset, postero die perfecte convaluit.

pectoris et umbilici cruciatus, 46 Cum Baptista Lombardus, elegans lignei operis artifex, præ intolerabili pectoris et umbilici dolore per quinque dies lecto decubuisset, memoratus P. Deodatus prædicto anno illum unxit eodem oleo, ex quo ita sanatus est, ut sequenti die ad consuetum laborem suum redierit.

febres Catharina, uxor prædicti artificis, ob febrim aliosque morbos eodem tempore per quindecim dies lecto affixa fuerat. Itaque etiam hoc oleo uncta fuit, et quamvis primo pedibus consistere

B non posset, tamen eodem die pristinis viribus restituta est.

in duabus mulieribus, Victoria Porani, uxor Pauli Reatini, qui habitabat Aquilæ, per mensem et ultra febribus extenuata post tentatam frustra medicorum industriam hoc oleo usa est, et sequenti die febrim evasit, uti præfatus P. Deodatus testis oculatus affirmat.

diuturnus morbus, 47 Rusticus quidam de Bagno per octo menses præ morbo non valens labore victum acquirere, intellecta hujus olei virtute, sese eo ungi petiit, et mense Junio anni MDCXXXVI intra paucos dies sanatus ivit ad laborandum in agro Romano.

respirandi difficultas, Clara Gilioli Veneta, uxor Francisci Gilioli incolæ Aquilani, anno MDCXXXV circa festa Natalitia tali laboravit morbo, ut respirationem sibi intercludi sentiens de nocte vocaverit ancillam suam Elisabetham, cui dixit : Hei mihi respirare vix possum! Videor mihi suffocari! Tunc uncta hoc oleo, quod forte antea ob ægritudinem filioli sui accersi jusserat, subito angustia illa præteriit et liberam respirandi facultatem acce-

C pit, ut ipsa ejusque maritus et ancilla testantur.

podagra, 48 Dominus Alexander Dragonetti intolerabilibus podagræ doloribus cruciatus nullum acuti istius tormenti levamen inveniebat, nisi in hujus olei unctione : nam experientia didicit, toties dolorem illum minui, quoties sese ungebat.

Joannes Bruno notarius Aquilanus in eodem morbo similem dolorum diminutionem sese in hac unctione expertum fuisse asserit.

aliique morbi Anno MDCXXXV die XXVI Decembris uxor præfati D. Alexandri Dragonetti venit ad ecclesiam S. Augustini, ut maritum suum, rursus morbo laborantem, B. Antonio commendaret, et ea occasione mihi narravit, quomodo initio matrimonii sui opem ejusdem Beati experta fuisset : tunc enim maritus ejus podagra aliisque morbis ita erat afflictus, ut de vita illius actum videretur. Dum itaque mœrore oppressa nil nisi mortem ejus exspectabat, venit ad portam ignota quædam paupercula, quæ se Mariam appellabat, et quam numquam deinceps vidit. Hæc tristitiæ causam sciscitatur, eaque intellecta, dicit : Si maritum tuum sanari velis, commenda eum B. D Antonio, qui in ecclesia S. Augustini quiescit, illumque oleo ejus unge. Tum matrona petiit istud oleum, cujus antea notitiam non habebat, et eo maritum unxit, qui statim melius habere cœpit, et intra breve tempus cum tota familia venit ad ecclesiam S. Augustini, ubi ipsemet ministravit Missæ, quam pro gratiarum actione celebrari jusserat.

mirabiliter fugantur. 49 Paulus Rainaldi, ludimagister in civitate Sulmonensi, habens circiter quinquaginta quinque ætatis annos circa finem anni MDCXXXIV propter intensum frigus vehementissime podagra affligebatur. Mense Januario sequentis anni unxit sese jam sæpe memorato oleo, et tantum levamen sensit, ut postero die surrexerit, et scholam adierit, in qua jam alterum suo loco substituerat. Quamvis autem intensum frigus istud per quindecim dies adhuc duraret, tamen ab illo malo plane liber exstitit, uti ego cum aliis vidi.

Post sanationem ingratus et diffidens punitur; 50 Vincentius Sardi Sulmonensis mense Septembri anni MDCXXXIV in omnibus membrorum juncturis dolorem patiebatur; præterea accesserat nausea cibi et tam vehemens oculorum fluxus, ut omnes eum visu privandum existimarent E : nam oculos habebat inflatos, lippos, atque ita debilitatos, ut hominem duabus cannis a se distantem non cognosceret. Post adhibita in vanum plura remedia tandem festo Purificationis beatissimæ Virginis Mariæ sacerdos quidam ex Ordine nostro excepit ejus confessionem, et recitatis gloriosæ Virginis Litaniis, unxit eum oleo B. Antonii, et sese, postea rediturum promisit. Reversus itaque ad ipsum sequenti die advertit, in sinistro ejus oculo aliquid mali dumtaxat superesse. Quare eum secundo unxit, atque etiam in honorem sanctissimæ Trinitatis sese id tertia vice facturum spopondit. Sacerdos postero die iterum redit, et ægrum ita oculis valentem invenit, ut in plena luce libellum parvi characteris posset legere. Post tertiam unctionem sacerdos eum interrogavit, an non posset incedere. Cumque æger respondisset, se nondum posse gressum firmare, nihilominus sacerdos confidenter dixit : Cras te exspectabo in templo S. Augustini, ut Deo et B. Antonio gratias agas : spero F enim, fore ut Deus per intercessionem B. Antonii tibi vires largiatur, ut id facere possis. Vincentius mane e lecto surrexit, sed ad ecclesiam non venit, quamvis facile potuisset. Redit igitur sacerdos, et inveniens eum sine ciborum nausea, sine dolore et ullo oculorum impedimento ait : Gaudeo, domine Vincenti, te ita sanitati restitutum esse. Cui ille : Equidem Dei gratia et intercessione B. Antonii sanatus sum; sed dubito, an in eumdem morbum non sim relapsurus. Huic respondit sacerdos verbis Christi : Ecce sanus factus es; jam noli peccare, atque ita eum sanum reliquit. Post aliquot dies Vincentius in eumdem morbum incidit, quod verosimiliter contigit, quia patrocinio B. Antonii non satis confidebat, vel quia in signum grati animi sepulcrum ejus adire neglexit, cum facile potuisset. Hæc omnia testes oculati Sulmone sub juramento deposuerunt.

sed multi alii. 51 Dominicus di Zotto Aquilanus habuit in tibia ulcus ita inveteratum, ut nullis remediis de-

pelli

A pelli posset. Audiens autem miracula B. Antonii petiit locum ulceratum cruce signari atque ipsius oleo ungi. Sequenti die fructum suæ devotionis recepit, et sese sanatum invenit, uti P. Simplicianus sub juramento testatur, et mihi ex certa scientia retulit P. Nicolaus a S. Valentino qui tunc temporis Aquilæ habitabat.

implorato B. Antonii auxilio, Eodem tempore aderat supradicto Dominico alter, qui habebat collum ita rigidum, ut caput sine toto corpore vertere non posset. Sicut autem iste cum præfato Dominico unctus est, ita etiam cum illo plenam sanitatem accepit.

et magna cum fiducia Cum mense Septembri anni MDCXXXV Hieronymus, agricola nostri cœnobii, partem frumenti ad nos deferret, querebatur de magnis doloribus quos per totum corpus sustinuerat. Datum itaque fuit ipsi hoc oleum, quo se ungens pristinam sanitatem recuperavit, sicut filii ejus mihi narraverunt.

hoc oleo usi 52 Anno MDCXXXVI P. Valentinus Perusinus, ex Ordine S. Augustini, tantos passus fuerat dolores, ut per tres menses lecto decumbere coactus B fuerit, et per duos menses sine fulcris subalaribus incedere non potuerit. Quando anno sequenti habitabat Aquilæ, idem morbus reditum minabatur, et jam illi dolores eum cruciare incipiebant. Quare recitatis orationibus, quæ in sacello B. Antonii conservantur, sese ipsius oleo unxit, et ita ingruentem morbum stitit, ut nunc omni dolore liber vivat.

variis morbis Narrat Livia, uxor D. Lelii de Tossa, multa a B. Antonio præstita fuisse beneficia suis filiis, ac præsertim suo marito, qui in gravi morbo unctus ipsius oleo statim sanitatem recepit.

Julius Cæsar Arquilla de germana sua narrat, quod a viginti annis, quando primum matrimonio juncta fuerat, collum plane strumosum habuerit. Quanto autem plura huic malo remedia adhibebat, tanto plures strumæ exoriebantur. Tandem commendans se B. Antonio collum suum oleo unxit, et hoc morbo liberata est.

et doloribus a 53 Anna Tartara, monialis nostri Ordinis *a*, in Quadragesima anni MDCXXXVIII aliquot diebus tantos in humeris et collo tolerabat cruciatus, ut caput movere non posset. Post tertiam istius C olei unctionem sensit sibi omnem dolorem auferri, et perfectæ sanitati restituta est.

liberantur. Anno MDCXXXVII Carolus Cià Aquilanus festo S. Martini habuit oculum sinistrum ita inflatum, ut cæcitatis periculum incurreret. Præterea præ dolore oculos aut caput attollere non poterat, et remediis depulsum per aliquot dies malum identidem redibat. Ita misere vixit usque ad festum B. Antonii, quando ejus oleo unctus et baculo tactus intra duos dies omnino convaluit, et pro gratiarum actione Missam in ejus sacello celebrari curavit.

ANNOTATA.

a *Ordinis scilicet Eremitarum S. Augustini, quem auctor amplexus fuerat.*

EX MS. ITALICO.

CAPUT V.

Miracula, quæ per B. Antonii baculum, cucullum et pileum patrata sunt.

Aquilæ in ecclesia nostra conservamus baculum, quo B. Antonius ob claudicationis incommodum utebatur, ut in Vita ejus dictum est. *Baculus B. Antonii prodest* Fama publica est, tactu istius baculi plurimos ægros fuisse pristinæ sanitati restitutos, cujus rei jam aliquot exempla proferemus. Donata, uxor Josephi Ventiquattro Aquilani, ob pariendi angustias ad ultimum vitæ discrimen adducta erat. Cum ei impositus fuisset memoratus Beati baculus, fœtum mortuum et putridum emisit, et ipsa interim salva et incolumis evasit, ut non solum in Claudio legitur, sed etiam a D. Jacobo Jacobetti Aquilano, teste oculato, confirmatur. E

55 Anno MDCXII mulier habitans in castro civitatis Aquilanæ similiter ob partus difficultatem *quibusdam mulieribus* morti propinquabat. Imposito B. Antonii baculo, quem Pompeius noster frater laïcus ei attulerat, feliciter peperit, uti narrat P. Simplicianus Sulmonensis, qui tunc sacrario nostro Aquilano præerat. Mulier illa post hoc beneficium tantam in isto Beato habebat fiduciam, ut ex fracto baculo sibi frustum retinuerit, sperans, sese in aliis periculis intercessione ejus liberandam. Sed plane contrarium accidit : nam statim afflicta est febri, quæ tanto fiebat violentior, quanto majora adhibebat remedia. Igitur suspicata, id sibi contigisse, quia baculi partem clam retinuerat, statim eam restituit et simul morbo liberata est. Pars autem illa annulo argenteo cum reliquo baculo conjuncta fuit, sicut præfatus P. Simplicianus testatur.

Uxor judicis Aquilani anno MDCIII parere non valens in manifesto vitæ periculo versabatur. Evasit tamen tactu præfati baculi, quem postea remisit cum eleemosyna, ut in libro monasterii nostri notatum est. F

56 Anno MDCXXXI Margarita, uxor D. Felicis *in partu periclitantibus* Giovani, ob eamdem causam magnum de vicina morte conceperat timorem, quamvis jam sæpius peperisset. Timor autem ille crescebat, quia intellexerat, Franciscam Marciottam circa illud tempus in partu mortuam esse. Jam itaque se ad mortem pie obeundam comparaverat; sed tacta B. Antonii baculo, feliciter prolem masculam edidit, ut mihi primum P. Antonius Aquilanus ejus filius, et postmodum ipsamet cum aliis retulit.

Julia Rivera, uxor D. Ascanii Alfieri Aquilani anno MDCXXXVII partui propinquans post continuos unius diei et noctis dolores edidit filiolum, simul atque ei baculus B. Antonii allatus fuerat, sicut D. Octavius Nardis, illius gener, mihi narravit.

Anno MDCXXXVI Barbara Alfieri, uxor supradicti D. Octavii per duas horas et mediam ante primum suum partum intolerabiles passa fuerat angustias. Videns, se non posse parere, petiit B.

EX MS. ITALICO.

Antonii baculum, quo allato, facile peperit filiolum, ut maritus ejus cum D. Cinthia Salvati mihi exposuit.

Quatuor moniales, cephalalgia laborantes,

57 Quando P. Mansuetus Aquilanus erat confessarius monialium S. Luciæ, quatuor istius cœnobii moniales, nempe Euangelista Rosis, Apolonia de Luculo, Amadia de Cresio et Clara Rosis, eodem tempore cephalalgia laborabant. Tactæ autem hoc baculo in capite omnes quatuor eodem tempore mox sanatæ fuerunt, sicut abbatissa cum aliis testatur.

vir

Lelius Pio Aquilanus post gravem duorum mensium morbum ad extremum vitæ terminum pervenerat. Contactu autem istius baculi melius habere cœpit et intra breve tempus plane convaluit, uti de visu narrat frater noster Constantius laïcus, qui ei prædictum baculum attulerat.

et mulier a medicis deposita,

Anno MDCXXII Elisabetha Romanelli incidit in morbum adeo gravem, ut a medicis deposita, quamprimum moritura putaretur. Allato ad eam hoc baculo, pristinam sanitatem brevi recuperavit, ut D. Josephus Romanelli affirmat.

B

aliique post graves morbos

58 Salvator de Bernardino Aquilanus festo S. Bartholomæi anno MDCXXXVI incidit in febrim, quæ postea tantam malignitatem prodidit, ut medici, videlicet Julius Cæsar Benedictis et Joannes Baptista della Grascia, de vita ejus desperarent. Ille, intellecto suo periculo, ad opem B. Antonii confugit, atque ejus baculum afferri jussit : quo accepto, melius habere cœpit, et intra breve tempus omnino sanatus in grati animi signum Missæ interfuit, quam in Beati sacello celebrari curavit. Hoc a multis audivi, et postmodum ex ipsomet Salvatore intellexi.

eodem baculo tacti

Bartholomæus sartor, filius Joannis Pulci, die XXII Novembris anno MDCXXXVII in signum grati animi misit oleum pro lampade B. Antonii, quia usque ad mortem ægrotus et a medico depositus tactu illius baculi sanitatem recuperarat, uti Franciscus Cianche ejus consanguineus testatur.

convaluerunt.

Franciscus Tenti Aquilanus anno MDCXXXVIII, ut ipsemet refert, perdidit usum oculi dextri, in quo prius albam maculam habuerat. Post tentata in vanum varia remedia opem B. Antonii imploravit, ejusque baculum sibi afferri jussit.

C

Post tres dies visu perfecte recuperato, in signum accepti beneficii sepulcrum Beati visitavit, et pro gratiarum actione Missam in ejus sacello celebrari curavit.

Cucullus ejusdem Beati, qui Sulmone servatur,

59 Non possum sine tristitia commemorare, quid acciderit albo B. Antonii cucullo, quem P. Antonius et P. Bartholomæus Sulmonenses in patriam suam detulerunt : nam centum et viginti annis ita integre et nitide conservatus fuit, quamvis ad varios ægros deferretur, ut quasi adhuc novus appareret. Sed a viginti annis tam exigua istius sacri thesauri cura habita est, ut, quibusdam partes ex eo decerpentibus, omnino laceratus sit, et omnem cuculli figuram perdiderit. Verum sicut istud infortunium sine dolore narrare non potui, ita cum gaudio referam miracula, per has reliquias patrata, quæ Sulmone coram illustrissimo ac reverendissimo D. Francisco de Cavalieri, istius civitatis episcopo, testes jurati deposuerunt.

virum gravissimo morbo,

60 Josephus Parentela post morbum unius mensis eo devenerat, ut jam legerentur preces, quibus anima ad Creatorem profectura commendari solet. Sed cum P. Daniel Sulmonensis ei cucullum B. Antonii imposuisset, cœpit subito melius habere, et post paucos dies omnino sanari, uti Hieronymus del Re sacerdos de visu testatur. D

et monialem magna debilitate liberat.

Julia Parentela Sulmonensis monialis Augustiniana ob diuturnum morbum ita erat debilis, ut nec pedibus consistere nec cibum sumptura manum ori admovere posset. Cum prædictus P. Daniel eam cucullo B. Antonii tetigisset, statim infirmitas discessit, et ipsa e lecto surgens cœpit ambulare, uti præter P. Simplicianum testatur F. Franciscus laicus, qui P. Danielem comitatus fuerat.

Pileus B. Antonii, in Saxaferratensi monialium cœnobio conservatus,

61 Moniales in Saxoferratensi S. Hieronymi monasterio cum summa reverentia asservant pileum B. Antonii, quem P. Anselmus Saxoferratensis eo detulit. Deus autem per has reliquias varia patravit miracula, uti moniales continua traditione acceperunt. Sed quoniam antiquiora beneficia non sunt litteris mandata, et ob testium mortem hodiedum probari non possunt, saltem referam aliquot recentiora, viventibus adhuc illis, quibus ea contigerunt, vel qui ea viderunt. E Dominus Arsenius Chirurgi Saxoferratensis, D. Emilius Manari et Jacoba Venanzi ejus uxor, Maria Francisca Santarelli et Baptista Mona d'Anema ambæ moniales cœnobii Hieronymiani, Magdalena Bentivogli et Violanta Manara puellæ, quæ in dicto monasterio educabantur, omnes diverso tempore magnum capitis dolorem tolerarunt, et contactu istius pilei statim sese eo liberari senserunt.

variis monialibus istius cœnobii,

62 Sebastiana Vetoli puella, memorati monasterii alumna, Faustina Venanzi monialis, D. Petrottus, et Maria Cecilia Gregorii monialis Saxoferratensis testantur, sese tactu ejusdem pilei diuturnum capitis dolorem dispulisse.

aliisque ægrotis,

Pater Ægidius Saxoferratensis ex Ordine S. Augustini tanto capitis dolore affligebatur, ut nullo modo posset quiescere. Sed imponens sibi hunc pileum statim liberatus est, ut ipsemet affirmat, et P. Simplicianus testatur, qui ipsi adfuit.

Cum Anna Maria Oliva Romana, monialis præfati cœnobii, cadendo graviter caput læsisset, F medici post alia remedia nihil proficientia judicarunt, cranium ipsius terebra perforandum esse. Interim sibi pileum B. Antonii imposuit, et sine ulla chirurgi aut medicorum opera anno MDCXXV sanitatem adepta est.

Eadem Anna Maria Oliva alias dolore capitis vexabatur, et ejusdem pilei impositione ab eo liberata est. Quare soror ejus Angela Paula Oliva vigiliam B. Antonii celebrare promisit.

sanitatem attulit.

Jacobus Sbaracini Saxoferratensis chirurgus, febri et summo capitis dolore oppressus, etiam hunc pileum sibi applicuit, et confestim opem B. Antonii expertus est.

Epilogus. a

Cum jam ad lucubrationis meæ finem pervenerim *a*, eam tibi, beate Antoni, etsi impolitam dedico et consecro, precorque, ut apud Deum et sanctissimam ejus matrem Mariam pro meis erroribus et peccatis intercedas, mihique gratiam impetres, ut invisibilium hostium insidias evitem in hac vita et tecum postea gaudeam in æterna gloria. Amen.

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Hic quidem Ciminellus miraculis a se collectis finem imponit; sed tamen postea adhuc alia collegit, ut inter sequentia observabo.*

ALIA MIRACULA

A Carolo Ciminello, aliisque collecta, et hic ex eorum Mss. edita.

B

CAPUT I.

Miracula, quæ anno MDCXLV *conscripta fuerunt.*

Febris et cephalalgia, Martha, uxor D. Augustini Lepore Aquilani, mense Julio anni MDCXXXVIII habuit filiam, quæ per quindecim dies febri et capitis dolore afflicta lecto decubuit. Cum nihil prodessent remedia, quæ D. Joannes Baptista della Grascia medicus præscripserat, mater consilio Prudentiæ monialis nostræ sepulcrum B. Antonii visitavit, atque ei filiam commendavit. Deinde petiit jam sæpe dictum Beati oleum, eoque filiam unxit. Vix unctione peracta, vidit eam febri et cephalalgia liberatam, et die VII Septembris anno præfato Missam celebrari jussit, ut debitas Deo et Beato gratias ageret.

dentium dolor, Justa Joannis d'Aragno mense Octobri anni MDCXXXIV tanto dentium dolore vexata fuit, ut per octo dies nullam quietem inveniret. Simulatque autem se B. Antonio commendavit, dolor ille discessit, et ipsa pro accepto beneficio Missam celebrari jussit.

C

tibiæ debilitas 64 Josephus Emiliani Aquilanus per multos annos passus est dolorem in coxa, ita ut trahens unam tibiam tempore præsertim humido nixus baculo incedere cogeretur. Credidit autem, se ischiade laborare, cum nullis medicamentis hunc dolorem posset fugare. Tandem uxor ipsius, ut ipsamet refert, eum B. Antonio commendavit, et donum quoddam promisit. Vix facto voto, maritus isto dolore liberatus est, et ipsa anno MDCXXXVIII argenteam tibiam cum coxendice obtulit.

falsi humores, Margarita Pisella Aquilana circa finem anni MDCXXXVIII et initio sequentis habuit in capite falsos humores, quos nullis remediis poterat pellere. Denique adhibito oleo B. Antonii, sanata est, et pro beneficio accepto obtulit cereum caput, sicuti voverat.

malignæ 65 Jacobus Gentile Aquilanus anno MDCXXXVII maligna febri correptus in manifestum vitæ periculum venerat. Cum a D. Alexandra Loddi uxore sua fuisset B. Antonio commendatus, brevi sanitatem obtinuit, et ipsa pro beneficio grata Missam in Beati sacello fieri curavit. Ita testatur R. D. Josephus Colizza sacerdos Aquilanus, qui jussu meo illud indagavit, et rem omnem ex domesticis intellexit. EX MS. ITALICO.

febres, Philippus Damianus, filius D. Hippolyti Ciampella Aquilani, mense Novembri anno MDCXXXVIII tanta febri fuit oppressus, ut medici vitæ ejus timerent. Sed a matre sua Anna unctus oleo B. Antonii cœpit melius habere, et brevi perfectam sanitatem consecutus est. Quare mater misit D. Guerrieri cum pecunia, ut in gratiarum actionem Missa celebraretur.

ischias, 66 Beatrix Felicis de Colacchio die XXII Junii anno MDCXXXVIII propter ischiadis dolores lecto affixa fuit, ita ut se movere vix posset, et post plura remedia mense Augusto majores toleraret cruciatus. Tunc autem recordata B. Antonii, sese ei aliisque Sanctis commendat, et singulorum sepulcra se visitaturam spondet. Voto facto, cœpit convalescere, et circa finem Augusti e lecto surgens votum suum implevit. E

aliaque morborum genera Sabetta d'Aperice, nostra monialis Aquilana, fatetur sese B. Antonio debere sanationem unius genu, cui diu frustra varia medicamina applicuerat, et in quo summum dolorem patiebatur, donec illum unctione salutiferi olei fugavit. Præterea affirmat, se intercessione ejusdem Beati præsenti mortis periculo ereptam fuisse, quando mense Novembri anni MDCXXXIX per montes de Cicoli cum sua nepte ejusque marito Aquilam redibat.

intercessione B. Antonii fugantur. 67 Hoc tempore allatum est anathema argenteum cum puello fasciis involuto, qui invocatione B. Antonii sanitatem obtinuerat. Quamvis autem illius mater cum tota familia Beati sepulcrum visitaverit, et ibidem pro accepto beneficio Missam celebrari curaverit, scire non potui, quænam fuerit.

Ursula del Cardinale Aquilana firmiter sibi persuadet, sese ope B. Antonii a gravi morbo liberatam fuisse, et idcirco mense Novembri anni MDCXXXIX anathema argenteum obtulit.

Magdalena, filia D. Sempronii Justiniani Aquilani, asserit, sese post toleratum per sedecim horas continuas dentium dolorem protinus liberatam fuisse, quando se oleo B. Antonii unxit. F

Ab aliquot diebus ad sacellum B. Antonii allata est coxendix argentea cum altero anathemate argenteo, quod figuram feminæ referebat. Sed non potui rescire, quorum ea dona fuerint.

Præterea sacerdos calculo laborans, 68 Mense Maio anni MDCXL R. D. Hieronymus Balnei sacerdos Aquilanus calculo laboravit, et unus lapillus ita transversim in virga hærebat, ut eum nullo modo posset emittere. Interim gravissimo affectus dolore se B. Antonio commendabat. Dum vero ad altare ipsius Missam celebrat, sentit inverti lapillum, quem finita Missa facile emisit, et in signum accepti beneficii aræ imposuit.

auctoris nepos letali morte affectus, Quando mense Junio anni MDCXL meus ex fratre nepos Julianus Ciminelli *a* agebat nonum ætatis annum, laboravit morbo quodam *b*, quem Julius Cæsar Benedetti aliique medici letalem judicabant. Commendatus autem B. Antonio cum omnium

EX MS. ITALICO

omnium admiratione convaluit. Multi alii, qui Beati istius oleum adhibuerunt, eodem morbo liberati sunt.

monialis doloribus ischiadis vexata,

69 Maria monialis in cœnobio S. Antonii Patavini Perusii anno MDCXXXIX dolores ischiadis passa est, ob quos plerumque lecto decumbere cogebatur. Primo adhibuit quædam remedia, quibus etiam dolor repressus est; sed post paucos dies iterum redibat. Intellecta igitur virtute olei, quod vulgo B. Antonii appellatur, eo se unxit, et constanter pristinæ sanitati restituta est. Quare in signum grati animi quotidie memoriam istius Beati celebrat, recitando eas antiphonas et orationes, quæ in ejus sacello publice exponuntur.

mulier gravi febri oppressa,

Anno MDCXL Ludovica, neptis Joannis Petri de Crusa, per mensem gravi febri oppressa et B. Antonio commendata sanitatem recuperavit. Quapropter die VII Januarii anno MDCXLI pro beneficio accepto obtulit votum argenteum, et Missam celebrari jussit in sacello Beati, cujus sepulcrum sæpe alias visitat.

B

energumena,

70 Margarita, filia Josephi Sfardella de Fontecchio, habens annos ætatis quindecim energumena credebatur. Unde a matre Aquilam deducta est, ut malignus spiritus exorcismis expelleretur. Postquam varia sacra loca in hunc finem adiisset, tandem ad sepulcrum B. Antonii deducitur, ubi dæmon cœpit primo tumultuari, sed deinde nullo dato signo eam deseruit. Postero die ad eumdem locum reducta affirmavit, sese pridie liberatam fuisse, quando ad Beati sepulcrum accedebat, et idcirco promisit, sese iterum redituram, ut gratias ageret, sicut etiam postea fecit.

aliique tum viri,

Paschalis Micarella Aquilanus anno MDCXLII ab hebdomada Majori cœpit ægrotare. Tandem die XXII Junii coactus est lecto decumbere, et prodidit sese morbus, qui vulgo ignis volans appellatur. Cognito morbo, D. Pirrus Fonticola et D. Julius Cæsar Benedetti medici sinistrum de ejus statu judicium tulerunt. Die XXVII ejusdem mensis se B. Antonio commendavit, et melius habere cœpit; vesperi autem se oleo Beati unxit, et sequenti die perfectam sanitatem recuperavit.

C

Dum vero se ungebat, videbatur sentire manum, quæ prædictum morbum amovebat, ut ipse affirmat, et in signum grati animi pro accepta sanitate anathema argenteum obtulit.

tum mulieres,

71 Elisabetha Scattone anno MDCXLII die I Augusti obtulit brachium argenteum, quia intercessione B. Antonii usum brachii sui obtinuerat, quem multo tempore variis medicamentis obtinere non potuerat.

variis morbis affecti,

Dominica Monzini Mediolanensis, quæ habitabat Aquilæ, per multos menses dolore capitis et aurium vexata variis nequidquam utebatur medicamentis. Tandem consilio cujusdam mense Junio anni MDCXLIII adhibuit oleum B. Antonii promittens anathema argenteum, si sanaretur. Protinus sensit malum minui, et post duos dies, recepta sanitate, promissum explevit, et præterea pro gratiarum actione Missam celebrari jussit.

sanantur.

Die XXII Augusti anno MDCXLIII D. Artemisia Romanelli ex voto obtulit coxam argenteam, quia post dolores per anni spatium in coxendice toleratos subito sanata fuerat, quando se oleo B. Antonii unxerat.

D

Puella a calculo,

72 Festo B. Antonii D. Olimpia Cappa, uxor D. Joannis Marino Ventiquattro, ad ecclesiam nostram tulit anathema argenteum, quia filiola ejus per intercessionem B. Antonii liberata fuerat calculo, quo sæpe usque ad mortem laborabat.

incola Aquilanus a letali morbo,

Andreas Rampazzoli incola Aquilanus pro beneficio, quod intercessione B. Antonii in letali morbo acceperat, obtulit die XIV Septembris anni MDCXLIII votum argenteum, et Missam celebrari curavit.

maritus a dolore lateris,

Eodem anno D. Catharina Cappa, uxor D. Philippi Ventiquattro, obtulit donum argenteum, eo quod maritus ejus patrocinio B. Antonii gravibus lateris doloribus prodigiose liberatus fuerit.

alter a læsione digiti,

73 In Vita B. Antonii, quam Andreas del Cardinale conscripsit, legitur aliud beneficium, de quo ille, qui XXI Junii anno MDCXL istud accepit, ita testatur: « Ego Nardus de Nardis ob ingruentem tempestatem volens pessulum obdere cuidam ostio domus meæ, digitum indicem dextræ manus graviter læsi, ita ut eo uti non possem et summum dolorem paterer. Cum vero legissem Vitam et miracula B. Antonii, magna cum fiducia me ipsi commendavi, ut dolorem auferret et usum digiti redderet. Statim autem dolor evanuit, et eo digito æque ac aliis commodo usus sum. In cujus rei fidem eo ipso tempore scripsi præsens testimonium ad gloriam Dei, qui est mirabilis in Sanctis suis. Nardus de Nardis Aquilanus manu propria. »

E

sacerdos a fracto crure,

74 Hoc est ecgraphum epistolæ, quam R. D. Emilianus Rossi sacerdos Saxoferratensis scripsit ad P. Joannem de Saxoferrato Augustinianum: « Reverende admodum Pater et tamquam frater. Hisce litteris te plurimum salvere jubeo, et cum habites Aquilæ, peto quoddam beneficium, quo me tibi obstringes, quoad vixero: nempe desidero laguncúlam, oleo B. Antonii repletam, aut alias ejusdem Beati reliquias: nam festo S. Monicæ exiens in agrum fregi crus, quod imperitia chirurgi male curatum est, ita ut post septuaginta dies ab eo infortunio necdum possim incedere. Attamen

F

ungens tibiam oleo B. Antonii, quod monialis quædam S. Hieronymi ad me misit, melius habere cœpi, et confido, me misericordia Dei et hujus Beati patrocinio perfectam sanitatem consecuturum. Quare iterum iterumque rogo, ut mihi hoc beneficium præstes, et me B. Antonio commendes, quando in ejus sacello sacrosanctum Missæ sacrificium offeres. Ego vicissim tui memoriam servabo, et post osculum manuum obsequia mea offero. Ex oppido Saxoferratensi die XXIV Julii anno MDCXLIV. Reverendæ admodum paternitatis vestræ servus Emilianus Rossi. » Postea iste Emilianus fuit plane sanatus, ut refert P. Gratia Saxoferratensis sacerdos, qui mense Januario hujus anni MDCXLV *c* Saxoferrato rediit.

c

mulier a febri et dolore capitis,

75 Mense Septembri anni MDCXLIV Magdalena Ciminelli laborabat febri maligna et summo capitis dolore, ita ut interdum mentis impos non exigua vicinæ mortis indicia præberet. At B. Antonio commendata sanitatem recuperavit.

Eodem

A *et alii ab aliis morbis liberantur.* Eodem tempore Antonius Gibbillini Nursiensis ægrotabat; sed se B. Antonio commendans sanitati restitutus est, licet vitæ ejus vehementer timeretur, ut Franciscus Straccini anno MDCXLIV mihi narravit.

Dominus Philippus Felice desiderans visitare sepulcrum B. Antonii mihi anno MDCXLIV occasionem hujus visitationis indicavit his verbis: » Ego Philippus Felice præpositus S. Nicolai et » Petri de Jenga anno MDCXXXIX doloribus sto- » machi vexabar, et post diuturnum morbum » nihil remedii inveniebam. Cum itaque dolor » quotidie cresceret, domestici mei attulerunt » mihi oleum B. Antonii, eoque me unxerunt. » Interea me ipsum isti Beato commendans in- » tra paucos dies omnino convalui, et jam a » quinque annis maxime sanus vivo. Ita testor » Philippus Felice manu propria. »

ANNOTATA.

B

a *Hinc colligo, hæc miracula etiam a Carolo Ciminello conscripta fuisse.*

b *Italice iste morbus exprimebatur per vocem* mascalatri *et semel* mascalotri; *sed frustra dictionaria Italice et ipsos Italos hic degentes de illius significatione consului.*

c *Hinc conjicio, hæc miracula hujus capitis anno* 1645 *collecta fuisse.*

CAPUT II.

Beneficia, quæ intercessione B. Antonii usque ad annum MDCCVIII *præstita sunt.*

Sanitati restituuntur quatuor moniales, quarum prima dolore capitis, Reverenda mater abbatissa Joanna Antonia Leogana Soramosca Capuana per tres annos gravissimis capitis doloribus afflicta fuit. Cum autem accepisset compendium Vitæ B. Antonii, in quo est Beati istius imago, devote se ipsi commendans eam capiti suo imposuit, et statim coram Maria Antonia Valle et Octavia C Zaccara monialibus pristinam sanitatem adepta est.

altera apoplexia, Anno MDCXLI Archangela di Camarda monialis opprimebatur apoplexia, quæ ipsi usum linguæ et brachii abstulerat. Simulatque se B. Antonio commendavit, protinus loquelam recepit et perfecte sanata est.

tertia fluxu oculorum, Anno MDCXLII Elisabetha de Simeonibus monialis ex continuo oculorum fluxu ferme visum perdiderat. Vix se devote B. Antonio commendaverat, quando pristinæ sanitati restituta fuit.

et quarta læso brachio laborabat. Portia Zaccara de Monte Regali monialis anno MDCXLIII ita læserat brachium, ut illud per spatium anni movere vix posset. At cum patrocinium B. Antonii implorasset, tam facile eo usa est, ac si numquam læsum fuisset.

Sacerdos Augustinianus periculo cæcitatis, 77 Cum P. Daniel Sulmonensis sacerdos ex Ordine S. Augustini aptaret vitrum pro lipsanotheca, frustum in oculum ejus insiluit, quod non summum dolorem dumtaxat, sed etiam cæcitatis periculum ipsi attulit. Visitans autem altare B. Antonii, seseque illi commendans, illico se omni dolore et periculo liberatum sensit. *EX MS. ITALICO.*

mulier dolore lateris, Margarita Spada sic testatur: » Ego Margarita Spada declaro, quod initio elapsi mensis » Februarii tanto lateris dolore puncta fuerim, » ut præsens mortis periculum adierim. In hac » angustia me commendans B. Antonio, et ejus » oleo latus ungens statim dolore liberata fui, et » per misericordiam Domini nostri Jesu Christi » ac istius Beati intercessionem salva et incolu- » mis omne periculum evasi. In cujus fidem de- » di hoc testimonium Aquilæ, II Martii anno » MDCXLV. »

alter religiosus Augustinianus hernia, 78 Pater Dionysius x Octobris anno MDCXLVI ita scribit: » Ego Frater Dionysius Fulginas ex » Ordine S. Augustini hisce testificor, me tali » hernia laborasse, ut ad humani capitis magni- » tudinem intestina erumperent, et medici de » vita mea actum dicerent, si intra tres dies lo- » cum suum intestina non occuparent. Hoc au- » dito, imploravi auxilium Dei et patrocinium B. E » Antonii, et me unxi illius oleo, quod in templo » nostro Aquilano conservatur. Hac unctione » peracta, statim omnis dolor cessavit, et die IX » Januarii anno MDCXLIV intestina ad locum » suum redierunt. Ad majorem Dei et B. Anto- » nii gloriam, ac veritatis confirmationem scri- » psi hanc chartam, et manu propria subscripsi. » Postea anno MDCXLV mense Septembri ad agendas gratias visitavit Beati sepulcrum.

mulier post fractum pedem, 79 Faustina, filia Cruciani de Tarquinio, die XIII Octobris anno MDCXLVI jurejurando affirmat sequentia: » Ab annis quatuor, ut recordor, por- » tans aliquod onus ita cecidi, ut pedem confre- » gerim. Tantus autem ex ea fractione ortus est » dolor, ut statim lecto decumbere debuerim et » existimarim, me per multos menses ex eo non » surrecturam. Accersitus chirurgus mihi dixit, » tres ossis partes esse disruptas. Tum mihi in » mentem venit, quod frater meus Dominicus, » quando cum Hieronymo Rinaldi Aquilæ fuerat, » attulisset oleum ex lampade B. Antonii. Devo- » te igitur applicans hoc oleum statim sanata » sum, ita ut non senserim amplius dolorem, et F » sine ullo impedimento incesserim, sicut etiam- » num incedo. Itaque in testimonium veritatis » hanc chartam scribi jussi, et ad perpetuam » rei memoriam juramento confirmavi. » Hoc beneficium in libro monasterii notatum est.

sacerdos Aquilanus post punitionem, 80 Josephus Romanelli sacerdos et doctor Aquilanus die XXII Julii anno MDCXLV per manum D. Equitii Mausonii ita scripto testatur: » Ego infrascriptus præteritis diebus habens in » manu Vitam B. Antonii inconsiderate præ me- » lancholico quodam fastidio libellum istum in » terram projeci. At statim febri oppressus fui. » Quare mox Beatum invocavi, et Vitam ejus e » terra levavi. Ab ea hora melius habere cœpi, » et Beato pro restituta sanitate gratias retuli. » In hujus rei fidem subscribo Josephus Roma- » nelli. »

femina Anna Porcinari, uxor D. Pompei Mausonii, anno MDCXLVI in sacello B. Antonii Missam celebrari jussit, quia usque ad mortem ægrotans intercessione istius Beati convaluerat.

Floridus,

EX MS.

et puer,

Floridus, filius septennis D. Alfieri Mausonii et Beatricis ejus uxoris, vexabatur continua febri, ob quam medicus de illius vita desperare cœperat. At imposito illi baculo B. Antonii, omnimodam sanitatem obtinuit.

medicus,

81 Laurentius Fonticola medicus duobus primis mensibus anni MDCXLVI tam vehementi febri laborabat, ut pater ejus Antonius Pirrus Fonticola medicus de vita ejus actum putaret. Sed commendatus B. Antonio sanitatem recuperavit, et in gratiarum actionem die XXIV Julii anathema argenteum obtulit.

et miles febribus,

Carolus Chevatini Aquilanus, miles in cohorte equestri, die X Octobris anno MDCXXXVIII cum tota familia sua venit ad ecclesiam nostram, et Sacrum celebrari jussit, quia post diuturnam febris mutationem tandem oleo B. Antonii unctus plenam sanitatem recuperaverat.

ac denique mulier Aquilana dolore mamillæ liberantur.

Clara Porcinari Aquilana per spatium anni et amplius sub mamilla dextra summum sensit dolorem. Interim varia adhibuit medicamina, quæ nihil profuerunt. Tandem se ungens oleo B. Antonii pristinæ sanitati restituta est, et die XXIII
B
Julii anno MDCXLVI pro gratiarum actione donum argenteum obtulit.

Diversi pro recepta sanitate gratias agunt,

82 Victoria, uxor Alfonsi Quatrino Aquilani, venit cum suis filiis Antonio, Ludovico, et Bernardino ad templum nostrum, et jussit celebrari Missam, quia anno MDCXLVI istos tres filios, continua febri laborantes, morbo liberatos viderat, simulatque eos oleo B. Antonii unxerat.

anathema appendunt, a

Dominus Nicolaus ex terra Laboris *a*, frater thesaurarii Aquilani, hoc anno MDCXLVI tam periculosa febri laborabat, ut jam extremis ecclesiæ Sacramentis præmunitus esset. Sed unctus oleo B. Antonii, et tactus ejus baculo præsens mortis periculum evasit, et in signum acceptæ sanitatis die XXVII Julii anathema argenteum obtulit.

aut Missam celebrari curant.

83 Pater Placidus Fulginas ex Ordine S. Augustini anno MDCXLVI die IX Octobris ita ad me scribit. » Joannes Baptista Cellini, nepos R. D. » Brunacci, hic captus fuit et ductus Perusium, » ut ibi in carcere detineretur. Neminem autem » habebat præter supradictum avunculum suum,
C
» qui eum posset in hoc infortunio juvare. Is vero ante captivitatem nepotis sui laborabat podagra, quæ illum per hebdomadas et menses » lecto affigere consueverat. Quare soror illius » invocans B. Antonium promisit Missam decantandam, si podagricus ita sanaretur, ut ad » juvandum captivum posset Perusium discedere. Post hoc votum nocte sequente canonicus » se invenit a dolore podagrico ita liberum, ut » Perusium commode discesserit, et nepoti libertatem obtinuerit. Rogatus itaque a præfato » canonico ejusque nepote oro R. V., ut sacristæ det pecuniam, ut in gratiarum actionem » Sacrum cantari curet ».

Saxoferrati aliquibus,

84 Rogavi P. Placidum de Roberti Fulginatem, ut in visitatione Saxoferratensi examinaret aliqua miracula, quæ intercessione B. Antonii ibidem dicebantur contigisse. Is autem anno MDCXLVI die XXX Octobris mihi indicavit sequentia, quæ in libris monasterii continentur. Petrus Oliva Saxoferratensis, filius D. Petri, qui nunc Ordinem nostrum ingressus vocatur F. Nicolaus, circa annum ætatis vigesimum tertium graviter D
ægrotans incidit in delirium, ita ut medici vitæ ejus vehementer timerent. Sed cum a D. Tiburtio Jona ipsi allatus fuisset pileus B. Antonii, ac capiti ejus impositus, statim mentis compos factus est, et intra quinque aut sex dies sanus et incolumis domo exiit.

Beatum invocantibus,

Mense Januario anni MDCXLIV Maria Felix Carnicella monialis in cœnobio Saxoferratensi S. Hieronymi sic testatur : » Cum Julia Severi soror mea cuperet habere oleum B. Antonii pro » quadam Julia de Caulia graviter ægrotante, » ego Maria Felix Carnicella non audebam petere memoratum oleum, quia nondum omnibus promiscue distribuebatur. Confidens itaque patrocinio B. Antonii accepi parum olei » ex lampade, quæ ante istius Beati imaginem » in oratorio nostro ardebat. Deinde ad sororem » misi illud oleum, quo ægra uncta subito sanitatem recuperavit. In cujus rei fidem scripsi » hoc præsens testimonium ».

et se oleo illius ungentibus,

85 Anno MDCXLIII mense Augusto, Aurelia Giovenale de Tomba in diœcesi Senogalliensi, monialis Augustiniana in cœnobio Saxoferratensi E
S. Hieronymi dedit sequens testimonium : » Ego » Aurelia Giovenale ex Ordine S. Augustini testor, me ad D. Angelum Giovenale patrem » meum, et Dominicum fratrem meum maligna » febri afflictos oleum B. Antonii nostri misisse, » et prædictum patrem meum mihi asseruisse, » quod subito febris illa evanuerit, quando se » præfato oleo unxit. Ambo autem fatentur, se » intercessione A. Antonii sanatos esse. In quorum fidem hæc scripsi. »

sanitas restituitur.

Angela Paula Oliva monialis in cœnobio S. Hieronymi fatetur, se intercessione B. Antonii pristinæ sanitati restitutam esse : nam ungens se Beati oleo ac tangens ejus pileum, podagra alisque doloribus liberata est, quibus per annum laboraverat.

Miracula B. Antonii miro modo inventa sunt,

86 Cum admodum R. P. Generalis Ordinis Augustiniani cuperet noscere vitam et miracula B. Antonii, mandavit R. P. Priori nostri monasterii, ut diligenter colligeret omnia, quæ ad prædictum Beatum spectabant. Volens R. P. Prior desiderio illius satisfacere, ubique per totum conventum petita documenta quæri jussit; F
sed nihil inveniens suspicatus est, ea apud moniales S. Luciæ forsan delitescere. Quare per confessarium illis injunxit, ut omnes cœnobii sui scripturas scrutarentur. At neque hic quidquam inventum est, quamvis moniales accurate lustrassent omnia scrinia, in quibus hujusmodi monumenta servari solent. Tandem abbatissa suis subditis indixit peculiares preces, ut Deus dignaretur manifestare, quæ ad Beati honorem scripta fuerant. Completa oratione, forte abbatissa aperit capsam, in qua servabatur pecunia, ut quædam debita solveret. Ecce illic abbatissa præter exspectationem reperit omnia miracula, quæ jam relata sunt. Tanto autem magis miranda est hæc inventio, quod abbatissa ante in eadem capsa sæpius frustra illa quæsivisset. Moniales itaque lætæ de hac prodigiosa miraculorum inventione omnia suo confessario narrarunt, qui Deo gratias egit, et Superioris sui votum implevit.

Insuper

A Insuper possemus referre multa alia miracula, quæ quotidie patrantur, præsertim in effugandis dæmonibus; sed ea brevitatis causa relinquimus.

87 In fine additur sequens testimonium : « Ego « Germanus Antonius Zutio testor, quod mense « Februario hujus anni MDCLXXXVII Roma rediens « laboraverim febri hectica, et me ungens oleo « B. Antonii intra paucos dies convaluerim *b*. »

b quibus recentiora,

Circa annum MDCXCIV mulier, quam malus dæmon tenebat obsessam, ad B. Antonii tumulum adducta est, quo per eos dies ingens erat populi concursus devotionis ergo, atque ibi statim rejectis ore quibusdam capillorum tricis vexari desiit ab hospite nequissimo jam expulso, cunctis interim inspectantibus et admiratione defixis. Accepti signum beneficii multo deinde tempore suspensus ad aram hæsit capillus.

usque ad annum 1708

Languebat æger Carminus Grassius professor medicus morbo, quem vulgo rheumatismum dicunt, vehementer afflictatus, deque ejus salute jam medici desperaverant. Sed quam illi non poterant, opem attulit B. Antonius : vix enim baculus, quo, dum viveret, sanctus Vir utebatur, B ægroto corpori est admotus, cum illico discussus morbus atque ab eo contactu salus ægro statim est restituta. Contigit hoc circa annum MDCCVIII.

addidimus.

88 Anno MDCCIII Nonis Februarii, urbs Aquila magno terræ quassata motu corruit pene tota. Forte accidit, ut eo ipso die Hispanus quidam notæ probitatis homo, preces funderet ante aram B. Antonii; cum ecce sibi, dum orat, virum adesse conspicit, sibi quidem ignotum, sed quem Augustiniani Ordinis religiosum ex veste credidit : a quo jussus templo confestim abscedere, foras ab eodem deductus est. Cumque una paulum processissent, neque hominem vidit ultra, neque hoc quid rei sibi vellet, satis intelligebat. Verum haud ita multo post concussum terræ motu templum concidit solo æquatum. Qua certe ruina fuisset miser oppressus, nisi periculo subductus opportune fuisset ab eo, quem beatum esse Antonium tutelarem suum patronumque præcipuum sine dubio existimare se affirmabat, dum hæc ipsemet sæpe narraret. Quamobrem frequenter deinde ad nostram ecclesiam ventitabat, ut ostenderet beneficium illud sese tutelari suo referre acceptum Antonio *c*. C

EX MS. ITALICO.

ANNOTATA.

a *Terra Laboris est provincia regni Neapolitani, quæ Liri et Vulturno fluviis irrigatur, et a Septemtrione Aprutio terminatur. Illius caput est Neapolis.* E

b *Hoc miraculum anni* 1687 *non videtur potuisse a Ciminello referri, qui jam ab anno* 1646 *præ infirmitate quotidie mortem exspectabat, ut in prologo testatur, et eo tempore jam Prioris Aquilani munere functus fuerat.*

c *Hæc tria postrema miracula a secretario R. admodum Patris Generalis Augustinianorum Latine conscripta sunt, et anno* 1717 *ob amico nostro illustri D. Dominico de Giorgio ad nos Neapoli missa.*

DE S. FRANCISCO SOLANO

ORDINIS FRATRUM MINORUM DE OBSERVANTIA.

C LIMÆ IN PERUVIA. G. C. F

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Acta, dies obitus, mira cadaveris conditio, aliaque prodigia paulo post mortem; honorificæ exsequiæ et sepultura.

Anno MDCX.

Præmissis quibusdam de Vitæ scriptore,

A*cta et miracula* S. Francisci Solani *adeo copiose conscripta sunt, ut mihi vix quidquam agendum supersit, nisi ut ab aliis operose collecta more nostro in capita et numeros dividam, et ex iis aliqua excerpam, quæ Commentariis nostris præviis materiam subministrare solent. Præter alios, qui Italice, Hispanice et Flandrice beati Viri gesta ediderunt, Vitam illius anno* 1671 *Romæ Latinis litteris mandavit Tiburtius Navarrus Minorita, et provinciæ immaculatæ Conceptionis in Aquitania lector et prædicator, qui ea Acta et miracula collegit* ex memoriis, processibus, documentis et libris, *a procuratore causæ Beatificationis sibi* subministratis, *ut ipse testatur in præfatiuncula ad lectorem. Totum autem hoc opus divisit in duos libros, quorum prior virtutes tempore vitæ exercitas, alter miracula post mortem patrata continet. Ea vero, quæ scriptor ille de honorificis exsequiis, sanctitatis testimoniis, aliisque ad posthumam beati Viri gloriam spectantibus Vitæ immiscuit, ipsiusmet verbis locisque citatis, huic Commentario inseram, postquam de die cultus et obitus pauca præmisero.*

intricata difficultas circa diem mortis

2 *Quamvis eximius iste novi Orbis Thaumaturgus hac die mortem non obierit, tamen hodie Actis nostris illum inseruimus, quia Seraphicus Minorum Ordo die* XXIV *Julii annuam sancti hujus Alumni sui memoriam celebrat : Hueberus enim in Menologio Franciscano ad diem* XXIV *Julii post breve* S. Francisci Solani *elogium, col.* 1453 *de hac re ita loquitur :* Die quidem XIV migravit ex hoc suo ergastulo ad amplissimum cœli palatium; hodie tamen sub ritu

duplici

AUCTORE G. C.

duplici ejus festum in Ordine Franciscano celebratur, quia officiorum Breviarii concurrentia pro sui celebratione commodius tempus admittere nolebat. *Carolus Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro Italice edito refert illum die* XX *Julii, dicitque ejus festum apud Franciscanos in Ara cœli solenniter celebrari in sumptuoso illius sacello cum indulgentia plenaria. Dubitari posset, an beatus Vir die* XIV *Julii ex hac vita migraverit, cum R. P. Jacobus Alvarez de Paz, Societatis nostræ in Peruvia Provincialis, qui exsequiis* S. Francisci Solani *ipse interfuit, in elogio postea exhibendo expresse asserat, cum* tertio Iduum *Julii, id est die decima tertia (Antonius de Caprarola custos Provinciæ Romanæ in Vita Italica pag.* 194 *perperam hunc textum vertit* a' dodici *hoc est* duodecima) *istius mensis obiisse*, et paulo post meridiem... diei, beato Bonaventuræ sacræ, venerabile corpus Servi Dei, arca lignea inclusum, terræ mandatum *esse. Accedit, quod Arturus in secunda Martyrologii sui editione hunc beatum Virum die* XIII *Julii collocet, et in notis diserte affirmet, illum* B *isto die defunctum ac sequenti sepultum esse.*

examinatur et utcumque solvitur.

3 *At, inquies, quid dicendum de Actis, huic Commentario prævio subjungendis, quæ cap.* 14, *num.* 168 *habent, quod venerabilis Dei Servus prædixerit, se festo S. Bonaventuræ moriturum? Deinde eodem capite circa finem hæc leguntur :* Insonuit etiam ecclesiæ campana signum elevatæ Hostiæ in Missa solenni S. Bonaventuræ; tuncque Vir sanctus ad Crucifixum intentus, manibus in crucis figuram compositis, devotam oratiunculam GLORIFICETUR DEUS cum anima ad Deum ejaculatus est, et dormienti, similis exspiravit die XIV Julii S. Bonaventuræ festo; anno vero millesimo sexcentesimo decimo, ætatis suæ sexagesimo primo. *Diu cogitavi, an tam diversas assertiones aliqua ratione possem conciliare. Scio equidem, teste Waddingo in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1274 *num.* 16, *Chronicon et Breviarium Minorum aliosque scriptores obitum S. Bonaventuræ ad diem* XIII *Julii consignasse, ejusque festum variis diebus celebratum fuisse, ut monuimus in Commentario prævio ad sancti istius Doctoris Acta; sed non videtur hoc modo proposita discrepantia circa diem* C *mortis componi posse, cum summus Pontifex Sixtus V anno* 1587 *decretales litteras ediderit, quibus S. Bonaventuræ festum* pridie Idus Julii, *id est die* XIV *hujus mensis, coli mandavit. Non est autem dubitandum, quin tempore viginti duorum annorum, qui inter Pontificis istius decretum, et mortem* S. Francisci Solani *intercesserunt, istud mandatum præsulibus Americanis innotuerit, et a Minoritis ubique observatum fuerit. Quare suspicor, nostrum R. P. Jacobum Alvarez de Paz memoria lapsum esse, quem Arturus in Martyrologio Franciscano incaute secutus fuerit. Si quis hunc nodum alio pacto possit solvere, libenter ipsius ratiocinium audiam.*

Narrat auctor Vitæ, quomodo ad cadaver S. Francisci Solani,

4 *Jam locus postulat, ut post examinatum mortis diem de mirabili sacri cadaveris post obitum constitutione, aliisque prodigiis ac honorificis exsequiis quædam dicamus. Ea omnia Tiburtius Navarrus lib.* 2, *cap.* 1 *narrat his verbis :* Cum anima viri Dei Francisci Solani ad Regis immortalis gloriam migrasset, corpus ejus, quod ultra naturalem complexionem, ob longas et difficiles peregrinationes, rigidas pœnitentias, et graves infirmitates (dum viveret) ad nigredinem et siccitatem D vergebat; subito candidum, pulchrum, tractabile et plenum non sine spectantium stupore effectum est. Oculi, quos perpetua mortificatio visibilibus clauserat, mox aperti miro splendore rutilabant. Caro illa spiritu orbata suavem emittebat odorem; et quæ prius ob ægritudinis maciem et hiemalis tempestatis rigorem, frigus tam acre contraxerat, ut nullo operimento satis calefieri posset; jam novum induit calorem, quo per multas horas frigentes aliorum manus solo calebant contactu.

miris prærogativis præditum,

5 Accessit aliud mirabile, quod etiam post decimam septimam ab ejus felici transitu horam, cum quidam extremam pedis ungulam, et capitis capillos secare tentassent, perducto inconsulte ad carnem, et pellem forcipe, copiosus ex levi utrimque scissura ruber et coloratus sanguis per longum effluxerit tempus; quæ omnia a medicis et doctis viris sunt miraculo adscripta. Illud etiam non tacendum, quod cum Joannes Moudragon chirurgus post vigesimam tertiam horam, pedem defuncti osculari volens, cruris suram manu suaviter apprehendisset, illico (quasi vixisset) crus E ad se retraxit; quo motu magnum tangenti incussit timorem, et reverentiam.

maximus populi concursus factus fuerit,

6 Ut excellentissimus prorex marchio de Montes-Claros Francisci mortem audivit, sepulturam ipsius ad diem sequentem differri mandavit; volens ei, quem vivum pluris æstimaverat, etiam mortuo officia devotionis exhibere. Concurrit interim universa multitudo populi ad Conventum, ex omni sexu, ætate et conditione, Sanctum (ut aiebant) visuri : alii pedibus oscula devota figebant, alii habitum in pretiosas particulas dissecabant (horumque tantus erat numerus, ut eadem die quatuor tunicæ corpori mortuo successive aptatæ, in fragmenta conscissæ sint). Alii rosaria et coronas pretiosis cadaveris contactu sacrabant; et omnes manifestas gloriæ futuræ primitias in carne illa mirabantur. Post occasum solis recedente populo, liberior patuit Religiosis accessus, qui per totam noctem sanctum depositum custodientes, ei effusa devotionis persolvere officia.

et post mortem, columna ignea illustratum,
** lege* inscedit

7 Eadem nocte ignea e cœlo Conventui et valetudinarii oratorio insidente * columna, quæ F procedens circa horam undecimam a quibusdam devotis monialibus Clarissis super ipsarum monasterium decidere visa est; quæ cum etiam duodecies renata obscuras noctis illius tenebras in diei lucem toties convertisset, habita quoque hibernæ tempestatis ratione, aliquid singulare præsagire putabatur. Hanc et quædam ejusdem monasterii Religiosæ tribus noctibus, illa scilicet, quæ morti Viri sancti proxima fuit; ea qua (ut jam retulimus) corpus in oratorio jacebat, et illa, qua e sepulcro (ut infra dicetur) eductum est, apparuisse testatæ sunt.

etiam plurimi Religiosi ad illud honorandum accesserint.

8 Interim non recessit a foribus cœnobii innumera plebis caterva, quæ per manus cujusdam Fratris coronas et rosaria sacri corporis benedicenda attactu continue transmittere non cessavit. Binis ante diluculum horis urgente populi clamore, aperta sunt ostia, factusque est tantus omnium concursus; ut opponendi fuerint custodes ad ingressus, qui nimios intrantium impetus cohiberent. Tunc omnium Ordinum Religiosi prælati



VERA EFFIGIES B. FRANCISCI SOLANI INDIARVM
Franciscum hic video geminum, cum prole Parentem:
Fert speciem nati carta, sed ille Patris.

 P. B. Bouttats sculp. Ant.

AUCTORE G. C.

A lati et subditi ad contuendum et venerandum eum, et pauperes tunicæ ipsius particulas retinendas confluxerunt. Ipsa sancti Augustini veneranda communitas, quæ a duobus annis Franciscanæ familiæ consuetudine non fuerat usa, quasi ab angelo pacis invitata, ad sacrum corpus honorandum sponte accessit. Tunc etiam impletum est verbum a Francisco nuper prolatum, quo cuidam præfati Ordinis Augustiniani Religioso, sibi amico et proximo, quod videre ipsum in infirmitate non poterat, condolenti respondere fecit, dicens : « Ne molestiam inde percipiat, « quoniam cito ab eo juxta desiderium videbor, « et intra quatriduum pax summa inter omnes « stabilietur. »

Exsequiæ illius honorifice celebrantur,

9 Eodem mane illustrissimus Limanæ metropolis archiepiscopus ecclesiastico capitulo stipatus, et excellentissimus Peruani regni prorex cum equitibus et senatoribus et officialibus multis ad valetudinarii oratorium venerunt; qui sacri corporis pulchritudinem, suavitatem et candorem admirantes proni in terram ceciderunt, et B humilia pedibus ejus oscula infigentes, quantum virtus eximia apud ipsosmet seculi principes polleat, demonstrarunt. Ipse egregius prorex, qui intra se manus osculari decreverat, præ summa reverentia non præsumpsit. Utque perpetuum apud se tanti Viri memoriale servaret, ac in periculis præsens semper haberet auxilium, humile Servi Dei sagum in pretiosam reliquiam sibi dari curavit. Postea uterque ille, ecclesiæ et seculi principes illustres humeros sacro oneri supponentes, adjuvantibus Religionum prælatis, feretrum ab oratorio ad ecclesiam detulerunt. Incredibile est, quam frequens populus ad ecclesiam confluxerit : ipsum etenim proregis satellitium (licet hæc triplici navi innumeræ multitudinis capax) vix ab arcendo tumultu, et ad spatium corpori deferendo aperiendum sufficiebat. Omnes corpus contingere, videre et venerari contendebant. Collocato itaque in mediam capellam feretro, musici cathedralis ecclesiæ cum multis religiosis Missam pro defuncto suaviter concinuerunt, celebrante reverendissimo patre Venido, tunc provinciarum illarum Commissario, mox episcopo Orensi. Con- C cionem habuit R. P. Joannes Sebastianus, Societatis Jesu præpositus Provincialis ; qui cum esset vir apostolicus, et vitæ innocentia conspicuus, eximias Servi Dei virtutes, acta heroica, crebra miracula, et pretiosam mortem spiritu vere seraphico annuntiavit. Tandem licet renitente omnium devotione, quæ sibi talem thesaurum ab oculis eripi ægre patiebatur, corpus sepulturæ mandatum est, et in capella sepeliendis Fratribus destinata sub altari majori in capsa lignea depositum.

et postea corpus e tumulo educitur, ut ejus vera effigies pingeretur.

10 *Deinde lib. 2, cap. 3 idem Vitæ scriptor narrat, quomodo corpus* S. Francisci Solani *e sepulcro extractum fuerit, ut ad vivum depingeretur.* Tumulato Viri sancti corpore, *inquit*, excellentissimum proregem pia cogitatio incessit, mundum scilicet vera ejus imagine non esse fraudandum. Quare eadem nocte post octo a funere horas, ut naturalis ejus effigies pingeretur, illud e sepulcro jussit educi. Tunc observata sunt eadem, quæ supra narravimus, in sacro cadavere mirabilia. Completa imagine, pretiosum rursus depositum terræ mandatum est. Religiosi autem non solum conventus, sed et provinciæ totius spirituali consolatione hac die perfusi, quamdam ineffabilem mentis teneritudinem, proficiendi desiderium ardens, et rerum cœlestium amorem se simul percepisse notaverunt. *Quod hic ad veram beati Viri effigiem spectat, habeo duo ejusdem imaginis ectypa, quorum unum Vitæ Latinæ et Italicæ, alterum processui canonizationis præfixum est. Sed quamvis ambobus istis exemplaribus subscribatur* vera effigies, *tamen ea non parum inter se differunt, ut utraque conferenti manifestum fiet. Cum tamen imago, processui canonizationis præmissa, peritiori manu sculpta videatur, et probabilius Beatum vere repræsentet, eam hic ex latiori forma contractam ac æri incisam exhibeo. Satis autem feliciter prototypon expressit sculptor, quem etiam jussi fideliter reddere subscriptionem, quamvis in titulo aliqua vox deesse aut subintelligi videatur.*

§ II. Magna de sanctitate ejus existimatio, a variæ conditionis hominibus declarata. E

Communem de Francisci Solani sanctitate famam

Quam publica fuerit apud omnis generis homines de virtutibus illius fama, indicat jam laudatus Vitæ auctor lib. 2, cap. 18, ubi ita loquitur : Eximiam servi Dei Francisci Solani virtutem, et fulgentia sanctitatis indicia, quasi bonus odor unguentum effusum, celebris apud omnes homines æstimatio secuta est : nam ubicumque luminis sui radios diffudit, et vitam ducendo mortalem religiosæ conversationis annos traduxit ; ibi se cunctis amabilem, nemini odibilem, omnibus venerandum effecit. Quid apud Hispanos, antequam ad Indias transiret, ejus virtutis fama potuerit, quos populorum applausus, quos Fratrum et secularium honores ipse conciliaverit, illud, imprimis demonstrat, quod ad fugiendam humilitatis suæ inimicam popularis auræ titillationem ad Americum hemisphærium (velut occiduus sol) ut latitaret, perrexit. Apud incolas Tucumani, et Indos regionum illarum gentiles, quam F obtinuerit famam, reverentiam, et auctoritatem, ipsa, quæ superius in primo libro narravimus, exempla testantur. Quid tandem apud Limanam civitatem ad ejus commendationem valuerint virtutes apostolicæ, miracula, prophetiæ, nec non prædicationes, ipsa jam descripta opera manifestant. Restat ergo, ut quæ post mortem ipsius crebris miraculis vel aucta, vel confirmata primum apud optimates Ecclesiæ et seculi viros, apud Religiosos et eruditos ; deinde apud civitates ac polos, regna et nationes vigeat æstimatio, declaretur.

archiepiscopi Limani,

12 Ab Ecclesiæ principibus, apud quos est scientia boni et mali, quorum etiam auctoritas ceteris præferri debet, exordiar. Illustrissimus Civitatis Regum, seu Limanæ archiepiscopus dominus Bartholomæus Lobo Guerrero, tantam erga virum Dei Franciscum Solanum in vivis agentem conceperat reverentiam, ac tam bonam de ejus sanctitate opinionem, ut (quemadmodum supra retulimus sacrum defuncti cadaver geni-

AUCTORE G. C.

bus flexis veneratus sit, oculos et caput ejus plantis humiliter supposuerit, et cum excellentissimo prorege propriis humeris feretrum gestare, ut pontificalem indecens gravitatem, haud erubuerit. Successor ejus illustrissimus dominus doctor Ferdinandus Arias de Ugarte, se etiam Viro Dei singulariter devotum exhibuit, dum, et sacras illius reliquias coluit; dumque Apostolicæ commissionis vigore sepulcrum ejus visitans, copiosos lacrymarum rivos effudit, et odore suavi spiritualiter recreatus, illi genuflexus justæ tributum reverentiæ impendit; ac deinceps quanti ejus sanctitatem faceret, crebris indiciis ostendit.

aliique Americæ præsules

13 Illustrissimi domini et magistri Frater Gabriel de Zarate, ex qualificatore sancti Officii, et secundo Provinciali Peruanæ sancti Joannis Baptistæ Ordinis Prædicatorum, provinciæ Guamangæ episcopus, nec non Fr. Franciscus de la Serna, ex lectore theologico academiæ Limanæ et Provinciali Ordinis S. Augustini episcopus de Paraguay, mox de Popayan magnis Virum Dei præconiis extollunt. Ille etenim eum B non solum Seraphicæ, sed et omnium aliarum Religionum gloriam et honorem appellat, qui suis virtutibus et exemplis novum orbem illustravit; quemque divina Majestas quasi stellam fulgentem in medium nebulæ cæcitatis ac ignorantiæ gentilitiæ in remedium Indorum ad hoc regnum transmisit. Hic vero (olim Viro Dei, dum viveret, familiaris) eum post mortem speciali affectu prosecutus est, ac in sua coram judicibus Apostolicis depositione illum ita in omnibus virtutibus excelluisse affirmat, quasi quamlibet singulariter habuisset: eum præterea hominem cœlestem, apostolicum præconem, angelum a Deo missum, et in salutem innumerabilium animarum ad has provincias destinatum vocat. Illum quoque in sua declaratione juridica dominus magister Fr. Augustinus de Vega, sacri Ordinis Prædicatorum in Peruana provincia moderator, et episcopus de Paraguay electus, sancti Viri quondam necessitudine usus, insignibus titulis condecorat.

nec non proreges

14 Excellentissimorum regni Peruani proregum summa in virum sanctum Franciscum So- C lanum ante et post obitum reverentia, quam magni fuerit meriti manifestat. Excellentissimus dominus Ludovicus de Velasco, marchio de Salinas, consilii regalis Indiarum præses, ac Peruanorum regnorum prorex, devota Servi Dei conversatione plurimum recreabatur; cumque non raro in Conventu Recollectionis sanctæ Mariæ Angelorum adibat, illi humiliter in Missa ministrabat, ut de proximo, ejus spiritui participaret; uno verbo semper pro sancto, justo, ac Dei amico reputavit. Excellentissimus dominus Gaspar de Zuniga Azebedo, comes de Monterrey, cum regnis illis præesset, verbis singularibus sancti patris Solani semper virtutem exaltavit; sed præsertim post celebrem illam conversionis mirabilis in tota civitate operatricem concionem palam ait: Vere pater Solanus est instrumentum et organum Spiritus sancti. Excellentissimus dominus Joannes de Mendoza et Luna marchio de Montes claros, statim ut a Mexicano regimine ad Peruanum transivit, jam sibi fama publica commendatum patrem Franciscum Solanum optavit ex vultu et sermone cognoscere, et mortuum iis D (quæ supra recensuimus) honoris, ac reverentiæ signis, atque pedum osculis honoravit.

Peruani

15 Tandem excellentissimi proreges Peruani dominus Ludovicus Ferdinandus de Corduba, marchio de Guadalcazar, et dominus comes de Chinchon peculiaribus honoris monumentis Viri Sancti memoriam illustrarunt: ille namque recenti ejusdem in Limana civitate boni nominis odore excitatus sepulcrum invisit, reliquias quoque Christiana veneratione affecit; hic vero et frequenter ad ejus tumulum stetit, ac eleemosynas largas pro ejusdem canonizationis expensis largitus est; cumque familiæ suæ de perenni successione providere vellet, non aliud medium efficacius existimans, filium suum primogenitum marchionem a sancto Martino de la Vega puerulum biennem in primo e domo post ortum egressu ad sepulcrum Viri Dei elatum ejus meritis obtulit, atque protectioni commendavit. Hic etiam, ne quid arduum sine ejus auspicio faceret, cum singulis annis regales pecunias ad ærarium Hispanicum a portu de Callao transmitteret, sepulchro Viri assistens, felicem peregrinationis E exitum sub ejus patrocinio reponebat.

et alii viri graves ac religiosi

16 Domini magister Dominicus de Almeido decanus et doctor, Joannes de la Roca archidiaconus ecclesiæ Limanæ, judices Apostolici delegati post authentica et innumera sanctæ vitæ et miraculorum Viri Dei testimonia juridice excepta, sibi, quod olim reginæ Sabæ contigisse, majoremque esse Francisci Solani virtutem, quam famam, publice affirmarunt. Admodum reverendus et piissimus pater Joannes Sebastianus bis provinciæ Limanæ Societatis Jesu præpositus, innumeras Servi Dei excellentias sic tandem concludit: " Deus sapientiam Viro isti sancto concessit ad consolationem et tutelam totius Peruani regni, in ædificationem ac exemplum hujus civitatis, et in decus, atque coronam sacræ ipsius Religionis " Dominus Franciscus de Alfaro e consilio majestatis Catholicæ in regalis facultatis administratione, ac sancti Officii consultor; relatis, quæ in Tucumanicis regionibus de fama celeberrima Viri Dei acceperat, addit, se omnes sanctitatis probatæ et publicæ no- F tas ex communi atque constanti omnium (nullo excepto) opinione et consensu deprehendisse; immo tantam in oppido de Estero se virtutum ejus invenisse fragrantiam, ut omnes sibi ereptum, nec ibidem defunctum dolerent, ne corporis thesauro ditarentur, ac tandem se curaturos illud etiam litis dispendio sibi restitui affirmarent devotionem et affectum, quantam opinio ejus sanctitatis maxima et inexplicabilis poscit.

testimoniis suis confirmarunt,

17 Commissarii generales provinciarum Peruanarum Ordinis Minorum, quibus Francisci Solani magis probata et cognita virtus, ipsum miris encomiis in suis factis (præmisso juramento) declarationibus extollunt. Hic virginem purissimum, virum exstaticum, et prædicatorem apostolicum; ille instrumentum Spiritus sancti, virum justum, innocentem, Apostolorum imaginem vocat. Alter in sexennio, quo ipsi et provinciis illis præfuit, se in eo summas perfectissimi viri, ac veri Seraphici Patriarchæ filii advertisse conditio; eumque centrum virtutum, in completo

A to de vitiis triumpho quiescentium, appellat. Alii etiam Provinciales, Guardiani, Religiosi quoque conspicui ipsum virum justum, exstaticum, apostolicum, nitidissimum omnimodæ virtutis speculum, indefessum verbi divini præconem, amicum Domini fidelem, integerrimum religionis Catholicæ defensorem, pœnitentiæ exemplar, et S. P. N. Franscisci imaginem simillimam vocant.

quibus accedit publica populi devotio, quæ tantum decreto Urbani VIII inhibita est.

18 Populorum omnium, civitatum, regnorumque devotionem, affectum et reverentiam nullo tempore delebilem, præter ea, quæ infra scribentur, aperte demonstrant : primo quod in processibus et auctoritate ordinaria, et postmodum Apostolica factis, recenseautur nomina sexcentorum et viginti octo testium; inter quos proreges, archiepiscopi, episcopi, Religionum prælati, sacerdotes seculares, virique doctrina et pietate conspicui numerantur; præterea Missæ, orationes, vota, lampades, oblationes, festivæ solennitates, quæ usque ad annum millesimum sexcentesimum quinquagesimum sextum celebrari, offerri, appendi perseveraverunt. Præfato B autem anno, ut debita decretis sanctæ memoriæ Urbani VIII redderetur obedientia, omnia (quæ cultum et publicam redolent venerationem) sublata fuere monumenta : sed hoc numquam alterabile superfuit, reverentia interna, suo tempore, cum scilicet Deo inspirante beatis agminibus aggregatus, a cœli Clavigero declarabitur, manifestanda. Interim vero restant et constans sanctitatis fama, et communia omnium (Peruanarum præsertim) regionum pro ejus canonizatione vota et desideria. *Ita ille, quando venerabilis Dei Servus nondum in Beatorum numerum ab apostolica Sede erat relatus.*

Noster Alvarez de Paz Sancto synchronus

19 *Hisce elogiis idem scriptor testimonium synchroni sacerdotis e Societate nostra subnectit his verbis :* Insignis theologiæ magister, pietate et doctrina eximius, in provincia Peruana sacratissimæ, et numquam satis laudatæ, Ordinique Minorum semper benevolæ Societatis Jesu Provincialis, admodum reverendus pater Didacus Alvarez de Paz, inter conspicuas ingenii sui elucubrationes, quas summo Pontifici Paulo V dicavit; hæc de Servo Dei, patre Francisco Solano C tom. 2, lib. 15, cap. 13, de paupertate, diserta et ingenua verba exaravit in folio 1445 *(in nostra editione idem legitur tomo 2, lib. 5, part. 1, cap. 13 a col.* 1751) stylo sequenti : » Et quidem mense Julio primo proximo hujus anni » millesimi sexcentesimi decimi, in quo ista » scribimus, facta est a Domino in hac urbe Limensi mirabilis quædam præmii paupertatis » ostensio. Tertio enim Iduum ejusdem mensis » defunctus est in conventu Minorum frater » Franciscus Solanus sexagenarius sacerdos, et » concionator, in australi Hispaniæ parte, quæ » Bœtica dicitur, in castro Montellæ natus; » Vir sanctitate conspicuus, et dignus Seraphici » Francisci filius. Is quadraginta annis, et eo » amplius vitam religiosam professus est, in qua » non segniter se gessit, sed viam spiritus mira » velocitate cucurrit; erat humillimus, magnus » contemptor sui, honorum et dignitatum irrisor, supra modum patiens, mansuetus, obediens, et ultra quam dici potest castus et purus. Igne fraternæ caritatis ardebat, ægrotos» que frequenter visitabat, et suavissimis verbis consolabatur : zelo domus Domini, et desiderio salutis animarum urebatur, cujus conciones secundum sapientiam hujus seculi parum compositæ et minus eloquentes, auditores vehementer a vitiis retrahebant, et ad bonam frugem invitabant.

Auctore G. C.

post breve virtutum ejus elogium

» 20 Diligebat secretum, ac secum commorari, nisi gloria Dei aliud deposceret, rebus omnibus præponebat; ibique assiduis precibus et divinorum contemplationi vacans, non raro exstases et raptus patiebatur. Hisque epulis assuetus sæpe noctes insomnes in suppedaneo summi altaris apud Dominum in Eucharistia delitescentem traducebat, et manu lyram parvulam pulsans, et ore psalmos canens, et corde cœlestia delibans, pernoctabat. Cum autem has divitias verissimas possideret, non multum, si paupertatis amator esset, et omnem penuriam propter Christum ac indigentiam diligeret, cui adeo fuit addictus, ut pauperrimo habitu et tunica contentus, vix necessaria imbecillo satis et infirmo corpusculo sustineret accipere; cui etiam hostis factus, seu (ut E melius dicam) fidelissimus amicus effectus, maluit ipsum affligendo, et vigiliis, jejuniis, et omni genere asperitatum affligendo diligere, quam pusillanimiter fovendo, et molliter tractando perdere. Et ut finiam,.... vita ipsius non aliud exstitit, quam sanctissima quædam et utilissima actio, aut ferventissima et cœlestibus consolationibus, et illustrationibus refertissima oratio.

narrat, quam honorificæ exsequiæ illius,

» 21 Die igitur proxime sequenti dormitionis ejus, in quo corpus terræ mandatum fuit, talis occursus et concursus virorum ac feminarum ad ejus exsequias celebrandas confluit, qualem in hoc regno.... ego numquam videram : omnes tum majores, tum minores non invitati, non vocati venerunt (quis enim ad funus pauperculi cujusdam omnem civitatem vocaret?) nisi quod jam fama defunctionis ejus percrebuerat, et multi ad eum, ut Sanctum visitandum, et pedes ejus osculandos properaverant. Accurrerunt quoque cunctæ Religiosæ familiæ, et ex qualibet earum non F sex aut octo (ut moris est) sed quamplurimi Religiosi, credo nutu Dei, non solum ut funebria pro dignitate fierent; sed ut tali spectaculo corda multorum (quod factum est) ad desiderium vitæ perfectioris accenderentur. Accurri et ego, cum jam corpus hujus Viri venerabilis ad ecclesiam efferebatur, et dum vix præ multitudine, et quodam fratre Minore præeunte, eoque commoditatem ingrediendi procurante, ad funus intrarem, fateor spectaculi novitate motus, obstupui : nam dominus Joannes Mendozius Luna, princeps clarissimus, marchio de Montes-claros, hujusque amplissimi regni prorex, et dominus doctor Bartholomæus Lupus a Guerrero archiepiscopus Limensis, et totius hujus regni Peruensis metropolita, primi feretrum pauperculi deferebant; deinde post illos Religionum prælati, et alii viri litteris et auctoritate celebres, quibus me (licet indignum) adjunxi, statimque mihi interius se obtulit illud Davidis : Nimis

» honorati

AUCTORE G. C.

quibus ipsemet interfuit,

» honorati sunt amici tui, Deus. Et iterum illud : Sic honorabitur, quemcumque voluerit » rex honorare.

» 22 Tandem non sine magna hominum utriusque sexus pressura ad ecclesiam pervenimus, feretrum deposuimus, et potuimus animæ puræ habitaculum sacco coopertum aspicere. Manus et pedes venerabilis illius corporis devote osculatus sum, quasque partes non inveni rigidas, sed molles atque tractabiles; non frigidas, sed moderate calidas, ut non tam cadaver, quod pridie anima deseruerat, quam hominem quiescentem et tranquille dormientem viderer attingere. Multi corpus circumdabamus non tristes, sed læti, non animam ejus Domino commendantes, de qua spiritus in unoquoque dicebat; quia requieverat in sinu Domini a laboribus suis, sed Deum ipsum in Sanctis suis mirabilem laudibus efferentes : nullus ibi teter odor, nullus cadaveris horror, nullum corruptionis signum sentiebantur; sed mentis serenitas, cordis suavitas, B et quasi ex societate ejus mira tranquillitas. Clarissimus prorex, dum officia divina celebrari cœperunt, pulvinum solii sui ex serico auroque contextum, defuncti capiti supponi jussit; et pulvinar sacceum, cui caput incumbebat, loco aurei et serici in solio præcepit apponi, et sic toto tempore divinorum officiorum mansit. Judicavit ille (ut credo, et ut verum est) se sacco illo multo magis quam auro et serico regiam potestatem ostentasse, qui dum serico incubuit, prorex mortalis principis; dum vero saccum honoravit, princeps piissimus et Christianissimus, et Christi servus, ac servorum ejus venerator apparuit.

celebratæ fuerint.

» 23 Tandem officio, funebri concione ex tempore habita, et Missarum solemniis peractis, ad sepeliendum corpus convenimus; et vix illud ad locum sepulturæ destinatum (quod tamen prope erat subtus gradus summi altaris) deferre valuimus, turbis nos impedientibus et comprimentibus, et huc illucque jactantibus, ut pedes defuncti oscularentur, ut rosariis et linteis tangerent, et ut particulam C aliquam sacci ejus (quo humabatur) abscinderent. At proregis satellitio adjuti vicimus, et paulo post meridiem illius diei, beato Bonaventuræ sacræ, venerabile corpus Servi Dei arca lignea inclusum, terræ mandatum est. Eadem autem nocte jussu proregis effossum fuit, ut pictor quidam diligens ad ejus similitudinem effigiem exprimeret, ex cujus ore accepi, defunctum dormienti similem, et quasi suavi odore perfusum fuisse repertum. Anima ejus (ut pie credimus) apud Dominum magna gloria perfruitur, corpus apud suos cum honore servatur, et bonam ac laudabilem memoriam ejus (ut speramus) numquam vorax tempus exedet. »

D

§ III. Publica populi erga eum devotio, quæ decreto Urbani VIII sistitur.

Patronus eligitur

Tiburtius Navarrus lib. 2, cap. 19 explicat, quam ardens fuerit in America erga Franciscum Solanum *devotio, ac primo quidem quæ civitates, crebris ejus miraculis excitatæ, illum patronum elegerint.* Divina Majestas, *ait*, servi sui Francisci merita crebris prodigiis exaltavit; ipsius quoque sanctitatis famam in omnium populorum cordibus alte radicare, et in eorum mentes beneficiorum ab illo receptorum memoriam revocando, ac recipiendorum augendo, ab omnibus Peruani regni populis voluit in patronum assumi. Limana civitas, provinciarum illarum caput et mater, quæ præ ceteris Viri Dei opportunum erat experta subsidium, ipsi prima devotum suæ clientelæ consecravit officium. Die enim vigesima E sexta Junii anni MDCXXVI celebrata fuit congregatio, seu capitulum prætorum et senatorum Civitatis regum, a quibus (quæ sequuntur) ordinata et stabilita fuere : nempe quod tempus instabat optatum supplicandi summo Pontifici, nomine senatus et civitatis, pro beatificatione et canonizatione apostolici, et in eorum pia et communi opinione, sancti viri fratris Francisci Solani, regularis Observantiæ Seraphici patris sancti Francisci : ex quo litteræ Apostolicæ ad partes illas pervenerant ad integram perfectæ vitæ illius verificationem, in quo erat totum senatus desiderium et exspectatio; ut diligentiam post prodigia in ipsius felici transitu manifestata, tam rationabiliter susceptam prosequatur.

a civitate Limana,

25 Quoniam autem, quæ per Servum suum in vita et morte operatus est Deus, innumera fuere mundo notissima, regno illi, præcipue vero præfatæ civitati, patentia; hæc illa ante alias adeo ipsi obstricta ob longam plurium annorum commorationem, quibus eam prædicatione, doctrina, virtutibus et miraculis illustravit : quoniam tandem in urbe illa corpus ejus a Minorum F Religione tam solicite servatur, et a fidelibus tam pie colitur; idcirco juste senatus tenebatur jam diu conceptum adimplere desiderium, virumque Dei Franciscum in patronum eligere, seque cum universa civitate ipsi peculiariter addicta ad imitationem multarum civitatum; quæ sibi alios patronos non justiori titulo, nec urgentiori de causa assumunt, ejus clientelæ facto juramento subjicere; ut civitas illa in crebris calamitatum temporibus, ejus meritis, ac tutela protegatur : declaratum præterea fuit, debere senatum pro patroni sui Solani canonizatione apud summum Pontificem, ac universalis Ecclesiæ Rectorem instare, et majestatem Catholicam (cui inter tot novi illius orbis thesauros, nullus isto pretiosior a fideli civitate Limana offertur) ut suas interponeret supplicationes, rogare; ac tandem singulis annis, ducentos nummos pro ejusdem canonizationis expensis Romam a senatu esse transmittendos. Hanc eorum determinationem excellentissimus prorex, comes de Chinchon,

A chon, quoad præfatæ pecuniæ largitionem confirmavit; sed quoad solemne patronatus juramentum, ad Pontificis Maximi resolutionem remisit. Interim vero civitas in sui amore patroni perseverans, in publicis et solemnibus festis ejus imaginem, in domorum frontispicio pretiosis auro et argento intextis pannis appensam, cum armorum suorum scuto sub pedibus ejus pendente, ante Urbani octavi decretorum notitiam solebat ostendere; uno verbo in antiqua sanctitatis ipsius æstimatione perseverans, beatificationis honorem exspectat, impatientem suæ devotionis effusura conscientiam.

cujus exemplum varia Americæ oppida

26 Ad istius imitationem reliquæ Peruani orbis civitates et oppida sancti viri Solani patrocinio se submiserunt; civitas namque de la Plata, provinciæ et archiepiscopatus Charcarum caput, in senatus sui congregatione, habita die XXV Februarii anni MDCXXXI, Servum Dei sibi in patronum constituit, et in ejus canonizationis sumptus pro aliquibus annis centum nummos de gubernatoris consensu assignavit. Civitas Carthagena eadem solemnitate anno MDCXXXI, die XI Octobris B sibi in Protectorem eum elegit. Civitas sancti Jacobi, caput regni de Chile, et episcopatus in solemni judicum ac magistratuum concessu die XXVI Augusti anni MDCXXXIII, consultatione plurium theologorum et jurisperitorum præhabita, eumdem Servum Dei sibi in protectorem et patronum adscripsit, ac festivitatem electionis ejus per plures dies gaudiis ac tripudiis publicis, festivis ignibus, atque musicis, comœdiis, taurorumque luctis, palæstris, nec non tympanorum, campanarumque sonitu celebravit; instante præsertim et urgente ipso gubernatore Domino Francisco Lasso de la Vega, qui cum in præliis contra Indos initis opportunam invocati Francisci Solani opem sensisset, et victorias, eo auxiliante, retulisset, peculiari ad ipsum devotione ferebatur.

imitantur.

27 Denique civitas episcopalis del Cusco anno MDCXXXII, civitas de la Habana; oppidum de Salinas, caput episcopatus sanctæ Crucis die XX Septembris anni MDCXXXI; oppida S. Philippi de Oruro, de Valverde, de Ica, de Oropesa in Valle de Cochabamba, de Castrovirreina anno C MDCXXXI; oppidum dives et imperiale de Potosi, die XXIII Martii anni MDCXXXII; oppida de Carrion, de Velasco et de Amedo anno MDCXXXII; civitas Leonensis de Guanuco, anno MDCXXXIV, plures aliæ provinciæ, civitates et oppida ritu pari similique apparatu servum Dei Franciscum elegere patronum.

Classis regia,

28 In ipso etiam Americæ Australis mari, patronus et singularis protector vir Dei Solanus, ex sequenti occasione dignoscitur. Cum enim circa finem mensis Maii anno MDCXXXI, a portu de Callao ad Terræ-firmæ regnum et Panamam regio thesauro onerata classis perrectura solvisset, nocivam per aliquot dies experta tranquillitatem immobilis permanebat; tunc dominus Bernardinus Hurtado de Mendoza, generalis præfectus, fratrem Ildephonsum Queto, Ordinis Minorum Recollectum (qui factas a commissariis Apostolicis de vita et miraculis servi Dei Francisci informationes Romam deferebat) rogavit, ut corporis ejusdem sancti Viri integram imaginem explicaret: quæ ut extensa et in medium collocata fuit, et ab omnibus honorata, statim ortus est ventus propitius vela implens, ac puppim feliciter impellens. Nonnulli autem ex præsentibus se advertisse testantur, quod imaginis facies, quæ ipsum macilentum et pœnitentem repræsentat; eo tempore plena et pulchra, et quasi ab ore ventum emitteret, apparuit. Elapsis inde aliquibus diebus, defecit ventus; sed ejusdem imaginis expositione, iterum opportune flavit: at vero caliginosa nocte triginta circa Panamam leucis, navis archithalassa, seu (ut vulgo dicitur) Admiranta in incognita vada impegit, et periit; idem capitaneæ navi periculum imminebat; sed tertio manifestata Viri sancti imago, eam a præsenti discrimine liberavit, et ut omnes, qui in naufraga vehebantur, in illam reciperentur, obtinuit.

AUCTORE G. C.

Beati auxilium experta;

29 Nondum tamen beneficiorum finis: nam et istam ventus adeo adversus impellere cœpit; ut in syrtem obviam, et in eadem vada impetu recto collidenda pertraheretur; nisi jam quarto expansa Servi Dei effigies, flatus ventorum prosperos e divinis thesauris eduxisset, quibus onerata ultra mille viatoribus navis ad portum Panamæ E felici appulsu pervenit. Extrahendis tandem ex deperdita navi argenteis massis, et machinis bellicis, ac investigandis aliis pecuniarum arcis invocata Francisci Solani efficax intercessio facilem dedit exitum. Pro tot ergo gratiis, generalis præfectus dominus Bernardinus de consensu omnium capitaneorum ac officialium benedictum patrem Solanum in patronum classium regiarum, mari Australi navigantium, nominavit; et pro electionis hujusmodi confirmatione, ad majestatem Catholicam specialem supplicationem direxit. Viatores autem ut votum, quod in periculo voverant, adimplerent, solennem in Conventu Fratrum Minorum celebravere festivitatem: et quæ intra ecclesiam Missa, prædicatione, augustissimi Sacramenti manifestatione, et imaginis Servi Dei ornatissima expositione fiebant, lætificis ignibus, processionibus, explosis tormentis, aliisque tripudii signis foris imitabantur. Tanta fuit populi Panamæ devotio, ut per mensem integrum ecclesiæ fores recludi magnus infirmorum concursus impedierit; ex quibus nonnulli postea, receptam a Viro Dei sanitatem promulgarunt. F

cum urbe Panama se in ejus clientelam confert.

30 Ipsa vero Panama, regni Terræ-firmæ caput, et sedes episcopalis venerabilem Dei servum Franciscum Solanum in celebri senatus et magistratuum consessu die IV Julii MDCXXXI, in patronum omnibus aliis præferendum elegit, copiosam pro ejus canonizationis expensis eleemosynam assignavit, et urgentem pro ejusdem promulgatione ad summum Catholici gregis Pastorem Romanum Pontificem, sicut et aliæ plurimæ orbis Peruani civitates idem humiliter, ac solicite postulantes, epistolam scripsit; in qua virtutum et miraculorum Servi Dei celebre testimonium, jam enarratam classis regiæ protectionem, ac patronatus collati decretum et votum exposuit.

Publica ei veneratio exhibetur.

31 Quamdiu superius deductæ informationes ab ordinariis locorum fiebant, et dum virtute litterarum Apostolicarum a commissariis specialis inquisitio formabatur; interim populi Limani devotio crebris Servi Dei miraculis excitata, celebres ejus reliquiis exhibebat honores. Nam ultra lampades, vota, imagines, Missas, aliaque hujusmodi

AUCTORE G. C.

modi Christianæ pietatis indicia ad ejus sepulcrum oblata, ipsius etiam sacrum corpus (quod post sex menses in tumulo mirificum illum cum morte contractum odorem servare repertum est) post aliquos tandem annos in arcam cedrinam, pretiose instructam, a patre Joanne Moreno Verdugo, Ordinis Minorum in provinciis Peruanis commissario generali, affectui privato, communi omnium desiderio, ac pietati satisfacere volente, præsentibus multis religiosis translatum fuit et elevatum.

et magnificum sacellum exstruitur;

32 Insuper et domina Mencia de Sylva et Corduba, domini Georgii Manrique de Lara Ordinis sancti Jacobi equitis vidua, non ingrata beneficiorum sibi a Viro Dei (dum viveret) collatorum, magnificam in ecclesia conventus sancti Francisci capellam opere toreutico contignatam, ac deauratam, ac parietes curiose depictam exstrui fecit, et venerabili Servo Dei affectuose destinavit. Hujus autem principale tabulatum tribus constat forulis, in quorum medio (donec illi beatificationis honorem Sedes apostolica decernat) collocata est interim sancti Bonaventuræ imago, et sub ea dives et miro elaborata artificio capsa condendo Francisci Solani corpori aptata perspicitur.

B

sed decreto Urbani VIII cultus ille impeditur.

33 Cum itaque informationes a commissariis auctoritate Apostolica confectæ, Romam transmissæ fuissent, ante omnem causæ prosecutionem, novis felicis recordationis Urbani octavi decretis, ut primum ad Peruanorum notitiam pervenere, exacta præstita est obedientia : anno namque supra millesimum sexcentesimum quinquagesimo sexto corpus venerabilis viri Francisci ab ecclesiæ tumulo, in quo publica populi veneratione colebatur, in capellam valetudinarii conventus sancti Francisci delatum, absque ulla elevatione, plana in humo conditum fuit. Lampades etiam, imagines, vota, appensa donaria, et cuncta tandem cultus indicia, juxta decretorum præfatorum tenorem ablata, et in locum secretum huc usque reservantur.

Non dubito, quin post solennem venerabilis Viri beatificationem hæc anathemata aliaque cultus signa non tantum pristino splendori reddita, sed etiam vehementer aucta fuerint.

C

§ IV. Informationes de sanctitate ab Ordinariis factæ, et causa beatificationis ac canonizationis Romæ agitata.

Informationes de sanctitate et miraculis factæ

Jam sæpe memoratus Actorum scriptor lib. 2 cap. 9 refert, quomodo paulo post mortem venerabilis Francisci Solani *juridice de virtutibus ejus et miraculis inquiri cœperit, ut causa beatificationis in Romana curia institueretur. Sic igitur loco proxime citato scribit :* Anno MDCX et sequentibus MDCXI et MDCXII ad instantiam procuratorum, tam Civitatis regum, quam provinciæ Limanæ Regularis Observantiæ, factæ sunt in Peruano regno ab archiepiscopo Limano, et ejus suffraganeis informationes super sanctitate vitæ, virtutibus et miraculis servi Dei Francisci Solani ; in quibus exceptæ fuerunt depositiones trecentorum et quatuor testium, quorum tanto auctoritas est major, quod inter eos sunt quamplurimi dignitatibus ecclesiasticis et secularibus conspicui, et multi religiosorum Ordinum alumni, officiis, pietate, et doctrina excellentes, qui omnes uno ore Franciscum Solanum sanctum et mirabilem proclamant. D

Romam transmittuntur,

35 Delatis ad Urbem processibus ab archiepiscopo Limano confectis, et congregationi sacrorum Rituum a reverendissimo patre Benigno a Genua, totius Ordinis Minorum Generali Ministro, humiliter porrectis, ac ibidem mature examinatis ; eadem sacra congregatio censuit, ex probationibus contentis in dictis processibus plene satisfactum fuisse generali inquisitioni per sacros canones requisitæ ; ideoque posse, si Sanctissimo Patri ac Domino (tunc Urbano octavo) visum fuerit, ad specialem inquisitionem per novas probationes deveniri. Cui decreto præfatus summus Pontifex Urbanus annuens, per commissionem manu sua signatam, causam hujusmodi ad dictam sacrorum Rituum congregationem remisit.

et litteræ remissoriales Apostolicæ magno cum plausu Limæ accipiuntur

36 In hujus rescripti executionem eadem sacra congregatio exhibitos a causæ procuratore super vita, virtutibus et miraculis Servi Dei articulos benigne recipiens, litteras remissoriales et compulsoriales die prima Februarii anni MDCXXV concessit pro civitate ac diœcesi Limana, directas archiepiscopo ipsius, duabusque aliis personis primis in ordine ejusdem ecclesiæ metropolitanæ; seu quibusvis aliis in dignitate ecclesiastica constitutis, per ipsum archiepiscopum eligendis, et prout illi visum fuerit, etiam in locum electorum subrogandis : cum clausula, ut omnes, vel duo saltem ex illis conjunctim ad litterarum executionem procederent ; facultate quoque data non solum inquirendi in præfata civitate et diœcesi Limana, verum etiam extra illam in aliis diœcesibus Ecclesiæ Romanæ obedientibus. Interim autem, et ante litterarum sacræ congregationis receptionem, mortuo illustrissimo D. Gondisalvo de Campo archiepiscopo Limano, earum executio ad decanum et archidiaconum ejusdem ecclesiæ devoluta est. Quamobrem præfati domini decanus et archidiaconus a P. Joanne Moreno Verdugo, Peruanarum provinciarum Ordinis Minorum commissario generali, nomine Religionis hujusmodi, super litterarum Apostolicarum acceptatione et exsecutione requisiti, eas se admissuros responderunt ; et in signum obedientiæ, et reverentiæ osculatas, et suismet capitibus impositas, modo jam referendo recipiendas determinarunt. *Hic fuse describitur, quanto cum applausu et apparatu hæ litteræ Romanæ populo Limano publicatæ fuerint. Nos eam solennitatem ac cæremonias, utpote ad rem nostram parum spectantes, hic omittimus.* E F

ac post multorum annorum intervallum

37 *Postea Vitæ auctor lib. 2, cap. 19 narrat, quomodo post præstitam decretis Urbani VIII obedientiam, de qua nos supra num 33 ipsiusmet verbis egimus, causa beatificationis iterum novo fervore urgeri cœperit*: His igitur præmissis, *inquit*, statim causa beatificationis et canonizationis resumitur ; subrogatus propterea in locum Nuntii Apostolici a sacra Rituum congregatione episcopus Tymniensis archiepiscopi Toletani in oppido Matritensi suffraganeus ad informandum super

non

A non cultu et paritione decretis Urbani VIII, in virtute præfatæ commissionis, ac prorogatione ejusdem ad annum sibi a sacra congregatione die XXII Novembris concessis, et a Summo Pontifice Alexandro VII, die XXIV ejusdem mensis anno MDCLXIV approbatis, diligentes egit informationes, ex quibus veritas præallegati non cultus et paritionis decretis manifeste probatur.

causa beatificationis Romæ ita urgetur,

38 Ut Romam delatæ fuerunt illæ, instante semper et procurante Fratre Joanne a S. Didace Villalon, provinciæ Andalusiæ laico professo, et ejusdem causæ in curia Romana procuratore; præfata sacrorum Rituum congregatio proposita, et mature discussa sententia episcopi Tymniensis censuit, constare de sufficienti adimpletione decretorum Urbani VIII, et ad ulteriora posse procedi, ut plenius in decreto die XXVI Junii MDCLXVI emanato continetur. Postea vero die XXVII Augusti MDCLXVII, sanctissimus dominus Clemens Papa nonus ad humiles preces præfati Fr. Joannis a S. Didaco Villalon procuratoris benigne concessit, ut in congregatione ordinaria B proponeretur et discuteretur, an de validitate processuum auctoritate Apostolica confectorum super vita, sanctitate, virtutibus et miraculis servi Dei Francisci Solani constaret. In ejus gratiæ exsecutionem, re in sacrorum Rituum congregatione proposita, die X Decembris MDCLXVII, de validitate dictorum processuum constare et ad ulteriora progredi posse declaratum est, ac hujusmodi decretum ab eodem summo Pontifice die Januarii MDCLXVIII fuit approbatum.

ut Clemens X ediderit Breve,

39 *Tandem anno 1675 post consuetas instantias et formulas,* Clemens Papa X ad perpetuam rei memoriam *edidit sequens beatificationis decretum:* Quemadmodum cœlestis imperator, et magister noster Christus Jesus, qui sedet ad dextram Majestatis in excelsis, egregie functos militia super terram pugiles suos, qui virtute ex alto induti, et spiritu facta carnis mortificantes, non solum voluntatem suam, cum omnibus concupiscentiis crucifixam Deo in holocaustum obtulerunt in odorem suavitatis, sed etiam luculentas de impietate victorias reportare, et gentes, quæ Deum non noverant, ad veritatis agnitionem ac viam C salutis abducere meruerunt, perennis gloriæ corona donat in cœlis; ita et nos, qui ejus vices, licet immeriti, in hac terrena statione gerimus, Magistri nostri vestigiis, quantum nostra fert infirmitas, inhærentes, illorum cultum, et venerationem in terris promovere studemus, sicut ad divinæ majestatis gloriam, ad ejus Ecclesiæ præsidium, ad ædificationem fidelium, et animarum salutem cognoscimus in Domino expedire.

quo venerabilem Franciscum Solanum

40 Cum itaque mature, diligenterque discussis, atque perpensis per congregationem venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum processibus, de Apostolicæ Sedis licentia confectis, super vitæ sanctitate, et virtutibus, tam theologicis, quam moralibus in gradu heroïco, quibus servus Dei Franciscus Solanus, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, professor multipliciter claruisse, nec non miraculis, quæ ad ejus intercessionem, ac ad manifestandam mundo illius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur, eadem congregatio coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, unanimiter censuerit, posse, quandocumque nobis videretur, ad solemnem ejusdem Servi Dei canonizationem tuto deveniri, interim vero indulgeri, ut in toto terrarum orbe Beatus nuncupetur; hinc est, quod nos piis, atque enixis charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis Catholici, ac charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ-Annæ, earumdem Hispaniarum reginæ Catholicæ viduæ ejus genitricis, necnon totius Ordinis præfati supplicationibus, nobis super hoc humiliter porrectis, benigne inclinati, de præfatorum Cardinalium consilio, et unanimi assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut memoratus Dei servus Franciscus Solanus in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur; imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die prima non impedita post diem felicis ejus obitus recitetur Officium, et Missa celebretur de confessore non pontifice juxta Rubricas Breviarii, et Missalis Romani. E

Auctore G. C.

solenniter Beatorum catalogo adscribit.

41 Porro recitationem Officii, et Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet, in oppido Montiliæ, in quo dictus Servus Dei natus est, in civitate Limana, unde ad cœlos evolavit, et ubi venerabile ejus corpus requiescit, ac in provincia Thecumana, in quam Catholicæ fidei nova semina feliciter invexit, ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, tam secularibus, quam regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur, necnon in toto Ordine præfato, tam Fratrum, quam monialium, et quantum, ad Missas attinet etiam a sacerdotibus ad ecclesias ejusdem Ordinis confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce litteris, et quoad Indias a die quo eædem litteræ illuc pervenerint, inchoando in ecclesiis oppidi, et civitatis, ac provinciæ, et Ordinis præfatorum respective solennia beatificationis ejusdem Servi Dei cum Officio, et Missa sub ritu duplici majori, die ab ordinariis respective constituta, et intra sex menses promulganda, postquam tamen in basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem solennia, quam ad F rem diem XXX Junii proxime venturi assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii prædictæ congregationis Cardinalium subscriptis, et sigillo præfecti ejusdem congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique, tam in judicio, quam extra illud, habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris; die XXV Januarii MDCLXXV, pontificatus nostri anno quinto.

Postea causa canonizationis instituta est.

42 *Deinde anno 1688 concessa est licentia progrediendi ad processum canonizationis his verbis:* Sacra Rituum congregatio, remisso sibi supplici libello Sanctissimo D. nostro porrecto a P. Fr. Francisco Rossellon postulatore causæ prædicti B.

AUCTORE G. C.

B. Francisci Solani ad relationem eminentissimi et reverendissimi D. Cardinalis Chisii Ponentis, censuit posse dispensari et concedi, ut in congregatione ordinaria sacrorum Rituum cum interventu consultorum proponi et discuti valeat dubium super miraculis, quæ supervenerunt post illius beatificationem in casu, et ad effectum, de quo agitur, decretis aliisque in contrarium quibuscumque non obstantibus, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Hac die XXIV Januarii MDCLXXXVIII. Et facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua benigne annuit die XXVII Januarii MDCLXXXVIII. *Postea institutus est iste processus, quem anno 1692 Romæ impressum habemus. In eo referuntur breviter viginti quatuor miracula, et alia septem ad examen proponuntur, de quibus illic fuse disceptatum est. Nos ea miracula, quæ post indultum a Sede Apostolica* Beati *titulum contigerunt, ex prædicto processu excerpemus, atque illa antiquioribus beneficiis postea subjungemus.*

B

§ V. Canonizatio tandem Romæ obtenta.

Post diuturnam postulatorum perseverantiam

Postulatores canonizationis ob lentum negotii progressum, qualis in operosis maturisque hujuscemodi disquisitionibus esse solet, animos non desponderunt, sed causam identidem resumpserunt, ut satis patet ex sequenti decreto, quod sic sonat : Dudum, scilicet die XII Aprilis MDCCXII coram sacræ memoriæ Clemente PP. XI, habita fuit congregatio generalis Sac. Rituum, in qua cl. me. Cardinalem Bichium tunc Ponentem, seu relatorem proposita fuit causa Limana canonizationis beati Francisci Solani Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia super dubio : An constet de relevantia eorum, quæ supervenerunt post indultam eidem Beato venerationem ; discussisque nonnullis miraculis a Deo, ut asserebatur, intercessione ejusdem Beati patratis, nulla tunc prodiit resolutio.

C

sacra Rituum congregatio edidit decretum

44 Inde vero eodem summo Pontifice e vivis erepto, postulatores causæ prædictæ non nisi anno MDCCXXIII sac. mem. Innocentio PP. XIII supplicem libellum porrexere, quo novum miraculorum examen sub die X Septembris anni ejusdem impetrarunt. Proposita itaque per reverendissimum D. Cardinalem Scottum, loco reverendissimi D. Cardinalis Fabroni absentis, in generali congregatione S. Rituum coram SS. D. N. Benedicto XIII die IX Julii præsentis anni denuo causa super eodem dubio subjectisque novo examini iisdem miraculis, Sanctitas sua, auditis dominorum consultorum, et reverendissimorum dominorum Cardinalium suffragiis, resolutionem eo die differre censuit, ut prius de more tum suis, tum aliorum precibus cœlestis luminis opem imploraret. His itaque abunde impletis, infrascripta die Seraphico ecclesiæ Doctori divo Bonaventuræ Ordinis Minorum sacra, et in qua idem beatus Franciscus Solanus ad Superos evolavit, tria sequentia miracula in tertio genere approbavit, nimirum : Primum, repentinæ sanationis Joannæ de Blancas a tumore canceroso ; secundum, instantaneæ liberationis civitatis Montiliæ a peste ; et tertium, instantaneæ sanationis Franciscæ Victoriæ a peste, et febri maligna. Ac insuper decrevit. stante miraculorum horum approbatione, tuto ad solennem canonizationem beati Francisci Solani quandocumque faciendam procedi posse ; et ita, etc. Hac die XIV mensis Julii MDCCXXVI.

D

C. Card. de Marinis præfectus.
Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Archiep.
Apamenus Sac. Rit. Congr. Sec.

ac denique Pontifex constitutionem de canonizatione, ut Dei gloria in Sanctis ejus manifestetur.

45 *Tandem, dum hæc ad prælum parabamus, opportune prodiit* sanctissimi in Christo patris et domini nostri Benedicti XIII, Pontificis maximi constitutio de beato Francisco Solano Ordinis Fratrum Minorum, qui a regulari Observantia appellantur, sanctorum Confessorum canoni per eumdem adscripto, die XXVII Decembris anni MDCCXXVI. *Post hunc titulum sequitur ipsa Pontificis constitutio, quæ a RR. PP. Minoritis mihi perhumaniter communicata fuit, atque est sequentis tenoris :* Benedictus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad fidelium Dei servorum gloriam in terris manifestandam, unde cultus divinus maxime augeri, et frigescentia corda hominum ad veræ pietatis opera, præclaris eorum exemplis inflammari atque erigi possint, libenti et pervigili animo intendimus ; quoniam Christum Dominum in Sanctis ejus laudare jubemur. Hinc beatum Dei servum Franciscum Solanum ex Ordine Fratrum Minorum, qui a regulari Observantia nuncupantur, Christianarum virtutum præstantia, et miraculorum numero illustrem nacti, magnum populis, nostræ sollicitudini creditis, præsidium nos allaturos putavimus, si eum solenni S. R. E. cæremonia hac die, in honorem beati Joannis Apostoli et Evangelistæ Deo sacra, sanctorum Confessorum non pontificum canoni adscriberemus.

E

I

F

II

Beati Francisci Solani ortus, pia educatio, vitæque religiosa institutio.

46 Montiliæ, Hispaniæ Bæticæ oppido, sub ecclesia Cordubensi, quam complures Christi Martyres nobilitarunt, Franciscus Solanus, voluntate martyr futurus, lucem vitalem aspexit VI Idus Martias anno reparatæ salutis MDXLIX, ingenuis piisque parentibus ortus, qui filium timorem Dei, virtutesque, Christiano homine dignas, solicite docendum curarunt, quibus ipse animo accensus, in Fratrum Minorum, qui a regulari Observantia nuncupantur, sacram familiam adolescens cooptatus est. In ea miris et multis severioris disciplinæ, Christianæque humilitatis argumentis eluxit, diu noctuque divinæ pietatis, assiduæque pœnitentiæ exercitiis intentus, beatos etiam illos patres, Benedictum et Franciscum imitatus, qui se nudos inter pungentissimas spinas projecerunt, ut omnem vim sensuum domarent. His, aliisque præclaris animi dotibus ex ejus admirando tenore vitæ identidem prodeuntibus, sacris ipse concionibus, quas ardentissima caritas, ceteræque eximiæ virtutes, in eo fulgentes,

AUCTORE G. C.

A fulgentes, ornabant, animas lucrifaciens, Sancti elogium passim consecutus est, præsertim ubi ægri pueri corpusculum, totum ulceribus tectum, amotis linteis, lambens, sanitati restituit.

III

Ejus pietas erga pestifero morbo tabescentes,

47 Sed lue crudeli grassante in Hispania Bætica, maximam suam caritatem Dei Famulus morbo pestifero tabescentibus patefecit, ubi humano et spirituali solatio destitutis in tanta calamitate opem laturus, pereuntium animabus corporibusque curandis, nulla mortis formidine territus, summam operam dedit; immo et ipse mortali contagione infectus, et manu Dei sospes redditus, in pristino ministerio usque ad letalis morbi finem se alacrius exercere perrexit.

IV

Magna ejusdem modestia et caritas erga proximorum salutem.

48 Per ora omnium Solani sanctitati fama percrebrescente, Vir modestissimus, qui Dei, non suam, gloriam quærebat, se ei clam subducere cogitavit. Quare martyrii pro Christo subeundi percupidus, hanc sibi gratiam a majoribus dari humillime flagitavit, ut Africam, verbum Dei prædicaturus, trajiceret. Compos tamen voti nequaquam factus, hoc tandem obtinuit, ut ad remotissimos Indos evangelica doctrina imbuendos cum aliis verbi Dei præconibus navigaret. B Animarum salutem multis, iisque gravissimis mari terræque periculis Vir Dei præferens, non sine prodigio ad vineam, sibi a Domino paratam, laboriose excolendam cum sociis applicuit, utque oves errantes ex lupi faucibus ereptas summo Pastori servaret, nullis incommodis et vigiliis pepercit. Alienas ærumnas suas ratus, Deique amore et proximi æstuans, lingua gentium divinitus percepta, suavissimos sermones habens, Dei gratia id præstitit, ut barbari, deposita feritate, ad Solanum instruendi ultro et certatim accurrerent; unde factum, ut innumeram eorum multitudinem sacro fonte regeneraret, tanti apud omnes habitus, ut ipse ab iis facile obtineret, quæ alias pœnarum metus et rigor extorquere non poterant. Quantum ejus præsentia piique sermonis vis apud Indos posset, tunc maxime patuit, quum multa millia infidelium, Christianis, de more, in Dominicæ passionis mysteriis recolendis feria V in cœna Domini sancte occupatis, cruentam cædem jamjam allatura, ipse Dei C verbo exarmavit, diversæque ac sibi ignotæ linguæ barbaros homines uno idiomate allocutus, non solum pacem suasit, sed ad Christi fidem supra novem millia convertit. Pervulgata Francisci fama, miris gestis identidem aucta, ipse ad latibula confugiens, eam declinare conabatur, nec nisi majorum imperio obtemperans, munera sibi imposita obivit, donec Limam, orbis Americani principem civitatem missus, incolarum animos ad pœnitentiam cohortatus, ni agant, alter Jonas extremam cladem interminatur. Nec mora, omnes ad seriam criminum suorum pœnitentiam agendam perduxit.

V

Beatus Franciscus Solanus pie obiit, miraculis claret, et Beatis adscribitur.

49 Interim summis pro Dei gloria amplificanda laboribus confectus, supremæ vocationis diem sibi imminentem agnoscens, sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis muniri voluit, et pridie Idus Julias anno Christi Domini MDCX, in honorem beati Ecclesiæ doctoris Bonaventuræ, cujus patrocinio se olim addixerat, Deo sacra, manibus in crucis figuram compositis, pias oratiunculas recitans, semperque in Domino fixus, in cœnobio Limano Sanctissimi nominis Jesu exspiravit. Francisci anima in cœlum recepta, sacræ ejus exuviæ antea subnigræ, mox pulchræ et candidæ apparuerunt, suavique odore perfusæ, undique ad eas venerandas concurrentibus populis, ejusque vestium particulas sibi pro sacris reliquiis servandas parare contendentibus. Solani postea virtutibus et miraculis omnium præconio ubique diffusis, et apud hanc sanctam Apostolicam Sedem probatis, piæ memoriæ antecessor noster Clemens Papa X nono Kalendas Februarias, anno salutis MDCLXXV Franciscum Solanum ritu S. R. E. Beatis adscripsit.

VI

Sanctis ritu solemni adnumeratur.

50 Postmodum vero per venerabiles fratres nostros, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, novis miraculis a tempore ejus beatificationis patratis, in præsentia nostra æque discussis, inque tribus consistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, atque etiam patriarcharum, archiepiscoporum, et episcoporum, nobiscum Romæ præsentium, rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ notarios coram nobis excepta, regumque ac principum Christianorum, totiusque Ordinis fratrum Minorum pro beato Francisco Solano in sanctorum Confessorum non pontificum canonem referendo, precibus nobis enixe porrectis, post tantæ rei perficiendæ solennem diem indictam, perque orationes, jejunia et eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus, et S. R. E. disciplina agenda erant, omni religione peractis, hac die, in honorem beati Joanni Apostoli et Evangelistæ Deo sacra, una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac utriusque cleri et populi frequentia in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum et tertio pro viro Dei Francisco Solano in Sanctorum confessorum canonem referendo, per venerabilem fratrem nostrum Laurentium S. R. E. episcopum Cardinalem Tusculanum, Corsinum nuncupatum, precibus repetitis, post decantatas sacras orationes, et Spiritus sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, et Christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii, et Spiritus sancti, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio et unanimi consensu, beatum Franciscum Solanum Hispanum Ordinis fratrum Minorum, qui a regulari Observantia appellantur, de cujus sanctitate, fidei sinceritate et ceterarum virtutum et miraculorum excellentia plene constabat et constat, una cum beatis viris, perinde confessoribus non pontificibus, Peregrino Latioso a Foro-Livii, Ordinis fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, et Johanne a Cruce Ordinis fratrum Excalceatorum beatæ Mariæ Virginis, a monte Carmelo, Sanctum esse definivimus, Sanctorum confessorum non pontificum canoni adscri-

AUCTORE G. C.

adscribendum decrevimus et definimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus et adscribimus; eumdemque per omnes Christi fideles, tamquam vere Sanctum, honorari mandavimus et mandamus, statuentes, ut ab Ecclesia universali in ejus honorem ædes sacræ et altaria, in quibus incruentum Sacrificium Deo offeratur, construi possint, et quotannis pridie Idus Julias, quo die ad cœlestem patriam evolavit, solennia ejus natalitia, ut sancti Confessoris non pontificis, celebrari possint.

VII *Indulgentiæ, ejus exuvias visitantibus concessæ*

51 Insuper eadem auctoritate, omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui eodem solenni die natalitio in memoriam beati Francisci Solani quotannis ad sacras ejus exuvias venerandas accesserint, annum et quadragenam; iis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus.

VIII *Missa celebrata a Pontifice in ejus honorem.*

52 Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem sanctorum Francisci Solani, Peregrini Latiosi et Johannis a Cruce solenni oratione, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum Missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem Confessoris et ceterorum commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

IX *Deus glorificandus ob beatum Franciscum Solanum.*

53 Decet igitur, ut pro tam peculiari magnoque beneficio nobis concesso omnes benedicamus et glorificemus Deum Patrem, et bonorum omnium auctorem, cui est honor et gloria in secula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui Francisci Solani a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

X *His litteris ubique fides adhibeatur;*

54 Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras litteras ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

XI *nemoque eas infringere audeat.*

55 Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, VI Kalendas Januarias, pontificatus nostri anno tertio.

✠ *Ego Benedictus catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*

✠ Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.

✠ Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vice-cancellarius.

✠ Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.

✠ Ego Joseph Renatus Tit. sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.

✠ Ego Philippus Antonius Tit. sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.

✠ Ego Annibal Tit. sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.

✠ Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.

✠ Ego Joannes Antonius Tit. sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.

✠ Ego Antonius Felix Tit. sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.

✠ Ego Petrus Tit. sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.

✠ Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.

✠ Ego Melchior Tit. sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.

✠ Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei et Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.

✠ Ego Georgius Tit. sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.

✠ Ego Cornelius Tit. sancti Hieronymi Illyricorum, Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.

✠ Ego Ludovicus Tit. sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga et Moncada.

✠ Ego Joseph Tit. sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.

✠ Ego Alvarus Tit. sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.

✠ Ego Bernardus Maria Tit. sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.

✠ Ego Joannes Baptista Tit. Sancti Matthæi in Merulanla Presbyter Cardinalis de Alteriis.

✠ Ego Vincentius Tit. sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.

✠ Ego prosper Tit. Sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marefuscus.

✠ Ego Nicolaus Tit. sanctæ Mariæ in Dominica Presbyter Cardinalis Coscia.

✠ Ego Nicolaus Maria Tit. sanctorum Joannis et Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.

✠ Ego Frater Laurentius Tit. sancti Laurentii in Pane et Perna Presbyter Cardinalis Cozza.

✠ Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.

✠ Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.

✠ Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.

✠ Ego

A

✠ Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.

✠ Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.

✠ Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.

✠ Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emissenus.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

B

Registrata in Secretaria Brevium.

Jam nihil superesse arbitramur, nisi ut longiora Sancti Acta et miracula pio lectori proponamus.

VITA

AUCTORE TIBURTIO NAVARRO MINORITA.

Ex processibus beatificationis, aliisque monumentis collecta, et Romæ anno MDCLXXI typis edita.

C

CAPUT I.

Sancti patria, parentes, mores in pueritia et adolescentia, ingressus in Ordinem Minorum, et professio religiosa.

S. Franciscus Solanus anno 1549 nascitur in Hispania

a

Anno a nativitate Christi millesimo quingentesimo quadragesimo nono, Pauli tertii Pontificis maximi decimo sexto, Caroli quinti imperatoris augusti, Hispaniarum regis catholici trigesimo quarto *a*, exsurgentibus hæresum tenebris, et Christianæ Europæ faciem luctuose obvolventibus, ortus est mundo Franciscus Solanus; qui quoniam ad repellendam ex Americo hemisphærio gentilitii erroris caliginem, et lumen orthodoxæ veritatis diffundendam divinæ providentiæ cura destinatus fuit, non immerito Peruani orbis sol unus poterit appellari. Huic tam egregio fœtui patria fuit Montillum Cordubensis diœcesis oppidum, Priegii marchionatus præcipuum, et in feracissima Hispaniæ regione Andalusiæ situm. EX IMPRESSIS

honestis parentibus, et pueritia pie transacta,

b

2 Parentes sortitus est honestos et pios, ab avita virtute et sanguinis claritate non degeneres. Patri nomen Matthæus Sancius Solanus, matri vero Anna Ximenes, Hidalga *b* fuit : ille inter præcipuos concives habitus, in præfati oppidi præfectum bis meruit cooptari. Ex horum itaque stirpe, quasi fructus optimus arboris bonæ, natus est puer iste Solanus, vitæ quidem sanctimonia primus, sed in ordine filiorum secundus. Eodem anno, die Dominica, decima Martii in ecclesia sancto Jacobo dicata sacri baptismatis lavacro regeneratur *c*. Illum parentes a teneris annis timorem Domini, et Catholicam fidem solicite docuerunt; quorum non tam præceptis imbutus, quam divinæ gratiæ adjutorio præventus, ab ipso puerilis ætatis ingressu, et in adolescentiæ lubrico se virtutis amantissimum exhibebat : a pravis namque conversationibus studiose declinans, et juvenilis petulantiæ appetitus refrænans, in animæ suæ cultura indefesse laborabat. Hinc tantus nascentis in eo sanctitatis splendor irradiare cœpit; ut jam ceteros adolescentes (qui in illo aliquid ultra humanum deprehenderant) sola præsentia aut ab inceptis ludis inhonestis et indecentibus verbis desistere, aut a propositis omnino cogeret abstinere. *c* E

humaniorum litterarum studiis virtutem

3 In collegio Societatis Jesu ejusdem oppidi studio litterarum addictus, omnium tam magistrorum, quam consodalium sibi conciliavit amorem, et in se, quasi in modestiæ, mansuetudinis, ac virtutis omnimodæ speculum, oculos convertit. Cum enim nihil puerile proferret, sed in cunctis consummatum hominem saperet, prudentiam et discretionem demonstrabat virilem. Pacis et mutui amoris amantissimus erat, et jurgia inter condiscipulos exorta componere satagebat; adeo ut cum semel duos (cum quibus juxta fluvium Aquilar ambulabat) inter se rixantes, et pugnis contendentes vidisset, intercesserit medius, ut eos sedaret; cumque unius manu fuisset impetitus, non destitit, donec reduxisset ad pacem, et amico secum de ictu inflicto condolenti, ait : » Nihil mihi perfecto doloris intulit; finem » vero intentum obtinui, dum eos ad pristinam » amicitiam revocavi. » Hanc non solum inter consocios pueros, sed et inter ipsos ætate majores homines statuere concordiam curabat : nam cum aliquando circa Montiliam duos in agro districtis ensibus certantes reperisset, ad eos audacter accessit, et verbis melle manantibus, inquit : » Pro amore Dei, nolite invicem tam periculose pugnare; nemo enim est, qui vos re» conciliet, et absque dubio vos mutuo vulnere » interficietis. » His auditis, subito gladios in vaginam reposuerunt, ac in diversas partes abeuntes ab invicem pacifice discesserunt. F

ac pietatem conjungens.

4 Studebat itaque bonus Puer, et subcisivas a studio horas in horti paterni adjuvanda cultura impendebat, ubi dum corpus labori applicaret, devotis canticis animum recreabat, et elevatam in Deum mentem eorum dulcedine conservabat. Sciens insuper amore litterarum exstingui non debere affectum virtutis, interiori cordis profectui ac devotioni vacabat. Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta recepturus debita se præparatione

EX IMPRESSIS. paratione disponens, ac postmodum de receptis humiles gratias in secreto orationis Christo rependens, ad eorum etiam participationem alios efficaciter hortabatur.

Ordinem Minorum ingreditur,

5 Verum adeo generosum militiæ Christianæ Athletam nobilior alea, quam seculi decebat; in campo religiosæ palæstræ erant exercitandæ vires. Quamobrem (Deo inspirante) ad altiorem perfectionis gradum anhelans in claustri solitudinem secedere meditatur; et tandem maturo consilio a Patribus regularis Observantiæ conventus Montiliæ, Recollectionis, provinciæ Andalusiæ, sacro se induit habitu, et eorum aggregari consortio humiliter postulavit. Quem prudentes religiosi tentatum, ac sapienter probatum, anno supra millesimum et quingentesimum sexagesimo nono, ætatis illius vigesimo ad Ordinis seraphici probationem admiserunt.

et tempore novitiatus mira austeritatis

6 Habitu Minorum indutus illico pullulantes in anima virtutum thesauros coram omnibus explicare cœpit. Modestiam imprimis singularem, cæcam obedientiam, demissam humilitatem, diu-
B turnum silentium, et sensuum rigidam mortificationem ubique præferens, fratrum oculos et affectum ad se trahebat. Sunt quidem sacris Recollectionis provinciæ Granatensis incolis communia, pœnitentiæ rigor, aspera, vilis, et rugosa vestis, exacta et longa jejunia, crebra flagellatio, summa paupertas, uno verbo instituta Franciscani vere regularis observantia : sunt et alia novitiorum et ad religionem aptandorum austeræ probationis exercitia; sed hos omnes Franciscus noster cursu velocior, et zelo ferventior anteibat; sub sago cilicium acutum aptabat ad carnem, suberno per annum cortice, Quadragesimæ vero et Adventus temporibus crate ex ligatis insimul fustibus compacta pro lecto, et ligno pro cervicali utebatur.

et abstinentiæ exempla præbens,

7 Flagellis se frequentibus usque ad largam sanguinis effusionem cruciabat, his, quasi tutissimum virtutum nascentium custodem, jejunium addebat; et ut juvenilis fervoris impetus præveniret, abstinentiæ medicinam adhibebat. Numquam enim (ut a probationis, et professionis sociis observatum est per triennium) carne, pisci-
C bus, aut ovis vescebatur, nisi in solennioribus festis magistri præcepto adstrictus. Talem sibi temperantiæ legem præscripserat, ut nihil coctum igne diebus Veneris comederet; at vero per omnes Quadragesimæ secundas, quartas, et sextas ferias pane solo in cibum, et aqua uteretur ad potum. Taceo quod communem tunc omnibus novitiis pedum omnimodam toleraverit nuditatem. Religiosi silentii frenum cum necessitate compulsus solvebat, de rebus tantum spiritualibus ad ædificationem audientium loquebatur. Cumque pauca semper singulari discretione proferret, consodales novitii dum in raris (quas indulget Religio ad remittendos animos) confabulationibus versarentur; præsente Francisco, nihil leve, aut risum provocans, et quod sanctam religiositatem non saperet, admiscere audebant. Quam quidem præsentiæ ipsius reverentiam, donec ad Indias perrexit, apud fratres perseverasse compertum est.

8 Tam eximias ferventis Novitii virtutes, quasi aqua irrigua novas plantulas, oratio fovebat : intelligens enim pius Adolescens, non futuram pe- D
rennem mortificationem, aliasque religiosi animi dotes cito perituras, quas divinæ conversationis pinguedo non saginaret, vacabat indesinenter contemplationi : præter enim horas, quibus tota communitas orando attendebat, ille in nocturno silentio, postquam corpus disciplinæ flagellis evigilaverat, per plurium cursus sanctum orationis exercitium sæpe usque ad ortum diei, protrahebat. His ergo tam bonis principiis se vere divino impulsu vocatum manifeste contestans, eo perseverantiam inspirante, qui dederat voluntatem, post expletum probationis annum, omnibus consentientibus, et exultantibus sacræ Recollectionis patribus, solennem vitæ et regulæ fratrum Minorum professionem emisit.

ac orationi deditus professionem religiosam emittit.

ANNOTATA.

E

a *Annus ille trigesimus quartus intelligendus est de solo regno Hispaniæ : erat enim imperii tantum annus trigesimus primus.*

b *Nescio, an vox* Hidalga *hic sit propria, an appellativa : nam Hispani per* hidalgo *nobilem significant, de cujus nominis etymologia videri potest Covarruvias tom. 2 Var. Resol. cap. 1, num. 11.*

c *Non video, quomodo hæc cohæreant cum iis, quæ in Vita Hispanica lib. 1, cap. 36 ex informationibus ad beatificationem citantur hoc modo :* Prædixit quoque ejus (*potius* suam) mortem futuram in die S. Bonaventuræ, in quo natus fuerat, et cujus devotissimus erat, et ita fuit. *Si anno* 1549 *in festo S. Bonaventuræ natus fuerit, quomodo* eodem anno, die Dominica, decima Martii *baptizatus fuit? Potius itaque cum Pontificia constitutione opinamur, Sanctum* VI *Idus Martii natum fuisse.*

CAPUT II.

F

Scientiarum studium, sacerdotium, officia in Hispania administrata, et apostolicus zelus ibidem ostensus.

Institutum regularis observantiæ professus, virtutes, quas in probatione colere cœperat, non dimisit, sed consummavit : adeoque inceptam in tirocinio vivendi rationem firmiter tenuit, ut numquam a primo illo simplicitatis, obedientiæ, et fervoris tramite deviaverit. Post exactum in conventu Montiliæ circiter triennium, ad Recollectionis sanctæ Mariæ de Loreto *a* cœnobium sub perfecto pioque Guardiano, prout optaverat, mittitur. Ibi studio philosophicæ disciplinæ addictus, quamquam cellarum copia suppeteret, tamen in angulo quodam juxta tintinnabula parvam et humilem ex arundinibus cellulam sibi construxit; in qua pro supellectili lectulus corticeus

Finitis philosophiæ ac theologiæ studiis, a

A ceus et sedile ligneum erant, et ex parvo foramine lumen manabat. Ibi solitarius et a strepitu segregatus dies noctesque aut orans, aut studens ducebat. Theologiæ etiam operam dedit, cujus doctrinas, quas intellectu perceperat, in cibum animæ convertens, meditatione, fletu, jejunio, studiorum ariditatem temperabat; ita ut (quod sæpe multis aliter evenit) hinc doctus simul et sanctus, sapiens et humilis prodierit.

sacerdotio initiatur, et post alia officia

10 Terminato studii curriculo ad sacerdotalem ordinem promotus est, et prima vice augustum Sacrificium in solennitate S. P. N. Francisci obtulit Deo. Inde cum cultus divini solicitus esset, ac vocis sonoræ gratia præstaret, chori vicarius designatur, in quo quidem officio accurate plurimum et exacte se gessit. Horas nocturnas et diurnas, ne quid in ritu et cantu deficeret, præveniens et præparans, iis indefectibiliter assistebat. Superioris quoque imperio ad prædicandi munus assumptus est, in quo quam laudabiliter egerit, quam fructuose laboraverit, eventus subsecuti, et inferius narrandi probabunt.
B

fit magister novitiorum,

11 Jam plures annos in sacra illa recollectione traduxerat, cum ad alium conventum ab obedientia vocatur, et magister novitiorum in Arrizafæ *b* monasterio præficitur. Hoc in onere sibi commendato, intelligens Vir Dei efficacius esse exemplum, quam verbum, et tironum oculos in magistri vitam, quasi in speculum, cui conformetur, esse conversos; novo zelo accensus totum se pœnitentiis dedit, et conceptum in tirocinio fervorem renovavit. Juvenum culpas sua perfectione, acrius quam voce reprehendens, et delinquentium errores sibi adscribens, pœnam ab eis debitam ipse solvebat; et eorum manibus se flagellis cædendum tradens, in proprio corpore alienos expiabat defectus. Carnibus et piscibus sibi interdictis, coctorum olerum cibo sustentabatur. Orationi tam intense ac frequenter vacabat, ut eum novitii de industria, num aliquando quiesceret, observantes, plerumque genibus flexis in cella, aut in choro (in quo post Matutinum ad primam usque remanebat) orantem deprehenderint, ac tandem gravissimis verberibus suspiria et gemitus commiscentem audierint.
C

quos verbo et exemplo docet;

12 Ad tanti rectoris imitationem provocati novitii in acquirenda perfectione non segniter laborabant, quibus aliquando sciscitantibus, qua potissimum pœnitentia religiosus divinam gratiam mereretur, reddidit dignum sapiente responsum: Tutiorem ad meritum viam esse patientiam, ac laborum et tribulationum, præsertim cum a parentibus aut religiosis inferuntur, æquanimem tolerantiam. Interrogatus etiam ab illo simplicium cœtu, quid dolorem ex flagellis percipiendum augeret, docebat eos, quod sicut agnus innocens Christus tunica inconsutili exutus in toto corpore verberum acerbitatem excepit, sic depositis tunicis, non una, sed plures corporis partes sunt flagellandæ. His et similibus documentis teneras plantulas irrigabat, et religiosæ professionis observantiæ dictis disponebat et factis.

13 Inde ad Conventum S. Francisci de Monte *c* in arduis et asperis positum, ab hominum habitatione semotum, et rerum cœlestium contemplationi aptissimum magister novitiorum destinatur; quo quidem in officio, quas supra retulimus, virtutes exercuit: verum et loci opportunitate usus privato profectui impensius indulsit; ibi longas protrahebat orationes, silentii ac solitudinis non interrupta quiete fruebatur: ibi pœnitentiæ strictioris modos adinveniens, novis se mortificationibus affligebat. Erant juxta monasterium horridis acuminibus rigentes spinæ, in quas se nudum verus seraphici Patris imitator tamdiu aliquando volutavit, donec totum diro vulnere corpus cruentasset.

EX IMPRESSIS ac in alio Conventu iterum novitiis præfectus

in eodem cogitur Guardiani munus obire,

14 Tam eximias ejus virtutes in bonum Religionis decebat semper occupari; quamobrem in provinciæ capitulo prædicti conventus S. Francisci de Monte Guardianus instituitur; quod officium, licet summa humilitate recusaverit, tamen obedientia compulsus subivit. In eo omnes boni superioris partes implevit: vigilantiam imprimis prælato necessariam et solicitudinem maximam adhibuit, ut a subditis regulæ præcepta, et sacræ Recollectionis statuta inviolabiliter observarentur. Et ut efficacior exhortatio E
fieret, eam exemplo roborabat: ad omnia namque monasterii exercitia primus obeunda concurrens, a choro, mensa, oratione, labore communi numquam aberat. Assumpto sacculo, ostiatim eleemosynas emendicatum ibat. Cunctis affabilis, nulli onerosus, discrete tamen arguendos reprehendebat, et duræ cervicis subditos obedientiæ freno coercebat.

quod humiliter administrans ac postea abdicans

15 Specialem infirmorum curam sibi ex officio demandatam existimans, eis sedulo deserviebat, et infirmarii manus præveniens, eorum lectulos componebat, et sordidam valetudinarii supellectilem lavabat et expurgabat. Præterea ut fratribus religiosæ dejectionis exemplo præluceret, sæpe dum omnes mensis assiderent, lignum aut arundinem dentibus apprehendens, humili modestoque gradu incedens, lacrymis perfusus, et seipsum inculpans in refectorium intrabat, et genuflexus se virum inutilem, et qui hominum pedibus calcaretur, indignum proclamabat. Tandem opere et sermone familiam illam, in quoddam sanctuarium et pœnitentium quasi carcerem voluntarium convertit; et tamen F
adeo sanctæ humilitatis virtus animam ejus invaserat, ut importunis et urgentibus precibus acceptationem suæ ab hoc munere renuntiationis extorserit.

totus intendit saluti animarum.

16 Vicinorum populorum utilitatibus attendens, prædicationis officium sibi jam demandatum, dum in illo S. Francisci de Monte conventu moraretur, cum magno adjacentium villarum proventu Dei Servus exercuit. Etenim verbis non inanibus et risu dignis; sed medullas cordis penetrantibus, et in oratione, Christo docente, conceptis, regionis illius incolas informabat. Convertebantur non pauci, et ut vitiorum sordes abjicerent ad sanctum Prædicatorem peccata confitentes veniebant. Cum pro eleemosynis ad loca finitima mitteretur, solebat pueros congregare, cum quibus turmatim per vias procedens, simul fidei Christianæ dogmata recitabat. Et si forte adultorum numerus congregatus occurrebat, de divino eis prædicabat timore, et sanctum Domini commendabat obsequium. Terminata

concione.

EX IMPRESSIS. concione, licet monasterium a proximiori castello unius leucæ ad minus spatio distaret, ad illud jejunus redibat; quam strictam discretionis et abstinentiæ legem, etiam dum febre quartana laboraret, quadragesimali tempore in villa de d Adamus *d* prædicans, non infregit.

et prodigiose quorumdam corporibus prodest.

17 Ob hæc charitatis officia animabus exhibita Vir apostolicus et sanctus ab omnibus habebatur; sed augebant famam illius collata etiam corporibus beneficia. Cum enim in oppido Montiliæ ad januam Didaci Lopez semel pro eleemosyna staret, oblatus est ei puer parvulus præfati Didaci filius, æger et toto corpore miserabiliter ulceratus, ut super eo sanctum aliquod Evangelium pronuntiaret. Tunc ille bajulæ mulieri jussit, ut amotis linteaminibus plagas detegeret; quibus visis, misericordia tactus, admota lingua totum corpus pueri lambit. Ad salubrem ejus contactum æger convaluit : paucis namque interjectis diebus integram carnis sanitatem et decorem adeptus est. Dum alia vice Vir Dei ad idem oppidum mendicaturus accederet, in ipso B loci introitu pauperem cruribus ulcere plurimo sauciis obvium habuit. Tunc memor Christi pro nobis in cruce vulnerati, in terram procidit, et miseri pedes benigne osculatus est. Hoc osculo pie creditur reddita pauperi sanitas : nam elapso ab hinc mense, sanis cruribus, et nulli innixus baculo visus est ambulare.

Peste infectorum animas

18 Anno millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, calamitosa pestiferi contagii lue in plures Andalusiæ regiones debacchante, Montorum *e* oppidum flagelli divini rigorem sensit. Hujus misertus Vir Dei, nec minus corporali, quam spirituali subsidio destitutis compatiens, obtenta licet ægre a Guardiano licentia, cum socio, nomine Bonaventura sacerdote, eodem spiritu animato, ad castrum præfatum se contulit; et annuentibus, immo et exultantibus parocho et aliis incolis, nosocomii peste laborantibus destinati curam suscepit. Ibi nullo mortis periculo territus animas infirmorum curabat et corpora; modo eos verbis dulcissimis ad patientiam, ad humilem cum divina voluntate conformitatem, et lucrandam jubilæi de cœlo missi (sic enim C luem illam vocabat) remissionem hortabatur : modo ipsis Sacramenta administrabat, mox ad supremum agonis certamen piis colloquiis disponebat.

et corpora curat;

19 Nec propterea oblitus subsidii corporalis, lectulos componebat, cibos et medicinas parabat, et omni ministerio juvabat. Illos vero, qui mortem evaserant et, tabe ægritudinis superata, sanitatis bonum erant consecuti, in aquis proximi molendini lotos atque mundatos, et pristinis vestibus exutos, novisque vestitos, crucem præ manibus gerens, ac fidei nostræ articulos alta voce decantans, ad propria domicilia reducebat. Inde ad ægrotantium curam revertens, et inter hos labores alacri facie, vultuque semper composito perseverans, miseris illis singularem ingerebat consolationem et gaudium.

et eodem morbo afflictus sanatur,

20 Interea charissimo ejus coadjutore Bonaventura morbi contagio enecato, Servus Dei non destitit; sed communem antea duobus, nunc in se totam refundens solicitudinem, omnium necessitatibus indefessa vigilantia succurrebat. Ipse autem, ut amarum ægritudinis calicem degustaret, ac Deo probaretur in infirmitate fidelis, pestis violentiam non effugit : duplici namque glandula seu anthrace correptus, vehementis doloris molestiam sensit, quam mira tranquillitate mentis ac patientia toleravit. Verum ad majora pro Deo et proximo operanda cœlesti providentia reservatus, pristinæ redditus est sospitati, statimque primum ministerium reassumpsit; nec ab illo amplius cessavit, donec reposito in vaginam angeli percutientis gladio, sævientis pestilentiæ ignis exstinctus fuit. Tunc enim populo valedicens, ad dilectam monasterii solitudinem se recepit. D

ac ad alium conventum mittitur, ubi apostolicos labores exercet.

21 Elapso vero non multo tempore, ad conventum Recollectionis sancti Ludovici Regalis *f*, a Granatensi civitate unius leucæ intervallo distantem, ab obedientia transfertur. Ibi a Guardiano et fratribus, ob spectatas ipsius virtutes, f summa cum exultatione, et singulari reverentia susceptus, inchoatam juvandi proximi viam non dereliquit : illico namque cœnobii ægrotis ministrare cœpit, et cum tantæ charitati necessitas E domestica non sufficeret, annuente superiore, sæpe ad B. Joannis a Deo xenodochium, aut ad civitatis publicum carcerem properabat, ubi Christianos infirmos, aut in ergastulo detentos, verbo, ministerio, et sacramentalis pœnitentiæ refrigerio consolabatur.

ANNOTATA.

a *De hoc conventu fusius agit illustrissimus Franciscus Gonzaga in Origine seraphicæ Religionis pag.* 905.

b *Hic conventus sedecim stadiis a civitate Cordubensi distat, ut testatur idem Gonzaga in opere jam citato pag.* 1170.

c *Hoc monasterium in montibus Cordubensibus situm est, teste eodem Gonzaga pagina proxime citata.*

d *Jam sæpe laudatus Gonzaga pag.* 1170 *hunc locum* Adamuz *vocat oppidum. Forte auctor Vitæ ex Hispanico idiomate latinum fecit nomen* villa, *quod apud Hispanos urbem vel municipium significat; quod autem apud Latinos est villa ab Hispanis dicitur* caseria *vel* alqueria. F

e *Aliqui geographi volunt, hoc Hispaniæ Bæticæ oppidulum olim appellatum fuisse* Epora, *nunc autem communiter* Montoro, *quod decem leucis distat Corduba versus meridiem. Alii opinantur, Eporam sitam fuisse ad Bætim fluvium, ubi nunc est vicus vulgo dictus* Aldea del rio. *Nos id indigenis discutiendum relinquimus.*

f *Gonzaga in eodem opere pag.* 1173 *hunc conventum vocat S. Ludovici Azubiæ, et narrat, quomodo anno* 1500 *illud cœnobium ex voto reginæ Elisabethæ ædificatum et Ludovici nomine appellatum fuerit.*

CAPUT

A

CAPUT III.

Navigatio ad Indias Occidentales, naufragium, et caritas erga proximum.

Beatus, humilitate et zelo animarum incitatus,

Præclara sanctitatis indicia, quibus Francisci Solani vita apud homines resplendebat, magnam ipsi in Hispaniæ partibus conciliaverant æstimationem ; quam ut effugeret, et in angulo quodam (absque tamen charitatis dispendio, et sine proximi detrimento) incognitus latitaret, periculum mortis non reformidans, sed gloriosi martyrii agonem exoptans, instanter apud superiores egit, ut Africanas Barbariæ gentes adeundi sibi licentia daretur. Verum, ea denegata, a proposito non destitit, sed ad longinquas novi B hemisphærii plagas, operariis evangelicis indigentes, respiciens, cum Catholicus rex Philippus secundus a Franciscanæ Religionis prælatis fratres ad Indias mitti jussisset, qui populis illis Christianæ veritatis lucem communicarent, occasionem sibi ratus favorabilem Vir Dei sacris missionariis annumerari instanter petiit; ut pia hac arte præceptum charitatis non frangeret, et humilitatis instinctum impleret. Obtenta itaque facultate, religiosis sub patre Balthazaro Navarro commissario ad provincias Tucumani *a*, potius quam aliis ad diversas Americæ regiones pergentibus, se socium adjungi elegit; quia hanc præ ceteris partem minus præceptis evangelicis imbutam, et opera difficiliori audierat indigentem.

navigat in Americam et in itinere piis exercitiis vacans,

23 Fratribus autem vale dicens, et populis (quos antea salutaris documentis informaverat) in transitu visitatis, cum navalibus copiis sub domino Garcia Hurtado de Mendoza Caneti marchione, Peruani regni prorege, ad Indias tendentibus, et cum pluribus Ordinis sui religiosis, anno salutis millesimo quingentesimo octuagesimo C nono ex Hispalensi [urbe] profectus est. In nave, quasi in solitudine monasterii, spiritualia exercitia complevit ; nec multitudine navigantium aut spatii parvitate, ab orationis interno colloquio vel ab externa proximi cura est impeditus. Postquam enim a privatis precibus cessaverat, alios verbis ignitis ad amorem divinum incendebat, apprehenso manibus Crucifixo, mortem peccato præferendam contestabatur; et quos sermonis jaculo sauciaverat, pœnitentiæ sacramentalis medicina sanabat.

ac martyrii desiderio flagrans,

24 Viam autem prosequente navigio, ad sancti Dominici insularum *b* prospectum venere, ad quas religiosi quidam (inter quos et ipse Vir Dei) tunicas loturi descenderunt. Hora post meridiem quarta, quotquot cymbula capere potuit, ad navem in alto positam redierunt. Remansit cum aliis Franciscus, donec scaphæ iterum rediturae beneficio trajiceret; quæ quidem ob nimiam distantiam usque ad horam a media nocte secundam non est reversa. Interim vero periculosæ exspectationis tædium Servus Christi orationis perseverantia superavit, et barbarorum in horridis illis montibus habitantium ferocitatem (quam alii timebant) ipse non veritus, gaudio exultans laudes Domini et Deiparæ Virginis alte concinebat, ac consequendi martyrii optatam sibi adesse occasionem oris et cordis jubilo tripudiabat. EX IMPRESSIS

salutem proximi impense curat.

25 Ad navem reversis omnibus, cursuque navigationis resumpto, classis Carthagenam *c* appulit, ubi diebus aliquot transactis, ad portum Nominis Dei, sive Portovelum *d*, proram direxit ; unde relicto mari, Franciscus noster eum prælato et sociis terræ iter aggressus Panamam *e* venit. Hac in civitate nullum laboriosæ peregrinationis refrigerium admittens, sibi in angulo chori fiscum sparteum pro grabato, et ligneum cervical aptavit : terminatis officii et orationum horis, ad urbis xenodochia infirmis humiliter ministraturus transibat.

In naufragio

26 Elapsis nonnullis diebus, sacri missionarii navem Joannis de Morgana ingressi, et Panamæ portu solverunt. Vix autem velis extensis, eam ad Peruana regna direxerant, cum ecce juxta sinum Gorgonæ *f* navigantibus subito tempestas oborta est, cujus impetu, et ventorum flantium furore, navis hinc inde rejecta circa mediam noctem in arenas impegit, et violentis impulsibus conquassata exundantibus aquis aditum aperuit ; quibus et imbrium ab aere decidentium copia certum minabatur naufragium, et præsens mortis periculum miseris intentabat. In extrema hac salutis desperatione nauta cymbulam mari commisit, in qua cum præcipuis viris et religiosis ad terram properare decrevit. E

egregius vitæ suæ contemptor

27 Rogatur itaque vir Dei Franciscus, ut se cum sociis morti subduceret. Sed cum majorem hanc charitatem in corde gestaret, qua pro amicis et proximis vita ponitur, considerans quod infelix exitus exspectabat eos, quos suscipere scapha non valebat, sui corporis vitam spirituali eorumdem saluti postponens, adduci non potuit, ut afflictos illos, quorum quamplurimi barbari gentiles, nigri in aquis baptismalibus veterem Adam nondum sepelierant, omni destitutos auxilio desereret. Alte itaque exclamans, ait : Absit, ut lucis temporalis amore, ab istis fratribus meis in utriusque vitæ discrimine positis sejungar. Mox cruce assumpta, eos ad oculos in montem divinæ misericordiæ levandos, et ad sperandam ab illo, qui dominatur potestati maris, fluctuum mitigationem est cohortatus. Barbaris quoque gentilibus in fervore spiritus Christi nomen, paucis, sed efficacibus verbis, annuntiavit, et sufficienter dispositos baptismi lavacro regeneravit. F

naufragos ad fiduciam hortatur, et prædicit, auxilium affuturum

28 Vix onerata dignioribus cymbula ad littus tendere incœperat, cum valida maris procella, et fluctus irruentis violentia navem in duo fragmenta divisit, quorum unum cum multis hominibus, inter quos recens baptizati nonnulli, æquor absorbuit ; alterum, in quo Vir Dei cum pluribus, aquis supernatavit. Ad tam luctuosi casus eventum, omnes pavor extremus invasit ; solus Franciscus intrepidus crucem ostentans, eos ab alto puppis ad spem in Domino collocandam hortabatur ; adfuturum post tres dies auxilium, et naviculam ad eos reversuram affirmabat. Ut autem in corporum periculo animarum

securitati

EX IMPRESSIS. securitati provideret, eos secunda post peccati naufragium tabula, pœnitentiæ scilicet Sacramento, ad portum salutis inveniendum disposuit; ac etiam ut propitium miseris cœlum redderet, intus cordis hostiam suspiriis et precibus, foris corporis victimam flagellis super nudos humeros injectis immolavit. His in angustiis totum tridui spatium duxere, non alio cibo refecti, quam verbi procedentis ex ore Francisci; quo se quidam ita fuisse roboratos professi sunt, ut nullam senserint famis inediam.

quod juxta ipsius prophetiam secutum est.

29 Tandem juxta Viri sancti sermonem cœlestis aura subsidii cœpit aspirare: cereis enim quibusdam a mari in navem rejectis (quod aliqui miraculo Servi Dei precibus operato adscripserunt) et accensis, his qui in scapha ad littus trajecerant, se adhuc superstites et prompto esse indigentes auxilio significarunt. Die ergo tertio (ut impleretur verbum Francisci) educta ab aquis cymbula, quibus erat immersa, necnon sufficienter instructa, remigum manu ad miseros rediit naufragantes; in quam non prius descendit Vir sanctus, donec omnes in eam fuissent re- B cepti, tuncque deposito habitu et fune colligato, tunica interiori vestitus, crucem manu gerens, ad naviculam undarum motu aliquantisper a nave sejunctam natando pervenit, projecta vero vestis in aquas decidit. Vix scapham ingressi sunt omnes, cum quod hucusque supernataverat navis fragmentum, subito in profundum demersum est. Illi vero salvi et incolumes delati ad terram, per bidui viam ad tuguria (in quæ se socii receperant) accesserunt, eisque quantam a P. Francisco consolationem et auxilium accepissent, narraverunt.

Post miracula

30 Contigit autem in ipso mari egressu res non prætereunda silentio, quod scilicet Vir Dei ad quærendum (quem in fluctus cecidisse diximus) habitum juxta pelagi oram progressus, impossibilem asserentibus aliis ejusdem inventionem, ille quasi de exitu non incertus, respondit: » In Deum spero, quod seraphicus pater » meus Franciscus, quam mihi Ordinis sui largi- » tus est vestem, nunc restituet. » His dictis iter prosecutus intra semihoram habitu et ca- C putio indutus, et cingulo præcinctus, nullo madefactionis in eis remanente vestigio, ad alios rediit.

in itinere patrata,

31 Qui vero tempestates maris evaserant, in terra positi mortiferæ famis cruciatu laborabant: in regione enim illa deserta et asperis montibus rigente, nihil aliud miseris suppetebat ad victum, quam insipidæ radices, et fragiles herbæ, necnon genus aliquod pomorum, mortem intra XXIV horas comedentibus afferentium. His commotus ærumnis pius Pater, herbas manu propria colligebat, et in nomine sanctissimæ Trinitatis benedictas ceteris porrigebat. Sæpe etiam pisces (divina, ut creditur, arte) ab aquis eductos singulis dividebat, quibus alimentis charitate Viri sancti conditis, omnes sani et incolumes per sexaginta peregrinationis dies perstiterunt.

variaque caritatis et pietatis exempla,

32 Præterea ut Dei justitiam flecteret, in turiolo angusto et paupere oratorium exstruxit, et in eo altare cum imagine Dei Genitricis Mariæ a naufragio crepta; ut juxta eam quotidie ad vesperam, SALVE REGINA decantaretur. Insuper ab hinc quingentis passibus aliud sibi habitaculum D angustissimum crexerat, in quod, post administratum ceteris verbum Dei et cibum corporalem, se recipiebat; ibique continuis orationibus (inter quas apparitione cœlesti visus est aliquando gaudere) pœnitentiis et flagellis æternam implorabat clementiam. Cumque occasione supellectilis e mari ad littus rejectæ, inter naufragos illos, alia periculosior irarum et dissensionum tempestas esset exorta; Vir sanctus illam exstinguere volens, ex tugurio suo nudus (retentis dumtaxat braccis) egressus, aspero verberum imbre, ex humoris sanguinem innocentem extrahente, clamorosisque gemitibus animos dissidentium ita emolliit, ut pacem subito ineuntes, ad pedes ejus confusi, et veniam deprecantes prociderent.

ac aliam prophetiam impletam, pergit ad civitatem Limanam.

33 At vero cum post naufragium, instructa navicula, pater Balthazar Navarrus commissarius cum quibusdam Hispanis, ad civitatem Panamam, centum inde leucis distantem, victum et navem petiturus navigasset; jam quinquaginta dies ab eorum discessu effluxerant, nec optati subsidii iis, qui in horrido deserto remanserant, E hora apparebat. Itaque vigilia Nativitatis Christi elucescente, spem omnem evadendi abjicientes, in luctuosos gemitus, et miserandos clamores ora solverunt. His in angustiis vir Dei Franciscus ipsa Natalis nocte totus mente absorptus, jubilans et exsultans, quasi angelus pacis, tugurium (in quo jacebant) ingreditur, eosque pro imminenti consolatione ad laudes Deo et Virgini deferendas invitat. Verbis illius toties probatis illico fides adhibetur, luctus in gaudium convertitur, et dies natalis Christi cum magna omnium lætitia celebratur. Triduo nondum elapso, impleta est prophetia Francisci; redeunt socii, navem cibis onustam, a regali Panamæ auditorio acceptam, adducunt. Omnes refocillati usque ad portum Paytæ *g* feliciter navigarunt; Franciscus g vero itinere terrestri cum aliis religiosis ad civitatem Limanam perrexit.

ANNOTATA.

F

a *Est regio mediterranea Americæ, sita inter fluvium Argenteum (vulgo ab Hispanis dicitur* Rio de la Plata*) ad ortum, et montes regni Chilensis ad occasum. Qui exactius hanc regionem nosse cupit, consulat Joannem de Laet in suo Novo orbe, ubi eam lib.* 14 *cap.* 9 *fusius describit.*

b *Puto, quod auctor Vitæ per insulas S. Dominici intelligat insulam Hispaniolam et reliquas adjacentes, quæ in parte Americæ septemtrionali sitæ sunt. Vocatur autem insula sancti Dominici a Dominicopoli præcipua ejus urbe, quæ anno* 1547 *archiepiscopalis facta est a Paulo III. Porro amplior hujus insulæ aliarumque vicinarum descriptio videri potest apud memoratum Joannem De Laet lib.* I, *cap.* 112 *et sequentibus.*

c *Carthago nova, Hispanis* Cartagena la Inda, *et incolis* Caraman *dicta, urbs maritima est Americæ meridionalis in novo regno Granatensi, et episcopalis sub archiepiscopo Sanctæ Fidei.*

d *Auctor*

A d *Auctor hic confundit portum Nominis Dei cum Porto Velo vel Belo, de quo loco, tamquam distincto, ita scribit Joannes Baptista Antonellus apud Joannem de Laet lib.* 8, *cap.* 5 : Porto Belo distat a Nombre de Dios leucas quinque versus Occidentem, commodissimus portus et quamplurium navium capax, fundo anchoris tenendis peridoneo, *etc. Forte hæc locorum confusio facta est, quia Hispani portum Nominis Dei incolentes, ob aeris intemperiem, ad Portum Belum migrarunt, ut ibidem narrat citatus auctor.*

e *Panama est emporium celeberrimum Americæ meridionalis in provincia Terræ Firmæ. Est autem urbs munita et episcopalis sub metropolita Limensi.*

f Gorgona *est parva Americæ insula, potissimum nota latibulo Francisci Pizarri, cum Peruviam primo peteret.*

g Paita *vel* Payta *est commodissimus Peruviæ portus, adversus incerta ventorum egregie a natura munitus, ad quem plurimæ naves appellere solent; quæ opportunitas Hispanos allexit, ut ibi municipium conderent.*

B

CAPUT IV.

Iter ex urbe Limana in Tucumaniam, apostolici labores inter Indos, et prodigia ibidem patrata.

Ex Urbe Limana Ut sacri missionarii confractas tam laboriosa peregrinatione corporis vires in urbe Limana resumpserunt, iterum difficiliori viæ se committentes ad provincias Tucumani *a*, vel ut vulgari nomine dicitur Rio de la Plata, seu Flumen argenti, ultra septingentarum spatia leucarum per invia et arida loca, fluviis rapidis et profundis intersecta, per mille pericula, et immensos labores, solo salutis animarum zelo stimulati, contenderunt. Illis equidem barbaris et feris nationibus nuper evangelicæ claritatis lumen patris Ildephonsi a sancto Bonaventura provinciæ Andalusiæ, regularis Observantiæ recollecti prædicationibus affulserat; quem etiam præcesserat F. Ludovicus Bolanus *b*, tunc dumtaxat diaconus, qui quoniam illorum idiomata perfecte didicerat, doctrinam Christianam et catechismum Limensem in eadem traduxit; ac postmodum factus sacerdos, magnam multitudinem Ecclesiæ gremio aggregavit, regionum illarum apostolus merito appellandus.

in Tucumaniam profectus, 35 Ad hanc vineam excolendam et multiplicandam noster Franciscus se destinari optavit; in quam ingressus, populorum, qui Socotonium et Magdalenam incolunt *c*, ac plurium aliorum curam suscepit, ut eos quasi pastor et parochus sanctis imbueret doctrinis, et Sacramentis initiaret; ac proptcrea se omnibus apostolici missionarii virtutibus munivit. Imprimis opera verbis anteponens, orationibus, jejuniis, et voluntariis cruciatibus spiritum Deo, et carnem spiritui subjiciebat; modestiam, mansuetudinem, zelum, charitatem et rigidam in pedum nuditate, in habitus vilitate et in cibi parsimonia pœnitentiam exhibebat. Videbatur frequenter in ecclesia ore in terram pronus, et in figuram crucis extensus, ex intimo cordis longa cum Deo protrahere colloquia, et se suumque ministerium ejus protectioni commendare. *Ex impressis*

36 His accinctus armis, ut bellum vitiis alienis ea expurgando et arguendo indiceret, linguis gentilium illorum difficillimis addiscendis ardenter incubuit; quas, non tam acumine ingenii et memoriæ sagacitate, quam divina communicatione transfusas accepit. Omnium namque testimonio res mira, et cœlestis visa est, quod brevissimo tempore tam perfecte omnia illa confusa et varia idiomata (præsertim Toconoticum *d* intra quindecim dies) didicerit, ut se clare intelligibilem redderet, ipsosque nativos locorum incolas facilitate et proprietate dictionum superaret, ac in sermone deficientes corrigeret. Quod cum barbari, divinam non intelligentes gratiam, adverterent, in principio arti magicæ tribuebant. Immo famæ publicæ testimonio proditum est, quod Hispanico Castellæ idiomate divinas edocentem doctrinas, variæ nationis Indi, quasi propria cujusque lingua loquentem intelligebant. *difficiles Indorum linguas addiscit,* E

37 Illas itaque loquelas edoctus, in verbi divini prædicatione sedulo laboravit : percurrebat enim omnes illas horridas regiones, et mortis timore postposito, ad remotiores partes evangelicos sermones deferebat. Nulli parcebat labori, nulli difficultati, ut errantes illas oves e lupi tartarei truculentis faucibus eriperet. Omnium confessiones benigne excipiebat, afflictos et in angustiis positos verbis dulcissimis solabatur, et eorum miserias quasi proprias reputabat. Infirmorum specialem solicitudinem gerens, eos frequenter visitabat, et alimenta secum delata porrigebat. Graviter ægrotantem Indum semel invisit, cui in agone versanti, et loquela privato, alte exclamans significavit, ut materno idiomate (quod se, licet alias incognitum, intellecturum asserebat) cordis secreta, et voluntatis occulta loqueretur. Tunc æger, soluta ad voces lingua, Christianam legem doceri se, et ad baptismi Sacramentum disponi expetiit. Edoctus ergo a sancto Patre, et salutari lavacro ablutus, quievit in pace. *et mira charitate,* F

38 Ad devotissimos Viri mansueti sermones, deposita feritate, barbari convertebantur, quos sacris undis mundatos vitæ spirituali regenerabat. Alii ipsius fama sanctitatis allecti, ad eum sponte veniebant, quos benigne instructos baptizabat; sicque innumeram eorum multitudinem evangelica benignitate cicuravit. Tantaque erat ejus apud omnes æstimatio, ut quod justitiæ rigor et metus pœnarum ab illis extorquere non poterant, ipse solo vocis imperio obtineret : vocati quippe statim aderant, et quæ fieri jubebat, alacres exsequebantur. *mansuetudine,*

39 Hujus auctoritatis, quam sibi humilitate et amore comparaverat, indicium est; quod cum aliquando in die sancto Cœnæ Domini, dum Christiani sacris ritibus occuparentur, numerosa multorum millium caterva infidelis et barbara, armis instructa, bellum et mortem fidelibus illatura convenit. Ad quem inopinatum eventum per- *et auctoritate barbaros instruit.*

EX IMPRESSIS. perterriti Christiani, magnam sui stragem metuebant : cum vir Dei Franciscus gladio sacri verbi, ad medullas pertingentis, armatus accessit, et licet diversæ sibique ignotæ linguæ homines unius idiomatis sermone allocutus sit, adeo fructuose tamen doctrinam Catholicam, pacem et concordiam annuntiavit, ut ex illis ultra novem millia converterit, et baptisma petentes, Christianos effecerit. Quorum quidem tam vera et sincera mutatio fuit, ut eorum quamplurimi eadem nocte se simul cum Catholicis, ad Christi in columna pro nobis flagellati imitationem flagellaverint. Ex tunc autem fama publica apud gentes illas invaluit, quod unico prædicans idiomate a multis variarum linguarum fuerit distincte perceptus. Eadem quoque mansuetudinis innatæ potentia populos prope civitatem sancti Jacobi de Estero *e* incolentes, a mutuis, quibus conflagrabant, odiis, statim ad pacem reduxit.

ibidemque fontem prodigiose elicit, 40 Augebant hanc Viri sancti famam et æstimationem magna, quæ populis contulit, beneficia; et miracula, quibus coruscavit. Cum in territorio oppidi Talaveræ *f* a Matrito *g*, e provincia B et episcopatu Tucumani apud Indos terræ Socotonii evangelica dogmata prædicaret; audito, quod ob aquæ penuriam quidam ex illis populis grave paterentur incommodum, et discessum ab hoc loco eum magna sui jactura et labore meditarentur, adfuit Homo Dei, et divino lumine illustratus, non procul latere aquarum venam affirmavit. Negabant illi ob diuturnam ariditatis experientiam; at hic egressus cum eis in agrum, locum in terra omnino arida, baculo designavit, et incredulis, ut foderent, jussit. Quibus vix terram scindere incipientibus, fons aquæ dulcis et nitidæ copiosissimus emanavit; cujus tanta adhuc abundantia perseverat, ut molendinis duobus volvendis sufficiat, et usque in hodiernum diem, Fons sancti Solani ab Hispanis, Indisque terrigenis dicatur : atque insuper ad sanandos ab infirmitatibus homines, virtutem habere mirificam signis quamplurimis comprobatur.

et alibi sociis itineris sitientibus 41 Peregrinante Viro Dei per illas Tucumani inaquosas regiones, et ab oppido Sanctæ Fidei a Paraguai *h* Cordubam *i* pergente, contigit; ut in C toto tridui itinere, ad quartam usque diem aqua deficeret. Erant in comitatu multi sitis æstu adusti, sed inter illos duo milites præ ceteris impatientes animam desperationi, et linguam horrendis blasphemiis laxarunt. Tunc Franciscus acri dolore ob injuriam Deo illatam commotus, venerabili viro patri Andreæ de Fizaguirra Ordinis B. Mariæ de Mercede prædicatori simul progredienti, ait : „ Licet, quas in Dei nomen evomunt, „ blasphemiæ illos omni gratia reddant indignos, „ tamen eis et aliis aquæ fontem indicare volo. „ Tu itaque ad collis hujus culmen ascende, ibi „ locum aridum, sterilem, et vento apertum, in „ eoque chartulam in medio plicatam invenies. „ Ad duos ultra passus lapis rotundus est, quem „ si amoveris, scaturientem aquæ venam deprehendes. „

aquam miro modo suppeditat, 42 Obedivit iste voci Servi Dei, et eo, quo significaverat, ordine cuncta reperit. Aqua autem ab omnibus sufficienter hausta, cum chartulam, quam infra reliquerat, assumere vellet, non adinvenit. Descendens tandem de colle, et ad Virum sanctum reversus, faciem ejus igneo quodam D colore et miro splendore suffusam est demiratus. Inde viam prosequentibus, ubi patibulum juxta Cordubam erectum apparuit, ad præfatum P. Andream conversus Franciscus Solanus, duos illos milites ob illatam cuidam crudelissimam mortem in eo, die sequenti, suspendendos prædixit. Et revera missis eodem die a præside audientiæ Charcharum *k* informationibus, jussi sunt apprehendi, et juxta verbum Prophetæ, altero mane suspendio necari.

43 Accidit etiam aliquando, ut ab Indo ad sepeliendum defunctum filium rogaretur; cujus *ac præter alia* cum domum intrasset, puerum sanum et juxta ignem se calefacientem reperit. Arguit propterea parentes, quod sibi ita illusissent; at illi filium vere mortuum fuisse affirmabant. Unde exiit sermo inter omnes finitimos populos, quod puer ille precibus et meritis viri sancti Solani fuisset a morte suscitatus.

44 Dum in Omnium Sanctorum oppido *l* Tucumanæ provinciæ, Dei servus Franciscus infirmitate detentus moram faceret; illo spiritu, quo E Christus Dominus Nathanaelem sub ficu vidit, illustratus, quamdam Indam, Petri Soteli servam, se propriis manibus suspendio necantem agnovit. *miracula* Quare vocatum Emmanuelem Munez presbyterum rogavit, ut quamcitius ad tale montis latus, per hanc et illam viam iret, ac quam ibidem reperturus erat Indam, ad se deduceret. Perrexit itaque iste, sed in itinere occurrentis cujusdam confabulatione detentus, tarde nimis accessit, cum jam Indam ultimum halitum emittentem invenit. Reverso ad se sanctus Pater dolens, et mortem miseræ lugens detentionis occasionem distincte aperuit : adjungens, ut cum ad meridiem Hispanis suspensa occurreret, ab ipsismet Indis cadaver flammis comburi in exemplum ipsorum, et facinoris detestationem juberet. Post hæc autem ipse Vir sanctus gravem ad Indos sermonem habuit, cujus efficacia permoti, hoc genus mortis imposterum pro abominabili habere cœperunt.

45 Ad majorem servi Dei Francisci Solani *tauros feroces* apud Indos reverentiam plurimum conferebat divina protectio, quæ ipsum in omni periculoso F eventu peculiari assistentia tuebatur. Cum aliquando in oppido Sancti Michaelis provinciæ Tucumani *m*, solennis taurorum exercitatio haberetur; indomitus quidam et ferox repagula transgressus, aliquos Indos misere enecavit. Tunc forte per eamdem viam Servus Dei incedebat, quem cum a ferocis belluæ occursu nulla vis humana eripere posset, non tamen ideo timore correptus est; sed cruento animali intrepide funiculum suum objecit; illud vero continue mansuefactum ore et olfactu chordam contingebat, mox quasi in ovem mutatum ulterius progressum est. Magna fuit populi spectantis admiratio, immo et ipse gubernator obvium se Francisco faciens, ait : Sic Pater tauros feroces domas? At ille totum divino beneficio eventum humiliter adscripsit.

46 Apud populum Socotonii notissimum est, *mansuefacit,* quod cum alia vice Franciscus Solanus eamdem Tucumani regionem peragraret, obvium habuit indomitum taurum, qui sua ferocitate illac transeuntes

A euntes valde terruerat. Huic ad se cum furore currenti genuflexus Vir Dei manus innocentes objecit, quas etiam curvato poplite animal exosculans pacifice in montem recessit, et liberum ipsi iter reliquit. Sic tandem et alius non mitior taurus visus est sancti Patris manus lambere, habitum ore venerari, et qui alios in periculum vitæ conjecerat, sub isto Dei Amico mansuefieri et cicurari.

fluvios 47 Cum provincias illas Vir sanctus evangelizando percurreret, ad ripam rapidi et profundi fluminis venit; ubi deficiente navicula, elevatis sursum oculis, pallium super aquas stravit, et fide, quasi remige, ductus, prospero divini auxilii vento, cum omnium spectantium stupore trajecit. Alias flumen transeunti aquarum impetus pallium forte eripuit, et in decliviores undarum decursus adduxit. Ad adversam oram cum pervenisset Vir sanctus, viam ad superiora prosecutus est; quidam vero Andreas Garcia de Valdes, qui in comitatu erat, aliquantulum cum eo progressus retrogredi voluit, ut forte rejectum ab B aquis pallium reportaret. Et ecce ad locum, in quem in trajectu appulerant, illud super herbas complicatum, et quasi manu humana repositum invenit, licet decurrentis fluvii tractu multo inferius fuisset deferendum.

mirabiliter 48 Cum ab oppido Sancti Michaelis ad civitatem Sancti Jacobi de Estero transiret, recusato omni itineris adminiculo, ad flumen profundum, ob hibernam tempestatem plus solito rapidum et exundans, pervenit. Trajiciendi nulla spes erat; hinc metus culicum, quibus hic tractus infestari solet, illinc famis in deserta regione periculum erat : transitum exspectabant cum Viro Dei ultra viginti homines, et ex parte opposita quadraginta currus, et copiosa viatorum multitudo. Horum mœrore afflictus Franciscus, ad Deum conversus prompti remedii spem certam accepit, et circumstantibus ait : » Ne terreamini, fratres » charissimi, crastina enim die hora nona (ter- » tia ante meridiem est) fluvium nitidum, et » aquis demissum trajicietis ; et quoniam vos » esurire cognosco, cœnam ministrare volo. »

trajicit, 49 Mox, projecta in aquas reticula, plurimos C pisces extraxit, et se solo paratos et coctos aliis in abundantem escam distribuit; omnesque etiam illa nocte a nullo infestari culice, suæ efficacia virtutis impetravit. Die autem sequenti, et hora prædicta fluvius quietus, demissus, et ad vadum facilis apparuit; quem cum omnes ex utraque ripa trajecissent, subito ad pristinam rediit altitudinem, licet nec toto illo tempore pluerit, nec naturalis aliqua causa de novo accesserit.

ac locustas e tritico fugat. 50 Quadam die locustarum densissima nubes capitanei Andreæ de Inoisa triticum invasit. Vocatus in auxilium Vir Dei, assumpta stola, et factis de more exorcismis, aqua lustrali granum aspersit; positisque genibus infecta animalcula jussit intacto tritico abire, et montes infidelium quosdam digito præostendens, ac manifeste designans, ad eos illico transvolare. Auditum est a locustis Francisci, vel melius Dei in ipso loquentis, imperium; subito recesserunt, et ad designatas terras agmine denso congregatæ per aera transierunt. Sciscitantibus autem hominibus, cur eas imprecationibus non affecisset, respondit Vir pius : Quia sicut olim illis Joannes Baptista, ita *ex impressis* nunc Indi eisdem in cibum uti solerent.

ANNOTATA.

a *De hac Americæ regione egi supra in Annotatis post caput* 3; *quod semel monuisse sufficiat, quando eædem urbes aut provinciæ sæpius recurrent.*

b *Arturus in Martyrologio Franciscano, ad diem* VI *Decembris hos duos operarios apostolicos, nescio qua auctoritate, numero* Beatorum *adscribit. Hueberus quidem ad diem* III *Octobris eosdem Menologio suo inseruit; sed prudenter eo titulo abstinet, ita scribens :* In occidentali India circa annum MDXL Alphonsus a sancto Bonaventura et Ludovicus de Bolangos *seu, ut Hispani scribunt,* Bolaños, *etc.*

c *Frustra utriusque hujus loci situm in mappis geographicis et ampla Americæ descriptione quæsivi.*

d *Suspicor, esse eamdem Americanorum linguam, quam noster Alphonsus Barsena, strenuus Tucumaniæ apostolus, præter alias decem Indorum linguas* E *callebat, ut testatur Bibliotheca scriptorum Societatis nostræ, in qua illud idioma vocatur* Tenocoticum *et in indice* Toconiticum *cum hic vocetur* Toconoticum. *Quidquid sit de vero linguæ istius nomine, quod ob paucarum litterarum transpositionem facile mutari potuit, eam difficilem esse colligo ex nostro Nicolao del Techo, qui in Historia Paraquariæ lib.* 1, *cap.* 24 *de duobus Tucumanicæ vineæ cultoribus ita loquitur :* Quichoam linguam uterque expedite usurpabant; Tonocotanæ difficultates in Peruano itinere Barsena devoraverat, *etc.*

e *Est præcipua Tucumaniæ civitas, quæ ab Hispanis vulgo appellatur* San Iago del Estero. *Sic autem vocari existimo a præterlabente flumine* Estero, *quod aliquando exundans agros vicinos mirifice fœcundat. Sita autem est hæc urbs episcopalis, teste Herrera, octo et viginti gradibus ab æquatore versus Austrum.*

f *Hæc Tucumannicæ provinciæ urbs ab Indis nominatur* Esteco, *ab Hispanis vero* Nuestra Señora de Talavera. *Jacet autem ad ripam fluminis Salsi (vulgo* Salado) *abestque a prædicta civitate* sancti Jacobi del Estero *quadraginta quinque leucis.* F

g *Nescio, an auctor hic per vocem* a Matrito *velit Talaveræ quasi notam characteristicam addere, ut ab aliis hujus nominis oppidis distinguatur; an vero intendat designare alium locum, qui ab Hispanis dicitur* Juntas, *eo quod duo itinera ad argenti fodinas Potosianas illic coeant; et de quo sic scribit Joannes de Laet in opere supra citato lib.* 14, *cap.* 12 : Ab utroque oppido tam S. Michaele, quam Talavera proficiscuntur ad JUNCTAS, sive alio nomine MADRIT, qui locus distat ab illo quidem quinquaginta, ab hoc tantum viginti quinque leucis.

h *Plura hujus nominis oppida reperiuntur in America : sed hic indicatur urbs Sanctæ Fidei in Paraquaria, quæ adverso flumine argenteo octoginta leucis distat a portu Boni-aeris, ut tradit noster Nicolaus del Techo in Historia Paraquariæ lib.* 4, *cap.* 2.

i *Hoc oppidum anno* 1573 *ab Hieronymo Cabrera, nobili Cordubensi (hinc forte Cordubæ nomen ei imposuit) conditum est loco, commerciis*

valde

EX IMPRESSIS. *valde opportuno : nam ad ortum habet urbem* Sanctæ Fidei, *ad occasum civitatem* S. Joannis de la Frontera, *et æquali fere quinquaginta leucarum intervallo ab utraque distat. Præterea per hoc oppidum ad varias regiones et urbes frequens est transitus.*

k *Provincia Charcarum*, *vulgo dicta* de los Charcas, *est regio Americæ meridionalis et pars australis regni Peruani versus mare Pacificum et regnum Chiles. Ampliorem illius descriptionem vide apud Joannem de Laet lib.* XI, *cap.* 1.

l *In Vita Hispanica lib.* 1, *cap.* 27 *dicitur hoc oppidum Omnium Sanctorum situm esse in Ruconensi Tucumaniæ tractu. vulgo* la Rioja.

m *Inter varia Americæ oppida, sancti Michaelis archangeli nomine insignita, hic indicatur illud, quod Hispani ad distinctionem aliorum communiter appellant* San Miguel de Tucuman. *Situm est autem viginti et octo leucis ab oppido* S. Jacobi del Estero *juxta viam, quæ ad Charcarum provincias ducit, ad radices asperrimorum montium loco opportuno et riguo.*

B

CAPUT V.

Duplex præfectura in Ordine, utriusque abdicatio, zelus ejus in urbe Limana, et efficacia tum publicarum tum privatarum exhortationum.

Tucumanicæ provinciæ a

His temporibus capitulum provinciale in valle de Xauxa *a*, præsidente patre Francisco Antonio Ortiz provinciarum Peruanarum Commissario, celebratum est, in quo vir Dei Franciscus eustodiæ Tucumanicæ moderator eligitur. Ad hoc munus non intumuit, sed tanto ferventius ab eo liberari rogavit, quanto avidius a multis aliis officia similia ambiuntur. Obedientia tamen adstrictus acceptavit, ac ut Custodis debi-
C tum religiose impleret, conventus sibi traditos diligenter visitavit, in quibus ut veræ sanctitatis speculum elucebat.

Custos electus, b

52 Cum in oppido Talaveræ ab Estero *b* aliquamdiu Custos hæsisset, observatus est a Religioso pio, et fide digno noctes insomnes in orationibus et flagellationibus transigere, visus est cilicio et asperrimis ferarum crinibus ad cutem indutus. Auditus est etiam verbis cœlestibus et ignitis suas promere exhortationes, et ab omni verbo jocoso, aut otioso abstinens, semper ad divinum obsequium subditos provocare. Tandem vir Dei Franciscus multos in hac summi Patrisfamilias vinea excolenda perpessus labores, anno in officio Custodis expleto, cum pro renuntiationis acceptatione apud Superiores frequenter instaret, votorum compos efficitur, ac insuper a
c præfato Commissario ad Civitatem Regum *c* vocatur, ut ibi Recollectioni nuper institutæ fundator et rector præesset.

53 Igitur obedientiæ morem gerens, ex provinciis illis discessit; unde populorum, et præsertim Indorum magna fuit mœstitia : quippe qui dicerent se suo sancto Patre et consolatore privari, dolebantque se tam parum ejus præsentia potitos. Quidam autem ipsi peculiariter devotus ne absque charo ejus pignore remaneret, ab eo funem, quo cingebatur, petiit. Cujus quidem contactu magna sunt operata miracula, nec est in illa regione mulier parturiens, quæ sanctum Francisci Solani nomen non invocet, et se ejus chorda non cingat; unde in oppido S. Jacobi de Estero cum magna reverentia servatur. Tantum autem fuit in illis partibus Viri sancti desiderium, ut multoties pro revocando ipso apud prælatos institerint; qui votis tam justis annuissent, nisi nimia locorum distantia, ætas, et infirmitas continua Francisci obstitissent. Quidam vero Religiosus post aliquot annos ex provinciis illis reversus, Indos de sancti Patris absentia tristes, et de ejus reditu adhuc fuisse solicitos affirmavit.

D *ac postea conventui Limano præfectus*

munera illa abdicat,

54 Commissarii generalis mandato Limam revocatus vir Dei Franciscus Solanus novo Recollectionis sanctæ Mariæ Angelorum cœnobio vicarius et præfectus præponitur. Hoc quidem of- E
ficium obedientia victus suscepit, sed humilitatis urgente virtute brevi retinuit, necnon ad demissionis voluntariæ acceptationem crebris instantiis Superiores adegit. Postea a P. Joanne de Monte-majori Commissario generali ejusdem conventus guardianatum delatum lacrymis, suspiriis ac precibus a suis, quos infirmiores reputabat, humeris rursus abjecit; et ut se a prælatorum oculis subduceret, Truxillum *d* quasi ad d
quoddam latibulum mitti curavit, ubi aliquamdiu commoratus est; donec tandem Limam pro majori virtutis theatro, in capitulo provinciæ ad curam conventus S. Mariæ Angelorum obeundam accerseretur. Hoc tamen per quatuor menses administrato, post multas supplicationes ad optatam subditi vitam redire permissus est.

ac totus in salutem animarum incumbit,

55 Dum ergo in Limana civitate et locis conterminis moraretur, se a Deo illuc vocatum agnoscens, totis viribus in hoc agro expurgando, curando, et fœcundando laboravit; modo prædicationi linguam solvens, modo confessionibus aurem aperiens, modo charitativis operibus manum extendens. Frequenter in plateas civitatis F
prodibat, ubi educto (quem sub manica gerebat absconditum) Crucifixo, verbis ignitis et apostolicis prædicabat; ibi Salvatoris nostri passionem, amorem Dei, odium vitii, virtutis honestatem audientibus populis commendabat. Aliquando per urbis calles progrediens, erecto Crucifixo, voces salutis proferebat; ubi tantus erat accurrentis multitudinis confluxus, ut per vias communes transitus occluderetur. Hinc etiam in ecclesias, ad quas peculiari aliqua celebritate populos convenisse viderat, ingrediebatur, et ascendens suggestum, breviter sed ferventer, divinos proferebat sermones, et inde se ad idem ministerium alio velociter transferebat.

et tam publicis concionibus,

56 Sæpe divino Spiritu animatus ad theatra et spectacula profana pergebat, et postposito humani respectus rubore, in eminentem locum, vel in ipsam scenam conscendebat, ac Redemptoris pro nobis patibulo crucis affixi cruentam ostentans figuram, omnes ad acerbam passionis tragœdiam verbis, lacrymis, et suspiriis invitabat.

Sæpe

A Sæpe post exactas coram seraphici Doctoris Bonaventuræ (cui devotissimus erat) imagine longas orationes, ex generali Superioris sibi facta licentia, exibat in publicum, et res divinas miro mentis et oris ardore promebat. Sæpe ad loca ludis et recreationibus mundanis destinata, ac proinde blasphemiis, juramentis, et omnibus patentia peccatis se conferens, ludentes, blasphemantes, rixantes animose redarguebat, et a malis conversationibus retrahebat, hisque mediis maximas operatus est conversiones.

cum magno populi concursu habitis, 57 Egressus sic aliquando ad prædicandum, in quatrivio civitatis primam habuit exhortationem, cui in principio tres aut quatuor ad summum aderant auditores. Sed elato in altum Crucifixo, eos tam potenter ad amorem divinum provocare cœpit, ut statim magna populi multitudo accurrens, viarum exitus intercluderet. Inde sequentibus turbis, ad plateam perveniens, tandem post geminam concionem, vix præ nimia circumstantium frequentia sese expedire, et ad conventum redire potuit. Solebat autem termina- B tis hujusmodi sermonibus pede præpropero ad monasterium reverti, et ut applausus se sequentium effugeret, in aliquo ejusdem angulo latibulum quærere.

quam privatis colloquiis 58 Insuper privatis colloquiis moniales in monasteriis, captivos in carceribus, ægros in xenodochiis, seculares in occursibus et visitationibus instruebat; hocque salutari discretæ et secretæ correctionis, aut confabulationis remedio, multos ad viam salutis reduxit. Accessit aliquando ad conventum Incarnationis civitatis Limanæ; ibi monialem quamdam, inimici tentationibus concussam, et de susceptis religiosæ vitæ mortificationibus afflictam, tædioque affectam, unico spirituali colloquio ab omni cordis augustia liberavit, et pristinæ quietis compotem reddidit. Sic et aliam monasterii immaculatæ Conceptionis ejusdem civitatis religiosam a claustro discedere cogitantem, verborum efficacia a proposito deterruit, et ad meliorem statum reduxit. Cum in monialium Discalceatarum sancti Josephi monasterio sæpius prædicare soleret, incredibile est, quantum devotæ illæ virgines sub tanto Magi- C stro et concionatore in perfectione Christiana, et regulari observantia profecerint.

quosdam movet ad peccatorum fugam, 59 Petiit aliquando enixe et cum magno cordis mœrore vir quidam secularis a patre Joanne Lainez, ut sibi prompte pœnitentiæ Sacramentum impertiri dignaretur. Causam tam instantis, et lacrymosæ petitionis rogatus, respondit, sibi per claustrum conventus ambulanti occurrisse religiosum quemdam facie ignotum, qui genuflexus ipsum oravit, ne deinceps Deum offenderet, et, ut peccata confessione deleret, admonuit. Interim servus Dei Solanus illac forte transivit, quem pœnitens secularis e vultu agnoscens, illum esse, quod admonente et rogante, spiritum compunctionis susceperat, testatus est; ac postmodum adeo menti ipsius sacra Viri Dei exhortatio impressa remansit, ut et Missæ frequentius adesse, et Sacramentis crebrius cum magno lacrymarum profluvio participare sit visus.

alios ad perfectionem 60 Juvenem quemdam forte in eodem claustro repertum hortatus est Christi Famulus, ut divina servaret præcepta, et Deum toto corde diligeret; hisque dictis, ab eo recessit. Ita vero adolescentem ad contritionem movit, ut statim de seculi contemptu, et de sacro religionis instituto amplectendo vehementem impulsum sentiens, mox habitum Minorum in conventu sancti Francisci induerit. Invisit semel Vir Dei doctorem Albertum de Acuña, decanum audientiæ et cancellariæ Civitatis Regum, quem de rebus cœlestibus allocutum, adeo commovit, ut ipse, aliique confabulationi præsentes, se ejus verbis mire inflammatos fuisse testati sint; ita ut dicere potuerint: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur, et aperiret nobis Scripturas? EX IMPRESSIS.

et amorem Dei excitat. 61 Mariæ Arbanal, in Franciscanum Ordinem multum propensæ, in spiritus fervore ter aliquando repetiit: Filia, amare Deum; et in tertia repetitione suspensus, et quasi a se ipso abstractus remansit. Illa vero his vocibus, quasi ignitis jaculis, sauciata magnum interius ardorem, et ineffabilem cordis dulcedinem sentiebat: adeoque ipsius brevis hæc exhortatio impressa imposterum remansit, ut eam semper auribus suis intonari cogitaret. Immo tanta erat ejus E sermonum efficacia, ut quidam fidei probatæ vir asseruerit, se dum sanctum Patrem loquentem audiret, quasi animi deliquium ex amoris et teneritudinis violentia pati solere.

alios denique ad confessionem, 62 Capitaneum Franciscum de Vileja sibi multum amicum et devotum Dei Servus aliquoties rogavit, ut quod ab ipso peteret, non denegaret; cui ille, temporale aliquod (ut jam diu optabat) se collaturum beneficium existimans, libenter assensit. Tunc sanctus Pater: Rogo, ut quam citius poteris, peccata confitearis, et deinde ea diligenter caveas. His monitis acquievit capitaneus, et præmissa confessione vitam emendavit, ac paucis post annis intestatus decessit.

[illegible] 63 Anno Domini MDCIX magnus terræ motus Civitatem Regum nocte concussit; die vero sequenti orantibus coram sanctissimo Sacramento, patenti in ecclesia Minorum, fratribus et secularibus, repentino motu terra contremuit, quo trementes ac perturbati omnes fugam arripere tentaverunt. Ad quæ vir Dei Franciscus stans, et populum ab egressu avertens, tam sancte ac fer- F vide prædicavit, ut omnes mire compuncti peccata detestari inceperint, nec non lacrymis, suspiriis, atque orationibus divinam imploraverint misericordiam, et placaverint justitiam.

ANNOTATA.

a *Hæc est Peruviæ vallis seu provincia, quæ verosimiliter nomen ab interfluente fluvio* Xauxa *accepit. Patet hæc vallis quatuordecim leucas in longitudinem, et quatuor aut quinque in latitudinem, atque undique cingitur a nivosis montibus. Abest autem a metropoli Lima triginta sex, vel quadraginta leucis, ut alii volunt.*

b *Non intelligo, quare scriptor Vitæ hic oppido Talaveræ addat* ab Estero, *cum hæc urbs non adjaceat flumini* Estero, *sed* Salado, *ut supra dictum est.*

EX IMPRESSIS. *est. Suspicor, legendum esse* Esteco, *quo nomine Talaveram ab Indis appellari diximus.*

c *Metropolis Peruviæ, quæ a valle in quo jocet communiter vocatur Lima ; ab Hisponis nominatur* Ciudad de los reyes *id est* Civitas Regum. *Notissimus est ejus situs apud cosmographos passim obvios. Quore huic civitati describendæ hic non immoror.*

d *Quatuor sunt hujus nominis oppida in America. Oppidum autem* Truxillo, *de quo hic agitur, situm est in parte boreali Peruviæ in valle* Chimo *dicta, distotque duabus leucis a mari Pacifico, et octoginta a metropoli Limana.*

CAPUT VI.

Cives Limani ejus prædieatione miro modo ad pœniteetiam indueti; et exstases illius in coneionibus.

B

Cum Beatus habuisset concionem de spirituali animæ ruina,

Cum olim Assyriorum caput Ninive omnium scelerum corruptela fœteret, divino mandato eam ingressus est Jonas, et futuram post quadraginta dies ejus subversionem prænuntiavit. Attamen, quia immutabilis Deus novit mutare sententiam, si noverit homo emendare delictum; ideo secuta Ninivitici populi pœnitentia, cœlestis furoris impetum placavit. Magna etiam et enormia Limanæ civitatis delicta læsi Numinis justitiam provocabant, cum ecce vir Dei Franciscus Solanus (ut pie creditur) Spiritu divino impulsus quadam die ad vesperam, anno MDCIV e conventu Recollectionis sanctæ Mariæ Angelorum (cui tunc præerat) ad civitatem egressus est, in exitu dicens ostiario: » Commenda me Domino, » quoniam ad magnum ei obsequium præstan- » dum vado. » Urbis plateam majorem secutus, gravi et modesto, ac pœnitentiam inspirante vultu, se coram populo sistit; quo congregato, vitiorum corruptionem, concupiscentiam et libidinem acriter reprehendere cœpit.

C

quam cives Limani de subita urbis suæ destructione interpretati fuerant,

65 Quoniam autem sacris concionatoribus a Domino dictum est : Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis; factum est, quod sicut Christus, dum illum Evangelii locum Math. cap. 26: Solvite templum hoc, et in triduo reædificabo illud, in medium adduxit; non de templo, sed de corpore suo intelligi voluit : ita Franciscus, fœces peccatorum acri reprehensione perstringens, ac spiritualem depravatæ urbis perditionem annuntians, textum illum epist. 1 Joan. cap. 2: Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ; dum allegavit, non civitatem illam materialem, sed animas habitantium, triplici illo carnis, avaritiæ et superbiæ malo cito destruendas, et gravi supplicio puniendas minabatur. Qui vero Prædicatoris linguam movebat Deus, audientium captum ita temperavit, ut omnes de civitatis Limanæ destructione Servum Dei prophetice loqui existimaverint.

tota civitas terretur,

66 Hinc ergo rumor universam urbem de imminenti ejus eversione percurrens, omnes tremore et pavore mortis perculsit; nemine dubitante futurum, quod a Viro tam sancto, et toties vera annuntiasse probato, prædictum vulgabatur. Ergo se tota civitas luctu et mœrore induit; omnis ætas et sexus, omnisque conditio pectora tundebant, misericordiæ divinæ preces propitiatorias offerendo: panduntur ecclesiæ, patet augustissimum Sacramentum, fiunt amarissimæ confessiones, quibus excipiendis magnus confessariorum urbis numerus non sufficiebat. D

et ad publicam pœnitentiam commovetur;

67 Alii a multis annis crimina horrenda celantes, tunc ea, postposito verecundiæ freno, effusis lacrymis et voce flebili annuntiabant; alii cum ad sacerdotis pedes pro privata confessione præ multitudine prohiberentur accedere, abdita conscientiarum vulnera publice manifestabant. Inter hos fuit quædam mulier, adeo divini judicii timore perterrita, ac de scelerum suorum fœditate convicta, ut alte exclamaret propter sua crimina perituram civitatem, præsertim cum etiam hac ipsa nocte incestuosam cum proprio filio copulam proposuisset habendam. Puer etiam quidam duodecennis (ut videbatur) ad pedes Superioris conventus sancti Augustini provolutus, adeo horribilem et humanam etiam excedentem malitiam confessus est, ut postmodum eam secum confessarius recogitans, non hominem, sed diabolum sub hac figura latentem fuerit suspicatus. Hac nocte, inveterata odia, et interni rancores depositi sunt, amicitiæ renovatæ, debita soluta, rapta restituta, fama compensata; ac tandem tales fuere fletus, dolores, pœnitentiæ, ut hanc dexteræ divinæ mutationem exstitisse nullus ambigendi locus superfuerit. E

qui terror etiam pervenit ad religiosos,

68 Pervenit etiam ad religiosorum monasteria salutaris ille terror; dum conventus sancti Dominici patres in gemitus et clamores illico prorumpentes, omnes afflictionis voluntariæ armis accincti, aut flagellis asperrimis, aut catenis ferreis in se ipsos sævirent. Mox ordinata processione, a parte novitiatus in ecclesiam sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum honorifice deferendo, devotis cantibus pias Litaniarum preces cœlesti justitiæ placandæ obtulerunt.

et ad aures archiepiscopi et proregis, qui posterior, re examinata,

69 Regebat eo tempore Peruanum regnum excellentissimus vir comes Montis-regalis *a*, qui audita civitatis commotione ad se consilium auditorii regii eadem nocte convocavit, cum quo expensis repentini terroris circumstantiis, illustrissimum quoque urbis archiepiscopum Toribium Ildephonsum Mogrovejo *b* duxit desuper consulendum. Re igitur invicem collata, placuit antistiti et proregi per provisorem archiepiscopatus Michaëlem de Salinas patri commissario generali provinciarum Ordinis seraphici Peruanarum in eadem urbe existenti significare, ut casum diligenter examinaret. Vocatus itaque vir Dei Solanus ad præsentiam commissarii intrepide accessit, et cuidam fratri, ne timeret, dicenti respondit: Scias, frater Joannes, me ex divino prædicasse mandato. Jussus ergo prædicationis verba repetere, illum præsertim epistolæ 1 Joannis cap. 2. ℣. 16, textum, ac reliquam concionem tam efficaciter et ferventer adduxit; ut omnes (qui plures aderant) religiosos ad planctum commovisse, et multorum capillos præ timore judicii divini erexisse notaretur. a b

A *judicat, hanc populi interpretationem divino nutu factam esse.*

70 Declaratio autem Viri Dei, qua se de animæ, non de civitatis destructione, verba hæc intellexisse asserebat, scriptis consignata ad archiepiscopum et proregem delata fuit; qua ad sedandam populi formidinem et perturbationem publicata, cum nihilominus timor cresceret, et planctus augeretur, gubernator prorex ad assistentes ait: » Ne frustra laboremus: opus enim » hoc Dei esse, patet, quo sua Majestas indurata » hominum corda, et ad malum proclivia voluit » emolliri, et ad bonum converti. » Et revera divino plane impulsu Franciscum hæc protulisse patet: quamquam enim nihil aliud intendisse sibi conscius esset, quam animæ triplici illo jaculo percellendæ spiritualem destructionem; tamen in Dei mente materialem civitatis jacturam populo fuisse prænuntiatam, nisi forte conversus iram ultricem placasset, pie rationabiliter judicari potest.

Vir sanctus inter concionandum

71 Fructuosæ autem prædicationis materiam et stylum sanctus Pater non aliunde, quam ex assidua oratione, aut ex divino hauriebat eloquio; inde enim pungentes illas et acres deduce- B bat reprehensiones. Ex contemplationis, et sacræ Scripturæ fontibus aquas uberes traxit, quibus universam terræ illius faciem irrigavit. Nec erat sterilis aut arida Francisci prædicatio, eo quod motus, quos aliis suggerere intendebat, prius sibi familiares omnino effecerat; ideoque auditoribus planctum suasurus et fletum, imitandum in vultu et oculis præferebat mœrorem. Interim divina explicando mysteria, extra se aliquando rapiebatur, et eorum consideratione liquefactus, vocis et sensuum usu deficiebat, facundisque verbis silentium magis substituebat.

aliquando in ecstasin rapitur.

72 Quadam die solennitatis sancti Didaci c dum in conventu Limano sermonem habens pretiosam ejus mortem referret, in hæc verba, ab illo quondam prolata: Dulce lignum, dulces clavos, deveniens; adeo se liquefactionis teneritudine sensit immutatum, ut in medio sermonis tacere, et a se omnino abstractus e cathedra resilire sit coactus. Cum semel in die Visitationis B. Mariæ Virginis monialibus S. Claræ verba salutis proponeret, in illo Cantici loco: Et exultavit spiritus meus, oculis ad cœlum ere- C ctis, mira de Virgine, et de Verbo in ejus visceribus humanato adduxit. Iterumque eadem verba: Et exultavit spiritus meus proferens, tantam sensit dulcedinem et exultationem, ut extra se raptus, capite ad cratis marginem inter brachia reclinato, quasi sponsa Canticorum languescere sit visus. Diram Salvatoris passionem dum in imagine Crucifixi exhiberet, lacrymarum imbre perfusus, induratos et insensibiles auditorum animos ad contritionem et gemitum excitabat. Uno verbo, hic verus seraphici Patris filius, et fidelis discipulus, populo vitia et virtutes, pœnam et gloriam cum brevitate sermonis annuntiabat.

ANNOTATA.

a *Is fuit nobilissimus dominus Gaspar de Zuniga y Azevedo, Hispanice dictus comes de Monterey, quod hic Latine est Montis-regalis.*

b *Innocentius IX summus Pontifex hunc archiepiscopum Limanum anno 1679 in Beatorum numerum retulit, ejusque festum in quibusdam locis Officio et Missa celebrari permisit ad diem* XXVII *Aprilis, quamvis* XXIII *Martii obierit. Nuper autem catalogo Sanctorum etiam solenniter adscriptus est. Cum igitur post editos hos duos menses primum numero Beatorum adscriptus sit, de eo agetur in supplemento Operis nostri.* EX IMPRESSIS.

c *Hic sanctus ex Ordine Minorum colitur die Novembris, quando de ipso agendum erit.*

CAPUT VII.

Destructio Truxilli diu ab illo prædicta, aliaque multa spiritu prophetico prænuntiata.

E *S. Franciscus Solanus spiritu prophetico*

Orationis fons profundissimus est, a quo amœnissimi scaturiunt rivuli, et quasi e fœcundissima causa multiplices effectus; inde profecto oriebatur illa cœlestis luminis participatio, qua Servi Dei illustrata mens futuros eventus in tenebrosa contingentiæ caligine videbat, et inscrutabilia humani cordis arcana penetrabat, quaque magnum prædicationibus suis æstimationis pondus addebat. Suppetunt equidem innumera illius revelatæ cognitionis exempla, quorum præcipua, et magis utilia hic enumerare sufficiet.

Truxilli destructionem

74 Cum, ut supra diximus, et Limana civitate officia sibi oblata detrectaturus Truxillum se recepisset, et in illo Conventu delatum sibi Guardiani munus ægre gestaret; die XI *a* Novembris, MDCIII, sancto Didaco sacra, sermonem ad populum habens, præostensam sibi divinitus ejusdem civitatis destructionem ac ruinam quindecim, antequam eveniret, annis prænuntiavit; addiditque quod quantumvis ea (in qua loquebatur ecclesia) terræ motus violentia concuteretur, ac super pulpitum, in quo concionabatur, parietum ruentium moles decideret; hoc tamen intactum nullo modo confringeretur. Quæ omnia juxta ejus verbum impleta sunt: mensis namque Februarii die XIV, anno MDCXVIII, octavo videlicet post ejus obitum, horribili terræ motu loci illius ædificia et templa solo æquata sunt, ac sub eorum ruinis magna hominum copia sepulta; ipsa autem (in qua hæc prophetaverat) cathedra absque detrimento perstitit, et sub eadem bona quædam et inops vetula periculum et mortem evasit.

et mulieris mortem prænuntiat.

75 Hæc etiam dum prædiceret Vir sanctus, Didacum Sancium et Mariam Ortegam conjuges, ut fugerent a ventura ira admonuit; qui sermonibus ejus obedientes in civitatem Limanam se receperunt; ubi cum aliquando P. Didacus Curiel observans recollectus præfatæ Mariæ ob ærumnas, quas Limæ patiebatur, reditum Truxillum suaderet, respondit illa, se a sancto P. Solano olim fuisse edoctam, quod si tempore terræ motus, infallibiliter futuri, illic moraretur, sub ruinis foret misere sepelienda. Quæ quidem

Servi

EX IMPRESSIS. Servi Dei prophetia etiam in hac parte completa fuit, cum infelix illa mulier, Truxillum paulo ante terræ motum reversa, sub decidente macerie suffocata remansit.

Feminæ faustum partum prædicit,

76 Periculosi partus doloribus ad gravissimos agonis conflictus domina Maria de Sylva Georgii Manrici de Lara, Ordinis Sancti Jacobi equitis, et in regia audientia de la Plata auditoris uxor devenerat; desperabatur a medicis exitus prolis, cui nulla nisi sectionis via patebat. At quoniam ea mortis periculum afferre solet, ideo ad quemcumque tam duri remedii eventum, Sacramentorum receptione parturiens mulier disponitur. Quæ illa mœsto corde recogitans, sibi ante quatuor menses a patre Francisco Solano dictum meminit; ut ipsum cum pariendi tempus instaret, ad se vocaret, quia magnum ex sua præsentia erat receptura subsidium. Rogatus itaque Vir Dei paratum crudelis sectionis remedium statim dissuasit, ipsam protinus pulchrum masculum parituram affirmans: interim augebantur prægnantis dolores, caligare cœperunt oculi, B et sensuum officia deperdi; ita ut crederetur ab omnibus in mortis agone versari.

et prolis sexum divinitus novit.

77 Aderat inter alios secretarius major regiminis Peruani, qui in ultimum medelæ experimentum moribundam chorda patris Solani circumdari voluit: vix illam sacer funis contigit, cum statim ad se reverti, viresque resumere visa est. Tunc præfatus secretarius et Servus Dei in aliud proximius cubiculum recedentes, ibi brevi spatio temporis transacto, liberatam a partu puerperam, et egregiam peperisse feminam, ab omnibus et ab ipsa obstetrice acceperunt. Vir autem Dei, quem infallibilis veritas eventum certa prædictione docuerat, deceptos omnes in sexu prolis respondit: Observent, inquit, diligenter; quia masculus est, et Francisci nomine decorandus. Inspecto ergo fœtu, pulcher et decorus filius esse comperitur, ac in sacro baptismatis lavacro, ob Servi Dei reverentiam et amorem, Francisci nomen accepit. Quamquam autem mater illa plurimos in temporum decursu genuerit filios, iste tamen omnibus vita longiore superstes fuit.

C

Cuidam juveni religionis ingressum et patris sanationem,

78 Pater Ludovicus ab Ayala Societatis Jesu religiosus, cum adhuc in seculo degeret, se aliquando vitam regularem amplexurum a viro Dei Francisco audivit. Cujus et aliud spiritus prophetici irrefragabile signum habuit, dum laborante mortali ægritudine, et a medicis desperato ipsius parente Ferrerio de Ayala, eum Servi Dei precibus commendaturus ad conventum S. Mariæ Angelorum accessit. Nam oratione, cui ab omni humano conversatione segregatus a quibusdam diebus vacabat, se ipso desistens Vir sanctus, ac se conveniri prævidens, ad ostium monasterii perrexit; et solita vultus lætitia alterius verba præveniens, bis repetiit: Valde ægrotat pater tuus; hæc tamen infirmitas non est ad mortem. Effectus præter humanam spem subsecutus, ejus promissum confirmavit.

alteri religioso infirmi sanitatem,

79 Similiter et patri Andreæ ab Fizaguirra Ordinis B. Mariæ de Mercede religioso ad se pro vicario generali dictæ Religionis ægrotante, precibus commendando venienti occurrit in claustro Franciscus, eumque præveniens, ait: Dic patri vicario generali, ne Deum tentet; sed protinus e lecto consurgat. Insuper plurimos casus ipsimet P. Andreæ prædixit; qui cum omnes successive evenerint, propheticum Servi Dei spiritum contestantur. D

matri transitum filii ab uno Ordine ad alium,

80 Filius Mariæ de Ortega induendo sacræ Augustinianæ religionis habitu admissus, jam corona monachali signandus, et veste regulari erat insigniendus; quo audito, mater ad conventum S. Francisci accurrit, et patri Solano conqueritur, quod filius jam pridem Ordini Minorum a se consecratus, modo Augustiniana tunica vestiretur. Cui beatus Pater respondit: Religiosus quidem puer erit; non tamen in sancti Augustini familia. Domum ad hæc reversa mulier adolescentem ab incepto proposito mutatum invenit; qui postea Franciscanum ingressus Ordinem, frater Lucas Sancius est appellatus.

infantis,

81 Dum semel per Limanæ civitatis vias prædicaturus exiisset, simul cum copiosa plebis multitudine accessit serva quædam Nigra semestrem puellulum gerens; ad quam conversus Vir Dei, et infantulum allocutus, ait: Parve angele mori, E antequam peccare. Has, licet incertæ significationis, voces excepit serva parens, et lacrymabunda domum reversa est: fletus causam quærenti patronæ, respondit; se certum filioli interitum dolere, quem vir Dei Solanus prædixerat moriturum. Et revera notatum est, quod cum ægrotare cœpit Franciscus, infirmatus est puer, et triduo post ejus mortem e vivis decessit.

et viri mortem.

82 Ambulanti per claustrum conventus Limensis homini depravato, et vitiorum corruptione multorum contaminato, obvium se fecit Vir sanctus, eumque monuit, ut a via pessima ad salutis semitam media pœnitentia converteretur, quoniam futuri erant dies ejus pauci, et finis interitus imminebat. Perterritus admonitione peccator compunctus est, et ab iis, quibus sibi dicta retulerat, amicis eodem anno febre quartana occubuisse memoratur.

denique alteri prolis ortum et uxoris obitum prænuntiat.

83 Ægrotavit aliquando periculosa ægritudine uxor Gregorii Lopez; parentes vero infirmæ in maritum male affecti, se omnem, ea defuncta, sublaturos esse (quam attulerat) dotem minabantur. Afflicti hominis casum edoctus Franciscus, ipsum admonuit, ne frustra mœrore consumeretur, nasciturам quidem ei in brevi ex uxore filiam, quæ ab hujusmodi formidine ipsum liberaret; conjugem autem (Deo sic ordinante) morituram. Veritatem assertionis eventus subsecutus probavit. F

ANNOTATA.

a *Puto hic legendum* die XII, *ut habet Vita Hispanica lib.* I, *cap.* 29; *quo die etiam memoratur S. Didacus in Martyrologio Romano.*

b *Conjicio huic civitati* de la Plata *nomen inditum esse a fodinis argenti, quod Hispani* plata *appellant. Ut ut est, in illo Peruviæ oppido celebratur conventus juridicus totius provinciæ Charcarum, de qua in Annotatis post caput* IV *littera* k *egimus.*

.CAPUT

A

CAPUT VIII.

Cogitationum cognitio, aliarumque rerum occultarum notitia, et aliquorum ægrorum sanatio.

Imperat mulieri, ut dæmonis suggestionem,

Domina Joanna de Sylva, P. Bonaventuræ a Salinis et Corduba mater, gravibus infirmitatibus jam pridem afflicta, et lecto detenta a Viro Dei visitari solebat. Quadam vero die ad vesperam R. P. Joannes Sebastianus *a*, Societatis Jesu Provincialis, eamdem invisens, post proposita consolationis verba et salutis monita in angulum cubiculi cum servo Dei Francisco secessit : qui dum invicem demisse confabularentur, et infirma tranquille quiesceret, subito infremens spiritu Vir sanctus ad lectulum properavit, et ægrotam, ut dæmonis suggestionem (quam tunc patiebatur) detegeret, interpellavit.

B

quam divinitus agnoverat,

85 Cui illa respondit, satanam modo in mentem ipsius inducere velle perversam cogitationem, graviora scilicet ipsam jam pati in cubili, quam Christus sit passus in cruce, et acerbiores sicut et diuturniores esse ejusdem dolores, quam Salvatoris cruciatus; in quo cum divinitas humanæ naturæ roboraverit infirmitatem, et trium horarum spatium tormentis acrioribus dederit finem, non erat, cur illius ærumnæ suis conferrentur. Admirati sunt circumstantes hostis tartarei fraudes, sed ad spiritum Viri Dei, invisibilia penetrantem, magis obstupuerunt; qui, quam nec verbis, nec signis, nec motibus infirmæ noverat tentationem, didicerat revelatione.

et angeli custodis inspirationem aperiat.

86 Eamdem ad ultimam vitæ periodum tandem perductam, consiliis et orationibus sublevaturus invisit; quæ cum ob vehementiam dolorum supina jacere teneretur, statim vultu lætitia perfuso super lectulum sedere incepit. Accessit ad eam Vir Dei, et divino lumine, quid novi contigisset agnoscens, stupentibus ob casum aliis, eam verbis dulcissimis monuit; quatenus ob gloriam Dei, et ad circumstantium utilitatem, visionem, quam viderat, et nova, quæ cœlestis nuntius attulerat, enarraret. Cui illa morem gerens ait, se angeli sui custodis benigno potitam aspectu, ac ejus didicisse colloquio, condonata sibi fuisse peccata, et in brevi se carne solvendam, ac ab eodem in regnum beatitudiuis transferendam ; et his dictis intra exiguum tempus suaviter exspiravit. Ex quo manifeste liquet, Virum Dei aut mundis purgatisque oculis angelicam detexisse præsentiam, aut, quod corporalis acies lucis non poterat, prophetici spiritus iutelligentia retulisse.

C

Secretam cujusdam tentationem

87 Frater Bernardus Arias Minor laicus, dum annum probationis ageret, graves circa vocationem religiosam patiebatur tentationes; cumque aliquando Viro Dei celebranti ministraret, urgentissimum dæmonis de repetendo seculo, et habitu abjiciendo sensit impulsum. Hanc inimici suggestionem divino lumine perspiciens sanctus Sacerdos, occasione lotionis manuum ministro vicinior factus, voce demissa (ne a circumstantibus audiretur) ait : Noli Frater vestem exuere, nec diabolicæ voci obedias; cave, ne te decipiat. Obstupuit ad hæc tentatus novitius, et sibi prius ignotum Patrem cœpit imposterum, ut prophetam reputare, ejusque monitis acquiescens, in sancta vocatione perseveravit.

ex impressis.

et occulta alterius peccata cognoscit,

88 Quidam Limanum conventum ingressus, ut Religiosum sibi familiarem inviseret, dum vocatum in claustro exspectat, a Viro Dei convenitur; et an amicum quæreret, interrogatur. Qui de charo sibi Religioso illum sciscitari existimans, annuendo respondit. At pius Pater se non de temporali amico, sed de vero et æterno animarum dilecto Christo (quem hic graviter offenderat) se locutum affirmans, hominem solicite monuit, ut a peccatis abstineret, ac proximam peccandi cum tali muliere fugeret occasionem, meretricem illam omnino desereret, ac ne illa nocte ob paratum ei mortis laqueum in urbem exiret. His verbis emollitus, et stupefactus peccator ad promptam confessionem inductus est : quæ quia repentina nimis defectu præparationis videbatur, instavit * Franciscus, ac in suam curam ejus dispositionem suscepit. E

** lege institit*

ac confitenti suggerit.

89 Dum ergo ille cellam Servi Dei ingressus conscientiæ reatus confiteretur, hic adeo distincte omnia delicta ei reducebat in mentem, quasi se præsente et vidente cuncta patrasset. Tandem cum pœnitens nihil ulterius latere putaret, addidit prudens Confessarius, unum adhuc esse cordis vulnus ignotum ; illo vero e contra asserente, iterum adjecit : Numquid recordaris hujusmodi puellæ, quam in perpetuæ jacturæ discrimen adducis ? Sic igitur confessione completa, imposterum a pessima mulieris conversatione abstinuit. Memor autem integri vaticinii nocte illa e domo egredi non est ausus, et recte quidem : nam postea quidem alius, qui eamdem meretricem affectu intensissimo deperibat, ipsi ingenue dixit; quod si præfata nocte ad domum mulieris accessisset, procul dubio pugione confodiendus, in ipsis (quas idem ei paraverat) insidiis periisset. Hæc omnia homo ille ex peccatore justus, et ideo accusator sui factus ad Dei gloriam, necnon ad tanti Patris honorem juridice declaravit. F

Odia secreta detegit,

90 Cum Gregorius Lopez secretum odium erga quemdam in corde foveret, a Viro Dei in confessione audiri poposcit. Cui ille : Esto, sed prius vade reconciliari proximo tuo, quem injuriis affecisti. Obstupefactus homo paruit, ac venia ab eo (quem læserat) impetrata, ad salutarem pœnitentiam cum summa animi sui consolatione receptus est. Cum etiam mulier quædam Maria de Valera aliquando se Servi Dei precibus commendaret, respondit illi Vir Sanctus : Depone odium ex corde, et inimicitiam (qua Deum offendis) exstingue, ac tunc pro certo habeas, quod te divina misericordia multis cumulabit beneficiis. His verbis compuncta mulier secretam, quam paternæ hereditatis occasione in fratrem suum germanum conceperat aversionem, in amorem et pacem convertit; ac postmodum pluribus a Deo gratiis juxta Prophetæ verbum donata est.

EX IMPRESSIS.

et occulta alterius peccata manifestat.

91 Solebat venerabilis Pater tam crebro, ac distincte cujusdam viri gravis occulta cordis arcana manifestare, ut ille non semel ab ejus colloquio et occursu fugeret, ne latentes conscientiæ reatus sibi declararet. Inter alia autem quadam die cum tentationis violentia superatus, impuram mulierem conveniret, occurrit eunti Franciscus, et acribus verbis (quam patraturus erat) turpitudinem exprobravit, quidquid animo volvebat aperuit; nomen meretricis indicavit, de periculosa ejusdem infirmitate admonuit, et (quod optimum est) hominem a præcipitio peccati aversum ad contritionem et culpæ horrorem adduxit.

Propositum puellæ de amplectenda religione

92 Maria Magdalena a Salinis secretum, quod de habitu Sanctæ Claræ induendo propositum duobus tantum confidenter manifestaverat, ad conventum S. Francisci pro confessione accedens, a Viro Dei Francisco penetratum obstupuit: hic enim in confessionarium missus, statim alacri vultu eam prævenit: Fauste, inquiens, veneris, sponsa Christi; gavisi sunt angeli de proposito tuo, esto patiens et constans; quoniam
B multæ exsurgent parentum in professione contradictiones, sed deficient omnes, et bene tibi cuncta succedent. Detectum cordis arcanum virgo admirans, cum postea monasterium ingressa, quas Vir Dei prædixerat procellas, et felicem earum exitum vidit, ipsum prophetica illustrari notitia non dubitavit.

et arcanam Minoritæ cogitationem aperit.

93 Frater Ildephonsus laicus dum Viro Dei in ultima ejus ægritudine ministraret, ipsius vultum aridum et macilentum aliquando intuitus, ejusque eminentem recogitans sanctitatem, secum agitare cœpit: Vere hic est imago perfectissima S. P. N. Francisci. Tunc Vir humilis, et illustratus, spiritu interno secretum fratris edoctus, ait: Roga Deum, frater, ut a te hanc cogitationem omnino avertat.

Viro cuidam loca, in quibus peccaverat, indicat,

94 Ambulanti per conventus Limensis claustrum Petro de Andasalazar obvium se præbuit Religiosus quidam incognitus, qui ait: « Scias, « domine, quod Deus suis tecum usus est miseri- « cordiis, cum te tam diu ad pœnitentiam ex- « spectaverit. Recordare culparum, quas in Gal- « lia, Castella, Lusitania et alibi perpetrasti. »
C Obstupuit homo ad hæc verba, et ad distinctam locorum (in quibus fuerat) designationem: quis tamen ea fuisset locutus, ignorabat; donec sparso rumore de sancti cujusdam Viri transitu, ad videndum cum perrexit; quem ut intuitus fuit, inquit: Iste est, qui mihi conscientiæ statum revelavit; nomenque sciscitatus, patrum Solanum vocari accepit.

et singularis certaminis propositum, b

95 Eeodem spiritus lumine properantem ad singulare certamen Joannem Deniam Bolañum *b* prospiciens, ad pacem cum adversario reduxit. Sic et Joannum Luzerum de Savedra, forte in ecclesiam conventus Limani ingressum, Vir Dei, ex improviso comparens ad concordiam cum quodam milite (contra quem pugnaturus ibat) ineundam, et ad deponendum ultionis appetitum, distinctis ac fervidis verbis est adhortatus.

ac meditatam alterius vindictam videt atque impedit.

96 Occasione injuriæ cujusdam commotus Franciscus Ildephonsus de Caravajal, alteri vitam eripere decrevit. Cumque propterea opportunitatem quæreret, forte conventum S. Francisci ingredi debuit. Cum statim Franciscus verbo D
plane et ore ignotus occurrit, ac voce benigna rogavit, ut sibi eleemosynam largiri dignaretur: Et interroganti, quid peteret? respondit illi Dei Servus: « Ut perversam (quam formaverat cogi- « tationem) omnino repelleret, facturus inde Deo « gratum obsequium, et ipsi largum beneficium; « ac se etiam scuto patientiæ, quo præsertim « indigebat, armaret. » Audita tam lucida secreti sui declaratione, homo se Patris orationibus commendavit, et confusus revertens illum, quamquam sibi incognitum, Virum sanctum et Deo charum esse præsumpsit; cujus verbo cor latens apertum, correctione prompta sanatum, et in melius senserat immutatum. Erat tandem Viri Dei obtutus in perscrutandis cordium arcanis ita perspicuus, ut multi secretorum suorum revelationem timentes, aut aliquando ipsius occursum declinarent, aut in principio sermonis occultas cogitationes ultro patefacerent. Quam quidem divinæ largitatis gratiam quantum in proximi bonum insumpserit, relata jam argumenta probarunt. E

Precibus suis ægro sanitatem obtinet,

97 Animas Limani populi prædicationis verbo, et prophetiæ lumine curabat Vir sanctus; corpora vero orationis et meritorum efficacia a mortis faucibus, et periculis eripiebat. Doctor enim Joannes Velasquez, ecclesiæ Limanæ archidiaconus, gravi oppressus ægritudine, ad [se] virum Dei Franciscum vocari jussit; quo (manibus capiti ipsius impositis) Evangelium recitante, illico dolorem mitigari et minui sensit, ac perfectæ sanitatis spem certam concepit, quam et absque ullo alio remedio est assecutus.

aliosque ab angina

98 Anginæ dolore laborans, et in vitæ discrimen deducta domina Mayor ab Alarcon, P. Didacum a Pineda guardianum rogavit, ut sibi aliquam sancti patris Solani adhuc viventis chordam mitteret; qua quidem accepta, hora vespertina quarta se præcinxit. Die vero sequenti ulcus pestilens, fœtidam et maleolentem saniem per ipsum os infirmantis emisit, admirante medico, et casum repentinum miraculo adscribente.

letali febri,

99 Cum Michael a Belilla bibliopola letalis febris violentia ad ultimum vitæ terminum pervenisse videretur, susceptis (ex medicorum de salute ejus desperantium consilio) Sacramentis, vocantur Religiosi, qui ipsum in agone positum F
adjuvarent. Mittitur P. Franciscus Solanus, qui cum alio Societatis Jesu patre preces animæ transmigrantis commendatitias de more recitavit. Interim advenit medicus, nomine Raymundus; cum hora esset post meridiem septima, ægrotum certissime juxta regulas artis intra quatuor horas (id est circa mediam noctem) moriturum affirmavit. At vero servus Dei Franciscus ad infirmum accedens, et prolato super eum Evangelio, ad socium conversus, ait: Redeamus ad conventum: plus enim ibi, quam hic agemus. Exspectatur itaque transitus moribundi, cum ecce ea, qua medicus animam exituram prædixerat, hora repente infirmus ab omni ægritudine liber, cunctis mirantibus, sanus apparuit, et intra duos aut tres dies e domo egressus ad suam rediit officinam. Cum ibi præfatus medicus cum vidisset obstupefactus, et putans phantasma videre, se cruce signavit; ille autem repentinam sanitatem

meritis

A meritis et orationibus sancti patris Solani adscribere haudquaquam dubitavit.

et hæmorrhœa liberat. 100 Didacus de Astorga copiosum ab ore sanguinem per triduum emiserat, et tria vasa non parva illo humore repleverat. Cum vero a viro Dei Francisco confessario suo aquæ puræ et nitidæ poculum sibi porrectum hausisset, illico sanguinem firmatum, et ægritudinem omnino abscessisse sensit. Multa alia a venerabili Servo Dei accepta beneficia referuntur, quibus totam illam civitatem perpetuæ gratitudinis vinculo sibi devinxit.

ANNOTATA.

a *Is est Joannes Sebastianus Parricius, cujus eximium elogium habes in Bibliotheca Scriptorum Societatis nostræ a pag.* 502.

B b *Hic a Nicolao Antonio in Bibliotheca Hispanica tom.* I, *pag.* 542 *vocatur* Joannes Hevia Bolaños, *diciturque anno* 1603 *Limæ edidisse Hispanice tractatum de commercio terrestri et navali.*

CAPUT IX.

Viva ipsius fides, firma spes, et ardens caritas erga Deum a.

Fuit in S. Francisco Solano Quasi rivus a fonte, lumen a sole, effectus a causa, sic externi hominum actus ab interno prodeunt principio, et quasi fructus arboris, quales sunt interiores affectus, tales prodeunt extrinsecæ operationes. Hinc est, quod perfectionis magister Christus ex fructibus eorum docet homines cognoscendos. Cum ergo ex præce- C dentibus mirabiles apparuerint Francisci nostri Solani operationis externæ proventus, non incongruum est, eas, quibus coram Deo et apud homines se commendabilem reddebat, virtutes enumerare.

viva 102 Fides, sine qua placere Deo nemo potest, et in cujus soliditate, tamquam in basi, totius spiritualis ædificii fundamentum subsistit, adeo virum Dei Franciscum invaserat; ut veritatibus Catholicis firmum et indubitatum in omnibus præberet assensum. Erat in eo non speculativa solum illa et otiosa fides languens et quasi mortua; sed viva, practica, et operativa, qua quisquis exercet operando quod credit. Hinc ortum est seminandi Evangelii ac propagandæ fidei desiderium, quo se ad barbaricas Africæ *b* terras mitti a Superioribus petiit; cumque optatum hac in parte finem assequi non posset, Deo aliter disponente ad Peruana regna pertransiit, et desertas illas et incultas regiones in fame, siti, frigore, ac nuditate peragravit, et palmam martyrii tanto avidius assequi coucupivit, quanto ab avaro divitiæ, et sensuali corde voluptates optantur. *EX IMPRESSIS.*

fides, 103 Mysteria sacratissimæ Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, aliaque suprema fidei nostræ capita quam firmiter crediderit, tot affectus, suspiria, ecstases, et cordis deliquia, quæ in eorum simplici lectione, vel auditione patiebatur, aperte testantur. Erat præterea in Viro Dei fides illa gratis data, quæ de liberali manu Dei procedens hominem in adversis et periculis tutum, in proximi necessitatibus thaumaturgum reddit. Hinc est, quod in tot angustiis, peregrinationibus, naufragiis semper quietus imperturbatus apparens, divinam adesse periclitantibus opem, nec in ærumnis desperandum alios commonebat.

spes firma, 104 Spes autem theologica in Dei Servo peculiarem sibi elegerat mansionem : per hanc enim inclinavit cor suum ad faciendas justificationes Dei in æternum; per hanc omnis affectus temporalis nexu soluto, totus ad cœlestem aspirabat felicitatem, ex benignissima Dei promissione reddendam. Cupiebat namque dissolvi, et ad patriam illam pervenire, in qua spei nostræ objectum clara visione prospectum in perennem traditur fruitionem. E Oriebantur ex illa spe, tamquam ex fonte, rerum humanarum contemptus, cœlestium amor, paradisi ardens desiderium, ac gloriæ tam efficax appetitus, ut ad solum illius nomen, totus in jubila et ecstases solveretur.

et ardens caritas; 105 Charitas, virtutum forma, virum Dei Franciscum adeo sui juris effecerat, ut velut ferrum ignitum ejus incendio totaliter fuerit penetratus : ex illius namque fornace crebra illa et anxia trahebat suspiria, quibus se totum in summi boni dilectione liquefactum ostendebat; recogitabat frequenter divinas illas Beatorum mansiones, et in earum assecutione totus accensus suum prolongari incolatum dolebat. Inde etiam oriebatur tantus cœlestium amor, ut cum aliquando a quodam ægroto statum valetudinis ejus quæsivisset, respondente illo; gloria Deo, quia melius habeo : ut audivit hanc divinæ gloriæ vocem, invisibili amoris sagitta percussus duos ibidem repertos baculos apprehendit, ac uno alterum percutiendo suavem de Christo, et ejus F amore edidit cantilenam; sicque totus extra se raptus, et in Deum suspensus e loco illo festiuanter exivit, sane ut liberiorem interno raptui aditum daret.

unde præ amoris æstu sæpe in ecstasin, 106 Eum aliquando infirmantem quidam Religiosus invisit, ac de cœli gloria, et paradisi felicitate est allocutus; ad cujus verba adeo in Viro Dei flamma amoris exarsit, ac tantum beatæ fruitionis desiderium accrevit, ut totus exhilaratus raptum sit mirabilem passus, ut manibus extensis et elevatis, ore aperto, oculis in cœlum defixis, auribus ad voces Religiosi omnino surdis, totum in cœlestis dulcedinis oceanum se contestaretur immersum.

aut similem mentis excessum rapiebatur. 107 Quodam sanctissimæ Triuitatis festo, paucisque diebus antequam mortis debitum solveret, cum in valetudinarii oratorio sacrosanctum Eucharistiæ cibum sumpsisset, ac dum tremendo Sacrificio adesset, auditis his verbis ex Missa: Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu, quamquam debilis et iufirmitate consumptus,

ptus,

EX IMPRESSIS. ptus, tamen in claustrum exivit, ac festino passu, quasi volatu, progrediens exclamabat: Benedicamus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; hocque repetens non sine magna audientium admiratione monasterium circuivit. Alias etiam ex cellula egressus hæc verba affectuose proferebat: Servemus fidem et legem Jesu Christi; ac brachiis in modum crucis extensis, oculis in altum erectis et in lacrymas solutis terribili voce repetebat: » Patres, servemus legem Dei, » et regulam, quam professi sumus; faxit Deus, » ut ego numquam sacra ipsius præcepta in- » fringam. »

totus inflammabatur,

108 Quoties autem de Deo, aut ejus amore coram Viro Dei sermo instituebatur, prorumpebat in lætitiam cordis; et ut ignem sacræ dilectionis eventilaret, ab aliis secedens, solus in angulum coram cruce, aut devota imagine, quasi hostia flammis cœlestibus comburenda, properabat. Illo etiam charitatis igne accensus sæpe procedebat in publicum, et occurrentibus turbis Dei commendabat amorem; o quam suavis est B Deus, quam amabilis, quanta dignus dilectione, contestans. Et si quando Religiosum aliquem peculiaris in Deum amoris dono conspicuum, et honoris divini promovendi avidum agnoscebat, illum audiens sic aiebat: » Videamus, quis de » duobus sponsum animarum nostrarum Chri- » stum ferventius diligat, et in signum majoris » dilectionis hebdomada ista contendamus, quis » plura isti præstabit obsequia, et gloriam ipsius » sanctissimæ Matris diligentius procurabit. «

et a creaturis ad Creatorem ascendebat.

109 Ex ipsis etiam sensibilibus rebus, unde se ad divinum excitaret amorem, urgentes et efficaces deducebat rationes contuens in operibus creatis Factorem ipsum, et ex creaturarum inanimatarum effectibus, animæ suæ motus regulabat. Unde cum ollam succensam et ebullientem quadam die vidisset, ab astante Religioso causam ebullitionis sciscitatus est, eoque illam igni materiali (ut par est) adscribente, erectis in altum oculis adjecit Vir sanctus: » Heu! quid » prohibet, quo minus et nos igne charitatis ar- » deamus, et anima nostra quasi olla succensa C » flammis ebulliat? » Et his dictis sentiens impetum, quem optabat, in longam ecstasim suspensus hæsit. Illius etiam intensissimæ charitatis effectus sunt ea, quæ pro Deo passus est incommoda, quæ suscepit pericula, quæ concupivit martyria, quæ prædicavit, quæ egit, quæ pertulit. Ejus et efficacissima indicia sunt: oratio continua, altissima contemplatio, ac reliquæ tandem virtutes, quibus ejus animam fuisse decoratam, quæ sequuntur, capita demonstrabunt.

ANNOTATA.

a *Narrando Sancti Vitam, auctor sequitur ordinem in processibus beatificationis usitatum.*

b *Vide supra cap.* III, *num.* 22.

D

CAPUT X.

Devotio ejus erga sacra Christi mysteria, sanctissimam Eucharistiam, Virginem Deiparam et sanctum Bonaventuram.

Erga sanctissimam Trinitatem, Christi nativitatem

Præter eximiam erga sacratissimæ Trinitatis mysterium devotionem, quam laudibus, obsequiis et canticis testabatur, inerat præterea viro Dei Francisco ardens quædam et tenera ad sacram Christi Nativitatem propensio, et beatissimam illam noctem, in qua Verbum carne indutum humanas assumpsit miserias, speciali cultu et religione celebrabat: hanc quippe ineffabilem æterni Filii dignationem mente revolvens, E totus in jubila solvebatur, et aptas tantæ solennitati cantiones voce et exiguæ lyræ sonitu decantabat. Dum in provincia Tucumani semen evangelicum spargeret, aliquando totam illam sanctissimam noctem orans, lachrymans, et Deum collaudans traduxit. Alias, recurrente eadem nocte, gaudio impar per conventum Recollectionis Limensem charitate ebrius, et amore saucius discurrit, ac campanulam movendo canens atque psallens, fratres omnes ad admirationem ac devotionem provocavit.

et infantiam,

111 Sacram autem Christi infantiam tam pio et tenero recolebat affectu, ut eam nec cogitare, nec voce proferre, aut in imagine contemplari absque cordis et corporis immutatione valeret. Infantem sibi Salvatorem ante oculos mentis objiciens, ei pastorum simplicem, puramque reverentiam, et solennem magorum exhibebat adorationem; nec a se solo laudari et benedici contentus, socium ad eadem jubilationis, cantus et amoris officia secum alternatim rependenda invitabat.

Passionem

112 Pretiosissimam Christi Passionem et crucem quantum Vir Dei dilexerit, effectus non pauci testantur. F Hanc enim continua meditatione tractabat, in prædicationibus extollebat, ad eam imitandam et ferendam populos hortabatur. Crucifixum quasi inseparabilem suæ defensionis murum, quocumque pergeret, semper gestabat. Uno verbo, Jesu Christi mortificationem ac tormenta jugiter tulit in corpore suo, et aliorum mentibus ea imprimenda indefesse curavit. Cumque in Missa Passionis historiam quadam vice legeret, observatus est a Religioso ministro in amaros et copiosos lacrymarum rivos resolvi.

atque Eucharistiam devotissimus

113 Ad memoriale Passionis, seu augustissimum Eucharistiæ sacramentum toto viscerum ardore ferebatur; in eo suæ fortitudinis arcem collocarat, in ejus contemplatione totam suæ conversationis dulcedinem, et præsentis vitæ consolationem posuerat. Sacerdos factus se ad tanti Sacrificii celebrationem vigiliis, abstinentiis, flagellis et orationibus disponebat. Missam dum celebraret, affectu mentis suavissimo reclu-

sa

A sa in ejus cœremoniis et ritu mysteria ruminabat, ac tanta videbatur celebrantis devotio, ut et multos audientes attraheret, et plures certatim ministros ad sibi serviendum induceret. Ipsemet excellentissimus Peruani regni prorex Ludovicus de Velasco, marchio Salinarum, frequenter ad conventum Recollectionis accedens, e privato tanti Sacerdotis sacrificio, cui devote ministrabat, magnam percipiebat suavitatem.

singulari pietate Missam celebrat

114 Sæpe ad altare progressus, ac se vestimentis illis mysticis, quibus mortalis et miser homo, Verbi incarnati sacerdotis simul et hostiæ repræsentat figuram, sese indutum attendens, in illius ineffabilis dignationis consideratione deficiebat, ac in laudes Christi et beatissimæ Virginis (quæ tantum edidit cibum) prorumpebat. Aliquando visus est, dum Sacrificium perageret, in ecstasim rapi, et in aëra sursum attolli; alias dum ad altare, S. Antonio dicatum, Missam celebraturus accederet, apparuit coram eo lux quædam cœlestis, solis claritati non inferior, qua velut manuductus dicere poterat cum Psalmista
B Psal. 118: Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.

et aliquoties in ecstasin rapitur,

115 Solebat expleto Sacrificii tremendi mysterio, ac sacris vestimentis exutus, exhibitaque gratiarum actione illico se in cellam recipere, et clauso ostio de Regis cœlesti præsentia exhilaratus, munera tanto hospite digna laudis et reverentiæ promebat: ibi fruebatur dilecto, et in illius suavissima conversatione prævias paradisi degustabat delicias. Dum aliquando sic solus, et in cellula reclusus, dulcia cum Christo misceret colloquia, ad ostiolum quidam frater pulsavit; sed abstracta a sensibus Viri Dei mens duplicatos non audivit impulsus. Tunc alter obedientiæ vim experiri volens, a Superiore vocatum alta voce significavit. Ad hunc repente sonum Franciscus e somno spirituali expergefactus januam aperiens, accenso et inflammato vultu, genis et ipsomet caputio lacrymarum imbre madefactis, se vocanti videndum exhibuit; agnito vero Superioris mandato, illico ad ejus, qui factus est obediens usque ad mortem, imitationem, ut obedientiam impleret, alacri facie ad cellam Prælati perrexit.

ac miro splendore circumfunditur.

116 Alias dum sic post Sacrificium vivificum in cella solus oraret, repetitis a quodam fratre ad cellulæ januam ictibus excitatus Vir Dei pulsanti apparuit, et voce benigna ait: Deus tibi parcat. Visus est autem tam splendentes luminis radios ex vultu emittere, ut ejusdem fratris, et alterius præsentis oculorum aciem perstrinxerit; ac mentes ipsorum tanta reverentia et admiratione replevit, ut se gravis delicti reum, qui sic importune pulsando eum a tam ineffabili colloquio averterat, existimaret. Quot autem in privatis illis cum divino amore congressibus gratias, illustrationes, et beneficia amicus Christi Franciscus perceperit, nemini (quia vere humilis) manifestavit.

Veneratio ejus erga Eucharistiam.

117 Erat ille in Eucharistiæ venerabile sacramentum Servi Dei affectus et amor quasi proles legitima veræ et sinceræ fidei, qua Christum sub speciebus panis et vini latitantem ita præsentem, ita venerandum, amore dignum et adoratione reputabat, quasi eum in medio angelorum senatu regnantem, et in empyreo ad dexteram Patris sedentem vidisset: unde cum divinæ illius præsentiæ assisteret, gaudio inexcogitabili et admiratione replebatur, ac totus in supremi ac tanti mysterii seria contemplatione absorptus, in suavi lyræ sono dulces edebat concentus. Cum officio Custodis in provincia Tucumani fungeretur, recurrente Corporis Christi festivitate, solito ejusdem in publica fidelium processione triumpho adfuit; cum autem fidei oculo Regem gloriæ præsentem conspiceret, subito voce elata dulces cantus effudit tanta amoris violentia, ut in medios Indorum cœtus Davidem coram arca canentem et saltantem imitaretur: quo spectaculo commoti omnes, lacrymis præ teneritudine obortis devotionem auxerunt veneratione.

EX IMPRESSIS.

et illius ministros.

118 Profunde quidem ac devote de omnibus Christianæ religionis mysteriis loquebatur, sed præsertim de sacratissima Eucharistia tam alta, tam sapida et profunda eructabat, ut gratiæ divinæ thesauros in se reconditos, et secreta cœlestia sibi tradita fuisse manifestaret. Ex illa vivifici Sacramenti devotione oriebatur inseparabilis a devoto et fideli corde vera et humilis ad sacros ministros et sacerdotes; sed præcipue ad summum et maximum sacerdotem et Pontificem, Christi vicarium, ac Petri successorem reverentia et affectus. Dolebat insuper tantum mysterium indigne tractari, et de Christianorum, dum Missæ tremendis assistunt sacrificiis, indevota compositione, ac profanis coram altaribus et in ecclesia colloquiis; quibus persæpe magis fidelium templa, quam gentium delubra inhonorantur, gravem concipiebat mœrorem. E

Maxime addictus cultui B. Virginis Mariæ

119 Prædestinatorum et Sanctorum specialis propensio est devotio Mariæ: hanc vere prædestinatus et sanctus vir Dei Solanus toto mentis prosequebatur ardore; ad hujus obsequium intentissima cordis reverentia ferebatur. Illam sibi peculiarem advocatam et dominam elegerat, cujus gloriam, honorem, et cultum in se et in aliis promovere satagebat; sæpe revolvens animo quam animantibus * fuerit a Deo dotata privilegiis, ac infinitos fere magnitudinis et perfectionis gradus, quibus reliquas superat creaturas, attendens, aiebat: » Gratulor tibi, o sanctissima Virgo simul et Mater, et gaudeo quod te tam pulchram, tam sanctam et puram divina manus effecerit «. Aliis etiam ignitæ linguæ præconiis dilectæ cordis sui patronæ laudes promebat, ac in devotissimo cantu ad ecstasim usque et raptum ipsius merita personabat. Hujus autem singularis affectus, quem a teneris annis ad mortem usque semper augendo perduxit, quædam suppetunt non incongrue referenda exempla. F

** an forte eminentibus*

celebrando ejus præconia.

120 Cum in conventu civitatis Truxilli moraretur, ecclesiam oraturus adibat, et aliquando patri Hieronymo Ildephonso a Turre sibi occurrenti dixit: » Vado ad musicos modulandos accentus coram pulcherrima Virgine, quæ me exspectat «. Ille autem, ut quid facturus esset Vir Dei certo ac secreto deprehenderet, in angulo latitare solitus sæpe ipsum coram altari, et sacra Virginis Mariæ imagine positum vidit, ac lyræ suæ chordulas pulsantem tanta suavitate repletum et gaudio, ut in saltus miros et commotiones prorumperet, ac tandem genibus flexis

qui-

EX IMPRESSIS. quietum, et in oratione perseverantem observaverit.

et colloquio fruendo delectatur,

121 Pater Joannes Annas Solanus, Ordinis Prædicatorum in provincia Peruana procurator generalis, virum Dei Franciscum in conventu Recollectionis Limarum aliquando invisens, ipsi suadere tentavit; ut ad mentem a continuis laboribus et pœnitentiis vel leviter recreandam, per breve aliquod spatium ad civitatem exiret. Statim autem a Servo Dei responsum accepit: » Hoc in monasterio meæ sunt recreationes et » solatia, quoniam mihi datum est frequens inire colloquium ac suavem ducere conversationem cum domina quadam, in qua levamen pœnarum, et cordis perfectam reperio lætitiam ». Mox amicum Prædicatorem manu apprehensum ad ecclesiam traxit, ac positis ab utroque coram altari majori genibus, Franciscus detracto, quo operiebatur, velo, sacram angelorum Reginæ imaginem detexit, subjungens: » Ista est domina animæ meæ deprædatrix, cui communico, » cui meas dirigo voces; et cum qua suave com-
B » mercium duco. » Ad hæc lacrymarum copiam effundens, ad piam imaginem tam suaves, teneros ac affectuosos dirigebat sermones, ut assistentem sibi Religiosum admiratione mira repleverit et devotione.

ac virum tristitiæ deditum

122 Viro Dei in eodem Recollectionis conventu morante, cum in vigilia Assumptionis religiosa communitas gratias post prandium ante Sacramentum solutura venisset; ecce quod subito amoris impetu, ac tantæ Virginis ad cœlum exaltatione commotus, in mediam altaris majoris capellam exsiliens, oculis ad cœlum erectis psallere cœpit et canere; mox positis genibus, in concinendis Mariæ laudum devotis canticis, non sine intuentium admiratione perseveravit.
a Aderat tunc P. Joannes a Navarreta *a*, vir omnium virtutum genere illustris; sed in primis tantæ pœnitentiæ, compunctionis, et sanctæ tristitiæ exercitio clarus, ut per multos annos numquam ridere, aut faciem hilarem ferre sit visus; sed semper ita doloribus Christi patientis intra se ruminandis attentus, ut ob copiosas compassionis, quas fundebat, lacrymas, Jeremias novus
C fuerit appellatus.

ad hilariter canendas illius laudes inducit,

123 Hic ergo cum recollectum Minoritam magis decere planctum, quam gaudium putaret, subitam illam Francisci nostri lætitiam non approbans, eum aliquo modo reprehendit; sed, o res mira! illico vir Dei Solanus exsurgens, et in spiritus vehementis fervore ad patrem præfatum Joannem a Navarreta accedens, eum sic lacrymosum et mœstum paucis, sed efficacibus verbis ad laudes Virginis celebrandas et concinendas ita provocavit; ut intrinsecus operantis Dei invisibili manu mutatus, statim lætitia spirituali repletus sit, et qui prius mœrorem prætulerat jucunditati, in cantus jubilationis proruperit, alternatisque vocibus certatim cum servo Mariæ Solano triumphantis in cœlo Reginæ gloriam decantaverit.

quo exercitio labores suos mitigabat

124 Erant Mariæ laudes Viro Dei laboranti requies, afflicto solatium, et lasso refrigerium: in magnis enim et asperis pro Deo susceptis peregrinationibus fatigatus ex itinere, exhaustus labore, fame consumptus, siti aridus, calore exustus, frigore exanimatus, Mariæ nomen reco- D
gitabat, ac in ipsius suavissimis laudibus oblitus pœnarum, cœlestem percipiebat dulcedinem. Hanc tandem erga piissimam Dei Genitricem teneram devotionem et constantem fiduciam, quam in vita tenuerat, in agone positus consecravit: * nam cum extremus adesset vitæ terminus, sacrum MAGNIFICAT canticum, et hymnos Virgini ab Ecclesia dicatos coram se recitari a fratribus adstantibus postulavit; quoniam ex eorum suavissimis verbis magnum doloris et morbi lenimentum percipiebat.

* *forte conservavit*

sicut et speciali devotione erga S. Bonaventuram.

125 Inter alios aulæ cœlestis gloriosos cives, seraphicum Ecclesiæ doctorem Bonaventuram speciali devotione colebat, quem sibi potentem apud Christum advocatum et intercessorem elegerat. Solebat proinde, dum in conventu Limensi moraretur, in aulam seu scholam theologiæ secreto secedere, ibique coram devotissima ejusdem sancti Doctoris imagine longas orationum horas transigere, se flagellis ad copiosam usque sanguinis effusionem cædere; ibi apostolicum concipiebat et fovebat spiritum, quo plenus in plateas civitatis prædicaturus exibat; ibi E
seraphicam dilectionem illam, dulcemque et benignam, qua se cunctis amabilem reddebat, conversationem et longanimitatem a tanto sibi impetrari et communicari patrono merebatur. Ibi non semel visus est cœlestibus quibusdam mirisque splendoribus circumquaque discurrentibus illustrari; quam grata vero sibi forent devoti sui Francisci obsequia S. Doctor ostendit, dum ipsum eadem sui obitus die *b* ex hac vita migrare, a di- b
vina consecutus est bonitate.

ANNOTATA.

a *Hujus pii viri elogium vide apud Hueberum in Menologio Franciscano ad diem* VII *Julii col.* 1356.

b *Sanctus Bonaventura obiit* XV *Julii, ut ostensum est in Commentario prævio ad ejus Acta, adeoque hic fallitur scriptor Vitæ, nisi forte dicere vo-* F
luerit, eum sancti Doctoris festo obiisse, uti postea indicat.

CAPUT XI.

Fervens illius oratio, profunda rerum cœlestium contemplatio, ecstases et raptus.

Rerum cœlestium contemplationi deditus

Orationis et contemplationis donum servo suo Francisco Deus tam liberali profusione concessit, ut omnes ipsius gradus, effectus ac prærogativas, quantum mortalis infirmitas patitur, attigisse comperiatur. Quoniam vero (divina tamen præveniente gratia) ad hanc sublimitatem

per

A per aliquam cooperationem se homo disponit, ideo quid in hoc exercitio egerit Franciscus, quidve cooperando contulerit; deinde quid Patris cœlestis benigna largitate sit assecutus, est aperiendum. Animam, quæ arcanæ contemplationis montem contingere, et ad supremum unionis culmen pervenire cupit, creaturas fugere, sensuum fenestras claudere, sibi interius vacare oportet. Præsentiæ divinæ familiarem habeat considerationem, horas mentali exercitio non paucas assignet; uno verbo carnem, mundumque despiciens, se totam Spiritus sancti voluntati motibusque subjiciat.

sublimem orationis

127 Hoc, præveniente et adjuvante Patre luminum, potest homo mortalis; hoc et Franciscus Solanus divino fretus adjutorio præmisit : erat enim illius conversatio cœlestis, et quantumvis inter humanas solicitudines, adeo tamen familiarem sibi orationis internæ consuetudinem fecerat, ub ab ea nullo vel dierum, vel noctium intervallo cessare videretur. Interiorem ipsius animæ pacem, nulla cura, nulla molestia turbabat, et seraphici Patris doctrinam edoctus animam in corpore, quasi eremitam in cella quietam et solitariam, tenebat. Ex illo sacræ orationis amore effluebat quasi rivus a fonte seculi fuga, et solitudinis desiderium : non enim nisi obedientia jubente, vel charitate suadente prodibat in publicum; tuncque, ne amicam perturbaret contemplationem, ex occurrentium materialium specierum intuitu ad divinæ pulchritudinis consurgebat effigiem, et per impressa creaturis vestigia ad infinitam Creatoris pulchritudinem deveniebat.

gradum attigit,

128 Solebat præterea Vir Dei determinatas sacris orationibus horas destinare : sæpe namque dum in conventu S. Francisci Limæ habitaret, visus est hora noctis undecima (illa nempe, quæ mediam noctem præcedit) usque ad quartam matutinalem sanctæ contemplationis exercitium in choro protrahere. Nulla umquam ipsum infirmitas, nulla occupatio, aut labor a persolvendis orationum temporibus avocavit; sæpe noctes integras insomnis, diesque perpetuo jejunus in suavi cœlestium consideratione transegit; et ut R. P. Alvarez de Paz *a* tom. 2, lib. 5, cap. 13, de Viro Dei loquens ait : » Diligebat secretum, » ac secum commorari, nisi gloria Dei aliud de- » posceret, rebus omnibus præponebat, ibique » assiduis precibus et divinorum contemplationi » vacans, non raro ecstases et raptus patiebatur : » hisque epulis assuetus sæpe noctes insomnes » in suppedaneo summi altaris apud Dominum, » in Eucharistia absconditum, traducebat, et » manu lyram parvulam pulsans, et ore psalmos » canens, atque corde cœlestia delibans perno- » ctabat ».

et in rerum divinarum meditatione

129 Cum ergo vir Dei Franciscus aquas in vitam æternam salientes (quæ sitientibus in oratione conceduntur) animo tam ardenti sitiret, non mirum si Deus, qui non improperat, eas ipsi dederit affluenter, ac ipsum orationis perfectissimæ dono effecerit admirandum, ut ex sequentibus patet. In primis namque continuam Servi sui in rebus cœlestibus attentionem, ecstasibus illis frequentibus, quas animæ totaliter a terrenis avulsæ experiri solent, decoravit. Videbatur enim Vir Dei, dum superna contemplaretur, terrestrem reliquisse mansionem, et, corporeæ molis nexu dissoluto, animam ad sidera transmisisse. Vocantibus quippe tunc surdus, occurrentibus cæcus, interrogantibus mutus, et a sensibilium imaginibus objectorum abstractus, contemplationis dulcedinem copiose degustabat, et teneritudinis abundantia perfusus liquefieri putabatur. *EX IMPRESSIS.*

130 Quadam die dum columnæ claustri Limani innixus in seraphici patris nostri Francisci devotam imaginem, altari cuidam ibidem appensam, oculos defixos teneret, transivit forte pius et gravis Religiosus, qui dum se a Viro Dei (juxta solitum) ut qui olim guardianus ejus fuisset, reflecteret, honore salutationis non præveniri, ipsum propius accedens vocavit, brachium apprehendit ac strinxit; ille tamen nec voci respondit, nec tactum sensit. Aliquando vero dum sic abstractus colloquio interesset divino, nec tamen penitus sensuum operatio vacaret, eidem vocanti pro responso ferebat : Glorificetur Deus, amemus Deum; et hæc in fervore spiritus repetens veloci extra se raptu exibat. *ecstases,* E

raptus

131 Est et aliud raptuum genus, quo non solum animalibus spiritibus aditum, ne in sensus transfundantur, fervens cœlestium attentio præcludit; sed et ipsa anima objecti, sibi in summa amabilitate ostensi, desiderio abstracta, ipsum (cui annectitur) corpus secum adducit, et gravem carnalis ponderis molem superans, spiritus ad Deum quasi ignis per accensos potentiarum motus ascendens, materialem in aera secum transfert compartem. Hoc est liberalissimi Dei donum, quo servi sui Francisci Solani præmiavit obsequia : sæpe enim in aera elevatus, spatia non parva miro volatu transcurrebat.

aliosque hujuscemodi favores

132 Semel in vigilia solennis indulgentiæ Portiunculæ post exceptas plurium pœnitentium confessiones, cum in infimo ex duodecim gradibus, quibus ad altare majus monasterii Limani ascenditur, coram sanctissimo Sacramento oraturus genua posuisset; repente a Patre Claudio Ramirez de Sosa, ejusdem Ordinis religioso. et conventus de Caxamalca *b* guardiano, visus est in summo præfati altaris culmine abstractus et in ecstasim raptus, moxque eodem situ et genuflexus ad locum, unde exierat, per aera revertisse. Dum Limæ in conventu Recollectionis moraretur, aliquando contemplationis impetu tractus, a choro superiori usque ad majus altare per centum pedum distantiam in aere elevatus pervenit, ibique seriæ orationi vacare repertus est; sic et dum Truxilli inhabitaret cœnobium, aliquoties a solo semi-ulnæ mensura, spiritus fervore elatum apparuisse, fama civitatis indubitata promulgavit. *b* F

a Deo obtinuit.

133 Cum semel in conventus Limani valetudinario Vir Dei multum infirmus jaceret, frater Ildephonsus Muñoz, exemplaris vitæ Religiosus, commissarii generalis socius, ad ejus cubiculum ipsum invisurus accessit; cumque eum coram sacra Virginis imagine genuflexum orantem invenisset, ad socii cellulam redivit. Vix eam ingressus repentinum in sancti Patris cella strepitum, quasi e tormento bellico prodeuntem, audivit, ad quem subito præfati commissarii jussu causam exploraturus accurrens, ecstaticum Dei

Servum

EX IMPRESSIS. Servum e cellula egredientem ultra semi-ulnam a terra elevatum, et hinc inde Spiritu sancto, ne in parietes et in claustri fornices impingeret ducente, volantem extensis in crucis figuram brachiis, oculis ad cœlum erectis, aspexit, ac voce magna pias Scripturæ sententias proferentem
c audivit; donec tandem Indo Tertiario *c*, forte occurrenti, amplexu tenaci adhærens, ab ecstasi reversus tantam postea virium debilitatem sensit, ut a præfatis Ildephonso et Tertiario inter manus languens, atque deficiens fuerit in grabatum delatus.

Sed inter hos teneros affectus,

134 Spiritualis lætitiæ fœtus in oratione concepti, sancti scilicet animæ exultantis clamores et voces, aut ab admiratione, aut a dilectione depromptæ, quibus humana mens impressos sibi a Deo pandit affectus, in nostro Francisco Solano maxime claruerunt. Hic enim, dum contemplationis lumine illustratus aut divinam intuebatur perfectionem, aut suæ nihileitatis aspiciebat miseriam, exclamare audiebatur : Quis es tu Deus meus, et quis sum ego ; tu totum, ego nihil? In-
B terdum vero aiebat : Mi Jesu, misericordia! Aliquando coram pretioso Eucharistiæ sacramento brachia in crucis figuram expandens, alta voce dicere auditus est : Heu! Domine, quis est, qui te offendit; quis te, Deus meus, offendit? Moxque affixo in terram ore prostratus aliud orationis genus incepit.

dulces lacrymas

135 Illis autem clamorum et vocum excessibus inseparabiles erant rivuli lacrymarum, quarum a cœlesti Largitore donum, ut compunctæ et efficacis orationis signum, acceperat : hanc namque fletuum abundantiam, seu ex cordis liquefactione, sive ex dolore manantem, solet Deus servis suis in contemplatione exercitatis largiri; nec enim deceret, ut, radiis veritatis clarescente intellectu, voluntas frigeret, et durior saxis scindi ad lacrymas doloris et compunctionis nollet. Lugebat proinde Franciscus Solanus amoris teneritudine emollitus, sed præsertim Dominicæ passionis recordatione compunctus ; ita ut non raro oculi ejus præ fletuum vehementia tumescerent.

ac divinas consolationes,

136 Quoniam autem contemplativos Deus et pœnis immissis, et voluntariis eorum castigatio-
C nibus exercet, eis sæpe suavitatem, ad quam gustandam Psaltes invitat, liberali manu concedit. Hanc profecto in oratione delibabat Franciscus, ubi consolationibus divinis abundans, totus in jubila solvebatur, quæ ne humanis oculis paterent, in secretum fugiebat. Illa etiam cœlestis favoris dulcedo ab anima plerumque redundabat in corpus, quod splendore mirabili coruscans, ex consortio sermonis Dei revertebatur, et oculos intuentium (ut supra dum de charitate, et erga sacram Eucharistiam amore diximus) perstringebat, ac aliquando in aula theologiæ conventus Limani orans quibusdam supernæ lucis radiis circumdatus apparebat ; et interdum multi vultum ejus natura subnigrum, candidiori nivis colore dealbatum viderunt.

summam animi demissionem conservabat,

137 Hujusmodi raptus, ecstases, lacrymæ, voces, nisi humilitatis sanctæ pariant affectum, dubia Spiritus divini indicia sunt ; hæc autem si adfuerit, cum eam superbiæ Pater nec parere possit, nec fovere, certissimum orationis e cœlo edoctæ et divinitus inspiratæ argumentum est. Quare Franciscus noster Solanus, quem unctio D
Spiritus sancti docebat, illum præ ceteris fructum ab oratione trahebat : sæpe enim adeo propriæ infirmitatis notitia plenus ab ea prodibat, ac tam demissum de se ipso judicium hauriebat; ut se, qui terram calcaret, reputaret indignum, ac frequenter repeteret, magnæ sibi esse admirationi, quod tam gravem (qualis erat) peccatorem terra toleraret. Alium etiam infallibilem veræ contemplationis effectum, in proximi bonum Vir Dei ab ea retraxit : hinc enim emanavit lux illa cœlestis, qua futuros eventus et abdita cordium secreta penetrabat. Magnam tandem ipsius orationis efficaciam fuisse, totius vitæ historia, et quæ infra sequentur, aperient ; dum quod humanis viribus sibi, aliisque comparare non poterat, precum suarum virtute terra marique obtinuit.

et fratribus orationis studium commendabat.

138 Cum igitur servus Dei Franciscus tam sancti exercitii in se utilitatem experientia probasset, et ipsius omnimodam in perfectionis via ambulantibus necessitatem agnosceret, eam fratribus suis enixe commendabat, ac proinde, dum
eos otiosis aliquando inter se confabulationibus E
videret intentos, temporis tam rari deperditionem dolebat; et propterea etiam aliis præesse, ne tantæ jacturæ rationem Deo reddere teneretur, timebat. Dum conventus Recollectionis Limanæ guardianus esset, arbores ab horto eradicare cogitavit; ne Religiosi, earum culturæ nimis attenti, animæ curam oratione agendam negligerent ; ac denique ulmos in civitatis ambulationem juxta præfatum Recollectionis cœnobium plantari ægre accepit ; convenientis illuc ad recreationem populi strepitu ac rumore Religiosos in sancta orationis quiete turbandos prævidens. Ex illo tandem orationis fonte Vir Dei salubria hausit in dirigendis animabus consilia, efficacia in prædicationibus verba, et prudentia in prælationibus documenta atque discreta præcepta.

ANNOTATA.

a *Is Peruanam Societatis nostræ provinciam* F
sexennio gubernavit, et singularem pietatis famam adeptus est, ut videri potest in Bibliotheca scriptorum Societatis pag. 355. *Longius* S. Francisci Solani *elogium ex eo datum est in Commentario prævio a num.* 19.

b Caxamalca *est provincia Peruviæ, primis Hispanorum bellis celebrata ; nunc municipium, in patenti campo ad radices montium situm, istius provinciæ nomen retinet. Hoc autem hic indicari existimo.*

c *Per* tertiarium *hic intelligo laïcum, qui habitu ab aliis fratribus distincto indutus conventui servit, ut postea in Ordinem admittatur. Tales tertiarios Ordinis Minorum etiam interdum vidimus in nostro Belgio, et alibi vocantur* donati. *Plura de similibus, qui sese ministerio cœnobiorum offerunt, vide apud Cangium in Glossario ad vocem* oblati.

CAPUT

A

CAPUT XII.

Summa ejus caritas erga proximum, prompta obedientia, religiosa paupertas, et angelica castitas.

Caritas ejus Amoris Dei fœtus est amor proximi : hoc etiam Vir Dei Franciscus igne charitatis exarsit, ut plura in superioribus capitulis relata testantur. Hanc enim erga homines ardentem dilectionem in Hispania, in navigatione, in provinciis Tucumani non paucis manifestavit indiciis; hanc et in Limanis partibus (ut ex sequentibus patet) non dereliquit, sed per nova quotidie incrementa intendit. Omnibus proximi B malis, plus quam propriis, tangebatur, prompta iis quærebat remedia, omnibus efficaciter succurrebat; spiritualia tamen aliorum damna, quia graviora, mentem ipsius acri dolore pungebant: unde orta est illa in prædicando, arguendo, et admonendo continua et indefessa solicitudo, quæ per totius vitæ curriculum in ipso mire eluxit.

erga pauperes, 140 Pauperes affectu tenerrimo diligebat, humiliter et benigne cum ipsis agebat, eleemosynas (quas comparare poterat) largiebatur; bonis et salutaribus consiliis eos informans et dirigens a malo avertebat, mortem famemque letalem potius perferendam, quam peccatum, Deique offensam perpetrandam, docebat. Præterea hanc dilectionem omnibus communem facere odia exstinguendo, inimicitias tollendo, ad pacem et amorem populos revocando diligenter curabat, et afflictos aut oppressos passionum Christi exemplo ad laborum tolerantiam hortabatur.

ægros, 141 In ægrotantium cura mirabilis erat : domus enim hospitales visitare, infirmorum lectos parare, vasa mundare, alimenta quædam dulcia subministrare, dolores officiis et exhortationibus C lenire, confessionem peccatorum audire solitus, ardenti charitate cunctos complectebatur. Fratrum etiam ægrotantium numquam intermisit solicitudinem, quam, quia ex regulæ præcepto commendatam, orationis exercitio sibi aliunde tam charo præferebat. Itaque præter impensissima-ministeria, quibus infirmis fratribus subveniebat, illos etiam, qua poterat, consolatione recreabat, et lyræ ac vocis suavissimo concentu laudes divinas, Matrisque Virginis hymnos decantans, eorum corda mira dulcedine afficiebat.

mæstos, 142 Cum P. Joannes de Arpeytia, qui Provinciæ duodecim Apostolorum minister fuit, Truxilli degeret, et nocte quadam importunis mœstisque cogitationibus perturbaretur; ecce quod hora noctis decima cellam ejus ingreditur Vir Dei, eumque præveniens, quid molesti pateretur, quæsivit; sibi quidquam accidisse neganti, ait : Omnia tua manifesta sunt, ego vero cantare scio; et hæc dicens lyram eduxit, quam pulsans coram sacratissimæ Virginis imagine, laudes ejus voce sonora decantavit. Finita musica, in silentio recessit, mœstumque Religiosum mira mentis lætitia perfusum, mœrore in gaudium mutato, reliquit. EX IMPRESSIS.

143 Similiter Annam Manrique, tertii Ordinis in Peruano regno primam reparatricem et abbatissam, febribus laborantem Dei Servus invisit; hæc vero intra se dicebat : Quid aliud cordis mei mœstitiam aptius quam patris Solani piissimus cantus leniret? Mentis tamen desiderium pandere verebatur. Vir autem Dei, Spiritu sibi interius loquente, devotæ mulieris cogitationem edoctus, illico tam suaves in honorem recenter nati Christi infantuli cantus emisit, ut ægra mentis consolatione repleta, exinde perfectam corporis cœperit acquirere sanitatem. Dirigendis in agone infirmis, et ad mortis transitum præparandis specialem a Deo gratiam acceperat, ac proinde ad tantæ charitatis officium non modo currere, sed volare videbatur; et qui alias silentio deditissimus fuit, tunc quasi imbres eloquia sapientiæ mittebat; uno verbo tam alacriter ministrabat ægrotis, ut nullum umquam impatientiæ verbum, vel tristiæ signum in eo fuerit deprehensum. *agonizantes* E

144 Cum Truxilli degeret, visus est nonnumquam a quadam muliere, Ordini devota, plenis annona manicis e conventu prodire; cui aliquando, quo toties pergeret, sciscitanti respondit, se cujusdam sibi dilectæ domum adire. Quo responso mulier ad curiositatem stimulata, ipsum extra civitatem egressum, ad domum vetulæ cujudam mulieris lecto detentæ, horibili lepra infectæ, a proximis et cognatis ob tetrum putredinis odorem omnino derelictæ, intrasse advertit; ubi in spiritus charitatis fervore, genibus in terram positis horrenda infirmæ ulcera osculari, deinde stans ea curare, lavare, ac abstergere visus est : tandem commendata ipsi patientia, largitis (quæ tulerat) donis, ad xenodochium inde transire; ubi lectos componebat, et, quæ supra retulimus, ministeria spiritualia et corporalia ægrotantibus impendebat. *aliosque infirmos,*

145 Circa novissimos vitæ annos in conventus a Jesu Limensis valetudinario cellam sibi ob continuas ægritudines assignatam occupavit; ibi solebat quotidie bis fratres infirmos invisere, et viliora quæque officia ardenter et humiliter exercere. Hunc et charitatis affectum ad ipsas quoque purgatorii animas extendebat, quarum pœnis tenere compatiens, eas orationibus, pœnitentiis, suffragiisque ex illo carceris ergastulo liberare, et cœlesti luci quam citius reddere satagebat; aliosque ad eadem pietatis officia frequentibus eloquiis invitabat. *et misericordia erga animas purgatorii;* F

146 Fuit tandem Vir Dei tam suavi, tamque benigna et dulci natura a supremo decoratus Artifice, ut neminem a se nisi lætitia et gaudio perfusum, ac consolatum recedere pateretur, et cuicumque ipsum alloqui, aut peccata coram eo confessione promere contingebat, miram se experiri alacritatem, cordisque quietem profitebatur. Ipsa quoque animalia, quam olim in seraphico Parente innocentiam et benignitatem probaverant, in tam digno ipsius Filio reperiebant; unde non mirum, si feroces tauros mansuefecerit, si locustas, si cyniphes vocis imperio exterminaverit, ut superius visum est. *ac benignitas*

EX IMPRESSIS.

erga ipsa irrationalia animalia.

147 Aves etiam, primitivæ, quam Adam peccando amiserat, vestigia in eo innocentiæ præsentientes, familiares et domesticas se illi præbebant : sæpe enim visus est et auditus, dum in Truxilli conventu moraretur, inter aviculas conversari, easque ad Creatoris laudes cantu promendas hortari; illæ vero quasi rationis compotes, capiti ejus, humeris, brachiisque velut arborum ramis insidebant, cum ipso divina cantica vocis naturalis concentu personabant, oblatam sibi panis in frustula conscissi annonam e manu ejus familiari rostro carpebant; harum duas casu occisas testium fidelium relatio a Viro Dei, compassione permoto, vitæ restitutas affirmant. Infestantes conventus Limensis valetudinarium formicas ita solius voluntatis imperio abegit, ut deinceps nullam infirmis molestiam, nec eorum alimentis intulerint damnum. Eadem Viri sancti benignitate allecti pisces, in supradicto euntium ab Hispania ad Indias naufragio, ultro se capiendos in hominum cibum illi offerebant : cancros etiam ad ejus usque gurgustiolum ab aquis pergentes voce benigna excipiens, aiebat : Venite, creaturæ B
Dei, ut in escam fratrum vestrorum majorum sitis.

Obedientia impulsus

148 Obedientia viri Dei Francisci Solani speculum est nitidissimum, in quo suarum quisque Religiosus contemplari poterit exemplar actionum. Nihil enim Minoritæ isti magis cordi fuit, quam per semitas obedientiæ tutas et tritas curriculum suæ professionis implere. Nemo avidius ad dignitates et honores, nullus ad seculi pompas velocius festinat, quam iste subditi vitam et inferioris gradum ambiebat; oblata, immo et collata sibi Religionis officia quoties recusaverit ac renuntiaverit, ut amicam non desereret obedientiam, exempla superius relata testantur. Quotquot vero ipsum contigit prælatis subesse, omnes una voce illum regularis observantiæ zelantissimum observatorem proclamabant; cum enim cæcam hujusmodi virtutem esse sciret, ejusque perfectionem non solum in absoluta propriæ voluntatis abnegatione ; sed etiam in perfecta rationis cæcitate consistere, omnibus superiorum nutibus prompte et alacriter obtemperabat, nec corporis debilitate aut infirmitate detentus, C
ad implenda prælati mandata currebat.

difficilia jussa exsequitur,

149 Jussus a quodam præposito, longam et difficilem aggressus est peregrinationem, licet adeo infirmus et debilis corpore, ac superveniente febre afflictus, ut ipsemet, qui jusserat, pœnitentia ductus, metuensque, ne in via deficeret, perfectis novem leucis, ut sisteret, imperaverit; addens insuper, ut conventum aliquem sibi gratum inhabitandum eligeret : ille vero ne voluntatis propriæ in aliquo sequeretur impulsum, prælatum rogavit, ut sibi, quam incoleret domum, sua prudentia destinaret. Sciens itaque quantum ex merito obedientiæ religiosis actionibus accederet pretium, opus quantumcumque parvum absque illius interventu aggredi numquam præsumebat; sed in omnibus Superioris aut mandatum exspectabat, aut licentiam petebat. Hanc tandem status regularis esse propriam innatamque virtutem, qua velut structuræ fundamento ruente, totum spirituale corruit ædificium, sine qua nec Religio, nec fraternitas esset, fratribus suis verbis ac factis efficacissimis suadere conabatur.

et ex amore paupertatis

150 Margaritam pretiosam Minoriticæ familiæ paupertatem Vir Dei impense coluit, et in ejus D
observatione se legitimum seraphici Patris filium probavit. Tunica vilis et aspera, lectus durus, cibus tenuis, jejunia fere continua, cella brevis et arcta, supellex exigua, quietis fuga, laboris amor, deliciarum et voluptatis odium, veram illam quam docuit Christus, quam seraphicus Pater in suis optavit paupertatem, in Francisco Solano peculiarem sibi thronum elegisse demonstrarunt. Solet plerumque in prælatis virtutis illius decor marcescere, dum sibi ipsis rigidi, aut nimiam in ædificiis curiositatem, aut in donis secularium largitatem indiscrete admittunt. At vero noster Solanus, dum conventui S. Mariæ angelorum Recollectionis Limanæ præesset, superflua quæque aut curiosa rejiciens nec solo pavimenta sterni, nec ostiorum, ac fenestrarum tabulas scalpello dolari permisit ; illis scilicet ornamentis sanctæ paupertatis pulchritudinem deturpari affirmans.

pretiosa munera respuit,

151 Pariter oblatas a quodam devoto seculari conventui Recollectionis duas Christi et Virginis imagines, dum quingentis nummis appretiari scivit, evangelicæ paupertatis zelator eas recipere E
noluit, ac digna Francisco Patre sententia dixit, pretium illarum fratrum mendicorum conditionem excedere; magisque gratum acceptumque Deo futurum, si in alicujus orphanæ, aut in plurium egenorum levandam miseriam converteretur. Ejusdem evangelicæ paupertatis amore peculiaria sibi oblata a secularibus, ipsius necessitati compatientibus, rerum alias Minori licitarum munera respuebat. Nonnullis ante obitum mensibus, quosdam (e quibus prædicationum materias hauriebat) viles, et parvi pretii libros ad guardianum detulit, ut eos juxta discretionem suam in usum aliorum transferret ; at tandem in ultimo agonis conflictu, ut se vere pauperem exhiberet, habitum ad sepulturam a guardiano humiliter petiit, et in eleemosynam impetravit.

et ad castitatem conservandam

152 Castitatis illibatæ florem in viro Dei Francisco angelicæ puritatis decorem imitatum fuisse, eorum, qui cum eo vivente familiariter egerant, et Religiosorum, qui confitentis peccata exceperant, fide digna assertio confirmat. Hujus quippe virtutis curam adeo cordis sui medullis impresserat, ut omnia ejus dicta et facta, aspectus ac pro- F
gressus, conversatio et actio suavem castitatis redolerent odorem; nemo modestior illo, nemo taciturnior, nullus oculis ac sensibus purior. Mulierum familiare colloquium omnino vitabat, nec umquam nisi obedientiæ, aut charitatis necessitate adstrictus eas alloquebatur; tuncque tantam visus et linguæ præferebat compositionem, ut ex ea cordis innocentiam et puritatem aperte manifestaret.

varia media adhibet.

153 Dum in provincia Tucumani populos doctrinam doceret Christianam, occasiones perversas, et gentis effrenatam ad malum libertatem advertens, locum quemdam et tractum, passibus centum a cellula sua distantem, designavit, ultra quem, ne quæcumque omnino mulier Inda transiret, nec alibi, quam in ecclesia pro confessione aut re quapiam alia necessaria ulla ipsum alloqueretur, prohibuit ; si quæ autem præscriptos limites transgrederetur, eam a doctrinæ præpositis fiscalibus puniri jubebat. Ab externis vero sensuum oppugnationibus ita per modestiam, et

femineæ

A feminea conversationis fugam munitus, domestici etiam inimici, carnis scilicet petulantiam, asperis pœnitentiis reprimebat, et per continuas corporis afflictationes ad optimum illud supremi Largitoris donum (castitatem virginalem) consequendum se disponebat. Quod equidem assecutum, plura non solum dum viveret, indicia; sed etiam corporis immutatio, candor, tractabilitas, odorque suavis probarunt. Insuper et miraculo voluit Deus Servi sui manifestare puritatem, quando crus, a medico post mortem contactum, ad se retraxit.

CAPUT XIII.

Austera vivendi ratio, maxima humilitas, et mira patientia.

B

Præter austeram abstinentiam

Quisquis humani corporis debilitatem, et carnis corruptibilis infirmam complexionem inspiciet, incredibiles quasi viri Dei Solani pœnitentias reputabit; nisi divinæ manus potentiam, in fragilitatis nostræ victoriis elucescentem, attendat: servus namque Christi Franciscus adeo durum membris suis bellum indixit, ut nullum umquam corpori levamen ac requiem impendisse videatur; in mortificatione sensuum mirabilis, oculos modestia, linguam silentio, os abstinentia domabat: numquam otiosa verba protulisse auditus est, nec umquam aures ad voces contumeliæ, murmuris, ac dedecoris aperuisse. Erat in cibo adeo rarus, ut frequenter ad biduum triduumque abstinentiam protraheret; adeoque temperatus, ut vix sustentandæ naturæ necessaria alimenta comederet: unde infirmitatibus continuis debilitatus, medicorum et prælatorum mandato ad carnis esum adstrictus, medio plerumque gallinæ jecore et modico jusculi haustu contentus, vitam, affirmantibus medicis, miraculose
C protractam ducere putabatur.

corpus suum ciliciis et flagellis cruciabat.

155 Addebat tot abstinentiis rigidam exterioris hominis macerationem: sub hispida namque et aspera veste cilicium acuminibus horrendum ferebat ad carnem, quam et flagellis asperrimis, usque ad copiosam sanguinis effusionem interdum repetitis, per singulas noctes cruciabat; ita ut ille, cui, ob sanitatem nulla umquam medicis visa est sanguinei humoris sectione fundendi copia suppetere, eodem ita frequenter violentia flagellorum expresso, parietes tingeret et pavimenta. Irreconciliabilis propriæ carnis inimicus, dum in novissima ægritudine dolores acutissimos pateretur, ac omnium fratrum in se commiserationis affectum moveret; ipse semper sibi austerus et immisericors, jucundos ad cœlum oculos elevabat, ac voce alacri dicebat: O me felicem, cui cum flagellando corpori et traditori isti vinciendo domandoque vires desint, se divina manus in mei vindictam armavit!

156 Præter illas inflictæ sibimet pœnitentiæ duras et assiduas mortificationes, incredibilia sunt quæ, et quanta in tot peregrinationibus pro Dei gloria et proximi bono susceptis Vir apostolicus toleraverit incommoda. Sciunt omnes Minoriticæ professionis fideles alumni, quam gravia juxta evangelicam normam ambulantes prædicatores mala patiantur; et quam arduo dignus sit præmio, qui sine argento, sine sacculo, sine humano subsidio, pedester et mendicus ad seminandum Evangelii verbum procedit. Per has exercitatus est vias verus Minorita Franciscus Solanus, et Limana civitate ad Tucumani provincias pergens per ardentes solaribus radiis oras, per invios montes, per deserta et horrida loca, per profundos ac rapidos fluvios; modo siti, modo fame, modo infirmitate, nunc persecutione vexatus transivit, ac tantum sex centum leucarum decursum, sicut in reditu pedester * egisse certum est, ita et eundo percurrisse indubium esse debet.

ex impressis et apostolicis laboribus

* pedestrem

157 Aliquando etiam a conventu Recollectionis Limanæ ad locum, qui Callao *a* dicitur, duabus leucis distantem missus; ut brevitatem itineris carnis afflictione redderet asperiorem, acutis sandalia clavis transfixit, quorum acumina ad pedes vergentia ipsos in viæ decursu, crudeli plaga cruentasse credendum est. Cum in conventu Limano ageret, sæpe nudis genibus in terram flexis, imbre lacrymarum perfusus, claustrum percurrebat. In ultimo agone constitutus, cum totus vehementia febris arderet, nonnisi de confessarii consilio et assensu refrigerandæ linguæ modicam aquam ausus est adhibere. Tandem seraphicum Parentem in corporis austeritate imitatus, cum ipso etiam ingenuam corpori, gravioribus pœnis ac pœnitentiis, quam naturæ debilitas pateretur, cruciato, deprecatus est veniam. Verumenimvero Deus, Servi sui holocaustum in suavitatem odoris se recepisse monstravit, dum imminente mortis periodo a profunda ecstasi reversus, auditus est in alacritate spiritus dicere: » Benedicta sint talia flagella, jejunia et » pœnitentiæ, quas tam magnum gloriæ pondus » exspectat. » Hinc pie credere licet, Viro Dei æternæ felicitatis gradum, ad quem mortificationis merito perventurus erat, fuisse revelatum.

alias carnis macerationes addebat; a

E

F

158 In humilitatis abysso eximiarum, quibus splendebat, virtutum basim et fundamentum stabile collocaverat; in hac seipsum visus est excessisse. Hæc est enim illa virtus, qua suadente toties sibi collata prælationis officia deposuit; ita ut intra quatuor menses, quibus munus guardiani exercuit, illud undecies renuntiasse comperiatur, non alio impulsu, nisi quod se ipsis omnino reputaret indignum. Hæc est illa, quæ ipsum ex Hispania non minus quam intensa charitas ad Indias perduxit; ut enim fastum bonæ famæ, quam sibi tot virtutibus (et ut quidam vir religiosus se ab ipsomet confidenter audisse refert) mortui pueri resurrectione comparaverat, declinaret ac tutius lateret, non solum ad alterius hemisphærii terras, sed in abditissimas ejusdem regiones secessit. Hæc illa est, quæ etiam dum guardiani fungeretur officio, ipsum nonnumquam in refectorium fune aut habitu ad collum alligato, et arundine per os transversa ad majorem sui contemptum et ad culparum, quas commisisse

ettamen tanta erat præditus humilitate.

EX IMPRESSIS. se putabat, veniam humiliter postulandam trahebat, et ad pedes Religiosorum calcandum prostrabat *.

* *lege prosternebat.*

ut pessime de se, optime de aliis sentiret,

159 Altissimos humilitatis gradus attigerat, dum in propria æstimatione nihil erat, nisi peccator ac homo vilis, talemque ab omnibus se reputari summe desiderabat; suam aliorum sententiis facile submittebat, nec quidquam boni de se præsumens, de aliis magnam concipiebat æstimationem, cunctos sibi præferens, nemini seipsum anteponens. Digna sunt æternæ memoriæ verba, quibus bonam, quam de fratribus suis conceperat, opinionem et reverentiam pandebat; aiebat quippe: » Dum audio fratres invicem colloquen- » tes, credo ipsos de Deo tractare; dum video » comedentes, puto ad id necessitate adstrictos; » dum demisso immodeste caputio, brachiis in- » compositis, gressuque præcipiti aut indecenti » cerno ambulantes, sic eos ab hominibus con- » temni et stultos reputari velle existimo, licet » revera coram Deo sint justi et boni. » Hujus tandem humilitatis quasi filiæ matris sunt benignitas, familiaritas, et modestia, quibus etiam minimis et pauperioribus se libenter admiscebat, neminem contemnens, omnibus amorem ac debitum honorem reddens.

B

et in laboribus ac infirmitatibus miram ostenderet patientiam,

160 Fructum legitimum perfectæ humilitatis patientiam, vir Dei Solanus in omnibus vitæ humanæ experimentis invictam servavit: cum enim se omni consolatione indignum reputaret, non solum ærumnas, infirmitates et contemptus patienter tolerabat; sed et ipsis gaudebat, Deique cantica personabat. In magnis illis peregrinationibus quot pertulerit vitæ discrimina, quoties æstu et algore, siti ac fame laboraverit; superius relata probarunt; et in his omnibus nullum egressum est ab ejus ore impatientiæ verbum. Gravissimis insuper infirmitatibus afflictus, atque doloribus continuis oppressus, fortissimo patientiæ scuto se munivit; nec umquam aut tristior, aut aliis gravior fuit, sed semper hilaris et quietus Deum benedicebat, ita ut omnibus miræ tolerantiæ præberet exempla.

C

quæ præsertim elucebat in reprehensionibus,

161 Fuit etiam Vir Dei tentationibus illis probatus, quibus et sincera humilitas, veraque patientia deteguntur; amicorum scilicet fratrum acri reprehensione non semel agitatus. Ad ejus aliquando cellam accessit quidam gravis Religiosus, et nihil tale cogitantem cœpit acriter increpare; quod homo superbus et hypocrita esset, quod omnes vana sanctitatis apparentia deciperet, addens præterea, detegendas aliquando ipsius fraudes, nec plebem semper illius simulationibus fore decipiendam. Ad hæc Vir humilis et patiens, quod talem invenerit reprehensorem, qualem olim seraphicus Patriarcha sibi formabat, exhilaratus, jubiloque perfusus ad pedes arguentis procidit, gratias egit, se vere cognitum confessus, rogavit, ut sibi ignosceret, ac pro salute animæ suæ divinæ misericordiæ preces offerret. Recessit alter compunctus, ac in bona, quam de Viro Dei conceperat, opinione confirmatus. Ingredientem ad se aliquando Virum sanctum infirmus quidam Religiosus gravis ac eruditus, cœpit hoc objurgare sermone: » Quid » ad me, hypocrita, venis; num ut me sicut alios » decipias? Vade retro, nec umquam te meo » conspectui sistas. » Haud fuit Vir Dei repentino casu turbatus, sed quia profundas in ipsius anima radices egerant humilitas et patientia, gaudio repletus, genisque risu et lætitia perfusis, in cunctis illum vera locutum alte respondit.

D

quas immerito ab aliis patiebatur.

162 Cum ab Hispania ad Indias navigaret, asperam a Religioso, sibi meritis ac gradu non pari, mira toleravit patientia reprehensionem. Quadam enim die profundæ orationi intentum ille duro rudique accentu redarguit; quod, ut privatæ consolationi vacaret, proximi bonum desereret, Nigros *b* Christianam non doceret doctrinam. Hanc Vir sanctus in silentio et mentis quiete excipiens increpationem, Christianæ fidei documentis instruxit illico Nigros barbaros simul navigantes; postmodum ore ad laudes divinas soluto, totam in devotis canticis, Deique et Virginis laudibus noctem transegit. Miratus hanc mansuetudinem reprehensor, ac confusus die sequenti veniam deprecaturus, ad Viri sancti pedes provolutus est; quem ille amore singulari complectens, quasi specialem benefactorem excepit. His et aliis probationibus palmam invictæ patientiæ reportavit.

b

E

ANNOTATA.

a Callao *est portus Limæ, et municipium, in quo sunt multa ædificia, in quibus reconduntur merces ex Europa, Nova Hispania, aliisque regionibus advectæ. Præter alia religiosorum cœnobia, est ibi etiam domus Societatis nostræ.*

b *Per* Nigros *intelliguntur mancipia, quæ ex Nigritia, Africæ regione, aliisve terris adducta, ad varia ministeria venduntur.*

CAPUT XIV.

Ultimus ipsius morbus, mira in eo patrata, ac pia mors.

F

Beatus vir in ultima infirmitate

Etsi tota viri Dei Francisci vita crux fuerit, et martyrium; tamen duobus (antequam e vivis excederet) mensibus, ut christianæ patientiæ pretio divinas acquireret promissiones, graviores sensit dolores, quibus adjuncta vehemens febris ipsum lecto decumbere omnino coegit. Veniant huc omnes Christiani, et Viri tanti exemplo viam bonæ mortis addiscant: lectulo namque decumbens, etsi viribus corporis paulatim destitueretur, animæ virtutes intendit, factus in infirmitate potentior. Erat in prospectu ejus sacra Crucifixi effigies, quem interdum alloquens gratias agebat, quod ea, quæ propria manu corpori infligere non poterat, ille inferret flagella, et de hoste ipsius (scilicet corpore) optatam reposceret vindictam. Inde ad seipsum dirigens verba, non hic exspectandam requiem fatiscentibus membris contestabatur.

A *varia teneræ pietatis indicia præbet;* 164 Ab orationis exercitio nulla eum infirmitas potuit amovere, sed in ultimis illis diebus ita contemplationis in eo volatus efferbuit, ut semper inter angelos conversari videretur, ac corporeæ necessitatis oblitus, etiam peritorum medicorum judicio, vitam miraculose tamdiu protrahere crederetur. Numquam ejus ferventior, aut prolixior oratio; nullum coram se nisi de Deo sermonem misceri, nihil nisi proficuum et spirituale legi permisit. Voluit, ut socius devotissimas eruditissimi et piissimi patris Ludovici Granatensis meditationes coram se legeret; eo tamen modo, quod interdum eum a lectione cessare jubens, Vir Dei, conversis ad Crucifixum oculis, in suavissima oratione audita ruminabat, a qua velut a somno excitatus, iterum legentem attente audiebat. Postea solutus in lacrymas, familiarem sibi præcatiunculam, GLORIFICETUR DEUS; vel aliam hujusmodi magna mentis teneritudine repetebat. Aliquando psalmos illos: LAUDA, ANIMA MEA, DOMINUM, et: BENEDIC, ANIMA MEA, DOMINO, postulans recitari; et ineffabilem in his B cordis liquefactionem sentiebat.

fervidos virtutum actus exercet, 165 Evangelium illud Joannis, ANTE DIEM FESTUM PASCHÆ, etiam sibi legi optavit; ad cujus verba, sed præsertim ad crucifixionis historiam, mire commotus, Christum patientem alloqui cœpit, et gratias agens, ejus bonitatem et misericordiam, sibi peccatori tam benigne impensam, celebrare. Hymnis quoque B. Virginis plurimum recreabatur, et in illius consideratione, jubilo et lætitia perfundebatur. Confessario suo aliquando dixit: « Adjuva me, Pater, ad Dei » laudes promendas; » moxque adjunxit: » Deus » meus, tu Creator, Rex, Pater meus, tu deli» ciæ, tu cunctæ res meæ. » Et his dictis, adeo flamma divini amoris exarsit, ut anima ad iutus conversa, totaque spiritualibus deliciis occupata, sensus immobiles, corpusque marmori simile reliquerit.

et post ecstasin 166 Quadam die, cum idem confessarius corporis ejus angustias animæ voluptate sublevaturus dixisset: « O pater Francisce, quantum erit » gaudium civitatis sanctæ Jerusalem, lapidibus » pretiosis ædificatæ, lucerna cujus est Agnus; » C ita efferbuerunt Viri sancti præcordia, ut in laudes divinas proruperit, et in pelagus contemplationis immersus, et omnino absorptus, aperto ore, oculis elevatis, corpore (quod per totum ægritudinis tempus jacuerat) erecto, extensis brachiis, decora sui compositione longam sit ecstasim passus: qui cum vocantium vocibus non responderet, solus in suavis deliquii libertate relictus est. Ab his autem excessibus, prout impressio cœlestis mentem affecerat, aliquando hilaris, aliquando lacrymabundus revertebatur.

ac raptum 167 Exorto sanctissimæ Trinitatis die festivo, in tanti mysterii cogitatione, debilitatem corporis spiritus fervore corroborans, e cella quasi alatus exivit, voce alta intonans: BENEDICAMUS PATREM ET FILIUM CUM SANCTO SPIRITU, omnes ad individuæ Trinitatis laudes celebrandas invitabat. Succedente postea Corporis Christi solennitate, a dilecto animæ suæ Agno immaculato speciali quodam beneficio recreatus est. Pater quippe Franciscus a Mendoza confessarius ipsius (qui nocte illa cellulæ ejus ostium, ipsum invisurus aperuit) solum quidem invenit, sed loquentem, EX IMPRESSIS. et multa gaudii signa demonstrantem. Audiit quoque hæc verba: VENITE, ADOREMUS ET PROCIDAMUS ANTE DEUM, sæpius repetentem. Vidit et angulum cubiculi quemdam manibus designantem, quasi Majestatem illam (quam laudabat, ad cujus etiam laudes creaturas vocabat) indicaret. Qui mox ad confessarium intuentem conversus rogavit, ut abiret, nec suave illud matutinum sua præsentia turbaret. Cui ille morem gerens, clauso ostiolo, recessit; sed tunc Virum Dei singulari aliqua Christi visione honoratum, ex iis, quæ viderat et audierat, intellexit.

168 Crescente infirmitate, visum est medicis opportunum sacri Viatici tempus; quorum sententiam significantibus sibi fratribus, respondit Vir sanctus: « Intempestive quidem, et prom» ptius; sed tam bonum hospitem Christum cito » recipiamus. » Fuit hæc dies decima quinta ante obitum ejus. Sacramento mira devotione sumpto, visus est quasi novas acquisiisse vires: quare reverendissimus P. Joannes Venido, mox E episcopus Orensis *a*, vitæ terminum diutius protrahendum existimans, Viro Dei, quod sacram Portiunculæ indulgentiam lucraturus putaretur ait. Cui ille, indulgentiam quidem dilecti sui patris sancti Bonaventuræ se consecuturum adjecit. Quibus verbis, aliisque indiciis in festo tanti Doctoris obiturum omnes intellexerunt; nec desunt pii bonique Religiosi, qui clare et distincte sic a Dei Servo prædictum affirment. Asseritque P. Franciscus de Nuñes, quod nocte feriæ secundæ, biduo antequam migraret; cum nonnulli fratres ad cellulam Viri sancti concurrissent, sibi ab eo dictum fuit: « Mone Patres, ut red» eant ad somnum; non enim hac nocte, sed » in die patris mei sancti Bonaventuræ sum mo» riturus. » *cœlesti viatico munitus diem mortis suæ prædicit;* *a*

169 Circa ultimos vitæ ipsius dies multoties auditæ, et visæ sunt aviculæ quædam in cellulæ fenestra, cantu suavissimo, et melodia insolita adstantium aures animosque rapientes: quæ cum nec strepitu, nec vocibus humanis terrerentur, ac noctibus ipsis, mediaque hieme (Julio enim mense hiems Limanis est) præter morem canerent, corpus ejus mortuum ad valetudinarii oratorium postea suaviter resonando sint subsecutæ, F mirum aliquem et plane divinæ operationis effectum portendere putabantur. *circa quem aviculæ hiemali tempore dulciter canunt.*

170 Quinto ante obitum die fratri Joanni Gomez, infirmorum curæ præfecto, ait: « Num» quid advertis, frater, magnam Dei erga me » misericordiam, qui vires mihi ad vincendum et » expugnandum inimicum suppeditavit? » Triduo mortem præcedente, ad Religiosum sibi ministrantem reflectens, lacrymans ac suspirans in hac verba erupit: « Unde hoc, mi Domine Jesu, » ut tu crucifixus, et ego servorum tuorum mi» nisterio adjutus; tu nudus, et ego coopertus; » tu alapis percussus, spinisque coronatus, et » ego tot bonis cumulatus, totque beneficiis con» solatus? » Die sequenti, præsentibus multis fratribus, exclamavit: « O Deus animæ meæ, » sis glorificatus; qualis est tua circa me digna» tio! Quod cum in desertam solitudinem quasi » stercus maleolens projici, et ab omnibus me» rear derelinqui, tunc angelis istis (Religiosis » scili- *Tandem post ferventes affectus,*

EX IMPRESSIS » scilicet) me video circumdatum, et eorum officiis tam affluenter sublevatum. Gaudeo, Domine mi, quod Deus sis, o quam suavis es! » His dictis, ad adstantes conversus, eos ad amorem divinum efficacibus verbis est adhortatus. Tandem, quidquid ad novissimum halitum temporis fluxit, totum in charitatis, orationis, et omnium actibus virtutum expendit.

et extremam unctionem ac ecstasin, 171 Die XII Julii, extremæ Unctionis Sacramento se ad agonem, ut bonus Christi miles, accinxit, atque ut facilius pauper et nudus cum nudo hoste pugnaret, laceriorem habitum in eleemosynam a guardiano impetravit; mox commendata præceptorum cœlestium et regulæ seraphicæ observantia, singulis fratribus tenerrimo amplexu valedixit, et quamquam, dum viveret, speculum sanctitatis fuisset, malæ ædificationis et vitæ parum religiosæ supplex et gemebundus veniam deprecatus est. Nocte transitum præcedente in profundam ecstasim raptus, omnium adstantium judicio exspirasse creditus, reversus tamen postea, exclamavit: « Lætatus sum in his,
B » quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus. » Ex tunc usque ad finem, visa est in facie ejus superfusa lætitia, alacritas, et venustas, ac anima ejus de bono sibi promisso exultans, in effusa gaudii signa prorupit. Dicenti sibi cuidam fratri: « Quandoquidem te, Pater, jamjam ad cœlum Deus extollet, memento mei, » dum veneris ad regnum æternum; » respondit hilari voce: « Ita est, quod ad cœlum pergo; » sed hoc ex meritis mortis et Passionis Christi: » ego enim maximus peccator sum; cum ad patriam appulero, bonus tibi amicus ero. »

immutato mirabiliter corpore, 172 Orta est denique dies sancto Bonaventuræ sacra, in qua Vir Dei debitum naturæ soluturus, non horruit ad terribilium terribilissimum, sed multis indiciis ineffabilem lætitiam pandit. Eadem die, febris continuæ (quæ corpus, exesa carne, velut aridas radices exsiccaverat) subito intemperies cessavit: oris saliva prius fœtida, jam suavem odorem emisit; manus asperæ et rugosæ, tunc candidæ et naturali redditæ proportioni apparuerunt. Adeoque novas videbatur in-
C duisse vires, ut quidam medicus, dum postea defunctum scivit, aliquo casu extraordinario (puta amoris divini, aut desiderii cœlestis violentia) exspirasse affirmaverit.

pie moritur. 173 Cum itaque Religiosi adstantes Officium divinum voce intelligibili recitarent, Vir Dei ad versiculum, GLORIA PATRI, oculis ac manibus sursum erectis, solitam jaculatoriam, GLORIFICETUR DEUS, suaviter proferebat. Finitis psalmis, symbolum fidei decantatum est, suam interim musicam et harmoniam aviculis commiscentibus; cumque ad verba illa: ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE ventum est, insonuit etiam ecclesiæ campana signum elevatæ Hostiæ in Missa solenni S. Bonaventuræ. Tuncque Vir sanctus ad Crucifixum intentus, manibus in crucis figuram compositis, devotam oratiunculam, GLORIFICETUR DEUS, cum anima ad Deum ejaculatus est, et dormienti similis exspiravit die XIV Julii, S. Bonaventuræ
b festo *b*, anno vero millesimo sexcentesimo decimo, ætatis suæ sexagesimo primo. Corpus a fratribus curatum, circa meridiem ad valetudinarii oratorium juxta morem delatum est.

D

ANNOTATA.

a *Suspicor, scriptorem Vitæ ex voce Hispanica* Orense *perperam fecisse Latinam: hæc enim episcopalis Gallecia urbs, Compostellano archiepiscopo subjecta, et vulgo* Orense *dicta Latine apellatur* Auria, *vel* Amphilochia *et interdum* Aquæ calidæ Cilinorum, *estque sita ad Minium fluvium, ubi etiamnum exstant calidi fontes. Hæc est probabilior geographorum opinio. Quidquid sit, ego alium episcopatum Orensem, seu potius Auriensem invenire non potui.*

b *De die obitus difficilem nodum proposuimus in Commentario prævio num.* 2 *et* 3.

MIRACULA E

AUCTORE EODEM TIBURTIO NAVARRO

Collecta ex processu beatificationis, aliisque hujusmodi instrumentis *a*. a

CAPUT I.

Varia beneficia, quæ die obitus et sepulturæ beati Francisci Solani multis ejus opem implorantibus concessa sunt.

Virtutibus se homo, dum vivit, Dei servum fidelem probat; grata sibi hominis fuisse *Varios a capitis dolore,* F obsequia, post mortem Deus miraculis manifestat: ita profecto se circa dilectum Famulum suum divina munificentia gessit, quem in ipso obitus die voluit miris operationibus coruscare. Dolebant gravissimo capitis dolore patres Joannes Sedano, et Ludovicus Pacheco Observantes Minoritæ, cum ipso mortis Francisci Solani die, ille sacras defuncti manu suo reverenter capiti imponens; hic quamdam ejusdem reliquiam devote contingens, subitæ liberationis gratiam receperunt. Nec minus se in alios fratres suos beneficum Vir Dei exhibuit: nam, testante P. Francisco de Mendoza prædicatore, inculpatæ vitæ Religioso, eadem die quidam fratres in valetudinario ægritudinibus detenti, salvi et incolumes evaserunt.

2 Cum Christophorus Vivas jamdiu asthmatico dolore laboraret, tentatis frustra humanis remediis ad opem divinam confugit, et coram Francisci Solani corpore humiliter genuflexus oravit. *asthmate.* Exaudita est humilis ejus deprecatio: nam Servi Dei intercessione liber recessit.

Similiter

A Similiter et Anna de Prado, a decennio asthmatica, acutam febrem, et acutum lateris cruciatum nonnumquam patiebatur. Hæc nullo sublevata remedio, audita felici P. Francisci morte, ipsum pro salute deprecata est, et tunicæ ipsius particulam pectori devote admovit ; ad cujus contactum subito convalescens similem numquam imposterum ægritudinem sensit, licet sæpe a præscripta sibi vitæ ratione in tantum deviaverit, ut antea ex minimo horum excessu molestias quasi letales experiri soleret.

Ventositate, 3 Joannes ab Azana mercator jampridem ventis intra præcordia conclusis gravatus, nec corpus erigere poterat, et quibusdam membris intumuerat. Hic coram sacro cadavere genuflexus orans, ut manus et pedes devote osculatus est, se liberum vidit.

febri, Eadem die Franciscus de Avalos Tinoco, cum a multis mensibus tertianam, ac interdum quartanam cum vehementis frigoris crebro accessu febrem pertulisset, ut P. Solani corpus invisit, manibus et pedibus oscula infixit, habitus ejus
B et chordæ præsegmina collo suo reverenter apposuit, quam imminere putabat febris molestiam, nec tunc, nec imposterum sensit.

fluxionibus, 4 Semestris puella, Joannis Stephani Perez, et Antoniæ Ortiz de Vargas filia, ob nervorum tumorem manca facta est ; accessit et vehemens fluxio in brachium jam læsum, fletus ab ea lugubres extorquens. Afflictus filiæ malo parens ad conventum sancti Francisci, quamdam P. Solani eadem die defuncti reliquiam petiturus, accurrit : obtentum tunicæ parvum fragmentum, ægrotantis puellulæ partibus læsis reverenter approximavit ; ad cujus contactum subito nervorum contractio desiit, fluxio cessavit, et infantula perfectum manus brachiique usum recuperavit.

iterum febri, 5 Puer septennis, Joannis de Esquibel filius, alternis intensi frigoris, et vehementis caloris vicibus in febrem periculosam deciderat ; cum eo, quo Vir Dei migrabat momento, exclamavit : Deferte me ad patrem Solanum ; quia ille me sanabit. Delatus itaque ad oratorium, in quo corpus expositum erat, manus illius et pedes devotis osculis est veneratus ; moxque levamen sen-
C tiens, domum alacer et gaudens reversus est, nec malo hujusmodi ultra laboravit.

tumore, Ludovicus Laurentius de Esquibel, duodecim annorum puer, gravi infirmitate, quasi obstructione oppressus, ita circa stomachi orificium intumuerat ; ut a medicis moriturus crederetur. Verum eadem die, qua Servus Dei debitum naturæ persolvit, tunicæ ipsius particulam a quodam Religioso accepit, quam nocte sequenti ad turgentes stomachi fauces confidenter admovit ; mane autem consurgens, se sanum a tumore invenit.

urinæ detentione, 6 Catharina de Armenta, uxor Joannis Martini de Vivas, diuturna stranguria, seu urinæ detentione laborans, cum nec cibum, nec somnum capere posset, a medicis derelicta morti proxima credebatur, jamque sepulturæ ipsius necessaria parabantur : cum ingrediens ad illam Joannes de Villavicentio, mortem P. Solani recentem annuntiavit, et ægram, ut ejus merita imploraret, admonuit. Illa itaque Servi Dei humiliter exposceus auxilium, tunicæ ejus fragmento partem dolentem tetigit, ac filum ejusdem stamineum ore deglutiit, statimque calculum cum urina ejiciens sanitati completæ restituta est.

7 Pater Didacus de Estrada, Ordinis B. Mariæ Redemptionis captivorum sacerdos, acutis et intensis febribus (quarum singulis accessionibus biduo detinebatur) laborans, nec remedium in humanis inveniens ; ipso exsequiarum P. Solani die, cum acutissimus esset capitis dolor, et vehementior æstus accretio, ad eum pro sanitate exorandum se contulit. Itaque frequentes populi turbas penetrans, et coram corpore genuflexus procumbens, ejus pedibus et manibus devota oscula consignavit, et caput illius plantis reverenter supponit. Exauditus est pro sua devotione et Servi Dei meritis : nam illico febris et dolor non amplius reversura abscessere. In cujus beneficii memoriam singulis postmodum noctibus PATER et AVE MARIA ad Virum sanctum dirigere consuevit. *febribus,*

Eleonora de Coca, Joannis Perez de Mendejar vidua, cum a triennio continuis cerebri fluxibus et rhumis afflicta, nec palatum lingua contingere, nec vocis articulos posset efferre, quamdam habitus Servi Dei reliquiam vertici suo superinduxit ; et statim, subsecuto levamine, meruit ab ægritudine liberari. *rheumate,* E

Sic et Maria Sancia eadem tunicæ præsegminum virtute, ipsa funeris die a molesto capitis dolore, et febri intensa sanata est. *capitis dolore,*

8 Eleonora de Abreu a sex mensibus profluvium sanguinis patiebatur : exquisitis medicinæ remediis non tam non diminuta, quam aucta infirmitas eam paulisper ad mortem ducebat. At præcipua mali vis ipso patris Solani exsequiarum die efferbuit. Contigit autem, ut capitaneus Dominicus de Bustinca maritus ipsius cum prorege (cujus satellitii locumtenentis officium agebat) conventum S. Francisci mane ingressus, et candorem, suavitatem, odorem, et alia superius enarrata exanimati privilegia corporis admiratus ; forte aliquas tuuicæ ipsius particulas a Religiosis dono acceperit, cum quibus domum reversus, uxorem sic periclitantem, ut gauderet, admonuit, et de salute reliquiarum patris Solani contactu obtinenda speraret. Et revera, admotis ad infirmæ ventrem sacris præsegminibus, subito profluvium stetit, et sanitas optata redivit. *profluvio sanguinis* F

9 Isabella Carillo filium latere dextro confractum peperit, cujus tanta vis ægritudinis erat, ut cum unum alteri crus admovebatur, præ vehementia doloris immutari ad mortem videretur. Itaque desperato infirmitatis in alvo materna contractæ remedio, nec quidquam unctione, vel alio medicamine juvantibus, puerum afflicti parentes sancto patri Solano humiliter obtulerunt. Cujus quoniam dies exsequiarum erat, nec ob coucurrentem multitudinem infantulum ad ecclesiam deferre audebant, particulam tunicæ Viri sancti confidenter apposuerunt infirmo ; qui ad salutarem reliquiæ contractum statim sanus, et omnino illæsus evasit. *lateris fractione,*

10 Eleonora de Sotomayor, Francisci Suarez ab Amaya uxor, intenso cruris dolore a quiudecim diebus vexata, ad Viri Dei funus licet ægre se contulit. Quo cum, nisi eo jam tumulato, non pervenisset, devotas ad sepulcrum preces effudit, *cruris dolore,*

EX IMPRESSIS.

dit, et habitus ipsius præsegmine sibi admoto, sensim a cruciatu libera, et perfectæ sanitati reddita fuit.

cordis dolore, et tremoribus corporis liberat.

Mariam Euphemiam de Pareja, Joannis de la Raya uxorem, vehemens a duobus et ultra annis cordis dolor angebat, cui adjuncti repentini corporis tremores, ex leviori quaque molestia causati. eam sæpe ad mortis fauces trahebant. Exhaustis medicinæ curis, et infirmitate ad mortem judicata, afflicta mulier, quo die tumulatus est Vir Dei, tunicæ ipsius fragmentum cordi apposuit, et devote opem ipsius imploravit; nec fraudata est a desiderio suo : nam illico integram obtinuit sospitatem.

Mulier beneficium sanitatis sibi collatum

11 Maria Gutierrez de Medina, uxor Thomæ de Herrera Escalona, struma gravi in modum carcinomatis sub sinistro brachio erumpentis afflicta; cum in cura medicorum multas frustra per duos circiter annos expendisset facultates, ac adeo brachium intumuisset, ut illud pectori admovere non posset, ad sacrum Servi Dei funus, licet admodum difficulter, accessit. Cujus pedes reverenter osculata, ex iis (quæ in corpore vidit) sanctitatis indiciis, ipsum sibi potentem apud Deum intercessorem futurum sperare cœpit : quamobrem fide animata, emplastra sibi a chirurgo ministrata extraxit, et in manus Joannæ Franco sociæ et adjutricis suæ deposuit, et pro iis aliqua habitus Servi Dei particula turgentem strumam contexit; ipsum interim humiliter exorans, et se singulis unius anni quartis feriis in honorem ipsius jejunaturam, et rosarium recitaturam promittens. Adfuit devotæ mulieris orationi servus Dei Franciscus, eamque, resoluto penitus tumore, et dolore represso, mirabiliter sanavit.

celans punitur, et illud promulgare statuens sanatur.

12 Cum autem post octodecim annos a judicibus apostolicis ad inquirenda Servi Dei miracula deputatis, omnes (qui haberent perspecta) ea juridice declarare, promulgato in ecclesia cathedrali edicto, juberentur, hæc acceptæ sanitatis beneficium fideli testimouio promere detrectavit. Quæ in pœnam ingratæ memoriæ iterum pristino dolore et recrudescente carcinomate afflicta flagellum Dei agnovit, et ad sancti Viri sepulcrum pergens culpabilis silentii veniam, et inflictæ pœnæ medelam poposcit, et salutis olim sibi mirabiliter restitutæ juridicam vovit declarationem. Placuit Deo promissum, et statim struma renascens abscessit ; mulier vero coram judicibus apostolicis cum Joanna Franco sinceram et diligentem totius successus edidit confessionem.

Virum a mala consuetudine,

13 Non solum autem se viri Dei Francisci virtus ad corpora, sed et in ipsas mentes extendit. Erat quidam in civitate Limana adeo inveterato consuetudinis perversæ jugo subactus, et a triginta annis in horrendum peccatum proclivis, ut se nulla vi ab eo retrahi posse affirmaret. Hic ad Francisci Solani exsequias cum plebis affluentia concurrens, ad corpus accessit, intra se dicens : Si Vir iste sanctus est, me ab hujus vitii nexibus liberabit. Dum ergo ejus se precibus et meritis propterea commendaret, et pedibus sacris oscula devota infigeret, repente in virum novum mutatus, corde liquefieri, contritionis dolore intus urgeri, peccati deformitate et divinæ justitiæ flagellis terreri, ac misericordiæ cœlestis consideratione recreari se sensit. Et inde statim exsurgens confessario latentia conscientiæ vulnera patefecit, atque a dura peccati lege per Servi Dei auxilium liber evasit.

et mulierem ab inveterato odio liberat.

14 Mulier quædam ex præcipuis civitatis, tantum a duodecim annis erga quemdam hominem, extremæ sibi paupertatis auctorem, conceperat odium, ut ad illi condonandum nulla umquam ratione a viris religiosis potuerit adduci : imo etiam mortuo continuis imprecationibus maledicebat, ei quam ipsa sumere non poterat, a cœlo vindictam petebat. Quæ, cum ad Servi Dei exsequias venisset, ac sacros illius pedes et manus propius accedere conaretur; refulsit subito lumen in habitaculo cordis ejus, et interius illustrata sibi tacite exprobare cœpit : Quomodo, cum sim tot peccatorum rea, Sancti illius pedes contrectare audebo? Et ad illum conversa, rogavit, ut pro se ad Deum intercessor existeret, quatenus ope divina, odium a corde deponeret. Mox sacram Viri Dei manum osculata, eam cordi suo apposuit. Ad tam felicem contactum lapidei pectoris est emollita durities ; fugato odio, amor successit, et tranquillitas aversioni. Ac deinceps non vindictam, sed veniam ; non calumniam, sed bonam famam defuncto inimico conciliare solicita fuit.

Honorare Servum Dei detrectans punitur, et pœnitens sanatur.

15 Quantum vero in Servi sui amicos et veneratores se munificum exhibuit Deus, tantum se in ejusdem contemptores severum vindicem Michaelis Gomez artificis sellarii castigatione probavit. Hic enim non solum defuncti corpus cum tota populi frequentia visitare noluit, sed etiam aliquo modo despexit ; nocte vero illa, cum se gravibus et letalibus molestiis sensisset turbatum, die sequenti ad conventum sancti Francisci se contulit, et pedes sacros est osculatus. Ex illo osculo, non eam, quam alii devoti suavitatem, sed fastidium stomachi, et horrorem percepit. Domum reversus lectulum conscendit, nec, quam optabat, quietem invenit : videbatur sibi interim venerabilem P. Solanum præsentem videre, et sibi hæc objurgantem audire : Quare, cum sis terra et cinis, ad pedum meorum osculum exhorruisti? Cave tibi, et quid inde tibi continget, videbis. Altera vero die factus est omnis miseriæ simulacrum, claudus et debilis cruribus, oris situ deformis, dentium gingivis pallens, et toto corpore velut truncus immobilis. Agnovit occasionem inflicti flagelli, et ad Viri sancti præsidium se devota prece convertit. Uxor quoque ejusdem aliquas sacri Intercessoris reliquias marito reverenter admovit, ad quarum contractum rediit os ad pristinum situm, et omnis ægritudo recessit ; excepto tamen, quod in aliorum exemplum aliquamdiu sine fulcimentis ire non potuit, donec ab eo, a quo instantaneam receperat aliorum curationem, istius etiam infirmitatis integram paulisper obtinuit sanitatem.

ANNOTATA.

a *Vide quæ supra diximus in Commentario prævio num.* 1.

CAPUT

A

CAPUT II.

Quædam personæ religiosæ intercessione ipsius sanitati restitutæ, et multi pueri a morte ressuscitati, variisque morbis erepti.

Vir sanctus a podagra, a

Venerabilis Christi famulus frater Andreas Corzo *a*, acri podagræ molestia cruciatus, ab anno et medio absque baculo incedere non valebat. Hic braccas (quas sanctus pater Solanus dum viveret) gestaverat, vix induit; cum subito se liberum sensit, et licet octoginta annis provectus, tamen sine fulcimento deinceps ambulavit.

B Sic et quidam alius Religiosus habitus servi Dei Francisci particula graves podagræ dolores exstinxit.

stomachi

Frater Joannes Gomez, conventus Limani infirmarius, stomacho graviter laborans, se, quo Servus Dei olim usus fuerat, flagello reverenter contexit, et statim convaluit, quod et in multis aliis infirmitatibus salubre invenit.

malo,

A similis etiam ægritudinis, multorumque aliorum cruciatuum malo pater Franciscus de Mendoza Minorita prædicator, tunicæ Viri sancti præsegminesanus evasit.

abscessu

17 P. Joannes Rodriguez de Saavedra, conventus S. Mariæ Angelorum Recollectionis Limanæ guardianus, abscessu et febre vehementi decumbens, applicato sibi Viri sancti sagi fragmento levamen illico, mox integram sanitatem, recepit.

et febri,

Sic et P. Hieronymus Ildephonsus a Turre periculosa febre vexatus, sepulcrum Servi Dei visitavit, et apposita sibi habitus ejus reliquia, convaluit.

cruris læsione,

Fr. Antonius Lopez laicus cruris dolorem et læsionem adeo gravem patiebatur, ut nullo remedio potuerit sublevari; conversus autem ad

C patris Solani merita, in ejus memoriam PATER NOSTER, ET AVE MARIA semel recitavit, et statim dolor et læsio cessarunt; et pede, quem prius in terram collocare non poterat, cœpit commode ambulare.

doloribus variis,

18 P. Franciscus de Torrez, conventus Truxilli guardianus, præter acutissimos cruris et humeri dolores, alia quoque secreta et periculosa infirmitate afflictus ad baluea provinciæ de Caxamalca a superioribus pro cura transmissus est. Quo ut appulit, sibi datum habitus Francisci Solani præsegmen ad partes dolentes apposuit, et pia supplicatione ipsum sibi (dum olim viveret) amicum, jam fieri advocatum rogavit. Et ecce subito tantum lenimen sensit, ut absque ullo humano remedio ab omnibus morbis sanus evaserit.

pedis dolore.

P. Joannes Sedano ob vehementem pedis dolorem, nec stare, nec sedere, nec jacere poterat: qui pannum, viri Dei Francisci Solani corporis tactu sacratum, ut ægro pede tractavit, illico sanitatis compos fuit.

ex impressis tentatione contra castitatem,

Quidam alius frater, acerbis contra castitatem tentationibus impetitus et pene prostratus, fune, manibus Viri sancti defuncti contacto, se præcinxit, et illo puritatis cingulo libidinis humorem exstinxit.

oculorum

19 P. Blasius, sacri Prædicatorum Ordinis religiosus, exhaustis pro medela oculorum humanis remediis, ex pulvere, sepulcro Viri Dei inhærente, lutum fecit, eoque oculos linivit; et statim potenti Francisci Solani intercessione humor defluus stetit, oculorum acies purgata et roborata est. Idem quoque, jam in necessitatibus corporis opem ejus expertus, in spirituali quadam angustia ad eum recurrit, et statim consolationem optatam impetravit.

morbo,

P. Ludovicus a Guadalupe, ejusdem S. P. Dominici Ordinis alumnus, a quadriennio oculorum dolore ob continuos humorum defluxus laborabat, et unius præsertim claritatem ex copia fluxionis amiserat. Hic cum sacrum Francisci Solani cadaver quodam rosario attigisset, in conventum reversus crescere molestias sensit; ita ut oculos ad matutinas horas legendo solvendas E aperire non valeret. In illa angustia virum Dei Franciscum sic allocutus est: " O pater Francisce Solane, si vis me de tua sanctitate (quam " publica fama celebrat) omnino convincere, fac " tuis precibus, ut Deus ab hæc infirmitate me " sanet. " Vix hæc cogitaverat, cum palpebras movit, motas aperuit, facile legit, et ab ægritudine penitus liber remansit.

surditate,

20 Soror Andrea de Jesu, Religiosa professa monasterii sanctæ Claræ, ab uno anno surditatem nullo remedio sanabilem contraxerat; quæ dum Francisci Solani auxilium humiliter imploravit, et ejus meritis auditus beneficium pro majori Dei obsequio sibi restitui petiit, desiderii compos effecta est: nam cum ipsius tunicæ particulam per biduum ad aures tulisset, hoc elapso, repente stepitum aliquem et fragorem quasi crepitaculi audivit, et statim perfectum auditivæ potentiæ usum accepit: quæ in tanti boni gratitudinem singulis noctibus bis SALVE REGINA in sancti Patris Francisci Solani memoriam imposterum recitavit.

frontis dolore.

Soror Beatrix de Illescas, monasterii Incarnationis professa, acutum in fronte dolorem F patiebatur, cujus continuis molestiis lecto detenta, ut viri Dei Solani celebrem didicit sanctitatem, ei se devote commendans parvum ejusdem tunicæ præsegmen assumpsit; cujus virtute ipsamet nocte putridum ex ore abscessum evomuit, et subsecutam inde sanitatem Intercessoris sui meritis semper adscripsit.

et cruris molestia sanat.

Alia ejusdem conventus monialis Bernarda de Caravajal, cum a coxendice usque ad medium cruris tam intenso cruciaretur dolore, ut quiescere omnino non posset, servi Dei Solani reliquiæ efficacia optatam consecuta est sospitatem.

Duæ

21 Secundo post Viri sancti felicem transitum die, puellula quædam gravi infirmitate interiit; quam mœsti parentes patris Francisci Solani meritis sibi reddendam sperantes, caputium ejus super defunctæ cadaver, cum de ipsius funere ageretur, extenderunt. Et ecce postea, illis sacram reliquiam tollentibus, ut corpus pro sepultura involvereut, subito infautula lugere cœpit, et

EX IMPRESSIS. et novam Intercessoris tanti virtute adepta est vitam.

Puellæ In civitate Truxilli, et domo depositarii generalis Gaspari de Giles infantula biennis ex alto quinque contignationibus solario in impluvium, lapidibus stratum, decidit; et casu tam gravi extemplo occubuit, et sic misere enecata in altum cubiculum delata est. Aderat inter alios repentinæ mortis compatiens Catharina Gomez vidua, quæ reliquiam habitus viri Dei Solani ad caput defunctæ confidenter admovit, et pro ejusdem resurrectione deprecata est. Exauditur subito oratio mulieris, et hora jam a casu elapsa, puellæ animula in corpus, quasi a somno excitatum (cunctis obstupescentibus) reversa est; nec in ea ullum læsionis vestigium remansit.

et duo pueri b c 22 In valle de la Nasca *b*, sexcentis *c* leucis a Civitate Regum distante, puerum quemdam Nicolaum, Joannis Home et Isabellæ Rodriguez filium, febre vehementi correptum, adeo mortales angustiæ repente occuparunt, ut pedibus manibusque perstrepens, inde crura quasi post luctam mortis extendens, vultu immutatus, ac *B* sensuum usu per quadrantis spatium privatus exstiterit. Illum apprehensum desolatus genitor, ut ex manifestis indiciis, omniumque adstantium judicio exspirasse non dubitavit, dolens et lugens lectulo deposuit. Tuncque recordatus viri sancti Solani et miraculorum ejus, alte exclamare cœpit: « O beate pater Francisce Solane, redde « mihi vivum filium; et ego beneficii non ingra- « tus, ad sepulchrum tuum novemdiales stationes « me acturum polliceor, tuque semper mihi pe- « culiari devotione charus exsistes ». Vix hæc voverat, cum puelluli oculos aperiri, et hinc inde suaviter verti, facici colorem innovari, genas roseo rubore perfundi, corpus, exstincto febris calore et ægritudine repulsa, sanum vegetari cuncti circumstantes non sine stupore viderunt.

a morte suscitantur. 23 Petrus da Figueroa puellulus, Isabellæ de Torres filius, anno MDCXIV per duos menses acutis febribus agitatus, tandem quadam feria quinta ante auroram exspiravit, ut certis experientiis signisque compertum est. Hujus mater mœrore confecta exanime corpusculum ad capellam servi *C* Dei Solani detulit, ibique cum lacrymis et singultibus ferventes pro filioli resurrectione orationes effudit. Nocte superveniente, nondum exaudita, et in fidei firmitate probanda, relicto in præfata capella cadavere, domum revertitur. Mane diei Veneris exorto, iterum illuc se conferens filium adhuc exsanguem et mortuum adinvenit. Renovatis propterea ejulatibus, Missæ ibidem mox celebrandæ stipendium dedit. Itaque dum Sacrificium Deo in Servi sui invocationem offertur, et ad secundam hostiæ immaculatæ elevationem pervenitur, puer lugere incipit, et mamillam sugere: cum quo vitæ reddito Deum laudans, et jubilans mater ad propria rediit. Ille autem sibi restituta lucis usura per multos postea annos potitus est.

Pueri varii febribus, obstructionibus, 24 Puer septennis, filius Domini Joannis de Cespedes, et Isabellæ de Camargo, a duobus annis febri quartana, et frequentibus obstructionibus laborabat, quibus a trimestri febri tertiana duplici superaddita, in manifestum vitæ discrimen medicorum judicio devenerat. Desperata *D* ergo ipsius salute, cum die quadam æstus vehementia ultra solitum efferbuisset, afflicti parentes illum ad S. P. Solani sepulcrum detulere; ubi humiliter orantes, novemdiales, si salvus evaderet, se acturos excubias promiserunt: moxque infirmo, quadam ejusdem Viri sancti reliquia apposita, omnis ægritudinis labes abscessit.

et mortis periculo, eripiuntur. Cum puellulus quidam triennis, servæ capitanei Petri de Azaña filius, periculosis fluxionibus ægrotaret, incauta mater vestimentis exutum in fossa incili lavit: quem subito frigoris rigor ita penetravit, ut (cum jam debilis esset) statim deliquium cordis sit passus: et ob morbis indicia, in oculis, dentibus, vultuque patientia, a præsentibus creditus est exspirasse. Ad hæc desolata parens imprudentiæ suæ infantuli mortem adscribens, vestimenta scidit, capillos sibi evellit, et totam domum mœstis ejulatibus implevit. Hera vero illius Hieronyma de Santander habitus viri sancti Solani præsegmen summis pueri labris admovit; ad cujus salubrem contactum illico oculos aperuit, ora laxavit, et, qui vix usum loquelæ per ætatem habebat, laudes Creatoris *E* cantu suavi deprompsit.

Mulier filii sui herniam sanatam tacens punitur, et divulgare promittens exauditur. 25 Ildelphonsus de Vargas, Joannæ Ponciæ de Leon filius, a prima pueritia herniam insanabilem ex fractione contraxit; cujus cum per undecim annos usque ad decimum tertium ætatis erudeles tolerasset molestias; tandem venerabilis Servi Dei meritis, et reliquiæ habitus ejus ad partem læsam contactu, eadem nocte omnis tumor et durities læsionis cessavit. At cum præ jubilo puer beneficium acceptum celare non posset, arguitur a matre, et ne gratiam panderet, impeditur; sed ecce, quod ultor ingratitudinis Deus, adolescentulum recidivo tumore ægrotare permisit: quo flagello edocta parens, veniam silentii petiit; et patrati miraculi famam se vulgaturam promisit. Iterum ergo exaudita restitutæ sanitatis bonum filio impetravit, nec illud amplius dissimulare præsumpsit.

Puellæ 26 Isabellæ Ortiz filia bimensis, a viginti diebus acerbo thoracis dolore cruciata, et interdum acri febre exusta, nihil juvantibus remediis, moritura credebatur: quæ patri Francisco Solano *F* commendata, post emissum a matre votum de puella ad ejus sepulcrum deferenda, et Missæ sacrificii in ejus capella celebrandi retribuendo stipendio, statim suavi somno correpta integre convaluit.

et pueri Petrus de Mendoza puer quinquennis repentino et acuto dolore correptus, quo in rabiem agi videbatur, reliquiæ viri Sancti virtute subito sanatus est.

a diversis infirmitatibus Infantula quædam Limana decem mensium ventris profluvio, et superveniente periculoso malo (quem indigenæ vocant DEL VALLE *d*) in modum cancri serpente, ultima mortis indicia dabat; cum ex particulæ tunicæ Viri sancti efficacia subitam sospitatem recepit.

liberantur. 27 Multos etiam alios morti proximos, et a medicis derelictos pueros, Viri Dei merita a pluribus morbis eripuere. Nam puer biennis, Joannis de Herrera filius, repentino casu interiisse judicatus; filius Petri de Ribera, ab octoginta diebus febre, oppilatione, ossium debilitate infirmus, et medicorum sententia insanabilis; Indus

quidam

A quidam infantulus, stupore sensuum, et carcinomate ori impendente omnino incurabilis; puellula quædam Nigra vitæ desperatæ; Agnetis de Ribera filiolus ventris profluvio, et febre graviter impetitus: hi omnes tunicæ viri Dei præsegminum salubri virtute, e mortis faucibus evaserunt. Præterea Basilius puer unius anni, ad sancti Patris tumulum a febris mortiferæ violentia eripitur; Nicolaus, ob sanitatem a viro Dei receptam dictus Solanus, novem mensibus natus rosarii, quod sancti Patris corporis contactus sacraverat, efficacia a letalibus morbis convaluit. Joannis Perez, et Annæ a Cruce biennis filiola desperatam, ob febrem pertinacem, et igneos vibices corpore toto diffusos, Viri Dei meritis in Missæ sacrificio a matre commendata sanitatem recuperavit. Filius Melchioris del Castillo, et puella triennis, Antonii de Zuniga filia, ad sancti Viri sepulcrum delati, et ejus precibus humiliter crediti, malignæ febris mortales angustias prompta valetudine superarunt. Denique periculose infirmus puer quidam in oppido Truxillo ob abscessus
B gravitatem a medicis desperatus, statim ut aquam staminibus tunicæ Viri sancti superfusam potavit, fœtidam corruptæ materiæ saniem e corpore rejecit, et mirabilem adeptus est sanitatem.

ANNOTATA.

a *Hic ab Huebero in Menologio Franciscano ad diem* x *Junii laudatur, diciturque cum singulari sanctitatis opinione Limæ obiisse nonagenarius anno* 1620

b *Hæc est vallis Peruviæ, quam aliqui olim indigenis frequentissimam et ædificiis celeberrimam fuisse tradunt. Hodie ex ea Hispanis incolis plurimum sacchari provenit.*

c *Hic auctor Vitæ Latinæ non advertit ad expressionem Hispanicam: nam in Vita Hispanica lib.* 3, *cap.* 4 *expresse dicitur hæc vallis* de la Nasca *abesse a Civitate Regum* seseuta leguas, *id est* sexaginta leucis, *non* sexcentis, *ut ipse perperam vertit. Augustinus de Zarate apud Joannem de Laet*
C *lib.* 10, *cap.* 25 *scribit, hunc locum tantum quinquaginta leucis Lima distare.*

d *Infra num.* 64 *explicatur, quale sit illud malum* del valle *; sed dubium manet, an solæ hæmorrhoïdes, an vero alii morbi, qui ibi enumerantur, huic sanguineo fluxui adjuncti, ita simul appellentur.*

CAPUT III.

Variæ mulieres in periculoso partu adjutæ; duæ cæcæ illuminatæ; aliique homines promiscui sexus a diversis morbis liberati.

Variæ mulieres

Elapso non multo post Viri sancti transitum tempore, Agnes de Vascones, Petri Piuel uxor, difficilis puerperii crudeles passa cruciatus, tentatis frustra remediis, ad extremam mortis agoniam devenisse judicata est. Quam ut desperatæ salutis obstetrix vidit, ultimum facere volens suæ artis experimentum, illam in aere suspendendam dixit, ac propterea duas sibi in auxilium alias obstetrices petivit. Tunc angustiata mulier, spiritualibus animæ munita subsidiis, aliud sibi mitius pro corpore tentandum remedium duxit; ac proinde invocata viri sancti Francisci Solani, cujus ubique miracula vulgabantur, præsidio (qua se olim ille præcinxerat) chordam ad stomachum sibi confidenter admovit, et subito absque labore, cunctis admirantibus, masculum peperit. Quem deinde post duos vel tres circiter annos, cum febre aliisque variæ ægritudinis angustiis laborans a medicis desperatus fuisset, mater ad capellam sancti Viri detulit, habitu Minoritico in ejus devotionem indui voluit, et Missæ celebrationem mandavit: in qua dum filio, cui olim primam lucis impetraverat gratiam, nunc sanitatis restitui usum oraret, voti compos effecta, sancti Patris meritis incolumem domum reduxit. E

EX IMPRESSIS

29 Clara Eugenia, Matthæi Muñez uxor, cum gravida esset, acerbum febris malignæ cruciatum perpessa est, cui, nullis medicorum remediis proficientibus, mors propero passu ob superadditos puerperii dolores adesse putabatur. His in angustiis in patre Solano spem collocans, tunicæ ipsius particulam alvo reverenter sibi jussit apponi; nec frustra: nam cito peperit, et ab ægritudine sana emersit.

intercessione

Dum frater Joannes Rodriguez conventus sancti Francisci oppidi Potosi *a* janitor existeret, quadam nocte circa undecimam horam homo quidam ad ostium festinanter pulsavit, confessarium petens, qui uxoris ejus, in partus angustia periclitantis, et morti jam proximæ confessionem exciperet; insuper rogans, ut si quam sancti patris Solani reliquiam (quem olim in Tucumano noverat, et pro Sancto reputabat) haberet, sibi janitor in parturientis solamen commendaret. Dedit ostiarius panniculum, quo Dei Servus olim usus erat, eoque monuit uxorem prægnantem præcingi. Reversus ille domum fratris consilium implevit, et statim, ut conjux sacri panni contactum sensit, fœtus, qui in ventre complicatus locum exitus non inveniebat, facili partu eductus est, ita ut mulier se numquam commodius peperisse testaretur. Mane sequenti maritus successum mirabilem janitori narratum ivit, a quo et particulam panni post multam instantiam impetravit. F

S. Francisci Solani

30 Joanna Rodriguez gravida, ob picationem *b* intensos per viginti quatuor horas absque levamine perpessa cruciatus, ad sancti patris Solani auxilium confugit; cujus tunicæ præsegmen [ut] ventri admovit, subito mortuum fœtum ejecit. Die sequenti ejusdem reliquiæ efficacia aliam exanimem prolem effudit. Cum vero intra triduum nimis incaute foras in agros exiisset, altera die in civitatem, membris stupefacta, doloribus plena, et fere sensibus destituta, reportatur; cumque hac vice mortem evasura non crederetur, ad potentem Adjutorem suum recurrens, Missæ stipendium, et novemdii stationem promisit.

juvantur, b

EX IMPRESSIS. misit. Nec moram faciens, ad sepulcrum ejus se deferri voluit, ubi ore ad humum defixo humilem pro sanitate orationem direxit, ac ex adjacente tumulo terra caput aspersit. Ad hæc revertitur sanitas; domum autem reversa parum olei in Viri sancti nomine auribus infudit, et cito perfecto audivit, ac ita a cunctis infirmitatibus integre liberata est.

in periculoso 31 Maria Salazar, Joannis de Govantes uxor, anno MDCXI, ad extremas vitæ angustias partu infelici deducta fuit: nam per octo dies, continuis agitata doloribus, omnes obstetricum curas et artes exhauserat. Tunc desolata puerperæ mater funiculo viri sancti Solani eam devote præcinxit, quæ statim, mitigatis doloribus, filiam peperit, et salva remansit.

partu. Domina Floriana a sancta Cruce et Padilla acerbis partus doloribus, et vehementi febris ustione ad mortis fauces attracta, nullo mulierum obstetricantium, aut medicorum remedio sublevatur. Tunc ab hominibus desperata in divino cogitatum jactans auxilio, particulam habitus venerabilis Dei servi Solani devote contigit, cujus (B) efficacia intra paucas horas mortuum fœtum ab alvo rejecit, et libera fuit.

Duæ cæcæ 32 Maria quædam, serva Mariæ de Salas, ob continuos humorum defluxus cæcitatem contraxit. In ejus cura nullis patrona (quæ ipsam unice diligebat) remediis pepercerat; sed in vanum: nam a duobus et ultra mensibus omnino cæca remanserat. Cum autem illo tempore miraculorum P. Francisci Solani fama spargeretur, ad eum se hera convertit: quæ adjacente sepulcro ipsius pulvere obtusos ancillæ oculos de nocte implevit. Collyrium, quod naturæ nocivum fuisset, Viri sancti virtus efficax fecit: orto enim mane, abstersa caligine, et deposito sanguineo rubore, claram famulæ restitutam visionem stupefacta invenit.

illuminantur. Catharina de Origo ex gravi infirmitate lumen oculorum amisit; cui cum restituendo nullo physicorum medicamenta sufficerent, illa penitus cæca cœlestis medici opem implorans, quadam nocte tunicæ Viri Dei fragmentum palpebris superinduxit; cujus potenti virtute per totam (C) noctem quidam ab oculis aqueus humor effluxit, et, die exorto, claritatem perfectam adepti sunt.

Aliqui afflicti tumore faucium, 33 Ferdinandus del Poco copioso ad linguam et fauces fluxionum meatu tumorem acerbum ac ulcera miseranda contraxerat: quæ a decem et octo annis absque ullo remediorum lenimine passus, tandem ut aeris et climatis mutatione molestiam temperaret, ad regnum de Chilo *c* quingentis a Civitate Regum leucis distans, transivit. Ibi quinquennio absque medela transacto, iterum Limam revertitur, ubi renovatis medicaminibus nullam sanitatis viam invenit; immo a medicis, ut ad iter æternitatis se accingeret, admonitus est. His in angustiis, audita miraculorum fama, quæ quotidie divina potentia Francisci Solani intercessione operabatur, iste de ejusdem auxilio plurimum confidere cœpit: quare novemdiales in tumuli Servi Dei capella preces inivit. Cumque quotidie ejus meritis se gradum aliquem sanitatis acquirere cognosceret, in fidei fervore multam e sepulcro terram ori immissam, circa gutturis et linguæ ulcera fricando et movendo perduxit. Hoc aliquoties repetens, absque alio medicamento, (D) intra quindecim dies, tamdiu quæsitam invenit sanitatem.

34 Menciæ, Dominici de Salazar servæ caninus morsus majorem suræ partem absumpsit, *morsu canino,* cujus mox resecata a chirurgis proxima læsionis carne, ibidem letale carcinoma excrevit. Derelictam a medicis servam, jamque extremæ Unctionis sacramento pro agone muniendam, herus sibi eripi dolens, crus cereum ad viri sancti Solani capellam detulit, et Missæ illic celebrandæ stipendium largitus est. Post Sacrificium (cui devote interfuit) domum reversus, ancillam multo sublevatam reperit; quæ die sequenti e lecto sana surrexit, eique nova pro veteri carne, ab eo, qui olim carnem pro costa apposuit, restituta est.

Petrus a Texada tumentes et ulceribus saucias *exulceratis naribus,* quadraginta diebus nares, quas nulla hominum ars sanare poterat, viri sancti Solani auxilio curavit: nam quadam nocte ex habitus ejus præsegmine binas in gyrum complicatas particulas in geminam narem induxit, et mane sequenti se (E) sanum invenit.

35 Ildephonsus Mexia sacerdos in cruris dextri sura periculosi et inflammati ulceris acutos *cruris* patiebatur dolores, quibus reprimendis cum medicinæ vis infirmior esset, ægre licet magno cruciatu sancti patris Solani sepulcrum adivit: ubi post devotam orationem, in oleum lampadis, coram sacro corpore ardentis, immerso digito, ulcus facto signo crucis linivit, et statim dolor abscessit, saniei fœtor et plagæ tumor, relicta solum in signum miraculi cicatrice, evanuit.

Andreas de Hornillos bibliopola cruris plagam *plaga,* humanis curis imperviam tunicæ Servi Dei fragmenti contactu, et Joannes Rubio similem, ejusdem intercessione, sanarunt.

Petrus de Ribera scholasticus ulcus insanabile *ulceribus* ad carcinoma vergens, circa quod alia tria minora saniem copiosam manantia excreverant, Viri Dei patrocinio superavit; nam apposita cruri ejus sagi particula, cum post tres dies tibialia deponeret, decidit et reliquia, sanum ab omni plagæ molestia relinquens.

36 Joanna de Villavicencio, jam diu quinque (F) ulceribus in brachio dextro sauciata, ea a chirurgis ferro transfodi numquam sinere voluit, *in brachio* sed semper sanctum patrem Solanum pro salute deprecabatur. Interim a religioso quodam visitata, linteum, quo Servi Dei pectus fuerat fricando contactum, accepit; quod ubi ad brachium confidenter applicuit, statim jam a quadraginta diebus immotum cœpit movere, et se ad illam partem facile reclinare; ac tandem post quinque dies erupit se ipsa ulcerum putrida sanies, et ægra sanitatem comparavit.

Maria de Ribera, filia Gasparis de Ribera, ultra violentas febris angustias, excrescentes in *et manu,* manibus tumidas putredine plagas patiebatur. Quæ cum humanam operam frustra sibi videret impendi, sanctis patris Solani tunicæ præsegmen collo in medelam appendit; nec decepta est: nam cito repulsæ ægritudini salus perfecta successit.

37 Francisca Serrano de Espinosa, diuturno *sanguinis* duorum mensium sanguinis fluxu ad extremum

vitæ

A vitæ halitum deducta, ita ut nec sacrum Viaticum recipere posse videretur, facto humiliter voto de sepulcro Servi Dei visitando, illico sanata est, et intra triduum e lecto consurgens devote promissum implevit.

fluxu, Anna de Villadiego, emissa simili et novemdialium stationum sponsione, exaudita est : sed ob non impletam, in ingratitudinis pœnam, iterum eodem profluvio correpta ; cum renovasset votum, illico et renovatam obtinuit sospitatem.

epilepsia, Agnezia undecim annorum puella, Didaci Hurtado filia, a triennio frequentibus epilepsiæ concussionibus impetita, sæpe in terram repentino casu projiciebatur ; ubi miserabiliter agitata, spumam ex ore et quasi scintillas ab oculis evomebat. Augebat miseriam infirmæ, et parentum mœrorem incurabilitas mali per omnia remedia tentati : etenim spes nulla medelæ affulsit, donec ejus collo quædam habitus Francisci Solani particula in modum bullulæ appensa est : tunc enim subito, velut ignis glaciem dissolvit, sic pia Viri Dei intercessio omnem infirmitatis pertinaciam B vicit atque fugavit.

asthmate, 38 Joannes de Riberia Albañil prolixa * septennii asma, quæ ipsum singulis noviluniis ad ultimas reducebat angustias, absque remedii spe miserabiliter laborans, tandem ut, quam ab hominibus non poterat, a Deo impetraret sanitatem novemdium in Francisci Solani capella, et Missæ stipendium vovit. Prima ergo die, qua tumulum visitavit, manifeste in melius mutatam agnovit valetudinem, sicque singulas prosecutus stationes, decrescente quotidie asma *, se ad finem impleti promissi penitus incolumem vidit.

* lege prolixo asthmate quod

* lege asthmate

urinæ detentione, d Petrus de Soto, præfecti oppidi Guanici *d* primus minister, gravissimo urinæ dolore in vitæ discrimen lapsus condidit testamentum, Sacramenta novissima sumpsit ; et cum mori putaretur, habitus, quo tumulandus operiretur, est quæsitus. Hic in tam evidenti periculo, quædam tunicæ Francisci Solani præsegmina ad dolentem sibi partem applicari obtinuit ; et statim calculum emisit, salutem adeptus, quam medici, attentis morbi circumstantiis, miraculo tribuendam judicarunt.

C *debilitate artuum,* 39 Isabella de Angelis bimensi manuum, pedumque debilitate e lecto surgere, cibumque ori admovere prohibebatur. Hæc incurabili chiragræ arthirecticæ *e* morbo laborare a medicis judicata, a viro Dei Solano sanitatem humiliter petiit, quam quidem ex ejus reliquia devote tractata prompte obtinuit.

palpitatione cordis et tumore corporis, Maria Angola Nigra, serva Francisci a Cueva, miserandam cordis tolerabat palpitationem ; insuper cruribus, et toto corpore intumuit. Tot malis nullo proficiente remedio, ad Deum, qui humilium preces non spernit, conversa, viri sancti Francisci Solani intercessione salutem postulavit, et sagi ipsius parvum præsegmen sibi confidenter apposuit. Magnam mulieris fidem illico prompta a tumore et cruciatu liberatio secuta est.

stomachi 40 Hieronymus de Azevedo sacerdos longam trium annorum quartanam, et interdum a triduo in triduum immedicabilem stomachi solitus pati dolorem, patris Solani habitus reliquiam primum ori et oculis, mox stomacho, devote admovit. Extemplo somno correptus est, e quo post horam reversus, redditam sibi sanitatem cognovit, quam imposterum per multos annos morbi similes non turbarunt. EX IMPRESSIS

Doctor Emmanuel Lopez Caravantes medicus, *dolore,* quam sibi humanis artibus semel restituerat sospitatem, recidivo stomachi dolore rursus amisit : qui apposita ad stomachum patris Sancti tunicæ particula, eum, quem viventem tamdiu terrena virtute curaverat, pro compensanda sibi cœlestis potentiæ viribus opera deprecabatur. Exaudiri meruit : nam tanti Protectoris meritis redivivus dolor abscessit.

41 Anno MDCXXIV, Hollandis navibus mare australe infestantibus, inter alios Clemens miles *stupore sensuum* in manus eorum incidit, qui gravi stuporis sensuum infirmitate correptus ; cum tandem per tres dies nec cibum nec potum sumere valuisset, ab hæreticis exspirasse creditus, in mare projiciendus destinabatur. Quod ut capitaneus Christophorus Lopez de Robas ejus concaptivus audivit, suspendi projectionem rogavit ; moxque e chorda sancti P. Solani, sibi olim a marchione de Guadalcazar data, fibram eruit, et, signo crucis præmisso, hanc in os infirmantis trusit. Qui statim E oculos aperuit, escam petiit, et die sequenti cum magna hæreticorum admiratione e lectulo sanus surrexit.

42 Catharina de Nao ægrotans a medicis desperata, Sacramentis munita, et morti proxima, *aliisque* aquam tunicæ Viri Dei fragmento infusam potavit, et perfecte convaluit.

Petronilla de Escovar et Azevedo, emisso voto de sepulcro patris Solani visitando, illico ab *infirmitatibus* urgenti jecoris malo liberata est.

Joanna de Laon acuto coxendicis cruciatu vexata, cum nec moveri, nec surgere, nec sedere *variis,* posset, applicato sibi habitus Viri sancti præsegmine, repente sana exsiluit.

Joanna de Valdes febrem duorum mensium et *et* ultra pertinacem, et abscessum in jecore perpessa, tandem a physicis derelicta ultimum vitæ terminum exspectabat ; cum ecce quod ex devotæ Viri sancti imaginis super faciem applicatione levamen sensit, et die sequenti e lectulo sana consurgens, propriis manibus culcitram aptavit. F

43 Maria Magdalena, Mariæ de Miranda filia, *morbis* ab intensissima cordis palpitatione ante Servi Dei transitum contracta, nonnisi earumdem particularum efficacia post mortem ipsius potuit liberari.

Ludovica de Mendoza, uxor Philippi Gutierrez de Toledo, vehementi corporis ardore exagitata, et Maria de Campomanes annuo ventris profluvio laborans, hujus salutaris contactus virtutem sensere. *oppressi*

Capitaneus Thomas Guerrero a jecoris intensa *curantur.* vexatione, ad frigidum agoniæ sudorem perductus ; Petronilla de Sarmiento a febre et vomitu periculoso ; Maria Valguer a pertinaci octodecim mensium ventris tumore, aliisque cruciatibus ; Floriana Nigra criolla *f* ab artuum debilitate, qua per quatuor menses lectulo detinebatur ; Ludovicus quidam a prolixo sanguinis fluxu ; Isabella de Merodio a cruris cruciatu, a febris continuæ æstu, et a sanguinis profluvio ; Catharina Gomez vidua, et Anna de Valverde.

a

EX IMPRESSIS. a simili fluxu letali. Hi omnes pluresque alii ab iis (quibus affligebantur malis) devoto præfatorum præsegminum contactu salvi et incolumes emerserunt.

ANNOTATA.

a Potosi *est urbs ampla Americæ meridionalis in parte australi Peruviæ ad radices montis Potosii, qui argenti-fodinis celeberrimus est. Hæc autem civitas distat* 18 *leucis ab urbe Argentea in Occasum, a Cusco* 160 *in Meridiem, et* 360 *leucis ab urbe Boni Aeris in Occasum.*

b Picatio *a medicis vocatur depravata et vitiosa appetentia, cum nempe stomachus cibos a natura alienos concupiscit, puta carbones, coria, et alia hujusmodi. Hoc symptoma a Græcis appellatur κίσσα vel κίττα, quod significat* picam *(an non inde oritur vox* picatio ?) *quia forte hanc avem simili affectu laborare observatum est. Hoc vitio maxime laborant* B *mulieres gravidæ, ut videre est apud Gorræum in definitionibus medicis pag.* 229.

c Regnum Chilenum *(ab Hispanis vulgo nominatur* el Chile) *continuato littore Peruviæ conterminum, inter mare Pacificum, montesque ei perpetuo parallelos a vigesimo octavo usque ad quadragesimum quartum circiter altitudinis australis gradum, exigua triginta leucarum et subinde minori latitudine interjacet. Ita noster Nicolaus del Techo in Historia Paraquariæ lib.* 1, *cap.* 17.

d *Puto hoc esse oppidum Peruviæ, quod jam incolitur ab Hispanis, distatque a metropoli Limana* 50 *vel, ut alii volunt,* 40 *leucis. Vulgo appellatur* Leon de Guanuco *vel* Guanuco de los cavalleros, *ut tradit Joannes de Laet lib.* 10, *cap.* 27.

e *Voluit auctor haud dubie dicere, eam oppressam fuisse dolore* chiragræ arthriticæ *a Græco nomine ἀρθρῖτις, quod articularem morbum significat. Vocatur autem hic morbus proprie* arthritis, *quando plures simul articulos afficit, ut tradit Bartholomæus Castellus in Lexico medico.*

f *Hispani vulgo illos appellant* criollos, *qui ex* C *patre Hispano et matre Inda nascuntur. Hinc* criolla *vocatur mulier, quæ hoc modo nata est.*

CAPUT IV.

Incendia exstincta, tempestas maris sedata; et alia miracula intercessione S. Francisci Solani patrata.

Patrocinio a In valle de Guambacho *a* spatiosus est cannarum dulcium sacchari feracium tractus, circa quem ad unam et mediam circiter leucam ignis in quodam parvo nemore succensus est; qui ventorum impetu ad arundines, jam aridas et sectioni maturas, quasi ad escam dispositam delatus, magnum stragem edebat. Exstinguendo impares erant humanæ vires : immo et ecclesiasticæ preces ac exorcismi, licet alias efficaces, D tunc, divina ordinante providentia, nihil proderant : interea namque serpebat ignis, et totum absumpturus erat, nisi capitaneus Antonius Alvaredo duo sancti viri Solani tunicæ præsegmina, quæ forte penes se habebat, Martino de Ortega sacerdoti parocho flammis opponenda dedisset : tunc enim, iis in ignem projectis, subito torrens flammeus stetit, nec ultra vel parum progressus, paulatim in depopulata jam materia exstinctus, reliquam, cui imminebat, intactam reliquit.

Sic et post quindecim dies excitatum media *S. Francisci Solani* nocte ex cujusdam inadvertentia, in alio dulci ejusdem regionis arundineto vehementius et periculosius incendium, memor recentis beneficii parochus, tunicæ Viri sancti objecto fragmento repressit.

45 Franciscus Beltran aliquando ad suum can- *incendia* narium saccharinum, in valle et districtu de Santa *b* situm, accedens, inhærentem alteri dulcium *b* quoque arundinum tractui ignem, et deinde in E alium silvestrium transilientem invenit. Qui cum ob venti spirantis impulsum et ob loci contiguitatem, rei suæ jacturam certam teneret, serico panno involutam habitus sancti viri Solani reliquiam cannæ silvestris ramo appendit, dicens : « O Vir benedicte, alii in ignem reliquias projiciunt, ego vero non ita; sed eas, ut ignem arceant, huic germini affigo. » Mirabilis profecto eventus fuit, nam cum cannetum infructuosum a dulci, vix semi-ulna distaret, ac unius ad alterum folia complicarentur; ignis ad marginem hæsit, et dulces arundines, licet aridas, non attigit. Inde etiam miraculo pondus accessit, quod reliquiam et sericum velum nulla læsione effer-buerit; dum et lignum, cui appensa fuerant, et quidquid ei circumstabat, combussit.

46 Aliquando in Civitate Regum, fortuito *variis locis exorta* candelæ incendio, quoddam Marianæ de la Vega habitaculum cum omni supellectile conflagravit; arcula tamen lignea, in qua pretiosa mulieris indumenta, quamque præ ceteris comburendam timebat, ignis furorem evasit. Eventum admirati assistentes, arcam aperiunt, et primo aspectu F parvam tunicæ patris Solani reliquiam pretiosis pannis quasi custodem superpositam invenientes, rem miraculo et hujusmodi particulæ privilegio adscripserunt. Similiter alias, licet solidioris materiæ devorato pabulo, delapsum forte in ignem simile præsegmen, quasi recens abscissum, et absque levi arsura repertum est.

47 Circa annum MDCXVII, cum domus cujus- *exstinguuntur,* dam in civitate Truxillo vehementi incendio nocte conflagraret, ac tanta esset voracitas ignis, ut propter pabuli, cui inhærebat, ligni scilicet cannarum, atque trabium siccitatem, nullo remedio humano, præsertim in tanta perturbatione noctisque caligine, posset exstingui, Franciscus Fernandez cœleste quærendum auxilium ratus, particulam habitus viri sancti Solani in ignem projecit; statimque ignis quasi torrentis aquarum, aut lapidei muri objectu coercitus stetit, et a proxima materia abstinuit. Mane vero exorto, ut miraculi dignitas magis eluceret, sacrum illud præsegmen illæsum et intactum occurrit.

Tan-

A *et lampas miraculose accenditur.* Tandem, qui potuit ignem in aliorum bona grassantem exstinguere, voluit etiam exstinctum in sui honorem accendere. Semel enim lampas coram ejus sepulcro appensa, a viro et femina, ibidem orantibus et flamma destitutam dolentibus, subito igne concepto, invisibili manu accendi visa est.

Idem Sanctus quosdam 48 Omnia subsunt elementa Creatori; unde qui servo suo Francisco subjecerat incendia flammarum, submisit et aquarum procellas. Anno quippe MDCX, e portu Limano solvit navis Francisci Livii ad portum de Pisco *c* perrectura; quæ cum die prima Septembris ad vesperam, ad tractum oppidi de Canete *d*, viginti leucis a Lima distantis, pervenisset, adeo vehemens flatus ventorum exortus est, ut nauta, ne ad terram impingeret, altum teneret. Infervescente æstus tempestate, agitata ratis circa undecimam noctis horam, quæ una est ante mediam noctem hora, confracta et dissoluta fuit, ac in profundum abyssi demersa; cujus ut naufragium evaderent, viginti et unus navigantium scapham ingressi, B mari se commiserunt. Crescentes undarum moles, nox tenebrosa, venti stridentes, et periculi timor, omnem miseris spem salutis ademerant; in certa ergo naviculæ jactura Joannes Rubio de Vargas, et alter e connavigantibus sancti patris Solani opem invocandam contestantes, quas ex ipsius habitu secum deferebant, particulas in mare projecerunt, et bene: nam statim illo operante, cui fluctus et mare obediunt, facta est tranquillitas magna; et aura felici flante, ac stragula pro velis implente, ad portum de Surco *e*, qui duabus leucis a Lima sejungitur, appulerunt.

naufragii periculo eripit. 49 Similiter alteri navi a Callai portu ad Aricanum *f*, ducentis leucis distantem, pergenti orta est tam horrenda tempestas, ut ventorum stridentium, et undarum furentium mortu longe rejecta, in plures dissoluta sit rimas, et tam largum aquis aditum fecerit, ut extrahendis duplex hydraula non sufficeret, et omnes ne suffocarentur, in altiorem puppim ascenderent. Tunc, suadente Isabella de Torres, sancti patris Solani præsidium humiliter invocatum, et sepulcri ejus (post liberationem) visitatio a nautis et viatori- C bus promissa est; illa vero, quam gerebat, ejusdem Servi Dei tunicæ particulam in undas immisit; quas vix pretiosus ille pannus intravit, cum subito ventorum furor quievit, tranquillitas rediit, et omnes felici appulsu ad portum de Callao descenderunt. Secundos venti flatus Hispanæ Catholici Regis classis Servi Dei meritis impetratos, et a periculis ingruentibus liberationem, commodius alibi narraturus, hic taceo.

Pauperi puellæ opulentum matrimonium promittit, 50 Quiteria de Tejada in Hispaniam ab Indiis reditura, Joannam Duran, quam apud se tenebat, prius collocare matrimonio optavit: unde cum eam Antonio Perez præfecti officiali conjungere vellet, iste (cui alia ditior offerebatur) hanc pauperem, et indotatam accipere recusavit. Ad ejus repulsam non desiit mulier; sed simul cum præfata Joanna novemdialem ad Viri Dei Solani sepulcrum stationem egit, ipsi bonum negotii exitum devote commendans. Quadam ergo die ad vesperam, desperato quasi successu, adolescentulæ suspensæ et dormitabundæ religiosus quidam Franciscanus apparuit, qui eam ad brachium compulsans, ait: Ne mœsta sis, filia; quoniam die crastina, illi homini connubio jungeris. Impletum est oraculum: nam altera die prædictus Antonius ad domum Quiteriæ accessit, Joannam in uxorem petiit, et rationem subitæ mutationis adduxit; quod sibi ipsa nocte in somnis adstitisset servus Dei Franciscus Solanus, et ducendam in uxorem Joannam postulasset. Tunc et suam hæc retulit visionem, et utraque collata, cum tantum haberent auctorem et sponsorem, eadem die matrimonium, jam in cœlo decretum, in terra statuerunt. EX IMPRESSIS

51 Maria de Lao, Damiani Mendez uxor, dum in tumulo Viri sancti terram osculatura demittitur, soluta forte zonula, aureos quosdam cum ipsa amittit. Domum reversa, casum advertit, in capellam quæsitura redit; sed minime inventa pecunia, tandem occurrit homo dicens, se repertam tradidisse cuidam ignoto, suam esse affirmanti. Ad hæc Servum Dei mulier rogat, ut jacturam avertat. Exauditur oratio ipsius: nam ostium propriæ habitationis intranti quidam adfuit, et dixit: Ecce zonam, quam in capella sancti Solani ab alio accepi, ut meam. *cuidam mulieri perditum marsupium prodigiose restitui curat;* E

Marcius Sancius chirurgus, cum adhuc viventis Francisci precibus fugitivos servos ad se aliquando reductos vidisset, post ejus mortem, quoties eadem mancipia abire contingebat, toties eorum reditum ipsi commendabat, et statim motione et impulsu visibili revertebantur. *servosque fugitivos reducit.*

52 Lucas puer decennis importunos hernici tumoris dolores a sex annis patiebatur, quem Joannes de Esquederente ejus pater desperatum a medicis, ut sancti patris Solani opem requireret, hortabatur. Cum ergo quadam die mensis Martii ejusdem anni MDCXXVIII intensiori cruciatu vexatus bonum parentis consilium mente revolveret, mane ad conventum Sancti Francisci se contulit, et coram Viri Dei sepulcro innocenter ac devote oravit; ubi cum ferventiores preces effunderet, juxta se mulierem quamdam, caput ulceribus magnis infectam, vidit; quæ, tumuli terra plagis imposita, eaque mox excussa, se sanam omnino contestabatur. Fide illius animatus puer, eodem tumuli pulvere tumorem herniosum confidenter aspersit, moxque se penitus liberum sensit. Domum lætanter regressus parentibus miraculi seriem enarravit, qui facta experientia, revera consolidatam fractionem, et remissum turgiditatis excessum invenerunt; a quo deinceps puer durabili potitus est sanitate. *Vir sanctus precibus suis herniam,* F

53 Mense Septembri ejusdem anni MDCXXVIII Martha de Espinosa, Francisci Garciæ uxor, gravida, fluxu sanguinis uberi, crebro vomitu et letalibus paroxysmis impetita, in brevi moritura a medicis judicata fuit. Jam Eucharistiæ et Pœnitentiæ sacramentis receptis, ad extremam parabatur Unctionem; cum Pater Fr. Matthæus Perez, conventus S. Francisci sacrista, ipsius misertus ait: « Quoniam a medicis terrenis desperata est, ego medicum cœlestem, qui eam nullo labore sanabit, adducam. » Et revera delatam a monasterio digiti unius sancti patris Solani reliquiam, ut collo infirma (quæ interim ad sepulcrum ejus stationem, et cerei corporis oblationem vovebat) reverenter appendit; illico sanguis, vomitusque stetere, mortis symptomata cessarunt *fluxum sanguinis aliasque morbos,*

EX IMPRESSIS. cessarunt, aperti sunt ægrotantis oculi, eaque statim adeo roborata est, ut cibum petierit, et porrectum aviculæ pectus, quasi omnino sana, libero dente comederit, ac deglutierit. Illam, die sequenti medici ad desperatæ sanitatis usum reversam invenientes, rei successum manifesto miraculo attribuerunt.

febrim ac phthisin, 54 Initio anni MDCXXIX Maura quædam, Theodora nomine, ætate duodennis, serva Petronillæ de Escovar et Azevedo febre tenaci corripitur; quæ tentatis frustra medicinæ remediis, in deterius vergens in ethisin *g* degeneravit. A medicis igitur derelicta serva ad ruralem domum ab hera transmittebatur; quamvis in vanum, cum eadem die certissime e vivis decessura crederetur. Ibi tandem, quia nec cura ministrantium, nec aeris locique mutatio profuissent, ipsius patrona novemdiales ad sancti patris Solani stationes suscepit, et Missam ibidem celebrari procuravit. Vix inchoata devotio, cum servulæ infirmitas remitti, vires augeri in tantum visæ fuere, ut intra aliquot dies sana omnino ad civitatem remearit.

B

tumorem, 55 Eodem anno, mense Novembris, Nigra quædam Paschalis quinquennis puellula, Isabellæ de Argote serva, febrem acutam perpessa, omnibus dextri lateris membris, capite, brachio, et crure intumuit, et insensibili lethargia obriguit. Hanc ejusdem partis coxendices contortæ, et crus coarctatum claudam, brachium tumidum mancam, turgens facies deformem effecit. Cumque per viginti dies tam lugendæ ægritudinis status nulla remediorum applicatione mutaretur in melius, hera secum infirmam ad ecclesiam S. Francisci deferri jubet; et admotam sepulcro, in quo anteà Vir Dei jacuerat, ipsi humiliter commendavit. Post ferventem orationem, oleo lampadum ibidem ardentium omnes servulæ partes offensas linivit, sperans salutarem futuram Servi Dei meritis unctionem: nec profecto decepta est: nam puella domum inde relata, mane sequenti sana et incolumis e lectulo surrexit.

parientis secundinas, Eodem mense et anno Mariana de Palacios, Antonii Xamarillo uxor, intempestivo partu fœtum valde exiguum genuit; et cum magnam sanguinis copiam effunderet, a secundinis *h* purgari non potuit. Desperantibus ergo de sanitate medicis, ipsa non desperat: nam sancti patris Solani opem implorans, duo ossis ipsius frustula per os deglutiit, statimque duplici paroxysmo secundas * ejecit, sanguinem sinit *, et ipsa convaluit.

* *Haud dubie* secundinas
* *an* sistit?

gravem infirmitatem, 56 Maria puellula trimestris, Didaci Causini serva, mense Decembri ejusdem anni MDCXXIX gravi infirmitate, quam vocant de oculo, id est corrupta visualium spirituum, ex inspicientis se oculi prodeuntium emissione, infecta, sive sauciata ad extremam vitæ deducta est horam. Hanc sic desperatam, et omnia mortis imminentis signa in vultu, lingua, et toto corpore præferentem herus et hera ad capellam Viri Dei detulerunt. Vix Missa, quam propterea celebrari mandaverant, terminata fuit; cum infantula in se reversa, domum reportata, intra quadrantis horæ intervallum, mamillam, quam ab octo diebus non apprehenderat, sugere cœpit. Contigit autem, ut etiam puellulus quidam semester, præfati Didaci servus, eadem die, similique morbo ægrotaverit; qui tamen cum periculum vitæ non videretur incurrisse, humanis solum est curatus remediis, nec sancti Patris intercessioni commendatus. Ex quo factum est, ut mortem puella evaserit, et iste vitam amiserit. D

resolutionem stomachi, 57 Joannes Viafara villicus, et servus Joannæ de Lugo et Torrez viduæ, ob molestam stomachi resolutionem, copiosum sanguinem exspuebat; ac tandem malum, quod vocant del Valle, contraxit. Hoc velut cancro interius serpente præcordia exesa, cum sanguinem, jecur, et pulmones per frustula exspuendo paulatim ejiceret, a medicis derelictus, omnium Sacramentorum, etiam extremæ Unctionis participatione ad ultimum certamen accinctus est. Quadam autem feria tertia, mane convenientibus medicis, eadem die certissime decessurus judicatur. Quo audito, patrona de unius diei jejunio, de sancti patris Solani visitanda capella, et de Missæ largienda retributione votum emisit; ac Isabellæ de Lugo filiæ suæ, ut reliquiam habitus viri Dei apponeret infirmo, et jejunii unius observationem promitteret, indicavit. Illa vero, apposito sacro præsegmine, adjecit, se patris Solani, quam fama vulgabat, sanctitatem non credituram, nisi hunc ab ægritudine liberaret. E

et præsens mortis periculum pellit. 58 Mater itaque ad lectulum propius accedens, cum jam preces commendatitiæ, et cereus sacer ad morientem fuisset aptatus; ut vidit tria mantilia, sanguine et putredine ex ore infirmi rejecti madentia, aliud candidum ad labra ejus extendere voluit: quo facto, ex alio lectuli latere sanctum patrem Solanum, sibi quasi assistentem animadvertit. Stupefacta visione mulier, ipsum attente consideratum, vere quis esset, agnovit; eumque novo habitu indutum, manus niveas, vultumque præferre gratissimum observavit. Internæ lætitiæ jubilo plena, omnem dubitationis scrupulum ex successu fugavit: nam eadem hora, infirmus resumptis viribus cibum petiit; quo consumpto, e lectulo surgere voluit. Cum vero a circumstantibus prohiberetur, se omnino sanum et incolumem affirmabat, sicut et revera extunc omnis infirmitatis ab eo labes recesserat. Hera autem, adducto ad Viri sancti capellam servo, votum, quod promiserat, fideliter exsolvit. F

ANNOTATA.

a *Hæc Peruviæ vallis amne modico irrigatur, et per eam transitur ad alteram vallem dictam* Guarmey.

b *Hæc est longissima et latissima Peruviæ vallis, et secatur a pernici et satis lato fluvio. Ab ea itur ad supra memoratam vallem* Guambacho, *dum quis ex oppido Truxillo Limam tendit.*

c *Est portus ad mare Australe non incelebris et securissimus. Juxta portum est oppidum ejusdem nominis muro cinctum, extra quod est monasterium Franciscanorum.*

d *Hic locus, quem Hispani vocant* Cañete, *antiquo nomine appellabatur* Guarco. *Viginti (alii volunt viginti quinque) leucis abest a civitate Limana versus Austrum, sesqui autem leuca ab ipso Oceano*

A *no meridionali. Ager vero hic tam ferax est frumenti et quidem optimi tritici, ut maxima optimæ farinæ copia hinc ad alias australis Americæ provincias navigiis transvehatur.*

e *Est pagus ab indigenis habitatus, et ora hic est prærupta, ita ut majora navigia ad eam appellere non possint.*

f *Est maxime frequentatus Aricæ portus, et contra hostium incursus egregie munitus. Huc solet deferri argentum e Potosianis aliisque fodinis, et inde minoribus navigiis Limam transvehi.*

g *Voluit dicere* phthisin (*Græce enim scribitur* φθίσις) *pro quo scriptor ille Gallus posuit* ethisin *forte a vernacula sua lingua, in qua morbus iste vulgo vocatur* etisie, *quamvis eruditiores Galli jam more Græco sæpe scribant* phthisie. *Latine autem dicitur* tabes, *quæ passim nota est.*

h *Sunt membranæ, quibus fœtus in utero materno involvitur. Plura de his habent medici.*

B

CAPUT V.

Multi ægri sanati apparitione S. Francisci Solani, imaginis ejus præsentia, invocatione, et reliquiarum contactu.

Duabus mulieribus infirmis apparens S. Franciscus Solanus

Mense Octobri anni MDCXXX Isabella de Mexia, Ildephonsi de Castro regalis audientiæ Limanæ procuratoris uxor, importunis ulceribus gutture saucia cibum nisi ægre sumere non valebat; accessit vehemens auris dolor in totum caput redundans; insuper et copiosum ab ore et naribus sanguinem sæpe ejiciebat: quibus malis inutili omni medicorum remedio salus desperata pronuntiatur. Dum ergo circa mediam noctem in maxima dolorum angustia versaretur, oculos animæ ad sanctum virum Solanum erexit. Cumque esset mentis et vigiliæ compos, nec ulli in cubiculum, postibus obseratum et lucerna illuminatum, pateret ingressus; C duos fratres Minores ad se intrantes conspexit, quorum unus venerabili servo Dei Solano similis supra lectulum sedit, et extenta suaviter manu, digitos in ejus aurem immisit, moxque ambo iterum recesserunt. Ad hæc infirma mulier alta voce exclamans, maritum dormientem excitavit, et visionis seriem narravit; statim autem remissa cruciatuum angustia, somno, qui per octo dies recesserat ab oculis ejus, correpta est. Mane vero facto, maritus ad capellam Viri sancti se contulit, Missam ibidem celebrari curavit; ac tandem oleum, ex lampadibus illic ardentibus acceptum, domum transmisit: quo guttur et aures infirmæ tam felici successu fuere perunctæ, ut subito plenam acquisierit sanitatem.

sanitatem procurat;

Similiter et Joannæ Ortega Valencia in villa de Carrion habitanti, infirmæ, et a medicis desperatæ Vir sanctus auxilium petenti apparuit, dicens: Quid a me petis? Cui illa: Salutem, mi Sancte. His dictis, disparuit, et mulier sanitatem ejus beneficio recepit.

60 Mulier quædam nobilis, pia et fide digna, febri maligna, sensuumque stupefactione adeo repentina correpta est, ut Sacramentis receptis, ne quidem testamenti condendi tempus superesse videretur. Hæc circa mediam noctem, remissa parumper mali violentia, ac pleno sibi judicii usu relicto, ad imaginem sancti viri Solani (quam in cubiculo lucerna illuminato ad lectuli prospectum tenebat) affectuose conversa, ejus faciem quasi sanguine rubentem vidit, vocemque ab eo prodeuntem sibi dicentem audivit: Jam sententia tua revocata est. Ad hæc verba consolatione repleta mulier, quasi cœlestis patriæ dulcedinem prælibasset, psalmum LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES devote intonuit; cui statim concordans musica suavis quarumdam avicularum, diuque perseverans duas famulas infra lectulum infirmæ decumbentes excitavit. Quibus et ipsa ait: Scitis quod ab hac ægritudine non sum moritura? Et revera eventus veritatem assertionis probavit: nam deinceps perfecte convaluit.

EX IMPRESSIS. alteram vero per imaginem suam alloquitur et sanat.

61 Puellula Francisca, Ildephonsi Garciæ Flores, et Ludovicæ de Mingolla filia, quasi ex paralytico morbo occupata oris situm et deformem et contortum, pedes manusque motu violento plerumque concussos nullis hominum remediis sanantibus, a cœlesti Medico sospites et tranquillos recepit. Cum enim quadam die de sero salubrem sanctis patris Solani imaginem mater capiti ejus apposuisset, media nocte ubera, quæ a tribus diebus non apprehenderat, suxit: mane vero, reverso in naturalem figuram ore, in miraculi evidens argumentum super infirmæ verticem signum crucis quasi deauratum, et valde decorum apparuit. Quo cito disparente, puellulæ etiam miraculosa sanitas in brevi innotuit.

A paralysi, E

62 Mariana de Inestrosa graves a duobus mensibus fluxionum, in sinistrum crus decidentium, tolerabat cruciatus, quarum violentia captis a coxendice usque ad pedem articulis; nec stare, nec sedere, nec in lectulo poterat moveri, lacrymosisque gemitibus omnium in se commiserationem trahebat. Artis medicæ curæ et remedia, ne quidem malum non minuere, sed et augere videbantur; sic igitur humana virtute immedicabilis mulier, ossis viri sancti Solani reliquiam, invocato ejus auxilio, et novemdiali statione ad ipsius sepulcrum promissa, partibus læsis reverenter admovit: cujus quidem efficaci contractu sensit crucis et lateris nervos, compagesque resolvi, ac repente numquam revertibilis fluxionis cursum cessasse.

fluxionibus, F

63 Catharina de Quiroga, decem et octo annorum adolescentula, vehementi auris cruciatu indesinenter afflicta, nullis remediis sublevata, a medicis derelicta, sancti patris Solani opem implorat, Missæ ad sepulcrum ejus celebrandæ stipendium, et capillorum suorum manipulum appendendum promittit; votoque ipsius nomine a Joanna de Escovar mane sequenti persoluto, statim ab infirmitate convaluit; cibum (quem antea non poterat) sumpsit, et deinceps in valetudine perfecta confirmata fuit.

auris dolore,

Sic et juvenis scholasticus contractam surditatem, olei lampadum ejusdem Servi Dei unctione superavit.

surditate,

64 Maurula quædam, Antonia nomine, crebris febrium

EX IMPRESSIS. *et variis morbis liberat.*

febrium molestiis, vomitu importuno afflicta, hæmorrhoidum morbo (DEL VALLE ab indigenis nominato) interius corrosa; præcordiis sauciatis, intestinis emergentibus, miseriæ humanæ spectaculum, et tamquam prodigium facta cernentibus, dum ab hominibus desperata novissimæ exitum horæ exspectaret, ab hera meritis servi Dei Solani commendatur, ad capellam ejus defertur, et in facie quadam ipsius reliquia confidenter tangitur. Efficax fuit oratio deprecantis : nam absque alio remedio ad se reversa infirma oculos aperuit, panis frustulum, antequam domum referretur, comedit, et paulatim sanitatem acquisivit : ipsa vero ejusdem patrona Clara de Montoyos beneficii non ingrata, linteum quod puellulæ tumulandæ paraverat, in sempiternum trophæum Viri sancti sacello appendit.

Lac mulieri dat. * *an* diuturnæ?

65 Hieronyma de Nanavides lactis, quo puellulum alebat, manantiam præ diurnæ * febris violentia deficientem et tabescentem, facta in Viri Dei sacello oratione, plenam et trium infantium lactationi sufficientem recepit.

B *febri, et doloribus eripit,* * *forte* operator

P. Hieronymus Ildephonsus a Torre, febre acuta, et doloribus in humida habitatione contractis vehementer cruciatus, ad conventum sancti Francisci de Pisco perveniens, a valetudinarii præfecto cingulum seu funem, quo se olim vir Dei Solanus præcinxerat, et qui plurimorum operantis * miraculorum dicebatur, accepit; quem reverenter dolentibus membris admotum, salubrem expertus est : nam vix elapso horæ quadrante, refrigerans sudor adveniens, omnem ei febris calorem ac dolorum anxietatem ademit. Hic etiam in brevi Limam, Deo et sancto patri Francisco gratias acturus se contulit; ubi qui remanserat in quadam parte tumorem oleo lampadum ejus inungens, statim resolvi et minui sensit.

loquelam ad confitendum infirmæ reddit. a

66 Anno MDCXXXI Maria de Torres vidua mulierem vicinam suam, pauperem et infirmam a febri curatura in domum suam traduxit, cujus salute medicis desperata, oculis visu privatis, cercidibus *a* brachiorum apertis; et quod pejus erat, ea in tot ingruentis interitus signis, recipiendorum Sacramentorum incapace, sancti viri Solani auxilium pro confitendi libera facultate
C
moribundæ obtinenda imploravit : ac propterea juxta illam, sacram Servi Dei imaginem inter duo lumina collocatam erexit, Deus vero, qui dat omnibus affluenter, qui supplicum merita excedit et vota, Servi sui intercessione, liberam confessioni linguam et mentem, ac bonam deinde corporis valetudinem ægrotanti concessit.

buccellam guttur suffocantem expellit,

67 Die Dominica, prima vero Julii, anni MDCXL, doctor Ildephonsus Ossorio, ecclesiæ cathedralis Limanæ parochus, dum circa meridiem mensæ accubuisset, primam (quam deglutire tentat) carnis buccellam, profundo faucium meatui hærere sensit. Adfuere chirurgi artis experimentum facturi, sed frustra : subtilis candela cerea plusquam palmaris in guttur intruditur, eaque confracta altera rursus immittitur; sed licet hæc molestior cura, non tamen aliis salubrior evasit. Interim crescebant patientis angustiæ, qui suffocari proximus aquam petiit faucibus infundendam : verum nec illa exitum inveniente, parum fuit, quin exspiraret; intumuit facies, et denigrata est, oculi quasi scintillas igneas emittebant, guttur velut ad præfocandum compressum D
turgebat. In tam evidenti periculo affulsit misero spes cœlestis auxilii, dum sanctum patrem Solanum sibi charissimum (pro ejus quippe canonizationis sumptibus largam singulis annis eleemosynam offerre solebat) animo recogitavit : illico namque reliquiam ossis illius confidenter ad guttur admovit, et in fervore fidei, ait : Pater mi, si Sanctus es (ut ego credo) et amicus meus; pete a Deo liberationem meam. Vix ultimum emiserat oratiunculæ verbum, cum statim buccella in stomachum decidit, quæ licet fauces ipsius sauciasset, et copiosum postea sanguinem evomere coegisset; ille tamen omnino sanus iterum discubuit, libere comedit, et eadem die parœci munia resumpturus, cum omnium admiratione ad ecclesiam redivit.

et mulam in casu periculoso mirabiliter conservat.

68 Ipsa etiam Viri Dei invocatio servandis fortunæ bonis, et a periculorum ingruentium jactura liberandis aptissima fuit. Anno quippe MDCXXXII supra nominato doctore Ildephonso Ossorio, et germano ipsius Joanne collem del E
Chorillo *b* duarum leucarum fastigio arduum b
ascendentibus, contigit; quod viginti mulæ in altum pergentes alias a Xauxa venientes, suibus Indorum inopum oneratas, in vallem descendentes obviás habuerunt. Erat utrimque via difficilis, arcta, et lubrica; quare illis sibi invicem obstantibus, una præcipiti casu in profundum per saxa et crepidines volutari cœpit : inevitabilis videbatur jactura, nisi prædicti Ossorii, Indis compatientes afflictis, opem patris Francisci Solani invocassent. Adfuit enim ob meritum ejus divina protectio, et jumentum, quod (ut aliis semper evenire solebat) in ipsa declivitatis volutatione concidendum erat et vita privandum, at invisibili manu protectum, per tot spatia a crepidine in crepidinem, a rupe in rupem ad infimam planitiem sanum pervenit, ubi herbam depavit, et nec onere dimisso, nec fune vel resti discerpto, cum aliis (quæ paulatim ad planum descenderant) iter est prosecutum. Mirantibus vero Indis, et miraculi causam ignorantibus, viri illi prodigium hoc in sanctitatis eximiæ apostoli Peruani Francisci Solani testimonium divinitus operatum dixerunt, eosque ad sinceram F
erga tam benevolum Intercessorem confidentiam invitarunt.

Segetes a grandine præservat.

Sic et aliquando habitus Servi Dei reliquiæ efficacia ingruentes spicis triticeis fere messi maturis, grandinis nubes, ad piam Joannis de Quiros, vallis Xauxæ gubernatoris, orationem, alio manifeste aversæ, agrum a vastatione imminente liberum reliquerunt.

ANNOTATA.

a Cercis *juxta Bartholomæum Castellum est os alterum cubiti superioris, sed minus et brevius, Græce dicitur* κερκὶς *id est* radius *a figura, rotarum parvarum radios imitante.*

b *Frustra hujus collis situm in mappis geographicis quæsivi : nam inter Limam et Xauxam, ubi existere hunc colligo, tantum notantur plures montes anonymi.*

CAPUT

A

CAPUT VI.

Plures pueri mortui ad vitam revocati, et multæ mulieres a periculoso puerperio liberatæ.

Quosdam pueros

Die sexta Aprilis anni MDCXXXI Franciscus decem mensium puellulus (quem parum antea parentes sancto patri Solano obtulerant) ex nutricis inadvertentia in fossam aquarum, tres pistrini Ludovici de Mendoza molas volventem, decidit ; sic autem submersus primo per aquæductus domorum, inde in receptaculum aquarum civitatis (ex quo hæ periculose dimanant) per subterraneos meatus totam inquisitionis viam ad B Discalceatas moniales ducentem volutatus transivit. Hinc ad molendinum venit, quod cum occasione dei festi non moleret, ab aqua per altum aggerem prorumpente puer in adversum murum impetu magno projicitur ; sicque per acutas saxorum et crepidinum moles, et per varios fere semi-milliarii amfractus tandem ad radices monasterii immaculatæ Conceptiouis defertur. Quem Maura quædam forte conspectum pede apprehendit, et vultu nigredine mortis suffusum, lingua rigentem, mandibulis tabescentem, brachiis et membrorum compagine solutum, capite inclinatum ; aqua sanguine mixta ore et naribus manantem, ad Catharinam de Leon in ulnas detulit.

aquis

70 Hæc autem statim, ut pueri casum didicerat, sancti patris Solani merita invocare non destiterat ; jamque sibi allatum, etsi omnium judicio defunctum, ejusdem auxilio affectuose commendavit. Tam efficax fuit mulieris in orando perseverantia, ut infra semi-horam puerum vitæ redditum viderit, quem et die sequenti ad capellam Viri Dei pro gratiarum actione perductum, P. Fr. Didacus de Corduba *a* in sinum ac- C cipiens, omnibus fratribus videndum, et absque ullo recentis casus indicio admirandum exhibuit.

a

suffocatos,

Eadem viri Dei Francisci intercessione Lucretiæ de Espinosa fere biennis filius, qui cum anno MDCXXXIV, die vero Maii quarto, juxta molendinum de Pastrana puerilibus ludis intenderet, in profundam illius fossam inciderat, et aquarum motu violento in saxa prægrandia projectus fuerat ; a mulieribus, ibidem pannos lavantibus, pede extractus, evomita (quam hauserat) aqua, reversis (qui tabuerant) sensibus ; mutato in melius (quæ nigrorem contraxerat) carnis colore, a morte ad vitam reversus est.

aut alio infortunio mortuos

71 Anno insuper a partu Virginis MDCXXXIX Joseph puer anniculus, Francisci Garciæ et Catharinæ Martinez filius, cum in mensa, a solo ultra ulnam et mediam elevata, repositus sederet, decidit, et capite in terram impulsu tam vehementi impegit, ut statim uberem ab oculis et naribus cruorem effundens, sensum, motum, halitumque amiserit, et mortali pallore suffusus interierit. Sic per integram horam corpus emortuum, parentes irreparabili jactura afflicti luxerunt ; donec Franciscus Garcia recordatus imaginis sancti patris Solani, quam in cubiculo appensam tenebat, eam capiti defuncti confidenter imposuit ; statimque meritis Servi Dei animam corpus, et puellulus novam vitam recepit.

EX IMPRESSIS.

ad vitam revocat ;

72 Eodem anno Maria Mingolla, Martini Godinez Ternero uxor, Petrum filiolum peperit ; qui, quoniam præmaturo partu editus, deficiens et infirmus erat. Hunc autem septima ab ortu die repentina ægritudo invasit, cujus violentia occubuit : nam a parente inter brachia receptus, nigredine mortis contracta, halitu deficiente, et repetito languentis oris hiatu vitam terminaverat. Tunc mœstus quidem de filioli morte genitor, sed de sancti patris Solani auxilio confisus, ac puerum ejus meritis sibi reddendum sperans, plangentis familiæ lacrymas prohibuit ; nec deceptus fuit : nam appositæ ad mortui caput Servi Dei venerandæ imaginis virtute puellulum intra semi-horam suscitatum, et, immutato leti pallore, roseum vitæ colorem successisse conspexit. E

et mortuæ puellæ vitam, et caput confractum, ac oculum effossum restituit ;

73 Ipsomet anno MDCXXXIX, die vero octava Novembris, Beatrix de Monroi puella quinquennis, Antonii Dias de Obregon et Mariæ de la O filia, e supremo quinque contignationum tabulato, avulso secum (cui adhærebat) cancello, in terram decidit. Tanta vero fuit casus violentia, ut impingens caput iu duas fuerit partes confractum, ac illisus in faciem infantulæ cancellus ei oculum eruerit, et pendentem deciduumque reliquerit, quibus malis impar tenella filia subito exspiravit. Defunctæ parentes strepitu excitati, miserum exitum lugentes, tandem de ejus sepultura egerunt ; at vero mater, dum clamorosis gemitibus totam domum impleret, forte in imaginem S. P. Solaui ad lectuli caput appensam oculos convertit ; coram qua, positis genibus, in amaritudine cordis et in felle lacrymarum, quasi altera Phenennæ uxor, non prolis generationem, sed resurrectionem humiliter petivit.

74 Mox interiori spe recreata, cadaveris vultum oleo lampadum Servi Dei tam efficaciter unxit, ut statim oculus erutus intra palpebram reverti, et locum pristinum occupare sit visus ; F vertex conscissus, illico reintegratus ; corpus emortuum, statim animatum, mobilique fuerit redditum facultati. Lucis itaque vitalis beneficio donata puella, quasi a somno excitata, exclamavit : Jesus sit mecum ! Et in ea ex tot læsionibus parvus dumtaxat, in perpetuam miraculi memoriam, sub oculo livor remansit. Post triduum autem infantula, quæ absque alio remedio perfecta sanitate gaudebat, matrem adiit, ac nomen Sancti illius ipsi tam chari sciscitata, rosarium in ejus honorem recitandum petiit ; nominatoque sibi vir Dei Solano, magna lætitiæ signa supra ætatem expressit.

ac alteram ab efferato equo ereptam sanat.

75 His defunctis a morte suscitatis, addam alium, si non a funere, saltem ab ejus faucibus ereptum. Anno MDCXXXIV in regione de Caras, provinciæ de Guailas *b* equus effreuis per vias discurrens, et secum magna trahens ligna, Annam triennem puellam, Joannis Ferdinandi Jordani filiam, violento impulsu super lapides prostravit, capitis tempus largo vulnere affecit, et

gravi

gravi vultum læsione sauciavit. Ad tam exitialem eventum frigidus humor infantulam incessit, loquelæ facultas, et omne vitalis spiritus indicium deseruit; ita ut aut mortua, vel parum supervictura judicaretur. Illam sic ab hominibus desperatam afflictus genitor, invocatis servi Dei Solani meritis, incolumem cito recepit : nam usui sensuum reddita, die sequenti per se stare, altera vero cum aliis pueris currere et jocari visa fuit. Nec ullo indiguit humano remedio, tam bono Medico commendata ; immo quæ apposita fuerat (quasi in consortium cœlestis pharmaci) herba, cum manifeste noceret, rejecta est ; ut tota puellulæ salus Dei Servo perficienda relinqueretur.

Multæ mulieres

76 Anno MDCXXX, mense vero Martio, Joanna de Carrion, Francisci Muñoz aurificis uxor, infelici partus successu, acutos dolores, certumque mortis periculum subivit. Fœtus enim in globum ad guttur complicatus, capite autem erumpente, quasi suffocabatur ; quod cum advertisset obstetrix, ipsi salutares baptismi aquas B impertivit. Tantæ vero erant patientis angustiæ, ut sudore frigido tabescens, et quasi sensibus privata exspirare putaretur. Hanc sic patientem circumstantes monuerunt, ut, remediis et curis exhaustis, se ex intimo corde viro Dei Solano commendaret, Missæ stipendium largiendum voveret. Assensit mulier, et votum emisit ; statimque peperit, et postmodum genitrix et fœtus absque periculo perstiterunt.

in periculoso puerperio constitutæ

77 Maria Magdalena de Alissis, conjux Joannis Ortiz de la Fuente, eodem anno MDCXXX parturiens, fœtu transverso, nec non ad stomachum pertingente, inexplicabiles dolores percepit : eorum namque violentia deliquium cordis ac sensuum passa, et frigore letali rigescens, mortem a simili casu inseparabilem oppetere videbatur. Non defuere obstetricum curæ, et artes ; sed iis nihil juvantibus, in hoc acerbo cruciatu usque ad crastinum perseveravit. Tunc compatiens ipsius mater Anna de Noyal, capellam viri Sancti adivit, Missæ celebrationem commisit ; et inde oleum lampadum ejusdem afferens domum, eo filiæ prægnantis ventrem linivit, ac utraque Servi Dei auxilium, hæc corde, illa ore devote C imploravit. Tam efficaci remedio revocatur dolorum sensus, reducuntur vires, corporis tumor abscedit ; et obstetrix facili manu prolem erigere, et ad exitum disponere potuit, ut tandem intra quatuor horas feminam incolumem sine periculo parturiens effuderit.

feliciter pepererunt,

78 Eleonora de Escalona et Aguero, uxor Francisci Garnica, magno animi dolore confecta, quod jam quinquies gravida semper abortivos fœtus, et mortuos ad sextum vel septimum memsem peperisset ; ad viri Dei Francisci Solani potentem intercessionem convertitur, facta promissione de prole ipsius nomine, si vivam gigneret, insignienda. Audita est deprecatio mulieris, quæ, fœtu concepto, interdum, quos alias solebat abortus dolores experiri, patiebatur ; sed statim ac se oleo lampadis, in capella sui Advocati ardentis, confidenter ungebat, ac flebili voce opem ejus petebat, omnem sedari molestiam sentiebat. Tandem, elapsis novem mensibus, filiam vivam et sanam die prima Julii anni MDCXXXI produxit, quæ in baptismo Francisca Solano fuit D nominata.

vel post letales morbos

79 Marie Ximenez, uxor Andreæ de Villarroel, gravida, hydropisi (quam medici infantiam vocant) ex natura sua valde difficiliter sanabili, toto corpore et ventre intumuit. Jam a sex mensibus crudeles die noctuque, absque ullo lenimine ex multis remediis percepto, dolores perpessa ; superveniente tandem puerperii cruciatu letali, in ultimum vitæ discrimen devenit : cum ecce quod habitus viri Sancti præsegmine, et fune alvo contacta, auxilio ejusdem super ægram humiliter invocato, et novemdiali ad ipsius sacellum statione promissa ; hæc brevi intervallo prolem geminam vitæ compotem genuit, et secundas purgationes emittens, mox sana penitus effecta, feliciorem illum omnibus præcedentibus partum sibi fuisse affirmabat.

et diuturnos partus dolores

80 Isabella Barraza validos infausti puerperii dolores die Mercurii, trigesima prima Martii anni MDCXXXI usque ad feriam sextam sequentem productos non sine manifesto periculo sensit. Hanc obstetrices unctionibus fovere, potionibus recreare, aliisque remediis sublevare contenderunt ; sed frustra. Unum tandem brachiolum E fœtus eduxit, in quo baptismi lavacro ad cautelam ablutus, sic usque ad sabbatum, tertiam Aprilis diem, perstitit ; moxque visum est, eductum lacertum corrumpi, et tabo mortis obduci. Mortuam itaque prolem aut manu, vel uncino ferreo avellere et extrahere volentes obstetrices, mulierem Sacramentorum receptione ad incertum exitum disposuere : sed insufficiens ungula, et ars humana inutilis fuit : adeo namque extinctum corpusculum alte subierat, ac venter puerperæ instar metalli obduruerat, ut nec illud extrahi, nec ista posset juvari. Jam a principio dolorum sincera parentum et proximorum fides sacris reliquiis, et ipsamet salutiferæ Crucis adoranda particula infirmam munierat ; sed, Deo ita ordinante, nullum ex his efficax salutis emanavit subsidium. Reservabatur sancto patri Solano miraculum : mox enim ut invocato ejus patrocinio, oleo lampadum e sacello ipsius advecto, parturientis alvus inunctus fuit, emollita duritie, mortuum abortivum cum secundinis male olentibus quam citius ejecit ; et mulier sana re- F mansit.

invocata S. Francisci Solani ope,

81 Catharina Bran, serva Hieronymæ de Pineda, septimestri gravida fœtu, projecto ab adolescente saxo ad ventrem impetita, in terram fere exanimata cecidit, et proles ictu offensa moritur. Hinc dolores matris ingravescunt, et puerperii exitus impossibilis ab obstetricibus judicatur : his periculis adfuere invocata sancti viri Solani merita, cum præmissa ex lampadibus ejus alvi patientis unctione ; illa subito voces emisit, et transversam, conglobatam, ac inter secundarum fœces testa capitis fracta confusam creaturam effudit, et liberam sanitatem invenit.

præsens vitæ periculum

82 Ludovicæ de Savedra, cum olim sexennis infantula ex alta saccorum farinæ congerie in imum decidisset, vesica casu violento dissoluta, et intestina diffluentia omnem medicorum artem exhauserant ; immo mortui ejus parentibus, cessaverat cura, et ægritudinis robur invaluerat. Cum ergo per quindecim annos sic vitam molestiis

A lestiis plenam transegisset, tandem viro nupta gravida effecta, periculum fuit, ne fœtus per herniæ fractionem periturus exiret : hac in angustia, a medicis quidem et obstetricibus prævisa, sed nulla nisi divina manu impedienda, quæsitum sancti patris Solani præsidium invenit ; nam cum partem confractam oleo lampadum ejus semel unxisset, vires novas accepit, tempore opportuno peperit, et ab omni læsione libera fuit.

evaserunt. 83 Anno MDCXXXIII Anna Malo de Molina, Petri Nuñez de Alvarada civis Limani uxor, a duobus mensibus gravida, per novem dies sanguinem cum excrementis effudit; et licet propter medicaminum efficaciam, hic in tanta copia non flueret, tamen cum non stetisset profluvium, illa semper in vitæ periculo versabatur. Quadam autem nocte dum vehementer anxiaretur, oleo lampadum servi Dei Solani venter ejus inungitur, et in ejus auxilium tanti Intercessoris merita invocantur. Adfuit statim ille, et auxilium tulit : facto quippe mane, mulier putrefactum, et odore tetro manantem fœtum emisit; et ab B hinc sine alio remedio, stetit sanguis, et sanitas rediit.

ANNOTATA.

a *Is fuit chronologus provinciarum regni Peruani, et scripsit Hispanice, ni fallor, Vitam S. Francisci Solani, quam postea auctiorem edidit Alphonsus a Mendieta Matriti anni* 1643, *ut testatur Waddingus in Scriptoribus Ordinis Minorum pag.* 101.

b *Qui ex Valle Caxamalca, de qua supra egimus, per montana petunt Limam, iis iter est per hanc provinciam* Guailas, *in qua degunt pauci Hispani et plurimi Indi.*

CAPUT VII.

C

Diversæ infirmitates depulsæ oleo lampadum coram sepulcro ejus ardentium.

Oleo lampadum, Bernardus puellulus recens natus, capitanei Josephi Carrafo del Zaz, et Isabellæ de Saavadra filius, continuo vagituum motu hernicam incurrit fractionem, cujus medelæ nulla per quadriennium fuerunt omissa remedia; sed iis in vanum cedentibus (nam pueri intestina diffluebant, læsæ partes tumore turgebant, et acuti patientis dolores, omne refrigerium arcebant.) Anxiata et turbata mater oleo sancti patris Solani herniam unxit; ac statim infantulus, resoluto tumore, intestinis ad sedem nativam reductis. sanus evasit. At cum exhilaratus et gaudens subito e lectulo surgere voluisset, nimis provida genitrix ipsum obligavit, et brachiali munivit ; displicuit cœlesti Medico artis terrenæ consortium : nam quadam die ad vesperam prosiliente e cubili puero conscissum est brachiale, *ex impressis.* et statim rediit umbilici profluxus. Modicam uxoris fidem advertens maritus, veniam pro ea a Viro Dei, et secundam pro filio gratiam postulalavit, et sacro religionis Seraphicæ habitu, si sanaretur, vestiendum promisit; mox brachiali exuit, et ne aliud ipsi sub tanta Intercessoris tutela constituto adhiberetur remedium, interdixit; has solum contentus a filiolo in strato jacente, per tres aut quatuor dies, proferri voces : Sancte Solane, fractionem meam pro amore Dei sana. Placuit Deo sincera fides parentis, et simplex puelluli deprecatio, eo quod prociduus umbilicus introgressus est, fractio solidata, et sanitas ægro mirabiliter restituta. Cujus beneficii. ut perennis vigeret memoria, devotam sancti patris Solani imaginem cum puero ante ipsum genuflexo parens fecit depingi, et in domo sua reponi.

85 Nicolaus de Villavicencio septennis, Christophori Guttierrez Muñoz oppidi Sañæ *a* moderatoris, et Luciæ de Villavicencio filius, in herniam delapsus, et gravem in vesica tumorem passus; quia unigenitus et summe dilectus, experto chirurgo curandus traditus fuit ; sed hic doloribus et ulceribus circa fractionem afflictum magis reliquit. Dum ergo insanabilem genitor doleret, nec de alia, quam de terrestri medicina cogitaret; a capitaneo Josepho Carrasco del Zaz invisitur, et de filioli sui mirabili sanitate supra enarrata edocetur. Ad quæ ille animosior factus. subito pueri sui emplastra, fascias et ligamenta solvi, rejicique mandavit; ac confractam partem salubri hoc oleo tam opportune semel inunxit, ut statim tumor dissolutus et intestina reclusa sint : et sanatus est puer ex illa hora. In cujus miraculi indelebile monumentum ejus parens sancti viri Solani imaginem depingi, et in domo sua voluit decenter appendi. *ante sancti Viri sepulcrum* a E

86 Joannes puellulus recens natus, servæ Mauræ filius, ob violentas epilepsiæ commotiones, etiam in hernicam fractionem devenit; insanabilis judicatus est morbus uterque et mortalis; nec aliud supererat, nisi divinæ propitiationis auxilium : quare per triduum membra illius læsa, et corporis compages oleo ex lampadibus Servi Dei liniuntur; et ab omnibus infirmitatibus suis puer sanatur. *ardentium*

Joannes Narvaez chirurgus, vir senex, cum ultra sexennium gravi herniæ laborasset angustia, olei ejusdem unctione perfecte convaluit. *varii*

Salvator puellulus quatuor mensium, Ildephonsi de Orta, et Petronillæ de Vera et Soto prope Sañam habitantium filius, hernia contracta, umbilico procidente, et superaddita febre, ad ultimum vitæ discrimen adductus, ab afflictis parentibus ad sanctuarium Dominæ nostræ de Guadalupe *b*, septem leucis ab oppido distans. pro salute delatus est. Nec ideo tamen (Deo sic disponente) ab illo gratiarum sacrario ullum levamen recepit : quare Raphaela de Soto, pueri avia, Petronillam matrem monuit, ut partem sauciatam oleo sancti viri Solani foveret. Acquievit ista, et tam efficaciter filium unxit, ut statim perfecte ab hernia, febre, oculorumque morbo liber evaserit. Verum, ut illa probaretur in tentatione *ab hernia* b

EX IMPRESSIS. tatione fidelis, iterum intra quatuor dies fractio recruduit; mater autem non desperans, salubrem unctionem per quinque aut sex dies resumpsit; cujus quidem virtute, securam et validam anno MDCXXXIX puer consecutus est sanitatem.

aliisque morbis

87 Emmanuel de Arco prope Sañam commorans, asperi collis ascensu sudorem, et ex isto crurium debilitatem contraxit; quam (ut vinceret) plurima per biennium adhibuit medicamenta, sed frustra : nam dolorum violentia quietem et cibi appetitum amiserat, nec absque grallarum fulcimento poterat ambulare. Quadam autem nocte, infervescente molestiarum æstu, solicita uxor, (eo interim humiliter supplicante) ipsius compages, et partes læsas oleo lampadum sancti viri Solani confidenter linivit : adfuit illico cœleste subsidium : æger enim obdormivit, et somnum, sibi a multis noctibus præ angustia ereptum, usque ad octavam matutinam (quæ meridiem quatuor præcedit) horam protraxit. Circa quam excitatus se liberum sentiens, cibum avide comedit; et deinceps ab omni infirmitate mira-
B biliter salvus, grallam (cui fuerat hactenus innixus) ecclesiæ parochiali in trophæum appendit; uxor vero imaginem Servi Dei inter alias Sanctorum effigies in suo cubiculo collocavit.

liberantur.

88 Marcus de la Vega, cum in exercitu regis Catholici contra Indos rebelles militaret, in conflictu, inito die quinta Octobris MDCXXXV, a cruris sinistri sura, usque ad superiorem genu partem duplici hastæ impulsu transfixus fuit. Hunc chirurgi curare tentantes nervos aliquos amputarunt, quorum scissione læso crure, contractis articulis, et pede breviori effecto, non nisi beneficio grallarum incedebat : eapropter a Chile Limam pertransit, desperantibus medicis, et sanitatem arte humanæ superiorem affirmantibus. Jam fere per tres annos in hac ærumna perstiterat, cum tandem ad servum Dei Solanum die Lunæ Februarii quinta decima, anno MDCXXXVIII confugiens, præmissis confessione et communione, ad sepulcrum ejus accessit, et humiliter pro salute rogavit. Mox a religioso quodam oleo lampadum ad partem læsam inunctus, statim obdormivit; at post horam circiter expergefactus, crus
C saucium extendit, in terram facile pedem fixit, rejectisque fulcimentis, incessit. Audito miraculi rumore, multi fratres e conventu accurrerunt, claudum recte gradientem viderunt, et in gratiarum actione, TE DEUM LAUDAMUS decantarunt. Miles vero, appensis coram sepulcro grallis, domum liber reversus est, et nullo imposterum indiguit fulcimento.

Idem oleum ulcera,

89 Petronilla quadriennis puellula, tumidis et velut sanguine tinctis oculis graves sustinens dolores, insuper et ulceribus saucio oris palato, non nisi ægre cibum sumens, a parentibus ad sacellum viri sancti Solani die indulgentiæ Portiunculæ delata est. Quæ cum sacristam conventus oleum ex appensis ibi lampadibus extrahentem vidisset, ipsa quoque oleum petiit; cujus ut ille planctum sedaret, intinctum oleo linteum eidem porrexit. Hoc etiamsi illa a genitoribus averteretur, et de gravi (quem ex contactu erat passura) dolore moneretur, oculos perfricuit, et aliquamdiu perunxit; moxque se sanam et claritate donatam exclamavit. Obstupuere præsentes ad miraculum quidem, sed magis ad puellulæ fi- D dem, quæ etiam ex loco, in quo prius sacrum corpus jacuerat; cum terram ab alio vidisset educi, ipsa quoque terram voluit, ori appositam masticavit, et juxta palati plagas linguæ perfricatione perduxit, ac statim se nulla earum incommoda pati testata est. Et revera sicut oculorum tumor et lippitudo olei unctione, sic oris ulcera terræ masticatione miraculo stupendo desiisse eadem die comperta fuerunt.

splenis molestiam,

90 Hieronyma de Escalona et Aguero per octennium adeo vehementi splenis molestia laboravit, ut interdum deficiente halitu moveri non posset, et in vitæ discrimen sæpe devenerit. Ægrotanti medicorum cura non defuit; sed remediis incassum tentatis insanabilis ægritudo judicata est : tunc illa ad sanctum patrem Solanum, ut cœlestis Medici servum, tota se mentis fiducia convertens; promisit, quod sepulcrum ejus visitaret, habitum religionis Seraphicæ per annum deferret, et singulis sextis feriis jejunaret. His sic emissis, ad ejus capellam translata, Minoritica se veste contexit, et oleo lampadis ibi ardentis latus inunxit : illico autem, sancti Viri E operante virtute, sana et incolumis absque ullo doloris cruciatu domum rediit.

urinæ detentionem,

91 Capitaneus Joannes a Sancta Cruce et Padilla vir nobilis, ob prolixam triginta annorum, et gravem urinæ detentionem nonnumquam ad ultimas mortis decidebat angustias. Curatur a medicis, applicantur exquisita remedia, sed frustra; augebantur quippe dolores in tantum, ut frigido sudore madens, et quasi agonem patiens fremeret, ac clamores ederet luctuosos. Aperiuntur tandem quatuor abscessus, e quibus in tot fistulas mordaces conversis velut per patentes canales urina diffluebat. His in extremis ad capellam sancti patris Solani opem quæsiturus accedit, rogat humiliter, petit confidenter, oleo lampadum ulcera (crucem signando) perungit; ac statim, quod tamdiu quæsierat, sanitatis bonum invenit, et ad propria liber remeavit.

apoplexiam, epilepsiam,

92 Joanna, serva Hieronymæ de Acuña, cum gravida esset, repentino apoplexiæ defluxu, feria secunda, ultima vero Septembris anno MDCXXX correpta, et nonnumquam morbo comitiali agitata, transitus imminentis præferebat indicia. Hanc F in agone positam jamque mysterioso morientium Christianorum cereo instructam, hera, sancti patris Francisci Solani invocato præsidio, oleoque lampadum ejus in fronte, ore et ventre, crucis signum formando, linivit : tam salutari unctione remissa est statim ægritudo, et infirma ab epilepsiæ casibus, aliisque liberata contorsionibus, paulatim sanitatem mirabiliter recuperavit.

carcinomata

93 Eodem anno MDCXXX mense vero Octobris Josephus Niño de Frias triplici carcinomatis, unius scilicet ad caput, et duorum in vultu, deformitate contracta; medicinæ fomenta sibi parum profutura existimans, læsas partes oleo Servi Dei unxit et fovit, statimque resoluto tumore sanus evasit. Hujus felici successu animatus Didacus de Savedra barbitonsor eodem mense et anno a gravioribus (quibus a septennio irremediabiliter laborabat) cruris ulceribus meruit liberari. Cum enim quadam nocte, illorum acerbitate præter solitum cruciaretur, ad Virum Dei

conversus,

A conversus, ait : « O sancte Pater, si tui olei unctio Josepho Niño salubris fuit, sit et tua mihi intercessio proficua; et si salutem dederis, lampadibus tuis olei mensuram voveo destinandam. » Auditum est supplicantis votum : nam summo mane expergefactus, obstrusis arefactisque ulceribus, se sanum inveniens, miraculum proclamans uxorem excitavit.

tibiæ ulcus,

94 Eodem ut superius anno, millesimo videlicet supra sexcentesimum trigesimo, Isabella Folupa, Joannis Garciæ Alvarez serva, gravi et inveterato tibiæ ulcere cruciabatur, circa quod et alia odorem pestiferum spirantia eruperunt; ac tandem, humorum copia exundante, crus totum in ocreæ crassitiem intumuerat, et ad ulcerum molestias acuta febris accesserat. Tot malis cum nullum prodesset artis humanæ subsidium, ipsius hera Joannis uxor, quo tempore acriores erant angustiæ, ejus plagas salutifero illo lampadum oleo fovit; infirma interim sancti Viri auxilium invocante, deprecationem simplicis audivit Deus : nam mane sequenti se sanam sentiens, lingua
B vernacula laudes Creatoris concinere cœpit; ad quam accurrentes patroni perfecte sanam, et utroque crure æqualiter incolumem repererunt.

et alias infirmitates sanat,

95 Innumera profecto sunt beneficia, quæ servus Dei Franciscus Solanus anno MDCXXX ipsum devote invocantibus contulit : Petronillam enim de la Cueva, et Catharinam de Vargas; illam olei lampadum unctione, hanc sacræ reliquiæ ad collum appensæ virtute a gravi febrium æstu liberavit. Isabellam Gabrielem de Rojas, Dominici Rodriguez Freyle viduam, membris omnibus captam, ejusdem olei felici lenimine pristinæ restituit sospitati. Puella quindecim mensium, Crispiniana nomine, facto ab hera ipsius voto de capella Viri Dei donis honoranda, a mortis faucibus et ab indubitato vitæ periculo retracta fuit. Puellulus Joannes, Francisci de Aquilar servulus, nuper natus, a crudeli epilepsia, et ab hernica fractione, quam vehementi collisione et casu frequenti incurrerat; Joanna quoque infantula, a simili epilepsiæ malo, sacro olei ejusdem unctione perfecte convaluerunt. Vincentius Hernandez aurifaber, quam a continua decem mensium febre
C hydropisiam contraxerat, illo olei fomento omnino curavit. Sic erumpentem et turgentem ex parte jecoris abscessum, febri violentæ conjunctum, repetita aliquoties ea unctione, Michael de Figueroa sacerdos superavit. Francisca de Acuña, Gabrielis Cavallerii uxor, a sanguinis profluvio letali, et a medicis desperato sola Viri Dei nominis invocatione semel evasit; et a recrudescente eadem post duos menses infirmitate, dum ventrem sacro ejus oleo fovit, perfecte se liberavit.

ac curculiones a tritico et erucas ab agro fugat.

96 Non solum autem sanandis corporibus et restituendo valetudinis bono, Viri Dei oleum efficax anno MDCXXX fuit, sed et fortunæ commoda ab adversis casibus opportune subtraxit : nam immensam curculionum (qui tritico Prudentii Martinez de Azagra insederant) molem, et formidandum erucarum (quæ Andreæ Ximenez Maldonado herbam medicam in agro infestabant) diluvium, patris Francisci Solani humilis invocatio, et olei lampadum ejus fidelis aspersio destruxerunt.

EX IMPRESSIS. Ejusdem olei efficacia ulcera curantur,

97 Anno MDCXXXI Emmanuel de Figueroa, curiæ Limanæ secretarius, vehementem gutturis molestiam, strumam acerbam, internam inflammationem, et ulcera fauces infestantia patiens, nec locum cibi, nec requiem somni habebat. Accesserat tot malis violenta febris, quæ ipsum jam circiter trimestri intervallo exercebat. Destitutus itaque remedio humano, votum vovit Domino, et se sancto patri Solano commendans; promisit, quod et ejus tumulum per novemdium devote frequentaret, Missarum stipendia largiretur, et sanctis se Sacramentis reficeret. Hac prolata sponsione, oleo lampadum ejus fauces oblinivit, ac statim lenimen percipiens, die sequenti novemdialem tam feliciter inchoavit stationem, ut quarta die, etsi cibos alioquin nocivos comedisset, sanus perfecte absque alio remedio effectus sit.

profluvium ventris

98 Ildephonsus Jacome Carlos eodem anno febre, alvi profluvio, et intenso ventriculi dolore cum hæmorrhoidum morbo (Indice Mal del valle nuncupato) anxiatus, nulloque sublevatus remedio, quadam nocte in ipsa dolorum violentia oleo E
sancti viri Solani se unxit; cujus virtute sedato cruciatu, somnum suavem (quem a viginti diebus optabat) sensit, et mane expergefactus optimam sanitatem se probavit adeptum.

et dolor tolluntur,

Ipsomet anno Catharina Bran, Francisci de Obando serva, ejusdem olei potu a simili malo fortiter ingravescente obtinuit liberari.

puella mortis discrimini subducitur

99 Hoc eodem anno MDCXXXI, Maura puellula adeo graviter infirmata est, ut intra tres dies nec sugere posset, nec mortem evasura putaretur. Hanc Joanna Delgado hera servo Dei Solano sanandam devote committens, libram ceræ, et eleemosynam Missæ, si sanaretur, promisit : moxque sacro ejusdem oleo mandibulas, et ventrem servulæ unxit. Quæ postea intra horam voces emisit, ubera suxit, et, tumore ventris resoluto, sana remansit. Ipso etiam anno Maria de Carranca tenellam filiolam, febri acuta correptam, a medicis derelictam, ac ultimum vitæ halitum emittentem, ad conventum S. Francisci circa noctis crepusculum tulit, et super sacelli Viri Dei altare reposuit, vultumque ejus ad sacram Intercessoris imaginem conversum oleo F
lampadum unxit. At puellula statim efficaciam Intercessionis experta, quieti somnoque suavi donata, domum reducta est; media vero nocte expergefacta, mamillas apprehendit et suxit, maneque exorto, a febre libera fuit.

et nimia effluentis sanguinis copia sistitur.

100 Anno MDCXXXVIII, Agneti de Orosco signiferi Ludovici de la Barrera Aguiar uxori, ut ab orta in faucibus ægritudine per moderatam sanguinis emissionem sanaretur, duæ sub lingua venæ apertæ fuerunt; verum incisione nimis, aut inepte protracta, adeo larga ab eis cruoris copia effluere cœpit, ut nullo recludi possent remedio. Successu afflicta mulier, et vitæ jacturam verita, ad sancti patris Solani efficacem, prudenter sane, recurrit virtutem : nam a sorore salubri illo lampadum oleo venis cum signo crucis inunctis, statim défluxus sanguinis stetit.

ANNOTATA.

ANNOTATA.

a *Dubito, an hic indicetur municipium, quod conditum in valle* Saña *vel* Zaña *sæpe vallis nomen gerit, quamvis ab Hispanis plerumque nuncupetur* Miraflores.

b *Est in extrema urbis, Limanæ parte templum, verosimiliter a miraculosa Deiparæ imagine vulgo dictum* Nuestra señora de Guadalupe. *Est præterea in valle* Zaña *vel* Saña *municipium vulgo dictum* Pueblo nuevo, *habens monasterium PP. Augustinianorum, quod communiter vocatur* Guadalupe. *Videtur hic posterior locus indicari.*

CAPUT VIII.

B

Oleum prodigiose multiplicatum, et varia alia beneficia patrocinio beati Viri tum corporibus tum animabus præstita.

Prædictum oleum Qui olim in deserto panem famelicæ multitudinis multiplicavit in cibum, ita nostris temporibus in Indiis, pretiosum e servi Dei Solani lampadibus haustum oleum in languentis populi remedium mirabiliter, ne deficeret, conservavit; aut illo deficiente, novum in vasis creavit. Ildephonsus Martinez Lozano, et uxor ejus Augustina de Alvarado ampullam vitream oleo lampadum viri Dei nondum semiplenam acceperat; quo per duos et ultra annos frequenter pro variis infirmitatibus usi, numquam tamen minui, aut immutari noverunt: immo cum aliquando media ejusdem pars fuisset educta, et ad multos languentes transmissa; cum intra duas horas ad aliud extrahendum venissent, ampullam refer-
C tam et usque ad summum oleo plenam repererunt. Admirati casum (præsertim cum non humana infusione repositum certissime scirent) illud in aliud vas transmutarunt. Quod quidem nitidum et impermixtum oculi retulerunt, gustus autem amarum et inabsorbile judicavit.

miraculose multiplicatum, 102 Angela de Lescano Barbaran vas vitreum oleo lampadum, coram Servi Dei sepulcro ardentium, e Limana civitate ad regionem de Chiclayo
a *a* plenum sibi trausmitti curavit, quod per quinquennium ita crebro infirmis illius provinciæ et Truxilli distribuit; ut cum sexies ultra vasculi capacitatem eductum non defecisset, pro continuo miraculo haberetur. Anno tandem MDCXXXII, mense Junio, nocte quadam feriæ sextæ in necessitate pueruli urina laborantis defecit: nam rogata pro oleo Angela præfata vas ad se delatum omnino vacuum et exhaustum movit, linteis in illud immissis perfricuit, candela accensa calefecit, nec tamen oleum, aut humorem olei ullum expressit. Quare ad eum, qui cuncta creavit ex nihilo conversa, ait: « Quomodo, Domine,
D » nunc deest oleum, ut cum illo miracula dilecti » famuli tui cessent; ostende, Domine, meritorum ipsius virtutem, ut nos eam celebremus. » Vix hæc protulerat, cum subito vasculum (quod adhuc præ manu tenebat) sensibiliter novo olei limpidi liquore exuberans vidit: rei novitate stupefacta voces emittens, plures alios miraculi testes accivit. Hoc oleo non naturæ fœtu producto, sed ex omnipotentiæ divinæ sinu educto; non generato, sed creato, cum plurimi contra ægritudines fuissent in remedium usi, anno MDCXXXIX mense Novembri, quo illustrissimus Truxilli episcopus informationem de miraculi veritate confecit, nondum tamen erat exhaustum.

103 Multas prodigiosum hoc oleum superavit infirmitates, et curavit languores. Indus quidam servus, nomine Augustinus, febre et sanguinis fluxu insanabili ad extrema redactus, vocis usum amiserat; et cum lingua proprios manifestare reatus nequiret, absolutionem quibusdam contritionis extrinsecis signis innixam a sacerdote receperat. Hoc in agonis certamine dum a morte prostrandus * versaretur, a filia Angelæ Barbaram oleo præfato in fronte cum crucis signo perunctus fuit, statimque profluvium sanguinis desiit, febris cessavit; ille ad sensus redivit, cibum petiit, et in brevi quatridui spatio bonam valetudinem est consecutus. *intercedente B. Francisco Solano,* * lege prosternendus E

104 Ludovicus Ildephonsus triennis puellulus, filius domini Joannis de Lossada et Magdalenæ Rosdan de Avila, anno MDCXXXII febre vehementi, et consummata hydropisi laborans, cruribus et vesica valde intumuit. Hunc cum frustra per sex menses physicorum docta solicitudo curasset, ac tandem intra horam exspiraturum medicus affirmasset, parentes sub venerabilis Servi Dei patrocinio reposuerunt. Imago itaque sancti patris Solani ad lectulum infirmantis admovetur, oleum illud miraculose productum super umbilicum in crucis figuram ungendo protrahitur, chartula quædam e bursa reliquiarum educta ad ventris summitatem applicatur; et ecce quod vix elapso horæ quadrante, quasi scalpro confixus fuisset umbilicus, per imperceptibilem et acicula minorem exitum visa est effluere tenuis aqua, quæ a vespero usque ad F auroram decurrens, et omnem lectuli supellectilem penetrans ac madefaciens, tandem vesicam et crura a tumore libera reliquit. *multis ægrotis*

Cujus beneficii non ingrati parentes puerum ad oratorium Viri Dei orto die tulerunt, ut in Missa, a decano Juliano de Turre ipsius patruo celebranda, sisterent eum Domino, et propitio Liberatori gratias referrent: altera vero die infantulus omnino sanus e lectulo surrexit, et incolumis deinceps perseveravit. Ex hoc etiam miraculi fama accrevit, quod post quindecim dies Ferdinandus Perez argentarius, eadem tumoris infirmitate gravatus, chirurgorum scalpello umbilicum sibi transfigi fecit, qui copiosum quidem aqueum humorem emisit; sed intra quatuordecim post transfixionem horas, æger occubuit. *sanitatem restituit,*

105 Maria Alfaro olei lampadum sancti viri Solani virtutem sæpe in se, et in aliis experta fuerat: nam ulcus malignum sinistram pectoris partem corrodens, quod terrena remedia nequiverunt, olei ejusdem unico linimento intra qua- *et post variorum morborum curationem*

triduum

A triduum perfecte curavit. Sic et eadem unctione diuturnas anni et medii ex horrida scabie maculas et cicatrices detersit. Ipsi etiam, violento puerperio laboranti, cum pes unus prolis extra alvum erumpens mortis periculum et timorem incuteret, oleo salutifero viri Dei Solani se ungi poposcit, et bene : nam illico et absque labore puerum pedes in exitus præmittentem effudit, quem Petrum vocavit. Hujus quinquennis filius Eugenius ob febris tertianæ duplicis violentam prolixitatem a medicis desperatus, cum nec linguam solvere, nec dentes ad esum movere, nec fauces ad deglutionem posset aperire, recitato super eum Evangelio, et olei lampadum Servi Dei unctione protracta *, intra horam a mortis agone reversus super lectulum sedit, voces emisit; pulli assi partem, et intritum aviculæ pectus avide manducavit; ac subito liber a febre, intra quatriduum corroboratæ valetudinis bono potitus est.

* *forte peracta*

iterum divinitus multiplicatur.

106 Cum itaque præfata Maria de Algaro, Francisci Ramirez, Truxilli commorantis, uxor, B per quinquennium paucis hujus olei guttulis, numquam deficientibus, in sua suorumque necessitate frequenter esset usa; tandem aliquando illius sensit defectum, quo etiam tempore infirmante puellulo quodam, et patre ipsius Joanne Alvarez oleum requirente, illa licet carentiam jam visu et tactu experta, rursus tamen vasculum ab arca extraxit, quod quidem digiti latitudinem oleo æquante provisum invenit : hocque non ab hominibus infusum, sed divina operatione creatum, et vasis in arca sub clave reconditi securitas, et prædicti infantuli ex ejusdem unctione subsecuta sanitas comprobarunt.

Vir sanctus etiam animabus prodest,

107 Licet corporibus hominum, aut fortunæ bonis divinitus collata beneficia (quia oculorum aciem percellunt, et materiales potentias movent) apud rerum mirabilium æstimatores magna reputentur ; quæ tamen animas spectant miræ virtutis operationes, et quæ suos in spiritualem humanæ naturæ substantiam producunt effectus, tanto majoris debent excellentiæ haberi, quanto nobilior est spiritus corpore, et anima terrestri comparte sublimior. Utramque hanc in corpora C et animas servo suo Francisco Solano Deus largitus est potestatem ut et illa a morte, a periculis, a morbis eriperet ; et has a vitiorum præcipitiis retraheret, et ad sanctitatis, patientiæ, et pœnitentiæ amorem inclinaret. Præter ea autem, quæ super his (dum viveret) reliquit argumenta, quædam diu post mortem subsecuta referentur.

dum mulierem ad patientiam hortatur.

108 Anno MDCXXX cum Juliana de Obregon Missæ, a baccalaureo Joanne Francisco de Valladolid in capella Viri Dei celebratæ, adesset, et pro bono successu peregrinationis Antonii de la Cueva mariti sui a Limensi civitate ad Regnum b Terræ firmæ *b*, et Panamam navigantis oraret, in ipsa Sacramenti vivifici elevatione vocem illam PATIENTIA, e sepulcro prodeuntem, sola audivit ; quam ad se directam existimans, omnimodæ ad divinam voluntatem conformitatis actum emisit. Et revera prævia admonitio mulierem plurimum juvit : nam post tres dies funestum de morte chari conjugis nuncium accepit, cui, sive amorem mutuum, sive magnam familiæ necessitatem spectes, sufferendo impar fuisset, nisi eam efficax sancti patris Solani verbum solidasset, et scuto patientiæ præmunisset.

EX IMPRESSIS

Præsentia spirituali devoto adest,

109 Vir quidam ecclesiasticus regularis ex gravioribus Limani regni circa initium anni MDCXXXI ad sancti Viri tumulum accessit, eique se fidelem devotum addixit. Ex tunc adeo menti ejus fuit tanti Patroni impressa præsentia, ut semper intellectuali assistentia ipsi die noctuque ad nutum desiderii adesset ; hic autem præsentiæ spiritualis modus, quo et alia in sepulcro suo orantem Vir Dei cum seraphico patre S. Francisco dignatus est honorare, sentiri potest, verbis describi non potest.

inopi puellæ felix matrimonium procurat,

110 Mulier quædam inops et vetula, hoc solum commune matribus ante mortem in voto habebat, ut filiam triginta annis provectam posset matrimonio collocare ; dotis autem (sine qua nullum conjugii vinculum initur) copia deficiente novemdialem ad sancti patris Solani tumulum stationem, desiderii adimplendi medium impetratura, traduxit. Quam cum terminaret, et antequam domum rediret, tenero mentis affectu Servum Dei alloquens, ait : « Quoniam tu es Advo- E
» catus pauperum, qualis ego adeo sum ; apud
» te remaneat cura filiæ meæ ; nam de tua soli-
» citudine bonum exspecto. » Has inopis et humilis vetulæ voces, pia Francisci Solani auris excepit : nam die sequenti, quidam homo dives et bonis fortunæ commode instructus, se ipso absque sensibili ullius impulsu, vel supplicatione, aut verbo ad eam intravit, et qui alias copiose dotatas recusaverat virgines, filiam illius in uxorem sibi dari poposcit : de cujus paupertate admonitus, indotatam se velle respondit, et talem accepit, contractoque matrimonio, pacem (quam Deus his, quos ipse vere conjunxit, immittere solet) perceperunt.

usum loquelæ, et sensuum infirmo obtinet.

111 Quidam Chrysostomus incola Vallis de Xauxa febris malignæ violentia usum vocis, et sensuum liberam facultatem amiserat : hunc sic angustiatum et in agone versantem, etsi ob corporis mortem, tamen amplius propter animæ, quam ex sacramentalis confessionis defectu timebant jacturam, omnium circumstantium affectus lugebat. Cum accedens Joannes de Quiros Vallis F præfatæ gubernator infirmo patris Francisci Solani reliquiam admovit, et ut illi vocis redderetur libertas, oravit. Efficaces fuere contactus et deprecatio : illico enim æger ad sensuum expeditam facultatem reductus, linguam solvit, peccata confessus est, alia Sacramenta placide recepit, testamentum condidit, et tandem in pace quievit.

perditum adolescentem ad frugem reducit.

112 Juvenis quidam viginti annorum adolescens, depravatus moribusque corruptus, temerarius ac ferox, cum ex quotidianis dissidiis magnos familiæ suæ sumptus, sibique frequens carcerum et compedum dedecus attraheret ; post multas admonitiones, consilia, et media correctionis humana in vanum tentata, ab afflicta matre sancto patri Solano immutandus offertur. Quæ propterea celebrari ad sepulcrum ejus Missas fecit, ut (eo intercedente) Spiritus benignitatis, timoris Domini, et pietatis in filii mentem descenderet. Nec decepta est : nam repente, lupus ille in agnum mutatus ensem abjecit, a tumultibus abstinuit, ac imposterum Dei dumtaxat obsequio, ac

EX IMPRESSIS. ac familiæ matrisque sustentationi diligenter attendit.

et cujusdam clientis sui desiderium prodigiose implet.

113 His addam mirabilem successum, quo devotum amici sui desiderium Vir Dei sanctus implevit. Anno MDCXXXIII licentiatus Franciscus Gutierrez de Salablanca, audientiæ et cancellariæ regalis civitatis Limanæ relator, vitam patris Francisci Solani per omnes bibliopolarum officinas frustra quæsivit : quadam vero nocte, dum in cubili jaceret, uxori suæ Leonardæ de Ulloa suum de non invento juxta ardens desiderium Vitæ præfatæ libro mœrorem significavit, et in hoc sermone uterque obdormivit. Mane exorto, expergefactis super pulvinar, cui capita reclinabant, liber occurrit ; quem cum stupore apertum, maritus de Vita sancti patris Solani esse comperit. Attentis vero circumstantiis, quod nec in illa domo hujusmodi esset, nec cuiquam viri affectus innotuisset, plane constitit, illuc a servo Dei Francisco, amici sui votis benigne inclinato, fuisse mirabiliter perlatum.

B

ANNOTATA.

a *Hæc regio sita est in diœcesi Truxillensi, ut ex sequentibus colligitur, distatque ab urbe Limana centum et decem leucis, ut tradit Vita Hispanica lib.* 4, *cap.* 10.

b Terra firma *aliquando latius, aliquando strictius sumitur. Stricte hic sumitur, estque pars parva Americæ meridionalis versus isthmum Panamæ et inter sinus Panamæ et Urabæ, ubi urbes præcipuæ sunt Panama et Portus pulcher.*

ALIA MIRACULA

POST BEATIFICATIONEM PATRATA,

C

Excerpta ex Processu caonizationis.

CAPUT I.

Viginti quatuor miracula, patrocinio sancti Francisci Solani facta in oppido Montiliensi.

Invocatione sancti Viri familia sub ruinis domus illæsa servatur,

Maria de Aguilar una cum filia, et nepte in cubili somno detentis nocturno tempore, domus repente concidit. Ad ruinæ strepitum excitæ Beatum protinus invocarunt, cujus præsto fuit opis : diruta enim tota domo, ea pars tantum servata fuit, in qua illæ existebant, licet compacta ex eadem materie ac reliquum domus, nec ullum subesset firmius fulcimentum ; et nedum illæ remanserunt illæsæ, verum etiam supellectilia * dictæ domus, inter quæ lecythus olei ad usum lampadis sumptibus earumdem jugiter ardentis ante Beati imaginem ; qui delapsus ex superiori ad inferius pavimentum, remansit illæsus, et oleum nec in minima gutta dispersum cum omnium admiratione. D

* *lege* supellex... interquam

puella a deglutita hirudine liberatur,

2 Catharina Bernarda de Arana puella quatuor annorum in proximo vitæ discrimine existens ob deglutitam hirudinem in aqua, quam propinaverat, latentem, frustra per plures dies pluribus medicamentis adhibitis, per applicationem tandem crucis, quæ olim fuit sancti Solani, ejus implorata ope, statim convaluit, hirudine ex ejus faucibus ultro prodeunte.

dolor gutturis curatur,

Hildephonsus Marquez de Espexo præ angina in gutture impotens omnino ad cibum et potum per quinque vel sex dies, nulla experta medicaminum vi, minusve undecim sanguinis emissionum, habito recursu ad sanctum Solanum, eique applicata prædicta cruce, statim tumore erupto, integre evasit incolumis. E

febres a

3 Cum Joannes Traperus magno tumore sub genu dextero, et ardentissimis febribus ex erysipela *a* correptus esset, ac atrocissimis doloribus per quatuor hebdomadas laboraret, ita oppressus remansit, ut nec caput elevare, nec cibum aliquem sumere posset, maxime in diem durascente tumore. In hoc statu respiciens imaginem Beati, eidem se commendando, somno correptus est, in quo magnus supervenit sudor, eruptoque tumore scatuit copiosa sanies commixta sanguine ; cumque evigilasset, fuit quoque inventus absque febri, et absque ullo dolore in parte læsa, et ita sanitati restitutus, ut ipsamet die potuerit sine impedimento deambulare.

et pestis fugantur.

4 Joanna Francisca Hurtado virgo laborans pestifero morbo, tempore, quo epidemia in civitate Montiliæ grassabatur, cum duobus bubonibus in inguine, quos ob pudorem occultabat, matri suæ tamen manifestavit ; et quia ipsismet diebus, ac in ipsamet domo duo famuli peste perierunt, timuerunt valde et mortem filiæ, et totius familiaris supellectilis combustionem. In hoc conflictu agentem jam in extremis infirmam parentes ejus Beato commendarunt, et statim, licet ardentissima febri et delirio laboraret, cœpit recuperare salutatem, cui brevissimo tempore integre restituta fuit ; et quod est æque mirandum, nulli alii e dicta domo subiere dictum pestiferum morbum. F

Mulier in difficili partu constituta, b

5 Maria a sancto Georgio post infantem in lucem editum, cum secundas *b* non emisisset, cognovit obstetrix alium infantulum remansisse, qui post spatium quatuor horarum brachium emisit, et in hoc statu per septem horas permansit. Cognito periculo, Sacramentis munierunt infirmam, post quorum administrationem perseveravit, in eodem per alias viginti quatuor horas, ita ut præ nimia debilitate in ultimo extremo vitæ constituta, jam a medicis desperaretur. Fuit infirmæ allata ex conventu Monialium S. Claræ imago Beati ; et cum suis manibus accepisset, omnes circumstantes genuflexi auxilium ejus invocarunt una cum ipsa ; et in oratione feliciter secundum infantem peperit, secundas emisit, et admi-

A admiratione omnium absque ulla penitus læsione permansit.

et altera malignis febribus afflicta mortis periculum evadunt,

6 Maria del Pino annorum sex supra septuaginta incidit in febrim malignam tempore, quo epidemiam civitas Montiliæ patiebatur : visitata a medicis, statim fuit expedita, utpote non apta curari præ ætate et gravitate morbi. Sanctissimis itaque munita Sacramentis in extremis jam laborabat, quando filii ejus in capella Beati cogitarunt de celebratione Sacri pro ejus salute; prout expleverunt, se ex toto corde commendando ejusdem intercessioni, et statim liberam a febri invenerunt, ita ut physicorum et omnium cum admiratione illico perfectam salutem reportaverit, in qua usque ad præsens permanet.

ac puer post gravem lapsum incolumis invenitur.

Joannes Bellimar trium annorum cum dimidio cum supra fenestram ascendisset, inde cecidit ab altitudine decem et octo palmorum in publicam lapidibus structam, et cum jam mortuus existimaretur, statim Beato commendatus derepente puerulus revixit, et absque aliqua læsione incoluminis repertus est.

B

Femina quædam,

7 Joanna de Blancas postquam recepisset beneficium miraculosæ sanitatis a cancro, ut refertur per extensum infra miraculo III deponit fol. 1292 ter, quod cum tempore epidemiæ laborasset magnis febribus, cum omnibus signis, quibus pestis incipiebat, visitata a medicis, hi declararunt omnia remedia inutilia, et propterea Sacramentis omnibus fuit refecta; tertia die, in qua febris incepit, timens, se sub eam e vita decessuram, dictum Beatum invocavit, ut de illo letali periculo, sicut de alio superius relato, suis meritis liberaret, statim in ipsamet oratione febris cessavit, ita ut sana liberaque omnino permanserit.

invocato S. Francisci Solani auxilio.

Ipsamet deponit fol. 1293, qualiter anno MDCLXXXII, quo etiam urgebat pestis in dicta civitate, habuit in oculo sinistro tumorem quemdam, vulgo carbunco, magna cum febri, tumefacta facie, aliisque accidentibus, quibus epidemia incipiebat, et licet a medicis, et chirurgis medicamina fuerint applicita, cum nihil proficerent, et in extremis jam laborasset, reportare fecit oleum lampadis Beati, et adhibita unctione,

C perfectam salutem recuperavit.

varia beneficia obtinet,

8 Ipsamet deponit etiam fol. 1294 aliud beneficium intercessione Beati receptum; nimirum, quod Maria de los Sanctos filia ejus laborabat magna gutturis tumefactione cum ardentissima febri, ita ut nec cibum recipere, nec respirare posset : igitur a medicis proclamata, testis ista recursum habuit ad intercessionem Beati, ac ejusdem imaginem posuit supra infirmam, quæ illam manibus tenens, et lacrymans pro sua salute deprecabatur. In ipsomet actu infirma repente evomuit abundantem humorem sanguine mixtum, et recuperata salute lectum dimisit, ipsamet die perfectæ sanitati restituta.

et aliis concessa

Ipsamet deponit, quamdam puellulam tribus mensibus post nativitatem suam oculos non aperuisse, sed potius ex illis emanasse humorem pestilentem sanguine mixtum, et ab omnibus cæca judicabatur; sacrificium Missæ pro sua salute in capella Beati oblatum fuit, et in eo infirma magna cum fide commendata : quo peracto, puellula oculos aperuit, et omnium cum admiratione visi fuerunt redacti ad suam perfectam claritatem, et absque aliqua læsione, et sic permanent usque ad præsens.

EX PROCESSU CANONIZATIONIS.

testimonio suo confirmat.

Etiam deponit, ruinam cujusdam domus, in qua erant Anna Rodriguez, Joannes, Mathias, et Franciscus filii ejus, et Joannes Perez; qui cum vidissent, et audivissent circa dimidium noctis prædictam ruinam, Beato se commendarunt, et absque læsione miraculose inter ruinas præservati remanserunt.

Intercessione ejus diuturnus sanguinis fluxus,

9 Franciscus Antonius Solano cecidit e fenestra, ex qua rupta vena in posteriori parte, remansit cum fluxu sanguinis per spatium novem annorum, et redactus ad statum hectici et phthisici cum tumoribus etiam ulceratis; cumque destitutus fuisset omni humano remedio jam morti proximus, mater ejus D. Anna Solano assumens oleum lampadis Beati, eo unxit rupturam venæ, et residuum dedit infirmo, ut biberet, et statim aliquantulum somno correptus, cum evigilasset, se comperit non modo liberum a febri, et a fluxu sanguinis, verum etiam prorsus incolumem, aucta carne ad suam naturalem pinguedinem, sicut est hodie. E

hydropisis,

Joannes Franciscus a Sanctis puer quinque annorum per biennium laborabat infirmitate hydropisiæ, ex qua tumefactus, et absque remedio a medicis destitutus fuit; in hac afflictione parentes ejus Beato eum commendarunt, et puer ipse plorando petiit a Beato suam salutem, applicitaque imagine ventri, repente evacuatio magna (naturaliter insolita) supervenit, ita ut absque tumefactione, febri, aliisque accidentibus ipsamet die sanitati fuerit restitutus, ut deponunt mater ejus, soror et frater.

maligna febris,

10 D. Franciscus Antonius Perez presbyter laborabat in extremis, ob malignitatem diuturnæ febris jam a medicis destitutus. Frater ejus D. Ludovicus Perez presbyter Missam celebravit in altari Beati, illum commendans ; sensit in actu oblationis Sacrificii quoddam animi solatium, et domum repetens, invenit infirmum absque febri, et brevi perfectam salutem recuperavit. Pro beneficio accepto amborum sumptibus obtulerunt imaginem Beati, valoris trecentorum ducatorum argenti, quæ hodie collocata est in capella F Conventus sancti Laurentii, et est illa, quæ ad liberationem epidemiæ processionaliter delata fuit.

distorta mandibula,

Joanna Muñoz vidua sexagenaria laborabat magna afflictione, quia mandibulæ, seu partes inferiores oris ceciderant de loco suo, ita ut alimentum sumere non posset, et sic permansit per septem dies remediis destituta : credens se morti proximam, Beato se commendavit, et in oratione, sumpto paulisper somno, in eo mandibulæ fuerunt loco suo restitutæ, et cum evigilasset, sanam se invenit.

tumor pestilens,

11 Petrus Arjona tempore epidemiæ patiens tumorem pestilentem in inguine cum ardentissima febri, atrocissimisque doloribus repente liber inventus est, olei Beati unctione peracta a Maria Candelaria uxore sua ; ita ipsamet deponit.

infirmitas cholica,

Uxor Emmanuelis Solani ob infirmitatem, ut vulgo dicitur, colicam ad extremum vitæ ducta, a medicis absque humano remedio proclamata, ad applicationem imagiuis Beati statim alveus exoneratus

EX PROCESSU CANONIZATIONIS.

crysipelas, neratus est, et saluti, omnium cum admiratione, restituta.

Sebastiana a Cruce laborabat crysipela in facie cum ardentissima febri magnisque doloribus in oculis, adeo ut eos aperire non posset, ac medicamina omnia essent inutilia; applicita cruce ex ligno cunabuli, quo infans jacuit Beatus, repente perfectæ sanitati restituta est.

hernia, 12 Josephus Trillo puerulus, filius D. Hieronymi Trillo, equitis S. Jacobi, ob violentas epilepsiæ commotiones hernica fractura laborans, et insanabilis proclamatus, unctione olei lampadis Beati, repente sanus factus est.

aliique Antonius Traperus sanus evasit unctione olei lampadis Beati a tumore pestilenti in inguine tempore epidemiæ civitatis Montiliæ.

morbi Emmanuel Cordon tempore epidemiæ laborans magna febri magnisque doloribus ob tumorem pestilentem in inguine, unctione olei lampadis Beati repente tumor crepuit, et liber a febri, sanus remansit.

curantur. Ex Testibus præsentatis a subpromotoribus
B deponit primus, scilicet D. Franciscus Sanchez de Toro presbyter, quod cum ipse per tres menses magna, acutaque infirmitate cum mortis periculo laborasset, Beato se commendavit, et statim sanus remansit.

ANNOTATA.

a *Erysipelas, græce* ἐρυσίπελας, *est tumor præter naturam in cute a sanguine et flava bile calidioribus, vel a sanguine fervente tenuique proveniens. Plura de hoc morbo vide apud Gorræum et alios medicos.*

b *Quid sint* secundæ *vel* secundinæ *dixi supra in Annotatis ad miracula post caput* 4 *littera* h.

c *Apud Hispanos* carbuncol *est indicium pestis. Carbunculus autem seu carbo apud medicos est ulcus quod crustam cito cum valida inflammatione totius partis vicinæ facit, ac febres vehementes et extrema pericula infert, ut tradit Castellus in Lexico medico.*

C

CAPUT II.

Septem alia miracula, quæ Montiliæ contigerunt, et in processu canonizationis ad examen proposita fuerunt.

Puer ex turri decidens mortem evadit, Sub annum MDCLXXXV, die X Augusti Franciscus Solanus puer annorum trium cum dimidio, existens in superiori parte turris ecclesiæ recenter constructæ (cum olim fuisset domus, in qua ortum habuit B. Franciscus Solanus) et cidem Beato dicatæ, altitudinis palmorum XXVII circiter, fuit per Alphonsum Ruiz XXXVIII testem redargutus, necnon Joannes de Zea pater pueri monitus de periculo imminentis præcipitii ejusdem, quemadmodum paulo post docuit eventus, et quidem magno cum strepitu; ita ut LIV testis D
infra num. 59 crediderit ab eadem turri cecidisse campanam. Inter alios accurrit idem Alphonsus, et prior jacentem puerum tamquam mortuum, nullaque dantem signa vitæ sustulit in brachiis, et obvio patri tradidit, suggerendo recursum ad intercessionem Beati. Non fuit segnis in invocatione pater, pioque ac miserenti animo vota omnium, qui in ecclesia aderant, accessere. Parem exhibuit promptitudinem dictus Beatus in precibus exaudiendis: etenim pergens dictus Joannes de Zea al altare Beati, antequam illuc pervenisset, exanimem filium ad vitæ munia esse restitutum sensit per suspirium ab eodem emissum. Itaque converso pede domum ascendit, ubi statim diligentissime examinato pueri corpusculo præter modicam excarificationem sub sinistro tempore, nonnullisque sanguinis guttis oculo adjacentibus, illum comperit in statu pristinæ sanitatis, ita ut hilari ac ridenti vultu per domum deambulaverit, cibumque poposcerit, ac comederit. Eodem tempore advenit medicus, qui nullis omissis experimentis, puerum tandem omnino illæsum asseruit absque viscerum concussione, vasorumque ru- E
ptione, præcipue cerebri. Quamobrem nullo medicamine adhibito, abivit, bene monitus, quod opus non est medico bene valentibus, Matth. cap. 9, ℣ 12.

et mulier post partum 14 Maria Hieronyma de Aguilar die XXIII Octobris MDCLXXXV, in lucem edidit feminam; sed secundinam, omnibus per obstetricem adhibitis diligentiis, numquam potuit. Accersitis medicis, hi recognoscentes pulsus exilitatem ex copioso sanguinis effluxu, simulque urgens mortis periculum, in quo versabatur, primo sanctissimorum munimen Sacramentorum, ac postmodum potionem sumere præceperunt, quam illico ac propinavit, eodemmet momento integre evomit, prout de antecedeuter sumptis acciderat: quapropter omni humano remedio incapacem declararunt; et ne quid intentatum omitteretur, elevari jussa fuit, ex quo actu in eam defectionem devenit, ub ab omnibus interempta existimaretur, ac immota permanens, fuit a medicis derelicta, ut inevitabiliter moritura.

15 Sub hac rerum consistentia Joanna Fernan- F
prodigiose secundinam emittit, dez de Sotomajor, mater dictæ infirmæ, multum in beati Francisci intercessione confidens, ejus imaginem a Joanne de Saravia receptam attulit, et applicuit ad ventrem infirmæ, cui dicti Beati merita enarrans, persuasit, ut illius intercessioni se commendaret, quod ex corde præstitit. In eodemmet invocationis actu coruscare, et effervescere Beati facies visa est; eodemque fere tempore infirma secundinam emisit absque dolore, et quæ antea nec integrum poterat proferre verbum, clara et alta voce inclamavit: MIRACOLO, MIRACOLO. Ad clamorem accessit obstetrix, et cum repererit in lecto dictam secundinam in modum sarcinæ, tempore, quo infirma jacebat corpore non aptato, imo omnino indisposito ad hujusmodi expulsionem, tribuit miraculo. Tanto magis, quod ipsa infirma absque ulla medicaminum ope remansit libera, ac prorsus incolumis.

ac alia periculoso cancro liberatur. 16 Per septennium Joanna de Blancas Canero laboravit in sinistra mamilla. Plura fuerunt applicata medicamina, nullum umquam proficuum;

quinimo

A quinimo in dies morbus percrebuit. Omni humano destituta remedio, ad intercessionem beati Solani recursum habuit : idem et filia præstitit, deferendo matri dicti Beati effigiem. Ægra plurimum fidens meritis ejusdem, eam posuit super mamillam, et ex corde ejus opem implorans, in profundum decidit somnum, nec expergefacta, quousque per filiam fuit sequenti mane excitata. Evigilans eamdem effigiem supra pectus comperit, nullis, quibus antea erat, exagitata doloribus. Vestibus induta ad ecclesiam secessit, et expiata anima per confessionem Sacramentalem, eucharisticum panem sumpsit fiduciæ erga dictum Beatum semper insistens. Domum reversa repente tumor erupit, et tanto impetu, ut aqua inde promanans, circumstantes consperserit; quinimo et ipsum ex adverso parietem. Inde ægra tamquam mortua decubuit, et accersito medico, et successive chirurgo, hic ex amplo ulcere animadvertens patere cancrum, ab eodem quoque Beati invocato munimine, illum extraxit facillime sine dolore patientis, et absque aliqua B sanguinis effusione. Omnes obstupuere, oculis ac contactu rimantes pergrandem illam massam carnis ad similitudinem manus semiapertæ compactam, admodum varicosam, vergentemque ad colorem inter viridem, et nigrum; cavitas vero, quæ adeo dilatata ac profunda remansit, ut ad medelam octo linamina injecta fuerint; quodlibet magnitudinis unius ovi, remansit prorsus repleta carne, ac in totum sanata immediate post nonam diem, tantum adhibito rosaceo melle, quo dicta linamina fuere prima vice madefacta. Hoc totum accidit ineunte anno MDCLXXVIII.

Tempore pestis plures,

17 Sub tempus æstivum anni MDCLXXXI, quo pestis invaserat civitatem Montiliæ, correpta fuit vehementissima febri cum vomitibus, ac deliriis Francisca Victoria Soriano subtus ejus axillis *a* detectis quoque bubonibus *a*, magnam duritiem ac tumorem præ se ferentibus. Certioratus medicus de qualitate pestifera morbi, mandavit celere Sacramentorum auxilium, quod fuit præstitum. Fuit adhibita sectio venæ, et oleo amygdalarum dulcium inuncti bubones : adhuc tamen morbus perstitit in suo robore, immo eo progressus, ut C mors infirmæ fuerit a medico incurabilis renuntiata. Mater ægræ ex corde confugit ad opem Beati, et deferendo imaginem ejusdem, tradidit filiæ, quæ maxima cum fiducia eam admovit buboni sub brachio sinistro, qui in instanti disparuit, nullo applicito medicamine; eademque imagine subsequenter applicita alteri buboni, id ipsum contigit, remanente Francisca omni ex parte optima valetudine.

implorata S. Francisci Solani ope,

18 In sequenti die, Annæ Mariæ, matri dictæ sanatæ, ex præcedenti contactu filiæ obvenit vehementissima febris, unde mente capta remansit, propter quod non potuerunt eidem ministrari Sacramenta, prout medicus injunxerat. Tribus adhibitis sanguinis emissionibus, in nihilo apparuit imminuta morbi malignitas ac pertinacia; sed invocato præsidio nostri Beati per filiam, pristinæ fuit ejus mater reddita sanitati, absque aliquo residuali vestigio morbi.

sanantur.

Prædicta contagiosa lue jam aperte grassante, supervenit Petro Hieronymo fratri, et filio respective sanatarum magna cum febri, et vomitu bubo in inguine, in quo statu tota illa die perseveravit, licet eodem oleo inunctus; sed post applicatam Beati imaginem, a febri et bubone liber remansit; et sanatio fuit adeo instantanea, et perfecta, ut potuerit dictus Petrus altera die ad sua ruralia munia libere adire.

EX PROCESSU CANONIZATIONIS.

Mulier per triennium varius morbis afflicta

19 Sub annum MDCLXXIX, Maria Ruiz septuagenaria in morbum incidit attractionis manuum et crurum, eo deveniendo, ut nec incedere, nec in cubili hinc inde se vertere posset absque alterius auxilio. In nervis durior conditio erat, ex quorum contractione crura adhærebant femoribus, penitus incapacia extensionis; unde nec in pedibus sistere, nec sedere eidem datum erat. Pluribus medicaminibus medicus et chirurgus omnem moverunt lapidem, ut eam molestissimam ægritudinem superarent; sed semper in vanum laborarunt : nam morbo in diem contumaciore, adjuncta quotidiana febri, fuit coactus medicus non semel, et iterum, sed per tres vices illum incurabilem denuntiare, in quam sententiam chirurgus quoque descendit. Omni igitur ægra per triennium destituta humano solatio, ad beati Francisci Solani merita properavit, ex intimo E cordis se Deo commendans, ut dignaretur per ea ad pristinam reintegrari valetudinem, spondendo visitationem capellæ, eidem recenter dicatæ, eo modo, quo posset.

subito perfectam sanitatem obtinet,

20 Opus itaque aggressa est adhibendo filiam, et duo fulcra ad sui sustentaculum. Ad ecclesiam ubi pervenit, statim et diminutam sensibiliter experta est ægritudinem, unde reassumpto cum viribus animo, et majori fiducia in Beati ope, postera die denuo adivit dictam capellam, in quo secundo itinere pedes, et manus præ se tulerunt quamdam ad motum aptitudinem, et tertia tandem die, licet iter peregerit super fulcris, filiæ tamen nec ulli alteri inhæsit. Hinc ægra toto sui spiritus conatu vim cœlo fecit, vehementissimis precibus postulando a Beato perfectam sanitatem, protestando maxima cum fiducia, se nolle domum suam remigrare, nisi ea impetrata, et absque fulcrorum subsidio. Protinus ægra in suis precibus exauditur : siquidem, prævia quadam in toto suo corpore diffusione caloris, cursitavit per gyrum novies, orans circum F dictam capellam, et altare Beati; quo peracto, remansit in statu perfectissimæ valetudinis, pedibus et manibus libera, adeo ut domum redierit absque ullo adjumento fulcrorum, ea præ manibus gestando. In hac autem perfectissima sanitate jugiter perseveravit, et perseverat, ut firmius dignoscatur eam fuisse opus Dei, cujus perfecta sunt opera. Deut. cap. 32, ℣ 4.

et sacerdos Minorita febri hectica liberatur.

21 Agebatur annus MDCLXXXII, cum frater Laurentius de Aguilar sacerdos Ordinis Minorum S. Francisci Montiliam pervenit, febri hectica secundæ speciei exæstuans, qua jam a diuturno tempore laboraverat, tam degens in civitate Ubedæ *b*, quam in villa Porcunæ *c*. In unoquoque *b c* dictorum locorum accersiti medici omnem navarunt operam, ad illam eradicandam; at æque omnem perdidere, cum nec alienus, nec patrius aer, cui omnis ægri, et medicorum spes nitebatur, ullum levamen dederit : quinimo semper abiit in deterius; dum per integrum annum ab eadem febri infirmus numquam se sensit immunem.

EX PROCESSU CANONIZATIONIS.

nem. Quapropter medici illum hecticum confirmatum pronuntiarunt, et morbum incurabilem declararunt, licet non destiterint a subministratione aliquorum medicaminum. Verum iis omnibus compertis inutilibus, aciem mentis evexit æger ad opem nostri Beati. Et quia hujusmodi spes numquam confundit, statim ac ædem eidem sacram incepit invisere, oleoque ardenti coram ejus icone in ejusdem Beati honorem sese perlinivit, cœpit illico se melius habere; quo pietatis ac fervidæ devotionis exercitio per quatuor dies perfunctus, ad integram sanitatem pervenit; et ubi antea macida facie sceleti imaginem præ se ferebat, redivivum colorem ac connaturalem pinguedinem ad admirationem resumpsit; unde hæc inopinata sanatio fuit ab omnibus tributa miraculo, et quidem secundi generis, ut pandit notoria proprietas hujusmodi febris, et melius infra patebit in puncto relevantiæ.

Pestis Montiliæ grassans

22 E villa Monturquensi, quæ pestifero morbo angebatur, nonnulla fuere invecta Montiliam, ex quorum contactu sub mense Junii MDCLXXXI B eadem lues civitatem illam invasit. Iu dies vires acquirens eo pervenit, ut ineunte anno MDCLXXXII ex quatuor mille personarum * (quem numerum dicta civitas non excedit) quatuordecim et quindecim quotidie comperirentur deficere, partim febribus malignis, partim carbunculis, ac bubonibus in inguinibus, et sub axillis occumbendo. Ad hujusmodi stragem coercendam, pluries medici convenere, et præsentientes, illam non posse ulterius obtegi, quemadmodum antea sategerant, sub finem Martii ejusdem anni obvium infectis ad curationem nosocomium instituere. Hæc efferata morbi grassatio æquo pede pertinaciter semper incessit. Quapropter postremis diebus mensis Aprilis, humanis diligentiis compertis inutilibus, subiit animos Religiosorum e Franciscana familia ad nostri Beati opem habere confugium.

* *lege* personis

23 Processione igitur indicta, Beati imaginem precibus et corporum afflictationibus comitantes, D stiterunt ad nosocomium, ibique reliquerunt infirmariis duo canistra, alterum passis uvis, crustulis alterum repletum, penes dictam imaginem una simul delata, ut sub dicti Beati munimine ægris distribuerent. Subinde iisdem Religiosis civitatem eadem cum imagine peragrantibus, plurimi confluxere dictam processionem insequentes, ac intercessionem Beati piis lacrymis, publicisque clamoribus implorantes. Sub vespertinis horis nosocomii administri ad prædictam distributionem inter infirmos devenere, degustatisque dictis uvis, et crustulis, statim infirmi convaluerunt; ita ut postera die comederint cibos, nedum sibi appositos, verum etiam qui pro ministrantibus erant parati. Miraculum auctum fuit ex eo quod nec die peractæ processionis, nec insequenti ullus ex infectis obiit, nullusque fuit in eadem civitate repertus indigens nosocomio, quod propterea infra paucos dies obseratum exstitit.

invocatione beati Viri cessat.

E

ANNOTATA.

a *Bubo, Græcis* βουβών, *est tumor ex male affectis visceribus vel venenata putredine ortus, et sæpe est pestilentiæ index.*

b *Ubeda urbs Hispaniæ in Vandalitia versus confinia Castellæ Novæ distat una leuca a Bæti fluvio in Septemtrionem, et anno* 1234 *recuperata fuit a S. Ferdinando rege Castellæ, ejectis inde Mauris.*

c *Est oppidulum Hispaniæ Bæticæ, Latine dictum Obulco, et municipium Pontificense, ut quidam tradunt. Nunc vulgo vocatur* Porcuña, *situmque est inter Cordubam ad Occasum et Giennum ad Ortum, vix duabus leucis a Bæti fluvio dissitum in Meridiem.*

INDICES

INDICES

IN TOMUM QUINTUM JULII

Numerus paginam indicat; a b c d e f *sectiones paginarum;*
† *Sanctum designat.*

INDEX

HISTORICUS

A

Æ

B

B

C

D

E

Erchi-

F

G

H

I

J

K

L

Ottho

S

S

T

U

V

W

Y

Z

INDEX

TOPOGRAPHICUS

A

B

C

D

E

F

Fonta-

Marta

N

O

P

Philippi

U

V

W

X

Y

Z

INDEX

ONOMASTICUS

LATINO-BARBARUS.

A

B

C

Com-

GRÆCO-BARBARUS.

INDEX

MORALIS

contracto

sub.

D

E

pales

Humil-

N

O

P

T

U

V

CALVOMONTE, EX TYPIS CAROLI CAVANIOL.